MISCELL FOL Fol R 1372

Fuesse, III, 122: Arpg. v. 1649.
BTle. im Mus.

GOTTFRIED

11 (Blatt 22) Manuscr. Holl. (und Titel)
69 Bll., 1 leeres Bll., 267 Bll., 51 Bll.
42 numm. Bll.
Es fehlt 1 Kupferstich von Merian.

Fol-R 7/76

175

John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

68 ACH SN

ARCHONTOLOGIA COSMICA,

SIVE

IMPERIORVM, REGNORVM, PRINCIPATVVM, RERVMQVE PVBLICARVM OMNIVM PER TOTVM Terrarum Orbem

COMMENTARII LVCVLENTISSIMI,

QVIBVS CVM IPSÆ REGIONES, EARVMQVE INGENIA, ac Termini, tùm Incolarum Mores, Opes Prouinciarum, Mercimonia ac Negotiatio, Robur militare, Forma dominij, Religionis cultusque ratio, Succeßiones denique Principum ad noßra vßque Tempora deducuntur, & veluti ßpeculo quodam Lectoris oculis ßubiiciuntur,

Opera & ßtudio

JO. LVDOVICI GOTOFREDI,

QVI EOS PRIMO GALLICE PER D.T.V.Y. SACRI CVBICVLI apud Regem Chriſtianiſſimum Equitem conſcriptos: Nuper verò ex nouiſſimo & auctiore exemplari Pariſienſi in ſermonem Latinum conuertit, nouiſque acceſſionibus locupletauit, & in tres Libros diuiſit,

QVORVM

I. *Imperatorum, Regum, Principum, ſummorumque Magiſtratuum, qui per Europam ſibi Imperij ſedem fixerunt, etiamſi extra hanc quoque dominentur, deſcriptioni tribuitur.*

II. *Monarchas, Reges & Principes per Aſiam, Africamque rerum potentes, quique in his partibus Globi Terreſtris domicilia ſua conſtituerunt, perſequitur. In quo ſecundo libro Lector multa inueniet, in primis in deſcriptione rerum Ottomannicarum & Perſicarum, quæ antea lucem non adſpexerunt, ſed jam primùm in publicum prodeunt.*

III. *Omnium Ordinum tàm Religioſorum, quàm Militarium, ſiue Equeſtrium per Orbem Chriſtianum Origines, Auctores, Leges, Incrementa & Decrementa complectitur.*

AD REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. D.D. GEORGIVM FRIDERICVM ARCHIEPISCOPVM ET S. R. I. Electorem Moguntinum, &c.

Cum gratia & priuilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ad ſexennium.

FRANCOFVRTI ad Mœnum, Sumptibus LVCÆ JENNISI.

Anno M. DC. XXIIX.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO
Principi & Domino

DOMINO GEORGIO FRIDERICO,

SANCTÆ SEDIS MOGVNTINÆ ARCHIEpiscopo, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, & Principi Electori, Episcopo Wormatiensi, &c.

Domino suo Clementissimo

PERPETVAM FELICITATEM.

QVI bonos libros, præstantium ingeniorum felices fœtus & duratura ad posteritatem monumenta, siue ea elaborauerint ipsi, siue ab aliis elucubrata acceperint, in iudicioſum litteratæ Caueæ Amphitheatrum producturi, hoc est, typis publicis descripta edituri sunt; varias in medium adducere rationes, cur ea viris Principibus Illustribusque, qui multum possunt pollentque, nuncupent dedicentque, solent,

REVERENDISSIME ARCHIEPISCOPE,
PRINCEPS ELECTOR ILLVSTRISSIME,
DOMINE CLEMENTISSIME,

vel quod hic mos apud priscos illos melioriſque seculi scriptores obtinuerit, quorum non nemo Dîs quidem immortalibus Arcas & Templa dedicanda, Principibus verò bonos libros inscribendos offerendosque censuit: *vel vt acceptorum beneficiorum gratam memoriam apud se non interisse testentur, quorum aliquod in vulgus extare volunt publicum testimonium: vel vt se voto aliquo exsoluant, promissique fidem liberent: vel vt Magnorum Virorum eo modo sibi concilient atque promercentur, prouide quidem & in antecessum, fauorem atque gratiam: vel denique, vti sibi suisque lucubrationibus validum aliquem Hyperaspistem & Patronum quærant, sub cuius defensione & patrocinio, tanta auctoritate subnixo, velut Teucer sub Aiacis Clypeo tuti subsistere, & labores suos ab malignorum soricum dente, quorum hodie* plus

est quam olim muscarum cum caletur maxume, *immunes præstare possint.*

Hæc omnia & singula, cum me quoque ARCHONTOLOGIAM *hancce* COSMICAM *publici iuris facturum iunctim mouerint; quædam tamen vrgentior propiorque causa, ab ipsa re, & tempore, & occasione Sublimitatis* TVÆ, *partim oblata, partim acquisita monuit, vt eam Magni Glorioſique nominis Tui præscriptione in ipso superliminari munitam prodire iuberem,*

PRÆSVLVM EMINENTISSIME,
PRINCIPVM CLEMENTISSIME,

vix enim Supremi Numinis Prouidentia, sic exigentibus necessitatibus afflictissimæ patriæ, concordibus Procerum Ecclesiasticorum suffragiis, applaudente vniuerso populo Prouinciæ TVÆ, *ab Præsulatu Vangionum ad Electoralem Archiepiscopatum Electus Vocatusque fuisti, cum conceptum ego rite votum nuncupaui, inter congratulantium voces & fausta precantium applausus, me* LIBRVM *hunc velut Anathema aliquod ad aras atque puluinaria venerandi nominis Tui depositurum, & eo pacto, quantum cum vniuersa Patria ex nouo isto Honorum culmine perciperem gaudij, testificaturum. Intercesserunt votis desideriisque meis duo validi Tribuni Pleb. Temporum horum miseranda facies, quæ inimica Musis & acerba litteris,* CLIO *nostra cum primis experta est,*

Nemo etenim tristes hac tempestate Camœnas
Respicit ——

Deinde Interpretis aduersa valetudo, & absque hac etiam foret, afflicta vitæ conditio, qui vario iactatus turbine rerum, *dici non potest, quoties scriptionis vix bene captæ filum rumpere,*

& quoties rauco strepuerunt cornua cantu

manum de Tabula hac Cosmographica tollere coactus est, vnde non tam tempestiuè, vt sperabatur, fœtus hic in lucem emergere potuit. Neque tamen etiam in hac mora de alio Patrono, cui hoc quicquid est, Muneris offerrem, vel cogitare potui, quam de TE

PRINCIPE LITTERATISSIMO,
LITTERATIS FAVENTISSIMO,

qui non alienis videt oculis, alienis audit auribus, aliena loquitur lingua, sed sua, *& ipse de oblatis iudicare recte potest, quo nomine Magnum Hetruscorum Principem commendat Marcellus Palingenius.*

Acce-

DEDICATORIA.

Accedit incredibilis Tua Humanitas, quæ facit vt sperem, TE me cum hoc Opere Cosmico, etsi tardius & velut postliminio ad genua TVA accedentem, vsitata subleuaturum gratia,

REVERENDISSIME ARCHIEPISCOPE,
PRINCEPS ELECTOR ILLVSTRISSIME,
DOMINE CLEMENTISSIME,

cum suffragante Tullio SERA Gratulatio reprehendi non soleat, præsertim si nulla negligentia prætermissa sit. *Hoc si obtinuero, è terris hisce, quas descriptas damus, in ipsa astra mihi abisse videbor. Francofurti Prid. Kalend. Aprilis, anno Salutiferi Partus M. DC. XXVIII.*

Reuerendiss. & Illustriss. Celsitud. T.

Deuotissimus Cliens,

LUCAS JENNISIUS,
Ciuis & Bibliop. Francof.

PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM Beneuolum,

QVA TOTIVS OPERIS ARCHONTOlogici ratio & vtilitas explicatur.

INVENIAS, Lector, inter eos, qui vulgo communi hominum appellatione censentur, quos Amor-sui ita priuatis studiis & emolumentis mancipauit, vt quicquid huc non facit, pro nihilo æstiment, earum rerum, quas Fortuna in arbitrio & potestate eorum non constituit, ne notitiam quidem quicquam ad se pertinere existimantes. Alii, quos paulo maior cura tangit, ita natali solo vel illi loco, in quo domicilium sibi constituerunt, velut indissolubili glutine adfixi hærent, vt contenti res gestas patriæ vel cognitione comprehendisse, vel stylo persequi, ad res exteras animum atque cogitationes non proferant, optantes potius, idque suis studiis agitantes, vt vnius, & quidem trunci atque imperfecti corporis membra dicantur, quam partes totius huius Vniuersi. Tertii sellulariam exercentes, ita intra conclauium suorum ergastulis consenescunt, vt omnes vires animi ingeniique, instar stagnantis aquæ torpescentis, in perquirendos veterum mores, acta, res gestas conuertant, solos antiquos in mente oculisque circumferentes, quod cum faciunt, ita admirantur mortuos, vt viuorum nullam habere rationem videantur.

Et de primis quidem quod dicam aliud non habeo, quam hunc eorum sensum brutis potius animalibus quam ratione præditis conuenire, cum ne ipsi quidem diffiteri possint, homines non sibi solis natos esse, sed humanam vitam in societate consistere, & hanc rursum in notitia eorum, quæ alii faciunt, vt his cognitis vitam moresque suos ad virtutem possint informare. In secundis animaduertimus nidularem quandam & stolidam incuriam. Quid enim, si Ciuitas vel Respublica, in qua ipsi viuunt, sit cauea quædam stultorum, vt necesse sit ab exterorum fontibus haurire, quod ad corrigendos cum vniuersorum tum singulorum ciuium mores vtile esse possit? Quis enim iis indicium faciet, omnia domi recte atque ordine constituta esse, nisi ritus consuetudinesque suas cum vicinorum vel etiam longè remotorum populorum moribus institutisque conferant, atque inde dispiciant, quantum sibi ad perfectæ felicitatis culmen desit? Tertios iure Vanitatis nomine mecum reprehendere possis, quod toti & penitus immersi rebus actionibusque de mortuis, quarum maxima pars in vsu esse desiit, non animaduertunt, eo ipso tempore, quo de cælorum Motibus disputant, ipsam quoque terram, quam pedibus terunt calcantque, volui mouerique cum suis Principibus, quamuis non eo modo, vt magnus & subtilis quidam Mathematicus nostri temporis voluit, cui

——— *Terra mouetur & Astra quiescunt.*

Cæterum de triplici hoc hominum genere sic nostra fert sententia, vt quamuis primos sinamus solos pabulum suum prædamq; persequi cum Vrsis & Leonibus: transeamusque secundos, quorum non est is captus, vt penetrare vlterius & remotiora perspicere possint: tertios tamen non possimus non admirari, quod satis eleganti & cognitionis rerum auido ingenio præditi, id in res friuolas impendere malint, contemtis iis, ex quibus multo plus emolumenti percipere possent, vnde non iniuria de iis dicere possis Terentianum illud, *Facere illos intelligendo vt nihil intelligant.*

Qui

AD LECTOREM.

Qui rerum definitarum certarumque cognitionem partiuntur, ſolent omnes ſcientias diuidere in Theoricas & Practicas, ſiue Specularias & Actiuas. Sub Theoricis complectuntur Philoſophiam Naturalem, quam Phyſicam appellamus, & Mathematicam, & Metaphyſicam; addicentes primæ Arithmeticam: ſecundæ Muſicam, Geometriam, Aſtrologiam: tertiæ adſcribentes Theologiam, cui velut ancillam ſubiungunt Ius Canonicum. Scientiam Practicam rurſum triplicem faciunt: Moralem ſiue Ethicam, quæ vnius alicuius hominis Mores vitamq; inſtruit: Oeconomicam, quæ de rebus actionibuſq; domeſticis præcipit: Politicam quæ res ciuiles rangit, quo pacto potiſſimum adminiſtranda ſit Reſpublica: & huic quidem tribuunt cognitionem Iuris Ciuilis. Quin & inter eaſdem ſcientias Practicas referunt Dialecticam, Artem Memoriæ, Grammaticam & Rhetoricam, cui adiungunt velut ſocias Poeticam Hiſtoriamque.

At ego quidem, qui in examinanda hac diſtributione nec mihi nec aliis tædium creare volo, exiſtimo illos iure accuſari poſſe, quod rem omnium maxime neceſſariam omiſerint, nempe SCIENTIAM MVNDI, magnum illum & admirabilem librum Antonii Eremitæ. Hæc enim multo magis quam vlla cæterarum impellit hominem ad concupiſcendos honores & munia publica, vnde flos atq; decor conciliatur non priuatis tantum familiis, ſed & ipſis Rebuſpublicis, vt qui his præſunt, cum paruis iuxta magniſque commode ſermones habere poſſint, & omnia ex animi votiq; ſui ſententia conficere, ipſiq; adeo, vt ita dicam, dominari Fato.

Acquiritur autem hæc ſcientia conuerſatione cum pluribus, colloquiis, narrationibus, deductionibusq; variis, ſiue viua voce ſiue ſcriptis, cum vel res ipſi capeſſimus, vel cum extraneis communicamus inſtitutis in diuerſa loca itineribus, conſpectiſq; variis moribus ritibuſq; gentium, accedente iudicii plena conſideratione, quid in horum illorumq; viuendi ratione ſit obſeruandum.

Vt autem propius ad inſtitutum noſtrum accedamus, nouerit Lector, bonam huius ſcientiæ partem in hoc LIBRO noſtro contineri, qui repræſentat omnis generis homines & actiones, viuis natiuiſq; depictos coloribus, adhibitaq; præcipua cura in deſcribendis eorum moribus, ritibus conſuetudinibuſq;. Quod ſi quid alicubi ad perfectionem deeſſe videbitur, id non noſtræ tribuat Lector diligentiæ, quam ſummam adhibuimus, ſed defectui plenioris meliorisq; narrationis. Addam etiam, nos non ſolum omni ſtudio in id incubuiſſe, vt lectoris animum delectaremus, quod pleriq; Geographorum faciunt, in terrarum prouinciarumque deſcriptionibus potiſſimam narrationis partem rebus raris mirabilibuſq; tribuentes, & quæ alibi non occurrunt: Sed vt quam maxime prodeſſemus, dum accurate & prolixe ſatis obſeruamus ea, quæ hominis vitam reddere poſſunt vel commodiorem vel ciuiliorem.

Quod ſi quis ad experimentũ eius rei capiendum oculos huic operi inprimere velit, quamuis arida nondum pumice expolito, poterit in ipſo propelimine deprehendere eorum, quæ diximus, veritatem, obſeruata inprimis diſtinctione & ordine, quo vbiq; in hoc libro vtimur, vnde facile ſuffragabitur nobis, nos non ſolum ad oblectationem ſed & vtilitatem Lectoris ſtudium & induſtriam contuliſſe, gnaros, eum *omne tuliſſe punctum, qui miſcuit vtile dulci*. Etſi enim eum prope vnicum ſcopum mihi propoſuerim, in rebus ciuilibus politiciſq; conſiſtere: tamen vt omnia velut vna Synopſi lectoris oculis exhiberem, neue is neceſſe haberet, aliunde mendicare deſcriptionem illius regionis, cuius proponimus mores atq; conſuetudines, ne Chorographi quidem partes in me deſiderari volui, de quo quidem ſtudio meo hoc pene profiteri auſim, maius id exactiusq; in percenſendis rebus obſeruatione dignis fuiſſe, quam inſtituti mei ratio viſa fuit permittere.

Cum autem parum ad rem faciat, deſcriptam ſuis limitibus regionem oculis ſubiicere, ſi eius ignoretur Natura & Qualitas: viſum eſt, & hanc partem addere, ſimulq; oſtendere, quid vnaquæq; terra ex ſeſe gignat, quæq; animalia vel ipſa procreet, vel alivnde importata alat.

Sed quia cogitationes atq; ſtudia noſtra prope inutiliter conſumuntur, in diſpiciendis cõſiderandiſq; rebus, vel vita & ſenſu, vel ratione deſtitutis: ad homines qui quamque re-

que regionem vel prouinciam, quam describimus, incolunt, transferendus fuit sermo, atq; hoc modo instituendus, vt primo diceremus, qui fuerint antiqui cuiusque gentis mores atq; consuetudines, vel ex parte vel in integrum abolitæ: deinde quæ noua posterorum viuendi ratio, quæ leges atq; instituta; cultiora omnia politioraq; sint nostro æuo, quam priscis seculis, an secus? vt facta inter vtrumq; tempus comparatione beneficio ingeniosæ bilancis dispici facile possit, quid ex vtroque ad instituti nostri rationem & vsum transferri, quid debeat repudiari.

Sed ne sic quidem Lectori satisfactum arbitrati fuimus, si res ita nudas, & quodammodo sine neruis musculisq; proponeremus, cum pro commoditate vel incommoditate loci, & abundantia vel defectu regionum de actionibus populi alicuius iudicari possit, debeantne aliquid demere vel adiungere ad vsitatum viuendi modum: quæ quidem omnia cognosci non possunt, nisi sciatur, quæ sint vniuscuiusq; populi opes atque facultates, quas Græci non sine graui causa τὸν βίον & τὴν βιωτὴν appellauere; visum fuit, & de his aliquid disquisitioni de moribus gentium subiicere, vt inde paterent ingenia hominum, quorum alii bonorum illorum affluentia inuitantur ad voluptates & delicias, alii ad perueſtigandas scientias & laudabilia exercitia: non secus ac alii eorum, qui destituuntur vtilissimis illis transigendæ vitæ mediis, ipsum defectum in ruditatem barbariemq; vertunt, alii industria solertiaq; ingenii, quicquid Natura cæli soliq; negauit, egregie sarcire nouerunt.

Præterea, cum satis constet, ingentes opes diuitiasque alicuius regni sufficientes non esse ad conseruandos in eo ciues incolasque, sed multo magis illecebras vicinis populis ad inuadendos diripiendosque locupletiores, nisi ea sit horum vis, robur & potentia, vt à prædonibus exteris se suaq; defendere queant: placuit continuo fili ductu de his veluti armis defensivis sermonem instituere, quorum beneficio Latrones & Harpyiæ illæ, semper miserorum facultatibus inhiantes, repelli cohercerique possint: vnde hoc ad nos redibit emolumenti, vt cum non vnum sit defensionis genus, sedulo dispiciamus, possimus ne aliquid ab aliis populis mutuare, quod nos & domi firmiores, & hostibus captatoribusq; alienarum rerum formidabiliores queat efficere.

Ne autem hæc omnia velut in aere sine fundamento ædificentur, quod quidem in Forma Reipublicæ consistit & Administratione iuris, Legibus atq; Iustitia; bonum factum visum est, hæc eadem conuenienti ordine subiicere, vt cognita natura, moribus ingenioq; populi quem descripsimus, statim pateat, regantur ne eo modo, qui cuique genti quam maxime conuenit: neque enim eadem ratione atq; modo omnes populi regi gubernariq; possunt, vt necesse sit, cognito defectu Gubernationis, atq; inde dependente vel labefactatione vel euersione Reipublicæ, ad salubria stabiliendæ tranquillitatis ergo animum applicare remedia.

Omnibus his factis, non fuit omittendum præcipuum Reipublicæ membrum, nempe RELIGIO siue cultus Numinis, qua Religione potissimum conseruantur in officio populi, vt debitam Principibus præstent obedientiam, & cuius ea vis est, vt maiore efficacia à delictis & flagitiis auocet animos mortalium, quam vllæ minæ superiorum, vel etiam robur militare. Ostendimus autem simul, in iis locis, vbi Religio deficit, nec Politiæ aut Ordini Gubernationique locum esse posse, sed dominari Barbariem, confusionem, seditionem: vnde subiectorum animi salutari illa sententia imbuendi sunt, esse aliquod supremum Numen, quod in omnes res summam etiam in futurum obtineat potestatem ac imperium,

Æternas quoniam pœnas in morte timendum est.

Vt Lucretius eleganter ait: Nam

——— finem si forte viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus atq; minis obsistere Vatum.

Neq; tamen in his cunctis substitit noster Labor, qui ne mihi ipsi quidem satisfacere visus fuit, nisi hoc postremum caput Colophonis instar toti corpori Archontologico imponeret:

poneret: quod est, recitare nomina Regum Principumque, qui populis vel Regionibus longa successionis serie ad nostra vsque tempora dominati fuerunt. Is tamen Elenchus, si alicubi mancus aut hiulcus videbitur, nouerit Lector, non nostræ id adscribendum esse diligentiæ, sed Auctorum Scriptorumque, quos sequi coacti fuimus, vel incuriæ vel insciticæ, qua factum est, vt pleniore scientia destituti ipsi, Lectorem erudire non potuerimus.

Habes, Lector, summa operis nostri capita, in quo id totis viribus præstare conati fuimus, vt si id omnibus numeris absolutum reddere non possemus, tale tamen exhiberemus, vt ad delectationem & vtilitatem esset quam aptissimum, quod ii reapse deprehendent, qui aliquot lectioni eius horas impendere non dedignabuntur, ita tamen, vt non superficiarie duntaxat aut obiter inspiciant (quod ii fere faciunt, qui non nisi fallendi temporis ergo librum aliquem velut aliud agentes euoluunt) sed ita, vt inde aliquid ad vsus suos conquisitum in succum sanguinemque suum transferant: quod qui facturi sunt, facile iudicabunt, paucos futuros, quos hic liber ad legendum non iure inuitare possit, vel ad acuendum iudicium, vel ad præstandam in vtraque fortuna æquabilem constantiam, vel vt possint prodesse patriæ, vel sibi priuatim aliisue, vel vtrisque simul.

Vt enim primo de Regibus Principibusque loquar, inuenient illi non solum descriptionem locorum, in quæ aliquid iuris sibi esse arbitrantur, sed & rationem ac modũ firmandi roboris potentiæque suæ, qua ratione augenda sint populi commercia & negociatio, & per consequens vectigalia, quo pacto vel pulchriores vel opulentiores reddendæ sint Prouinciæ. Inuenient etiam rationes augendorum prouentuum Fisci, si exterorum nouis vtantur inuentionibus, easque prudenter applicent suis terris, quatenus vel fert tempus, vel incolarum Natura & Ingenium.

Dynastæ ac Toparchæ inuenient hic, quo pacto Superioribus suis placere, ipsique rursum eos, quibus dominantur, beneuolos sibi atque obsequentes reddere queant: inprimis conducet iis huius Libri lectio, si Legatio aliqua sit obeunda ad exterum aliquem regem Principemque, siue is in propinqua, siue longè dissita sit adeundus prouincia.

Qui in inferiore Nobilitatis sunt constituti gradu, siquidem prouectioris sint ætatis, haurient hinc modum salubribus præceptis imbuendi iuniores. Quibus integra constansq; ætas est, multa hic singularia obseruabũt, quæ iis profutura sunt à paterna domo foras prodituris: siue Aulam Magni Principis sequantur, in qua huius Libri lectio non parum iis conciliabit vtilitatis: siue alias iis offerat Fortuna occasiones, vbi ea quæ superioribus seculis annisve in eo Principatu, in quo ipsi viuunt, contigerunt, cum iis prudenter conferre poterunt, quæ præsenti æuo vel illic vel alibi accidunt. Postremo Nobiles Adolescentes poterunt hic velut in speculo omnia videre, antequam quicquam videant: cognoscent hi mores & ingenium Aulæ, prius quam seipsos nouerint. Quod si indoles eorum ad arma procliuis erit, vt fere fit, patria vero à bello quiescente alibi Mars exercendæ virtutis scientiæque militaris materiam suppeditet: non erit iis difficile, cognito terræ, in qua bellum est, ingenio atq; temperamento, dispicere, possintne satis commode ferre vel frigus intensum, vel nimios regionis, quam adituri sunt, calores: an modus & ratio viuendi, an mores & consuetudines gentis illis futuræ sint tolerabiles, an vero secus: an hic exteris pateat gradus conscendendi ad honores, quo præcipue Nobilitas adspirat. Hæc omnia si cognita perspectaque habeant, poterunt paulatim sibi ipsis naturequæ suæ velut vim afferre, si vltro animi desideriis obsequi nolit, & se adsuefacere ad tolerantiam variorum, quæ occurrere solent, incommodorum.

Milites, qui fortibus factis & vsu belli natalium humilitatem illustriorem reddere, & fortunarum angustiam extendere volent, eundem decurrendi hic inuenient campũ, vt audito rumore futuri belli in extera aliqua prouincia, domi se præparare possint atq; instruere rebus necessariis ad perferendas vel viæ vel regionis incõmoditates, ne quid iis nouum inopinatumq; occurrat, quod ita demum assequentur, si Lectio operis nostri Archontologici omnia iis velut consueta reddat atq; familiaria.

Qui Rempublicã capessunt, aut ad eius sedent Gubernacula, his multæ vtilissimæ

occurrent

occurrent Regulæ Maximæque, quas vsu ita suas poterunt facere, vt non mutuatæ vel alienæ, sed domesticæ videri possint, quæ res ipsis magnam iudicii & ingeniositatis conciliabit famam, vt ad salutaria Reipublicæ suggerenda consilia apti bonique habeantur.

Aduocatus hoc accipiet commodi, vt quanquam præter leges & iura patriæ ac statuta municipalia eorumque notitiam nihil ei necesse videri possit, aliquando tamen inter litigandum mores legesque peregrinas in fauorem clientis adducere possit, quæ res iudicem non satis curiosum ad illius extraneæ Legis considerationem & admirationem non tam inuitare quam rapere, & vel magnum ad vincendam causam conferre poteſt momentum, vel Iurisperitiæ non leuem adstruere Causidico famam & auctoritatem.

Neque dubium est, quin in magna felicitatis parte reputaturus sit Mercator, qui ex nostro hoc Libro discere poterit, & quidem perbreui tempore, vbi locorum merces suas quam commodissime diuendere possit, vicissimque, vbi earum rerum, quas ipse empturus est, deprehendat copiam: quæstuosior ne sit permutatio mercium, an venditio pro præsenti argento: quo pacto sint exercenda cum Barbaris gentibus mercimonia, vt inde lucrum percipi queat: quomodo vitandæ fraudes & decipulæ callidorum hominum; & quæ sit in vnoquoque regno in vniuersum ratio negociationis atque mercaturæ.

Artificibus opificumq; choro gratus erit nuncius, si audiant in quibus regnis prouinciisque opera eorum potissimum desiderentur: vnde qui locum habitationemque mutare volent, facile cognoscent, quorsum optime transferri possit domicilium, vt vtilis sit commorationis mutatio: fieri enim potest, vt alibi maiore cum quæstu & rei familiaris incremento sua quam domi & in patria exercere possint artificia. Et vt multa paucis verbis comprehendam, vix est vllum genus hominum, quod non ex hoc libro vtilitatis aliquid percipere possit, qui complectitur magnam partem præstantissimæ illius & plane necessariæ scientiæ MVNDI, cui quidem nulla laudatio sufficiens esse potest, quod viro rerum Mundanarum perito prope sola omne soleat conciliare decus & existimationem.

Hæc autem non in eum finem scribimus, quod tam magnifice sentiamus de nostris lucubrationibus, adeoq; de hoc ipso opere: longissime enim à nostro more ingenioq; abest omnis vana gloriatio & iactantia, qui id solum optamus, vt vel cum propriæ quietis nostræ iactura prosimus Patriæ. Quin & illud clare profitemur, si quid splendoris ordinisque huic operi à nobis conciliatum est, id eo factum fine, vt aliis materiam exhibere-mus, experiundi ingenii, illudque opus perficiendi atq; expoliendi: posse enim multa ei addi non inficiamur, cum in singulos, non dico annos, sed pene dies plura detegantur, & ad hominum notitiam perueniant, in primis in regionibus longioribus dissitis spaciis, & apud gentes barbaras, quo rarior est nostris hominibus aditus.

Facturus eram finem dicendi, istud vnice optans, vt Lector earum rerum quas diximus, ipse caperet experimentum: cum succurrit non alienum esse ab instituto nostro, Lectoris oculis velut in parua tabella ostendere, ex quo fonte atque scaturigine omnes pene Monarchiæ & Respublicæ ortæ fuerint, vnde vicissitudines mutationesq; humanarum rerum clare perspici possunt, & quomodo liberi populi à potentioribus oppressi subactiq; fuerint. Ostendemus autē hoc potissimum ex quatuor illis summis Imperiis, quæ successu temporis in plures diuisa ramos, infinitos ex sese dedere principatus, quos nostra nouere tempora, quos ipsos compar manet vicissitudo vel accretionis vel diminutionis aut diuisionis. Debet autem prima Monarchia initia potentiæ suæ Nimrodo, quem quidam Saturnum Babylonium nominant. Hic est ille, qui Babylonicæ dominationis iecit fundamenta (quam plerique scriptores cum Assyriaca confundunt) annis post Cataclysmum Vniuersalem CXXXI. Hunc opinantur quidam quadragesimo quinto Imperii sui anno misisse Assurem, Magogum & Moschum, vt ducerent colonias in diuersas terras, easque populo implerent, & noua conderent regna.

Nimrodo successit Belus, dictus Iupiter, qui occupauit quicquid est terrarum versus Occidentem, vsque ad Sarmatiam Europæam: cuius filius Ninus etiam amplius ex-

tendit

tendit Monarchiæ suæ pomœria. Nino mortuo, Semiramis vxor potita regno, cum omnem prope subegisset Æthiopiam, bellum etiam Indorum populis intulit: Zameis vero filius eius amore ocii, nihil memorabile gessit. Huius successor Darius adiecit Imperio suo Bactrianos & Caspii Maris accolas. Qui eum secuti sunt Babyloniorum Monarchæ, hoc fere ordine ab Historicis recensentur. Aralius, Baleus I. qui limites regni sui ad Indos vsque protulit: Armatritus, Belochus, Baleus II. Aliadus, Mamitus, Mancaleus, Mamelus, Sparetes, Ascaratus, qui totam Syriam suo subiecit dominio. Ab hoc numerantur XX. reges vsque ad Sardanapalum, trigesimum octauum Babyloniorum Monarcham, qui obsessus à ducibus suis, ad eas redactus est angustias, vt seipsum cum regia omnibusque thesauris igne cremauerit. Imperium eius victores inter se ita diuiserunt, vt Babylonia cum Chaldæa Assyriaque Belocho cesserit, Arbace Medorum & Persarum regnum sibi retinente. Durauerat autem hæc Monarchia vsque ad infelicem Sardanapali interitum annis MCCC.

Fuit igitur Belochus trigesimus nonus, vel, si mavis, Primus Assyriorum rex in nova ista Monarchia, qui Manahemum regem Israelitarum sibi fecit tributarium, quem Sacræ Litteræ Phiel & Phul Beloch nominant. Huic successit Phul Assur, etiam Tiglat Phileser dictus, qui captis multis Israelitarum vrbibus, populum Hebræum captiuum abduxit. Secutus est eum Salmanassar, qui Samariam expugnauit, habuitque successorem Sancheribum, quem reducem è terra Israelitide interfecerunt filii. Qui cum patrato parricidio aufugissent, armis tamen sumtis bellum intulerunt Assaraddoni fratri, qui patri in regno successerat. Ibi Merodacus Babyloniorum præfectus, cum seditionem concitasset, vicit digladiantes inter se fratres, iunxitque rursus Monarchiam assyriorum cum Babylonica. Non desunt Auctores, qui huic subrogant Ben-Merodacum, deinde Nebucadnezarem, cuius diuinæ scripturæ statim post Merodacum mentionem faciunt. Fecit hic bellum Ægyptiis, quibus eripuit quicquid est terrarum ab Euphrate fluuio vsque ad Pelusium, quæ vrbs hodie Damiata dicitur. Cumque deinceps Ammonitarum quoq; & Moabitarum reges deuicisset, vniuersam sibi subiecit Ægyptum. Regnauit post eum Evil-Merodacus, deinde Labassardacus, & post hunc Balthazar, quidam tamen deleto Labassardaci nomine statim post Evil-Merodacum ponunt filium eius Balthazarem. Fuit hic postremus Babyloniorum Monarcha, vt omnes fere auctores consentiunt.

Darius Medus, qui pestundedit Imperium Assyriorum capta Babylone, nominatur à profanis scriptoribus Cyaxares, filius Astyagis, octaui regis Medorum, quem Daniel Propheta Assuerum vocat, qui filiam suam in Matrimonium dedit Cyro Persæ, sororis suæ filio. Sic habes, Lector, primordia Monarchiæ Persicæ, quæ in ordine secunda est, eum Dario mortuo solus Cyrus imperauerit Assyriis, Medis atque Persis, successorem nactus Cambysem filium. Hoc extincto regnauit Darius Hystaspis, cui successit Xerxes filius, interfectus à suis, postquam amisso ingenti exercitu fugitiuus domum rediisset. post hunc tenuit Imperium Artaxerxes Longimanus: hinc Darius Nothus: postea Artaxerxes Mnemon; denique Ochus vltimus filiorum Darii. Postremo imperante Dario vltimo, Alexander Macedo Philippi filius euertit Monarchiam Persarum, cum stetisset incolumis per annos quasi ducentos, & paulo amplius.

Tertiam igitur auspicatus est Monarchiam Alexander, quæ tamen non diu vnita fuit, neque diutius durauit quam ipse; qui eam inchoauerat. Hoc enim mortuo regna & principatus eius inter se diuiserunt potissimi duces belli, Ptolemæus, Laomedon, Antigonus, Cassander, Leonatus, Eumenes, Python, Lysimachus, Antipater, Meleager & Seleucus: inter quos Seleucus factus est rex Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Antigonus Minoris Asiæ, Cassander Græciæ Macedoniæque.

Hi vero principes, cum ambitione & cupiditate agitarentur, diu quiescere non potuerunt: vnde horrenda inter eos concitata sunt bella, etiam à posteris eorum nepotibusque continuata, quibus cum se immiscuissent Romani, paulatim exhaustis gladiatoribus illis, facti sunt domini omnium illarum prouinciarum.

De Imperio Romano, cum in hoc ipso opere multa dixerim, tacere hoc loco visum est, cum ex iis quæ scripsimus, Lector cognoscere possit, quo pacto mutatis ter-

rarum regnorumque possessionibus ingens illud corpus in quinque præcipua membra fuerit diuisum.

Iam deinceps excusso hoc, qui solus restare videbatur, scrupulo, istud addam, me quædam fragmenta ex aliorum scriptis huc transtulisse & veluti transplantasse, seruatis etiam auctorum verbis sententiisq;, tam ne obiiceretur mihi, omisisse me quædam, quæ ad rem facere potuissent; quam vt Lectori compendium laboris facerem, ne cogeretur in diuersis libris quærere ea, quæ vna velut Synopsi oculis obiici possunt. Cæterum cum omnia instar perpetuæ Historiæ habeant (exceptis quibusdam locis, vbi ob rei scriptæ grauitatem accuratiore consideratione opus est) non requiritur acre ingenium aut subtilis meditatio, cum nuda veritatis recitatio non multum difficultatis habeat, partim ex idoneis hausta scriptoribus, partim è virorum fide dignorum viuis relationibus.

Duo autem hic memorabilia cum primis inueniet Lector: primo, Compendium Historiæ regum Persicorum, collectum ab Lusitano quodam, cui peragranti Persicas prouincias venit in manus Chronicon à quodam Tarik MIRKONDO homine Persa scriptum, cui plurimum inter Persas tribuitur auctoritatis & fidei: id Lusitanus ille in suam, id est Portugallicam linguam transtulit. Complectitur autem id opus exactam narrationem de origine, prosapia & successione regum Persicorum & Armusiorum, vsque ad ingressum Arabum & Lusitanorum in id regnum. Videtur autem Chronicon istud ipsa genuina veritate detergere priscorum mendaciorum vanitatem, quibus nescio quæ de Persica Monarchia nobis persuadere voluit suis inuoluta tenebris antiquitas. Hæc enim narratio multum luminis afferet rebus Persicis, in quibus perscribendis non tantum confusi sed & inter se discordes sunt auctores: Procopius, Agathias, Genebrardus, Zonaras, Tornamira aliique ex veteribus recentioribusque.

Alterum quod huic operi velut locuples Choragium accessit, est Enarratio omnium Ordinum tam Religiosorum quam Militarium, qui in Orbe Christiano reperiuntur: quibus cum idoneus locus in ipsa regionum descriptione assignari non posset, visum est omnes in vnum quasi coniicere fasciculum, additis etiam Ordinum Militarium siue Equestrium armis, insignibus, disciplina, institutis Symbolisque.

Hæc tibi omnia, Lector, lubens promptusq; offero, cum voto atq; desiderio, vt tu tantum ad id afferas beneuolentiæ, quantum ego ad ea perquisitiganda studii: vtq; non minus ex hoc opere percipias vtilitatis & delectationis, quam ego laboris & molestiæ. Lege igitur, amabo te, librum istum, non superfunctorie & præcipitanter, sed cum studio quodam atque diligentia: neque, si quæ forte minus placuerint, propterea totum opus abiice, cum ob vnam verrucam aut næuum totum corpus nemo prudens damnare soleat: quin potius superatis transitisq; salebris illis aut præcipitiis, perge legendo, certus, te inuenturum affatim, quæ palato gustuiq; tuo sapida sint futura, simulq; lucubrationum mearum, si opus est, suscipe patrocinium. Vale.

SYLVA

SYLVA

RATIONEM, ORDINEM ET VTILITATEM EORVM QVÆ HOC LIBRO continentur, ob oculos ponens, scripta Carmine Heroico à Ioh. Ludouico Gotofrido, in Leucothermis, Kalend. Martii, anno 1628.

QVID iuuat innumeris percurrere sumtibus Orbem,
Et dubiam fragili Thetyn sulcare carina,
Vt populos videas, Vrbes Moresque virorum?
Cum possis mecum facili lustrare labore
Quicquid in immenso terrarum includitur Orbe.
Vis spectare Polos quorum Vranus axe rotatur?
An qua Phœbus Equos, veneranda cubilia linquens,
Syderei raptat spacioſa per atria Circi,
Quoue sub Oceano fessos distringat eosdem?
Regna per Europæ sinuosaque littora gressum
Ferre placet? iuuat Italiam peragrare, Caputque
Romam Orbis domiti, veteres quæ trunca Triumphos
Jactat, & Imperij Germanis inuidet Vmbram?
Germanis, quos læta quies & vita beata
Deseruit, vexatque decem Mars Ciuicus annis,
Robur & arma ferens in propria viscera Gentis.
Gallia quam sequitur Francorum plena Trophæis,
Et cui nil satis est, Hispana potentia, donec
Limitis Hesperii fines confundat Eois,
Et dubitet qua Sol oriatur parte cadatque.
Hinc iter in toto diuisos Orbe Britannos
Flectimus, & Cimbros, Borealia regna, Gothosque,
Et per Amaxobios fert nos via Sauromatasque,
Per Tanain, per Danubium atque Borysthenis vndas.
Vt de Principibus taceam, qui iussa Prioris
Ferre negant, aut si Respublica libera claret,
Dyrrhachium, Heluetij, Veneti, Ligures, Batauique.
Vltimus Europam claudens Asiamque recludens
Incipit Illyriis dominans TVRCA atque Pelasgis,
Et Peloponneso cum Thracibus atque Triballis,

Pannoniæque bonæ parti, cui Thessala Tempe
Et Macedûm populi parent, Moesique Getæque.
Limes hic Europæ est. Hinc si transibis Abydon
Pandent sese Asiæ celeberrima regna Minoris,
Cui Mare vtrumque latus pulsat frontemque Propontis.
Hinc per Cappadocum Montes Iugaque aspera Tauri
Phœnices petimus, queis Iudæique Syrique
Confines, Arabesque leves queis Patria Petra,
Donec ad Euphratis ripam veniamus Eoam.
Hic nos excipient Persæ clarissima bello
Natio, quæ Ctesiphonta, Seleuciam & Babylonem
Et Taurim atque alias Turcarum è fauce recepit.
Terrarum his ingens spacium, campique patentes
Qua pater Oeceanus fines describit ad Indum,
Et Maris Hyrcani pandit se littus, & Oxus,
His sese ad Boream vastissima regna Scytharum
Obiiciunt, grex iuris iners, sed deditus armis,
Tartaricum Scythico mutans de nomine nomen.
Effera Barbaries illic stabulatur, Imao
Monte tenus, nullæ hic vrbes, non oppida, tantum
Tecta leuis tugurij, depressa mapalia, & Hordæ
Barbaricæ, queis iura Chamus servilia Magnus
Sancit, & imperio stolidis dominatur acerbo.
Protinus emenso longi valido obice muri
Chinenses petimus, precioſaque vellera Seres
Vendentes populis nostris male cognita regna.
Vnde nec admissi legimus modo littus, & oram
Vicinam Pelago, contenti credere famæ.
Sed quæ magna subest Japonibus Insula, nota
Est mage, nam patrias nostros admittit in vrbes.
Vltima pars ASIÆ sunt deficientis in Austrum
Indorum populi, Gangem quibus inter & Indum.
Imperitat Magnusque Mogor, regesque propinqui,
Bisnagar, Narsinga, Pegu, Sian, atque Malaca
Cambaia, & Calecut, Cochin, Bengala, Patani,
Atque alij, agnoscunt qui Lusitanica Sceptra.
Junge his Taprobanen, Javam, celebresque Moluccas,
Et quæcunque frequens illo jacet Insula Ponto.
AFRICA consequitur, nam qua Novus Orbis in Austros
Panditur & Zephyros, sibi vendicat omnia Iberus.
Hic per Erythræum petimus tua Nile fluenta,
Qua, pater, Ægyptum campis diffusus apertis
Fertilitate beas, septemque per ostia Pontum

Irruis, ab Merõe faciens iter atque Syene.
Hinc varij Aethiopes, quos Sol non mitibus vrit
Ignibus, occurrunt, noctis gens tincta colore.
Inter Abyssinos Tropicus quos claudit vterque
Imperitat Belul Ianus, mox regna sequuntur,
Et Melli, & Congo, & combusta calore Guinea.
Hinc iter in Boream paulatim flectimus, Afros
Lustramus, Libyas, Poenos, Mauros, Numidasque.
Iste Libri nostri est idemque Peridromus Orbis,
Sedulus hunc oculis si euoluere, mente manuque
Lector amice, velis, tibi commoda maxima (certus
Sponsor ero) accrescent, & larga scientia Mundi.
Nam quæ Cosmographi Dimensoresque locorum
Descripsere suis libris Veteresque Nouique,
Cuncta damus facili planaque videre Synopsi.
Nec tamen hic nostri modus est finisque laboris,
Addimus ingenium terræ, qua quælibet Aura
Perfletur, num sit variis obnoxia morbis,
An vero in solidum viuacia corpora duret,
Quam sit læta Ceres, quod pendeat arbore pomum,
An generet Bromium vel succum pinguis oliuæ:
Quodque sub abstrusa lateat tellure metallum.
Hinc Mores Ritusque hominum veteresque nouosque
Pingimus, & nostri quæ cosuetudo sit æui.
Diuitias & opes dictis subiungimus, & quo
Robore bellorum patrios defendere fines
Rex Princepsve queat, quot mittere possit in arma
Marte viros, & qua Pontum consternere classe.
Postea qua gens quæque Deum, vel Numina falsa
Relligione colat, perscribimus, & quibus aris
Thura Sabæa crement; sunt qui Cacodæmona votis
Et precibus placare student & pellere noxas.
Tandem imam ad caueam peruenimus atque Orchestram,
Hic cum Principibus tibi pagina nostra Monarchas
Exhibet, & longo deductos ordine Reges.
Rexere imperio populos qui tempore prisco,
Donec ad extremos successio longa Nepotes
Nomen, opes, titulos, sceptrum, Diadema propaget.
Hæc tibi cuncta liber pulchro exhibet ordine noster
Perspicua veraque via, nec lucis egente,
Sedulus istud agens, vt misceat vtile dulci,
Vnde queat quiuis monitus haurire salubres
Et vitæ præcepta suæ, queis suauiter æuum

Degat,

Degat, vtramque ferens constanti pectore Sortem,
Sit Rex vel Princeps, sit Eques canusve Senator,
Mercatorve sagax, ciuis, priuatus, arator.
Ergo quid insanis percurrere sumtibus Vrbes
Aut juuat instabili Pelagus sulcare carina,
Cum mecum exiguo possis lustrare labore
Quicquid in hoc toto terrarum volvitur Orbe?

INTER-

INTERPRES LECTORI
Salutem & Æquitatem.

PAVCVLA sunt, de quibus super hac Versione nostra monendus es, Amice Lector, id est, omnino tria. Primum, nos ea fide & religione in conuertendo hoc Auctore nostro versatos, qua bonum interpretem decet, gnaros, vt Poeta ait, *Improbe eum facere, qui in alieno libro ingeniosus sit.* Et tamen sicubi palare, & à recti verique tramite diuertere visus est, in viam reduximus, non malam apud eius Manes nos inituros gratiam rati. Deinde, vbi stylo nimis amarulento vsus, non tantum in quosdam inuectus est, sed & Iudicis sibi partes arrogauit, mollius eum loqui docuimus, cum multum differat Historia ab Inuectiua aut Satyra, quæ vt sine dente placere non potest, ita atra bile & ipsa carere debet inter bonos. Verecundior est nostra Clio, quæ vt omnibus placere studet, ita offendere neminem. Postremo, in mutando Ordine aliquid nobis indulsimus: &

Debuit hoc saltim nonne licere mihi?

Series Monarcharum, Regum, Principum, qua vtimur, quo fundamento nitatur, nemo est, qui non intelligat. Nemo, nisi ineptus, Gradus regum, de quibus alii iam olim litigauere, accuratius à nobis exiget, cum in nostra hac dissignatione nihil sit periculi, nihil præiudicii:

Si non vult Quintus Thaida Sextus amet.

Alterum quod te monemus, hoc est. Dici non potest, quot modis scriptio hæc nostra interturbata fuerit. Morbi enim, & pericula belli, & insonantes auribus è propinquo litui tubæque, sexcenties nobis stylum, & ipsam prope mentem excusserunt. Adde operarũ Typographicarum præcipitantiam, queruliſq; prælis ocium inuidentium, à quibus chartæ sub manibus feruentes abreptæ, & vt erant à prima incude rudes, typis descriptæ sunt, hinc etiam quædam in hoc opere non sunt à mea manu, nempe Respublica Heluetica & totus liber tertius, de Ordinibus Monasticis Equestribusque. Si ergo quædam obelo & Aristarchi spongia digna occurrent (occurrent autem nimis multa, scio & doleo) ea

Excusata suo tempore Lector habe,

donec fortasse iterum prodeat Liber hic δευτέρων ἀμεινόνων.

Tertium est de tabulis Geographicis, de quibus sic accipe, Amice Lector: Nos non ignorare, illarum inspectionem aliquid lucis horum commentariorum lectioni afferre posse. Quia tamen illæ vbique & in magna varietate ac copia prostant, nec inter eas satis conuenit, vt Geographicarum scientiarum periti nouerunt & conqueruntur: ne positis aliquibus reliquas damnare videremur, maluimus illas omittere, & te ad Miniatorum pergulas remittere, eademque opera emtoris loculis consulere. Vale.

JOH. LVDOV. GOTOFREDVS,
cui δῶ λέγοντι χάριν, τῷ δὲ ἁμαρτάνοντι συγγνώμην.

IN ARCHON-

IN ARCHONTOLOGIAM COSMICAM

A CLARISSIMO VIRO

Dn. JOAN. LVDOVICO GOTOFREDO

LATINITATE DONATAM, ET IMPENSIS LVCÆ IENNISII, iam primum in Germania editam.

CVM paucis dignè chartis, quas suspicit orbis
Sedes, quos Proceres, quos Dominosq; tenet,
Gotfridus totum per mundum publicat, an non
Est istud miræ dexteritatis opus?
Ienniſius aliis ardebit clarius, istis
Ausis, qua mundi fabrica tota patet,
Regna, Duces, Proceres, Vrbes, & maxima terræ
Fulcra sibi tali dexteritate ligans.

J. HERMAN Stamm. J. V. D. & Cameræ Imperialis Assessor.

ALIVD.

VAH! Archontologum quis non miretur opus? quis
GOTFREDE haud munus prædicet vsque tuum?
Est opus & sub quo sudasset olympifer Atlas,
Atlas qui cæli pondera celsa subit.
Est munus, fateor, tam celso culmine dignum,
Recreet & quo se Principis ingenium.
Historiæ veteris latet in hoc faxque modernæ:
Quælibet & mundi natio picta tibi est.
Scilicet vt patulis, etiam absens, cernere ocellis
Quæ cuiuis vires relligione queas.
Quæ vitæ ratio, qui mores, formula quæve
Imperij, claro hîc in speculo eccè patent.
Ergò quisquis amas defixus lumine mentis
Res varias modulo noscere per facili:
Si lustrare iuvat mundique (rotatilis aulæ)
Depictam faciem doctipotente manu,

Quam

Quam pateat ſctiptus ſinuoſi terminus orbis,
Ambiat & quantos orbita culta globos.
Induperatores, Reges Proceresque potentes
Quos Europa tenet; quos Aſia & Libya.
Hoc opus evolvas: cupidi, me judice, voti
Compos eris, ſtudii commoda mille ferens.

AD BIBLIOPOLAM.

AVthoris creſcit ſtudiis laus maxima Galli,
Nec minor exſurgit laus GOTOFREDE tibi.
Aſt opus ære tuo & tantis quòd ſumptibus exit,
Optime JENNISI laus ea ſola tua eſt.
Macte vir ingenio, Chymicis qui Coſmica ſcriptis
Exoptata ſtudes addere, dive, vale.

Liber de Se ad Lectorem benevolum.

SPlendidus eſt titulus mihi: materies quoque talis
Vtilitate placens & gravitate decens.
Perlege, nil metuo, conſtabit, judice te, quod
Materies titulo haud ſit minor illa ſuo.

PAVLVS RENNENKAMPF. V.J.D.
Cameræ Imperialis & Reip. Wormatienſis Advocatus.

AD DN. LVCAM JENNISIUM.

Summa Mundi capita, à capite, quod dicitur, ad calcem vſq; recenſita ad meridianum litteratorum ſolem, exponentem: & anagrammatizantem.

FOrtè tui, LVCA, ſic monſtrat nominis omen:
Nunc Mundo immundo reſtat, NIL, HEV, NISI CASVS.
Floruit hoc, illud, Regnum, Reſpublica, terra:
Nunc hoc, nunc illud cadit. Omnia cernimus, eccel
In peius ruere, & retro collapſa referri:
Sperabamus nec adhuc præſentibus his, meliora.
Hora nouiſſima: tempora peßima: fata ſuprema
Vrgent: (crede mihi:) mundi tractura ruinam.
Quod ſupereſt; vigilare decet: Vox vltima donec
Inſonet: Ad Chriſti cuncti apparete tribunal.
Æternus, manet hunc Mundum NIL, HEV, NISI CASVS.

CASPAR GABRIEL RASOR. I.U.D.
& Synd. Reip. Francof.

ALIVD

ALIVD.

DVM Bellona ferox orbem populatur & vrbes,
Heu! deplorando præcipitata pede:
Dum libros arteſque premit vis Martia: Muſas
Dum mundo exoſas triſtis Erinnys agit:
Illis tu fidæ præbes ſolatia dextræ?
Excipis hoſpitio, ſubſidioque foves?
GOTFRIDE & curas, Orbi vt reddantur & vrbi
Solliciti longe, qui latuere, libri?
Perge bonis auibus! libro hoc protrudere perge
Archontes orbi, quotquot hic orbis habet,
Sic iuxta Archontas te præſens diligit orbis:
Non ignara tui poſteritasque colet.

Johan Wilhelm Stam/
L. Reipub. Spirenſis
Syndicus.

Ad
VIROS INTEGERRIMOS: INPRIMIS
Clariſſimum Dn.
IOAN. LUDOVICUM GOTOFREDUM:
Item:
Humaniſſimum Dn.
LUCAM JENNISIUM:
Cum ille operâ & ſtudio: Hic verò opere & ſumptibus, ederet
ARCHONTOLOGIAM COSMICAM:
Opus Hiſtorico-Politicum elegantiſſimum.

QVÆ varii variis autores ſæpe libellis
Hactenus Hiſtorico propoſuêre ſtylo:
Vno GOTFREDVS nunc iſta volumine texit
Hiſtoricumque noua fronte retexit opus.
Si quis ouet lati cenſus diſquirere mundi,
Quot ferat hic Reges *orbis, & orbis opes.*
Ille pererrato ſpatio tàm ſimplice mundo
Inueniet Reges *orbis, & orbis opes.*
Sit, qui Cæſareas *cognoſcere gaudeat aulas,*
Italiæ *faſtos*, Teutoniæque *decus.*
Ire per Italiam, *per* Teutonas *ire per aulas*
Huic quoque Cæſareas *protinus ire licet.*
Quid loquor? Europæ *non ingens orbita tantum,*
Non ingens tantum Turcia, *quid ſit, habet:*

Quin

Quin etiam Perſas, *etiam liber iſte* Ruthenos,
Iſte Scythas *etiam* Sauromataſque *refert.*
Adde Melitenſes Heroas, *& adde, decorum,*
Martius hic pulcrum quicquid & ordo tenet.
Hæc, & multa tuos præſens cum donet in uſus,
Hoc lege, nec lectum deſpice, lector, opus.
Multa retro lapſis ſunt evulgata ſub annis,
Multa ſecuturæ poſteritatis erunt.
At, velut autores delectu rite probantur,
Sic ſunt delectu ſcripta probanda ſuo.
Quas igitur, GOTOFREDE, tibi, quas, optime LVCA,
Deſcribam grates carminis arte tibi?
Tu ſcriptis augere ſtudes hæc tempora: ſed tu
Scripta ſtudes doctis emaculare typis.

Francofurti f. M. DC. XXVIII.
JP. Lotichivs, D. ibidemque
p. t. Poliater.

Ad Clariſſ. Virum

Dn. JO. LVDOVICVM GOTOFREDVM.

Ecquid novorum perlocuples ferat,
Inquirit hoc jam tempore quilibet,
Mercatus ad Mœnum librorum
Qui ſtudiis populisque proſint?
Vnde & Potentes publica poſſient
Fulcire regna & legibus indies
Munire, honeſtis ac ſtatutis
Conſolidare ſacrum tribunal;
Vnde & Lyceis gloria pulchrior
Accreſcat amplis; Ingenioſitas
Doctûm virorum quam ſagaci
Accumulat ſtudio univerſim.
Prodire at illinc præcipuæ libros
Auctoritatis cernimus, in quibus
Doctrina cœleſtis tenetur
Poſtgenitisque remiſſa floret.
Atque æquitati congrua poſteris
Statuta firmant, perque forum & gravem
Queis diſſeruntur res ſenatum
Candidus ut probet has lapillus.

Quin

Quin inter omnes, quos modò publicè
Proſtare clamat præco librarius,
Haudquaquam habebit puncta laudis
Infima, quem decumana moles
Ingente formâ prodidit; heic licet
Cognoſſe, totus qualia quantaque
Jam regna mundus conſpicetur
Imperio accumulata magno,
Orbisque per tres dicta partium.
Europa quà vel ſeſe Aſiæ à ſolo
Abjungit Helleſponti apertâ
Colluvie maris arctioris,
Vel quà remota eſt Aphrica fervidis
Calcanda arenis, quáque Aſia ipſamet
Impugnat Europam atque atroci
Subdita belligerat tyranno.
Tantum volumen quis modò Gallicis
Scriptum loquelis in Latium ſtylum
Transferre præſumſit, quis ille
Candidus (ô genium diſertum!)
Interpres audit? Tun' Gotofredè eras
Tam pulcher auctor? præmia gloriæ
Laudisque non vanæ profectò
Hoc ſtudio meritus caveris
Dignuſque eburnêo Gloria quem vehat
Ad aſtra curru, crede mihi, haud tuum
Oblivioni nomen unquam ob-
Noxium erit tenebriſve cæcis.
Namque hic videre eſt viſa veterrima
Quæ Danielis fatidicus liber
Futura prædixit, ſub orbis
Exodium ſenio crepantis.
Jamdudum in urbes Aſſyrius leo
Vrſusque Medus, Graiugenûm & volans
Tardus Superbas inque gentes
Sceptra habuere, decemque reſtat
Signata nobis beſtia cornibus,
Quorum unum apertè magna loqui ſolet,
Vel execrando verba, ſanctis
Bella ferox minitans profana.
Quin jam piorum pectora atrocibus
Terrentur armis, jam magis ac magis
Gradivus urbes, imo & orbem
E ſtatione ſua movere,

Si fas

Si fas daretur jusque, vaferrimè
Conatur, eheu, peßima secula!
In quæ reservati dolendam
Vivere cogimur hancce vitam:
Quid restat? ô quid, dic GOTOFREDE dic,
Restat? nisi vnum hoc: jam propè corruet
Imago grandis, quam stiparat
Materies varia hinc & inde.
Argilla ferro mixta pedes tenet
Tam molis altæ, debile vinculum:
Quo dissoluto destinatum
Imperia hæc sibi finem habebunt.
Ergo, reciſus tu lapis, ocyus
Adsis, manus quem nulla revincit,
Pedes vacillantes minutim
Frange, aboleque gravem hunc Colossum.
Hæc sunt in isto, quem modò diximus
Prostare, libro: pluria quin simul
Rerum abditarum istic patescant
Non dubita veris, æque lector.
Hæc in Latino, tu GOTOFREDE, das
Sermone, quanto pol studio & fide!
Narrabit hoc ævi vetustas,
Hancque operam bene prædicabit.

AD BIBLIOPOLAM.

QVis, LVCA ignorat, quàm sit tibi prona voluntas,
Libros prænitidis prodere velle typis.
Quos seclum Augusti, quo Pallas floruit ævo,
Ingenij promtum dexteritate probat.
Sint alij, nugas qui & scommata nigra recudant,
His que sibi cupiant accumulare lucrum.
Vah, pereat, quodcunque malis sese artibus infert,
Lucrum; sit potius dira vorago mali.
Quando mentis opes dextræ, & sapientia sensa
Prius è pluteis obruta pene situ.
Atque hæc ære tuo promulgas publicum in vsum;
Laus tibi ab hac opera & fama perennis erit.

Giessæ faciebat

CONRADVS BACHMANNVS
Milhungensis, p. t. in Acad.
Marpurgens. Histor. & Poës.
Prof. p.

ALIVD.

ALIVD.

COsmicus hic Verè liber est, quia totius Orbis
Descriptam propriè continet historiam.
Si MERCATORIS jungatur maximus Atlas
Haud scio num maius surgere possit opus
Cedet & Auctori sua laus GOTOFREDE tibique
Qui clarum Interpres nomen ab Orbe feres.
Nec minus exsurget LVCA, tibi fama perennis
Divulgando typis hoc opus eximium.

IODOCVS AVTHÆVS
Reipub. Francofurt. à Secretis.

ALIVD.

PRo more nunc diversa diversis placent,
Atquè ad amata suus
Rapit cupido quemlibet.
Hic Murciæ litans fritillis iniicit
Tesserulas, sonitus
Illi tubarum est gaudio,
Martisque totus ardet experirier
Ancipitem rabiem,
Dehinc furore turgidus
Tundit, necat, sternit, rapit per compita
Obvia quæque, nimis
Humanitatis prodigus,
Hic indicarier cupit Capitaneus,
Signifer ille, locum
Tenens & iste creditur.
Et more multi Asotico græcarier,
Threiciâque solent
Certare crebrò Amystide.
Mercator hic ad vltimos excurrere
Sauromatas satagit,
Lucella priva quæritans.
Sed literariæ rei quos publicæ
Debita cura regit?
Est invenire pauculos.

Næ ſempiternis dignus eſt JENNISIVS
Laudibus, & celebri
Famâ per Orbem clarus eſt,
Quod literariæ rei ſtudioſior,
Caſtalidumque calens
Amore fervidiſſimo,
Selectiora publicis dedit uſibus
Plurima ſcripta, nihil
Hîc ſumptibus morantibus.
En denuò dat quicquid eſt in Galliâ,
In Latio, Heſperiâ,
Germaniâ, Poloniâ,
Hybherniâ, Bohemiâ, Britanniâ,
Moſcoviisque plagis
In Turciæque finibus,
In Indiis, in Daniâ atque Sueciâ,
Vngariæque ſolo,
Imò orbe toto, quicquid eſt
Dignum fide, & notam merens, in moribus,
Relligione, opibus,
Fœcunditate, robore,
Succeſſione principum: Volumen hoc
Suada Maroque ſatis
De prædicare non queunt.
Sic perge LVCA, *rem fovere publicam*
Aonidum, digitis
Monſtrabere prætereuntium.
Te poſteri cœli ferent ad ſydera
Elogiis, fugiet
Tui Libitinam magna pars.

Scripta

à

GEORGIO SCHILE,
Francofurtenſi, Reip.
patriæ à Secretis.

DE

DE ARCHONTOLOGIAS COSMICES SPECVLO GOTOFREDIANO.

QVOD speculum argento dederit mirabile primus
[a] Praxiteles, facti nobile nomen habet.
Quod verò è Phœbo, nymphaque Coronide natus [b]
Fecerit ex ferro, nomine in astra volat.
Ast, quid Praxiteles, celebrisque Epidaurius isto
Inventum hoc propter tempore laudis habet?
Vmbra fuit Parij lapidisque artique magistro:
Phœbigenæque novus desiit esse labor.
GOTFREDI cedunt speclo specula omnia, templo
[c] Arcades in Cereris quæ posuisse ferant,
Vt superum statuas, templi laquearia picti,
Signa Deûmque queant arte referre novâ.
GOTFREDI cedunt speclo specula ignea,† mira
Ritè Syracosius quæ dedit arte senex;
Hostilem quibus in classem desæviit atrox,
Cum tumido incautim subruit in pelago.
GOTFREDI cedunt speclo specula omnia, doctus
*Quæ * Cardanus habet ** Scaligerique liber.*
Vin' referam causam? reliquis molimine tanto
GOTFREDI speculum quâ præeat speculis,
Scilicet, hoc totum quidquid vis nosse per orbem,
Seu præsens fuerit, præteritumque fiet,
Clarius in nullo poteris discernere speclo
Quàm quod GOTFREDI proditur arte foras.

a Plin. lib. 33. n. h.
b Cic. lib. 3. de nat. deorum.
c Pausan. in Arcadicis.
† Ex Galeno Card. l. 4. Subt.
* lib. 4. Subt.
** Exerc. 82, 3.

M. IANVS-GEORGIVS SVVALBACIVS,
Poeta L. & Mathematicus Gymnasij Spirensis p.t. Con-Rector.

ALIUD IN ARCHONTOLOGIAM COSMICAM.

HACTENUS ecce dedit LVCAS Microcosmica *luci,*
Dum Medico-Chymicos edidit ille libros.
Ordine mutato sed nunc Macrocosmica *prodit,*
Regna Orbis quando pandit & Imperia.
Est hic vterque labor tibi JENNISI vtilis, à quo
Et Microcosmon *habes, &* Macrocosmon *habes.*

IN SVMMAM LIBRI.

SCire cupis ſummam libri? Dicam: OMNIA tractat.
Scire cupis rurſum? tractat & ille NIHIL.
OMNIA; ſi mundi præſentia regna tueris:
NIL; ſi eadem ſpectas interitura brevi.

JOANNES FLITNERVS P. L. C.
Et Fori Helenopolitanorum
Procurator ordinarius.

ALIVD.

SEdule, quæ vaſto tibi velle, viator, in orbe
Viſere ſit ſtudium, jam liber unus habet.
Quæ ſub utroque polo populos moderentur habenæ,
Juris & Imperij, Relligionis item:
Totius Europæ, Perüanæ, Aſiæque receſſus,
Et Lybicis quicquid creditur eſſe locis:
Cum linguis leges, rerum monumenta, virûmque,
Arma, domus, habitus, mœnia, templa, Scholæ:
Illa quid locus aut regio regione locove
Differat, & proprium litiget eſſe ſibi:
Singula perſpicuâ methodo (legiſſe juvabit)
Prolixaque ſimul cum breuitate legas.
Qui mundi cupiunt fines luſtraſſe videri
Vix referent, quod non hîc GOTOFREDE refers.
Ni fortuna mihi cum millibus eſſe negaſſet
αὐτόπτῃ, quid non poſſe lubere putes?
Quos juvat ingentis percurrere climata terræ
Vſurpent oculis multa ſubinde ſuis.
Lectorem poterit Tua COMMENTATIO mecum
Tutius in patrio plura docere ſinu.
Crede, ſupra præſens donec non pendeat æther
Qui legat, atque colat, ſemper habebit opus,
Atque Tuo cupiat, ſit gratia digna labori,
Quæque tibi porro, fata benigna, roges.

HERMANNVS PASTORIVS
Lünenſis VVeſtphalus.

AVTORI

AVTORI ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ.

Magna, librum, (fateor, nec sanus quisque negabit)
Qui prior exhibuit, laus tribuenda viro:
Sed Major GOTOFREDE *tibi, qui, quod modo Gallis*
Scire datum, multis nunc ce patere facis.
Tu, inquam, solus is es, qui quæ depicta colore
Ceu vivo præsens Cosmicus ille Liber
Exhibet, exhibuit primus sermone Latino,
Replevit sparsim floribus huncque suis.
Macte vir, his similes posthac producere partus
Pergito, sic tibimet laus quoque major erit.

LIBER AD LECTOREM.

TE, qui Regna, *situm Regnûm, reliquosve* Ducatus,
Vel celebres vrbes, *noscere rite cupis,*
Regum *porro*, Ducum Seriem, *præclaraque facta*
Illorum, te, qui noscere rite cupis,
Post Mores, Leges *populorum*, Relligionem,
Diuitias, *te, qui noscere rite cupis,*
Huc voco: Me memori modo volve revolveque mente,
Hoc facto, verè singula quæque scies.

BIBLIOPOLÆ.

IMpensâ tantâ JENNISI, *quod liber iste*
Prodiit, acceptum jure tibi ferimus.
Posthac nec cesses, plures sed & addito, toti
Sic orbi, credas, vtilis esse potes.

JOAN-PETRVS CVNTZMANN
Phil. St.

ELENCHVS

EORVM QVÆ LIBRO PRIMO ARCHONtologiæ Cosmicæ comprehenduntur, per summa Capita digestus.

I. AMPLITVDO ET POTENTIA DOMINII PONTIFICII. pag. 1.
II. Vrbis Romæ antiqua & noua Topographia. pag. 2.
III. Latium siue Campania Romana. p. 7.
IV. Patrimonium Petri. ibid.
V. Vmbria siue Ducatus Spoletanus. ibid.
VI. Marca Anconitana siue Samnium. ibid.
VII. Romania siue Flaminia. 8.
VIII. Principatus Ferrarienſis ibid.
IX. Comitatus Cauarum siue Auinionenſis. ibid.
X. Natura & indoles terræ in dominio Pontificio. 11.
XI. Mores antiqui priſcorum Latinorum Romanorumque. 14.
XII. Mores Romanorum noſtro æuo. 15.
XIII. Facultates & Diuitiæ terrarum Pontificiarum. 17.
XIV. Ratio prouentuum annuorum Pontificiorum. 18.
XV. Quantos ſumtus quotannis faciat Pontif. Romanus. 19.
XVI. Robur Militare Dominii Pontificii. 23.
XVII. Vetus Reipublicæ Romanæ forma & ratio. 26.
XVIII. Modus & forma dominii noſtri temporis. 31.
XIX. Priſcorum Romanorum Religio. 33.
XX. Series & Ordo Pontificum Romanorum, facto initio à S. Petro, vſq; ad Vrbanum VIII. 54.
XXI. Edictum Gregorii XV. P.M. ſuper Electione Pontificum. 57.
XXII. Modus & ratio Eligendi noui Pontificis. 67.
XXIII. IMPERIVM ROMANVM per Germaniam. 69.
XXIV. Qualitas & ingenium terræ Germaniæ. 69.
XXV. Fertilitas Alſatiæ, Agri Wirtembergici, Franconiæ, Sueviæ, Bohemiæ, Morauiæ, Bauariæ, Auſtriæ, Agri Tyrolenſis, Styriæ, Carinthiæ, Weſtfaliæ. 70.
XXVI. Fertilitas Principatus Cliuenſis, Iuliacenſis, Haſſiæ, Thuringiæ, Saxoniæ, Sileſiæ, Miſniæ, Agri Leodicenſis, Treuerenſis. ibid.
XXVII. Mores veterum Germanorum. 73.
XXVIII. Mores Germanorum noſtri temporis. 78.
XXIX. Opes & Diuitiæ Germaniæ. 79.
XXX. Robur Militare Germanorum. 81.
XXXI. Principes Germaniæ vtriuſq; Ordinis. 82.
XXXII. Elenchus vrbium Imperialium Germaniæ. 85.
XXXIII. Status Religionis per Germaniam. 89.
XXXIV. Elenchus Imperatorum Occidentis, facto initio à Iulio Cæſare vſque ad Ferdinandum Secundum. 109.
XXXV. Modus & Ratio Creandi Imperatoris Auguſti. 112.
XXXVI. Diuiſio Imperii Germanici in X. Prouincias siue Diſtrictus, addita ſingulorum deſcriptione.

XXXVI. GAL-

XXXVI.	GALLIA, quæ hodie Francorum Regnum.	115.
XXXVII.	Descriptio exactior Prouinciarum Galliæ.	119.
XXXVIII.	Qualitas & ingenium terræ Gallicanæ.	126.
XXXIX.	Mores veterum Gallorum.	131.
XXXX.	Mores Gallo-Francorum nostri temporis.	135.
XLI.	Diuitiæ & opes Regni Francorum.	141.
XLII.	Catalogus prouentuum annuorum regni Gallici.	144.
XLIII.	Robur militare regni Francici.	145.
XLIV.	Forma Dominii per Galliam Monarchica.	152.
XLV.	Ducatus & Comitatus, qui Regno denuo inserti sunt.	153.
XLVI.	Cæteri Ducatus & Comitatus per Galliam.	155.
XLVII.	Elenchus Principum, qui antiquitus Pares Franciæ dicti fuere.	156.
XLVIII.	Pares Franciæ Ordinis Ecclesiastici.	158.
XLIX.	Qui nostro æuo Pares Franciæ salutentur.	159.
L.	Nomina eorum quos Ludouicus XIII. Pares Franciæ dixit.	167.
LI.	Institutio Parlamentorum per Galliam.	171.
LII.	Religionis & Cultus ratio per Galliam.	178.
LIII.	Archiepiscopi & Episcopi per Galliæ regnum.	179.
LIV.	Elenchus Regum Galliæ vsque ad Ludouicum XIII.	180.
LV.	Prouincia Bearnensis, pars Regni Nauarreni.	182.
LVI.	Status Religionis per Bearniam.	ibid.
LVII.	REGNVM & POTENTIA HISPANORVM.	188.
LVIII.	Descriptio singularum prouinciarum Hispaniæ.	190.
LIX.	Natura & ingenium terræ Hispaniæ.	193.
LX.	Mores veterum Hispanorum.	196.
LXI.	Mores Hispanorum nostri temporis.	197.
LXII.	Diuitiæ & opes Hispaniarum.	198.
LXIII.	Vires & Robur Militare Hispanorum.	201.
LXIV.	Ratio & Forma dominii Hispanici.	205.
LXV.	Ministrorum Aulæ Regiæ Hispanicæ stipendia.	209.
LXVI.	Familiarum per Hispaniam Illustriorum nomina & tituli.	213.
LXVII.	Archiepiscopi & Episcopi per Hispaniam.	219.
LXVIII.	Commendaturæ trium Ordinum Equestrium per Hispaniam.	220.
LXIX.	Equestres Ordines regni Portugalliæ.	223.
LXX.	Status Religionis & rei Ecclesiasticæ per Hispaniam.	224.
LXXI.	Genealogia Regum Hispanorum.	226.
LXXII.	Prouentus annui Regis Hispanorum.	231.
LXXIII.	Narratio de expulsione Maurorum ex Hispania.	235.
LXXIV.	Regnum Portugalliæ siue Lusitaniæ.	244.
LXXV.	Modus Gubernationis regni Portugallici.	245.
LXXVI.	Catalogus Regum Portugalliæ vsq; ad Philippum II.	247.
LXXVII.	Insulæ Balearicæ, Maiorica, Minorica, aliæ.	249.
LXXVIII.	REGNVM NEAPOLITANVM.	251.
LXXIX.	Descriptio Prouinciarum regni Neapolitani.	253.
LXXX.	Natura & Qualitas huius regni.	254.
LXXXI.	Mores antiquorum Apulorum & Calabrorum.	255.
LXXXII.	Mores horum populorum nostri temporis.	256.
LXXXIII.	Opes, Diuitiæ & vires Neapolitanorum.	257.
LXXXIV.	Status Ecclesiasticus per Regnum Neapoleos.	259.
LXXXV.	Catalogus Regum Neapolitanorum.	259.
LXXXVI.	SICILIÆ REGNVM.	261.
LXXXVII.	Mores veterum & recentium Siculorum.	262.
LXXXVIII.	Opes & Robur Militare Siculorum.	263.
LXXXIX.	Modus Gubernationis per Siciliam.	ibid.

XC.	Status rei Eccleſiaſticæ per Siciliam.	265.
XCI.	De Regibus qui in Sicilia regnauerunt.	ibid.
XCII.	SARDINIA INSVLA.	267.
XCIII	Natura, Inſulæ & Mores veterum Sardorum.	267.
XCIV.	DVCATVS Mediolanenſis per Inſubriam.	268.
XCV.	Qualitas terræ & Mores incolarum.	269.
XCVI.	Opes & diuitiæ Mediolanenſium.	ibidem.
XCVII.	Robur, vires & modus Gubernationis.	270.
XCVIII.	Genealogia Ducum Mediolanenſium.	271.
XCIX.	Deſcriptio Inſularum Canariarum.	272.
C.	Inſulæ capitis Viridis.	273.
CI.	Inſula Principis & S. Helenæ.	273.
CII.	Inſula S. Thomæ & Medera.	274.
CIII.	Inſulæ Azores, quæ & Flandricæ.	275.
CIV.	Qualitas ſoli & ingenium Inſulanorum.	277.
CV.	Mozambica Inſula, eius natura, opes, Robur.	279.
CVI.	Armuſium in Sinu Perſico oppidum & Inſula.	279.
CVII.	Dius Inſula, eius Natura, opes, adminiſtratio.	281.
CVIII.	Loca Luſitanici iuris in littore Malabarenſi.	282.
CIX.	Oppidum & Munimentum Malaca.	283.
CX.	Cambaia regio, Mores & opes incolarum.	284.
CXI.	Inſula & Ciuitas Goa.	285.
CXII.	Mores ciuium vrbis & Inſulæ Goæ.	287.
CXIII.	Opes & diuitiæ Luſitanorum in Goa.	293.
CXIV.	Forma Gubernationis Luſitanicæ per Indiam.	295.
CXV.	Religio quæ ſit per Orientalem Indiam.	297.
CXVI.	Antiquus Indorum Chriſtianiſmus.	ibid.
CXVII.	Nouus Indorum Chriſtianiſmus.	299.
CXVIII.	Locorum Hiſpanicorum per Africam, Aſiam, Indiam, vberior conſideratio.	301.
CXIX.	NOVVS ORBIS ſiue ADVERSVM HEMISPHÆRIVM.	304.
CXX.	Diuiſio Noui Orbis ſiue Mundi.	209.
CXXI.	Deſcriptio Floridæ regionis Septentrionalis.	310.
CXXII.	Mores & ritus Floridanorum.	311.
CXXIII.	Qualitas, Diuitiæ, Robur & Religio huius regionis.	311.
CXXIV.	Sinus Mexicanus & Noua Hiſpania.	311.
CXXV.	Qualitas Nouæ Hiſpaniæ in genere.	ibid.
CXXVI.	Noua Galloecia.	312.
CXXVII.	Mechoacana & Mexicana.	ibid.
CXXVIII.	Mores priſcorum Mexicanorum.	313.
CXXIX.	Mores & Gubernatio Mexicanorum noſtro quo.	314.
CXXX.	Gaſtecana, Iucatania, Panucana.	ibid.
CXXXI.	Guatimala, Terra Firma ſiue Continens.	316.
CXXXII.	Nicaragua & Caſtella Aurea.	ibid.
CXXXIII.	Nouum Regnum Granatenſe.	317.
CXXXIV.	BRASILIA, Prouincia ampliſſima.	318.
CXXXV.	Mores Braſilianorum & opes.	319.
CXXXVI.	Chile prouincia longiſſima.	320.
CXXXVII.	Regnum PERVANVM ditiſſimum.	ibid.
CXXXVIII.	Mores & conſuetudines Peruanorum.	321.
CXXXIX.	Diuitiæ ingentes regni Peruani.	322.
CXL.	Arequipa, Lima, Trugillium, alia.	323.
CXLI.	Collao & Charcarum Prouincia.	323. & 324.

CXLII.	Cuſco & Caxamalca vrbes Regiæ.	325.
CXLIII.	Quitenſis Prouincia.	ibid.
CXLIV.	Regio Sanctæ Crucis de Monte.	326.
CXLV.	Tucuma & Paraguay	327.&328.
CXLVI.	Hiſpaniola Inſula, eius Qualitas & Incolæ.	328.
CXLVII.	Cuba & Iamaica Inſulæ.	328.&329.
CXLVIII.	Munimenta Noui Orbis & Robur Militare.	330.
CXLVIIII.	Gubernatio Ciuilis & Eccleſiaſtica Noui Orbis.	ibid.
CL.	Quam cognitionem de Deo habuerint Priſci Indi.	331.
CLI.	Superſtitio Indorum circa cadauera mortuorum.	332.
CLII.	Cultus Idololatricus & Templa Peruanorum.	333.
CLIII.	Sacerdotes & Sacrificia eorundem.	334.
CLIV.	Cacodæmon imitatur Sacramenta & Ritus Rom. Eccleſiæ.	335.
CLV.	Præparatio Populorum Noui Orbis ad Euangelium.	337.
CLVI.	Vaticinia futuræ prædicationis Euangelicæ.	339.
CLVII.	Conſtitutio Alexandri Sexti Pontif. Maximi.	342.
CLVIII.	Quid conuerſionem Indorum potiſſimum impediuerit.	343.
CLIX.	Barbarorum in Nouo Orbe magna varietas.	344.
CLX.	Quæ difficultates in conuerſione Indorum interuenerint.	346.
CLXI.	Correctio horum incommodorum.	347.
CLXII.	REGNVM ANGLIÆ.	348.
CLXIII.	Natura & ingenium ſoli Anglicani.	350.
CLXIV.	Mores antiquorum Britannorum.	351.
CLXV.	Mores Anglorum noſtri æui.	352.
CLXVI.	Opes & diuitiæ Anglicani regni.	353.
CLXVII.	Robur Militare regni Anglicani.	355.
CLXVIII.	Quanta fuerit claſſis Hiſpanica, anno MDLXXXVIII.	356.
CLXIX.	Forma Reipublicæ & Gubernationis in Anglia.	359.
CLXX.	Res Eccleſiaſticæ & Religionis per Angliam.	363.
CLXXI.	Articuli ſiue Capita adminiſtrationis Eccleſiaſticæ.	367.
CLXXII.	Catalogus Regum Angliæ ad noſtra tempora.	368.
CLXXIII.	Archiepiſcopi & Epiſcopi per Angliam.	370.
CLXXIV.	REGNVM SCOTIÆ.	371.
CLXXV.	Qualitas & Natura Scotiæ.	371.
CLXXVI.	Mores & Ritus veterum Scotorum.	372.
CLXXVII.	Mores Scotorum noſtri æui.	373.
CLXXVIII.	Scotorum amicitia & fœdera cum Gallis.	375.
CLXXIX.	Opes, vires & Robur regni Scotici.	376.
CLXXX.	Forma Reipublicæ Scoticæ.	377.
CLXXXI.	Quæ in Scotia vigeat Religio.	378.
CLXXXII.	Catalogus Regum Scotiæ	379.
CLXXXIII.	HIBERNIA INSVLA.	381.
CLXXXIV.	Mores Hibernorum noſtri temporis.	383.
CLXXXV.	Diuitiæ, Robur & Potentia Hibernorum.	384.
CLXXXVI.	Forma Reipublicæ per Hiberniam.	385.
CLXXXVII.	REGNVM HVNGARIÆ.	387.
CLXXXVIII.	Ingenium & Qualitas terræ Hungariæ.	389.
CLXXXIX.	Mores Hungarorum, & illius regni opes.	390.
CXC.	Forma gubernationis per Hungariam.	390.
CXCI.	Status Eccleſiaſticus per Hungariam.	391.
CXCII.	Catalogus Regum Hungariæ.	ibid.
CXCIII.	Tumultus Botſcaini quomodo compoſiti fuerint.	393.
CXCIV.	POLONIÆ REGNVM cum adiunctis ei prouinciis.	397.
CXCV.	Liuonia, Lituania, Samogithia, Podolia, Ruſſia,	398.399.

CXCVI. Podlassia, Pomerania, Prussia triplex. 400.
CXCVII. Qualitas & ingenium terræ Poloniæ. 401.
CXCVIII. Mores veterum Sarmatarum. 402.
CXCVIIII. Mores Polonorum nostri temporis. 403.
CC. Opes & Diuitiæ Polonorum. 405.
CCI. Robur & potentia regni Polonici. 407.
CCII. Modus & forma Reipublicæ Polonicæ. 409.
CCIII. Religionis ratio per Poloniam. 411.
CCIV. Genealogia Ducum & Regum Poloniæ. 413.
CCV. DANIA ET NORWEGIA. 416.
CCVI. Qualitas & Natura vtriusq; regni. 419.
CCVII. Mores priscorum Cimbrorum. 420.
CCVIII. Diuitiæ & Mores Danorum nostri temporis. 421.
CCIX. Modus Gubernationis in regno Daniæ. 423.
CCX. Catalogus Regum Daniæ. 425.
CCXI. REGNVM SVECORVM. 427.
CCXII. Mores antiqui nouiq; horum populorum 429.430.
CCXIII. Opes & Diuitiæ Suecorum. 431.
CCXIV. Robur Militare & Munimenta huius regni. 433.
CCXV. Modus Gubernationis in Regno Suecico. 435.
CCXVI. Status rei Ecclesiasticæ per Sueciam. 436.
CCXVII. Elenchus Regum Sueciæ ad nostra tempora. 439.
CCXVIII. MAGNVS DVCATVS MOSCOVIÆ. ibid.
CCXXIX. Qualitas terrarum huius Magni Ducatus. 442.
CCXX. Mores Moschorum antiqui & nostri temporis. 443.
CCXXI. Opes & Diuitiæ Moscouiticæ. 445.
CCXXII. Potentia Magni Ducis Moscouiæ. 449.
CCXXIII. Modus Gubernationis per Moscouiam. 449.
CCXXIV. Religionis cultusq; ratio apud Moschos. 450.
CCXXV. PRINCIPATVS AVSTRASIÆ, siue DVCATVS LOTHARINGIÆ. 451.
CCXXVI. Quid iuris prætendant Duces Lotharingici super Regnum Hierosolymitanum. 453.
CCXXVII. Qualitas & Natura terræ Lotharingicæ. ibid.
CCXXVIII. Mores, opes, & vires incolarum. 454.
CCXXIX. Catalogus Ducum Lotharingiæ. 455.
CXXX. Origo Domus siue Familiæ Guisiæ. ibid.
CCXXXI. Principes vtriusq; sexus ex Familia Mænia. 456.
CCXXXII. Principes vtriusq; sexus ex Familia Aumalia. 457.
CCXXXIII. Series Principum ex Famlia Elbouia. ibid.
CCXXXIV. Principes vtriusq; sexus ex familia Mercurina. 458.
CCXXXV. DVCATVS SABAVDIÆ, cum Principatu Taurinorum siue Pedemontii. 459.
CCXXXVI. Natura & Qualitas vtriusq; Regionis. 461.
CCXXXVII. Mores & Facultates Sabaudorum. 462.
CCXXXVIII. Robur harum prouinciarum & vires militares. 463.
CCXXXIX. Quid iuris Sabaudus in aliquot prouincias prætendat. 465.
CCXXXX. Catalogus Ducum Sabaudiæ & Pedemontii. 467.
CCXLI. MAGNVS DVCATVS FLORENTIÆ. 475.
CCXLII. Qualitas & ingenium Regionis. 477.
CCXLIII. Mores Hetruscorum, eorumq; diuitiæ, 477.& 478.
CCXLIV. Potentia, vires & Robur Ducis Hetrusci. 479.
CCXLV. Origo & Stirps Principum Florentinorum. 438.
CCXLVI. DVCATVS MANTVANVS. 490.

CCXLVII. Se-

CCXLVII. Series & Ordo Ducum Mantuanorum. 492.
CCXLVIII. DVCATVS VRBINATIVM. 493.
CCXLIX. Series & Ordo Ducum Vrbini. 494.
CCL. DVCATVS FERRARIENSIS & Mutinenſis. 495.
CCLI. Qualitas agri Mutinenſis & Mores Incolarum. 498.
CCLII. GERMANIA INFERIOR, ſiue Prouinciæ Belgicæ, quæ Hiſpano Regi parent. 499.
CCLIII. Enumeratio XVII. prouinciarum Belgicarum. 501.
CCLIV. Qualitas & Natura ſoli Belgici. 502.
CCLV. Mores Belgarum priſco & noſtro æuo. 503.
CCLVI. Diuitiæ eorum & Robur Militare. 504.
CCLVII. Ratio & Forma Gubernationis. 505.
CCLVIII. Archiepiſcopi & Epiſcopi per Inferiorem Germaniam, veteres & Noui. 507.
CCLIX. Catalogus Dominorum & Comitum Flandriæ. 508.
CCLX. GERMANIÆ INFERIORIS PROVINCIÆ CONFOEDERATÆ. 512.
CCLXI. Natura & proprietas fœderatarum Prouinciarum. 514.
CCLXII. Mores & opes horum populorum. 515.
CCLXIII. Robur Militare Prouinciarum Confœderatarum. 517.
CCLXIV. Modus & Ratio Gubernationis ibid.
CCLXV. Religionis ratio in Fœderata Belgica. 520.
CCLXVI. Articuli inducarum inter Hiſpanum & Belgas. 526.
CCLXVII. Series Comitum Hollandiæ & Seelandiæ. 533.
CCLXVIII. Finitis Induciis recrudeſcit bellum Belgicum. 535.
CCLXIX. RESPVBLICA HELVETIORVM. 552.
CCLXX. Natura & Qualitas regionis Heluetiorum. 555.
CCLXXI. Mores Heluetiorum veteres & noui 555.556.
CCLXXII. Opes, Potentia & Regimen Heluetiorum. 557.
CCLXXIII. Fœdus quatuor Pagorum, Lucernæ, Vriæ, Suitſiæ, & Vndervvaldiæ. 559.
CCLXXIIII. Fœdus Tigurinorum cum quatuor Pagis. 561.
CCLXXV. Fœdus Tugiorum cum quinq; Pagis. 562.
CCLXXVI. Fœdus Glaronenſium cum Quatuor-Pagicis. 562.
CCLXXVII. Fœdus Bernenſium cum Tribus Pagis. 563.
CCLXXVIII. Fœdus Principum Auſtriacorum cum Heluetiis. 563.
CCLXXIX. Pacta fœderatorum Rhætorum cum Heluetiis. 565.
CCLXXX. Fœdus S. Galli cum cæteris Heluetiis. 565.
CCLXXXI. Pax Tigurina & Bernenſis. 566.
CCLXXXII. Religionis ratio per Heluetiam. 567.
CCLXXXIII. Turbæ & Motus bellici in Rhætia. 568.
CCLXXXIV. Diſſidium inter Epiſcopum Curienſem & Rhætos, 569.
CCLXXXV. Aemulatio Hiſpanorum aduerſus Gallos propter Fœdus Helueticum. 580.
CCLXXXVI. RESPVBLICA VENETA. 581.
CCLXXXVII. Quo pacto Magiſtratus apud Venetos creentur. 583.
CCLXXXVIII. De Magnificentiſſimo S. MARCI Templo. 584.
CCLXXXIX. Deſcriptio Magnæ Areæ in vrbe Venetiarum. 586.
CCXC. Qualitas Agri Taruiſini. 588.
CCXCI. Mores Venetorum priſci & noſtri temporis. 589.
CCXCII. Diuitiæ & Robur Militare Venetorum. 590.
CCXCIII. Armamentarium ſiue ARSENALE Venetum. 591.
CCXCIV. Modus adminiſtrandæ Reipub. apud Venetos. 592.
CCXCV. Religio Venetorum. 594.

CCXCVI. Vrbes & Fortalitia Venetorum per Italiam. ibid.
CCXCVII. Verona, Bergamum, Vicentia, Crema. 595.
CCXCVIII. Forum Iulii & eius Oppida. ibid.
CCXCIX. Aquileia vrbs & Istria Prouincia. 596. & 597.
CCC. Taruisium vrbs & Marca Taruisina. 597.
CCCI. Creta siue Candia Insula. 599.
CCCII. Corcyra Insula siue, vt hodie, Corfu. 600.
CCCIII. Cephalenia & Zacynthus Insulæ. 601.
CCCIV. Ritus & Ceremoniæ in electione noui Ducis Venetiarum obseruari solitæ. ibid.
CCCV. Catalogus Ducum Venetorum. 602.
CCCVI. RESPVBLICA GENVENSIS. 611.
CCCVII. Mores, Ritus & Diuitiæ Ligurum. 614.
CCCVIII. Robur & Potentia Genuensium. 615.
CCCIX. Modus Gubernationis illius Reipublicæ. ibid.
CCCX. RESPVBLICA LVCENSIS. 618.
CCCXI. RESPVBLICA GENEVENSIS. 621.
CCCXII. RESPVBLICA RAGVSINA. 623.
CCCXIII. Mores, opes & potentia Raguſinorum. 624.625.
CCCXIV. Modus administrationis huius Reipubl. 626.
CCCXV. POTENTIA OTTOMANNICA PER EVROPAM. 628.
CCCXVI. Thracia siue Romania. 630.
CCCXVII. Descriptio vrbis Constantinopolis. 633.
CCCXVIII. Descriptio Generalis Seralii siue Regiæ Ottomannicæ. 639.
CCCXIX. De ipso Magno Turcarum Monarcha. 642.
CCCXX. Natura & Qualitas terræ Thraciæ. 650.
CCCXXI. Mores Thracum Antiquorum. 651.
CCCXXII. Mores eorundem noſtri temporis. 652.
CCCXXIII. GRÆCIA. 654.
CCCXXIV. Qualitas & ingenium terræ Græciæ. 658.
CCCXXV. Mores Antiquorum Græcorum. 659.
CCCXXVI. Mores eorundem noſtro tempore. 664.
CCCXXVII. Antiqua ratio Reipublicæ Athenienſis. 665.
CCCXXVIII. Reſpublica Antiqua Lacedæmoniorum. 672.
CCCXXIX. Religio Græcorum noſtri temporis. 676.
CCCXXX. Insulæ Maris Ægæi siue Archipelagi. 677.
CCCXXXI. Qualitas terræ, Mores veteres & noui Insulanorum. 680.
CCCXXXII. Boſnia, Bulgaria, Seruia, Raſcia & alia quædam. 683.
CCCXXXIII. Catalogus Imperatorum Constantinopolitanorum à diuiſione Imperii vſq; ad Oſmannum & noſtra tempora. 684.

ELENCHVS

EORVM QVÆ LIBRO SECVNDO ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ comprehenduntur, per ſumma capita digeſtus.

I. POTENTIA OTTOMANNICA PER ASIAM. 1.
II. ASIÆ Minoris pleræq; prouinciæ. 2.
III. Cyprus Insula & eius fertilitas. 4.5.6.
IV. Mores Cyprorum antiqui & recentes. 6.7.
V. Modus Gubernationis & Religio Cypriorum. 7.

VI. Rhodus

VI.	Rhodus Insula eiusq; Natura & Fertilitas.	8.
VII.	Mores priscorum Rhodiorum, & nostri temporis,	ibid.
VIII.	Insulæ Propontidis, siue Maris de Marmora.	9.
IX.	ASIA MAIOR.	10.
X.	Georgia, Arabia Petræa & Felix, Syria, Palæstina.	11.
XI.	Regnum Hierosolymitanum.	12.
XII.	Genealogia Regum Hierosolymitanorum.	13.
XIII.	Catalogus Patriarcharum Latinorum, qui Hierosolymis fuerunt.	17.
XIV.	Genius & Natura vtriusq; Asiæ.	19.
XV.	Mores antiqui populorum Asiaticorum.	21.
XVI.	Mores hominum Asiaticorum nostri temporis.	24.
XVII.	Opes & Diuitiæ Asianorum in genere.	25.
XVIII.	Quod eorum Robur, & quæ Religiones per Asiam.	26.
XIX.	POTENTIA OTTOMANNICA PER AFRICAM.	29.
XX.	Mauritania, Argeria, Regnum Tunetanum, Constantina.	30.
XXI.	Carthago, Biserta, Tripolis vrbes.	30.31.
XXII.	Natura & Qualitas huius partis Africæ.	ibid.
XXIII.	Maurorum Mores, Diuitiæ, Religio.	32.
XXIV.	Descriptio noua Mauritaniæ Cæsariensis; quæ hodie BARBARIA dicitur	33.
XXV.	Ægyptus & Regio Troglodytica.	35.
XXVI.	Cayri vrbis ad Nilum Descriptio.	37.38.
XXVII.	Qualitas & Natura soli Ægyptiaci.	40.
XXVIII.	Mores antiquorum & nouorum Ægyptiorum.	43.44.
XXIX.	Vetus Gubernandi ratio in Ægypto.	45.
XXX.	Forma Gubernationis Ægyptiacæ post inclinationem Romani Imperii.	48.
XXXI.	Religionis cultusq; diuini ratio apud Ægyptios.	ibid.
XXXII.	DE MORIBVS & ritibus Turcarum nostri temporis.	53.
XXXIII.	Opes, potentia, & vires militares Turcarum.	56.
XXXIV.	Modus Gubernationis Politicæ.	60.
XXXV.	Religio Turcica siue Dilirium Mahometis.	61.
XXXVI.	IMPERIVM MAGNI SOPHI, SIVE REGIS PERSARVM.	63.
XXXVII.	Media, Atropatia, Assyria, Susiana;	65.66.
XXXVIII.	Mesopotamia, Persis, Parthia, Hyrcania Margiana, Bactriana, Paropamisus, Aria.	66.
XXXIX.	Sogdiana, Drangiana, Gedrosia, Carmania.	67.
XL.	Vrbes circa Mare Caspium, quæ Iuris Persici.	68.
XLI.	Qualitas & Natura Soli in Regno Persico.	69.
XLII.	Mores veterum Persarum.	70.
XLIII.	Mores, opes & vires Persarum nostro tempore.	74.75.
XLIV.	Modus Gubernationis in Regno Persico.	76.
XLV.	Religiones quæ nostro æuo inueniuntur in Perside	77.
XLVI.	Chronicon Regum Persicorum ex sacris litteris, Philone Iudæo & aliis scriptoribus.	79.
XLVII.	Elenchus Regum Persicorum ex Auctoribus Græcis & Latinis.	80.
XLVIII.	Regnum Cyri, primi Persarum Monarchæ.	81.
XLVIIII.	Cambyses, secundus Persarum Monarcha.	82.
L.	Darius Hystaspis, Monarcha Persarum tertius.	83.
LI.	Xerxes quartus Persarum Monarcha.	85.
LII.	Artaxerxes Longimanus Rex quintus.	ibid.
LIII.	Darius Nothus, Artaxerxes Mnemon, Darius Occhus.	86.
LIV.	Darius quartus Codomannus, Rex Persa vltimus.	87.

LV.	Reges Persarum post Alexandrum Macedonem.	ibid.
LVI.	Reges Persarum Mahometani ex stirpe Vsuncassani.	96.
LVII.	Linea Sophianorum in Persia.	99.
LVIII.	Chronicon Regum Persicorum ex Annalibus Mirkondi.	105.
LIX.	Reges Persarum ex Arabibus.	129.
LX.	Elenchus Regum Persicorum vsq; ad Regnum Arabum.	165.
LXI.	IMPERIVM MAGNI CHAMI, siue REGIS TARTARORVM.	168.
LXII.	Qualitas & ingenium soli Tartarici.	169.
LXIII.	Mores Antiquorum & Recentium Tartarorum,	171.
LXIV.	Opes, Diuitiæ & Potentia Tartarorum.	173.
LXV.	Gubernatio & Religio Tartarorum.	176.
LXVI.	Series & Ordo Regum Tartaricorum.	177.
LXVII.	REGNVM CHINENSE siue Sinarum.	180.
LXVIII.	Qualitas & Natura soli Chinensis.	182.
LXIX.	Mores Sinarum siue Chinensium.	183.
LXX.	Opes & Diuitiæ Sinarum maximæ	189.
LXXI.	Robur & Potentia Regni Chinensis.	190.
LXXII.	Modus Gubernationis per regnum Chinense.	194.
LXXIII.	Religio vel potius Superstitio Chinensium.	196.
LXXIV.	Genealogia Regum Chinensium.	198.
LXXV.	REGNVM IAPONIÆ INSVLÆ.	201.
LXXVI.	Mores Consuetudines & Diuitiæ Iaponensium.	202.
LXXVII.	Robur Militare & Religio Iaponensium.	203.
LXXVIII.	BRAGMANORVM REGNVM siue PEGV.	205.
LXXIX.	Natura & Qualitas terræ.	209.
LXXX.	Mores, diuitiæ, gubernatio & Religio horum populorum.	211.
LXXXI.	INDIA INTRA GANGEM siue MAGNI MOGOR.	213.
LXXXII.	Mores horum Indorum veteres & noui.	ibid.
LXXXIII.	Opes, Potentia & Religio horum Indorum.	214.215.
LXXXIV.	REGNVM CALECVTENSE.	216.
LXXXV.	Qualitas soli & Mores Calecutensium.	216.217.
LXXXVI.	Diuitiæ eorundem, vires, & Modus Gubernationis.	218.
LXXXVII.	Religionis siue Cultus ratio apud hos populos.	219.
LXXXVIII.	Regnum Bisnagar & Narsingæ.	220.
LXXXIX.	Mores Indorum antiqui.	221.
XC.	Opes, potentia & Religio Narsingensium.	223.
XCI.	IMPERIVM ABYSSINORVM siue PRETE-IANI.	225.
XCII.	Natura & Qualitas soli Æthiopici.	227.
XCIII.	Mores veterum & Recentium Æthiopum.	228.
XCIV.	Facultates & Robur Militare Abyssinorum.	229.
XCV.	Modus Gubernationis & Religio eorundem.	231.232.
XCVI.	REGNVM MONOMOTAPÆ.	236.
XCVII.	Natura soli, Mores incolarum, & potentia huius regni.	ibid.
XCVIII.	Modus gubernationis & Religio Monomotapensium.	237.
XCIX.	REGNVM CONGI IN AFRICA.	238.
C.	Qualitas & Natura soli huius regni.	239.
CI.	Mores, Facultates & Potentia Congensium.	242.243.
CII.	Modus Gubernationis & Religio Congensium.	244.
CIII.	REGNA MARROCANVM ET FEZZANVM.	247.
CIV.	Ingenium soli & Mores antiqui ac noui Maurorum.	251.253.
CV.	Opes, potentia & Religio Maurorum.	261.266.

ELENCHVS

EORVM, QVAE LIBRO TERTIO ARCHONTOLOGIAE Cosmicæ comprehenduntur, per summa capita digestus.

I. INSTITVTIO EQVITVM ORDINIS SANCTÆ AMPVLLÆ In Aede S. Remigii Durocortori Remorum. 2.
II. Ordo Equitum S. Mauritii & S. Lazari apud Sabaudos. ibid.
III. Ordo Equitum Asturconis in Gallia. 3.
IV. Ordo Equitum Lilii in regno Navarreno. ibid.
V. Ordo Equitum S. Iohannis Hierosolymitani qui nunc Melitenses vocantur. ibid.
VI. Ordo Equitum Templariorum. 4.
VII. Ordo Equitum Teutonicorum Hospitii S. Mariæ Hierosolymis, qui & Crucigeri & Mariani vocantur. ibid.
VIII. Ordo Equitum S. Iohannis Acconitani. 5.
IX. Ordo Equitum S. Seruatoris in Aragonia. ibid.
X. Ordo Equitum Montis Gaudii in Syria, qui in Castilia Monfiacus, in Catalonia Montgoius appellatur. ibid.
XI. Ordo Equitum Ensiferorum in Livonia. ibid.
XII. Ordo Equitum S. Iacobi in Hispania. ibid.
XIII. Ordo Militum Christi institutus aduersus Albigenses. 6.
XIV. Ordo Equitum Alcantaræ in regno Legionis. ibid.
XV. Ordo Equitum Gloriosæ Virginis Mariæ in Italia. 7.
XVI. Ordo Equitum Montesiorum in regno Valentiæ. ibid.
XVII. Ordo Equitum Iesu Christi in Lusitania. ibid.
XVIII. Ordo Equitum Fasciæ & Scamæ inter Hispanos & Galzæ inter Venetos. ibid.
XIX. Ordo Equitum Adviſiorum in Lusitania. ibid.
XX. Equites Arturi Mensæ Rotundæ in Anglia. 8.
XXI. Ordo Equitum Aureæ Periscelidis. ibid.
XXII. Ordo Equitum Balnei in Anglia. ibid.
XXIII. Ordo Equitum Stellæ in Gallia. 9.
XXIV. Ordo Equitum Annunciationis in Sabaudia. 9.
XXV. Ordo Equitum Aurei velleris apud Burgundos olim, hodie apud Principes Austriacos. ibid.
XXVI. Ordo Equitum Histricis in Familia Aurelianensi. 10.
XXVII. Equites Cardui Virginis Mariæ, in Familia Burboniorum. ibid.
XXVIII. Equites S. Andreæ Cardui & Rutæ in Scotia. ibid.
XXIX. Ordo Equitum Cypri. 11.
XXX. Ordo Equitum Columbæ in Castilia. ibid.
XXXI. Ordo Draconis inter Germanos & Vngaros, Tusini in Bohemia & Disciplinarum in Austria. ibid.
XXXII. Ordo Militum in Suecia. 14.
XXXIII. Ordo Equitum Ensis & Balthei in Suecia. ibid.
XXXIV. Ordo Equitum Lunæ Crescentis inter Andegauenses & Siculos. ibid.
XXXV. Ordo Equitum S. Michaelis in Gallia. 13.
XXXVI. Ordo Equitum S. Georgii in Carinthia 13.
XXXVII. Equites Crucis Burgundicæ in Regno Tunetano, ibid.

XXXVIII. Ordo Equitum S. Stephani in Hetruria. ibid.
XXXIX. Ordo Equitum S. Spiritus in Gallia. 14.
XL. Equites Sacri Sanguinis D.N.I.C. Mantuæ. ibid.
XLI. Ordo Equitum B. Virginis in Monte Carmelo & S. Lazari in Gallia. ibid.
XLII. Ordo Funis institutus ab Anna Britannica, regina Galliæ. ibid.
XLIII. Equites à Pontificibus instituti. ibid.
XLIV. Institutio Ordinis Equitum Militiæ Christianæ, facta à Duce Niverniæ anno M.DC.XX. 15.
XLV. Dissertatio de Ordine Equitum Melitensium. 18.
Qualitas Insulæ, Mores Antiqui & Noui Insulanorum. 19.20.
Opes, Vires, Politia & Religio Melitensium. 20.21.31.
Magni Melitensium Magistri, qui à prima institutione ad nostra vsq; tempora Ordini præfuerunt. 31.
XLVI. Ordines Ecclesiastici, qui fuerunt inter Hebræos. 45.
XLVII. Ordines Ecclesiastici ab adventu Christi in Mundum. 47.
XLVIII. Institutio Sacerdotii in Noua Lege. 47.
XLIX. Clerici instituti à S. Petro. 47.
L. Canonici Lateranenses & S. Mariæ Frisonnææ. 48.
LI. Canonici S. Marci Mantuani. ibid.
LII. Ordo Solitariorum S. Pauli Eremitæ. ibid.
LIII. Ordo S. Antonii Eremitæ. 49.
LIV. Ordo S. Hilarionis & aliorum Eremitarum & Religiosorum Thebaidis in Ægypto. 49.
LV. Monasterium Lauri à Caritone ædificatum. 50.
LVI. Ordo Sancti Basilii. ibid.
LVII. Ordo Abbatis Pacomi. 51.
LVIII. Abbatia S. Symphoriani & Religiosorum ipsius. ibid.
LIX. Monasterium S. Martini Turonensis. ibid.
LX. Religiosus Ordo S. Hieronymi. 52.
LXI. Religiosus Ordo S. Augustini. ibid.
LXII. Ordo S. Benedicti. 53.
LXIII. Ordo congregationis Camaldulensis ibid.
LXIV. Ordo Grammontanus 54.
LXV. Ordo Hospitalariorum S. Antonii. ibid.
LXVI. Ordo Vallis Vmbrosæ. ibid.
LXVII. Ordo S. Brunonis & Carthusianorum. ibid.
LXVIII. Ordo Cistercienſium & Clarevallensium. 55.
LXIX. De Ordine Humiliatorum. 56.
LXX. Ordo Carmelitarum. ibid.
LXXI. Ordo reformatus Cistercienſis siue Foliantiorum. 57.
LXXII. Fæminæ Religiosæ S. Theresiæ. ibid.
LXXIII. Ordo Sanctæ Crucis. 58.
LXXIV. Ordo Sancti Dominici. 59.
LXXV. Ordo Sancti Francisci Assisiatis. 59.
LXXVI. Ordo Vallis Scholasticorum. ibid.
LXXVII. Ordo Religiosorum pœnitentiæ Iesu. ibid.
LXXVIII. Ordo Servorum Virginis. 60.
LXXIX. Ordo Cœlestinorum. ibid.
LXXX. Religiosi Montis Oliveti. 61.
LXXXI. Ordo Iesuatorum S. Hieronymi. ibid.
LXXXII. Canonici Regulares S. Servatoris. 62.
LXXXIII. Ordo S. Petri Pisani. 62.
LXXXIV. Ordo congregationis S. Gregorii. 63.

LXXXV.	Ordo congregationis Hieronymi Feſulani.	ibid.
LXXXVI.	Ordo congregationis S. Iuſtinæ.	ibid.
LXXXVII.	De Fratribus S. Ambroſii.	63.
LXXXVIII.	Monachi Eremitæ S. Hieronymi.	64.
LXXXIX.	Ordo Calohierorum S. Bernardini.	ibid.
XC.	Ordo Minimorum.	64.
XCI.	Congregatio Amedæorum ſiue Amicorum Dei.	65.
XCII.	Ordo Apoſtolinorum aut Barnabitarum.	65.
XCIII.	Ordo Capuzinorum.	ibid.
XCIV.	Ordines obſeruantiæ S. Auguſtini.	66.
XCV.	Congregatio S. Pauli primi Eremitæ in Vngaria.	67.
XCVI.	Ordo Brigittanus.	67.
XCVII.	Origo ordinis Præmonſtratenſium.	68.
XCVIII.	Religio Fontis Avellani.	ibid.
XCIX.	Congregatio Eremitarum Gonzagæ.	ibid.
C.	Ordo X. virtutum ſeu voluptatum Virginis.	69.
CI.	Ordo bonorum virorum, regulæ S. Auguſtini, in Anglia.	71.
CII.	Congregatio vitæ communis.	ibid.
CIII.	Congregatio Nudipedum in Hiſpania.	ibid.
CIV.	Congregatio S. Spiritus Venetiis.	ibid.
CV.	Ordo B. Virginis gratiæ redemptionis captivorum ex manibus Turcarum.	ibid.
CVI.	Ordo S. Trinitatis pro redemptione captivorum.	ibid.
CVII.	Ordo S. Spiritus in Saxonia, Romæ.	ibid.
CVIII.	Congregatio Presbyterorum, qui orphanos excipiunt.	ibid.
CIX.	Congregatio Presbyterorum Regularium S. Pauli.	73.
CX.	Ordo Ieſuitarum.	ibid.
CXI.	Congregatio Patrum Oratorii.	75.
CXII.	Cænobium Vrſulinarum.	75.
CXIII.	Ordines ab Eccleſia damnati.	ibid.
CXIV.	Ordo fratrum Prochotrophii Charitatis.	76.
CXV.	De Hoſpitalitate.	77.
CXVI.	Ordo Religioſorum viſionis in Æthiopia.	78.

FINIS ELENCHORVM SIVE SVMMORVM Capitum huius Archontologiæ Coſmicæ.

LECTORI Typographus S.

EA est, humanissime Lector, fatalis quædam Officinarum Typographicarum infelicitas, vt si vel intentissimo studio annitaris, sphalmata tamen Typothetharum vitare omnia non possis, quæ ne ipse quidem in tanta operarum festinatione peruiderit, qui

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Et ea quidem, quæ passim in libro nostro (heu nimium multa, quod male vertat Correctori) occurrent, annotare, cum pleraq; vel nullius vel exigui momentisint, aut corrigi cuiuis litterato obvia, non existimavimus esse operæ precium. Veniam precamur oscitationi, eandem homotechnis nostris in pari delicto non negaturi. Primarum tamen chartarum, quod in limine impingerent, nævos, quod nobis molestissime acciderent, dissimulandos non putavimus, ne auctoribus, quorum nobis venerabile nomen, imputarentur; Eos igitur Lector, si non gravaberis, sic corrige.

In fronte siue titulo libri, Linea 17. dele vocem *verò*.
Pagina prima, in facie dedicationis linea 20. pro *Arcas* lege *Aras*.
Columna sexta in Præfatione Authoris ad Lctorem linea 32. pro pestundedit lege pessundedit.
In Sylvæ Heroicæ pagina altera versu 11. pro Seleuciam lege Seleucian.
Ibidem linea 14. pro Oeceanus lege Oceanus.
In eadem Sylva columna tertia versu 40. pro ægente lege egente.
In Carmine Hermanni Stammi ICti. versu 7. pro terne lege terræ.
In Carmine D. Rennecampii ICti. versu vltimo ad Bibliopolam pro dive lege vive.
Pagina *** 3. in Carmine M. Sualbacii versu 7. pro artique lege artisque vers. 10. pro ferant lege ferunt.

ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ,

Siue

DESCRIPTIONIS IMPERIORVM, REGNORVM, PRINCIPATVVM, RERVMQVE publicarum per vniuersum Orbem Terrarum,

LIBER PRIMVS.

DE TERRIS ET DOMINIIS PONTIFICIS ROMANI.

1. AMplitudo & potentia Dominii Pontificii. Eius præcipuæ Prouinciæ, Vrbes & oppida. Dominium directum, quod prætendit in multa orbis Christiani Regna.

2. Descriptio Vrbis Romæ, vbi sedes Papalis. Huius antiquitas.

3. De Ponte Aelio, qui hodie S. Angeli dicitur. De Insula Tyberina, Pyramidibus, Columnis incredibili altitudinis, Thermis & Vaporariis Antoninianis aliisq;. De Sepulturis Imperatorum, Theatris, Arcubus Triumphalibus, Templis, Porticibus.

4. Ambitus veteris Romæ, qui olim fuit quinquaginta millium passuum, hodie ad sedecim millia coactus.

5. Portæ antiquæ Vrbis, quæ olim in quatuordecim Regiones, hodie in tredecim diuiditur: quarum nomina vetera & recentia adferuntur.

6. Viæ publicæ & Montes intra illius ambitum comprehensi.

7. Capta & spoliata septies, & à quibus gentibus.

8. Descriptio particularis Prouinciarum quæ sub Imperio Pontificio, & imprimis Latii, quod hodie Campania Romana dicitur, siue Ager Romanus.

9. Patrimonium Sancti Petri.

10. Vmbria & Sabinorum Regio, eiusq; principales vrbes & oppida.

11. Marca Anconitana.

12. Romania, cuius caput Rauenna prisca Sedes Exarchorũ, qui ab Imperatorib. Constantinopolitanis in Italiam missi. De origine Exarchatus & eius fine.

13. Principatus Ferrariensis, eius amplitudo & confinia.

14. Comitatus Cauarum (hodie Comte de Venisse) eiusque vrbes & oppida, quorum caput est Auinio.

15. Bonitas & fertilitas terræ Italiæ, inprimis per agrum Campanum, Ferrariensem & Vmbriam, inter quos excellit Interamnensis, vbi terra quater metitur quotannis: vt & de fœcunditate territorii Reatini, cuius eâ est præstantia, vt gramina per diem secta, de nocte in eandem succrescant altitudinem.

16. Thermæ & Balnea omnis generis circa Tibur & alia loca celebria. Fodinæ Aluminis alicubi & Salinæ, vt circa Ostiam. Linum Fauentinũ, & Isatis herba siue Glastum Bononiense. Manna ad S. Laurentii oppidum in Campania. Vinum Cesenate, Fauentinum, alia.

17. Elenchus aliarum rerum bonarum quibus ditiones Pontificis abundant.

18. Defectus & incommoda earundem prouinciarum, inprimis aer Agri Romani parum salubris.

19. Romanorum veterum ingenia ad arma & literas apta & procliuia eorundem frugalitas admiranda. Vini vsus mulieribus & puellis interdictus. Ceremoniæ quibus vsi in conciliandis matrimoniis, & libelli Repudiorum frequentes.

20. Exequiæ & Funerationes eorum.

21. Coronæ, Triumphi, Ouationes.

22. Præcipua Festa antiquorum, Agonalia, Floralia, alia.

23. Mores Romanorum huius temporis non vniformes, sed misti, propter immensum confluxum peregrinorum.

24. Diuitiæ & redditus Pontificis in quopotissimum consistant.

25. Computus & subductio rationum tam in redditibus quam expensis Papalibus.

26. Quantum Cardinalibus quotannis largiatur Pontifex, quantum in alios vsus conuertat.

27. Quantum in Legatos, siue, vt vocant, Nuncios suos impendat.

28. Quantum in stipatores corporis custodesq;, satellites, milites & ordinum ductores.

29. *Robur, & firmitas Status Ecclesiastici in quo consistat.*

30. *Vrbs* Roma *varie & diuersis vicibus munita.*

31. *Classe & militia marina quantum valeat Pontifex.*

32. *Rationes, ob quas multa per Italiam loca hominibus minus frequentia sint.*

33. *Prisca imperandi forma apud Romanos. Senatus per Romulum primo institutus, qualis fuerit ante & post Monarchiam Cæsarum. Tribuni, Quæstores, Dictatores, Prætores & alii magistratus.*

34. *Forma Gubernationis Pontificiæ, & primò de Collegio Cardinalium, eorumq; Consistorio.*

35. *De* Magno *(vt vocant)* Pœnitentiario *& eius Iurisdictione.*

36. *De Curia siue Aula Romana, iudiciis, tribunalibus & decisionibus causarum.*

37. *De Cancellario, Consiliariisq;.*

38. *Prætor Capitolii eiusq; Legati.*

40. *Vicarius Pontificis, eiusque ius in Clericos, & Duodecim Auditores causarum Sacri Palatij.*

41. *Electio Pontificis & Collegium Cardinalium Electorum.*

42. *De Religionibus siue superstitionibus Veterum Romanorum, vbi Augures, eorumque diuinandi ratio, cum institutione Lupercorum, Potitiorum, Pinariorum, Flaminum, Dialium, Vestalium, Saliorum, Fecialium, Sacrificulorum, victimariorum, aliorumque qui sacris gentilitiis operabantur.*

43. *Catalogus Chronologicus successionis Paparum vsq; ad eum, qui hodie præest, Pontificem.*

44. *Cardinalium ordo triplex, eorumq; Tituli.*

1 DOminium hoc Pontificis, vel *Status Ecclesiæ*, (vt de Agro Beneuentano & Comitatu Cauarum siue Auinionensi iam taceamus) nostro æuo amplior est, quam vnquam fuit superiorib. seculis, vtiq; postquam principatus Ferrariensis, Comachia & Flaminia accessit. Complectitur enim in longitudinem circiter trecẽta millia passuum, in latitudinem vltra millia centum. Regiones comprehendit has: Ducatum Ferrariensem, Agrum Bononiensem, Sabinum, Perusinũ, Marcam Anconitanam, Vmbriam cum parte Hetruriæ, Patrimonium Petri, Flaminiam & Latium cum ipsa Vrbe *Roma*. In hoc terrarum tractu siue spacio numerantur Episcopatus circiter quinquaginta, & vltra quindecies centum millia hominum. Ex Vrbibus prima est, quæ & totius Italiæ caput ROMA; secunda creditur Bononia; in tertiis quartisque numerantur, Ferraria, Perusia, Asculum, Ancona, Forum Liuii, Rauenna, Firmum, Viterbiũ. Complectitur insuper hæc Italiæ pars vnũ è quatuor Ducatibus, qui olim sub Longobardorũ Regum Dominatu instituti fuerunt, nempe *Spoletanum*; itemq; partem lõge maximam Exarchatus Rauennensis Præterea agrum Anconitanum, Marchionatus titulo insignem. Pertingit hic continuarum prouinciarum tractus à mari supero ad inferum, nempe à Tyrrheno ad Adriaticum, ad portum vsq; Anconitanũ obiectũ littori Dalmatico, & Comachinum littus, vbi Padus fluuius aquas suas in Adriaticum exonerat, quo loco exiguis sumptibus à Terracina vsq; ad Neptuni Oppidum munimẽtum extrui perduciq; posset. Quicquid interest terrarum inter Romam & Regnum Neapolitanum, appellatur hodie Campania Romana, siue ager Romanus, aut vt cum priscis loquamur, *Latium*, non aliter quam altera pars terræ, quæ versus Florentiam tendit, nominatur *Patrimonium Petri*. Anconitanus Marchionãtus versus Apuliã Campaniamque: Flaminia in ducatum Ferrariẽsem vergit, tangitque limites agri Bononiensis. Vmbria velut vmbilicum inter vtramque prouinciam obtinet. Comprehẽduntur autem hoc terrarum spacio præter Vrbes quas nominauimus, Ariminum, Ceseria, Fauentia, Imola, Macerata, Camerinum, Spoletum, Noreia, Reate, Interamna, Narnia, Oruietum, Assisium, Folinium, Tudernum, cũ aliis circiter triginta. Præter hæc omnia iuris Pontificii sunt Comitatus Auinionensis in Gallia, & Vrbs cum agro Beneuentano in Regno Neapolitano.

Dominii directi ius velut Patroni, Pontifices sibi vendicant antiquitus supra Regna Neapolitanum & Siculum; itemq; supra Ducatum Vrbinatem, Parmensem, Messeranum: quin & Reges Angliæ in Pontificum verba ac fidem iurasse solitos asseuerant, nomine Regnorum Angliæ & Hiberniæ, antequam hoc quicquid fuit oneris excuterent. Priusquam autem longius in hac materia progrediamur, non alienum videtur à nostro scopo, vt satisfaciamus curiosorum industriæ, ipsam VRBEM, caput ac sedem Potentiæ Pontificiæ describere, intenso in Antiquam illius faciem, cum adhuc Orbi dominaretur, digito: cum sciamus, non paucos illius penitius cognoscendæ teneri desiderio. Capiemus igitur auspicium à Ponte qui hodie *Sancti Angeli*, priscis *Pons Aelius* dictus fuit. In hoc igitur Ponte constituti despicite in profluentem Tybetim, vbi se vobis offerẽt reliquiæ ac rudera quædã Pontis Triumphalis, per quẽ Imperatores deuictis hostibus Triumphantes Vrbẽ ingressi ad Capitolium ascenderunt. Ad dextrã est Castrum illud Angeli, q̃ in eum finem extructum fuit, vt esset instar Mausolæi seruandis Ælii Adriani cineribus, cuius ibi sepulta sunt ossa. In huius castri summitate olim extabat vas ingens ex ære Cyprio, deauratum totum, quod adhuc in propatulo positum ab omnibus conspicitur in area S. Petri. Antequam autem hinc discedamus, conscendendus est vicinus collis, quem incolæ ob amænitatem prospectus *Bel vedere* appellant, vbi sunt horti exquisitissimæ pulchritudinis, in quibus multæ veterum artificum statuæ, Laocoontis & filiorum eius inter alias excellẽte simulacro, ad cuius Archetypum aliud itidem elegans factum constitutum est in hortis Regum Galliæ deliciis consecratis apud Fõtibellaquam. Cæterum in atrio S. Petri cernitur Obeliscus immensæ altitudinis, qui cum humi stratus ac semi obrutus esset, erectus & hoc in loco velut postli-

postliminio constitutus est ingentibus sumptibus Sixti V. Pontificis maximi.

Hinc transuerso itinere veniendum est ad portam S. Spiritus, per quam egressis offert se ad manum dextram alto loco positum exiguum S. Onofrii sacellum, vnde sumpto initio vsque ad S. Petri in Montorio aperit se latus *Ianiculi Montis*, qui vnus est è septem Vrbis collibus, ipseque adeo *Mons Vaticanus*. Vbi intenderis oculos ab Onofrio vsque in Montorium, deflexa paulisper acie videbis rudera vel locum potius, vbi olim fuit *Circus Iulii Cæsaris*, longitudinis & latitudinis admirandæ, cuius planta se magis conspiciendam præbet, si quis conscendat collem Montorii. Vbi transieris per plateam, qua ad Ripam itur, deuenies ad S. Mariæ tranſtyberinæ Ecclesiã illustrem, quod iam eo loco conspicitur vbi olim fuit P.R. *Taberna meritoria* pro emeritis, mutilis aut corruptis bello militibus alendis. Ante huius templi summam Aram ostenditur locus, vbi ea ipsa nocte, qua Christus Bono publico natus est, exiliisse olei fons perhibetur, qui integrum illum diem larga copia fluxerit. Pergentibus eo ipso vico, vbi forum est vinarium, elegantissimi se oculis inferunt horti, vicini pulcherrimis domibus & templis, quo loco olim fuit *Armamentarium* P.R. Cuius amplitudo atque vastitas ex eius vestigiis deprendi potest, quæ adhuc clare conspici possunt.

Eadem via euntibus occurrit ad manum sinistram *Insula Tyberina*, in qua nostro tempore duo templa extructa sunt, *S. Iohannis & Bartholomæi*. Priscorum Romanorũ ætuo hæc eadem fana dicata fuerunt, hoc quidem *Ioui Lycaonio*, illud, *Æsculapio*. Ipse situs Insulæ considerantib. nauis longæ faciem exhibet. Pontibus duobus annectitur vtrinq; Tyberis ripis, quorum vnus *Pons Fabricius*, alter *Sextius* appellatur, cui nostra tempestate nomen est *Ad Quatuor Capita*. Vbi transieris Insulam, & in aduersam ripam fluminis peruenieris, via quæ ad dextram ducit, offeret se alius pons, qui nouo nomine appellatur Pons S. Mariæ, priscis olim dicebatur *Pons Senatorius*: ad cuius imum occurrunt oculis rudera veteris cuiusdam sane magni ædificii, de quo vulgus fabulatur, fuisse Palatium Pilati. stolide id quidem. Nam qui iudicio magis valent, domum existimant fuisse Nicolai Rentii, aut Palatium Vrsinorum, quod quidem posterius profiteri videntur duo versiculi supra fornicem portæ lapideæ inscripti. Eregione huius offert se antiquissimum *Lunæ* Templum, à quo haud longe aliud, quod antiquitus *Soli* dedicatum fuerat. Hæc Fana vbi transieris, videbis ingens marmor candidum, rotundum, in quo apparent lineamenta faciei humanæ, quod vulgo *Os veritatis* appellant, applicatum parietibus sacelli S. Mariæ, Cosmedinæ dictæ, vbi priscis temporibus fuit *Schola Græca*, in qua D. Augustinum docuisse perhibent.

Hinc venitur ad pedem *Montis Auentini* circa eum fluminis locum, vbi olim Horatium Coclitem Hetruscarum copiarum vim solum sustinuisse historiarum monimentis proditum est. Ad huius montis radicem iuxta profluentẽ incedentibus, directa via ad S. Pauli Fanum occurrunt vineæ ad dextrum Tyberis latus: olim fuisse ibi Horrea Populi Romani numero centũ quadraginta, ingentis capacitatis, ruinæ vastissimæ loquuntur. Ipsa vinea Dominum agnoscit Iuliũ Cæsarinum. Transita hac, offert se pratum amœnitatis, vbi priscos Romanos Olympica certamina edidisse ferunt, in quo prato videre est *montem Testaceum*, qui è ruptorum vrceorum fragminib. coaceruatus assurgit, quod antiquis temporibus figulorum ibi fuerint officinæ, qui fracta aut improba vasa testasque eo abiecerint. Intento in portam templi Paulini oculo videbis peruetustam *Pyramidem*, latam magis quam altã, sepulchrum vulgo vocant C. Cestii VII. viri Epulonum, & inscriptio loquitur.

Capto inde itinere ad lævam Ædis Paulinæ, ad S. Gregorii templum peruenies, vbi præterito Monte Auentino occurrunt ingentes ruinæ prægrandis alicuius ædificii, iuxta quas decurrit riuulus aquæ limpidæ, vbi frequens mulierum lauantium linteamina statio, subter ipsum fanum Gregorianum.

Hic locus non oscitanter inspiciendus videtur. Fuit enim apud veteres *Circus Maximus*, vbi Romani certamina equestria & aurigationes exercuerunt, & inducta aqua Naualia prælia inter cætera spectacula ediderunt. Supersunt eodem in loco tres ordines columnarum, sibi inuicem impositarum, de ingenti illo *Septizonio Neronis* siue *Seueri*.

Paulo infra has occurrunt rudera *Thermarum Antoninarum*, quibus vix quicquam admiratione dignius, à quibus haud longe absunt reliquiæ Cæmeterii Praxedis & Basilii, iuxta D. Balbinæ.

Vbi pertexeris vsque ad S. Sixti ædem, via directa versus sancti Sebastiani per angiportum peruenies ad rotundum sancti Stephani fanum, quod prisco ætuo fuerat, *Templum fauni*, vbi assurgunt structuræ lapideæ ab summo fornicatæ, quæ æquæ ductum olim sustinuerunt, inq; Capitolium vsque deduxerunt, ibi incipit *Mons Cælius*, quem si præteriueris vsq; ad Basilicam S. *Iohannis in Laterano*, occurret tibi priscum ædificiũ, instauratum & ornatum studio Sixti V. Pontificis M. Continuato itinere ad Templum quod vocatur *Crux Hierosolymitana*, ante cuius ædis portam est planta prisci Fani, quod Veneri dedicatũ fuerat, in quo meretrices Romanæ quotannis solennia sacra peragebant A. D. XX. Augusti Mensis. Nõ desunt qui dicant, Theatrum, quod est iuxta ædem Crucis, fuisse priscum illud *Statilii Tauri*, pulchritudinis & amplitudinis admirandæ, vt adhuc reliquiæ loquuntur.

Inde conuerso itinere capessenda est via ad veterem *Romam* versus Portam quæ ducit ad basilicam Mariæ Maioris, vbi occurrent *Trophæa C. Marii*, spectatu non indigna, quantum

diuturnitas temporis patitur. Transeuntibus Arcum Gallieni Triumphalem, qui hodie S. Viti nomen præfert, integer præ cæteris & elegans, apparent claues Tyburtinæ, affixæ ab ima parte circa diuersorium publicum. Et sic quidem primam VRBIS Regionem perlustrauimus.

Secundam permensuri initium capiemus à *monumento Augusti*, iuxta quod lucus est, pertingens vsq; ad Templum S. Mariæ de populo, vt vocant; obeliscus autem, qui ante paucos annos ibi humi iacuit, terra leuatus, & in atrium Basilicæ Mariæ Maioris deductus, ibiq; denuo erectus est. Ipsa porta Vrbis, quæ hodie Porta Populi dicitur, veteribus *Flaminia siue Flumentana* appellata, cohæret cum Templo Mariæ de Populo. Facta hæc est pulchrior & amplior impensis Pii IV. P.M. qui & suis sumtibus direxit *Viam Flaminiam*.

Hæc tamen se oculis elegantius infert, quando itur ad vineam illam spacioſam Iulii III. P.M. Deinceps iter conuertendum eundumq; est ad Templum S. Trinitatis vsq; ad Montem Caballinum, vbi luculenti illi *Horti Sallustiani* fuisse nõ temere creduntur. Hic est enim ille Mons Caballinus, qui veteribus *Quirinalis* fuit, vbi hodie vinea Cardinalis Ferrariensis visitur, superstitibus adhuc cryptis quibusdam subterraneis mirę vetustatis. Cumque celebrarentur à Populo Floralia, delitescebant in illis antris siue latibulis lupæ atque meretrices, prostituentes corpora. In ipsa Vinea extat Ara, Apollini sacris olim dedicata.

Hinc per angiportum *Mons Quirinalis* adscendendus est, in quo visuntur duo Equi Marmorei, Neroni Principi ab Ægypto vsq; missi, iuxta quos extat Palatium vetus, & è regione Fanum, quod nonnulli *Templum Solis* fuisse autumant. Sed hoc à veritate abire videtur, cum supersit via subterranea secreta, columnis vtrimq; exornata, ducens ab eius Principis Palatio, vsq; ad hoc Fanum, vnde verisimile est fuisse *Oratorium Neronis*. Hinc recta via peruenitur ad *Thermas Diocletiani*, ad læuam autem vineæ Cardinalis Ferrariensis exorditur vasta structura *Thermarum Constantini*, quæ se extendunt vsq; ad S. Susannæ, ad quarum Thermarum dextrum latus olim fuit *Senatulus Mulierum & Orphanotropheium*, quod ante quã Romani ingrederentur, salutabant Apollinem, cuius ara directe erat opposita.

Inde reditur ad *Thermas Diocletianas*, quarum reliquiæ & rudera hoc videntur velle dicere; nihil simile vlla ratione à posteritate extrui ædificarique posse: nec desunt Architecti, qui asseuerant, extare subter has Cuniculos siue vias subterraneas, quarum vna pertendat in Capitolium; altera ad S. Sebastiani Fanum, tertia subter ipsum fluuium Tyberim, acta in Vaticanum Montem. Post occurrit *Platea Pia* lineari rectitudine & latitudine spectanda, nomen sortita à Pio IV. P.M. qui eam strauit. Inde spectari ad satietatẽ potest admirabilis illa & plena delitiarũ vinea Cardinalis Ferrariensis, à qua non longe abest vinea Sixti V. P.M. ædificiis sumtuosissimis pulcherrimisq; exornata. Spectãtur ibi quoque horti Principis Carpensis, antiquis rebus nouisq; artificiis exculti ſſimi, vt nihil ad summũ splendorem deesse videatur. Ad finem huius tã elegantis Plateæ Piæ porta est, eodem gaudens nomine, eodem quippe structa autore.

Inde progredi potes vsq; ad D. Agnetis ędem *Via Nomentana*, vbi se offert delubrum non magnum, sed pulchritudine & antiquitate prędarũ, quod olim *Baccho* sacratum fuisse verisimile est, à quo non longe distat monumentum quoddam è lapide porphyretico, tantæ elegantiæ vt nihil fingi possit pulchrius. Sed ad Thermas Dioclitianas vt redeamus, earum pars à Pio IV. instaurata, & Virgini Matri dedicata fuit. Hinc suadeo capessendam viam, quæ ad S. Mariæ Maioris ducit, vbi in proxima vallecula occurrit Fanum Potentianæ, quo loco olim *Thermæ Nouatianæ* extiterunt. Supra vicinum Collem erant antiquitus *Thermæ Olympicæ*, ab vno montis latere ad alterũ pertinentes, hodie ibi visitur S. Laurentii monasterium. Vbi autem S. Mariæ Maioris Basilica hodie spectatur, fuit prisco æuo *Fanum Isidis*, quod in magna apud Romanos erat Veneratione: & quo nunc loco S. Lucæ sacellum est, olim fuit lucus Iunoni Sacer, quæ præ cæteris Deabus Romæ colebatur; includitur autem hoc tempore vineæ Sixti Pontificis.

Paulo superius, vbi hodie floret Vinea Antonina, spectabatur olim prædiues & stupendum illud *Templum Dianæ*, cui quotannis Romani sumptuosissima sacrificia offerebant: ex aduerso cuius extat ædes D. Martini; olim fuit *Templum Martis*, credo ob similitudinem nominis: quod vbi præterieris, incides in vicum, qui recto tramite ducit ad S. Petrum in Vinculis. Hunc ne ingreditor, sed deflexa parũ ad læuam via proximam plateam insiste, vbi miræ structuræ domum offendes, quam Titus Imperator extruxisse perhibetur tunc, cum Pontifex Maximus factus fuisset.

Hanc arbitratus oculis descende paulisper, progressus intra vineas, vsque ad Conuentum Monachorum D. Clementis, ibi peruenies ad stupendam illam molem Theatri (potius Amphiteatri) *Titi & Domitiani* Principum, quod hodie *Colossæum*, nescio qua ratione, vocant, cuius structura omnem superat admirationem, cum constet, octoginta millia hominum satis laxe & commode sedentium spectare ibi potuisse. Opponitur huic altrinsecus *Arcus Constantini*, satis integer & spectatu dignus. In propinquo horto Religiosorum S. Mariæ Nouæ visuntur adhuc reliquiæ & maceriæ *templi Serapidis*, vnde transeundus est *Arcus Vespasiani*, erectus in honorem eius Principis, post expugnatam Hierosolymorum Vrbem, cum Triumpho Romam ingredientis. Progressus paulum videbis *Templum pacis*, quod prope totum collapsum est, & è regione huius *Montem Palatinum*, qui nostra tem-

ſtra tempeſtate totus appellatur Grande Palatium. eſt ibi famoſa illa Farneſiorum vinea. Proxime ſtat antiquum *Templum Romuli* ſiue Quirini, quod mutato nomine hodie Coſmo & Damiano ſacratum eſt: iuxta quod Fanum *Marci Aurelii & Fauſtinæ* vxoris eius, filiæ Antonini Pii, cuius Palatium à poſtica huius Templi parte extat. Huic oppoſita eſt *ædes Veneris Genitricis*, mirę fanum pulchritudinis, quod abolito profanitatis ritu noſtro æuo dedicatum eſt *S. Mariæ*, quam *Liberatricem* appellant.

Tres illæ columnæ, quæ adhuc è multis ſuperſunt in Campo Vaccarum, perhibentur ſuſtinuiſſe Pontem, qui à Capitolio ad Grande Palatium olim pertigiſſe creditur, ferunt que ibi priſco æuo extitiſſe *Lacum Curtium*.

Vbi autem nunc Templum illud extat, cuius valuæ ære fuſæ ſunt, haud longe ab Arcu Septimii Seueri, arbitrantur nonnulli fuiſſe *Ædem Saturni*, vetus *Ærarium* P. R. hodie appellatur ad Diui Adriani. Arcus ille quem Septimii Seueri diximus, excellit pulchritudine, in ipſius plateæ angulo ſpectatur *Marforii* ſimulacrum. Ab altera huius Arcus Septimiani parte, vbi tres columnæ eminent, *Concordiæ Ædes* fuit: & hac quidem ratione ad *Capitolium* peruenimus, ad cuius radices priſco æuo ſtetit *Templum Iouis*, quod vbi cum ipſo *Capitolio* flammis periit, non eſt refectum poſtea. Fuerat huic vicinum *Fanum Cereris*, vbi eſt ſtatua equeſtris M. Aurelii Principis, ære fuſa. Situs huius loci talis eſt, vt inde vniuerſam prope *Vrbem* contemplari queas, iucundiſſimo ſpectaculo. Conuerſo itinere progreſſus ſupra dorſum Montis Capitolini, inuenies ciſternas profundas, quarum vſus apud veteres fuiſſe creditur, vt ibi ſeruaretur frumentum publicum, fuitque priſcum huic loco nomen, *Horrea Romanorum*. Digreſſis hinc ſe offert *Arcus Boarius*, vnde conſpici poteſt *Theatrum Marcelli*, quod hodie in priuatos vſus conuerſum eſt: olim in eo erat delubrum pietatis.

Vbi verſus forum piſcarium te conuerteris, incides in locum, in quo olim extitit *porticus Octauiæ* ſororis Auguſti, cuius præter veſtigia nihil hodie ſupereſt: in ipſo aditu fori piſcarii offert ſe *Porticus Septimii Seueri*. Profectus hinc in *Campum Florę* peruenies, vbi offeret ſe tibi Palatium Vrſinorum, quod olim fuit *Theatrum Cn. Pompeii* cum Porticu eiuſdem.

Non longe ſpectabis elegans illud Palatium ad caput Ferreum, à quo haud multum abeſt pulcherrima domus Farneſiorum, tam magnificentia ſtructuræ, quam antiquis monumentis ſpectanda.

Sed vt ad tertiam *Vrbis Regionem* properemus, faciamus huius initium *à campo Martio* quem hodie Locum columnæ vocant, quod ibi emineat *Columna Antonini Pii* ad altitudinem centum ſeptuaginta ſeptem pedum Geometricorum.

Ad huius apicem adſcenditur ſcala cochleata, gradibus centum quadraginta feneſtris quinquaginta ſex inſtructa. Quam vbi ad ſatietatem ſpectaueris, deflectas ſuadeo ad manum dextram, vbi eſt locus carceris, vnde deuenies accliui deſcenſu vſque ad *Virgines Veſtales*, quæ olim ædes in ſummo apud Romanos fuit precio: noſtro æuo ibi educantur orphani & expoſititii. *Columna Traiani*, ad quam remetiendo viam ſuperiorem præterita S. Marciæ de peruenitur, in altum aſſurgit vſque ad centum viginti tres pedes: ad huius ſummitatem conſcenditur gradibus 155. feneſtræ in ea numerantur quadraginta quinque. Redienti poſteriore via offeret ſe *Templum Mineruæ*, quod antiquum nomen etiamnum retinet, quanquam priſca ſtructura corruerit cũ vicinis ædificiis. Hoc loco prope exciderat mihi monere, ſi quos cura viſendi Archetypa & rara artificum opera tangit, ſiue ea ſculpta ſiue picta fuerint, inquirat in monte Citorio, quo loco ſit domus Hieronymi Garimberti, in qua ea tẽpeſtate, qua hæc ſcribebamus harum rerum erat affluentia. Haud longe ab hoc loco ſpectandum ſe exhibet celebre illud M. Vipſanii Agrippæ *Pantheon*, in quo antiquitas cum elegantia fabricæ certare videtur, hodie Mariæ Rotundæ Baſilica nuncupatur: à qua non longe abfuerunt olim *Thermæ Agrippinæ*, eo nimirum loco vbi venduntur in præſens tabulæ lignęæ: vti poſt Euſtachii fanum viſuntur reliquiæ *Thermarum Neronianarum*, ſatis elegantes & ſpectatu dignæ. In ima huius loci parte ſub Magno illo Vrſinorum Palatio ſtat ſimulacrum *Paſquini*, cuius vſus quis ſit, nemo eſt qui ignoret.

Et hæ quidem ſunt res ſpectatu ob antiquitatem dignæ, atque celebriores apud Hiſtoricos, quæ Romæ ſuperſunt, deſcriptæ à nobis ea qua potuimus diligentia. Iã ad alia nos cõuertemus.

Romulo regnante complectebatur Roma 4
Montes duos, Capitolinum & Palatinum, cum valle quæ inter vtrumq; intercedit media. Portas habebat tres; primæ nomen erat *Trigonali*, quod in trianguli modũ prominebat ad radicem Collis Palatini: ſecũda dicebatur *Pandana*, quod ſemper aperta panderetur, eoq; nomine & *Libera* appellata, ob ingrediendi & exeundi commoditatem: tertia erat *Porta Carmentalis*, à Carmenta Euandri matre ſic vocitata, qui ibi habitaſſe creditus eſt: dicta etiam eſt *ſcelerata*, quod per hanc egreſſi trecenti Fabii pugna contrà Hetruſcos occubuerant vno die omnes, ad Arnũ fluuium. Deſtructa autem Alba ciuitate, conciliataq; pace inter Sabinos & Romanos, creſcente que populo prolata ſunt Vrbis pomœria, ad eam amplitudinem, vt ſeptem Montes, vnde *Vrbs Septicollis* dicta fuit, complecteretur ambitu murorum, in quibus Claudii Principis æuo ſtabant ſexcentæ & triginta turres lapideæ, cum vicies bis mille fornicibus. De iplorum murorum complexu diuerſimode loquuntur ſcriptores, quibuſdam quinquaginta millia paſſuum, aliis triginta duo, poſtremo nonnullis viginti octo eis attribuentibus. Noſtro æuo mœnia Romana non niſi ſedecim millia habent in circumferentia, incluſis ſimul Trãſtyberina regione & S. Petri ſuburbio.

De numero portarum Vrbis nõ magis quam

5 de ambitu concordant authores, sed nec in nominibus eatum valde consentiunt. Alii enim triginta numerant, alii viginti quatuor. Hodie non nisi octodecim patent, quibus ad septem colles inclusos diuersis acceditur viis, estque vniuersa Roma diuisa in quatuordecim partes siue *Regiones*.

Inter ipsas portas principem locum obtinet ea quæ dicitur Porta Populi, antiquis vocabatur *Flaminia* siue *Flumentana*. Altera dicitur vulgo Pinciana, olim erat *Collatina*. Tertia Salaria, quæ priscis *Quirinalis* & *Agonalis*, per hanc ingressi sunt Galli Senones, cum captam Vrbem spoliarent. Sanctæ Agnetis porta veteribus dicta fuit *Nomentana*, *Figulensis* & *Viminalis*. S. Laurentii erat *Tiburtina* & *Taurinensis*. Pro *Labicana*, quæ eadem & *Nœuia* fuit atque *Prænestina*, hodierni Romani Portam Maiorem dicunt. Ad S. Iohannis fuit olim *Calimontana* quæ & *Septimia* atque *Asinaria*. Porta *Latina* veterum hodie est Florentina. S. Sebastiani olim *Appia* fuit & *Capena*. Per hanc ingressus est M. Horatius, vnus è Tergeminis fratribus, cum vicisset Curiatios; quem secuti sunt posterioribus annis bona pars Triumphantium. *Ostiensis* quæ eadem cum *Trigemina*, per quam Fratres Horatii exiuere, modo S. Pauli dicitur. Quæ hodie Ripensis, olim fuit *Portuensis*. Quæ priscis *Aurelia* nostris Pancratiana est. *Septimiana* eadem quæ Fontinalis. Torrionam vocant eam, quæ prisco ævo *Posterula* fuit. Quam S. Spiritus dicunt, veterum *Pertusa* erat, Cenella olim *Anniensis*.

6 Viæ principales numerabantur in Vrbe viginti nouem: quanquam vnaquæque porta peculiarem haberet. Celeberrima inter has fuit *Via Appia*, dicta ita, quod eam Appius Claudius Censor strauisset, duxitque ea à Porta Capena Vrbis Capuam vsque. Traianus Princeps hanc instaurauit collapsam, continuauitque in extremum angulum agri Brutii Brundusium vsque. Dicta hæc fuit Regina viarum Publicarum, quia hac multo maxima triumphantium Imperatorum pars Vrbem ingressa est. *Via Flaminia* ab C. Flaminio Consule strata ac denominata fuit, perrexitque à Porta Flumentana Ariminum vsque. Hæc alias quoque appellata fuit *Via Lata*. *Via AEmilia* debetur Lepido & Flaminio Consulibus, pertexitque olim vsque ad Bononiam. *Via* Suburana ordiebatur ab Amphitheatro Titi, tendebatque vsque ad S. Lucæ Fanum in Orpheo. *Via Sacra* incipiebat ab Arcu Constantini, ibatque per Forum Romanum vsque ad Arcum Titi ipsumque adeo Capitolium. *Porta Noua* secabat Grande Palatium, pergebatq; iuxta Septizonium vsque ad Thermas Antoninianas. *Triumphalis* à Vaticano ad Capitolium ducebat. Hanc collapsam Vespasianus Princeps instauravit, vt loquitur vetus inscriptio in marmore, quod videtur in ipso Capitolio ante Palatium Conseruatorum. *Via Vitellia* ibat à Monte Ianiculensi vsque ad Mare. *Via Recta* erat in Campo Martio.

Inter septem montes siue colles quibus vniuersa Vrbs innitebatur, celeberrimus erat *Capitolinus*, qui idem & *Saturninus* atque *Tarpeius*. Nostri Itali corrupta voce Campidoglium vocant, seruato veteris nominis vestigio. Numerabantur veterum ævo in hoc monte sexaginta templa, delubra ædesque diuersis Idolis consecratæ, in quibus primum locum obtinebat Templum Iouis Capitolini. Hoc Victores peracto triumpho ingredi solebant, acturi gratias pro acquisita victoria. *Mons Palatinus*, qui hodie Palatium Maius vsurpatur, desolatus non habitatur, coopertus totus vinetis, in quorum medio turris lapidea assurgit. Hic Romulus primo antiquam Vrbem moliri cœpit, quia eo in loco nutritus fuisset. Heliogabalus Princeps eum magna ex parte strauerat lapide Porphyretico. Mons *Auentinus* idemque *Querquetulanus*; vltra duo millia ambitu suo complectens is est, cui nostro ævo S. Sabinæ Fanum inædificatum cernitur. *Mons Cælius* S. Iohannis & S. Pauli Templa sustinet, tenditque vsque ad Lateranum. *Exquilinus* is est, vbi hodie Basilica S. Mariæ Maioris & S. Petri ad vincula. *Viminalis* S. Laurentii & Potentianæ ædes sustinet. *Quirinalis* is fuit (qui & Agonalis) vbi hodie equi duo marmorei spectantur, opus alter Praxitelis, alter Phidiæ: vnde Collis ipse hac tempestate Mons Caballinus dicitur. In *Ianiculo* est Templum S. Petri Transtiberini.

Præter hos altiores comprehenduntur mœniorum Romanorum ambitu alii minores, nec pari cum superioribus celebritate, vt *Vaticanus*, in quo hoc ævo summa cum admiratione spectatur Templum D. Petri & famigeratum illud Pontificis Palatium: itemque *Citorius* vero nomine Citatorius dictus, quod inde citarentur tribus ad ferenda suffragia creandis nouis magistratibus. Præter hos *Hortulanus* siue *Collis Hortulorum* incipiens à Porta Salaria, tendensque vsque ad Flumentanam, vnde Candidati, Magistratus petituri descendebant in Campum Martium, ad prensandum populum.

Regiones Vrbs olim habuit quatuordecim, hodie vna minus. *Montana*, cuius insigne tres monticuli: *Columnia*, cuius signum erecta columna: *Troiana*, tres gladios præferens; *Eustachiana*, simulacrum Saluatoris intra duo cornua deaurata ostentans: *Pontana* Pontem pingit: *Regularis* ceruum: *Ripensis* rotam præfert: *Transtyberina* Leonem: *Capitolina* caput Draconis; *Bariona* Gryphium alitem: *Pignana* vas siue cupam: *Campo-Martiana*, quæ Lunæ insigni gaudet, vt Regio *sancti Angeli* Genio alato.

Septies Vrbem Romam à diuersis populis 7
ac nationibus captam spoliatamque Historiarum fides habet. Primum anno A.V.C. CCC LXIIII. cum Galli Senones Duce Brenno eam occupauerunt. Deinde octingentis annis post, capta est à West-Gothis, quos corrupte alii Vestrogothos alii Visigothos appellant. Quarto & quadragesimo anno post *Vandali*

eam

tam Iuri iuris fecerunt, quos secuti post decimum octauum annum *Heruli* eam occupauerunt, qui & quatuordecim annis obtinuerunt, donec per *Osto-Gothos* eiicerentur. Elapsis denuo duodecim annis *Totilas* eam cepit ac pene euertit. Postremo anno AN. C. CIↃ IↃ XXVII. expugnata est ab exercitu Caroli V. Imperatoris, constante è Germanorum & Hispanorum copiis Veteranis, ductore Burbonio Duce, ad d. VI. Maij mensis. Quanquam autem toties oppugnata, capta, direpta, magnaque sui parte flammis exusta fuerit, destruentibus & vastantibus Barbaris, quidquid ibi inueniebant precio sum aut spectatu dignum: ea tamen est adhuc semirutæ Vrbis facies, ea amplitudo, plateatum vicorumque splendor ac rectitudo, ædificiorum templorumque magnificentia, vt non solum spirare veterem Romam, sed etiam loqui priscam maiestatem videatur: quæ *Vrbs vna fuit munebitq;* Sed nos iam ad prouincias terrasque Pontificis M. redire ordo scriptionis iubet.

Igitur *Latium*, quæ regio hodie Campania Romana dicitur, diuiditur in Antiquum & Nouum. Illud initium capit ab ostio Tyberis fluuii, tenditque ad Circæum montem per quinquaginta millia passuum. Hoc à monte Circæo ad amnem vsque Clanium extenditur. Fuit autem Latium priscis temporibus frequentissimis oppidis villisque cultissimum, quibus vicina Roma claritatem attulit, Barbarorum vero irruptiones vastitatem. In hac regione sita est Inclyta illa Roma: præter quam alia quoque oppida minora, Ostia, Ardea, Neptuni oppidum quod è ruinis veteris Antii surrexit, atque Terracina, & hæc fere maritima. In interiore Latii parte Prænestе, Tybur, Anagnia, Frusinum, Villa Lucullana, Verulum, Alatrium in Hernicis, Baucum & Segnia. Vniuersa hæc Italiæ regio nostra tempestate diuiditur in tres partes: prima est Latium: altera Campania Romana siue Ager Romanus: tertia dicitur Maritima. Pontificis imperium desinit ad oppidum Terracinam, contra quam sita est antiqua illa Caieta, clauis & velut porta Regni Neapolitani.

Patrimonium Petri, quod Mathildis fœmina princeps Romanæ Ecclesiæ testamento legauit, cum Papatui præesset Paschalis pontifex, circa annum AN. C. CIↃ C. incipit ab Aterno fluuio, vbi mare ingreditur sub monte Argentario, tenditque vsque ad Ceperanum. Intra Quianam & Tyberim lacus est *Thrasymenus*, clade Romanorum sub Flaminio accepta nobilis, & paulo vlterius *Perusia*, oppidum non incelebre. Intra autem Tyberim & fluuium Floridum, Petillianum, Aquapendens, Oruietum, diuturna obsidione, puteo, & Templo nobilitatum. Volsena insuper, cum lacu eiusdem nominis, Mons Faliscus, Velitræ, Nepila, Castrum, Viterbium, vbi diu hæserunt pontifices Romani, cum à Senatoribus Romanis exagitarentur: præterea nouæ quædam ciuitates modicæ, Ortea, Galesus, Ciuitas Castellana; & inter littorales Tuscanella, Vetus Ciuitas, Portus Nouus, Arsena super lacum Sabbatinum, Rom. hilio, Sutrium, Martinianum, quo loco olim Veii steterant.

Transito Tyberi *Vmbria* occurrit, quæ prope 10
omnis hodie Ducatus Spoletani nomine censetur, magnaque ex parte Apennino inumbratur, vnde regioni nomen natum existimant. Præcipua eius oppida sunt Burgum sancti sepulchri, Ciuitas Castellana, Tudernum, omnia Tyberi imposita, præterea Interamnia, Spoletum, Folinium, Nursia, Assisium, Nuceria, Camerinum & Amecia.

Ager Sabinus vndiq; prope Apennino monte includitur, extenditur in longitudinem secundum Tyberim vsque ad Nomentum in latitudinem haud multum patet, cum multo sit angustior. Cæteri limites sunt, hinc quidem Nar fluuius & Apennimus Mons, illinc Tybris & Anio, qui posterior Sabinos separat ab Æquicolis. Præcipui nominis Sabinorum oppida fere sunt: Reate, Narnia, Ocriculi, Mollana, Fabarinum, Palumbaria.

Anconitana Marca extenditur intra Apenninũ 11
& Mare, incipitq; à Druento fluuio, & pergit ad Isarum (qui hodie Folia) amnem. Continet hæc regio multas præclaras vrbes & oppida, in quibus vndecim Episcopales. Ipsa Anconitana Vrbs mercatu & nauigatione celebris est, superatur tamen à Firmo robore & munitionibus, nec non ab Algido. Inter elegantiores habetur Asculum, magnitudine victum ab Iesio. Macerata authoritate pollet, eo quod Rector totius prouinciæ ibi habiter. Auximus antiquitate insigne est oppidum: vt Lauretum sanctitate.

Romania, quæ priscis *Flaminia*, exorditur ab a- 12
mne Isaro, tenditque vsque ad Scultennam fluuiolum, & ab Apennino monte ad Padum. Oppida eius præcipua sunt, Ariminum, Cesena, Fauentia, Rauenna, Forum Lanii, Imola, Sarsina, Ceruia cum nonnullis aliis minoribus. Sex millibus passuum à Fauentia abest Brisiguella, caput vallis Auenensis, quæ vallis in longitudine decem milliaria habet, in latitudine sex, alitque ad sedecim habitatorum millia. Inter omnes nobilitate excelli *Rauenna*, ne ab Cæsaribus quidem contempta, quos nonnullos ibi habitasse constat; post facta est sedes atque domicilium Imperatorum Constantinopolitanorum. Cum autem horum Exarchorum, frequens in Historicorum scriptis occurrat, mentio, non abs re fore duximus, si de ipsius Exarchatus initio, progressu & fine hic quædam dicamus. Igitur & dominium & nomen hoc tũ ortum est, cũ Narses Dux copiarum Iustiniani & post hunc Iustini Principum, Gothos armis Italiã expulit, ibi demum primus Exarchus cum summa post Imperatorem potentia constitutus est *Longinus*, qui sedem sibi fixit Rauennæ, vbi antea Gothorum Reges habitauerant. Mutauit hic pristinam regendi prouincias rationem, missis in singula oppida, quæ maioris momenti videbantur, singulis præfectis militum sublato quoq; in ipsa Vrbe Roma Senatu Consulibusque. Magna igitur fuit Exarchorũ per Italiã potẽtia, donec in

in Insubriam irrumpentium Longobardorum vi extincta est. Eo tempore, cum Pipinus profligato Haistulfo Romanæ Ecclesiæ Exarchatū tribuisset, continebantur eo hęc oppida: Rauenna, Sarsina, Clastidium, Forū Liuii, & Forum Pompilii. Hæc oppida cum quinque essent numero, indiderunt regiunculæ nomen *Pentapolis*, quæ peculiaris prouinciæ iure censebatur. Præter hæc comprehendebat Bononiam, Regium, Mutinam, Parmam, Placentiam, cū nonnullis aliis, quæ intra Apenninum montem & Padum fluuium cohercebātur. Expirauit hæc Exarchorum potentia anno A.N.C. 10 CCLI, quo Haistulfus Longobardorum Rex Rauennam cepit: adeo vt non vltra CLXXXIII. annos durauerit. Vbi forte consideratione non indignum est, quod Romani Principes, inter quos Honorius: post hos Reges Gothorum: postremo Exarchi Imperatorum per Italiam, Rauennam non indignam iudicauerint, quam sibi in domicilium eligerent, præteritis cum ipsa Roma tot nobilissimis & antiquissimis ciuitatibus.

Gerebant autem se fere insolentius Exarchi, cum summorum Pontificum iura frequenter labefactarent, quam rem in exemplum rapuerunt Archiepiscopi Rauennates, vt in Romanos pōtifices insurgerent, duraruitque hoc dissidium à temporibus Smaragdi vsque ad Domnum, siue vt aliis placet, Agathonem Papam. Cum enim Theodorus Archiepiscopus videret, authoritatem suā apud Clericos suos labascere, vt eorum vlciscereturinsolētiam, submisit se & Ecclesiam suam potestati Pontificiæ. Omnis hæc prouincia antiquitus appellata fuit Flaminia (vt supra quoque monuimus) cæterum *Carolus Magnus*, vt in perpetuum Exarchatus aboleret memoriam, & populū pontifici magis redderet fidelē & obnoxiū, voluit vt deinceps ROMANI a nominaretur.

13 *Principatus Ferrariensis* magnus est & opulentus. Nam si huic includatur Mutina cum agro suo, longitudo eius extendetur à Mari Adriatico vsq; ad Tyrrhenum, quod spatium circiter centies sexagies mille passus continet; latitudo eius circiter quinquaginta. Nam ab ostio Spinestico vsq; ad Sagim (hodie Magnauaccam vocant,) millia numerantur nouem; à Magnauacca ad Iolanum decem & octo, inde ad Gorium totidem, hinc vsq; ad confinia dominii Veneti sex. Ab altero latere, quo spectat Insubres, sunt à S. Ambrosii fano, quod est agri Bononiensis oppidum, vsq; ad Forum Gallorum, (Castello Franco nostro æuo nomen est) millia passuum quinque. A Mutina ad Regium Lepidi numerantur quindecim millia: ab Regio Lepidi ad Verulum totidem. Latitudo huic prouinciæ non vbique par, alibi angustior alibi latior. Est ager Ferrariensis vicinus Bononiensi & Rauennati, confinis etiam alicubi Venetorum prouinciis. *Comitatus Mirandæ* ei velut limitaneus est, vt & *Ducatus Mantuanus* apud Stellariam. Præter Ferrariam & Regium habet etiam Portum Capraliæ cum agro vicino, intra paludes exonerantis Eridani, marisque Adriatici, *Comachia* nomine hodie insignem: nec non alia per Flaminiam castella & arces cum Graphiniano Herruriæ: postremo *Carpos*, oppidum non exigui nominis, & quod velut Cor aut Vmbilicus prouinciæ existimatur. Donauit hoc oppidum *Carolus Quintus* Imperator *Alfonso Estensi*, duci Ferrariæ, cum Marco Pio, Carporum Comite, criminis læsæ Maiestatis damnato, principatus is ad Carolum V. Imperatorem, legibus Imperii deuolutus fuisset. Et Alfonsus quidem ad hunc modum Carpis potitus, Marco Pio in solatium amissæ ditionis Saxolam cessit. Cæterum Leonellus Pius, cum decedere suis per Carporum agrum ditionibus nollet, nec vllis æquis rationibus, vti id faceret, perduci posset, consentiente Carolo per Alfonsum omnibus possessionibus armis pulsus est. Ne autem querelis locus esset, Ferrariensis dux centum scutatorum millia Venetiis apud Trapezitas deposuit, donec finiretur controuersia: quod aurum Leonellus recipere noluit. Ambitus ciuitatis Ferrariensis continere creditur sex aut septem millia passuum, ipsa vicis ac plateis elegantissimis, magnificisque spectanda Palatiis. Est in ea Templorum & monasteriorum numerus non exiguus, cum Arce tanto principe dignissima. Floret insuper Academia siue, vt vocant, studio vniuersali, in quo semper cum doctissimorum virorum, tum studiosorum adolescentum magna fuit multitudo.

Præter hæc omnia Pontifici Romano paret 14
quoque Comitatus Auinionensis in Gallia, cuius hæ sunt præcipuæ ciuitates: *Auinio*, *Carpentoracte*, *Cauillio*, *Vesonium*, quas alluunt partim *Rhodanus*, partim *Druentia* atque *Surga* amnes. præter hæc quatuor numerantur in illa regione oppida minora muris cincta circiter octoginta. Emit autem Clemeus VI. P.M. Auinionensem Vrbem ab Iohanna Regina, filia Roberti Apuliæ Calabriæque Regis Anno A.N.C. CIↃ CCCLII. Comitatu ipso *Reimundum Tolosæ Comitem* ob Hæreseos crimen excidisse perhibent. De Auinionis ciuitatis origine nihil certi habemus: illud videtur memoratu dignū, quod prope omnia quæ celebriora continet, septenario numero habeat: septem Templa Parochialia, vt vocant, septem domos hospitales, septem monachorum conuentus, totidem monasteria Vestalium, septem Collegia Sacerdotum & totidem portas in mœnibus. Magnum Auinio & celebre acquisiuit nomen ob Sedem Pontificiam, quæ ibi fuit annis continuis septuaginta, à Clemente quinto, vsque ad Gregorium vndecimum.

NATVRA ET INDOLES TERRAE.

AGer Romanus, totaque adeo Flaminia solo 15
gaudet cūprimis vbere ac fœcūdo, omniū rerum bonarū ferax, multisq; fluuiis ac riuis est irriguū. Vbi terra asperior est & petrosa, gignit pabulū pro pecudibus, nec lignorum ad focum expers. Vmbriæ prouētus copiosus facit, vt frequētissime habitetur, nec desunt qui scribāt, pecudes adeoq; omnia prope animalia, q̄ alibi monotoca

notoca sunt, binos ibi ventre fœtui fundere. Ipsa humus potissima sui parte plana est, collibus hinc inde velut consperſa, qui sunt admodum fertiles. Ager Ferrariensis fere campestris, aspectu amœnissimus, vt & Bononiensis, Foroliuiensis, Rauennas Romanusque. *Cornelius Tacitus* magnis laudibus præ cæteris Italicis vehit Reatinum & Interamnensem.

Narrat Plinius, tantam esse pratorum Interamnensium bonitatem, vt irrigata riuulis quater quotannis metantur. In quæ autem aqua ob loci incommoditatem deduci non possit, ter fœnũ gignant. Cæterum telluris fœcunditas ex vlla alia re melius deprehendi non potest, quam ex brassicæ caulisque ac raporum magnitudine. De territorio Reatino idẽ scribit Plinius, quod herbæ per diem sectæ in tantum sequẽte nocte succrescant, vt baculus siue pertica humi abiecta, cooperta gramine, altero die videri vix queat. Quidquid autem interest inter Hipsellum & Spoletum agri, omne colitur seriturque, gignitque fecalen & triticum præstantissimum. Est autem illud spatium sane longum, quod cum quatuor milliaria latum sit, ad octodecim in longitudinem extenditur. Eadem laus campis qui intercedunt inter Assisium, Perusiam & Tudernum: quibuscum certat ager Romanus & Viterbiensis. Terræ Bononiensis, totiusque adeo Flaminiæ id est ingenium, vt præterquam ea parte qua leni decliuitate ad Apennini montis radices accumbit, tota distinguatur in planicies, colliculos & valles amœnissimas. Piceni, in quo Anconitana Marca, ea est præstantia, vt natura secum ipsa certare videatur, amœnitate superet an fœcunditate. Ariminum autem, Fanum Fortunæ, Asculum, & quicquid est terrarum ad ostium Druenti amnis, Firmum item, Perusiamque, meras delicias qui dixerit, non mentietur. Abundantia ibi omnium bonarum rerum, & velut Copiæ Cornu, tritici, pabuli, vini oleique, cuius magna pars ad exteras quoque gentes exportatur. Nec destituitur lacubus, inter quos palmam fert *Perusinus*, piscibus abundantior quam quiuis Italiæ lacus. Huic succedunt Vulsinius, Sabbatinus, Albianus, Pedolucanus, Subiacenus, Pisaurensis cum minoribus aliis, quos omnes referre non est operæ pretium.

16 Has Pontificis Summi per Italiam possessiones duo maximi celeberrimique fluuii perluunt, *Padus & Tyberis*. Minores præterimus, quorum solus Tyberis septuaginta duos exhaurit, partim fluuiolos, partim torrentes riuosque. Apud Tybur Herculeum & Nomentum Thermæ sunt natiuæ, vt & apud Stilianum, Vicum Aurelii, Anticulum, Viterbium, alibique. Effoditur apud Strolbium oppidum magna vis *aluminis* è terræ visceribus, apud Ostiam autem, Ceruiam, & Comachium ex aquis marinis beneficio Solis *sal* excoquitur. Ad Caprasiæ Portum felix anguillarum captura est, quæ cæteras per Italiam magnitudine superant. Quod circa Fauentiam crescit linum, bonitate excellit, cui secedere cannabis Butriensis & Perusina negat: Isatin herbam ager Bononiensis fert atque Foroliuiensis; apud fanum autem Laurentii *Manna* in vsus medicos colligitur.

De *Vini* generibus & præstantia iudicium ferre nequaquam constitutum mihi est: id saltim dicam, Flaminiam omnem, Vmbriam, agrum Sabinum, Patrimoniumq; vniuersum, gignere vinum laudatissimum. De Cesenati, Fauentinoq;, vt & de Ariminensi, Oruietano, Tudernati, Albano, & Rege cæterorum Falerno nihil dico, ne idem mihi contingat quod olim Homero. Taceo de vuis Amineis, San-Geminianis, Narniensibus, aliisq; quæ se vel me silente bonitate sua commendant.

17 Quid dicam de cæterarum rerum, quas terræ istæ gignunt aluntq; præstantia? Ager Romanus, Latium, totaq; Vmbria nutrit boues corporis & roboris eximii, quorum carnes vt & vitulorum saporis sunt scitissimi, nec minus commendatur porcina, inprimis montana quercu pasta. Venatio ibi & aucupium frequens, inprimis circa Sermonetam, Terracinam & Neptuni oppidũ, vbi reperiuntur apri non vsitatæ magnitudinis. Alit Latium equos generosos, qui celeritate & pulchritudine non multum cedunt Calabris Apulisq;. Syluæ ibi frequentes fagis quercubusq; glandiferis consitæ, non tantum saginandis poreis, sed & cædendæ materiæ perutiles. Nec Latomiis destituitur, cum multis in locis saxa cædantur ad ædificia excitanda aptissima; præcipua autem laus est lapidi Tiburtino, qui exiguo labore eruitur facileq; secatur.

Est autem id huius lapidis ingeniũ, vt non solum resistat omnibus tempestatum iniuriis, ætatemq; perbelle ferat, sed & ipsa vetustate melior duriorq; euadat.

Ager Picenus, in quo Marca Anconitana, vndiq; collibus leniter assurgentibus intumescit, in quibus magna vis prouenit olei, vini, frumentiq; laudatissimi: cui non multum cedit comitatus Auinionensis in Gallia prouincia, præcipue de vini præstantia, quo vix vllum generosius bibitur per totum Francorum Regnum. Tritici & fructuum arboreorum ea est bonitas, vt nulli regioni cedere debeat, quod apparet in ipso oppido Auinionensi, quo ab vicinis partibus tantum comportatur fructuum, quos & species & gustus mire commendat, vt qui oculis non fuerit arbitratus ipse, ad animum vix admittat.

Et hæc quidem sunt bona, quibus terræ ac diti- 18
ones Romano Pontifici subiectæ gaudent abundantque. Cæterum cum nihil sit ab omni parte beatum, non erit, vt opinamur, alienum ab hoc loco, etiam persequi defectus eatum. Igitur sciendum est, regionis alicuius perfectam bonitatem in sex rebus præcipue consistere. Vt aer, quem mortales nos reciprocamus, sit purus & laudabilis: aquæ salutares: agricultura frequens: negotiatio commoda: habitatio secura: postremo magnus incolarum numerus; nam ab hoc vltimo cætera prope omnia dependent. Iam 19.

primum

primum vt de aere dicamus, fatendum est, eum in his partibus non vsque adeo bonum esse; nec enim per vniuersum ferme Latium Vmbriamque, inprimis autem loca maritima, ea est quæ esse debebat illius puritas & salubritas.

Sunt qui causam huius incommodi assignent densis frequentibusq; syluis & paludibus, quas æstuantis maris alluuies gignit, præcipue in locis maritimis.

Nec alia ratione huic malo obuiam iri posse videtur, quam vt excisis nemoribus solum in arvum conuertatur, & extersis paludibus vapores cohibeantur in posterum; vtilissimum autem foret, si grandia hinc inde excitarentur ædificia ad habitationem hominum.

Nec enim ager Romanus Latinusq; pro bonitate sua habitatur, sed rari disperſiq; coloni ægrotare videntur ac male habere, non tantum ob aeris insalubritatem, sed & quia humi dormiunt, male tecti, interdiu solis ardoribus perusti, noctu lunæ radiis expositi, cui quidem rei non alia magis ratione caueri rectius posse videtur, quam bonis commodisq; habitationibus, quarum beneficio à cœli & meteororum iniuriis tecti, & à pernicioſis austris immunes esse queant.

Etsi autem plurimum difficultatis hæc res habere videatur, non tamen abiicienda spes esset, si principes tantum studerent saluti populi & posteritatis, quantum intenti sunt ad exactiones & tributa plebis corroganda.

Notum enim est, quam ob causam Antium, Vifernum & Ardea ob insalubritatem male audiant, cum aer horum oppidorum cæteroquin adeo malus non sit. Lacus Pontinus, olim quatuor & viginti villis in ripa habitatus, exhaustus deterſusq, fuit, solo magna ex parte in aruum redacto, primo per Cethegum, deinde per Theodoricum, Regem Gothorum, cum diuturnitate temporis illuuies aquarum eum denuo compleuisset.

Idem longe post facere aggressus est Sixtus V. P. M. paulo antequam obiret diem suum, non tam sumtibus suis quam auctoritate rem tentans, qua quidem industria factum est, vt multum accresceret agri Setientibus & Priuernatibus, correcto etiam circa Terracinam aere, extructisque hinc inde multis apothecis & granariis.

Est autem tanta res non alia magis perfecta ratione quam pertinaci labore & sumtibus continuis, quibus alueus Vsentis riui coarctatus, expatiari aquas in campestria passus non est, sed per vsitatum ostium mare iussus ingredi, obstructuris canalium apertis, fossaque depressa.

Cum autem sumtus hic tantus priuatorum modum captumque superet, nec nisi opulentorum principum fortunis conueniat: factum est, vt sublato è viuis summo Pontifice, ciuibus & accolis sumtuum magnitudinem non ferentibus, res optatum finem consecuta minime sit: quod tamen fieri potuisset, si ipsa Vrbs Roma & oppida propinqua, quæ cum re lauta sunt ærariasua aperuissent, vicinorumque inopiam subleuare voluissent.

Sed & Monachorum opulentia, præsertim familiæ Benedictinæ multum opis huc conferre potuisset.

Principatus Ferrariensis cum primis tali eget auxilio: eadem enim opera alueus Aufidi riui aperietur, & auertetur ab agro & oppido Terracina inundatio: quo quidem pacto non his solum, sed & toti viciniæ recte consuletur.

Sed & operæ pretium futurum est, si puluini & breuia Padi fluuii deprimantur, aquis coherciris & intra priscum alueum se continere compulsis, ne inundatione perdere queant agrum Ferrariensem.

Nec est, cur quisquam ab hoc conatu tam pulchro ob impensarum magnitudinem resiliat, cum satis constet, præclari nihil quicquam sine sumtibus confici posse, nec debere commoueri principem, gnarum, nullum pecuniæ modum cum salute publica conferendum, qui vel eo nomine alacrior aggredi tam vtile opus debet, quod certum sit, si ipse initio suis auspiciis facto, aliquantum æris impendat, cætera autoritate imperioque facile effecturum.

Eadem est sententia mea de spaciosis campis Rauennatibus, Bagnocaullinis & Bononiensibus, quos vicini fluuii illuuies importuno madore fædat.

Hoc pacto *Hercules* primus *Ferrariæ Dux* siccavit aliquot paludes in principatu suo, Samartinam, ad fanum Hippolyti, Platensem, aliosque haud procul à Lambro fluuio.

Alphonsus secundus cum vtilitati publicæ priuatas delectationes præferret, quicquid temporis & operarum à maioribus ad reficiendas Padi ripas destinatum fuerat, conuertit ad delitiosa ædificia, vel ad muniendas arces, vel plantanda nemora lucosque, dicens non necessarium esse, cohercere intra priscos limites Eridanum, qua negligentia Principis factum est, vt violentus fluuius transgressus riparum repagula, euersisq; aggeribus, late se in campos effunderet, vnde ex aquæ consistentia generatis putribus exhalationibus aer malignainfectus natura, multis mortalibus necem attulit.

Hinc sublata magna colonorum parte, cum deessent, qui luxuriantis amnis eruptionibus obstruerent, plurimum damni tota regione acceptum est, tam in Agro Ferrariensi quam Comaclensi, quod quidem multis talentorum millibus reparari vix posse à peritis iudicatum est: quod omne vitari egregie potuisset si Alphonsus conuersa à rebus leuibus ad muniendas Eridani ripas diligentia, sumtus in tam necessarios vsus impendisset. Sed credibile est, eum, cum sciret principatum ab Estensi familia alio deuolutum iri, hæc aut non curasse, aut de industria omisisse. Melius certe me iudice collocasset operam, si vel Mutinam vel Regium Lepidi pro Mesola, muniisset excoluisserque, quorum oppidorum neutrum post mortem

tem eius ad Pontificem iure caducitatis Feudi fuerat rediturum.

Porro quod ad amnes fluuioſque attinet, etſi fatendum eſt, Pontificias terras illis minime deſtitui, negari tamen non poteſt, multum acceſſurum commoditatis agro Romano, ſi *Anio fluuius* in ipſam Vrbem perduceretur: qua de re *Sixtum V.* P. M. ſerio cogitaſſe perhibent: & ſane *Claudium Imperatorem* id feciſſe iam olim conſtat deriuato Anione, & per aquæ ductus lapideos in Vrbem deducto, inque multos lacus elegantiſſimos ſparſo. Magni autem vſus hæc res futura eſſet. Primum enim campi laborati nouis aquis irrigui fertiliores futuri eſſent: deinde vſibus humanis nihil melius aqua, vt Pindarus iam olim exiſtimauit: tertio poſſent minorib. nauiculis lintribuſq; neceſſaria in Vrbem magna ciuium commoditate ſubuehi: quarto hortis deliciarum magnum conciliari decus, ſalientibus fluentibuſq; aquis intra eorum ſæpimenta: poſtremo conferret curſus tam limpidi amnis ad defecandum & rarefaciendum aerem, quæ res ad ſanitatem incolarum non paruum eſſet allatura momentum. Æſtate enim, cum omnia calore nimio languere videntur, ripenſia fere loca modice frigeſcere, & iuxta conſita iucundo virore frondere conſpicimus. Quod enim ager propinquus Vrbi commode habitari nõ queat, ſed morbis crebro conflictentur coloni, hanc nonnulli afferunt cauſam, quod aer veluti incluſus, & motu ac reciprocatione deſtitutus putiſcat, qui longe purior ſalubriorq; ſit futurus trãſcurſu Anionis amnis. Accedit, quod homines inuitati amœnitate & ſalubritate fluuii varia ibi eſſent excitaturi ædificia, Villas, ſuburbana, molas aquarias, horrea, & alia huiuſmodi: nec defuturi eſſent, qui vtram que profluentis ripam ſalictis, alnetis virgultiſque ad varios vſus conſituri, locumque cultiſſimum reddituri eſſent.

Quo facto terra cultiore fertilioreque reddita, cum publicis tum priuatorum opibus mitis modis conſultum foret. Quod ſi Romanos ea quæ diximus omnia mouere non poterunt, at iſtud ſaltem cogitent, Tyberim fluuium, cuius inundatio Vrbi tam formidabilis eſt, non tot modis illuuie ſua ciuibus quotannis noxium futurum deſtitutum Anionis aquis, qui etſi exiguus eſt, negari tamen non poteſt, quin imbrib. aut hyberno madore tumidus, maiorem fluuiũ ingreſſus, illius haud parũ iuuet impetum. Nec eſt, quod quiſquam metuat, deducto infra S. Paulifanum Anione, Tyberinas aquas perdituras bonitatem ſuam, quam obtinent beneficio ſulphuratarum venarum, quas Anio in campis Tiburtinis acceptas ſecum vehit, Tyberiq; cõmunicat. Sicut enim in re medica fere vſu venire videmus, vt medicina vni membro ſalutem quidem afferat, læſa tamen vicina quapiam vel etiam remotiore corporis parte: ita quoque hic comparatum eſt, vt qui tot commodis, quæ deductio Anionis in Vrbem ſecum vehit, perfrui cupiat, idem nõ poſſit cæteris quoq; leuioribus, iiſdemq; omnibus ſimul gaudere: cum maiora commoda exiguis præferre ſana dictet ratio, & inter duo mala minus eligẽdum eſſe veteri moneamur diuerbio. Adde quod admixtio aquarũ Tiburtinarũ, quas Anio Tyberi participat, huic fluuio plane non ſit ad bonitatẽ eius neceſſaria, quod ipſæ Anionis aquæ cum Tyberinis nõ mixtæ, idem luculentius præſtituræ ſint, & Aqua Nigra ipſo nomine coloreq; fateatur, quantum vehat non ſolum ſulphuris, ſed & virtutis metallicæ ad diuerſos humani corporis affectus, quæ Aqua Nigra ſcaturit paulo infra Narnienſe oppidum diuerſiſq; locis erumpit.

Vltimum quod iſto loco monendum, hoc eſt: quicquid terrarum eſt circa Romam ad triginta millia paſſuum vſq; in circumferentia, fertile ſatis atq; fœcundum eſſe, quod immanẽ vim pecoris alat, & affatim carnium ad marcellũ ſuppeditet, frumentiq; inſuper omne genus vbere copia gignat: quod autem vineæ negligentius habeantur, nec ea ſit quæ in aliis quibuſdam Italiæ regionibus vini præſtantia, cauſam plerique eam putant, quod tam ipſi Romani quam exteri in Vrbe viuentes, exoticis magis delectentur vinis & aduectitiis, eoq; præcipue, quod in *Corſica Inſula* prouenit, delitiis curam ſanitatis prætexentes.

Porro hæc Italiæ pars, cum talis tantaque ſit, mirandum tamen eſt, quod adeo defolata ſit, & deſtituta habitatoribus. Vnde potiſſimam partem anni videas ex aliis prouinciis, Inſubria potiſſimum, magnam ruſticorũ eo confluere multitudinem, ad quadraginta millium inſtar, qui agros tam lætos colunt, frugeſq; inde colligunt: quibus lectis ii qui ſuperſunt, domos quiſq; ſuas repetunt, onuſti pleriq; frumento.

Qui ſuperſunt, dixi, ideo, quia multi, antequam in patriam redeant extinguuntur, partim ardore Solis, partim ventorum marinorum pernicie, qui exhalationes putridas è vicinis paludibus hauſtas hominibus afflatu ingerunt. Defectu inſuper lignorum laboratur in his partibus aliquo modo. Et hæc ſunt inter tot ac tanta bona, quibus hæc regio oppugnatur, incommoda, queis tamen non tam ipſi Romani quam vicinæ partes afflictantur. Hinc fit, vt hæc cætera tam præſtans regio prope ſine habitatoribus ſit, quæ tamen multa hominum millia alere poſſet, ipſaque inprimis plana & campeſtria, ab *Herculis Portu* ad vſque *Terracinam*, quæ circiter centum quinquaginta millia paſſuum complectitur, vix ab octo hominum millibus habitetur.

MORES ANTIQVI PRISCORVM Romanorum Latinorumque.

AD belli militiæque vſus Romani non tam inſtituti quam nati factique videntur, Martis adeo ſtudioſi, vt primo æuo litteras prope 19

contem-

contemtui habuerint: succedentib. autem temporibus, cum imperii sui pomœria vi & armis protulissent, nacti à bellis ocium, qui honoratiores erant inter eos, & qui maiore cum re erant, scientias auide amplexi, litteris studiisque se addixerunt: inprimis ii qui ad imperium militare ductumq; copiarum adspirabant, dabant operam, vt quam prudentissimi scientissimique euaderent. Nec enim existimabant, quod nostro æuo quidam Thrasones faciunt, literarũ cognitionem homine militari & nobili indignã esse, à qua stultitia tantum abfuerunt, vt nobilissimi adolescentes suscepto reorum patrocinio in foro causas dicerent, captata eloquentiæ & doctrinæ laude, vt iam nihil dicamus de legum studio, quibus interpretandis summi homines se addixere. Idem de reliquis quoq; dicere possumus scientiis, quas nequaquam neglexerunt, cum viderent omnes catenatõ prope nexu inter se cohærere. Primo seculo studiosi erant sobrietatis, cõtenti paucis, contemtores immodicarum diuitiarum, vt ostendit exemplum *Valerii Publicolæ*, qui cum princeps ciuitatis fuisset, decedens de vita tantum non reliquit, vt honesto funere tumulari possit, sed opus fuerit ei publicis impensis exequias fieri. Alius ad foculum intra paruos parietes sedens, torrere ipsus sibi rapa visus est, cum paulo ante Populi Romani copiarum imperator fuisset. T. *Quinctio* aranti, stiuamq; manu sua tenenti Dictaturam senatus nomine apparitor in agro obtulit. Alius cum duceret exercitũ, missionem petiit, vt reuersus domum rus suum coleret, quod non erat nisi trium quatuorue iugerum, causatus per alios negligenter verti glebas. Postquam autem spoliatis magno numero prouinciis congessere diuitias, & peregrinas atq; Asiaticas gustauere delicias, earum dulcedine allecti, adeo se dedidere luxui atq; voluptatibus, vt omnes prope totius orbis gentes superauerint in hoc turpi genere. Luxuriam secuta auaritia & insanus habẽdi ardor, ipsos adeo possedit, vt mille modis exactionum prouincias deglubere & exhaurire nihil veriti, postremo versis in ciues armis proscriptionibus cædibusq; alteri in alteros horrendo modo desæuierint, tantum eo fine, vt in proscriptorum cæsorumque bona impune inuolarent. Nec in paucis aut plebeiis stetit hic furor. Qui sapientissimi haberi volebant, erant auarissimi, quod in ipso bene viuendi magistro *Annæo Seneca* apparet, quem quinquies cẽtum millia scutatorum aureorum in sola Britannia fœnori locasse certa historiarum fides habet, vnde immanes ipsum quotannis traxisse vsuras par est. Initio amplificandæ ditandæq; Reipublicæ operam dabant: sed successu temporis, abiecta cura boni publici priuatis toti inhiabãt quæstibus, vnde cum semper malis peiores succederent, inclinante se ipsa rerum summa, euersa est tam operosa Respublica, & ad dominatum vnius peruentum. Gratissimum erat oculis eorum spectaculum effusio cruoris humani, cui rei certa theatra erant constituta: vnde factiones & nomina gladiatorum, Thraces, Mirmyllones, Retiarii, aliiq;, quos recitare non est huius loci: hi inter se disparibus armis ad sanguinem vsq; & mortem depugnabant, vt spectatorum crudeles delectarentur pereuntium habitu oculi. Nec à feris & metuendis bestiis abstinuerunt. Venationes datæ sunt, in quibus Leones, Tygrides, Pantheræ, Elephanti, Rinocerotes, postremo nullum non ferarum genus in spectatorum gratiam productum confectumq; est. Tantum autem fuit Populi Romani spectandi studium, vt captatores gratiæ aur eq; popularis non alia magis ratione sibi deuincire potuerint plebis animos, quam editis eiusmodi muneribus, in quib. magnus gladiatorum numerus compositis paribus, bestiarum itidem, quas raritas commendabat, postremo mimi, histriones, Comœdi, cantores saltatoresq; producebantur. Horum igitur munerum editores, qui alteros splendore, apparatu, copia & magnificentia superabant, iisdem quoque gratiam populi præripiebant. Sed præter hanc & alia aucupanda popularis auræ erat ratio, cum ditiores ciues frumentum populo viritim, & quidem gratis admetirentur, vocabanturque hæ *largitiones frumentariæ*. Quandoque & vinum addebant, interdum spargebant monetam argenteam, aliaque missilia in plebem, quod quis iure miretur, cum antiquitus apud eos summa fuerit vini parsimonia. Patres enim exeuntes domo & redeuntes domum, oscu-
lum ferebant filiabus, vt vel ipso odore deprehẽderent, si qua forte vinum bibisset, quoquidem nihil turpius erat inter Romanas feminas. Liberos extra domum paternam prandere cænareue nefas erat, vitandæ corruptelæ ergo: quin ipsos mittebant in Hetruriam, Athenas, & in Rhodum Insulam, vt ibi bonis artibus scientiisque imbuerentur. Pueris in publicum prodire ante decimum annum fas non erat, ibi demum duce pædagogo profitebantur nomina sua, inq; Tribum referebantur. Decimum septimum ingressi annum, alteravice comparebant, prætextaque tunica deposita virilem siue puram togam sumebant, quo facto quilibet sibi vnum aliquem è Senioribus deligebat, quem coleret, sequeretur honoris ergo atq; obseruaret. Cum in Senatum eundum esset, iuniores ciues officii gratia deducebant maiores natu, præstolatiq; ante curiam, siue Templũ, aut vbicunq; Senatus coactus fuerat, eosdem domũ redeuntes honorifice comitabantur. Matrimoniorum cõtrahendorum hæc ferme inter eos erat ratio. Nubenti mulieri soleniter exornatæ clauẽ in manus dabant, imponebantque capiti eius telum, quo Gladiator confossus fuerat: eandem cingebant Zona lanea, quam de nocte ei soluebat maritus in lectulo coniugali, caput eius erat opertum operimenti quodam genere, quod *Flammeum* vocabant, cui erat imposita corolla è verbenis, admixtis aliis herbis, ad hunc cõmta cultaque modum imponebatur velleri ouillo, vbi postquam pauxillum assedisset, surgens quæsitum ibat maritum

maritum. Præibant eam tres pueri patrimi matrimique, vnus præferebat facem ardentem ex ſpina alba factam, cæteri claudebant vtrumque incedentis latus. Præferebatur itidem colus lino lanaue recta, cum fuſo filis pleno. Hinc manu tangere iubebatur aquam & ignem. Vltra quinq; faces ardere in nuptiis fas non erat, quas accendere ex veteri diſciplina ſolebant ædiles. Diuortii inter nuptos ratio erat triplex. Prima vocabatur *Repudium*, cum vir vxorem ab ſe dimittebat, illa nullo modo conſentiente. Primus qui vxorem repudiauit, *Caruilius* fuit, centum annis poſt Vrbem conditam: cauſam non aliam præfatus, quam quod vxor ſterilis nullos ei pareret liberos. Alia Caio *Sulpitio* ratio repudiandæ coniugis, quod eam ſe inſcio foris verſatam cognouiſſet, & quidem facie minime velata. *Qu. Antiſtius* dimiſit ſuam, quod eam cum femina libertini generis ſecreto collocutam intellexerat. Idem fecit *P. Sempronius*, quod vxor eius ſpectare ludos ipſo inſcio auſa fuerat. Eadem ſeueritas *C. Cæſari*, qui repudiauit vxorem ob ſuſpicionem commiſſi cum *P. Clodio* dedecoris. Deprehenſus enim fuerat Clodius amictu muliebri intereſſe ſacris nocturnis bonæ Deæ, quæ Pompeia celebrauerat. Altera ſpecies proprie dicitur *diuortium*, fitque, cum vterque coniux in ſeceſſionem conſentit. Tertia appellatur *ſeparatio*, quæ fit vi aliqua maiore, puta de imperio aut voluntate Principis.

20 Funerandi defunctos apud Priſcos Romanos duplex fuit ratio, eoq; duplex exequiarum modus. Primum, ſepeliebant mortuos ſuos noſtro ritu, depreſſa in humum foſſa, impoſitoque cadauere, & iniecta terra, excitatoque tumulo. Deinde ſtructa pyra exurebãt corpora igne. Verum hic mos non fuit adeo antiquus, primuſq; ex ordine ſenatorio, qui ad hunc modum cremari voluit, fuit *Cornelius Sylla*. Exequiarum funebrium leges tulit *Numa Pompilius*, conſtituto pontifice, qui huius rei curam gereret. Primus honor, qui defunctis illuſtribus hominibus habebatur, erat *Laudatio funebris*, vbi in honorem demortui habebatur ſolemnis oratio. *Iulius Cæſar* annis natus duodecim defunctum auum ſuum laudauit: *Tiberius* patrem, annos natus nouem. Alterum genus honoris in exequiis erat, munus edere gladiatorium. Primi qui hoc fecerunt, fuere *Marcus & Decius Bruti, Iunii filii*, qui paternum funus hoc officii genere proſecuti ſunt. Tertium erat *epulum* populo præbitum. Quartum *viſceratio* dicebatur cũ carnes plebi viritim diuiderẽtur. Authores huius munificentiæ curatores funeris *P. Licinii*, ciuis clariſſimi ditiſſimiq;. Præter hæc inſpergebantur tumulo flores, & adolebatur thus cæteraque odoramenta, quod « vniuerſum populum Romanum in funere *Scipionis Africani* feciſſe accepimus. Deferebantur inſuper in certa quædam templa ſiue delubra, & ſuſpendebantur eorum arma, clypei, coronæ militares aliaque huiuſmodi ornamenta. Tenuiores è plebe, quorum facultates impenſarum harum non erant capaces, nocte aut appetente veſpera per *veſpillones* efferebantur, ipſum cadauer albo amictum linteo tumulabatur. Morienti proximus agnatus claudebat oculos. Paulo poſt, cum de morte ipſius certo conſtitiſſet, aperto oſtio omnis admittebatur cum domeſticis vicinia, è quorum numero tres aut quatuor illum proprio nomine ter clara voce compellabant, poſt lauabant cadauer aqua calida. Hæres defuncti euerrebat totam domum peculiaribus ſcopis huic rei deſtinatis, & ſupra domus oſtium pangebat ramum cupreſſi. Si mortuus dignitate aliqua eminuiſſet, vocabantur vicini ad deductionem funeris. Si quę vidua mortua fuiſſet, quæ defuncto primo marito ad ſecunda vota non deſcendiſſet, efferebatur honeſte, corona capiti eius in ſignum pudicitiæ impoſita.

Quia autem ad *coronas* deuenimus, ſciendum, 21 milites qui fortiter feciſſent, in virtutis præmiũ iis honoratos fuiſſe. Erant autem hæ non vnius generis. *Triumphalis* è Lauru erat, nec niſi Duci exercitus permittebatur. *Obſidionalis* erat è gramine, quæ imponebatur capiti illius, qui oppidum amicum vel iuris Romani obſidione liberaſſet, primuſq; hac donatus fuit *Sicinius Dentatus*. *Ciuica* è ramo querno plicabatur, quæ donabatur ei qui ciuem è preſenti periculo liberaſſet. *Muralis* proponebatur cum vi oppugnanda eſſet ciuitas, eaq; potiebatur is qui primus hoſtile vallum aut muros conſcendiſſet. *Caſtrenſi* donabatur is, qui primus in oppugnatione caſtrorum inimicorum munitiones ſuperaſſet irrupiſſetq;. *Naualis* contingebat illi, qui in nauali pugna primus in hoſtilem triremem inſiliiſſet. Cæterum poſtremæ hæ tres coronæ non è foliis arborum aut herbis, ſed ſolido auro. *Oualis* erat è myrto plexa, dabaturq; ei qui hoſtem ſine detrimento ſuorum militum vicerat. Primus qui ouauit, *Romulus* fuit, corolla ſpicea redimitus caput. *Armillæ*, quibus milites virtutis ergo donabantur, erant lancellę aureæ vel argenteæ, in orbem circumductæ atque fibulatæ, quas illi ferebant lacertis ſiniſtris haud procul ab humero, ornatus gratia. *Triumphus* permittebatur nonniſi Dictatori, Conſulibus, Prætoribus, ſed ea demum lege ſi plures quinque millibus hoſtium deuiciſſent, Imperiumque Romanum auxiſſent, expugnatis oppidis, ſubactiſque prouinciis. *Ouatio* etſi ſpecies eſſet Triumphi paulo tamen infra triumphum erat, licebatque Duci, qui ſaluis Legionibus deuiciſſet hoſtes, pedibus vrbem ingredi. Intrantem ſenatus ſequebatur, non item Legiones. Primus qui ouauit, creditur fuiſſe *Poſthumius Tubertus* Conſul, cum Sabinos deuiciſſet. *Romulum* vero primum triumphaſſe perhibent, numeranturque ab hoc vſque ad nouiſſimum CCCXX. viri qui triumphantes vrbem ingreſſi ſunt. Inter eos qui hoſtes domitos ſub iugum miſerunt, primus fuit *T. Quintius Cincinnatus*. Triumphantes inſidebant currui, quem duæ rotæ ſuſtinebant, quadrigiſque fere albis currum trahentibus. Sequebatur Imperatorem exercitus, coronatis lauru militibus. In capi-

tolium vbi deueniſſet Triumphator, deſcendēs de curru triumphali templum Iouis Capitolini ingrediebatur, vbi votis rite perſolutis, ſi quæ ſuſceperat, Ioui gratias agebat pro acquiſita victoria, mactatoque ad ſacrificium Tauro candido in domum ſuam ibat.

22 *Feſta* apud Priſcos Romanos multa variaque fuere. A. D. IX. Ianuarii menſis celebrabant *Agonalia* in honorem Iani Deorum antiquiſſimi. Ad D. III. Aprilis menſis peragebant *Floralia*, in honorem Floræ meretricis, quæ cum quæſtu corporis magnas opes collegiſſet, populum Romanum moriens teſtamento hæredem ſcripſerat. Locus vbi domus eius ſteterat, etiam noſtra memoria *Campus Floræ* appellatur. Ludi Florales olim celebrabantur eo loco, vbi noſtro æuo vinea eſt Cardinalis Ferrarienſis, ad radicem montis *Quirinalis* quem hodie appellant *montem caballinum*. A. D. VI. eiuſdem menſis Equites Romani magnifice veſtiti turmatim ingrediebantur, oliuæ ramos manibus præferentes, delatique ad Templum *Martis*, quod erat in via Appia inde ad ædem *Caſtoris & Pollucis* ibant. A. D. XXIX. menſis Maij *Luſtrum* peragebatur, vbi in publicum proferebantur tubæ, litui, Aquilæ, vexilla, cæteraque ſigna militaria. Frequentes inſuper erant apud illos Ludi Scenici, Capitolini, Apollinares, Seculares, Romani, Plebeii, Circenſes aliique. Nec enim finis futurus eſſet ſcriptioni noſtræ, ſi omnia quæ ad rem præſentem faciunt, vellemus perſequi. Hæc igitur pauca in eum finem à nobis dicta ſunto, vt curioſi & plura ſciendi auidi cauſam habeant adeundi libros veterum, è quibus affatim antiquarum rerum ad explendum deſiderium haurire poterunt. Omiſſis igitur priſcis ad noſtri ſeculi mores nos conuertamus.

MORES ROMANORVM NOſtro æuo.

23 QVos ſi ſpectes accuratius, deprehendes, multum eos ſeruare è priſca grauitate, quæ velut congenita ipſis videtur: itemque de magnificentia, liberalitate & magnitudine animi, quæ huic genti naturalis videtur, vt contra Hiſpanorum affectata eſt. Cæterum ipſa vrbs plena eſt peregrinorum hominum, qui ex omnibus prope Europæ partibus eo confluere ſolent, vt omnium gentium linguas moreſq; ibi reperire ſit, & in tanta differentia aliquid certi conſtituere ſit difficillimum. Hoc tamen de Roma vere dici poteſt, eſſe vrbem, in qua ſollicite, & vt ita dicamus, artificioſe viuitur, & vbi pauperes modo capaces ſint melioris fortunæ, ad honores opeſq; peruenire poſſunt. Tanta enim deprehenditur ibi rerum viciſſitudo, tanti fortunæ luſus, vt nullius tam miſerabilis videatur eſſe conditio quin magna ſperare poſſit, ſibiq; polliceri, modo non ſit ineptus ad amplexus fortunæ admittendos. Nec facile quis iniuriis ibi laceſſit tenuiores; metuendum enim eſt, ne lautiores facti illatas ſibi contumelias vlciſcantur. Qui extra vrbem *Latium Vmbriamq;* incolunt, à cæteris Italis nihil differunt, ſimulatores egregii offenſiones tarde ex animo dimittentes, domi tenuiter viuentes, foris magnifice ſe efferentes, vbi oſtētationi locus eſt. Nobilitas liberalis eſt, comis, ciuilitati & elegantiæ morum cū primis ſtudens, arma tractare perita, inprimis autem ad ductū copiarum adſpirans. Promiſcuum autem vulgus fere craſſum & rude, moribus aſperum, audax tamen & robuſtum, vt & olim. *Piceni* incolæ agreſtiores & efferi, bello vtiles iudicantur: quibuscum conuerſatio difficilis & ingrata. in vniuerſum addicti agriculturæ mercaturam nihil penſi faciunt, cuius rei ratio eſſe poteſt quod eorum ager nauigabilibus deſtituitur fluminibus, nec vllus in littore commodus portus præter Anconitanum: cuius & ipſius haud quaquam ea eſt præſtantia & ſecuritas pro famæ magnitudine. Vulgato apud Italos prouerbio *Ferrarienſes* appellantur *Vafri, Perufini audaces, Spoletani Veteratores, Bononienſes feri, Fauentini cordati, Oſtienſes exactores, Romani crudeles & validi.* Romani ad bellum afferunt perſeuerantiam; Ferrarienſes Tormenta militaria; Viterbienſes calcaria. Aiunt præterea Anconitanos eſſe parcos, Ariminenſes helluones anſerum, Perufinos ichthyophagos delicatos Sed & hos ferunt, diu occultare ſolere iram, ſi quid aduerſi contigerit ab quoquam, cū contra Ferrarienſes Romanique ſtatim ad vindictam pro ruant, quibuſcunq;, etiam crudelib. modis, exigendā. In accipiendis peregrinis Ferrarienſes habentur agreſtes & moroſi, Spoletani rudes, celantes quātum fieri poteſt animi ſecreta. Eadem dicacitas mulieres quoq; nō intactas ſinit, cum *Perufinæ* dicantur vulgo *applicabiles, Beneuentanæ ſubruſticæ, Bononienſes glorioſæ, Ceſenates furaces, Romanæ graues, Ferrarienſes procaces, Rauennates moribus excultæ.* Cæterum de omnibus in vniuerſum Italis vere dici poteſt, zelotypiæ eos morbo laborare, in tantum, vt vxoribus ſuis pedem domo efferre non permittant, ſed eas velut in carcere cuſtoditas detineant, nec cuiquam ad illas detur aditus, ne amicis quidem aut neceſſariis, niſi peculiaris quidam fauor aut conſanguinitas intercedat. Quod quando fit, non ſine grandi domeſticorum numero & arbitris plurimis admittitur is, qui alienam ſalutaturus eſt fœminam. Horum autem Argorum tanta eſt perſpicacitas, vt mulier etiam ſi velit furtiuo amore perfrui, nō tamen id poſſit niſi ſummo artificio & aſtu exquiſito. Iniurias acceptas callidiſſime diſſimulare norunt, cumque apud alias gentes cōciliata pace partes fere in gratiam redeāt, hic nihil tale eſt quod ſperes: nec n. offenſarum memoriam niſi cum ipſa vita deponunt. Alii iam dudum ſe iniuriarum omniū oblitos ſimulant, quod in eum finem faciunt, vt ſecurum reddant aduerſarium, & nihil tale cogitantē opprimant. Optimum igitur erit facto, vt te non credas iis, quos aliqua ratione offenderis: omnino n. id agēt, vt ſe quacunq; tandem ratione vlciſcantur. Quod quidē omne ita accipi volumus, vt nulli⁹ Itali honor ac exiſtimatio à nobis læſa videatur.

DIVI-

DIVITIAE AC REDDITVS.

24 FRumento cæterisque rebus bonis terra nascentibus adeo abundant ter ræ Pontificii iuris, vt vix vnquam auditum sit, laboratum ibi fame ob soli infæcunditatem. Cum enim vniuersa tellus montibus aut leuiter insurgat, aut vallibus clementer deprimatur, fieri vix potest, vt eadem anni malignitas fruges in omnibus locis simul semelq; lædat. Tritici sane, vini oleiq; tantus ibi est prouentus, vt non solum indigenis large sufficiat, sed & ad exteros quoque, *Tuscos, Ligures, Venetos Illyricosque* efferatur. Quod si quæ suboriatur inopia, non solo illa, sed aliis accepta ferenda est rationibus, quibus Princeps si vellet medicinam afferre posset: inter quas non postrema est, quod proscripti cæteriq; malefici totam regionem latrociniis infestant, cui malo præ cæteris terræ Ecclesiasticæ videntur subiectæ. Altera est, quod magna agrorum pars inculta manet, omissa aratione ob metum horum latronũ, qui assidue colonis imminent. Quibus incommodis obuiam iri posset, si vicini principes, in quorum confinia se recipiunt sicarii illi, inito cum Pontifice Max. fœdere grassatores illos è latibulis suis extractos compescerent. Hæc eadem ratio mouit Augustum Principem, vt delendis per omnem Italiam hisce latronib. animum serio adiiceret. Laudatus eo nomine est conatus Sixti V. & Clemẽtis Octaui Pontificum, qui eos funditus prope substulerunt. Conficitur in Flaminia *sal*, qui in exteras prouincias exportatur. Ager Picenus tam vber est farre, vt quandoque ad centum modiorum millia Venetias aduehãtur, præter magnam vim olei. Patrimonium ipsumq; Latium multoties suppeditauit frumentum Liguribus totiq; Regno Neapolitano.

Quod ad ipsam vrbem Romam attinet, inuenias in ea viros Principes aut illustri loco natos, quorum redditus annui centum quinquaginta coronatorum millia excedant; sed hirari admodum sunt: Vulgo enim pauperes potius sunt quã diuites, quod quidem in hac vrbe prope necessario euenit, vbi pauci quicquam proprii ruris habent, cum omnia ab aliis locis eo conuehantur vendanturq;. Panni enim serici laneiq; Venetiis, Luca, Florentia, Neapoli Genuaq; perferuntur. Nec satis dici potest quantum auri argentique quotannis Romam confluat, ex omnibus prope orbis Christiani partibus, vel in vsus ac alimoniam peregrinorum qui in vrbe commorantur, vel ad exercendam mercaturam cæteraque negotia, vel ad impetrandas indulgentias, beneficia, diplomata bullasque vel pro redimendis feudis ac inuestituris, postremo, ob alias causas quas hic persequi nimis longum foret.

Negari è contrario non potest, ipsũ harũ terrarũ Principẽ eos quotannis redditus non percipere, quos amplitudo & vbertas regionum policeri videtur, cuius rei ratio supra à nobis tacta est. *Negotiationi ac mercimoniis* duplici ratione cõsuli posset. Primo introductis variis opificiis & artificibus; deinde copia lanæ sericique velleris. His enim postremis duobus omnia prope sua debent Veneti, Mediolanenses, Neapolitani & Genuates, quorum oppidorum præcipui ciues huic negotiationi pleraque suas opes imputent necesse est. Nec difficile foret plantare *moros arbores* in hisce regionibus, ad æmulationem Veronensium, Vicentinorum & Mediolanensium: eadem est enim soli vbertas, & capacitas agrorum quæ in illis partibus. Quod si vel vnus humiliatorum ordo lanificium in vrbem Florentiam aliasque Hetruriæ partes introducere potuit: quid causæ erit, quare Pontifex M. non idem in suis possit præstare terris? aut cur artes illæ Mineruales, quæ alibi sedulo tractantur, Romæ, Anconæ, Asculi & Rauennæ exerceri non possint? Negotiationi ita consuli posset, si vterque Portus, Ostiensis & Anconitanus instaurarentur, ille ad excipiendas naues quæ ab occidentali mari; hic ad recipiendas classes quæ ab orientis partibus appellunt. Mercatores ad aperienda his in locis Emporia allici possent peculiaribus priuilegiis & immunitatibus, prætereaque comiter ac humaniter haberi, vt capti hisce commoditatibus manerent, nec loca ista deserereut. Si quem forte sumtuum immanitas deterreat, eum quidem cogitare velim, potissimam partem reddituum vectigalium, vnde præcipuæ principi diuitiæ, dependere à negotiatorum frequentia & vbertate mercimoniorum.

Diuitiæ quæ ex ipsa vrbe Roma ad pontificem redeunt, consistunt fere in vectigalibus ex diuendito vino, farina, sale, oleo, equis venalitiis, quibus accedit numulus in singula capita totius Imperii Papalis impositus; itemque ex mandris & pecudib. in ea regione quæ sigillatim Patrimoniũ appellatur: præterea ex dispositis celerib. iumẽtis, precio equorũ, cõtributione triennali per vniuersum statũ Ecclesiasticũ, quæ cũ semel tentata constitutaque fuisset per Paulum III. P. M. per successores eius postmodum abolita remissaq; minime est. Nec parum auri quotannis conferunt Religiosi omnis generis (exceptis mendicantibus) per Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, Regnum Neapolitanum, Ducatum Vrbinatem, Parmensem, Placentinum, aliasque prouincias. Iam si quis annumeret ordinarios redditus qui colliguntur ex omni Latio, Piceno, Vmbria, Flaminia, Patrimonio Petri, Ferraria, Camerino, Perusia, Bononia, Beneuento vicinoque agro, innumerisque per eum sparsis pagis villisq; haud exiguam hæc summam conficient. In hunc computum non veniunt fructus Legationum & Gubernationum diuersorum oppidorum, quos Pontifex sibi peculiariter reseruat: nec omne id quod pro impetrandis Bullis, Beneficiisque à candidatis soluitur, & Pensionum nomine aut Annatarum censetur, cum non omne in ærarium Pontificis referatur, sed magna ex parte scribis, magistratibus ministrisque cedat. Demtis igitur his omnibus, tamen si diligenter subducantur rationes, deprehendetur annuatim inferri in fiscum (vt cum nostris

25

hominibus loquamur) quindecim auri tonnas, siue quindecies centum aureorum millia. Magna autem pars redituum abalienata est duplici nomine, officii & montium. Sub officiorum nomine comprehenduntur omnia aulæ comitiua & assessæ curiæ, aliisque insuper additis, quorum redditus annui eam habent naturam, vt ad fiscum reuertantur mortuo officiario, aut ad Cardinalitiam dignitatem sublimato, tunc eos Camera Pontificia vendit alii alicui. Hi existimantur adscendere ad quinquies centena millia coronatorum. Montes, siue montium redditus (vt vocant) duum generum sunt: aut enim morte hominis caduci fiunt, & hi quidem vsuræ nomine numerant quotannis duodecim aureos pro sorte centenaria; aut transferuntur ad hæredes, qui numerant fœnus mitius aureorum sex aut septem.

Præter omnia hæc admodum quæstuosa est præfectura vrbis & Prouinciarum, nec non Magistratuum Populi Romani. Nec tamen est negandum, ingentem vim auri quotannis ex ærario Pontificio erogari in familiam aulicam, in Heluetios corporis stipatores, in cataphractos equites, in Præsidia militum qui sunt in arcibus, Ostiensi, S. Angeli, Terracinensi, Oruietana aliisque, vt & in Cantores, Musicos, Tubicines, Nuncios, Cursores, itemque in sportulas & donatiua pauperibus distributa. Non obstiterunt tamẽ hi tam grandes sumtus Sixto V. P.M. quin annis quinque, quibus Papali dignitate perfunctus est, quadragies centies mille nummos aureos in ærarium intulerit, quanquam immania quoque ædificia suo ære extruxerit. Plurimum autem pecuniæ acquirunt Romani Pontifices, cum Cardinales creant: quæ dignitas si cui contingit, iam cætera quæ hactenus obtinuerat beneficia, cum pleno fructu ad curiam Romanam deuoluuntur: quanquam haud scio an nõ ex cæteris beneficiis, liberalitate, & vt vocant, gratiis tantundem ad Pontificem redeat. Hinc illud est quod Sixtus IV. P.M. dicere solebat: *Pecuniæ aceruos sibi nunquam defuturos, donec vnam manum, vnumque haberet calamum.* Et profecto Pius IV, à solis Religiosis adeptus fuerat quadringenties centum mille coronatos, quanquam multo maiorem vim auri potuerit corradere, si quorundam cõsilia lucripetarum ad misisset. Paulus III. P. M. venerat in fœdus cum Carolo V. Imperatore & Venetis contra Turcos: susceperatque in se sextam partem omnium expensarum, missis ad Imperatorem duodecim peditum millibus, & quingentis equitibus, quibus ære Pontificio stipendia sunt persoluta. Pius V. P. M. Carolo IX. Frãcorum Regi in belli suppetias misit quatuor millia peditum cum mille equitibus.

Vt autem tam acceptorum quam expensorum Pontificiorum ratio sit manifestior, nostri officii esse iudicauimus carptim & sigillatim vtraque persequi diligentius, quæ ita fere habent. Tabernæ Romæ elocari solent iis, qui in licitatione plurimum auri offerunt; elocantur autem fere in singulos annos pro 35. millibus scutatorum. quod si ab hac summa detrahas ea omnia, quæ ipsis conductoribus peculiares leges largiuntur, nec tam promte latinis quam Italicis verbis efferri possunt, restabunt in fiscum inferendi 17000. coronati. Pari ratione Salinæ Romæ elocãtur plus precii offerenti in septenos annos; vbi si detraxeris ea quæ detrahenda sunt, vt supra diximus, supererunt in ærarium inferendi coronati 8960.

Iulius III. P.M. in singulos frumenti modios binos nummos Carolinos vectigalis nomine imposuit; quod cum posteri eius obseruarent, factum est, vt ad summam scutatorum 21333. vectigal istud adscenderet. ab his initiis ad eam peruentum est æris summam, vt ex solis vsuris hoc nomine elocatis sortibus debitis inferantur 16000. coronati.

Ex venditione carnium intra Vrbem Romã quotannis, 20000. coron.

Itemq; aliunde intra Pontificis ditiones extra Romam, Bononiam, Camerinum & Beneuentum, redeunt quotannis 5000. coron.

Vectigal vini, computatis quatuor Iulianis nummis in singulas amphoras infert 3000. coronatos.

Præfecturæ celerum iumentorum in vsum peregrinantium dispositorum, tam in ipsa vrbe quam per totum statum Ecclesiasticum conficiunt scutatorum 5000. quod si detrahas sumtus, restabunt 2000.

Licitatores iuris vendẽdi candelas numerant quotannis 3000. coron. S. Petri cẽsus, qui quotannis Festo S. Petri exigi solet, excedere creditur numerum 31000. coronatorum.

Clericorum quoddam genus quotannis soluit S. Petro 2160. coronat. Subsidium triennale quod Picenus ager, hodie Anconitana Marca, numerat, adscendit ad summam 60000. scutatorum aureorum. Ex hoc auro defalcantur primo quadringenti coronati ad conseruandam fabricam Anconitanam; 5000. ad instaurationem murorũ circa Fanum Fortunæ: tertio 1160. ad ædificanda mœnia nouæ ciuitatis iuxta montem Cumerum. 4000. deponuntur apud Prætorem iudicialem, & 25. numerantur præfecto ærarii, qui id aurum seruat, mercedis nomine. His omnibus detractis restabunt in fiscum inferendi coronati 4958.

Subsidium Triennale Romanum constituit circiter 40304. coronatos. ex quo numero si detraxeris 2223. pro priuilegiatis, vt vocant, Venetis, aliisq;, itemq; 223. qui præfecto ærarii numerantur stipendii nomine; qui & rationes reddit præterea 5400. in vsus Collegii Clericorũ Cameræ Põtificiæ: rursumq; 203. qui cedunt Quæstori, qui subsidium illud colligit & Romam defert, supererunt debebunturq; fisco 29758. cor.

Subsidium Triennale ex Vmbria & Perusia collectum coronatorum aureorum est 39701. Deme huic numero 741. pro iis qui peculiarib. nituntur priuilegiis, itẽq; 9485. qui apud Thesaurarium Perusiæ deponi solent in vsus publicos: insuper 490. pro stipendiis diuersorum ministro-

nistrorum, superẽrunt ærario inferendi 13076. coron.

Subsidium Triennale Latii (siue, vt vocant, Campaniæ Romanæ) adscendit ad numerum 1565. coronatorum: Locorum maritimorum ad 2048. Redacta est hæc summa per Pontif. Max. anno AN. C.M.D. LI. ad scutatos 1755. Sed anno AN. C.1571. excreuit ad 15553. Detrahe his 770. quorum gratia fit pauperibus, qui non sunt soluendo, itemq; 120. pro exactorib. huius subsidii, supererunt 14643. de qua summa inferuntur in ærarium coronati 13632.

Census equorum per vniuersum Picenum constituere creditur 77221. coron. quod omne aurum Quæstores in ærarium inuehunt.

Census equorum per Terram Patrimonialem constituit 978. coron.

Census equorum per Flaminiam coronatorum est 5027. cuius bona pars impẽditur instaurationi molarum frumentariarum iuxta Rauennam, nec minor pars cedit collegio sacerdotum in vicino monte, vt Romam deferantur non nisi 800. coronati.

Tybur oppidum pendet quotannis 200. coronatos, qui superioribus annis Cardinali Ferrariensi cesserunt, hoc vero tempore deponuntur apud Thesaurarios, & inferuntur in fiscum.

Augmentum subsidii Triennalis, quod ager Picenus quotannis pendit nomine carnis porcinę, conficit circiter 10134. coron. vnde si demas 202. pro oneribus, 20. pro officio exactoris, restabunt fisco 9842. coron.

Augmentum subsidii prouinciæ Flaminię adscendit ad 6512. coronatos. Deme hinc 114. quorum gratia fit pauperibus, & 73. qui ceduntin stipendium Quæstori, inferentur in ærarium 6335. coron.

Augmentum subsidii Patrimonialis est 2423. coronatorum.

Officium Thesaurarii per Marcam Anconitanam vna cum censu ac vectigali equorum elocatum confert quotannis 6215. coron.

Locatio officii Thesaurariper Flaminiam infert 3597. coronatos, & Præfectura illius Prouinciæ cum Regalib. Cameræ Apostolicæ 1270.

Præfectus ærarii Flaminiæ accipit de subsidio Triennali 2720. coron. itidemq; 2000. pro familia Legati, nec non 3360. pro præsidiis, & aliis insuper 2220. hæc iuxtim cõstituent 10300. coron. quib. detrahe 1700. in vsum eius qui Legati vices obit, restabunt 8600.

Præfectura ærarii per tetras Patrimoniales elocata gignit 6377. cor. cum autem plurimum diuersis nominibus inde decerpatur, parum restat Fisco. Præfectura Thesauri Camerinensis multum auri & ipsa confert, sed quod de superiori dictum est, non multum infertur ærario.

Idem sentiendum de Præfecturis Perusina & Vmbriæ, quarum prouinciarum expensæ tantæ sunt, vt parum supersit Cameræ.

Eadem est sententia de officiis Thesaurariis totius Latii, Asculi, Norcię, Casciæ, & Beneuentani oppidi.

Vectigal Spoletanũ quotannis elocatur 4260 coronatis, deme his 781. qui Thesaurario Perusino numerantur, & 1260. qui debentur Præfecto Spoletanæ prouinciæ restabunt ærario 2219.

Redditus Tabernarũ Anconitanarum elocati sunt Collegio in monte pio, in singulos annos pro 3500. coron.

Elocatio Tabernarum nouæ Ciuitatis gignit singulis an. 1300. coron. cum onere soluendi Secretariis Apostolicis 117. & Monachis Viterbiensibus 173. quibus detractis inferentur in Fiscum 1010. coronati.

Vectigal Carnarium Bononiense excurrit in singulos annos ad 6038. coron. Subsidium Triennale Bononiẽse cõficit quotannis 9900. cor.

Census Reatinus fuit olim oppignoratus Iohanni Bapt. Sereno pro 400. scutatis: sed multo locupletior est. Adscendit enim quotannis ad 816. coron.

Portitores nauicularii consueuerunt quotannis pendere 250. coronat. Sed & hi redditus oppignorati fuerunt Francisco Fontano & Hieronymo Ciolo. Litteræ, perscriptiones & Breuia ex Cancellaria Pont. ficia emissa, inferre annuatim existimantur 10000. coronat. quod argentum prope omne cedit ministris domesticisque Summi Pontificis.

Montis Religiosi fructus inferunt ærario coronatos 16338.

Vectigal de vino in Bononia vrbe quotannis infert 600. coronat.

Sequestratio & consignatio bonorum ob admissa crimina apud tanum fortunæ cedit Thesaurario Anconitano, præter centum scutatos, qui singulis annis ærario inferuntur.

Locatio fodinarum Aluminis quotannis gignit coron. 200.

Locatio Salinarum per Dalmatiam 750. scutatos aureos.

Vtilitas quæ à Monte Pio percipitur extẽdit se ad 2350. coron.

Prouentus Montis Auinionensis ad 616. cor.

REDDITVS PONTIFICII, QVORVM ratio non ita certa est.

Primi Biennii Pontificatus Sixti redditus fuere 130000. coronatorum.

Pecunia quæ per Hispaniam colligitur, conficere creditur 44000. cor.

Quæ per Lusitaniæ Regnum 22000.

Quæ per Italiam præter propter 12000.

Campi frumentarii per Patrimonium, Anconitanam Marcam & Latium Flaminiamque 30000. coronatos pendunt.

Beneficia Ecclesiastica vacantia, 8500.

Pro immunitatibus & exemptionibus Beneficiorum numerantur 3500. cor.

Sequestratio & consignatio Bononiẽsis reddit quotannis circiter 4000. coronat. quæ Pecunia intra Bononiam vrbem asseruatur.

Ex Datariis, vt vocantur, quotannis percipi creduntur 68250. coron.

QVANTVM SVMMVS PONTIFEX LARgiatur Cardinalibus, & quantum in alios vſus eroget.

26 Singulis Cardinalibus, qui quidem ex veteri cõſuetudine à Pontifice ſtipendia percipiunt, facta exæquatione, numerantur quotannis coronati 1310.

Magnis Aulæ familiæque Pontificiæ Magiſtris 6000. coronati annui. Iiſdem in vſus neceſſarios & conſeruationem aulæ 12000. cor.

Et pro inſtauratione Abaci, Vaſariique bis quotannis 200. coronati.

Secretario Arcanarum Rerum Pontif. Max. quotannis 332. cor.

Scribæ ſiue Amanuenſi Secretarii illius ſingulis annis 180. cor.

Cantoribus & Muſicis in vniuerſum quotannis 4656. cor.

Ad comparandam ceram in diuerſos vſus Pont. Max. 1500. coron.

Pro cera ad lychnos candelaſq; tantundem.

Pro Panno viridi emendo 240. coron.

Pro impenſis Diei Iouis in Sancta Septimana 250. cor.

Pro ramis oliuæ 270. cor.

In Roſam auream, quæ alicui principi donatur 240. cor.

In auream haſtam inſumuntur 240. coron.

In gladium, cingulum & Pileum gẽmis vnionibuſq; ornatum 380. cor.

In Vmbonem de panno telæ aureæ Seruatoris & B. Virginis 300. cor.

In apparatus Feſtorum Dei Sanctorumque 250. coron.

Cubiculariis & Nobilibus Aulæ numerantur ſingulis viceni coronati menſtrui.

Miniſtris Archiui Pontificii Scribiſque viceni quini.

QVANTVM IN LEGATOS ORDInarios erogetur.

27 Legato qui in Aula Imperatoria reſidet ſingulis menſibus erogantur coronati 230.

Nuncio Apoſtolico (hoc enim nomine vtemur) ad Principes Germaniæ. 130. coronati mẽſtrui.

Nuncio ad cæteros Germanos 115. coron.

Nuncio ad Regem Gallorum 145. per menſes ſingulos.

Nuncio ad Regem Hiſpanorum. N.

Nuncio ad Regem Polonorum 230. coron.

Nuncio ad Ducem Allobrogum. 115. coron.

Nuncio ad Ducem Hetruriæ. 57. coron.

Nuncio apud Rempublicam Venetam 230. coron.

Nuncio in Regno Neapolitano. N.

QVANTVM IN STIPATORES ET CVſtodes corporis.

28 Præfecto Prætorianorum ſummo ſingulis annis numerantur 2400.

Legato ipſius quotannis 639. coron.

Equitibus grauis armaturæ 1077. coron.

Heluetiis in ſtipendium annuum 1092. coron.

Iiſdem in materiem veſtimentorum 2600. coron.

Pro pileis criſtiſque eorundem 200. coronat.

In maiora minoraque ſigna ac vexilla inſumuntur 1000. coron.

In Equos gradarios, quos circa feſtum Natalitiorum Domini diuerſis dono dare ſolet ſummus Pontifex, impenduntur 2000. coron.

Pro locatione equorum meritoriorum in vſum Heluetiorum, quoties Pontifici extra Vrbem prodeambulare placet, ſoluuntur 250. coron.

ROBVR MILITARE.

IAm primum omnium prope confeſſione ſatis conſtat, Terras Romano Pontifici ſubiectas, præſtantes præ cæteris Italiæ prouinciis genere milites, ſuntq; qui ſcribant, Picenum cum Flaminia circiter viginti quinque millia hominum ad bellum ſuppeditare poſſe: Latium vero cum Terra Patrimoniali totidem. Nec eſt profecto dubitandum, Romanum Pontificem vel ſolum vel auxilio vicinorum nixum, multum poſſe per omnem Italiam armis, cum nequaquam deſtituatur opibus atque facultatibus, quib. tantum valet, vt cum quantumuis exiguis copiis quicquid poſſidet terrarum multoties contra grauiſſimos vicinorum Principum inſultus Pontifices egregie defenderint. Nec hoc ſaltem, ſed & auſi ſunt Imperatores nonnullos Regeſq; priuare Regnis ſuis auferre diademata, transferre dominia. Notum eſt quid Patrum memoria potuerit Alexander P. Max. qui Francorum Regem impulit, vt ſuperatis Alpibus Italiam cum armis ingrederetur, & omnia horribili miſceret confuſione. Leo X. & Clemens VII. PP. MM. ſtabiliuerunt gentis ſuæ dignitatem & potentiam armata manu, partim cum ſubſidio exterorum regum partim abſq; eo. Clementi quidem etſi fortuna nouerca fuerit in hac Martis alea, emerſit is tamen, ſumſitq; vires à cladibus, poſt quas caput extulit altius, quam ſi eas perpeſſus non fuiſſet. Paulus III. P. M. defendit cum auctoritatem Pontificum tum dignitatem Italiæ, belligerantibus inter ſe duobus potentiſſimis Principibus: intulit bellum Turcis, & iecit fundamenta illius ſplendoris, in quo familia eius hodieq; conſtituta cernitur. Iulius III. arreptis armis omnem prope conturbauit Italiam. Paulus IV. inenarrabilem auri vim militando cõſumſit, deditq; memorabile ad poſteritatem exemplum, quantum mali dare poſſit orbi Pontifex prauis indulgens affectib. Adeo non ſtolide videntur feciſſe quidam populi, qui aliis quidẽ Diis ſacrificauerunt, vt bene facerent: aliis vero ne facerent male; cũ poſſent. Studuerunt ergo ſemper maiores noſtri placere Pontificibus vt ſi boni eſſent, eorum gratia ac pace fruerentur: ſin ſecus, ne nocerent, cum præcipue nunquam deſint male feriati homines, qui eos, qui cum magna poteſtate ſunt in transverſos abripiant tramites. Et hæc videtur eſſe cauſa, propter quã prope omnes totius Orbis Chriſtiani Principes, tã potentiores quã

29

infir-

infirmiores, Pontificibus fere supplices facti fuerint, siue moti pietate & reuerentia officii, siue quod eos omnibus modis amicos quam inimicos habere mallent.

Cæterum, vt ad institutum redeamus, postquam recitauimus, quantum militum numerũ vna alteraque prouincia emittere queat, videamus iam deinceps, quam apti illi & habiles bello sint. Igitur totum Picenum siue Marca Anconitana plena est hominibus bellicosis, qui facile non solum suam defendere queant regionem, sed & peregrinos inuadentes fortiter repellere. Hæc est illa terra, genitrix virorum fortium, Latinorum Romanorumq;, qui cum olim fuissent orbis domitores, posteri eorum Italiam exterarum gentium incursibus oppressam, eiectis Barbaris Tyrannisq; in libertatem asseruerunt. *Albericus* n. *Cuniẽsis Comes* collectis duodecim millib. militum, fortiter aggressus Barbaros, qui miseram Italiam agebant ferebantq;, eos acie fusos tota Italia expulit, disciplinam militarem reduxit, quam pene omnem abiecerant Itali, quos vsum armorum denuo edocere necessum habuit, nec quisquam iis temporib. militis nomine dignus iudicatus fuit, qui non sub eo stipendia fecisset.

Picentes inter primos fuere Socialis belli auctores, quod bellum inter grauissima quæ vnquam gesserunt Romani computauerunt. Vmbri hi ipsi sunt, quorum maiores Hannibal ille, antequam Romanos occidione occideret, vincere, oppidum q; Spoletum capere non potuit, vnde perspecta Vmbrorum fortitudine vir haud insciti ratiocinatus est, quãtæ molis futura res esset Romam capere, cum Spoletum frustra oppugnasset. Præter militum vulgus reperiuntur in his Pontificis summi prouinciis familiæ quędam illustres, quæ in eum finem natæ videntur, vt duces, Tribunos, centuriones ductoresq; ordinum procrearent: vt adeo mirandum non sit, in bello Ferrariensi, quod breui tempore feliciter confectũ est, non vltra viginti millia peditũ, duo equitum militasse, quib. copiis tantus Principatus vnius prope mensis spacio, Pont. Rom. auspiciis deuictus atq; occupatus est, quod fortasse alii per Europã principi tam facile factu nõ fuisset. Situm est a. totum hoc dominium Papale intra mare Superũ & inferũ, siue Hadriaticum & Tyrrhenum, obtinetq; mediũ Italiæ, vnde fit, vt non tantum ab incursionib. Barbarorũ tutiores sint incolæ, sed & ex hac parte cæteræ Italiæ regiones, si opus sit, in officio contineri queant. Vtrumq; littus portub. capacibus ad magnam classem destituitur, in quibusdã locis plane importuosum, inaccessũ magnisq; tempestatib. obnoxium, vt cuiuis hosti mari illos inuadere volenti perdifficile futurum sit. Adde quod totum littus mari Tusco obiectum maligno aere infame est, quæ vel sola causa peregrinos arcere posse videtur, quibus cum morbis & hominib. foret pugnandum. Cæteroquin Picenus ager & Flaminia pro propugnaculo habent illinc quidem Dalmatiã, hinc vero Apuliã Siciliãq;, quod vel inde cognosci potest, quod Turcæ, etsi libenter has Pontificis partes tentassent, nunquam tam ẽ cum classe accedere propius ausi fuerint. Nec in omni Italia vlla est vicina prouincia, quam iure hic status metuendus esse debeat. Hetruriam n. robore superat, nec cedit regno Neapolitano. Etsi enim hoc patet latius, diuitiisq; & populo magis abũdat, illi tamen in multis aliis reb. cedit. Primum n. totum Regnum Neapolitanum in longitudinẽ extẽditur, latitudine angusta, vnde vires dissipatæ vniri celeriter nõ possunt. Deinde est vi & armis acquisitũ, vnde nequaquam ea est populi in principem fides quæ solet esse in legitimum hæredẽ. Cogit eũ hæc res, firmis opportuna loca munire præsidiis, in quæ Hispanorum Rex prope omnes prouentus regni insumit. De Pontificis a. in prouincias suas iure nemo disputat, vnde non est necesse, vt ad continendos in officio populos vel vnum solidum expendat. Omitto iam ipsa in Religione magnum Pontifici esse firmamentum, quæ vt conseruetur cæterorũ principum plurimũ interest, quod aliquoties patuit, cum exteri principes pro defensione authoritatis & potentiæ Papalis arma non semel aliunde corripuerunt. His rebus freti pontifices Gregorius VII. & Alexander III. ausi sunt bellum gerere cum potentissimis Imperatoribus, etsi tunc temporis Imperium Germanicum longe videatur fuisse quam nunc validius. Taceo nunc de firmis Castellis & arcibus, *Oruietana, Viternate, Salsubina, Palliana, Spoletana, Perusina, Anconitana, Foroliuiensi, Bertinoria, Ferrarienſi*; quin si quis totam Vmbriam, quæ difficiles vndique habet aditus, perpetuam velut vnamq; arcem dicat, non absurda loquetur.

Omnia autem hæc, quantacunq; sint, immanem in modum auxit auctoritas summi Pontificis. Nec n. vllus princeps est, à quo plura bona, & vice versa plura mala expectari queant: qui plus largiri possit citra detrimentum rerum suarum; qui maiores conferre queat dignitates; qui principes creet euehatq; sine imminutione suorum principatuum; qui plus colatur atq; obseruetur à vicinis; metuatur à longinquis: etsi verum fateri volumus, nec Imperator nec reges quietis possint ac obedientibus frui subditis, si nolit Pontifex. Et hoc vnum illud solumq; est, quod *reges Angliæ* prope coegit, vt Ecclesiæ Romanæ tributum penderent; & *Apuliæ Calabriæque reges*, vt se clientes ac beneficiarios Papæ profiterentur, & *Mathildam Comitissam*, vt prouinciæ suę satis amplæ Pontificem scriberet hæredem. Hac authoritate adeo vti sciuit Leo III. P. M. vt ausus fuerit imperium Occidentis ab oriente auellere. Eadem vsus potestate Gregorius V. hoc idem Imperium Germanis tradidit perpetuum, creatis septem Electoribus: & Alexander VI. inter Hispanos Lusitanosq; nouum terrarum orbem diuisit, ducta linea pro limite.

Addam & hoc, Dominium Pont. Ro. nostro æuo plus valere potentia quã olim duab. de causis. Prima est, quod Rudolphus primus Imperator accepta pecunia Hetruscos liberos pronun-

nunciauit, vnde factum est, vt Imperium destitutum in ea parte auctoritate, iaceret, nec haberent eam Imperatores de cætero occasionem ingrediendi Italiam & vexandi Pontifices. Altera est interitus tot regulorum qui olim Ecclesiam eiusque lacerabent prouincias. Sublati horum multi sunt, annitentibus cum primis Alexandro VI. & Iulio II. Pontificibus Rom. His adiungi potest, quod Princeps ille, cui Regnum Neapolitanum & Principatus Insubriæ paret, ipse in Italia non habitat, vt claritati pontificiæ hac ratione obstruere non possit.

Iam vt de fortalitiis & propugnaculis loquar (quo quidem nomine ea tantum capio, quæ iure naturali & hæreditario ad Principem deuoluta, non vi aut armis occupata sunt) dubitatur, vtrum melius sit, munitiones in finibus dominii, an in medio siue vmbilico eius excitare, an vero vtrimque. De quo capite mea sic fert sententia: Vrbes & oppida quædam esse cordis instar in prouincia, cum ratione situs, tum officii. Situs, si in meditullio eius extructæ sint, cuiusmodi sunt *Vlyssippo Lusitanorum, Praga, Londinum, Florentia, Lutetia Parisiorum, Mantua Carpetanorum, hodie Madritum.* Officii, si propter copiam & affluentiam cæteris membris robur atque vitam suppeditent. Aliæ hoc funguntur officio, quanquam in medio regionis exædificatæ non sint, huius generis sunt *Neapolis, Panormus, Messina. Genua*, etsi medium prope Liguriæ tenet ratione longitudinis, in extremitate tamen eius sita est, scilicet ad mare, ratione latitudinis. Iam deinceps vrbes præcipuæ, quæ medium regionis obtinent, expedit securas & immunes potius esse quam munitas. Securitatem voco, si longe absint à periculo. Hoc autem obtineri potest, si extrema velut membra & fines prouinciæ, itemque accessus quibus hostis ingredi possit, probe muniantur. Vrbs enim quæ in meditullio regionis alicuius sita est, si operæ manuque muniatur, primum formidinem incutit cæteris omnibus oppidis, quasi negligantur, & ad hanc solam confugiendum sit. Deinde minuit authoritatem Principis, qui de reliqua prouincia seruanda desperet, contentus vnam retinuisse vrbem. Nam profecto sic habet vt in ægris: quando calor naturalis desertis cruribus, femoribus, brachiis cæterisque extremis membris ad cor confugit, parum spei superest conualiturum ægrotum. At vero seruatis extremis seruabuntur etiam ea quæ in medio sunt, non autem è contrario. Operæ precium igitur erit vt cor siue medietates omnes suas vires conuertat in seruanda extrema, quod nequaquam fieri potest munita vrbe mediterranea. Nam necesse erit, vt ab extremis in eam comportetur omne robur, alimonia, pabulum, tormenta, arma, instrumenta militaria, præsidia, milites. Cumque vrbes Principales plerumq; sint admodum amplæ, eo difficilius & laboriosius muniuntur, exhauriuntque magnitudine sua minorum oppidorum totiusque adeo Prouinciæ succum atque sanguinem, vt ad conseruandos fines nihil amplius superfit virium. Hoc expertus est Mantuæ Dux in muniendo oppido Casale. Ex his facile colligi potest, quę mea mens sit, optimum nimirum fore si vtrumque muniatur, & medium & extrema. Summa rerum huc redit. Extremorum officium est, hostem quam longissime à Prouinciæ medio arcere atque distinere; Mediorum, extremis robur atque vires ad id præstandum suppeditare. Clarissimum hoc est in corpore humano. Manus & brachia arcent periculum à corpore & corde, cor & corpus largitur succum & vires, alimoniamque membris. Præterea vrbs in medio sita, si fortis munitaque non sit, nihil non faciet ad defendendos fines, in quorum conseruatione suam securitatem salutemque inclusam nouit. Vnde quis non inepte ratiocinari possit, expedire, Metropolim in medio sitam, munitam nõ esse, propter causas iam ante à nobis allatas. Hæc autem de regione aut prouincia capi volumus, quæ non angusta sed satis spaciosa est, nam quando de minoribus dominiis loquimur, vbi cor extremis membris admodum propinquum est, omnino conuenit media diligenter muniri.

Cæterum vrbes principales, quæ in aliqua prouinciæ extremitate, & velut capite sitæ sunt, securitati suæ aliter consulere non possunt, nisi artificiosa munitione. Hoc ostendit nobis natura in quibusdam animantibus, quorum capita non solum firmo cinxit cranio, sed etiam cornibus armauit. Naturam imitatur Architectus militaris, qui vrbem non tantum circumdat firmis mœnibus, sed & vallo, fossa, aliisque munitionibus & propugnaculis. Aliis ita placet. Mediterraneas vrbes, tam posse cum capite comparari quam cum corde: quod extremis partibus non tantum vigorem, vitamque ac robur suppeditet, quæ proprie functiones sunt cordis, sed & sensus insuper, rationem & intellectum, quod est officium capitis: aiuntque, fieri non posse, si principibus his partibus satis caueatur, quin cæteris quoque recte consulatur.

Sed ad hæc postrema facilis est responsio. Primum enim caput in brutis animalibus eis non tantum capitis, sed & manuum brachiorumque vicem præstat. Capitis: quia continet cerebrum ipsosq; eorum sensus. Manuum, quia eo pugnãt offenduntq; aduersarium. Inuenias multa quæ non cornibus sed ore dentibusque præliantur, hinc illis os oblongum patulumq;; ex quorum genere sunt Canes, Lupi, Leones, Sorices, & è piscium genere Lupi aliiq;. Cornibus pugnant cerui, ibices, capri, arietes, inprimis autem Boũ vniuersa natio:

Dente tumetur aper, defendunt cornua ceruum.

Elephas præter prælongos dentes, quos veteres cornua crediderũt, proboscidem naturæ beneficio nactus est, qua vtitur manus vice, vt notum est. Arma igitur quæ animalib. natura congenerauit, pro manib. iis dedit, non velut partes capitis.

tis. Præterea consilium & recta ratio gubernatioque non dependet à loco, sed à Principe siue magistratu, qui non semper in vno hæret oppido, sed subinde locum mutare potest. Patet hoc exemplo summorum pontificum qui non semper Romæ habitauerunt, sed aliquando Orueti, Perusiæ, Anagniæ, Reate, Ferrariæ, quandoq; & Auinione. Omnis autem vigor atque robur prouinciæ dependet ita à corde, si consideremus redditum amplitudinem, diuitias, munimenta, abundantiam commeatus, frequentiam hominum, situs commoditatem, quæ omnia de loco in locum transferri mutariq; non possunt.

Cæterum vt de ipsa Vrbe Roma loquamur, fatendum est, eam non obtinere medium prouinciarum pontificiarum, cũ inæqualib. spaciis distet à Bononia Ferrariaq;, satis longe ab vtraque semota, propior autem multo sit finib. versus agrum Brutiũ: neq; tamen in extrema quasi fimbria collocata dici potest, nec hostilib. incursib. inter primas exposita. Hinc consultum non videtur, vt exquisite opere manuq; muniatur; neque tamen omnino munitionibus destituenda, vt apparet ijs qui rem oculis arbitrantur. Arx n. cum castello satis validis cincta est munitionib. cætera non vallo fossaq; aut alio exquisito opere, sed mœnib. tantum clauduntur. Nec enim dubium est, si vndiquaq; nimis validis cingeretur munimentis atq; propugnaculis, incommoda illa Romanis oboritura, quæ superius à nobis commemorata sunt. Sufficit igitur, vt arx cum Castro ad sustinendos hostiles impetus propulsandosq; valida sit, vt ibi tamdiu ducatur tẽpus, donec peregrinis auxiliis soluatur obsidio.

Fuit autem Vrbs Roma diuersis temporibus, nec ab vno Duce siue principe munita. Belisarius n. collapsos vetustate vrbis muros instauravit, sed ambitu multo minore, quam ante fuerant. Iterum, deiectos prostratosq; Adrianus I. P. M. denuo erexit, quem secutus Leo IV. P. M. vt prohiberet Saracenorum incursiones, adiecit firmamenti gratia mœnibus quindecim turres, extructis optimo consilio duobus propugnaculis ab vtraq; Tyberis fluuij ripa. Vaticanum insuper muro cinxit, suoque de nomine *Ciuitatem Leoninam* appellauit. Nicolaus III. P. M. includit mœnibus palatium illud elegantissimum, quod ab amœnitate prospectus denominationem traxit. Paulus III. muniit castrum siue Burgũ Romanum, hoc potissimum consilio, quod vrbs ab ea parte quæ in Orientem vergit, destituta habitatorib. multum amplecteretur vacui spacij ædificiis longo à mœnib. remotis interuallo, vt mœnia ægre defendi possent. Voluit igitur Paulus, si qua vis maior hostilis ingrueret, vt profligato populo ad tẽpus aliquod pateret securitatis refugium. Auxit hoc castrum Pius IV. adiectisque structuris nouis fecit amplius.

Iam deinceps ordo operis nostri postulat, vt videamus, quam firmiter fines dominii Pontificii muniti sint. Attingit hoc fines regni Neapolitani, linea transversa ducta per mediam Italiã, à mari supero ad inferum. Perusinus ager & Patrimonialis confinis est Magni Ducis Hetruriæ prouinciis, Ferrariensis autem & Bononiensis principatui Mantuano. Nec est quod metuant prouinciæ Pontificis, ne quando per principes hos coniunctos arctiore aliquo fœdere inuadãtur, cum eorum potius interfit, vt Status Papalis in suo conseruetur vigore, ne si ad aliquẽ è principib. Italis noua accessione pars eius deuoluatur, factus is potentior cæteris fiat formidabilis. Quemadmodum n. Romanus Pontifex Pater vniuersalis audit: ita expedit, vt potentia eius conseruetur, vtq; omnes iniusta vi oppressi inde auxilii aliquid opportunis casibus sperare possint. Experti sunt hoc vicini Veneti in bellis contra Turcas, Equites Melitenses contra eundem hostem: sed & Carolus V. Imperator bello contra Saxonem cæteros; Germaniæ principes: his inquam omnibus copiæ militares cum argento à Pontificibus subsidio missæ sunt. Taceo iam de Ferdinando I. Maximil. II. Rudolfo II. Imppp. vt & de Transsyluaniæ Principe, quibus Clemens VII. Paulus III. Pius III. & V. auxiliares equitum turmas, legionesq; peditum cum magno auri pondere suppeditauerunt. Consultum igitur erit Pontifici, vt conseruato communis parentis titulo, nullum è vicinis principibus armis petat, sed eos potius authoritate & officiis in amicitia contineat. Quod si quis locus remotior & ad fines dominii pontificii situs muniendus sit, suaserim vt aliquis eligatur in agro Ferrariensi aut Bononiensi. De Ferraria quidem, cũ munitissima sit, non est quod Papa sibi quicquã metuat. Aliter habet res de Bononia, quæ neq; ipsa fortis est, nec ad muniendum facilis, cum superetur à vicinorum montium altitudine. Si quis me audiat, muniendi Castelli Franci author fuerim, cum illud oppidum in plano situm omne munitionis genus commode recipere possit, nec vllos circum se montes metuat: abundante insuper omnib. reb. ad victũ necessariis prouincia, & vicina Bononia largiter cætera suppeditante, cuius plurimum refert, oppidum illud esse quam munitissimum. Pius V. P. M. aggressus fuit opus hoc, sed ad famam belli Cypri intermisit. Hac ratione non absurde quis Ferrariam & Castellum Francum (quod oppidum apud veteres *forum Gallorum* dictum fuit) duas claues appellauerit, quibus saluis agro Romano nihil erit metuendum periculi à montibus, & ab Insubria, quę nunc Lombardia est.

Cęterum ad muniendos fines versus regnum Neapolitanum, plurib. opus erit fortaliciis. Possent igitur muniri Transona, Ausidum, Asculũ, quanquam hoc postremũ oppidum natura opereq; munitissimũ, situq; per commodo, vt quod sit vltra Druentum fluuiũ, sufficere posse videatur, non tantũ ad defendendos fines, sed & infestandã hostilẽ regionẽ, si vsus belli gerendi id exigat. Versus agrum Sabinũ Reate sufficerit oppidum munitum, & caput regionis fertilissimæ, obq; id non contemnendum aut prodendum hosti. Latii finibus prospectum erit si muniatur Terracina, Frusinum, Segnia & Anagnia: quan-

quanquam non desint qui de Frusino & Anagnia contenti sint, omissis cæteris. Ab ea parte qua Hetruriam spectat fines Pontificis habet oppida Perusiam, Oruietum, Castrum & Viterbium. firma hæc per se satis sunt, nec egent nouis munitionibus. Non est tamen dissimulandum, Dominium Papale ab nulla parte facilius inuadi posse, quam ab Hetruria, non quod tantopere metuendum sit ab huius principis potentia: Sed quod per hanc prouinciam pateat hostibus aditus in agrum Romanum: hac enim via ingressi sunt Carolus VIII. Francorum Rex, & Carolus Bourbonius Cæsareaū copiarum ductor. Dabit igitur operam Pontifex, vt Tusciæ principe vtatur amico, ne permittat extraneis in penitiorem Italiam transitum.

31 Supereſt, vt de mari Tyrrheno dicamus. Hic recte faciet Pontifex, si perpetuo quinq; vel sex triremes militariter instructas habeat non tantum ad defensionem finium suorum, sed ad conseruandam authoritatem famamque nominis, quæ profecto salua constare non posset, si mare hoc, ad cuius littora tot oppida longe lateq; sparsa, ipse possidet sinat incustoditum. Addo quod Princeps qui vires maritimas, cum terrestribus copiis non coniungit, inter potentiores numerandus haud veniat. His autem triremib. melius consuli non posset, quam si sub imperio alicuius Ordinis militaris constitutæ militaret, cui Ordini vicina aliqua Insula ad inhabitandum concedi posset. Rationem atque formam, quo pacto ordo is instituendus sit, dabit exemplum Cosmi Magni Ducis Hetruriæ, cuius instituti ratio, vt huc repetatur, non est necesse. Caput illius ordinis firmum sibi leget domicilium Pontiam Insulam ad Portum Herculis, vbi triremes perpetuo erunt in statione, quam cingunt aliæ minores Insulæ, salubres omnes, bonarum rerum feraces, & aeris bonitate commendabiles, qui Strabonis æuo cultissimæ frequenterque habitatæ erant, nostro æuo piratis in rapinam expositæ. Præterea ex piscatu res eo loco fieri posset, cum mare id abundet piscibus, inprimis Sardinis (sunt autem hæ veterum Trichides) aliisque. Erit autem hæc statio triremibus commodissima, cum inde latissimus in mare prospectus pateat, ad explorandas Piratarum liburnicas, qui rapinis totum illud littus sine intermissione infestum reddere solent. In vniuersum reputanti planum fiet, nihil esse tam necessarium toti huic Italiæ parti, quam vt multiplicandis colonis omnis impendatur opera, cum certum sit, ex colonorum multitudine robur ac potentiam principis æstimari solere. Cum autem huc delapsi fuerimus, nihil alieni nos facturos arbitramur, si causas quæsiuerimus, propter quas in plerisque Italiæ regionibus non ea sit habitatorum frequentia, quæ esse possit atq; debeat. Nec enim pro bonitate soli & veteri gloria habitantur hæ prouinciæ. Prima causa è rebus naturalibus petitur, vt cum contagiosus & pestifer morbus longe serpens colonos extinguit; altera ab naturalibus & voluntariis dependet, qualis est fames & inedia publica. Nec enim illud est terræ Italiæ ingenium, vt telluris sola ingratitudo annonæ charitatem procreet, nisi accedat hominum male feriatorum scelerata auaritia. Tertia soli hominum malitiæ accepta ferenda est: Sub hunc calculum veniunt bella, inprimis ciuilia, sicariorum, quorum manus ad omne scelus venales sunt, & prædonum audacia, similisque farinæ nebulonum, qui vitam hominum vel mercede conducti vel gratuito appetunt. Est & cū desolatur prouincia, cū nimia abusi licētia incolæ peregrinis dant nomina regibus, acceptoque stipendio ad aliorum libidinem venales exportant animas: quod postremū haud scio, an nō præsentissima sit status Ecclesiastici pernicies, quod licitum sit, vnicuique ibi cogere mercenarias militum manus. Præter has rationes exhauriuntur insuper habitatoribus prouinciæ, cum populus nimis immanibus principum exactionibus consternatus, omnem futuræ sortis melioris spem abiicit, iuuenes & puellæ formidine onerum matrimonio abstinent, aut omnino prouinciam deserunt. Cæteri qui manent, oppressi magnitudine onerum, cum non habeant quo se liberosq; suos alant, ad mendicitatem rediguntur, hinc videre est, vias publicas & oppidorum vicorumque compita huiusmodi mendicabulis obsideri, qui fatigant aures prætereuntium. Neque profecto videre possum, quid aliud faciant principes, qui omnes lucrandi aliquid modos sibi solis vendicant, nihil relinquentes populo, vnde rem vel facere vel augere possint, qui nihilo secius grauissima persoluere cogitur tributa. Præterea bella & profectiones in longinquas regiones exhauriunt prouincias, cum exploratum sit, vix centesimum quemque inde redire, vt loquuntur expeditiones Hispanorum in nouum orbem, & inferiorem Germaniam, & nauigationes Lusitanorum in Orientalem Indiam. Idem experti sunt Turcæ in bellis Persicis, multo autē magis in Hungaricis. Efficacia sunt hæc omnia ad desolandam regionem: verum haud scio an vllum ad inducendam regno vastitatem venenum præsentius *luxuria & fastu*, quibus duabus rebus fit; vt ij qui commode alere possent decem homines vix vni nutriendo sufficiant, accedente vanitate, cum homines deserta agricultura cæterisq; studiis necessariis ac vtilibus, rebus ludicris, vanis ac superfluis addicunt operam. Postremus exhauriendi prouinciam modus est, si bona, fundi, villæ, quæ hactenus multis alendis suffecerunt, ad vnius aut paucorum redeant potestatem: queritur hoc Plinius suo æuo factum, redactis amplissimis possessionibus ac latifundiis ad paucorum, sed præpotentum, arbitrium, vnde eiectis colonis ad vastitatem prope peruenerit terrarum Regina Italia.

VETVS

VETVS REIPVBLICAE ROMANAE *Forma & ratio.*

33 CVm priſci Romani tam bene præfuerint rebus ſuis, vt feliciſſimo ſucceſſu omnia confecerint, quæ vnquam ſunt aggreſſi, non ingratum futurum Lectori arbitratus ſum, ſi formam Reipublicæ quanta fieri poteſt breuitate perſecutus, quædam de eorum adminiſtratione, ſapientia & animi magnitudine dicerem, quibus virtutibus tantum creuit res Romana, vt omnibus prope gentibus euaſerit formidabilis. Ordiar autem ab *ampliſſimo ordine Senatorio*, cum nemo dubitet, quin magnitudo Romani nominis Senatui debeatur: de hoc ergo dicemus, qualis fuerit ante monarchiam Cæſarum & poſt eam.

Igitur Senatus primum ab *Romulo* inſtitutus eſt, qui cum videret ciuitatem pollere valida lectiſſimorum iuuenum manu, quæ conſilio prudentiaq; regenda omnino eſſet, lectos è ciuium primoribus centum viros PATRVM nomine cohoneſtauit, cumq; plerique inter eos ſenes eſſent, *ſenatum* appellauit, qui autem ab his procrearentur, eos Patricios dixit. Auxit ordinem Senatorium *Tullus Hoſtilius*, eo potiſſimum tempore, quo deſtructa alba ciues eius Romam deduxit. Adſcripti tunc ſunt in Senatum Tullii, Seruilii, Quintii, Geganii, Clodij. Verum multis annis poſt, electis ab vrbe Regibus, videns Brutus Conſul pauciores eſſe quam oportebat ſenatores, adſciuit in hunc ordinem primos Equitum Romanorum, quos & *Patres conſcriptos* appellauit, quod ad priores lecti ſcriptique eſſent. Tanta autem fuit Senatorum auctoritas & potentia, vt ſoli rempublicam gererent, adeo vt ne Reges quidem, aut Conſules aut Dictatores quicquam facerent, niſi ſenatus ita cenſuiſſet. Vnde factum eſt, vt cum Tarquinius ſuperbus inconſulto ſenatu multa pro lubitu faceret, Tyrannus appellatus, deque regio faſtigio deturbatus fuerit. Reperio inſuper in triplici Senatore fuiſſe differentia: quoſdam enim *Patricios*, alios *Pedarios*, tertios *conſcriptos* dictos. Et de Patriciis quidem conſcriptiſque in ſuperioribus iam locuti ſumus. *Pedarii* ita dicti ſunt non ob vnam rationem. Prima eſt, quod ipſi ſuffragia non ferrent, ſed pedibus in aliorum concederent ſententiam. Altera, quod cum præcipui ſenatores curru, aut lectica in ſenatum veherentur, hi pedeſtri itinere in curiam venirent, indeque dicti *Pedarios*. Varro priorem opinionem amplecti videtur, dicens hos fuiſſe in Equeſtri ordine facile principes, quibus etſi Magiſtratus geſſiſſent, tamen quod à Cenſoribus lecti non fuiſſent, non licuiſſe ſententiam in ſenatu dicere, ſed aliorum opinionibus accedere. Cæterum quod ad ius atque ordinem ferendorum ſuffragiorum in ſenatu attinet, reperio illum, qui per cēſores princeps Senatus lectus fuiſſet, primum dixiſſe ſententiam: quandoque & conſules, aut conſules deſignatos. Cicero in eo quem de Senectute ſcripſit, libello, ait olim moris fuiſſe, vt natu grādiores primū dicerent. Poſteriorib. tēporib. is primus dicere ſolebat, qui à Conſule rogaretur: non poterat autem Conſul rogare ſententiam niſi virum conſularem. A. Gellius ex Varrone recitat non potuiſſe conuocare Senatum niſi Dictatorem, Conſulem, Prætorem, Tribunum plebis, aut Præfectum Vrbis. His adiungit, ſed extra iuriſdictionem Prætoriam Tribunos militares, ſed qui proconſules fuiſſent: itemque Decemviros cum conſulari poteſtate, cum Duumviris conſtituendæ Reipublicæ. Negat vnquam ſibi lectum cognitumque Præfectum Sociorum Latini nominis vſum authoritate conuocandi ſenatum, cum Senator non eſſet, neque ſententiam dicere poſſet. Cæterum Tribunos plebis id potuiſſe antequam perferretur Lex Attinia, etſi in numero ſenatorum non eſſent. Locus autem vbi conueniendum eſſet ſenatui, alius eſſe non poterat, præterquam qui ab Auguribus definiebatur, quem ipſi Templum vocabant. Cum autem ſenatus coactus fuiſſet in curia Hoſtilia, poſt in Pompeia, poſtremo in Iulia, decreuit collegium Augurum, vt illa loca deinceps Templa eſſent, eo fine, vt quæ ibi deliberata fuerant, rata haberentur. De tempore habendi ſenatus ita cenſet idem Varro: nefas eſſe conuenire Patres C. ante ortum Solis, aut poſt illius occaſum: erat autem penes cenſores, tempus conueniendi patribus præſcribere. De anno ætatis, quo quis in Senatum legeretur, poſt factum Papyrii Prætextati conſtitutū eſt ne quis minor vigintiquinq; annis admitteretur, vt Plutarchus habet in vita Pompeij. Si eidem Varroni credimus, ij qui Senatorium auſpicabantur gradum, prius immolabant Conſo, conſtitutaque fuit pœna ſiue multa ijs, qui vocati ad ſenatum non comparuiſſent. Senatorum poſthumi in ſenatorio habebantur ordine, at vero ij infantes, qui concepti natique fuiſſent, poſtquam eorum patres ignominiæ cauſa ſenatu moti fuiſſent, non habebantur Senatorum filii. Quod ſi liberi alicuius, qui Senatu motus fuiſſet, poſt mortem Patris in auī poteſtatem deueniret, qui Senator eſſet habebatur is non obſtante patris ignominia inter filios ſenatorios.

Centurias equitum tres Romulus inſtituit, quibus ad omnes reipublicæ caſus vteretur: his præfecit *Tribunos Celerum*, ipſi autem equites in tres vt diximus turmas diuiſi vocabantur *Rhamnenſes, Tatienſes & Luceres*. *Quæſtorum* ordo inter omnes eſt antiquiſſimus, quippe qui ante omnes prope magiſtratus creati ſunt. Certum n. eſt Tullum Hoſtilium Regem Quæſtores inſtituiſſe. Firmiore fide hæc narratio nititur, quam illorum qui dicunt, primum Romulum duos habuiſſe Quæſtores. De nomine horum diuerſimode ſentiūt, quibuſdā Quæſtores dictos aſſerentib. q̄ cōquirerent æs publicū, & in ærariū inferrent, ſuſcepta theſauri populi Romani cura.

Erant

Erant & alii, qui Imperatores consulesq; sequerentur in Prouincias: itemq; alii, qui recitabant litteras in senatu ab diuersis orbis partibus missas. Non desunt idonei auctores qui scribant, Quæstores quandoque solitos inquirere in facinorosorum crimina, antumatque Varro, ideo sic dictos, quod subiicerent quæstionibus & tormentis maleficos. Creabantur autem veteri cõsuetudine quæstores, tam ex plebeio quam patricio ordine, cumque consules capitis damnare ciuem Romanum non possent, factum est vt cognitio homicidii Quæstorib. rerum capitalium committeretur.

Duumvirorum primam institutionem ipsa prope vetustas inuoluit. Capiendum autem est initium ab Tullo Hostilio Rege, qui duobus viris iudicium detulit de capite M. Horatii, cum ab Curiatiorum cæde reuersus sororem interemisset. & Horatius quidem Duum virorum sententia capitis damnatus, cum ad plebem prouocasset, communibus populi calculis absolutus est. Hoc fuit Duum virorum Romæ initium, qui capitales ab officio dicti sunt: quibus successu temporis tertius fuit adiunctus, demandata insuper his Triumviris carcerum ergastulorumq; cura. Liuius ait huius magistratus iudicio præcipitatum de saxo C. Manlium Capitolinum, & sane hi ipsi tresviri etiam in coniurationis Catilinariæ socios animaduerterunt.

Præfecti Vrbis iurisdictio longe lateque patebat, extendebatur enim per vniuersam prope Italiam: nam adhuc proprie pertinebat cognitio omnium criminum grauiorum. Erat adhunc refugium seruis mancipiisque qui crudelitate dominorum coacti ad deorum statuas cõfugissent, hos à vi iniusta is tutabatur. Idem cognoscebat de causa tutorum & curatorum, vt & de seruis, qui manumissi ingrati in dominos fuissent. Ad eundem spectabat cura rerum venalium, quæ quotidie venum exponebantur, vt tolerabilia iis constituerentur precia, ne supra æquitatem assurgerent institores, quo fine certos habebat homines velut emissarios, qui ad ipsum referebant quicquid in hoc genere fieret. Durauit hoc officium multis annis, donec iurisdictio eius ad Prætorem Feriarum Latinarum migrauit, quanquam posterioribus temporibus alius denuo creatus fuerit Præfectus vrbis.

Imperii consularis initia plerique è vetustioribus auctoribus ad exemplum Regum Romanorum referunt, quibus ab vrbe pulsis, eadem potestas ad duos rediit, quãquam breui circumscripta tempore, vt vltra annum imperium eorum non duraret. Habebant autem Consules circum se Lictores, cum omnibus cæteris ornamentis atque signis, quæ Reges circum se habere soliti fuerant. Consules ideo dictos plerique autumant, quod quæ ex vsu Reipubl. essent, cõsulere deberent. Primi qui post electos vrbe Reges consulatum gessere, fuerunt L. Iunius Brutus & Tarquinius Collatinus. Brutus transactione conuenit cum Collega, vt alter solum. modo ex iis insigniis regibus vteretur, ne populus Romanus querelatum materiam haberet, cum se pro vno Rege duos nactum conspicaretur. Lictores erant omnino duodecim, qui præferebant manibus virgarum fasces cum singulis securibus, & hi quidem præibant consules. Valerius cum consulatum gereret, legem tulit, qua prouocandi potestatem populo fecit ab omnibus Magistratibus, qua quidem consularis potentia multum infra Regiam imminuta est. Primis temporibus consules ambo è solis Senatoribus legebantur: postremo autem Romani seditionibus Tribunorum plebis fatigati permiserunt, vt alter consulum è plebe legeretur. Primus consul è plebeio ordine fuit Lucius Sequacius.

Dictatora præ omnibus magna erat potentia & auctoritas. Ab huius enim sententia prouocare non licebat, cum summa & absoluta vteretur in Pop. Rom. iurisdictione. Cæterum non creabatur Dictator nisi cum in summo versaretur ciuitas periculo. Priscis annis nefas habebatur dictatorem aliunde quam è Patriciis legere. At vero in eo bello, quod Romanis cum Falisci erat, Dictatorem sibi è plebe adsciuit Populus C. Marium Rutilium. Dictaturam primus Romæ gessit, Titus Largius. Cum autem hic magistratus nimis potens videretur, per angusto lege circumscriptus fuit temporis spacio, vt vltra sextum mensem Dictatorem agere nulli fas esset. Quamuis posterioribus temporibus L. Cornelius Sylla & C. Iulius Cæsar abusi hoc Magistratu atq; nomine rempublicam oppressérint, cum Dictatores se dici iussissent, vt odiosam Regum & Tyrannorum appellationem deuitarent.

Magister Equitum summum in omnes milites post Dictatorem obtinebat Imperium. Primus hoc nomine appellatus fuit Spurius Cassius, lectus à Tito Largio primo Dictatore. Et vt rem in pauca contraham, tale erat officium Magistri Equitum, quale posteriori æuo Præfecti Prætorij apud Cæsares.

Tribunorum creationi dissensus & secessio plebis à Patribus occasionem præbuit. Cum enim plebs in montem sacrum secessisset, alia ratione ad officium reduci non potuit, quam si promitteret senatus, fore vt suos è plebe lectos haberent magistratus. Ibi primum duo Tribuni plebis creati sunt A. Virginius, T. Veturius. Cum autem succedente tempore plebs iterum secessionem fecisset, duobus additi sunt tres alii: deinceps quinque, vt Tribunorum plebis numerus excreuerit ad decem: quorum auctoritas ad id adscendit fastigium, vt ea quæ senatus decreuisset, ita demum rata forent, si Tribuni plebis ita censuissent. Stabant hi fere in limine ac vestibulo loci illius, vbi Senatui conueniendum erat, qui Tribunis solebat ostendere Senatus consulta, vt si ita videretur, approbarent ea, si secus, adderent aut demerent quædam prout videretur iis ex vsu Reipublicæ esse. Quod si sententiæ senatorum subscripsissent, in signum assensus subscribebant litteram T. Quanquam, vt verum fateamur,

reamur, potissima creandorum Tribunorum causa fuit Beneficium Intercessionis, ne quis alius Magistratus violentius vteretur in potestate in inferiores, vtque certas quasdam leges conciperent, quas Plebiscita appellabant, in quibus non interueniebat auctoritas Senatus. Præterea Tribuni plebis assignabant iis Prouincias, qui in eas cum Proconsulari potestate, velut rectores, mittendi erant, vt Plutarchus ostendit in vita Catonis. Obseruamus etiam ex Historiis, quod si omnes Tribuni plebis in vnam aliquam rem consentissent, excepto vno, hunc solum, si in contrariam iuisset sententiam, cæteros omnes impedire potuisse, ne cogitata perficerent.

Eo bello, quod Romanis cum Æquis fuit cõsules, Albus Postumius, & Sp. Furius, primum dixere proconsulem T. Quintium; & ab eo tempore cœperunt fieri Proconsules, qui omnibus consulatus insignibus vtebantur, excepto, quod pro duodecim Lictoribus sex haberent præuios, cum aliquid munii sigillatim à consule mãdati obituri essent, quamquam posteriori ætio peculiari quadam vsi fuerint potentia & auctoritate. Cum enim Romani pomœria imperii sui protulissent latius, legibus constitutum est, vtij qui consulatu decederent, inciperent esse Proconsules; & ad hunc modum præerant prouinciis Romanorum, cum eas inter se sortirentur. Nec vero Proconsul exercere ius suum poterat extra prouinciam, quæ ei sortito obtigisset, etiam si iurisdictio voluntaria esset, qualis est manumissio & adoptio. Si vxorem suam secum in prouinciam duxisset, poterat eam cohercere ac compescere si forte deliquisset. Mercari cũ quicquam in Prouincia, præterquam ad alimonia spectantes, fas non erat. Sententiam de spiritu ferre in rebus grauioris momenti, vel vt loquũtur, altioris indaginis, integrum ei non erat: sed in leuioribus controuersiis, vbi tanta diligentia opus non erat, vt cum filius aliquis parenti debitam non præstaret obedientiam, etsi quę sunt huius generis, iudicis partes sibi sumere poterat. Seruos item, qui à dominis manumissi, ingrati in patronos existerent, virgis ad palum cædere nemo eum prohibebat. Cũ autem fere negociorum multitudine obruerentur Proconsules, vt iis expediendis soli sufficere non possent, mittere cõsueuerant in Prouincias Legatos suos, qui ibi ius dicerent, non suo sed eius nomine, cuius vices gerebant. Quod si quæ grauior offerebat se legatis controuersia, quæ diligentem iudicis requireret cognitionem, remittebant eam ad Proconsulem, cum ipsi nec verberare neque interficere sua auctoritate quenquam possent. Exercere tamen iudicia poterant, & ius dicere iis, qui causas ciuiles coram eorum tribunali disceptabant, & constituere pupillis tutores.

Ædilium Pop. Romani præcipuę partes erant, vt curarent ea quæ ad munera & festorum solennitates spectabãt, in quas ipsi sumtus de suo plerunq; faciebant, pro splendore familiæ & magnitudine opum vniuscuiusq;. Refert Pedianus Cn. Pompeium cum Ædilis esset, extruxisse Theatrum admirandæ magnitudinis & pulchritudinis, in quo præter munera & spectacula, quę populo exhibuerit splendidissima, conspectus fuerit currus ab elefantis tractus. Iisdem Ædilibus incumbebat, vt operam darent, vt spectatores conuenientes suo ordini in Theatro occuparent gradus, neu confunderentur cum Orchestra Equestria & popularia. Quod si quis in emendis pecudibus deceptus fuisset atq; circũscriptus à venditore, appellabat Ædiles fraudis vindices. Hi ipsi quoque fossarum, & aquæductuum, cæterorumque ope um publicorum curam gerebant, vt farta recta conseruarentur.

Præfecti Annonæ officium erat, vt frumẽtum vndique in vsus publicos conquireret, eos insuper, qui plus quam opus haberent, collegerant, cogeret vendere, constituto æquo ac tolerabili precio. Sensit horum Præfectorum salutarem opem multoties Romana ciuitas, tunc cum annonæ difficultate populus laboraret, & fames publica meueretur. Erant autem actiones frumentariæ tam fauorabiles in iudiciis, vt personæ leues, & quæ alias ad actionem iudiciariam non admittebantur, quales sunt meretrices & eius farinæ fæx populi, *incendiarios* tamen frumenti accusare possent.

Tribuni militares promiscue legebantur è Senatorio & Plebeio ordine. Obseruamus ex historiis, fuisse aliquãdo viginti, aliquãdo plures siue pauciores: Primis a temporib. tantum tres creati fuerant, A. Sempronius Amacinus, L. Attilius & T. Cecilius. Quia ipse quoque consulatus ad Tribunos militares rediit, qui ideo cum potestate consulari esse dicebantur, quum M. Genutius & P. Horatius cessissent consulatu. Fuit autem his eadem authoritas & potestas quæ ante consulibus, mutato solum nomine Magistratus, & quod plebs in Tribunorum militarium creatione interueniret.

Censorum nomen antiquitus in exigua fuit auctoritate, posteris autem temporibus ad tãtum adscendit fastigium, vt ab his mores & disciplina Pop. Rom. dependerent, Præfectura item Equitum Romanorum, iurisdictio priuatorum, & vectigalia ex locis publicis Romæ. Mouebant hi magna seueritate senatu eos, quos indignos iudicabant, legebant principem senatus, adscribebant in eum ordinem, quos & quando volebant, auferebant equum & arma ignauis militibus, & qui iusto forent obsessores, quique vnguenta exotica olebant, qui hoc modo notabantur infamia, & ignominiæ causa dimittebantur ab exercitu. Prisco æno hic mos obseruabatur, vt mortuo altero è Censoribus, superstes sufficere pro duobus crederetur. Postea tamen lege lata constitutum est, vt vno defuncto alter abdicaret se censura, ita creabãtur duo alii. Causa huius rei hæc fuisse perhibetur, quod tunc, cum Galli Senones Vrbem cepissent, vno Censorum mortuo subrogatus fuisset alius, quæ res deinceps infelicis augurii nota fuit. Solebant insuper censores nimias vsuras compescere & intra limites reuocare.

Prætoris Vrbani magna erat auctoritas, adeo, vt abrogatis antiquis legibus nouas condere posset, fuitque quicquid constituisset, receptum inter leges Honorarias. Permissumq; erat Prætoribus insignibus regiis vti, vt eodē prope incederent ornatu quo ipsi consules. Vehebatur autem Prætor Vrbanus equo per vrbem, amictus candido.

Cum autem ingens hominum multitudo Romam confluēret, visum est Senatui populoque, *Prætorem Peregrinum* creare, qui ius diceret litigantibus peregrinis. Aucto autem in immēsum extraneorum numero, narrant historiæ, octodecim aliquando Prętores constitutos fuisse. Postquam autem Romani Sardiniam, Siciliam, Hispaniam Galliamque Narbonensem occupauerunt & in prouincias redegerunt, tot creauerunt Prætores quot ipsæ erant Prouinciæ, fueruntq; in duplici iure Prætores, aliis quidem res vrbis, aliis prouincias curantibus. Post hæc tempora, cum L. Cornelius Sulla inuenisset tormenta publica, quibus falsarij, parricidæ, venefici & id genus malefici subiiciebantur, adiuncti sunt superioribus quatuor alii prætores. I. Cæsar insuper constituit duos Prætores & duos Ædiles, qui Annonariæ rei curam gererent, fueruntque à Cerere frumentorum inuētrice appellati Cereales. Augustus Cæsar sedecim constituit Prætores, quibus Claudius duos addidit, cum Tyberius vnum sustulisset.

Præfectorum Prætorio apud Imperatores idem erat officium, eadem dignitas, quæ Tribuni Celerum apud priscos reges, & Magistri equitum apud dictatores. Hi enim primum omnes locum ab iis obtinebant, vt ex disciplina publica corrigerent mores. Creuit autem Præfectorum Prætorio adeo auctoritas, vt cum initio à Præf. Præt. prouocatio daretur ad Principem, ea postmodum sublata fuerit, cum existimaret Imperator, eos qui ad huius dignitatis fastigium adscendissent, aliter iudicare non debere, quam ipse Princeps iudicaturus esset. Alio insuper gaudebant Præfecti Prætorio priuilegio, vt minores ætate, si lata fuisset ab iis contra hos sententia, ad alium confugere iudicem non possent, quod tamen illis integrum erat, si ab aliis Magistratibus condemnarentur.

Augustus Cæsar, cum existimaret curam reipub. ad neminem magis quā ad se pertinere, instituit septem cohortes militum, eosq; in locis vrbis disposuit, vbi eorum maior vsus esse poterat, vt orto incendio in ciuitate promte succurrere possent, obseruabātq; hi eum ordinē vt singulæ cohortes binas sibi sumerent vrbis regiones, ipsis vero cohortibus singuli Tribuni præerant, Præfectus autem vigilum imperitabat vniuersis. Cognoscebat hic de causis incendiorū, de furtis aliisque minoribus criminibus, si culpa minor esset, quam quæ ad Præfectum Vrbis remitti mereretur. Vigilare oportebat hunc Præfectum bonam noctis partem, & perambulare vrbem, monere insuper ciues, vt diligenter custodirent ignem, & aquam præsto haberent in suis ædibus.

Iam deinceps de *Procuratore Cæsaris* dicendum est, qui iudex erat inter populum & principem. Tāta autem huius officii erat dignitas & amplitudo, vt quicquid is constituisset aut fecisset nomine Cæsaris, eūdem obtineret valorem, ac si ipse Princeps fecisset. In suis tamen rebus propriis eadem auctoritate vti non poterat, ita enim facta eius tata erāt, si Imperator cōsensisset. Nam si de vēditione aut donatione inter eum & Principem lis esset, nullius momenti erat, quod ipse faceret, cum potestate sua vti nō posset ad abalienandas res Principis, sed ad fidē & industriam in mandato munere Cæsari præstandam. Quod si quispiam è numero Cæsaris testamento hæres scriptus fuisset, Procurator eius dabat operam, vt princeps in successionem bonorum legatorum mitteretur, cum legibus constitutum sit, *vt seruus non sibi, sed domino suo acquirat*. Cum autem ipse Cæsar hæres testamento institutus fuisset, Procurator adibat hæreditatē nomine Principis, quem hoc pacto in possessionem bonorum mittebat. Notandum autē, Procuratorem hunc damnandi proscribendiq; potentia vti non potuisse.

Præsidum nomen generale est, multisq; competit: cum & Proconsules, & Legati Principum adeoq; omnes qui regebant Prouincias, si quidem ex ordine essent senatorio, Præsides appellarentur.

MODVS ET FORMA DOMINII NOstri temporis.

CAput principatus huius est *Pontifex Romanus*, à quo multiplex auctoritas & dignitas deriuatur in eius membra, quæ ab antiquo corpus curiæ illius constituerunt, quæ ea qua potero breuitate persequar. Primum omniū occurrit *Collegium Cardinalium*, quorum velut consul aut Dictator est summus Pont. Horum numerus definitus nostro æuo non est, quanquam nō desint, qui ex historiarum monumentis ostendant, primis temporib. nonnisi duodecim fuisse, ad exemplum Sanctorum Apostolorum. Solebant hi olim quotseptimanis bis inuisere Pōtificem: auctis autem posteriorib. temporib. negotiis, non nisi semel id factum accepimus. Cōuentus eorū nominatur vsitato vocabulo *Consistorium*. Hic ordinantur illi, qui electi sunt Episcopi aut Archiepiscopi, aut quib. commissa est dignitas Patriarcharum, vacante sede, quorum electio spectat ad aliquod collegium, ad oppidū aliquod, vel prouinciam, vel denique; regem quēpiam aut Principem. Quidam n. creantur per ipsū summum Pontificē, vel per Senatū, quorū electio peculiari quōdā priuilegio Papæ reseruatur, extenditurq; ad monasteria quædā, quæ pēsiones suas annuas pendunt inferuntq; in Camerā Papalē, vocanturq; ideo *Monasteria Consistorialia*, quod res eorum maioris momenti non nisi in pleno Consistorio expediri possint. Et vt verbo rem comprehendā, peraguntur hic omnia ea, quæ cōcernunt Religionē & pacem tā Ecclesiæ quam

34

quàm prouinciarum Pontificis. Habent in hoc Consistorio Reges, Principes, Respublicæ & Ordines Monastici suos, vt vocant, *Protectores*, quibus id incumbit muneris, vt vacante officio aliquo Ecclesiastico, superiorum suorum nomine referant ad Senatum, certumque aliquem substitui petant. Fere autem contingit, vt orator habeat qui contradicant, cum semper inueniantur, qui desiderare se aliquid in eo, quo de agitur, profiteãtur. Multis idoneisque hic opus est testibus, vbi omnia quæ vltro citroque agitantur, scripto comprehensa exhibentur Patribus, vnde responsum accipiunt ij, qui expectant, sigillo Sanctæ Sedis munitũ. Id responsum postea exhibetur Vicecancellario, qui ad cæteros Archiuorum Pontificiorum officiarios eo nomine scribit, addita narratione eorum quæ facta fuerunt. Relatis his ad scribarum collegium, petitores instant, vt accedente Cameræ Apostolicæ consensu, per Abbreuiatores (vt vocant) vel Secretarium qui est extra ordinem, in libellum redigantur omnia, & signentur sigillo plumbeo.

35. *Magnus Pœnitentiarius* appellatur is, ad quem spectat supremum ius in causis quæ absolutiones reorum à peccatis concernunt. Exercet is potestatem hanc, quæ à Pontifice ipsi commissa est, per alios vicarios, quos vocant Pœnitentiarios inferiores, qui sparsim diuersorum Templorum in Vrbe curam gerunt, inprimis Basilicæ S. Petri, Iohannis Lateranensis, & S. Mariæ maioris. Cæterum non consentit in dispensationem, vt vocant, legum, nisi in quibusdam causis, in quibus ipse vi authoritatis à Põtifice acceptæ audit supplicantes: quod si cõsiderata petitione res digna videatur, quæ ad animum admittatur, etsi alias quoque de consuetudine per ipsum Papam concedi soleat, tunc ipse Pœnitentiarius authoritate officij commissionisque suæ generalis (non tamen velut ex ore Papæ) subscribit libello supplici: *Fiat in forma*, vel, *Fiat de speciali*, vel, *Fiat de expresso*. Hac subscriptionis varietate tacite innuitur iis, qui pecunias hoc nomine à supplicibus exigunt, quanti momenti sit res quæ petitur. Visis enim illis formulis veluti symbolis, statim nouerunt quæstorum ministri, quantum ab vnoquoque exigere debeant, variante solutione taxæ pro varietate subscriptionis. Est autẽ tanta nostro æuo multitudo Legum humanarũ, siue à Pontif. Max. siue à Conciliis, aut monasteriorum regulis proficiscantur, vt homines ligati illis desiderio vetustæ libertatis supplices recurrant ad Supremum Pœnitentiarium, qui sua manu subscribit petitionibus supplicantiũ: post expediuntur Bullæ siue Diplomata, firmata eius nomine & sigillo. Fit autem aliquoties, vt ipse non statim rescribat, cum de re petita eiusque causa non satis liquet: ibi tum alios constituit iudices, qui de facto plenius cognoscant, qui capto consilio illius loco & nomine rem expediunt. Hoc officium vt commodius exerceri possit, viginti quatuor viros de consuetudine velut apparitores habet, qui tueantur supplices, eaque de causa vocantur *Procuratores Pœnitentiarij*. Dispensat autem, id est, permittit ac indulget, vt cõtrahantur matrimonia in gradibus prohibitis, impertit spuriis nomen ac iura Legitimorum, mancis aut aliquo mẽbro truncatis gratiã facit, vt nõ obstante lege, in sacros Ordines cooptari possint, vtq; plurib. beneficiis Ecclesiasticis perfrui possint, qui vetustis legibus vno cõtenti esse iubentur. Absoluit insuper ab homicidij crimine, in foro Conscientiæ. Idem facit in Simoniæ crimine, periurio, mutat vota nuncupata, & religiosis laxat acerbitatem regulæ ac vinculi religionis. Impertit insuper singulares Indulgentias tam certis quibusdam locis quam hominibus, pronunciat nulla atque irrita matrimonia, facitque multa alia huius generis.

Petitur autem quotidie à Pontifice Signatura 36.
rerum, quæ ab ipsius propria proficiscuntur liberalitate, cuiusmodi sunt beneficiorum largitiones, & pleræque res aliæ, quarum permissio generatim in Magni Pœnitentiarij est arbitrio, nec non ea quæ administrationẽ iustitiæ concernũt, in rebus Ecclesiasticis, per totũ prope Orbẽ Christianum; in temporalib. autem, per Pontificis quam latè patent Prouincias, siue id fiat ob personæ qualitatẽ, quæ est Ordinis Ecclesiastici, siue permissione alicuius principis, aut quod litigantes Romanã Curiam sibi forum delegerint. Maioris autẽ commoditatis ergo, vtque supplicantium celerior haberi possit ratio, Pontifices constituerunt duo tribunalia aut iudicia, (ipsi audientias vocant) in vno expediuntur res quæ beneficium aliquod vel gratiã concernunt: in altero quæ iustitiã tangunt, vt hinc diuersa nomina orta sint, *Signatura Iustitiæ, & signatura gratiæ*. Inutroque foro iudices constituti sunt, legis periti homines, & in audientia Gratiæ primas tenent Cardinales, qui in legib. Ecclesiasticis versatissimi habentur. Vnde fit, vt his dicasteriis raro homines Ecclesiastici præficiantur, quos *Referẽdarios* nominant, qui non simul sint Iurisconsulti. His officij ratione incumbit cognoscere contenta libellorum supplicum, cumq; petitionẽ talem inueniunt quæ admitti possit, consueuerunt nomina sua ipsis libellis subscribere, deinde ad ipsum Pontificẽ aut Cardinalem, penes quẽ est arbitrium negandi aut indulgendi, referre, talia peti, quorum ratio haberi possit. Quod si supplex tale aliquid petat, quod in alterius cedat præiudicium, non assentiuntur nisi vocato tertio: & si forte talis sit petitio, cuius momentum longiore indigeat deliberatione; ibi Referendarius super ea cum reliquis assessoribus in iudicio consultationem instituit, nec impetrat petitor quicquã, nisi prius in subscriptionẽ vniuersi consentiant. Hac re motus Pontif. M. Cardinali cuidam summas partes vtriusque tribunalis demandare solet, qui res leuioris momenti suo largitur arbitrio, sed & grauiores, si eas permittere alias moris sit.

Iudices in foro Gratiæ, (siue eos Referendarios appellare malis) non adsueuerunt recipere causas quæ ad Forum Iustitiæ pertinent, veriti malam Pontificis gratiam, si sibi vendicarent,

quod ad ipsum proprie spectat. Ipsi signaturæ certus quidam dies determinatus est, qui vbi illuxit, conueniunt referendarij. Hoc quandoque non expectato, die illo qui præcedit, solent litigantes coram Referendariis comparere, ibique disceptare causas suas, assumtis causidicis Aduocatisq; suis. Appetente die constituto, incumbit Referendario, vt breuiter exponat summa petitionũ vel controuersiarum capita. Causa igitur disceptata, Præses iudicij sententiam fert secundum plura vota, neq; Referendarij in more positum habent, rem vnam, quæ semel negata aut reiecta est, sæpius deinde proponere. Papa cum subscribit petitioni, vno hoc verbo vtitur: PLACET. P. si causa in foro Iustitiæ decisa sit. Si vero in tribunali Gratiæ, ita subscribit: FIAT VT PETITVR. P. Quod autem adiectum est P. nomen Pontificis innuit, verbi gratia si appelletur Paulus. Quod si ei Iulio nomen sit aut Innocentio, littera I. adiungitur. Quodsi Pontifex alicui quicquam impertiat beneficij non rogatus aut exoratus ab aliis, non addit VT PETITVR, sed hæc verba subiungit: MOTV PROPRIO. Cardinalis autẽ præfectus signaturæ Gratiæ, eadem semper vtitur in subscribẽdo formula, quæ talis est: CONCESSVM IN PRÆSENTIA D. N. PAPÆ. his verbis deinde subdit nomẽ suum. Quanquam hæc raro expediantur præsente Papa, sed quod hoc adiicere moris sit. In casibus autem Iustitiæ Cardinalis præfectus dicasterio hac subscriptione vtitur: PLACET D. N. PAPÆ. post subiungit nomen suum; & hac quidem formula solet vti, cum scribit ad Iudices Curiæ Romanæ. Scribẽs vero ad Iudices Prouinciarum hæc verba addit, CONCESSVM IN PRÆSENTIA D. N. PAPÆ. deinde subtexit nomen suum. Vtitur aliquãdo & his formulis: *Placet prout de Iure. Placet arbitrio Iudicis. Concessum arbitrio Iudicum.* Notandum autem, rescripta Præsidis Iustitiæ, quæ ad Iudices prouinciarum mittenda sunt, non prius in eorũ peruenire manus, nisi prius deferantur ad *Datarium*, vt & illa quæ proficiscuntur à foro Gratiæ, qui subscribit diem, deinde verbotim describit in singularem quendam codicem, tunc demum redduntur petentibus aut procuratoribus eorũ in formulam Epistolæ redacta. Ad vlteriorem autem expeditionem tribus viis itur, siquidem causa ad forũ Iustitiæ pertinet: scilicet in Archiuis siue Cancellaria; aut in officio contradicentium, sub sigillo plumbeo: aut in collegio Secretariorum in forma Breuis, additis his verbis, *sub annulo piscatoris.* Quod si res ad tribunal Gratiæ pertineat, vel expeditur in eadem Cancellaria aut in Camera Pontificis. Si id fiat per Secretariorum collegium, tunc fit id extra ordinem.

37 Cancellariæ præest vnus Cardinalium, qui ob id Vicecancellarius appellatur, Dignitas viro magna, quippe qui consensu Pontificis & decreto vniuersi senatus primum caput habetur illius Curiæ. Huius officiũ præcipuum est, vt præsit expeditionibus rerum Ecclesiasticarum, in materia conueniente, quam late, patet Romani Pontificis auctoritas. Huius imperiũ agnoscit quicquid est scribarũ magno numero & varietate, vt & quos vocant, *Abbreuiatores, Sollicitatores, Commentarienses*, aliique, quotquot occupantur circa expediẽdas literas & diplomata. Sunt præter hos & alij, quorũ ille vtitur ministerio, cũ de solutione vectigaliũ aut reddituũ agitur, quales sũt scribæ Cancellariæ, scribæ Camerales & his similes.

Est & alia Curia siue audientia, quæ appellatur 38
Camera Apostolica quæ ideo constituta est, vt melius expediantur negotia, cui bono Papa solet ei præficere sex Prælatos domesticos, qui vocantur *Clerici Cameræ*. Hi sunt pars Consilij eius sanctioris, versanturque cum eo familiarius, quorum vtitur consilio in iis rebus, quæ ipsum propius tangunt, cuius generis sunt præfectura Vrbis, cura boni publici, rationes reddituum, procuratio fisci Thesaurorumque. Magistratus Vrbani, etiamsi à Papa eligantur, iuramentum tamen præstant fidelitatis Cameralibus hisce. Eorundem auctoritas interuenit in omnibus reb. contractibusq; publicis, quæ Pontificẽ concernunt propius, cum beneficiorum Diplomata expediuntur in ipsa Camera, quod nonnunquam supplicantes lucrandi temporis gratia impetrãt aut cum causa per se ipsa maioris momenti est, quam vt in Cancellaria definiri possit, sed speciatim ipsius Põtificis assensum interuenire necesse est. Condemnantur in hoc foro malefici, siue ad pœnas ecclesiasticas siue temporales, pro ratione delinquentis aut delicti. Quæ præterea hîc expediuntur, eorũ nec finis est nec modus. Negotiorum enim, quæ Romã deferuntur, ad immanem modum creuit multitudo, vt Pontifices quietis studiosi, excusso tam laborioso officio rarius in hoc consilium venire soleant, præterquã cum cõmoda fisci insignẽ aliquã curã requirunt, aut Bullæ expediendæ sunt maioris momenti. Fit & aliquãdo, vt Papa priuato studio, res illas, quas supra commemorauimus, tractãdas sibi sumat, nec eas ad Cameræ iudicium remittat: quo casu solos adsciscit sibi Secretarios domesticos.

Camerarius ex veteri consuetudine, siue monitus per septẽ clericos, siue motu proprio solet directe rescribere iudicib. de rebus omnibus, quæ cõcernunt Magistratus in reb. ciuilib. (nõ sacris) totius ditionis pontificiæ, cuius generis sunt, solutiones decimarũ, primitiarũ, beneficia, decessus hominũ Ecclesiasticorũ, vacantiæ, hæreditates, & quæ præterea spectãt ad Camerã Apostolicã. Mittit autẽ fere singulis dieb. talia rescripta, & illa ad eũ cõponit modũ, quasi ab ipsius Põtificis ore excepissẽt, vocanturq; vltate *litteræ Cameriales*, expediunturque duab. rationib. aut enim clausæ exhibentur, & sigillo Camerarij munitæ, aut apertæ sine signo. *Præfectus erarij siue Thesaurarius* nõ solũ custos est pecuniarũ, quæ in Camerã inferũtur, sed & cogit eas exigitq; expenditque quantum opus est, redditis rationibus. Fit etiam nonnunquam, vt argentum illud Magnario alicui negotiatori credatur, qui illud è manibus Thesaurarij accipit, redditq; suo tẽpore: hic vocatur honesto nomine *Depositarius*. *Auditorẽ* Cameræ, qui res spirituales tractat, sequitur is qui

dicitur

dicitur *Gubernator*, qui pœnas sumit de facinorosis, & appellatur *Executor brachii secularis*: idē decidit causas inducarum, quietis publicæ, accipit querelas vasallorum & clientum contra Dominos, quanquam sint capitales, ad quadragesimū vsq; miliare ab vrbe. Valet hic præcipua auctoritate super omnes magistratus vrbanos, datq; operam, vt tranquillitas publica conseruetur in vrbe & curia vel aula Romana. Qui exactius nosse cupit, qua polleat hic *Gubernator* potestate, is legat caput Sixti Quarti & Iulii II. PP. M M. & satisfaciet haud dubie curiositati suæ.

Præses Cameræ Apostolicæ rationes exigit ab omnibus qui impenderunt argentum ex ærario Cameræ in vsus vrbis Romæ vel prouinciarum, auditq; eos respondentes in audientia Camerę. Cumq; sæpe fiat, vt Procurator Fisci litem moueat priuatis, salubriter constitutum est, vt his, præsertim tenuiorib. & iniuriis opportunis, Aduocatus detur, cui merces soluitur è publico, vt habeant qui eos defendant contra Aduocatum Fisci. Est & alius Aduocatus, qui defendit causas Fisci, tam in audientia quam alibi & apud alios iudices curiæ Romanæ, vbi Procuratorem Fisci conuentum respondere fas est. Is a. Aduocatus est de numero & ordine Consistorialium. Igitur Procurator Fisci agit, discutit defenditq; causas fiscales, tam in audientia Cameræ quam coram aliis tribunalibus. Referuntur autem inter fiscales etiam illæ causæ, in quibus agitur de libertate publica, aut de moneta redditibusq; publicis. Est a. huius officii magna necessitas & dignitas in Aula Romana, multumq; refert, non tantum priuatorum sed & principum gratia, vt illi præficiatur vir prudens & in Romana curia versatissimus. Potest n. Procurator ille fisci extra Audientiam de secretiorib. causis cognoscere, & pro suo arbitratu pronunciare, quamuis è numero iudicum non sit. Solet insuper Consistoriis publicis interesse, & exigere, vt res peractæ publicę per Protonotarium aliquem in forma instrumēti publici cōcipiantur ad perpetuam rei memoriam. *Commissarius Cameræ Apostolicæ* exequitur eas res, quibuscum Iudicibus nihil est negotii. Commissa est ei cura exactionum, legationum, vectigalium, frumenti & aliarum rerum, quæ spectāt ad Cameram. Huius officium vltimum est inter ministeria Cameræ Apostolicæ. Is enim defendit iura & redditus qui assignantur Cardinalib. omnesq; in vniuersum res, quæ commodis eorum inseruiūt. Cum autem magnus sit numerus iudicum Romanæ Curiæ, maiorque captiuorum, qui fere omnes sigillatim asseruātur, multoties accidit, vt ob varias iudicum occupationes, quādoq; etiam data opera, causarum decisiones diutius prolongentur, quam vel ipsarū qualitas requirit, aut carceris tædium patitur. Huic malo vt obuiam eatur, Cardinales singulis mensib. adeunt ergastula, quod se gerant pro supremis iudicib. quib. tamē visitationib. interesse non solent assessores Cameræ Apostolicæ, sed eorum loco legatus Camerarii & vnus aut alter de septem illis Clericis, cumq; iis alia Cameræ ministeria, præter Præfectum ærario & Præsidem. Hi omnes die constituto conueniunt in loco quodam sub dio in medio carceris, euocatiq; nominatim captiui comparent coram iis, & audiuntur si quid pro se dicere velint. Tunc eximunt illos vinculis, quos audiuerunt, aut cōstituunt eis mitiorem pœnam: quod si non habeant grauiære alieno oppressi, vnde soluant, dimittuntur, modo simpliciter bonis cedāt. Ab his duob. vltimis carceribus qui vocantur *Curiæ Sabellæ*, & *Turris Nonæ*, iudices inferiores denominationē trahunt. Qui prouocant à Iudice Turris Nonæ, ad Gubernatoris tribunal confugiunt, à Curia Sabella autem fit appellatio ad auditorē Cameræ, qui sententiam fert in causa appellata quanquam autem Gubernator se aliquando immisceat prouocationib. à Iudice Curiæ Sabellæ, tamen ad auditorem proprie pertinēt. Huic nouissimo Iudici ab antiquissimis temporib. solent *Meretrices* quotannis certum pecuniæ modum tributi nomine pendere, estq; is adeo tenax iuris sui, vt de facto exigere possit à soluere nolentib.

Præter hanc Curiam ordinariā est Romæ con- 39
uentus quidam ciuiū Romanorum, quib. Pont. M. Prætorem dat, qui vsitato hodie nomine *Senator* appellatur. Residet hic in Capitolio, & ius dicit ciuib. Romanis pro auctoritate officii sui. Habet & sub se tres alios Senatores inferiores, è quibus duo illi qui in causis priuatorum sentētias ferunt, nominantur *Collaterales*. Differunt a. dignitate: Vnus dicitur Primus, alter Secundus, Tertius iudicis partibus fungitur in causis criminalib. Quod si quis ab horum sententia prouocare velit, peculiaris *Iudex appellationis* constitutus est in Capitolio, qui si cōformem superiori ferat sententiam, iam appellationi vlterius locus non est. Ibidem etiam singularia sunt subsellia, vbi omnia opificia omnesque artes, quarum in pensili tabula sunt descripta nomina subter porticum, eligunt sibi *Consulem*, qui si homorechnos socios; tribus suæ grauatos sentiat, rem defert ad *conseruatores Vrbis*, qui & ipsi commorātur in Capitolio. Hæc velut tribunicia immunitas ciuibus confirmata est per Pontifices, Iulium II. Leonem X. & Paulum III.

Habet insuper Pont. Rom. cerū quendā Vi- 40
CARIVM. Pollet hic eadem prope auctoritate, qua Papa ipse, cuius est Vicarius & (vt vocant) ordinarius; cum in omnes Ecclesiasticos obtineat Imperium. Imponit pœnitentibus de admissis criminibus notas pœnitentiæ, confert Sacramenta Ecclesiæ, ius habet congregandi Clericos ex legibus Diœceseos, visitandi Ecclesias & Monasteria regularium, nisi aliquo priuilegio muniantur, quo ab eius censura eximantur. Inquirit in clericorum vitia, corrigit, castigat, punit, aufert aut concedit beneficia. Tanta autem vis est indulti Papalis, vt hic vicarius iurisdictionem suam exercere possit in Laicos, vt vocant, & peregrinos, qui nomine alicuius confraternitatis, aut anachoreseos, aut seruitutis Xenodocheiis præstitæ, aut monasterii, religionem aliquam in specie sectari videntur. Extendit se in-

super potestas eius super Iudæos Vrbis incolas, viduas, pupillos, aliasque personas Christianas miserabiles quas Ecclesia in sinum suum fouendas recepit. Iudicem insuper agere potest in litigiis, vbi non agitur aut controuertitur de rerum proprietate, sed de vsu, locato & conducto, pensionibus aut vsura, cuiusmodi sunt villæ elocatę, agri emphyteutici, vineæ decumanæ & salaria. Verum in controuersiis vbi de possessione propriii agitur, vltra sexaginta aureorum ducatorũ iudicare non potest. Extendit autem se hæc Vicarii authoritas ad quadragesimum vsque ab vrbe milliarium. Seruiunt ei quatuor Notarii siue Scribæ publici cum duobus amanuẽsibus, quorum vtitur opera tam in causis priuatis ac ciuilibus, quam publicis & criminalibus.

Præter hos, quos iam superius commemorauimus, habet Pontifex Romanus duodecim (vt vocant) Sacellanos, qui sunt *Auditores causarum sacri Palatii*, quib. singulari priuilegio à Papa permissum est, vt litigantes priuatim audire possint, quod vbi factum est, causam ad pontificem deferunt, qui definitiuam fert sententiam.

Notandum autem est, quemuis facile & exiguo tempore in Romanorum ciuium numerum recipi posse, nec hoc saltim, sed & paruo labore ad summos conscendere honores, qui in vrbe acquiri possunt. Nec fere vllum locum esse, in quo tam luculenta sperari possint industriæ ac sedulitatis præmia, quam Romæ: vt ingeniũ non illiberale, & quod ad summas dignitates magno animo adspirare audeat, frustrationem metuere vix habeat, nisi singulariter inimicum numen inueniat.

Solent antiquitus Papæ in Prouincias & Vrbes præcipuas, quæ eorum subsunt dominio, Legatos velut Proconsules mittere, qui summa ibi vtantur potestate: sed hic honor fere Pontificum agnatis propinquisq; cedit, aut eorum familiaribus, qui proxime ab iis dependent. Hæc ratio obseruatur per Italiam, & in Gallia Auinione in Comitatu Cauarum, estq; is Legatus velut Gubernator aut Rector Prouinciæ, polletq; plurimum tam in rebus Ecclesiasticis quam in iis quæ concernunt iustitiam. Armorum tamen & præsidiorum cura ei non incumbit, cum quidam ex Nobilitate omnem illam per Comitatum sustineat solicitudinem.

Sumunt sibi Pontifices etiam ius conferendi beneficia Ecclesiastica in regnis ac dominiis exterorum Principum, quanquam hæc potentia multum restricta angustioribus vtatur limitib. cum multi Principes & quædam collegia ecclesiastica in hoc casu singularibus vtantur priuilegiis. Quæ tamen non impediunt, quominus illi, qui beneficia sua Papæ non accepta ferunt, Roma confirmationem suam petant, & pecuniæ certum modum (ipsi Annatas vocant) pendant.

41 Fortassis à præsenti instituto nihil alienum fecero, si de institutione ac modo *creandi summos Pontifices* aliquid perscripsero, non omissa consideratione Cardinalium. Diuersa autem est admodum ratio creandi Papas omni tempore obseruata. Petrum enim Seruator noster pro summa & absoluta sua potentia, nullius mortalis auctoritate interueniente, Papam (vt perhibent) constituit. Postea ius creandi Pontificem Max. deuolutum est ad Clerum Romanum, cui se iũxit Populus Romanus, cuius non modica interfuit in hac electione authoritas. Exactis autem CCCLI. annis Imperatores suam interposuerunt auctoritatem, quod inde natum est, quod Electi Pontifices aliquando ab Imperatoribus confirmari voluerunt, primo quidem soluto aliquo argenti modo; deinde absque interuentu pecuniæ. Comperimus etiam ex historiarum monumentis, non ausos fuisse admittere coronationem Pontifices, nisi præsente Imperatoris Legato. Postremo ipsorum pontificũ consensũ, qui hac ratione capistrum imponere volebant effreni audaciæ Pop. Romani factum est, vt omnis creandorum Pontificum auctoritas in Cæsares transferretur, qui hac potestate multis annis vsi fuerunt. Posteriores Pontifices, cum hoc ius Cæsarib. ereptum irent, non potuerunt id efficere sine maximis turbis & bellis ciuilibus in orbe Christiano excitatis, cum quidam Pontifices nouo exemplo ipsi sibi successores legerent, quos Clerici postea acceptauerunt. Tandem fatigatis illa altercatione & infelici dissidio Imperatorib. cum populus Rom. iam dudum excluſus esset, Pontificis electio mansit penes Cardinales, adscitis optimatibus è Clericorum numero: stetitq; hic modus vsq; ad Alexandrum III. qui Lateranense concilium coegit anno Saluris M. CC. LIX. cui interfuisse dicuntur CCLXXX. Episcopi. Is igitur Alexander tunc quidem constituit, vt iis, qui duab. tertiis partib. Cardinalium præsentib. electus esset, legitimus Pontifex haberetur. Durauit hic mos vsq; ad nostra tempora, quanquam an. M. CCCC. XVII. à Concilio Constantiensi in Germania Martinus V. P. M. electus fuerit ad tollendum schisma. Prima Conclauis Cardinalium institutio Gregorio X. P. M. accepta fertur, qui illud commentus est durante Synodo Lugdunensi, quod conclaue succedentib. temporib. auctum exornatumq; in eum adscendit splendorem, qui nostro obseruatur tempore. Conueniunt autem Cardinales ad creandum Pontificem, vbi vna fere ex tribus his rationib. aut modis rem agunt aut conficto (cõpromisso) aut adoratione: aut deniq; coniectis in vrnam scriptis scedulis, instar calculorũ, suffragia mittunt. Satis a. est nosse, omnem creandi Pontifices auctoritatem sitam esse in Cardinalibus, quod hi velut principalia ac vitalia membra sint Papæ, ipse vero caput eorum, qui illorum in omnib. rebus fideli vtatur opera & consilio. Est autem hic ordo Cardinalium pulchertimis per complures Pontifices ornatus priuilegiis, inter quos non vltimo loco nominãdus venit Paulus II. cuius extat constitutio, vt Cardinaliũ Collegium mediam partem percipiat redditũum Papalium, quanquam omissis his gaudeant meditate Annatarum à beneficiis, quæ conferuntur

aut

aut confirmantur à Consistorio. Numerus eorum quinquaginta trium est, de veteri consuetudine: verum hic nihil certi constitui potest, cum Pontifices eos augeant minuantq; pro arbitrio, vt constet Pii IV. Pontif. æuo sexaginta sex simul fuisse.

Qui de futuro Papa solliciti sunt, multa simul considerent oportet, inprimis conditiones temporum: nec enim eodem modo agitur inuoluto orbe Christiano turbis bellisq;, & pertruente eodem tranquilla pace. Turbatis rebus opus est tali viro, qui sciat sedare procellas turbinesq;. Tentandæ insuper sunt atq; aucupandæ voluntates magnorum Principum, quorum nõ dubium est, quin vnusquisque habere desideret deuinctum sibi & amicum Pontificẽ. Ante omnia autem dispiciunt, quo pacto præcipui è Cardinalium numero affecti sint, quod videantur in electione Paparum memoriam cæterorum omnium abiicere. Videmus tamen fere Senectutis haberi rationem, non tam vt illis placeatur, qui ad Pontificiam dignitatem adspirant, quã quod senes cito decedere contingat, & crebra pontificum mutatio Cardinalib. soleat esse quæstuosa. Deinde consideratur bonitas eorum, quod homines non adeo mali sint aut flagitiosi, vt innatum bonarum rerum desiderium penitus extinguant. Illud autem bonum, quod in Cardinalibus præcipue desideratur, est vt multis prosint: puta Iustitia, affabilitas, comitas, studium iuuandi alios: & hæc videtur causa, quod non facile adducantur Electores ad legendum Pontificem, qui nimis potentes habet consanguineos aut necessarios, qui aliis forte tenuioribus possent præripere spes suas: hinc quisque Cardinalium omni ope nititur, vt is fiat Pontif. Max. quẽ non solum ipse amat, sed & qui vicissim ipsum amare ac fouere obligatur. Etsi autem conuersio in omnes partes animo, accurate cuncta considerer, fieri tamen nullo modo potest, vt firma & infallibili coniectura assequaris, qualis sit futurus Papa, cum Romæ omnia in singulos dies & horas mutentur. Leuis quædam animorum offensio, noua Cardinalium promotio, aut improuisus aliquis casus omnia sursum deorsum vertere potest: quin & obseruatum est, concepta animi & sensa Cardinalium in ipso conclaui omnino mutata fuisse: vt vel spe ac gaudio elati, vel timore consternati, ac velut extra se rapti, vnum aliquem elegerint, de quo nec vnquam per somnium cogitauerant. Quod si possent præuidere noxas, quas quisq; daturus est, facile iis obuiam irent, quod cum fieri non possit, fit vt Prouinciæ Pontificiæ fere semper marceant langueantque. Cum autem tam exquisita non semper adhiberi possit diligentia, & quod nihil tale cogitantibus quandoq; obiicitur quispiam ex abrupto, accidit, vt excluſi breuitate temporis ex tempore consilium capere non possint, sed velut mentis inopes currant ad electionem, ruantque velut cæci ac præcipites. Vnde vidit nostra memoria, quandoq; illos ad Papale fastigium consurgere, qui omnium indignissimi habiti fuerunt. Facilius igitur est diuinare quam dicere, quis sit futurus Pontifex. Commendatur Pauli V. studium conseruandæ pacis, & concordiæ cum omnibus prope regib. orbis Christiani, & quod cum Venetis, quibus cum ipsi non satis eleganter conuenerat, interuentu magnorum regum commodius quam pro opinione hominum transegerit, qua quidem in spe etiam hac tempestate de moderno Pontifice est vniuersa prope Europa.

QVAE PRISCORVM ROMANORVM *fuerit Religio.*

CVm multa falsa Numina falsosq; Deos coluerint Prisci Romani, *Panã Lyceum* tamen, quem *aliqui Faunum* aut Syluanum nominant, eos antiquissimo adeoque primo loco habuisse constat, in cuius honorem *Lupercalia* sunt instituta, & sacrificii eius *Luperci* dicti. Repetitur horum sacrorum origo ab ipso vsq; Euandro Rege, qui ab Arcadia profugus in ea loca deuenerit, vbi postmodum Roma est ędificata. Gregũ armẽtorumq; pastores, qui Faunũ peculiariter suo præesse generi putabant, sacrificabant ei in vniuersũ nudi, operta tamen facie, ferẽtes quoddam cincturæ genus manib. Sunt qui horũ sacrorũ originẽ referãt ad casum quendã, qui Fauno acciderit, cum captus amore Ioles vxoris Herculis eam insequeretur. His contradicunt alii, asserunt quẽ Romulum sacrificantem Pani, abiecto ob solis calorem tegmine totum nudum aris adstitisse, vbi cum repente latrones conspicaretur, qui pecudes eius abigere tentarent, ita vt erat, nudum eos insecutũ deprehendisse: in cuius rei memoriam Lupercos nudos deinceps sacrificasse. Credebatur autem horum sacrorum ipsorumq; sacerdotum virtus præcipue se exerere in grauidis mulieribus, qui magnos partus sustinerent dolores, nec eniti possent; hæ enim ad Lupercos confugere solebant, vbi leniter percussæ exigua pellicula infectã sanguine hirci, maiore facilitate parere, aut si ad eum diem steriles fuissent, cõceptioni aptiores fieri credebantur. Incidebat autem hoc Lupercaliorum Festum in decimum octauum Ianuarii diem, si Ouidio credimus.

Post hos erant *Potitii & Pinarii*, quibus præcipue erant commendata sacra Herculis. Potitiorum prima institutio ad eundem Euandrum refertur, qui & his sacris multis annis præfuerũt, vsque dum illud munus seruis publicis committeretur, quo facto Potitiorum familia paulatim ineriit. Appio Claudio, qui eos magno persecutus fuerat odio, defectus ille adscriptus fuit crediderunt que Romani, ob eam causam eum cæcum factum.

Fratrum Arualium consilio fieri & opera opinabantur prisci, vt felix frugum prouentus annum commendaret. Romulum horum sacrorũ primum auctorem fuisse perhibent, qui & ab

aruo Aruales eos dixerit. Erant autem omnino duodecim, donabanturque corona spicea albis ornata tæniis.

Circa idem prope tempus Romam ab Hetruria venit religio *Augurum*, in qua regione vulgo arte diuinandi homines multum valere credebantur. His autē fere vtebantur ritib. Is qui præsagiendi causa augurium captaturus erat arcem solebat conscendere, vbi assidens subdio in loco editiore, conuersa in meridiem facie, incuruatum manu tenens baculum, quem *Lituum* vocabant, vrbem & agrum intuebatur Romanum, comprecatusq; Deos diuidibat cœlum in duas regiones, orientis & occidentis: Orientis partes collocabat ad meridiem, occidentis vero ad septentrionem; designansque tacite totum illud spacium, quousq; se extendebat obtutus eius, tenens sinistra Lituum, impositaq; dextra capiti illius cuius gratia captabat auguriū: Iuppiter pater, aiebat, si fas est, hūc hominem hac tali re potiri, ostende manifesto aliquo signo, intra eos quos mihi præfiniui fines. Et id spacium ipsi *templum* vocabant. Tunc subiungebat quale signū à Ioue ostendi vellet: quod si euenisset, bonum erat augurium. Creuit autem admodum huius scientiæ precium Romæ, vt cū auctoritate ipsius artis augurum quoq; numerus crescceret, vt Collegium eorum institueretur; cum à principio nonnisi tres fuissent.

Flaminem Dialem primum ab Numa Pompilio Rege constitutum autumant, cum ante id tempus Regem pontificis munus obire fas esset. Cæterum Numa cum considerasset plures post se reges fore Romulo similes quam sibi, id est Armorum quam Religionū studiosiores, quatuor Sacerdotes constituit, quos appellauit *Flamines*, qui perpetuo seruitio Deos colerent: quos & diuersis consecrauit numinibus, vnum Ioui, quem ideo *Dialem* appellauit: duos Marti: & vnum Quirino siue Romulo. Et cæteri quidem ab iis quibus seruiebant Diis denominabantur: Flaminem autem Dialem Numa voluit veste vti honoratiore, & sella sedere eburnea, cuius vsus eo tempore solis summis Magistratibus permissus erat. Vtebatur & idem pileolo albo, equoque vehebatur per vrbem. Iurare eum fas non erat, neque ignem sacrificandi causa in vllum locum non consecratum ferre. Si quisquam cinctus Templum eius ingrederetur, discingi eū necesse erat, & cingulum extra tectum proiici. Si quisquam facinorosus, qui ad supplicium aut flagra duceretur, ad illius se abiecisset genua, nefas erat illum eo die cædere. Homini libero aut ingenuo comam huius Sacerdotis secare, integrum non erat, nec licebat ipsi Diali tangere fabas, aut capram, aut hederam, aut carnes crudas. Fulcra lecti eius limo sordidata erant liquido, nec licebat cuiquam alii in eo cubare. Vngularum segmenta abrasosque crines Dialis subter terram condi oportebat, imposito filice. Nudato capite in publicum prodire non poterat prohibente religione. Massam farinæ fermento subactam eum contingere fas non erat neque mutare interulam, nisi in loco secreto & operto, ne nudus sub dio conspiceretur, velut sub intuitu Iouis, neq; quenquam ei prandenti assidere ad mensam licebat, præter regem sacrificulorum. Abstinere insuper iubebatur ab omni loco, in quo erat corpus mortuum. Marcus Varro memoriæ prodidit, antiquos totidem habuisse Flamines quot Deos, puta Dialem, Martialem, Quirinalem, Vulcanalem, Falacrensem. Et velut nos hodie in nostris sacris habemus Archiepiscopos, Episcopos, & inferiores ordines: ita illi habebant Flamines, primum Flaminem & alios inferiores.

Vestalium virginum summa erat cura, vt ignem perpetuum alerent, qui si forte negligentia earum extinctus fuisset, verberabantur acriter virgis per summum pontificem. Non recipiebantur in hoc templum nisi virgines liberæ ingenuæue, assumebanturque à decimo ferme ætatis anno. Primo decennio addiscebant ritus & ceremonias sacrorum; altero decennio operabantur sacris; tertio instituebant alias in eadem disciplina, quæ se nuper Vestæ sacris addixissent. Finitis his triginta annis liberum iis erat, si vellent, nubere: plerisque tamen infeliciter cesserunt hæ nuptiæ. Habebatur autem ingens illis honor ab vniuerso populo Romano, cum non solum sempiterni ignis, sed etiam Palladii (sic vocabatur pusilla statua Mineruæ) eis credita esset custodia, cum nonnullis aliis rebus, quibus præcipua tribuebatur sanctitas. Quod si violatæ per stuprum pudicitiæ conuictæ essent, hoc modo de ipsis sumebatur supplicium. Exutæ vestibus sacris & inter profanas relatæ, velatæque faciem lectica deportabantur per Vrbem, tristi cum silentio, mæsta vniuersa ciuitate, vsque ad portam Salariam, in campum qui ab hoc euentu *sceleratus* vocabatur; ibi erat crypta subterranea, cum duabus fenestris perexiguis, cuius angustus admodum erat aditus. Ardebat ibi lumen obscurum, appositio pocillo aquæ lactisque & mellis. Adhunc ergo locum peruentum cum esset, recitabat summus Pontifex preculas quasdam sublatis in cælum manibus. In hanc cryptam iubebatur rea ingredi per exiguum foramen, quod cum fieret, omnis spectatorum multitudo auertebat oculos: post sursum attracta scala, ingens lapis sepulcralis imponebatur summo ostio, & populus iniiciebat terram, eratque totus ille dies lugubris ciuitati.

Salii erant Sacerdotes Martis, quos numero duodecim instituerat Numa rex. His Tullus Hostilius duodecim alios adiunxit. Putantur dicti Salii, quod saliendo sacris operarentur: gestabantque tunicas pictas & in pectore ornamenti aliquid ex argento, gemmis & auro variegato.

Primis annis nonnisi quatuor ex ordine Pontificum legebantur in Senatum: deinceps peruicit populus, vt totidem ex plebeio ordi-

ordine legerentur. Horum autem omnium caput erat is, qui appellabatur Summus Pontifex, vel Pontifex Maximus, qui callebat, quo tempore & quibus victimis esset perlitandum. Idé dabat operam, vt sumtus suppeterent ad sacrificia & alimoniam sacerdotum victimariorumque. Habuisse idem tabulam perhibetur, ex qua defectus solis Lunæque longè ante præuidere posset.

Fecialis hæ præcipuæ erant partes, vt curaret, quo fides publica exteris populis data salua conseruaretur, nec iustum putabatur quibuscunque tandem illatum bellum nisi Fecialis id denunciasset. Cum facienda esset pax, sciscitabatur Fecialis ab Imperatore aut Consule, Vellet ne iuberet ne fieri pacem cum hostibus? annuente Imperatore Fecialis eum herbam rogabat: quaaccepta iterum quærebat: faceretne hoc, vt Legatus Senatus Populique Romani? Respondit Consul, facere se id bona fide. Post hæc sanciebatur pax, conceptis ad Iouem Fidium precibus: quod si populus Romanus fidem ac conuenta prior falleret, tum Iuppiter eum ita ferire, vt ipse porcum, quem lapide percutiebat, idque eo magis, quo magis ipse posset, vellet que. Cum autem bellum indicebant, id fere hoc modo faciebat. Ferebat Fecialis, telum ambustum & herbæ nonnihil ad fines eorum, quibus denunciandum erat bellum, adscitisque tribus viris grandæuis narrabat, quo pacto hostes læsissent Pop. Romanum, ob quam rem illis iam bellum indiceretur. His dictis telum intra fines eorum coniiciebat, videntibus illis ac hoc signo intelligentibus, iure eis inferri bellum.

Duumviri sacrorum incumbebat, studiose legere libros sacros, & libros siue versus Sibyllinos, eosque interpretari. Curam insuper gerebant sacrorum quæ fiebant in honorem Apollinis. Quod si monstrosus aliquis partus editus esset, aut prodigium se aliquod obtulisset, studebant sacris rite peractis, placatoque numine Deum pacem expoſcere.

Quale habuerint *Septemuiri Epulonum* officium siue sacerdotium, pauci admodum perscripserunt. Plinius eorum mentionem facit cum dicit: Consularis homo in medio erat, & cum eo vnus è Septemuiris Epulonum; dicitur que vulgo accipi excusationes Augurum & filiorum eius, itemque Decemvirorum sacrorum, Flaminum, & septemuirum Epulonum. Extat Romæ sepulchrum C. Cestij, Septemuiri Epulonum.

Consectarium iam erat describere vestes eorum pontificales, sacerdotales, stolas, apices, vasa sacrificiorum, instrumenta victimariorum, sed nos ab hac narratione abstinebimus, veriti ne lectori plus tædij afferat quàm delectationis.

INDEX CHRONOLOGICVS, CONTINENS SERIEM, ordinem successionis, Vitas & obitus Romanorum Pontificum facto initio à S. Petro, deductoque filo vsque ad Vrbanum VIII. qui nunc præest: additis eorum inuentis, legibus, Conciliis & Schismatibus.

POSTQVAM Pontificis Maximi prouincias, statumque Ecclesiæ Romanæ descripsimus, de Religione veteri nouaque disseruimus, memores promissorum iam ad recitandos ordine pontifices accingimur, obseruata serie eorum vsque ad Vrbanum VIII. qui nostro æuo sedi Romanæ præest, summamque in Ecclesia dignitatem obtinet: adscripto simul, quas vnusquisque pontificum sanxerit Constitutiones, legesque tulerit, quæque sub iis habitæ fuerint Synodi aut Concilia, quæque orta fuerint Schismata: postremo historico stylo persequemur, qui in creando nouissimo Pontifice obseruati fuerint ritus atque Ceremoniæ. 43.

SANCTVS PETRVS PRIMVS PASTOR siue Episcopus Ecclesiæ Romanæ.

SIMON PETRVS, Cephas dictus, natus Bethsaidæ Galileæ, Apostolus Iesu Christi, primus Episcopus Christianorum, præfuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ annis quinque, Antiochiensi septem & postremo Romanæ annis Viginti quatuor, mensibus quinque, diebus duodecim. *Superior numerus Ordinem Pontificum, Inferior annos Christi notat.* 1.

LINVS HETRVSCVS, Secundus Episcopus siue Papa Romanus. Chorepiscopus siue Coadiutor S. Petri, scripsit res gestas Sancti Petri, sicut & pugnas eius cum detestabili incantatore siue Magο Simone. Capite truncatus est iussu Saturnij Consulis, qui illum credebat esse magum, eo quod Diabolum ex corpore filiæ suæ eiecerat. Tam vero clarus erat sanctitate, vt resuscitaret etiam mortuos, vel absens ab Vrbe Annunciandi verbi diuini gratia in loca infinita profectus. Præfuit sedi annis vndecim, mensibus tribus, diebus duodecim. 24. 2. 57.

CLEMENS, Romanus constituit Notarios septem (qui nunc nominantur Protonotarij) per septem regiones Vrbis Romæ: eo fine vt describerent historias Martyrum. Ipse scripsit multa imprimis libros octo constitutionum Apostolicarum, & per pietatem & sanctitatem vitæ conuertit plurimos ad fidem Christianam. Martyrio affectus est sub Imperatore Traiano. Anno Pontificatus sui, nono, mense quarto, die vigesimo sexto. 3. 68.

CLETVS, Romanus, Vocatus ad Episcopatum, cum nihil tale cogitaret. Creauit quàm plurimos Sacerdotes Romæ, auxit statum Ecclesiæ, homo doctus & sanctæ vitæ exemplis clarus. 4. 77.

clarus. Martyrio affectus, sub Imperatore Domitiano & sepultus in Vaticano. Anno Pontificatus sui, sexto, mense quinto, die secundo.

5. ANACLETVS Natione Græcus, patria Athe-
84. nien si. Legē tulit, vt Sacerdotes & Clerici raderent barbam, & alerent capillitium, vtque bis quotannis conuenirent, ad tractanda negotia ecclesiæ, & Episcopi reciperentur per tres alios, & Clerici admitterentur in ordinem sacrum, manifestè non priuatim, & omnes fideles sacræ synaxi communicarent post consecrationem, secus mouerentur à communione fidelium, vt infideles. Hac ratione religio Christiana mirum in modum augebatur. Post tempora Apostolorum quotidie communicabatur. Mortuus est anno Pontificatus sui 12. mense 2. die 10.

Vacauit Sedes diebus septem.

6. EVARISTVS, legem tulit, vt eligerentur
96. Diaconi septem, qui adiuuarent Episcopum in vnaquaque Ciuitate, ne accusaretur male concionatus fuisse. Distribuit Parochias sacerdotibus, ordinauit vt nuptiæ solemniter & aperte celebrarentur in Templo, adhibita benedictione sacerdotali, secus haberentur illicitæ incestæque. Ne Episcopus vnquam desereret Ecclesiam suam, quam diu esset in viuis, non magis quam vxor maritum. Affectus est morte imperante Traiano. Anno Pontificatus sui 13. mense 5.

Vacauit Sedes vndeuiginti diebus.

7. ALEXANDER Romanus, homo tam
107. sanctæ Vitæ, vt quam plures senatores Romanos amplecterentur religionem Christianam, moti maxima eius pietate. Primus author fuit aquæ benedictæ, & miscendæ cum vino aquæ simplicis, in sacramento corporis Iesu Christi. Adiecit ad Canonem sancti illius mysterij Verba, *qui pridie quam paterentur* vsque ad ea verba, *hoc est &c.* & vt panis sine fermento fieret, prohibuit Clericos accusari apud iudices ciuiles, sed litem iis intendi coram ecclesiasticis. Tortus sub Adriano & interrogatus qua de causa non responderet, respondit, hominem Christianum cum oraret loqui cum Deo. Obiit anno Pontificatus sui 7. mense 5. die 19.

Vacauit Sedes diebus quindecim.

8. SIXTVS Romanus vetuit ne ornamenta
114. ecclesiæ ab aliis quam ecclesiasticis attingerentur. Legem tulit vt corporalia de lino purissima essent, & in celebratione sanctæ Eucharistiæ caneretur: *Sanctus, Sanctus*: sacrum mysterium illud antea simpliciter habebatur, deuotio magis quam pompa & apparatus relucebat, paucæ ceremoniæ. Sanctus Petrus enim consecrauerat dicens orationem Dominicam. Martyrio affectus est Sixtus Anno Pontificatus sui 9. mense 10. die 9.

Vacauit Sedes diebus duobus.

TELESPHORVS Eremita Græcus, In- 9.
stituit quadragesimæ tempus, vt nonnullis 127.
placet, sed hi falluntur. Est enim institutio Apostolica, vt Polydorus annotauit de Sancto Hieronymo contra Montanum ad Marcellum scribens. Numerum dierum auxit quidem instituitque ieiunari debere quinquaginta pro quadraginta diebus, præcipue Sacerdotibus qui sanctiores aliis esse debebant. Legem tulit vt tres missæ celebrarentur nocte natiuitatis Iesu Christi.

Prima circa medium noctis, significans horam natiuitatis Christi; altera incipiente die, qua pastores illum agnouerunt; tertia pleno iam die quæ est de nostra redemptione, & vt imposterum caneretur hymnus: *Gloria in excelsis Deo.* Martyrio affectus est & sepultus in Vaticano. Anno Pontificatus sui 10. mense 8. die 25.

Vacauit Sedes diebus septem.

HYGINVS Natione Græcus patria A- 10
thenien sis, instituit vt patrini vel matrini in- 138
fantem offerant baptismo, neue materia templis diuorum dicata transportaretur ad profanos vsus, ne Metropolitanus condemnaret Episcopum de sua prouincia sine consensu aliorum Episcoporum eius prouinciæ. Obiit Anno 4. p. s.

Vacauit Sedes diebus tribus.

PIVS ab Aquileia. Præcepit, vt celebra- 11.
retur Pascha (Pentecostes festo iamdudum 142.
destinato per Apostolos Act. 20.) die dominico, adiunxit plures ceremonias pro ornamento & decore baptismi, Sanctæque Eucharistiæ. Noluit Romanas puellas velari ante vigesimum quintum annum ætatis, vtque constitutus Presbyter iurans ab officio remouerentur, & homo laicus excommunicaretur, Imposuit etiam pœnitentiam sacerdotibus negligentibus & tractantibus irreuerenter sancta sacramenta. Primus templum Romanum sacrauit, in primis id quod est ad Thermas Nouatianas, hodie dictum ad Sanctum Prudentianum. Cum templa Christianorum hactenus fuissent non nisi speluncæ aut Cryptæ subterraneæ. Obiit hic diem suum anno Pont. 11. mense 5. die 27.

Vacauit Sedes diebus tredecim.

ANACLETVS Natione Syrus, reno- 12.
uauit ordinationes Anacleti, ne Clerici ale- 144.
rent barbam, vtpote sacerdotes haberent velut coronam. Episcopum non posse consecrari paucioribus tribus numero testibus, Metropolitanum autem omnibus Episcopis eius prouinciæ præsentibus.

Martyrij coronam nactus est Anno Pontificatui

ficatus sui 9. mense 8. die 24.

Vacauit sedes diebus sedecim.

13 CONCORDIVS SOTER FVNDENSIS.
163 Renouauit confirmauitque institutа Euaristi circa benedictionem sacerdotalem : in nuptiis consensum patris matrisque interuenire debere propter maximos abusus qui committebantur. Recitat Gratianus, statuisse illum non seruanda esse iuramenta, quæ malefaciendi gratia iurantur. Exspirauit an. 7. mense 11. die 18. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 21.

14 ABVNDIVS ELEVTHERVS natione Grę-
171 cus, misit in Britanniam, ita exigente rege, Fugatium & Damianum, viros pios & religiosos, per quos Rex vna cum populo baptizatus est. Prohibuit ne quis per superstitionē ab vlla esca abstineret, neue vllus condemnaretur decrimine absens & nō cōuictus. Auxerat hic religionē Catholicam bono suo exemplo, quam reliquit in pace & quiete per omnes prope terras extensam. In viuis esse desiit Anno Pontificatus sui 15. die 13.

Vacauit sedes diebus quinque.

15 VICTOR Africanus, legem tulit, vt si quis
186 paratus esset ad accipiendam sanctam communionem, & rogatus ab inimico nollet ei remittere, & recusaret reconciliationem, eum priuari sancti illius mysterii bono debere, vtque liceret vnicuique siue viro siue mulieri baptizare in necessitatis casu, si qui cuperent illam gratiam, non obseruata aquæ differentia, dummodo esset viua, prius mos baptizandi non fuerat nisi in festo paschatis & pentecostes.

Confirmauit etiam constitutionem Pii, celebrandum Pascha die Dominica contra morem ecclesiæ Asiaticæ, quam excommunicauit, quo nomine ille reprehensus fuit per Irenem. Martyrio affectus Anno 12. mense 1. die 28. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus duodecim.

16 ABVNDIS ZEFYRINVS Romanus, insti-
198 tuit vt vnusquisque qui ageret annum duodecimum siue decimum tertium, acciperet diebus paschatis sanctam Eucharistiam, vtque pro calicibus ligneis vterentur vitreis, quod decretum imposterū abolitum est, & institutum vt fierent ex argento, auro, siue stanno; neue Episcopus iudicaretur ab Archiepiscopo siue Metropolitano, siue ab Primate, siue Patriarcha, non accedente authoritate Apostolica, in quo non est oblitus stabilire primatum suum. Vita excessit anno 20. die 15. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus sex.

17 DOMITIVS CALLISTVS Romanus,
218 Instituit templum & cœmeterium Romæ, in quo reponerentur reliquiæ plurimorum sanctorum Martyrum. Ordinauit ieiunium quatuor temporum, quibus recipiuntur Clerici in ordinem sacrum. Quidam ei attribuunt legem cœlibatus sacerdotum. Sed Polydorus libro quinto capite quarto dicit, quod non in totum potuerit auferre matrimonium sacerdotibus occidentalibus (nam Græci & orientales matrimonium contrahunt) ad Pontificatum vsque Gregorii VII. Anno 1074. Martyrio affectus est anno 5. mense 1. die 13. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus sex.

VRBANVS Romanus, sub quo Ecclesia Ro- 18
mana cœpit possidere prata, & fundos qui com- 223
muniter debebāt cedere ministris ecclesiæ, pauperibus, protonotariisque qui scribebant acta Martyrum. Damasus ei attribuit legem poculorum argenteorum siue stanneorum, vnde Bonifacius Episcopus Moguntinus dicebat: *Olim sacerdotes aurei vtebantur calicibus ligneis, nunc sacerdotes lignei vtuntur calicibus argenteis.* Cōuertit sancta sua vita multos ad Christianam fidem. Martyrio affectus est anno 7. mense 7. die 5. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus viginti tribus.

CALPVRNIVS PONCIANVS, Romanus, 19
reliquit epistolas duas decretales; *Omnibus fide-* 231
libus: perpessus afflictiones multas, mortuus est exul in Sardinia Insula, An. 5. mens. 5. die 2. Pontificatus sui.

Placet nonnullis, tempore eius Romæ fuisse Sacerdotes quindecim, qui nominati fuerint *Cardinales, id est, Principales*, sepeliendorum mortuorum & baptizandorum infantium causa, & quindecim alios, quibus commissum erat officium Principale, nempe curanda salus animarum: Polydorus tamen & Damasus dicunt: Marcellum Papam fuisse authorem creandorum Cardinalium.

Vacauit sedes die vno.

ANTEROS Græcus instituit, vt gesta Mar- 20
tyrum describerentur, Ecclesiasticis permisit, vt 236
mutarent ecclesias suas cum aliis, dummodo id facerent ad promouendam salutem animarum, & commodi publici non priuati causa, noluit admitti quemquam ad Papatum, qui non fuisset ante Episcopus. Martyrii coronam nactus est anno 5. mense 1. die 14. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus sex.

FABIANVS Romanus, electus non sine mi- 21
raculo, Philippum Imperatorē Christianum cū 239
filio eius baptizauit, & accepit thesauros eorum, disposuit ceremonias sancti Chrismatis, instituit de nouo Martyrologium, prohibuit contrahere matrimonium intra quintum gradum consanguinitatis, voluit vt vnusquisque Christianus ter in anno communicaret, nempe infesto Paschatis, Pentecostes & Natiuitatis Christi.

sti. Martyrio affectus præcipue inuidia thesauro-
rum quos ab Imperatore acceperat, an. 13. men-
se 11. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus sex.

22 CORNELIVS Romanus fuit doctissimus
252 scripsi que quam plurimas epistolas : habuit
duos Antipapas, multa instituit, vt patet ex Gra-
tiano, accusatus est de crimine læsæ Maiestatis,
quod scripsit ad S. Cyprianum : flagris cæsus &
morte affectus est Imperante Decio Anno 2.
mense 2. die 3. Pontificatus sui.

Vacauit sedes mensibus duobus diebus quinque.

SCHISMA I.

252 NOVATIANVS Romanus, sacerdos hæ-
reticus, vetuit apostatas (sic vocabat de fide defi-
cientes) recipi in Ecclesiam etsi pœniterent.
Primus hic fuit schismaticus, hypocrita & per-
cupidus pontificatus, suscitauit ignem discor-
diarum, sese faciens Antipapam, auxilio Nouati presbyteri Carthaginensis, vt testis est S. Cy-
prianus scribens ad Cornelium, qui illum in duo-
bus conciliis Romæ condemnauit hæreseos:
Nicostratus alter Antipapa in Africa viue-
bat.

23 LVCIVS Romanus legem tulit, vt vnus-
253 quisque Episcopus esset stipatus duobus sacer-
dotibus, tribusque Archidiaconis, qui essent
testes vitæ eius conuersationis, neue fierent
Episcopi antequam ageret annum trigesimum.
Gratianus tamen attribuit legem illam Zozimo.
Martyrio affectus est hic anno 1. mense 3. die 13.
Pontificatus sui.

Vacauit sedes mense vno diebus quinque.

24 LVCIVS STEPHANVS Romanus pri-
255 mus fuit qui habitus sacerdotalis vsum instituit:
prisci sacerdotes erant contenti, quod essent ve-
stiti pietate, religione & sanctitate, magis stu-
diosi ad exuendum veterem hominem & vi-
tia, quam ad paranda noua & pretiosa ornamen-
ta. Martyrii coronam nactus anno 1. mense 3. die
13. Pontificatus sui.

*Vacauit sedes mense vno diebus duo-
decim.*

25 SIXTVS II. Athenienſis patria, post-
257 quam annunciauerat Euangelium per vniuer-
sam Hispaniam, Papa electus est, instituitque
vt ædificarentur templa, & aræ orientem ver-
sus, eratque peroportunus ad confutandos hæ-
reticos, Sabellianos, Cerinthianos, Nepotia-
nosque. Martyrii coronam nactus anno 1. mense
10. die 23. Pontificatus sui.

*Vacauit sedes mensibus 11. die-
bus 15.*

26 DIONYSIVS Natione Græcus primus
260 Monachus fuit, qui receptus est ad sedem Ro-
manam in locum Papæ electus: diuisit primus,
tam Romæ quam in aliis locis Templa, Cæme-
teria, Parochias, diœceseſque sacerdotibus, iu-
bens vt vnusquisque sua sorte contentus esset,
ad pascendum gregem, qui ipsi commissus esset.
affectus est morte anno 10. mense 5. die 5. p. s.

Vacauit sedes diebus quinque.

FELIX Romanus, instituit vt quotidie ce- 27
lebraretur memoria Martyrum, idque nullibi 270
quam in locis sacris, & vt omnibus annis obser-
uaretur Templi dedicatio semel in anno Marty-
rio affectus est anno 3. mense 5. Pontificatus
sui.

Vacauit sedes diebus quinque.

EVTICHIANVS Hetruscus Lunensis scri- 28
psit quasdam epistolas ac decreta, sepeliuit pro- 274
priis manibus 342. Martyres, ipse Martyrii co-
ronam nactus anno 8. mense 6. die 24. Pontifi-
catus sui.

Vacauit sedes diebus octo.

CAIVS Salonitanus Dalmata ex familia Dio- 29
cleciani. Huic tribuitur institutio quatuor gra- 283
duum in ecclesia in quibus sunt Portatores, Le-
ctores, Exorcistæ, Acolythi. Sed Genebrardus
obseruat ex Eusebii libro 6. capit. 43. authorem
potius fuisse antecessorem eius Cornelium.
Martyrio affectus est anno 12. mense 4. die 6.
Pontificatus sui.

*Vacauit sedes mensibus duobus diebus
octo.*

MARCELLINVS Romanus, victus ti- 30
more tormentorum supplicioramque coluit i- 296
dola. Sed postea agnouit culpam suam in plena
Synodo Sinuessana, egitque pœnitentiam, ipse-
que post redarguit Imperatorem Diocletia-
num, lubensque Martyrium sustinuit Anno 7.
mense 9. die 26. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus viginti.

MARCELLVS Romanus limitauit locos 31
& titulos, quos Euaristus distribuerat reduxitq; 304
eos ad 25. instituit, Concilium Generale non
posse congregari absq; consensu sedis Apostoli-
cæ. Martinus V. instituit contrarium vt appare-
bit ex sequentibus : ne Clericus conueniretur
coram iudice seculari. Martyrii coronam nactus
est anno 5. mense 6. die 21. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 20.

EVSEBIVS Natione Græcus, Medicus au- 32
thor fuit multarum institutionum : quidam ei 310
attribuunt inuentionem sanctæ crucis. Marty-
rio affectus est anno 1. mense 7. die 25.

Vacauit sedes diebus 7.

MILTIADES Afericiunium die Solis & Io- 33
uis fieri vetuit, quia pagani celebrabant festa 311
deorum

deorum suorum illis diebus: Mortuus anno 3. mense 2. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 7.

34 SYLVESTER Romanus instituit tunicam & 315 albam è tela candida sacerdotum: prohibuit vsum ornamentorum ex serico, siue panno tincto in consecratione: mutatis nominibus dierum in septimana, voluit vt dies solis post diceretur dies Dominica, sequentes quinque denominati à Luna, Marte, Mercurio, Ioue, & Venere, appellarentur feriæ. 1.2.3.4.5. & diceretur dies Saturni, Sabbathi, quod significat quietem. Veruntamen ante illum dies dominicus consecratus fuerat Domino, per Apostolos in memoriam resurrectionis. Præstitit autem rem multo maiorem, quando ad fidem Christianam conuertit Imperatorem Constantinum, qui impetum persecutionum tyrannicarum contra Christianos repressit, donauitque Vrbem Romam Sylvestro, vt nonnullis placet cum plurimis Prouinciis Regnisque; ædificauit, dotauitque multa templa Christiana. Mortuus est hic anno 20. mense 2. die 4. Pontificatus sui.

SYNODVS GENERALIS PRIMA.

317 Concilium primum Nicenum, iussu Constantini Magni Imperat. per 318. Episcopos ab omnibus partibus mundi conuocatos celebratum est, vt restitueretur ecclesiæ pax, quæ perturbata erat per detestabilem hæresin Arrii, in quo concilio ille condemnatus fuit, & conclusum, filium Dei esse *Homousion*, id est, consubstantialem Patri, vt loquitur formula symboli, 41 quod canitur in templis.

35 MARCVS Romanus, legem tulit, vt symbo- 336 lum Nicenum: *Credo in vnum Deum &c.* caneretur à Clericis & populo post annuntiationem Euangelii: vtque Episcopus Ostiensis vteretur pallio Episcopali, ea de causa, quod Pallium Romanum per eum consecratum esset. Vita excessit mense octauo, die vigesimo Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 20.

36 IVLIVS Romanus, rediens ab exulio, in quod 337 actus fuerat per Constantium Arrianum, filium Constantini, instituit plurima, & inter alia, ne sacerdos accusaretur nisi ante Iudicem Ecclesiasticum, neque concilia conuocarentur sine permissu pontificis. Mortuus est anno 14. mense quinto die 16. pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 25.

37 LIBERIVS Romanus, actus in exilium, qui 351 impugnatus ab Arrianis opimis promissionibus Imperatoris Constantii, Arriani, (vt nonnullis placet) pellectus consensit eis cum maxima nominis sui infamia: Postremo tamen ad sanam mentem rediit, mortuusque est Catholicus anno decimoquinto, mense quarto, die 17. pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 17.

SCHISMA II.

FELIX II. Romanus opinione quorundam fuit 38. Papa: sed alii eum non numerant, quia præfuit sedi absente Liberio. *Onuphrius* eum numerat secundum schismaticum. Arriani Martyrio eum affecerunt anno 10. mense tertio, die 11.

DAMASVS Hispanus, scripsit vitas Pontifi- 38 cum consilio sancti Hieronymi; iussit vt in Ec- 366 clesia Latina caneretur in fine psalmorum hymnus, *Gloria Patri &c.* Compositus per Flamianum Antiochenum, auxilio sancti Christophori, vt & symbolum Constantinopolitanum, & *confiteor*. Eius iussu collegit D. Hieronymus Epistolas & Euangelia, quæ leguntur in Missa, horasque vt vocant, canonicas. Idem cum sancto Ambrosio author fuit canendi psalmos alternatim. Mortuus est anno 18. mense 2. die 10. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 7.

SCHISMA III.

VRSINVS Romanus fuerat competitor Damasi post mortem Liberii & Felicis, post incepit schisma tertium, incepitque ambitio honorum occupare corda Prælatorum Ecclesiæ.

SYNODVS GENERALIS SECVNDA.

Concilium vniuersale congregatum Constantinopoli per 150. Episcopos, sub Gratiano & Theodosio Imperatoribus, propter Hæresin Macedonii Episcopi Constantinopolitani, & Eudoxii, negantium Spiritum sanctum esse Deum, in quo damnati sunt.

SYRICIVS Romanus interdixit clericis ma- 384 trimonio neve vllus Bigamus, id est, qui secundas adiuisset nuptias, reciperetur in ordinem sacerdotalem, vtque licitum esset Monachis bonæ conuersationis, fieri sacerdotibus (nec enim fuerant ad eum diem) vtque reciperentur in Episcopos: Sequani Heduique timore Hunæ hoc Pontifice amplectuntur fidem Christianam. Mortuus est anno 13. mense 1. die 25. Pontificatus sui.

Vacauit sedes mense 1. diebus 15.

ANASTASIVS Romanus ordinauit, vt vnus- 39 quisque staret, dum caneretur Euangelium, eo 398 fine vt audiretur maiore cum reuerentia, ne vitiosi siue mutili reciperentur in numerum Clericorum. Vita excessit Anno 4. die 21. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 10.

INNOCENTIVS Albanus siue Scotus insti- 40 tuit extremam vnctionem, legemque tulit, vt 402 Episcopi, qui venderent Præbendas, Decanatus, Prioratus, siue alias dignitates Ecclesiasticas, siue aliquod sacramentum, oleum sanctum, consecrationem altare punirentur sicut Simoniaci, neue ipse successoresque eius possent iudicari ab vllo Rege, adeoque o-

mnis ordo sacrificorum, obiit Anno 15. mense 2. die 21. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 22.

41 ZOZIMVS Græcus, homo doctissimus & 416 sanctæ vitæ, vetuit seruos admitti in ordinem sacerdotalem: multò minus, inquit Platina, Spurios siue Nebulones. Obiit Anno 2. mense 4. die 7.

Vacauit sedes diebus nouem.

42 BONIFACIVS Romanus, mutauit vigilias 419 sanctorum in ieiunia. Exactus est Roma propter Eulalium, per Imperatorem Honorium, filium Theodosii, qui illum reuocauit. In viuis esse desiit Anno 4. mense 6. die vigesimo octauo.

Vacauit sedes diebus nouem.

SCHISMA IV.

43 EVLALIVS Romanus durante schismate 419 contra Bonifacium, electus fuit à parte Clericorum, exactusque Roma vna cum Bonifacio. Obiit exul mense tertio die septimo Electionis suæ.

44 CÆLESTINVS Romanus instituit, vt psal- 423 mi canerentur omnes ante Missam, quod hactenus nondum factum fuerat, sed sola Epistola & Euangelium recitabantur, inde deducti introitus, vt loquuntur Graduales, offertoria, communioneſque. Voluit etiam vt sacerdotes scirent canones Ecclesiasticos. Mortuus est anno 8. mense 5. die 3.

Vacauit sedes mense 1. diebus 11.

CONCILIVM GENERALE III.

Concilium Generale sub Theodosio 2. à ducentis Episcopis celebratum Ephesi, contra hæresin Pelagii & Nestorii. Episcoporum Constantinopolitanorum, qui negabant diuinitatem Christi.

45 SIXTVS III. Romanus, accusatus quòd stu- 432 prum obtulisset Monachæ, sese purgauit per sacramentum præsentibus 55. Episcopis, distribuit omnia bona sua pauperibus. Obiit anno 7. mense 11.

Vacauit sedes mense 1. diebus 11.

46 LEO MAGNVS ita cognominatus, propter 440 magnam doctrinam, instituit vt renouarentur Rogationes & Processiones, quæ appellantur Litaniæ paruæ. Gregorius magnus enim ordinauerat Litanias magnas: multa instituit velut vt caneretur *Alleluia*, *& gloria Deo in excelsis* tempore quadragesimæ. Mortuus est anno 20. mense 11. die 2. Vacauit sedes diebus 7. Ante Papam hunc Ecclesia Romana numerabat annos post passionem Christi.

CONCILIVM GENERALE IV.

Concilium generale Calcedonense sub Imperatore Martiano per 225. Episcopos celebratum est, contra hæresin Eutychii sacerdotis Constantinopolitani confundentis duas naturas in Christo.

HILARIVS Sardus, homo doctus, legem tu- 47
lit nullum sibi posse substituere successorem ad 461
vllum officium ecclesiasticum. Obiit anno 6. mense 3. die 16.

Vacauit sedes diebus 10.

SIMPLICIVS Tyburtinus, instituit ne vllus 48
Ecclesiasticus approbaret laicum, possidentem 467
beneficium ecclesiasticum. Obiit anno 15. mense 6. die 23.

Vacauit sedes diebus 6.

FELIX III. Romanus, legem tulit vt templa 49
consecrarentur per Episcopos tantum. Vita ex- 483
cessit anno 8. mense 11. die 17.

Vacauit sedes diebus 5.

GELASIVS Afer composuit præfationes, 50
quæ canuntur ante sanctum canonem: instituit, vt ordines sacrati nonnisi quater in anno administrarentur & diebus Sabbathi. Composuit hymnos, collectas, responsoria, Graduales libros aliaque nonnulla. Erat vir doctus mortuusque est anno 4. mense 8. die 19. 492

Vacauit sedes diebus 5.

ANASTASIVS Romanus hæreseos accusatus 51
per quosdam, qui Nestorianis indulgebant: qua 496
infamia non obstante excommunicauit Imperatorem Anastasium vt Eutychianum. Miserabiliter exspirauit sicut Arius, effusis intestinis per secessum. Anno 2. mense 11. die 14.

Vacauit sedes diebus 2.

COELIVS SYMMACHVS Sardus factus est 52
Papa non impediente electione cuiusdam Lau- 498
rentii & alii Antonii: sic his autoribus incepit schisma quintum. Nam Theodoricus Rex Gothorum, qui pro tempore occupabat Italiam, intelligens ordinem Cleticorum esse seditiosum Romæ, volebat deponere Symmachum submisso illi Antonio vt teneret sedem, cæterosque pelleret. Cæterum Symmachus sese purgauit de suis delictis quæ ei obiiciebantur, restitutusque est & mortuus Anno 15. mense die 28.

SCHISMA V.

LAVRENTIVS durante schismate contra Sym- machum mortuus est anno 1.

COELIVS HORMISDA Fregellanus Campa- 53
nus, videns multos monachos Romæ contuma- 514
citer agere, hæresin Eutychii Vrbe exegit, multa eleemosynæ nomine dedit, damnauit hæresin Manichæorum quæ repullulauerat, combustis libris eorum. Mortuus est An. 9. mense 9. die 17.

Vacauit sedes diebus quinque.

IOHANNES Tuscus, missus per Regem Theo- 54
doricum Arrianum ad Imperatorem Iustinum 523
Constantinopolin, ob restitutionem Arrianorũ, quam obtinuit. Nihilominus suspectus Theodorico, ab illo veneno necatus mortuus est in summa inopia. Anno 2. mense 9. die 6.

Vacauit sedes mense vno diebus 27.

FELIX IV. Samius. Populum à Clericis sepa- 55
rauit, iisq; dedit libros necessarios. S. Cosmi Ba- 526
silicam Romæ ædificauit, reparauitque quædam. Mortuus est anno 4. mense 2. die 16.

Vacauit sedes diebus tribus.

BONI-

56 BONIFACIVS II. Romanus ab omnibus ap-
530 probatus post mortem Benedicti. Sedit annos 2. dies 2.

Vacauit sedes mensibus tribus diebus quinque.

SCHISMA VI.

57 DIOSCORVS Romanus electus per quosdam
531 durante schismate contra Bonifacium, mortuus est elapso anno vno & die vigesimo octauo.

IOHANNES II. cognominatus Mercurius, accepit confessionem fidei ab Imperatore Iustiniano, signatam propriis manibus eius, cum non exiguis muneribus. Mortuus est anno 2. mense 4. die 6. pontif. sui.

Vacauit sedes diebus 6.

58 RVSTICVS AGAPETVS Romanus, effecit vt
534 Imperator Iustinianus desereret hæresin Eutychianam, in quam seductus fuerat per Anthemium Episcopum Constantinopolitanum. Mortuus est anno primo die decimo nono.

Vacauit sedes mensibus 6. diebus 25.

59 *Calius Syluerius* Frusinonensis Campanus,
535 nolens restituere Anthemium in Episcopatum Constantinopolitanum, iussu imperatricis iniuste damnatus, quod dedere voluisset Romam Gothis, actus in exilium in Pontum, mortuus est in summa paupertate. Instituit hic festum purificationis beatæ Virginis, vt sedaret immanem pestilentiam. Mortuus anno Pontif. sui 1. mense 5. die 2.

Vacauit sedes diebus 5.

60 VIGILIVS Romanus, creatus durante schi-
537 smate contra Syluerium: homo ambitiosus & vnica causa expulsionis Syluerii, obtinuit dignitatem Papalem potentia & fauore Theodoræ vxoris Imperatoris Iustiniani: quæ illum impositum abduxit ab Vrbe Roma consensu Romanorum, qui illum odio mortali prosequebantur. Ductus Constantinopolin grauiter afflictus, iniuriis affectus, concussus est, ductusque per Vrbem funem collo gestans, postremo in exilium actus, quod noluisset restituere Anthemium hæreticum in Episcopatum Constantinopolitanum, sicut promiserat Theodoræ, cuius eum pœnituerat. Mortuus anno pontif. sui 17. mense 6. die 29.

Vacauit sedes mense 1. diebus 5.

CONCILIVM GENERALE V.

Concilium vniuersale celebratum Constantinopoli iterum per 155. Episcopos, contra Anthemium Episcopum Constantinopolitanum, & Theodorum hominem eloquentem, qui Virginem sanctam hominem solum, & non hominem Deumque peperisse asserebat, conclusum est eam esse Theotocon, Matrem Dei.

61 PELAGIVS Romanus, legem tulit, vt eccle-
555 siastici canerent omnes horas canonis, & hæretici, schismaticique punirentur per gladium potestatemque Politicam, & brachium temporale, nullusque admitteretur in ordinem Ecclesiasticum per ambitionem neque dona. Mortuus est anno Pontif. sui 5. mense decimo die 28.

Vacauit sedes mensibus 4. diebus 5.

Iohannes III. Romanus postquam absoluit re- 62
parationem Templorum quorundam, amplifi- 561
cauitque cœmiteria Martyrum. Mortuus est anno Pont. sui 12. mense 11. die 26.

Vacauit sedes mensibus 10. diebus 19.

BENEDICTVS Romanus valde dilexit pauperes, vidensque vulnera Italiæ per bella Longo- 63
bardorum, qui incipiebant totam occupare 575
Italiam, instigatione Narsetis irritati per Imperatricem Sophiam, afflictamque inedia & peste regionem. Obiit animo æger anno 4. mense 1. die 29.

Vacauit sedes mensibus 4.

PELAGIVS II. Romanus, electus est absque 64
consensu Imperatoris, ea de causa, quod Ro- 579
ma obsessa esset per Longobardos: Fecit hic domum hospitalem ex ædibus paternis, transportauit Patriarchi dignitatem ab Aquileia Gradum, fecitque Metropolitanum prouinciæ Venetæ. Obiit peste anno Pontif. sui 10. mense 2. die 10.

Vacauit sedes mensibus 6. diebus vigintiquinque.

GREGORIVS MAGNVS Monachus, electus 65
voce Cleticorum totiusque populi, & consensu 590
Imperatoris Mauritii, auxit Missam plurimis ceremoniis orationibusque, introitum composuit de psalmis quibusdam: vtque caneretur nouies *Kyrie eleyson* quod significat *Miserere nostri Domine*: Alleluia. in principio horarum Canonicarum, *Deus in adiutorium*, & *Gloria Patri*, in fine vtriusque Psalmi, S. Hieronymo teste, instituit opinione quorundam abstinentiam carnis tempore quadragesimæ, quæ tamen multo antiquior est, adiectis diebus quatuor a die Mercurii ad diem Dominicum vsque, vt compleretur quadragenarius numerus. Hæc videnda sunt apud Platinam. Instituit idem Litanias magnas, diuisas in certas stationes Vrbis Romæ, infinitaque alia, postremo obiit anno 13. mense 6. die 10. Pontificatus sui.

Vacauit sedes mensibus 5. diebus 17.

SABINIANVS Tuscus, cuius originem iuxta 66
omnes ignorant, & quidem merito. Erat e- 604
nim indignus honore isto detrectator virtutum antecessorum eius, dicens eos dissipauisse bona ecclesiæ, quod fuissent liberales erga pauperes, volebatque vt comburerentur libri. Instituit lampadas ardentes in Templis, aras campanasque, & vt horæ sonarent. Mortuus est anno Pontificatus sui 1. mense quinto die 11.

Vacauit sedes mensibus vndecim diebus 26.

BONIFACIVS III. Romanus, obtinuit primatum omnium ecclesiarum ab Imperatore Pho- 67
ca; instituit concilium celebratum per 72. Epi- 607
scopos quorum 30. Sacerdotes cæteri Diaconi: voluit vt Episcopus el geretur per clericos & populum, vtque omnes qui venirent ad dignitatem Episcopalem largitione & gratia, excommunicarentur. Ecce sanctam institutionem neglectam

glectam cum damno plurimorum. Obiit menſe Pont. ſui 3. die 23.

Vacauit ſedes menſibus 10. diebus tribus.

68 BONIFACIVS IV. patria Valerienſis, obtinuit
608 ab Imperatore, vt Pantheon omnium deorum falſorum Templum in Baſilicam beatæ Virginis Mariæ mutaretur, addita omnium Martyrum memoria: deinde vt feſtum omnium ſanctorum ad XII. diem Maii menſis perageretur, ædes ſuas in Monaſterium mutauit, permiſitq; Monachis vt conciones haberent, baptizarent, audirentque confitentes. Obiit anno Pontificatus ſui 6. menſe 8. die 11.

Vacauit ſedes menſibus 4. diebus 23.

69 THEODATVS ſiue *Deus-dedit* Romanus, ho-
615 mo ſanctæ vitæ, celebrauit concilium Auxerranum, in quo ſtrenæ, quæ dantur primo die anni, ſiue Calendis Ianuarii, prohibitæ ſunt, ne viderentur Chriſtiani ſequi Paganorum morem. Mortuus eſt anno Pontif. ſui 3. menſe 10. die 27.

Vacauit ſedes menſe vno diebus 29.

70 BONIFACIVS V. Neapolitanus vir valde hu-
619 manus inſtituit primus, vt templa eſſent Aſyla fugitiuorum, exceptis ſacrilegis excommunicatiſque. Obiit anno 3. menſe 10. die 9.

Vacauit ſedes diebus 13.

71 *Honorius* liberalis erga pauperes, reparauit Ba-
622 ſilicam S. Petri, quam auro, argento, pulchriſq; tabulis ornauit. Mortuus eſt Pontif. ſui anno 12. menſe 11. die 7.

Vacauit ſedes anno vno menſibus 7. diebus 18.

72 SEVERINVS & ipſe munificus in pauperes,
637 incubuit omni opera in inſtaurandas eccleſias, auxitque redditus earum. Eodem zelo fuit noſter Dagobertus, qui ædificauit ædem S. Dionyſii, ſupra modum ditatam auctamque reliquiis ſanctorum, quas aliis velut ſpolia detraxerat. Obiit anno Pontif. ſui 1. menſe 2. die 4.

Vacauit ſedes menſe vno diebus 22.

73 IOHANNES IV. Dalmata, redemit plurimos
638 Dalmatas & Illyrios captiuos ab Saracenis. Viuis exceſſit anno Pontif. ſui 1. menſe 9. die 18.

Vacauit ſedes menſibus 4. die vno.

74 *Theodoricus* Hieroſolymitanus filius Theo-
640 dori Epiſcopi Hieroſolymorum liberalitate in Pauperes commendatur. Valuit eius electio facta per clerum populumque Romanum, approbata per Exarchum Imperatoris, præfuit Sedi annis 6. menſibus 5. diebus octodecim.

Vacauit ſedes menſibus 4. die vno.

75 MARTINVS Italus, coegit concilium Romæ
647 cui interfuerunt 150. Epiſcopi, contra Pyrrhum, Sergium, Cyrum abſentem & Paulum præſentem, Patriarchas Conſtantinopolitanos, hæreticos, Monothelitas negantes duas voluntates in Ieſu Chriſto: Iuſſu Imperatoris Conſtantii III. hæretici, actus in exilium vixit in Ponto, poſt plurimas miſerias finiuit vitam ſuam Anno 6. menſe 1. die 28.

Vacauit ſedes menſibus 8. diebus 28.

76 EVGENIVS Romanus, legem tulit, vt ædes
654 Sacerdotum Epiſcoporumque ædificarentur iuxta templa, additis carceribus, vt punirentur crimina Eccleſiaſticorum. Mortuus anno 2. menſe 9. die 14. Pont. ſui.

Vacauit ſedes anno vno diebus 17.

VITALIANVS Italus iunxit cantui in eccleſia 77
Romana organa muſica, antea non vſitata in 657
cultu Diuino, totumque ſe dedit defenſioni Religionis Chriſtianæ aduerſus hæreticos. Obiit anno Pontificatus ſui 3. menſe 5. die 29.

Vacauit ſedes menſibus 2. diebus 14.

DEODATVS Monachus Romanus, ſanauit 78
leproſum oblato oſculo, homo relig oſus, affa- 672
bilis, liberalis erga pauperes peregrinoſque. Mortuus eſt anno Pont. ſui 4. menſe 2. die 15.

Vacauit ſedes menſibus 4. diebus 6.

DOMNVS Romanus ædificauit parietem ex 79
marmore in Templo S. Petri, & per integrita- 676
tem ſuam ſubiecit eccleſiam Rauennenſem Romanæ, quæ ſe caput illius affirmabat. Mortuus eſt anno Pont. ſui 2. menſe 5. die 10.

Vacauit ſedes menſibus 2. diebus 28.

AGATHONIVS Siculus Monachus, tam bonæ 80
naturæ fuit, vt nemo à facie illius triſtis receſſe- 680
rit. Non fuit amator ſolitudinis ſed hilaris comiſque. Mortuus eſt anno Pont. ſui 2. menſe 7.

Vacauit ſedes menſibus 7.

CONCILIVM GENERALE VI.

Concilium vniuerſale Conſtantinopolitanum per 189. Epiſcopos celebratum contra Monothelitas negantes duas voluntates in Ieſu Chriſto. Tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus reliquit hæreſin ſuam. Macarius Antiochenus pertinax in retinenda hæreſi Epiſcopatu ſuo deiectus fuit: ibique permiſſum ſacerdotibus orientalibus contrahere Matrimonium, non autem eccleſiæ occidentali.

LEO II. Siculus, homo linguæ Græcæ Latinæ- 81
que peritus, & præſtans muſicus, reduxit can- 682
tum in meliorem melodiam, amator pauperum, qui omnes verbis bonoque exemplo ad pietatem allexit, ad iuſtitiam, humanitatem aliasque virtutes exhortatus. Inſtituit vt pax daretur in Miſſa. Obiit menſe Pont. ſui 10. die 19.

Vacauit ſedes anno vno menſe vno diebus 21.

BENEDICTVS Romanus, tantæ ſanctitatis 82
fuit, vt in fauorem eius Imperator Conſtantinus 684
IV. approbaret electionem Paparum per Clericos & populum Romanam factam, abſque auctoritate confirmationeq; Imperatorum, quod non diu obſeruatum eſt. Mortuus eſt menſe Pont. ſui 10. die 27.

Vacauit ſedes menſibus 2. diebus 9.

IOHANNES V. Syrus, homo doctus virtuoſuſ- 83
que conſecratus eſt, ſicut anteceſſor eius per E- 685
piſcopos, Oſtienſem, Portuenſem, & Veliternum, conſtituitq; vt hæc velut lex deinceps obſeruata in conſuetudinem tranſiret. exceſſit è viuis anno Pont. ſui 1. die 9. poſt hunc

Vacauit ſedes menſibus 2. diebus 18.

SCHISMA VII.

PETRVS Archipresbyter Romanus, electus per Clericos, tenuit ſedem diebus paucis.

THEODORVS Presbyter Romanus electus ab vulgo

vulgo Romanorum obtinuit sedem Papalem, oblustatus superiori aliquot diebus. Hi duo auctores extiterunt septimi schismatis, sed maturo consilio vtroque deiecto Conon substitutus est.

84 Qui *Conon Romanus*, cognomento Angelicus,
686 ob vitæ sanctitatem doctrinæque vbertatem, creatus Pontifex, cum magno litigio decertasset cum Petro & Theodoro, contendendi viuendique finem fecit vndecimo Pontif. sui mense.

Vacauit sedes mensibus 2. diebus 25.

SCHISMA VIII.

THEODORVS Romanus homo diues, qui corruperat exercitum argento, tenuit sedem aliquot diebus.

PASCHALIS Archidiaconus, conuictus artis magicæ, durante schismate Theodori, tenuit sedem diebus aliquot, & postremo vtroque deiecto, creatus est.

85 SERGIVS Syrus, homo sanctæ vitæ, qui insti-
687 tuit, vt *Agnus Dei* ter in Missa caneretur, in viuis esse desiit anno Pont. sui 13. mense 8. die 13.

Vacauit sedes mense vno diebus 20.

86 IOHANNES VI. Græcus, multum impendit
701 studii instaurandis Templis, urisq; & redimendis captiuis ex thesauro Ecclesiastico. Mortuus est anno Pontif. sui 3. mense 2. die 14.

Vacauit sedes mense vno diebus 18.

87 IOHANNES VII. Natione Græcus, homo elo-
705 quens laudatæq; vitæ multa templa reparauit, picturis statuisque ea ditauit, viuis excessit anno Pont. sui 2. mense 7. die 17.

88 SISIMVS siue ZOSIMVS natione Syrus, ho-
707 mo magnæ sanctitatis, eximprouiso mortuus est multum afflictus morbo articulari, omnem dans operam, ne quid obmitteretur, quod vero pontifici conueniret. Pontificatus sui obiit die vigesimo.

89 *Constantinus* Natione Syrus ab omnibus a-
708 matus fuit præcipue ab pauperibus: hic Papa cum esset Constantinopoli, Iustinianus II. Imperator pedes eius honoris gratia est exosculatus: sic per Imperatorem introductus mos, qui adhuc durat. Audacter restitit hic primus omnium Paparum in faciem Imperatori Philippico Badani, qui tollere simulacra volebat. In viuis esse desiit anno Pont. sui 8. mense 1. die 20.

Vacauit sedes mense vno diebus 10.

90 GREGORIVS II. Romanus, misit Bonifacium
716 Monachum doctum in Germaniam prædicandi Euangelii gratia, qui multos conuertit; excommunicauit Imperatorem Leonem Iconomachum qui cœperat tollere simulacra. Sic dissensio Imperatorũ fuit occasio incrementi sedis Romanæ, auxilio Catholicorum. Nam eo tempore Roma & prope vniuersa Italia sese subduxit ab obedientia Imperatoris. Exarchatus cessauit occupatus per Longobardos. Ab eo tempore Principes nostri implorati sunt, vt opem ferrent Papis, qui & per eos quasi tutores defensi ditatique sunt. Obiit anno 14. mense 10. die 22.

Vacauit sedes mense vno diebus quinque.

GREGORIVS III. Natione Syrus, homo Græ- 91
ce latineq; doctus, Imperio Imperatorem Leo- 731
nem III. malum sane Principem, communione que fidelium priuauit. Obsessus in Vrbe Roma ab Longobardorum exercitu, & destitutus Imperatoris auxilio, confugit ad Carolum Martellum, à quo omnia quæ desiderabat obtinuit, viuis excessit anno Pontificatus sui 10. mense 3. die 15.

Vacauit sedes diebus duobus.

ZACHARIAS Natione Græcus, ornatus plu- 92
rimis virtutibus, pacauit Italiam, eo tempore 742
valde turbatam, confirmauit Electionem Pipini, vt esset rex Galliæ, loco Childerici, qui coactus factus est Monachus, absolutis Gallis fidelitate & iuramento. Exspirauit anno 10. mense 3. die 15.

Vacauit sedes diebus octo.

STEPHANVS II. Romanus quem plurimi o- 93
mittunt eo quod non amplius diebus 4. fuerit 752
superstes in pontificatu suo.

Vacauit sedes die vno.

STEPHANVS III. dictus etiam secundus. Sa- 94
piens virtuosusque, tanto amore ab omnibus 752
dilectus, vt ferretur humeris ad ædem sacram S. Iohannis Lateranensis: inde promanauit consuetudo, vt Papæ portentur humeris. In Galliam ad Pipinum profectus, obtinuit suppetias contra regem Longobardorum, accepitque dono dominatum Rauennensem longe lateque patentem, qui parere solebat Exarchis Imperatorum. Pipinum consecrauit Regem Galliæ. Francisque dedit Imperium Romanum: quod postea plenius executus est Leo III. Obiit anno 5. die 29. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 22.

PAVLVS Romanus frater Stephani homo 95
valde misericors erga pauperes, ægrotos captiuosque nocte solus visitauit: creatus est Papa, 757
non impediente electione cuiusdam Theophylacti. Paulus è viuis excessit defensor magnus viduarum, orphanorum, omniumque oppressorum Anno pontificatus sui 10 mense 1.

Vacauit sedes anno vno mensibus 7. diebus 7.

SCHISMA IX.

THEOPHYLACTVS Romanus, Archidiaconus, electus per quosdam durante schismate contra Paulum, præfuit sedi mensibus aliquot.

SCHISMA X.

CONSTANTINVS Nepensis, Hetruscus, laicus vi creatus per populum, non consentientibus municipiis, tenuit sedem annum vnum mensem vnum dies 10.

PHILIPPVS Monachus Romanus durante schismate creatus est per populum contra Constantinum: occupauit sedem per dies quinque, vbi vtroque eiecto creatus est.

96 STEPHANVS IV. dictus III. Siculus Mona- 102
786 chus, electus contra Constantinum & Phil. Antipapas. Stephanus in concilio ad Lateranum habito, institutiones Constantini Antipapæ labefactauit, irritumque fecit Concilium septimũ Constantinopolitanum, sub Imperatore Constantino (tribuũt nonnulli Leoni III. patri eius) quod imagines concernit. Excessit vita anno Pont. sui 3. mense 5. die 27.

Vacauit sedes diebus nouem.

97 ADRIANVS Romanus laudatissimus omnium 103
189 antecessorum suorum bonitate, doctrina & sanctæ vitæ splendore: vocauit Carolum Magnum vt sibi opem ferret aduersus Desiderium Lõgobardorum Regem, qui amisit regnum suum in concilio celebrato per 153. Episcopos, quod Sigebertus nominat Generale, permisitq; Carolo Magno vt eligeret Papas aliosque Prælatos. Primus hic vt Bullæ Papales signarentur plumbo adinuenit. Vita excessit anno Pon. sui 7. mense 10. die 17.

CONCILIVM VII.

Concilium vniuersale per 350. Episcopos Niceæ celebratum, vt restituerentur Imagines, posito certo modo quomodo honorari deberent.

98 LEO III. Romanus, homo doctus, amator 104
796 pauperum, deditus erat concionibus, promouens viros doctos, à duobus sacerdotibus Romanis ad mortem vsq; verberatus, in carcerem- que coniectus est; elapsus ex eo in Galliam ad Carolum Magnum venit, qui eum in dignitatem suam restituit, sese per sacramentum purgantem. Deinde Carolum Magnum Imperatorem coronauit. Obiit Anno 20. mense 5. die 18. Pontificatus sui.

Vacauit sedes diebus 20.

99 STEPHANVS V. dictus IV. Romanus, homo 105
816 nobilis, doctusque, in Galliam, vt sese excusaret, propter Electionem suam factam sine consensu Imperatoris Ludouici Pii venit, quem Remis coronauit Romamq; reuertit, obiit mense Pontificatus sui sexto die vigesimo tertio.

Vacauit sedes diebus duobus.

100 PASCALIS Monachus Romanus electus abs- 106
817 que authoritate Imperatoris Ludouici Pii, sese per Epistolas nuncioque excusauit; hinc Imperator eam prærogatiuam & ius electionis amisit, quam reseruauit nouus Papa, per nuncios renouata amicitia cum Imperatore, statim post electionem suam. Obiit Anno Pontificatus sui 7. mense 3. die 17.

Vacauit sedes diebus quatuor.

101 EVGENIVS II. Romanus liberalis erga paupe- 107
824 res, doctusque, electus est non impediente electione cuiusdam Zozimi. Obiit anno Pontificatus sui 3. mense 6. die 24.

Vacauit sedes diebus duobus.

SCHISMA XI.

ZOZIMVS Romanus, creatus durante schismate contra Eugenium præfuit sedi diebus aliquot.

VALENTINVS Romanus homo eloquens 102
boniſq; moribus, excessit vita mense Pontifica- 827
tus sui primo die decimo.

Vacauit sedes diebus tribus.

GREGORIVS IV. Romanus, Consilium Regi 103
Ludouico Pio, vt festum omnium sanctorum 828
primo Nouembris in Gallia Germaniaq; celebraretur, dedit. Mortuus est anno Pont. sui 16.

Vacauit sedes diebus 15.

SERGIVS II. Romanus Vir bonus, antea no- 104
minatus *Os porci* mutauit nomen suum, primusq; 844
ansam dedit successoribus suis vt mutarent nomina in electione. Obiit anno Pontificatus sui tertio.

LEO IV. Romanus Monachus, vir bonus, Sa- 105
racenis venientibus magnis cum copiis apud 847
Neapolitanos restitit, inuocato Deo, veniamq; suis dedit pugnandi contra hostes, qui his victis ad suos redierunt, Mortuus est anno Pont. sui 8. mense 3. die 6.

Vacauit sedes diebus sex.

BENEDICTVS III. Romanus, contra voluntatem suam electus, officium Pastorale plorans 106
855 accepit, Deum testem aduocauit se non esse capacem. tamen erat vir bonus, consolabatur ægrotos, nutriebat pauperes, defendebat viduas & orphanos: Talis cum esset tamen ab officio submotus est, interea Anastasio vsurpante sedem: sed prior ille restitutus est, Obiitque anno Pontificatus sui 2. mense 8. die 18.

Vacauit sedes diebus 15.

SCHISMA XII.

ANASTASIVS III. Romanus, creatus durante 107
schismate contra Benedictum, præfuit sedi die- 858
bus aliquot. Schisma duodecimum susciatuit.

Nicolaus Magnus Romanus homo prudens dignusque tali officio: decreta infinita fecit, & inter alia instituit, ne vllus princeps secularis neq; laicus sibi ius præsidendi in Conciliis sumeret, excepta quæstione fidei, nullusq; assisteret Missæ sacerdotis concubinarii: ne Baptismus reiceretur, etsi administraretur per Pagãũ Iudæum. ve, dummodo fieret in nomine Patris Filii & Spiritus sancti. Viuis excessit anno Pont. sui 9. mense 6. die 20.

Vacauit sedes diebus septem.

ADRIANVS II. Romanus, homo prudens & 108
bonus, liberalis erga Pauperes, humilis erga o- 869
mnes, adeo vt lauaret pedes Episcopis, electus est Papa non expectata sententia legatorum Imperatoris, Mortuus est anno Pont. sui 4. mense 11. die 12.

Vacauit sedes diebus duobus.

CONCILIVM VIII.

Concilium Vniuersale VIII. Constantinopoliter 300. siue 383. Episcopos celebratum contra Photinum Episcopum Constantinopolitanum, qui reiectus excommunicatusq; est, Ignatio qui iniuria priuatus fuerat restituto.

IOHANNES VIII. (omittemus enim Iohan- 109
nam) 872

nam)in Galliam venit, carcere Romanorũ elapsus, hic annis quatuor tres Imperatores coronauit: Carolum Caluum Romæ, Ludouicum Balbum in concilio Troiæ celebrato, Carolum Crassum, post rediit Romam, quod nunquam alij Papæ acciderat. Viuis excessit Anno Pont. sui 10. die. 2.

Vacauit sedes diebus tribus.

110 MARTINVS II. malis artibus ad Pontifica-
882 tum ascendit. Obiit Anno Pontificatus sui primo, mense primo.

Vacauit sedes diebus duobus.

111 ADRIANVS III. Romanus, rursus post Nico-
884 laum instituit, ne quis Imperator se ingereret in electionem Paparum. Vitam finiuit anno Pontificatus sui primo mẽse tertio die vndeuigesimo.

Vacauit sedes diebus tribus.

112 STEPHANVS VI. dictus V. Romanus, sese de-
891 lectauit sanctitate quorundam præcipue cuiusdam Bernardi Episcopi Pictonum, præfuit sedi annis 6. diebus 9.

Vacauit sedes diebus quinque.

113 FORMOSVS Romanus, electus Papa præfuit
895 sedi annis 4. mensibus 6. diebus 18. priuatus dignitate, & interueniẽte corruptela restitutus est.

Vacauit sedes mensibus 5. diebus 2.

SCHISMA XIII.

SERGIVS III. Romanus, creatus durante schismate, contra Formosum præfuit sedi diebus quibusdam, quod schisma fuit fœdum, scandalosum, diuque durauit.

114 BONIFACIVS VI. Papa necatus est die ponti-
895 ficatus sui 25. memoria dignum nihil fecit tam paruo tempore, vt & sex successores eius. Tempus nunquam peius fuit, quam his Pontificibus, vbi alter alterum indigne persequebatur.

Vacauit sedes diebus quinque.

115 STEPHANVS VII. dictus etiam VI. aboleuit
896 decreta Formosi erutoque corpori eius, abscidit digitos duos, abiecitque in sepulcrum Laici: postremo actorum suorum eum pœnituit, factusque est Monachus, præfuit sedi anno vno mensibus duobus diebus vnde viginti.

Vacauit sedes diebus tribus.

116 ROMANVS natus Romæ, approbauit acta
897 Formosi, aboleuitq; acta Stephani: præfuit sedi mensibus 4. diebus 23.

Vacauit sedes die vno.

117 THEODORVS II. Romanus homo seditiosus,
897 matura vindicta Dei obiit Pontificatus sui die 20. Platina dicit eo tempore homines largitionibus peruenisse ad officia ecclesiastica, & non virtutibus sicut antea.

Vacauit sedes die vno.

118 IOHANNES IX. Romanus Monachus Rauẽ-
899 nam fugiens aboleuit acta Stephani præsente Imperatore Galloque Rege Carolo VIII. Simplice approbauit Decreta Formosi. Mortuus est anno Pont. sui 1. die 15.

Vacauit sedes die vno.

119 BENEDICTVS IV. Romanus nihil memoria
898 dignum fecit magnorum tumultuum causa, suscitatorum per antecessores eius. Obiit anno Pontificatus sui 3. mense 6. die 15.

Vacauit sedes diebus 6.

LEO V. præfuit sedi diebus quadraginta ve- 120
neno appetitus in Monasterio quodam, coactus 902
per successorem suum vt fieret Monachus: Mœrore animi extinctus est, videns se tam male tractatum per eum quem nutriuerat.

SCHISMA XIV.

CHRISTOPHORVS Romanus durante schi- 121
sinate contra Leonem, iniuste acquisiuit sedem, 902
vt modo diximus, quam mense septimo postea amisit, coniectusque est in carcerem in quo miserabiliter periit.

SERGIVS III. Romanus Antecessorem suum 122
in carcerem coniecit, iussitque vt effoderetur 903
corpus Formosi 113. Papæ, cuius cõpetitor fuerat, ex sepulchro quod truncauit capite ac si viuum fuisset, obiit anno Pontificatus sui 7. mense 3. die 16.

Vacauit sedes diebus quinque.

ANASTASIVS III. Romanus honeste se gessit; 123
re nulla commemoratione digna facta excessit 910
viuis anno Pont. sui 2. mense 1. die 22.

Vacauit sedes diebus duobus.

LANDVS SABINVS homo nullius existima- 124
tionis. Mortuus est anno Pontificatus sui 2. mẽ- 912
se 6. die 22.

Vacauit sedes diebus 26.

IOHANNES X. Romanus deditus plus armis 125
quam religioni & pietati, expulit Saracenos Ca- 913
labria auxilio Marchionis Hetruriæ, hinc quia sibi attribuebat gloriam eius victoriæ, à militibus merito interfectus est, anno Pontif. sui 15. mense 2. die 15.

Vacauit sedes die vno.

LEO VI. Romanus sese honeste gessit si spectes 126
mores illius seculi, obiit mense Pontificatus sui 928
6. die 15.

Vacauit sedes die vno.

STEPHANVS VIII. dictus VII. Romanus ho- 127
mo modestus religiosusque, obiit anno Pontifi- 928
catus sui 2. mense 1. die 15.

Vacauit sedes diebus duobus.

IOHANNES XI. Romanus nihil memoria 128
dignum gessit. Obiit anno 4. mense 1. die 15. 930

Vacauit sedes die vno.

LEO VII. Romanus, nihil memoria dignum 129
fecit, hæresis Anthropomorphitarũ (qui Deum 935
asserebãt formam corpoream habere) repullulauit. Otho primus Imperator primus Sacramentum fidelitatis huic Papæ iurauit, quem & carcere liberauit, in quem coniectus fuerat per Romanos. Leo vicissim ei confirmauit potestatem eligendorum Paparum. Viuis excessit anno Pont. sui 3. mense 6. die 10.

Vacauit sedes mense vno.

STEPHANVS IX. dictus VIII. nunquam domo 130
exibat, propter cicatrices faciei, quas ictibus ac- 939
ceperat in seditione quadam. Vita excessit anno Pontificatus sui 3. mense 4. die 15.

Vacauit sedes diebus 10.

131 MARTINVS III. Romanus homo pacificus
942 reparauit templa & pauperes nutriuit, in viuis esse desiit anno Pont. sui 3. mense 6. die 14.

Vacauit sedes diebus tribus.

132 AGAPETVS II. Romanus homo vitæ probæ
946 amatorque pacis, excessit anno Pont. sui 9. mense 7. die 10.

Vacauit sedes diebus 12.

133 IOHANNES XII. primus post Sergium, qui no-
956 men suum mutauit, fuit habitus omnium nequissimus, impudicus, crudelis, ad eam dignitatem potestate paterna peruenit, occupauit indigne sanctum illum locum annis 8. mensibus 4. die 1. Cardinali cuidam nasum abscidit, alii manum qui scripserat Imperatori Othoni de scandalo, quod ecclesia per detestabilem eius vitam acciperet.

134 LEO VIII. Postquam Iohannes XII. propter
963 vitam perditam depositus est, in Concilio Romæ celebrato fere ab omnibus Episcopis Italiæ substitutus fuit, sedem tenuit anno 1. mense 3. diebus 17.

Imperante Othone Magno defensore ecclesiæ religiosissimo, Iohannes XII. statim post obitum Othonis per Romanos inconstantes seditiososque est reuocatus, qui eiecerunt Leonem, qui eos nolebat impedire, vt euitaret schisma. Iohannes ita restitutus præfuit sedi mensibus 3. diebus 28. in fine tandem deprehensus in adulterio per maritum vxoris in effectus est. Hic multum abfuit à vita sancta plurimorum antecessorum suorum.

LEO VIII. restitutus per Othonem tenuit sedem mensib. 8. diebus 22. Benedictus V. in exilium actus & depositus per Othonem postquam hic obsederat & occupauerat Vrbem. Leo volens obuiare malitiæ Romanorum in electione Pontificum, in plena Synodo instituit, ne vllus Papa deinceps crearetur non consentiente Imperatore, restituitque donationes ecclesiæ factas per Iustinum.

Vacauit sedes mensibus 6. die vno.

SCHISMA XV.

BENEDICTVS V. Romanus creatus durante schismate contra Leonem, præfuit sedi diebus aliquot.

135 IOHANNES XIII. Romanus, Episcopi filius,
965 præfuit sedi annis 6. mensibus 11. diebus 5. Romani seditiosi consueti reiicere Episcopos suos, eum in carcerem per Petrum præfectum Vrbis coniecerunt, & in exilium egerunt. Sed intelligentes Othonem venire cum magna militum manu reuocauerunt eum. Præfectus ille traditus carnifici, deuestitus & asino impositus, conuersa in posticam facie manibus ad caudam ligatis, sic ductus per vrbem & in exilium missus est, complices eius puniti sunt diuersimode.

Vacauit sedes diebus 13.

136 DOMNVS II. Romanus tam modestus fuit vt
972 nullam acceperit ignominiam ab Romanis. Vita excessit mense Pont. sui 3.

Non vacauit sedes.

BENEDICTVS V. dictus VI. præfuit sedi anno 137
vno mensibus sex: in carcerem coniectus est per 972
Cintium ciuem Romanum, vbi arcte custoditus fame mortuus est, de qua iniuria nulla facta est quæstio. Platina miratur vicissitudinem rerum, cum nostro æuo longe alia sit potentia Pontificum.

Vacauit sedes anno vno diebus decem.

BONIFACIVS VII. Romanus non diu fuit 138.
Pontifex, neque amplius mense vno diebus 12. 973
sedit.

Vacauit sedes diebus 20.

BENEDICTVS VI. dictus VII. omni ope cona- 139
tus est, homo bonus & pacificus, persuadere 975
Germanis & Italis, vt concordes essent, acquiescerentque in bono Imperatore, respublica enim valde afflicta erat. Tenuit sedem annis nouem mense vno diebus decem.

Vacauit sedes diebus tribus.

SCHISMA XVI.

Inter Bonifacium VII. Benedictum VI. & Io- 140
hannem XIV. schisma decimum sextum ortum 984
est.

IOHANNES XIV. Romanus, in carcerem coniectus, vel propter vitam impiam, siue per cognatos Bonifacii VII. inimicos suos, cuius competitor fuerat, fame periit.

Non vacauit sedes.

BONIFACIVS VII. Romanus per media illicita ascendit ad Pontificatum, & per eadem cecidit, furatus thesaurum sancti Petri Constantinopolim aufugit, inde reuersus, intelligens Iohannem XIV. esse electum Papam, eum captiuum fecit, & opinione quorundam oculos ei eruit, in carcere fameque necauit, gubernauit pontificatum mensibus 6.

Vacauit sedes diebus decem.

IOHANNES XV. Papa ab omnibus odio habi- 142
tus, quod omnia bona Ecclesiæ agnatis amicisq; 985
distribueret (in quo hodie eum multi imitantur) fame periit captiuus mortuus in summa egestate, sic volente Deo Anno 9. mense 6. die 10.

Vacauit sedes die vno.

IOHANNES XVI. Papa prudens & vigilans 142
sedem tenuit mensibus 4. 995

Vacauit sedes diebus duobus.

Gregorius V. Saxo, agnatus Imperatoris Otho- 143
nis III. coactus fugere in Germaniã. ductu Cre- 995
scentii consulis, qui Iohannem XVII. elegerat Antipapam, sed priore illo reuerso Antipapa priuatus est pontificatu & vita effossis prius oculis. Id cum aliis causis recitatis, ansam dedit Institutioni VII. Electorum Imperii, confirmatorum in concilio Romæ, suffragante Platina. Tenuit sedem annis 2. mensibus 8. diebus 3.

Vacauit sedes mens. 8. diebus 10.

SCHISMA XVII.

IOHANNES XVII. Græcus, creatus durante schismate

schismate, homo nequitiosus & detestabilis (quem plurimi in numerum Paparum non referunt) occupauit sedem mensibus, sex antequam Gregorius restitueretur, effossi sunt eioculi nasusque abscissus Crescentio, vt & aures, qui deinde suspensus, & à populo laniatus interiit opinione Platinæ vt dictum est in præcedentibus.

144 SYLVESTER II. Monachus, natus in Aquita-
998 nia, reliquit Abbatiam amore bonarum artium, Seuiliam Vrbem Hispaniæ adiit, quam Saraceni tenebant, tãtum in literis profecit, vt fieret præceptor Regis Roberti, Imperatorisque Othonis III. deinde Episcopus Rhemorum & Rauennæ, & postremo Papa factus est. Viuis excessit anno Pontificatus sui 4. mense 6. die 12.

Vacauit sedes diebus 25.

145 IOHANNES XVII. Romanus festum defun-
1003 ctorum consilio Odonis Abbatis Cluniacensis instituit, qui cum obstupuisset, ob famam vocis gementis circa montem Æthnam, cuius causa erat, tam illisarum scopulis marinarum vndarum fremitus quam horrifici montis, ignem eximis visceribus eructantis, boatus, quæ est natura illius montis, credidit eiulatus esse defunctarũ animarum, quę in illo igne cruciarentur. Sublatis iam ceremoniis pro Christianis mortuis orandi, institutis diu ante per Gelasium, obiit Pontificatus sui mense 4. die 25.

Vacauit sedes diebus 19.

146 IOHANNES XVIII. Romanus, homo otio de-
1003 ditus, nihil annotatione dignum gessit, excessit anno pontificatus sui 5. mense 8.

Vacauit sedes mense vno.

147 SERGIVS IV. Romanus, homo prudens, li-
1009 beralis erga Pauperes apud omnes gratiosus, sapienter sedem annis 2. mensibus 9. diebus 19. gubernauit *Volat. Plat. Geneb.* Mirantur quomodo Papa vir tam bonus esse potuerit inter tot tumultus, qui in legitima successione summorum Pontificum subinde oriebantur, vt olim in synagoga, dominantibus Antiochis.

Vacauit sedes diebus octo.

148 BENEDICTVS VII. dictus etiam VIII. reiectus
1012 per Romanos post mortem Imperatoris Henrici II. restitutus, vt conuenerat cum inimicis suis, sedem tenuit annis 2. mensibus 3. diebus 21. scribunt de ipso, apparuisse post mortem suam cuidam episcopo, terribili specie insidentem equo nigro, quem rogauerit vt pecunias suas quas defoderat, erutas distribueret pauperibus. Illa enim, quæ hactenus in eos erogauerat, nihil sibi profuisse, cum rapina parta fuissent, maximis tormentis afflicto. *Platina.*

Vacauit sedes diebus duobus.

149 IOHANNES XIX. frater Benedicti, auctore
1024 Platina, diu bellum contra Romanos gessit neglectis ordinibus ecclesiasticis, sublatus per Imperatorem Conradum, electusq; est Papa alius. Vita excessit anno Pontificatus sui 8. mense 9. die 9.

Vacauit sedes diebus duobus.

150 BENEDICTVS VIII. dictus etiam IX. Tuscu-
1032 lanus, vitam egit dissolutam: bis eiectus per Romanos, electis duobus sequentibus, sedemq; tenuit annis 12. mensibus 4. diebus 10. Post mortem suam specie monstrosa apparuit, dicens se vixisse sine lege & sine ratione. *Platina.*

SCHISMA XVIII.

SYLVESTER III. Romanus, durante schisma- 1043
te contra Benedictum electus est, Benedicto deposito, deinde inuentus indignior quam Benedictus deiectus officio, sedem non amplius mense vno tenuit, Benedicto restituto. Ambitio & corruptio (vitia nobis familiarissima) plus quam vita Christiana valuerunt ad perueniendum ad dignitates. Res deploranda. *Platina.*

IOHANNES XX. Romanus, etiam durante 151
schismate contra Benedictum creatus, sedem 1045
tenuit anno vno diebus 22. Schisma illud per tres Papas suscitatum causa fuit magnarum calamitatum.

GREGORIVS VI. Romanus tenuit sedem resignante Benedicto siue magis vendente, quam coactus est per Imperatorem Henricum tertium relinquere, vno anno mensibus 7. diebus 20. post

Concilium Sutriense non procul ab vrbe Roma præsente Imperatore celebratum est, in quo tres Papæ illi depositi sunt, & electio restituta Imperatori successoribusq; eius euitandorum schismatum gratia. *Herm. Contr. in suo Chronico.*

CLEMENS II. Saxo veneno per Damasum suc- 152
cessorem suum necatus est. mense 9. auctore Pla- 1047
tina. Sed Onuphrius Damasum virum bonum esse dicit.

Vacauit sedes mensibus 9. die vno.

DAMASVS II. se sine vlla electione Papam fe- 153
cit, mortuus die 23. sic vlteriorem pœnam effu- 1048
git delictorum suorum. *Plat.*

Vacauit sedes mens. 6. diebus tribus.

LEO IX. Germanus, homo nobilis bonæque 154
vitæ, magnæq; scientiæ, amator pauperum pere- 1049
grinorumque, vt domus eius omnibus pateret. Aiunt huic Dominum nostrum apparuisse in forma pauperis, quem in lectum suum collocauit Leo, sed pauper ille mox disparuit. Obiit anno 5. mense 2. die 28.

Vacauit sedes mensibus 11. diebus 24.

VICTOR II. Bauarus, electus non tam bona 155
voluntate Romanorum quam ad placandum 1055
Imperatorem si eligerent Germanum. Mortuus est anno 2. mense 3. die 16.

Vacauit sedes mensibus 4.

STEPHANVS X. dictus XI. Monachus Lotha- 156
ringus, subiecit Ecclesiam Mediolanensem Ro- 1057
manæ, quę annis 200. fuerat iuris proprii. Obiit post hac mense 7. die 28.

Vacauit sedes diebus 6.

BENEDICTVS IX. dictus X. Romanus non per ianuam ad pontificatum intrauit, sed vi; in quo non amplius mensibus 9. diebus 20. sedit deiectus paulo post.

NICOLAVS II. Allobrox homo probæ vitæ, 157
sedem 1059

sedem annis duobus mensibus tribus diebus vigintiquinque tenuit.

Concilium congregatum Romæ per Nicolaum II. Papam, per 118. Episcopos celebratum, in quo institutum fuit, vt electio Paparum esset penes Cardinales & Episcopos approbantibus cæteris clericis & populo, & eligerent vnum ex eorum collegio, siue alium, qui non ornatus titulo Cardinalis esset.

Vacauit sedes mensibus 3.

158 ALEXANDER II. Mediolanensis, homo do-
1061 ctus, electus absens propter virtutes suas, & primus post tam sanctam electionem: bona tamen pars Episcoporum in fauorem Imperatoris repudiato Alexandro Candolum elegerunt, hominem diuitem & præpotentem, vnde ortum est Schisma XIX. Fuit hic conflictus durus & asper, victoria Alexandri partes secuta, qui mortuus est postquam præfuisset annum vnum menses 6. dies 5.

SCHISMA XIX.

161 HONORIVS II. Electus durante schismate contra Alexandrum, antea nominatus Candolus Episcopus: tenuit sedem annos 5. depositusq; fuit.

159 GREGORIVS VII. Senensis, Monachus Clu-
1073 niacensis, ante appellatus Hildebrandus, excõmunicauit Imperatorem Henricum IV. priuauitq; Imperio; postea congregauit & alium fecit eligi Imperatorem, Rudolphum Ducem Suuæ. Hic Pontifex ter carceri mancipatus est: primo à Cinthio præfecto Vrbis Romanæ: secundo per Imperatorem, vbi elapsus est auxilio Romanorum, Mathildæ Ducissæ Mantuæ, & Guiccardi Normandi, principis Apuliæ, qui eum Salernum duxit, ibi mortuus est anno pontificatus sui 12. mense 1. die 3. Controuersia de iure inuestiturarum inter Papam & Imperatorem causata est magna mala *Mart. Pol.*

Vacauit sedes Anno vno.

SCHISMA XX.

1080 CLEMENS III. in Concilio celebrato Brixiæ, ita suadente Imperatore Henrico IV. electus est Gregorio deposito, tenuit sedem per annos 21. contra Gregorium & eius successores.

160 *Victor* III. Monachus Beneuentanus, execu-
1086 tus est sententiam antecessoris, latam contra Henricum IV. & mortuus est anno 1. mense 3. die 4.

Vacauit sedes mensibus 3. diebus 23.

161 VRBANVS II. Gallus Monachus, omni ope
1088 conatus est, vt reformaret mores ecclesiasticos, erat enim homo virtuti deditus & eruditus, videns se in Italia non esse securum, nihil pensi faciens Mathildam Comitissam Mantuæ, quæ carcere extraxerat Gregorium 7. bonaq; sua ecclesiæ reliquerat, quæ nunc appellant patrimonium S. Petri. In Galliam venit, ibiq; Philippum I. Regem vt vxorem suam reciperet, coegit, deserta ea cum qua adulterii consuetudinem habebat. Viuis excessit Anno II. mense 4. die 18.

Vacauit sedes diebus 14.

PASCHALIS II. Hetruscus Monachus etsi in- 162
uitum se ad hanc trahi dignitatem simulabat, 1099
magnifice tamen se gessit, vestitus pallio coloris purpurei, auream coronam capite gestans, cingulo vsus precioso, de quo claues septem & totidem sigilla pendebant, quo schemate significare voluit, potestatem ligandi soluendiq; sibi datam esse. Asturcone albo vectus in Lateranum venit. Ingressus Galliæ regnum, vt corrigeret vitiosos clericorum mores, concilium habuit Troiæ in Campania Galliæ, in quo permulti Episcopi & Sacerdotes grauiter multati sunt. Reuersus Romam, non pauca oppida & arces armis subegit. Excommunicationis fulmen in Henricum IV. & ipse eiaculatus est. Filium eius in patrem concitauit vt ei eriperet Imperium. Captus ab Imperatore & in carcere detentus, coactus est ei cedere ius creandi Episcopos & Abbates, quo tamen iure Henricus paulo post vicissim cessit, metuens ne Imperium amitteret. Paschalis mortuus est postquam annis 18. mensibus 5. diebus 9. Pontifex fuisset.

Vacauit sedes diebus tribus.

ALBERTVS ATELLANVS creatus durante 1101
schismate post mortem Clementis III. tenuit sedem contra Paschalem II. annos 8. menses 4.

THEODORICVS ROMANVS quoque, tenuit 1102
sedem durante schismate menses 5. dies 15.

SYLVESTER III. ROMANVS durante schi- 1102
smate post Theodoricum tenuit etiam sedem contra Paschalem II.

Vacauit sedes diebus duobus.

GELASIVS II. patria Caieranus verberatus 163
carcerique mancipatus, etsi esset monachus san- 1118
ctæque vitæ, à quodam nominato Cinthio, diuite Romano, liberatus à populo, postquam Imperatorem Henricum V. & Gregorium VIII. Antippam suum excommunicauerat, in Galliam venit, ibiq; mortuus est anno pontificatus sui 1. die 25.

SCHISMA XXI.

GREGORIVS VIII. Hispanus creatus durante schismate contra Gelasium II. tenuit sedem annos 3.

CALLISTVS II. Heduus natione, filius siue 164
frater Ducis Heduorum, creatus Papa in Gallia, 1119
profectus Romam contra Antipapam, qui captus asinoq; præpostere impositus, caudam loco freni tenens, deinde in carcerem coniectus, in eo mortuus est. Callistus honeste sedem in pace & concordia tenuit, alter Papa & Henricus V. Imperator, qui ius prætensum inuestiturarum & collationum beneficiorum cessit, quæ causæ multarum calamitatum fuerant. Tenuit hic ipse post Gregorium V. sedem annis 5. mensibus 10. diebus 17.

Vacauit sedes die vno.

CONCILIVM LATERANENSE.

Concilium vniuersale celebratum Romæ ad S. 1123
Iohannem Lateranensem per 917. episcopos contra Saracenos & Turcas.

HONORIVS II. Bononiensis homo humilis 165
conditio- 112[illegible]

conditionis, nihilominus doctus, plus ambitione quorundam promotus, quàm consensu bonorum, præfuit sedi annis 5. mensibus 2. diebus 3.

Vacauit sedes die vno.

SCHISMA XXII.

CELESTINVS II. Romanus, electus per cardinales quosdam, suscitauit schisma contra Honorium II.

166 INNOCENTIVS II. bellum Rogerio Normando intendit, qui se nominabat Regem Neapolitanum: prælio victus carceriq; mancipatus, sed ipse in Galliam venit, ibique duo concilia congregauit, vnum Rhemis, alterum Claremonti, obtinens auxilium ab Rege Ludouico Crasso & Imperatore Lothario in Italiam reuersus, sedem tenuit annos 13. menses 5. dies 8.

1130

SCHISMA XXIII.

ANACLETVS II. Romanus, electus per Romanos durante captiuitate Innocentii II. Antipapa fuit, qui thesauros & reliquias, vt solueret pretium militibus suis, furatus est, & excitato schismate contra Innocentium II. mœrore periit, anno octauo.

Vacauit sedes diebus quibusdam.

VICTOR IV. Romanus, creatus post mortem Anacleti durante schismate contra Innocentium II. tenuit sedem annos 5.

CONCILIVM LATERANENSE.

1139 *Concilium Generale* celebratum in templo S. Ioannis Lateranensis, per Patres mille pro iure Clericorum: & contra Antipapas.

167 CÆLESTINVS II. Hetruscus, obiit mense 5.
1143 die quinto electionis suæ, dolore mœroreque propter discordiam quæ erat inter illum & populum, qui Patricium quendam volebat. Electus erat quoq; non consentiente populo, hinc iure exclusus per Innocentium II. cuiusque Cardinalibus tradita potestas.

Vacauit sedes diebus 12.

168 LVCIVS II. Bononiensis, vulneratus lapidum
1144 ictibus per populum Romanum volens deponere certos officiarios vi, obiit mense vndecimo die 4.

Vacauit sedes die vno.

169 EVGENIVS III. Pisanus monachus sanctæ vi-
1145 tæ, discipulus S. Bernhardi, Roma exactus, quod nollet confirmare consules quoldam, siue potius senatores, in Galliam aufugit, ibi Regi Ludouico iuueni & Richardo Regi Angliæ persuasit iter tertium in terram sanctam: Romam reuertus, ibi exspirauit anno 8. mense quarto die 12.

Vacauit sedes die vno.

170 ANASTASIVS IV. Romanus liberalis erga
1153 pauperes mortuus est anno 1. mense 4. die 14. per vniuersam Europam fames fuit hoc Pontifice.

Vacauit sedes die vno.

ADRIANVS IV. Anglus natione, monachus 171
conuertit Norvvegianos ad fidem. Papa factus 1154
excommunicauit Imperatorem Fridericum I. quod ei restitisset volenti adiungere Lombardiam sedi Romanæ, viuis excessit anno 4. mense 8. die 28.

Vacauit sedes diebus 3.

ALEXANDER III. Senensis patria, homo do- 172
ctus, tres Antipapas exegit bellum magnum 1159
cum Imperatore Friderico primo gessit, qui post Carolum Magnum maximus fuit Imperatorum, quem excommunicauit. Volentem accipere absolutionem nixumque genibus, Alexander pedibus calcauit, accinique iussit *super Aspidem & Basiliscum. &c.* ad quæ Imperator: reuerentiam sancto Petro non tibi defero: respondit Alexander: & mihi & sancto Petro. *Volat.* Hic Papa in pontificatu plus quam vllus Pontificum vixit, excepto S. Petro mortuus est anno 21. mense 11. die 23.

Vacauit sedes die vno.

SCHISMA XXIV.

VICTOR IV. creatus durante schismate contra Alexandrum 3. Antipapa annos 4. menses 7. fuit.

PASCHALIS 3. durante schismate, creatus Antipapa annos 5.

CALISTVS III. Hungarus, creatus durante schismate, Antipapaque fuit annis 7. mensibus 5.

SYNODVS GENERALIS.

Concilium Generale celebratum in Laterano (opinante Genebrardo,) per 300. Episcopos, tam Orientales quàm occidentales, pro reformatione morum: in quo hæresis Valdensium damnata fuit; simulq; institutum, vt in electione Paparum duæ tertiæ partes conuenientes in suffragiis sufficerent, euitata schismatis causa in posterum.

LVCIVS III. sciens Christianos in terra sancta 173
in periculo esse propter peccata, solicitauit Im- 1181
peratorem Fridericum, Regem Galliæ Philippum Augustum, & regem Angliæ, vt susciperent expeditionem in terram sanctam. Mortuus est anno 5. mense 2. die 28. p. s.

Non vacauit sedes.

VRBANVS III. Mediolanensis certior factus 174
de expugnatione vrbis Ierusalem per Saladi- 1185
num Suldanum, possessam per reges 9. Christianorum, spatio 88. annorum, mœrore obiit anno primo mense 10. die 25.

Vacauit sedes die vno.

GREGORIVS VIII. Beneuentanus omni dili- 175
gentia conatus efficere vt festinarent milites pro 1187
recuperatione terræ sanctæ, obiit mense primo die vigesimo.

Vacauit sedes diebus 10.

CLEMENS III. Romanus, homo doctus & san- 176
ctæ vitæ, Principes Christianos solicitauit, vt 1188
festinarent cum proposito recuperationis terræ sanctæ.

sanctæ: viuis excessit anno 3. mense 2. die 16.

Vacauit sedes diebus tribus.

177 1191 CÆLESTINVS III. Romanus, interdicto subiecit Regnum Galliæ, ea de causa quod Philippus Augustus repudiauerat vxorem primam, quam postea tamen recepit, deserta posteriore. Indulsit hic Virgini vestali, sorori Siciliæ Regis, vt ad nuptiarum vota descenderet, nupta Henrico VI. Friderici Barbarossæ filio Imperatori. Obiit Cælestinus cum præfuisset Pontificatui annis sex, mensibus nouem, diebus vndecim.

178 1198 INNOCENTIVS III. Vir doctus, vt videndum est in Epistolis Decretalibus, Pontificatui præfuit annis octodecim, mensibus sex, diebus nouem.

Vacauit sedes die vno.

SYNODVS GENERALIS LATERANENSIS.

1215 *Concilium vniuersale* celebratum in Basilica S. Iohannis Lateranensis, celebratissimum omniũ Europensium per 1285. Prælatos & Legatos Imperatorum & Regum: contra errores Abbatis Ioachimi & alios. Plat. Tomo de conciliis.

179 1216 HONORIVS III. Romanus, coronauit Imperatorem Fridericum II. eundemq; excommunicauit, quia esset rebellis sedi sacræ; confirmauit quatuor ordines mendicantium, ademit habitum versicolorem Carmelitis ex albo & flauo, instituit, vt hostia sacra eleuaretur apportareturque ægris cum reuerentia: obiit anno Pontificatus sui 10. mense 8.

Vacauit sedes die vno.

180 1227 GREGORIVS IX. patria Anagninus, consanguineus Innocentii III. iussit colligi libros decretorum per Remundũ Barchium Diaconum suum, vetuit ne legeretur ius Ciuile Lutetiæ: Fridericum II. differentem iter in terram sanctam excommunicauit, quod is deinde compleuit occupans Hierosolymam. Mortuus est Gregorius anno pontif. sui 14. mense 5.

Vacauit sedes die vno.

181 1241 CELESTINVS IV. Patria Anagninus, vir bonus doctusque, obiit die 17. pontif. sui.

Vacauit sedes anno vno, mensibus octo, diebus 15. ea de causa, quod Cardinales captiui detinebantur per Fridericum II.

182 1243 INNOCENTIVS IV. Ligur, vir doctus, Imperatorem Fridericum II. Imperio priuauit, quod Apostolicæ sedis bona inuasisset: legem tulit vt Cardinales equitarent, vterenturque mitris pileisque rubris, ad significandum, eos esse paratos ad fundendum sanguinem suum pro defensione Ecclesiæ. Sic Cardinalium ordo supremus dignissimusque fuit inter clericos: Hoc incrementum honoris fuit Ecclesiæ decrementum. Obiit postquam scripsisset supra Decretales & Authenticos, librumque de iurisdictione Imperiali & Pontificali contra Petrum de vineis, qui omnia Imperatori attribuit, anno 2. mense 5. die 14.

Vacauit sedes diebus 13.

CONCILIVM LVGDVNENSE.

Concilium vniuersale celebratum Lugduni in Gallia contra Fridericum Imperatorem: in quo festa plurima instituta sunt, vt festum S. Stephani, Innocentii, S. Iohannis Baptistæ. Duodecim Apostolorum. S. Pauli. Virginis Mariæ. S. Michaelis, & alia. S. Ludouicus Rex, declaratus dux quintæ expeditionis in terram sanctam, eo profectus est. 1245

ALEXANDER IV. Patria Anagninus, doctus, liberalis erga pauperes, eduxit Eremitas S. Augustini ex syluis, eosque in vrbes introduxit, iis mandans, vt prædicarent audirentq; confessiones: Damnauit librum Gersonis de S. Amore Doctoris Parisiensis, qui contra paupertatem & mendicantes erat. Obiit anno 6. mense 5. die 5. 183 1254

Vacauit sedes diebus 3.

VRBANVS IV. natus Troiæ in Campania, filius sutoris, Patriarcha Hierosolymitanus, electus Papa, Cardinalibus non consentientibus, vt eligeretur quidam ex eorum collegio: instituit festum S. Sacramenti, coronauit Carolum ducem Andegauensem fratrem S. Ludouici Regem Siciliæ. Viuis excessit anno Pontificat. sui 3. mense 1. die 4. 184 1261

Vacauit sedes mensibus quatuor diebus duobus.

CLEMENS IV. Gallus, vir doctus, magnæ pietatis & sanctitatis, diligens in distributione bonorum Ecclesiæ, sine cura promouendorum propriorum liberorum (in matrimonio enim vixerat) neq; nepotum, quorum vni detraxit beneficia duo, habenti tria, omni ope conatus vt conciliarentur principes Christiani. In viuis esse desiit anno pontif. sui 3. mense 9. die 25. 185 1265

Vacauit sedes annis duobus mensibus nouem dieb. 2.

GREGORIVS X. Patria Placentinus, Archidiaconus terræ sanctæ, electus est Papa; Cardinales, qui annis duobus & vltra discordes fuerant, occasionem dederunt vni eorum qui erant in conclaui, dicenti: Auferamus tectum ædificii. S. enim Spiritus non per tam multa tecta descendere potest: sermo, me iudicante, parum Christianus. Pulchras fecit institutiones, attinentes electionem, in Cõcilio Generali celebrato Lugduni: & inter alia, ne Cardinales ex conclaui electione non perfecta abirent. Viuis excessit anno pontif. sui 4. mense 4. die 10. 186 1271

Vacauit sedes diebus 10.

CONCILIVM II. CELEBRATVM LVGDVNI.

Concilium generale II. Lugduni celebratum, in quo Ecclesia Græca conuenit cum Latina: sed concordia illa non diu durauit, nec amplius quam antea. NICEPHORVS GREG. dicit Imperatorem Græcorum concilio adfuisse, Michaelem Palæologum. 1274

INNOCENTIVS V. Heduus Iacobinus Monachus, doctus Theologus, renocauit legem antecessoris sui, statuentem ne Cardinales abirent imperfecta electione, mortuus est mense 5. die 2. 187 1275

Vacauit sedes diebus nouem.

ADRIA-

188 ADRIANVS V. Ligur, reuocauit institutio-
1276 nem Gregorii X. quæ fuerat, ne electione imperfecta ex conclaui abiretur. Obiit anno Pontif. sui mense primo die septimo.

Vacauit sedes diebus viginti quinque.

189 IOHANNES XX. dictus XXI. Lusitanus Me-
1276 dicus, doctus, sed ineptus ad eam dignitatem. Obiit mense pontific. sui 8. die 8.

Vacauit sedes mensibus sex diebus quatuor.

190 NICOLAVS III. gente Vrsinus, homo prudens
1277 & cordatus, ademit Carolo Regi Siciliæ officium senatoris: incitato contra illum Rege Aragoniæ, inde exortæ sunt vesperæ Siculæ: Roma Notarios & Rabulas forenses exegit dicens, eos viuere ex sanguine pauperum. Conatus facere vnum Nepotum suorum Regem Lombardiæ, & alterum ducem Hetruscorum, mortuus est anno pontif. sui secundo mense octauo die vigesimo nono.

Vacauit sedes mensibus sex.

191 MARTINVS II. dictus etiam IV. Turonensis,
1281 restituit Carolum in officium senatoris, excommunicauit Imperatorem Græcorum & regem Aragoniæ, quorum posteriorem regno priuauit, idque Carolo fratri Philippi pulchri dedit. Obiit Martinus anno pontific. sui 4. mense 1. die 2. tam sanctæ vitæ fuit, vt etiam ægroti venientes ad sepulchrum eius recuperarent sanitatem.

Vacauit sedes diebus quatuor.

192 HONORIVS IV. Romanus vir bonæ vitæ, con-
1285 firmauit excommunicationem antecessoris sui contra Petrum Regem Aragoniæ. Excessit anno secundo die secundo pontificatus sui.

Vacauit sedes mensibus decem diebus decem.

193 NICOLAVS IV. Longobardus, ex ordine fra-
1288 trum Minorum, vir literatus, & prudens in distributione beneficiorum & bonorum ecclesiasticorum: Mortuus est postquam tenuisset sedem annis 4. mense 1. diebus 14.

Vacauit sedes annis 2. mensibus 3. diebus 2.

194 CÆLESTINVS V. Eremita, & author ordinis
1294 Cælestinorum, electus est Papa, deinde ob simplicitatem suam deceptus est per successorem suum, qui ipsi caute dixerat, vt omitteret dignitatem Papalem, quod instituisset, vt Cardinales in asinis equitarent, ad imitationem Domini nostri (institutionem sanctissimam & prodigiose euersam dicit Genebrardus) omisit papatum, & se in deserta contulit, per successorem suum captus carcerique mancipatus, in quo omni ope priuatus necessario periit mense pont. sui quinto die 7.

Vacauit sedes diebus decem.

195 BONIFACIVS VIII. homo cautus & versipel-
1295 lis, ingratus, crudelis, arrogans, de quo dictum est, eum ad pontificatum intrasse sicut vulpem fraudantem sanctum illum virum Celestinum, alloquendo eum per tubam aut arundinem, cuius extremitas altera pertuso pariete in foramen inserta fuerat, pertingens in Celestini cubiculum: mentitus hac ratione Angeli siue Genii alicuius vocem. Regnauit vt leo, dicens se habere potestatem donandi & auferendi regna, qui de facto excommunicauit Regem Galliarum, dans Regnum Imperatori Alberto. Mortuus est sicut canis, indigne sanctum illum locum occupauit annis octo, mensibus nouem, diebus duodeviginti. Annum iubileum semel in centum annos instituit, primusque fuit qui indulgentias dedit. In malo illo seculo imperium Turcarum incrementum suum in Othomanno cepit.

Vacauit sedes diebus decem.

BENEDICTVS IX. dictus etiam X. Iacobinus 196
Monachus humili loco natus vir sanctæ vitæ, & 1303
pacificus Philippum Pulchrum Regem Galliarum absoluit ab excommunicatione antecessoris sui, & duos Cardinales ex genere columnarum. Obiit mense octauo die sexto pontificatus sui.

Vacauit sedes mensibus decem diebus viginti septem.

CLEMENS V. Burdegalensis Archiepiscopus 197
eius loci, electus absens & confirmatus Lugdu- 1305
ni per Cardinales, sedem Romanam Auinionem transportauit, euitandarum Italicarum seditionum causa: publicauit constitutiones de nomine eius nominatas Clementinas: obtinuit Auinionem (in qua sedes annis 72. mansit) & comitatum Nicenum à Ludouico Rege Neapolitano in recompensationem tributi debiti Ecclesiæ Romanæ: Venetos excommunicauit, vsurpantes vrbem Ferrariam, quæ erat ex patrimonio Ecclesiæ: vita excessit anno pontif. sui 8. mense 10. die 16.

Vacauit sedes anno vno mensibus tribus diebus septendecim.

CONCILIVM VIENNENSE.

Concilium Generale celebratum Viennæ Allo- 1311
brogum per 300. Episcopos in quo Fratricelli, Beguini, qui tertium ordinem sancti Francisci eligere volebant, quorum caput erat Fulcinus, sicut hæretici damnati sunt, vt & Templarii, ibique institutum fuit, vt lingua Hebraica, Chaldaica, Arabica & Græca in præcipuis Academiis publice doceretur.

IOHANNES XXI. dictus etiam XXII. Cadur- 198
censis, vir prudens, electus post longam contentionem Cardinalium excommunicauit Imperatorem Ludouicum quartum, qua de causa Antipapam ei dedit, Papa hic in quosdam errores incidit, quos tamen per Theologos Parisienses admonitus reiecit. Obiit anno Pontif. sui 18. mense tertio, die 28. 1316

Vacauit sedes diebus sedecim.

SCHISMA XXV.

NICOLAVS V. Nudipes, fuit Antipapa contra 1317
Iohannem XXI, curante Imperatore Ludouico quarto, mortuusque est in carcere Auinioni, venia ab Iohanne petita, cuius effigiem combusserat quasi hæretici, Antipapatus sui anno tertio mense tertio die quartodecimo.

BENEDICTVS X. dictus XI. Monachus Tolo- 199
sanus, ordinis Cistertiensis, vir doctus & seue- 1334
rus, pari modo distribuens bona Ecclesiæ, sine

respectu cognationis, dicens Papam nullum habere cognatum: reformauit ordinem Cistertiensium & Bernhardinorum, excitato iis collegio Lutetiæ: in viuis esse desiit, postquã tenuisset sedem annis septem, mẽsibus quatuor, diebus sex.

Vacauit sedes diebus vndecim.

200 1342 CLEMENS VI. Patria Lemouicensis, Monachus, vir doctus, & liberalis in omnes: subscripsit hic excommunicationi Benedicti & Iohannis XXII. contra Imperatorem redegit iubileum ad annum quinquagesimum, conatus regem Galliarum Philippum Valesium cum Rege Angliæ Eduardo in gratiam reducere, Obiit anno Pontif. sui decimo mense 7.

Clemens hic celebrauit iubileum secundum anno 1350.

Vacauit sedes diebus vndecim.

201 1352 INNOCENTIVS VI. patria Lemouicensis, vir doctus, beneficia viris benemeritis distribuit, eos vt domi habitarent, coegit, sumptus domus suæ extenuauit, vt ea pecunia pauperibus subueniret, idemque Cardinales facere iussit: actiones eius verum pastorem demonstrant, quas omnes imitari debent. Mortuus est Innocentius anno pontif. sui nono mense octauo, die vigesimo sexto.

Vacauit sedes mense vno diebus quindecim.

202 1362 VRBANVS V. Monachus Lemouicensis, Abbas in monasterio S. Victoris Massiliæ, homo doctus, valde cupidus resistendi Turcis, contra quos denunciari crucem iussit: Romam profectus, in redita obiit anno P. S. octauo mense secundo, die vigesimo tertio.

Vacauit sedes diebus decem.

203 1370 GREGORIVS XI. Lemouicensis filius Comitis Bellofortii, homo pacificus, videns tot dissensiones in Italia, & vrbes quasdam obedientiam ei recusantes, Romam rediit sedemq; vna eo transportauit, nescientibus Gallis, quod consilio præceptoris sui Baldi effecit, sediq; præfuit annis septem, mensibus duobus, diebus viginti septem.

Vacauit sedes diebus duodecim.

204 1378 VRBANVS VI. Neapolitanus, cura Romanorum creatus est papa, cum non esset Cardinalis, homo vltionis cupidus, non procurans pacem inter Christianos, vt officium eius requirebat, sed pronus ad vindicandum iniurias sibi per Cardinales & Iohannam Reginam Siciliæ illatas, quæ causa fuit XXVI. schismatis, quiq; Cardinales aquis submersit. Obiit postquam tenuisset sedem annis vndecim, mensibus sex, diebus quinq;: Vrbanus tertium iubileum celebrauit.

Vacauit sedes diebus vndeviginti.

SCHISMA XXVI.

1378 CLEMENS VII. electus Papa per Cardinales sedem suam Auinioni habentibus, papaq; legitimus per Gallos, Hispanos & Anglos recognitus est, quod schisma omnium crudelissimum fuit & scandalosum, & vltra annos quinquaginta durauit, tenuit sedem contra Vrbanum & successores eius annis quindecim, mensibus vndecim, diebus duodeuiginti.

Vacauit sedes diebus quindecim.

205 1389 BONIFACIVS IX. Neapolitanus, clarus magnis virtutibus pro ratione ætatis, non amplius enim quam annos triginta habebat: sed in gratiam agnatorum suorum abusui indulgentias habuit, quas eo tempore pretio vili vendidit; attribuitur ipsi inuentio Annatarum, id est, quantum numerandum esset singulis, qui vellent beneficio aliquo gaudere. Antipapam Petrum de Luna Hispanum habuit, qui dictus fuit Benedictus XIII. sedi præfuit Bonifacius annis quatuordecim, mensibus vndecim. Bonifacius hic quartum celebrauit iubilæũ anno 1390. posthæc

Vacauit sedes diebus quindecim.

1394 BENEDICTVS XIII. Hispanus, antea nominatus Petrus de Luna, deinde Clemens VII. tenuit sedem Auinione durante schismate contra Bonifacium & successores eius, fuit vir doctus, & mortuus est anno tertio.

206 1406 INNOCENTIVS VII. patria Sulmonensis infecit multos Romanorum (qui eum rogabant, vt tolleret bella & schismata) coactus fuit aufugere, deinde cum illis conuenit rediitque, & mortuus est anno secundo, die vigesimoquinto.

Vacauit sedes diebus viginti tribus.

207 1406 GREGORIVS XII. Venetus, Papa doctus, in electione promisit se velle cedere ab Pontificatu, si Benedictus, qui erat Auinoni cederet, sed cum ipso collusit: quod cum proditum fuisset, vterq; depositus est per concilium Pisanum, sed obedire neuter volebat: sic sedem annis octo tenuit, mensibus septem, diebus quinque.

CONCILIVM PISANVM.

1409 *Concilium celebratum* Pisæ per plurimos prælatos, in quo depositi sunt Gregorius XII. & Benedictus XIII. electusque Alexander quintus in locum eorum, sed neque Gregorius neq; Benedictus obedire volebat, sic tres pro vno habuerunt pontifices.

208 1409 ALEXANDER V. patria Cretensis, Monachus, electus per concilium, vir eruditus & virtuosus: tamen plus Martì deditus quam conditio eius requirebat: fuit Nudipes: Ladislaum Regẽ Neapolitanũ Regno priuauit, quod conatus fuisset Ostiam & alia oppida Ecclesiæ Romanæ capere, idq; Ludouico fratri Caroli V. dedit. Liberalitas eius tã magna fuit, vt etiã dicere soleret, se fuisse Episcopum diuitem, Card. pauperem, & Papam mendicantem. Obiit mense 10. die 8. pont. sui.

Vacauit sedes diebus tredecim.

209 1410 IOHANNES XXII. dictus XXIII. Neapolitanus, ad pontificatum vi nõ electione liberã peruenit: homo peritissimus in actionibus, sed tam deprauatus & male sentiẽs de fide, vt citatus Constantiam ad lacum Acronium fuerit carcerìq; mancipatus & depositus, postquam sedem per annos quinque inquinasset.

Vacauit sedes annis duobus, mense vno diebus 10.

CONCILIVM CONSTANTIENSE *ad lacum Acronium.*

1415 *Concilium Generale* Constantiense, congregatum diligentia Sigismundi Imperatoris, cui interfuit

terfuit ipse cum quatuor Patriarchis, viginti nouem Cardinalibus, quadraginta septem Archiepiscopis, sexcentis & quinq; Episcopis, sexaginta quatuor Abbatibus, & Doctoribus prope infinitis, in quo tres Papæ fuerunt depositi, nempe Iohannes vigesimus tertius Bononiæ, Gregorius duodecimus Romæ, Benedictus tertius in Hispania: Et Martinus V. electus in locum eorum consensu omnium, sic finitū est schisma XXIX; ibi institutum fuit concilium supra Papam esse debere.

210 MARTINVS III. dictus V. Romanus, homo
1417 singularis prudentiæ iustitiæque, confirmauit institutiones quod Papa subiectus esset Concilio, vtq; decimo quoq; anno celebraretur, obiit anno pont. sui decimo tertio, mense tertio.

Vacauit sedes diebus vndecim.

1424 CLEMENS VIII. Hispanus, durante schismatè post Benedictum XIII. electus per Cardinales quosdam, siue magis anticardinales Hispanos, sedemque sicut Antipapa tenuit annis quatuor.

211 EVGENIVS IV. Venetus ex ordine Canonico-
1431 rum Regularium, vir bonæ vitæ in principio: sed malo consilio omnia turbauit, incitans Romanos ad arma, & coactus aufugere in cucullo Monachi, appetitus lapidum ictibus, sedem tenuit annis 15. mensibus 11. diebus viginti & vno.

Vacauit sedes diebus vndecim.

CONCILIVM BASILIENSE.

Concilium generale Basilienſe propter reformationem Ecclesiæ, contra hæresin Husitarum & Annatas, quæ continentur in Pragmatica sanctione publicata in concilio Ecclesiæ Gallicanæ, celebrato Burdegalæ. Ibi Eugenius IV. depositus est, electusque Amedeus Eremita, antea dux Sabaudiæ, dictusque est FELIX IV. defensus per Imperatorem Fridericum III. Carolum VII. Regem Galliæ & Regem Arragoniæ. Vnde Schisma 27. pars Christianorum hunc Papam secuti sunt, pars alterum, plurimi neutrum.

CONCILIVM FLORENTINVM.

Concilium generale (Græci id synodum octauam appellant) celebratum Florentiæ, in quo Imperator Orientis affedit vna cum plurimis prælatis tam Græcis quam Latinis, in quo omnes in vnitate fidei conuenerunt, vt quoque Armenii & Indi.

SCHISMA XXVII.

FELIX IV. electus per Concilium Basilienſe præfuit sedi annis nouem mensibus quinque.

212 NICOLAVS V. Ligur ignobili loco natus sed
1447 doctus, amator doctorum, tam modestus, vt se indignum tanta dignitate iudicaret, multa impendit ad comparandam Bibliothecam, cui Amadeus siue Felix IV. dux Sabaudiæ cessit sede, vt euitaret schisma, manens Cardinalis & legatus Apostolicus in Sabaudia. præfuit sedi Nicolaus annis octo diebus vndeviginti.

Vacauit sedes diebus quatuordecim.

NICOLAVS V. quintum celebrauit iubileum anno 1450.

213 CALLISTVS III. Hispanus, quamprimum Pa-
1455 pa electus fuit, bellum contra Turcas publicauit, sicut vouerat antequam ad pontificatum peruenisset: res admiratione digna: instituit festum Transfigurationis, obiitque anno Pontif. sui 3. mense 4.

Vacauit sedes diebus duodecim.

214 PIVS II. Senensis, antea nominatus Æneas Syl-
1458 uius, vir doctissimus, fuit Cancellarius Imperatoris Friderici III. missus legati vice fungens ad plurimos Principes, Secretarius Concilii Basilienſis, postremo Papa, defendens autoritatem suam contra omnes principes: contrarius fuit Ludouico XI. qui ei nolebat consentire de consilio aulicorum in abolitionem sanctionis Pragmaticæ. Improbauit Concilium Basilienſe, quod ipse ante pontificatum suum duobus libris sua manu scriptis approbauerat: fortasse mores cum nomine mutauit; sedem annis 5. mensibus 11. diebus 27. tenuit.

Vacauit sedes diebus sedecim.

Concilium Ecclesiæ Gallicanæ celebratum Aureliæ sanctionis Pragmaticæ causa, quam Papa pius II. vt hæresin abolere volebat: cui se opposuit Parlamentum Parisianum vna cum Vniuersitate: Congregatio etiam contra Annatas fuit, per quas aula Romana incredibilem summam argenti cogebat à Gallis. Duar. l. 5. c. 11. longa serie omnes Papas alios, oppugnantes sanctionem Pragmaticam enumerat.

215 PAVLVS II. Venetus hostis literarum, vir ele-
1464 gans, simulator, sed superbus, augens maiestatē suam armis, & auarus, distribuens beneficia sui lucri causa, omnia venalia Romæ habens: apparatu omnes antecessores vicit, ornans mitram suam adamantibus, Saphiris, Smaragdis, Iaspidibus, margaritis, & aliis gemmis magni pretii, se volens spectari eo habitu: auxit etiam pompam Cardinalium tunica rubra cum caputio, iubileum ad annum 25. reuocauit, omissis abbreuiationibus institutis per Antecessores suos, in qua parte bene fecit. Sedem annis sex, mensibus decem, diebus viginti sex tenuit.

Vacauit sedes diebus quatuor.

216 SIXTVS IV. Minister generalis Nudipedum,
1471 vir doctus, vt auferret inuidiam quatuor ordinum mendicantium, omnes paribus priuilegiis donauit, multa bona fecit, sed nimium suos amauit, sicut multi faciunt abutentes maxime bonis Ecclesiæ, tenuit sedem annis tredecim, diebus quatuor.

Vacauit sedes diebus sedecim.

SIXTVS V. an. 1475. sextū celebrauit iubileū.

217 INNOCENTIVS VIII. Genuensis Ligur, humi-
1484 libus natus parentibus, non effugit auaritiæ notam. Numerum promotorum & Secretariorum auxit, quod & ante eum Pius II. & Sixtus IV. fecerant: grauiorem tamen ei maculā inussit, quod spurios suos ad summos honores erectos magnis cumulauerit opibus, quod ante eum Pontifex Romanus nemo fecerat, cum res illo fastigio indignā iudicaretur. Sedit annis 6. mēs. 10. dieb. 25.

Vacauit sedes mense vno diebus 6.

218 ALEXANDRI VI. Hiſpani, magnæ virtutes
1492 commemorantur; nomen ei ante fuiſſe perhibent Roderico Borgiæ. Cæterum dubitare poſſis, maiores eius fuerint virtutes an vitia, quæ tãta fuerunt, vt ſine horrore referri non poſſint. Primo enim peruenit ad pontificatum corruptis auro Cardinalibus, quos tamen poſtea oppreſſit. Deinde totum ſe dedit corradendis opibus diuitiisque vt ſatisfacere deſideriis ſuis poſſet, & quatuor quos habebat filios nothos ad ſumma dignitatum culmina euehere. Primum, cui nomen erat Valentino Cæſari, Ducem Vrbini fecit, cuius facti nomine totã turbauit Italiam, ipſamque adeo Romam fecit ſpeluncam ac receptaculum graſſatorum. Tertio nihil habebat tam ſacroſanctum, quod non venderet auro, quod ſcriptores illius temporis minime diſſimulauerunt, quorum vnus ita de eo canit:

Vendit Alexander claues, Altaria, Mitras:
Emerat ipſe prius vendere iure poteſt.

Et alius non minus venuſte.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Obtinuit ſedem Pontificiam annis II. diebus 8. celebrauit hic ſeptimum Iubileum, anno à nato Chriſto 1500.

Vacauit ſedes menſe vno diebus tribus.

219 *Pius III.* Senenſis Hetruſcus, Gallis iniquiſſi-
1503 mus. Magnas hic res moliebatur animo; reformationem Eccleſiæ, Concilium, bellum Turcicum: ſed talia cogitantem mors apprehendit die ab electione eius vigeſimo ſexto.

Vacauit ergo ſedes, ſed non niſi diebus quatuor.

220 IVLIVS II. homo Ligur, plus Marti quam lit-
1503 teris deditus, illato Venetis bello, Bononiam cũ aliis ciuitatibus eis eripuit, eccleſiæque reſtituit, inter quas & Imola, Ceruia, Rauenna, auxilio Gallicarum copiarum. His poſtea infenſus Maximilianum I. Imperatorem & Henricũ VIII. Britannorum regem in eos concitauit, vt Gallos horum ope pelleret omni Italia, cum in Prælio Rauennati ab iis victus fuiſſet Hiſpanicus Italicuſq; exercitus. Factus inferior, fulmen Papale in eos emiſit, offerens Galliæ regnum in prædam, primo cuiq; inuadere volenti, quod idem & antea fecerat de regno Nauarreno. Tenuit hic ſedem Pontificiam annis 9. menſib. 5. dieb. 21.

SYNODVS TVRONENSIS.

Conuenerant in Vrbe Turonum omnes Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopi, cum maximo Doctorũ numero, contra Iulium II. Papam, vt & Piſæ, Mediolani, Lugduni contra eundem annitentibus Maximiliano I. Imperatore & Ludou. XII. Gallorum rege: his oppoſuit Iulius Concilium Lateranenſe, quod tamen ipſe poſtea impediuit: Leo tamen X. id proſecutus ad finem perduxit anno Chriſti M. D. XVII. Cauſa eius potiſſima fuerat reformatio Eccleſiæ & bellum Turcicum.

Poſt Iulium II. ſedes vacauit octodecim diebus.

221 Hinc electus eſt LEO X. Florentinus è familia
1513 Medicea, annos natus quaſi triginta, vir doctus, eloquens, liberalis, virtutis ſtudioſos, doctoſq; admodum amans, affectibus ſuis tamen plus iuſto indulgens. Vrbinatium Ducem principatu ſuo priuauit, eumq; donauit nepoti ſuo Laurẽtio Mediceo, patri Catharinæ, quæ poſtea Francorũ regina facta eſt. Promulgauit hic indulgentias, omnium delictorũ veniam pollicitus iis, qui argentũ ad bellum Turcicum conferrent, & abrogare conatus eſt Pragmaticam ſanctionẽ, cõtradicente & fremẽte vniuerſo Galliæ Clero. Mortuum perhibẽt præ gaudio cum accepiſſet nuncium de electis Mediolano Gallis, cum annis 8. menſibus 8. diebus viginti ſedi præfuiſſet.

Vacauit ſedes menſe 1. diebus 7.

ADRIANVS VI. Germanus, vir prudens do- 222
ctuſque, qui frugalitati & ſobrietati admodum 1522
ſtuderet. Beneficia eccleſiaſtica hic conferre ſolebat non promiſcue quibuſuis, ſed viris doctis bonæque conuerſationis. Non erat hic admodum gratus Romanis, puto quia nimius honeſtatis & virtutum ſtudioſus eſſet. Et ſane fuerat formator pueritiæ ac magiſter Caroli V. Imperatoris. Obtinuit hanc dignitatem non niſi anno vno, menſibus 8. diebus 9.

Vacauit ſedes duobus menſibus, diebus quatuor.

Succeſſit huic CLEMENS VII. Florentinus, & 223
ipſe è familia Medicea, conſanguineus Leonis X. 1523
Vir alti ſpiritus, aſtutus, vafer, diſſimulator, qui ſtudio ſibi Gallorum partes aduerſus Carolum Imperatorem fouendas ſumſerat: conciliator matrimonii inter Catharinam neptem ſuam, & Henricum, Aureliorum ducem, poſt Regem Galliæ. Florentiam Vrbẽ, patriam ſuam obſidione cinxit, propter iniurias, quibus gentiles ſuos à ciuibus affectos querebatur, eamq; totius anni obſidione preſſam cepit: multis aſperitatẽ eius in natale oppidũ improbantibus. His Alexandrũ Mediceum primum Ducem conſtituit, qui abuſus poteſtate ſua, matronarum puellarumq; quaſi per ludibrium violauit pudicitiam. Sed ipſe nõ impune tulit, trucidatus à ſuis. Sedit Clemens menſibus 10. diebus 7. celebrauit idem octauum Iubileum anno à nato Seruatore 1525.

Vacauit ſedes diebus 17.

Paulo III. Romano, gente Farneſio multæ vir- 224
tutes tribuuntur, quod amaueritpacẽ, omnemq; 1534
dederit operam, vt concordiam ſanciret inter Imperatorem & Gallorum Regem. Hoc ei vitio fertur, quod populum nimiis exhauſerit exactionibus, ſuorumq; commodis plus iuſto incubuerit, vt qui Petrum Aloiſium filium Ducem Parmæ ac Placentiæ conſtituerit, qui poſtea ab irato populo & offenſa nobilitate iugulatus & in fruſta conciſus eſt, quod eos iniuſtis grauaret oneribus. præfuit ſedi annis 15. diebus 28.

Vacauit ſedes menſibus 2. diebus 29.

Concilium vniuerſale Tridentinum ſub hoc 1542
Pontifice cœpit anno 1542. poſtea translatum Bononiam 1546. ſed reuocatum Tridentum finitumque ibi anno Chriſti 1564. aduerſus hæreſes, abuſus, corruptelas & vitioſam vitam populi Chriſtiani.

IVLIVS III. antea Maria de Monte dictus, mu- 225
tauit cum nomine etiam mores. Nam cum ad- 1550
huc

huc esset Legatus Apostolicus, multa præclarè fecerat in concilio. Nactus pontificatum totum se immersit negotiis bellicis, crapulæ ac voluptatibus ventris, irrisor propriæ dignitatis. Sedit hic Sardanapalus annis 5. mense vno, diebus 16. celebrauit autem nonum iubilæum anno 1550.

Vacauit sedes diebus 17.

226 MARCELLVS II. plebeio genere natus, doctus
1555 tamen & virtutis studiosus, quæ tamen ipsi mortis causa extitisse creditur, sublatus venenata potione, vigesimoprimo Pontificatus sui die. Postea

Vacauit sedes diebus 25.

227 *Paulus IV.* patria Neapolitanus, è nobili Ca-
1555 raffarum familia, vir austeræ vitæ, multum desiderans tollere abusus Ecclesiasticorum, osor auaritiæ, non admittens resignationes beneficiorum, quæ alterius commodo fierent; & vt verbo dicam, natus ad restituendam pristino nitori Ecclesiam, sedem Pontificiam solis annis 4. tenuit, mensibus 2. diebus 27.

Vacauit sedes mensibus 4. *diebus* 7.

228 PIVM IV. Mediolanensem maxime detestá-
1560 tum ferunt Simoniacos, eosque qui plura simul possiderent beneficia Ecclesiastica: sed & eos qui ea aliorum commodo seruarent. Hos omnes fulmine dirisque percussit, damnatos repetundarum: quam legem, etsi videretur rigidior, successor eius confirmauit. Sedit hic annis 5. mensibus 11. diebus 15.

Vacauit sedes 29. *diebus.*

229 PIVS V. patria Alexandrinus, Monachus san-
1566 ctæ vitæ habitus est, seuerus, sobrius doctusque, cunctis rebus seruitium DEI præferens, vt corrigeret vitiosos hominum mores; & aboleret hæreses. Hunc non sine miraculo pontificem creatum asserunt, Cardinalibus nihil minus quam de electione eius cogitantibus. Author hic fuit sancti fœderis inter quosdam Principes Christianos aduersus Turcas, qui ab exercitu Christianorum ingenti prælio nauali victi cæsique sunt ad Naupactum anno Salutis 1571. quæ victoria duobus Christianorum millibus captiuis & ad remum alligatis libertatem peperit, vigintiqui quinque millibus barbarorum cæsis captisve, ducentis & octoginta nauibus partim occupatis, partim submersis aut exustis. PIVS hic cum torqueretur cruciatibus calculi clamabat: *Domine, auge dolores, sed prasta mihi patientiam.* Post remo mortuus est, vita longiore dignissimus, qui natus fuerat bono reipublicæ Ecclesiasticæ: cum sedisset annos sex, menses 3. dies 16.

230 GREGORIVS XIII. Bononiensis nobili ortus
1572 prosapia, Iurisconsultus celebris, omnibus viribus adnixus est, vt prædecessoris sui insisteret vestigiis. Diuinis igitur incumbens officiis in id incubuit, vt corrigeret vitiosos ecclesiasticorum mores, sublatisque abusibus veram religioni redderet faciem. Liberalitatis eius hæc fuerunt specimina: Collegia & seminaria instituendæ iuuentuti in multis locis extructa: Hospitalia in vsus pauperum, præcipue ob Christianam religionem afflictorum, fundata: multæque aliæ res, quæ verum Pastorem decent ornantque. Cumque doctissimus esset, multa correxit in Decretis & corpore Iuris Canonici. Postremo correctioni fastorum siue Calendarii, vt vocant, finem imposuit, quam rem aliquot antecessores eius frustra tentauerant: cum conuocasset homines Mathematicarum artium peritia celebriores, ex omni prope orbe Christiano, cum prius hanc rem Regibus Principibusque per Europam significasset, vt & Collegiis Doctorum in Scholis Vniuersalibus. Excessit è vitiis cum annos 12. dies 27. præfuisset. Celebrauit hic decimum Iubileum anno Christi 1575.

Vacauit sedes 13. *diebus.*

SIXTVS V. Cardinalis Montaltus, Hetruscus, 231
cui antea nomen fuerat Felici Perretto, sedit an- 1585
nos 5. menses 4. dies tres.

Vacauit sedes diebus 18.

VRBANVS VII. Romanus solo tredecim die- 232
rum spacio pontifex fuit, postea 1590

Vacauit sedes mensibus 2. *diebus* 9.

GREGORIVS XIIII. Mediolanensis Insuber, 233
qui antea fuerat Episcopus Cremonensis, se- 1590
dem non amplius occupauit quam mensibus X. diebus totidem.

Vacauit sedes tredecim diebus.

INNOCENTIVS IX. Bononiensis, antea Cardi- 234
nalis quatuor Sanctorum, duobus mensibus die 1591
vno Pontificem egit. Veneno porrecto eum interiisse perhibent, quod non satis fauere videretur Hispanorum factioni aduersus Gallos, vt quidem illi sibi in electione eius polliciti fuerant. eo mortuo

Sedes Romana vacauit per mensem vnum.

Defuncto subrogatus est *Clemens octauus*, Flo- 235
rentinus, antea nominatus Hippolytus Aldo- 1592
brandinus, S. Pancratii Cardinalis vir magnæ auctoritatis, exsoluit hic è diratum Pontificiatum nodis vinculisque Henricum IV. Galliæ Regem, postremo obrutus catarro suffocatiuo, periit a. d. III. Martis anni 1601. cum annis 13. mense vno, diebus quatuor imperitasset. In huius Papatum incidit Iubilæus XI. anno Christi 1600.

Vacauit sedes diebus 28.

LEO XI. Florentinus, Octauii filius, ex peril- 236
lustri familia Medicea, ad Pontificatum electus 1605
est frequentissimo totius Collegii Cardinalium applausu, populo Romano multis modis lætitiam publicam testificante, quæ tamen non diu duravit. Vix enim vigesimumseptimum in ea dignitate diem compleuerat, cum maligna febre correptus viuendi finem fecit, magno populi mœrore.

Post hunc vacauit sedes viginti diebus.

PAVLO QVINTO, Romano antea nomen fue- 237
rat Burghesio, quod est nomen antiquissimæ fa- 1605
miliæ apud Senas Hetruriæ: Pater ipsius Romam cum se contulisset, vxorem Romanam duxit, vnde natus est hic filius. Fecit Paulus finem viuendi a. d. XVIII. Ianuarii mensis anno salutis 1621.

Successit huic tertia post eius exequias septimana Cardinalis Ludouisius, Archiepiscopus Bononiensis, de quo dici iure queat, diuina ipsũ potius prouidentia quam hominum arbitrio ad hoc Pontificiæ dignitatis culmen euectum, cum nemo tale quicquam cogitaret. Assumsit sibi nomen GREGORII XV. nec vltra biennium sedem obtinuit. Hoc tantillo temporis spacio multa tamen laude digna gessit. Composuit enim grauissimam litem super Valle Tellina in Rhætis, sumpta ea in suum patrocinium: reuocauit ad obedientiam Marcum Antonium de Dominis, quondam Archiepiscopum Spalatensem in Dalmatia, eumque abiurare coegit errores suos, inprimis autem librum, quem scripserat contra Monarchiam Pontificum Romanorum. Cumq; non ignoraret multas in electione Paparum solere interuenire fraudes, captationes, abusus, vnde non leuiter offendantur membra Ecclesiæ: bonum factum iudicauit, huic corruptelæ occurrere. Nouam igitur Legem tulit, quæ imposterum in Pontificum electione ceu sacrosancta obseruaretur, quam & nos beneuolo lectori non inuidebimus.

GREGORIVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IESVS Christus Dominus noster, æterni Patris æternus Filius, Magister & Legislator noster, cuius omnis actio nostra est instructio, quanquam omnes res portet efficaci verbo suo, nihilque sit absconditum ab oculis eius: tamen, antequam eligeret duodecim Apostolos ad munus Apostolatus, totam noctem in oratione ac precibus transegit (quod ipsum alias fecisse non legimus) & priusquam Beato Petro pasturam ouicularum suarum committeret, trina interrogatione ter professus est æternum suum amorem: haud sane aliam ob causam, quam vt nos doceret, quanta diligentia, cura & prudentia opus esset in electione Pastorum Ecclesiæ, vt boni & fideles gregi præficiantur: inprimis autem in Successoribus sancti Petri, qui habetur lumen mundi, Doctor Gentium, & Pastor Pastorum. Commonefaciunt enim hæc nos, ne quicquam omittamus, quod nobis inseruire queat, vt quã optimus Pontifex Romanus eligatur. Neque enim hic de vnius membri, sed de totius corporis salute agitur, cum deliberatio est de præficiendo capite. Non quidem nos fugit, diuersa extare decreta Pontificum, antecessorum nostrorum, vt & Sanctorum Patrum quibus salutares leges continentur, vt electio illa fiat, non prædominantibus affectibus aut humana sapientia, quæ mera est stultitia aduersus DEVM: sed vt tota res directioni & gubernaculo sancti Spiritus permittatur: Attamen, quia Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, ipsa experientia magistra didicimus, nullo non tempore, nullo non loco salutaribus remediis locum esse.

Nos igitur, quibus DEVS sine vllo nostro merito commisit curam Ecclesiæ suæ, cum non iniuria metuamus, ne iustus ille & seuerus iudex aduentu suo ad iudicium nos negligentiæ arguat, in re tanti momenti: Nos inquam statuimus tandem exequi id, quod multorum hactenus votis suspiriisque desideratum est, adhibitis in consilium venerabilibus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, fratribus nostris, quorum matura deliberatione & consensu hanc legem siue constitutionem perpetuo valituram concepimus, quæ in electione Pontificum Romanorum de cætero obseruetur.

Non est igitur eligendus Papa alio in loco, quam in Conclaui vsitato, eoque clauso & firmato, postquam primo die ordinarium Missæ sacrificium perfectum fuerit, cui Cardinales adesse & participare debent. Volumus autem valere suffragia secreta schedularum, duarum tertiarum è numero Cardinalium, etiamsi omnes adessent, nullo desiderato. Penes hos enim erit, selectis quibusdam è toto Cardinalium collegio parem eandemque creandi vniuersalis Pastoris Ecclesiæ tribuere auctoritatem, quasi omnes præsto ipsi fuissent. Vel etiam (quod non improbamus) fiat ista electio ab omnibus & singulis Cardinalibus, qui præsto sunt in conclaui, quasi inspiratione diuina, nullo cum quoquam mortalium paciscente, per verbum ab vnoquoque prolatũ ELIGO, siue viua voce, siue scripto comprehenso, si ab aliquo pronunciari nequeat. Vt autem, quando Electio per viam Scrutinii facienda est, securior accessus ad ipsum scrutinium sit, volumus, decernimusque, vt illud fiat per numerum suffragiorum, duarum tertiarum Cardinalium, qui in Conclaui præsentes sunt, qua quidem in re constituimus, ne inter duas illas tertias suffragiorum computetur persona Electa: neve quis per viam Scrutinii, aut compromissum, aut vlla denique ratione se ipsum eligere possit, sibique ipsi suffragari, quanquam is qui est eligendus in Conclaui esse, inque numerum Cardinalium referri nomen eius debeat.

Præterea nolumus quenquam haberi pro Electo per viam scrutinii, siue per accessum ad scrutinium, antequam omnia publicentur suffragia. Si enim contingat, vt plures sint, qui duas tertias votorum sibi suffragantes habeant, quod planum fiet apertis prolatisque schedulis, in hac æqualitate suffragiorum calculorumque, nec hunc nec illum pro Electo haberi volumus, sed eum, qui iis commendetur suffragiis, quorum maior est dignitas & auctoritas, cum fieri possit, vt vno solo suffragio quis alterum vincere possit, qui duos calculorum partes fauentes habeat.

Super hæc ordinamus præcipimusque, vt antequam mittantur schedulæ in vrnam, vnusquisque Cardinalium aperta voce iuramentum præstet in hanc sententiam: Testor Dominum Iesum Christum, qui me iudicaturus est, me electurum eum, qui eligendus est per iudicium secundum Deum, meque positurum hoc ipsum iuramentum in accessu. Hoc iuramentum à nullo peni-

lo penitus omitti debet, expeditetque, si schidia suffragiorum tam scrutinii quam accessus typis impressa, aut si hoc fieri non posset, vna eademque manu scripta essent, ita tamen, vt ea imprimantur aut describantur, quæ exprimi in schedulis solent, omisso solo nomine eius qui eligit, & qui eligi debet, cum signaturis quæ subscribendæ sunt. Hæc enim scribi debent manu eligentis in aduersa pagella, electi vero in auersa, qua quidem in re necesse est, vt character & signum dicti electi sit ita corruptum & deformatum, vt cognosci non possit, operta insuper ea parte schedulæ, vbi nomen eligentis scriptum est, vtque obsignetur sigillo sigillatim ad hanc facto, non eo quod quotidianis vsibus seruit.

Porro, vt cognosci possit, an quis alii alicui suffragatus fuerit in scrutinio, omnes chartulæ sunto in inferiore parte notatæ duobus aliis signis: vel certo quodam numero, vel dicto aut vocabulo aliquo Scripturæ sacræ, quæ signa inueniri debent non minus in vna quam altera chartula, tam in accessu, quam in scrutinio. Postea complicantur illæ chartularum partes, in quibus hæc signa siue notæ sunt, ne videri possint à visitatoribus, donec electio plene perfecta sit per Scrutinium & Accessum: quo facto schedulæ aperiuntur à Scrutatoribus ab ea parte, vbi dictæ signaturæ sunt, qui postquam eas viderunt cum suis sigillis, peruesligant etiam alteras schedulas quæ in scrutinium missæ sunt, vt cognosci possit, vtrum eædem sint signaturæ, vnde perspicuum est, duo suffragia vni Cardinali non data per eundem. Quod si inter chartulas illas quæpiam inueniatur carens illo signo siue nota, quibus Accessus schedulæ signari debet, aut si quis eorum qui in Scrutinio nominati sunt, interueniat suffragium sit nullum. Quod nomen illius concernit qui eligendus est, oportet vt eodem modo scribatur per Cardinales, quo impressum est in folio, vt moris est scribere & notare suffragia in Conclaui.

Vt autem de hac re prudentius secretiusque consultari possit, necesse est, vt fiant schedulæ suffragiorum cum pluribus aliis, quæ ponantur in tabula in medio sacello, eo tamen spacio à Cardinalibus distantes, vt ab aliis videri non possit quid ibi perscriptum sit. Quod si quis aduersitate aliqua impeditus, tabulam accedere non possit, is ferat suffragium in secreto, quo facto accedat eum Scrutatorum vltimus, acciatque ab eo: vtque Accessus fiat clam, publicato iam Scrutinio, si deprehendatur electio in hoc non facta per duas Cardinalium tertias, antequam ad cæteras perueniatur actiones: incumbit Cardinalibus, sicut ante fecerant in Scrutinio, facere denuo schedulas Accessus ad dictas tabulas, quarum vsus erit huiusmodi. Qui voluerit appropinquare cuiquam eorum qui in Scrutinio nominati fuerunt: eius scribatur nomen: qui autem hoc facere noluerit, ne cognoscatur, loco nominis eius hanc scribat vocem: *Nemini*. Cauendum autem, ne quis in Accessu plures vno nominet, alioquin suffragium nullum erit. Neque permittimus cuiquam, vt in vnoquoque scrutinio plus quam semel præsens sit, neque vt schedula in Scrutinium missa, retrocedens per accessum alium nominare possit.

Præterea volumus constituimusque, vt antequam schedulæ aut Accessus vel scrutinia aperiantur per Scrutatores, earum schedularum numerus ineatur; & si plures deprehensæ fuerint quam Cardinales in Conclaui sunt, per eosdem Scrutatores celeriter omnes in ignem coniiciantur, cunctisque inspectantibus exurantur: post denuo ad suffragia perueniatur. Quod si quis huic nostræ constitutioni aliquo modo ausus fuerit contrauenire, siue id fiat directe siue indirecte, is se ipso facto sententiam excommunicationis incurrisse nouerit. Statuimus insuper, vt si quis infirmitate corporis detentus ad Scrutinium venire ipse non possit, tres Cardinales sorte lecti eum inuisant, antequam in Scrutinium calculi mittantur, & vltimus Diaconorum teneat cistulam pertusam, clausam tamen ac vacuam, priusque per Scrutatores excussam lustratamque, cuius clauis in ara posita ibi maneat: tradetur insuper ægro schedula impressa, vt præstito iuramento clam nomen futuri Pontificis inscribat, chartulamque in cistam coniiciat, quæ relata per eosdem Cardinales aperiatur, schedulaque in Scrutinium mittatur.

Accessu & Scrutinio finito, siue sequatur electio siue non, eligantur sorte tres alii Cardinales, qui cognoscant omnes schedulas, ita tamen, vt sigillum cum duabus cæteris signaturis maneat integrum, vtq; omnes eæ schedulæ, siue electio secuta sit siue non, è vestigio crementur. Similiter etiam ne electio prorogetur aut differatur longius, mandamus constituta excommunicationis pœna, ne Scrutinium bis in die haberi possit, sed vt perficiatur mane post legitimum Missæ sacrificium, postquam communicauerint Cardinales, vel post meridiem, hora commoda, post decantatum hymnum, *Veni creator* & recitatam Orationem ad inuocationem S. Spiritus. Quod si compromisso ad electionem condixisse videantur, audito vsitato campanarum sono, omnes ac singuli Cardinales compareant ad conclaue, nisi forte quis ægritudine aut morbo impediatur, constituta secus facientibus pœna excommunicationis.

Mandamus insuper atq; imperamus vt Cardinales abstineant ab omnibus in vniuersum pactionibus, mutuis intelligentiis, societatibus, obligationibus, promissis minisque, signis suffragiorum aut schedularum, aut quibuscunq; notis, apertis vel clandestinis, siue fiat id nutu, aut voce, aut scripto, aut quacunque tandem ratione, quod si quid tale interueniat, si vel iuramentum inter paciscentes intercesserit, eo tamen nemo obligetur: quod si qui contrarium facere ausi fuerint, ii iam de facto pro excommunicatis habeantur: quo tamen edicto non prohibemus tractatus & consiliorum communi-

cationes legitimas, in negotio electionis, dummodo fiant conclaui firmato, & per schedularum suffragia duabus tertiis Cardinalium in Conclaui præsentibus, vt dictum est.

Quod si quis tam perfrictæ frontis fuerit, leges hasce nostras siue Constitutiones temerario ausu violare, is sciat se promeriturum indignationem Dei omnipotentis, beatorumque eius Apostolorum Petri & Pauli. Datum Romæ in Palatio S. Petri anno incarnationis Dominicæ M. DC. XXI. Calendis Decembribus, anno nostri Pontificatus primo.

SEQVVNTVR NOMINA CARDINALIUM, qui iurauerunt, promiserunt, & signauerunt, cum ipso Summo Pontifice in eas quas recitauimus Constitutiones.

EGO GREGORIVS EPISCOPVS ECCLESIAE CATHOLICAE,

Antonius Cardinalis Saulius, Episcopus Ostiensis, promitto, voueo, iuro.

Franciscus Maria, Cardinalis de Monte, Episcopus Portuensis, prom. voueo, iuro.

Franciscus Cardinalis Sfortia, Episcopus Tusculanus, promitto, voueo, iuro.

Andreas Cardinalis Montaltus, Episcopus Albanus p.v.j.

Eduardus Cardinalis Farnesius, Episcopus Sabinorum p.v.j.

Octauius Cardinalis Bandinus, Episcopus Prænestinus, p.v.j.

Andreas Cardinalis Perettus, promitto, voueo & iuro.

Benedictus Cardinalis Beuilaquensis, promitto, voueo, iuro.

Franciscus Tituli S. Praxedis, Presbyter Cardinalis Surdius, p.v.j.

Ioh. Baptista tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Cardinalis Detus, p.v.j.

Dominicus de Sanctis Apostolis Presbyter Cardin. principalis, p.v.j.

Carolus tituli S. Cæsarii Presbyter Cardinalis Madrucius. p.v.j.

Ego tituli S. Chrysogoni, presbyter Cardinalis Burghesius, p.v.j.

Ego tituli S. Onuphrii presbyter Cardinalis Barbarinus p.v.j.

Iohannes Garsias tituli quatuor coronatorum, presb. Card. Millinus, p.v.j.

Ego tituli SS. Cyri & Iulitæ Presbyter Cardinalis Landesius p.v.j.

M. Angelus Tutius titul. S. Petri ad vincula, Presbyter Card. Nazarenus p.v.j.

Ego tituli S. Augustini Presbyter Cardinalis Veralius p.v.j.

Iohannes Baptista tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Lenius, p.v.j.

Dominicus tit. S. Marcellini in Montanis presb. Card. Riuarolus p.v.j.

Ego tit. S. Mariæ de populo, Presbyter Cardinalis Philonardus, p.v.j.

Paulus tit. S. Nerei & Achillei Presb. Cardinalis Crescentius p.v.j.

Caspar tituli S. Crucis in Hierusalem, Presbyter Card. Borgia, p.v.j.

Robertus tituli S. Alexii Presbyter Card. Vbaldinus, p.v.j.

Tiberius Tit. S. Priscæ, Presbyter Cardinalis Mutius, p.v.j.

Gabriel tit. S. Pancratii presb. Cardinalis Treius, p.v.j.

Petrus tit. S. Thomæ in Barjonæ presbyter Cardinalis Campora p.v.j.

Matthæus tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis Priolus, p.v.j.

Ego S. Presbyter Card. S. Susannæ, Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ p.v.j.

Guido tituli S. Iohannis ante portam Latinam, presb. Card. Bentiuolus. p.v.j.

Petrus tituli S. Saluatoris in Lauro, Presb. Card. Valerius p.v.j.

Fridericus Presbyt. Cardinalis, Comes de Zolleren. p.v.j.

Cæsar tit. S. Petri in monte aureo, Presb. Card. Gerardinus, p.v.j.

Ego tituli Sancti Clementis presb. Cardinalis Cremonensis, p.v.j.

Stephanus tit. S. Mariæ in via presb. Cardin. Pignatellus. p.v.j.

Ludouisius Cardinalis tituli S. Mariæ, Cancellarius Ecclesiæ Romanæ, p.v.j.

Franciscus tit. S. Matthiæ Merulanus, Presbyt. Cardinal. Sacratus, p.v.j.

Antonius tit. S. Eusebii Presb. Cardinalis Gozadianus, p.v.j.

Alexander tituli S. Mariæ in via Larga, Diaconus Card. Estensis p.v.j.

Franciscus de S. Angelo in foro piscario Diacon. Card. Boncompagninus, p.v.j.

Hippolytus de S. Maria ad Nonam, Diac. Card. Aldobrandinus. p.v.j.

Commendatur in vniuersum huius pontificis zelus aduersus Ecclesiam, quodq; summo studio annixus fuerit pacem inter dissidentes principes Christianos componere, quin & fratris sua opera vsus est, ad componendas res Rheticæ, per id tempus inter reges Gallorum & Hispanos à controuersas. Cumq; à rege Francorum commonefactus fuisset, Monachorum Ordines per Galliã, nempe Benedictinos, Augustinianos, Clareuallenses, Cistercienses multum indigere reformatione misso diplomate ad Card. Rupefocaltium iussit, vt intra sextũ annũ vitia illa sanctæ correctione tollerentur. Rex cũ hæc ex Card. intellexisset, communicata re cum sanctiore consilio, assensus est Cardinali, vt reformationi initium faceret adscitis sibi ad executionem sententiæ suæ idoneis hominibus, datisq; literis a. d. v. Iulii mensis anni à Christo nato M. DC. XXII. iussit, vt si quis ab eius sententia prouocare vellet, is iudicaretur per Cardinalem Retensem, Archiepiscopum Biturigum, adiunctis Episcopis Andegauensi & Senlisensi, cum Consiliariis Castellonouano, Iannino

nino, Caumartinio, Roslæo, Marillaco, Aligrio, nec non Poterio & Lesiæo, libellorum supplicum magistris.

Nemo potest vere dicere se Romæ fuisse, & cognouisse penitus res vrbanas, nisi ibi fuerit vacante Sede Pontificia. Cum enim viuis Pontificibus omnia recto gubernentur tramite ac ordine, præscribente Papa & conseruante leges: eo mortuo, repente mutata rerum facie, omnia sursum ac deorsum voluuntur, vt quis se in alium Orbem venisse putet. Tunc enim proceres illi ac optimates, quos aulici miris assentationibus tantum non velut Idola adorauerant, adeo humiliantur & tantum non terræ affliguntur, vt qui præ nimia superbia dedignati cæteros mortales, toti mundo se leges ferre debere opinati sunt, abiecti ac humiliati, incuruent se ac inclinent coram iis, quorum fastidiuerant præsentiam: quin & ipsi Magistratus, qui absoluta vsi fuerant potentia, ab officiis furcillantur, vnde multis nascitur audacia, etiam iis, qui nihil minus posse crediti sunt, quam aperire aut occludere viam, quæ ad Pontificium culmen ducit, vt ii inquam audeant excludere eum, quem non satis sibi vtilem ac officiosum fore arbitrantur, exaltato alio, de quo sibi maiora commoda polliceri possint. Ibi tunc cessante Iudicum auctoritate, quilibet sibi sumit licentiam scribendi dicendique aperte ea, quæ alio tempore in secreto habuerat: quæ res iis documento esse possit, qui eminentioribus in mundo constituti locis, maioribus perfruuntur honoribus, vt eam adhibeant in prosperitate sua modestiam, vt si quid tale oboriatur, ipsi conscientia recte factorum extra formidinem ac inuidiam esse possint.

Notatu insuper dignum est, quam primum Pontificem vita decedere contingit, omnia defuncti vtensilia, quicquid in eius deprehenditur cubiculo diripi auferrique ab iis, quibus fortuna fauit, vt primi ingrederentur, vt nihil ibi præter nudos relinquatur parietes, ablata omni supellectile, ipsaque adeo Bibliotheca ac vasis preciosioribus, nisi mature ab amicis eius huic spoliationi obstruatur, antequam morienti claudantur oculi.

Non absurde his iungemus, curiam siue Aulam Romanam nihil esse aliud, quam confluxum variorum hominum, qui vendita libertate sua mancipia aliorum euadunt, tantum quod sperent augmentum fortunarum suarum, aut desiderio melioris conditionis. Hi cum vident se excluſos gratia atq; fauore quem sperauerant, idque occasione vacantis sedis Papalis: magna cum confidentia alterius partes sequendas sibi desumũt, vnde res suas adiutum iri sperant. Hinc factum est, vt ii, qui parum admodum potuerant sub Paulo V. Pontifice, omni spe sua lapsi fuerint, videntes eum ingenii virum tam rigidi, adeo, vt oppressurum enim crederent omnes Cardinales, quotquot ad Papatum adspirare ausi fuissent. Hinc mirandum non est; si multi erexerũt capita ad famam aduersæ valetudinis eius, quæ ipsi superuenit cum in æde Diuæ Agnetis esset.

Cardinalis Burghesius, videns eum cum graui luctari morbo, qui inualuerat ad diem Conuersionis Pauli, ea quæ sequebatur nocte complures misit cursores, qui dispositis vsi equis vocarent ad Curiam Cardinales, qui longius aberant. Pontifex interim grauiter afflictabatur: cæterum medicamentorum, quibus vsus fuerat, præstantia effectum est, vt vitam ad secundum vsque Februarii diem procuderet, quo die expirauit circa quartam horam vespertinam.

Nimis longum foret, omnia ea enarrare, quæ post eius excessum acciderũt in Vrbe: relicta igitur aliis hac narratione, nobis sufficerit, ea persequi, quæ sigillatim contigerunt in eo loco, vbi Cardinales conuenerant, ad eligendum successorem, cum iis quæ in ipso conclaui gesta sunt, quorum omnium hic erit vsus, vt ratio ac modus eligendi noui Pontificis nobis ob oculos ponatur, cum non multum in hac re sit differentiæ, quanquam si quid intercedit discriminis, à differentia affectuum oritur, qui pro ratione spei aut metus variant.

Nouem igitur diebus in exequias Papales de consuetudine faciendas absumtis, decimo die in Templo S. Petri, præsentibus omnibus Cardinalibus Missam de sancto Spiritu cecinit Cardinalis Iustinianus: qua finita, in medium prodiit Augustinus Mascardus Secretarius Card. Estensis, qui *de electione Pontificis* elegantem orationem habuit. Post hanc Cardinales conueniente ordine conclaue ingressi sunt, numero ad quinquaginta duo, sciſſi diuersis studiis atq; factionibus.

Prima factio erat eorum, quorum caput erat Cardinalis Montaltus, quem sequebãtur Card. creati per Sixtum V. auunculum eius, Saulius, Iustinianus, Delmontius & Perettus.

Secunda erat Aldobrandini factio, cui adhærebant Cardinales lecti à Clemente VIII. Bandinus, Cæsius, Beuilaqua, Bellarminus, Detigymnasius, Delfinus, Sanuesius.

Tertii agminis dux erat Burghesius. Sequebuntur hunc Cardinales qui ab ipso Paulo V. creati fuerant, Barberinus, Millinus, Landus, Lenius, Tontius, Veralius, Caraffa, Riuarolus, Philonardus, Serranus, Asculanus, Vbaldinus, Matius, Sauellus, Ludouisius, Aquinus, Campora, Priulius, S. Susannæ, Valerius, Gerardus, Scalius, Pignatellus, Caponus, Vrsinus.

Quarta factio erat eorum, qui Hispanis fauebant: Zapatta, Madrucius, Borgia.

Quinta in Francorum partes inclinabat, caput habens Cardinalem Bonsium, præterque eum quatuor alios, qui nullius ductum secuti sibi ipsis sapiebant, erantque Sfortia, Farnesius, Mediceus & Estensis, quanquam crediderim, si se Mediceus caput huius partis profiteri voluisset, secuturos eum fuisse plerosq; Florentinos.

Omnes hæ factiones postremo tamen in duas principales coaluerunt, quarum prior, quæ & numero valebat, pro Burghesio militabat, cui & Montaltus, Farnesiusq; cũ Hispanis se iũxerũt. Altera Aldobrãdini erat & eorũ qui Gallis fauebant,

bant, quam sequebantur qui de Burghesio nescio quid querebantur, quin & Vbaldinus & Vrsinus se capita profitebantur ad excludendũ Pontificatu Camporã, qui per Burghesium cum importunitate quadam & violentia cæteris obtrudi velle videbatur, qui & post mortem Pontificis patrui sui magno studio incumbebat in eas artes, quas ante biennium auspicatus fuerat in fauorem Camporæ, nihil habens antiquius, quã hunc in solio pontificio collocare, cum non deessent, quorũ & maiores essent virtutes, & ampliora merita. Non desunt, qui hanc rem homini ea de causa tantopere cordi esse dicerent, vt sibi ipsi faceret ad pontificatum viam succederetq; ei, qui omnes suas illi acceptas ferret fortunas, quique ipsius opera ad Cardinalitiam dignitatem euectus fuisset: videnſque Camporam robusta viridiq; senecta vti, cogitabat illum annis XV. aut XVI. adhuc superuiuere posse, quod tempus sibi suffecturũ existimabat Burghesius, res suas in vado constituendi, confirmantibus hanc hominis spem Cardinalibus, quos Paulus V. paulo ante mortem suam creauerat, cæterisq; eius familiaribus & clientibus. Sunt tamen qui hunc Burghesii in Camporam affectum causæ proximiori & pressius vrgenti tribuant: scilicet ne repetundarum postularetur ipse, neu redderet rationem eorum, quæ sub Imperio Patrui fecerat, quæ fortasse futuro Pontifici non probarentur, nisi sibi eum aliqua peculiari ratione deuinctum haberet.

Tantum autem intererat Cardinali Estensi, Camporam Pontificem fieri, quantũ ipsi Burghesio, qui ad finem desideriorum suorũ peruenire non poterat, nisi, (quod Campora pollicitus fuerat) cessaret lis familiæ Estensi intentata de possessione territorii Cõmacheni, qui Estenses in Ducatum Ferrariensem restituĩ cupiebat, quacunq; id fieret ratione; vnde in hoc totis nitebatur viribus, quin & Cardinali Caponio persuaserat, vt Camporæ in ferendis suffragiis faueret; cumq; ipse ire aliquo non posset, miserat fideliores ex amicis suis, Fontanellum Comitem, & Entium Bentiuolum Marchionem. Ita totus propendebat in Camporam, qui pollicitus fuerat se si Papa fieret, restituturum Bentiuolorum genti antiquum ius, quod habuerant in ciuitate Bononiensi, vnde maiores eorum aliquando armis pulsi fuerant.

Quanquam autẽ promissiones illæ Camporæ iuramẽto firmatæ litterisq; sigillo eius roboratis comprehensæ essent; nemo tamen dubitat, quin tales fuerint, quæ obseruari non potuerint, etiamsi ipse Pontifex creatus fuisset: cum nõ desint exempla, plures alios immania quãdoq; pollicitos fuisse, quæ tamẽ postea nacti quod desiderauerant, haudquaquã præstiterint, hac insuper vsi excusatione se si id facerent, Simoniæ notã non effugituros, vnde perspicuũ est, largos illos pollicitatores omnino contraria promissis fecisse.

Igitur Burghesius cum non ignoraret, Cardinalem Montaltum multum posse ad iuuandos suos conatus, qui antea aliquoties in Conclaui fuerat, magnamq; rerum illarum haberet notitiam, quiq; multos haberet in Cardinalium numero sibi aut necessitudine aut beneficio aliquo obnoxios: tam commode & luculẽter cum illo egit, vt eum in suas partes pertraheret, pollicentem se omni annixurum studio, vt ipse aut aliquis è clientela eius post Camporæ obitũ Papa crearetur: aut si malis auibus Camporam omnino excludi contingeret, annixurum se, vt alius aliquis, qui Burghesio beneficium deberet, eligeretur. Quin & Cardinalem Mediceum in suas partes pertraxerat, cui Magnus Hetruriæ Dux in mandatis dederat: daret operam, ne quis alius fieret Pontifex, quam qui Montalto placuisset. Crediderat Montaltus ab initio effecturum se, vt Delmontius Cardinalis crearetur Papa, eaq; de causa nihil pro Campora moliebatur. Animaduerso autẽ, se hæc cogitata perficere nõ posse, Burghesiũ sibi deuincire voluit, vt repulsam passo Campora, in suffragando faueret Delmontio. Cæterum postremo se deceptum animaduertit.

Iunxerat se Mediceo Cardinalis Farnesius, de voluntate fratris sui Ducis Parmensis, nõ tamen vt Camporæ causam adiuuaret: hanc ipsam ob causam exprobrabat Mediceo, quod non satisfaceret expectationi Magni Ducis: Verum hic se excusabat, vsus iis, quas supra attulimus, rationibus. Præterea Burghesius sibi obnoxios fecerat Cardinales Hispanos, vsus opera Cardinalis Estensis, qui eis promiserat, si Campora euasisset Pontifex, adiuturum eum per omnia partes Hispanorum, vt Venetos sub iugum mitteret: Cardinalem, eum insuper creaturum fratrem Ducis Albuquerquensis, Legati Hispanici.

Interea dum Cardinales ordine prodeunt ẽ S. Petri Templo ad Sacellum Paulinũ, vt omnia ibi faciant, quæ fieri debent antequam occludatur Conclaue ad eligendum nouum Pontificem; ii quos non latebant conatus Burghesii, quiq; se ei opposituri erant, magna celeritate miserunt ad Legatos Venetos, vt venirent, neq; enim eos commodius ad audacter loquendum tempus habituros: darent igitur operam, vt primos Burghesii conatus reprimerent, quem magna confidentia ausurum aliquid scirent, simul ac Cardinales essent in Sacello Paulino, cumq; perlectæ essent Bullæ ordinariæ, ante electionem Pontificis legi solitæ.

Burghesiũ, qui tot Cardinales in suas allexerat partes, prope certa spes habebat fore vt ex voto sibi res succederet; contemta igitur aduersa factione, latere cæteros sua opinabatur machinamenta: sed turpiter seipsum decepit, patefactis illius cõsiliis toto biduo antequam veniretur in cõclaue; cũ Pignatellus Card. per imprudentiam hæc effutiuisset verba: eamus audacter in conclaue cum Pontifice iam creato, qui est Campora. Hęc autẽ protulerat ad quendam domesticorũ, qui Burghesio non bene cupiebat: sine mora igitur ad Cardinalẽ Vrsinum cum se contulisset, narrauit ei quæ audiuerat, gnarus Vrsinum capitali odio à Burghesio dissidere, nõ tantum causa matrimonii, quod inter agnatos eorũ interuenerat,

fat; quam quod in omnes Burghesius fuerat intentus occasiones vt aduersario noceret. Vrsinus igitur libenter hunc nuncium ad animum admisit, vtq; firmior esset ad subuertenda Burghesii consilia, adiunxit sibi Cardinalem Vbaldinum, certus illum nunquam electioni Camporę assensurum, qui non obscure præ se ferebat, ducem se futurum eorum, qui fauentes Gallorum factioni excluduri essent Pontificatu Camporam.

Aldobrandinus & ipse erat ex eorum numero, quibus displicebant Burghesii machinationes. Habuerat hic secũ Cardinalem Lancellotũ cum Presientio & Philonardo Cardinalibus qui ab initio parum æqui fuerant Camporæ. Cæterũ Lancelloto mortuo, omissa Aldobrandinorum factione in castra Burghesii transiuerunt.

Nondum ingressi fuerant Cardinales Sacellum Paulinum, cum Vbaldinus, qui non vna incedebat cum cæteris, per causam catarrhi quo tenebatur, alia via in cameram conclauis venit. Hunc statim adiuit Perettus, obsecrans hominẽ, ne desertum iret Cardinalem Vrsinum. Respondit Vbaldinus, fore se Vrsino amicum donec viueret, neq; vnquam cõsensurum in electionem Camporę: quod si coactus aliter non posset, vltimum se fore qui eum Pontificem agnosceret. Reddidit Perettus, daturum se operam, an mutare posset animum Cardinalis Montalti fratris sui. Verum is hoc obtinere non potuit.

Vbi primum in Conclaue peruentum est cõuenere Cardinales ad impediendam Camporæ electionem, erantq; Aldobrandinus cum sua sequela, itemq; Vrsinus, Vbaldinus, Bonsius. Forlius his se paulo post iunxit; sed antequam id faceret, collocutus cum Cardinalibus Hispanis ipsoq; Legato Hispanico, ad reuocandũ verbum promissionis, tãta dexteritate se excusauit, vt facile ipsis persuaderet. Sed tamen ne sic quidem numerus sufficiens erat, ad excludendum Camporam. Interea vrgebat Burghesius acriter propositum, omnibusq; viribus id quod animo cõceperat, efficere nitebatur, antequã Sacello Paulino exiretur; multumq; animi addiderat viro, quod nec Aldobrandinum nec Vbaldinũ sacris interesse viderat, quos potissimũ formidabat aduersarios, credens ipsos eosdem ne in conclaue quidem venturos, nisi sub serum diei. Vbaldinus, vt superius diximus, nõ parum languebat: Aldobrandinus autẽ etiam erat infirmior, ob graues viæ iactationes, qui quatuor dierum spacio Rauenna Romam peruenerat tempore anni ad faciendũ iter incõmodo & horrido: vnde & mortuus est ea ipsa vespera, qua exitũ est è Conclaui. Ibi autẽ Burghesius se toto cœlo errare animaduertit, postquam vidit duos illos ante se in Fanũ Paulinum venisse: cœpitq; diffidere causæ suæ, veritus, ne interea subtraxissent sibi suffragia nõnullorum, qui antea sibi suam addixissent operã. Igitur cum nõ omnibus fideret, statuit non progredi amplius, antequam explorasset eorum animos, an omnes firmiter perstarent in sententia.

Interea Cardinalis Vrsinus, cum videret rem in apertoverfari periculo, vt euerteret consilium Burghesii, per Cardinalem Cæsarium exorauit Cardinalem Saulium, Decanum Collegii Cardinalium, vt clara voce pronunciaret se fatigatũ opus habere quiete, digressurum igitur paulisper in vicinum cubiculum. Hoc autem eo fine fiebat, quod ante perlectam Bullam ad ferenda suffragia iri non posset, nec hac ratione Burghesius, antequam clauderetur conclaue, conatus suos exsequi. Egredientem Saulium senem admodum secutus Burghesius obsecrauit, vt cũ ad electionem veniretur, ad cæterorum exemplum suo Camporam iuuaret calculo. Respondit Saulius, nulli parti se futurum obnoxium, nec se admissurũ vel ipsam fauoris aut indignationis appellationem: sed rem omnẽ Spiritui sancto permissurum. Digressi à Sacello Cardinales ad suam quisq; abiit Cameram, prandendi gratia. Vbaldinus & Vrsinus, qui iam ientauerant, tempus id lucrati sunt, ad deliberandũ super negotiis istis, cum prius cum Peretto de ratione gerendæ rei conuenissent. Vrsinus contulit se ad Mediceum, orauitq; ne suo suffragio iuuaret Camporã, neu se sineret ita ductari per Montaltum: hac enim ratione ipsum minime secuturum exemplũ Patris sui, qui & ipse Cardinalis existens, nunquam in Conclaui aliena secutus fuisset auspicia. Atqui aliter se facere non posse, respondit Mediceus, iussus obseruare Montaltũ à Magno Duce fratre suo. Regessit Vrsinus: Mirari satis non possum, quod in negotio tam arduo Hetruriæ Dux tam arctis te constrinxerit mandatis. Persuasissimum habeo, si sciret, quantũ hæc res gignat præiudicii ordini nostro, nequaquam ita facturum fuisse: quin & si præsentis temporis angustia pateretur, ipsum de hac re commonefieri, non dubito rescissurum esse mandata. Sed Mediceus excepit, frustra hæc sibi dici, cui ligatæ essent manus: neque adeo se videre, quid Vrsino metuendum sit. Etiamsi enim Campora Papa fieret, tantam tamen futuram Magni Ducis sub Pontificatu eius auctoritatem, vt ipse ab eo defendi possit contra omnes qui ipsi nocere vellent. Vrsinus ad hæc: Tu non satis nosti hominis ingenium, quod demum cognituras es, vbi Pontifex euaserit, quod ne Deus vnquam permittat. Nam si quid coniicio, satis superque erit negotiorum Magno Duci, ad defendendum se ipsum, suaque iura ac principatum; mihi familiæque meæ Dei benignitate satis virium supereſt, vt nos tueri queamus ipsi, nec destituimur mediis, quibus repensa domui Mediceæ gratia, nostros vicissim in eam familiam contestemur affectus, quod & superioribus temporibus à nostris factitatum est.

Interea Vbaldinus bonũ factũ iudicauit Burghesium inuisere, qui illum more solito magnis honoribus summaq; comitate excepit, persuadere homini conatus, consilium suum de creando Campora esse optimum, nixum fundamentis tranquillitatis ac boni publici. Postremo subiũxit, additione se percepisse, fauere Vbaldinũ factioni Gallicanæ, orare se vt mutaret animum, suumq; suffragium cũ Burghesii voto cõiungeret,

ret. Respondit Vbaldinus: non ego illecebris Gallicanis persuasus quicquam facio, sed eadem mihi vltro cum illis mens est, idem exclusionis consilium; & credas mihi velim Burghesi: certum constitutumque esse de excludendo Campora, neque te quicquam effecturum, etiamsi meum lucreris suffragium. At tu mihi Vbaldine hanc facias velim gratiam, retulit Burghesius, cætera mihi curæ erunt. Vbaldinus ad hæc: tandem tempus est Burghesi, ait, vt detracta persona & sine interprete ea loquamur quæ ex vsu publico sunt. Non negauerim, te, si meo iueris suffragio, Camporam Pontificem facere posse: at ego libere profiteor, me in electionem eius nunquam consensurum, sed spero te non indignaturum mihi, si omnem lapidem ad impediendum ipsum mouero, non quod hoc faciam odio alicuius eorum, qui suam tuo beneficio debent prosperitatem: sed quod mea mihi persuadeat conscientia, virum illum hoc tanto fastigio indignum. Quod si examen meorum in te affectuum instituere velis, age alium quempiam è beneficiariis tuis elige (quorum non est exiguus numerus) qui dignus sit ob virtutes culmine Pontificio, quales sunt Cardinales, Melinus, Landus, Crescentius, Aracælius, cum quibus iure conferri queat Ludouisius: quorum gratia si quid velis, experiere faxo, me non tantum meo illos adiuturum suffragio, sed & habiturum assensum omnium eorum Cardinalium, qui ad repudiandum Camporam coniurauerunt. Nondum auditum erat, Ludouisium Romæ esse, cũ Vbaldinus hæc Burghesio proponeret: sed cõmodum ille venit in Conclaue, ea ipsa hora, qua de ipso in Pontificem sublimando sermo iniiciebatur. Postremo Burghesius colloquio finem facturus, respondit Vbaldino: ego quidem nullum eorum, quos mihi nominasti, quantum in me erit, excludam, sed quicquid erit in me virium, in promotionem Camporæ conferam. & sic vtrinque re infecta discessum est.

Digressus à Burghesio Vbaldinus rediit in cubiculum suum, vbi se expectantes inuenit Cardinalem Vrsinum & Ferdinandum fratrem eius, qui consilium ceperant adeundi Principis Sulmonensis, nepotis Papæ, vt & ille se opponeret Camporæ: quod ideo faciebant, quod in partes eorum pertractus posset mutare nonnullorum propositum, inprimis eorum quos auunculus eius Pontifex beneficiis affecerat, quod ingratitudinis nota inuri ipsis non posset, si in eius gratiam aliquid fecissent, qui ipsos ad tantos honores promouerat. Sed hi quidem Sulmonensi nõ persuaserunt: quo nomine offensi dixerunt: nos quidem de te deq; tuo auxilio manum non vorterimus: ea enim familia nostra est potentia, vt tueri nos ipsos queamus sine tua ope, quod & ante hoc tempus fecimus, quanquam nos quidam inuicem collidere voluerint. Vidimus aliquoties Pontificum nepotes ac consanguineos ad summos eleuatos honores: sed & eosdem vicissim per præcipitia deiectos. Hæc, si sapis, ad animum admitte.

Paulo post Perettus Princeps in Vbaldini Cameram venit, vbi communibus consiliis deliberatum est, quid facto opus foret. His adhuc colloquentibus, Cardinalis Iontius Conclaue ingressus est, veniens ab Episcopatu suo: cuius præsentia multum animi addidit iis, qui Camporam excluſum cupiebant, cum non dubitarent, fecuturum eum illorũ partes. Vbaldinus igitur, profligata omni mora ad eum se contulit, sed animaduertit, Cardinales cõtrariæ factionis iam cum ipso collocutos: & quidem, aduentante Vbaldino, Campora & Pignatellus exibant camera, ac interea dum Campora valedicit Iontio, Pignatellus nactus occasionem colloquendi cum Vbaldino, eum à sententia dimouere conatus est, negans eum, qui à Paulo V. creatus esset Cardinalis, recte facturum, si consentiret in Camporę excluſionem. Quod si vel maxime nulla alia ipsum moueret causa suffragandi Burghesio, gratificandum tamen esse viro, quod summum eius in hac re perspiceret & ardens desiderium. Videre ipsum non obscure, omnes à Paulo V. creatos Cardinales in hanc pedibus ire sententiam, nec ipsum, qui in eorum esset numero aliter facere debere. Non me fugit, respondit Vbaldinus, quantum debeam memoriæ defuncti Pontificis, nec commissurus sum, vt in me grati animi desiderentur documenta. Cæterum toga hęc purpurea, quam corpore gesto, tincta est sanguine Martyrum, ipsiusque adeo Christi Domini nostri, hanc in eum finem sumsi, vt me commonefaceret, quo paratus essem ad fundendum meum ipsius cruorem, si id salus reipublicæ exigat. Nec me tantopere mouet, multos esse, qui sequantur partes Burghesii, inter quos tu facile primus es: nec enim eadem causa vtrumque nostrum Cardinalem fecit, neque ad eum modum quo tu es, ego deuinctus sum Burghesio: nec vero opus est vt ex te discam, quid & quo nomine vni alterique deuinctus sim. Si Burghesius in animum induxerit, alii quam Camporæ suam commodare operam, sentiet faxo, me potius ipsi quam alii alicui amicum fore. His auditis Pignatellus discessit, & Vbaldinus ingressus Iontii cubiculum hæsit ibi aliquandiu. Egressus obuium habuit Legatum Gallicum, qui curriculo in Cõclaue venerat neglecto prandio, collocutus iam cum aliis Cardinalibus. Hi vna iuerunt ad Cardinalem Sfortiam, vbi cum non diu fuissent, pacti inter se de conueniendo in Camera Beuilaqua discesserunt. Et Vbaldinus quidem recta eo se contulit: Legatus autem Gallicus Cardinalem Bonsium adiit, qui podagræ dolore correptus decumbebat. Vbaldino inter eundum occurrit Vrsinus, quibus colloquentibus prætereunt Cardinalis Zappata & Legatus Hispanicus: hos duos affectatus Vrsinus ita infit: Hispanorum rex nullius exteri Cardinalis opera rectius vtetur, quam mea & huius (intento in Vbaldinum digito) sed non vertet nobis vicio, si non eligamus nostris suffragiis Camporam Pontificem, vt vos quidem desideraris: cum eum tam arduo fastigio nequaquam dignum iudicemus.

Hoc

Hoc pacto tota illa die magnis partiū studiis vtro citroq; discursum est, vsq; ad vesperam, vt vix recipiendi spiritus Cardinalibus Legatisque suppeteret spacium. Interea celeribus vectus equis cursor adfuit ab Venetis ad Legatum illius Reipublicæ, vbi mandabatur Priulio & Valerio Cardinalibus, ne in electione Pontificis quicquam facerent, cuius à Delfino Cardinali mandatum non haberent, ad quem perscripta fuerant quæ viderentur ex vsu reipublicæ. Quod si sententiis in Camporam irent, iam illos eorumque necessarios ac familiares pronunciari rebelles, pœnasq; his constituras subituros. His tam grauibus minis satis se impediuisse Legatus arbitratus est Camporæ electionem, igitur ad Delfinum ait, rediturum se in hospitium, quod & fecit hora noctis tertia. Hunc secutus est paulo post Legatus Hispanicus, relicto Cardinali Zappatæ toto negocio: qui de Campora in Pontificem euehendo adeo se certum arbitrabatur, vt Legato abeunti diceret, expectaret diem Mercurii: se enim circa cænæ tempus ei nouum de Campora Papa allaturum nuncium. Sed hoc vanum fuit. Sauellus Princeps, Legatus Imperatoris non minus suarum rerum satagebat, discursans per omnia Cardinalium cubicula, cumque venisset in Camerā Cardinalis Mardruccii, missus eo per Burghesium & Zappatam, vt huius Cardinalis suffragium acquireret, omni ope conatus est ei persuadere, dicens eum gratissimum præstiturum Imperatori, Regi Hispaniarum, adeoque toti familiæ Austriacæ officium, quin & hoc pacto deletum iri sinistras de se suspiciones, quasi ipse Madruccius Venetorum faueret partibus: quanquam autem expressum Imperatoris mandatum scripto exhibere non posset, sufficere tamen debere dicebat, quod animaduerteret Legatos Gallum Venetumq; nihil ad summam diligentiam reliqui facere, vt Camporam excluderent Pontificatu, qui non ignorarent, non posse eligi Papam, qui magis futurus esset ex re & vsu familiæ Austriacæ. Respondit Madructius, deliberaturum se in crastinum, nunc enim tempus esse capiendæ quietis. Non ignorare se, quot modis deuinctus obligatusq; esset iis, quos Legatus nominasset Principibus: facturum se quod ex vsu & honore eorum existimaturus sit: quanquam sibi succurrat, quid superiore tempore in conclaui actum fuerit, vbi ipse Imperatori plus seruierit, quam quisquam eorum, qui languēri medicinam porrexerunt. Eos quidem, qui tunc Cæsari aduersati fuerint, honorib. præmiisq; affectos, se præterito; sed sperare iam non eodem modo secum actum iri. His auditis Legatus abiit.

Dum hæc fiunt, Cardinales Vrsinus, Vbaldinus, Pius & Sforcia consilium inibant in Camera Cardinalis Beuilaquæ, antea autem adierant Cardinalem Iontium, vt animaduerterent quæ ipsius esset sententia, veriti ne viso Burgehesio animum mutasset. Sed panicus erat terror: adeo enim aduersabatur Iontius electioni Camporæ, vt palam diceret, arbitrari se eum indignum Papali dignitate, qui infinitis sceleribus fœdasset iuuentutē suam; adesse actiones ac crimina grauissima scriptis libellis comprehensa, olim homini intentata: quib. perpetrati homicidii reus perageretur, & affinis criminiSimoniaco; quodque magis meum ab illo auertit animum, hoc est: quod sciam eum iuratum Gallorum ac Venetorum hostem, vt qui ipsum Papam creauerit, hoc agere videatur, quomodo in vniuersum destruat rempublicam Christianam. Extare affatim exemplorum, quot malis & calamitatibus inuoluerint orbem Pontifices factiosi & partium ofores aut sectatores: quod idē in hoc quoque vehementer pertimescendem esse. Prudenter illum loqui, respondit Sforcia, & omnia ita habere, vti dixerat: quin & subiunxit: etiamsi tē ad excludendum Papatu Camporam non moueret consideratio boni publici, ô Ionti, tuum tamen proprium priuatumq; periculum te incitare poterat: nisi forte velis etiam capitis periculum adire, spoliatus honoribus à Burghesio, qui te iam ante hominem nequaquam & falsarium pronunciauit, & velut ab aula ac vrbe Romana tot iā annis proscripsit. Ego vt de me profitear, cum recta lance examino vitam tuam, vllius falsi aut fraudulentiæ iure te accusari posse non reor, nisi forte tunc cum Archipresbyteri ad S. Mariæ maioris officium possessionemque adiuisti, vsus quinquaginta pilentorum comitatu; quāquam haud videam, quo pacto quis hoc, qualecunq; est fraudem appellare possit. Et hæc quidem apud Cardinalem Iontium acciderunt. Cæterum quotquot ex Cardinalibus ad excludendum Camporam consensserant, conuenerunt in Cameram Beuilaque, vnaque cum illis Legatus Gallicus, itemq; Antonius & Ferdinandus Vrsini, nec nō Franciscus Perettus Vulpius, & Aumalius Abbas, Galli: & hi quidem duo vltimi multum attulerunt opis ad exclusionem Camporæ, quod illis liceret discurrere, & internunciorum vice fungi, inprimis autem Vulpius, quem cum Philonardus Cardinalis ita satagentem rerum suam videret, sarcasmo perstringens dixit: tu quidem, Domine, valde occupatus es, sed vide ne frustra labores. Interea Cardinalis Pratensis accedens eos qui in excludendū Camporam conspirauerant, attulit causas exclusionis libello comprehensas, quæ vbi perlectæ approbatæque sunt, discesserunt coniurati, vt cum aliis quoque communicarent, ad inquirendum in Camporæ ante actam vitam: in quo homine excludendo dum ad hunc modum laboratur, Burghesius ab altera parte non dormiuit, vt eum includeret, animaduertens, mora suas copias subinde fieri infirmiores, veritus ne plures ex suis assecliis cum animis suffragia mutarent: tentauit igitur Camporam Adoratione facere Pontificem circiter septimam horam noctis. Vocato igitur Varetto ceremoniarum magistro, ad quem pertinebat officium claudendi conclauis, suasit vt exire iuberet Legatum Gallicum. Sed aduersarii eius cū olfeciſsēt quorsum Burghesius tenderet, statuerunt Legatum secum in

conclaui retinere donec dies illuceſceret, miſſiſque miniſtris ad Cardinales ſuarum partium, nunciarunt quid ſuſpicarentur, fore ſcilicet vt vocarentur ad Sacellum; attenderent igitur ſibi ipſis, ne quid præter voluntatem cogerentur facere. Plures intellecto hoc conſilio confeſtim cubitum iuerunt, iuſſis ſeruis, ne cui aperirent fores, neu quenquam intromitterent. Varettus obſecutus Burgheſio aliquoties conatus eſt Legato Gallico perſuadere, vt exiret è Conclaui. Sed Legatus qui aliter ſtatuerat, audacter locutus Varetto, negauit ſe exiturum, niſi cum ſibi ita videretur, etiamſi cæteri omnes egrederentur. Hoc reſponſo effectum eſt, ne poſthac Varettus importunus eſſet Legato.

Iam tertia hora noctis agebatur, cum Cardinalis Vbaldinus adiit Madrucium Cardinalem, vt ſi ei perſuadere non poſſet, ſaltem efficeret, vt ſi vellet Camporæ ſuo fauere ſuffragio, expectaret ortum Solis, & Vbaldinus quidem reſponſum tulit non alienum. Paulo poſt eundem Madrucium acceſſerunt Cardinales Mediceus & Sabellus, adiuncto ſibi Legato Imperatoris: ſed hi quidem parum effecerunt. Sforţiæ & Beuilaquæ eodem fine Madrucium accedentibus, quo ad eum venerat Vbaldinus, reſponſum eſt, dormiturum eum, neque ſe vlli hominum ea nocte ſuffragaturum. Cardinalis Borgia etiam vlterius progreſſus, ſine ambagibus dixit: fore ſe aperte in eorum numero, qui excluſuri eſſent Camporam: neque ſe vereri, vt hoc pacto offenderet regem ſuum, qui non imperaſſet, vt is ipſe nominatim crearetur pontifex, ſed vt talis aliquis eligeretur, de cuius ſibi polliceri poſſet beneuolentia. Habiturum ſe rationem mandati regii, ſed ita, vt ne læderet ſuam ipſius conſcientiam.

His adhunc modum ſuam ludentibus fabulam, miſit Burgheſius S. Suſannæ Cardinalem ad Cardin. Bellarminum, vt eum in ſuas pertraheret partes, vtque vocatus in Sacellum compareret. Reſpondit ſenex, nunc non eſſe tempus creandi Pontificis: expectandam eſſe auroram, vt ſecundum conſtitutiones Romanæ Eccleſiæ, & Canones patrum audiatur Miſſa, & ſplendnibus Deus inuocetur precibus, vt is miſſo ſpiritu ſuo totum dirigeret electionis opus. Non ſe plus fauere Burgheſio quam alii alicui ex Collegio: lecturum ſe ſuffragio ſuo eum quem iudicaturus ſit digniſſimum, ipſumq; adeo Camporam, ſi ita cælitibus viſum fuerit. Hinc conuerſus ad Cardinalem ait: miror ſane, quid te hoc horæ ſtimulet vt tanta celeritate diſcurras? Reſpondit S. Suſannę: nõ ego id facio meo arbitrio, ſed illius iuſſu, cui ſeruiendum eſt.

Miſerat Burgheſius eo ipſo tempore Philonardũ ad Cardinalẽ Aquinũ, qui in lecto decumbẽs propior erat morti quã vitæ, vt nunciaret ei, decretũ eſſe, vt ſeptima hora noctis Campora deduceretur in Sacellũ, vt crearetur Põtifex per adorationem. Hanc legationem ruditer admodum & importune obiuit Philonardus, cum diceret ſatis ferociter: Agedum, ſurge Domine, eundum eſt in Sacellum: hac enim ipſa hora deductum eo Camporam Pontificem facturus eſt Burgheſius. Hoc nuncio æger Aquinus, quem Burgheſius hac ſpe tantiſper in viuis conſeruauerat, ita perculſus eſt animo, vt paulo poſt moreretur.

Interea S. Suſannæ Cardin. reuerſus ad Burgheſium, quid reſpondiſſet Bellarminus, nunciauit: qui quidem, non probato Senis conſilio adiuncto ſibi Cardinalibus Sabello, Pinatello, Philonardo, Romano, & Eſtio Bentivolo iuit ad Cardinales Valerium & Priulum, vt intelligeret, quid tandem de futuro Pontifice ſtatuiſſent. Reſpondit vterque, non obſtantibus Venetorum iuſſionibus, lecturos ſe ſuis Camporam ſuffragiis. Dum adhunc modum ſtudiis partium certatur, Vbaldinus, ſecurus iam de excluſione Camporæ, mittit ad Cardinalem Ludouiſium, iubens eum eſſe bono animo, quod excluſo altero ipſe iam multorum calculo deſtinaretur Summus Pontifex. Burgheſius contra, qui animo quieto eſſe non poterat, firmiter ſibi perſuadet, ſi in ſuam ſententiam pellicere poſſet Bellarminum, plures exemplum Senis ſequuturos, vt inceptam de Campora fabulam ad finem perducere poſſet. Statuit igitur denuo eius tentare animum, ingreſſuſque in conclaue eius excitauit virum: qui videns hominis importunitatem, iratus ait; hoc vero non eſt tempus creandi Pontificis, ſed faciendi opera tenebrarum: iam quidem velle ſe dormire. Burgheſius pauca excuſandi ſui gratia locutus, illud ſolum ſe deſiderare dixit, quiſnam illũ retineret, quod Camporæ fauere nollet? Reſpondit Bellarminus: potiſſimum illud eſſe, quod dormire vellet; cætera poſſe ipſum ex Vbaldino diſcere, cuius non longe abeſſet cubiculum. Hæc verba parum ad ſuum palatum facere intelligens Burgheſius, abiuit cum ſociis Cardinalibus ad Madrucium, vt huius rectius exploraret animum. Madrucius cum Germanus eſſet, libertate quadam animi dixit: ſe ea nocte lecto ne ſurrecturum quidem, ſed expectaturum tempus matutinum. Illi contra validis adhibitis arietibus, expugnare hominis animum conati, operam luſerunt. Omiſſo igitur hoc ad Zappatam ſe contulerunt, ſed idem acceperunt reſponſum, quod à Madrucio, quem potiſſima pars cæterorum ſecuti, Sabellum ipſum, potiſſimum Burgheſii amicum, in ſuam quoque pellexerunt ſententiam. Quo intellecto, Burgheſius: O Dii, inquit, quam vereor ne noſtra factio peſſum eat, & hic quoque homo è noſtris elabatur manibus.

Vbaldinus, cognito quod aduerſarii cum Madruccio colloquuti fuiſſent, veritus ne eum de propoſiti ſtatione dimouiſſent, ſine mora eũ adiuit, ſed firmiter in ſententia deprehenſum relinquens, quieſcere de cætero iuſſit. Magnum ſibi Burgheſius & Eſtenſis in Bellarmino & Madruccio collocauerant ſpei ſuæ firmamentum, quod vtrumque ad exemplum plurimum poſſe nouerant. Ii igitur ſpe lapſis, Eſtenſis, cui hoc negotium præ cęteris curæ erat, ipſe iuit, vt conuen-

uento Madruccio persuaderet, adductisq; multis in medium rationibus postremo dixit: nisi ipse consentiret in electionem Camporæ, se atq; Zappatam missuros certum hominem ad Imperatorē atq; Hispanorū regē, qui nunciaret, Madrucium directe aduersari horum principū intentioni. Respondit non sine stomacho Madruccius, si Zapattam scribere contingeret, se idem facturum: neque vehementer sollicitum esse de eo, quod ipsi nunciaturi essent: sibi nihil seri neque meti: sufficere sibi si cōscientiam propriam conseruaret illæsam: sperare se tantum litteras suas habituras momenti, quantū Zapattæ. Quid igitur, regessit Estensis: an non pollicitus es te in eandem cum Burghesio & Zapatta iturum pedibus sententiam? Nunquam negaturus sum quæ dixi, respondit Madruccius: sed scire debes tot de nouo interuenisse causas, quarum pondere à promissis meis discedere coactus fui. Nactus tam incommodum responsum Estensis, ad Burghesium se recepit: qui videns spes & res suas paulatim pessum ire, vltimum facere assultum statuit ad dimouendum sententia Madruccium: cumque ex stimaret ministrum eius atrienſem multum ad consilium suum opis adferre posse, conuentum hominem promissis tentauerunt, polliciti Canonicatum in S. Petri Basilica, si mutare heri propositū posset. Cęterum hic cum esset animo generosiore, quam qui promissis à recto tramite deturbari posset, ieiuno illis occurrit responso, irrisoq; ab se dimisit.

Elusi igitur ab omnibus Burghesiani, cum vltra non haberent quod mouerent, statuerunt, quod supererat noctis quieti tribuere. Burghesium ad cubiculum digredientem consecutus Philonardus: In solo igitur, ait, Campora, proram puppimque salutis tuæ constituisti? quin igitur alium ex eorum numero, qui tuis se obligatos profitentur beneficiis, tibi hac sumis ornandum dignitate? annon vides, omnes vno ore ad repudiandum eum consentire? nihil igitur facturus es aliud, quam vt eum quem extollere cupis, contemnendum deridendumque propines. Non hæc alio fine, quam tuo bono dico, qui paratus sum, vel ipsum ignis supplicium subire, dum tibi seruiam. Non desunt mihi alii, respondit Burghesius, sed sunt causæ quædam priuatæ, quæ me propius tangunt, quarum tantum est momentum, vt omnibus viribus eundum mihi in Camporam statuerim: accedit quod citra honoris mei detrimentum à priore sententia, aut exaltando Campora discedere non possim, cum illi homini hactenus tanta contentione & aperte fauerim.

Et iam Vbaldinus collocutus cum Madruccio reuersus fuerat in cubiculum suum, cum inuenit ibi Beuilaquam & Pium Cardinales, qui posterior quidem, cum se prudenter admodum in hoc negotio gessisset, recitauit cæteris, quo pacto ab Estensi Cardinali obuiam facto adhūc modum compellatus fuisset: Quid est, Pie? hanc ne rependis gratiam pro benefactis, quæ à mea familia accepisti? itane obliuioni tradidisti quæ nostri in te contulerunt? Haud ego negauerim, respondit Pius, multis me ab Estensi familia affectum beneficiis, quorum nunquam depositurus sum memoriam: quam si vel maxime perdam, dum inseruio commodis Romanæ Ecclesiæ: glorioſam tamen hanc iacturam existimabo. At nos faciemus Papam, qui nobis placuerit, respondit Estensis, si vel alii vel tu ruperitis ilia. Fac sodes ita, reddidit Pius, & videbis quam glorioſum tibi istud futurum sit. Idem prope accidit Estensi, cū Beuilaquæ conaretur de Campora creando persuadere: negante enim se assensurum ei Beuilaqua, respondit Estensis: at ego faxo vt te paulo post pœniteat. Nec me nec mei similes pœnitere poterit, ait Beuilaqua, eorum quæ facimus, cum actionum nostrarum finem habeamus honestatem.

Conuenerant iam Cardinales omnes, qui in excludendum Camporam consenserant: cumque viderent, firmis sua consilia nici fundamentis, nunciauerunt Legatis cæterisque qui in conclaui erant, se eos nihil morari, irent igitur, & q supereſſet diei, quieti corporum indulgerēt. Id horæ Valettus, Magister ceremoniarum denuo institit apud Legatum Gallicum, vt domum iret, claudendum enim esse conclaue. Erat autem Legatus in cubiculo Beuilaquæ: qui intelligens Valettum adesse ad ianuam, egressus ad eum, quidnam ibi faceret, percontatus est. Respondit is: Venire se missum à præcipuis Cardinalibus vt diceret Legato Gallo, discedendum ab conclaui tandem esse, cum haud procul abesset aurora. Quid ais, respondit Beuilaqua? sicne tibi huius loci vendicas imperium? elice prius priuatos istos, quibus nihil hic est negotii: deinde redi, & maiore modestia alloquere Legatum tanti regis, qui tactus desiderio seruiendi Deo & Ecclesiæ huc venit. Præfatus quædam ad excusationem sui Varettus, negauit quenquam superesse eorum, de quibus ipse loqueretur, & iam instare diem. At tu, refert Beuilaqua, si diligentius feceris officium, deprehendes adhuc Marchionem Bentiuolum in Burghesii cubiculo latitantem: hunc prius exire iube, deinde Legatus regis Galliæ egredietur cum ipsi placuerit. Discessit è vestigio Varettus, iussoque egredi Bentiuolo, cæterisque qui aderant ad Gallum rediit, qui & ipse egressus est circiter nonam noctis horam, tunc clausum est conclaue. Et Cardinales qui contra Camporam conspirauerant, celeriter cubitum concesserunt, iussis diligenter excubare famulis, ne quid interea accideret: nunciato antea Legato Gallico, conuenturos mane Cardinales Burghesii aduersarios in cubiculo Beuilaquæ, vocaturosque eo Cardinales, quorum adhuc dubia forent consilia, quibus præsentibus prælectum iri accusationis capita contra Camporam, ex quib. intelligi possit, electionem eius nullam fore atq; illegitimam.

Contra amici Camporæ, quos diligentia aduersariorum hactenus latuerat, firmiter sibi persuaserant, alium quam Camporam Pontificem futurum neminem, quin & ipse hac spe adeo erat

ebrius, vt putaret excidere se Papatu non posse: qua vanitate turgidus, plerisque potius vt Papa quam Cardinalis aliquis loquebatur. Cũ enim quidam conseruatorem Pop. Romani, Cardinales nomine Vrbis inuiseret, vt vetus obtinebat consuetudo, auguratus Camporę Pontificatum, vt & cæteris Cardinalibus natu grandioribus; respondit is: hoc tibi velim persuadeas, me in altiore, quam qua nunc fruor, dignitate constitutum, memorẽ fore huius tui in me affectus, neq; cõmissurum, vt mea in subleuãdo Populo Rom. desideretur industria, inque procurando bono publico. Quin & quosdam tam præcipites fuisse constat, vt anticipata aliisq; prærepta Põtificis gratia pedes hominis deosculati fuerint, in quorũ numero fuit Marchio quidam & Comes. Die Martis cum vix solare iubar apparere cæpisset, desertis stratis surrexere Cardinales, vt cæptam pertexerent telam. Erant quib. conscientię morsus exprobrabat credulitatem, quod sibi tam facile à Burghesio imponi passi fuissent. Misso igitur fido homine ad Camporæ inimicos, nunciari iusserunt, cum ad exclusionem hominis peruentum fuisset, se potius alii cuiuis quam ipsi suffragaturos. Cæteris ambitio potius quam cõscientia quietem inuidebat. In horum numero erat quidam Cardinalis, qui antequam occluderetur conclaue, Legato Gallico denunciauerat: quanquam se non aperte aduersarium Camporæ profiteretur: facturum tamen, cum ad summam rei peruentum esset aliquid, vnde de suo in Gallum affectu iudicare posset: idem præterea duo alii ex eorum numero fecerant.

Mane igitur facto, qui de exclusione constituerant, non probauerunt superioris noctis de conueniendo consilium, quod res suas nondum adeo in vado constitutas existimarent, vt exclusio publicari tuto posset, certi, Burghesium aliquid cõtra machinaturum. Visum igitur est nõnullis, aliam inire rationem. Nunciauit Vbaldinus Borgiæ, videri sibi tempus, vt quotquot cõsensissent, aperte se obstituros Camporæ profiterentur: quod cum factum fuisset, deprehensus est sufficiens eorum numerus ad faciendam exclusionem. Burghesius ab altera parte, conuentis omnibus suarum partium Cardinalibus, de nouo perrentauit eorum animos, cupiẽs desideriis suis satisfacere peracto Missæ sacrificio, cum veniendum esset ad electionem per viam Scrutinii & consequenter per vocẽ accessus. Vt igitur suæ causæ cõsuleret, auctor fuit suis, ne quis Camporæ suffragaretur per Scrutinium, vt appareret, an inter cæteros essent, qui suis fauerent conatibus, quod si adhuc tres nanc sci posset calculos, qui soli ipsi deerãt, daturum se postea operam, vt per accessum Campora eligeretur. Verum hoc consilium longe diuersus à sperato secutus est euentus. Saulio enim Cardinale Missam celebrante, Cardinales omnes participauerunt, excepto Montalto, Aldobrandino, Cæsio, Aquino, qui per causam inualetudinis aberant. Farnesius & Caponus sub eodem prætextu in lectis se continebant, neque veniebant ad Sacellum, vt possent excutere promissionis obligationem de eligendo Campora. Farnesius pollicitus fuerat Mediceo, vt supra diximus, & Caponus Estensi atque Burghesio; qui deinde dixit: recepi tibi me suffragio meo adiuturum Camporam. Fateor, & præstabo quæ promisi. Cæterum hoc te scire velim, si illum Pontificem fieri contingat, me ne vnius quidem horæ spacio Romæ mansurum: at si Ludouisio suffragari volueris, habebis me ad omnia paratissimum.

Facta communione, peractoq; sacro, alta voce de more proclamatum est: *Extra omnes*: ibi cæptæ sunt legi vsitatæ leges, quæ superiore die legi non potuerant, ob causas quas superius attulimus: quibus perlectis, Cardinales de more iurauerunt, & qui inter eos præcipui erant, profecti ad decumbentes, eorum exquisiuere sententias, quibus reuersis occlusum est conclaue, cæptumque vota per Scrutinium colligere. Vincebat suffragiorum numero cæteros Bellarminus, sed ad duas tertias non accedebat: & Burghesius videns nullum pro Campora se adeptum suffragium, desperauit se eum per accessum Papam facere posse. Postea nihil admodum actum est aliud: Vrsinus acquieuit, cum vidisset Burghesiũ spe lapsum; primus ergo aperto Sacelli ostio exiuit: hunc sequutus Burghesius est cum complicibus suis, sed irarum pleni, vt Pignatello hoc verbum excideret; valde dubito, quis nos adhũc modum flagellauerit? inde discessum vulgo est ad sumendum prandium. Qui ad excludendum Camporam consenserant, verbulum nõ protulerunt, expectantes, quid facturus esset Burghesius, qui animum nondum abiecerat, sed Cardinales socios statim à prandio ad se conuocabat.

Dum prandetur, Legatus Venetus petiit vt audiretur. Hæc res Cardinalibus occasionem præbuit, conueniendi à prandio: vbi omnes cẽsuerunt eum audiendum vocandumque esse ad Concilium. Paulo post iis aliter visum est: nunciari igitur ei iusserunt, ne veniret, extare multa indicia, vnde pateret, eum non ideo petiisse vt audiretur, quod aliquid magni momenti interueniisset, sed vt tempus consumeret, ne eo die electio summi Pontificis procurari posset, dato spatio Cardinalibus Sabaudo & Borromæo ad veniendum, qui ea adhuc vespera expectabantur: quanquam hi non venerint nisi aliquot diebus post creatum Pontificem. Legatus arbitrabatur sententiam de exclusione Camporæ firmiore etiam stare pede, ignarus, post digressum eius à conclaui Burghesianos duorum suffragiorum iure auctos fuisse. Burghesius, cui suspectũ erat Legati consilium, euersa superiore sententia, noluit vt audiretur Venetus: sed conuocatis à prandio suffragatoribus suis, cum eos de nouo in verba sua adegisset, laturos eos pro Campora suffragia, iterum conatus est Camporam adoratione facere Papam. Sed hoc eius consilium multis modis subsistere non potuit. Nam ipse Campora deterruit hominem, qui videns res suas inter sacrum & saxum hærere, noluit sub-

subire periculum exclamationis publicæ, vitæque suæ examen, quod sciebat infallibiliter futurum; cum præter Cardinales, qui in eum reprobandum conspirauerant, vltra duodecim essent, qui hactenus nutauerant sententiis. Accedebat quod non fugeret hominem, quot Cardinalium malam promeritus esset gratiam, & quã paucos suis demeritus fuisset officiis. His aliisq; de causis locutus Burghesio, negauit se in Sacellum venturum, nisi sufficiens ad electionem Papæ Cardinalium numerus veniret ad se è Camera sua deducendum.

Burghesio nouis suorum pollicitationibus confirmato, Beuilaquæ res ea nunciata est, qui continuo misit ad Aldobrandinum, vt sumeret conuenientem habitum, vtq; sibi, si opus foret, subsidio esse causamque communem adiuuare posset. Idem significari iussit cæteris Cardinalibus sociis, qui ad summam diligentiam nihil fecerunt reliqui, vt confirmarent suos in sententia, & conciliarent sibi eos qui hactenus in neutram partem inclinauerant. Tandem Burghesio visum est, huic negotio finem imponere, qui conuento Montalto & Zapatta, laborauit, vt excluderetur Delmontius, vt si Camporam Pontificem facere non posset, duntaxat illum Papatu prohiberet. Intellecto hoc Zapatta ait: ne dubita, centum ego inuenturus sum, qui in illum excludendum cõsentient. Burghesio cum Montalto colloquẽte, superueniẽs Mediceus, Burghesi, inquit, quo magis pro Campora moues, eo minus promoues. Exclusio enim eius tam manifesta est, vt verbum de eo faciendum non putem. Feci hactenus in tui gratiam quæ potui: iã tempus est vt tu mihi quoque gratificeris, tuoque iuues Delmontium suffragio. Non placuit hoc Burghesio: igitur, non negauerim quidem, inquit, tibi meã operã: sed perdifficile istud factu erit, Hispanis vehementer homini repugnantib. Interim succurrit Burghesio, si quis Vrsino loqueretur de Delmontio, periculum fore ne eligeretur, & ne centum illi de quib. Zappata dixerat, suffecturi non essent ad eum repudiandum. Amputata igitur huius rei memoria, ait ad Vrsinum: Ego quidẽ hactenus, quicquid potui, pro Campora feci, arbitratus id fore ex vsu reipubli. cæ: tibi secus visum est, qui omnibus mihi obstitisti viribus. Tibi fortuna fauit: nunc igitur omissa contentione faciam aliquid quod vtriq; gratum futurũ existimo. Si igitur tibi videtur, faciamus Ludouisium Papam, quæ Vbaldini fuit heri sententia. Vix nomen Ludouisii audierat Vrsinus, cum idem sibi videri dixit, dummodo id cæteris nunciaretur Cardinalibus. Burghesius relicto eo abiuit ad conueniendum Vbaldinum, Beuilaquam alios q;, & Vbaldinum quidem inuenit in Camera Caponi, qui sumebat togam Cardinalitiam, quod rumor sparsus esset, fore vt Campora Pontifex fieret per adorationem. Burghesius apprehensa vtriusque manu, paulum seductis narrauit quid cũ Vrsino collocutus fuisset. Non ignorabat Vbaldinus, omnes acquieturos in Ludouisio, dixit igitur se assentiri eis, nec hoc solum, sed & missurum calculũ nomine omnium Cardinalium, qui aduersati fuerant Camporæ. Cum tibi placere meum consilium videam, inquit Burghesius, iam Papa factus est, & ego confestim hoc dicam Montalto. Vbaldinus contra ad Aldobrandini properauit cubiculum. Inter eundem occurrit Camporæ, qui nescio quid secreti cum Pignatello loquebatur: hunc intuitus subridens ait: bona noua, nos habemus Pontificem. Campora hoc tonitru perculsus, cum recepisset spiritum, si ita est, inquit, frustra laboramus; exeamus igitur celeriter, Deus faciat quæ ipsi videbuntur. Et id quidem futurum est, regerit Vbaldinus: gratulare ergo nobis, Ludouisius est Papa. Hoc dicto, cum offendisset Beuilaquam, qui id nondum audiuerat, creatum iam esse Pontificem dixit. Beuilaqua, ratus Camporam eum esse, cum obstupuisset: & quo tandem pacto id fieri potuit? ait. Sed recepit animum postquam intellexit Ludouisium eum esse. Huic colloquio interueniens Borgia eodem nuncio pariter affectus est, quin & vlterius indignatus addidit: Vos quidem, ô Domini, omnes estis illustribus nobilibusue procreati familiis. miror quid vobis in mentem venerit, quod ita vos adunco suspendi naso patimini. Vbi dextra fidesq; vestra, qui omnes consensistis in arcendum Papatu Camporam? Recte de nobis iudicas, respondit Beuilaqua, nec vnquam de vacillando in promissis nostris cogitauimus. Sic igitur accipe: Ludouisius est Summus Pontifex. Exiliit ad hãc vocem Borgia, comitatusq; eos est ad Cameram vsq; Ludouisii.

Electus adhunc modum in Conclaui Papa, Pontificalibus vestib. indutus & in S. Petri templum deportatus est, vt ibi publice à Canonicis de more adoraretur: concurrente ab omnibus partibus populo, & prælætitia gestiente, quod is creatus fuisset Pontifex, qui ab vniuersis amabatur, vnoquoque ei testimonium perhibente, quod optimo iure suoque merito velut per gradus ad eos conscendisset honores, qui optimo cuique contingere possunt. Prædicabatur illius comitas & affabilitas, qui eadem in summos infimosq; vsus fuisset humanitate, vnde singuli sibi optima quæq; de hoc Pontifice augurabantur.

Hoc de eo iudicium confirmauit apud populum nomen Gregorii, quod per totum orbem Christianum gratum ac memorabile fecerat Gregorius XIII. & ipse Bononiensis, qui tam comis & liberalis in omnes fuerat, vt Pater Generalis Christianorum dici meruerit. Audiebantur ergo variæ congratulantium acclamationes, cum plausu & lætis ominibus, nec impleri poterant ciues eum aspiciendo. Ipse vicissim populum serena facie, iisque intuebatur oculis, ex quibus Paternus affectus spirare videbatur. Tanta autem erat plebis multitudo, vt eos spacioſa D. Petri Basilica capere minime posset, vnoquoque Pontificem in illo honoris fastigio adorare cupiente. Precabantur autem ei longam vitam, vt errores abususque, qui omne occupauerant

nomen Christianum, ab stirpe deruncare posset reductis felicibus anteceſſorum eius temporibus ac seculis & sublata annonæ caritate, quæ miris modis affligebat vulgus.

Postremo hic Pontifex, cum breui temporis spacio præfuisset, Ecclesiam tamen multis ornasset beneficiis, morbo sontico correptus obiit a.d.VIII. Iulii mensis anni à nato bono publico M.DC.XXIII.

A.D.XIX. eiusdem mensis Cardinales conclaue ingressi, totis viginti dieb. ibi manserunt: quod omne tempus altercationibus detriuerũt, cum duæ potentes inter eos ortę fuissent factiones, quarum capita fuerunt Burghesius Pauli V. Pontificis fratris filius, & Ludouisius patruelis Gregorii XV. His ita in partes abeuntibus, etiam Cardinales, qui post mortem Gregorii in conclaue conuenerant, studiis scissi, diu conuenire nõ potuerunt, Postremo cum diu multumque litigatum fuisset, sententiis iuerunt in Cardinalem Mapheum Barbarinum Florentinum, Episcopum Spoletanum in Hetruria, Præfectũ signaturæ Iustitiæ & Protectorem Scoticæ Nationis. Ad Cardinalitiam hic dignitatem euectus fuit anno salutis M.DC.VI. intercedente pro eo Henrico IV. Gallorum Rege, qui illius in Francorum gentem propensum animum cognouerat. Postea aliquot legationes in Galliam obiuit, missus à Paulo V. Pont. Max. Assumsit is sibi nomen Vrbani VIII. Paucis post electionem suam mensibus tres creauit Cardinales, Barbarinum fratrem suum, & Cardinalis Burghesii ex fratre nepotem, & D. Magatoffum. Eodẽ tempore in sanctorum numerum retulit Ludouicum Gonzagam, Iesuitam, è familia principum Mantuanorum: quæ res magnificis ceremoniis peracta est in aliquot oppidis, præcipue autem Romæ atq; Mantuæ.

IMPERIVM ROMANVM, CVIVS HODIE SEDES IN GERMANIA.

SVMMA CAPITA.

1. *Amplitudo & Potẽtia, quæ olim fuerit Romani Imperii. Debilitatum & eneruatũ variis de causis. Primo per bella ciuilia: deinde translatione Aulæ Imperatoriæ Roma Byzantium: postremo quod per filios Constantini Magni in tres partes scissum diuisumq; est.*

2. *Imperium Romanum ex vno duplex factum, Orientale & Occidentale. Quo pacto denuo diuisum fuerit Caroli Magni æuo.*

3. *Ingenium terræ Germaniæ quod. Intra quæ cæli climata constituta censeatur. Aer eiusdem crassior, hyemes sæuiores, abundat frumento omnis generis & leguminib. diues variis metallis, auro, argento, ære cyprio, ferro & plumbo: salsis insuper acidisq; fontib. ac thermis. In nonnullis locis diues vineis, croco, glasto.*

4. *Enumeratur prouentuum vbertas quarundam Germaniæ regionum, inprimis Alsatiæ, quæ diues est frumento, vino, pascuis, deinceps cæterarum.*

5. *Qua de causa qui nostro æuo Alemanni dicuntur, prisco Germani vocati fuerint. Ignotus iis olim auri argentiq;, sed & gladiorum vsus. Quibus vsi fuerint in bello armis, & quæ eorum confligendi ratio.*

6. *Qua ratione reges sibi eligere sint soliti, eorundemq; ritus in creandis ducib. ac tribunis militum.*

7. *Fœminæ Germanorum magnanimæ & Martiales. Modus sacrificandi Mercurio humanas victimas: Noua luna superstitiosa obseruatio. Cõuentus eorum armati: exercitia militaria: artes pacis, habitus corporum & vestitus. Castitas fœminarum Germanicarum celebrata. Conuiuia & epulationes eorum, in quib. fere de negociis belli pacisq; tractabant. Diuersus armorum vsus: exercitus eorum in tres partes diuisi: Quo pacto iuuentus se in armis exercuerit.*

8. *Quibus moribus ritibusq; populi quidam Germaniæ etiamnum vtantur, sigillatim percensetur.*

9. *Saxoniæ populi quadrifariam diuisi. In vniuersum omnes dediti olim superstitiosæ Idololatriæ. Coluerunt adoraueruntq; arbores, fontes, nemora. Ratio diuinandi, qua prisci Saxones vsi fuerint.*

10. *De morib. ritibus legibusq; Sueuorum.*

11. *Bauariæ populorum, siue Boiorum descriptio.*

12. *Quæ sit hodierna Germaniæ facies. Diuiduntur Germani in quatuor genera. Quibus fere in vniuersum vtantur morib. quo vitæ genere, habitu, exercitiis.*

13. *Quantum Germaniæ populi inter se differant legibus, viuendi ratione, vestitu, habitu corporis, indole ac ingenio, pressius consideratur.*

14. *Diuitiæ Germanorum in quibus rebus præcipue consistant: in copia metallorũ cumprimis argenti, fontib. puteisq; salsis, negotiatione ac mercimoniis, artium mechanicarum ac opificiorum solerti tractatione. Nundinæ Francofurtenses quot annis geminæ magnæ celebritatis. Quorundam Principum opes ac redditus.*

15. *Quantas opes Imperator percipiat ex Germania.*

16. *Turca cum innumeris copiis Austriam inuadente, quantos Carolus V. & Maximilianus II. Impp. ex Germania contraxerint exercitus.*

17. *Quantum exigente vsu militum numerum cogere possit Imperator.*

18. *Equitatus & Peditatus Germanorum qualis.*

19. *Quantum classe & militia marina valeant.*

20. *Quæ duæ res præcipue desint Imperio Germanico.*

21. *Quando & per quos Imperium Romanum, quod primis temporib. fuerat hereditariũ factũ sit Electiuũ.*

22. *Percensentur tria præcipua Imperii membra, inter quæ septem Electores primum constituunt.*

23. *Alterum est Principum & Illustrium virorum.*

24. *Tertium liberarum Imperii ciuitatum.*

25. *Imperium quibus temporibus in certos orbes ac circulos diuisum.*

26. *Camera siue Dicasterium Imperiale in ciuitate Spira quando constitutum.*

27. *Certa officia ac dignitates in Imperio hereditaria, quasi ternario numero comprehensæ.*

28. *Qui ordo in consessibus Comitiorum publicis obseruetur, inq; cæteris solennitatibus.*

29. *Triplex in comitiis Imperiorum Senatus, & è quibus quisq; constet.*

30. Re-

30. *Religionum per Germaniam ingens diuersitas, quibus vnaquaq; nostro ævo sit imbuta prouincia. Qua religione vtantur protestantes, & quibus nominibus accusentur, eorumq; responsiones.*

31. *Catalogus Imperatorum occidentis, eorum vita, tempus imperii, excessus.*

IMperium Romanum, quod sub Traiani Principatu amplissimis terrarum spaciis definitum fuit, nempe ab Oceano Cantabrico ad Tygrim Armeniæ fluuium, & ab Oceano Atlantico vsq; ad sinum Persicum: rursus ab Atlante Monte ad Syluam Caledoniam, attingens Albim Germaniæ fluuium, & Danubium transiens: id igitur tantæ vastitatis Imperium primum detrimentum cepit Galba, Othone & Vitellio bellis ciuilibus in patriam sæuientibus, quo tempore exercitus Romanorum, qui Britanniam obtinebant, superato freto in vicinam Germaniam transiuerunt, tractis in seditionis societatem aliis quoque populis, vnde factum est, vt destitutis præsidiario milite prouinciis limitaneis, Sarmatæ Danubium traiicere ausi fuerint, Alani vero Caspios Montes. Id æui Persæ quoq; quorum exiguum eo tempore fuerat nomen, vires sibi & auctoritatem pepererunt, & Gothorum gentes Mysiam Macedoniamq; percurrentes, occasionem postea præbuerunt Francis in Galliam irrumpendi. Cæterum Constantinus M. omni ope annixus est, vt veteri restitueret Imperium nitori splẽdoriq;, extinctis bellis domesticis, sublatis è medio Tyrannis, iniecto freno Barbaris populis, territisq; pleriſq; omnibus nationibus, quæ infestæ erant Romano Nomini. Is autem Constantinus, etsi talia tantaque præstitit, duas tamen res commisit, quibus Monarchiam illam non mediocriter debilitauit. Prior est, quod domicilium Imperiale sedemq; Cæsaream Roma trãstulit Byzantium, quo quidem errore vrbem magna ex parte spoliare creditus est ornamentis priscaque potentia, incisis insuper ipsius Imperii neruis, fractisque viribus. Nouimus enim, plantas, aliaque terra nascentia, si è patrio solo auulsæ, inque terram sub diuerso Climate delatæ transplantentur, multum deperdere à naturalib. suis virtutib. eodem quoq; modo comparatum est cum omnibus prope rebus humanis, inprimis autem sentiunt regna & Imperia, quantum detrimenti capiant è magnis violentisq; mutationib. Rectius iudicauit Senatus priscis temporibus, qui omnibus modis obstitit populo, ne post cladem Allienſem Veios migrarent, etsi locus iste videretur commodior & amœnior, & ipsa vrbs à Gallis vastata grauissimeque afflicta fuisset. Alterum est, quod potentiam Romanã infregit, quod orbem Romanum inter tres filios suos partitus est: quæ tam noxia diuisio contigit circa annum Domini CCCXLI. Hac enim distributione factum est, vt vnita illa atque inuicta virtus scissa ac diuulsa in tres principatus, plurimum amiserit authoritatis atque roboris. Filii enim ab intestinis discordiis, cum ad aperta bella deuenissent mutuis cladib. se inuicem afflixerunt & consumserunt, vt Imperii Romanum simile factum sit cadaueri sine vita & sanguine. Quanquam autem posterior b. temporibus sub dominatum vnius redierit corpus istud, tamẽ facile postea auelli scindiq; membra sua passum est, vt bifariam dispertitum multoties legamus, cum alter orientis se diceret, alter occidentis Imperatorem, donec Odoacer Rugus, Herulorum Rex, magno cum exercitu Italiam ingressus, coegit Imperatorem abiicere & spem & nomen occidentalis Imperii, quod euenit circa annum Gratiæ CCCCLXVI. cũ Hunnorum agmina iam Danubium transiuissent. Alaricus Vandalorum Rex inuaserat Italiam, & ipsi Vandali iam occupauerant Romam, post gẽtes illæ digressæ in Hispaniam Vlteriorem, sui iuris fecerant Bæticam, quam hodie Andaluziã (rectius Vandalusiam) vsurpamus. Inde digressi Africæ quoq; possessionem arripuerunt, vt Alani Lusitaniæ, Gothi vero interiora ac potissimã partem Hispaniæ. Angli, Saxonica gens, Britanniam sibi vendicauerunt; Burgundi, Germanica & ipsi Natio, Aeduos Sequanosq;, Romanorũque Prouinciam. Franci vero potissimam Galliæ partem, & Hunni, Scythica gens, Pannoniam, quæ hodie ab iis Hungaria, obtinuerunt. Laborantem ad eum modum Romani nominis dignitatẽ aliquantisper sustinuit Iustinianus Princeps, eiectis per duces Legatosq; suos ex Africa Vandalis, Gothis autem ex Italia. Referunt hoc authores in annum DLVI. Cæterum caduca fuit hæc Romanorum gloria, nec diu durauit. Anno enim Salutis DCXIII. eæ gentes, quæ Mahometis sectantur deliria, vtriq; Imperio multum exhibuerunt negocii, opprimentib. Saracenis vtrumque, cum omnem prope Syriam occupassent, cum Ægypti Regno & Archipelago Græcarum Insularum. Ab altera autem parte, Africam cum Sicilia Hispaniaq;. Anno autem à nato bono publico DCXXXV. occupauerunt iidem Narbonem, Tolosam & Auinionem cum illarũ vrbium agro dominioq;. Ad hunc modum Imperium occidentis paulatim pessum iuit corruitq;: rebus orientis admodum debilitatis, vt ipsa vrbs Cõstantini, Imperii caput, ægre subsisteret, seq; vix aduersus Mahometistarum violentiam defenderet; tantum aberat, vt laborantib. Occidentis rebus subuenire copiis opibusque posset. Et hoc illud est, quod Leonẽ III. Pont. Max. mouisse creditur, vt de transferendo Imperio in Carolum Francorum regem cogitaret circa annũ Christi DCCC. quanquã & alia causa accesserit, dissidiũ Græcorũ à Latinis in causa Religionis.

Porro occidentis Imperium ita diuisum fuit ab Orientali, vt Græcis cederet per Italiam quicquid ab vrbe Neapoli & Siponto in orientem solem porrigitur. Beneuentanum oppidum cum agro Longobardici iuris fuit. Venetis à diuisione exemptis sua mansit libertas: præter hæc quidquid erat in occidente, Caroli Magni agnouit imperium. Blondus scriptum reliquit, translationem hanc diuisionemque approbatam fuisse primum ab Irene imperatrice,

Odoacer

Alaricus

Alani

Gothi

Angli

Burgundi

Franci

Hunni

trice, postea à Nicephoro. Communis autē fama obtinet, hac ratione Imperiū occidētis per Leonem Pontificem translatum fuisse à Græcis ad GERMANOS, eō quod Francorum Rex Carolus Germanus esset sanguine & origine, omnesque Franci, qui ante eum Gallias armis subegerant, regnumq; illic constituerant è Francorum Germanorum prouincia, (quam hodie male Franconiam quidam, alii rectius Franciam orientalem nūncupant) oriundi fuerint. Igitur Imperiū hoc modo scissū diuisumq; postmodū vniri denuo non potuit, licet Emanuel Comnenus, intellecta Friderici Primi priuatione, magnum auri pondus Alexandro tertio obtulerit, vt solus ipse imperaret. Sed hoc frustra fuit. Diuisio enim ista Imperii, quæ in Cōstantini M. liberis initium ceperat, & in Carolo M. robur acquisiuerat, in posteris huius firma constansque mansit. Ab eo tempore Imperium perangustis circumscribi cæpit limitibus vt nihil illi superesset quam Germania, & pars quædam Italiæ. Pontifices enim Romani in eadem terra late dominabantur, nemine eis controuersiam de possessione mouente: & Veneti, qui ferme medii erant inter vtrumq; Imperium, sua cum gauderent libertate, crescebant virib. opibusq;: & Regnum Neapolitanū Siculumq;, quæ Normanni Græcis ademerant, cæperunt beneficii iure dependere ab Ecclesia Romana, quod accidit sub Clemente Antipapa, deinde sub Nicolao II. P. M. eiusque successoribus, qui Bonum Factum iudicauerunt, suo calculo approbare id quod sub Antipapa euenerat. Insubriam autem cum bona parte Hetruriæ dissidium Pontificum, quod eis cum Henrico quarto & quinto, cumque Friderico primo & secundo Impp. intercesserat, Ecclesiæ abalienauit, cum ipsi quoq; incolæ ingenii quadā mobilitate ad seditiones procliues, multum hanc rem adiuuissent: quanquam postea compertum sit, plus Imperatores in conseruandas istas prouincias impendisse sumtuum, quā inde traxerint emolumenti. Hinc de Rudolfo primo legimus, territum illum variis aduersitatib. quæ antecessorib. eius euenerant, Italiam ingredi noluisse, sed vendidisse ius suum libertatemq; iis, quos emptores reperisset, idq; precio haud sane magno. Lucēses enim decem scutatorum (vt hodie loquimur) millibus, Florentini a. sex mill. b. autonomiam sibi emisse perhibentur. Authoritas quidem Imperatorū & Potentia per Italiam adhunc modum penitus collapsa est, vt nihil prope illis præter nomen superesset, cum Vicecomites Mediolanenses aliique per illam Italiæ partem Cæsarum legati, arripuerint quibuscunque possent modis dominatum, constitutaq; in liberis ciuitatibus Tyrannide eū solum Imperatorib. honorem haberent, vt eos de cōfirmatione, vel, (vt cum vulgo fabulamur) inuestitura compellarent. Postremo Franciscus Sfortia, cum omnem prope cum Mediolano vrbe occupasset Insubriam, nec quicquā pensi habuit inuestituram ab Imperatore obtinere satis se validum existimans, iisdem armis recens partum defendere principatum, quib. acquisiuerat. Et vt rem in pauca contraham, nostro ætate magnum illud Imperii nomen in sola conclusum superest Germania: quanquam in ea ipsa quidē multis in locis haud ita multum possit pollleatque.

QVALITAS ET INGENIVM TERRÆ Germaniæ.

IGitur Germania sub sexto, septimo, octauo cæli climate sita, intra quadragesimum septimum & quinquagesimum quintum gradum latitudinis, itemq; inter vigesimum quartum & quadragesimum sextum longitudinis constituitur: vbi longissima dies per æstatem in parallelis versus Austrū est horarū quindecim cū dimidia, versus autem Aquilonem horarum septendecim cum dimidia. Nō nos fugit, Corn. Tacitum scribere, aerem illic loci horridum & cœlum triste; Senecam autem, æternam ibi esse hyemem: sed pace illorum virorum dixerim, gaudere illam aere satis dulci & temperato, quamuis frigidiusculo, qui tamen maxime conducat ad sanitatem & firmitatem corporis. Terra nequaquam sterilis, quæ plurimum gignat siliginis, hordei, milii, auenæ, tritici, adeoque omnis generis frumenta, cum abundantia leguminum. Campestria loca vbique fere culta sunt, pascua vero magnam graminis herbarumque vim procreant. Quid dicam de variis metallorum speciebus, cum è Germaniæ montibus multis locis effodiatur argentum, æs Cyprium, ferrum, plumbum: adde etiam quod alicubi aurum reperiatur. Sal partim è terræ visceribus eruitur, partim ex aquis fontibusque salsis excoquitur. Si Plinio credimus, priscis annis hic quoque crystallum reperire licuit, cum onyche gemma, Topazio aliisque lapillis. Culta insuper est plerisque in locis, & elegantibus hortis ac viridariis conspicua, quorum præcipuum decus est æstate & auctumno. Syluæ, quibus olim vniuersa horrescebat magna ex parte excisæ sunt, adeo, vt vix exigua particula magni illius Hercynii saltus supersit; quem tanta fuisse vastitate magni auctores prodiderunt, vt in sexaginta dierum iter latitudo eius expedito paruerit. Quicquid autem supereſt, id Syluæ Nigræ, Othonicæ, Bohemicæ nomine vsurpatur. Syluæ tamen istæ adeo horridæ ac formidabiles nequaquam hodie sunt, vt prisco illo fuere æuo, sed pagis villisq; adde etiam monasteriis frequentibus cultæ atq; habitatæ. Vineis insuper multis in locis Germania abundat, in primis ad vtramque Rheni ripam, ad Nicrum Menumque amnes. Sed vltra Danubium, qua olim fuit Pannonia superior, non solum laudabile profert vinum, verum etiam Crocum notæ longe optimæ. Arboribus fructiferis, pomariisque vbique prope obsita est, nec bonarum rerum inops ab ea parte qua Oceano Germanico, Mari Baltico ac Vistula amne alluitur; his enim in locis ingens frumenti vis quotannis prouenit. De cætero in vniuersa superiore Germania paucos lacus aut paludes, raroſque mon-

montes steriles ac fastidiosos reperies quicquid enim hic eiusmodi occurrit, frugum culturæq; vix vnquam est expers, quin ipsæ quoque Alpes, quarum summa fastigia æternis cooperiuntur niuibus, eam præbent viuendi incolis commoditatem, quod in vallibus læto pabulo viridantibus, ingentem armentorum pecudumque minorum saginant multitudinem. Syluæ Nigræ montes innumeras procreant abietes piceasq;, vnde magnam incolæ vim picis eliciunt, & tamen, quod mireris, iidem montes in suis radicibus præstans vinum gignunt. Oleo tamen tota Germania sterilis est, nec bombyces serici artifices commode alere creditur. Cum autem de tota Germania generatim verba fecerimus, agedum singularum prouinciarum ingenium paulo diligentius consideremus.

Alsatia abundat optimo frumento, quod læto prouentu luxuriat in locis præcipue planis & campestribus, vbi & arborum fructiferarum copia. in collibus generosum excoquitur vinum: vallibus pabuli præstantia & gregum fœcunditas claritatem gignit. Eadem prope bonitate vniuersus Rheni tractus commendatur.

Ager VVirembergicus ex parte asperior, vinum gignere recusat, vbi tamen excellit in creando pecori pabulo. Alibi lapidosus aut sabulosus est, quod tamen non impedit, quo minus frumentum proferat, quanquam campestria magis faueant agriculturæ. Stagna hic, lacusq; nonnulli amneq; pisculenti.

Francorum terra alibi quidem plana est & humilis, alibi monticulis quibusdam collibusque intumescit. Quanquam autem in multis locis arena superante argillam videatur ager sterilior, satis tamen profert frumenti ac leguminum, vt & cæparum, porrique ac raporum maiorem copiam, nec non caulis ac brassicæ, quam vicinæ prouinciæ pleræque. Amœna est insuper tota ista regio mitibus arboribus, lætisq; pratis, in quibus innumeri passim oberrant greges & armenta. Vini vber hic fere languscq; prouentus, præcipue circa *VVirceburgense* oppidum, vbi ob syluarum amplitudinem venatio & aucupium frequens. Circa *Pabebergam* magna vis Glycyrrhizæ colligitur.

Suevia ex parte campestris & plana est, alicubi montibus attollitur, culta tamen & ferax vbiq;, præterquam vbi aut lacubus humida, aut Syluis aspera, aut montibus alte surgentibus editior est. Mire fauet terra hæc venationib. nec minus piscuis felix, creandoque luxurians frumento. Magnus hic amnium maiorum minorumq; numerus, qui è diuersis procurrentes locis velut condicto Rhenum petunt. Ipsa regio in vniuersum salubri perflatur aere, nec metalla negant fodientibus montium vicinorum subruta viscera, quæ ferrum, aut argentum, aliaq; alibi exhibent.

Bohemia regnum frumenti plurimum gignit, inprimis ordei: destituta oleis, vt vniuersa Germania. Vineæ hic non adeo multæ, in quibus vinũ gignitur vel parcius vel insuauius, ob Aquilonis perpetuos flatus, quibus totum regnum est expositum, prohibente Borea vuarum optatam maturitatem. Crocum tamen subministrat, cuius color, virtus & fragrantia haudquaquam cedit extero. Argenti adeo fœcunda mater, vt vbiq; fodientib. illius metalli se venæ prodant: veberiores tamen reperies circa Crumauiam, Budouizium, & Cuttenbergam oppida: sed & aurũ alicubi reperiri fama est. Circa Beraunum oppidum quod eruitur ferrum, præcipuæ bonitatis esse putatur. Vidimus & Adamantes atq; Amethystos aliaque veterum gemmarum simulacra, quæ ibi inuenta fuere.

Morauia solum magna ex parte pinguius, gignendo tritico ac speltæ peraccommodum deprehenditur, vt colles nutriendis vineis, quibus hæc prouincia magis fauet quam Bohemia. Omnia hic eximie culta, cum incolæ prope vniuersi agriculturæ præ cæteris dediti nihil incultũ relinquant, nisi quantum est loci compascui alendo pecori. Iohannes Dubrauius scriptum reliquit, reperiri hic myrrham & odoramenta quædam peregrini generis, quæ non, vti thus, ex arboribus colligantur, sed è terra effodiantur in solo quodam loco, quem Gradiscam appellat.

Bauaria superior vniuersa probe montib. syluisque horrescit, interc dentibus lacubus nonnullis, fluuiisq; prærapidis, vnde aptior ad pastũ pecoris & prouentum fructuum arboreorum, quorum ingens ibi abundantia. In campestrib. vero satis frumenti nascitur. Huic tamen maiorem copiam gignit *inferior Bauaria*, quæ insuper abundat piscibus, auibus, feris, armentis gregibusq;, inter quos præcipuus porcis locus, quorum incredibilis ibi multitudo, ob glandium pomorumq; syluestrium immanem copiam. Scaturiunt hic aquæ salsæ aliquot in locis, vnde sal commendatę bonitatis excoquitur. Vini tamen defectum patiuntur, quod hic nullũ prouenit, non item ferri æriscq; cyprii.

Austria maxima ex parte plana est: quæ quamuis & ipsa ventis Aquilonarib. exposita sit, multum tamen vini, frumenti, fructuumque omne genus producit. In quibusdam locis argentifodinas habet nobilissimas.

Quibus tamen haudquaquam cedit *ager Tyrolensis*, in his præcipuis prouinciæ opibus consistentibus. Nam montes regionis in tantam adscendunt altitudinem, vt perpetuis eorum fastigia operiantur niuibus, quanquam ferarum largam suppeditent copiam.

Styria, veterum Tauriscorum sedes, montibus prope vniuersa asperatur, excepta ea parte, quæ in orientem vergit, vbi Campi visuntur perelegantes. Sunt hic non paucæ ferrifodinę, intercurrentibus alicubi argenti venis.

Carinthia montibus vallibusq; alternantibus vniuersa occupatur, nec tamẽ tritici opimo prouentu ignobilis. multis irrigatur amœnissimis fluuiis, quibusdam etiã in locis piscosis lacubus.

VVestfalia pascendis gregib. armentisq; aptior est, quã gignendo frumẽto, alicubi syluas habet, ligniscq; abũdat, alibi destituitur. Vini in vniuersum

sum nihil producit, quem defectum fructuum vbertate sarcit, cuiusmodi sunt nuces & glandes, quibus ingentem quotannis saginant porcorum numerum. In ea parte, quæ Archiepiscopi Colonien sis dominio subest, varia effodiuntur metalla.

Principatus Cluensis præcipua laus est aer suauis & temperatus. ipsa humus frumenti copiam procreat satis magnam, nutritq; pecoris nō exiguum modum, lętiore pabulo ob amnium riuorumq;, quibus irrigatur, multitudinem.

Iuliacensis ducatus tritici omnisq; adeo frumenti feracissimus est. Incolæ insuper rem facere norunt ex Isatide herba, tingendis pannis aptissima, quæ apud eos prouenit magna vbertate. Animalia mansuetigeneris gignit alitque quam plurima, inprimis equos roboris & pulchritudinis præcipuæ.

Hassia etsi asperior est, non tamen omnino cōtemni debet, cum prope omnia ibi prouenient, quæ ad vitę humanæ necessarios vsus requiruntur. Vinearum est impatiens, quo tamen vtitur à vicino Rheno importato. Pecoris magnum alit numerum, inprimis in *Comitatu VValdeccensi*, vbi maior frugum prouentus, & liquidorum amnium copia. Præcipue autem ditant colonos metalla quæ terra illa effodiuntur, cuiusmodi sunt argentum, cuprum, ferrum, plumbum, argentum viuum, sal & alumen.

Hac tamen fertilior *Turingia* creditur, cum vbiq; frumento abundet, feliciq; prouentu herbæ tinctoribus perneces sariæ, quam Isatin vel Glastum appellamus, gaudeat.

Saxonia superior metallorum abundantia superbit, fluuii huius regionis fere abundant piscibus, vt iam de cæteris terræ commoditatibus taceamus.

In Comitatu Mansfeldico argentum terræ visceribus eruitur, vt & aliæ metallorum species: reperiuntur enim ibi lapides, qui facile rumpuntur, vbi vero igne incalescunt vehemētius, fundunt æris Cyprii quantitatem, non sine puro argento. Fama est, reperiri in iis locis lacum, cuius ea sit natura, vt si piscatores missos hamos aut retia immergant profundius, ea amburantur haud aliter, ac si in ignem missa fuissent.

Silesia cum vicina *Lusatia* abundat frumento & piscinarum multitudine.

Misnia omne genus frugum liberaliter gignit, nec vini omnino expers: mellis autem & pecudum magnam suppeditat copiam. Lignorum hic difficultas, quam argenti fodinæ ditiores abunde sarciunt.

Ager *Leodicensis* peramœnus est, omniumque bonarum rerum ferax, si quisquam alius: plenus fluuiis riuulisq;, plurimum præbet piscium, syluæ vero abundant feris alitibusq;, conualles pecore. Colles, qui hic numerosi, vineis arboribusque pomiferis operiuntur. Ferrifodinas hic reperire est, & carbones fossiles, quos Græci vocant Lithantraces. Nec tacendæ hoc loco veniunt aquæ, nitratæ ac medicatæ, quarum salubris in curandis morbis vsus, inter quas fontes qui in *Tungris* scaturiunt, iam olim ipsi quoque Plinio commendati.

Treuirorum ager multiplex est nec vnius generis. Inuenies enim alicubi montes asperos & steriles, in quibus præter auenam vix quicquam prouenit, alibi humus mira luxuriat vbertate, vbi in collibus apricis vina gignuntur commendatæ bonitatis. Præcipuum autem illi præconiū, quod in vtraq; Mosellæ fluuii ripa, & ad Rhenū circa Cōfluentiam gignitur. Irrigatur Treuirorum regio vniuersa amnibus, torrentib. riuulisq; iucundissimis, qui partim se Mosellæ partim Rheno miscent, vnde magna piscium fruuntur incolæ copia. Syluæ saltuq; ferinæ præbent affatim. Lacus hic duo sunt, miræ profunditatis, alter iuxta *oppidum Vlmense*, alter ad monasteriū, quod hinc *ad Lacum* dicitur. In hoc posteriore inueniuntur lapilli virides, flaui & rubicundi, quos gemmarii non multum cedere affirmant pulchritudine Smaragdis, Hyacinthis & Rubinis. Æris Cyprii, plumbiq; ac ferri hic multum eruitur, & argenti aliquantum, à quibus æri fodinis haud longe scaturiunt fontes, quorum aquæ medicatæ & salubres.

MORES VETERVM GERMANORVM.

IAm primum satis constat, eos qui hodie *Alemanni & Teutones* appellantur, à veteribus GERMANOS dictos fuisse. Huius nominis etymon varie à variis inuestigatur. Sunt qui Germanos dictos asserunt, quasi GAR MANNOS, quod eorum lingua viros validos robustosq; sonat. Strabonī secus videtur, qui ideo vocatos vult, quasi fratres Gallorum, quod iis vultu, robore & habitu corporum, colore, actionibus essent similimi. Notum enim est, Germanos apud Latinos fratres dici iisdem natos parentibus. Sed quomodocunque hæc habeant, fortes, bellicosi, magnanimi semper habiti sunt hi populi, consensu omnium scriptorum. Ituri in prælium hymnum canere solebant in honorem Herculis, perhibebantque primum eum fuisse omnium virorum fortium. Barditum vocabant sonum illum, nec tam vocis ille quam virtutis concentus videbatur, affectaturq; præcipue asperitas soni & fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior vox repercussu intumesceret, ad incutiendum terrorem hostibus. Truces & cærulei oculi, magna pleriſq; corpora, sed tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim æstumque tolerare apti. Argenti aurique apud eos olim vsus nullus, nullum precium, vt argentea vasa legatis & principibus eorum muneri data non in alia vilitate habuerint, quam quæ humo fiunt, quanquam proximi Romanorum Prouinciis ob vsum commerciorum aurum argentumque in aliquo habuerint precio. Rari gladiis aut præpilatis lanceis vtebantur: hastas, vel eorū lingua frameas gerebant, angusto & breui ferro, sed ita acri & ad vsū habili, vt eodem telo, prout ratio

posce-

poſcebat, vel cominus vel eminus pugnarent. Et eques quidem ſcuto frameaque contentus erat, pedites & miſſilia ſpargebant, pluraq; ſinguli, atque in immenſum vibrabant, nudi aut ſagulo leues. Nulla iis cultus iactatio, ſcuta tantũ lectis coloribus diſtinguebant; paucis loricæ, vix vni alterique caſſis aut galea. Equi eorum non forma non velocitate conſpicui, ſed nec variare gyros docebant, in rectum aut vno flexu dextros agebant, ita cõiuncto orbe, vt nemo poſterior eſſet. Scutum perdidiſſe præcipuum flagitium, nec aut ſacris adeſſe, aut cõcilium inire ignominioſo fas, multiq; ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finierunt.

6 Reges eorum ex nobilitate, duces ex virtute ſumebantur; nec regibus infinita aut libera poteſtas, & duces exemplo potius quam imperio, ſi conſpicui, ſi ante aciem agerent, admiratione præeſſe ſolebant. Animaduertere in aliquem, aut vincire, ſiue verberare nulli niſi ſacerdotib. permiſſum: non quaſi in pœnam, nec ducis iuſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credebant, effigieſque & ſigna quædam detracta lucis in prælium ferebant. In acie ſtruenda non caſus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum faciebat, ſed familiæ & propinquitates & in proximo pignora, in quorum conſpectu aut egregie vincendum, aut glorioſe occumbendum erat.

7 Memoriæ proditur, quaſdam acies inclinatas iam & labantes à fœminis reſtitutas conſtantia precum, & obiectu pectorum, & monſtrata cominus captiuitate: & cæteroquin ineſſe mulieribus ſanctum aliquid & prouidum putabant, nec aſpernari conſilia eatum aut negligere reſponſa ſoliti.

Deorum omnium maxime Mercurium colebant, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habebant, vt Martem ac Herculem conceſſis animalibus placare. Sed & Sortes & Auſpicia obſeruabant. De minoribus reb. principes conſultabant, de maioribus omnes: ita tamen, vt ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud Principes pertractarentur. Solebant iidem conuenire, cum aut inchoabatur Luna aut impleba tur, nec dierum numerum, vt cæteri, ſed noctium computabant. Conuentus eorum fere armati erant, ſi placebat ſententia ducis, frameas concutiebant, eratque honoratiſſimum aſſenſus genus, armis laudare. Sin diſpliciuiſſet, fremitu aſpernabantur. Proditores & transfugas arboribus ſuſpendebant: ignauos & imbelles & torpore infames cæno ac palude, iniecta inſuper crate mergebant: quæ diuerſitas ſupplicii illuc reſpicit, tanquam ſcelera oſtendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abſcondi. Nihil autem neque publicæ neque priuatæ rei niſi armati agebant. Magna hic comitum æmulatio, quibus apud principem ſuum locus, & principum cui plurimi erant & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello præſidium. Infame militi & in omnem vitam probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe, niſi cum is victor occubuiſſet. Sic principes pro victoria pugnabant, comites pro principe. Nec arare terram aut expectare annum tam facile perſuadere erat, quam vocare hoſtes & vulnera mereri: pigrum quinimo & iners videbatur, ſudore acquirere quod poſſis ſanguine parare. Quoties bella non inibant, multum venatibus, plus per otium tranſigebant, dediti cibo ſomnoque, delegata domus & penatium agrorumque cura fœminis ſenibuſque. Vicos olim locabant (vt & noſtro æuo in pleriſque locis) non connexis aut coliærentibus ædificiis, ſed diſcreti habitabant, vt fons, vt campus aut nemus placuerat. Veſtitu vtebantur ſimplici: tegmen omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum. Locupletiores veſte diſtinguebantur, non fluitante, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente, nec alius fere fœminis quam viris habitus.

Germani prope ſoli omnium populorum barbarorum iam ab initio ſingulis vxoribus contenti fuerunt, exceptis paucis nobilioribus, qui plures ducebant: neque vero dotem vxor marito, ſed vxori maritus afferebat. Munera probabantur, non ad delitias muliebres quæſita, nec quibus noua nupta comeretur, ſed par boum, & equus frenatus cum framea galeoque. Septa igitur hic vxores pudicitia agebant, nullis ſpectaculis, nullis ludorum aut conuiuiorum irritationibus corruptæ, reperiebanturque rara in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Conuictam criminis maritus acciſis crinibus nudatam coram propinquis domo expellebat, ac per omnem vicum verbere agebat: publicatæ enim pudicitiæ nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum inueniebat. Nemo enim illic vitia ridebat: nec corrumpere aut corrumpi, vt nunc, ſæculum vocabatur, cum plus ibi boni mores valerent, quam alibi bonæ leges. Sera apud hos iuuenum Venus, eoque inexhauſta erat pubertas, nec virgines feſtinabantur. Eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validique miſcebantur, ac robora parentum liberi referebant. Homicidium luebatur certo armentorum ac pecorum numero, recipiebatque ſatis factionem vniuerſa domus. Quemcunque peregrinum arcere tecto neſas habebatur, vnoquoque pro fortuna apparatis epulis hoſpitem excipiente. Gaudebant muneribus, cum tamen nec data imputarent, nec acceptis obligarentur. Dies noctesque continuare potando nulli probrum erat: hinc crebræ, vt inter vinolentos rixæ, vbi raro conuiciis, ſæpius cæde aut vulneribus tranſigebatur: quin & de pace ac bello plerumque in conuiuiis conſultabant, gente non aſtuta nec callida ſecreta pectoris aperiente, ipſa loci licentia. Ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die retractabatur; hacque ratione deliberabant, dum fingere neſciebant,

bant; constituebant, dum errare non poterant. Potui humor erat ex ordeo aut frumento in quadam vini similitudinem excoctus; quanquam proximi ripæ & vino adiacentio vterentur. Cibi ijs simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum.

Iuuenum præcipuum hoc exercitium, aut si maius ludicrum erat, vt se nudi inter gladios acutasq; frameas saltu iacerent, quæ res vsum & adsuetudinem armorum iis præbebat, & ad pugnandum audaciam. Aleam frequenter exercere solebant, tanta lucrandi perdendiue temeritate, vt cum omnia deficerent, extremo ac nouissimo iactu de libertate & de corpore contenderent: Victo voluntariam seruitutem adeunte, seque alligari patiente, quamuis robustior esset. Annum Germani in tres species digerebant: Hyems, & Ver, & Æstas intellectum ac vocabula habebant, Autumni perinde nomen ac bona ignorabantur. Funerum nulla apud eos ambitio, in quibus lamenta ac lacrymas cito, dolorē & tristitiam tarde ponebant, fœminis lugere honestum existimantes, viris meminisse.

8 Postquam autem in commune de omnium Germanorum morib. disseruimus, iam de quarumdam gentium institutis ac ritibus peculiariter dicemus. Igitur Saxones olim piraticam strenuiter exercuisse testis est Apollinaris. Facto infinitimam aliquam regionem impetu, antequam ex ea despoliata discederent, decimum quemque captiuorum Idolis suis immolabant, ijs adhibitis ceremoniis, quæ citra terrorem referri nequeunt: hac ratione probe se perfunctos officio suo rati, si captos Diis in sacrificium offerrent. Quanquam autem vicinos continuis infestarent incursibus, ipsi tamen inter se pacifice agebāt, Principibus magna sollicitudine ea curantibus, quæ ad multitudinis spectarent commodum. Circa conseruationem antiquæ nobilitatis & familiæ gentisque splendorem prope nimis erant curiosi, vt non exterorum tantum, sed & humiliorum aspernarentur connubia.

9 In quatuor autem Saxones distribuebantur ordines: in Nobiles, Liberos, Libertinos & Seruos, nec licebat cuiquam horum extra gentem aut conditionem nubere: sed legibus cautum erat, vt nobilis nobilem, ingenuus ingenuam duceret vxorem, quod & cæteri obseruabant. Legibus enim seueris eos vsos fuisse constat, cōstituta aliter facienti capitis pœna, quæ tamen ratio non erat homicidiorum puniendorum, cum in his conditio & dignitas occisi spectaretur: qui si vilior fuisset, haud ferme capite plectebatur is qui cædem commiserat, nisi si ea in templo aliquo aut loco sacro perpetrata fuisset; tunc enim omnis reo præcidebatur spes veniæ. Quod si quis in insidiis delituisset, aut interficiendi hominis occasionem captasset, etiamsi cogitata non perfeciisset, patria pulsus ad mulctam aliquam condemnabatur. Furta tamen etiam maiore seueritate puniebantur. Nam si quis tres solidos furatus fuisset, conuictus criminis capitis periculum adibat. Idem rigor minabatur incendiariis & latronibus, & omnibus qui exercerent violentiam.

Legitimum hæredem successione bonorum excludere nemo poterat, substituto alio, nisi si quis Ecclesiam aut Principē hæredem scripsisset. Fuit autem iam ab antiquissimis temporibus vniuersa Saxonum natio Idolorum superstitioso cultui mire dedita, cum adorarent infelices, si quam arborem viridantem foliis densamque ramis offendissent, eademque superstitione fontes venerarentur. Colebant autem præcipue prægrandem truncum arboris, infixum terræ, quem sua lingua appellabant IRMENSAVL, quasi dicas *columnam vniuersalem*, quod ea omnes res sustineri arbitrarentur. Hāc Carolus M. euertit deuictis ad extremum Saxonibus, magnaque earum parte in Brabantiam Flandriamque deportata, vt ibi exularent, nec vnquam reuerterentur in patriam. Mercurium insuper venerabantur, cui & statis diebus sacrificia offerebant, vt & cæteri Germani, inprimis cum proficiscerentur ad bellum. Arbitrabantur nihil fieri posse absurdius, quam diuinam Maiestatem Templorum ergastulis includere, aut statuis simulacrisque repræsentare velle, cum humana mente, nedum parietibus, vis Numinis concipi non possit. Dedicabant igitur Diis suis densos lucos ac vmbrosa nemora, deorumque nominibus appellabant secretum illud, quod sola reuerentia videbant. Valuisse & apud eosdem perhibentur Auguria ex volatu aut pastu auium petita, aut extispicea ex intestaneis voluerum, vnde de futuris coniecturas faciebant. Sortium apud eos consuetudo simplex. Virgam frugiferæ arbori decisam in furculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargebant. Mox, si publice consuleretur, sacerdos ciuitatis; sin priuatim, ipse pater familiæ cælum suspiciens, ter singulos tollebat, sublatosque secundum impressam ante notam interpretabatur. Si prohiberent, nulla de ea re in eundem diem erat consultatio: sin permissum esset, auspiciorum adhuc fides exigebatur. Equi insuper ad captanda præsagia monitusque experiundos apud illos publice alebantur, ijsdem nemoribus ac lucis, candidi, nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos, ac rex, vel princeps ciuitatis comitabantur, hinnitusque ac fremitus obseruabant. Nec vlli auspicio maior fides non solum apud plebem sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putabant. Vtebantur & alia obseruatione auspiciorum, qua grauium bellorum euentus explorabant. Eius gentis cum qua bellum erat captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium inorum patriis quemque armis committere solebant. Victoria huius vel illius pro præiudicio accipiebatur.

De

10. De Sueuis C. Iulius Cæsar in Commentariis scriptum reliquit gentem olim fuisse longè maximam & bellicosissimam Germanorum omnium, eosque centum pagos habuisse, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa ex suis finibus eduxerint; reliquos, qui domi remanserint, se atque illos aluisse: hos rursus inuicem anno post in armis fuisse, illis domi remanentibus. Sic neque agriculturam aut arationem, neque vsum belli intermissum. Addit idem auctor, priuati ac separati agri apud eos nihil fuisse: neque longius anno remanere vno in loco, incolendi causa licuisse. neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vixisse, multosque fuisse in venationibus: quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, (quod à pueris nullo officio, aut disciplina assuefacti nihil omnino contra voluntatem fecerint) & vires aluerit, & immani corporum magnitudine homines effecerit. Quin in eam se adduxisse eos consuetudinem, vt quamuis locis frigidissimis habitarint, neque tamen vestitus præter pelles habuerint, quarum propter exiguitatem magna corporis pars aperta fuerit. Solitos insuper influminibus lauari. Mercatoribus ad eos aditum fuisse magis eo, vt quæ bello cepissent, quibus venderent habuerint, quam quo vllam rem ad se importari desiderauerint. Quin & iumentis, quibus maximè Galli eorum vicini delectati fuerint, quæque impenso parauerint precio, Sueuos importatis non vsos, sed quæ fuerint apud ipsos nata praua atque deformia, ea quotidiana exercitatione, summi vt fuerint laboris effecisse. Equestribus præliis sæpe ex equis desilire solitos, ac pedibus præliari, equis eodem remanere vestigio assuefactis: neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habitum fuisse, quam ephippiis vti: itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum quamuis paucos adire ausos fuisse. Vinum ad se omnino importari non siuisse, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrarentur. Publicè hanc maximam laudem putauisse, quam latissimè à suis finibus vacare agros: hac re significari, magnum numerum ciuitatum vim eorum sustinere non potuisse: adeo vt vna ex parte à Sueuis circiter millia passuum DC. Cæsaris æuo vacare dicta fuerint.

Dè iisdem vetustis Sueuis Tacitus narrat, id olim insigne gentis fuisse, obliquare crinem nodoque substringere. Sic Sueuorum ingenuos à seruis separatos: vulgus comam in ipso solo vertice religasse: principes ornatiorè habuisse. Addit stato tempore in syluam auguriis patrum & prisca formidine sacram à diuersis Germaniæ populis legationes coiuisse, cæsoque in denso & tenebricoso nemore publicè homine, celebrasse barbari ritus horrenda primordia. Sed & aliam luco fuisse reuerentiam: nemini nisi vinculis ligato ingredi licuisse, vt minori, & potestatem numinis præ se ferenti. Si quis forte prolapsus fuerit, attolli aut insurgere haud fuisse licitum, per humum euolui solitum, eoque omnem respexisse superstitionem, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium DEVS, cætera subiecta atque parentia. Partem Sueuorum, in multas enim fundebantur nationes, Isidem coluisse memoriæ proditum est. Posterioribus temporibus Romani Sueuos ad obsequium & amicitiam pellicere, quam dubio bello petere maluerunt: estque iis à nonnullis Principibus Romanorum is habitus honor, vt primi vocarentur ad arma, & primo loco ante omnes nationes in acie collocarentur.

11. Bauaros à Boiis descendisse Polybius auctor est, qui eos in mapalibus casisque temere structis, sparsim ac sine munimentis habitasse scribit, solitos viuere lacticiniis & carnibus, deditos bello ac laboribus. Vitam eos rudem egisse, destitutos omnibus artibus ac scientiis. Diuitias eorum constitisse in auro & pecudibus, quod hæ res facile de loco in locum transferri possent, si quod frequenter accidebat, mutanda foret habitatio. Vnumquemque quam maximum amicorum clientumque sibi quæsiuisse numerum, fuisseque illum iudicatum quam honoratissimum, qui quam plurimos sibi obnoxios deuotosque haberet homines.

MORES GERMANORVM NOSTRI temporis.

12. NOSTRO æuo omnes Germani diuiduntur in quatuor genera siue Ordines. Primus est Clericorum siue hominum Ecclesiasticorum, tam secularium (vt loqui cogimur) quam religiosorum. Hi amplissimis fruuntur possessionibus ac redditibus, magnusque iis vbique habetur honor, si sint docti, viuantque honestè. Hæc enim gens, nescio quomodo, extremè contemnit ecclesiasticos, siue ij clerici sint siue Ecclesiarum ministri, qui ruditatem & inscitiam cum dissoluta vita coniungunt. Religiosi vestiti incedũt, vt vitæ genus eorum exigit. Sacerdotes, qui nullum Ordinem Monasticum profitentur, togis laxis longisq; vtuntur, coloris nigerrimi: pileos gestant non acuminatos, sed latos depressosque, quibus ob angustiam vix verticem tegunt, cum olim amplioribus vterentur, quos ad aures vsque tecto occipitio attraherent. Incedentes per plateas non eodem modo amicti sunt, quo vtuntur cum ad sacra officia eunt, sed palliis teguntur ferè laneis, aliqui etiam sericis. Calceis aut crepidis, aut vtrisque simul, illis in has insertis, pedes eorum muniuntur. Cætero corpore habitu vulgari conspiciuntur. Maxima eorum pars ocium sectantur, nec multum solliciti fuerunt patrum æuo de litteris artibusq; ingenuis, sed festiuitatibus, compotationibus ac ludis dediti fuerunt, quæ tamen nostra tempestate ex parte correcta sunt.

Secundus Ordo est Nobilium, in quibus cõprehenduntur ipsi Principes, Comites, Barones, vniuersusque Ordo Equestris. Principum summa est auctoritas, non tam ob antiquitatem generis aut splẽdorem maiorum, quam ob potentiam,

tiam quod magna possideant terrarum spacia, immanesq; percipiant redditus. Miyantur exteri nec satis capiunt, quomodo fiat, cum Principes cæterique Illustri genere nati obædiant mandatis Imperatoris, cuius se Vasallos & beneficiarios profiteri non erubescunt: ij tamen qui ex inferiore nobilitate sunt, imperata vix faciant, neque ad bellum iussi proficiscantur, nisi certis deliniri stipendiis: profitentes interim Cæsarem Dominum Principemque suum. Inualuit apud prisci æui nobiles, duratque adhuc hic mos, vt non parum fædari atque labefactari nobilitatem suam credant, si opificium aut artem aliquam mechanicam tractarent, aut mercaturam exercerent: multo vero magis si quis vxorem duceret plebeio genere natam. Contemnunt fere habitationes in vrbibus aut oppidis, maluntque ruri cum familia viuere, & libertate sua gaudere: quo fine in pagis castella ac domos munitas sibi extruunt. Multi tamen ex nobilitate sectantur aulas Principum, quib. ministrant, eosque sequuntur in bellum: cæteri domi desident, viuentes ex vectigalibus fructibusque suis.

In vniuersum omnes (vt & olim) dediti sunt aucupio & venationibus, dicentes hoc exercitii genus non conuenire vulgo sed nobilibus, peculiari quodam priuilegio principum. Hinc inoleuit atrox consuetudo, vt rusticis, qui venationi ceruorum, hinnulorum, Damarum, caprearum, Aprorum operam dedisse conuicti sunt, alicubi frons cauterio inuratur, vel oculi eruantur, alibi etiam in crucem agantur. De bestiis tamen noxiis alia ratio est, quas promiscue cædere fas est. Porro nobiles plerique opipare viuunt, & splendide vestiuntur: tam viri quam fæminæ torques gestant & monilia, armillasque, auro facta omnia, cum gemmis insuper ac margaritis: vtentes fere habitu è filis sericis, diuersicoloribus. Prodeuntes in publicum, non soli incedunt, sed trahentes post se agmen seruorum aut domesticorum singularem in ingressu ostentantes grauitatem, vt vel hinc eos à plebe distinguere possis. Sister aliquo faciendum est, continuo equos conscendunt: non parum dignitatem suam lædi existimantes, si pedites incederent, quod hoc signum sit paupertatis & miseriarum. Et, quod iure mireris, hi homines, qui tam tenaces sunt iuris honorisque sui, non erubescunt, cum necessitate aliqua premuntur, latrocinari & rapere in viis publicis, excussis mercatorum loculamentis. Affecti iniuria aliqua, ratissime jure contra offendentem experiuntur, sed coacto quantum possunt equitum numero, armis se vlciscuntur, agentes & ferentes inimicorum bona, ferro & igne in eorum sæuientes subiectos ac clientes, donec cogant aduersarium satisfacere de iniuriis. Plerique supe bi sunt, feroces, quietis impatientes, opprimentes vulgus rusticum seruitute & exactionibus.

Tertius ordo est ciuium in Vrbibus oppidisque, quorum alia quidem immediate parent Imperatori, nec alium recognoscunt dominum: alia subsunt Principibus aut ordini Ecclesiastico. Magna autem est ciuium in oppidis cõcordia & amicitia, viuuntque inter se honeste ac pacifice, exercentes mercimonia vel publice vel priuatim, incumbentes artibus alij opificiisque suis. Crebro autem conuiuia agitant, diebus præsertim festis. Nocere alteri aut circumscribere vicinum, res est inter eos rara. Obuiantes sibi in plateis, perofficiose se salutant. In vestitu honestati magis quam superfluitati student, vt & in victu, magnum vectigal statuentes in parsimonia: At vero diebus festis, vt diximus, inuitant se hilarius. Cerdones & helotæ, cæterique operarij ter aut quater in die cibum sumunt: sed qui vitam quietam degunt, tantum bis. Vestitus communiter fæminis virisque è lana & lino, tenuioribus trilici, quanquam peregrini cum fastu deliciisque iam etiam precioſiores vestes damno gentis inuexerint. In exequiis suorum pullum sumunt amictum, quem cum luctu fere ponunt post vnum alterumque mensem: Honoratiores & fæminæ diutius lugent. Student antiquitus Germani præ cæteris cultui diuino, vt ne seruus quidem aut opifex operi manum applicet, nisi recitatis precibus.

Vidit patrum nostrorum ætas vagantes per pagos & oppida adolescentes quosdam, qui amore discendarum litterarum & artium (vt ipsi quidem profitebantur) vltro à patria exules, errabundi per orbem discurrebant, magna sane multitudine, viuentes ex eo quod mendicando collegerant. His simpliciores è ciuibus domicilium non inuidebant, ipsi porro stipem ostiatim rogantes cantillantesque profligabant inediam. Sed hi errones iam aut nulli sunt, aut rari admodum, extructis vbique fere Scholis statisque seminariis, in quibus liberalitate superiorum gratis aluntur, qui cum re tenuiori sunt pueri, & magistris præceptoribusque numerantur didactra è publico.

Opulentiorum ædificia fere è lapide sunt, cæmento coagmentata: pauperiores è ligno extruunt sibi domicilia, argilla limoue illitis parietum cratibus. In oppidis tecta fere sunt è tegulis imbricibusque, aut alicubi è lapide fossili in laminas fisso. Vbi harum rerum copia non est, asserculis reguntur.

Quartus siue vltimus Ordo est Plebis rusticanæ, qui in pagis villisq; habitant, colentes agros vineasque: quorum sanè miserabilis est conditio. Alicubi iunctim, pluribus tamẽ in locis sparsim degunt, casis minime contiguis, vitam ferè in paupertate consumentes, (quanquam non est dissimulandum multum hic deprehendi differentiæ) Panis eorum ex secale aut ordeo, alicubi etiam ex auena. Cibus potissimum debetur pisis fabisq; aut cæteris leguminibus: vt & pulti è farina, & cauli brassicæque capitatæ. Potus est vel aqua fontana, vel tenuis cerevisia, præsertim in locis vitibus destitutis. Amictus eorum ferè è lino aut Cannabe trilici, vel corio, raro è lana.

Num-

Nunquam requies est huic calamitoso generi, in diurno nocturnoque versantur labore, ferentes omnia quæ acquirunt in vicina oppida vt vendant, cuiusmodi sunt fruges fructusque arborij, alites, pecudes, herbæ, olera, & quæcunque è re pecuaria percipiuntur. Argentum inde confectum, si quid à cõtributionibus reliquum est, in res necessarias, puta vestes, calceos, vtensilia, instrumenta rustica impendunt, carêres ipsi domi fabris opificibusque. Diebus festis hilariter agunt. A prandio enim populariter conueniunt sub patula quadam arbore, aut in loco publico, vbi de rebus communitatis consultant. Dimisso senatu iuniores ad sonum vtriculi aut prælongæ tibiæ choreas agitant, tanto impetu, vt furere credantur: grandiores natu in tabernam vinariam aut cereuisiariam irrumpunt, vbi vsque ad ebrietatem & vomitum potatur. Viri raro sine armis iter faciunt, vt si vsus exigat, parati sint ad defensionem. Atteruntur frequenter operibus publicis à superioribus, pro quibus nihil mercedis eis numeratur, cuiusmodi sunt arare agros, facere sementem, colligere & excutere fruges, secare ligna, ministrare materias ædificantibus: Et vt verbo dicam non est vllum seruitutis genus, ad quod non obligatum dicant hoc genus superiores eorum. Hæc in genere de Germanorum moribus dixisse sufficiat. Videamus iam sigillatim quasdam nationes, & in quibus rebus à cæteris differant.

13. De Saxonibus vetus verbum est, eos tam enormiter bibere, vt qui ministrant admensam, vix satis infundere possint exhaurientibus. Superiori æuo ponebatur cupa aut aliud vas capacius in mensa, vnde hauriebat quiuis quantum volebat: quin & cogebant se inuicem ad potandum: adeo dediti erant ebrietati. Parum ijs videbatur, dies integros potando consumere, nisi etiam noctes adiungerent. Qui plurimum bibebat, plurimum auferebat gloriæ & honoris, coronatus insuper serto è rosis aliisque herbis fragrantibus in præmium victoriæ. Hic autem mos prope totam obtinebat Germaniã: quanquam profecto nostra ætate omnia sunt mitiora. Cænantibus iis, vel potius compotantibus si quis prætereat exors symboli, quotquot habent vitra plena, porrigunt ei ad bibendum, nec fas est ei recusare bona eorum gratia. Bibitur & quandoque in absentium sanitatem & salutem, nec video, quo pacto se excusaturus sit, qui id facere renuat. Qui non respondeat præbibenti, aut causas idoneas afferat necesse est; aut pro inimico habebitur, mirumque nisi vapulabit. Cibus Saxonum cæterorumque Aquilonarium Germanorum durus est, crudus fere ac difficilis digestionis, nisi ipsi sint qui edant. Laridum, botuli, lucanicæ non coctæ, sed fumo indutatæ, petasones, & intestanea animalium: cæpæ insuper crudæ & butyri saliti quotidianus vsus. Alicubi moris est, vt die Dominico coquãt, quantum eis in totam sufficiat septimanam. Infantes non pulte aut lacticiniis tenuiter alunt, sed cibis solitis, à matre aut nutrice præmansis, vnde Saxonibus ex hoc nutrimento maius fere quam cæteris robur corporis, maiorque in vitæ incommoditatibus patientia. Lingua aliquantum, habitu ac consuetudine ferme nihil differunt à Germanis superioribus. Pars Saxonum sunt Westphali, illis prope per omnia similes, boni milites, sed ingeniosiores.

Franci Orientales neque corporum habitu aut specie neque Vestitus genere à cæteris Germanis differunt. Gens laboriosa, in qua viri pariter fœminæque colendis assiduè incumbunt vineis, vbi nulli ocioso esse permittitur. Pressi paupertate vendunt vinum, ipsi contemta cereuisia frigidam bibunt. Notata fuit ab antiquo hæc gens insolentiæ, quod Franci multum sibi ipsis tribuerint spretis aliis nationibus: accusantur & in hospitalitatis nomine, adeo, vt peregrini qui ad eos commeant, profiteri patriam suam vix audeant, aut id cum periculo faciant. At qui eorum perpeti possunt gloriationes & arrogantiam, comiter habentur, vt & ad fœdera eos admittant, & ad filiarum aut consanguinearum matrimonia. Cum autem latrociniorum & blasphemiæ nota iis vulgo inuratur; deuotio tamen vel, si mauis, superstitio eorum commendatur, cuius rei exempla delectandi lectoris gratia adducemus.

Quinque septimanis proximis ante festum Natalitiorum Christi, singulis diebus Iouis videntur tam pueri quam puellæ per oppida discurrere, pulsantes ostia domiciliorum, cantillantesque hymnos, quibus appropinquare solenne istud festum innuunt, & bene precantes domesticis: ipsi vicissim recipiunt Xeniola, poma, pira, nuces, aut nummulos argenteos. Ipso Christi natali simulacrum infantis recens nati, in cunis positi, super altare destituunt, circum quod pueri puellæque in orbem saltant plaudunteque, maioribus natu accinentibus. Kalendis Ianuarij sub noui anni auspicia necessarij agnatique se mutua salute impertiunt, porrectisque dexteris felicem anni decursum sibi inuicem precantur: totum autem illum diem epulando & exultando transigunt, mittentes more maiorum suorũ alij aliis strenas atque Xenia.

Festo Epiphaniæ in vnaquaque domo grandis coquitur placenta è farina triticea, melle, pipere aliisque condimentis: quo facto creatur Rex ad hunc modum. Mater familiæ placentam ipsa conficit, in quam, dum depsit subigitque, abscondit nummum argenteum. Hanc vbi satis mundè quidem coxit, in tot particulas cultro diuidit, quot sunt in domo capita, seruatis tribus frustulis extra ordinem. Primum assignatur seruatori nostro: alterum Virgini Matri: tertium tribus Magis, qui Christum primi ex gentibus adorauerunt: & hæ quidem particulæ dantur pauperibus: cæteræ manducantur à familia. Is cui obuenit id fragmentum, in quo delitescit nummus, salutatur Rex, collocatur in solio, eleuatur tribus vicibus à terra, lætis acclamationibus eum prosequentibus cæteris omnibus.

Rex dum ad hunc modum attollitur, cretam dextera tenet, qua ad singulos saltus crucem pingit in laqueari illius conclauis, in quo conuenitur. Duodecim illis intermediis diebus, qui inter Natalitia Domini & Festum Regum (vt appellatur vulgo) intercedunt, omnes domus per totam Franconiam thure aliisque incensis odoratis perfumigantur, adarcendas mulieres veneficas. Initio Quadragesimæ Franci discurrunt per plateas personati, Satyrorum aut Diabolorum habitu, percutientes sine discrimine eos qui prætereunt sacculis oblongis, repletis cinere. Ipso Cinerum die aliud furoris genus exercent.

Adolescentes è diuersis locis, quotquot ad vnam Patræciam pertinent, magno numero cõueniunt, apprehensasque omnes puellas, quæ eo anno Choreis & saltationibus frequentiores quam cæteræ interfuerunt, loris colligatas ad currum trahendum iungunt, velut equas aut iumenta. Currui insidet auletes siue Vtricularius, qui quantum potest sonitum ciet. Hoc schemate pueri agunt eas ad proximam, quæ se offert, aquam.

Rogationum septimana pueri puellæque è multis villis magno numero in vnum aliquem locum confluunt, & longo ordine incedunt, reuincti tẽpora corollis floreis, ramos è viridi salice manibus præferentes. Sequuntur Sacerdotes, & quilibet diligenter ad suorum cantum attendit: qui cæteris ceciderunt concinnius, laudantur publicè, & pocillum vini pro præmio accipiunt. Durante festo Pentecostes, non in Francorum tantum terra, sed & per alias multas Germaniæ prouincias mos inoleuit, vti omnes, quotquot equos vel ipsi alunt vel conductitiis vtuntur conueniant, certoque ordine ad sacerdotem aliquem adequitent, quo assumto ita equis per totum territorium ferantur, cantantes hymnos sacrasque cantiones, quibus Deo supplicant, vt fruges custodiat. Vrbani die festo vinitores mensam ponunt in loco publico, eamque sternunt candida mappa, insperfis odoratis floribus, herbis atque foliis, inque medio constituunt simulacrum Vrbani. Quod si dies sit clara & serena, indulgent poculis & hilaritati, in honorem, vt aiunt, illius Diui. Sin cœlum nubibus operiatur aut pluat, coniiciunt stercus in statuam, perspergunt que aqua sordidata, vt Vrbanus, & mappa, & mensa, & quicquid præterea adest, fædis modis conspurcetur, onerato insuper maledictis Episcopi simulacro. Causam huius rei crediderim, quod circa illius festi tempus vineæ florent, quarum prouentus speratur maior vel minor pro serenitate aut obscænitate tempestatis.

Festo S. Iohannis Baptistæ ignis publicè excitatur, circa quem viri fœminæq; ad lassitudinem vsque saliunt, ferentes capitibus corollas ex artemisia & verbena herbis, ferentes fasciculos florum cæruleorum quos Consolida Regia profert, per quorum patentes commissuras subinde ignem adspiciunt, hac ratione se immunes toto anno fore rati ab oculorum malis dolorib̃usque. Qui discedere cupiunt antequam ignis extinguatur, corollas, serta fasciculosque in ignẽ coniiciunt, addita hac precula: sic comburantur & in nihilum redigantur omnia mea infortunia. In pagis villisque adolescentes rusticani ad matrimonium adspirantes hunc seruant morem. Arborem pinum rectissimæ proceritatis ab stirpe desectam deglubunt, ramisque omnibus nudant, præterquam ab summo fastigio, quod speculis, poculis vitreis, ligulis coriaciis, aliisque crepundiis appensis exornant. Hanc arborem ita comtam terræ ab ima parte firmiter infigunt: & qui sunt agiliores, omni studio in summum erepere nituntur, vt aliquod anathema auferant: quod si cõtingit iis, in magna glorię parte ponunt. Ipsa pinus toto anno ita defixa perstat.

Autumno maturitatem vuarum pollicente, non est fas cuiquam vindemiare nisi permissu domini aut eorum, quibus debentur decimæ. Describitur autem quicquid est Vinearum certis quibusdam spaciis velut limitibus, atque ita ordine leguntur uvæ, primo in vallibus, deinde in acclivi parte collium. Quod si qui velint tardius vinum demere, ij huius rei permissionem impetrent, necesse est: deinde vt suis sumtibus decimas deferant ad torcular Principis. Vindemia peracta, Herbipoli moris est, vt iuuenes, quibus obseruatio decimarum commissa est, è paleis stramentisque faces contexant, ijsque incensis cantantes ita ingrediantur ciuitatem, dicentes hac se ratione Auctumni impuritatem purgare atque exurere. Duos autem ex omni diuorum numero præcipue colunt Franci, Martinum & Nicolaum: hunc quidem in templo ad aras precando, illum verò in Cauponis ad mensam pergræcando. Tunc etiam ludi & venationes eduntur, conclusis intra caueam duobus ferocissimis apris, vt concitati infestis dentibus mutuisque se conficiant vulneribus: vnde pars aliqua cedit populo, reliquum magistratibus. Die S. Nicolai, pueri qui ludos litterarios frequentant, tres ex omni numero eligunt: vnum vocant Episcopum, Cæteros eius Diaconos. Hic Episcopus fictitius deducitur eodem die per Cæteros pueros ad Templum, indutus habitu pontificali, atque hoc schemate adstat diuinis officiis, quibus peractis, ipse cum suis Diaconis, sequentibus nonnullis pueris velut Acoluthis, de domo ad domum cantillantes circumeunt, colligentes aliquantum argenti: pernegant autem, has esse Eleemosynas, sed suppetias ex charitate profectas Episcopo debitas. Assuefiunt autem & pueri infantes ad ieiunandum Vigilia S. Nicolai; vtque id faciant lubentius, inicitur clam & illis dormientibus puerile aliquod donatiuum in calceolos eorum à parentibus, Diui illius liberalitati id acceptum ferentibus: quæ res tantum ieiunandi in pueris ardorem excitat, vt ad sumendum cibum eos compellere necesse sit.

De Sueuis post Francos aliquid dicemus. Qui inter Sueuos diuiores sunt & ampliore cum re, pro-

propè omnes mercaturæ addicti sunt: quo fine vnum velut ærarium commune instituũt, sciẽte vnoquoque, quantum æris in id inferre debeat. Hoc argento mercantur non solum telas sericas, aromata cæteraque maioris momenti mercimonia: sed & crepundia, pupas & eius generis minutias: præterea vinum frumentumque, vt vili precio emta, expectato oportuno tempore magno diuendant. Alicubi & accipiunt litteras à Principibus, quibus monopoliorum iura eis permittuntur, ne quis alibi frumentũ vinumq; mercari possit, quam in iis ipsis locis, vbi illi exercent sua mercimonia, quod de Stargardia accepimus, vbi horrea ac conditoria publica habent. Non quidem ipsi per se negotiationi operam dant: Sed habent suos quæstores ac seruos rationales, qui absentium res procurant. Nullum apud eos opificium plus exercetur, quam telæ lineæ; vt hyemis tempore ad colum fusumque assidere videas non solas mulieres & puellas, verum etiam viros iuuenesque. Texitur apud eos ingens copia telæ mixtæ, vbi stamen è lino est, subtegmen è gossipio, nec non cannabinæ materiæ.

Ad res Venereas præcipue Sueuorum gens procliuis vulgo dicitur, fœminis non minus libidinosis & ad vota virorum facilibus, vt hoc in prouerbium abierit, solam Sueuiam satis meretricularum suppeditare posse toti Germaniæ.

Bauarorum gens minus compta est, incultior ac rudior cæteris fere Germanis, quibus cum si conferantur Bauari, barbari propemodum dici possint, quanquam hæc quidem innoxia barbaries dici possit, si cum cæteris, quorum nomine accusantur, conferatur viciis, inhospitalitatis scilicet & furti. Vulgus cæruleo siue blauo colore in amictu gaudet, videasque eos ocreis potius quam vllo alio calceamenti genere vti, tam viros quam fœminas. Deuoti tamen sunt præ aliis gentibus, vt multoties longinquas peregrinationes religionis gratia suscipiant, Aquisgranũ, ad Belgas, Italosque & alios.

Archiduces Austriæ Carinthiæ quoque ducatum obtinere notum est. Huius possessionem cum primum adit princeps, antiquitus hæ obseruantur ceremoniæ. Haud procul à S. Viti oppido patens & profunda vallis est, vbi visuntur rudera oppidi vetusti, cuius nomen ignoratur. haud longe à ruinis illis abest pratum commendatæ amœnitatis, in cuius medio assurgit petra marmorea. Hanc insistit rusticus, cuius familia ab antiquo hoc velut gaudet priuilegio, per successionem ad posteros deriuato. Huic adstat ad dextram bos nigra, fœta, & ad sinistram iumentum macie deforme, & circum ipsum ingens rusticorum turba. Huc accedit Dux stipatus longo nobilium illustriumque virorum agmine, cui præferuntur ornamenta & vestes ac signa Ducalia: equites qui ipsum comitantur, splendidissimè ornati incedunt. Princeps verò ipse habitu simplici conspicitur, veste amictus rustica, vili laerna, pileo calceisque detritis, pedum pastorale manibus ferens: vt facilius opinionem quam Principem diceres. Qui insistit saxo, accedere videns principem, alta voce exclamat: ecquis iste est qui tam superbe ingreditur? Respondet multitudo adstantium: Principem Dominumque esse totius illius regionis. Hinc pergit quærere rusticus: sit ne futurus iustus in suis iudiciis? sitne amator pacis ac tranquillitatis publicæ? sitne ipsi curæ cordique futura salus patriæ? sitne ingenuus & liberæ conditionis? sitne illustri creatus prosapia? sitne vir fortis & virtuosus, qui suo merito ad hoc fastigium euehi debeat? sitne obseruaturus mandata Dei, vt bonum & Catholicum Christianum deceat? postremo sitne defensor futurus libertatis Ecclesiasticæ? Ad hæc omnia ac singula respondet circumstans populi multitudo: vtique talem esse atque fore. Postea is qui insistit petræ, pergit interrogare: quibus rationibus aut mediis mihi persuadebit, vt ab hoc saxo descendam? Ibi magister aulæ Principis siue futuri Ducis respondet: hic locus cui insistis emetur à te sexaginta argenteis crassoribus: animalia illa tibi cedent: Vestis qua Princeps vtitur, tibi dabitur: præterea tu & tota tua familia eritis liberi ac immunes ab omnibus vectigalibus, contributionibus seruitiis atque grauaminibus.

His auditis rusticus leniter percutit seu potius demulcet genam principis, admonensque, vt in exercendis iudiciis studeat iustitiæ, descendit de saxo; acceptisque quæ aulæ principalis magister cum ipso pactus fuerat, domum se confert. Ibi Princeps conscendit ipse petram, ereptoque vagina gladio cõuertit se in omnes partes, affatusque populum adstantem pollicetur, functurum se officio boni principis, & obseruaturum ius atque æquitatem.

His adiungunt alij, afferri ipsi aquam fontanam in pileo rusticano, de qua ipsum pauxillum bibere necesse sit, in signum futuræ sobrietatis. Hinc toto agmine itur ad vicinam ædem, quæ Diuæ Virgini Matri dedicata est, & Dux ipse cum omni suo comitatu interest sacro officio, donec sit finis ceremoniarum, quibus absolutis Princeps depositò amictu rusticano sumit insignia ac vestimenta Ducalia, & epulatur splendidissimè cum nobilibus illius regionis.

Finito prandio reditur ad illud pratum, & Dux sedens pro tribunali, audit litigantium querelas, dicitque ius vnicuique, recipitque iuramentum fidelitatis tam à beneficiariis clientibusque quam subiectis. Contigit autem hoc priuilegium conferendi principatum rusticis, quia ipsi primi fuerunt in hac Germaniæ ora, qui doctrinam Euangelij receperunt.

Sunt quidam scriptores, qui mira referunt de hac ipsa Carinthiæ regione: esse ibi ciuitatem, Klagen dictam à Germanis, olim fuisse Claudiam, in qua consuetudo inoleuerit furibus admodum formidabilis. Nam si quis de commisso furto suspectus sit, eum sine mora corripi, & de patibulo suspendi: postea conuenire iudices, & disceptari causam, fueritne reus furti an non. quod si innocens deprehensus fuerit, deponi

illum à cruce, & honestè sepeliri, factis impensis funeris ex publico ciuitatis ærario. Quod si criminis affinis iudicatus fuerit, relinquitur corpus eius in infelici arbore, donec tabe ac tempore solutum membratim defluat. Hæc quidem Sebastianus Munsterus habet, & ex eo Gallus noster: sed quod pace vtriusque dixerim, fabula est & merum scomma, negantib. ita se habere non tantum ciuibus & inquilinis, sed & peregrinis eo frequenter commeantibus.

Amictus Carinthiorum est è lana nativa nullo colore tincta, pendente à tergo cucullo, velut in monachorum togis apparet. Styrij autem vicini eorum rudiores etiam ac simpliciores iudicantur, in quibus permulti sunt, tam grandibus strumis circa guttur deformes, vt eos in loquela impediant. Vtraque gens in multis rebus cæteris Germanis est similis, etiam in sermone, exceptis iis qui vltra Drauum amnem versus meridiem habitant; hi enim Illyrica loquuntur lingua.

Ne ipsi Bohemi quidem Germanice loquuntur, sed Sclauorum vtuntur lingua, vt Rhuteni Polonique, variante tantum Idiomate. In oppidis tamen in frequentiori vsu est lingua Alemannorum, præsertim apud homines elegantiores, & in publicis concionibus. De hac gente scribunt quidam, eam nullis certis legibus, quibus ad virtutis semitam ducerentur, alligatam fuisse, sed suam vnicuique voluntatem pro lege seruiisse. Ipsi Bohemi, vt cæteri Germani, fere grandi sunt corpore, obesiores ac ventriosi, crispo capillitio, præterea ambitiosi, iactabundi, contemtores aliorum. In cæteris rebus non multum differunt à Germanis vicinis suis.

Vnum hoc addam: in vniuersum omnes Germaniæ populos naturæ quodam ductu ad honestatem & æquitatem propendere: & profectò si verum fateri volumus, dicemus eos potius natos ad candorem & simplicitatem, quam fraudes & astutiam, cuius ne capaces quidem esse videntur. Cæterum cum in regiones exteras venerunt, facilius iis est alios decipere, quod nemo tale quicquam de iis suspicetur. De prisca castitate ita habet: laudari illam magis in ista natione quam obseruari. Inebriari (dummodo id non continuo aut singulis prope diebus fiat) apud eos grande vicium non habetur: quin & hoc insuper addunt, homines malitiosos & fraudulentos abstinentiam vini inuexisse, veritos, ne si ebrij sint, per imprudentiam aut simplicitatem cogitata proferant scelera.

DIVITIÆ GERMANIÆ.

14. Fieri non potest, quin Germania affluat diuitiis abundetque, cùm in ea tot inueniantur argentifodinæ, cæterorumque metallorum eruatur copia, vt nulla Europæ prouincia cum ea hac in re conferri iure possit, quam ne auro quidem destitui certum est. Accedit fertilitas soli, quod omnium bonarum rerum ferax raro eludit spē colonorum: vt & mercimoniorum frequentia, cum constet, Germanos plus deditos esse negotiationi quam vllam aliam gentem. Artifices insuper omnibus temporibus aluit ingeniosissimos, quorum opera spectatu dignissima ad exteros exportata iis semper admirationi fuerunt. Est & aliud naturæ beneficium huic Europæ parti collatum, magnus numerus fluuiorum nauigabilium, quorum in transportandis de loco in locum mercimoniis mira est commoditas. Vbi remotior est ab oceano, prospectum est ei de salsarum aquarum perennibus fontibus, quibus excoctis salem conficiunt præstantissimum. Quid dicam de generosis vinis quæ gignit Germania, quæ ad exteras gentes delata magno venduntur precio, vnde nō parua auri vis quotannis ad eos redit. Quin & nundinæ consideratione dignæ sunt, inprimis Francofurtenses quotannis geminæ, quo ex vniuersa Europa homines confluunt, nonnunquā etiam ex Asia & Africa? Alsatia multum pecuniæ acquirit ex argento, cupro, plumbo quod ibi effoditur: Francorum terra è vino & glycyrrhiza, quæ totis plaustris nauigiisque ad exteros auehitur: Palatinatus è vino præstantissimo & frumento optimo, Bohemia rem facit è metallis, ordeo, armentis: Morauia ex incensis & odoramentis: Bauaria è pinguibus porcis, qui per multas Europæ prouincias diuenduntur: nec ex his solum, sed & ex fructib. arboreis, frumento, sale è fontibus excocto, itemque ex cupro atque ferro, quod Danubij beneficio longè lateque extra Germaniam exportatur. Austriæ mira fertilitas croco fit laudatior, & Tyrolensis comitatus copia argenti fodinarum. Iuliacensis ducatus è Glasto herba nummos conficit: Hassia è metallis, lana & pecore, vt & salis magna quantitate. Turingiam diuitem facit Isatis herba tinctoribus necessaria: Misniam argenti copia, quod diuersis in locis ibi eruitur. Et vt vno verbo multa comprehendam: non est vlla per vniuersam Europam regio, quæ opum diuitiarumque nomine cum Germania conferri queat. Argumento vel hoc sit: quod alia quam aurea aut argentea moneta hic non inueniatur, cum apud pleraſque gentes exteras cuprum orichalcumque signatum in vsu sit.

Hoc quoque non dissimulandum est, Vrbium Principumque redditus annuos miris modis creuisse, postquam bona ecclesiastica sibi vendicauerunt, & multitudinem nouis exactionibus præter veteres onerauerunt.

Vt autem de diuitiis quæ ad Imperatorem quotannis redeunt, aliquid dicam: Ciuitates Liberæ, quarum numerus hodiè ad sexaginta accedit, cum olim XC fuissent, obligantur ad numerandum duas quintas partes illius summæ, quæ Imperatori in Comitiis conferuntur. Inter has sunt quædam, quæ Imperatori peculiarem censum conferre tenentur, cuius summa ad quindecim millia florenorum adscendit. Omnes autem hæ ciuitates Imperiales quotannis amplissimos percipiunt fructus, qui multum superant expensas, vnde eas ditescere necesse est. In Vniuersum autem redditus Imperij ad septem milliones auri constituere creditur: quod quidem non

non est leuiter æstimandum, cũm populus non adeo oneribus exactionibusque oppressus sit, vt in Italia: sed magnam auri vim præter stata vectigalia conferre possit principibus suis. Imperiũ ex veteri consuetudine obligatũ est, Imperatori Romã ad sumendũ Diadema proficiscenti, suppeditare viginti millia peditum & quatuor millia equitum, in menses octo: & hæ copiæ appellantur Auxilium Romanum. Nonnunquam conferuntur Imperatori pecuniæ militesq; cum bellandũ est aduersus hæreticos, aut contra Turcas; constatq; eum hoc prætextu cõfecisse interdum quinquies centena millia florenorum. Et vt breuiter dicã, multo maiores opes ad Imperatorẽ redeunt, quam inepti quidã & ex fatui cerebri suggestione iudicãtes sibi persuadere possint. Exemplo sit, quod is ex sola Alsatia, Sueuia Rhætiaque, in qua familia Austriaca quatuordecim possidet communitates, quę horũ principũ subsunt iurisdictioni, percipit quotannis duos milliones auri cũ dimidio, si vsitata tantũ pendãtur vectigalia, & tantundẽ, si vrgentib. necessitatib. extraordinariæ imperentur contributiones.

ROBVR MILITARE GERMANORVM.

16. Antequam penitiora Germaniæ perlustremus, age consideremus, quantos exercitus superiores Imperatores è Germania contraxerint, cum cõstet, non aliunde eos fere quam ex hac colligere solere, quidquid est virium in militia. Turcis igitur cum infinitis copiis Austriam inuadentibus, & ad obsidionẽ Viennæ properantibus, constat *Carolum Quintum Cæsarem*, circiter nonaginta millia peditum, triginta equitum hostib. opposuisse, quamuis in tanto illo exercitu non pauci Itali & Hispani fuerint. *Maximilianus Secundus Imperator* maiores etiã copias contraxerat, quorum instar ad centum millia peditum, equitum triginta quinq; accedebat. Hoc in exercitu, quamuis immanis esset, annonæ cæterarumq; rerum tolerabilia fuerunt precia. Habuit autem Maximilianus castra iuxta Iauarinum oppidum in Hungaria aduersus Turcas, qui non expectato conflictu retro cesserunt. Et si verum fateri volumus, ingẽs Alemanniæ est robur militare, cum terra eorum fœcunda sit omnium rerum bonarum mater; nec difficile sit aut laboriosum vires illas contrahere, ob multitudinem fluuiorum nauigabilium, quibus tota perluitur regio.

17. Nec vana fides est eorum qui scribunt Imperium Germanicum in bellum suppeditare posse ducenta millia expeditorum militum, cuius rei testimonium exhibent ea quæ superius adduximus exempla. Præterea constat ab anno Christi MDLX ad hæc vsque tempora nunquã fere cessatum fuisse à bellis in Gallia & Belgio, quibus semper ingentes interfuere Germanorum copiæ tam pedestres quam equestres. Circa id æui vidit Gallia *Ducem Bipontinum* ingrediẽtem cum exercitu duodecies mille peditum, & octo millibus equitum, ad fouendas protestantium partes, cum contra septem millia equitum Germanorũ militarent pro Catholicis sub ductu *Aumalij Ducis & Comitis Mansfeldij*. *Gulielmus Nassouius* vero ad Flandrię Franciæque fines adduxit octo millia Germanorum equitum, peditum vero decẽ, cum contra Albæ Dux & ipse copiis Germanicis instructus esset. Quantos autem exercitus Iohannes *Casimirus, Comes Palatinus Rheni* aliquoties in Belgicam & Celticam introduxerit, circa annum MDLXXXVII & postea satis notum esse puto. In vniuersum reputanti parebit, nullum per totã Europã bellum geri aut vnquã gestum fuisse, cui non Germanorum numerosæ interfuerint copiæ, in quibus tamen non computo inferiores Germanos, quos aliquando octoginta millia armatorum contraxisse cõstat, neque Heluetios, quibus nequaquã difficile est viginti aut triginta millia peditũ in expeditionẽ mittere, quod tunc potissimum patuit, cũ principatũ Mediolanẽsem sibi defendendũ sumsissent aduersus Franciscũ primum Gallorum regem.

18. Vt autem quæ restant persequamur, optimos pedites suppeditare creduntur hæ regiones: Bauaria, Sueuia, Austria & Westfalia. Equites vero ducatus Brunsuicensis, Iuliacensis cum Cliuensi, & Francorum Orientalium. Sunt qui eos plus valere existiment machæra, bipenni, gladio & hasta longa quam bombardis.

Phalanges eorum plurimum momenti ad victoriam afferre creduntur, si in loco æquo & campestri committendum sit prælium, cum aut sustinenda est impressio, aut rumpenda hostilis acies, ad quam rem multum facit ordo cuneorũ, quibus prope à natura adsueuerunt, & gressus grauis ac lentus, armorum itẽ ratio, quibus præ aliis optimè instruũtur. Animaduersum est, eos sæpius sub exteri hominis ductu præclare ac fortiter fecisse, quam sub imperio Germani ducis. Ad repentinos insultus & oppugnationes non admodum habiles putantur, quia motus eorum tardiores, ipsi fere graues mole corporum, armorum & impedimentorum. Constantia tamen eorum in conflictibus laudatur, magis quã audacia, vt & membrorũ robur & furiosus quidam impetus. Non sunt ostentatores magnanimitatis, neq; verborum iactatores, poriti autem victoria, immaniter sæuiunt in aduersam partẽ, nullo obseruato ætatis aut sexus discrimine. Obsessi non diu ferunt obsidionis molestiam, sed ad compositionem descendunt: in castris itidem & sub dio facile capiuntur tædio, nec possunt adduci, vt ad frangendum hostem tempus trahant. Si primus eorum impetus infeliciter cedat, velut attoniti obstupescunt, nec ictum repetunt: & si ipsos vinci inque fugam coniici contingat, laxatos ruptosque ordines non facile restituunt.

Exercitus Germanorum plerumque maximis sumtibus contrahuntur, multisq; impedimentis tardantur, cum fœminarum seruitiorumq; agmina post se trahant, vnde commeatus inutiliter absumitur, quo fit vt huiusmodi copiæ magna difficultate colligantur, maiore vero conseruentur, cum vel pueri nouerint, in defectu alimoniæ frustra laudabilem sperari belli euentum.

Equi eorum robusti magis sunt quàm animosi, quod inde contingere putatur, quod è decem equis, quos in bellum ductant, septem vel octo ab agricultura aut trahendis oneribus accersantur, vnde minus habiles sunt, parumque dicto audientes, conspecto autem cruore ferè fathiscunt, cum equi Hispanici inde audaciam animosque sumant. Et vt Verbo dicam, communis sententia est, peditatum Germanorum plus valere in bello quàm equitatum.

19. Nec minores sunt eorum vires in marinis bellis quàm terrestribus, quanquam rarius illis vtantur. Non desunt tamen Vrbes, quarum nonnullæ centum, aliæ centum & quinquaginta naues possident, quibus freti maritimi Germani Danorum Suecorumque Regibus aliquãdo bellum inferre ausi fuerunt. Vnde cuiuis planum fit, tantam esse Germaniæ potentiam, vt si vnanimi consensu vires iungat, vinci ab nullo hoste vnquam possit. Accedunt ad hoc robur militare exterorum auxilia, Principum Italiæ, Allobrogum, & Lotharingiæ ducis: hi enim fere nunquam desunt Imperatoribus in necessitate constitutis. In bello ad Sigethum *Emanuel Allobrogum Taurinorumque Princeps* Cæsari submisit sexcentos equites sclopetarios: *Cosmus* autẽ *Florentiæ Dux* tria millia peditum mercenariorum: *Alfonsus Secundus Ferrariæ Dux* ipse in id bellum profectus quingentos equites adduxit eleganter & splendide armatos. *Gulielmus Mantuæ Princeps* & ipse cum pedestribus copiis adfuit; nec mi nus *Henricus Guisius* cum lectissima trecentorum nobilium turma. His igitur auxiliis cũ iis copiis quas Pius Papa submiserat coniunctis, exercitus *Maximiliani II. Imperat.* (cui Imperiũ in comitiis Augustæ anno MDLXVI decreuerat quadraginta millia peditum, octo equitum in octo mẽses, & viginti millia peditum, equitum quatuor in tres annos proximè sequentes) is, inquam, exercitus ascenderit ad summam centum millium peditum, & triginta millia equitum, qui omnes sub signis in acie stetere, in quo numero non cõputantur ij, qui in Vrbibus ac munimentis in præsidio collocati fuerunt.

20. Duæ tamẽ res sunt, quas in eo Imperio tantisque virib. desiderare iure possis. Prior est animorũ concordia, altera promptitudo ad expeditiones. *Discordia* inter Germanos vel potius *Diffidentia* multis causis accepta ferenda est. Nã & Vrbes Liberæ nõ nimis fidũt vicinis principibus, quorum semper iis est suspecta potentia: & dissidium in causa Religionis aliorũ ab aliis alienat mẽtes, vt non tantum Catholicis semper pugnandũ sit cum aduersa parte, sed & ij, qui hæreseos nomine accusantur, capitalibus inter se dissideant inimicitiis, vt Lutherani pessime oderint Caluinistas, & hi illos vicissim, vt iã de aliis taceamus. Et hęc est causa, ob quam tã frigide & infrequentes ad comitia veniant ipsi principes: & si quando conuenerunt, plus temporis insumunt in diiudicandas controuersias religiosas, quam considerationem & curam boni publici.

Promptitudo etiam desideratur: quod multum tẽporis requiratur ad cogenda comitia, sine quibus nihil in Reipublica effici potest: acciditq; interdum, vt tres menses intercedant inter primã comitiorum indictionem ipsumq; conuentum; quodq; dererius est, vbi conuenitur, extrahitur tempus deliberando, cõtradicendo, altercando, dum suam quisque adstruere nititur opinionem: & si quid conclusum est, tardè admodũ executioni mandatur, quamuis interdũ vrgens belli necessitas celeritatem requirat, & occasiones præclarè agendi in momenti spacio effluant. Accedit & aliud incommodũ, quod decreta Imperatori auxilia nunquam vna expediuntur, sed alij quidem sua mature, alij tardius mittant subsidia, vnde fit, vt illis ad castrorum locum properantibus, hi tum primum domi delectus habeãt, cui absurditati vt remedium afferret Maximilianus II. Imperator, omni ope nixus est, cum in expeditione Sigethana expertus esset, quantum noxæ afferret cunctatio ista, non quidem in submittendis militibus, sed pecuniis, quib. non minus opus habebat quam hominib. Sed Aethiopem lauare tentauerit, qui Germanos ad cõcordiam & vnitatẽ reducere se posse speruerit, aut qui aliquid cedro ac posterorũ præconio dignũ effici posse crediderit, donec illa opinionum diuersitas apud istas gentes locum obtinuerit.

Neque tamen ea quæ attulimus, à quoquam ita accipi velim, vt credat Imperatoris exiguam esse potentiam, vt inepti quidam, quib. exiguus est rerum vsus, aliis persuadere conãtur: amplissimarum enim prouinciarum est dominus, abũdat hominibus, copia insuper omnium rerum necessariarum, inprimis argẽti ad inchoandum conficiendumq; quantumuis magnum & arduũ negotium. Sola Turcici Tyranni vicinia ipsi est metuenda, inde depẽdet quicquid est molestiarum, huius enim confinia Imperij limites contingunt à Carpatho monte vsq; ad mare Adriaticum, qui & potens satis est, non debilitare solũ, sed & affligere quantumuis magnam potentiã.

Hinc etiam plerisque potentiæ Ottomannicæ vicinis principib. vsu venit, vt perpetuis exhauriantur expensis, quæ in munitiones propugnaculorum ac castrorum limitaneorum insumũt, & alenda firma præsidia, etiamsi pax intercedat: qui tamen sumtus immane quantum discrepant ab iis quos gliscens bellum exigit. Turcæ enim ea est potentia, ea in expediendis exercitibus celeritas & occasionũ captatio, vt melius armatus credatur durante pace, quã alij principes aperto bello. Vnde ij, quos tam formidabilis Vicinus contingit, semper in specula & excubiis stare necesse habent, cum nunquam nõ sit extimescendus tam validus hostis. Et quamquam inducię iam sint Imperatori Romano cum Constantinopolitano, ingentibus tamen sumtib. opus est ad defendendos fines regni Vngarici & alenda præsidia, constatque, Rudolfum II. ad viginti millia militũ perpetuo aluisse ad tuendos limites à barbarorum repentinis incursibus.

MODVS GVBERNATIONIS.

21. Septem Principũ Electorũ institutione optimi quique

quique auctores Gregorio V. P. M. acceptam ferunt. Etsi enim *Carolus Magnus* ex constitutione Pontificis ius Eligendi Cæsaris penes principes Germanos esse voluerit: eos tamen hoc vsos fuisse nullibi legimus, donec progenies Caroli durauit, cum fere semper filius succederet patri. At vero Lex Gregoriana, excluso penitus iure successionis, liberum Eligendi ius septem Principibus assignauit, quod contigit anno Christi MII. Causa autem, quâ motus Papa Imperium, quod ad eum diem hæreditarium fuerat, fecerit Electiuum, fuisse creditur, quod *Otho Tertius* liberis caruerit, quanquam & huius rei aliæ afferri possint causæ. Primò quod Imperium debile admodum & infirmum validiore aliquo videretur fulciendum tibicine, successio autem aliquando in pueros aut parum idoneos deriuaretur, cui malo per Electionem obuiari posset. Deinde, ne maiore numero Electorum, sententiarum varietati aut dissensionibus ansa præberetur, visum est intra septenarij numeri paucitatē eosdem includere.

22. Caput ergo Imperij Germanici *Imperator* est, qui sub se habet tres Ordines, qui in comitiis publicis vna de salute Reipublicæ in commune consulere solēt. Primus ordo seu primum membrum est septem Electorum, qui sunt: *Archiepiscopus Moguntinus*, Magnus per Germaniam Cancellarius, penes quem sunt Archiua, Senatusconsulta, decreta comitiorum. Secundus est *Archiepiscopus Treuirensis* Magnus Imperij per Galliam Cancellarius. Tertius *Archiepiscopus Colonienſis*, Cancellarius Imperij magnus per Italiam. *Rex Bohemiæ* Pincernæ Imperialis nomine gaudet. *Comes Palatinus Rheni* Dapiferi officium sustinet, idemque Magnū aulæ Imperatoriæ Magistrum agit. *Saxoniæ Dux* Mareschallus indigitatur, qui Imperatori gladium iustitiæ vindicem præfert. *Marchio Brandeburgicus* Magni Camerarij siue Thesaurarij Cæsaris vices gerit. Et hi sunt celebres illi septemuiri, penes quos est liberum Eligendi Imperatoris ius & axioma, ne quis posterorum vnquam hęreditariam facere illam dignitatem audeat.

Alter ordo siue membrū Imperij est virorum 23.
principum & illustrium, quorum nō est exiguus per Germaniam numerus: in his Ecclesiastici ordinis hi ferè sunt.

Archiepiscopi: Magdeburgicus, Salisburgēsis, Bremēsis, Vesontinus, Rigēsis, Pragēsis. Episcopi: Bābergensis, Wurceburgensis, Wormatiēsis, Spirensis, Argentinensis, Aichstatensis, Augustanus, Constantiensis, Hildesheimensis, Padebornensis, Curiensis, Halberstadensis, Verdensis, Monasterienſis, Osnabrugensis, Passauiensis, Frisingensis, Goricianus, Seccouiensis, Lauandinus, Basilienſis, Sedunensis, Ratisponēsis, Misnensis, Numburgicus, Mindensis, Lubecensis, Vltraiectinus, Caminensis, Suerinensis, Cameracensis, Geneuensis, Verdunensis, Lausannensis, Metensis, Tullensis, Leodicensis, Tridentinus, Brixiensis, Merseburgicus, Laubacensis, Viennensis, Brandeburgicus, Racemburgicus, Slesuicensis, Vratislauiēsis, Hauelburgensis.

PRINCIPES POLITICI.

Dux
- Austriæ
- Bauariæ.
- Saxoniæ.
- Burgundiæ.
- Iuliæ,
- Cliviæ,
- Montium,
- Brunsuicensis,
- Lotharingus.
- Bipontinus,
- Pomeraniæ.
- Megapolitanus
- Lunæburgicus

Dux
- Sileſiæ superioris,
- Sileſiæ inferioris,
- Lauenburgensis,
- Holsatiæ,
- Prußiæ
- Franciæ Orientalis
- Sueuiæ
- Burgundiæ,
- Wirtembergicus
- Lucemburgicus
- Styriæ
- Carinthiæ.

Palatinus Bauariæ.

Marchio
- Misniæ
- Brandeburgensis,
- Moraviæ
- Badensis
- Hachbergensis
- Lusatiæ

Land gravius
- Haßiæ,
- Thuringiæ
- Leuchtembergicus,
- Alsatiæ
- Susenbergicus

Princeps Anhaltinus,
Burggrauius Nuremberg:
Burggrauius Magdeburgensis.
Comes Tyrolensis, Hennebergicus.
Suarceburgicus

ABBATES, qui gaudent titulo & dignitate principum.

Fuldensis, Hersfeldensis, Campidunensis, Reichenauiensis in lacu Acronio, Sangallensis, Salfeldensis, Corbeiensis, Stabulensis. Præpositi Wissenburgensis & Elvangensis. Magister Ordinis Teuthonici, Magister Ordinis militiæ Rhodiæ.

Abbates cæteri hi fere sunt.

In Wingarten, Salmansvveiler, Kreutzlingen, Murpach, Valckenriedt, Schuttern, Minderau, ad Sanctum Blasium, Maulbrun, Schussenrid, Rittershusen, Stein ad Rhenum, Schafhusen, Waldsaxen, Einsidelen, Rackemburg, Ochsenhausen, ad D. Ægidium Norimbergæ, Nuenburgi, ad S. Maximinum in Treueris, Haveldiæ, in Gēgenbach, Fonte Regio, in Roden, Marckthal, Rockenhausen, ad S. Petrum in Nigra Sylua, Odenheim, ad S. Theodorum, Bergenhusen, Elchingē, Henslingē, Vrseniæ, Blankenburgi, Fabirani, ad S. Iohannem in Turgouia, Petershusen, Prumiæ, Prubachij, Castellæ, ad D. Emeranum Ratisponæ, ad D. Gregorium in Valle Monasterienſi, ad S. Iacobum intra Moguntiam,

guntiam, ad Monasterium Cornelij, Municherodij, Verdæ. Arunspergæ, Bruni, Echternachi, Hetuordæ, Præpositi Saletiensis, in Camberg & Berch olgaden, aliique complures.

Abbatissæ quæ præsunt Monasteriis Virginum.

In Quedlinburg, Essen, Monasterio veteri Ratisponæ, Superiore Monasterio ibidē, Kauffungæ, Seckingæ, Lindouiæ, Garnerodæ, Buchau, Rotenmunster, Gutenzell, Hippach, Bundra, & alibi.

Annumerantur his quidā Balliatus, vt vulgo vocant equitum Sacrorum Ordinis Teutonici, in Hassia, Austria, Alsatia, Ducatu Athesino, Confluentiæ.

COMITES quorum numerus non est exiguus, præcipuè hi recensentur.

In Helfenstein, Kirchberg, Wisensteig, Lauffen, Monfort, Furstenberg, Zimbern, Otingen, Sultz, Zollern, Castell, Vertheim, Rhineck, Hohenlohe, Erpach, Liningen, Falckenstein, Hanavv, Nassavv Breda, Nassau Dillemburg, Nassau Idstein, Nassau Sarbrücken & Weilpurg, Königstein, Isemburgum superius, Isenburgum inferius, Moers, Budingen, Virnēberg, Solms, Witgenstein, Seyn, Horn, Reingravij, Vinstingen, Bitsch, Salm, Veldentz, Spanheim, Dengen, Rappin, Hardeck, Schaumburg, Mansfeldt, Stolberg, Buchlingen, Barbi & Mulingen, Gleichen, Schvvarzenburg, Plauen, Witgenstein, Weda, Lovenstein, Regenstauf, Frisiæ Orientalis, Frisiæ occidentalis, Lippensis, Oldemburgensis, in Hoye, Delmenhorst, Westerburg, Munzenberg, Lemgou, Waldeck, Diephold, Benthem, Bronchorst, Spigelberg, Bibersdorf, Tecklenburg, Dortmund, Windorf, Hagen, Hohenfels, Leisnick, Bergen, Manderschied, Rifferschied, Egmont, Tubingen, Beaumont, Kirchingen, atq; alij quos hoc numero comprehendere non est.

Barones & Liberi Domini hi ferè numerantur.

Baro in Gundelfingen, Geroltseck, Rapoltstein, Stauffen, Degenberg, Sulzberg, Tautenberg, Sonnenberg, Winnenberg, Beihelstein, Tusis, Iustingen, Eppingen, Reipoltskirchen, Scheuzlingen, Rechberg, Königsberg, Hohenfels, Reigelsburg, Limburg, Kunseck, Geravv, Reichenstein, Munzenburg, Losenstein, Kriechingen, Wolkenstein, Ridberg, Lingen, Sigmaringem, Eppingen, Pappenheim, Sigmaringen, Weidenfels, Eppenstein, Haver, Roggendorf, Alendorf, Morspurg, Beffort, Brandtenstein, Wolffstein, Pyrnbaum, Permont, Frousberg, Milchlingen, Mindelheim, Störzingen, Witten, & præter hos nonnulli alij.

IMPERII CONSTITVVNT, VRbes Liberæ & Imperiales. Obseruabit autem Lector, nos non ex rei veritate siue nostra sententia, sed præscripto auctoris Galli, quem sequi, vt fidi interpretes debemus, Vrbium harum Elenchum contexuisse, cum sciamus, quasdam inter illas aut nunquam fuisse Vrbes Imperiales, aut libertatem Dominumque mutasse. Sic igitur eas recenset noster author.

Argentina ad Rhenum fluuium.
Aquisgranum in Ducatu Iuliacensi.
Antverpia in Ducatu Brabantiæ.
Augusta Vindelicorum in Sueuis.
Basilea ad Rhenum in Rauracis.
Berna in Heluetiis.
Biberacum in Alemannorum gæa.
Boppardia ad Rhenum fluuium.
Brunsuicum in Saxonibus.
Buchornia in Sueuia.
Campen in Transisulana.
Colonia Agrippina ad Rhenum.
Colmaria in Alsatia.
Constantia ad Lacum Acronium.
Curia in Heluetiis.
Dauentria in Transisulana.
Dantiscum in Prussia.
Dermond, Tremonia in Westfalis.
Dunckelsphühel in Sueuia.
Dúra siue Marcodurum in agro Iuliacensi.
Egra ad syluam Gabretam.
Erfordia in Thuringia.
Eslinga in agro Wirtembergico.
Elbinga in Prussia.
Francofurtum ad Mænum.
Francofurtum ad Viadrum.
Fridebergum in Veterauia.
Friburgum in Brisigæa.
Gelhusium in Veterauia.
Gienga in Sueuis.
Gottinga in Saxonibus.
Groninga in Frisiis maioribus.
Goslaria in agro Brunsuicensi.
Gemunda Sueuorum.
Hagenoia in Alsatia Inferiore.
Hala siue Salinæ Sueuicæ.
Hala siue Salinæ Saxonicæ.
Heilbronna Sueuorum ad Nicrum.
Hamburgum in Saxonia inferiore.
Isna in Sueuis.
Ingelhemium in Palatinatu.
Kauffburen in Sueuia.
Keisersberga ad Rhenum.
Kempten, Campidunum in Algæa.
Keiserslautern, Lutra Cæsarea in Palatinatu.
Landauia haud procul Spira.
Lindouia ad lacum Acronium.
Lubeca in Saxonia inferiore.
Lemgouia in Westfalia.

Lucer-

Lucerna in Heluetiis.
Lunæburga in Saxonibus.
Magdeburgum in Saxonibus.
Memminga in Sueuis.
Metis in Mediomatricibus.
Moguntia ad Rhenum.
Monasterium in Westfalia.
Monasterium Gregorianum.
Mulhusium in Thuringia.
Mulhusium in Suntgoia.
Norimberga in Franconia.
Northusa in Turingia.
Neomagus in Geldria.
Nordlinga in Sueuis.
Odernheimium in Palatinatu.
Oppenheimium in Palatinatu.
Ober Ehenheim in Alsatia inf.
Offenburgum in Alsat. inferiori.
Pfullendorpum in Sueuia.
Popfinga in Sueuis.
Ratispona ad Danubium.
Rauensburgum in Sueuis.
Rotenburgum ad Tuberam in Francis.
Roshemium in Alsatia inf.
Rotvvila in Sueuis.
Sancto-Gallum in Heluetiis.
Scafusium in Heluetiis.
Selestadium in Alsatia.
Spyra ad Rhenum, Camera Imperij.
Suenofurtum in Franconia.
Svvolla in Transisulana.
Tigurum in Heluetiis.
Treuerorum Augusta ad Mosellam.
Turckheimium in Alsatia.
Tullum in Lotharingia.
Vberlinga ad Lacum Constantiensem.
Vlma ad Danubium in Sueuis.
Werda ad Danubium.
Wangen in Sueuia.
Velalia in agro Cliuensi.
Wila in agro Wirtembergico.
Weissenburgum Rhenense.
Weillenburgum in Nortgoia.
Verrodunum in Lotharingia.
Wetzlaria in Hassiæ confiniis.
Wimpinum ad Nicrum.
Windesheimium in Franconia.
Wormaria ad Rhenum.
Zurich Tigurum in Heluetiis.

25. Præter hos tres Ordines ac velut tria membra, ne qua in Imperio Germanico oriretur diuulsio, sed vt pacis inter prouincias conseruarentur commoda, vniuersum Imperium distributum est in certos quosdã districtus, quos Circulos aut Orbes vulgo appellant. Et primũ quidem Imperante Maximiliano I. Cæsare in sex regiones descripta est Germania, anno à nato Christo M. D. Postea in Comitiis Noribergensibus accessere quatuor, quod factum est anno M. D. XXII. Harum prouinciarum vnaquælibet eligit sibi quemdam Principem, cuius ductum cæteri sequantur in reb. quæ sunt considerationis publicę. In hunc finẽ adiungunt ei sex consiliarios, Viros graues, nobiles, multæque experiẽtiæ, qui non sunt ex ordine ecclesiastico. Decem autem illæ prouinciæ hoc se ordine sequuntur.

Primum locum obtinet *Franconia.*
Secundum *Bauaria.*
Tertium *Austria.*
Quartum *Sueuia,*
Quintum *Tractus Rhenensis.*
Sextum constituunt *quatuor Electores ad Rhenum.*
Septimum *Inferior Germania.*
Octauum *Saxonia superior.*
Nonum *Saxonia inferior.*
Decimus locus datur *Burgundiæ.*

26. Summum autem Germaniæ dicasterium atq; tribunal est in *Spirensi vrbe*, vbi difficiliores causæ excutiuntur & iudicia seuerissimè exercentur.

Nam rigidum Minos hic versat & Æacus vrnam.

Iudex huius summi Senatus ex veteri instituto Princeps est Imperij, aut Illustris aliquis Comes vel Baro. Huic ab Imperatore adiunguntur sex Consiliarij primæ notæ, qui ferè sunt, duo Comites aut Barones, duo ex equestri ordine, & duo Iureconsulti. Et hos in eum finem mittit, vt repræsentent regna & principatus, quos hæreditario iure in Imperio possidet. Vnusquisque Electorum adiungit insuper vnum è suis Consiliariis: vt quælibet Prouincia siue Circulus, de quibus supra diximus, vnum. In Vniuersum autem constat magnum illud dicasterium ex nobilibus & Iureconsultis, quorum vtrorumque par ex veteri lege est numerus.

27. Quæ autem de ordinibus Imperij post Septem Electores attulimus, Sebastianus Munsterus, aliique ante & post eum accuratius diuidi scribunt, inque quaternarium numerum plerosque redigunt, ita vt numerent quatuor Duces, totidem Marchiones, quatuor Landgrauios, 4. Comites, 4. Barones, 4. Equites, 4. ciuitates, 4. pagos, 4. Seruos, 4. Rusticos. Neque tamen his contenti sunt Imperatores, sed subinde & pro re nata nouos creant Principes Comitesque, vt de multitudine Nobilium taceamus: quanquam nec hoc dissimulandum, nonnullos ducatus & comitatus in Imperio Principum interitu plane fuisse abolitos, quod Principatibus Sueuiæ, Limburgensi, Francorum, Zeringiæ, Vogtlandiæ aliisque quibusdam contigisse nõ ignoramus. Ad hunc autẽ modum illi, quos supra nominauimus quadrigas suas iungunt.

Quatuor Duces.
Dux Bauariæ,
Brunsuicensis,
Sueuiæ.
Lotharingiæ.

Quatuor Marchiones.
Brandeburgicus,
Misnicus,
Moraviæ,
Badensis.

Quatuor Landgrauij.
Turingiæ.

Hassiæ.

Hassiæ.
Alsatiæ.
Luchtemburgicus.

Quatuor Burggrauij.
Magdeburgensis,
Norimbergensis,
Rhineccensis
Strombergensis.

Quatuor Comites ductores exercituum.
Flandriæ,
Tyrolensis,
Ferrariensis,
Aldenburgensis.

Quatuor Comites Imperij.
Cliuensis,
Schvvarcenburgicus,
Cilliensis.
Sabaudus.

Quatuor Liberi Barones.
Limburgensis in Franconia.
De Thusis & Raren in Helvetia.
Westerburgensis,
Aldenbaldensis.

Quatuor Abbates Principes.
Fuldensis.
Campidunensis
Weissenburgensis
Murbacensis.

Quatuor Dynastæ.
Mediolanensis,
Scalanus.
Paduanus.
Mirandulanus.

Quatuor Marescalli.
Iuliacensis.
Pappenheimensis.
Misnensis.
Vinstingensis.

Quatuor Equites.
Ab Andlavv.
Meldingen,
Stromdeck,
Fronberg.

Quatuor Præfecti Venationum.
Hurnensis,
Vrachensis,
Schaumburgensis.
Mesthensis.

Quatuor serui hæreditarij.
De Waldeck.
Fulchen.
Arensperg.
Rabenavv.

Quatuor Rustici.
Colonia,
Ratisbona.
Constantia
Salisburgum.

Quatuor Vrbes Capitales.
Augusta Vindelicorum.
Aquisgranum.
Mediomatricum Vrbs.
Lubeca maritima.

Quatuor Pagi Imperij.
Babenberga.
Vlma.
Hagenoia.
Seleſtadium.

Quatuor Villæ Imperij.
Ingelhemium.
Altdorfium.
Lichtenavia.
Deckendorpium.

Quatuor Castra.
Altenburgum.
Magdeburgum.
Rotenburgum.
Megapolis.

Quatuor Montes.
Norimberga,
Heidelberga,
Munsterberga,
Frideberga.

Quatuor officia Hæreditaria per Sueuiam.
Dapiferi de Waldburg.
Pincernæ de Radach.
Marescalli de Marckdorf.
Camerarij Kemnatenses.

De hac in Quaterniones diuisione, vt scimus varie varios sentire, ita nostrum non interponimus iudicium, illud nouimus, multa in his mutata, quædam abolita esse & exoleta nostro æuo, & aliam rerum illarum hoc tempore esse faciem. Neque sane omnia hic recitantur, quædam etiam aliena adferuntur, vt vel obuio cuiuis planum fit.

In Comitiis publicis hic ordo ab antiquo obseruari solet.

Imperator, vbi consedit in throno suo Archiepiscopus Treuirorum recta ex aduerso Cæsaris considet. Moguntinus autem primum locum à dextro latere obtinet, secundum Rex Bohemiæ, tertium Comes Palatinus Rheni. Ab sinistro primus locus cedit Archiepiscopo Colonienſi, alter, Duci Saxoniæ, tertius Marchioni Brandeburgico. Et hic quidem ordo in consessibus obseruatur; in solenni autem Pompa hoc modo ingrediuntur. 28.

Imperatorem proximè anteit Archiepiscopus Treuirensis solus. Moguntinus Cæsaris dextrum, Colonienſis sinistrum latus claudit. Eum continuo sequitur Bohemiæ Rex, & deinceps tres cæteri Electores: Palatinus, Saxo, Brandeburgicus. Archidux Austriæ, quanquam Imperij Princeps sit, sedem tamen inter cæteros Principes Seculares non habet, ad vitandam præeminentiæ ac dignioris loci æmulationem, solet autem considere inter Proceres Ecclesiasticos, quorum locus existimatur esse honoratior. In Comitiis anno M.D.XXXXVIII. Augustæ Vindelicorum celebratis Burgundiæ Belgiique Prouinciæ sub Imperij Germanici patrocinium venerunt, quanquam hoc postea ab Hispanorum Regibus non valde sit obseruatum. Lotharingus princeps Imperij iam ab antiquo fuit, quamuis certa cum moderatione, hoc

æuo

æuo videtur in partes Gallicanas procliuior. Ciuitates Liberæ, quæ præter Imperatorem Dominum non agnoscunt, municipalibus suis vtuntur legibus atque priuilegiis; modus gubernationis earum fere est Democraticus, dominante populo, interdum mixtus, vt plebs cum optimatibus confuso vtatur imperio: quanquam multæ sunt, in quibus Reipublicæ forma plane est Aristocratica, & in his celebris illa Norimberga.

Ratio dominii earum primis annis in exigua fuit æstimatione, cum constaret, pleraſque vel argento emisse libertatem, vel precario accepisse priuilegia, ab Imperatoribus Principibusque: sed hac tempestate multum sane possunt.

Imperator nemo salutatur, nisi qui per Pontificem Maximum coronatus fuerit. Interim Cæsarem eum dici, aut Regem Romanorum, vel etiam Regem Germaniæ fas est, siquidem legitimè per Principes Electores creatus est.

Neque profecto mero & absoluto in Germanos vtitur imperio, cum omnia quæ grauioris momenti sunt, in Comitiis deliberationi Principum subiiciantur, à quibus Cæsaris dependet potentia: ita tamen fere fit, vt in quamcunq; se vertat partem, plurimum eo momenti afferat, datque operam, vt ametur atque metuatur simul.

29. Cum autem tres Imperii Ordines, siue status supra descripserimus fit quoque, vt triplex fere in Comitiis sit consilium. Primum est Electorum. In Electione autem Imperatoris Bohemiæ Rex suffragia non fert, neque interest consultationi, sed velut arbitrum agit inter collegas, si duo quidam nominentur, quorum vterque tot fauentes inueniat principes.

Tunc igitur sine dubio is prævalebit, cui Bohemiæ Rex suo fauerit assensu. Alterum est cæterorum Principum vtriusque ordinis.

Ne autem nimia ex multitudine oriatur confusio, duo ex omni numero eliguntur, duo itidem ex Comitibus ac Baronibus, qui cæterorum nomine agant. Tertio loco sunt Liberæ Ciuitates Imperiales. Imperator per aliquem è suis in medium proponit; quæ videntur ex vsu Reipublicæ. Intellecto hoc Ordinum Consiliarii discedunt, vnaque deliberant, quid facto opus sit. At Ciuitates, quanquam quid suæ sit mentis exponere non prohibeantur, ad grauiores tamen deliberationes vix vnquam admittuntur. Supremum suffragium est Electorum, & in eo plurimum momenti. In vniuersum tamen omnis Comitiorum Germanicorum ratio admodum confusa est & peruersa. Indicto enim conuentu ab Imperatore, vix vnquam ipsi comparent Principes, sed suos mittunt Legatos, quibus de summa rei aliquid statuere non licet, vnde plerumque inutiliter trahitur tempus mittendo & altercando, vt raro admodum felix sequatur euentus.

RELIGIONIS PER GERMANIAM RATIO, VT EAM AUCTOR NOSTER PERSEQUITUR & AD NOSTRA TEMPORA DEDUCIT.

CVM olim per totam Germaniam non nisi 30.
vna Catholica Religio in vsu fuerit, velut illa à maioribus nostris per manus tradita est; variæ tamen circa eam intra proximum seculum accidere vicissitudines. Prima mutationis initia (vt iam de Iohanne Hussо taceamus) inciderunt in annum A N.C.MDXVII. quo Martinus Lutherus, Islebiensis patria, gente Saxo, è familia Augustinianorum Pontificem oppugnare cæpit, incitatus, vt putatur, odio & æmulatione aduersus Iacobinos Monachos, quos Leo X. PP. in promulgatione Indulgentiarum Augustinianis prætulerat.

Hac re vehementer offensi fuerunt cum Iohannes Stupicius Vicarius Augustinianorum Generalis, tum Martinus Lutherus, qui tunc erat Lector in vniuersali studio Wittembergensi Ordinarius, vt omnia sursum deorsum vertere constituerint.

Primum maledictorum imbrem detonuit posterior hic in vniuersum Clericorum Ordinem, quem non viua voce duntaxat, sed & scriptis libris proscidit ob vitam dissolutam & nimiam in moribus licentiam, corrupto illo seculo vsitatam.

Negabat igitur Lutherus, recte facere homines Ecclesiasticos, quod sacros prouentus & bona Deo dicata in superbiam, vanitates & alios abusus conuerterent: Adiuuabant eum Poetæ & Oratores illius temporis offensi & ipsi sacerdotum ac Monachorum malis moribus, qui linguæ procacitati laxantes frena, multis in hos debacchabãtur inuectiuis: pictoribus etiam suam huic rei commodantibus operam, & Episcopos luporum, vulpium, diabolorum schemate depingentibus, quibus picturis & carminibus, non officinas tantum pergulasque suas, sed & priuatorum domus implebant.

Hac ratione accidit, vt Germani lectis scriptis illis maledicis picturisque, quibus sacerdotum vita & fama lacerabatur, facile iis consentirent, qui mutandis rebus studebant. Accedebant ea, quæ vulgo de Pontifice Romano, nec non vniuerso clero Romano circumferebantur, & vsitata Germanorum in Italos odia, qui hos vulgo seductores, falsarios, & sine omni bono iure atq; conscientia homines arbitrabantur, vnde fiebat, vt Indulgentias Leonis Pontificis ad emungendam argento Germaniam excogitatas crederent. Omnium tamen maxime iuuit Lutheri nouandi studium & conatus, quod Magistratus Politicos omnibus modis Ecclesiastico ordini præferebat, quo pacto pleroſque in suas partes pertraxit Principes, inque primis Iohannem Fridericum Saxoniæ Electorem, cum quibusdam militum ductoribus per Germaniam magni nominis. Non fugiebant Lutherum Germanorum ingenia, quæ libertati viuendi & genio indul-

gendi adsueuerant, vnde non proposuit illis acria & subtilia dogmata, sed talia, quæ ipsorum captui sensibusque apta erant, quibus permultum indulgebatur desideriis carnis. Nam leuiter sentiebat, de abstinentia, ieiuniis, votis Monasticis, disciplina Ecclesiastica, quædam etiam omnino sustulit, permisso Monachis Vestalibusque matrimonio, eleuata potestate Pontificis & Episcoporum, quos Principibus secularibus subiiciebat. Non est igitur mirandum, si populus hac licentia & anarchia illectus auide arripuit tam blandientem Lutheri doctrinam: vtque magis magisque suam stabiliret auctoritatem, dixit ius fasque esse Magistratibus, inuadere bona & diuitias Ecclesiasticorum, auferre calices, ornamenta & sacra vasa è templis, & Episcopatus facere hæreditarios.

Quamuis autem Lutheri hæresis miros fecerit progressus, non caruit tamen contradictoribus, qui diuersis Hæreseon generibus illam oppugnauerunt. Anno enim A N.C. opposuit se Luthero Vlricus Zuinglius, amplexus doctrinam Berengarii Andegauensis super Cœna Dominica: quem secuti sunt Oecolampadius, Bucerus & Caluinus; aduersabatur autem inprimis Luthero Carolostadius. Tentata fuit aliquoties inter has partes reconciliatio, sed id frustra fuit, crescentibus insuper litigiis.

Conuenerunt enim vtriusque partis Theologi Marpurgi Cattorum, annitente potissimum Philippo Hassiæ Lantgrauio, vbi conuenit inter eos de plerisq; Cœnæ Dominicæ capitibus: reliqua tamen dissidia tolli non potuerunt. Lutherus enim scripto monuit Francofurtenses, ne quid cum Zuinglio eiusque sectatoribus commune haberent; vicissim Zuinglius acribus scriptis oppugnauit Lutherum, vt vterque ne à conuiciis quidem abstinuerit. Pariter Caluinus Lutheranos incessit, eos clamosos, rudes & Gigantum progeniem appellans. Conuentum etiam fuit apud Constantiam anno MDXXXV. & Witebergam anno MDXXXVI. an posset inter eos sanciri concordia: frustra omnia.

Primi qui Lutheri dogma amplexi sunt, fuere Mansfeldici, quorũ ciuis erat Lutherus; hos secuti sunt Saxones, quorum Princeps Lutherum eiusque doctrinam suo defendit patrocinio. Cum autem Witembergæ magna docentium discentiumq; esset multitudo, factum est, vt hæresis illa celeriter per omnem spargeretur Germaniam.

Improbabat hanc religionis mutationem atque è prouincia sua eliminare conabatur Georgius Saxo, exiguo tamen cum effectu, obsistente conatibus eius Henrico fratre: qui cum Georgii hæres factus fuisset anno A N.C.MDXXX. vocauit ad se Lutherum Lipsiam; cuius opera tota prope Misnia, Turingia & Saxonia ad abiiciendum Catholicismum inuitata fuit, terris Electoris iam ante noua imbutis opinione, cum anno MDXXV. Henricus Sutphanensis Bremam, & Ioachimus Westfalus Hamburgum venisset. Lubecam paulo post inuasit doctrina Lutheri, conniuentia Henrici Bastilii Episcopi & successorum eius, qui contenti prouentibus suis, non multum curabant res Ecclesiasticas.

Videbatur quidem res Catholica suffulta atque recreata Caroli V. Cæsaris Victoria, quam de Protestantibus Principibus is obtinuit anno A N.C.MDXLVII. Sed hæc omnis spes in præceps abiit, cum Cæsari bellum intulissent Mauricius Saxo & Albertus Brandeburgicus.

Postremo in Comitiis Spirensibus Imperator, amore pacis publicæ decretum tulit, vt Augustanæ Confessioni liberum permitteretur exercitium, donec vel per Concilium vel aliud aliquod remedium dissidium hoc tolleretur. Anno A N.C.MDLII. quo in Conuentu Passauiensi cautum est, ne quis secus sentiens propterea molestia afficeretur: & paulo post, anno nimirum à N.C.MDLV. permissum est Principibus Ordinibusque Imperii, vt vel Catholicæ Ecclesiæ amplecterentur dogmata, vel Lutheri, ita quidem, ne Princeps ob mutatam Religionem, vel facultatum suarum vel famæ & honorum pateretur iacturam: Ecclesiastici vero Ordinis Principes, si religionem mutassent, loco atque dignitate mouerentur substitutis aliis iisq; Catholicis. Voluerant etiam Principes Protestantes, vt eadem libertas permitteretur omnium Principum subditis, citra differentiam; sed huic postulato Principes Austriaci atque Bauari se opposuerunt.

Patefacta ad hunc modum nouis opinionibus fenestra, pauci per Germaniam Principes fuere, qui Religionem non mutauerunt. Nam Anno A. N. C. MDLVI. eiecit ditione sua Missam, Otto Henricus Comes Rheni Palatinus, & Carolus Badensis Marchio, & non diu post Nicolaus Gallus sparsit Lutheranissimum Ratisponæ, Martinus vero Chemnitius Brunsuici, alii vero apud Argentoratum.

Dum hæc fiunt, anno A N.C. MDXXXII. ingressi Anabaptistæ Westfaliam, occupauerunt Monasterium Vrbem, cumque omnia confusione & absurditatibus repleuissent, nouumque sibi regem, hominem cerdonem elegissent, oppressi ab Archiepiscopo Colonienſi aliisque Imperii Ordinibus, finem tumultuandi fecerunt anno A N.C.MDXXXIV. Cum autem inter ipsos Lutheranos non satis conueniret, Andrea Osiandro anno Christi MDLI. nouas ciente turbas, & Vbiquitariis nouiter emergentibus auctæ sunt discordiæ, Augusto Electore Saxoniæ Lutheranorum dogmata, & Palatino Principe Caluinistas fouente, non tam apertis quam clandestinis dissidiis, quæ nullis vel priuatis vel publicis conuentibus tolli potuerunt.

Post hæc mutatæ Religionis initia, variæ per Germaniam vsque ad nostra tempora accidere mutationes: nos temporum Periodos obseruabimus, vt nunc ea sunt. Et sane Principes ac Dynastæ, qui vel Caluini vel Lutheri sequuntur doctrinam, auxere potentiam suam, occupatis aliquot Episcopatibus, Abbatiis & bonis Ecclesiasticis, quæ velut hæreditaria suis reliquere

successoribus. Supersunt tamen in plerisque diœcesibus quædam Romanæ Religionis reliquiæ, in Templis Collegiisque, vbi adhuc sacra Romano more peraguntur: vt apparet Vlmæ, Argentinæ, Erfordiæ, inque vrbibus quibusdam Saxonicis, Brandeburgicis, Brunsuicensibus, & Imperialibus non paucis. Sed, si placet, videamus singulas prouincias.

In Palatinatu ad Rhenum variatum est aliquoties: alias Lutheranismo, alias Caluinismo, obtinente, prout visum fuit Principi. Postremo tamen Caluiniani Lutheranis per totum Principatum superiores extiterunt, furcillata Vbiquitate. Verum cum anno A N. C. MDXX. Ambrosius Spinola nomine Regis Hispanorum, quid est in parte Rheni littoris Gallicani ditionum Palatini Principis occupasset, & Ducis Bauariæ Legati cisrhenanas prouincias in parte Germanica: factum est sequentibus annis, inprimis hoc, qui à Salute reparata est Millesimus sexcentesimus vigesimus septimus, quo hæc scripsimus, vt migrare iussis Ecclesiarum Ministris Caluinianis, & in fidem Catholicam adacto populo, Romana Religio per vniuersum Palatinatum restitueretur. Idem quoque factum est in aliquot locis per Marchionatum Badensem; Comitatum Nassouiensem, Palatinatum Superiorem aliasque prouincias, cum vbique audiretur ☞ VÆ VICTIS.

In Saxoniæ Electoratu regnat in omnibus locis Lutheranismus, etsi parum abfuit, quin regnante Christiano I. Augusti filio, Caluini dogma superauerit, quod tamen à Wilhelmo Friderico, Electoralis hæredis Tutore in herba oppressum profligatumque est.

Brandeburgicus Electoratus diuersimode habet, ipso Principe cum Proceribus Aulæ Caluinum: Nobilitate vero & populo Lutherum sequente. Eiusdem Lutheri doctrinam profitentur Duces Saxones, Brandeburgici, Brunsuicenses, Pomerani, Wirtembergici, Badenses, Hassi, Mansfeldici, aliique, & pleræque vrbes Imperiales, inprimis Hanseaticæ siue Maritimæ, paucis exceptis, quibus Caluini doctrina magis probatur.

Vt autem generatim aliquid dicamus, reperies in Germania nouis opinionibus magis imbutos Nobiles quam plebeios, & plures diuites quam pauperes, vrbes vero liberas plerasque omnes, exceptis tribus quatuorque, vt hoc in aliquot Comitiis patuit. In principum numero à Catholica Religione non discessetunt Archiduces Austriæ, Duces Bauariæ, Cliuiæ, quidam ex Marchionibus Badensibus, Palatinus Neoburgicus, Lantgrauius Leuchtenbergicus, quidam etiam è Comitum numero ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam redierunt.

Sed nunc ad Metropolitanas atque Cathedrales Ecclesias conuertendus est stylus. Numerantur in Germania Archiepiscopi IX. Moguntinus, Treuerensis, Colonensis, Magdeburgensis, Salzburgensis, Pragensis, Vesontinus, Rigensis & Bremensis. Et in Moguntina quidem Diœcesi fuerunt superioribus annis multi diuersam à Catholica sequentes Religionem, sed nunc paucissimi ibi reperiuntur, Iesuitarum opera reformata prouincia. Quod tamen de Erfordia & magna Nobilitatis parte accipi non velim. Erfordia enim etsi præter Lutheri doctrinam aliam ignorare videtur, fert tamen Collegium Catholicorum, quos suo Senatus defendit patrocinio, ne quis è plebeiis iis molestus sit: adde quod Erfordenses Templum quoddam quod Catholicis ademerant, iussu Imperatoris restituere iisdem coacti sunt.

Archiepiscopatus Treuerensis inter totius Germaniæ Diœceses purissimus existimatur, cum in eo, alia quam Catholica Religio non toleretur.

Colonensis magno labore & inter varia pericula conseruauit Catholicismum, cum anno à N. C. MDXLIII. Hermannus Archiepiscopus conatus fuisset mutare religionem, vocatis à Lipsia in hunc finem Philippo Melanchthone, & ab Argentina Martino Bucero: verum Senatus & Collegium Canonicorum, omnibus viribus huic Archiepiscopi conatui se opposuerunt, effecerunt que, vt Harmannus dignitate moueretur, subrogato ei Adolfo: quanquam ne hoc quidem pacto dissidium sopitum fuerit. Suffragantur huic Episcopi, Leodiensis, Vltraiectinus, Monasterienſis, Osnabrugẽsis & Mindensis. Leodiensis alios quam Catholicos ciues non habet. Osnabrugensis aliquoties cum Lutheranismo colluctatus est, primo quidem anno A N. C. MDXXI. & quamuis Ministri Lutherani decennio post exacti fuerint, redierunt tamen paulo post, & ab Episcopo & Canonicis tolerati fuerunt. Ab anno Christi MDLXXIV. vsque ad annum MDLXXXVI. vsurpauit hunc Episcopatum Henricus Saxo, vna cum Bremensi. Mindæ vix vlla Religionis Romanæ vestigia supersunt, præter quosdam Canonicos, qui adhuc sacra obeunt officia. De Vltraiectensi diximus, vbi de rebus Hollandorum verba fecimus.

Magdeburgensis Archiepiscopatus cum omnibus suffraganeis suis, Merseburgensi, Numburgico, Hauelburgensi, Brandeburgensi, Lubecensi, Suerinensi, Siburgensi, Racemburgico & Misnensi, nuper fuerunt in manibus Principum Lutheranorum: sed victoriæ Cæsaris cum ipso Metropolitano quosdam iis extorserunt.

De Salisburgensi Archiepiscopatu idẽ quod de Treuirensi dicere possumus, ab omni purum esse Hæresi, non in vrbe duntaxat sed in omni Diœcesi. Ratisponæ tamen ciues sequuntur Lutheri doctrinam, Canonici & quidam è ciuium numero Catholicam seruant fidem, tuti patrocinio Ducis Bauariæ.

Argentinensis Ecclesiæ magna est per omnẽ Germaniam auctoritas, cum ob antiquitatem tum ob Nobilitatem Clericorum, cum nemo

hic admittatur in Canonicorum numerum, nisi qui Illustri natus est genere, exclusis etiam Nobilibus. Fuit hic à multis annis velut duplex Canonicorum corpus, Catholicorum vnum, Protestantium alterum, diuisis inter eos prouentibus: verum hoc anno exclusis Mandato Imperatorio Protestantibus, omnes totius Episcopatus redditus Catholicis sunt restituti.

Episcopatus Spirensis hactenus mixtus fuit ex variarum Religionum generibus, inclusus pene totus Palatinatui: sed hoc tempore omnia mutata sunt. Iesuitæ ibi constituti bonam Catholicæ Fidei præstiterunt operam. Vrbs ipsa, quia libera & Imperialis est, Lutheri sequitur doctrinam.

Wormatienses ab vtraque se subtraxerunt Episcopi sui obedientia, vigentque ibi plures Religiones: in plerisque tamen Templis Romano more diuina peraguntur officia, Catholicis ius suum conseruantibus.

Quamuis in vrbe Augustana circiter XV. Ministri Lutherani sint, qui ad populum concionantur: duæ tamen res Romanam in ea ciuitate conseruant Religionem: constantia Senatus in Fide Catholica, & Collegium Iesuitarum, authoribus Fuggeris excitatum.

Herbipolenses (vel rectius Wirceburgenses) ne quid in auita Religione mutarent, sagax Episcoporum cauit vigilantia.

In Aistadensi Episcopatu non permittuntur hæreticis publica exercitia. Hildesheimensis Diœceseos populus Lutherum sequitur, at viri Ecclesiastici Ordinis Catholicam tuentur fidem.

Sed quid de Bohemia, præcipua Germaniæ prouincia dicemus? Nota est Historia Iohannis Hussi, qui cum socio suo Hieronymo Pragensi exustus fuit in Concilio Constantiensi, regnante Sigismundo Imperatore. Statuerant hi contra Romanam doctrinam, omnibus indifferenter necessariam esse vtriusq; speciei, vt loquuntur, in Cœna participationem. Hæc sententia aperuit aliis quoque hæresibus fenestram, inter quas fuit etiam dogma Anabaptistarum, quos tamen tam Lutherani quam Caluinistæ detestati sunt. Narrat insuper Picardum quendam ex Flandria in Bohemiam noxiam obscœnamque intulisse confusionem, docuisseque Bohemos, miscere sese publice cum mulieribus, non obseruato sanguinis aut cognationis discrimine: quanquam hæc omnia in secreto perpetrauerint. Aiunt eos dici solitos fuisse Adamitas & vocabulo Germanico *Grubenhaimer*, quod in speluncis locisque subterraneis sua peragere soliti essent sacrificia, quibus durantibus, cum sacerdos recitasset verba illa: *Crescite & multiplicamini & replete terram*, extinctis luminibus vnumquemque solitum arripere in tenebris obuiam mulierem, & cum ea coire. Peracta hac turpitudine, rursum accensas fuisse candelas, & finem impositum ceremoniis. Talia sunt fere ea quæ de Romanorum Bacchanalibus narrantur. Hi tamen homines & hæc detestanda sacra, si vnquam in Bohemia fuere, deleta sunt iam pridem atque ex hominum memoria sublata.

Hussitæ Bohemi irrident anniuersaria sacra pro mortuis, precesque pro iisdem, dicentes hæc omnia ab auaris sacerdotibus excogitata. Benedictionem Lustralis aquæ, Cereorum, palmarum aliarumque similium rerum, stolidas inuentiones dicunt, & Ordines Monachorum Mendicantium à Diabolo excogitatos dicunt, dicentes insuper omnibus permissum esse prædicare Euangelium. Extremam vnctionem Hussitæ respuunt, vt superuacaneam, inque multis ad Sacramenta & Ceremonias Ecclesiasticas spectantibus, cum Caluinistis sentiunt.

Quanquam hodie Adamitæ nulli, Hussitæ pauci, Protestantium vero plurimi sint, quos omnes proposito edicto Ferdinandus II. Imp. Augustus, aut mutare religionem aut in exilium ire iussit, victo Friderico Palatino, nec plebeios duntaxat, sed nobilibus etiam ac Illustribus procreatos familiis. Et hi posteriores quidem nouo atque priscis temporibus inaudito exemplo inuitauerant Fridericum Electorem Palatinum, cui Elisabetha, Iacobi Anglorum, Scotorum, Hibernorum Regis filia nupserat, ad capessendum regni Bohemici sceptrum. Admisit Fridericus Procerum Bohemorum ad regnum postulationem, & quamuis iam ante haberet Principatum florentissimum, cui vix vllus per totum Imperium Germanicum par erat, siue agrorum fertilitatem, siue oppidorum multitudinem, siue denique prouentuum vbertatem consideres: parua tamen hæc omnia existimans, in Bohemiam profectus, Diadema sibi coniugique imponi passus est. Inauspicato me dius fidius, vt qui anno MDCXX. Nouembri mense à copiis Ferdinandi II. Imperatoris iuxta Pragam regni Metropolim decantatissimo illo prælio victus, totaque Bohemia exutus, eadem celeritate, qua ad fastigium regium conscenderat ab eodem præcipitatus fuit. Hanc victoriam Cæsaris secuta est ea quam diximus per Bohemiam Religionis, proposito acerbo Edicto, immutatio, quo omnes regni ciues, siue Illustribus Nobilibusque procreati fuissent familiis (quorum tamen magna pars, quod Friderico Palatino adhæsissent, & arma in Cæsarem sumsissent, partim suppliciis vitam finiuerant, partim voluntario exilio solum verterant) abiectis nouis Religionibus ad Romano-Catholicæ gremium Ecclesiæ redire iussi fuerunt, vel exire patria.

Idem factum est per Morauiam, quæ olim sedes fuit atque receptaculum Anabaptistarum quorum nusquam alibi per vniuersam Germaniam maior copia, cum in hac prouincia non solum impune suæ doctrinæ spargerent semina, sed & integros pagos villasque soli habitarent, institutæ communi & Platonica inter se vi-

se viuendi ratione, vt nemo quicquam priuati haberet, sed omnes omnium facultates promiscuis inseruirent vsibus. Verum hoc genus partim bellis exhaustum, partim Edictis Superiorum proscriptum mature Moravia excessit, aliosque fines petiit. Magna pars eorum se in Hungariam atque Transyluaniam contulit, quibus sedes assignauit Gabriel Bethlemus, Dacorum & Valachorum Princeps.

Episcopalis Vrbs est Olomucium, in qua Gregorius XIII. P. P. erexit Seminarium Iesuitarum, vnde tota prope diœcesis ad Catholicissimum conuersa fuit.

Silesiam totam prope Lutherani obtinent, paucis Caluinistis & Anabaptistis in ea superstitibus. Vratislauiæ præter Collegium Canonicorum nulli sunt Catholici, & Monasterium Dominicanorum.

Austria nostro æuo tota Catholica est, migrare iussis concionatoribus Lutheranis, & restituto per Ferdinandum II. in omnibus locis Catholicismo.

Ab Austriæ Archiducatu dependent hæ Prouinciæ; Carinthia, Stiria, Carnia, & comitatus Tyrolensis. In his quamuis olim prope dominium obtinuerit Lutheranismus, Proceribus ac Dynastis Prouinciarum illatum & dogma hoc & Ministros Ecclesiasticos fouentibus, conniuentia potissimum Maximiliani II. & Rudolfi II. Imperatorum: nostro tamen tempore nulla nisi Catholica religio eiusque exercitia tolerantur, Magistratibus pariter & Ordine Ecclesiastico in vnicam eam incumbentibus operam. Nam & Ferdinanus II. Imperator Collegia instituendæ iuuentuti fundauit, & nihil quod ad restituendum Catholicismum facere posset omisit, vt puras suas redderet prouincias.

Bauaria tota Catholica est, nec vllam aliam vnquam agnouit Religionem. Caluini dogma nostro æuo sequuntur Principes per Germaniam; Fridericus Palatinus, exul ille quidem & omnibus spoliatus principatibus suis: Elector Brandeburgicus, Dux Bipontinus, Dux Megapolitanus, Landgrauius Hassiæ Maior, Principes Anhaltini cum nonnullis Comitibus Imperii & Vrbibus Imperialibus, quos omnes hoc tam funestum bellum grauiter afflixit. Porro quis imposterum Religionis per Germaniam futurus sit status, hoc arroci ac diuturno bello, quo omnia ruinam minari videntur, θεὸν ἐν γούναστ κεῖται.

ELENCHVS ET COMPENDIOSA DESCRIPTIO IMPERATORVM OCCIDENTIS, FACTO INITIO A C. IVLIO CÆSARE FVNDATORE ET AVCTORE HVIVS IMPERII, CONTINUATOQUE FILO VSQUE AD FERDINANDUM SECUNDUM, QUI NOSTRA TEMPESTATE IMPERIO PRÆEST.

I. CAIO IVLIO CÆSARI debentur prima Monarchiæ Romanæ fundamenta, quanquam ad declinandam potestatis vel nominis Regii potius inuidiam Dictator Perpetuus appellari voluerit. Vixit annis LVI, imperauit annis III, mensibus VII. postquam bellis ciuilibus finem imposuisset. Cæsus est à Bruto, Cassio, aliisq; coniuratis anno mundi MMMDCCCLXXXVI. fuitq; is annus ab Vrbe condita DCCVIII. Olympiade CLXXIV. A.V.C. DCCLXV. Olympiade CLXXXVIII. anno vero Christi XIV.

II. OCTAVIVS AVGVSTVS & ipse Cæsar dictus, nepos Iulii ex sorore, successit ei, sumsitq; primus nomen Imperatoris, quod ante summis exercituum ductoribus tribui solitum fuerat, orsus cum nomine supremam potentiam supra omnes qui antea paruerant Romanis. Vixit annis LXXV. demtis diebus XXV. imperauit annis LVI. qui numerus ita constabit, si duodecim annos, quibus cum Antonio & Lepido Triumviris rerum potitus est, simul capias. Mortuus est an. mundi MMMDCCCCXLIII.

III. TIBERIVS Priuignus Augusti ex Liuia, adoptatus à Vitrico anno mundi MMMDCCCLXXIX. A. V. C. DCCLX. Suscepit post Octauium Imperium, tenuitque annis XXIII. Fuit hic natura tetricus, irrisor, scurrilis, crudelis, malitiosus. Anno imperii eius XV. Seruator noster annum agens trigesimum à S. Iohanne baptizatus est, anno vero XVIII. cruci affixus mortuusque anno XVIV. S. Paulus Damascum proficiscens ad Fidem Christi conuersus est. Vixit Tiberius annis LXXVIII. imperauit XXIII.

IV. CAIVS CALIGVLA natus Germanico Drusi filio, qui Drusus frater fuit Tiberii anno mundi MMMMI. A.V.C. DCCLXXXIX. Gratiæ vero partæ XXXIX. Fuit hic Caius monstrum hominis, ex variis viciis conflatum, faciens se crudelitate sua formidabilem apud omnes, volutans se insuper in omnibus flagitiis & libidinibus, qui cum tribus sororibus con-

sueuisse dicitur. Vixit annos XXVIII. regnauit III. menses X. dies VIII.

V. CLAVDIVS nepos Tiberii ex fratre Druso succesſit ei, auſpicatus Imperium anno mundi MMMMV. A.V.C.DCCXCIII. anno Gratiæ XLIII. cum vixiſſet annos quinquaginta, peruenit ad hanc potentiam interuentu pecuniæ, cum ſingulis militibus CCCL. coronatos pollicitus eſſet. Bonarum litterarum rudis minime fuit, T. Liuio Præceptore vſus. Vxoris opera veneno ſublatus eſt, cum vixiſſet annos LXIV. regnaſſet XIV.

VI. NERO Priuignus idemque gener Claudii adoptatus per Agrippinam fœminarum vaferrimam anno mundi MMMMXIX. A.V.C.DCCCVII. anno Gratiæ LVII. cum annum ageret XVII. Imperator ſalutatus à militibus, quibus tantundem auri pollicitus eſt, quantum Claudius dederat. Iuſſit interfici Octauiam matrem, Poppæam Sabinam vxorem, Senecam Præceptorem aliosque. Chriſtianos peſſimis modis afflixit, factus poſtremo ſui ipſius interfector, cum ſe transfixiſſet pugione, anno vitæ ſuæ trigeſimo ſecundo, imperii quaſi decimo quarto interiit in hoc familia Cæſarum.

VII. SERGIVS GALBA ex gente Sulpitia à Legionibus Hiſpanienſibus Imperator ſalutatus, & auctoritate Senatus confirmatus, princeps fuit haud adeo malus. Ab Othone bello petitus, cæſusque eſt in agro Romano, cum vixiſſet annos LXXIII. regnaſſet menſes VII. dies totidem. Caput illius interfecti ad Othonem relatum eſt.

VIII. SYLVIVS OTHO interfecto à militibus Galba imperium morte aduerſarii quæſitum arripuit, cum turpi monſtro quam homini eſſet ſimilior, Libidinibus Nerone nihil inferior, ambitione & impudentia infamis. Poſtremo victus per Vitellium pugione ſe ipſum confodit, cum nonniſi quatuor menſes imperaſſet, vixiſſet autem LVIII. annos.

IX. AVLVS VITELLIVS dubium gulæ vicio, an crudelitate aut libidinibus fuerit infamior. Cruoris humani adeo appetens, vt plures è nobiliſſimis Romanorum iuſſerit trucidari, ipſe viciſſim à militibus cæſus, qui cadauer eius proiecerunt in Tiberim. Vixit Vitellius annos LVII. regnauit menſes octo.

X. VESPASIANVS è Gente Flauia, turbatis afflictisque rebus Romanis immanitate crudeliſſimorum monſtrorum, Caligulæ, Claudii, Neronis, Othonis & Vitellii, reſtituit aliquo modo imperium ſuo ſplendori, ſtabilitis legibus, Prouinciis, Legionibus ac diſciplina militari. Miſit hic filium ſuum Titum ad obſidendam Hieroſolymorum Vrbem ad decimum quartum diem Aprilis, anno imperii ſui II. Gratiæ LXXII. obiit ex fluxu ſanguineo ventris cum vixiſſet annis LXIX. menſibus III. diebus VII. regnaſſet ann. X.

XI. Succeſſit patri TITVS VESPASIANVS an. mundi MMMMXXXXIII. A.V.C.DCCCXXXI. anno Gratiæ LXXXI. Dictus is fuit *Delitiæ generis humani* cum iuſtitia illius cum humanitate & liberalitate coniuncta vulgo nota eſſet. Domitiano fratri, qui imperandi deſiderio ei inſidias ſtruxerat, facile ignouit. Correptus febri maligna mortuus eſt ætatis anno XXXIX. menſe V. die XXV. cum imperaſſet non niſi duobus annis menſibus totidem, diebus XX.

XII. Excepit hunc DOMITIANVS frater A.M.MMMMXLV. A.V.C. DCCCXXXIII. anno gratiæ LXXXIII. patri fratrique multum diſſimilis, opertus, crudelitate, diffidentia, ſuſpicionibus, amator proditionum, rapinarum, immanitatis, hoſtis Chriſtianorum: quorum hæc ſecunda nominatur perſecutio, ea, quæ ſub Nerone contigerat, prima computata. Fertur hic ſingulis diebus ſeceſſiſſe ad captandas muſcas, vnde muſcarum venator appellatus eſt. Fuit inſuper libidinibus ſcortisque deditus, quæ vicia ipſi cauſa mortis extiterunt ætatis anno XLV, imperii XV.

XIII. NERVA cum iam ſenex admodum eſſet ad imperium peruenit A.M.MMMMLXI. A.V.C.DCCCXLIX. anno ſalutis XCIX. Princeps bonus & iuſtitiæ amator, reſtituit illis bona ſua, quibus Domitianus ea per vim ademerat. Perſecutionibus in Chriſtianos modum impoſuit, abolitiſque nonnullis ludis publicis, in filium adoptauit Vlpium Traianum, natum in Hiſpania, fecitque vt ſub ipſius principatu Imperium magis floreret quam antea vnquam. Exceſſit è viuis annum agens LXXI. cum regnaſſet per annum vnum, menſes IV.

XIV. VLPIVS TRAIANVS accepit imperium, poſtquam Nerua decretum adoptionis ei Coloniam tranſmiſiſſet, anno vitæ XLII. mundi MMMMLXII. A.V.C.DCCCL. à nato Chriſto C. vir cordatus, prudens, iuſtitiæ amans, rei militaris peritiſſimus, audax approbante fortuna expeditiones eius, ob quas virtutes Senatus conſulto PRINCEPS OPTIMVS appellatus eſt. Erexit Romæ Bibliothecas, auditor frequens Plutarchi. Profectus ad compeſcendos bello Iudæos mortuus eſt cum vixiſſet annis LXIV. regnaſſet XIX. menſes VI. dies XV.

XV. ADRIANVS obtinuit imperium A.M. MMMMLXXX. A.V.C. DCCCLXVIII. Chriſti nati CXVIII. Adoptauerat hunc Traianus, ſed ea fuit viri modeſtia, vt ad Senatum ſcriberet, ſeſe ne accepturum quidem imperium, niſi Senatus ita cenſuiſſet. Fuit Adrianus magna prudentia & dexteritate in negotiis, eloquens inſuper miſcens cum ſeueritate comitatem. Percurrit hic prope omnes Monarchiæ Romanæ Prouincias, quod vix quiſquam Imperatorum ante eum fecerat. Tantum autem poſtremo eum cepit vitæ tædium vt non ſemel optauerit mortem, quam adeptus eſt anno vitæ LXXII. cum regnaſſet ann. XXI. menſes XI. Humata fuerunt oſſa eius in mole Adriani

driani, quæ hodie Romæ Castrum Angeli dicitur.

XVI. ANTONINVS PIVS Imperator factus est A. M. MMMMCII. A. V. C. DCCCLXXXIX. anno reparatæ salutis CXXXIX. Adriani gener, & ab eodem in filium adoptatus, homo morum elegantia, animi magnitudine, eloquentia & humanitate omnibus gratus. Primus hic à cruoris humani effusione immunem se præstitit, maximi fecit auctoritatem Senatus, Professoribus bonarum artium stipendia constituit. Huius circumfertur illud celebre: *malle se vnum seruare ciuem quam mille hostes interficere.* Hac de causa senatus eum *Patrìpatriæ* appellatione cohonestauit. Excessit anno ætatis LXX. cum rebus præfuisset annis XXIII. funus eius monumento Adriani Principis illatum est.

XVII. ANTONINVS VERVS Pii gener, successit Socero in imperio. Adsciuit hic sibi ab initio Lucium Verum fratrem, fuitque tunc primum imperium sub duobus æquali vtentibus potestate. Magnis hic princeps effertur laudibus, quod fuerit vir bonus, sapiens, modestiæ & iustitiæ studiosus, liberalis in viros doctos, felix in bellicis expeditionibus. Imperante eo persecutio Christianis non parum molesta fuit, quæ cessauit, cum opera Legionis Christianæ victoriam contra hostes obtinuisset, vnde factum est, vt edicto Christianos imposterum affligi vetuerit. Superuixit Lucio fratri annos octo, mortuusque est ætatis anno LXI. imperii XVIII.

XVIII. LVCIVS VERVS collega & socius fratris fuit in imperio. Cum autem per exiguum tempus nec solus regnauerit, neque inter malos neque bonos principes computatur. Imperauit cum fratre Antonino ann. XI. mortuus anno ætatis XLII. illatus in monumentum Adriani.

XIX. COMMODVS M. Antonino Vero Patri successit A. M. MMMMCXLIII. A. V. C. CMXXXVIII. anno salutis CLXXXII. Steterat Monarchia Romana in summo quasi flore à Iulii Cæsaris æuo vsque ad M. Antoninum, post quem variis ac prope continuis agitata seditionibus bellisque ciuilibus valde labefactata est. Edidit autem Commodus futuræ crudelitatis specimen, cum ingressus balneum ob leuem sane causam magistrum Thermarum in ardentem fornacem coniici iussisset, vixdum annum agēs duodecimum. Solenne huic erat totas noctes perpotare vsque in multam lucem, nec in hoc sterit intemperies hominis, addebat horrendas libidines, cum præter CCC. quas alebat concubinas, etiam puerorum se fœdaret amoribus, & hac ratione nouum Caligulam refingeret. Sororem Lucillam, infantem adhuc, miserabiliter occidit, cæteras stupris inquinauit. Non tulere monstri importunitatem Martia pellex & Lætus præfectus prætorio, quorum opera è vita sublatus, ac Senatus consulto cadauer eius in Tiberim abiectum est. Imperauit tredecim omnino annis.

XX. Suscepit imperii gubernacula PERTINAX, A. M. MMMMCLVI. A. V. C. CMXL. anno Gratiæ CXCIIII. Pater eius generis libertini primo Scholæ Magister, post miles fuerat, postremo strenuitate sua in id fastigium conscenderat, vt Rhætiæ Noricique, post Mysiæ ac Daciæ ei committeretur Præfectura. Cumq; vir esset Romanus, eorū opera, à quibus Commodus trucidatus fuerat, Imperator electus est. Cum autem Prætorianorum insolentiam cohibere conaretur in tantum eorum incurrit odium, vt facto in optimum senem impetu obtruncarent eum, caputque eius hastæ infixum ad Iulianum successorem eius in castra deferrent. Vixerat autem annos LX. nec amplius sex mensibus regnauerat.

XXI. Rebus autem Romanis in summa confusione versantibus, cum nulla prope optimatium esset auctoritas, sed milites omnia possent, quorum insolentia, & quidlibet audendi impunitas in summum euaserat gradum, eo audaciæ venerunt Sulpitius Præfectus vrbis, & DIDIVS IVLIANVS, vt auro oblato certarent in licitando Imperio. Sulpitio autem singulis militibus quingētos coronatos offerente, IVLIANVS pollicitus est DCXXV. quo in genere cum Sulpitium vinceret, imperator electus est; homo gulæ deditus, aleator, quique prætorianis promissam non solueret pecuniam. Vnde primum in odium militum adductus, post vilis habitus contemtusque, ab ignoto quodam interfectus est, cum solos menses VII. dies XIV. imperasset.

XXII. PESCENNIVS NIGER Proconsul Syriæ, Imperator salutatus est ab Legionibus Syriacis. At Seuerus, quem Senatus elegerat profectus ei obuiam cum exercitu, tribus prælijs cum eo conflixit. Nigro autem in Nouissimo conflictu cum vxore cæso, Seuerus solus rerum potitus est, qui Pescennii bona fisco publico addixit, extincta omni eius necessitudine.

XXIII. SEVERVS igitur Iuliano successisse creditur A. M. MMMMCLVII. A. V. C. CMXLV. ann. Gratiæ per Christum partæ CXCV. Romam reuersus exquisitis honoribus à Senatu exceptus est, nec minoribus à militibus & ab vtrisque Imperator consalutatus. Vocatos in Capitolium Prætorianos, omnes quotquot interfecti Pertinacis rei erant, exauctorauit, & extra Romani Imperii limites proscriptos exulare iussit. Quin & Lætum è medio sustulit, authorem cædis Commodi & Pertinacis Impp. Pescennium Nigrum iam ante deuicerat. Profectus in Britanniam extinctus est Eboraci, homo impiger & in rebus gerendis acerrimus. Tantum decedens Populo Romano frumenti reliquisse dicitur, vt in annos septem proximos sufficerit. Vixit annos LXV. menses IX. dies XXV. Imperauit ann. XVIII.

XXIV. CLAVDIVS ALBINVS in Gallia Imperatorē se dixerat. At Seuerus deuicto Pescennio reuersus Romam bellum intulit Albino quem sibi in Imperio socium adsciuerat. Cum autem Albinus proditorie struxisset Seuero in-

fidias, indignatus hic valido cum exercitu contra Albinum profectus est, qui se in Gallia pro Imperatore gerebat. Acri igitur prælio haud procul Lugduno commisso, Albinus victus captusque, & ad Seuerum ductus est, adhuc spirans, qui caput ei desecari & cadauer in profluentem abiici iussit, deletis insuper omnibus Albini familiaribus & amicis. Hæc victoria Seuero soli imperium tutum fecit.

XXV. ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA Seueri filius patrem in imperio secutus est A.M.MMMMCLXXV. A.V.C. CMLXIII. anno Christi CCIII. Monstrum libidine & crudelitate infame. Interfecit enim Getam fratrem à collo matris pendentem eiusq; opem lamentabiliter implorantem, vt muliet sanguine filii tota cruentaretur, quæ nihil verita facinoris fœditatem in Bassiani amplexus venire non exhorruit. Magnum hic Romæ Senatorum numerum trucidari iussit interque eos celebrem illum ICtum Papinianum, Præfectum vrbis. Postremo & ipse opera Macrini Præfecti Prætorio trucidatus est per militem quendam, cui Martiali nomen erat, cuius Caracalla fratrem interemerat. Corpus eius remissum fuit ad Iuliam, quæ nouerca eius simulq; vxor fuerat, quæ in cadauer incumbens occidi se passa est. Hic fuit incestarum nuptiarum exitus. Vixit Bassianus XLIII. annos, regnauit VI.

XXVI. ANTONINVS GETA & ipse Seueri Imperatoris minor filius, à patre in imperii societate fratri prælatus, magnam paternarum virtutum admodum adolescens spem præbuit. Hac de causa Bassianus in mortem eius cum conspirasset, nactus fratrem solum in cubiculo matris Iuliæ, quæ post Bassiani matrem Seuero nupserat, interfecit adolescentem: quo parricidio plurimorum odia sibi conciliauit Bassianus.

XXVII. Excepit hunc MACRINVS A.M.MMMMCLXXXII. A. V. C. CMLXX. Anno Christi CCXX. Hic cum esset Præfectus Prætorio à militibus qui in Assyria erant, Imperator salutatus est, cum olim fuisset Tabellio Commodi, ex seruo libertus factus. Filium Diadumenum à principio imperii sibi socium adsciuit. Fuit hic ocio & aleæ deditus, cumque natura esset auarior, à militibus odio habitus est accedente crudelitate, cum inuentor esset noui supplicii quod tale erat. Duo quidam milites quod vxorem hospitis sui violauerant, viuos in sui iussit detractis recentibusque boum coriis extante solo capite vtriusque, vt colloqui possent, nec passus est eximi donec scaturientibus vermiculis, & corpora eorum erodentibus fœtore extinguerentur & putredine. Cæsus est Antiochiæ cum solos regnasset menses XIV.

XXVIII. VARIVS HELIOGABALVS Bassiani filius creditus, auiæ Mæsæ artibus ad imperium peruenit A.M.MMMMCLXXXIV. A.V.C. CMLXXII. Christi, CCXXII. Alexandrum consanguineum imperii socium sibi assumsit, matremque inter Senatores recipi, & ius ferendæ sententiæ vt Senatorem habere voluit. Et quidem tulit ipsa leges quasdam, quæ *Matrimoniales* appellatæ sunt. ipse Heliogabalus obscænis tacendisq; libidinibus totus deditus, Neronemque ac Caligulam fœditate supergressus, monstrum se potius quam hominem ostendit: adeo vt Vestales virgines constupraret, sibique ipsi virilia excindi pateretur, vt vel hac parte fœminam referret. Quin & nubere sese, & pati muliebria stolidissime simulauit. Cumq; ad omnium vitiorum summam peruenisset, occisus est in cloaca, vbi se occultauerat, corpusque eius in sterquilinium abiectum, cum non nisi XVII. annis vixisset, regnasset autem II. mensibus VIII.

XXIX. ALEXANDER SEVERVS consensu Prætorianorum & Senatus Imperator factus est A.M.MMMMCLXXXVII. A.V.C. CMLXXV. ann. Gratiæ CCXXV. cum iuuenis admodum esset, vsus fideli in regendo imperio Vlpiani consilio. Mitis hic natura nullum prope seueritatis edidit documentum, præterquam quod Thurinum Veronium fumo necauit, quod iustitiæ transgressus limites ab vtraq; litigantium parte pecunias accepisset. Edicta quæ proponebat inuiolabiter seruari volebat, in quibus etiam illud perscriptum erat. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Odio habitus à milite, quem nimis seueriter habere de consilio Vlpiani existimabatur, interfectus est in Gallia, annitente potissimum Maximino, annoætatis XXXIX. imperii XIII.

XXX. MAXIMINVS humili ortus genere in Thracia, patre ac matre barbaris, Imperator à militibus salutatus est, auctoritate Senatus non accedente A.M.MMMMCC. A.V.C. CMLX. XXIIX. Christi CCXXXIIX. filium eiusdem secum nominis imperii socium dixit. Pastorem eum primo in Thracia fuisse perhibent, deinceps Romã venisse imperante Seuero, cui commendatus est inusitata corporis magnitudine & robore, accedente celeritate cursus, quo celerem equum adæquare reditus est. Hinc inter stipatores corporis Bassiani receptus, mille peditum est adeptus præfecturam. Postremo factus Imperator, crudelis & supra modum superbus euasit, vt Senatus hostem imperii eum declarare coactus fuerit, ob magnitudinem flagitiorum hominis. Seruos ac familiares Alexandri antecessoris sui crudelissimis modis extinxit, vt immanitatem hominis perosi milites, cũ nossent animum Senatus Maximino eiusq; filio ceruices preciderent intra tentorium, cum circa meridiem vterq; se quieti dedisset, patre agente sexagesimum annum; filio autem decimum nonum, cum tres annos simul imperassent.

XXXI. GORDIANVS SENIOR iuuitus ad imperium raptus est, cum filio cognomine, agens annum sexagesimum, vt populum Rom. à Tyrannide Maximini assereret. Interfecto autem filio, Gordiano Iuniore, miserabilis senex furo-

rem

rem militum metuens, senile collum laqueo fregit, malens deformi hoc lethi genere perire, quam ab iis excruciatus ludibrio haberi, cum non amplius quinq; mensibus regnasset. Mors eius multis tristitiam attulit, cum bonus haberetur Princeps, qui præter prudentiam senilem in pingendi quoque & sculpendi arte multum valeret.

XXXII. PVPIENVS MAXIMVS fabri ferrarii filius, cum fortiter faciendo per omnes militiæ gradus ad summas dignitates euasisset, tam durus & superbus euasit, vt magnam in Romanos exerceret crudelitatem, vnde concitati milites, facta coniuratione, excitatoque tumultu contra eum & Albinum, è Palatio raptos ad castra deduxerunt, ibique trucidauerunt, cum vix biennium imperassent.

XXXIII. CÆLIVS BALBINVS cum Pupieno imperium nactus, ad reprimendam Maximini malitiam electus est. Erat hic natus in Hispania, vir catus & versutus, & qui compressit seditiones, quæ quotidie Romæ oriebantur, ad quam rem multum faciebat hominis prudentia cum eloquentia coniuncta. Deinceps autem aduersæ fortunæ acerbitatem ita expertus est, vt extincto Gordiano vtroque, cum Romani ad tertium Gordianum aliquem adspirarent, optarentque Balbinum & Maximum abdicare se dignitate, vterque intellecta mente populi à militibus trucidatus fuerit, cum præfuissent rebus annis duobus.

XXXIV. GORDIANVS II. cum annum ageret XVI. auspicatus est imperium, A. M. MMMMCCIII. A. V. C. CMXCI. ann. salutis CCXLI. trucidato Maximino cum filio in obsidione Aquileiæ, Pupieno autem & Balbino Romæ cæsis. Fuit hic Princeps amans iustitiæ & honestatis, pacis & affabilitatis studiosus, eoque nomine omnibus charus, vt nihil præter ætatem ad res summas ei deesse videretur. Philippus enim quidam Arabs, vt illum in odium apud exercitum vocaret, criminatus adolescentiam eius, nouem Prætorianis persuasit, vt eum obtruncarent, cum regnasset annos VI.

XXXV. VALENS HOSTILIANVS ab Senatu Romæ Imperator creatus, vt daret operam ne nouis moribus peruerteretur Respublica, audita cæde Gordiani, qua omnium percellebantur animi non defuere Hostiliano omnes magnæ ad imperandum virtutes, sed cum iam morbis esset oppressus, paulo post vinendi finem fecit.

XXXVI. Per cædem Gordiani Principis PHILIPPVS ARABS ad imperium prorupit A. M. MMMMCCIX. A. V. C. CMXCVII. ann. Gratiæ CCXLVIII. Romam venit anno II. imperii sui, celebrauitque ludos Seculares Kalendis Maij, anno qui millesimus erat ab Vrbe Roma condita. Funestus autem casus interuenit huic lætitiæ, magna parte vrbis fortuito incendio absumta, ob crebras funalium ac cereorum nocturnorum discursationes. Aiunt hunc primum ex Imperatoribus Romanis Christianismum amplexum, cuius odio Decius in Illyrico seditionem aduersus eum mouit, arrepto Imperatoris nomine. Proficiscens igitur cum exercitu ad compescendum Decium, filium suum Romæ reliquit. At Prætoriani offensi ceruices præciderunt adolescenti. Quo intellecto milites Philippi, & ipsum Imperatorem obtruncauerunt, vbi Veronam cum exercitu venisset, imperauerat autem cum cæderetur annos V.

XXXVII. Post hunc DECIVS ad imperium peruenit A. M. MMMMCCXIV. A. V. C. MII. an. Christi CCLII. Natus erat in Pannonia inferiore nobili familia, assumsitque filium suum patri cognominem in Imperii societatem consentiente Senatu. Ingens hic fuit Christianorum persecutor, vt qui Romæ Fabianum Pontificem, Hierosolymis Alexandrum, Babilam Antiochiæ cum tribus filiis martyrio affecerit. Erant eo tempore Christiani vbique locorum in luctu & gemitibus, vt formidine compulsi in densis syluis inter spelæa ferarum latebras quærerent. Duobus prælijs cum Gothis congressus, in posteriore ipse cum filio occubuit, cum pater annum ageret quinquagesimum, & non nisi annos II. menses VI. regnasset.

XXXVIII. Q. HERENNIVS HETRVSCVS à plerisque non refertur in Imperatorum Catalogum, quanquam nonnulli imaginem ipsius inter Cæsarum exhibeant, addito quod filius fuerit Decii.

XXXIX. VIBIVS GALLVS HOSTILIANVS extincto Decio successit electus ab vna Legione quæ salua remanserat in conflictu cum Gothis. Hinc commendatus Senatui, ab eo ordine Augustus salutatus est, quanquam plus valeret fraude & astutia quam virtute, & aptior esset ad fusum columque quam gladium, quæ res magnis in imperio moribus causam præbuit.

XL. Qui vbi ex parte compositi sunt, virtute præstantissimi viri Æmyliani, & pax aliquo modo restituta, Gallus reuersus Romam VOLVSIANVM filium Imperii socium dixit, volens ipsum Augustum salutari. Cum autem vterque vitiis adobrutus esset, regnum eorum non futurum fuisset diuturnum, nisi horribilis pestilentia, quæ per integrum decennium durauit, vniuersum orbem miserabiliter afflixisset, nullo penitus loco excepto. Interea milites Æmylianum Imperatorem dixerunt. Hunc oppressuri Gallus cum Volusiano validum collegerunt exercitum, profectique contra Æmylianum cruentum commisere prælium, in quo vterque pater & filius occubuerunt, imperium cum victoria relinquentes Æmyliano, qui omnes Galli necessarios & amicos publico bello persecutus omnibus modis afflixit, vbicunq; eos nanciscereturr. Gallus regnauit annis II. mensibus VIII. Volusianus solis annis II.

XLI. De quibus cum reportasset victoriam in Mauritania ÆMILIANVS, feliciter persecutus

tus belli reliquias, quamuis humili natus genere, abusus fortunæ indulgentia, tam arrogans euasit, vt ausus fuerit ad Senatum scribere, breui se tempore Thraciam cum Mesopotamia & Armenia ab oppressoribus vindicaturum. Sed seipsum vana spe decepit. Agitantem enim hæc consilia triste perculit nuncium, milites Appii alium creasse Cæsarem, vt Æmylianum pellerent Imperio. Æmyliani copiæ, cum claritatem generis in nouo Imperatore, & humilitatem Æmyliani conferrent, facile cum Appianis consenserunt. Communi igitur vtrorumque opera trucidatus est, cum vixisset annis XL. regnasset mensibus III.

XLII. LICINIVS VALERIANVS electus ab exercitu in Vindelicia accepit Imperium A.M. MMMMCCXVIII. A.V.C.MVI. anno Gratiæ CCLVI. Ortus hic erat ex illustri Corneliorum gente, Senatuique gratus ob virtutem & fortitudinem, vnde communi Senatus omniumque prope exercituum consensu Imperator salutatus est. Fuit Licinius ab initio Christianis non admodum iniquus; sed postea ab incantatore Mago Ægyptii generis corruptus non solum acriter eos persecutus est, sed & idolis humanas victimas obtulit. Sed non diu perstitit hæc eius impietas. Profectus enim cum copiis contra Persas victus fuit acie, cepitque eum Sapores rex Persa, tanta virum ignominia afficiens, vt pede dorso ac ceruicibus eius imposito, pro scabello eo vteretur, quoties equum conscenderet. Tandem viuo ei cutem detrahi iussit, cum infelix Valerianus, non nisi duobus annis imperium obtinuisset.

XLIII. Capto patre Licinio GALLIENVS Augustus salutatus est A.M. MMMMCCXXIII. A.V.C. MXI. anno Christi CCLXI. Monstrum Neroni admodum simile, pestis generis humani crudelissimus ac teterrimus omnium qui fuerunt vnquam. Deditus enim suis voluptatibus, omne liberandi patris abiecit studium, quæ res in odium eum adduxit apud exercitum. Historiarum monumentis proditum est, triginta eo imperante siue Legatos siue præfectos copiarum, Imperatorium nomen arripuisse, qui & triginta Tyranni dicti fuerunt, & sese inuicem mutuis lanienis consumpserunt: quæ dissidia Imperium Romanum miseris modis afflixerunt. Ipse Gallienus cum aliquot præliis contra Postumum inferior fuisset, postremo ab Dalmata quodam cæsus est, cum præfuisset rebus per annos decem. Sub hoc Imperatore prima fit Francorum in Historiis mentio, qui pro Romanis arma sumsisse perhibentur.

XLIV. SALONINVS VALERIANVS capto apud Persas patre cum Gallieno fratre imperauit. Cumque Gallieno multum dissimilis esset, Princeps sapiens, modestus, sobrius, liberalis & doctus, dilectus obseruatusque est ab vniuerso Senatu. Verum odii, quo populus Gallienum persequebatur, pars aliqua etiam in Saloninum fratrem deuoluta fuit, nocuitque adeo virtutibus huius, vt facto aduerso in postumum prælio, Mediolanum vsque profugus seruare vitam non potuerit, sed à Francis cæsus interierit, vtriusque corpore Mediolani sepulto.

XLV. Imperio igitur Romano miserrimis modis afflicto, exercitus qui in Gallia erant, LABIENVM POSTVMVM Augustum dixerunt. At Gallienus & Valerianus fratres, cum tertium in Imperio ferre nollent, profecti cum copiis in Galliam aduersus Postumum ab eo acie victi cæsique sunt: quo prælio ipse totius Galliæ factus dominus, ab Lolliano partis copiarum præfecto vicissim obtruncatus est cum filio, quem pater in imperii societatem assumserat, & iam per omnem Galliam Augustum consalutari mandauerat.

XLVI. Anno Mundi MMMMCCXXX. A.V.C.MXXI. Christi CCLXXI. FLAVIVS CLAVDIVS Imperator dictus est, ab exercitu qui erat in Insubria, ratamque habuit senatus electionem. Verba quibus in senatu salutatus est, hæc fuisse perhibentur. *Flaui Claudi Imperator salue. Tu frater noster es, tu pater noster, tu noster amicus, tu optimus Senator, tu verus Princeps.* Ex quibus facile cognosci potest, qualis hic vir fuerit. Gothos magno prælio deuicit atque concidit: pulsoque Aureolo Tyranno mortuus est, cum imperasset annos duos.

XLVII. Huius frater AVRELIVS QVINTILIVS electus est ab senatu Imperator, non tam suis quam fratris virtutibus ac merito, cum ipse esset supra modum timidus & animo prorsus abiecto, præferens regno vitam priuatam. Vnde Legiones intellecto eius ingenio, fastidientes hominem, Aurelianum Cæsarem dixerunt. Quintilianus hoc intellecto, amens formidine, tristitiæ ac timoris vltra impatiens, impositis in aquam pedibus venas secari iussit, ne acerbitatem mortis persentisceret. Ita mortuus est die vigesimo septimo imperii.

XLVIII. Hoc pacto AVRELIANVS electus ab exercitu, imperium accepit A.M.MMMMCCXXXV. A.V.C. MXXIII. Christi CCLXXIII. homo militaris & acer, quod patuit, postquam Marcomannos & Sueuos, fortissimos Germaniæ populos aliquot præliis vicit, redditaque Italiæ pace Vrbem ingressus, ortas ibi seditiones composuit, capite plexis tumultuum auctoribus. Hinc ductis copiis aduersus Zenobiam, Palmyrenorum reginam, mulierem supra sexum magni animi, deuictam eam cepit, & in Triumpho duxit. Inde conuersis armis in Germaniam, Sueuos Bohemosque aggressus, feliciter cum illis conflixit: cumque signa in Orientem conuertisset, cæsus est à militibus haud procul Byzantio, cum imperasset an. V. mens. VI.

XLIX. TACITO virtutes Imperium contu-

lerunt

letunt A.M.MMMMCCXLI. A.V.C.MXXVIIII. Salutis nostræ CCLXXIX. electo ab Senatu, cuius arbitrio, exercitus Romanorum ius creandi Principis permiserant. Fuerat ante & ipse Senator, & ex hoc ordine ad thronum Imperialem sublatus, cum in hoc duntaxat suo Senatus vteretur iudicio. Tarsi è vita migrauit cum menses VI. dies XX. regnasset.

L. Hoc mortuo ANNIVS FLORIANVS frater Taciti Imperium inuasit. Cum autem homo esset ignauus, nec vllis se corporis aut animi dotibus commendaret, exercitus Probum ei prætulerunt. Tacitus periculum maius veritus, venas sibi secari iussit, mortuusq; est altero postquam imperare cœpisset mense.

LI. Anno Mundi MMMMCCXLII. A.V.C.MXXX. Gratiæ CCLXXX. in Tarsensi oppido VALERIVS PROBVS communi militum & Senatus suffragio Augustus consalutatus est. Francis autem & Allemannis Gallias vastantibus, omnes copias ab Oriente reuocatas in Galliam duxit, & vtrosque vicit. Gothos Asiæ imminentes repressit, Cyliam à latronum colluuie purgauit: cumque ociarentur milites, coegit eos circa Syrmium exhaustis aquis paludosa quædam loca abstergere, cuius laboris tædio concitati in eum irruerunt atque trucidauerunt, cum per annos sex imperio præfuisset.

LII. CARVS Narbonensis, Præfectus Prætorio A.M. MMMMCCXLVIII. A.V.C. MXXXVI. anno Salutis nostræ CCLXXXVI. Imperator creatus est. Assumsit hic sibi in Imperium duos filios, Numerianum & Carinum. Persas bellum mouentes aggressus vicit, & imperata facere coegit. Cum Sarmatis prospere conflixit, eorumque sedecim millia occidit, captis viginti millibus, ingentique præda. Et iam in eo erat, vt Ctesiphontem Vrbem caperet. Cæterum cum ad Tygrim fluuium venisset, tanta oborta est tempestas, tonitruis fulminibusque horrendis sæua, qualis vix post hominum memoriam audita fuerat, qua optimus princeps oppressus est cum alterum iam annum regnasset.

LIII. Successorem habuit Carus NVMERIANVM filium, hominem magnæ virtutis, & cui nihil deesse videbatur, cum esset orator optimus & eques validus, qui fortitudinis specimina ediderat in bello Persico sub Patre. Cum autem Numerianus ad exercitum esset, tristis & lugens patris interitum: Aper vitricus eius, Præfectus Prætorio consilium cepit interficiendi principis. Captata igitur occasione, cum is non mœstitia solum sed & morbo oppressus lectica veheretur, accurrit Aper quasi consolaturus hominem, admissusque interfecit Principem haud sane malum nefarius proditor, cum imperasset annis tantum duobus.

LIV. CARINVS cum hæc fierent, aberat in Gallia, indulgens genio & voluptatibus, quibus audita patris fratrisque morte finem imponere coactus est. Occupato enim imperio, factoque à Galliis initio causa fuit cruentissimi belli, vnde dictus fuit venenum & pestis generis humani, detestabilis apud omnes. Nouem vxores hoc monstrum duxit, quibus omnibus cum grauidæ factæ fuissent, porrecto abortiuo fœtus excussit. Interea Diocletianus Romæ electus se pro Imperatore & quidem satis commode gerebat. Hunc vt opprimeret Carinus, contracto magno exercitu accurrit, pugnatumque inter eos est aliquoties varia fortuna, donec postremo victis Carini copiis ipse quoque cæsus in acie occubuit, cum solos duos regnasset annos.

LV. DIOCLETIANVS, qui cum magnanimitate prudentiam coniunxerat, Imperator creatus est A.M. MMMMCCL. A.V.C.M.XXXVIII. anno salutis CCLXXXVIII. Maximianum Imperii socium adsciuit, quod cum videretur pluribus indigere capitibus, vterque sibi collegam nominauit, Diocletianus quidem Galerium Maximinum: Maximianus autem Flauium Constantium, Patrem Constantini Magni. Conuenerant Impp. Diocletianus & Maximianus apud Vrbem Nicomediam, vt penitus è medio tollerent Christianos. Igitur proposito edicto, imperauerunt, vt omnes Diis sacrificarent, nisi vellent capitis adire periculum. Durauit hæc persecutio integrum decennium, obseruatumque est, vno mense periisse septendecim hominum millia. Postremo Diocletianus & Maximianus eodem die abdicauerunt se imperio, & ille quidem hausto veneno seipsum vita priuauit cum imperasset annis viginti quinque.

LVI. Fuerat Diocletiani in Imperio socius & collega VALERIVS MAXIMIANVS homo crudelitatis furiosæ, & pene cerebro vacuus. Ingens sub hoc rusticorum tumultus exortus est, qui iugum magistratus excusserant: quos cum compescuisset Maximianus, profectus in Africam, maxima confecit negotia. Deuicit ibi Gentianos, erecto de iis trophæo ad immortalem memoriam. Abdicauit se imperio, quo potitus fuerat per viginti annos, reuersusque ad sua prædia, priuatam vitam antepoluit regno.

LVII. CONSTANTIVS princeps placidus & humanus vocatus ad Imperii administrationem, diuisit illud cum Galerio Maximino nactus ipse pro sua parte Galliam, Hispaniam, Italiam, Allobrogesque, quas prouincias omnes singulari dexteritate rexit. Hinc profectus in Asiam Persas domuit, obiitque postremo diem suum in Britannia, cum ann. IV. Imperium tenuisset.

LVIII. GALERIVS MAXIMINVS in sortitione Imperii adeptus fuerat cum Oriente Illyricum Græciamque. Aiunt illum armentarii filium fuisse crudelemque inprimis & sanguinarium, barbarum, robustum, audacem, vnde magnas res in militia effecit. Allegit sibi socios Imperii Maximinum & Seuerum, reseruato sibi Illyrico, quo se cum vxore recepit.

Corre-

Correptus autem grauissima ægritudine, cum se euadere non posse videret, manus ipse sibi attulit.

LIX. MAXIMINO II. ad Imperii societatem allecto peculiariter cesserunt prouinciæ Orientales, qui & ipse postea sibi adsciuit Licinium, hominem potentem, quamuis eum postea facti pœniteret, sed tardius. Ipse Maximinus homo fuit strenuus, qui Persas aliosque in Oriente Barbaros aliquot præliis deuicit. Cæterum miseros Christianos persecutus varias in eos exercuit carnificinas. Hinc ipse diuinitus crudeli morbi genere affectus est, correpto inguine eius horribili putredine, vt ob fœtorem nemo propius ad eum accedere potuerit. Cum autem vis mali superaret patientiam, tædio morbi sibi ipsi manus intulit, cum annis sedecim imperasset cum collegis, duobus autem solus.

LX. SEVERVM assumserat sibi Galerius Maximinus, virum bonum fortemque, cui cruentum intercessit bellum aduersus Maxentium. Verum hic tam lepide nouit tractare Prætorianos, vt Senatu contradicere non ausо Imperator creatus fuerit. Seuerus eum prælio inferior fuisset, turpi fuga sibi consuluit, sed Rauennæ captus crudeli mortis genere interemtus est.

LXI. MAXENTIVS ergo vafro astutoque vsus consilio ad Imperiale fastigium adscendit, cum omni ope annixus esset, vt à Prætorianis militibus electus, à Senatu insuper confirmaretur. Vir ingenio malitioso & callido, animi inquieti, pronus ad omnem nequitiam & crudelitatem, hinc non mirandum est, Seuerum, quanquam omni potiretur Italia Africaque, ab eo superatum cæsumque esse. At Constantinus hoc intellecto, qui tum in Gallia erat ad exigendam facti rationem cum copiis in Italiam mouit consertisque cum Maxentio manibus vicit hunc iuxta pontem Miluium, cum crudeliter & superbe imperasset per annos septem.

LXII. Allegerat sibi collegam Maximinus, LICINIVM, qui & successor illius factus est, quamquam humili loco natus, rudis inersque adeoque litterarum hostis esset. Diris hic persecutionibus afflixit Christianos, quare motus Constantinus Tyranno bellum intulit, in quo Victus Licinius, à suis ipse militibus obtruncatus est, cum natus esset annos septuaginta, imperasset quatuordecim. Vxor huius fuerat Constantia, Constantini Magni soror, ex qua is filium suscepit Licinium Iuniorem, qui & cum aliis Constantinum Cæsarem creauit.

LXIII. Licinius bellopetitus à Constantino MARTINIANVM Cæsarem dixerat, hominem inconstantem & leuem, sed satis audacem. Collegerat hic peculiarem exercitum, vt suppetias ferret Licinio aduersus Constantinum, sed victus fugatusque est. Christianorum hostis infensissimus, vnde miserabilem vitæ finem inuenit, cum annos quadraginta vixisset, II. imperasset.

LXIV. CONSTANTINVS MAGNVS cum in Gallia esset, fuit reuocatus à Senatu, vt profligaret Maxentium. Dubitanti, proficisceretur-ne cum exercitu, mirabile ostentum crucis forma in cœlum suspicienti oblatum dicitur, coloris ignei, cum hac inscriptione; IN HOC VINCES. Vnde confirmatus animo, Romam proficisci statuit, vt debellaret Maxentium, quem etiam in Tyberim abiectum demersit. Quo Maxentii interitu euenit vt Constantinus & Licinius soli imperarent. quod factum est A. M. MMMM CC LXII. A. V. C. M.LX. ann. salutis CCCL. Constantino in Occidente; Licinio vero in Oriente rerum gubernacula obtinente: vixeruntque concorditer hi duo, vsque dum Licinius odii sui in Christianos venenum exereret, eosque omnibus in locis persequeretur, vt ad Constantinum confugere necesse haberent. Qui motus pietate in miseros, copias contraxit, mouensque cum filio suo Crispo in eum, assecutus Licinium iuxta Adrianopolim acie vicit occiditque & solus vtrumque imperium obtinuit. Omisso igitur bello ad pacis artes conuersus, stabiliuit Rempublicam, restituta religione, iustitia & bonis legibus. Anno Imperii sui sexto & vigesimo orsus est ædificare Byzantium, & de suo nomine Constantinopolim appellare, estque deinceps Roma eo translata sedes imperii. Vixit annos sexaginta sex, Imperio præfuit XXX. menses decem, dies vndecim. Scribunt eum statuisse sacrum Baptisma suscipere in Iordane fluuio, sed præuentum morte fuisse.

LXV. Mortuo Licinio CRISPVM filium in Imperii societatem admiserat Constantinus pater, adolescentem doctum probumque, qui præceptore vsus fuerat Lactantio Firmiano. Tyrocinia belli fecit in pugna contra Licinium, sed non diu superuixit. Quidam hanc causam mortis eius afferunt. Faustam nouercam Crispi, alteram Constantini vxorem, de commercio stupri appellasse iuuenem, qui considerata sceleris enormitate consentire minime voluerit. Repulsam passam mulierem, verso amore in odium, querelam ad coniugem detulisse, sollicitatam se à Crispo de adulterio: vtque narrationi fidem conciliaret lamentabili voce non sine gemitibus ac lacrymis hæc protulisse. Constantinum præcipiti credulitate imperasse, vt adolescens è vestigio occideretur. Alii dicunt, Imperatorem cognita rei veritate Faustam vxorem interfici iussisse.

LXVI. Annus mundi MMMMCCCIII. sequitur, qui est à Roma condita MXCI. à Christo nato CCCXLI. Hoc anno tres filii Constantini Magni pariter successerunt patri, qui condito testamento imperium inter ipsos partitus erat hoc modo: Vt CONSTANTINVS natu

natu maximus possideret Gallias, Hispaniam, Alpes & Insulas Britannicas. Cõstanti vero cederet Italia, Africa, Græcia cum Illyrico. Tertius Constantius dominaretur in oriente. Enimuero natu maximus, cum superbior esset cæteris, & maiore regnandi prurigine æstuaret, non cõtentus suo patrimonio, bellum fecit Constanti fratri, Italiam ei auferendi animo, quam cum vix attigisset cũ suis copiis, victus acie prope Aquileiam ciuitatem, equorum pedibus conculcatus est, periitq; annum agens vigesimum quintum, cum tres solos annos regnasset.

LXVII. CONSTANTI deuicti fratris regna & possessiones cesserunt vniuersæ, victoria potito, quã adeptus fuerat ætatis suæ anno 20. Iustum ac fortem se ab initio præstitit, quas tamen virtutes Arrianismo fœdauit, magnus Catholicorum persecutor, quos crudeliter afflixit. Vnde cum in multorum incurrisset odium, Augustæ Vindelicorum creatus est Imperator Magnentius, qui constantem in lectulo cubantem iugulauit. Obseruatione dignum est in huius principis cæde, quod interfectus est ab eo, quem in Dalmatia à militibus ad necem quæsitum, pallio suo texerat, & à præsenti morte seruauerat.

LXVIII. Supererat vltimus de Constantini M. filiis CONSTANTIVS. Hic cũ exercitu sexaginta milliũ bellatorũ cõtra parricidã Magnentiũ profectus, obuium eum habuit in Illyrico cum triginta millibus, in quo numero multi Germani erant, tam Franci quam Alemanni. Commisso prælio victoria penes iustiorem Constantium fuit. Magnentius fuga elapsus Lugdunum peruenit, vbi cum plerosq; amicorum, quib. parũ fidebat, morte affecisset, sibi quoq; violetas manus attulit: & hac ratione Constantius solus Imperio potitus est. Multa bella gessit contra Francos & Alemannos. Iulianum patruum Cæsarem creauit, inque Germaniam misit, vt collisum eũ cum ferocissimis gentibus tolleret, & ita vtrosq; perderet, dum ipse contra Sarmatas Persasque bellum gerit. In Cylicia cum esset, febri correptus vitæ finem fecit cum vixisset annos XLI. imperasset XXIV.

LXIX. MAGNENTIVS interfecto principe suo Constante Imperiũ arripuit, quod non diu obtinuit, fractus fugatusq; à Constantio, vt diximus. Dominatus tamen est annis III. mensibus VI.

LXX. IVLIANVS cognomine APOSTATA anno reparatæ Salutis CCCLXV. in Imperii societatẽ à Constantio assumtus, regnauit simul cũ eo per spacium 6. annorũ, postea anno vno & mensibus 7. solus Imperator fuit. Adolescens cum esset, ab Episcopo Nicomediensi in doctrina Christiana institutus adeo profecit, vt Lectoris munus in Templis obiret, & palam se Christianum profiteretur. Cum autem clanculum auditor esset Libanii Sophistæ, imbutus est ab eo placitis & opinionibus Iamblichi & Maximi, profanorum Philosophorum, quorum adeo probauit delira, vt dedignatus Christianam religionem, gentilium sectaretur impietatem. Solus autem Imperio potitus non solum Christianos palam odio habuit, sed & in secreto humanas hostias immolauit, publicatisque contra Christianos edictis, eos ab omnibus publicis muneribus arcuit, aperuit delubra Idolorum, quæ Constantinus clauserat, noluit filios Christianorum in scholis erudiri, scripsitq; ipse contra eos, in quorũ odiũ exhortatus est Iudæos, vt instaurarent statũ cultumque suum. Postremo misere periit annum agens XXX.

LXXI. IOVIANVS siue IOVINIANVS huic successit, bonus Christianusq; Princeps malo & Apostatæ, circa annum mundi MMMM. CCC.XXIX. A. V.C. MCXVII. Salutis nostræ CCCLXVII. Pacem cum Persis sanxit, reuersusque in Asiam, plures populos multasque Ecclesias salutari pace beauit. Qui Christianæ fidei causa pulsi fuerãt eos ab Exilio reuocauit, restituit templis collegiisque Christianorum reditus ac salaria, quæ Iulianus abstulerat, occlusisque iterum fanis idolorum, mortuus est, cum solos octo menses imperasset.

LXXII. An. mũdi MMMMCCCXXX. vrbis MCXVII. Gratiæ CCCLXVIII. VALENTINIANVS ad Imperiale fastigiũ cõscendit. In Pannonia natus à Iuliano honoribus bonisq; priuatus fuerat, quod Christianum se profiteretur. Vir bonus & prudens, qui vocatum è Pannonia fratrem Valentem Imperii consortem fecit, deinde etiam Gratianum filium. Valentinianus relicto fratre in orientis partibus, in Galliam profectus est, vbi cum Alemannis & Saxonibus congressus aliquot præliis eos vicit. Falsarios & qui iniquo pondere ac mensura vterentur, acriter puniuit, præcisis eorum manibus. Correptus febre obiit in Pannonia anno ætatis LV. cum imperasset an. 11. menses 8. dies 20.

LXXIII. VALENS à fratre in regni societatẽ allectus superuixit illi trienniũ homo rudis, ingenio fero & crudeli, qui cõtẽtis monitis fraternis Arianorum placita amplexus, Christianis multis modis nocuit. Bellum fecit Procopio, qui proditus desertusque à suis Valenti deditus, & ab eo trucidatus est, in prælio quod cum Gothis commisit iuxta Adrianopolim, accepto graui vulnere cum in propinquum tugurium delatus esset, Gothi subiecto igne viuũ eum cum casula cremauerunt, postquam annis 15. mensibus V. imperasset.

LXXIV. GRATIANVS & VALENTINIANVS II. filii Valentiniani primi simul Imperatores facti sũt A.M. MMMMCCCXLIV. A.V.C. MCXXXII. Gratiæ CCCLXXXII. Gratianus cõmunicauit potestatem cum Theodosio, quo cum imperauit annis IV. cum ante regnasset an. 8. cum Patre, & an. III. cum patruo suo Valente. Fuit Princeps doctus, & qui inter præstantissimos sui æui Poetas & Oratores haberi posset. Valente Arriano mortuo, reuocauit ab exilio Christianos Episcopos, eiectis hæreticis, factumque est illius opera, vt communi consensu Symbolum Nicenum ea quam habemus forma concipe-

retur. Reuersus in Galliam, cum multo in maiore precio haberet milites Germanos quam Romanos, offensus Lugdunensis Galliæ præfectus gulam ei præsecuit, nato iam annos triginta duos.

LXXV. Successit huic MAXIMVS homo crudelitate cæterisq; vitiis obrutus, nõ veritus Gratiano domino suo sceleratas manus iniicere, qui tamen multum ei fidebat. Arrepto Imperio Valentinianum II. Gratiani fratrem prælio vicit, qui fuga elapsus ad Theodosium venit in orientem: vbi coniunctis viribus cum validum contraxissent exercitium, profligatum Maximum mori coegerunt, non nisi vno anno Imperio gauisum.

LXXVI. VALENTINIANVS II. adiutus copiis à Theodosio, in Galliam reuersus, eam Imperatorio nomine rexit annis VII. Eugenius autem libellorum magister & Arbogastus, natione Gothus, copiarum præfectus, cubicularios Valentiniani pecunia corruperunt, vt versanti Viennæ Allobrogum Principi gulã laqueo fregerint. Eugenius cum se Imperatorem nominasset, captus & ad Theodosium perductus est, ad cuius pedes cum se abiecisset veniam orans, à militibus exacerbatis frustillatim concisus est. Arbogastus se ipsum interemit.

LXXVII. Anno mundi MMMMCCCXLV. A.V.C. MCXXXIII. Gratiæ CCCLXXXIII. THEODOSIVS natus in Hispania ex familia præ-nobili in Imperii societatem venit. Fuit hic vltimus Imperatorum qui orientem & occidentem simul obtinuit. Victo occisoque Maximo reuersus Romam, Idolorum delubra claudi iussit, abolitis in vniuersum sacrificiis Gentilium, profanisque ceremoniis ac sacris, quæ vt & Bacchanaliorum turpitudo, Romæ obseruata fuerant vsque ad tempora Valentis. Substituit his superstitionib. Religionem Christianam, stabiliuit bonas Leges & Iustitiam. Agitanti hæc superuenit nuncius, Valentinianum strangulatum, Eugenium & Arbogastum ingenti cum exercitu Alpes petere, edito in vulgus, eo se id facere consilio, vt restituerent vetustos Romanorum deos & prisca sacrificia. Theodosius nihil territus, eos adoriri statuit, inscriptoque Prætorio signo nomine CHRISTI cæterisque vexillis, & cum nocte quadam somnum caperet, visus est sibi per quietem videre quendam exhortantem, vt magno animo iret in hostes. Quod Theodosius sollerter executus, magnam eorum stragem edidit, potitusq; egregia victoria mortuus est Mediolani, anno ætatis suæ LXV. A.D. XVII. Septembris mensis, cum imperasset an. XVII.

LXXVIII. Theodosio optimo Principi è viuis sublato succedere in Imperio filii, ARCADIVS & Honorius fratres. Et Arcadius quidem Orientis Imperator factus est A.M. MMMM CCCLXII. A.V.C. MCL. Gratię CCCC. Princeps insigniter bonus, Christianismo addictissimus. Constituerat ei pater Tutorem Ruffinum, existimans eum fidelem fore filio. At Ruffinus natione Gallus, cum ad Imperium animum adiecisset attraxit Alaricum Gothorum Regem, vt Arcadio terrorem incuteret. Patefacta autem proditione Ruffinus cæsus est à militibus Italicis. Superuixit patri Theodosio Arcadius annis XIII.

LXXIX. HONORIO minori Theodosii filio, Arcadii fratri, occidentis imperium cessit. Tutelam eius gessit Stilico. Anno Imperii eius vndecimo, Christi nati CCCCXI. Radagisus Gothorum Rex in Italiam irrupit cum exercitu ducentorum millium; verum hæ tãtæ copiæ industria Stiliconis fusæ ac dissipatæ sunt, ipse Radagisus captus & laqueo suspensus est. Tanta potitum victoria Stiliconem apud Honoriũ in suspicionem affectati Imperii adduxit, vt virũ de se bene meritum trucidari iusserit cũ filio Eucherio. Alaricus cum magna Gothorum multitudine reuersus in Italiam Romam obsidione cinxit, & elapso biennio vrbem cepit, A.D.I. Aprilis mensis, anno Imperii Honorii XVI. Gratiæ vero CCCCXIV. regnauit hic an. XVI.

LXXX. THEODOSIVS II. Arcadii filius patri successit annos natus nouem, Honorio occidẽtis imperium iam decimum quintum annũ obtinente. Tutore vsus est Anthemio, qui adolescentem salutaribus præceptis imbuit, instituitque in iis quæ ad veram pietatem & reipublicæ curam pertinent. Pacem cum Gothis fecit, bonaq; eorum opera vsus est aduersus Hunnos & Persas. Ecclesias dissidentes conciliauit, cõgregauitq; concilium in vrbe Epheso contra Nestorium, mortuus Constantinopoli cum regnasset annos XLII. vixisset LI.

LXXXI. VALENTINIANVS III. mortuo Honorio per Theodosium II. in Imperii cõsortium ascitus est A.M. MMMMCCCXCII. A.V.C. MCLXXX. Christi CCCCXXX. Imperii Theodosii II. anno IX. Fuit hic postremus Imperatorum occidentis vsq; ad Carolum Magnum. Homo turpis, adulteriis & magicis incantationibus deditus, ingratus in militiæ duces, quibus pro fideli opera mortem rependit. Bonifacium Legatum suum Africæ præfecerat; verum is acie victus est à Vandalis, qui & ipsam Carthaginem occupauerunt anno XXXIV. Imperii Theodosii II. Valentiniani III. autem XVII. anno Salutis nostræ CCCCXLV. Imperauit annis XXX.

LXXXII. MARTIANVS Theodosii Legatus successit Principi suo in Imperio orientis, A.M. MMMMCCCCXVI. V.C. MCCXIV. Gratiæ CCCCLIV. homo non minus pietate quam fortitudine & prudentia insignis, aptus ad sopiendas Ecclesiarum discordias. Cum Persis pacem fecit, vt & cum Vandalis in Africa, cumque regnasset annis VI. mortuus est Constantinopoli.

Obseruabit hoc loco Lector post obitum Valentiniani III. Imperium Romanum misere dissipatum & in partes scissum fuisse. Franci enim, qui magnam Germaniæ partem incolebant, Galliam; Ostgothi Pannoniam; VVestgothi Hispaniam; Saxones Britanniam; Vandali Afri-

li Africam occupauerant. In Italia vero complures Cæsarum appellatione abutebantur, vt spacio XX. annorum nouem Imperatores fuerint, qui sibi mutuo succesſerunt, mutuis in se grassantes lanienis. Vltimus eorum dictus est Augustulus, ipsius nominis diminutione, Augusti Imperii ruinam præsagiēte. Odoacer enim, Rugiorum Princeps, homo Germanus, capta à turbis illis occasione, cum magna hominum multitudine se in Italiam effudit, vastauitq; eam totis annis quatuordecim Leone Magno Byzantij sedente. Ingressus igitur Italiam, Romam cepit, voluitq; Rex Romanorum & Italiæ dici, adscendensque Triumphantis ritu in Capitolium, corona sibi tempora cinxit: quo facto non solum Romam sed & vicinas ciuitates summis periculis, cædibus, & spoliationi exposuit. Homo mire prodigus, qui tertiam Imperii partem assectis suis donauit, qui vitiis ac probris cooperti dominati sunt Italia vsq; ad tempora Iustiniani Principis.

LXXXIII. LEO MAGNVS, Thrax, Constantinopoli Imperator electus est, concordibus Senatus & militum suffragiis, corona cinctus per Anatolium Patriarchā A. M. MMMMCCCCXXIII. A.V.C. MCCXXI. Christi CCCCLXI. Princeps bonus Deiq; timens. Regnauit annis XVII.

LXXXIV. ZENO gener & dux exercitus Leonis, beneficio filii ad Imperiale culmen conscēdit. Leo enim Magnus testamento condito Leonem II. Imperatorē sibi substituerat. At vero adolescēs moriens patrem Zenonem hęredem habuit; qui Theodoricum Gothum, quo cum pacem colebat, in Italiam misit, vt opprimeret armis Odoacrum, qui victus à Theodorico & in acie cæsus est. Huius tempore maxima pars Cōstantinopoleos horribili igne conflagrauit, periereruntq; eo incendio vltra viginti sex millia librorum manuscriptorum, quæ rei litterarię non exigua iactura fuit. De Zenone ferunt, fuisse ipsum crudelem, & ebrietati supra modum deditum, plenum autem vino in omni se volutasse turpitudine, vt vxor eius, tædio hominis capta, viuum eum sepeliri mandauerit, postquam regnasset ann. XVII.

LXXXV. An. mundi MMMMCCCCLVI. A.V.C. MCCXLIV. Salutis CCCCXCIV. ANASTASIVS ad Imperium peruenit, promotus ad hoc fastigium per vxorem Zenonis. Acquisiuit sibi liberalitate fauorem populi, cum quædā tributa rei remisisset. Cōpescuit seditiosos, fecitque cum Persis inducias. Cæterum Eutychianorum hæresi aperte fauit, electo ex vrbe Euphemio, à quo coronatus fuerat, cuius successorem Macedonium etiam occidit, multisq; modis afflixit Ecclesias, cum iā grandæuus LXXXVII. annos natus esset. Tactus est fulmine de cælo, cum imperasset XXVII. annis.

LXXXVI. Sequutus est hūc IVSTINVS Thrax, Opilionis (vt aiunt) filius, circa annum mundi MMMMCCCCLXXXIII. A.V.C. MCCLXXI. Gratiæ DXXI. cū ob vires corporis fuisset præfectus stipatorum Anastasii, & à militib. dilectus. Acceperat hic pecunias ab Amantio, vt Prætorianorum emeret suffragia pro amico suo Theocritiano. Sed Iustinus suas potius res egit, effecitq; hac largitione, vt ipse diceretur Cæsar. Amātius & Theocritianus vltionēde eo sumere cogitabant, sed Iustinus præuentos eos neci dedit. Expulit hic Arrianos, multumque fecit prō Ecclesiis orientalibus. Senior factus Imperatorem dixit nepotem suum Iustinianum, præsente Epiphanio Patriarcha & Senatu, qui Epiphanius etiam coronauit Iustinianum eiusq; vxorem, ipse mortuus est anno XI. Imperii sui, relicto hærede Iustiniano quem adoptauerat.

LXXXVII. Qui IVSTINIANVS Iustini ex sorore nepos, cum succesſisset auunculo Belisarium legatum suum misit contra Persas, quib. oppressis pacem dedit. Idem in Africā missus, Carthagine potitus est, capto Gilimero Vandalorum Rege, qui fuit vltimus illius gentis rex in Africa. Pari felicitate vsus est Belisarius in Italia, in qua quinquennii spacio omnia recepit oppida, quæ Gothi occupauerant, cum ipsa vrbe Roma, quāquam postea Totilas Gothorum potentiam in Italia instauauerit, vt necesse fuerit, Narsetis opera eos denuo profligare, qui id quidem feliciter effecit, sed pro Gothis expulsis Longobardos attraxit. Imperante Iustiniano Leges in vnum velut corpus contractæ sunt, quod postea IVRIS CIVILIS nomine appellatum fuit. Habitum insuper est Concilium Constantinopoli, erectæq; nouæ munitiones aduersus incursus barbarorū. Imperauit autem Iustinianus annis XXXVIII.

LXXXVIII. Excepit hunc in Imperio filius IVSTINVS II. siue MINOR A. M. MMMMDXXVIII. A.V.C. MCCCXVII. Gratię DLXVI. Hic vectigalibus & vsuris modum posuit, quanquā morbis impeditus cogitata penitus efficere nō potuerit. Persis tamen bellum fecit per Martinū ducem copiarum suarum, quod IV. annis duraūit. Sub hoc principe cæpit Exarchatus Rauennensis & regnum Longobardorum in Italia. Anni Imperii eius fuerunt vndecim.

LXXXIX. Erat annus mundi MMMMDXXXIX. Romæ cōditæ MCCCXXVII. Gratiæ DLXXVI. cū TIBERIVS II. ad Imperium venit, coronatus cū vxore sua per Eutychū Patriarchā. Perseuerauit hic in fide Catholica, multaque liberalitate adiuuit pauperes, exercuitq; iustitiam in omnes. Cum aliquando reperisset crucē marmori insculptam, humi positam, tolli iussit, neq; passus est, vt super eam pedibus incederetur. Mauritium Cappadocem aduersus Persas misit, qui eos acie vicit, recuperata Mesopotamia. Huic cum triumpho reuerso Tiberius filiam suā Constantiam vxorem dedit, eumq; Imperatorē designauit spectante exercitu. Post mortuus est, cum imperasset annis tantum VII.

XC. MAVRITIVS CAPPADOX succesſit Socero anno A.V.C. MCCCXXXIV. Gratiæ DLXXXIV. coronatus per Patriarcham Iohannem, dictum Ieiunatorum. Cacanus Hunnorū rex occupauerat Syrmium, oppidum Imperii, viceratq; Mauritium ingenti prælio in quo XII. Romanorum millia cepit, cum repēte pestilentia Castra eius inuasit, qua septem filii Cacani vno die extincti sunt, quo malo territus Rex Barbarus

barus retrocessit, nũciauitque Mauritio, vt pro singulis captiuis singulos sibi penderet nummos aureos, se eos dimissurum. Quod cum Mauritius renuisset, irritatus Cacanus, omnibus capita præcidi iussit. Hoc facto tam impio ad iram concitati milites, cum aliæ quoque causæ accederent, mota seditione ab eo defecerunt, vnde paulo post à Phoca præfecto suo iugulatus est ipse cum vxore liberisque annum agens LXIII. cum regnasset 20. annis.

XCI. Anno igitur mundi MMMMDLXVI. A.V.C.MCCCLV. salutis DCIV. PHOCAS natione Thrax, stirpe ortus humili Imperium inuasit, accepitque coronam è manibus Cyriaci Patriarchæ in suburbio Constantinopolitano: nec contentus interemisse Mauritium, omnes quoque amicos eius & familiares trucidari iussit homo crudelis, malitiosus, dissolutus, raptor alienarum vxorum, lanio innocentum hominum, Verres prouinciarum, ebrietati libidinibusque deditus: quibus vitiis dum volutatur, Cacanus Hunnorum rex & Persæ vastauerunt imperium. Cosroes enim Persa Hierosolyma cũ tota Syria eripuit Romanis, interfectis XC. Christianorum millibus, abstulitque verã crucem, in qua seruator noster pependerat, vnde ingens Phocæ conflatum odium. Priscus enim genere eius ascito sibi Heraclio præfecto Africæ & Photio quodam, cuius vxorem rapuerat Phocas, facta conspiratione simul cum copiis Constantinopolim ingressi, capto Phocæ crura & brachia præciderunt cum partibus genitalibus, ad extremum capite trũcauerunt cum imperasset annos 8.

XCII. Successit ei HERACLIVS Heraclii filius, Præfectus Africæ, qui communibus Senatus & exercitus suffragiis Imperator creatus est A.M.MMMMDLXXIV. A.V.C. MCCCLXIII. Christi DCXII. Diademate cinctus per Papã Sergium eodem die vxorem duxit Fabiam Eudoxiam, quæ & ipsa coronata est. Cum Hunnorum rege Cacano pacem fecit, missisque legatis ad Cosroem, eundem quoque de pace sollicitauit. Respõdit Persa, non depositurum se arma, donec abolito seruitio Christi, Persarum dii in omnibus locis colerentur. Nõ est responso Barbari perculsus Heraclius, sed collocata in DEVM fiducia armata manu in Syriam contendit. Cosroes retrocedens euidenti diuinæ vindictæ exemplo punitus est. Instituerat hæredem regni minorem filium Mardassem. Indignatus Siroes maior natu, cepit patrem, interfectoque fratre ei ceruices præcidit. Post rex factus Persarum, pacem sanxit cum Heraclio, restituitque liberati captiuos, inter quos & fuit Zacharias Patriarcha Solymorum, reddidit etiam crucem Dominicam. Imperante hoc Heraclio detestabilis blasphemia Mahometis initium cepit, ipse vero rerum potitus est per annos 31.

XCIII. Sequutus est patrem in Imperio CONSTANTINVS III. filius magno cum assensu Senatus anno Christi DCXLIV. In bello contra Saracenos admodum fuit infelix. Fratrem Theodosium mori coegit, necauitque multos bonos viros, qui illum auertere conabantur à Monothelitarum errore. Eodem mandante Theodorus Calliopas, Exarchus Rauennensis Martinum Papam proditione captum Constantinopolim misit, vnde eum Constantinus exulatum misit in Chersonesum Tauricam, vbi paulo post fame interiit. In Italia cum Longobardis congressus victusq; inducijsq; cũ eis factis Romam spoliauit, inque Siciliam cum venisset, laqueo suffocatus est in balneo, postquam regnasset annos 27.

XCIII. CONSTANTINVS IV. cognomine Barbatus à patre in Imperii societatem assumtus est anno mundi MMMMDCLII. A.V.C. MCCCCXXIII. Christi DCLXX. eo tempore cum Saracenorum classis ad vrbem Constantinopolitanam primum accessit, vnde repulsi cæsique coacti sunt pacem cum eo facere in triginta annos, & tributa pendere. Congregauit hic Imperator sextum Concilium Constantinopoli aduersus Monothelitas, cumque Imperio orientali Ecclesiisque pacem reddisset, placide diem suum obiit, cum regnasset annis XVII.

XCIV. Constituerat iam ante successorem in Imperio Constantinus Barbatus siue Pogonatus filium suum IVSTINIANVM II. hominem crudelem & sanguinariũ, qui cum nimis faciles aures præberet duob. adulatoribus Theodosio monacho & Stephano Sacellario, causa extiterũt interitus Principi. Tractabãt hi duo duriter admodum copiarum præfectos, inprimis Leontium, quem duobus annis in vinculis detinuerunt. Cum autem euasisset, seipsum Imperatorem dixit, adiuuante Patriarcha, captumque Iustinianum naribus truncatum in Insulam deportari iussit: duo autem illi Gnathones, Theodosius & Stephanus, alligatis loro pedibus eorum per ciuitatẽ tracti & postremo exusti sunt. Tiberius Apsimarus rediens ex Africa, vnde pulsus fuerat cum exercitu à Saracenis, cum non auderet Leontium accedere, à quibusdam Imperator salutatus, astu cepit Leontium, ipsique vicissim nares præcidit, eumque in carcere detinuit. Interea Iustinianus ope Regis Bulgarorum in regnum restitutus, Leontium & Apsimarum nactus, funib. ligatos per vicos & compita vrbis trahi iussit, abiectosque in terram pedibus conculcauit, ad extremum erutis oculis, capita iis detruncari, Heraclium autem fratrem Tiberii suspendi iussit. Offensi crudelitate hominis milites, Philippicum Bardanem Imperatorem elegerunt, qui recta Constantinopolim petens deprehensum in diuersorio quodam Iustinianum eiusque filium Tiberium ad mortem rapi iussit. Imperauit decem annis ante exilium suum, & sex post reditum; atque ita habes breui temporis spacio tres Imperatores interfectos.

XCVI. Leo siue LEONTIVS Patricius Constanti-

ſtantinopolitanus, conſpiratione cum ſeditioſis quibuſdam inita, Iuſtinianum ſolio deturbatum in exilium egit: ipſe cum coniuratis Palatium inuadens Imperatorem ſe appellauit, qua dignitate non niſi tribus annis gauiſus eſt, trucidatus à Iuſtiniano.

XCVII. TIBERIVS III. cognomento APSIMARVS, vſurpator tituli Cæſarei, Leontium fraude circumuentum cepit, truncatumque naribus in carcere detinuit. His ita altercantibus, Iuſtinianus exul ad cognatum ſuum Bulgarorum regem confugiens, adiutus ab eo Conſtantinopolim redit, captumq; Tiberium, qui pro Imperatore ſe gerebat, cum Leontio vincto caudis equorum alligatos per omnes vrbis plateas raptari, poſtremo mutilatis omnibus prope membris capita præcidi iuſſit, cum Apſimarus regnaſſet ann. 7.

XCVIII. Fuerat dux claſſis ſiue Thalaſſiarcha Iuſtiniani, PHILIPPICVS BARDANES cum à militibus Cæſar Auguſtus ſalutatus eſt. Profectus cum copiis Conſtantinopolim interfici iuſſit Iuſtinianum cum Tiberio filio. Cũ igitur ſubmotis æmulis pacifico vteretur imperio, irrita pronunciauit decreta ſexti Concilii, gratificatus monacho cuidam, qui prædixerat, ipſum Imperatorem futurum, capto augurio ab aquila, viſaque in ſomnis Philippici effigie. Eo igitur iubente ſublatæ ſunt imagines ac ſtatuæ, & extra templa Chriſtianorum eiectæ, quam rem indigne ferens Anaſtaſius II. coniurauit contra eum, nactuſque occaſionem ſceleratas manus Principi attulit, eumque oculis orbatum Imperio deturbauit, cum duos ſolos annos imperaſſet. Fauiſſe dicitur hic Monothelitis, aliorumq; erraticorum deliriis.

XCIX. Anno mundi MMMMDCLXVII. A. V. C. MCCCCLXVIII. Gratiæ DCCXV. ANASTASIVS SECVNDVS Imperator factus eſt, homo doctus & pacis amans, qui repreſſit omnes qui ſexto Concilio contradicebant. Miſit validas copias aduerſus Barbaros & Arabas: ſed duces exercitus parum ſe fidos præſtiterunt. Conuerſo enim itinere, arma, quæ Anaſtaſius in hoſtem parauerat, in ipſum conuerterunt factoque acri inſultu occupata eſt & ſpoliata à militibus vrbs. Anaſtaſius Imperio delectus, & in monaſterium detruſus eſt, cum regnaſſet annum vnum menſes tres.

C. THEODOSIVS III. author huius ſeditionis & ſpoliationis vrbis, cum Anaſtaſium ſolio deturbaſſet, nominauit ſe Auguſtum. Patria Byzantinus, loco natus humili, alti tamen viri ſpiritus, quanquam nonnulli ſcribant, ipſum coactum imperium accepiſſe. Primum omnium ſimulacra in Templis reſtituit, eo facto fauorem populi lucratus. Quo non obſtante Leo Iſauricus, capitalis eius hoſtis crudele ei bellum mouit, quo populus grauiter afflictus eſt. Theodoſius pertæſus belli ciuilis Imperio ſponte ceſſit, cumque nonniſi duos annos regnaſſet, ingreſſus eſt monaſterium.

CI. Secutus eſt hunc LEO III. dictus ISAVRVS. Hic cum militaret contra Saracenos audito Theodoſium Imperatorem factum, reuerſus ab Nicomedia, filium Theodoſii in poteſtatem ſuam nactus, tranſegit cum patre, vt cederet Imperio. Hoc facto à præfectis copiarum militibuſque Sacramentum extorſit. Altero dominationis eius anno Conſtantinopolis à Saracenis obſeſſa eſt, qui aliquot eruptionibus cæſi fugatiq; ſunt crematis eorum nauibus. Liber ab his, bellum intulit imaginibus, quas templis exturbatas incendit, dictus obid ICONOMACHVS. Imperauit ann. 24.

CII. CONSTANTINVS V. cognomento Copronymus appellatus fuit, quod tunc, cum baptiſmatis fonte tingeretur infans, aluum ſoluiſſet. Diademate cinctus eſt viuo patre Leone per Germanum Patriarcham A. M. MMMMDCCIV. A. V. C. MCCCCXCV. Chriſti DCCXLII. Vehementior hic fuit in deſtruendis imaginibus patre, quod nonnulli indigne ferentes Cæſarem dixerunt Artabardum quendam, non contradicente cum nobilioribus Patriarcha. Cæterum Copronymus elapſo biennio victum acie Artabardum viuum cepit, eumque cum duobus filiis oculis priuauit. Patriarcham vero flagris cæſum, aſino præpoſtere impoſuit, facie in clunes verſa, vt caudam loco freni manu teneret, eoque ſchemate illum per vrbem ductari iuſſit. Accuſatur hic à nonnullis magicarum artium. regnauit annos XXXV.

CIII. Succeſſit huic CONSTANTINVS VI filius Leonis & Irenes, A. M. MMMMDCCXLIV. A. V. C. MDXXXIV. Chriſti DCCLXXXIII. Cum ad annum ætatis vigeſimum peruenisſet, ipſe capeſſere gubernacula Imperii volens, miniſtros matris officiis priuauit. Offenſa mulier exegit iuramentum à militibus, nunquam eos Conſtantinum pro Imperatore habituros. Armeniæ autem Legiones perfrictam mulieris frontem auerſatæ ſacramentum dixerunt filio, quarum exemplum ſecutæ cæteræ idem fecerunt. At mulier à proditoriis in filium machinationibus non ceſſans, Conſtantino iam ſeptimum annum imperante, arrepta diuortii in ſpeciem cauſa, perſuaſit quibuſdam militibus, vt caperent filium: qui non tantum hoc executi, oculos inſuper ei eruerunt, vnde poſtea mærore & tædio vitæ mortuus eſt, cum regnaſſet omnino ann. X. in quib. comprehenduntur III. anni Ireſnes.

HOC TEMPORE, QVOD INCIDIT IN *annum partæ Salutis* DCCCI. *Imperium Romanum in duo diuisum est. Nos autem persecuti institutum nostrum, omissis Imperatoribus orientis, occidentis pertexi-mus.*

CIV. MOrtuo Constantino VI. CAROLVS MAGNVS in Italiam vocatus, vt Longobardorum potentiæ resisteret, eiectis eis, armis occupauit Romam, Rauennam, Mediolanum, cum plerisque oppidis Campaniæ & Apuliæ: restituit Ecclesiam libertati, quæ per CC. annos ab Longobardis oppressa fuerat, vnde Imperator appellatus est per Leonem III. P.M. magno cum gaudio populi Romani. Morti se vicinum videns, Ludouicum filium hæredem Imperii dixit, nepotem vero Bernardum regem Italiæ. Paulo post obiit diem suum anno Christi DCCCXIV. cum vixisset annos LXXII, imperasset XIV.

CV. LVDOVICVS dictus PIVS, filius Caroli M. mortuo patre Aquisgrani Diadema sumsit. Incurrit in odium principum, quod immitior fuisset in Bernardum eiusque agnatos. Lotharium filium natu maximum Boiorum regẽ fecit, Pipinum Aquitaniæ, minimum secum retinuit, ornatum titulo Regis Italiæ: qua re vehementer offensus Bernardus Pipini filius arma corripuit aduersus Imperatorem: qui accurrens in Italiam, Bernardum cum confœderatis acie victos in eas redegit angustias, vt Bernardus cogeretur seipsum Ludouico dedere, qui supplici oculos eruit, inque monasterium detrusit miserum circa annum Domini DCCCXVIII. constituto in eius locum Lothario filio rege Italiæ simulque Imperatore. Post hoc quidam eius filii facta in eum conspiratione, armis petitum coegerunt, vt se eis dederet, qui ipsum Monachum fecerunt in Sueßionibus. Ab aliquo tempore post cæteri ex Ludouici filiis, miserti patris iniquam sortem, illum monasterio exemptũ Imperiali fastigio restituerũt, cum annũ vnũ latuisset. Ludouicus filiis veniam delicti petentibus ignouit, mortuusq; est, vitæ anno LXVII. Imperii XXVII. sepultus in vrbe Mediomatricum.

CVI. LOTHARIVS cum patri defuncto succeßisset, crudele bellum inter fratres, Pii filios excitauit, quo Francorum vires ita attritæ sunt vt haud longe ab interitu abfuerint. Proditum est memoriæ, vno prælio ad centum hominum millia cæsa ex vtraque parte fuisse. Tandem principum Imperii sollicitudine ita inter fratres sancita pax est, vt Ludouico cederet Germania; Carolo regnum Franciæ: Lothario Imperii titulus cum Italia Austrasiaque, & terris quæ sunt intra Rhenum & Mosellam: Pipino autem Aquitania. Facta est hæc transactio anno Gratiæ DCCCXLIII. Non multis annis post Lotharius, cum se Imperio sponte abdicauisset, ingressus est Monastorium Prumiense anno à nato Christo DCCCLV. vbi sequente anno mortuus est cum imperasset annis quindecim.

CVII. Cum successisset patri filius natu maximus LVDOVICVS II. Italiam ingressus est ad eiiciendos armis Saracenos. Peste autem exercitum eius misere affligente, coactus est cedere, agrumque Beneuentanum Adalgisi Longobardi Salernitanorum Principis fidei concredere: qui absente Imperatore Græcorum partes secutus, parum abfuit, quin totam Italiam ad rebellionem concitaret. Quo intellecto Ludouicus ad castigandam proditoris insolentiam in Italiam profectus, occupauit vrbes, quæ Adalgisi factionem secutæ fuerant, fugientemque Adalgiso, in complices eius seueriter animaduertit. Cumque restituisset Italiæ pacem obiit Mediolani an. DCCCLXXIV. cum imperasset ann. XIX. vir prudens, doctus, religiosus, & consiliis habitus non futilis auctor.

CVIII. Cæterat Ludouicus II. sobole: cuius audita morte CAROLVS CALVVS, Ludouici Pii filius, sine mora conscriptis copiis in Italiam profectus est, vt Germanis Imperium eriperet. Ingressus vrbem, Imperator declaratus est A.D.XXV. Decembris, A.G.DCCCLXXV. paulo post mortuus Mantuæ, credentibus cunctis, Zedechiæ Iudæi, quo ille vsus fuerat Medico, perfidia veneno sublatum, cum Rex Francorum annis XXXVI. Imperator non nisi biennio fuisset.

CIX. CAROLVS CRASSVS Ludouici Germanici filius cum morte Carlomani ad eum deuolutum fuisset Italiæ regnum, Germania autem per Ludouicum fratrem, salutatus ab Iohanne Pontifice Imperator Saracenos prospero conatu Italia eiecit: post reuersus in Germaniam, Galliæ quoque regno præfuit, tutor existens Caroli simplicis. Cum autem perpetuis morbis esset obnoxius, nec corpore solum sed etiam mente parum aptus videretur, adeo contemtus fuit à suis, vt Imperio cedere cogeretur, subrogato ei Arnulfo. Crassus mortuus est inglorius, exiguo in pago Sueuiæ, A.D.13. Ianuarii anno Christi DCCCLXXXVIII.

CX. ARNVLFO filio naturali Carolomanni Imperium adepto, Italia fere vbique seditionibus & tumultibus laborauit. Berengarius enim cum Duce Spoletano digladiabatur, vter eorum rex esset Italiæ. Erat id temporis Arnulfo contra Sclauorum gentes bellum, vt Italiam ingredi non posset; quo sopito profectus Romam, compositis turbis à formoso Pontifice, quem eo vocauerat, Imperator coronatus est, anno decimo postquam Imperium accepisset. Tandem cum Spoletum oppidum vi cepisset, Cauarinum obsidione cinxit. Erat eo in oppido Guidonis vxor, mulier fraudulenta & sagax; quæ cum videret se resistere viribus non posse, corrupto vni ex domesticis Arnulfi persuasit, vt exhiberet Imperatori venenum, quo ille hausto extinctus est, A.D.XXIX. Nouembris, anno

mun-

mũdi MMMMDCCCII. an. Gratiæ DCCCC. Imperii XII.

CXI. Post patris obitum Imperator factus LVDOVICVS III. adiutus ope & consilio Othonis Saxonum Ducis, & Othonis Archiepiscopi Moguntini, quos pater moriens testamẽto Tutores filio dederat, aliquandiu Imperio præfuit. Post discordiæ ciuiles, quarum semina patre viuo sparsa fuerant, incrementa sumserũt, tota Germania Italiaque bellis intestinis flagrãte. Præterea Hungari incursionibus vexabant Pannoniam superiorem, vsq; ad Bauariæ fines. Ludouicus, vt illos compesceret, cum quantas potuisset collegisset copias, profectus eis obuiã, prælium commisit, quod à nono die Augusti vsque ad duodecimum durauit. Postremo victus acie Ludouicus amisit magnam nobilitatis Germanicæ partem. Territus tanta clade Imperator, magnõ auri pondere, pacem ab Hungaris mercatus, mærore obiit a. d. XII. Ianuarii anno mundi MMMMDCCCXIII. anno Gratiæ DCCCCXI. Imperii eius XII.

CXII. Secutus hunc HENRICVS SAXO, cognomento AVCEPS anno Christi DCCCC XIX. bellis ciuilibus magno studio sedatis, pacem Germaniæ reddere annixus est: quo facto Sclauos magno prælio vicit: hinc Danis bellum intulit, quos aliquot præliis obtriuit. Bohemos, capta eorum Metropoli Praga, ita compescuit, vt eos tributa pendere cogeret. His victoriis exultantem Hungaricum bellum excepit, quibuscum Imperator acie congressus, quadraginta millibus eorum trucidatis, cæteros Germania exegit. Iamque auctum gloria, iter Italicum adornantem Apoplexiæ morbus adeo inuasit, vt Paralysi correptus Othonem filium successorem sibi designauerit, ipse mortuus anno ætatis LX. regni XVIII. post natum Christum DCCCC XXXVII.

CXIII. Successit patri OTHO II. (si Othonem priscum illum Suetonii connumeres) qui tamen à Germanis OTHO PRIMVS siue MAGNVS nuncupatur, dignus hoc nomine, quod non tantum Germaniæ sed & regnis exteris pacem reddiderit, & Imperium stabiliuerit. Consecratus Aquisgrani per Hildebertum Archiepiscopum Moguntinum, in Italiam profectus, Iohannem III. P.M. restituit, dictoq; Othone filio Imperatore reuersus in Germaniam, apoplexia obiit anno Gratiæ DCCCCLXXIV. Imperii XXXVII.

CXIV. Excepit patrem OTHO III. (vel si mauis II) anno Gratiæ DCCCCLXXV. Prospertimis hic vsus est regni initiis, fine non item. Cõstituta per Germaniam republica, ingentem in Italiam aduersus Græcos & Saracenos duxit exercitum. Prælio commisso inferior, fuga sibi consulere coactus, abiectis armis signisque Imperatoriis ad portum Tarentinum vbi perfugisset, natando salutem quæsiuit. Sed captus ab nautis hostium, nec agnitus, ære ab iis redemit. Amisso igitur exercitu, magnaq; parte Imperii, non tamen amisit animum, sed collectis copiarum reliquiis denuo armis adortus Saracenos, omnia eorum per Italiam Præsidia in fusta concidit, vt vulgo nominatus fuerit *Pallida mors Sarracenorum*. Postremo obiit fluxu sanguineo vẽtris a. d. 8. Decembr. an. Gratiæ DCCCC LXXXVI. Imperii X. sepultus Romæ.

CXV. Filius huius OTHO IV. Imperator factus, primis regni auspiciis Alemannis dissidentibus pacem reddidit, idem quoque per Italiam facere conatus, quæ intestinis laborabat seditionib. Crescentius enim quidam cũ consularem Romæ vsurparet potestatem, Pontificem dignitate deiecerat. Imperator ingressus Italiam, cũ exercitu Rauennæ subsistens, de morte Papæ nunciũ accepit. Nec moratus Brunonẽ Othonis filium agnatũ suũ Pontificem cum constituisset, Romam præmisit, ipse secutus & à ciuibus benigne acceptus, ignouit Crescentio. Gregorius V. (id enim erat nomen nouo Pontifici) Othonem diademate cinxit, Augustumque appellauit: qui cum vix in Germaniam reuersus esset, Crescentius mota seditione, abusus authoritate sua, nouum Pontificem vrbe pepulit, subrogato alio, Iohanne Placentino. His auditis Imp. Romam redit, potitusq; vrbe Crescentium captum, asino præposterè imponi iussit, deductumq; ludibrii causa per vicos ac compita vrbis, postremo ad portam suspendi, cum duodecim rebellionis sociis. Hinc Imperator & Pontifex communi consilio Legem tulerunt, vt soli Germani Principes imposterum de iure eligere possent Imperatorem Romanum, nec licitum esset Pontifici quenquam appellare Augustum, nisi quem Principes Germani legitimis suffragiis elegissent, frustra ringentibus & tumultuantib. Romanis, quod à suffragiorum iure in creandis Cæsarib. excluderentur. Cum vltimo Romam veniisset Otho, amore captus est viduæ Crescentii Consulis, quæ videns Imperatorem spretis suis nuptiis reditum parare in Germaniam, indignata, veneno eum è medio sustulit. Mors eius incidit in XX. diem Octobris, anno Salutis MI. cum Imperasset ann. XIX.

CXVI. Anno vno ab huius obitu elapso, ad Imperii culmen peruenit HENRICVS II. qui & Sanctus vsurpatur, superatis iis, qui contradixerant electioni eius. Heneros, qui fidem Christianam abiecerant, prælio vicit, constitutisque rebus per Germaniam, Italiam ingressus est tribus de causis. Primo, vt nouam legem de creandis Imperatoribus confirmaret. Deinde, vt Androuinum Marchionem, quem Itali Mediolani Cæsarem dixerant, in ordinem redigeret. Tertio, vt Græcis ac Saracenis bellum faceret. Ingressus Imperator Italiam, duobus præliis vicit occiditque Marchionem. Postea ipse viciſſim captus per fraudem, decepta statione vigilum, saltũ se ab alto carcere in terram demisit, coxamque luxauit, vnde postea CLAVDI cognomento notatus est. Exspirauit a. d. 13. Iulii anno Gratiæ MXXIV. Imperii sui 24.

CXVII. Huic successit CONRADVS dictus SALICVS. Et hic necesse habuit transitis Alpibus Italiam ingredi, vt populos in fide parum constantes à rebellione cohiberet. Confirmauit hic possessionem Imperii Germanis, stabilitaque lege Electorum, Imperium ab iis accepit. Priusquam excederet Germania, filium suum Henricum Cæsarem dixit. Cum reuersus esset in patriam, subitanea morte sublatus est a.d.IV.Iunii, anno Gratiæ MXXXIX. Imperii XV. sepultus Spiræ Nemetum in Basilica.

CXVIII. Successorem habuit filium HENRICVM III. cognomine NIGRVM. Hunc statim ab initio Imperii duo periculosa bella exceperunt. Primum contra Bohemos, qui renuebant aliquot annorum tributa pendere. Hos Henricus armis subactos soluere debita coegit, imperioque denuo subiecit. Alterum erat, vt Petrum Vngarorum regem in regnum reduceret, vnde per Othonem quendam pulsus fuerat. Henricus ingressus Pannoniam, Othonem apud Iauarinum prælio victum captumq; ad regem misit, qui ei amputauit caput a.d. IV. Iulii mensis anno Salutis MXLIV. Impedito his bellis Cæsare, Romam Italiamque turbabat Benedictus IX. P. M. cum Antipapis Syluestro III. & Gregorio VI. contendebantque quisnam ex his Papa foret. Ingressus Henricus Italiam, Imperiali vsus auctoritate Concilium indixit, in quo tres illi tam importuni cõpetitores reiecti sunt, creato pontifice Clemente II. qui & ipse Henricum Augustum appellauit, quo facto Imperator in Germaniam rediit. Nondum venerat hic in patriam, cum Clementem veneno periisse, sed & Damasum, qui ei successerat, extinctum intellexit. Henricus igitur Leonem IX. Pontificem fecit, qui Imperatorem in Germaniam secutus, ab eodem post aliquot annos in Italiam remissus est, laborantem seditionibus. Coegit hæc intemperies Imperatorem in Italiam reuerti, qui priusquam eo proficisceretur, voluit filium suum Henricum Aquisgrani diademate cingi, nondum quinque natum annos. In Italia hæsit mensib. 13. quo exiguo temporis spacio toti regioni desideratam pacem restituit. Domum reuersũ mala inuenit fortuna, exercitu eius à Sclauis ad internecionem cæso. Doluit hoc adeo Imperatori, vt mærore in morbum degenerante expirauerit a.d.5. Octob. anno Salutis MLVI. cũ regnasset annis 17. vixisset XL. Sepultus est Spiræ iuxta Patrem.

CXIX. Puer admodum, nec nisi septem annos natus, successit genitori HENRICVS IV. quem in hac ætate bella ciuilia agitauerunt, coegeruntque regni gubernacula arripere, cum decimum quartum vix ageret ætatis annum. Flagrante intestinis discordiis patria, primus ab eo victus est Otho Boiorum princeps. Flagitantibus Saxonibus, quos bello premebat Henricus, Gregorius VII. P. M. Sacris ei interdixit, proscripto à communione Ecclesiæ, missaque Rudolfo Sueuorum principi corona aurea, Augustum eum appellauit, mandauitque Episcopis, vt defectis Henrici partibus Rudolfum sequerentur. Accepit Rudolfus appellationem Imperatoris, coronatus Moguntiæ. Nouies hũc Henricum cum Saxonibus Sueuisq; conflixisse constat, vbi in nouissimo prælio Rudolfo victo dextera manus amputata est. Quæ cum ad ipsum iam mor.bundum allata fuisset, intuitus Episcopos, qui ad lectulum adstabant, lamentabili voce eos affatus dixit: *Hæc est illa manus, qua Henrico Imperatori meo fidem iuraui, quã vestra impulsus perfidia fregi: cuius criminis vos Deo rationem reddetis.* Proditum est memoriæ, hunc sexagies bis cum hostibus acie conflixisse. Vir maximæ virtutis, postremo Imperio indignis modis exutus est per filium: quam iniuriam dum animis vltum it, sedens mortuus est annum agens LVII. a.d. VII. Augusti mensis, cum imperasset annis L. æræ Christianæ MCVI.

CXX. Conscendenti paternum solium HENRICO V. Henricus Lotharingiæ Dux, & Robertus Flandriæ comes ob impietatem in patrem iuramentum fidelitatis negauerunt. Verum Henricus Cæsar eos armis ad præstandum sacramentum adegit. Anno Christi MCXI. Romam ingressus à Paschali Pontifice coronatus & Augustus appellatus impetrauit, vt Germanis Electoribus creandi Cæsaris iura confirmarentur. Imperatore vero vix extra vrbem digresso, Paschalis leuitate animi omnia quæ acta fuerant rescidit: quin & Saxones in Henricum concitauit, vt ingenti cum exercitu eum inuaderent, quo in prælio inferior factus, prope omnes amisit copias. Imperator cupidus vindictæ, auctorem huius rei petere, Italiamque denuo inuadere statuit. Verum prohibitus seditionibus domesticis, agitatus insuper diris fulminibusque Pontificum, in furorem lapsus, omnem prope patriæ curam abiecit: accedentibusque Episcoporum precibus, vt tranquillitatis publicæ amore aliquid de suo iure largiretur, concessit pontifici quæ volebat: quod factum est Wormatiæ in Vangionib. an. Christi MCXXII. a.d. XXIII. Septemb. Pacata adhunc modum superiore Germania, vt inferiori quoque pacem redderet, Vltraiectum profectus est, vbi morbo correptus vitæ valedixit a.d. XXIII. Iulii anno Gratiæ MCXXV. cum regnasset annis XXII.

CXXI. LOTHARIVS II. Saxo arripuit Imperium, quanquam non omnes Germaniæ principes electionem eius probarent. Opposuit se huic Cõradus, sorore Henrici V. natus, eratq; res haud procul bello ciuili: sed Bernardus Clareuallensis pacem inter litigantes principes sanxit, vt Imperium esset penes Lotharium. Bis hic Imperator in Italiam profectus est, vt tranquillitati eius regionis consuleret: amauit studia doctosque viros, instauranitque luctantes cum barbarie Leges Ciuiles ac Iura Romana. Regressus in Germaniam, correptus morbo obiit in itinere a. d. VI. Decembris anno Christi MC-

MCXXXVIII. cum Imperio præfuisset ann. 11.

CXXII. Comitiis Moguntiæ ad Rhenũ habitis CONRADVS II. Imperator electus est. inuenit hic æmulum & aduersarium Henricum Superbum, Saxonum & Bauarorum principem, quem bello superare necesse habuit. Ducebat bellum Guelfus Henrici frater: hunc Conradus intra oppidi WEINSBERG mænia cõclusũ, lõgaq; obsidione ac fame fractũ, deditionẽ facere coegit. Oppido autem militibus in prædam concesso, matronæ supplices factæ Imperatori petierunt, vt earum honori consulens incolumes eas egredi mœnibus pateretur, cum iis quæ vnaquæque ferre posset bonis. Assensus est mulierum petitioni benignus Imperator, nihil dubitans, quin diuitias, ornamenta mundumque muliebrem exportaturæ essent. At hæ contemtis nugis illis, sublatisque in humeros maritis, ferentes infantes brachiis iumentorum vicem præstantes, ita egressæ sunt oppido. Circumscriptum se astu fœmineo videns imperator, risit, matronasque ob fidem in viros collaudatas magnifico epulo excepit. Postea profectus est in Asiam cum Ludouico Francorum rege, vbi cum Turcis congressus, eos acie fudit haud longe Mæandro fluuio: fuitque in illo prælio tantum cruoris humani fusum, vt amnis tingeretur sanguine, & impleretur corporibus mortuorum. Hac victoria liberam ad Hierosolymorum Vrbem fecit viam. Cumque toto quadriennio in hac expeditione fuisset, reuersus domum expirauit a. d. 15. Febr. anno Christi MCL. cum regnasset annos XV.

CXXIII. Prætulerat cæteris principib. testamẽto Conradus moriens FRIDERICVM PRIMVM, cognomento BARBARVSSAM. Electus igitur & Imperatorium adeptus nomen Romam venit, vbi ab Adriano IV. Papa a. d. XXVIII. Iunii Cæsareo diademate cinctus domum rediit. Digresso Friderico Itali ad vsitatas seditiones reuersi, Imperatorem trans Alpes ad se attraxerunt, qui veniens plenus irarum ita cum illis conflixit, vt duodecim Romanorum millia aperto campo cæderentur. Post digressus ad vrbem ipsam Romam obsidione cinxit ac cepit. Alexander P. M. ob id Imperatorem communione fidelium exclusit, profugitque Venetias. Fridericus errore temporum vim numinis metuens, supplex coram Alexandro se prostrauit, absolutionem petens. At Papa Saporem Persam imitatus, collum Imperatoris pede pressit, iubens accini: *super aspidem & basiliscum ambulabis.* At Imperator respondit: *non tibi hæc præsto, sed S. Petro.* Respondit Seruus Seruorum: *& mihi & Petro.* Imperator exolutus vinculis Pontificiis, cum Italiæ pacem reddidisset, regressus in Germaniam, ingentes militum copias in Asiam duxit, victosque tribus præliis Turcas prope Iconium omni ferme Asia eiecit: persecutusque victoriam, omnem occupauit Ciliciam, cæsis ad internecionem barbaris. Saladino ipso extra Asiam profligato, reliquias copiarum eius partim concidit, partim Armenia minore expulit. Quodam die cum supra modum incaluisset Imperator, vicini amnis aquas refrigerandi sui causa ingressus, submersus periit, quod infortunium contigit a. d. X. Iunii, anno Imperii eius XXXVII. Christi MCXC.

CXXIV. Annus agebatur à nato Seruatore MCXC. cum de consensu procerum Imperii HENRICVS VI. Patri Friderico successit. Vxorem hic duxit Constantiam Siculorum Regis filiam, quæ doris nomine Siciliæ regnum ad eum attulit. Henricus vsitato more coronam petens, eam Romæ à Cælestino P. M. accepit. Post id tempus insignem exercitum in Asiam duxit, comitatus à multis Imperii principibus, sed inopina mors superueniens præclaros viri conatus interrupit. Cum enim in Sicilia esset, intentus classi instruendæ, vt mari sequeretur exercitum quem terra præmiserat, obiit diem suum Messinæ. Sunt qui scribant, eum ab vxore porrecto veneno periisse, quod contemta vetula iuuencularum sequeretur amores. Mors eius incidit in annum Gratiæ MCXCVIII. cum annis VII. regnasset. Sustulerat ex vxore Constantia quinquagenaria filium Fridericum, qui quintum ætatis agens annum sub Philippi patrui tutela cõstitutus est.

CXXV. PHILIPPVS Barbarussæ filius post Henricũ fratrẽ Imperator creatus grauibus ab initio bellis agitatus est. Quãuis n. maxima pars principũ Philippo faueret, Pontifex tamẽ cũ cæteris Principib. Philippũ omnibus viribus impediebant, adeo vt hoc excommunicato Othoni Diadema polliceretur: vnde difficile bellum inter hos duos exarsit. Exoratus Papa misit duos Cardinales, qui Philippum diris eximerent, & cum Othone reconciliarent, quod factum est beneficio matrimonii. Composita ad hunc modum lite, cum Imperator Bambergæ existens venam secuisset, iussis ministris exire cubiculo, alea se oblectabat cum Henrico Truchsessio Dapifero. Ibi Otho Witelsbacensis Dux iunior ingressus, conceptum facinus serena fronte dissimulans, pugione Philippi iugulum percussit, vnde mortuus est a. d. XXII. Iunii anno salutis MCCVIII. cum Imperio decem annis præfuisset. Narrant historiæ, coniugem eius intellecto tam tristi mariti cæde mœrore animi obiisse.

CXXVI. Conuenerat, vt post mortem Philippi OTHO IV. siue V. Saxo nanciscereturImperium, quo tamen non diu lætatus est. Cum enim Imperator accepisset diadema ab Innocentio III. Papa, occupauit Samnium, Anconitanam marcam cum parte Apuliæ. Iratus Pontifex Othoni sacris interdixit, & in Germania Archiepiscopus Moguntinus excommunicationis formulam promulgauit, vnde grauia nata sunt bella ciuilia. Otho ab omnib. partib. se infestari videns, in inferiorem secessit Germaniam, vbi cũ prælio aduersus Fridericum cõmisso succubuisset, destitutum se desertumq; ab suis cernens, vl-

tro

tro cessit Imperio, cuinō nisi trib. an. præfuerat.

CXXVII. Amplexus est occasionem FRIDERICVS II. qui diadema sumsit Aquisgrani anno Gratiæ MCCXIII. Percusso cum Philippo Gallorum rege fœdere, pacataq; Germania, rogatus à Pontifice fecit expeditionem in Asiam; profectusq; cum exercitu a. d. II. Augusti mensis coniunxit Christianorum copias ad vrbem Ptolemaidem; pactusq; inducias cum Sultano in biennium, recuperauit regni Hierosolymitani possessionem, liberatisque quam plurimis captiuis Christianis, ac constitutis rebus in Palæstina, rediit in Italiam. At Papa Imperatorem communione fidelium exclusit, quæ res maximarum turbarum occasionem præbuit. Videns Fridericus se nō solum ab amicis, sed & à bona fortuna destitui, in Siciliam abiit, vbi veneno interemtus creditur. Mors eius incidit in 3. diem Decembris, an. Christi MCCL. cum vixisset ann. LIV. imperasset XXXII.

Quicquid interceſit temporis inter obitum Friderici II. & electionem Rudolfi I. à pleriſq; ſcriptoribus pro interregno reputatur, qui non numerant inter Imperatores eos, qui hoc vſi ſunt Titulo, cum plerique nec legitime nec ſufficientibus ſuffragiis creati fuerint, mutuiſq; ſe inſuper bellis appetiuerint, nec quiſquam eorum coronā Romæ ſumſerit. Hos & nos ſecuti eos Auguſtorum nomine non dignabimur, ſed ſolum ordine, qui ab hiſtoricis obſeruatur, recitabimus.

Conradus Friderici II. filius electus fuit Imperator viuo patre, sed veneno sublatus à Manfredo fratre, Friderici Spurio an. Gratiæ MCC LIV. Henricus Landgrauius Thuringiæ in odiū Friderici eiusq; filii Conradi electus à quibusdā principib. cū obsideret Vlmam ictus sagitta occubuit, eodem quo Cæsar dictus fuerat anno.

Secutus hunc est Guilielmus Hollandiæ Comes, quem & Alexander Pontifex approbauit, verum cum iter Romanum ad sumendum Diadema meditaretur; aquis submersus periit nono post acceptum titulum an. Gratiæ autem MCCLVIII. Conradus Archiepiscopus Coloniēsis & Ludouicus Comes Palatinus Rheni Imperatorem dixerunt Richardum Cornubiæ Comitem, fratrem Regis Anglorum, qui cum sex annis hac dignitate vsus fuisset; obiit percussus telo anno MCCLVII. Alphonsum vero Aragoniæ regem Imperatorem salutauerunt Archiepiscopus Treuirēsis & Brandeburgicus Marchio, mense Ianuario anni MCCLVII. ita vides Electorum in ferendis suffragiis discordiam.

CXXVIII. Tandem conuenere Principes Septemuiri Francofurtum anno MCCLXXIII. & annitente maxime Palatino Principe concordib. suffragiis Imperatorē dixerunt RVDOLFVM I. Comitem Habsburgensem, cum iam natus esset annos LIII. qui a. d. II. Octobris magna cum solennitate Diademate cinctus est. Primū omniū annixus est bella ciuilia, seditiones & latrocinia, quæ interregni tempore magnam nacta fuerant licētiam, extinguere. Deinde arma mouit in Marchionem Badensem, eiusq; confœderatos Sueuiæ proceres, quos coegit pacem rogare. Profectus hinc in Austriam, quam vi occupauerat Ottocarus Bohemorum rex, duobus præliis victum interemit, a. d. XXVI. Augusti mēsis. Destrui iussit vltra septuaginta Arces & Castella, quę receptacula erant grassatorum latronūq; securi percussis XXIX. eorum ducibus. Italiam ingressus ipse non est, sed concordiam aluit cum Pontificibus. Vir magnæ prudentiæ, virtutis, felicitatis, qui extinctis bellis ciuilibus meruit, vt instaurator Germaniæ diceretur; quæ grauiter labefactata fuerat. Mortuus a. d. XV. Iulii anno MCCXCI. cum regnasset ann. XIX.

CXXIX. ADOLFVS NASSOVIÆ COMES in comitiis Francofurti habitis anno salutis MCC XCII. Imperator creatus est a. d. I. Maii mensis. Vixdum diadema sumserat, cum pro rege Angliæ arma tulit aduersus Gallum, acceptis centū coronatorum millibus; quæ res indigna Cæsare, in maximum eum apud Principes adduxit contemtum, vt ei palam conuicium facerent. Nec hoc solum, sed & spreto Adolfo, Albertum Austriacum Imperatorem elegerunt, qui collecto exercitu in Adolfum duxit. Adolfus nihil territus aduersario obuiam iuit; vbi commisso prælio inter Spirā & Wormatiam vrbes Adolfus cæsus est manu Alberti, cum deiectus equo erigere se denuo conaretur. Factum est hoc a. d. II. Iulii mensis an. MCCXCIIX.

CXXX. Potitus est hac ratione Imperio ALBERTVS I. Austriæ dux, Rudolfi Cæsaris filius, cum iam ante concordibus Electorum suffragiis electus fuisset a. d. 25. Iulii, vbi historiæ narrant, tantam confluxisse hominum colluuiem, vt Saxoniæ Princeps elisus perierit. Ne hic quidem in Italiam profectus est, sed Pontificem Romanū exorauit, vt se absentem Augustum pronunciaret; quod is fecit. Nec hoc solū, sed & Galliæ regnum Alberto donauit, cum fulmen Papale vibrasset in Philippum Pulchrum regem. Albertus extra Germaniam bellum nullum gessit, sed intra patriam armis multos vexauit, diuersis de causis. Postremo à fratris filio, Iohanne, cui abstulerat principatum Sueuiæ, quod prodigus esset, haud longe à Rheno fluuio occisus est. Incidit cædes eius in Kalendas Maii anno Gratiæ MCCCVIII. cum præfuisset Imperio ann. X.

CXXXI. Successit huic HENRICVS VII. Princeps Luzenburgicus, electus Francofurti Kalendis Nouembribus. Confirmauit electionem Papa hac conditione, vt profectus in Italiam componeret bella ciuilia, quæ iam ab LX. annis Imperatorem non viderat, inque suo ipsa natabat sanguine, spoliata diuitiis ac directa à variis regulis vel tyrannis potius, qui mutuis se consumebant latrociniis. Ingresso cum validis copiis Imperatori, omnes se ciuitates ac principes Italiæ submiserunt. Gliscebant tunc maxime Guelphorum & Gibellinorum factiones. Henricus cum Gibellinis fauisset, aduersam factionem grauiter afflixit, variisque Guelphos suppliciis affecit. Hinc profectus Romam Diadema à Pontifice sumsit Kalendis Augusti an. MCCCXII. Cum autem

Floren-

Florentiam vrbem obsidione cinxisset, destituti viribus Florentini subornauerunt Monachum Iacobinum, qui veneno tinctam hostiã præbuit Imperatori, vnde mortuus est, Princeps magnæ virtutis & longiore vita dignissimus, cum solos VI. annos regnasset, an. Christi MCCCXII. a. d. XXIV. Augusti, sepultus Pisæ.

CXXXII. Dissentientibus Electoribus duo creati sunt Cęsares: FRIDERICVS AVSTRIACVS & LVDOVICVS BAVARVS. Ludouicus diademate cinctus est Aquisgrani, Fridericus Bonnæ ad Rhenum, ab Archiepiscopo Colonienſi. Hoc pacto Germania in partes scissa, bellum ciuile ortum est, quod annis octo durauit: quanquam interceſſerint induciæ, multique conciliare dissidentes principes frustra conati fuerint. Postremo in festo Michaelis anni MCCCXXIII. Fridericus acie fusus captusque est à Bauaro, ac Castello incluſus ſuper Nabam fluuium in ſuperiore Palatinatu: exemptus postea carceri ea cõditione, vt donec viueret, nomine quidem Imperatoris vteretur, à gubernatione autem & potestate Imperiali abstineret. Fertur porrecto Philtro occisus a. d. XIII. Ianuarii anni MCCCXXX.

CXXXIII. Quo extincto LVDOVICVS IV. siue Bauarus solus Imperator factus, in Italiam iuit, Romæq; cum vxore à Pontifice coronatus est. Magnum huic cum Iohanne XXII. Pontifice obtigit litigium, qui tũ Auinione Cauarum habitabat, vt Iohannes Fulmen Papale in Ludouicum ſtrinxerit, mandãs vt Carolus Bohemiæ rex Imperator appellaretur. Ludouicus, vt conciliaret ſibi animos principum, proposito edicto ignouit omnibus, qui Friderici Auſtriaci partes ſecuti fuerant. Post hæc Comitia habuit Argentinæ, irritamq; pronunciauit excommunicationis ſententiam, à qua ſe ad Concilium prouocare dixit. At Papa plenus irarum, arctius adduxit vinculum, mandans principibus Germanis Italiſq;, vt deſerto Bauaro Bohemum ſequerentur, quę res multarum calamitatũ cauſa extitit. Mortuus est Imperator a. d. XI. Octobris an. Christi MCCCXLVII. cum ann. XXXIII. imperaſſet.

CXXXIV. Etſi Ludouico viuo CAROLVS IV. electus fuiſſet, tamen Electores poſt Ludouici obitum eo repudiato Cæſarem dixerunt Guntherum Comitem Suarceburgenſem: Verum hic non diu ſuperſtes fuit. Nam Carolus corrupto pecunia medico Guntheri perſuaſit, vt languenti principi ſuo promedicata potione venenatam porrexerit. Hauſit Guntherus partem, cumq; venenum ſibi datum ſuſpicaretur, coegit medicum vt reſiduum exhauriret. qui cum aliter non poſſet correptus vi veneni mortuus collapſus est. Huic non diu ſuperuixit Guntherus, qui Francofurti in æde Bartholomæi ſepultus iacet. Sublato Imperii æmulo Carolus in Italiam profectus est an. Christi MCCCLIV. ſumſitq; coronam ferream Mediolani, inde aureã Romæ. Reuerſus in patriam in Mediomatricum vrbem, poſt Noribergæ comitia habuit celeberrima, tulitq; auctor Legis Carolinæ, quam Bullam aureã vocant. Postea impetrauit ab Electoribus, vt filium eius deſignarent ſucceſſorem, nomine Wenceslaum, qui cinctus diademate vxorẽ duxit Iohannam, Ducis Bauariæ filiam, Hollandiæ & Seelandiæ dominam. Factus voti compos Imperator obiit Pragę a. d. 27. Maii an. Chr. MCCCLXXV. cum imperaſſet ann. XXX.

CXXXV. Succeſſit patri Wenceslaus filius, cum annũ ageret 15. Ferunt eum facie fuiſſe deformi, vt Satyriſco ſimilior fuerit quam homini, ne pulchrior mẽte quam corpore, homo hebetis ingenii, libidinoſus, crudelis, ebrietati & crapulæ ſupra modũ deditus. Suſpicionib. adeo indulgẽs, vt miniſtros cubicularioſq; propria manu iugulauerit. Coegit his vitiis ſuos ad ſeditionẽ, vt captũ eũ carceri mancipauerint, è quo poſt 4. menſes euaſit. Tandem pertæſi ignauiam hominis Electores, dignitatem Imperialem ei abſtulerunt, an. XXII. poſt mortem parentis eius. Wenceslaus obiit Pragæ annum agens LVII. quo regnante inuentus fuit puluis nitratus ſiue pyrius & noxia bombardarum ratio, in Germania, à monacho quodam.

CXXXVI. Deiecto ab Imperio Wencéslao ſubrogatus est à Collegis ROBERTVS PALATINVS ELECTOR, magni vir ingenii, clarus ſapientia & virtute. Diadema ſumſit Coloniæ ab illius vrbis Archiepiſcopo. Galeatius Vicecomes Mediolanenſis vexabat armis Italiam, ad res magnas adſpirans. Huius conatus vt retunderet Imperator, cũ exercitu in Italiam profectus est. Cæterum commiſſo prælio inferior factus in Germaniam rediit, ſinens Italos mutuis ſe lanienis conſumere. Patriæ turbas ſapienter compoſuit, facta per vniuerſam Germaniam pace, mortuuſque est a. d. 18. Maii an. à nato Chr. MCCCCX. cum imperaſſet annis X.

CXXXVII. Secutus est hunc SIGISMVNDVS, Hũgariæ, & Bohemiæ rex, qui ſtatim poſt ſumtũ Diadema omni ope annixus est, vt reductis ad cõcordiam principib. Chriſtianis, bellum inferret Turcis. Digladiabantur tunc inter ſe tres Papæ in diuerſis reſidẽtes locis: Benedictus III. Auinioni, Iohãnes XXIII. Bononiæ, Gregorius XII. Arimini habitabat. Huic deformitati vt occurreret Imperator Concilium indixit, profectuſq; est ipſe in Galliam, Hiſpaniã & Angliam, vt regum impetrato cõſenſu, magnam Epiſcoporum colligeret frequentiã, vnde natum est celebre illud Conciliũ Cõſtantienſe ad lacum Acronium, cui interfuerunt multi Reges & Principes Chriſtiani, vt & duo Imperatores Græci, Conſtantinopol. & Trapezuntinus. Ad diem 27. mẽſis Decemb. an. MCCCXXXI. profectus est in Italiam, vbi magna ſolennitate ingreſſus Mediolanum, corona ferrea cinctus est: inde Romæ à Pontifice Diadema ſumſit, ipſo die Pentecoſtes. Ex Italia in Pannoniã iuit, quo tempore Bohemi crudele bellum vicinis intulerunt, ob Iohannis Huſſi necẽ, qui exuſtus fuerat Conſtantiæ. Tandem morbo obiit diẽ ſuũ Znoimæ in Morauia, cum Imperium tenuiſſet ann. XXVII. regnum Hungariæ LI. Bohemiæ XVII. anno ætatis

LXXI. Princeps omni laude dignissimus, parum tamen felix in bello & matrimonio.

CXXXVIII. Sigismūdo Socero successit ALBERTVS AVSTRIACVS Gener, nō solum in Imperio, sed & vtroq; regno, an. sal. MCCCCXXXVIII. Inuenit hic belli Bohemici reliquias, q̄ penitus sopiuit. Eo qui sequebatur anno, correptus est dysenteria ob nimium peponum esum, & mortuus est in Pannonia a. d. XXVII. Octobris mensis anno MCCCCXXXIX. Mors eius tam intempestiua nouis per Hungariam motibus occasionem præbuit.

CXXXIX. FRIDERICVS III. (vel secundū aliquos IV.) ad Imperiale culmē eleuatus est a. d. 30. Mart. an. Christ. MCCCCXL. Sustulit hic Schisma, quod in Ecclesia natum fuerat causa Concilii Basileensis. Profectus Romam, vxorem duxit Heleonoram, Eduardi Lusitaniæ regis filiam. Declaratus primo Rex Longobardorum, biduo post Imperator appellatus & cum vxore coronatus est Romæ, anno M. CDXLII. Cum de nouis per Germaniam motibus accepisset, festinato itinere in patriam rediit, suoque aduentu tumultus sedauit. Tandem extinctus est fluxu dysenterico senex admodum, cum imperasset annis LIII. Sub huius Friderici Imperio ars imprimendi libros in Germania reperta est, primiq; libri impressi sunt Moguntiæ an. MCCCCXLI. & Constantinopolis à Turcis occupata.

CXL. A. D. 6. Febr. an. Christi MCDLXXX. VI. MAXIMILIANVS I. Friderici filius Imperiū nactus est: singularis virorum doctorū amator, sub quo bonæ artes, scientiæ, ipsæq; litteræ reuiuiscere cæperunt, quæ prope sepultæ iacebant. Multa hic bella gessit, varia fortuna, intra & extra Imperium, inprimis contra Venetos & Carolum octauum Gallorum regem, nec non contra Heluetios. Postrema Comitia Augustæ habuit magna principum frequentia, vbi præcipue de bello Turcis inferendo tractatum fuit. Selimus enim pulsis Syria & Ægypto Mameluccis, occisoque Campsone & Tomombeio eorum Sultanis, aliis quoque imminebat. Mortuus est Maximilianus in Austria ad XII. Ianuarii anno MDXIX. cum vixisset annos LIX. mēsem I. dies 20. Imperasset an. XXXII. menses XI.

CXLI. Auum in Imperio secutus est CAROLVS V. Austriacus, Hispanorum rex electus a. d. 18. Iunii anno MDXX. Bellum hic fecit Francisco I. Gallorum regi, qui competitor eius fuerat. Fœdus percussit cum Pontifice & Britannorū rege; cumque Carolum Borbonium in Italiam misisset, vt Antonio Leuæ, qui Ticini obsidebatur suppetias ferret; hique duo cōiunxissent copias, acie conflixerunt cum Gallis, iisque victis Franciscum primum regem cum multis viris illustribus ceperunt. Carolus facta pace Francisco regi sororem suam Eleonorā nuptum dedit, postquam à captiuo duos auri milliones lytri nomine exegisset. Hinc reuersus in Germaniam belli Turcici consilia agitauit, vt hostem imminentem Austriæ reprimeret. Sed Barbari non expectato prælio fugam arripuerunt multis millibus desideratis. Principes Germaniæ Protestantes cum ei bellum intulissent, victi ab eo paulatim sunt. Cum ingentes in Germania contraxisset copias, obsidione cinxit vrbem Mediomatricum, vbi fortunam non vt ante propitiam inuenit. Filio suo Philippo cum Mariam Angliæ reginam matrimonio iunxisset, regnum Neapolitanum Siculumque donauit. Mire vexatus cruciatibus podagricis, cessit omni regnorum suorum administratione, Imperio fratri relicto, quod contigit, anno MDLV. Inde Bruxellas profectus, inferioris Germaniæ populos in fidem Philippi filii iurare iussit, ipse in Hispania priuatum vitę genus sibi elegit, mortuusque est a. d. XXI. Septembris An. MDLVIII. cum vixisset annos LVII. menses VIII. dies XXI. & annis XXXIX. Imperator, XLIV. Rex Hispanorum fuisset.

CXLII. Abdicanti se Imperio fratri Carolo, FERDINANDVS AVSTRIACVS successit salutatus iam antea & appellatus Romanorum Rex Coloniæ mense Ianuario an. MDXXXI. frustra reclamante & protestāte Electore Saxoniæ. Duravit hæc controuersia aliquot annis, ad extremum tamen sopita. At mortuo Carolo conuenerunt Principes Electores solenniter, & Ferdinādum regem Imperatorem elegerunt, quod factum est an. Christi MDLVII. Hic Gusmannū Hispanum Romam ablegauit, vt nunciaret Pontifici suam electionem. Francofurti comitia habuit anno MDLIX. in quibus conciliatio religionum quæsita fuit. An. vero MDLXI. Principes Germaniæ Protestantes Noribergæ conuenerunt, quibus præter spem superuenerunt duo Legati Pontificis, cohortantes eos, vt ad Cōcilium Tridentinum venirent, fore enim vt audirentur. Cumq; anno M. DLXII. Imperator, Electores cæteriq; principes frequētes cōuenissent, elegerunt Maximilianū II. Ferdinādi filiū Imperatorē, qui paulo ante in Bohemiæ regem coronatus fuerat. Sumsit hic diadema Cæsareū magna celebritate & applausu populi. Mortuus est Ferdinandus Viennæ Austriæ a. d. XXV. Iulii mensis cum vixisset annis LX. mensibus IX. solus autem Imperio præfuisset annis VII. & quindecim liberos ex vxore Anna Hungariæ regina sustulisset. Sepultus Pragæ metropoli Bohemorum.

CXLIII. MAXIMILIANVS II. Austriacus, Ferdinandi filius electus Imperator, prima Comitia patre mortuo habuit Augustæ Vindelicorum; tractatum est hic de bello Turcis pariter & Iohanni Dacorum regulo inferendo, deque subministrandis auxiliis ad defensionem regni Vngarici. Impetrauit Maximilianus à principibus quadraginta millia peditum, octo equitum. Eodem anno qui fuit à nato Christo MDLXVI. Solimannus Turca cum exercitu, sexaginta millibus peditum & infinito equitum numero constante, Danubium Drauumque amnes transgressus, cum spacio XIV. dierum Istrum ponte strauisset stupendæ magnitudinis & operis admirandi, Sigethum oppidum obsidio-

dione cinxit, vbi mortuus est ipse Tyrannus sanguineo ventris fluxu. At Mahometes primus purpuratorum, celato Solimanni interitu, continuataque obsidione, expugnauit oppidum, quæ iactura grauissima fuit, interfecto Comite Serinensi & fortissimo quoque præsidiariorum, amisso insuper munitissimo Castro cum circiter centum machinis bellicis maioribus. Post hæc de voluntate Imperatoris Archiepiscopus Moguntinus conuentum Principum Fuldam indixit, vt in medium consuleretur de conseruanda pace per Germaniam. Expirauit a. d. XII Octobris anno Salutis MDLXXVI. cum regnauisset annis XII. & sedecim liberos ex vxore sustulisset.

CXLIV. RVDOLFVS II Austriacus, Maximiliani filius natu maximus non Imperium solum, sed & regna Hungariæ Bohemiæque morte patris adeptus est, Imperator factus cũ annũ ageret XXV. Turcica imprimis hunc agitauerunt bella grauia illa quidẽ, & variante fortuna gesta. Tandem fatigata vtraque parte inducię factæ sunt mense Nouembri anno MDCV, quæ vtrinque hactenus seruatæ sunt. Post hæc tẽpora magnæ mutationes rerum per Hungariam Transsyluaniamque acciderunt, vt Rudolfus coactus fuerit Matthiæ fratri cedere Vngariæ regnum cum Austriæ vniuerso ducatu, relicto Rudolfo Imperio cum regno Bohemiæ, qui mœrore obiit expers liberorum a. d. X. Februarij anno Christi MDCXII Cum regnasset ann: XXXV; menses IV. vixisset annos LX.

CXLV. Excepit hunc in Imperio *Matthias* frater, Augustus appellatus Francofurti a. d. XIII Iunij ann. M.DCXII. cui ann. MDCXVIII defuncto successit

CXLVI. FERDINANDVS II, iãante in regẽ Vngariæ Bohemiæq; coronatus. Is cũ Francofurtũ venisset XX die mensis Martij anni MDCXIX. legitimis suffragiis Imperator electus est. Matthias cum sine liberis esset, transtulerat in hunc iura vtriusque regni, Vngarici & Bohemici. Albertus autem Austriæ ac Brabantiæ Archidux prouincias Austriacas ei cesserat. Præest is hac tempestate Imperio Romano, quod grauissimis iam ab aliquot annis agitatur ac concutitur bellis ciuilibus, & pacem ac tranquillitatem optat anhelatque.

Persecuti iam Catalogum Imperatorum Occidentis, subiiciemus lectoris oculis modum ac rationem eligendorum ac coronandorum Cæsarum, quæ antiquis legibus constituta, ac in Matthia Austriaco obseruata fuit, vt ex hoc exemplo de cæteris coniectura fieri possit.

Igitur ad XX diẽ Maij mensis anni MDCXII Francofurtum conuenerunt Reuerendissimi ac Illustrissimi Archiepiscopi, Iohannes Suicardus Moguntinus, Archicancellarius per Germaniam; Ferdinandus Colonien sis Archicancellarius Imperij per Italiam, principes Electores: eodemque die Illustrissimi principes, Iohannes Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux administrator & tutor Electoralis Palatinatus, itemque Iohannes Georgius Saxoniæ Dux, Magnus Imperij Mareschallus, Vicarij Imperij vacantis ex Legibus Bullæ aureæ. Sequente die Lunæ Vrbem ingressi sunt Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps Lotharius Archiepiscopus Treuerorum, Archicancellarius per Galliam & Arelatense regnum, itemque Legatus Illustrissimi Principis Iohannis Sigismundi, Marchionis Brandeburgensis, Magni per Imperium Camerarij, Electoris, ducis Prussiæ &c. Die autem Maij XXIII adfuit Serenissimus potentissimusque Princeps, Matthias II. Vngariæ & Bohemiæ rex, Archidux Austriæ, ingressusque est Vrbem magnifico cum apparatu & exquisito splendore, stipatus à centum equitibus sclopetarijs. Omnes hi Principes à ciuibus Francofurtensibus honoris ergo obuiam profectis honorifice excepti inque Vrbem vereri more deducti sunt.

Ergo Electores, Moguntinus, Treuirensis, Colonien sis; Itemque Tutor Palatini principis, Dux Saxonum & Legatus Marchionis Brandeburgici, cum Francofurti essent, aliquoties in Curia oppidi conuenerunt, in Palatio ei rei destinato. Collocata ibi cernuntur septem sedilia, tecta nigro panno holoserico, impositis totidem Puluinaribus, in quibus Principes Electores cum legato Brandeburgico eo ordine consederunt, si à manu dextra incipiamus. Primo assedit Palatinus, post eum Rex Bohemiæ, deinde Archiepiscopi, Moguntinus, Treuirensis, Colonien sis, Saxoniæ Dux, postremo Legatus Brandeburgicus. In medio posita erat mensa oblonga, tecta & ipsa holoserico, cui assidebant Cancellarij, & qui erant à secretis ac Epistolis horum principum; in subsellijs post principes locatis sedebant eorum consiliarij. Propositis ad deliberandum variis rebus, prima consultatio fuit de iuramento, quod ex Lege Carolina ciues oppidi Electoribus præstare tenentur. Hoc igitur cum Principes Electores à magistratu oppidano exegissent, iussi sunt omnes peregrini vrbe exire, qui non erant ex comitatu & familia Electorum: ciuibus autem militibusque præsidiariis, præeunte sono tympanorum & voce præconis, dictus fuit dies ad conueniendum, XXVI. Maij. Qui vbi adfuit, hora vna ante tempus prandij Principes Electores conuenere in superiore cœnaculo curiæ, consederuntque in sedilibus holoserico opertis, eo quem supra commemorauimus ordine, erantq; sedilia collocata in ea pauimenti parte, quæ circiter pedem vnum altius eminebat. Comparuit hic Senatus Vrbis, primoque senatores iuramentum dixerunt ea formula, quam recitabat Archiepiscopi Moguntini libellorum supplicum Magister, in hunc fere modum: Debere Senatum Populumque Francofurtensem primum omnium fidelitatem iuramento promittere Reuerendissimo Principi Iohanni Suicardo, Archiepiscopo Moguntino suo cæterorumque Principum Electorum nomine, in quorum numerum etiam veniant Administrator Palatinus & Legatus Brandeburgicus; Senatum Populumque Francofur-

cofurtenſem ſumma fide & diligentia ſecuritatem præſtituros omnibus & ſingulis Electoribus, daturoſque operam, vt ſi forte orto inter ipſos diſſidio ſimultates naſcantur, ne vnus alteri noceat, ſiue clam & aſtu, ſiue palam: neve quis ipſis aut eorum miniſtris ac clientibus vllo modo in damno ſit, aut eos, quos ſecũ adduxerunt, quorum numerus ad ducentos equites accedat, vllo pacto lædat, ſub comminatione pœnarum Lege Carolina ſecus facientibus propoſitarum. Deinde ne permittant quenquam mortalem, quicunque tandem is ſit, vrbem ingredi, præter tabellarios aut miniſteria Electorum, donec Electio duret: quin & eos, qui vel cum ipſis Electoribus vel ante aut poſt ingreſſi fuerint, diligenter perquiſitos ciuitate exire iubeant, omni profligata mora, cunctantes vero vi cogant, grauibus denunciatis pœnis.

Iurauit ergo Senatus publice, magna hominum aſſiſtente multitudine, ad eum modum, vti Cancellarius Moguntinus propoſuerat. Hoc facto Adminiſtrator Palatinus & Legatus Brandeburgicus, cum ſurrexiſſent de ſellis, ad proximam palatij feneſtram acceſſerunt, vt viderent multitudinem ciuium, qui conuenerant ante cutiam Vrbis, vt ſuperiore die iuſſi fuerant, præſtituri & ipſi iuramentum. Alio in loco conuenerant milites præſidiarij, hi & ipſi pulchro ordine in forum deducti, cum in orbem conſtitiſſent, iurauerunt fidelitatem ex formula quæ propoſita fuerat, ſpectantibus Principibus Electoribus. Iis qui ſequebantur diebus aliquoties in eodem loco conuenerunt Electores, cumque de variis rebus deliberaſſent, poſtremo XIII Iunij diem Electioni nominauerunt, quem & obſeruauerunt, vt patebit in ſequentib.

A.d.II.Iunij menſis Senatus Francofurtenſis ad tympanorum ſonitum denuo per præcones proclamari iuſſit, vt omnes ac ſinguli peregrini, qui non eſſent è comitatu Electorum, nec ciuitati iuramento deuincti, Vrbe protinus exirent, quo facto à meridie omnes ciuitatis portæ occluſæ ſunt.

Et iam decimus tertius Iunij dies aderat, cũ ad Electionem Regis Romanorum peruentum eſt. Primo ciues vniuerſi cum armis in diuerſis vibis compitis comparere iuſſi ſunt, inprimis illi, qui à curia oppidana vſque ad D. Bartholomæi ædem longo ordine ex aduerſo conſtiterant, eleganter exornati omnes. Hinc per medię horæ ſpacium auditus fuit ſonus ingentis campanæ, quæ non niſi in ſubitaneis grauibuſque caſibus, aut cum ciues ad arma vocantur, pulſari ſolet. Poſt horam ſeptimam conuenere Electores in Curia, ad quam acceſſerant in equis exquiſito ornatu: ibi fere dimidium horæ abſumtum eſt, dum habitu Electorali ex antiquo more induuntur, quem cum ſumſiſſent, prodeuntes ex diuerſis locis conuenere in Palatio. Octaua cum audita fuiſſet, deſcendentes de curia, conſcenſis aſturconibus hoc ordine verſus ædem D. Bartholomæi perrexerunt. Præcedentem magnum Nobilium & conſiliariorum vt & miniſtrorum Electoralium numerum, ſequuti ſunt inſidentes equis duo Mareſchalli, Moguntinus & Treuirenſis, quorum nomina erant Iohannes Philippus ab Hoheneck & Melchior ab Eltz, præferentes ſinguli ſingulos gladios vaginis deauratis conditos. Poſt hos ibant duo Archiepiſcopi Moguntinus & Treuirenſis, veſtiti habitu Electorali, togis inquam purpureis, muris Pontici pellibus ſubductis, & ab ſummo prætextis. Hos ſequebãtur iterum duo Mareſchalli, Colonienſis & Bohemus, ferente vnoquoque eorum gladiũ, Colonienſis quidem ſuum conditerat vagina deaurata, Bohemus autem tecta rubro holoſerico. Deinde viſebantur Ferdinandus Archiepiſcopus Colonienſis, dextrum: & Matthias Bohemiæ rex ſiniſtrum obtinens latus, veſtiti eodem modo, vt duo priores, præterquam quod Bohemiæ rex coronam regiam auream pileo Electorali impoſuerat. Hinc equitabant duo alij Mareſchalli, Pleicardus ab Helmeſtat, pro Palatino principe, & Maximilianus Baro de Pappenheim pro Electore Saxoniæ, ferentes & ipſi manibus gladios vaginis deauratis conditos. Poſt hos ingrediebantur Iohannes Comes Palatinus Rheni, Tutor & Palatinatus Adminiſtrator, ad dextrum, Iohannes Georgius Saxoniæ Dux in medio, Adamus vero Baro de Putlitz ad ſiniſtrum latus, quia erat Legatus Electoris Brandeburgici. Et Palatinus quidem atque Saxo eodem modo veſtiti conſpiciebantur, togis ac pileis purpureis Electoralibus, vt priores Electores: Legatus autem vſitato ſuo viſebatur indutus habitu, nigro, nec præferebatur ei gladius, eo quod Elector Brandeburgicus ipſe non eſſet præſens. Hoc ordine ingredientes, ſtantibus ab vtroque latere armatis ciuibus, poſtquam ad D. Bartholomæi Templum peruenisſent, quod eſt elegans & pulchritudine conſpicuum, in modum crucis exædificatum, iuncta ei ad Septentrionem turri altitudinis & firmitatis cõſpicuæ, deſilientes ab equis ipſam ſacram ædem ingreſſi ſunt. Stabant in theatro extemporaneo ligneo tubicines Electorum, magno numero, qui ſub aduentum Principum iucundo concentu clanxerunt tubis, interboante tympanorum æneorum ſonitu, quæ harmonia durauit, donec Electores Chorum Templi ingreſſi fuere, quæ pars ædis cortinis, peripetasmatis & ſtragula pictaque tela magnificè exornata erat. Sedilia Principum holoſerico atro operta viſebantur, impoſitis eiuſdem coloris puluinaribus, excepta ſella regis Bohemiæ, quæ panno aureo magni precij tegebatur. Conſedere Electores in ſua quiſque ſede hoc ordine. Moguntinus, Bohemus, Palatinus ad dextrum adytorum latus: Colonienſis, Saxo, Legatus Brandeburgicus ad ſiniſtrum. In medio è regione Aræ ſummæ ſedebat Archiepiſcopus Treuerenſis. Hos principes ingreſſos Chorum, ſecuti ſunt quidam è conſiliariorum & Cleticorum numero, poſt quos Mareſchallus à Pappenheim clauſit Oſtiũ. Confeſtim auditus eſt organorum Muſicorum

ſonus,

sonus, cantorumque psalmodia, concinentium Hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, vt totum templū iucunda compleretur harmonia. Inde Suffraganeus Moguntinus ad aram accedens, Missæ sacrificium exorsus est: Palatinus autem, & Saxo, & Legatus Brandeburgicus, cum diuerlam à Romana profiterentur religionem, omissa Missa cum suis in conclaue Electionis se receperunt, donec sacrum illud peractum fuisset: postea reuersi sunt ad sua sedilia. Finito concentu Musico Electores cum Legato ad summam Aram adducti sunt, quisque per suum Mareschallum prælato gladio vagina condito, præter Legatum Brandeburgicum, vbi præstiterunt iuramentum secundum Legem Carolinam, ad hunc modum. Quilibet eorum conscenso summo gradu Altaris conuertebat ad assistentes faciem. Ibi Moguntinus consistens medius inter duos collegas verba faciens, monuit eos de præstando iuramento, quod Electionem ex more præcedere deberet. Ipse primus iurauit in manus Electoris Treuerēsis: post cum idem ab aliis exegisset, formulamque Sacramenti prælegisset, iurauerunt ordine omnes, Archiepiscopi quidem imposita manu pectori: Ceteri Principes in librum Euangeliorum. Idem Moguntinus, cum hæc facta fuissent, postulauit duos Notarios, qui huius rei documenta scripta cōficerent, quod cum fieret, omnes nobiles cæteriq; qui adstabāt per Tabelliones rogati sunt, vt rei gestæ testes esse vellent.

Postea Electores reuersi ad sua sedilia, consederunt. Ibi cum denuo psalmi aliquot decantati fuissent, cum hymno illo, quem supra commemorauimus: in Conclaue Electionis itum est, quæ est Camera angusta in longū porrecta, iuncta Choro Templi versus meridiem, vbi erat Ara eleganter exornata, ipsum vero conclaue pictis deauratisque telis opere Phrygio siue peristromatis Babylonicis vndique tegebatur. Hoc igitur in loco factum est initium electionis. In medio Templo, loco admodum edito, recta aduersus Chorum, qua per fenestram patent interiora adytorum theatrum excitatum erat pro Friderico, iuniore Principe Palatino, Electoratus hærede, itemque pro regina Bohemiæ eiusque Gynæceio, vnde spectari commodè omnia poterant, quæ agebantur tam intra quam extra Chorum.

At Principes Electores, cum aliquandiu in Conclaui fuissent, & duabus vicibus ad se vocassent consiliarios suos Notariosque, tandem vnanimi consensu suffragia tulerunt, egressique sunt è Camera, in qua paulo plus vna hora hæserant. Hoc autem ordine exiuerunt. Primo Archiepiscopus Moguntinus solus iuit: post hunc duo Collegæ Colonienſis & Treuir. & in medio eorum Matthias Pannonum Bohemorumque rex, electus Romanorū Imperator. Secuti sunt tres reliqui, Palatinus, Saxo, Legatus Brādeburgicus. Inde rursus auditus est tubarū tympanorumque mixtus sonus, intercedente campanarum murmure ab omnib. turribus, & horribili machinarum æneārum boatu, quæ in publicæ lætitiæ signum à vallo & munitionib. Vrbis explodebātur. Matthias Rex deductus est ad summum Altare, quo cum peruenisset, subsedit in genua ad imum gradum, orāti similis, Electores autē ei adstabant ad vtrumq; latus, accinentibus sacerdotibus musicisque: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, cum psalmo, *In virtute tua lætabitur rex*. Inde recitatę gratiarum actiones, precesque fusæ pro nouo Rege Romanorum, quib. finitis Rex ab Electorib. in arā subleuatus cōsedit interim dum canitur Hymnus, *Te Deum laudamus* variantibus instrumentis & ratione concentus trifariam. Primo sonabant organa, deinde cantores, tertio tubicines principum. Finierāt Musici, cum repente patuit ianua quæ ad dextrum latus Chori erat, & Electores depositum ab altari Regē deduxerūt extra chorum super Theatrum in eos vsus excitatum, pensile, quod vndiq; preciosis ac versicoloribus peripetasmatis tegebatur, in quo posita erant septē sedilia holoserico nigri coloris tecta, pro totidē Electorib. In medio horum eminebat cathedra pedem vnum altior cęteris, cooperta panno aureo, in quo consedit nouus Imperator medius, & ad dexteram eius Moguntinus & Palatinus: ad sinistrā Colonienſis, Saxo & Brandeburgicus: Treuir autem ex aduerso. Palatinus manu tenebat Pomum aureū cruce insignitum: Saxo Gladium: Legatus Brandeburgici Sceptrum. Interea dum vnusquisque Electorum conuenientē dignitati suæ sellā occupat, tubarum tympanorumque mixtus sonus omnia complet, quo cessante, Reuerendissimus D. Georgius Frideric⁹ Greiffencloë de Volrhat, Præpositus Moguntinensis & Wormatiensis Matthiā regem Electum Imperatorem pronunciauit his fere verbis. Notum haud dubiè esse omnibus, quod morte Rudolfi II Imperatoris, felicis memoriæ, Imperium Romanum destitutum fuerit capite. Reuerēdissimos igitur & Illustrissimos Principes Electores cum Legato absentis, obseruata lege Carolina, & habita ratione salutis publicæ eo nomine conuenisse, vt aliud caput eligerent, ad gloriam & honorē omnipotentis DEI, ad vtilitatē & augmentum Imperij, totiusque adeo salutem orbis Christiani. Elegisse igitur concordibus suffragiis Serenissimum Potentissimumq; Principē ac Dominum, Matthiā II. Hungariæ Bohemiæque regem, Archiducem Austriæ, eumque creasse Regem Romanorum, futurum Imperatorē Augustum. Hæc se multitudini adstantiū Electorū nomine renūciare, eō fine, vt vnusquisq; Electo conuenientē obædiētiam & debitū honorem præstandū esse nouerit.

Facta hac denunciatione iterum sonuerunt tonueruntque tubæ ac tympana citato ingentis lætitiæ sonitu, & Electores cum nouo Romanorum Rege de Theatro descenderunt: præibat Treuirorū Archiepiscopus: sequebantur deinde tres collegæ, Palatinus aureum globum ferens ab dextro, Saxo cum ense in medio, Brandeburgicus cum sceptro à sinistro incedēs latere. Post hos ibat Matthias rex Romanorum, Hungarorum, Bohemorum, & vltimo loco duo Archie-

piscopi, Moguntino dextrum, Colonienſe ſiniſtrum obtinente latus.

Hac pompa Templo exiuerunt, conſcenſiſq; equis ante maiorem Baſilicæ portã, eodem ordine quo diximus, nouum Imperatorem deduxerunt ad Palatium quod ei in Vrbe paratum fuerat, Francofurtenſes appellant illam domũ, *Groſſ Braunfels*. Principes autem præcedebantur à multis illuſtribus nobilibuſque viris, quorum primi erant è comitatu Matthiæ Regis: quos ſequebantur miniſtri Ducis Saxoniæ, deinceps cæterorum Electorum mixtim. Tubicines omnia loca alacri concentu implebant, vt & tympana percuſſa militariter. Poſt hos ibant Conſiliarij Electorum, ipſique Principes, cum Cæſare recens electo, omnes eo quem commemorauimus ordine. Et hac ratione Matthias II. Pannoniæ Bohemiæque rex vnanimi Principum Electorum conſenſu Imperator creatus, ingentiq; cum lætitia ab vniuerſis agnitus receptuſque eſt Caput Imperij Romani.

Quanquam autem omnis Electionis ſolennitas eo quem diximus modo finita fuerit, Electores tamen reuerſi ad Curiam Vrbanam denuo conuenerunt, cum expediendæ adhuc reſtarent maximi momenti deliberationes, quæ totius Imperij concernebant incolumitatem. Quod ſupererat temporis, datum eſt lætitiæ, feſtiuitati, epulis, ludiſque ac hilaritati, nemine parcente ſumtibus, nec huic rei Electores ſolum operam dabant, ſed & alij Principes ac Dynaſtæ, qui ſtatim peracta Electione magna frequẽtia ingreſſi fuerant ciuitatem. Conuiuiorum apparatum excepit ludorum varietas, decurſus equitum pro brabeio, equiria, congreſſus virorum fortiũ in Hippodromo, ludi prætorea hiſtrionum, mimorum, gladiatorum: duraueruntque hæc velut Saturnalia, vſq; dum nouus Imperator Diademate Cæſareo cingeretur, quod & ipſum feliciter perfectum eſt die Dominico ad XXIV Iunij, anni currentis MDCXII.

Meminiſſe potes, beneuole Lector, nos in ſuperioribus decem prouinciarum, in quas vniuerſa Germania diuiditur, quaſque ipſi Circulos ſiue Orbes vocant, mentionem feciſſe. Has igitur nunc recitabimus, addita earum prouinciarum qualicunque deſcriptione. Sunt autẽ hę.

I. Franconia. II Sueuia. III Bauaria. IV. Auſtria. V. Tractus Rheni. VI. Dominia quatuor Electorum ad Rhenum. VII. Weſtphalia. VIII. Saxonia ſuperior. IX. Saxonia inferior. X. Burgundia.

Antequam autem ad particularem harũ prouinciarum deſcriptionẽ proficiſcamur, de ipſius terræ Germaniæ limitibus generatim aliquid dicendum eſt, qui à veteſtis ſcriptoribus non conſtituuntur iidem. Veteſtiſſimi ita definiunt, vt Rheno fluuio, Mari Germanico, Tanai amne, & Ponto Euxino terminent. Sed qui hos ſecuti ſunt, Strabo, Ptolemæus, Pomponius Mela, Plinius aliique, tam Græci quam Latini, Rheno ac Viſtula fluminibus cohercent. Tacitus adiungit, Germanos à Sarmatis Daciſque mutuo metu aut montibus ſeparari. Noſtro æuo ſub Germaniæ appellatione comprehenduntur omnes prouinciæ, quarum incolæ Teutonica lingua vtuntur, vt ſuperato Ptolemæi limite vltra Danubium Rætias contineat, Noricumque cum ſuperiore Pannonia & parte Illyrici vſque ad agrũ Tridentinũ. Quin & tranſgreſſi Rhenum Alemanni armis occupauerunt Vrbes ac Colonias Romanorum, Conſtantiam, Auguſtam Rauracorum, Argentoratum, caput Vangionum, Moguntiacum, Treuiros, Confluentiam, Bonnam, Anternacum, Coloniam Agrippinam, cum plurimis aliis ciuitatibus, earumque agro vſque ad mare Germanicum Britannicumque. Sed & Heluetij noſtra tempeſtate Germanos ſe ipſi profitentur, vt & Pruteni, qui vltra Viſtulam in Orientem longè lateque habitant: vt iure dici poſſit Germania ſe trans Rhenum ſiue in occidentem extendere, vſque ad Picardiæ Burgundiæque fines: in meridiem vſque ad Alpes: in orientem trans Viſtulam: ab ſeptentrione autem prætexi vtroque mari, Germanico Oceano & Mari Baltico.

Vt autem omittamus inferiorem Germaniã, qua de agemus fuſe, cum de Gallia Belgica tractabimus: neque commemoremus Heluetios, de quorum republica ſigillatim dicemus: neglectis etiam hoc loco iis, qui Imperatorem dominum non agnoſcunt, faciemus in deſcriptione Germanicarum Prouinciarum, quæ ſub decem Orbibus illis comprehenduntur, initium ab *Alſatia*, quæ ad Heluetiorum fines pertingit. Diuiditur hæc in ſuperiorem & inferiorem, ſuperior ſub Landgrauiatus titulo complectitur Sungoiam & Briſigauiam. In vtraque magnus inuenitur numerus oppidorum, caſtrorum villarumque, habitanturque frequentiſſimè. Præcipuæ ciuitates ſunt Rubeaquenſis, extructa à priſcis Romanis: Seleſtadium, Friburgum Briſigoiæ, & quæ cæteras omnes ſplendore multum ſuperat, Argentina, duobus nominibus in primis celebris, munimentorum firmitate, & turris pulcherrimæ altitudine, quæ aſſurgit ad DLXXIV pedes Geometricos.

Ager ſiue *Ducatus Wirtembergicus* ab oriente & meridie Sueuiam attingit, ab Septentrione Francos orientales confines habet, ad occidentem Palatinatum Rheni. Medium hunc principatum Nicer fluuius perluit, abundantem oppidis, caſtris & pagis, quorum eſt incredibilis multitudo. Præcipuum regionis oppidum eſt Stutgardia, poſt hanc Tubinga Vniuerſali ſtudio inclyta, & arx Wirtembergica, quę toti prouinciæ nomen impertit.

Francia Orientalis, ſiue vt patrio Idiomate dicitur, *Francorum terra*, his circumſcribitur limitibus: à meridie Sueuia & Palatinatu Bauariæ, ab occidente Rheno: ab oriente ſaltu Bohemico; à ſeptentrione Haſſia & parte Thuringiæ. Inter oppida primo loco numeratur Herbipolis, vulgo Wirceburgum, ob cuius poſſeſſionem eius loci Epiſcopus nominat ſe Ducem Francorum, quanquam ſolummodo partem aliquam eius regio-

regionis possideat. Secundo loco occurrit Bamberga, elegans, & amplum oppidum, & ipsum Episcopale. Variis hæc regio paret principibus & Episcopis, Moguntino, Bambergensi, Wirceburgico, præterea Burggrauio Norimbergensi & Palatino Comiti. Francofurtum Vrbs Emporij nomine celebris, vbi quotannis bis famosæ illæ per Europam Nundinæ celebrantur, &, quod sigillatim destinata est Electioni Imperatorum vacante Imperio. Sita est ad Mænum fluuium.

Sueuia ratione situs altior est cunctis fere Germaniæ prouinciis. Attingit ab oriente Bohemiam, à Septentrione Franciam Orientalem, ab Occidente Alsatiam, vsque ad Rhenum fluuiū: à meridie terminatur Bauaria & Alpibus. Oritur in hac regione celeberrimus ille Danubius, qui & Ister, quam perluit. Inuenimus olim hanc regio insignem fuisse titulo, sed deinceps ad Ducatus appellationem descendit. Paret nostro æuo multis principibus, cum tamen nemo se Ducem Sueuiæ appellet, quanquam potissimam optimamque partem possideat Dux Wirtenbergensis. Præcipua Sueuorum Vrbs est Augusta Vindelicorum, ad Lycum amnem sita, quæ splendore & diuitiis vix vlli cedit Germanicarum ciuitatum. hāc sequitur Vlma supra Istrum fluuium, non tam amplitudine quam munimentis opibusque pollens. Et Norlinga in pulcherrima sita planitie, vt & Constantia ad Lacum Acronium, & centum aliæ, quas hic percensere nihil attinet.

Qui nostro æuo rerum potitur Imperator, *Bohemiæ* quoque *regnum* possidet, vndique Germanis nationibus circumseptum. Attingit hoc ab Oriente Morauiam partemque Silesiæ, à meridie Austriam Bauariamque, ab occidente habet Palatinatum superiorem, partemque Francorum terræ, ab septentrione Saxoniam ac Misniam. Hercynia Sylua hanc ab omni parte cingit regionem, cuius forma pene rotunda est, diametro eius in triduiiter patente, quanquam alij scribunt, habere eam in longitudine XXXVI milliaria Bohemica. Fluuij celebriores qui Bohemiam percurrunt sunt Albis & Multauia, cæteri sunt minores, & exhauriuntur prope omnes ab Albi. Praga, quę veteribus Matobodūum fuisse creditur, est præcipua Regni ciuitas, ingens & ob id TRIVRBS dicta, quod è tribus cōiungatur oppidis, è Praga Veteri, Noua, Parua. Separantur hæ abse inuicem interuentu Multauiæ fluuij, qui ponte stratus est lapideo.

Morauia veterum Marcomannorum sedes, apud Germanos nomen trahit à Mara fluuio. habet hæc ab Oriente Poloniæ Hungariæque fines, ab occidente Bohemiam, à meridie Austriam, ab septentrione Silesiam. Magna ex parte montosa ac saltuosa est, planior tamen qua in Austrum ventū vergit. Multis perluitur amnib. maioribus minoribusq;, quorū nomina referre non est operæ pretium. Continet intrā sese duos comitatus, multasque dynastias ac toparchias. Præcipuæ illius Vrbes sunt Olomucensis, Episcopatu insignis, & Prinna, itemque Iglauia & Snoima aliæque.

Attingit hanc à meridie *Silesia* cum parte aliqua Hercynij nemoris, quæ ab occidente habet Lusatiam Bohemiæque partem, ab Oriente Poloniæ regnum, ab septem Trionibus Marcam Brandeburgicam. Longitudo eius in ducenta millia passuum porrigitur, totaque regione multæ hinc inde inueniuntur scholæ. Præcipua ciuitas est Vratislauia, quam Germani Breslam vocant; Vrbs pulchritudine, Episcopatu, Ludoque litterario clara: hanc Nissa sequitur, vbi Episcopus fere habitare solet. Quindecim olim hæc tam ampla prouincia paruit Principibus; hodie maxima eius pars caducitatis lege ad Bohemiæ regnum reuoluta est, exceptis sex principatibus, qui inter Veteres Ducum familias diuisi, adhuc penes eos sunt. *Lusatia* intrā Albim & Viadrum amnes protenditur, montes Bohemiæ à meridie attingens. Diuiditur in superiorem & inferiorem, gaudetque Marchionatus titulo, irrigata Nissa fluuio. Præcipuum eius oppidum est Gorlitia, deinde Budissina, Sittauia aliæque nonnullæ.

Confinis est huic qua Orientem spectat *Misnia*, habens à meridie Bohemiam, à septentrione Marcam Brandeburgensem cum parte superioris Saxoniæ, ab occidente Turingiam. Abundat castris oppidisque supra modum, inter quæ eminet Misna vrbs cum arce munitā admodum: deinde Dresda, sedes Electoris, ad Albim: hinc Lipsia, mercatura & studio Vniuersali celebertima, Freiberga, Torga, aliæque complures. huius regionis fines nonnulli cum Saxonia Electorali imprudenter confundunt.

Ab Oriente *Thuringia* Sala fluuio alluitur, habens à septentrione partem Saltus Hercynij, ab occidente Veram amnem, à Meridie syluam Thuringiacam. Gaudet hæc prouincia Landgrauiatus titulo. Et quanquam in longitudinem vix habeat milliaria Germanica XIV, in latitudinem XII, tamen continet intra hosce limites Comitatus XII, totidē Abbatias, CXLIV oppida maiora & minora, castella CCL & vltra duo pagorum millia. Præcipua Thuringorum Vrbs est Erfordia, tantæ amplitudinis vt vix vlli Germanicarum cedat: sequuntur hanc. Vimaria, Isenacum, Iena Vniuersali studio nobilis, aliæque non contemnendæ.

Cum hac fines coniungit *Hassia* ad Orientem solem, à meridie Franconiam spectans, ab occidente Westphaliam, à septentrione Ducatum Brunsuicensem & Episcopatum Mindensem. Ciuitates meliores sunt Marpurgum, Schola publica celebre, & Cassilia, sedes Landgrauiorum Hassiæ. reperiuntur in hac aliquot Dynastiæ, inter quas excellit Comes Waldecensis.

Saxoniæ nomen olim latissimè patuit, vt quo Westphalia, Marca Antiqua, Misnia, Lusatia, principatus Anhaltinus, comitatus Mansfeldicus aliæque permultæ prouinciæ comprehendebant-

debantur, adeoque quicquid intra Rhenum, Albim, Mare Germanicum & Eydoram fluuiũ terrarum iacet, vsque ad Hassiæ Thuringiæque fines: quo pacto Brunsuicensis Vrbs cum agro fere vmbilicum obtinebat. Nostra autem tempestate in superiorem & inferiorem diuiditur. Superioris caput est Witemberga, Vniuersali studio famigerata, sita supra Albim fluuium. Inferiori Saxoniæ annumerantur Principatus Brunsuicensis, Megapolitanus, Lunæburgicus, Lauemburgicus cum Holsatis, Stormariis Marsisque. In eadẽ Saxonia supra Albis ripam offert se Magdeburgum, oppidum celebre, muris ac munimentorum firmitate visendum, cuius Archiepiscopus Primatem se appellat Germaniæ, quamuis Moguntinensis, Treuir & Colonien sis ei nulla ex parte cedant, vt nec Salisburgẽsis. Sub appellatione veteris Saxoniæ etiam continetur Comitatus Mansfeldicus, attingens ab Oriente Salam fluuium cum parte Episcopatuum, Magdeburgici & Mersbergensis: ad meridiem Turingos vicinos habet: ad Occidentem solem Comitatum Suarcemburgicum & Stolbergensem. Huic Comitatui inserti sunt alij quatuor, Arenstatensis, Wiperensis, Wethinensis, Querfurtensis. Inter præcipua huius regionis oppida numerantur: Mansfeldia, Islebia, Lutheri patria, & Wipra cum aliis.

Holsatia, siue vt indigenæ Germani appellant, *Holstein* terminatur ad Orientem Bilna fluuio, ad occidentem Dithmarsorum regione, ad meridiem limitem habet Albim, ad septentrionem Eidoram fluuium, qui & ipse limes est Daniæ. Etsi autem hic Ducatus ad Imperium spectat, & Duci Holsatiæ est suus inter Principes Germanos locus: tamen quia Rex Danorum nostra tempestate huius regionis est Dominus, plura de ea dicere supersedebimus, quæ superfunt reseruantes, donec de Daniæ regno dicendum nobis erit.

Westphaliam quidam scriptores pro vera & antiqua Saxonum sede habent, quæ ad Orientem alluitur Visurgi amne, ad septentrionem Frisios attingit cum parte Episcopatus Vltraiectini, ad occidentem Rhenum habet, ad meridiem montes Cattorum, quos Plinius Abnobios appellare videtur. Præcipuæ eius ciuitates sunt, Monasterium, Minda, Osnabruggum, Tremonia, Lemgouia, Padeborna cum aliis. Maxima huius regionis pars paret Archiepiscopo Colonien si: quod superest, aliis Episcopis, vt Monasterien si, Minden si, Padebornen si. Sunt & quædam vrbes Imperiales.

Ducatum Cliuiæ medius interluit Rhenus, attingentem hinc diœcesin Colonien sem, illinc Vltraiectinam. Dominium Rauensteinense huic partim mixtum partim vicinum est. Inter meliores vrbes eius numerantur Cliuia, Vesalia, Resa, Duisburgum, Rupelmonda, patria Gerardi Mercatoris & aliæ.

Iuliacensis Principatus à præcipua arce Iuliaco denominatur, quæ munitissima cum sit, nostro ævo bis capta est. Primo à Germanorum copiis vi & armis expugnata: deinde ab Hispanis longa obsidione & fama ad deditionem coacta. Vterque Principatus cum regione Montensi nostra ætate misere laceratur à diuersis ius dominij in eos prætendentibus.

Principatus siue *Episcopatus Leodicensis* ab septentrione & occidente respicit Brabantiam, ab oriente Mosam amnem, à meridie Comitatum Namurcensem. Hoc terrarum spacium intra se complectitur Principatum Bullionensem, Marchionatum Francomontanum, Comitatus Borchlonien sem & Hasbanien sem, præter alias quasdam Baronias, dynastias, Abbatias. Continet præterea viginti quatuor oppida, quorum omnium caput est Leodicum, siue vt aliis placet, Leodium, in valle peramæna, ad Mosam fluuium.

A quo amne ad Rhenum reuertemur: vbi primum nobis occurrit *Palatinatus Rheni*, siue Inferior, omnium Principatuum Germaniæ olim amæniss imus & ditiss imus. Cæterum bella ciuilia, quibus iam diu afflictatur patria, omnem ei splendorem, omne decus detraxerunt, vt qui olim hanc regionem, Palatium Germaniæ, viderunt, iam vix agnituri sint. Oppida hic visuntur præcipua, Heidelberga, Arce Electorali & Studio Vniuersali quondam celebris, Francothalium, Crucenacum, Neostadium, Bacharacum, aliaque quam plurima: his duobus postremis præcipua gloria ob vini generositatem, quod nec Cæcubo, aut Falerno Rhæticoque cesserit ob præstantiam. Deserta hæc regio à Friderico Principe suo, varie hodie occupatur, partem aliquam Imperatore, aliquam Bauariæ Duce, potissimam ac meliorem Hispanis sibi vendicantibus. Nicro ac Rheno præcipuis perluitur fluuiis, ad posteriorem sita est Spira, Sepulturis priscorum Imperatorum, & dicasterio Imperiali nobilis: itemque Wormatia, ob frequentia Imperij comitia clara, cum nonnullis alijs liberis ciuitatibus.

Archiepiscopatus Moguntinus varie per Germaniam sparsus est, ad Rhenum præcipue Mænumque fluuios, attingens Palatinatum Rheni & Diœcesin Treuirensem, alicubi etiam Colonien sem, itemque Franconiam, ac Hassiæ confinia, vt certis finibus circumscribi, limitibusque designari nequeat. Ipsa Vrbs Moguntia supra Rhenum spectandæ antiquitatis, Schola & clero ditissimo clara.

Treuirensem Archiepiscopatum versus septentrionem terminat Comitatus Nassouicus & Ducatus Montensis, itemque Diœcesis Colonien sis. Ab oriente spectat Ringouiam & partem Hassiæ, ab occidente Ducatum Lucemburgicum, à meridie Neustriam cum Ducatu Bipontino. Complectitur Treuirensis Diœcesis quatuor Comitatus cum nonnullis Toparchiis. Caput ciuitatum est Augusta Treuirorum, quæ cum vetustissimis ciuitatibus totius Orbis de antiquitate certat, olim in maximo splendore. Post hanc est Confluentia, miræ pulchritudinis, ad Mosellæ & Rheni concursum,

fum, cum arce vicina. Sed nunc à Rheno ad Danubium proficiſcemur.

Bauaria ad vtramque Danubij ripam, obtinet hodie eam regionem quam veteres Nariſci obtinuerunt, quæ etiamnum alicubi Norgau appellatur, & interuentu Iſtri fluuij à cætera parte ſeparatur, vbi olim Vindelicorum, Noricorum & Lycatiorum priſcorum ſedes fuerunt. Omnis autem Bauaria ſpectat ad ſeptentrionem Francorum terram, ad occidentem Sueuiam, à meridie habet Alpes, ab oriente Auſtriam Bohemiamque. Bauaria diuiditur in ſuperiorem & inferiorem. Numerantur in vtraque permulta oppida, arces, monaſteria: oppidorum præcipua hæc ſunt: Monachium pulchritudine ſpectandum, ſupra Iſarum fluuium, vbi ſedes Principis. Ingolſtadium, munimentis & Schola celebre. Freiſinga, Paſſauia ciuitates Epiſcopales. Ratiſpona, olim Auguſta Tiberij, Imperialis ad Danubium. Landshuta ſupra Iſarum, & Salisburgum ſedes Archiepiſcopalis. quidam etiã his Noribergam accẽſent, haud ſcio quam bene. Eſt & Palatinatus Bauariæ ſiue Superior, cuius caput Amberga.

Auſtria, Germanis dicta *Oſtenrich*, id eſt, regnũ Orientale, eſt ea regio, quæ veteribus dicebatur Pannonia ſuperior. Ab Oriente habet Vngariæ regnum, à meridie Styriæ montana vſque ad Alpes, ab occidente attingit Bauariam, à Septentrione Moraviam. Fluuij qui Auſtriam perluunt præcipui ſunt Danubius & Anaſus. Gaudet hic Principatus ampliſſime patens Archiducali Titulo. Caput Vrbium eſt Vienna, olim Flauiana ſiue Iuliobona, opibus, populo, opificibus affluens, vbi Arx ſpectatu digna & vniuerſale ſtudium inter antiquiſſima Germaniæ numerandum.

Tirolenſis Comitatus, Siue, vt alij rectius, Ducatus Atheſinus finitur Ticino & Oeno fluuiis, & Alpibus. Nomen hæc terra acquiſiuit ab arce Tirolenſi. Fuit hæc olim pars Rhætiæ, cuius fines ſunt ab Aquilone Bauaria, ab Auſtro Inſubria ſiue Lombardia, ab Oriente Marca Treuiſana, & Forum Iulij, ab Occidente Heluetiorum extrema. Præcipua eius Vrbs eſt Oeni-Pons, ſedes Principis & Dicaſterium regionis, itemque Epiſcopales ciuitates Brixia & Tridentum, quæ poſterior claritatem nominis debet Concilio, quod ſub Paulo III. P.M. aliquot annis ibi celebratum fuit, quanquam & alia ſint minora oppida nequaquam aſpernanda.

Styria quæ hodie dicitur, & Germanis Styriorum Marca, veteribus *Valeria* dicebatur, eſtque regio non adeo ampla, ſed pars Norici, habens à ſeptentrione Auſtriam, ab Occidente Carinthiam, à meridie Liburnos & Dalmatas, ab oriente Hungaros. Ducatus titulo ornata fuit iam olim per Fridericum Barbaruſſam Imp. Sunt in hac aliquot Comitatus interque eos Varadienſis. Caput principatus eſt Gratiana, cum Caſtro munitiſſimo, ſpectans Auſtriam.

Carinthia hanc attingit ab Aquilone, vt & ab Oriente; à meridie vero & occidente Forum Iulij & Carnorum regionem. Drauus hanc perluit, fluuius nobilis, gaudentem præcipuis ciuitatibus, Villaco, Claudia, & S. Viti oppido.

Carnia duplex eſt ſuperior & inferior. Vtramque noſtro æuo Auſtriæ principes poſſident, vtramque multis & elegantibus oppidis arciſque ſpectandam. Superioris caput eſt Goritia. Inferioris, quæ tota ſita eſt intra montes Noricos, Lubianum oppidum, quod Germani nominant Laubacum.

Vltimum locũ inter Imperij Germanici prouincias obtinet *Burgundiæ comitatus*, olim Sequanorum pars. huius principale eſt Veſontio, oppidum Cæſaris Dictatoris Commentariis celebre. Antea Chryſopolim dictum ſunt qui autument. Dubis hanc Vrbem interluat an circumdet dubium. Vetus oppidum ſane cingitur hoc amne, ab omni parte, præterquam ad portam qua Dolam itur.

GALLIA, QVÆ HODIE FRANCORVM REGNVM.

SVMMA CAPITA.

1. *Origo nominis GALLIÆ: quæ terræ olim ſub eo comprehenſæ, ex Cæſare & Ptolemæo oſtenditur. Galli, olim Celtæ dicti, noſtro æuo in Francorum nomen conceſſerunt. Antiqua Galliarũ diuiſio ſecundũ Cæſarẽ.*

2. *Deſcribitur Francorum regnum, vt noſtro eſt æuo. eius longitudo, latitudo, limites.*

3. *Diuiſio Galliæ ſecundum Parlamenta & Dioeceſes.*

4. *Vberior Prouinciarum Galliæ deſcriptio; & primo quidẽ Picardiæ, quæ pars magna eſt veteris Galliæ Belgicæ.*

5. *Gallia Celtica Præfectura & Vicecomitatus Pariſienſis. Deſcriptio vrbis Lutetiæ. Inſula Franciæ. Oppidũ S. Dionyſij: Poſſiacenum; Fanum D. Germani, Vexinum, Valeſia, Hurepenſis ager & Gaſtinenſis, Belſia: aliæque prouincia.*

6. *Numerus Inſularum, promontoriorum, Syluarum, fluuiorum nobiliorum.*

7. *Qualitas & ingenium prouinciarum Galliæ: earũ differentiæ ratione fertilitatis.*

8. *Mores veterum Gallorum, promittebant comam, ſtudebant eloquentiæ, adorabant Mercurium & Herculem. Humanas immolauere victimas.*

9. *Druides inſtituebant iuuentutẽ Gallorũ: ijdẽ adminiſtratores iuſtitiæ: Druidũ conſuetudines, ſacrificia, leges.*

10. *Galli formidabiles in bello omnibus prope nationibus, quibus vſi fuerint armis; modus, quem obſeruauerunt in ſtruenda acie & conflictibus.*

11. *Veſtitus veterum Gallorum, vita eorum communis, & ratio funerum.*

12. *Ingenium & mores Parisiensium, & quorundam vicinarum Galliæ gentium.*

13. *Mores & ingenia Francorum in vniuersum.*

14. *Ciuilitas & comitas Nobilium Gallorum eorundem exercitia tempore pacis.*

15. *Diuitiæ regni Gallicani quantæ & vnde.*

16. *Quantum pecuniarum Francorum reges quotannis percipiant.*

17. *Vectigalium redditumq; annuorum per singulos annos magnitudo.*

18. *Galli quantum classe & marina valeant militia.*

19. *Quantum equitum numerum Gallia nostro æuo alat.*

20. *Copiæ pedestres Gallorum, & quot legiones hac tempestate habeant Galli.*

21. *Res tormentaria per Galliam; eius ratio vniformis, quanta longitudo vnius Canonis.*

22. *Elenchus munitionum per Galliam oppidorum & arcium.*

23. *Francorum regnum in successione non electione consistit. Mares succedunt non fœminæ.*

24. *Authoritas regni Francorum, & quibus gaudeat Priuilegiis.*

25. *Veteres & nouæ ceremoniæ in regum Francorum inauguratione.*

26. *Pares Franciæ vnde primam traxerint originem. Quis primus eos constituerit. Parum Franciæ, Cõmitum, Marchionum, Baronum enumeratio. quædam harum dignitatum ad Ducalem sublimitatem euectæ, aliis nonnullis extinctis.*

27. *Quæ sint præcipuæ dignitates & officia Regni Francici.*

28. *De aula regis, eiusque comitiis & ministris.*

29. *Consilium regis sanctius priuatiusque.*

30. *Parlamentum Parisinum, eius firmitas, amplitudo, authoritas.*

31. *Fiscus regius, Camera rationalis, tribunalia atque dicasteria diuersa, in quibus ius dicitur incolis regni Galliæ.*

32. *Munera præsidum, Balliuorum, Iudicum in vnoquoque Parlamento.*

33. *Dioeceses siue Episcopatus Galliæ, & quot vnusquisque parochias contineat.*

34. *Religio quæ hodie valeat vigeatque per Galliam.*

35. *Catalogus Chronologicus regum Francorum, à Pharamund vsque ad Ludou. XIII.*

1. DE GALLIA dicturi, primum omnium fatemur, originem nominis incertam esse. Quidam enim à Græcis fontibus, & voce γάλα, quæ Lac significat, id deriuant, quod Gallorum corpora faciesq; ad lactis candorẽ accederent. Alij à Galata quadã Herculis filia trahunt, quæ in his locis habitauerit. Sed vndecunque tandem id nomen ortum sit, antiquissimum esse constat, eoque minus notæ originis. Istud ex historiarum monumentis liquet, Galli qui fuerunt, eos priscis quoque *Celtas* dictos fuisse, ob nobilitatem, puto, Gallorum Senonum, qui terras circa Lutetiam possederunt, vnde illustriores ac generosiores Gallorum prodierunt, qui deuicta Italiã primi ausi fuerunt superbæ ac potenti Vrbi Romæ tributa imperare. Hæc Gallorum pars Celtarũ nomẽ gessit, vt eius rei Cæsar sæpe mẽtionem facit. Cumque hęc natio armis adeo excelleret, vt cunctis ferme gentibus euaderet formidabilis, factum est, vt Celtarum nomen totã tribueretur Galliæ, & ipsa Gallia Celtarum terrã diceretur. Hinc Ephorus Geographus apud Strabonem diuidens mũdum in partes quatuor ait: Quicquid terrarum in Austrũ vergit ab Aethiopibus habitari: quod in septem Triones porrigatur, ab Scythis incoli: tertiam partem, quæ se in Occidentem Solem extẽdat, habitari à diuersis gentibus Celticis. Hac tamen Celtarum appellatione propè abolita, vetus Gallorum nomen in vsum rediit, idque temporibus Iulij Cæsaris. Hoc rursus mutato nomine Franci dici cæperunt, à Francis Germaniæ populis, qui à septentrionali Germaniæ parte progressi, cum multas Galliæ prouincias armis sibi subiecissent, mixtim cum Gallis habitantes, Victores suum imposuere victis nomen, proque Gallis *Francos* dixere: Nomẽ ipsum *Liberos* sonat, quod libertatis vtraque gens supra modũ studiosa ac seruitutis hostis; excusso Romanorum iugo, quæsitam armis libertatem pertinacissime custodiuerint: vndè pro Gallia deinceps Francia dici cæpit.

Galliæ nomen priscis temporibus latissimè patuit, quippe quod complectebatur nõ solum quicquid terrarum hodie Francici regni nomine cẽsetur, sed & bonam partem Germaniæ Italiæque. Veteres enim diuidebant Galliam omnẽ in Cisalpinam & Transalpinam. Cisalpina erat, quæ respectu Romanorum cis alpes versus Romam Italiamque, quæ posteris temporibus dicta fuit regnum Longabardorũ. Transalpina Gallia trans Alpes hisce terminis includebatur: Rheno, Oceano, Pyrenæis Montibus, Mari Mediterraneo & Alpibus. Cęsar partitur Galliam in Belgicam Celticam & Aquitanicã. Ptolomæus quadrifariam diuidit: in Aquitanicam, Lugdunensem, quæ eadem est cum Celtica Cæsaris, Belgicam & Narbonensem. Verum Belgica hodie maxima ex parte Germaniæ accensetur.

Sed nos omissa Vetusta illa partitione eã Galliam, quæ hodie nouo nomine à Frãcis Germaniæ populis FRANCIA dicitur consideremus. Spectat hæc à septentrione inferiorem Germaniam, vbi loco limitis Geometræ lineam ducunt à Portu Icio oppidoque Calerensi vsque ad Argentoratum, ad cuius lineæ sinistrũ latus, quod in Boream vergit regiones hæ sunt: Atrebatum, Hannonum, & Ducatus Luzemburgicus. ad dextrum verò Picardia & Lotharingia. Ab ea parte, qua regnũ Angliæ spectat, alluitur Oceano Britannico. Ad occidentem idem alluit Oceanus, mutato nomine Aquitanicus dictus, ingentem sinum constituens. Ab Austro Hispaniæ obiicitur, intercedentibus montibus Pyrenæis, vbi autem angustior est Mari Mediterraneo pulsatur. Postremo versus Orientem Alpibus separatur ab Italia: ab Helvetiis eam diuidit Iura Mons; à superioribus Germanis supra

Argen-

Argentinam Rhenus fluuius. Totum hoc Regnum, si recta linea ducatur ab extremo Aremoricæ angulo vsque ad ripam Rheni continet spacium circiter trecentas Leucas siue milliaria Gallica longum. Sunt qui longitudinem eius metiantur ab extrema Normandia vsque ad Niceam oppidum maritimum, & hac ratione constituunt Leucas CCCXXX, & tantundem viæ est conficiendum Lutetia Romam proficiscentibus. Latitudo eius, si lineam ducas ab vltimis quæ in Austrum vergunt partibus vsque ad Caletes, conficiet circiter CCXX Leucas. Circumferentia porro & ambitus totius Franciæ erit Leucarum MXX. Includitur hoc regnum intra XIII & XIX Parallelos, tenens in latitudine mediam partem quinti Climatis, vbi longissima dies est horarum XV, pertingensque vsque ad medium octaui, vbi dies longissima est horarum XVI & dimidię. In longitudine autem comprehendit omnes Meridianos qui sunt inter decimumquintum & decimumnonum.

Optima autem diuidendæ Franciæ ratio erit, nostro iudicio, si id fiat per Parlamenta siue supremas Curias & Dicasteria, quibus omne regnum subiicitur. Parlamenta autem (vt Galli loquuntur) habet Gallia præcipua octo: Parisinũ, Tolosanum, Rotomagense, Burdegalẽse, Rhedonense, Diuionense, Gratianopolitanum & Aquense. Præter hæc sunt duo minora, vnum Nauarræ inferioris ad Sacrum Palatium, alterũ Diuidori in Mediomatricibus, hodie Metis. Parlamentum igitur Parisiense has sub se continet Diæceses Ecclesiasticas.

Archiepiscopatus hos: Rhemorum, Senonũ, Biturigum, Turonum, Lugdunensem. Sub his sunt Episcopatus: Laudunensis, Catalaunẽsis in Campania Galliæ; Suessionum, Bononiensis in Morinis, Ambianus, Nouiodunensis, Syluanectensis, Bellouacensis, Parisinus, Autrico-Carnutensis, Aurelianensis, Niuernensis, Auxerranus, Meldensis, Pictauiensis, Maleacensis, Lucionẽsis, Anguleſmensis, Cenomannorum, Clari Montis, Sancti Flori, Lingonum, Matisconensis. Occupãt autem omnes hi Episcopatus has ferè per Galliam regiones: Franciam propriè sic dictam, Bellocassos, Bituriges, Aruerniam, Agrũ Lugdunensem, Segusianos, Pictones, Andegauenses, Cenomannos, Agrum Inculismensem, Picardiam, Campaniam, Turones, Agrum Niuernensem, Burbonensem, Matisconensem, de quibus omnibus inferius sigillatim agemus.

Parlamento Tolosano subsunt:

Archiepiscopatus hi: Narbonensis, Auxitanus, Tolosanus: Cum his Episcopatibus: Nemausensi, Vcetiensi, Luteuensi, S. Pontij Tomeriarum, Aletensi, Monspessulano, Betierensi, Agathensi, Carcassonensi, Mendensi, Castrensi, Albiensi, Puteano, Rutenensi, Vabrensi, Cadurcensi, Apamiensi, Mirepoſiõ, Paponitano, Mõtis Albani, Varensi, Riuensi, Lombariensi, Conuenarum, Consaranensi, Tarbensi, Lactorensi, Viuariensi, Continentur autem his præcipuè regionibus Galliæ: Narbonẽsi, quæ hodie superior & inferior Languedocia, longe lateque patens: Agro Viuariensi, Vallesia, Agro Albigensi, Robergensi, Fossiensi, cum parte quadam Vasconum & Cadurcorum.

Parlamento Rotomagensi subiiciuntur:

Archiepiscopatus Rotomagensis, cui subsunt Episcopatus: Abrincanus, Ebroicensis, Baiocensis, Sagiensis, Constantiensis, Lexouiensis. Et hi quidem omnes inueniuntur in Normandia, quę est prouincia maximæ amplitudinis.

Parlamentum Aquitaniæ sub se habet:

Archiepiscopatum Burdegalensem, cum his Episcopatibus: Baionensi, Aquensi, Bassacensi, Olbiensi, Santonum, Petrocoriorum, Salatensi, Agennensi, Lemouicẽsi, Condomensi, Tullẽsi. Occupatur his spatiis pars Vasconum, & Aquitaniæ Cantabriæque, nec non Santones, Petrocorij, Lemouicenses populi.

Parlamento Rhedonensi parent:

Episcopatus hi: Fanum Briocense, Fanũ Maclouij, Fanum S. Pauli, Nannetensis, Veneticus, Tricorensis, Curisopitensis, Dolanus, Rhedonensis. Sunt autẽ hi omnes in Britannia minore.

Parlamento Diuionensi subsunt:

Episcopatus Augustodunensis & Cabillonẽsis, vterque in Ducatu Burgundiæ.

Parlamentum Gratianopolitanum sub se habet:

Archiepiscopatus: Ebrodunensem & Viennensem ad Rhodanum: cum Episcopatibus: Valentiæ Cauarum, Diensi, Gratianopolitano, Fano S. Pauli ad tria Castella, Vapincano. Et hi quidem continentur in Delphinatu, qui pars est veterum Allobrogum.

Parlamento Aquensi subsunt:

Archiepiscopatus duo: Arelatẽsis & ad Aquas Sextias. Subque iis Episcopatus hi: Massilienſis, Dinensis in Ebroduntiis, Grassensis, Glannatensis, Sanitionensis, S. Pauli Vincensis, Aptæ Iulię, Regiensis, Fori Iulij, Commenorũ, Cesteronensis, Telenensis. Et hi quidem sunt Prouinciæ Galliæ Episcopatus.

Curia Summa Bearnensis sub se habet:

Episcopatus duos: Scariẽsem & Oleronensem.

Curia sancti Palatij dominatur

Biscaiæ Nauarrenæ siue Nauarræ inferiori, quæ olim pars Cantabriæ.

Curia Metensis habet sub se Episcopos

Metensem, Tullensem, Vertodunensem. Sed hi quidem inter Principes Imperij haberi volũt.

Vt autẽ ad specialiorem singularũ Gallię prouinciarũ discriptionẽ accedamus à *Picardia* (nouo nomine) initiũ capiemus. Hãc nostro æuo ad occasum respicit cum nõnulla Normanniæ portione Oceanus Britannicus: ad septentrionem istæ veteris Belgicæ iacẽt regiones, Atrebatensis ager & Annonia rad ortũ Ducatus Lucẽburgic⁹ & Lotharingia attingũt: ad meridiẽ Campania & quæ dicitur Insula Franciæ. Præcipuæ huius vrbes & oppida: Ambianum, Suessionum Vrbs, Abbatis villa, Corueia, Perona, Fanũ Quintini, Nouiodunũ, Laudunũ, Bononia Morinorum, Fera, Bellouacum. Diuiditur autem Picardia in Veram, Superiorem & Inferiorem. Superior

tota

tota propemodum Germaniæ inferioris Prouinciis adnumeratur. Veræ Picardiæ, cæpto Parisiis itinere superatisque Bellouacorum agris, initium est ad Crepacorium. Vicedominatus hæc continet, Ambianensem, Corteiensem, Piguignienſem, cum principatibus Veromanduorum, Retelorum & Tiraſſenſi. Complectitur autem Veromanduorum Comitatus tres potiſſimas huius tractus Vrbes: Augustam Sueſſionum, Laudunum & Feram, cum Sancti Quintini Fano, quod oppidum præ cæteris valde est munitum. Retelenſis ager, ab oppido Retela nomen adeptus, situs est inter Annones, Lotharingos & Barros. Tiraſſæ præcipuum oppidum est Guiſa, castro munitiſſimo ornata. Picardia inferior comprehendit Santerranum territorium, in quo Mons Theodori, Perona, Roia, munita oppida, cum nonnullis aliis. Comitatus Ponthienſis principale habet oppidum Abbatis villam, cum aliis nonnullis, cuiuſmodi ſunt, Crottoia, Rua, Triporta, Creſſiacum, & ſecundum quoſdam cum Comitatu S. Pauli Monſtrelium. Inferior Picardia complectitur Comitatum Bononienſem, atque Guinenſem, qui à vicino Territorio Oienſi ſeparatur interceſſu foſſæ plenæ ſiue Canalis, qui oppidum Guinenſe medium interſecat. Duobus milliaribus ab oppido Ardres verſus mare oppidum est Caletenſe, in comitatu Oienſi, qui ſe porrigit Dunkerkam vſque Flandriæ oppidum. Præcipui Picardicæ regionis fluuij ſunt Somona, quo alluitur Ambianum & Abbatis villa; itemque Oiſa, ad quem eſt Fera; nec non Matrona aliique minores. Inter Picardiæ vrbes, Sueſſionum ciuitas olim fuit habitatio Regum: ſed Titulus regum Sueſſionum poſtea migrauit in Comitis appellationem. Territorium Caletenſe vltimum omnium fuit in poteſtate Anglorum, quod anno Chriſti MCCCXLVII amiſſum à Philippo Valeſio Rege, prælio ad Creſſiacum ab Anglis fuſo, recepit Henricus ſecundus opera Franciſci Lotharingi Ducis Guiſij anno MDL. Et tantum quidem nobis ſupereſt ex omni Gallia Belgica.

5. Nunc ordo rei poſtulat, vt de *Francia* angustiore ſignificatione ſumta loquamur, quæ pars eſt Galliæ Celticæ, vicina Picardiæ ad occidentem. Habitauerunt has terras olim Bellouacenſes & Pariſij populi, eſtque etiamnum hodie caput eorum Lutetia Pariſiorum, præter cuius territorium atque præfecturam complectitur Ducatum Valeſium ditioneſque Hurepenſium & Gaſtinenſium. Præfectura Pariſienſis in quatuor diuiditur ditiones; Pariſinam quæ complectebatur olim, quicquid erat hinc à porta Pariſienſi vſque ad Pontem Aeſium, indeque porro Claiam vſque verſus Brienſes. Nomen illud propemodum noſtro æuo extinctum eſt, præterquam in quibuſdam pagis, Luuerenſi, Cormelienſi, Eſcouano pauciſque aliis, qui adhuc dicuntur in Pariſiis: vt & in quibuſdam Parlamenti Pariſienſis Taxationibus. Fuit autem Lutetia olim multo quam hodie minor, in Inſula tantum ſita, quam ambit Sequana fluuius: ſed ad eam paulatim excreuit amplitudinem, vt cum maximis vniuerſi orbis certare poſſit Vrbibus. In tres nunc ſecatur partes, quarum maior, quæ ad ripam fluminis dextram, humilior eſt, & in Ortum ac ſeptentrionem vergens *Villa* vulgo appellatur. Minor ad ſiniſtram verſus Auſtrum & occidentem loco altiore conſpicua, *Vniuerſitas* nominatur. Mediam, quæ Inſula eſt, antiqua appellatione *Ciuitatem* vocant. *Villa*, ſiue pars Vrbis ſpacioſior portas habet ſeptē, S. Antonij, Templi, S. Martini, S. Dionyſij, Montis Martyrum, S. Honorij & Portam Nouam, haud procul à Regia. Cingitur Vrbs ipſa ſuburbiis magnis quinque, quibus ab iis, quas recitauimus, portis nomina. Magna autē huic ciuitatis parti gloria accedit ab Regia ſiue domicilio Regum, quod in ea. Altera pars, quæ *Ciuitas* appellatur: continet Palatium, ſedem Iuſtitiæ, itemq; Pontem nouū, opus regia magnificētia dignum, inchoatum ab Herico III perfectum vero ab Henrico IV rege, cuius opera ſingularis ſplendor & vſus ponti illi conciliatus eſt. Præter hunc viſitur etiam ibi Pōs Matris Virginis, ē lapide totus, vt & Pons nouus, opere fornicato, vbi ab omni parte ſpectantur tabernæ pergulæque mercatorum, in quibus proſtat mira rerum venalium copia. Hinc digreſſo in vicinum Pontem offerent ſe oculis ingentes in tabernis aurificum diuitiæ, ſplendentibus gemmis ac margaritis, & curioſorum oculis deſiderium ſui incutientibus. Verum in Pontem Mercatorum vbi peruēneris (qui olim Pons Molendinarius dictus fuit) fateberis ſcio, te in Paradiſum quēdam delitiarum delatum, quodque via illa trans pontem, omnes vrbis Plateas pulchritudine ſuperet. Tertia pars, *Vniuerſitas* dicta, has habet portas: Sancti Victoris, Marcelli, Iacobi, Michaēlis, Germani, Buſſiacam & Nelenſem. Suburbia vero quinque: Sancti Germani, Michaēlis, Iacobi, Marcelli, & Victoris. Tēplorum Sacellorumque numerus peringens eſt, primas tamen partes ſibi vēdicat Baſilica S. Mariæ Virginis. Huius laquearia fornicati operis ſuſtinentur CXX columnis, in longitudine habet paſſus Geometricos CLXXIV, in latitudine LX, altitudine C. Incircuitu habet Sacella XLV, munita ferreis cratibus omnia. Ianuis ſiue portis patet vndecim, è quarum numero tres quæ à fronte ſunt, XXVIII Statuis Regum Galliæ exornantur. Ad latus aſſurgunt Turres altitudinis XXXIV cubitorum. His ſuſtinentur campanæ quarū quæ maxima eſt, tanti ponderis dicitur, vt viginti homines eā vix impellere poſſint: Sonus autē eius ad ſeptimū milliare Gallicum exaudiri fertur. Inter cæteta loca deuotioni cultuiq; dicata admirationē meretur Sacellū iunctū Palatio, extructū à S. Ludouico rege, quod altiſſimus fornix eius & lariſſime diductus nulla fulciatur columna, ſed ſolis ædificij lateribus. Aiunt ibi ſeruari partem Spineæ coronæ Dominicæ, vt & togæ purpureæ, cū arundine & ſpongia de quibus in hiſtoria paſſionis. Multa inſuper hic videre eſt Monaſteria, inter quæ illud, quod Templariorū Ordini ablatum & Militiæ Rhodiæ Equitibus

anno

anno MCCCIX concessum est, amplitudinis est eximiæ. Nec hoc minus Abbatia S. Genouefæ, vt & S. Germani in pratis, quod est in eiusdē Diui Suburbio, cuius redditus annui ad triginta millia librarum accedere dicuntur.

Collegia litteratorū in vniuersum hic numerantur quinquaginta: inter quæ illud quod Nauarrenum dicitur, singularis est eminētiæ, structum impensis Iohannæ, reginæ Nauarræ, quæ vxor fuit Philippi pulchri regis. Collegium Sorbonæ institutum fuit per Robertum de Sorbona Theologū, regnante Sancto Ludouico rege. Officinis mechanicis & opificibus singuli vici per Vrbem Parisinam assignati sunt: velut Membranariis apud pontem S. Michaelis: Fullonibus iuxta S. Iohannem; & sic deinceps aliis alibi. Magnus insuper numerus est ædium magnificarū, quæ principibus illustribusq; viris hospitiorum loco inseruire possunt, cuiusmodi sunt: Domus Suessionum: Domus Longæuillana: Domus Mommorancia: Domus Guisia: Domus Mænia, Lingonum, Senonum, Domus de Marca, in qua cum hæc scriberemus habitabat Cancellarius Galliæ: Domus Nemursensis: Espernonia, Sauia, Lussonia, aliæque complures, quibus est præcipuus per Vrbem decor atque elegantia. Extra Vrbem autem his non cedunt Domus Mercurij in Suburbio S. Onufrij: Domus Gondiaca, & Domus Luzemburgica in Suburbio S. Germani. Cæteras, quarum ingens est numerus, huc commemorare nihil attinet: illud dixisse sufficiat, quartam partem ædificiorum in Vrbe Lutetia pro palatiis reputari posse. Qui vero Arsenale siue Armamentarium curiosis contemplatus fuerit oculis, fatebitur sat scio, omnia ibi abundare, quæ in futura bella atque expeditiones magni regis diligentia comportare possit, imprimis tormenta ænea igniuoma: vt iam de ipsius structuræ firmitate & magnificentia nihil dicam. Quod si quem desiderium capiat visendi ædificium stupendum & vere Regia magnitudine dignum, is conferat se in Aream Regalem, vbi occurrent ei tam elegantia deambulacra in hypæthris ac proiecturis magnificentissimorū ædificiorum, habitationibus, non tantum in vsus sed & delectationem hominum pulcherrimo ordine digestis, vt vltro fassurus sit, nihil vnquam oculis se lustrasse pulchrius concinniusque. Domum Senatoriam siue curiam Vrbanam aliqui ob copiam & elegantiam appellare solent *Compendium Mundi*. Comitium maius minusque (Parisienses vtrumque *Castelletum* vocant) cum firmissima illa arce, quæ Bastilla appellatur, magis antiquitas commendat quam pulchritudo. Quid de singulis rebus Vrbis Lutetiæ memorabilibus plura cognoscere cupit, legat libellum, qui eo nomine conscriptus publicè extat, vbi satisfaciet desiderio suo. Haud procul Parisiis *Pons Charentonius* est non ignobilis vicus, vbi Matrona Sequanæ miscetur. Auditur hic Echo, quę terdecies humanā reddit vocem, quæque, quod admiratione dignum maiore, quadrisyllabum integrè & perfectè quater quinquiesque resonat. Et hæc quidem de agro Parisino.

Sequitur pars altera, quæ vulgo nominatur *Goella*. Et huic antiqui periere limites, manente eius tantū memoria quibusdam in locis à Goella nominatis. Est ibi Comitatus Dammartinensis, nomen sortitus ab exiguo oppido in colliculo collocato. Occurrit tertio loco *Insula Franciæ* quæ ex ipsorum Gallorum definitione complectitur quicquid terrarum est à Fano S. Dionysij vsque Possiacum & Mommorancium, atque vniuersim quicquid inter sinus gyrosque iacet Sequanæ, hinc Picardiam inde Normanniam versum. Alij alios ipsi fines statuunt, quibus cum litigare non est nostri instituti. Eminet inter cætera S. Dionysij fanum, oppidum peramœnum & elegans, sepulturis regum Galliæ, multisque Sanctorum reliquiis celebre. Possiacum oppidum non ignobile, vbi est Conuentus religiosorum ex illustrissimis Francorum familiis. Inter Possiacum & Lutetiam interiacet S. Germani Fanum, vbi habitatio regum frequens inclyta domicilio Henrici IV. regis.

Insulæ succedit *Vexinum Francicum*, continens quicquid est ab Acsia fluuio (quem supra Oysam vulgi vocabulo appellauimus) versus Picardiā. Interiit & huius memoria, nisi quod quodammodo seruatur in antiquis quibusdam chartis & monimentis. Hactenus de præfectura Parisiensi & quatuor eius ditionibus.

Altera pars Franciæ angusta significatione acceptæ est *Valesium*, extendens se vsque ad Picardiæ fines. Primarium oppidum præter Crespiacum est *Syluanectum*, vulgo *Senlis*, oppidū Episcopale. Præter hæc sunt Angiū, Pons S. Maxentij, Brenonis villa, Compendium & alia quædam.

Tertia pars Franciæ habet *Territorium Heurepense*. Initium capit ad Sequanam sub pōte Parisiensi, qui paruus cognominatur, secusque eundem fluuium procurrit Corbolium, Melodunū & Moretum: vbi Verina amne, qui in Lorium se exonerat, seiungitur ab Agro Gastinensium. Est in hoc spacio præter alias arces Fons Bellæ-Aquæ, secessus regum amœnissimus, quietique aptissimus, verumque regum Galliæ Palatium, in quod multi Francorū reges certatim contulerunt, quicquid pulchrum iucundumque existimauerunt. Quartus in Francia locus est *Ditioni Gastinensium*, quæ comprehendit sub se Ducatus Stampensem & Nemurcensem, cum Comitatibus Rupis-fortis & Moreti ac Montargij.

Sequitur nunc *Belsia* quam regionem quidam faciunt triplicem, Superiorem, Mediam & Inferiorem. Superior initiū capit ab Vico qui vulgo Ablis indigetatur, petens porro Carnutū agros & vlteriora: continetque comitatus Dreusensem & Montfortensem. Belsia inferior complectitur Ducatū Aurelianensem cum territorio Lorriaco & Solonio. Collocant aliqui & hic comitatum Bloisensem cū Ducatu Vindocinensi & Turonum agro. Aurelia celebris est non tantum Ducatus titulo & Academia, sed & memoria & armis Iohānæ pugnacissimæ illius puellæ. Solonij territoriū cōtinet oppida Gergouiā, Fertēse,

Cleria-

Cleriacum & S. Laurentij. Ditio Turonensis est inter Blosiam & Salmuriam. In agro Turonum est Amboſia, in quo oppido arx est certans cum optimis totius Galliæ. Bochardi Insula & oppidum vndique à Vigenna fluuio cingitur. Super Indrum fluuium sunt Castilio & Luciæ oppida. Asaya Brullia & Asaya Feronia, illa supra Indrum, hæc supra Charam fluuium, vt & Mons Richardi. His nonnulli adnumerant Lodunum, sed alij referunt in Pictones.

Ducatus Andegauensis incipit ab vico Cusio, finitque inter Moncontürium & Heraltum, vbi est initium Pictauiensis Territorij, quod illi obuertitur à Meridie: Versus Orientem confinia sun. Turonensium & Vindocinorum; ad septentrionem Comitatus Mæniæ & Laualliæ: ad occidentem denique Britanniam attingit. Multa in hac regione flumina, inter quę nobiliora sunt Ligeris, Vigenna, Meduana, Sarta & Lorius. Huius regionis præcipuum oppidum est *Caput Andium* Cæsari, vulgo *Angiers*. Cætera sunt, Mons Renaldi, Baugeum, Bellofortium, Brissacum, Monstrelium, Duretallia, Castellum Guntheri & alia. Accessit prouincia Andegauensis Regno Gallorum sub Ludouico XI rege, defuncto Carolo, Renati nepote, vltimo Duce. Comitatus Cenomanensis, vulgo *La Maine*, iungitur hinc Andegauensi illinc Turonensi territorio, qui & ipse celebribus perluitur fluminibus, Meduana, Lorio, & Sarta. Caput eius oppidum Cenomannorum, vulgo *Mans*. Hãc prouinciam sub Aquitania comprehensam, aliquando paruisse legimus Ducibus Aquitanis, donec inter reges, Fraciæ Ludouicum IX & Angliæ Henricum III pactum fuit, vt Anglus Aquitania, quam à Septentrione Carantonus fluuius, à Meridie Pyrenæi montes terminarent, contentus in perpetuum cederet Normannia terrisque Cenomannorum & Andegauensium, eique numerarentur quindecies centena aureorum millia.

Comitatus Perchensis diuiditur in duas partes: quarum vna inferior dicitur, vulgo *Perche Gouet* cuius primarium oppidum Nogentium. Superior Mortagniam oppidum habet, vbi sedes est supremi iudicis. Limites habet versus Normandiam Verneuillam, & Minerium versus Cenomannos.

Campaniæ Gallicæ fines sunt territorium Briense, Burgundia & Lotharingia. Diuiditur autem in Inferiorem & superiorem. *Inferior* comprehẽdit Tricassinum agrum cum ditionibus vulgo dictis Iuigny, Bassigny, & Vallage. Iuignius Comitatus Campaniam separat à Burgũdis, adhærens Senonibus: caput huius Iuignium oppidum. Bassigny sic nominatur, quod inferior sit, cingiturque fluminib. Matrona, Mosa, exiguaque Mosellæ portione. Præcipuo oppido ab Caluomonte nomen, (vulgus Chaumont en Bassigny nominat) arce præstante & in rupe extructa conspicuam. Huic regioni etiam tribuuntur hæc oppida: Andomatunum Lingonum, Montignium, Nogentium Regium, Mons clarus, Andelotum, Bisnæum, Vinolium, Clemontium, aliaque complura, omnia prope suis exornata arcibus.

Territorium Vallense terminatur illic Partensib. hic Barrensib. Oppida eius primę notę sunt Vassæũ; ditionis Guisiæ, Fanũ Desiderij, Iani villa, Mõtiranda, Castellũ ad fabricas, Sclariũ & alia. *Superior Campania* proprie est territorium Partense. Nomen illi à castro vulgo *Perte* dicto, supra Matronam fluuium. Metropolis eius Vitriacum, deinde Argillerium, Lesancurtum, Louemena minora sunt oppida cum aliis. Adiungunt huic nonnulli vicinos Ducatus, Rhemensem & Lingonensem, cum Comitatibus, Catalaunẽsi, Lignicnsi & Mottensi. Campania autem Coronæ Francicæ vnita est hoc modo. Comes Campanorum Theobaldus II filium habuit Theobaldum III, quicum sine liberis defunctus esset, hæredem habuit Henricum Largum, filium Stephani regis Angliæ, qui frater fuerat Theobaldi II. Henrico filius fuit eiusdem cum patre nominis, qui infans mortuus cum esset, frater eius, Theobaldus, qui se appellabat Comitem Palatinum Campaniæ, possessionem Campanię apprehendit. Auo autem eius materno mortuo, factus Nauarræ Rex, successorem habuit tam in Nauarræ regno quam in Comitatu Campaniæ Henricum. Elocauit hic filiam suam Iohannam Philippo Pulchro Regi, dotemque dedit Campaniam; & sic hæc Prouincia subiecta est Coronæ Francicæ. Annumeratur à plerisque Campania etiam *territorium Brienſe*, Heurepensium attingens agros. Incipit hæc regio à Ponte Carentonio, vbi Matrona in Sequanam influit, Briensem prouinciam Matrona fluuius à Campania separat, vt Sequana à Gastinensi ditione: vt quicquid fere inter hos duos amnes interiacet, vsque ad Burgundiæ Ducatum, vsitato nomine appelletur *La Brie*. In hac regione est oppidum quod dicitur Bria Comitis Roberti, adeptum hoc nomen à Roberto Comite Briensi, qui in eo habitauit. Cætera oppida nobiliora sunt: Castellum Theodorici, Meldę, Nogentium, quidam etiam Senonum vrbem his accensent. Vltima pars Galliæ Celticæ, quæ iurisdictioni Parlamenti Parisiensis subiicitur est *ager Lugdunensis*, cuius termini sunt, ab Aquilone Bressense territorium, ab oriente Sabaudia, ab Austro Delphinatus & Viuaretum, ab occidente Aruernia. Caput regionis est Lugdunum (vulgo *Lyon*) ad confluentem Araris & Rhodani, Arare mediam vrbem interluente. Huius pulchritudinem & magnificentiam stylo velle persequi, esset hominis ocio abutentis, cum omnia satis superque nota sint.

Iam ordo rei exigit, vt nos ad *Aquitaniam* conuertamus, cuius nonnullæ regiones Parlamento Parisino parent, verbi gratia, Bituriges, Burbonij, Pictones, ager Inculismensis & Aruernorũ. Igitur Bituricensis Ducatus habet à Septentrione Soloniam, inferioris Belgicæ partem; ad ortũ Hurepenses, Niuernenses & Borbonios; qua meridies est Lemouicenses habitant; ad occidentem Pictones & Turones. Primariam eius vrbem Cæsar & alij vocãt Auaricũ, posteriores

Bituri-

Bituriges, hodie vernacule dicitur *Bourges*. Habuit hæc olim septem portas, sed nostra tempestate tres obstructæ sunt causa bellorũ ciuilium. His quæ supersunt portis hæc sunt nomina: Burbonia, Priuata, Sulpitia, Arognia. Amplissima hæc est, vt quæ Sacerdotũ collegia habeat XVII. Parochias totidẽ, monasteria quatuor ordinum mendicantium, duas Abbatias monachorum, quarum vna ad S. Sulpicium est extra portam; altera in vrbe ad S. Ambrosium, vtraque diuitiis affluens. Fœminarum monasteria tria; primum dicitur Annunciatum: secundum S. Laurentii, tertium D. Claræ. Nundinas quater in anno celebrat, diebus S. Laurentio, Lazaro, Martino, Vtsino sacris, vbi ingens confluit in Vrbem mercatorum numerus. Cæteræ Biturigum ciuitates nobiliores hæ fere sunt: Issodunum, Dunum Regium, Versonium, Mehonum, Concessatum. Censetur in hac regione Comitatus Sancerranus, & Sanctagnanensis, cum Baronia Montis Falconii: numerantur insuper in ea Castellaniæ circiter quadraginta, quarũ nomina huc afferre non est necesse, cũ pleraq; Romana lingua scribi renuant: & cæteroquin nullus futurus sit finis, si omnia Biturigum oppida hic percensere vellemus. Istud potius est, vt videamus, quo pacto hic Principatus Coronæ Francicæ sit incorporatus. Hugone Capeto regnante Godefridus quidam erat Prorex in regione Biturigum. Huius Godefridi nepos Harpinus emit Comitatum Biturigum ab Henrico I. rege. Hic Harpinus, cum militatum iret in terram sanctam, vendidit hunc Comitatum Philippo I. regi. Aliquot annis post Iohannes Valesius peculii nomine adeptus est hunc Comitatum à patre suo Ioanne rege Francorum, qui & eundem Ducatus titulo ornauit. Iohanne Valesio defuncto Principatus Biturigum ad regnũ caducitatis iure rediit. Hinc peruenit ad Iohannem filium Caroli VI. regis Galliæ, qui cum sine liberis mortuus esset, reliquit eum fratri suo Carolo, qui cum prope omni Gallia per Anglos profligatus fuisset, per ludibrium appellatus est Rex Biturigum. Ita per Carolum septimum Biturigũ prouincia ad regnum rediit.

Ager BVRBONIVS ab occidente respicit Bituriges & Lemouices; à septentrione Niuernenses; ab oriente Burgundiam attingit, & à Meridie terram Lugdunensem. Paruit hæc regio suis olim ducibus, quorum vltimo nomen fuit Archibaldo, qui cum vnicam filiam Agnetem nomine hæredem reliquisset, nupsit ea Ioanni Duci Burgundiæ. Nata est ex hoc matrimonio vnica filia Beatrix, quæ nupsit Roberto, Ludouici IX. Galliæ regis filio, attulitq; dotis nomine ad maritũ patrimonium Burbonense, qui ex eo tempore se scripsit Borbonium. Robertus hic genuit filium Ludouicum, qui primus Borboniorum Dux creatus est per Philippum Valesium regem circa annum Christi M CCC XXIX. Huic successit linea recta Petrus I. (cui frater fuit Iacobus, vnde orti sunt Comites Marcani & Vindocinenses) deinde Ludouicus II. Iohannes I. Carolus, & Iohannes II. Huic sine liberis mortuo successit Petrus II. cuius filia & hæres Susanna in matrimonium data est Carolo Burbonio Comiti Mompenserio, Gilberti filio, qui per vxorem Burboniorum Dux factus est. Hic est ille Carolus, qui cum esset Connestablius siue Magister Equitum Franciæ, deserto Francisco I. Gallorum rege, Caroli V. Imperatoris partes secutus, globo traiectus caput, in oppugnatione Vrbis Romæ occubuit, anno salutis M D XXVII. Extincta Susanna coniuge eius, rex Ducatum Burboniorum occupauit, ex quo tempore Duces Vindocini solo titulo & armis vsi sunt. Diuiditur autem omnis Burboniorum ager in superiorem & inferiorem. Hic duos habet Comitatus, & oppida quædam, quorum præcipuum est Molinum, quod Elauer fluuius alluit, abundãs piscibus, inprimis autem copia Salmonum. Est in eo oppido arx pulcherrima, cum hortis amœnissimis, quales vix alibi sis inuenturus, consitis variis arboribus, præcipue poma citria & aurantia ferentibus. Reliqua oppida maioris nominis hęc sunt: Borbonia Archenbaldi, Borbonia Ancii, Montmeraltum, Mons Lussonius, S. Portius, Cussetum, Verneuilla, Varennæ: & prætet hæc nonnulla alia. Duo autem comitatus de quibus diximus, sunt, Bellolulensis, & Forestensis. Illi adnumeratur quicquid inter Ligerim & Ararim est intermedium, versus orientem medium locum obtinet inter Secusianos & Burgundiam. Præcipuum eius oppidum est Bellolocium.

Secusianorum, siue Forestensis ditionis caput est Mons Brisonius: minores sunt, Fanum S. Stephani, S. Guermerii, S. Germani in Lauallia, Bonetum castrum, ad S. Rambertum, & aliæ nonnullæ. Burbonia superior, quæ pluribus montibus collibusq; assurgit quam inferior, comprehendit solum agrum Combralensem.

PICTONVM prouincia late patet, cum contineat M CC. parochias sub tribus Episcopis, Pictauiensi, Maleacensi & Lussoniensi. Habet hæc à meridie agrum Iaculismensem & Sanctonum: ab occasu terminatur Oceano; à septentrione Andegauenses spectat & Aremoricos; quod superest attingit Bituriges, Turones & Lemouicẽses. Fuit hęc regio olim clara titulo regni Gothorum, qui inde, vt & vniuersa Aquitania, profligati sunt per Clodoueum regẽ. Ludouicus Bonus dedit eã cum Aquitaniæ regno filio suo Pipino. Cæterũ Carolus caluus, pulsis Aquitania Carolo & Pipino Pipini filiis, quos in monasteria detrusit, Principatum hunc donauit Arnulfo agnato suo, pactus prius, vt eas terras nõ regio, sed Ducali possideret titulo. Habuit Arnulfus successores Gulielmum Bonum, Ebionem I. & II. Gulielmum II. & III. Guidonem, Gulielmum IV. & V. cuius postremi filia nomine Leonora, cum hæres esset principatus, matrimonio iuncta fuit Ludouico VII. regi, qui cum eam in suspicionem proditionis & adulterii vocasset, à se dimisit. Repudiata confestim nupsit Henrico Normandiæ Duci, qui successit Stephano Anglorum regi. Transmisit Henricus hæreditate cum Angliæ regno quas habebat per Galliam prouincias in

filios Richardum & Iohannem. Cum autem Artus Godefridi filius (qui fuerat primogenitus Iohannis Regis) primogenituræ iure se præferri debuisse fratri diceret, impulsusque suasionibus Philippi Augusti Francorum regis, armis occupare tentaret Pictonum terram, victus acie à Iohanne & Rotomagum missus vitam perdidit. Hoc facto Iohannes de Parricidio accusatus coram Philippo rege per Constantiam Artimatrem, à Philippo Feudi Domino bello petitus & Pictonum agro spoliatus est. Verum Ludouicus VIII. successor Philippi dedit hanc prouinciam Alfonso filio, qui cum sine liberis mortuus fuisset, rediit principatus iste ad Philippum III. regem, ex quo tempore Regum Gallicorum imperio subfuit vsque ad Philippum Valesium, quo regnante Eduardus III. Anglorum rex eum armis recuperauit, & cum vniuersa Aquitania possedit interuenientibus pactis inter eum & Iohannem Galliæ regem. Et Eduardus quidem filio suo Aquitaniam permisit: cum autem hic nimiis oneribus multitudinem premeret, magnam principatus partem amisit, deficientibus Pictonibus ab eo ad Carolum VI. Gallorum regem, post quem Carolus VII. Anglos tota Aquitania exturbauit, circa annum M CCCC LIII. Tuoq; eam fratri dedit Carolo; post cuius mortem Ludouicus rex permisit Carolo VIII. Ab eo tempore Aquitania, cuius Pictonum terra non exigua est portio, mansit sub imperio regum Galliæ. Totius autem regionis caput est Pictauiensis vrbs, quæ & prouinciæ nomen imposuit; cætera oppida sunt Nicortum, Fontenæum Comitis, Lusinia, Mons Morillonus, infera Marca, Doratum, Fanum Maxentii. Complectitur prouincia Pictonum etiam Principatum Talmonensem cum Rupe Surionia, & Castelleralto supra fluuium Vigennam, cumq; Vicecomitatu Tuardensi aliquot Baronias, easq; non exiguo numero.

Sequitur ditio *Inculismensis*, habens ab Aquilone Pictones, ab Oriente Santones, à Meridie Petrocorios, ab occidente Lemouicenses. Longitudo eius ab Ortu in Occasum Leucarum est XXIV. latitudo ab Austro in Boream XVI. Caput regionis est Inculisma; minora oppida sunt, Martum, Castellum nouum, Blassiacũ, Cabannæ, Confollantum, Ruffacum, cum comitatu Rupefalconiensi & Mommorancensi. Carolus cognomẽto sapiens, Gallorum rex Inculismensem Comitatum Anglis ereptum dedit Ludouico filio, qui post mortem patris rex factus, reliquit eum filio Ioanni, cui postea successit Carolus. Carolus successorẽ habuit Franciscum I. qui è Comite Inculismensi Francorum rex factus, erexit illum in ducatum, eumque donauit matri suæ; qua mortua adeptus est eum Carolus filius eius: & hoc sine liberis extincto, insertus est regno. Regiuncula *Alniensis* complectitur territorium Rupellanum, non tam late patens. *Aruernia* attingit ab Oriente Segusianos & agrum Lugdunensem, à meridie extrema Languedociæ, ab Occidente Cadurcos, Petrocorios, Lemouicenses, ab Aquilone Biturigum & Burbonioruṁ agros. Diuiditur autem Aruernorum regio in superiorem & inferiorem. Aruerniæ superioris oppidum præcipuum est S. Flori Fanum: minora sunt Orillacum, Carlatum, Muratum, Billonium. Inferior complectitur Alimaniam, quæ, vt putatur, nomen accepit à Limone amne, quem exhaurit Elauer fluuius. Longitudo eius, si metiaris à veteri ponte Priuati vsq; ad Ganatum, constituet circiter viginti Leucas; latitudo octo. Primi nominis in hoc tractu oppidum est Claremontium, amænum elegansq; tam ratione situs, quam copia fontium. Cętera sunt Rionium, Monferrantum, Issorium, Briudum, Aquapertusa & nonnulla alia: his quoq; adde Mompensierium. Et hæ quidem sunt omnes Prouinciæ atque regiones, quæ Parlamenti Parisiensis forum ac tribunal agnoscunt: Veniamus nunc ad curiam Tolosanam.

CADVRCORVM terra (vulgo QVERCI) has attingit gentes: Petrocorios, Rhutenos, Aruernos, Lemouices. Bifariam ea diuiditur: illius caput est Cadurcorum oppidum (CAHORS) huius Mons Albani supra Tarnum amnem. Minora oppida sunt Burella, Nazaretha, Sulliacũ, Gurdonium cũ nonnullis aliis. Rapistagnenses (vulgo ROVERGVES) tangit ab Oriente Cadurcos, cæteras partes Languedocia & Aruernia ambit. Principale oppidum est Rhutena: minora sunt Villafranca, Rapistagnum, Staugiũ, Speronium.

LANGVEDOCIA (olim pars Galliæ Narbonẽsis) terminatur ab occidente Vasconum regione, à qua dirimitur Garumna fluuio: ab Austro Cadurcos aspicit; ab Aquilone Aruernos: ab Oriente Prouenciam Galliæ & Delphinatum: adeo vt totus Rhodanus in Languedocia fluat, alluens terras Parlamento Tolosano subditas. Qua meridiem spectat, Mediterraneum mare habet, cum parte Montis Pyrenæi. Complectitur autem hæc prouincia amplissimum terrarum spacium, continens XXII. Diœceses, in quorum numero Viuarienſis Episcopatus computatur, qui ad viginti milliaria Gallica secundum decursum Rhodani extenditur. Hæ sunt autem Diœceses illæ: Tolosana, Narbonẽsis, Albiensis, Carcassonensis, Bitterensis, Agathensis, S. Pontii Tomeriarum, Aletensis, Magalonẽsis, Nemausensis, Vcetiensis, Cesteronensis, Apamiensis, Mirepoſius, Paponiensis, Luteuensis, Elnensis, Lactorensis, Montis Albani, Viuariensis, Velaius, Geuodanensis. Vrbs principalis est Tolosa supra Garumnam fluuium, sita loco plano & fœcundo. Cæteræ sunt Narbo, Alba, Carcaslo, Bitiera, Pesena, Monspessulanus, Nemausus, Vceria, Bagnoletum, Pons S. Spiritus, Burgum, Viuarium, aliæq;, quarũ ingens est numerus. Iuxta Nemausum supersunt reliquiæ vetusti Amphitheatri, cuius structura etsi lacera spectatores in admirationem rapit: pons tamen supra Cardonam fluuium lapideus, vbi pons alius alii superimpositus fuit, plus admirationis habere plerisq; videtur. Vtriusque ædificii lapides sunt incredibilis magnitudinis. Postremis hisce annis Languedo-

cię

cia annumeratus fuit Comitatus Foxensis, cum antea accenseretur Aquitaniæ. Habet is ab oriente Languedociam, ab Occidente Commenas, ab Aquilone territorium Ripariense, à meridie Pyrenæos montes. Complectitur intra se Comitatus Foxensis Episcopatum Apamiensem, cum oppidis Sauerduno & Maserio, Comitum Foxensium antiquo domicilio.

Cum *Vasconum terra* ex parte subsit Parlamento Tolosano, ordo instituti nostri exigit, vt ad vitandam confusionem de ea porro dicamus.

Igitur quicquid terrarum est intra Garumnam amnem, Pyrenæos montes, Oceanum Aquitaniamque, nostro tempore Vasconibus attribuitur. Quædam huius regionis partes Garumna prætexuntur, velut Aremicorum ager & Bigerrensium: cæteræ sparguntur ad vtrumque amnis lacus, vt Agennenses, Ducatus Albretanus, cum agro Commenarum. Comitatus Aremicus duas complectitur Diœceses: Auxitanam & Lactorien sem, quæ & præcipue eius ciuitates sunt, cum alia quæ dicitur Insula Iordanis. cæteræ minoris sunt momenti.

Comitatus Bigerrensis est inter Bearniam & Commenas, haud procul à Pyrenæis montibus, quorum magna pars est sub hoc Comitatu: quem attingunt duo alii Comitatus Gaurensis & Estracensis.

Agennarum territorium ab Oriente terminant Cadurci, ab Aquilone Petrocorii, ab Occidente & Meridie Vascones cum Garumna fluuio. Continet hoc duos Episcopatus, Agennensem & Condonensem. Minora oppida sunt Villanoua Agennensium, Clariacum, Marmanda, Foia maior, cum nonnullis aliis, plerisque supra Garumnam amnem sitis.

Commenarum regio diuiditur in superiorem & inferiorem, quarū superior tota montosa est habens præcipua oppida hæc: Conseranam, S. Bertrandi, Monregium, Fanum Fregelli, Fanum Beati, Salarios & alia quædam. Inferior habet Episcopatum Lombesium cum oppidis, Samathiana, Insula Dodonæa, Mureto, cum magno arcium & villarum numero. Et hactenus quidem eas persecuti sumus regiones, quæ parent Parlamento Tolosano.

Sequitur *Rotomagense*, quod totam comprehendit Normandiam. Hæc cum Anglis ademta fuisset per Carolum VII. regem, & postea in manus Caroli Ducis peruenisset, erepta est ei per Ludouicum XI. fratrem, in cuius compensationem data est ei Aquitania, ex quo tempore Normandiam reges sibi perpetuo seruauerunt, nec vnquam liberis suis possidēdam dederunt. Terminatur autem hęc prouincia nostro æuo ab oriente Epta fluuio, ad Occidentem Crenone fluuio secernitur à Britannia, à septentrione Oceanum habet, à meridie Cenomannos. Alii sic finiunt, vt dicant Normanniam habere Picardos & Bellouacenses ad ortum: ad meridiem Cenomannos; Oceanum ad Septentrionem: ad occidentem Britanniam. Itaq; non tota pertinet ad Galliam Lugdunensem, sed aliqua eius pars ad Belgicam spectat. Sita est Normannia sub eleuationis polaris gradibus XLVI. & XLVII. vnde frigidior est omnibus totius Galliæ regionibus. Rotomagensis ciuitas regionis caput est, sedes supremi dicasterii. Præter hanc sunt Abrincæ, ciuitas maritima; Ebroicæ, quæ velut mater est cæterarū, quas vernacula lingua exprimere cogimur: Vernon, Aygle, Passey, Tullieres, Ingles, Ganches, Rugles, Bruin, Hermenuille. Sequitur Bellocassiorū ciuitas, satis spectatu digna cū Saiensi, à quibus dependent multa oppida, inprimis autē totus prope Ducatus Alenconius, cū parte Comitatus Vuellorū. Post hæc est Constantia cū Lexouiis. Ducatus hos cōtinet: Alenconiū, Aumalium, Longęuillanū. Comitatus: Harecurtiū, Ebroicensem, Tancaruilliū, Mongommerium, Thorigniū, Gisorien sem & alios duos. Est in hac exigua regiuncula, quod vulgo vocatur regnum Iuetoti, ortum tēpore Clotharii I. qui Gualteriū Iuetoti dominū trucidauit ipso die Venetis Paschatis festū antecedente. Est autē hoc regnum situm in territorio Constantiensi. Diuiditur insuper Normannia in superiorem & inferiorem. Superior cōtinet præter Ducatus & Comitatus, quorū à nobis facta est mētio, Vexinū Normanniæ, cuius Gisoriū est præcipuum oppidum, vnde dependent sex vel septē alia minora, cum grandi sylua Lybonidis. Inferior Normandia diuiditur in Callitos, (hodie *Caux*) agrumq; Bessinensem ac Constantiensem. Principale Callitorum oppidum est Diepa; cætera minora habentur, Hareflorium, Honefloridum, Portus Gratiæ, Caldebecum, & Fescampū. Ager Bessinus præter Bellocassorum oppidū, de quo locuti sumus, habet alia, quæ vernacula lingua scribuntur sic: Caen, Falaise, Hiesmes, Vite, Mortain. Constantinum territorium præter Constantiam Vrbem & Iuetoti quod vocatur regnum, oppida habet, quorum nomina Gallica sunt: Valoigne, Cherburg, S. Lo, Quarentan, Montebourg, S. Sauueur, S. Hermont & S. Gilles.

Parlamenti Burdigalensis forum agnoscunt Petrocorii, Lemouices, Santones, Bordelenses, & Landes, vt vocantur Albertini cum Basadensibus & superiore Vasconia, Boscorumq; parte & Medocia cis Garumnam amnem.

Lemouicum regio ad Septentrionem terminat Bituriges, ad Orientem Burbonii, ad Austrum Aruerni, ad Occidentē Petrocorii & Pictones. Assurgit ibi annosa vlmus intra Nouam Domū & Argentoniū, quæ pro limite seruit quatuor ibi concurrentibus prouinciis: Biturigibus, Borbonnis, Aruernis & Lemouicibus. Cætera oppida sunt Subterranea, Boissonia, Patata, Dorata, Cōfoliata, & quæ omniū facile prima est Limogæa. Et hæc sunt superiorum Lemouicensium oppida. Inferiores proprie dicūtur Marcani, habentque collimitaneos Petricorios & Aruernos. Tulla est præcipuum eorum oppidum, sita inter loca aspera & montosa; reliquas vrbes aut oppida commemorare non est operæ precium.

Petrocoriorum Prouincia. Polus supra horizontē eleuatur gradibus quadraginta. Limitibus his

circumscribitur: ab oriente agro Lemouicensi, ab occidente Inculismensi & parte Santonum, ab Aquilone rursum Inculismensi, denique à meridie ea parte Vasconum, qua Dordonna fluuio ab Agennensibus & Petrocoriis separantur. Vrbs regionis primaria est caput Petrocoriorum, *vulgo Perigueux*, quam sequuntur aliæ minores, Sarlata, Bergeracum, Riberacum, Nonero, Lunella, Bironium, Bratommæum, Rupes & Miralmontium. Ad Parlamentum Burdegalense etiam magna pars Aquitaniæ pertinet, vt supra monuimus, inprimis Santones populi. *Agro Burdegalensi* præcipua ciuitas nomen dedit, oppidum sane elegans & antiquum, cui natales suos debet Ausonius Poeta, nõ leue ornamentum Galliæ. Cætera oppida sunt Blaya, Burgum ad mare, Liburna & Condatum. Est in eodem Burdigalensi Agro alia regiuncula, quæ dicitur inter duo maria, habens Medociam, Bucham & Fronsacum. Medocia complectitur id spacii, quod est inter Burdigalam, Oceanum & Garumnam fluuium, qui ibi exonerat aquas suas. Hæc terra tota prope sabulosa est absorbeturq; paulatim fluctibus marinis. Est & ibi castrum Palliacum, cum alio cui Dionysiæo nomen. Terra Buchensis Medociæ iungitur, paretq; Comitibus Candalensibus. Fronsacenus ager à Fronsaco oppido nomen sortitus est. Basadensis regio à Gallis *Bazadois* dicta, Vasato oppido nomen debet, vnius diei itinere à Burdigala distante: habet & hæc aliquot oppida minora. Vltimum locum obtinebunt duo Episcopatus Baionensis & Aquensis. Baionæ iurisdictio vsque ad Iron fluuium se extendit. Restant *Santones*, quibus à septentrione est ager Pictonum, ab oriente Inculismensis & Petrocoriorum, ab Austro Garumna fluuius, ab Occidẽte Oceanus. Caput regionis est vrbs Santonum (Gallis Xaintes dicta) præter quam sunt alia: Fanum S. Iohannis Angelici, Lorcaria, & quæ vernaculo idiomate scribenda sunt: Archaut, Pont Loubleze, Tallieburgum, Iarnac, Barbesieux & Brouage: quod vltimum celebre est obsalis copiam, qui ibi colligitur.

Parlamẽtum *Rhedonense* nobis occurrit, quod vtramq; cõplectitur Britanniam Gallicam. Fines hæc habet ad orientem Normanniam cũ Cenomannorũ & Andegauẽsium parte: à meridie Pictones occurrũt; quod restat Oceanus Britannicus ambit. Eius longitudo VI. dierũ iter expedito patet: latitudo III. Duæ linguæ apud incolas in vsu sunt: prior quã superior Britannia loquitur, Gallica est; altera qua inferiores vtuntur, est vetus Britannica; vnde & Britones Britonãtes appellantur. Huic idiomati nihil putatur cõmune esse cũ vlla reliquarum linguarum: in hac enim sola regione locum inuenit. Britannia superior magis in orientem vergit, distinguesque eam ab inferiore, si lineam duxeris, à Castro Andronio, inter Quintinũ & Corlæum ad extremum vsq; sinus Venetici angulum, ita vt S. Ioannis Fanum cedat inferiori Britanniæ. Huius regionis Metropolis est Vrbs Nannetensis, vulgo *Nantes*. Sequitur Ciuitas Rhedonensis, *Renes Gallis* insignis Parlamento: deinde Dolum, Fanum Briocense, Fanum Machlouii, Dinantum cum aliis superioris Britanniæ oppidis, Riuensi, Castello briantio, Laballa, Vitræo Iugonio, S. Albino, Cormerio, Plerelio, Malestricto, Pontignio, Fano Iuliani. Inferioris Britanniæ celebriora oppida sunt: Venetia, *Vannes* hodie, S. Pauli Fanum, Tricorense oppidum, Blabia, Bresta, Morlæa & nonnulla alia. Postremo Britanniæ dominium, cum diu comitatus nomine insigne fuisset, tandem Ducatus titulo illustrius redditum est Henrico II. in Anglia regnante, & coronæ Gallicæ insertum est post obitum Annæ Britannicæ; quæ primo desponsata fuerat Richardo Principi Walliæ, Eduardi IV. regis Angliæ filio: deinde Maximiliano I. Imperatori, quam postremo rapuit Carolus VIII. Galliæ rex; ad hunc igitur modum Britannia Franciæ annexa fuit.

Diuionense Parlamentum nostro æuo id complectitur terræ spaciũ, quod Ducatus Burgundiq; nomine cẽsetur. Quidam tam faceti sunt, vt Burgundorum nomen à loco quodam, quem *Bourgogne* vocant, in agro Lingonum deriuent. Sed vanum hoc est, cum Burgundi Germaniæ populi (vel Burgundiones) olim electis Heduis Sequanisque eorum prouincias armis occupauerint. Ducatus Burgundiæ limites sunt versus Aquilonem Campania & ager Auxerranus: ab occidente Niuernenses & Burbonii habitant; à meridie Territorium est Lugdunense; ab Ortu Rhodanus fluit, qui eum à Sabaudia & Burgundiæ Comitatu separat. Caput regionis est Diuio vrbs amœnissima sita super Oticaram fluuium. Etsi autem hæc circa annum Domini M CC XXVII. pene tota conflagrauit, instaurata tamen est magnificentius splendidiusque. Est & ibi Augustodunum, vrbs quondam clarissima, testantibus ruderibus vrbis splendorem. Visuntur enim hic magni Theatri ruinæ; itemq; Aquæductuũ, Columnarum, Pyramidumq; monimenta. Fuit Diuio olim caput Heduorũ, qui cum Sequanis causa extiterunt noxiarum factionum in Gallia. Augustodunum Cabillonum Heduorum sequitur, *vulgo Challon sur Saone*, postea Belna, vulgo *Beaune*, Semuriũ, Tinurtium siue Tornus, Nuythoniũ, vulgo Nuys, Auallonũ, Sidolucũ, Flauia Heduorum, Auxona, Selognia, Castilio, aliaque multa, quæ breuitatis studio prætermimus. Accẽsentur & Burgũdiæ tria oppida Episcopalia, quæ dependẽt à curia Parisina, Niuernum, Auxerra, Matiscona. Subiicitur etiam Parlamento Diuionensi, quæ Bressa dicitur regio, cuius Burgum est præcipuũ oppidum; nec non Episcopatus Bellæus, Bugæus & Veromæus; cum terris nouis, vt vocantur, quę Sabaudiam attingunt. Fuit Ducatus Burgundiæ in potestate regum Francorũ, inde à morte Caroli vltimi Burgundionũ Principis, qui cæsus est ante Nanceium. Ludouicus enim XI. Galliæ rex vi & armis sibi eũ vindicauit. De Comitatu Matisconensi sic accipe: Ludouicũ sanctum Regem eum emisse à Ioanne Comite & Ælia vxore eius.

Imperat *Parlamentum Gratianopolitanum* toti Delphinatui (pars est veterum Allobrogum) cuius

ius sunt limites: ad Austrum Prouincia Galliæ, estque Ebrodunum Metropolis illius regionis, quæ dicitur Delphinatus superior: ab Aquilone Lugdunensis & Bressensis ager attingunt; qua parte dicitur Delphinatus inferior, cuius caput est Archiepiscopalis vrbs Vienna: ab occasu Rhodano fluuio separatur à Lugdunensi terra & Viuareto: ad ortum habet Sabaudiam. Præcipuum eius oppidum est Gratianopolis, Sedes supremi Dicasterii, in media ferme Prouincia locata. Ciuitates ad Rhodanum hæ fere sunt: Ternæum, Vienna, Rossilio, Fanum Valerii, Thema, Rupem, Valentia, Mons limatus. In montanis hæ: Ebrodunum, Vapincum, Talartum, Briansonium, Serra, Mombrunorum & aliæ. Interiorā regionis non minus frequentibus oppidis habitantur, quæ hic præterimus. Sunt in his quoque Toparchiæ siue Baronatus: Briansonius & Vapincanus. Viennense territorium in longum extenditur vltra decem Leucas, vt & Valerianensis ager atq; Valentinus longe lateq; patent, occupata meliore parte Delphinatus. Adeptus est hanc Galliæ partem ab Humberto Delphino Viennensi Philippus Valesius rex, anno Salutis M CCC XL. hac conditione, vt inposterum semper filius regis primogenitus Delphinus appellaretur.

Parlamentum quod est ad *Aquas Sextias*, Prouinciam proprie sic dictā regit: quę à septentrione terminatur Delphinatu & Druentio amne; Orientale latus claudūt Alpes & Varus fluuius, cuius sinistræ ripæ adsidet Nicæa: qua meridies est, ab Gallico pulsatur mari. Occidui illi limites Arausianorum principatus & Comitatus Cauarum siue Auinionensis: Præcipuum regionis oppidum constituunt Aquæ Sextiæ, sedes Parlamenti: has sequuntur Massilia, Arelate, post quam vrbem est insula Camarca, quam efficit & amplectitur velut duobus brachiis Rhodanus fluuius, continentem septem milliaria prouincialia, quæ constituunt vltra duodecim Leucas vulgares. Prouenit in hac insula frugum copia ingens, vt nihil dicamus de pascuorum abundantia, quibus tam armenta boum quam equorum uuttriuntur, magno incolarum commodo. Campestria (quæ cum præstantissimis Belsiæ agris conferri iure possunt) cum perluantur Druentio fluuio, non tantum aruis omne genus frumenti consitis, sed & optimis arboribus mala aurea, Citria, Medica, Granata, ficus deniq; atq; poma ferentibus luxuriant; colliculis insuper, oliuetis vineisque lectissimis coopertis. Quin etiam inuenies ibi Palmas, quæ fructus gignunt Africanis illis nihilo inferiores. Sunt & alia oppida, interque ea quædam Episcopalia: Dinia in Ebrodunticis, & oppidum Grassense, & Glannate, & Sanitio, & Vintium, & Apta Iulia: deinde Reius, Forum Iulium, Cistero, Telo Martius, Antipolis, Olbia, Pertusa aliæque. Inter Aquas Sextias & Massiliam est venerabilis illa spelunca, in qua sancta Magdalena pœnituisse de delictis, uis perhibetur. Qui autem scire velit, quo pacto hanc Prouinciam Galliæ reges adepti fuerint, is sic habeat: Iohannam reginam Neapolitanam, Comitem Prouinciæ, hæredem omnium suarum possessionum reliquisse Ludouicum Andegauensem, Iohannis Gallorum regis filium, cum eum in filium adoptasset, vt vindictam vltionis cupida mulier de suis sumere posset inimicis. Ludouicus successore habuit filium suum Ludouicum II. & hic rursus Ludouicum III. Hunc itidem adoptauit Iohanna II. Regina Neapolitana, vt rex fieret Siciliæ & Dux Calabriæ. Ludouicus III. cum careret liberis, hæredem se ipsi fecit consentiente Iohanna Renatum Andegauensem fratrem suum. Renatus cum nollet iura regni Neapolitani & Comitatus Prouinciæ transmittere in Renatum Lotharingum, nepotem suum ex Iolanta filia, prætulit huic fratrem suum Comitem Mœnium, qui cum filium suum vnicum amisisset nomine Carolum, instituit hæredem ex asse Ludouicum XI. Alii dicunt Renatum Andegauensem testamento ita cauisse, non sine multa indignatione & protestatione Renati Lotharingi.

Summa Curia *Bearnensis Ducatus* complectitur duos Episcopatus, Escarensem & Oleronensem. Tota hæc regio sita est ad radices montium Pyrenæorum, extenditurq; à meridie in longitudinem versus septentrionem. fines eius sunt ad Austrum Comitatus Bigerrensis, ad Boream Cantabria Regalis, à qua Bearnia separata est fluuio. Latitudo eius ab Ortu in Occasum tendit, limites habens illinc territorium Landense iuxta Adurium: hinc Biscaiam Nauarrensem.

Diuiditur autem Bearnia in Montanam & depressam: qua montes sunt, Oleronensem habet Episcopum; qua conualles, Escarensem. Præcipuum regionis oppidum est Pauum, vbi est Parlamentum. Cætera oppida hæc recensentur: Ortesium, antiquus secessus Comitum Foxensium & Dominorum Bearniæ: Morlassum, locus vbi moneta cuditur: Naia Emporium frequens, quod igne cælitus lapso totum prope consumtum est, anno Christi M D XLV. Pontacum, Codercum, & Nauarrense oppidum, ad radicem montium sita. Præter hanc est etiam inferior Nauarra, cum oppido S. Blasii.

Curiæ *Metensi in Mediomatricibus* subiiciuntur oppida Tullum & Verodunum, sub patrocinio Regis Galliæ constituta, qui ibi perpetuum alit præsidium militum. Vrbs Metensis occupata est ab Henrico II. rege Gallo. Ipsa alluitur ab amne Mosella & minore fluuiolo Sella. Caput eam olim regni Austrasiæ fuisse accepimus; & nunc quoq; totus ager vicinus Metensis dicitur.

Sunt & *Insulæ* quædam iuris Francici, velut in 6. Oceano, ab latere Occidentali.

Insula Deiparæ Virginis, dicta de Bouino.

Insula Dei, in qua sunt tres pagi copiosi.

Insula Marmoteria, in qua est Abbatia cognomine Alba.

Insula Retiaria, recta Rupellæ opposita, diues prouentu meri, in qua est Sancti Martini oppidum. Gaudet hæc etiamnum Ducatus titulo.

Insula Oleronia, in qua ingens salis copia conficitur.

Capita vel potius *Promontoria* Galliæ celebriora sunt *S. Matthæi*, siue *De Furno*, quod longissime omnium Galliæ excurrit in Occidentem.

Aliud quod vocatur *Blanckeneest*, nomine aperte Germanicum sapiente, è regione Cantii, regionis Angliæ. Iremq; Promontorium *Talmontium*, & caput *Buchium*. In mari Mediterraneo, caput *Gercellense*, siue Promontorium *sancti Signi*. Promontorium *Setense* in Gallia Narbonnensi, & *Haquetanum*.

Syluas Gallia habet maximo numero: in Cenomannorum regione syluę sunt: Versæa, Longolnienſis, Persia, Syllæa, Carnæa, Mænia, Concisa. In Britannia inferiore, siue Aremoricis, sylua Postoblanca, Toriana, Guircæa. In Pictonibus Molerienſis, Dinæa, Brossæa, Lignæa. In Biturigibus Nemus Roberti cum aliis. In Andibus sylua Lursæa & Marsonia. In agro Bononienſi Morinorum, Surenna, Cellia, Hardelota, Barsina. In Veromanduis Recogniana & Buana. In Picardia Sylua Bania, Fera, Bellolocensis, Cussina.

His omnibus merito antefertur sylua Aurelienſis, quæ latius patet quam vlla alia per Galliam, & Nemus ad Fontibellaquam, delitiæ regum Galliæ.

Sunt præter has aliæ permultæ, quarum recitatio tædio carere non possit. *Fluuii* Galliæ præcipui ac nobiliores sunt *Sequana*, qui oritur in Vosago monte, in finibus Heduorum, inde petit Lutetiam, post Rotomagum, postremo exonerat aquas suas in mare Britannicum. Recipit autem Sequana *Matronam* fluuium prodeuntem è montibus Lingonum, & perluentem Iani villam, Fanum Desiderii, Catalaunum & Meldenses, donec receptis amnibus quibusdam ignobilioribus Sequanæ miscetur apud Pontem Carentonum, haud procul Lutetia. *Aesa* fluuius (Galli *Oyse* vocant) oritur infra Guisam oppidum è loco quodam in ortum verso, apud Orgnium pagum. Fluit autem Aesa per Picardiam, alluensque Guisam, Feram, Compendium, Fanum Maxentii aliaq; minora oppida exhauritur, à Sequana iuxta Possincenum oppidum, paulo supra Pontem Aesæ. *Axona* fluuius (Gallis *Aisne*) Cæsari est amnis Galliæ Belgicæ in extremo Rhemorum agro. Prodit è regione Barrensi infra Claremontum iuxta pagum Sullium.

Ligeris fluminis scaturigines sunt in Aruernis, eo loco qui propterea Fons Ligeris appellatur. Magnum terrarum spacium hic emetitur, alluens oppida plurima, cuiusmodi sunt, Roana in agro Lugdunensi, Marcinium, Desisa, Niuernum, Seuillia, Gergouia, Aurelia, Bloisa, Ambosia, Turones, Salmuria, Ponceum & alia. Tandem ingreditur Oceanum Aquitanicum apud vrbem Nannetensem. Suscipit Ligeris complures fluuios nauigabiles, inter quos primi nominis sunt *Elauer* (vulgo *Allier*) *Cara* nunc *Chair*, Vigenna, Meduana. Oritur Elauer infra clarum montem & plures quam Ligeris secum pisces vehit, quanquam magnitudine non sit conferendus. Molinetum oppidum postquam transiit, aquas in Ligerim deponit apud Locũ quendam qui dicitur Bec d'Allier. Oritur è monte *Furca* appellato, in Viberis Lepontiis siue Valesia superiore: transitoq; Lemanno Lacu Lugdunum petit, vbi *Ararim* recipit. Inde fluuius hic iuncto sibi amico amne porro tendit Viennam, Turnonum, Valentiam, Auinionem & alia oppida lambens, infra Arelatensem vrbem mare mediterraneum influit, duobus ostiis, constituta prius Comarca Insula. Recipit Rhodanus præter Ararim, (vulgo Saone dictum) *Isaram*, *Drumam* & *Druentiam* amnes. Arar scaturit haud longe à fontibus Mosæ & Mosellæ fluminum. Transita Burgundia miscetur cum Rhodano supra Lugdunum vrbem, iuxta Abbatiam Esnæam.

Isara (siue Isarim cum aliis dicas) percurrit Gratiani vrbem veniensque è Sabaudiæ finibus, emensus Delphinatum, Rhodanum ingreditur haud longè à Valentia oppido. *Druentia* descendit ab Alpibus, estq; fluuius hic omnium totius Galliæ tædiosissimus, vix vsquam secura vada præstans.

Druma & ipse Alpinus est ortu, miscens aquas suas cum Rhodano infra Valentiam.

Garumna, auctore Cæsare Galliam ab Aquitania distinguit. Descendit hic amnis à Pyrenæis montibus, haut procul ortus oppido quod vulgo Cadalupa vocatur. Hic permeatis Foxensium montibus, perlustratisque aliquot oppidis, inter quæ Tolosa & Burdigala principatum obtinent, mare irrumpit Aquitanicum, receptis prius amnibus, *Tarni*, *Egercio*, *Oldo*, & *Duranio* siue *Dordonna*, fluuio apprime magno & nauigabili, quique non multum cedat ipsi Garumnæ.

Longum ac tædiosum foret, non minus lectori quam scriptori, omnes totius Galliæ fluuios atque amnes percensere. Acquiescemus igitur contenti eos numerasse, qui velut principes cæterorum agmen ducunt.

QVALITAS ET INGENIVM TERRÆ GALLICANÆ.

CVm magna sit regionum Galliæ diuersitas, sequitur ingenio quoque & qualitate prouincias illas inter se non parum discrepare. Nos institutæ breuitatis memores, operam dabimus, vt paucissimis de singularum regionum indole disseramus. Igitur *Parisinus ager* amœnitate & fertilitate excellit, cui nec frumenti vinique deest affluentia, nec lacticinia, nec olera, nec fructus, nec herbæ fœnumque, nec fluuiorum aut aquarum scaturientium copia, quibus ab omni parte irrigatur: vnde fit, vt Lutetia tam commoda sit humanæ habitationi, quantum vix vlla alia vrbs per Europam. Est & ibi fluuiolus Gentilis, cuius aquæ peculiari pollere vi dicuntur ad tingendas Coeci colore vestes. Inuenitur etiam apud Montem Martyrum haud longe à Parisina vrbe ingens copia Gypsi, vnde magna ædificantibus accedit commoditas. *Ager Carnutensis*

tensis abundat frumento, vino, fructibus arboreis; irrigaturque exiguo fluuiolo, cui nomen Dœurio, qui Carnutum vrbem transit.

Belsia adeo abundat frugibus, vt fertilissimis Europæ regionibus accenseri queat, adeo vt nec Sicilia nec Anglia cum ea certare posse videatur: estque hæc velut commune horreum totius Galliæ. Adeo autem plana est & campestris hæc regio, vt nullus fluuius vllam inueniat decliuitatem, per quam defluere possit, terra nec in colles intumescente, nec subsidente in valles.

Hinc fit, vt in riuorum inopia incolæ vtantur fere aqua è stagnantibus lacubus aut fossis, aut denique puteis hausta, quorum tamen magna pars æstate exsiccantur.

Solonium, etsi maxima ex parte regio sit fabulosa, multum tamen farris gignit.

Territorium Bloisianum abundat frumento, vino, fructibus, cæterisque vitæ humanæ commoditatibus, quin & syluis cæduis, altisque ac annosis humoribus: scatet insuper fluuiis, riuulis, stagnis fontibusque salientis aquæ; qua quidem in parte multum superat Belsiam; alicubi etiam inuenitur terra quam vocant sigillatam.

Aurelianensis ager fertilitate cum quouis alio certare potest, cum non vulgaria tantum, sed & raras quasdam proferat delitias. Mira hic recreandi animi commoditas: siue piscationi, seu aucupio aut venationi operam dare velis, cum ibi frequens sit piscium, auium & ferarum copia. Plurimum autem Aurelienſi territorio gloriæ affert præstantia vini, tam albi quam rubelli, quod non tantum Parisios deportatur, sed in ipsam vsque Angliam deuehitur.

Regio autem *Gastinensis* (olim Vastinensis) multum illi fœcunditate cedit, aspera & fabulosa plerisque in locis, vt si quid hic sit grati aut amœni, illud in syluarum & riuulorum frequentia consistat.

Terra Senonum tam amica est omnibus terra nascentibus, vt nihil hic desiderari possit, quod ad vsus humanos sit necessarium. Optimi vini frumentiq; hic ingens copia, accedente pecoris multitudine, vnde vile carnibus precium. Lactiniorum, lanæ, olerum, quantum vel auarissimus optare possit. Piscium insuper hic abundantia. Campestria nucibus densissime consita, iuglandium immanem vim præstant, vnde oleum è nucleis extorquent. Qua Gastinensium agrum aspicit, laudatissimis vineis cooperta luxuriat.

Auxerritanus ager Senonibus vineatum frequentia & præstantia cedere senegat, cum tantum optimi vini fundat, vt hoc vel solum Parisiensibus in singulos annos sufficere posse videatur.

Campania Gallicæ planities & camporum æquabilitas nomen dedit, qui arationi accommodatissimi, nunquam spem colonorũ eludunt. Non negauerim tamen, quibusdam in locis terram leuiorem macie, non satis respondere labori. Brienſis distrietus, quanquam syluis nemoribusq; sit horridior, non tamen sperni debet, cum cœlo vtatur sereno, aere suaui, temperatoque, & fluuiis iucundis perluatur. Ad summam vt dicam, Campania nihil desiderat eorum, quæ humanæ vitæ necessitas exigit, cum abundet vino, frumento, pecudibus, fructibus, lignis, aucupio, venatione, piscatione.

Picardia multis irrigatur amnibus, vt Sommona Veromanduorum, Axona, Aesa, Serua, Scarpe aliisque. Regio est fertilissima, verumque Parisiensium horreum. Vino tamen caret, ignauâ potius Incolarum socordia, quam vel cœli vel soli iniuria: nec enim dubitamus, quin vuæ in hoc tractu æque ac in vicinis, ad maturitatem essent peruenturæ.

Niuernensis Ducatus tribus perluitur fluuiis nauigabilibus, qui hi sunt: Ligeris, Elauer & Yonna: minores tacemus, qui tamen non omnino sunt ignobiles, ob pratorum ad vtramque ripam amœnitatem & vsum. Plana terra syluis abundat & pascuis, vnde plebs rustica non multum laboris in rem pecuariam impendit. Sed nec multum operæ collocant in aratione aut plantandis vineis, præterquam circa Niuernum & quod vocatur charitatis oppidum. Maximus huius terræ prouentus constat in metallo, cum argentum & ferrum è telluris visceribus eruantur. Fuit superioribus annis argentum inuentum prope Fanum Leonardi: sed iam plus diligentiæ in ferrifodinas impenditur.

Plurimum autem ad excoquenda metalla conferunt vicinæ syluæ, offerentibus se insuper Carbonibus fossilibus, quos Lithanthracas vocamus. Duabus à Niuerno leucis latomiæ sunt, vbi præstantissima ad ædificandum saxa per totam Galliam exciduntur, quæ Aureliam, Ambosiam & in alia loca deferuntur, Ligeri amne ad deportanda ea magnam præstante commoditatem.

Biturigum ager maxima sui parte laudatæ fœcunditatis est, abundans omnibus rebus, quæ ad vsus humanos sunt necessariæ. Vineæ ibi cultissimæ, arua & prata magno numero, nec syluarum inopia illic, vnde fructuum, carnium, lanæ, lignorum abundantia. Plurimis hæc regio perluitur fluuiis, quorum rex est Ligeris, quanquam & minores ad exercitia commerciorum plurimum conferant.

Maior tamen fœcunditatis laus *Turonum* prouinciæ, vt non abs re deliciæ atque Paradisus Galliæ vocetur. Aer enim ibi salubris & tam amicus cunctis terra crescentibus, vt fructus arborei cum omnibus totius Europæ de bonitate certare queant, & in foro obsonario Parisiis maiore quam reliqui vendantur precio. Frumenti vinique hic vbique copia, nec syluæ desunt tam ad venationem, quam ad focum & fabricas. Gignit terra multis in locis lapidem laudati candoris, & qui paruo labore cæditur, vnde etiam rusticorum in pagis excitantur domicilia.

Cenomanorum regio multis irrigatur fluuiis, inter quos agmen ducunt Meduana, Sarta,

Lorius, quorum humiditate solum pinguescit, vt plurimum gignat pabuli ad nutrienda armenta gregesque, vnde vulgo notum est, Cenomannenses plus valere in re pecuaria quam agrorum cultu aut vinearum, quanquam nec his ipsis terra destituatur: cum in quibusdam tractibus nec præstantia vini nec abundantia annonæ Andegauensibus cedat aut Turonibus: quanquam hoc non de vniuerso Cenomannorum agro dici possit.

Andium ager siue Andegauensis non omnibus in locis tibi similis est. Inuenies ibi magnum vinearum modum, inprimis vbi terra in colliculos intumescit. Plana fere occupantur syluis nemoribusque. Conualles pratis luxuriant, vbi magnus pecoris alitur numerus. Et vt verbo dicam, nihil Andibus deest, quod vel ad vsus necessarios faciat, vel ad delitias vitæ. Vini tamen albi, quod hic prouenit, præcipua per omnem Galliam gloria. Amnibus quam plurimis irrigua est Andegauensis prouincia, quiad quadraginta numerantur, in quorum computum non veniunt viui fontes, piscinæ lacus, paludes. Et vt verborum compendium faciamus, est hic terrarum tractus inter vtilissimos ad habitationem hominum per totam Galliam. Hic quoque inueniuntur lapides fissiles siue friabiles, quibus præcipuus in tegendis ædibus vsus: vulgo Ardosias vocant: qua materia pleræque per Andegauensium oppida teguntur domus, cum viliori precio vendatur quam regulæ aut imbrices. Hoc ipso quoque lapidis genere instar sæpimenti muniuntur horti & muri extruuntur, cum ibi inueniantur saxa quæ ad hominis altitudinem extra humum emineant. Est & in Andium agro largus lini cannabisq; prouentus.

Normandia non eadem vbique facies. Circa Rotomagensem vrbem vt & in vicinia camporum vbertate & amœnitate cum pulcherrimo Galliæ agro conferri potest. Populus autem Normannorum magis negotiationi quam agriculturæ operam dat, cui rei multum inseruit vicini maris commoditas. Illa porro Normandiæ pars quæ vulgo Caen dicitur, hoc peculiare habet, quod vinum gignat, cum cætera Normandia vitibus destituatur. Argentiæ tamen, quod tribus Leucis inde distat oppidum, laudatius prouenit vinum. Ne autem singula persequi laboremus, de tota Normandia simul capta vere dici potest, eam nulla carere re ad vitã hominis necessaria, cũ abũdet frumẽto, carnibus, lacticiniis fructibusq; arboreis. Quod si quis mihi obiiciat, vinum illic desiderari: reponam illi cereuisiæ suauitatẽ, cum expresso pomorum pyrorumq; succo, qui in his oris etiam vini saporẽ æmulatur. Hoc illi regioni cum Picardia vicium commune est, quod vicina mari loca tota arena cooperta sunt, vt exiguus inde ad possessores redeat fructus.

Britannia minor, Cæsari aliisque Armorica dicta, suis non destituitur laudibus. Abundat enim agro culto pascuoque, nec non & syluis ad vsus multiplices. Seruit ei Oceanus ad exercendã mercimonia, suppeditatis insuper aquis marinis, è quibus calore Solis sal excoquitur, qui deinceps in exteras deuehitur regiones. Sed nec destituitur metallis variis, quæ terra eruuntur: ferro, plumbo, aliquibus in locis etiã argenti venæ se offerunt. Vinum gignit, sed non ea copia neq; sapore, vt incolæ non habeant necesse aduectitio vti, quibus Andegauense territorium & vinum Vasconicum hac in parte satisfacit.

Ad *Pictones* delati, terram eorum inueniemus bonam, pingue solum & abundans omnibus rebus necessariis, puta farre, vino, carnibus, piscibus, lana, lino, fructibus arboreis, syluisq; ac nemoribus, in quibus multa & locuples venatio.

Santonum vero ager etiam magis abundat fœmento vinoque, venitque cum præstantissimis Galliæ regionibus in censum, vt è largo suo penu etiam Hispanis Anglisque, illis alimoniam, his potum suppeditet.

Cui non cedit *Ager Inculismensis*, tam in copia quam præstantia tritici vinique, cuius bonitas etiam exteris cognita est. Vallibus quibusdam subsidit, in quibus pulcherrimos ostentat hortos, vt ne Italicis quidẽ amœnitate cedant. Campestria præter frumentum etiam cannabis & sparti proferunt copiã. Syluæ hic latæ sparsę, in quibus Nemus Braconnense, cuius tanta est amplitudo, vt M CCCC L. iugera terræ cõtinere credatur.

Petrocoriorum regio montibus rupibusque asperatur, soloq; lapidoso. Pleraq; dumetis atque saltibus spargitur, quorum pars è quercu arbore. Magna hic prouenit quotannis castanearũ copia, quibus non ipsi solum aluntur, sed & porcos saginant, vnde nõ parum inquilinis accedit lucri. Harũ autem arborũ id est ingenium, vt succisæ non suppullulent saltem, sed & meliores fructus ferant: quo beneficio naturæ si Petrocorienses destituerentur, impossibile ipsis esset, tot ferri Chalybisq; fabricis, quibus ipsi abũdant, carbones suppeditare. Possis primo intuitu terrã sterilẽ iudicare. Sed aliter habet, cum nõ tantum sufficiens in incolarũ vsum frumentũ gignat, verum etiam vicinis subministret. Vina ibi in aliqua differentia. Quæ enim circa Montronium oppidũ versus agrum Lemouicensem crescunt, subacida sunt, nec magnæ efficaciæ. Meliusculũ quod circa Bandiatum colligitur. At vero apud Petrocorium oppidum & vlterius versus Agennenses Bacchum experiuntur clementiorem, vinis non solũ palato sapientibus, sed & ventriculo cõuenientibus. Aere perflatur hæc regio salubri, subtili atq; puro, vt raro ibi pestis aut alii contagiosi, morbi audiantur. Inueniuntur insuper hic aquæ sulphuratę & aluminosæ, quarũ magnę in medẽdo vires. Ad castellũ nomine Marsa cum fons est, cuius aquæ instar Oceani suam habent reciprocationem atq; æstũ, quanquã duorum dierũ itinere à mari fons ipse absit. Linda est paruum oppidum super ripam Dordonnæ fluuii. Ad hoc est fons admiratione dignus. Prosilit enim è turri quadrata circiter decẽ pedes alta, lata dimidiam perticam, tantamque scaturigo illa profundit aquarum copiam, vt duas molas frumentarias omni agitet tempore. Herbis præterea medicis abundat

abundat Petrocoriorum regio, quibus in morborum curatione sua laus. Ad quartum ab Vrbe Petrocoria miliare Gallicum, quodam loco qui ad Rupem dicitur, ampla se offert in petra spelunca, è qua terræ subrubeæ magna vis eruitur, eiusdem coloris ac virtutis, qua ea quæ in Pharmacopœorum officinis Bolus Armenus nuncupatur, quæ ad multas extraneas gentes effertur.

Lemouicensis Ager non multum tritici gignit, solo frigidiore & macilento: Satis tamen fauet ordeo, auenæ, panico. Castaneæ hic crescunt, & rapa magna felicitate. Circa Limogæam vrbem vinum prouenit, sed acidum nec grati saporis. Panis hic vt & carnes in precio non magno sunt, venatio frequens, vnde & ferinæ copia, vt victus Limogææ non sit difficilis. Inferiores Lemouices clementius habent cœlum, & quod vitibus magis fauet, cuius regionis optima pars est territorium circa Briuam, vineis, pratis & agris excultis felix.

Aruernorum regio & ipsa est in duplici differentia, multumq; discrepat superior ab inferiore. Illi præcipua laus est in pascuis & farre: Vino enim destituitur. Contra inferior abundat frumento, vino, lignis, pratis, fontibus, fluuiis, lacubus piscosissimis. Nec caret croco & argentifodinis. Limania igitur inter præstantissimas regni prouincias numerari meretur, quæ vicem rependat colonis. Vbi Elauer fluuius oritur, etiam aurum effoditur & Lasurius lapis. Iuxta Claremontium oppidũ labitur exiguus amnis, nomine Tiretania, super quem pons est lapideus spectatu & admiratione dignus. Lapides enim hi ex aqua fontana in saxum indurata & velut coagulata nati sunt. Hic admirabilis fons vbi scaturit, circiter trecentos pedes ab amne abest, & pons qui ex eius aqua fabricatus est, vltra triginta sex vlnas in longitudine habet, cum sit octo latus, sex crassus. Est autem obseruatione dignum, quod aqua illa vi transformationis suæ prata vicina, per quæ labitur, vndique lapidibus implet. Apud idem oppidum in media planitie, colliculus modice assurgit, vnde bitumen profluit, haud aliter quam aqua fontana. Id bitumen atrum valde, glutinosum atque tenax, quo accolæ ad varias res vti nouerunt. Thermas insuper natiuas habent Aruerni, vt apud Vichium oppidum, & eas quæ à re dicuntur Aquæ Calidæ. Apud *Borbonios & Secusianos* (hodie *Foreſtenſes*) parum frumenti colligitur, idq; paucis in locis, cum solum totum sit fabulosum. Alicubi tamen vinum gignit satis bonum, & secales modum aliquem. Vtraque regio syluis vndiq; obsita horret, solo in multis locis scabro & lapidoso: aspetior tamen Secusianorum ager quam Burbonorum.

Mediomatricum regio siue terra Metensis solum habet pingue & fœcundum, quod multũ gignit frumenti, vini, graminis, lignorum atq; salis: sed nec metallorum expers magnam insuper vim secundum pascit, vt importatis aduectitiisque rebus Mediomatrices non egere videantur.

In *Burgundia* ager Diuionensis vix tantum profert, quantum in alimoniam incolarum sufficit. Belnensis vero fœcundior est, optimi vini & per totam Galliam celebratissimi prouentu nobilis. Aere vtitur hæc regio bono & temperato, iucundisq; perluitur fluuiis. Territorium Augustodunense magna ex parte macilentum est, Catalaunense, Matisconense & Turnonium melius, vbi vina proueniunt commendatæ bonitatis, inprimis Turnoni.

Nec pinguior *ager Lugdunensis* in plerisque locis, solo leui & exsucco. Nec tamen sua deest laus illi parti, quæ Lugdunensis libera dicitur ad Ararim amnem porrecta, vbi solum fertile & ferax vuarum, arbores quoque felices & pabulum producit, vt amæna regio iure dici possit.

Frequentibus montibus attollitur *Delphinatus*, qui tamen multum frumenti procreant: vtilior pascendo pecori, cuius immanis vis in hac veterum Allobrogum parte errat, vnde lacticiniorum ingens copia. De vineis sic accepimus, in montibus parum gigni: fœcundiora esse campestria, quæ in longitudinem secundum Rhodanum extenduntur, vbi vina præstantia proueniunt, laudanturque cum primis Viennensia, Tenia, Valentiana & Montlimariana. Interiora regionis iuxta Gratianopolim multum frumenti colligunt & vini, illo cæteris dominante, quod à D. Martino nomen accepit. Alibi grato virore prata luxuriant, inprimis ad Valerium terræ bonitate vix vlli Galliæ parti cedit, siue multitudinem & speciem frumenti consideres, siue graminis & fœni abundantiam, cum quocunq; vertas oculos, pulcherrima prata occurrant, intercedente alicubi aruo, & Vosa riuulo atq; Oronio humum irrigantibus ac pinguefacientibus, inprimis versus Rhodanum. Manna quoque legitur apud Brannouicense oppidum.

Quicquid singulæ Galliæ regiones boni laudatiq; terra sua proferunt, ea omnia iunctim nõ tantum habet *Prouincia*, sed & pleraque præstantiora gignit. Tanta enim hic omnis generis frumentorum abundantia, vt ne Insula quidem Franciæ (quam vocant) de Cereris donis cum Prouincia sine rubore certauerit. Vide enim mihi sis Camarcam Insulam infra Arelaten, & campestria Chamarrana, Miramasiana, Senasiana, Malemortana, vsq; ad Aquas Sextias atq; Massiliam, & rursus inde perge ad Olbiam (*Hieres*) Forum Iulium (*Freius*) & Antipolim (*Antibe*) vsque ad Varam fluuium. Vniuersus hic tractus arboribus consitus est, mala aurea, citria, granata, oliuas & ficus proferentibus, vt iam taceam de vino, quod bonitate est ante omnia Gallicana. Tesqua & inculta loca cooperta sunt rore marino, myrtis, juniperetis, saluia aliisque herbis ac floribus odoratis. Crocum & Orizam gignit Prouincia in pluribus locis, & oleum oliuæ in summa est commendatione. Sed & Normandiam repræsentari tibi videbis in ipsa Prouincia quâ altior in montes assurgit, & vbi mari alluitur, vbi vinum in vitibus non generatur, sed in altis arborum ramis prouenit, vbi more Normannorum ex pyris pomisque

misq; succum vini æmulum exprimunt. Editior enim illa Prouinciæ pars frigidiuscula est ob montes, qui niuibus cooperti sunt per integrum prope annum: nec tamen minus opulentos ibi inuenies colonos, qui rem faciunt è pecore & lacticiniis caseisque, è lacte ouium caprarumq; expresso. Vnum huic regioni incommodum accidit ex lignorum penuria, quæ magno venduntur pretio. Inter Forum Iulium tamen & Antipolim montes proferunt grandes arbores, è quibus Suber colligitur. Salinis insuper abundat hæc regio, vbi sal ex aqua marina excoquitur.

Languedocia pars veteris Galliæ Narbonensis inter præstantissimas Galliæ regiones est, ac consideratione digna. Hoc latis ager Tolosanus ostendet inprimis bonus ac vino frumentoq; vberrimus. Solum adeo est pingue, vt labentibus crebris imbribus, incedi per vias ob argillæ tenacitatem haud possit. Iter faciens per septem aut octo milliaria Gallica silicem aut lapillum vix vllum offensurus es.

Nec *Albigensium agro* quicquam rerum ad vitæ commoda necessariarum deest. Circa Carcassonem oppidū ager cum pinguissimis Europæ conferri potest. Nec solum ad Bitterenses deterius, quod olei vinique gignit plurimū. A Pesenatium oppido vsq; ad Montem-bassinum multa tesqua & inculta loca sunt, fatendumque est, magnum terræ spacium nullius ferme esse precii, vt & quicquid interest Nemausum inter & Vcetiam. Sed inter Nemausum & Montem Pessulanum campi sunt fertilissimi in quibus omne genus fruges proueniunt, triticumque optimum, vt & vini oleique plurimum. At à Nemauso vsque ad sancti Spiritus oppidum (si pauca loca excipias) terra procreat quidquid ad humanæ vitæ vsus necessarium est.

Viuarien sibus quoq; par humi cœliq; clementia cōtigit, qui longo tractu ad profluentē Rhodani habitant. Farris & tritici ibi copia, vino magna laus, præcipue quod crescit circa Cornasium & Turnonum oppidum. Prouenit etiam hic omne leguminis genus, vt & cannabis spartumque, & fructus arborei, inter quos oliuæ primum locum tenent. Montana Viuareti præter secalem nihil producunt, quanquam ad radices montium etiam grati saporis vina proueniant. Vincit enim industria laboriosorum incolarum ipsam rupium asperitatem, vt vineas pati eas velut cogant. Præcipuus tamen horum montium vsus consistit in pastura pecoris, cuius ingentem alunt numerum.

Velaa & Geuodanensi regioni prope eadem est natura. Præter siliginem enim & legumina vix quicquā ibi inuenies gigni. Lactis abundantiam indicant casei plurimi, è quibus diuenditis vt & secale pecunias coguntad emendum vinum. Et vt rem verbo dicam, Languedociæ inter optimas Galliæ regiones locus merito est, quæ non tantum suos alit ciues; sed & exteris alimenta mittit.

Ruthenorum ager (hodie *Rouergua* est) asper & montosus est, eoque parum ferax. At in *Cadurcis* magna frumenti copia prouenit, v: & vini, quod vel præstantioribus Aquitaniæ conferri meretur, si excipias merū Burdegalense. Magnus hic pecoris numerus, syluæ frequentes, quamuis & Lithanthraces terra effodiatur. Amnes abundāt piscibus, præcipui inter quos sunt Acipenseres, Lampetræ, Trissæ, Lupi, Barbiones, Lenciſci.

Montana *Foxensium* plurimum pabuli subministrant pecudibus, scatentque interiora terræ metallis ac mineralibus, quorum aquæ sulphureæ indicium præbent.

Et profecto melius ferrum, quam est Foxense, frustra per omnem Galliam quæsieris. Est insuper hæc regio dives resina, Terebintho, pice, odoramentis, subere, marmore, iaspite, lapidibus fissilibus ad vsum tectorum, itemq; tophis pumicibusque. Inuenies alibi ingentem ferarum numerum in syluis, alibi lacus admirādos, hic præcipitia horrenda, illic valles amœnissimas, rursus montes herbis vndiq; coopertos, inq; iis fontes limpidissimos. In montibus Lauedanensibus gignuntur optimi per Galliam equi, qui etiam Hispanicis palmam præripiunt robore & dexteritate: quanquam fatendum est, tantam eorum copiam hic non inueniri, ac in Hispania, quod montes hi angustioribus circumscribantur limitibus. Venatio hic vberrima ob copiam aprorum, damarum, ceruorum, caprearum, Ibicum, aliarumq; ferarum. Herbarum medicarum hic tanta vis, vt vel curiosissimo Botanico satisfacere possint.

Ab agro Foxensium non multum differt *Commenarum*, pleriſq; duntaxat in locis: nam alicubi melior est illo, vbi multum profert frumenti, vini, fructuum, iuglandium vnde oleum conficitur, milium, aliasque res pleraſque ad vsus vitæ humanæ necessarios.

Aremici bono gaudent solo, inprimis ad Lericurtum, Viam, & Augustam Auscorum oppida. Verū si pergas ad deserta Burdegalensium, præter castaneas vix quicquam reperies & loca compascua, vbi mera est solitudo. Inuenies tamen quosdam inter tesqua recessus, & penitius à via regia loca remota, quæ colonorum industriam non omnino eludant.

Bigerra sibi ipsi dissimilis regio est, tota enim vallis qua ad Aremicos itur, secundum Alburnum fluuium, cū quouis Aquitaniæ tractu de fertilitate certare potest, vt & agri ad Aturnum amnem, cuius altera ripa syluis iucūdissimis, altera vineis coopertaest, depressa autem loca partim pratis partim campis frumentariis occupantur. Sed editiora sicca sunt & macilenta, vt nihil ferme ibi prouenīat præter milium.

Verum *Burdegalense* territorium vini excellentis genitura nobile est, cum vinum Grauense cognitum sit vniuersæ Europæ, qua in Occidentem & Septentrionem vergit. Post Grauense alia sunt, Larmontense, Bastidianum, & inprimis Melionense, quod album cum sit, præstantia vix cesserit Græco aut Cretico. Pontesacum oppidū haud procul distans Burdegala, ob panis bonitatem primas sibi vēdicat. Carniū hic pisciumq;

larga

larga copia: & vt breuiter multa complectar, esset Burdegala optimum totius Galliæ domicilium, nisi aer ab mari spirans crassis infectus vaporibus vrbem variis morbis obnoxiam redderet, inprimis contagiosis. Regiuncula Buchensis pinu arbore frequens est, vnde incolæ resinam eliciunt, qua pauperiores vtuntur loco candelarum sebacearum aut cerearum, non ibi tantum sed & apud Aremicos, Bigerrenses & Bearnenses: vnde domicilia eorum interius fumo, quem resina largiter expirat, nigriora sunt ipsa pice. Deserta fere sabulo cooperiuntur aut sterilibus ericetis, suntque adeo exsucca, vt guttulam aquę ibi inuenire haud liceat. Ad Chalossam oppidum vino albo præcipua est gloria, vt territorio Daxiensi salsarum aquarum fontes nomen conciliauere, quanquam sal, qui ibi excoquitur, pulcher aspectu, vim aliquam corrodendi obtineat, propter naturam aquæ aluminosam. Inuenies hic aquas calidas è terra scaturientes, in interioribus vero visceribus ferrum aliaq; metalla, & bitumen. Ager Baionensis, quamuis de fœcunditate gloriari non possit, non tamen omnino cõtemnendus est, quod felicibus arboribus scateat, è quorum fructibus siceræ abundantia cõficitur. Sequitur prouincia *Bearnensis*. Præcipua huic circa Iuransonum oppidum laus ob vini præstantiam, quod nulli per Galliam cesserit. Thermis natiuis hic sua ob vim medicam gloria, inprimis ad Aquas Calidas, ab re sic dictas, & Caudereten ses. Herbarum medicarum, quarum in Pharmacopœorum officinis vsus, hic magna vis & bonitas: nec metallis destituitur. Milio abundat omnis fere regio, quanquam multis in locis nec frumento priuetur nec vino. Excellit tamen in pascuorum vbertate, vnde incolis pecoris, lactis, butyri & caseorum abundantia. Lino lanaque diues adeo est, vt nulla Galliæ pars in hac parte cum Bearnia sit conferenda. Capras magno numero alunt incolæ, cum optime hic pascantur & sine noxa teneriorum arborum, abundante prouincia rupibus, ericis, dumetis vepribusque.

MORES VETERVM GALLORVM.

STrabo, eumque secutus Clemens Alexandrinus scriptum reliquerunt, solitos fuisse priscos Gallos promittere comam: Agathias autem testatur, Francorum regibus in vsu fuisse, vt nunquam tonderent caput, sed crines promissos diuiderent, ducta à fronte in occiput linea. His addit Diodorus, consueuisse eos caput sæpe calce lauare, ad conciliandam crinibus flauitiem. Strabo porro ait, nobiliores solitos fuisse tondere genas, mentum autem labrumque nequaquam: omnemque dedisse operam, ne obesiores euaderent, aut in pinguem aqualiculum excrescerent: habuisse enim eos certum cinguli modum, quo si quis capi non posset, improbabatur.

Ab Symmacho laudantur ob studium addiscendi bonas litteras: M. Cato Originum lib. II. scripsit, si Charisio credimus; Pleramq; Galliam duas res industriosissime persecutam: rem militarem & argute loqui: ne nesciamus, veteres Gallos inter alias gentes Eloquentiæ gloriam reportasse. Diodorus tamen Siculus eos breuitatis & obscuritatis nomine in sermone arguit: cui reprehensioni aliam adiungit dum ait, illis familiare, vt totos dies præconiis laudum suarũ insumant, contemtis aliis: quodque pro nihilo sint ad minas & maledicentiam, sibique ipsis plurimum tribuant. Sic apud Cæsarem iactat Vercingetorix, tantam se ex omni Gallia collecturum hominum multitudinem, cui ne totius orbis quidem vires resistere possint.

De religione veterum Gallorum idem Cæsar scribit: Nationem omnium Gallorum admodum deditam religionibus: Deũm maxime Mercurium coluisse, eiusq; plurima habuisse simulacra: quod eum omnium inuentorẽ artium crederent, eundem viarum atque itinerum ducem; quin & ad quæstus pecuniæ mercaturasq; habere vim maximam arbitrarentur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem & Mineruam veneratos fuisse, de quibus eandem fere quam reliquas gentes habuerint opinionem: Apollinem morbos depellere: Mineruam operum atq; artificiorum initia tradere. Iouem imperium cœleste tenere, Martem bella regere: ideoque ei quæ bello cepissent, vouere solitos. Refert Plinius Xenodorum maximam Mercurii fabricasse statuam, quæ parem in mundo vix inuenerit, in Aruernorum ciuitate. Lactantius, Lucianus & Minutius Felix inter ea quæ Galli adorauerint numina nominant Helum, Teutarum & Zaranum, quos viri docti eosdem esse putant cũ Marte, Mercurio & Ioue. Natrat Strabo fuisse Massiliæ templum Dianæ Ephesinæ. Vetus tamen Inscriptio in marmore alterius cuiusdam Dianæ ab Gallis cultæ meminit, quæ ibi Ardenna vocatur. Ausonius inter Gallorum Pseudodeos Belenum nominat: Lucianus autẽ Herculem cognomento Ogmiensem. Solebant autem Galli in adorandis Diis suis in dextrum se conuertere latus, teste Athenæo. De sacrificiis eorũ Cæsar ait, Gallos, cũ prælio dimicare constituerint, ea quę bello cepissent, plerumq; deuouisse: quæ superauerint animalia, capta immolasse, reliquasq; res in vnum contulisse locum, multisq; in ciuitatibus harum rerũ extructos tumulos locis consecratis suo æuo cõspicari licuisse. Quod si quispiã neglecta religione aut capta apud se occultare, aut posita tollere ausus fuisset, grauissimum ei rei supplicium cum cruciatu cõstitutum fuisse. Eos qui grauioribus affecti morbis, aut in præliis periculisque versati fuerint, aut pro victimis homines immolasse, aut se immolaturos vouisse, administrisq; ad ea sacrificia Druidibus vsos, quod pro vita hominis nisi vita hominis redderetur, non posse Deorum immortalium numen placari arbitrati fuerint. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxa fuissent deprehensi gratiora diis immortalibus arbitratos: sed cum eius generis copia defecisset, etiam ad innocentum supplicia descensum fuisse. Strabo refert,

refert, solitos illos fuisse, dorsum hominis, qui sacrificio destinatus fuerat, gladio ferire, & rerum futurarum præsagia ex motu ac micationibus eius hausisse. Tertullianus his addit, consueuisse eos totas noctes exigere apud sepulturas magnorum virorum, vt inde captarent Oracula. Cæterum nullum omnino Galli offerebant sacrificium, nisi vnum aut plures ex Druidibus adhibuissent.

Bardi erant Gallorum veterum Poetæ, qui solebant virorum illustrium laudes carminibus celebrare, & ignauorum insectari vicia. Eubagios commemorat Ammianus Marcellinus, qui velut Philosophi secretiora naturæ rimati fuerint. Etsi autem Semnotheorum mentionem faciant Laertius & Suidas, nulla tamen in re illi differunt à Druidibus, non magis quam Saronides apud Diodorum Siculum. Plinius Druidas multis in locis appellat Magos. Et sane Druides Gallorum iidem erant qui Magi apud Persas, Chaldæi apud Assyrios, & Indorum Gymnosophistæ. Sed de Druidibus Cæsarem audiamus. *Illi*, inquit, *rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnoq; ii sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controuersiis publicis priuatisq; constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt. Si quis aut priuatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos est grauissima. quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt: neq; iis petentibus ius redditur, neq; honos vllus communicatur. Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet auctoritatem. hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at si sint plures pares, suffragio Druidum adlegitur, nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt, eorumque iudicijs decretisq; parent.* Hæc Cæsar de Druidibus. Videtur autem locus ille in finibus Carnutum, quem Cæsar conuentui Druidum assignat, esse oppidum, quod hodie vernacule *Dreux* vocatur, ipso nomine Druidas redolente. Consueuerant autem Druides à bellis abesse, neq; tributa vna cum reliquis pendere, sed militiæ vacatione, omniumq; rerum gaudere immunitate. Tantis excitati præmiis & sua sponte multi in disciplinam conueniebant, & à propinquis parentibusq; mittebantur. Discipuli autem magnum numerum versuum ediscebant, quibus ea comprehendebantur, quæ fas non esse existimabant litteris mandare. Vna hæc ex eorum opinionibus (inquit Mela) in vulgus emanauit, quod animas hominum immortales crederent, quodq; (scribente Diodoro) ex vno corpore in aliud transirent illæ, quod placuisse & Pythagoricis nouimus. Strabo etiam eos de moribus disputare solitos asserit, ad quam philosophiæ partem etiam Physicen adiunxerint. Fuisse etiam inter Druidas mulieres, quæ eandem cum illis professæ fuerint scientiam, non desunt qui scribant. Et hæc de veterum Gallorum religione ac sacris dicere habuimus, quibus id solum addemus, quod non parum ad Druidum facit commendationem; scribere Clementem Alexandrinum in 1. Stromat. fuisse quosdam philosophos Gallos, quorum Pythagoras fuerit discipulus. Clementi adstipulatur Iamblichus, qui cum illo adducit auctoritatem cuiusdam Alexandri, qui idem scriptum reliquerit in libro suo De Symbolis Pythagoricis.

De nominis ortu ac ratione communior est sententia, natos fuisse Druidas inter Gallos, eosque ita vocatos Græca notione, quod Δρῦς quercum signet, quod in syluis ac quercetis potissimum mysteria sua peragerent, æmulati antiquitatem, quæ sub quercubus Ioui sacris rem diuinam fecerit. Huc facit, quod qui diligentius perlecturus sit veterum Gallorum historias, certis argumentis deprehendet, eos primitus Græca lingua locutos fuisse, quam instar natiuæ aut maternæ sine hæsitatione pronunciabant. Nec desunt auctores, qui dicant eos crebris expeditionibus in Græciam linguam Gallicam secum importasse, vt pars quædam Græciæ Asiaticæ *Gallogræcia* appellata fuerit. Sed nos breuitati studentes, lectorem remittimus ad librum, cuius inscriptio, *De Antiqua Galliarum præexcellentia.*

De Druidibus porro Plinius lib. xvi. ait, allusionem vocabuli Druides ad vocem Græcam, qua Quercus significatur, valde esse verisimilem: quanquam non absurde aliqui ab Hebræa voce *Deruśim* aut *Druśim* deriuent, quæ Speculatorem significat, aut perueſtigantem secreta, quod Persarum factitasse Magos accepimus, nec à professione Druidum alienum est.

Dum hæc conuertimus, succurrit, in superiori Germania Magos, Sagasque ac Veneficas etiam hoc ævo Druden *appellari, & sub hoc nomine exosas esse:* Tuitin *autem in Veteri Germanorum lingua Deum siue Diuinitatem significare, vt* Druides *vel* Druidæ *à rebus diuinis, quibus operabantur, nomen adepti videri queant. Ad superiorem opinionem accedit Auentinus Boiorum Annalium lib. 1. Posteriorem videtur adstruere Otfridus Monachus Sangallensis, qui sub Imperio Ludouici Pii Caroli Filii Alemannice scripsit, ante annos prope DCCC. Negat quidem Cæsar, Germanos Druidas suo tempore habuisse: sed huic facile responderi potest, cum nemo sit qui nesciat, superstitionem omnem fœcundam esse, & facile propagari.*

Vndecunque autem nomen id ortum sit, magna fuit Druidum per Galliam auctoritas & potentia, vt in omnibus rebus pene soli imperarent populo. Ac his ipsis acceptum ferendum est Gallorum robur militare & in bello audacia, cum persuasi ab iis milites pericula valide contemnerent, ipsamque vitæ breuitatem aspernarentur, certi, animas eorum, qui per virtutem occubuissent, in lætam & æternam à corpore proficisci vitam.

Adorare

Adorare Gallos Apollinem, Martem, Iouem & Mineruam, deque his eandem quam Romanos habere opinionem, Cęsar ait. Sed an non possit videri sui oblitus Cęsar cum hæc scripsit? Certe alibi dicit, Germanos deorum numero eos solos ducere, quos cernunt & quorū opibus aperte iuuantur, Solem, Vulcanum & Lunam, reliquos ne fama quidem accepisse. Idem quoq; Cæsar dicit Belgas maxima sui parte à Germanis ortos esse. Tacitus huic subscribit dicens, Gallos olim magnam Germaniæ partem habuisse; vbi autem de religione Germanorum scribit, ea tradit quæ Gallorum circa sacra studiis plane sunt conformia, vt alii ab aliis propter vicinitatē mutuasse videri possint. Quocunq; tamen pacto hæc se habeant, certum est, Druidas nullum præter vnum Deum coluisse: vnde istud est quod Lucanus de bello Pharsalico scripsit: Druidas aut solos sciuisse, quis esset verus Deus, aut solos ignorasse. Et Brennus quidem cum Vrbem Romam occupasset, non maioris fecit Iouem Capitolinum, quam fecerat Apollinem Delphicum. Tyrius Maximus in sua dissertatione XXXVIII. vbi de Celtis loquitur dicit, illos adorare Iouem, sub hoc nomine verum Deum intelligens, cuius effigiem ait fuisse proceram quercum, Ἀγαλμα Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς. vt ostenderet eos simulacra aut Idola non habuisse. Neque profecto Cæsar vllibi scriptum reliquit, vidisse se in Gallia Celtica Templa vlla aut statuas Deorum. Multum autem ad Celticam Druidum colendæ quercus rationem facit, quod Cæsar scribit, solere illos ad illam arborem spolia ab hostib. capta suspendere ad instar Trophæi.

Hæc de religionibus Gallorum iam ad alia veniamus. Igitur armatos eos conuenire solitos authores varii prodiderunt. Plutarchus ait fœminas eorum de pacis belliq; rebus deliberare, earumq; consilia magnum pondus obtinere. Apud Strabonem magna oratorib. Gallis auctoritas, vt qui cōcionantem in sermone impedire vel interpellare ausus fuisset, gladio stricto cohercitus ad silendum cogeretur. Hoc iterum atque tertium fieri, quod si ne tum quidem imperasset linguæ, alterum illum gladio magnam partem de Sago eius abscidisse, vt quod supererat esset inutile. Gallicæ cōsuetudinis fuisse Cæsar ostendit, vt viatores etiam inuitos consistere cogerent, & quod quisque eorum de quaque re audierit aut cognouerit, quærerent, & mercatores in oppidis vulgus circumsisteret, ex quibus regionibus venirent, quaq; res ibi cognouissent, pronunciare cogerent. His rumoribus atque auditionibus permotos de summis sæpe rebus consilia iniuisse, quorū eos è vestigio pœnitere necesse fuerit, cum incertis rumoribus seruierint, pleriſque ad voluntatem eorum ficta respondentibus. Hospitalitatis ius accurate eos obseruasse constat, vt eum qui peregrinum aut hospitem necasset, exquisitis tollerent supplicijs: cum sæpius illum qui ciuem interemisset, solo multarent exilio. Si quid accidisset memorabile, celeri spargebatur id fama per pagos & oppida, vt dicto citius velut de manu in manum traditum per omnium volaret ora virum.

Ad belli negotia perueniemus. Didicisse Gallos à Massilienſibus rationem mœnibus claudēdi oppida, idonei auctores prodiderunt. Ælianus eos omnium hominum ad subeunda quæuis pericula promptissimos asserit. Vopiscos homines vocat inq ieros, & tranquillitatis ac ocii impatientes. Negat Liuius, eos, cum ira excanduissent, sibi ipsis imperare potuisse. Libertatis apud eos summa cura & dignatio, scribente Floro, Gallos quosdam in bello captos conatos fuisse catenas quibus ligati fuerant, dentibus rumpere: quod cum parum succesisset, alteros alteris elidendas fauces præbuisse. Summus auctorū Iulius ait, eorū ad bella suscipienda alacres ac promtos animos, mentes autem molles ac minime resistentes ad calamitates perferendas. Huic succinit Liuius, Gallos ab initio pugnæ plusquam viros præstare; sub finem infra fœminarum imbecillitatem abire. Cui repugnat Leo inquiens: Gallos ab animi magnitudine nequaquam discedere, minimumque è prælio receptum turpem fugam interpretari. Nec diffitetur Sallustius, virtutis Gallicæ suo tempore tantam fuisse opinionem, vt ad eorum motus tota tremeret Italia. Et cum aliis quidem gentibus bella geri pro gloria, cum Gallis pro vita & salute. Iustinus vero nominis eorum famam apud Reges Asiaticos tantum valuisse affirmat, vt sine eorum opera nec quæ haberent retinere, nec amissa recuperare se posse crederent. Aristoteles ait, eos ne tetræ motus quidem formidare. Narrat Strabo, Alexandrum Macedonem aliquando quæsiuisse ex Gallis, ecquamnam rem ipsi maxime meruerent? illos respondisse? ne aliquando cælum in se rueret. Ælianus eos qualemcunque fugam tam ignominiosam habuisse ait, vt repertos fuisse dicat, qui ruentis tecti aut domus noluissent subterfugere aut ingruentis flammæ periculum. Vt autem propius eorum militiam spectemus, audiamus Cęsarem, hoc, more Gallorum, belli initium esse asseuerantis, quod lege communi omnes puberes armati conuenire cogerentur, vtq; qui ex iis nouissimus venisset, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necaretur. Sequebātur autem omnium ętatum homines ducem in militiam, neq; cuiquam valido senecturis vti excusatione licebat: quin & annonæ curam ita gerebant, vt nihil necessariarum rerum deesset exercitui: Contra vt subtraherent hosti alimoniam, non verebantur pagos villasque exurere. Arma veterum Gallorum hæc fere erant. gladius pondere & longitudine validus, teste Polybio, non in tenuem aciem desinens, sed ab extremo latior, omninoq; ad cæsim quam punctim ferendum aptior. Hunc catena suspensum ad latus sinistrum ferebāt, vt Diodorus ac Liuius habent. Ferebant & scuta oblonga ad viri altitudinem, cum duobus iaculis. Vtebantur & hastis præpilatis, quarum ferrum ad cubiti longitudinem

accedebat. Caput muniebant galea, super quam visebantur effigies auium & quadrupedum, interdum etiam animalium cornua. Hinc factum est, vt nona legio Cæsaris, quæ fere ex Gallis constabat, Alauda diceretur, quod in cassidibus illorum militum vel esset insculpta illius auis imago, vel erectæ in cristam pennæ. Arcu & funda quoque vsos eos fuisse accepimus: repertosque, qui vaginas gladiorum suorum Coralio exornarent, quique thoraces ferreos aureis lineolis distinguerent. Legimus apud Liuium, eos quandoque nudos vmbilico tenus prælium iniuisse, quod is auctor prælio ad Cannas Apuliæ accidisse testatur. Maior equitatui Gallicano laus quam peditibus, quod nec Cæsarem fugit, qui Gallos equites aduocauit contra Petreium & Afranium, vt & postea factum est contra belli ciuilis reliquias. In acie struenda ingentes phalanges constituere solebant, quę quandoq; sena millia hominum conficerent, teste Vegetio.

Ingressi prælium horribilem tollebant clamorem, exilientes & scuta concutientes, vnde ex collisione armorum tãtus oriebatur strepitus, vt & longe remota loca fremitum redderent: quanquam nec tubicinib. destituerentur. Quales in ipso pugnæ feruore fuerint, prodit belli Africani scriptor, vbi ait: Gallos, homines apertos minimeque insidiosos, per virtutem non per dolum dimicare consueuisse. In acie struenda ordinis erant obseruantissimi. Cum enim ex diuersis populis Galliæ constaret, ita collocabãt milites, vt vnius oppidi, pagi, villæ incolas iunctim constituerent, vt omnis euitaretur confusio, & maiore alacritate vicini pro vicinis, propinqui pro consanguineis præliarentur, seque inuicem defenderent. Potiti victoria ab hostibus, captiuos diis suis immolabant, vt Athenæus & Strabo scripserunt. Capita interfectorum ab equorum suorum collo suspendebant, post domum relata, valuis portarum suarum affigebant, vt publico seruirent spectaculo. Inquit Cæsar in omni Gallia eorum hominum, qui in aliquo essent numero atque honore genera fuisse duo: alterum Druidum, alterum Equitum. Illos rebus interfuisse diuinis, sacrificia publica ac priuata procurauisse, religiones fuisse interpretatos: hos cum esset vsus, aut aliquod bellum incideret omnes in bello versari solitos, atque eorum vt quisque esset genere copiisque ampliss. imus, ita plurimos circum se ambactos cliẽtesque habuisse. Plebem pene seruorum habitam loco, multosque ex iis vltro se in seruitutem dicasse nobilibus: quibus in eos eadem fuerint iura quæ dominis in seruos. Liberos suos, nisi cum adoleuissent, vt munus militiæ sustinere possent, palam ad se adire non patiebantur, filiumque in pueritiæ ætate in publico in conspectu patris adsistere turpe ducebant. Viri quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperant rãtas ex suis bonis æstimatione facta cum dotibus communicabant: huius omnis pecuniæ cõiunctim ratio habebatur fructusque seruabantur. Vter eorum vita superauerat, ad eum pars vtriusq; cum fructibus superiorum temporum perueniebat. Viri præterea in vxores, sicut & in liberos vitæ habebant necisque potestatem. Id quoq; apud eos obseruatum fuisse constat, plebeios, cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premerentur, se in seruitutem tradidisse, abiecta noxia & imbecilla libertate.

Domus eorum, si Cæsari credimus, maxima ex parte in syluis structæ fuerunt, aut iuxta aliquem fluuium, ad euitandos calores ęstatis. Negat Strabo illos ianuas claudere solitos fuisse: sed & hypocaustis vsos ritu Germanorum, è Iuliani Misopogone colligimus.

Res vestiaria quoque tangenda est. Vtebantur igitur vulgo amicto laneo, virgato, reticulatim texto, versicolore. Gestabant etiam caligas, quas ipsi, vt & Germani, appellabant Braccas; annulos ferebant; sed in solo medio digito, si Plinium audimus. Doliis vasisque vtebantur crassis, fictilibus, exterius variorum florum imaginibus depictis. Capturi cibum non in scamnis aut sedilibus considebant, sed humi extendebant corpora, super canum aut luporum pelles, vel iacentes in lectulis, vt Strabo refert, seruientibus iis pueris iunioribusque. In medio nutriebatur ignis, ad quem visebantur verua infixis carnibus plena, quibus impense delectabantur, in primis porcina, quam recentem ac salitam comedebant. Plurimum autem lacticiniis vescebantur. Ditiores inter eos vinum bibere solebant allatum ex Italia aut à Massilia, quod vulgo vineas non haberent: aliquando & merum aqua diluere norant. Peregrinos aduenasque ad cænam invitatos multis fatigabant sermonibus, qui essent? vnde, ad quid venissent? subinde scisitantes. Narrat Athenæus rem vix credendam: consueuisse illos membra arietum aut aliarum animantium capitibus imponere, vnde fortissimus quisque sibi coxam vendicet. Quod si quis existimet sibi potius id honoris deberi controuersiam cruenta pugna, quam & ipsa mors sequeretur, inter ipsos decidi. Addit idem auctor, quosdam accepto auro & argento, aut aliquot vini Cadis, addixisse se theatro, addito iuramento, perpessuros se id, cuius nomine præmium accepissent. Id cum amicis suis distribuissent, resupinos in scutis suis, expectasse cultrum interfectoris. Ammianus Marcellinus natandi studium illis tribuit, & quod in venatione, quæ ipsis frequens, venenatis vterentur sagittis.

Funera eorum erant pro cultu Gallorum magnifica, omniaque quæ viuis cordi fuisse arbitrabantur, in ignem eos intulisse, Cęsar testatur, etiam vsque ad seruos & clientes. Mela Pomponius his addit, fuisse qui se ipsos in rogũ coniicerent, quo defunctus cremabatur, scilicet vt meliorem vitam cum eo viuerent. Quin & ad id stoliditatis deuenisse eos commemorat Diodorus, vt scriptas litteras in ardentem pyram coniice-

sicerent, quasi à mortuo legendas. Istud vero tolerabilius est eo quod Valerius Maximus narrat, solitos Gallos viuis pecunias credere, ea conditione, vt eas sibi redderent apud Inferos.

MORES GALLORVM SIVE FRANCORUM nostri temporis.

POstquã prisci seculi mores persecuti sumus, ad nostri æui homines nos conuertemus, facto initio ab Vrbe Lutetia Parisiorum, domicilio & aula Regum Gallorum, quæ non quidem vt Roma est ἐπίτομη τῆς οἰκουμένης, sed compendium totius regni Francorum, haud secus ac homo Microcosmus est. Igitur Parisienses vel ipsa natura mansuetiores sunt, nec adeo feri, vt multarum aliarum vrbium incolæ per Galliam. Vulgus mobile est admodum, & ad tumultus ac seditiones procliue. Argenti aurique supra modum cupidi sunt, vt nihil ne cogitari quidẽ possit, quod Parisinus homo non aggrediatur, vt pecunias accipiat. Hæc tamen de vili plebe ac humilis conditionis, capiteque censis potissimum dicta velim.

Mulieres splendidi amictus appetentissimæ, fere elegantius vestitæ incedunt, quam vel earum genus vitæ aut opes ferant; nec mariti, vxoribus supra modum addicti, vt iis per omnia placere studeant, compescunt hanc superbiam, sed omnem mouent lapidem, vt deuderiis fastuiq; earum satisfaciant. Illud saltem in hac vrbe mulierum commendationi seruiet, quod elegantissimæ quæque & opulentissimæ, ipsisque innutritæ deliciis non dedignantur inuisere domus hospitales, ministrare ægris ac calamitosis hominibus, eorumque succurrere egestati.

Fuerunt autem Parisienses priscis annis rudiores & hebetioris ingenii habiti, vt per omnem Galliam *Badauti*, id est Inepti Stolidiq; audirent: at nostro æuo excusso illo torpore & hebetudine tam acuti euaserunt, vt ipsi extraneis artificiose imponere norint. Nec tamen negauerim, multos inter eos esse, quib. illud Cochleæ δίκῳ φίλταί ϑ οἴκῳ ἄελσι ϑ nimium placet, & qui nunquam egressi pomœriis, rudiores recente cannabe, nomen illud merito sustineant. Sed simul ac pedem vlterius in mundum protulerint, difficilius inescantur, quam quiuis alii. Est autem populus Parisiorum cum primis nouarum rerum cognoscendarum auidus, quam curiositatis notam Cæsar etiam maioribus eorum impingit. Mirifice student recreationi corporis, aut si quid ad fallendum tempus excogitare possunt, suntq; multi in quærendis deliciis oblectamentisque vitæ, ad quæ studia illos pelliciunt exemplo Aulicorum, quorum hic vnicus labor est, iocari, ludere, ridere, beate cutim. Cæterum Parisienses, qui olim si quid noui euenisset, tantum non obstupescebant, hoc æuo vix quicquam mirantur, cum peregrinis rebus hominibusque quotidie visendis adsuescant. Non multum tamen fidunt extraneis hospitibusque, ad quorum aduentum diligenter excubant, ne quid alieni hospes auferat. Nec desunt exempla eorum, qui dum nimis hospitales & Vrbani haberi volunt erga eos quos non satis nouerant, graphice ab iis circumscripti decepticq; sunt. At si te honestum bonumque hominem cognouerint, qui diutius eorum velis vti hospitio, ea tractabunt comitate & beneuolentia, quam frustra alibi in toto orbe quæsiueris. Hoc obseruabis singulare Lutetiæ, quod ad quosuis tumultus nocturnos, aut clamores violari se, spoliari, interimi quirirantium, nemo ianuam domus aperit, nec pedem tecto effert: vt homo ingrassatores illos nocturnos incidens, non in ciuibus, sed in suis manibus aut potius pedibus spem reponere necesse habeat. Nec tamẽ hæc res ratione caret, cum in tam populosa vrbe errones & Plani magno numero inueniantur, qui vt ciues ludibrio habeant & adunco suspendant naso, eiusmodi clamores nocturnos cient, vt suppetias ferre properantes falso irrideãt cachinno. Quin & inueniuntur nebulones, qui tenebris abusi hos eiulatus cient, vt euocatos è domibus bonos viros, quos ipsi oderunt, impune cædant. Postremo hoc de ciuibus Parisinis vere dicam, esse comes ac in conuersatione suaues, multoque humaniores, quam in plerisque cæteris Galliæ vrbibus oppidisq; visitatum sit.

De agri Parisini incolis idem possem dicere, nisi rusticorum intractabilis ferita me diuersum fateri cogeret, vt ferociores in tota Gallia vix sis inuenturus. Causam huius duritiei sunt qui viciniæ Parlamenti adscribant, quod nemo audeat aliter quam ad gustum eorum loqui. Id enim si fiat, importunis ac cõtumelioſis responsationibus cogent te, vt vindicandæ iniuriæ ergo manus ipsis afferas. Hoc vbi factum fuerit continuo videbis in te confertim ruere vulgus agrestium, vt te

Stipitibus duris agitent sudibusque præustis.

Id quoque rusticis in agro Parisiensium familiare est, vt exhauriant viatores, quibuscunque possint rationibus, ab iisque vel vltimum truncum exsugant: quo fit, vt vndecunque quis vrbem accedat, semper annonæ charitatem offendat. *Carnutenses* morum suauitas, elegantia, liberalitas & erga quosuis humanitas commendat, quod pacem concordiamque inter se colant, & peregrinos ament, si vel vllo modo se bonos præstant. Laudatur & eorum pietas ac studium religionis, munificentia in pauperes & negotiatio.

Cum his eodem prope modo affecti sunt *Belsienses*, laborioſi insuper & agriculturæ studioſi, quorum præcipua mercimonia in frumento cõsistunt. Alicubi satis astuti sunt, ne dicam malitioſi, quod subinde à peregrinis ab omnibus locis adeantur. *Castellodunensium* ingenium acutum & subtile prædicatur, quibus non est necesse vt multa loquaris, cum ipsi sint parci verborum,

adeo ne ipsi se ipsos quidem audiãt, nec permittant vt colloquentes pertexant filum orationis. Quod quidem vicium illi parti peculiare est.

Blesenses terræ bonitas & aeris naturalis suauitas multum iuuat ad morum suauitatem, vt sint comes, affabiles, simulq; subtiles & ingeniosi, boni patres familiæ, Dei & peregrinorum amatores, concordię inter sese studiosi. Et vt breuiter dicam, elegantia & vrbanitate hæc gens nulli cedit per Galliam.

Vindecinorum (hodie Vendosme) ingenium suaue, sublime & politum est, quod non sapiat humilia aut abiecta, sed in quacunq; re excellere cupiat. Testem huius rei nominabo Petrum Ronsardum, nobilem Vindecinum, ob carminũ elegantiam tota Europa celebrem, decus Patriæ suæ, & ornamentum totius Galliæ.

Aurelienses eorumque vicini non minus politi sunt ac ciuiles, vtunturq; idiomate suauiori: linguæ tamen perhibentur aculeatæ, & mordaces in sermone, vnde vulgo vesparum nomine verberantur. Cordati sunt, sibiq; mutuam præstant operam, addicti mercaturæ, quam in multis locis exercent.

Senones iam olim ostenderunt, quam magno essent animo, cum hi primi fuerint ausi, tranlitis Alpibus Brennum in Italiam sequi. Populus vulgo bonus habetur, nec adeo vafer aut astutus, vt in multis aliis locis: nec vllo modo religionis studium negligit. Nec minus bene audiunt *Auxerrani*, nisi quod elatiore animo sint, & ad rebellandum procliues: mercimonia tamen sua magna dexteritate distrahere gnari.

Campanos & *Brienses*, vicini vt nimis in opinionib. suis pertinaces vituperant, eosq; cerui cosos appellant: Quæ quidẽ infirmitas multis virtutibus obtegitur, quarum nomine sua his populis laus constat, quod naturalem illum feruorem temperantia & moderatione mitigare studeant. Sunt præterea suaues in cõuersatione promti ad officia, timentes Dei, & constantes in sententia.

Picardi bonitate indolis ac morũ vix vlli Galliæ nationi cesserint: Libertatis amantes, ciuiles, promti ad amicitias, robusti, nec vili aut abiecto animo, celeres in expediendis rebus, vnde à calore capitis vulgo agnominantur: Indulgent plerumq; genio vltra modum, ebrietati minime inimici, vt nullos æque ament, quam qui strenue potando cum illis certauerint. Cõcordiam inter se magno studio alunt, vt si quis vnum ex ciuib. offendat, illi continuo cum cęteris omnibus futurum sit negocium. Breuiter Picardorum natio non est vafra aut dolosa, sed quib. te tuto credere possis.

Turones circa res sublimes ambitiosi sunt, suaues tamen in conuersatione, dediti mercaturæ; inprimis autem fidelitate in reges suos celebres, quam inprimis erga Carolum VII. & Henricum IV. reges ostenderunt. Terræ bonitas Cæliq; clementia illos inuitat vltro ad lusus iocosque, vt à vicinis vulgari scommate notentur, dum Irrisores Turonenses dicunt.

Cenomannorum gens est laboriosa & industria, acuti simul ingenii, vt nõ facile sint lumbricum per transennam petituri: parci insuper œconomi, & vicinis ferme astutiores, eoque ad quæuis negotia expediẽda aptiores. Nobiles in hac prouincia magnanimi & imperterriti præ cæteris Galliæ nobilibus existimantur.

Andegauenses & Pictones sublimi acriq; sunt ingenio, hi tamen illis acutiores. Pergræcantur, mutuo sese ad hilaritatem inuitantes, accipientes & reddentes beneficia. Rustica plebs in his regionibus fraudulenta est & nequam (dicendũ enim) sed nobilitas alacris, cordata & aperta.

Notior est *Normandorum* calliditas & vafrities, quam vt referri mereatur. Hi neq; legib. neque consuetudinib. Gallorum subiici volunt, sed sua quædam peculiaria habent iura, quib. maiores eorũ ab antiquo vsi fuerunt: hæc pertinacissime retinent atq; defendunt. Litigiorum contentionumq; fori sunt apprime gnari, vt eludant frustrenturque aduersarium in iudicio, vt extranei non magno suo commodo cum illis litigent vel etiam consuescant. Cætera sunt ingenio minime contemnendo, cuius rei affatim nobis suppeditant testium, in multis claris & scientia nobilibus viris. Religionis n. studium cum animi magnitudine coniungunt, cuius rei exemplum habemus in Guillelmo Conquestore, Normannorum Duce, qui virtute ad Anglorum regnũ peruenit, vt & in Volangis & Guiscardo Normanno, quorum posteri facti sunt Principes Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ atq; Neapolcos.

Britones siue Britanni minores differunt inter se ipsi; alii n. politiores ac ciuiliores sunt aliis pro diuersitate regionum quas incolunt. Qui enim in maritimis locis habitant, minus culti ac vrbani sunt quam cæteri. Communiter tamen loquendo omnes Britones gaudent societate, suaues & amici in cõuersatione, nec minus subdoli & versuti, etsi prima fronte subagrestes appareant. Lucri cum primis appetentes: & tamen vino oppido quam dediti, vnde frequentes sunt in tabernis, in quibus pleraq; sua negotia tractant. Auitæ religionis tenaces, & Normandorum inimici natura, quorum incommoda pro virib. promouent, vt hi vicissim illorum flagrant odio. Britones qui hodie sunt, Cæsari Armorici dicuntur in comment.

Inculismenses & ipsi sunt in non parua differẽtia. Oppidani enim ingenio alto sunt & ad res magnas adspirante. Honoris auctoritatisq; suæ adeo tenaces, vt in vanilo quentia ac inctationis notam incurrant. Negotiationis non magnam habent rationem, cum gloriosius ducant suis viuere posse redditib. qua in parte nobiles æmulantur. Prętera literarum amantes sunt, magnificentia ac morum elegantiæ studiosi, inprimis autem nouarum rerum, quod ipsis vitium cum omnibus Gallis commune est. Vulgus vero & agrestes ruditatis & hebetudinis notam non effugiunt, durum & laboriosum genus, tenax opinionis cõceptæ, aptũ tamen ad arma ferenda.

Petrocoriorum genius hilaritatis & lætitiæ studiosus, nec minus tamẽ ad sobrietatem pronus est.

est. Mirandum illos inter tot corporis exercitia tam paruo contentos esse posse. Et quanquam vulgo obesæ naris & ingenii crassioris arguantur, testantur tamen illi, qui cum iis versati sunt, eos satis aptos esse, ad expediendas honestas res atq; actiones, siue litteræ tractandæ sint siue arma. Posses domos nobilium Petrocoriorum iure scholas virtutis & ciuilitatis appellare: æmulatibus etiam ciuibus in oppidis hæc nobilium virtutis studia. Sed & fœminæ illorum castitatis nomine celebrantur, & quod res domesticas gnauiter administrent, dignamque laude familiæ curam gerant; cæterarum rerum sollicitudinem abiiciunt, gnaræ, viros in earum res curiosius non inquirere.

Lemouicum sobrietas & parsimonia commendatur, & quod vulgo vini non admodum sint appetentes (præter oppidanos, qui aliquando hilarius se inuitant) quodque domestica negotia diligenter curet. Propinqui ac consanguinei hic fere vna habitant, vt videre sit in vna domo eiusdem pagi, vnum patrem familiæ, qui pronepotes suos secum habeat. Inueniuntur & familiæ, in quibus circiter centum numerantur capita eiusdem generis, vbi concorditer vna viuitur velut in collegio quodã monastico. Laborioſi sunt, sed litium nimis amantes, de lana caprina controuersiam intentant, quo contendendi studio Tullenses præcipue laborare dicuntur. Inuenies tamen, qui magis amant armorum vsum quam negotiationis. Nobiles Lemouicenses in perpetuis fere agunt litigiis, aliis alios litibus distinentibus; cætera magnifici ac generoſi, ad quas laudes etiam oppidani adspirant.

Aruerni solertes habentur, ingenioſi ac versuti, ocii fugientes, ad rem attentissimi, vnde multum mercaturæ impendunt studii, quod fraudulentia plerunque non caret. Sunt præterea queruli & violenti simul, breuiter tales, quibuscum nolis multum tibi esse negocii. Nobilitas splendida est & magnifica: sed plebs litigiorum amãs & contentioſa etiam ob res minimi precii.

Burbonienses Aruernorum vicini eiusdem cum his sunt indolis. Qui n. longius ab eis absunt in moribus ac sermone iucundi sunt gratiq;. Ingenio valent subtili ac solerte, studioſi rei familiaris & mercimoniorum, & munes in peregrinos. Bessinenses aliquid Germanicæ seueritatis redolent: sed & eorundem Germanorum exemplo libertatis sunt amantissimi. Robusti insuper, intrepidi, adsueti laboribus, minimeque versipelles, iugi seruilis impatientissimi; cæterum litterarum parum amantes.

Inter *Burgundos* Diuionenses conceptam opinionem magna pertinacia retinent, amant crebros conuentus & conuiuia, honoris sui cum æmulatione quadam tenaces, adspirantes ad res sublimes, cætera commodę conuersationis. Fœminæ eorum splendidę sunt & cultu vtuntur eximio, matrimonialis tamen fidei tenaces, maritis obsequentes. Promiscua plebs plurimum laborat in colendis vineis: priscæ ac auitæ religionis Burgundi sunt obseruantissimi, hostes nouitatis & seditionum, audaces & validi, rebusque gerendis peropportuni. Belnensium principaliores ciues iustitiæ amantes perhibentur, inferioris conditionis homines vel in colendis vineis occupantur, vel in texendis pannis laneis lineisq; ac cannabinis, qua materia regio ista abundat. Salmurienſibus laus tribuitur humanitatis, quod miti sint ingenio, seque ament inuicem ac concorditer viuant, peregrinosq; omni prosequantur beneuolẽtia. Cabillonenses sunt subtiles ac ingenioſi, dediti facundiæ studio, & in quibus nihil admodum desiderare possis. Idem de cæteris quoq; Burgundis dicere possis, quod sint ingenui liberiq; spiritus: nisi forte illis vicio datur, quod more Germanorum vicinorũ suorũ abutantur vino, nõ tamen in omnib. locis.

Populus *Lugdunensis* vrbanitatis ac gratiarum affectator est, suo quodam id est domestico modo: quanquam in hoc genere plus præse ferant quam præstant. Est genus hominum mercaturæ supra modũ studioſum, & quod ex re qualibet lucrum captare possit. Rustica gens veteratorie agit ac fraudulenter; sed Lugdunenses ciues, tã viri quam fœminæ, externi splendoris in habitu ac incessu sunt perstudioſi. Frustra in vlla Galliæ ciuitate tantum peregrinorum numerum quæsieris, adeo, vt vulgo ad Italorum mores cum affectatione quadam adspirent.

Segusianis (hodie *Forestenses* sunt) ingenium tribuitur acre, solers ac capax, vt qui suis rebus prudenter consulere nouerunt, quos lucri cupiditas in longe remotis regionibus mercaturæ incumbere cogit. Gens nationis suæ amantissima, quem affectum in suos ostendunt, cum eos inter exteros egere conspiciunt. Prudentia & cautione opus est ei, cui cum Forestiano intercedat quid negotii. De *Delphinatib.* generatim dicũt, esse illos amantes patriæ suæ, solicitosq; suæ libertatis custodes, constantes in proposito & attenti ad rem. Qui in oppidis habitant laudem ferunt comitatis & affabilitatis, ingeniiq; scientiarum capacis, præsertim Mathematicarum, industrii rerum naturalium perueſtigatores in loquendo liberiores & sociabiles. Sunt tamen qui illorum simulationes & grandiloquentiam vituperent. Quod si Delphinates considerare velimus exactius, diuidendi erunt in eos qui montana & qui campestria colunt. Montani sunt rudes & pinguioris ingenii, magis ad arma nati quã ad litteras, magna ex parte operarii & negociatores. Inualuit apud hos monticulas mos, vt appetente hyeme omnes emittant è patria, qui apti sunt ad laborandum, vt nemo domi maneat, præter senes & pueros ad operandum ineptos. Qui hoc modo emigrauerunt, ad Paschalis festi solennia redire solent, contingitq; non raro, vt emissitii illi luculentum parsimonia sua sibi acquirant peculium, vt postea ipsi quoq; mercaturam exercere queant. Nobiliores inter Montanos hosce feritatem domiciliorum redolent & ipsi: Cæterum cum aliquandiu Gratianopoli habitauerunt, ad eorum, qui plana loca incolunt, ciuilitatem & elegãtiam facile perueniunt. Qui

montes habitant parsimoniæ laudem ferunt, & quod ex variis rebus rem facete possint: primo ex pecore, cuius magnum alunt numerum, vt & è lacticiniis & lignis: cum contra qui in plano degunt, perosi sordes & tenacitatem, pecunias suas animose impendant, nec parum externo splendori tribuant. Ita autem viuunt nobiles illi, vt etiamsi bello infestetur prouincia, & ex nobilitate aliquis vile inhabitet tugurium in media sylua, nemo tamen eum facile inuasurus sit, quod ante id tempus satis commode & amice cum vicinis suis vixerit. Qui plana regionis incolunt, ciuiliores sunt rupi apris illis, sed ocio fere addictiores, quod terræ fecunditas non exigere videatur multos labores. Vulgus nobiles in precio habet & honore, iisque plus tribuit quam in aliis Galliæ partibus. Ex vtraque regionis parte non mediocris numerus militum contrahi potest, cum vtrique non multum tribuant litteris. Non adeo addicti sunt Delphinates lucro, sed sufficit illis, si dies suos absque incommodis transigere possint: non quod inter eos non sint qui flagrent desiderio habēdi, sed quod id vulgo non adeo frequens sit. Gratianopoli vt & Viennæ Allobrogum, Valentiæ, aliisque in ciuitatibus fœminæ mire delectantur splendido ornatu, quæ vanitas ab his vrbibus in agros adeoque totam prouinciam fluxit. Hanc tamen virginibus & matronis laudem non inuidebo, paucas per vniuersam Galliam inueniri mulieres, quæ ingenii dexteritate & mentis generositate cum Delphinatibus conferri possint, cum in ipsa sermonis libertate & familiaritate, quam præ se ferunt maximam, maiorem tamen habeant pudicitiæ honorisq; sui rationē, quā fœminæ quæuis tetricæ & morosæ: vt inter res raras referri possit, vel fando accipere, matronam aliquam illicitis amoribus existimationem suam violasse.

Prouincialium mira sunt ingenia. Sobrietati enim plurimum student, præsertim cum de suo cuique viuendum est, suntque satis robusti; verum inconstantes, auari, versipelles, quibus res fortunasque tuas haud tuto credere possis. Verborum iactatores vulgò audiunt, qui contemtis aliis de seipsis magnificè sentiunt. Tanta est autem eorum arrogantia & ferocitas, vt magistratibus suis nullum aut exiguum honorem habeant, vt & exemplis conuincantur, aliquoties superioribus suis nefarias attulisse manus, eosque trucidasse. Fœminę eorum pomposæ sunt, & fastum repræsentant Italicum. Rustici nequaquam pro vitæ genere simplices sunt, sed astuti ac loquaces, qui suam ipsi tanta dexteritate defendere nouerunt causam, ac si ab aliquo exercitato rabula instructi fuissent. Qui loca maritima incolunt, strenuè negotiantur, & magna solertia mercaturam exercent. Occupantur quandoque in componendis cantiunculis, quibus tædium mœstitiamque animi profligant, si quæ illis ægritudo est obiecta. Postrema eorum laus est studium religionis.

Cum *Languedociam* consideramus, primi se offerunt Tolosani, quos ingenio subtili & ad litteras nato dixeris. Istud vitii habent, quod facile, etiam ad quemuis rumorem commoueantur, quodque parum hospitales sint erga peregrinos. Sed nec ipsis inter se satis conuenit, quamuis ciuiles haberi velint. Carcassonensium, Betierensium, Monspelliensium & Nemausensium ingenium prædicatur præceps lingua secretorum parū tenax, gloriosa, iactabunda, vana, sermo inconsideratus: quanquam ipsi natiuam libertatem & animi præsentiam interpretentur. In omni illo terrarum spacio, quod inter Tolosam vrbem & S. Spiritus oppidum interiacet, fœminarum fastus & arrogantia est intolerabilis, qui diuersis pigmentis ceruſſaque fucant faciem, non quidem vt alliciant amatores aut corpus venale habeant, sed vt habeantur formosæ, venitque hæc stultitia & vanitas apud eas in consuetudinem.

Quin & ipsi viri in ornato splendidoque amictu magnam felicitatis partem collocāt, quamuis & conditionem eorum & opes hæc elegantia excedat. Mulierum hæc præcipua est occupatio, vt totam septimanam in elaborando serico consumant, quo quidem tempore tenuiter viuunt, vt habeant quod Dominicis aut Festis diebus luxu & ostentatione deperdant. Hoc tamen potius fit apud Betierenses & S. Spiritus oppidum, quam apud Carcassonenses aut Narbonenses.

Sed ad *Viuarienses* nos conuertemus: vbi in planitie, quæ angusto cohercetur spacio, genus hominum inueniemus minime delicatum aut ocio deditum, sed laborii incumbens, vt ex tam paruo agri, quem possident modo, plurimum percipiant fructuum. Rustici colendis vineis incumbunt, in quibus multum spei collocant. Non defraudant genium, sed male vestiti incedunt, qua quidem in re vicinis suis sunt dissimiles. Nec fœminis hic pueriſque vacatio conceditur à colendis agris vitibusque. Alit tamen etiam hæc terra viuida ingenia & spiritus capaces, ostenduntque multi inter eos ipso sermonis genere, nequaquam se hac parte cæteris Gallis cedere. Nobilium tanta est ciuilitas, & in accipiendis hospitibus comitas, erga eos præsertim, qui aliqua singulari dote se dignos amore præstant, vt dicere possis, ipsam Humanitatem in hac parte Galliæ domicilium sibi constituisse. Hoc autem præcipue dolendum est, quod omnis tractus montanus latronibus & grassatoribus infestatur, qui ne à cædibus quidem viatorum abstinent: qui quandoque iustum agmen conficiunt quasi prælio decertaturi; & hi quidem cunei siue manipuli latronum quandoque non dissipantur, nisi multa cum effusione sanguinis. Duella & ex prouocatione diglaciationes in hac regione ante Edictum regium tā frequentes fuere, vt prope nihil aliud quam de singularibus certaminibus auditum fuerit. Nobilitas inter eos, qui montana incolunt,

morum

morum elegantiæ admodum studet, & aduenas hospitesque comiter ac prolixe accipit; ad politos tamen ciuilesque mores eorum nobilium, qui in planitie habitant, montani non peruenierunt, exceptis iis quos vita aulica perdolauit. Rustica plebs fera est & audax, minime tamen crassi ingenii, cum prudenter administrent res suas, nec inopportune de iis quæ nouerunt, loquantur. Laboriosissimum genus hoc est, qui vel totum triduum in runcando vno saxo insumant, vt eius loco vitem plantare possint: quæ quidem industria magnas illis parit diuitias.

Qui *Velaos montes & Geuodaniam* incolunt, eiusdem sunt naturæ cum Viuariensibus montanis. Nobiles enim & plebeii eodem modo quo illi viuunt, excepto quod Velæi contentiosiores sunt, & rudioris ingenii quam Viuarienses. Quin & apud illos grassatorum abunde est, vt in Foxensium montibus, vbi omne ius in viribus consistit. In vniuersum tamen omnes rerum ac commodorum suorum minime sunt negligentes.

Et quia de *Foxensibus* mentio facta est, hos quoque videamus. Hi igitur à puero laboribus & ærumnis perpetiundis adsueuerunt, siue longum ac difficile iter conficiendum sit, siue sustinenda fames. Sed nec firmum ipsis pectus aut animus deest. Præcipuum huius regionis malum est, quod multi, quibus viuendi commoda desunt, aut mendicitati aut latrociniis animum applicant. Quanquam inter latrocinandum hac vtantur moderatione, si obiecta aliqua sufficiente ad sedandam illorum famem offa, primos in quos incides, placaueris, non tantum ipsi te non lædent, verum etiam deinceps tutum præstabunt ab aliorum incursu. Minus tamen hi grassatores iis infesti sunt, qui vel ex Gallia in Hispaniam, vel ex Hispania in Galliam proficiscuntur.

Commenarum regio robustos gignit homines, sed qui litteris parum fauent: quanquam ingenio non sint inepto, sed ad quasuis res percipiendas docili. Ad perferendas omnes vitæ incõmoditates nati videntur, studiosi sobrietatis, cauti in verbis, omnis luxus in vestitu & delitiarum hostes, quibus effeminari animos arbitrantur. Fæminarum in iis locis prædicatur pudicitia, cura rei domesticæ, erga viros obsequium, & fuga ocii.

Aremici vulgo putantur ingenii pinguioris, simplices, boni Oeconomi, qui ex quauis re lucrum facere possunt, dediti negotiationi & rei pecuariæ. Sed nec audacia carent in obiectis periculis.

Bigerrensis populi animus est elatior, ipsi nati ad arma, celeres sunt in expeditionibus, quanquam quid animi habeant, dissimulare nouerint. Inciuiles hi prædicantur, feroces & intractabiles, præsertim in montanis. Iniuriæ vel leuis impatientissimi, vt ob exiguam causam cædes committere non vereantur. Cætera naturæ sunt non malæ, iusti amantes & simplices. Nobiliores inter eos hilaritatis & societatis studiosi sunt, ciuiles insuper & fortitudinis laude prædicati.

Vascones (magnam partem hi habitant Aquitaniæ) spiritu sublimi sunt præditi, promti ad res gerendas, celeres, animo feruido, apti ad conficienda negotia sua. Elatiores quoque sunt quam par est, semper eminere cupientes, quo nomine in aliorum odia incurrunt. Cum autẽ inter alios viuunt, vbi se numero & virtute vinci animaduertunt, artificiose nouerunt ingenium suum occultare, nec verentur potioribus fieri supplices. Quod dum faciunt, non tamen possunt omnino dissimulare natiuum fastum atque arrogantiam. Nemo illorum iudicio inter illos pauper est: vbi vero ad exteros peruenerunt, quiuis pro principe vir se gerit. Plerique supra modum auari sunt, ardentq; desiderio habendi, quibuscunq; id fiat rationibus, & profecto norunt modos acquirendi per fas & nefas. Inuidia plus quam omnes Galli laborant, alios que præ se ita contemnunt, vt vix ad spectu dignentur. Sed si cuius indigeant opera, videas illos humiliter & seruiliter adblandiri, instar abiectissimorum. Nobilitas vero Vasconum animosa est, ciuilis, & animo hilari, vt cæteris Gallis nihil debeant. Solent hi se creberrime inuisere, vt domus nobilium non absque ratione possis appellare diuersoria, excipitque parer familias hospitem exquisito apparatu: quanquam etiam leui de causa in ius ambulent, quæ res inter ipsos vulgatissima bilioſæ eorum naturæ tribuenda est.

Bearnenses sunt ingenio lepido, sociabiles, ciuiles; nec minus vafri ac versipelles, diserti in sua lingua, pugnaces & libertatis amantes. Superbi quoque & fastuosi, qui omnes alios præ se spernunt ac fastidiunt, quæ alazonia illos apud alias gentes in odium adducit. Hac laude digni sunt, quod litterarum amore tenentur, & facile apprehendunt disciplinas, libenterque auscultant peregrinis. Nobiles eorum magnifice se gerunt, nec multum tribuunt comto & splendido amictui, pulcherrimam nobilitatis vestem virtutem existimantes, qua in re non sinistrum est eorum iudicium.

Hactenus quidem singulas Gallorum nationes carptim considerauimus; videamus deinceps quid de Francorum gente generatim dicere habeamus.

Est autem Francorum natio aperta & libera, quamuis frequentia bella & cum primis ciuilia multum detriuerint de pristino illo candore per orbem decantato. Illud tamen boni illis superest, vt non tam præcipites ruant ad turpia facinora, vt quædam aliæ gentes, cum plerique natura oderint malitiam perfidiamque. Apti sunt & circumspecti, concitatiori tamen ingenio, nec semper

satis considerant rem antequam eam aggrediãtur, quod tamen Itali faciunt & Hispani. Ad bella proni sunt ac faciles, amantq; illos qui profitentur armorum scientiam, quos & eo nomine colunt, magis quam litteratos, quos eo tantum suspiciunt, quod iis carere non possint. Nobiles inter ipsos præstant se formidabiles, quod plurimum possint in iis vbi habitant locis, seque digne gerant titulo nobilium. Nulla natio sub sole amore & obseruantia in reges cum Gallis certauerit, possitque vere dicere, affectum illum potius ex libertate & integritate proficisci, quam seruili timore. Apti sunt Franci ad quasuis res, nec facile quidquam moliuntur, quod non expediant, adeo sunt ingenij acuti & prompti. Paucos ibi inuenies mente erronea, sed plures leui ac vagabunda, à seuera grauitate aliena, quod potius ex libertate quadam & candore animi, quam defectu iudicij aut rationis oritur.

Apprehendit populus Gallicanus facile quæuis opificia, & artes tam liberales quam mechanicas: viri sunt audaces, animosi, qui omnes peruagantur regiones, vel negotiationis vel armorum belliq; gratia. Gens hæc natura cupidior est nouarum rerum, curiosa, secretorum parum tenax, pompæ & ostentationis amans. Inuenies, qui linguosiores sint iusto, pleriq; tamen potius culpabis in feriendo celeritatem quam in loquẽdo superfluitatem. In vniuersum ambitiosi omnes sunt, vt ante propositum edictum, quo monomachia cohibita est, etiam plebeij homines ab ijs similibus offensi, statim ad prouocationes & singularia certamina deuenerint, qua inter nobiles aut milites imitati sunt. Nunc postquam pax sancita est, multam dant operam litteris, videntes togatorum genus in precio esse & honore, & opes colligere, durante hac tranquillitate publica: vnde & viles ac infimi ordinis homines liberos suos ad scholas mittũt, scil. vt eruditi euadant columina familiæ suæ aut anterides aulæ. Hinc fit, vt tantus hac tempestate sit studiosorum numerus, vt alteri alteris panem præripiant, & is cui fortuna propitia est, oppresso emergat socio. Fit etiam, vt aliquando rudiores præferantur doctissimis, cum non multis litteris aut profunda doctrina opus sit in foro iustitiæ, sed id sufficiat, si quis iura ciuilia & rationem litigiorum fori, moremq; tabulis ac causidicis vsitatum probe calleat: plus enim hic praxi quam speculationi tribuitur. Reperies qui stoliditatis accusent patres, qui tam longo tempore filios suos in scholis distinent, cum plus proficiant vno anno apud actorem aliquem causarum, quam si decennium in euoluẽdis bonis libris terant. Nec tamen curiæ aut tribunalia destituuntur viris omni doctrinæ genere perpolitis, quod eorũ controuersiæ & scripta ostẽdunt.

14 Est Francorum nobilitas strenuitate, audacia, generositate animi ante pleraſque totius orbis, suntq; hæ dotes ipsi cõgenitæ, vt prodigij instar sit, videre aliquem nobili ortum genere, qui turpia aut inhonesta sectetur studia. Nam ob hanc causam ẽt extranei in Galliam veniunt, vt ciuilitatem & morum elegantiam cum virtute coniunctam ibi addiscant. Sectãtur autem præcipue venationes, artem militarem, equitandi peritiã, cæteraq; exercitia equestria, studentq; omnibus modis matronarum puellarumq; demereri fauorem, quib. & ipsis nihil ad perfectam gestuum elegantiam deesse videtur. Quanquam a mulieres per Galliam minime velatæ incedũt, sed spectatum veniunt veniunt spectentur vt ipsæ: hæc tamen comparẽdi in publico libertas tantũ abest vt earum honori deroget, vt potius faciat ad conseruandam pudicitiam, cum constet, iis quæ intra septa domus conclusæ ætatem agunt, vel ipsa carceris repagula desiderium rerum prohibitarum instillare, vt nitantur in vetitum cupiantq; negata. Tam a animosi sunt nobiles Franci, vt existimem aciem aut cuneum ex iis constãtem vinci difficilime posse, quin potius si iusto constet numero, terrori futuram omnibus aliis, & reportaturam victoriam non dubiam ab quouis hoste. Auctoritatis suæ vt sunt tenacissimi, ita ea plurimum pollent, vt si quis nobilis in oppidulo aliquo aut pago habitet, etiamsi dominus illius loci non sit, suo tamẽ exemplo cæteros flectere ac mouere possit. Qui ex equestri sunt inter Gallos ordine, crebro se inuicem inuisere solent: quod si quis ex inferiori censu se illis admiscere velit, continuo cæteri adsunt, eumq; ita excipiunt, vt eum cõfestim pœniteat extra ordinis sui limites egressum fuisse. Si duos nobiles inter oriatur controuersia grauior, antequam ad cõtestationẽ litis aut arma perueniat, vicini adsunt, & dissidentes inter se componunt. Litteris attribusq; impense fauent, non vt illas in lucrum sui conuertãt, vt plebeij homines faciunt: sed quod existimẽt, rerum scientiam & eruditionẽ præcipuum esse nobilitatis ornamentum. Occultãt a studiose ea quæ perceperunt, non facile in publicum ea proferentes, nisi inter amicos. Ante omnia a student eloquentiæ, omniaq; quæ possunt, faciunt, vt facundiæ cõsequantur laudem, vnde se largam gloriæ messem consecuturos arbitrãtur. Vnusquisq; a se felicissimum iudicat, si illustrium nobiliumue mulierũ meritis sibi cõciliare possit gratiam. Cæteros tamen in hoc genere longe antecellunt, qui in aulis regũ principumq; aliquandiu vixerunt, qui multo politiores sunt iis, qui pedem patria nunquam extulerunt: quanquã ne hi ipsi quidem ob naturæ suæ bonitatẽ illis in plerisq; generositatis ac virtutis indiciis adeo multum cedunt. Quod quidẽ meo arbitrio inde prouenit, quod in singulis prouinciis sodalitia nobiles alant, in quib. semper aliqui sunt qui in aulis principum viserunt, & cæteros instruere possunt, quo pacto se quã optime gerere debeant. Nostra tempestate melior nobilitatis pars, inter quos ij qui sunt ingenio liberaliore & generosiore, aulam regiã tectantur, vt anno vno aut altero ibi viuant, quamuis etiam sint qui officiosius colendi regis gratia ab eo nunquam discedant, vnde fit, vt regia plurimis hominibus semper sit frequentissima. Exercitia nobilium aulicorum vitanda libro

hæc fere sunt, exultare in equis, choreas agitare, tractare arma, discurrere in equis pro brabeio, concurrere infensis hastis, rumpere lanceas, emetiri Hippodromum, & quæ sunt huius generis. His adiunge aleam & omne ludicrorum genus, quibus animum oblectant. Vna tamen res est, in qua plurimum perdunt temporis, vt vacent officiis Cupidineis & occupentur in seruitiis dominarum ac amicarum suarum. Rectius me iudice id tempus collocant, quod in sequela ac comitatu regis insumunt, cum eo proficiscentes quocunq; eat, siue ad venationem siue ad alia loca, vt Francorum rex semper cum magno comitatu prodeat, etiamsi ex improuiso capessat iter.

Solent autem Franci reges maiore in suos vti familiaritate, seque frequentius conspiciendos præbere quam alii per orbem Christianum reges. Id enim fere ingenium Francorum est, vt viuere valereq; se non posse opinentur, si à cõspectu regis arceãtur, adeò, vt si quem rex benignis oculis intueatur, is hanc felicitatem magnis opibus non sit permutaturus. Quod si vnquã Gallia clementes & affabiles habuit reges, potest illa nostro æuo gloriari, adeptam se eum regem, qui comitate incredibili cuiuis cõpellare se volenti aures præbeat, à qua consuetudine cæteri orbis Monarchæ longissime absunt: nec tamen ideo prostituit auctoritatem suã, sed vt his gratiæ suæ radiis timentes afflictosq; erigit: ita alios splendore Maiestatis suæ ad conuenientem metum & reuerentiam adducit. Vnde non exigua spes est vniuerso regno, obfuscaturum eum gloriam famamq; omnium sui seculi regum, & iis omnium Principe dignarum virtutum luculentum præbiturum exemplum.

DIVITIAE ET OPES REGNI Francorum.

NOn est, cur expectes à nobis Lector, vt diuitias regni Gallici minutim & curiose persequamur aut rimemur, cum vix vllus sit regni angulus ab iis vacuus. Omissis igitur priuatorũ facultatibus, eas tantum scrutabimur regiones quæ magis affluunt, & vnde potissimum abundant Galli auro & argento. Auspicabimur autẽ ab Lutetia Parisiorum, quæ cum tantæ vastitatis sit, ad instar spongiæ attrahit ad se potissimam argenti partem quod in Galliam infertur: vt si quis velit numerare illustres ac potentes viros, qui densi frequentesq; ibi habitant, Senatores summæ Curiæ diuitiis abundantes, Aduocatos & Procuratores, quorum domus quotidie ab aliquot hominum Chiliadibus implentur, Præfectos rationum & Fisci, quorum opes ad principum virorum facultates adscendunt: nec non Præsides, Consiliarios, Thesaurarios, Exactores tributorum ac vectigaliũ, Mercatores ac ciues cæteros Parisienses, modum inuenturus non sit. Nec n. ex Gallia solum pecuniæ in hanc vrbem comportantur, verum etiam ẽ Germania, Italia, Hispania, Anglia, adeoque ex vniuersa Europa. Argenteæ præterea supellectilis hic tantum inuenitur, quantum vix in cæteris Galliæ oppidis omnib. simul sumtis: magna insuper vis auri argentiq; signati, & tantum preciosarum merciũ, vt sola Lutetia numerosum exercitum alere posse videatur. Neq; vero fieri potest, quin agrestes, & quotquot agrum Parisinum habitant, & ipsi opulenti fiant, cum ex quauis re in vrbem comportata lucrũ pecuniasq; conficere possint. Panni coccinei qui Lutetiæ conficiuntur, non per Europam solum sed & per Asiam diuenduntur, vt quandoq; in ipsum Sinarum regnum & ad Seres populos perferantur, vnde facile est coniicere, quantum ad Parisienses ex hac materia redeat diuitiarum, cum color ille apud omnes sit in admiratione. Et hoc est præcipuum mercimoniorum genus, quod ex vrbe Parisiorum ad exteros effertur. Deinceps satis scio, me finem non inuenturum, si vellem percensere immensas illas diuitias, quæ in solo S. Dionysii Monasterio asseruantur, quarum nec precium nec numerum dicendo attingere quisquam possit.

Carnutes plurimum lucrantur ex diuendito tritico & siligine, omniq; fruméti genere, quod ad exteros perfertur: idem faciunt Belsienses & Solonienses. Vinum Aurelienſe ad se allicit non tantum negociatores Galliæ, sed & Britanniæ, aliarumq; nationum, pro quo non tantum pecuniæ sed & aliæ bonę merces Aureliam inuehuntur, Ligeri fluuio magnam iis commoditatẽ præstante, cuius beneficio mercimonia efferri inferrique in regnum possunt. Multum insuper argenti accipiunt Aurelienses ab Germanis Belgisque qui crebri ibi versantur, non studiorum tantum sed & addiscendæ linguæ Gallicæ gratia, quod huius vrbis idiomata cæteris per Galliam credatur comtius elegantiusq;.

Apud Bellouacenses oppidulum est nomine Bulda, cuius ager magnam copiam gignit subtilissimi lini: huius præstãtia allecti Flandri & Hannones crebro eo veniunt, emtum illud linum, vt inde confectam telam præstantissimam in longe dissitas diuendant regiones. Est præterea terra illa aptissima ad conficienda vasa fictilia miræ pulchritudinis, quæ vix quidquam cedunt Venetis, vnde magno numero extra Galliã exportantur. Maxima tamen negotiatio consistit in materia vestiaria ex optima lana confecta, quæ non solum per Galliam diuenditur, sed & per Germaniam, Italiam, Hispaniamq;, quinimo in ipsam vsq; Turciam perfertur atq; Græciam.

Niuernenses ferri bonitas ditat, quod ad exteros exportatur, vt & vitrea supellex miri nitoris & perspicuitatis, quę in illo oppido cõficitur.

Andegauenses præter vina quæ Angliæ subministrãt, ex tela puriſſima magnam vim argenti colligunt, quod & vicini Pictones faciunt, qui mercatoribus Hispanis potissimum linteamina sua diuendunt, harum rerum appetentissimis.

Vix inuenies vllam per Galliam ciuitatem, vbi frequentiores versentur mercatores quam Rotomagi, aut quæ exercitatiores in tractandis mercimoniis habeat ciues, qui ingentibus confectis

fectis itineribus versus occidentem proficiscuntur, aut superato Æquatore ad Indos orientales vsq; nauigant: vnde necesse est eam affluere atque prægnantem esse peregrinis viris mercibusque, atq; inter Galliæ vrbes opulentissimas numerari debere. Nec hoc mirum est, cum vniuersa Normannorum Prouincia scateat mercatoribus, qui varia cum exteris agitant cõmercia. Eà vero quæ regio hæc intra sese nata aliis submittit, sunt panni lanei lineique; nec non siceri liquoresque similes vini æmulantes saporem.

Britanniam minorem siue Gallicam claram diuitemq; reddunt primo membranæ siue chartæ Pergamenæ, quæ longe lateque diuenduntur: deinde metalla quæ terra effodiuntur, ferrum, plumbum cum aliqua argenti massula: tertio portuũ multitudo & littorum commoditas ad appellendum apta. Eadem res Rupellanis magno vsui est ad colligendas diuitias, cum vicino mari Angli Belgæque mercatores eos adire soleant.

Santonibus lucrosa est negociatio frumentaria, Hispanis singulis annis magnam frumenti vim apud eos coementibus. Inculismenses præter tritici felicem prouentum abundant Cannabe, quam exteris magna copia diuendunt.

Petrocorios præter porcorum saginam, qui frequentes vsque in Hispaniam aduehuntur, ferram ferrifodinæ lucro augent, cuius metalli frequentissime apud illos officinæ, quamuis & aliquot locis argentum terræ visceribus eruatur.

Apud Lemouices magna vis telæ lineæ texitur, quæ extra Galliam exportata lucrosa est incolis. Ciuitas Limogæa, regionis caput, quamuis à mari distet longius, frequens tamen est mercimoniis. Abundat enim opificibus ingeniosissimis, qui omnis generis instrumenta atq; vtensilia fabricant elaboratissima, vt & opera Encaustica miræ pulchritudinis, quæ omnia ad exteros perlata ac diuendita ciuium opes non modice augent. Tullenses dicescunt ex oleo è iuglandium nucleis expresso, quarum copiosus apud eos prouentus.

Aruernorum commendantur emunturque casei, quos magno conficiunt numero: nec non panni multiplices, heteromalli, multitia, peristromata variegata, vnde multum ad eos redit pecuniæ. Gignit insuper crocum, suppeditatq; mulos, quos magno suo quæstu in Italiam Hispaniamq; mittit.

Burgundi è vino frumentoq; rem faciunt: illo in Germaniam, hoc in Italiam & Hispan. vendito. Inter Emporia non Galliæ solum sed Europæ Lugdunũ caput alte attollit, quod vniuersa Italia, vt & ea Hispaniæ pars quæ meridionalior est, & in mediterraneum mare porrigitur, huc confluat. Cui rei multum seruit edictum regiũ, quo iubẽtur omnes negociatores serici, & eiusmodi tractantes mercimonia cum mercib. suis per vrbẽ trãsire, vt lustrari & vectigalia exigi possint. Quanquã nostra tempestate lucrũ non accedat ad superius æuum, quod maior sit negotiatio in maritimis locis ob nauigiorũ capacissimorum commoditatem, in primis ad Oceanũ. Sunt Lugduni non pauci danistæ & mensarii, quibus pecuniaria commercia intercedunt nõ solum cum Europæis, sed & Afris Asiaticisq;.

Secusiani siue Forestenses ferrum suum eiusque nucleum prope per vniuersum orbem distrahũt, præsertim id quod à S. Stephani fano nomen habet, cuius oppidi potissima pars è fabris ferrariis constat, qui ob operum suorum bonitatem & elegantiam loco nomen conciliauere. Mercatorum insuper hic non est exiguus numerus. Delphinates magnas opes nanciscuntur ex fumento, quod in Hispaniam Italiamq; diuendunt. Qui montana regionis incolunt, rem faciunt è re pecuaria, equis, mulis aliisq; animalibus, quæ Allobrogibus, Taurinis, Iniubribusq; submittunt. Quin & argentum conficiunt è rupicaprarum ibicumq; venatione.

Qui Languedociam siue Narbonensem incolunt, ex Isati siue Glasto herba in pastillos subacta opes colligunt, cuius herbæ magna copia prouenit in Comitatu Lauraguensi, inq; campestribus Monspelliensium. Est autem huius herbæ tam quæstuosa negotiatio, vt vel sola prouinciã hanc diuitem facere posse videatur: cum ab omnibus Europæ partibus huc confluant emtores, ad tingendos pannos. Albigensibus crocus ibi proueniens quæstum gignit maximum tamẽ Languedociæ pars opes suas oleo ex oliuis expresso debet. Circa Florensacum, Pomerolam & Lauraguensem Toparchiam quod prouenit frumẽtum, in Hispaniam diuenditur. Mompelienses ex vnguentis, materia medica, confectionibusque pharmacorũ, velut Seplasiarii Capuæ rem faciũt, quo nomine celebriores sunt aliis. Montignacenses vero è diuendita lana. Frontiniacenses eorumq; vicini è vino, quod à Musci odore Muscatellum vocant, eq; vuis passis conditisque quarum vsus est per totum orbem Christianum. Viuarienses fibus asseres & trabes ac tigna abiegna lucro sunt, quam materiam ligneam extra regnum efferunt diuenduntque. Laudantur emunturq; Velæorum operalanea, qualia sunt pilei, tibialia, stragula villosa, chlamydes & his similia. Habent & salis copiam, quem Heluetiis cæterisq; extra Galliam vendunt, vnde magnam argenti vim colligunt.

Prouincia strictim sic dicta aliis suppeditat frumentum, cuius Camarca Insula est feracissima, vt & tota illius regionis plana campestrisque pars: in qua præter Cereris munera Pomonæ mira indulgentia, crescentibus passim malis citreis, aureis, medicis, granatis, ficubusq;: supperente insuper vuis passis maioribus minoribusq;, oleo & subere, è quibus rebus omnib. lucrum emulgetur. Pecuniosiores autem sunt Prouinciales, ob frequentia, quæ in omnibus locis maritimis agitantur, commercia, obq; commoditatem portuum, quib. tuto creduntur naui gia.

Foxenses ferrum in argentũ conuertere noscuntur, accedẽte insuper pecoris multitudine, quo

totus

totus ille ad Pyreneos montes tractus abundat. Nec parum augetur incolarum res familiaris, confectis pecuniis ex resina, pice therebinthina, odoramentis atque subere. Aremicensibus mel is & ceræ negotiatio quæstuosa est.

Aquitanię populi variis modis pecunias quę runt. Albretenses è subere, pice & resina. Vascones in que primis Burdegalenses è vino generoso, quod in Germaniam inferiorem inq; Angliã auehitur. Baionenses è sicera confectisque arte potionibus. Et vt verbo dicam, Aquitanos diuites esse necesse est ob plurimas negociationes, conuenientibus eo mercatoribus Gallis, Hispanis, Germanis, Anglis atq; Belgis.

Hactenus membratim & per partes scrutati sumus singularum prouinciarum opes, quantum quæuis diuitiarum ab exteris nationibus percipiat, & quibus vnaquæque vtatur mediis ad acquirendum argentum, siue id à vicinis exigat siue à longinquis gentibus: & quãquam scriptorum more receptum sit, vt exorsi à generalioribus ad particularia descendant: mihi tamẽ contraria via ingredi placuit: vt postquam intelleximus, quibus rebus Gallia abundet, quasque exteris subministrare possit: deinceps facilius discamus, posse Gallos omnium vicinorum ope & suppeditatione carere, peregrinos autem necesse habere, vt ab iis necessaria vitæ petant: cuius rei causas si probe obseruauerimus, aperiet se nobis felicitas terræ Galliæ in vniuersum: quã vt persequar, iam in procinctu sum, vt ostendam non solum regni huius opulentiam, sed etiam quantæ opes quotannis in ærarium regium inferantur.

Igitur omne Galliæ solum, qualecunque illud sit, ad rem aliquam progignendam vtile est. Vbi enim vinum non crescit, ibi frumenta procreantur: vbi ne frumenta quidem, ibi sunt syluæ castanearum arborum, aut quercuum, aut prata pascuaque. Confer mihi iam cum hac Italiam ipsam, cuius si ratio ineatur, Apẽninus mõs quartam occupabit partem: asper & horridus sterilisque ac inops. In Hispania occurrent tibi ingentia æquora sicca & deserta, nulli penitus rei apta. Contra in Aruernorum montibus humus colono minime ingrata est, qui montes frequenter habitantur, abundantes fructibus, gregibus armentisque, vnde affluentia lactis, butyri, caseorum & carnium. Idem dici potest de Montanis Viuariensium, Velæorum, Delphinatum, Secusianorum, Prouincialium. Quidquid est præter hos montes terræ, iucunda planitie in spacioſos campos diffunditur, frumento ac leguminibus gignendis aptissimos. Sic vbi tumus in colles intumescit, aut vineis obtegitur, aut gratissimo pecori pabulo conuestitur. Posses dicere, certare hic de gloria vtilitatem cum amœnitate, vtra alteram vincere possit. Accedit hoc quoque commodum Galliæ, quod omnes eius prouinciæ contrahere, ac commercia inter se agitare, suasque altera alteri communicare bona possit, beneficio plurimorũ fluuiorum, quibus vniuersa perfunditur Gallia, vt in sola Andium prouincia quadraginta amnes maiores minoresq; numerẽtur. Hac re permotam reginam Catharinam Mediceam, quæ patrum æuo vixit, dixisse perhibent: arbitrari se, Galliam pluribus perlui fluminibus, quam reliquam Europæ partem: quo quidem dicto non multum à veritate abiuit.

Eadem terræ bonitas, & fluminum multitudo ac commoditas in causa est, quod in Gallia tam immanis sit numerus pulcherrimorum oppidorum, quorum optima quæque ad fluuiorum ripas ædificata sunt. Quanquã a Gallia bonis tutisque portubus nequaquam destituatur, maximæ tamen ac frequentissimæ ciuitates non sunt maritimæ, vnde apparet, bona eius non ab aliis, sed ex ipsa ad alios profluere. Quod enim alibi ciuitates maritimæ maiores cultioresque sunt, quam quæ in meditullio regionis aut interioribus partib. spectantur, inde prouenit, quod maiores opes à mari accipiant quam à terra, vt ostendunt nobis celeberrimæ vrbes, Genua, Venetiæ, Ragusa, Amsterodamum, aliæque innumeræ. Quarum ciuitatum autem bona non alieno sed proprio solo accepta ferenda sunt, inter has mediterraneæ sunt maiores atque opulentiores, quod patet in Mediolano aliisque Insubriæ oppidis, vt & in multis per Germaniam. Cumque generatim loquendo omnes Galliæ regiones sint diuites, & fluuiorum commoditas communis, vt pleraque oppida (excepta Lutetia Parisiorum, cuius vrbis magnitudo Aulæ atque domicilio regis, Parlamento siue summæ Curiæ, postremo studio vniuersali clarissimo debetur) mediocris sint capacitatis, aut si quæ minora, elegantia tamen ac frequenter habitata sint. Auctor est Ioh. Bodinus, regnante Henrico II. rege initum fuisse numerũ omnium per Galliam humanarum habitationum, in quibus turris cum campanis extiterit, & deprehensa fuisse loca vicies septies mille. Quemadmodum autẽ vrbes & oppida per Galliam fluuiorum vicinia gaudent: ita quoque arces ac castella nobilium ad lacum aliquem aut stagnum apposita animaduertuntur. Etsi autem Lacus per Galliam magnitudine & spacio cum Italicis Helueticisq; conferendi non sint; quotquot tamen adsunt, optimis piscibus pleni sunt defectumq; amplitudinis farciunt multitudine.

Idem de Syluis quoq; dicere possumus, quod nõ tam vastæ sint, vt in Germania, sed eo frequẽtiores quo minores. Hinc factum est, vt superioribus temporibus reges plurimum emolumenti è tam crebris syluis perceperint, & nobiles idem faciant nostro æuo, cæsis venditisque lignis non ad furnum solum & culinam, verum etiam ad ædificandum. Cum autem plures sint res, quæ peregrinum argentum in Galliam attrahant, frumento tamen Gallicano primæ debentur partes, quod non Hispanis tantum Lusitanisque, sed & quandoque Italis venditur. Secundæ tribuuntur sali, quem vicinæ nationes à Gallis petunt, inprimis apud Bertum oppidum Prouinciæ, & in Languedocia, vbi videtur virtus solis,

Obseruatio memorabilis.

solis, quam is exercit in transformanda in salem aqua marina, elanguescere, neque vlterius versus Septentrionem tendere. Reperiuntur & alia salis genera, velut in Lotharingia, vbi ex aqua fontana excoquitur, aut fossitius, qui è partibus subterraneis in graues micas concretus eruitur, velut in Polonia atque Suecia. Quanquam etiam in Germania & Anglia aquarum salsarum sint scaturigines, è quibus multum salis excoquitur, sunt tamen qui illum salem ad Gallicani bonitatem accedere negent. Tertias tribuemus lino & cannabi, vnde incredibilis telarum copia contexitur diuenditurque; cuius rei testes producemus Castellanorum Lusitanorumque naues, quæ ideo ab Hispali & Vlyssippone in Galliam appellunt, vt inde vela, rudentes atque funes coëmant domumque referant. Quarto loco vinum cõstituimus, cuius incredibilem vim quotannis Angli & Belgæ regno euehunt, tantumque argenti vicissim inferunt, vt impossibile sit huius rei inire aut subducere calculum: cum notum sit, quantum vini Gallicani quotidie in exteras regiones exportetur.

His subiunge, si placet Glastum, Crocum, aliasq; res minoris momenti, quæ si coniunctim æstimentur, tantam pecuniæ summam conficient, vt vel ex his minutiis regno diuitiæ acquiri posse videantur: cum certum sit, vicinas gentes his talibus carere non posse. Etsi autem aliquoties, sic exigente vsu, à regibus prohibeatur, ne quid exportetur regno, postremo tamen rigor edicti mitigatur, cum constet, ingenti hoc cum incolarum lucro & vsura coniunctum esse. Quin imo eo ipso tempore, quo bellum inter Galliæ Hispaniæq; reges gliscebat maxime, cõmercia tamen cũ Hispanis intermissa non sunt, tam propter necessitatem quę hos vrgebat, quã ob cupiditatem lucri Gallis peculiarem: vt admiratione dignum non sit, quod superioribus bellis tam in ipsa Gallia quam Italia militibus auro argentoque Hispanico stipendia persoluta fuerint.

16 De redditibus regum Francorum sic accepimus, præter ius dominii, (vt appellatur quod superiore tempore magna ex parte oppigneratum fuit, & dissoluto debito paulatim redimitur ab Hypothecariis, vt spes sit propediem omnia futura libera) præter id inquam, tantum ab omnibus regni prouinciis colligi argenti, vt vel solum id ingentem cõficere posset pecuniarum vim. Superioribus seculis, cum in magna raritate esset argentum, reges Galli multo minus acceperunt, quam hac tempestate, vt facile est vel cogitatu. Nam Ludouicus XII. sesquimillionem percipiebat in singulos annos. Franciscus I. duplicauit hunc auri modum, & ad tres milliones perduxit. Henrico II. sex persoluti fuere, Carolo IX. circiter septem: at Henricus III. decem milliones supergressus est. Ludouicus XII. moriens reliquit regnum plenum auro & argento, cum moderatissime vsus fuisset exactionibus, ob eam benignitatem Pater Populi appellatus. Franciscus I. quanquam magna bella gessisset, plurimumque in ea prodegisset auri, reliquit tamen in Gaza adocties centena coronatorum millia. At vero Henricus II. loco thesauri reliquit filiis suis æris alieni incredibilem vim, vnde Carolus IX. & Henricus III. filii ac successores eius, non solum populum sed & ordinem Ecclesiasticum grauibus exactionibus premere coacti sunt. Vnde planum fit, reges diuites existimari non debere, qui multos redditus percipiant, sed eos qui prudenter & moderate accepta dispensent, quod exempla docent Francisci I. & Henrici II. quorum ille, cum non multum exigeret ab incolis auri, difficillima tamen bella gessit, relicto liberis suis thesauro nõ modico: at hic, qui duplum percepit auri modum, gesto bello exiguo, liberis quidem æs alienum, regno miserium reliquit. Quod ad nostrũ tempus attinet, frustra futuri sumus, si conabimur certum eius pecuniæ inire numerum, quã Rex ex vectigalibus, decimis, pecuniis in Fiscum illatis, multa, clericorum statutis rebusq; similibus ac fortuitis percipit, cum vectigalia, collationes indictioneſque non semper eædem sint, sed pro diuersis casibus varient, & quanquam vectigalia certa & stipendiaria non mutentur: incerti tamen redditus certis legibus aut numero concipi nequeunt. Taceo non solum hanc rem in secreto haberi, sed nesciri quidem posse, vt hæc ratio computandi incerta pariter & inuidiosa sit futura. Vt tamen curiosis aliqua ratione sati faceremus, sequentem elenchum certos fixosque redditus annuos comprehẽdentem subiicere voluimus, vt perceptis his de fortuitis quoq; coniectura fieri possit.

CATALOGVS REDDITVVM ANNVORUM, vectigalium stipendiariorum & Collationum, vt se habuerunt anno à Christo nato MDCIX. cum eorum augmento & stipendiis officiariorum, per singulas Generalitates (vt loquuntur) regni Gallicani consignatus.

GENERALITAS PARISIENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus, libras 769000.

Pro stipendiis officiariorum, lib. 147000

SVESSIONVM.

Pro vectigalib. & collationibus, lib. 362465. lib. sol. 18.

Pro stipendiis officiariorum, lib. 3624. sol. 18. den. 10.

CATALAVNENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus, lib. 473000

Pro stipendiis officiariorum, lib. 72000.

AMBIANENSIS.

Pro vectigalibus & collationibus, lib. 263000.

Pro stipendiis officiariorum, lib. 26000.

ROTO-

ROTOMAGENSIS.

Pro vectigalibus & Collationibus. millionem vnum,& lib.72000
Pro stipendiis Officiariorum lib.11000

CAENENSIS.

Pro vectigalibus & Collationibus lib. 38280.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.9720.

AVRELIENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 337500.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.70500

TVRONENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 919000.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.102000

BITVRICENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 360740.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.4960

MOLINENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 423993.sol.10.
Pro stipendiis Officiariorum. lib. 66406. sol.10.

PICTAVIENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 670000.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.75000.

RIONENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 656000.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.9000.

LVGDVNENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 365000.sol.10.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.45000.

BVRDIGALENSIS.

Pro Vectigalibus & Collationibus. lib. 823036.sol.7.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.40663. sol.13.

LANGVEDOCIA, TOLOSA, MONSPELIVM.

In his locis omnino colliguntur. lib. 751517.sol.3.

DELPHINATVS SOLVIT.

Pro tributo,collationibusque lib.201160.
Ad casus & necessitates regionis lib.30000.
Pro vectigalibus ordinariis. lib.27513.
Summa lib.77673.

PROVINCIA.

Soluit in vniuersum. lib.86463.

BVRGVNDIA.

Pro iure regi debito soluit. lib.168250.
Pro stipendiis Officiariorum. lib.9445.

BRITANNIA.

Pro exactionibus & impositis oneribus. lib. 80460.

LIMOGÆA.

Pro tributo, collationibus & incrementis iunctim. lib.670000.
Pro Salariis Officiariorum soluit libras 75000.

ROBVR MILITARE REGNI FRANCORVM.

CVm Galliæ regnum ferme in medio orbe Christiano situm sit,consequens est,id multum posse ad coniungendas ac diuidendas potentissimorum Europæ Principum vires, cum habeat à fronte Italiam,à tergo Angliam,ab manu sinistra Germaniam,à dextra Hispaniam: præterea hinc Heluetios, illinc Belgarum populos. Sita est insuper Gallia inter vtrumq; mare, Mediterraneum & Oceanum. Hac situs ratione facile potest vel adiuuare vel impedire vicinorum principum conatus atque expeditiones. Ipsa ab omnibus partibus partim natura partim opere manuque munita est, Alpibus velut sæpimento diuisa ab Italia; Pyrenæis montibus ab Hispania; interiecto mari à Britannia; fluuiorum diuortiis à superiore & inferiore Germania. His finibus prospectum insuper est oppidis arcibusq; munitissimis,suppetente copia armorum omnis generis,tormentis machinisq; æneis, cæterisque instrumentis militaribus,vt & bonis militibus, ductoribus ordinum copiarumque præfectis. Neq; vero ex historiarum monumentis colligi potest,à primis regni huius cunabulis ad nostra vsq; tempora,Francos domi victos fuisse ab vlla extera natione, præterquam ab Anglis, qui longo & difficili bello magnam Galliæ partem occupauerũt. Præterquam autem quod hæc victoria contigit Anglis ex discordia Principum Galliæ, quorum nonnulli illos iuuerunt, non diu durauit eorum dominium, cum paulò post non tantum ex illis partibus profligati fuerint, quas armis acquisiuerant, sed & possessionem Normandiæ Aquitaniæq; amiserint, quamuis illæ prouinciæ antiquum fuerint regum Anglicorum Patrimonium. Maiores autem hoc æuo Francorum regum vires vna res præcipue facit quam superioribus seculis, quod vicini reges potuerunt velut occasione inuadendi regni vti Gallorum Principum auxiliis,cum tunc vnus quidem esset Dux Britanniæ, alius Aquitaniæ, hic Normannorum ille Burgundionum Borboniorumque Princeps, qui irati regibus exterum hostem in regni viscera admiserunt, vt bello cum Anglis gesto factum est, quos Britanniæ minoris Dux aduenientes excepit, aut quando ad portus & littora Normandiæ securi appulerunt. At hac tempestate, cum Britannorum, Aquitaniæ, Normandiæ Burgundiæq; Principatus Regis dominio subiecti sint, tale quid non est metuendum, nisi forte à Burgundiæ Comitatu aliquid immineat periculi. Sed & hoc multum facit ad robur Galliæ, quod principatus aut dominia, quæ illustribus familiis sunt hæreditaria, non ita minutim concerpantur & in plures diuidantur, vt fit in Germania & aliquot locis 18

per Italiam; sed maxima pars iure primogenituræ maximo natu cedat, reseruata cæteris hæredibus exigua particula, qui cum vident vnicam eminendi rationem in virtute sibi relictam, ad arma & militiam animum applicant. Idem quoque faciunt inferioris ordinis nobiles, qui cum vident patere sibi quoque ianuam ad honores perueniendi, omnibus modis annituntur, vt digni præmio aut officio aliquo habeantur. Hinc fit, vt Gallia semper viris fortibus strenuisque militibus abundauerit.

Duum autem generum cum sit militia, quæ terra & quæ mari geritur: de hac Galli non multum dicere habent, cum ob paucitatem nauium & defectum nautarum remigumque nunquam tam valida classis expediri potuerit, qua vlli finitimorum principum mari bellum inferretur: vnde coactus fuit Franciscus Gallorum rex Turcarum nauibus auxiliisque vti. Quæ cum ita habeant, negari tamen non potest, nunquam Francis opus fuisse externis auxiliis ad defensionem regni patrii, cum in Oceano cogi potuerint ad ducentæ naues, & in mari Mediterraneo circiter quadraginta triremes, quarum tamen nauium numerus nostra ætate multum imminutus est. Fuit aliquando etiam triremium harum vsus in Oceano, sed ad transportandos homines è Gallia in Scotiam, non ad offensionem vllius principis. Neruus autem atque robur militiæ Francicæ consistit in militia terrestri, & magis quidem in equitatu quam peditatu, quod è Germania & Heluetia pedites conscribi celeriter possint etiam maximo numero, & non videatur consultum armare manus vilis plebeculæ, & quisquiliarum regni. Hæc res tantum auctoritatis conciliauit equitatui, qui patrum memoria fere solus ex nobilitate constitit: hoc autem tempore mixtura quædam est ex variis hominum generibus: quidam enim pro stipendiis merent, alii respectu alicuius beneficii, quo regi obligati sunt, suis sumtibus militant. Equitatus ille qui ex obligatione in bellum proficiscitur, Gallica appellatione vocatur *L'arrire ban*, constatque è nobilibus viris, qui iure Feudi siue beneficii tenentur ipsi in militiam proficisci, & equo merere, quod præcipue rex obseruauit in vltimo bello Sabaudico. Cum autem magnus per Galliam sit nobilium numerus, consequens est, magnum quoq; horum equitum cogi posse cuneum. Constant autem turmæ equitum aliæ quidem centenis, aliæ vero quinquagenis equitibus. Maiores illæ sequuntur ductum alicuius Principis, aut Comitis Regii stabuli, aut Mareschalli Franciæ.

19 Hoc tempore cum alta in pace degamus, exiguus alitur equitum numerus: suntque hi.

Turma equitum cataphractorum cum alia leuis armaturæ.

Turma equitum armatorum Reginæ.

Turma equitum Ducis Andegauensis.

Centuria Principis Condæi.

Centuria equitum Principis Vindocinensis.

Centuria equitum Marchionis Verneuillii.

Centuria equitum Comitis Regii Stabuli.

Centuria equitum Magni Equitum Magistri.

Et has quidem, nec plures equitum turmas in armis expeditas alit Rex.

At si bellum aliquod oriatur, tantus repente confluit equitatus, vt vel sine peditibus hostilem percellere possit ac rumpere aciem. Omnis enim per Galliam nobilitas nostro æuo maiore quam olim studio in peritia equitandi, & ex equo pugnandi se exercet. Sed & inter plebeios ac ciues multi sunt, qui in superioribus bellis stipendia fecerunt, nata bello iuuentus, abundansque opibus, quorum præcipua oblectatio est, equos martios domi alere, vt è vestigio eos conscendant, cum primum rauco sonuerunt cornua cantu.

Iam deinceps de peditatu dicendum erit. Quanquam autem Vascones optimos suppeditare pedites semper crediti fuerint, qui Hispaniæ fines attingunt, quod melius tolerare possint labores & incommoda belli, multumque cum Hispanis commune habeant, quodque ex iis facile ad octo aut nouem millia militum cogi possint: quanquam etiam ii qui montana Viuarensium & Delphinatus incolunt, Vasconum pedibus nulla ex parte cedant, vt illi iudicant, qui huius rei certam habent notitiam, cum & plus peditum in militiam mittere possint quam Vascones: multa tamen millia, peditumque legiones ex aliis quoque regni prouinciis cogi posse nemo dubitat, quorum bona pars ipso vsu bellandi peritiam acquisiuit: accedente natiua Francorum animositate, qui facile nomina dant militiæ, promti paratique ad capessenda arma & subeunda pericula.

Non sunt autem peditatu Gallicano vsi prisci Francorum reges, quod seditiones populares hac re excitatum iri metuerent. Et licet Carolus octauus cognito peditum defectu instituerit, vt quinque millia peditum Gallorum stipendiis alerentur: quanquam etiam Franciscus I. eos ad quinquaginta millium numerum extendere voluerit: vtriusque tamen consilium effectu caruit, cum ordines regni minime consultum iudicarent; eo quod populus inermis freno magistrali facilius coherceri possit, accedente metu, ne propter exercitia militaria vulgus agriculturam negligeret, magno vniuscuiusq; detrimento: neq; in bello adsuescerent latrociniis furtisque ac direptionibus agrestium, vnde non leues tumultus in regno sint exorituri. Hoc tamen procerum Galliæ Senatusconsultum omnem effectum amittit, rege aliter censente.

Ludouicus II. rex, vt populum ad arbitrium haberet obnoxium, primus ademit vulgo arma, contemtisque Gallis Heluetiorum conscripsit phalanges: suntq; eum imitati, quotquot secuti sunt reges. Nobis autem videtur is in magno errore versari, qui putat ciues regni timidos ac dissolutos fore, si miles peregrinus conscribatur. Acquiritur enim audacia cũ experientia armorum, addiscitur q; ipsis quæ bellum secum vehe-

reso-

re solet, detrimentis damnisque; acciditque, vt experientia illa in regno communis fiat populo cum militibus, his quidem, quod ex professo sectentur militiam, illis ob necessitatē defendendi sc. Sicut autem conuersatio cum bonis homines bonos facit: ita frequens cum militibus consuetudo milites efficit. Accedit quod peregrini locorum plerumq; sunt imperiti, multaq; subinde se efferunt maximi momenti, quæ quam bene alienigenis & extra regnum natis committi possint, non video. Consultum igitur multi existimant, vt populus illius prouinciæ, in qua bellum gerendum est, instruatur in exercitiis militaribus; partim ex necessitate, vt Principi indigenti militibus præsto esse possint: partim quod nonnunquam ex improuiso inuadatur regnum, nec conscribendis exteris tempus suppetat. Hoc tempore non multi pedites stipendiis aluntur, quorum tamen si in vniuersum ineatur ratio, comperiemus, ad iusti exercitus modum accedere. Nos Lectoris oculis copiarum pedestrium elenchum subiiciemus.

Primo loco sunt quatuor signa stipatorum corporis, quorum ductores sunt, Vitriæus, Comes Termensis & Pralinius.

Legio Prætoria constans signis XX. cuius dux Crecquius.

Legio Pedemontana & ipsa constans signis XX.

Legio Picardica, composita è signis XX. sub ductu Ramburrii.

Legio Nauarrena signa peditum habens XX.

Legio Campana & ipsa constans signis XX.

Legio Heluetiorum, quorum dux est Bassompetrius.

Centum Heluetii custodes corporis regii, quorum Præfectus Dux Bullionæus.

Quod si quæ belli necessitas ingruat, vt rex numerosioribus indigeat copiis, ad primum hostium rumorem adsunt vltra quatuor millia militum, qui in omnes repentinos casus, extra regnum regiis aluntur stipendiis.

Quod ad voluntarios milites per Galliam attinet, quorum aliquis in armis vsus est, etsi eorum certus numerus iniri non potest, satis tamen constat, plurimos breui tempore conscribi posse, quod ad oculi nictum, vt aiunt, maxima hominum vis confluere soleat, quibus nec animus nec manus deest ad pugnandum, vt in proximis hisce bellis patuit; cum ambitiosa Francorum natio expeditiorem ad honores adscendendi viam non habeat, nisi per militiam.

Postremo tanta est in Galliæ regno alimoniæ abundantia, vt quantumuis magno exercitui nutriendo sufficere possit, accedente fluuiorum multitudine, quorum beneficio commeatus de loco in locum supportari potest. Hinc factum est, vt Carolo V. Imperatore Gallam primo per Prouinciam deinde per Campaniam cum exercitu inuadente, illæ regni partes aluerint, præter præsidia passim in oppidis collocata, vltra centum quinquaginta millia militum: & nostra memoria, regnante Carolo IX. XX. millia equitum, XXX. millia peditum extraneorum, è Gallis autem equitum millia XV. peditum C. neque hæ tantæ copiæ vllam in regno annonæ charitatem excitauerunt. Antiquis temporibus solebant reges Francorum perpetim alere MMM D. equites hastatos, & MMMM D. sagittarios pedites, fuitque tempus, cum quatuor millibus equitum, sex peditum perpetua fuerunt persoluta stipendia. Turmam autem equitum sequebantur C XXV. sagittarii, erantque hi sub ductu vnius eiusdemque tribuni, solisque vexillis aut signis differebant. Ita singulæ equitum hastatorum centuriæ trahebant post se CC L. sagittarios. Stipendia horum militum quotannis XIII. millia coronatorum conficiebant, erantque huiusmodi. Signifer percipiebat coronatos CCC. Locumtenens CCCC LXXX. Capitaneus DCCC XX.

Sunt autem hæ copiæ ad tam pulchrum ordinem & velut perfectionem quandam redactæ à Carolo VIII. rege, qui certum earum definiuit numerum, constituitque illis stipendia iussis se perpetuo exercere in armis, distribuitque in munitiora regni loca, vt iis præsidio essent, cum iis præfecisset centuriones, tribunos ductoresque ordinum, adiunctis dissignatoribus, quæstoribus & armorum annonæque præfectis. Summum autem in eos imperium erat penes Comitem Stabuli regii & Mareschallos cæteroſque Galliæ proceres. Cum his igitur copiis militaribus ptisci Francorum reges non solum stabiliuerunt suum regnum, sed etiam bellum intulerunt Asiæ Africæque, vt & vicinæ Germaniæ Hispaniæque, nonnunquam etiam transitis Alpibus tremere fecerunt Italiam, quod Gallorum ingenium ad arma sit proclive, & validi eorum impetus à principio: in quo quidem plurimum ad victoriam momenti situm est, quod acre & impetuosum pugnæ initium sæpe felicem prælii exitum post se trahat, contra lenta & inualida principia aliquoties fugæ & perditionis causa extiterint. Hinc Galli se in præliis terribiles fecerunt, vt non facile quis eos bello impune aggrediatur. Difficulter enim primi sustinentur Gallorum impetus, qui sunt ardentissimi, quos si felix sequatur effectus, eos facit multo animosiores.

De re tormentaria hoc mihi dignum videtur consideratione, quod singulari prudentia omnes machinæ ahenæ per totam Galliam vnius generis sunt: neque nimis magnæ, vt ipso pondere ineptæ fiant, neque minores iusto, quæ parum efficaces futuræ sint, vt in tanta parilitate vniusmodi globi ferrei ex omnibus conici emittique valeant, eademque pulueris Pyrii quantitate onerari, iisdem instrumentis moueri, iisdemque iumentis trahi possint: quæ res maximis non caret commodis, quod conuenientibus omnibus pilis globisve cum omnibus tormentis vitetur confusio in onerandis illis, quodque rupto vno vel inutili facto, pili eius è cæteris conici possint, cum sint vniuersa eiusdem

ponderis vt sublato vno, statim aliud in eius locum submitti possit.

Est autem longitudo vnius tormenti pedum ferme decem, currus autem cum sua sella quatuordecim pedes conficit, vt ænea machina curru suo imposita simul conficiat pedes circiter nouendecim. Accedit aliud inuentum, quod vnumquodque tormentum eo loco, vbi foramen ab summo est, ad concipiendum ignem, ferro munitum est, quod vi flammæ æs aut metallum fusile facile consumatur, & foramen subinde laxius euadat, quod si fiat, multo minor debito ipsi cannæ æreæ ad eiaculandam pilam vis est, vt inutilis tota iudicetur machina, cum nulla ab huius rei peritis adprobetur, nisi quæ centies aut octuagies, singulis diebus explodi possit. Omnia hæc, si cum naturali situ regni Francorum coniungantur, id adeo validum potensque reddunt, cum præsertim sit sub vnius regis imperio, cuius tantæ vires, prudentia, circumspectio, argenti copia, rerumque omnium necessariarum abundantia. Extant autem in vicinis regionibus plurima documenta, quid Galli possint, si velint aliis bellum inferre populis.

Quod si veteris historiæ voluerimus euoluere monimenta, inueniemus, Gallos priscis seculis occupata Italia non labefactasse saltem, sed & euertisse Romanam potentiam, multasque in remotissimas regiones suscepisse expeditiones. Sed sufficiant nobis Caroli Magni res gestæ, cuius non tam multis parasangis, ac superiora à nobis est remota memoria: Illius ergo Caroli tanta fuit potentia, vt subactis Saxonibus Bauarisque, Hispaniam bello aggressus, Saracenos prostrauerit, Regnum Longobardorum in Italia euerterit, Italiæ ipsius potissimam partem occupauerit, posterisque suis prope dimidiam Europam reliquerit. Illustrissimæ autem sunt Francorum expeditiones in Palæstinam regionem, ad eruendam ex infidelium manibus ciuitatem Hierosolymitanam, quæ expeditio cum in Claremontano Concilio decreta fuisset, à sola Gallorum natione suscepta, tanta voluntatis promptitudine, constantia, virtute claruit, vt omnia bella sacra, quæ vnquam gesta sunt, longo post se relinquat interuallo. Quid? Græcia ipsaque adeo Asia, nonne sensit vim armorum Francicorum, à quibus Imperium Constantinopolitanum occupatum retentumque aliquandiu est? Sensit & Africa cum Ægypto regnante S. Ludouico, quid Franci possent, qui etsi captus fuisset, in eas tamen descendit conditiones Rex Tunetanus, vt quadraginta millia ducatorum aureorum in singulos annos tributi nomine polliceretur. Eodem tempore occupauit Carolus Andegauensis cum Sicilia Regnum Neapolitanum, penetrauitque posteritas eius in Hungariam, vbi pluribus annis regnauit. Sed & patrum memoria Carolus octauus breui temporis spacio, miro successu, partis aliquot victoriis, magnam Italiæ partem acquisiuit, cuius exemplo inuitati reges Galli Ludouicus XII, Franciscus I. Henricus II, in eandem regionem duxerunt exercitus, quamuis tam præclaris ausis defuerit fortuna.

Quod ad defensionem regni attinet, præterquam quod Gallia populosissima est, vt sub Caroli noni regno initis rationibus viginti milliones hominum numerati fuerint: itemque præter copiam alimoniæ, armorum, tormentorum, præterque ipsius situs rationem commodissimam, passim per totum regnum inueniuntur oppida munita, castra, arces, propugnacula, tanto numero, quanto vix in vllo alio sis reperturus regno. Horum fortalitiorum diuersæ possunt allegari causæ.

Primo, regno in multos principatus atque Dynastias diuiso, quiuis Princeps muniendis suis intentus fuit finibus. Deinde Anglicana bella, quibus Britanni magnam sibi subiecerunt partem Galliæ, coegerunt Francos diuersis in locis munimenta opere manuque excitare, accedente alicubi ipsius naturaloci, & ratione situs, quæ omnia iuuit incolarum sedulitas, cum vix vlla gens Francis in hoc fortificandi genere sit conferenda, vt nec laboribus nec sumtibus parcant. Vt autem hæc quæ diximus, clarius nobis innotescant, age Lector, percurramus totam Galliam, præcipuasq; illius regni lustremus munitiones.

Lutetiam hic omittemus, quæ etiamsi muro nullo cingeretur, vt reuera infirma sunt & ruinosa eius vrbis mænia: tamen ob incredibilem incolarum multitudinem vinci nisi fame subigique non potest.

Corbelia, quæ Cæsaris *Iosedum* putatur munitissimum foret oppidum, nisi à duobus mõtibus ab vtroque latere infestari posset, quanquam alter, qui Gastinensium finibus imminet, versus Fanum Magdalenæ, non tam formidandus est oppido, quod longius absit, quam alter qui est ab eo latere quo Sequana fluit ab oppido vicino quod Villa noua S. Georgii dicitur.

Carnutum ciuitas satis munita est ad sustinendam validi exercitus obsidionem vt superioribus bellis patuit, *Castellodunum* firmum putatur & magni momenti oppidum, quod in edito monte situm sit, aditus habens perdifficiles, munitum insuper propugnaculis & arce, ad quam non nisi per vnam viam adiri potest, nempe qua ab finibus Belsensium venitur.

Aurelia digna est quæ inter validas ciuitates numeretur, firmata munitionibus, & quod ibi Ligeris amnis transiri possit. Testis erit huius rei trux ille Attila Hunnus, cuius victoriarum cursum sola remorata est Aurelia: vt & Angli, qui hanc vrbem anno saluris M CCCC XXVIII, diuturna obsidione à mense Octobri vsque in Maium cinxerunt, repulsi per Iohannã Virginẽ.

Gergouia sex Leucis Aurelia distans, quanquam exigua sit, munita tamen satis est, nec parui momenti, quod ibi Ligeris fluminis ripæ pontẽ iungantur.

Montargium siue Mons Argi inter valida oppida numeratur, quamuis nec tanti momenti neque roboris existimetur vt Aurelia.

Castrum

Castrum Landonium multa sustinuit mala præteritis bellis; potest enim aliquandiu resistere, si mediocre imponatur ei præsidium.

Senonum ciuitas super Yonnæ fluuii ripam extructa, qui è Gastinensium montibus profluit, mœnibus fossisque optime munita est, potestq; facile defendi.

Auxerra super eundem fluuium, oppidum satis validum ipsius situs ratione. Incipit enim ab ima valle, ascenditque crebris ædificiis in summum montem, vbi arx eminet antiquissima, densis firmissimisque muris nixa, qui superioribus temporibus vice propugnaculi fuere, vnde totus ager vicinus defensus est.

Trecense oppidum (hodie Troia Campaniæ) non minus forte habetur, quod validis muris cingatur, & ciuibus ad arma promtissimis habitetur, quod idem & de Auxerranis dici vere potest.

Mons Caluus (vulgo chaumont) etsi inter antiquiora numeratur oppida, bonis tamen fortibusque includitur mœnibus, quibus crebræ intercedunt turres, ambiente muros profunda fossa: Sed nec arce caret.

Vitriæum Partensium Francisci primi regis tempore instauratum vel potius ædificatum est, cum sit in finibus Campaniæ: quanquam non in prisco loco, sed in vicino pago, cui nomen est Mons curtus, super collem, qui dimidiæ Leucæ interuallo abest ab eo loco, vbi vetus oppidum extructum fuerat. Architectus atque dissignator fuit Hieronymus Marinus Bononiensis, ad cuius delineationem iacta sunt fundamenta, ipsumq; extructum oppidum. *S. Desiderii Fanum* in eiusdem est Campaniæ finibus, roboratum ea munimenti specie, quam formam Realem nuncupant, postquã anno à Christo nato M D XLIV. euersum fuerat.

Monterium in penitioribus Campaniæ situm Castellum habet forte & spaciosum.

Meldensium ciuitas (*Meaux*) monti tota incumbit, paludem habens ab Occidentali latere: diuiditurque ipsum oppidum, vt vna quidem pars appelletur Vrbs, altera vero Forum: inter vtramque interfluit riuulus aut torrens, è petra profluens: vtraque cingitur fossato satis alto, & in media Vrbis parte assurgit collis editior cum imposita arce, quæ imminet atque minatur Foro. Muris quidem cingitur satis validis, non tamen nostro more munita est.

Nec exiguum nec parui momenti est *Catalaunum* Campaniæ, cum secundo loco numeretur à Durocortoro Rhemorum, metropoli totius regionis.

Ex Campania in Picardiam profecti inuenimus in finibus eius multa loca egregie munita, Landunum, Fertæum, Fanum Quintini, Peronam, Capellam, Ardresium, Dorlanum, Corbeiam, & caput regionis Ambianum. Præterea Abbatis Villam, aliaque oppida minus firma, Bononiam Morinorum, Montem regium & cæteraque huius generis. *Suessionum* oppidum rõoris est minime contemnendi, & quod hostilibus armis resistere possit. *Bellouacensium* oppidum situm est in interioribus, munitum adprime, inprimis qua Parisinum agrum spectat, vt vel longam obsidionem tolerare posse videatur. At vero vbi *Caletes* siue portum Icium contemplati fuerimus, vt nostra quidem tempestate munitum est oppidum illud maritimum, facile fatebimur, primas ei inter omnes Picardicas ciuitates deberi ratione firmitatis. Quod si cæpta per Gubernatorem eius loci perfecta fuerint munimenta, tale euadet, vt obsidione aut oppugnatione capi nequaquam posse videatur.

Lingonum oppidum (*Langres*) ipsius loci genio ac natura situs robustum est, habens insuper muros firmissimos. Mons clarus Vallo propugnaculis fossisque optime munitus est, iussu Francisci I. & Henrici II. regum, quod primum hoc sit oppidum regni, quod occurrit venientibus ab Lotharingia.

Niuernensis ciuitas firmitatem suam debet mœnibus fossæque profundæ, accedente ponte quo Ligeris amnis stratus est. Hinc magni momenti ob transitum existimatur.

Biturigum vrbs ob easdem causas inter validas bonasque Galliæ habetur.

Sancerra in edito monte ædificata, ausa aliquando fuit, fiducia munimentorum suorum arctissimam perferre obsidionem. Sed incolarum aduersus regem seditio, qui eam ad custodiendum transitum Ligeris fluuii, fortiorem facere voluerunt, in causa fuit, vt Condæus Princeps ingressus demoliretur Sancerranorum muros atq; munitiones, quod accidit anno Christi M DC XXI. Est & aliud oppidum ad ripam Ligeris amnis, quod *Charitatis* nomine insigne est, satis validum ad cuiuslibet exercitus sustinendum impetum.

Issodunum in Biturigibus est locus adprobe munitus, præterque propugnacula castrum habet in edito situm, forte ac validum, vnde in obsidentes globi ferrei commode mitti possunt: fossa insuper ampla cinctum.

Turonum ciuitati nullum munitionis genus deest, cum sita sit super Ligerim fluuium, bonis muris ac fossis cincta, vt merito maximi fiat. Eiusdem momenti etiam est castrum *Amboisianum*, super eundem amnem extructum; super quem & *Salmuria* sita conspicitur, firmis circumdata mœnibus. Castrum autem in ea, cum fuerit firmissimum, iussu Ludouici XIII. regis nouis munitionibus nudatum, fossaque completa est, ne possit rebellibus receptaculum præstare, transitum Ligeris amnis in sua potestate retinere laborantibus.

Inter validissimas Galliæ arces locum inuenit *Castellum Lociarum* (*de Loches*) quod super altam rupem exædificatum, vnum saltem habet, eumque difficilem aditum, quem claudit firmũ propugnaculum, muri validi, & fossa duplex latissima, nec tormentis videtur arx hæc pulsari aut oppugnari posse, nisi perfringatur rupes ipsa, habens in circumferentia circiter mille ducentos passus. Neque suffossionibus aut cuniculis hic

lis hic quidquam efficietur, cum contrariis viis subterraneis iam is conatus sit elusus.

Andegauenſi ciuitati profundæ fossæ & optima mœnia firmitatis famam conciliauerunt, accedente arce validissima, quæ inter optimas Galliæ referri potest, cum fossatum eius in solidam petram incisum sit, nihilque ad summam munitionis intermissum; nec id abs re, cum duos fluuios vicinos habeat, Sartam & Ligerim: qua laude etiam dignus habetur Pons Sæus.

Normandia, quæ in nostro ordine sequitur, non pauca habet munita oppida & Castella, inter quæ primo loco occurrit *Rotomagus*, tanti roboris, vt vel diuturnam obsidionem ferre possit, notumque est, hanc Vrbem magnos sæpe exercitus remoratam fuisse. Nec contemnenda est *Baiocenſis* ciuitas.

Faleſiæ situs talis est, vt quanquam in valle posita ab omni parte cingatur montibus, aditus tamen eius & suburbia adhuc humiliora sint. Superbit hæc optimo castello, extructo in summa rupe, imminente oppido cincta firmis mœnibus lataque fossa. Proxima est ciuitas quam Normandi sua lingua *Caen* vocant maritimam, ad quam vsque æstus & reciprocatio maris adscendit, vnde non exiguæ æstimationis habetur oppidum, cum spaciosum sit & mediocriter munitum, vt longo tempore defendi possit, accedente arce supra rupem ædificata, in cuius medio turris assurgit quadrata, summæ altitudinis & crassitiei, cui respondent aliæ quatuor turres oppositæ, non multo minores, cum area ipsa cum vestibulo arcis tam ampla sit, vt acies quinque aut sex millibus militum constans in ea commode instrui possint.

Abrincanenſe oppidum (vulgo *Aurenges*) firmum & ipsum est, situm super asperrimam rupem, quam fluctus marini pleno tefluxu alluunt; præterea sita est hæc ciuitas loco percommodo, bonis muris profundisque fossis cincta.

Honfloria & Diepa eiusdem sunt firmitatis, instructa vtraque plurimis tormentis. *Fanum Valerii* (diuersum ab eo quod est in Picardia) sequitur, vt & *Cherburgum*, quod oppidorum omnium vltimum Anglis ereptum est per Carolum VII. regem, cum eos regno eiecisset; *Mons S. Michaelis*, ab omni latere Oceano cinctus, & Fortalitium Insulæ Zeræ: hæc omnia loca peropportuna sunt, ad coercendos ab incursionibus Piratas. Inter omnes autem portus & oppida maritima Normandiæ caput alte extollit *Portus Gratiæ*, munimentis roboratus insuperabilibus, quorum auctor fuit Franciscus primus rex, vt inde pelleret irruentes Anglos, cum situs eius oppidi sit opportunissimus, nisi quod ab vno latere modicus collis assurgit, à quo id infestari posse videtur: cum autem sit humilior, noceri inde oppido non posse periti iudicant.

In Britannia inueniemus *Rhedonenſe* oppidum, caput regionis, bonum & forte, cui tamen nihil debet *Nannetenſe*, vt & *Dola*, *Veneti* (hodie *Vannes*) *Fanum Machlouii*. *Cæterum Blauetum & Breſta* in cætera oppida principatum sibi vendicant, quorquot ad littus extructa ordine se sequuntur.

In Pictonum regione primo loco numeranda venit *Pictauienſis vrbs*, quæ nostra memoria fere octoginta millium militum grauissimam obsidionem sustinuit: hanc sequuntur *Maleacenſe & Gannacenſe* oppidū, item *Fanum S. Michaelis*, quod bellis ciuilibus graues inimicorum insultus perpessum est: præterea *Niortum Fontenæum*, *Caſtelleraltum & Luſinianum*, quæ omnia negligenda non sunt. *Caput Santonum* nuper castro firmo fortius redditum est: *Fanum S. Iohannis Angelici*, vt & *Pons* oppidum, destructis muris in pagorum formam reducta sunt, ob seditionem, qua incolæ repugnauerant Ludouico XIII. regi, anno Christi M DC XXI. *Inculiſmenſis* ciuitas firmata munimentis, magis tamen arci fidit, è qua vis hostilis commodius propulsari potest. *Rupellanum* oppidum & Portus Marinus tanti roboris est & firmitatis, vt eludere possit vim maximorum exercituum, ideoque habetur Clauis regni Francici: sed nos de hoc postea dicemus. Iam *Petrocorios* videamus, quorum caput est validum satis ac munitum, quod nisi ab vno latere oppugnari non potest, quo tamen ipso loco oppidanis dextre prospectum est, vt se defendere possint.

Præcipuum *Lemouicum* oppidum tale est, vt sæpe magnos principes fatigauerit: *Veercæ* autem situs opportunitas tantum conciliauit roboris, vt expugnari non posse videatur. Grauem tamen passa est calamitatem anno M DC XIX. *Claremontium* in Aruernis munitissimum habetur, cum vicinis arcibus, Vsonio & Nonnetensi, quæ habentur inexpugnabiles. Validius tamen putatur *S. Flori* Fanum, situm in edita rupe, altitudinis & rectitudinis præcipitis, vt adiri, nedum expugnari capique non possit.

Molinum Burboniorum Elauer fluuius alluit, quod oppidum est tanti roboris, vt nunquam cesserit viribus & furori hostium in proximis his bellis. *Mons acutus* non est ad sustinendam quamuis vim debilior.

Burgundiæ munitiora loca hæc sunt, *Diuio*, *Cabillonum*, *Belna*, *Auxona*, *Seura*: præter minora & arces ac castella quorum magnus est numerus. *Auguſtodunum* oppidum magni momenti, nouissima hæc bella non afflixerunt, sed opibus viribusque auxerunt, vt tam vrbs, quam Semurium Castrum quamuis hostilem vim sustinere ac propellere possint.

Ad Lotharingiæ Germaniæque fines occurrit nobis caput Mediomatricum, hodie *Metæ*, quæ satis diuturnam Caroli V. Imperatoris obsidionem sustinuit, cum maximos ei admouisset exercitus, quibus vel ipse mundus vinci posse iudicabatur; quamuis hiemis durities inaudita obsidentibus grauior hoste fuerit. Ex eo tempore Castellum ibi erectum est, quo vix munitius est per Galliam.

In meridiem si nos conuerterimus, inueniemus *ciuitatem Lugdunenſem*, inter paucas munitissimam ab ea parte, quaarx destructa est, vbi visi-

tur

tur S. Iohannis Propugnaculum operis firmissimi, ab altera Araris ripa est *Petra Anciſa* nomen Castelli super rupem ædificati, vnde arceri possunt ab illa parte aduenientes. Defenditur autem & Lugdunum ipso Rhodano fluuio; quanquam autem Vrbs non satis munita videatur ab ea parte qua S. Iusti fanum spectatur, obsidioni tamen ferendæ sufficiens esse poterit, vel sola situs opportunitate, qua & hostilem aciem morari & inimicorum conatus impedire potest.

Delphinatus inprimis ostendit *Viennam* Allobrogum, oppidum non exigui roboris, super ripam Rhodani amnis, muris fossisque non perfunctorie munitam. Paulo infra hanc occurrit *Valentia*, quam bella ciuilia Galliæ nobilitauerunt, munitam per se, & arce valida superbientem. Si ad dimidiam Leucam descenderis, occurret *Mons Limarus*, oppidum cum castro, quod defendi facile potest. Cæterum nouas munitiones rex destrui iussit, cum inde in Languedociam rediret, quod factum est anno salutis M DC XXII. Super Isaram fluuium in interioribus regni conspicitur oppidum quod *Romanense* vocant, mediocriter munitum cum duobus Castellis Morasino & Quirienſi, quorum hoc firmius est illo. Hinc peruenies ad ipsam *Gratianopolim*, quæ nouo more optime munita est per Ladighieram Delphinatus nomine regis Præfectum, vt iam inter firmiores Galliæ numerari possit. Porro aduersus Sabaudos occurrit Munimentum Barautense, vt eo velut freno hostes ab ea parte venientes coherceri possint. Hinc *Dia Vocontiorum, Vapincum, Castrum Serranum, Nyonum, Ebrodunum, Brannouices, & Castrum Essillium* ad fines regionis: vnde inimico Delphinatum cum copiis ingredi volenti non parum erit exhauriendum laboris, donec ad penitiora per tot obices & repagula penetret.

Prouincia interiore sui parte his munitioribus fidit oppidis: *Aquis, Arelato, Cesterono, Vrgonio, Bignola & Pertusa.* Inter maritimas hæ excellunt: Massilia, Tolonium, Castrum Ifium, Fanum Matris Virginis, Turris Hirei, denique Antipolis, cum nonnullis aliis partim melioribus partim deterioribus.

Inter Vrbes Languedociæ *Tolosa* munimentis suis gloriari potest: *Narbo* autem ad fines prouinciæ illam vincit, & multo magis *Lucata.* Fuit *Carcassonense* oppidum iam olim inter munita habitum, ratione situs: sed nostro æuo inferior pars adiectis manu nouis munitionibus longe facta est fortior.

Betierenses & Piscenates satis valida habitant oppida: quæ tamen multo infra *Montem Pessulanum & Nemausum* constituuntur, quæ duo posteriora adeo firma sunt, vt ad eorum defensionem nullum munitionis genus omissum videatur; vt *Pons S. Spiritus*, quod oppidum insuper firmo castello auctum visitur.

Inter Velæorum oppida *Anicium*, (hodie *Le Puii*) de vna re iure gloriari potest, quod nunquam ab hoste vllo occupatum fuerit. At Castrum *Polinacum* ratione situs optimi insuperabile hactenus æstimatum fuit.

Vasconicorum oppidorum munitissimum *Burdegala* hostem non timet nam de *Albano Monte* infra dicemus. *Augusta Ausciorum* super rupem constituta accessus habet perdifficiles, præterquam ab vno loco, vnde superioribus annis graues inimicorum insultus repulit. Et *Lectoria* inter munitiora Galliæ loca numerari meretur. *Commenarum* oppidum huic tamen nihil cedit; S. autem *Fregelli Fanum* ipsius naturæ beneficio, situ locoque defenditur. *Daxense* oppidum natura opereque ac manu munitum est, vt & *Baiona*, quæ eo maioris momenti est, diligentius q; custoditur, quod sit in finibus regni. Et hæc quidem de fortioribus munitioribus q; Galliæ locis dicere habuimus. Cum autem Castrum vel munitissimum sine præsidio viuorum hominum nihil sit aliud quam corpus mortuum aut cadauer immobile: etiam de militibus ea loca defendere aptis deinceps aliquid dicendum est. Hos si per Galliam quæremus, inueniemus, vix vllum sub sole regnum tantum virorum fortium suppeditare posse, quam Francicum; cum adeo sit refertum incolis, aut etiam plus, quam de maximo Chinensi regno narratur; & si vel hoc sit hominibus abundantius, dicam tamen incolas eius regni molles esse atq; effœminatos, nostros autem homines viriles ac ad arma aptos; vtcunque Chinenses præstent multitudine, cum in illo regno Asiatico tantundem hominum in aquis quantum in terra habitare prædicetur. Quod si intra solam Europam nos continuerimus, inueniemus, nullibi locorum tantum hominum incolere, quantum in vna Gallia.

De periculis à vicinis imminentibus ita habet. Anglorum irruptionem non iniuria metui posse, siquidem vel Aquitania vel Normandia, vt olim, in eorum potestate esset, & Gallorum pars Anglis opitularetur: cæteroquin enim vinci non poterunt. Vnde verisimile est, Cæsarem parum bello effecturum fuisse in Gallia, nisi Gallorum intestinæ discordiæ ipsi aditum in interiora regni aperuissent, cum mutuis odiis seipsos turpi ratione pessundare studerent.

Nec Hispani Francis metuendi sunt, quod nec sufficiente numero nec quoties velint in Galliam irruere possint, difficilibus omnino futuris expeditionibus, cum per angusta loca, nec iusti exercitus capacia transeundum sit: quibus in angustiis, si pauci Galli aduentantibus valide se opponant, eos remorari & desiderium vlterius penetrandi extinguere possint. Taceo Hispanos ad multa munitissima oppida, quæ se in finibus Languedociæ Aquitaniæque aduentantibus velut obices opponunt, capita haud dubie collisuros.

De Belgis nullo modo sunt solliciti Franci: primo quod multi Belgarum Ordines a cto fœdere Gallis iuncti sint: deinde quod cæterorum tantum non sit robur, vt possint regno huic multum damni inferre: tertio quod

Flandri vicinæque gentes tantum ex agro suo non colligant, quantum ad victum necessarium sufficiens sit, cum terra sit frigidior, paludibusque inuia, nec multum frumenti, vini nihil prorsus gignat: quæ vtraque ex Burgundia, Picardia, aliisque Prouinciis Gallicanis petunt. Accedit quod maxima Belgarum pars opere manuario victum quærit, ad quam rem mercatura Gallicana illis plurimum confert, qua si per belli incommodum carere cogantur, nec alimoniam sibi comparare, nec labores suos vendere poterunt. Idem quoque dicere possumus de superioribus Germanis, cum tam horum quam illorum confinia insuper validis oppidis munita sufficientia sint, ad quantumuis violentum eorum sustinendum impetum.

Lotharingia debilior est, quam vt inde aliquid periculi Gallis sit metuendum: cum munitis firmisque oppidis septa sint confinia: quod idem & de Burgundiæ Comitatu dici potest, quæ regio augustis claditur terminis, nec tantum exercitum expedire possit, nisi peregrinis viribus augeatur.

Solos Heluetios metuendos esse non diffitemur, cum nobis arcta vicinitate iuncti sint, quodque celeribus irruptionibus incautos & imparatos opprimere possint. Sed vicissim sciendum est, illos Gallis regibus fœdere iunctos: deinde finitima eorum loca munitionibus omnibusque rebus necessariis probe instructa, vnde eorum excursiones cohiberi possint. adde his, si vis, Heluetios suo quodam ingenio aptiores esse ad confligendum cum hoste, quam oppugnandum munitum oppidum: quodve parum placeat illigenti, è montibus suis in loca plana prodire longius, relictis à tergo firmis hostium præsidiis ac munimentis, cum non iniuria metuere possint, ne interciplatur illis alimonia, & redeundi domum facultas intercludatur: quod vtrumque facile fieri posse nouerunt: accedente & periculo, quod illis in loco plano atque expedito ab equitatu Gallicano imminere possit.

Sabaudiæ siue Allobrogum Ducem nemo per Galliam metuit, cum illius fines vt & ipsius Italiæ, magno firmissimorum Castrorum ac oppidorum numero coherceantur: accedentibus Alpibus transiri plerisque locis difficilibus, quibusdam etiam imperuiis, & tetra sterili. Non erit igitur facile Italis irrumpere, nisi expugnatis forralitiis, aut iis à tergo relictis, qua re nihil fingi potest stultius. A cætera Italia nihil sibi metuunt Franci, cum sint in ea parte principes multi, quibus inter se parum conuenit.

RATIO ET FORMA DOMINII.

23 GAllia, cuius olim status fuit Democraticus, nostro æuo ad Principatum vnius, quem Græci Monarchiam vocant, peruenit: cuius rex non creatur electione, vt in multis aliis regnis præcipueque Imperio: sed successione & hæreditate regium conscendit solium, admissis solis ad Diadema maribus, exclusis fœminis: idque ex lege Salica perantiqua, & quæ regni fundamentalis iudicatur. Est autem penes regem absoluta potestas, vel inferendi belli, si id vsus exigat, vel sanciendæ pacis: itemque percutiendi fœderis cum vicinis principibus rebusque publicis. Idem rex pro suo arbitrio potest imperare vectigalia & tributa, creare magistratus, ferre leges, condere statuta, impertire priuilegia, aliaque paris momenti iubere mandareve: suntque iussiones eius velut Sacrosanctæ, quibus nemo ausit contradicere.

Vt autem iustitiam multum apud se valere monstret, nec mandata sua ratione carere: non promulgare solet edicta sua, nisi prius per summos regni consiliarios examinata fuerint atque approbata.

Primogenitus Regis filius, proximus est regni à Patris obitu hæres, idemque Delphini nomine vtitur: haud secus ac in Imperio Germanico, designatus Imperator appellatur Rex Romanorum.

Est & Reginarum Franciæ amplissima au- 24
ctoritas, vt possint in suis terris conuentus ordinum agere, siue ex dominii iure siue doris nomine ad ipsas spectent.

In his ius dicitur, ita tamen vt ad Curiam Parisiensem detur Prouocatio, cuius legis auctor perhibetur Ludouicus Crassus rex, qui eam pertulit anno Æræ Christianæ M CCC XVII. Obseruandum etiam est, reginam, vxorem regis regnantis, honore anteferri viduæ defuncti regis, matri regnantis. Donationes, quibus Reges Reginas coniuges suas affecerunt: constante matrimonio, valent, quamuis inter cæteros homines vbique gentium nullæ habeantur. Reginæ vxoris, vt & Viduæ siue Matris domestici ac ministri iisdem gaudent immunitatibus, quibus ipsi aulici ac ministri regii. Ipsæ autem Reginæ non veniunt in partem bonorum, quæ Reges mariti, dum regnauerunt, acquisiuerunt, vel iatem ab iis excluduntur bonis, quæ iis parta sunt antequam ad Diadema peruenirent, contracti iam matrimonio. Reginæ viduæ consuetudine quadam, vel potius boni ominis ergo nominantur Reginæ Blancæ, à matre S. Ludouici regis, quæ Blanca vocata fuit, vixitque multis annis: vel etiam à Blanca regina, vidua Philippi Valesii regis, quæ vitam produxit vsque ad regnum Caroli VI.

Modus autem atque ratio coronandi ac 25
declarandi Reges Gallorum, antequam Fidem Christi recepissent, talis fuit. Rex corona cinctus, grandique impositus scuto eleuabatur, portabaturque cæterorum humeris, tribus vicibus circum castra, acclamantibus vniuersis & regi bene precantibus: creditur quehic mos etiam post assumtum Christianismum obseruatus apud Francos, in tota Merouei posteritate. Sacer enim ille Lecythus, vel, vt vocant, Sancta Ampulla, quæ cælitus demissa fuisse perhibetur, tantum adhibita fuit in Bapti-

Baptismate Clodouei regis, demumque in secunda aut tertia generatione eius inseruiit vngendis regibus. Magna autem pars regum nostrorum in Rhemorum ciuitate consecrata fuit hoc ferme modo. Inchoato sacro, Sacerdos Epistolam Sacram manu præferens, ad regem se conuertit, recitatisque fidei Catholicæ articulis, sciscitatur, an ipse eandem profiteatur, proque viribus defensurus sit? Quo annuente, Formula Iuramenti affertur, quod rex perlectum ipse præstat subsignatque. Est autem Iuramentum tale. Ego Henricus vel Ludouicus, Dei fauore propediem futurus Francorum Rex, hoc ipso die Consecrationis inaugurationisque meæ, voueo polliceorque Deo & Sanctis eius, me conseruaturum priuilegia Canonica, Leges, iuraque, quorum nomine vniuerso ordini Ecclesiastico obstringor, quodque vos pro viribus defensurus sim, Deo adiuuante, vt regem in suo regno de iure facere ac tueri æquum est, vnumquemque Episcopum, vniuersamque adeo Ecclesiam: permissurumque vt populus nostræ fidei commissus vtatur suis legibus iuribusque, in nostra auctoritate consistentibus.

Hoc iuramentum rex vbi perlegit, tradit in manus Archiepiscopi Rhemensis, spectantibus omnibus, qui adsunt Prælatis Clericisque. Quo facto idem Archiepiscopus accepto pedo pastorali siue Lituo B. Remigii, enarrat quo pacto Victor Papa dederit istum Lituum, cum potestate sibi Ecclesiæque suæ permissa, consecrandi Regem Francorum, qui & statim per Archiepiscopum cæterosque ordinis Ecclesiastici proceres nominatur & publice declaratur. Acclamant Principes regni, cum nobilibus vniuersoque populo, ter repetita illa adprobatione: assentimur, volumus, fiat ita. Hinc canitur Hymnus, Te Deum laudamus, quo finito Archiepiscopus vngit consecratque regem. Peractis ceremoniis, idem in sella sua considet, sic exigente Priuilegio Victoris Papæ, quod per Ecclesiasticos affertur atque recitatur. Habes lector breui compendio Ceremonias, quæ in consecrandis Francorum regibus obseruantur, quasque inposterum obseruari ius fasque est. Qui minoris momenti sunt ritus, eos data opera amputaui, quod eos alii (*de Serres*) prolixe persecuti sint, & vt ipsa verborum paucitate Lectori minus molesti essemus. Interregnum si quod habetur, fit istud, quod legitimus hæres aut minor sit ætate, aut si rex iam sit, habeatur ineptus, vel sit æger, aut versetur peregre extra regnum. Qui interea moderamen tenent, ita de omnibus rebus statuunt iudicantque, ac si proprias suas res procurarent, non regnum alienum.

Antiquitus filii regum Galliæ, obseruata æqualitate diuidebant inter se prouincias regni, neglecto iure primogenituræ: quin & confessi notoriique, vt loquuntur, spurii cum legitimis hæreditatem adibant, obtinebatque quisque suam partem sub Regni titulo.

At tertia progenies in vniuersum reiecit spurios, non solum coronæ, sed & feudorum fiduciariorum eos incapaces esse statuens: Francicum autem cognomen permittebatur iis. Post obitum Hugonis Capeti constitutum est, vt minores natu regum, velut priuatorum iure, aliquam terræ portionem nanciscerentur, quæ lex anno Christi M CC LXXXIII. confirmata est, addito, ne causari minores natu possent, aut certam legitimamque regni partem sibi deposcere, multo minus iuris quidquam prætendere in successione regni, sed vt contenti essent assignatis in sufficientem alimoniam redditibus, sicut pater testamento cauisset. Qui si nihil certi hoc nomine constituisset, standum erat arbitrio Fratris regnantis, qui à fratribus in ius vocari non posset, etiamsi iis minus quam pro spe ipsorum attribuisset.

Filiæ regum Franciæ, si hæredes masculi supersunt, hæreditate nihil percipiunt præterquam, quæ in bonis mobilibus computantur, & quæ ab vtroque parente acquisita sunt, ita statuente Lege Salica: quin & in omne æuum à spe diadematis excluduntur, cum magni indomitique Francorum animi muliebre imperium ferre nequaquam possint: quodque hac ratione ius regni per matrimonia dotis nomine ad exteros transferre possent.

Vidimus etiam filias regias, quæ minoribus maritis, & infra regiam dignitatem constitutis nupsissent, Reginas appellari, addito nomine proprio. Permissus est autem iis honor iste, vt ad tempus vitæ eo vterentur, quod essent regum filiæ: vtunturque illæ hoc nomine, scilicet *De France*, siue Pater eas ante acquisitum regnum, siue regni tempore genuerit, quanquam ante regnum natæ illo titulo minime gaudeant, donec pater ad Diadema peruenerit.

Filiæ autem primogenitorum regis siue Delphinorum Dominæ κατ' ἐξοχὴν appellantur, (siue vt Galli loquuntur, *Mesdames*) ob spem quam Pater earum habet successionis in regno, nisi ante partem moriatur. Reliquæ minore nomine patrio sermone *Mesdamoiselles* vocantur, donec ad altiorem dignitatem conscendant, quæ illas Dominas appellari, & Francico vti patitur cognomento.

DE DVCATIBVS ET COMITATIBVS, QVI REGNO SIVE CORONÆ Francicæ denuò inserti sunt: siue Parium Franciæ titulo exornati fuerint siue non.

VBI NOTABIT LECTOR, OMNES EA DIGNITATE EXORNATOS fuisse, vsque ad Ducatum Biturigum, ne sit necesse semper idem repetere.

BVRGVNDIA.

HÆc Prouincia olim regni titulo illustris, ad Clodoueum Francorũ deuenit regem per Clotildam filiam Gundebaldi Burgundionum regis: fuitq; posterioribus annis diutiũ in Ducatum &

tum & Comitatum: illo Francorum regibus cedente: hoc penes Imperium manente. Henricus I. Rex Galliæ Burgundiæ Ducatum dedit Roberto Fratri suo anno M XXX, cuius Roberti posteritas eum possedit vsque ad annum M CCC LXII. quando Philippus II. Dux sine liberis obiit: quo pacto Burgundiæ Ducatus iure consanguinitatis ad proximiorem agnatum Iohannem regem deuolutus fuit (non autem iure caducitatis ad coronam rediit, vt scribit Tilletus) Iohannes rex peculii hæreditarii nomine dedit Philippo Audaci filio, ea conditione, vt deficientibus masculis hæredibus Burgundia ad regnum rediret. Huius Nepos Philippus Bonus Carolum Pugnacem genuit, quo ad Nanceium trucidato anno M CC CC LXXVI. Ducatus coronæ Francicæ vnitus est per Ludouicum XI. cum aliquandiu litigatum fuisset.

NORMANDIA.

Aiunt vulgo Normandiæ Principem Ducis & Paris Franciæ titulis insignitum fuisse per Carolum Simplicē anno Salutis DCCCC XII. Sed hæc sententia parum firmis nititur fundamentis. Habuit hæc prouincia peculiares suos Duces vsque ad regnum Philippi Augusti, vbi Iohannes Rex Angliæ noxæ commissoriæ nomine feudo excidit: estque ea ratione Normandia velut caduca facta ab Philippo occupata. Postea Angli mota controuersia eam receperunt, & per annos XXX. possederunt. Hinc rursus sub obedientiam Caroli septimi Regis peruenit: cumque eam Ludouicus XI. fratri suo Carolo dedisset, nescio quare rursus ademtam ei coronæ regiæ subiecit.

AQVITANIA.

Hæc primo in Ducatum erecta est ab Carolo Caluo rege, anno Christi DCCC LXI. quæ dignitas ei confirmata fuit postmodum à S. Ludouico anno M CC XIX. Angli eam diu obtinuerunt. Sub Carolo V. rege sigillatim conclusum est, vt ad regiam potestatem rediret. Ludouicus XII. dedit hanc peculii nomine fratri suo Carolo, hac conditione, ne Pictonum ager sub Aquitaniæ nomine comprehenderetur, vtque mortuo Carolo sine liberis Ducatus iste dominio regio infallibiliter coniungeretur.

BRITANNIA.

Britanniæ Dux inter Pares Franciæ receptus est per Philippum Pulchrum regem anno M CC XCVII. mense Augusto, in ciuitate Nanetensi.

AVRELIENSIS DVX ET PAR FRANCIÆ.

Hæc dignitas ideo erecta est, vt esset peculii instar, quod cederet regis Galliæ secundo filio, qui post Delphinum natus fuisset. Sub hoc titulo eam dedit Iohannes Rex Philippo fratri suo, qui mortuus est anno Salutis M CCC LXXXXI. Post eum Carolus VI. Ludouico fratri suo, Turonum Duci largitus est, hac lege, ne vnquam ad fœmellas hæreditate transiret. Hic est ille Ludouicus, qui deinde iussu Ducis Burgundiæ iugulatus fuit: cui successit in Ducatu Aurelienſi filius primogenitus, pater Ludouici vndecimi Gallorum regis.

DVCATVS ALENCONIVS.

Antiquitus hic Comitatus fuit, possessus à peculiaribus suis Principibus, vsque ad Æliam sororem & hæredem Roberti Alenconii, quæ dedit Comitatum istum Philippo Augusto Regi: post quem S. Ludouicus quarto suo filio Petro Patrimonialis peculii nomine contulit: quo sine liberis mortuo, Philippus III. rex secundo filio suo Carolo eum concessit, qui vbi rex factus fuisset in peculium largitus est Carolo fratri suo iuniori, cuius posteri eo gauisi sunt. Carolus VI. Comitatum hunc in Ducatum erexit Kalendis Ianuarii anni M CCCC XIV. Mortuo autem Carolo vltimo Duce sine liberis masculis, quod contigit anno M D XXV. Ducatus hic ad regnum caducitatis iure rediit. Post quod tempus Carolus IX. donauit eum Francisco fratri suo, quo sine prole extincto Ducatus Alenconius denuo ad Dominium regium redit.

ANDEGAVENSIS DVCATVS.

Et hic olim Comitatus in Ducatum sublimatus fuit, addito Paris Franciæ titulo, auctore Philippo Pulchro rege, qui in hoc gratificatus est Carolo fratri Valesiorum Comiti, mense Septembri anni M CC XCVII. Confirmauit hanc gratiam Iohannes rex in fauorem Ludouici filii secundogeniti Octobri mense anno M C CC XC. Huius Ludouici posteritas cum aliquandiu rebus præfuisset, defuncto Renato Siciliæ rege, Andium Ducatus caducitatis iure ad regem rediit. Carolus IX. peculii fiduciarii nomine contulit Henrico fratri, anno M D LX VI. Henricus hic cum rex factus fuisset, Francisco fratri eum dedit, cuius morte Dominio regio iterum vnitus est.

ARVERNIA.

Aruernorum Comitatus suos habuit antiquitus peculiares Comites, quorum vltimus filiam hæredem reliquit, quæ nupsit Roberto Bononiensi Comiti, fuitque hac ratione Comitatus hic penes familiam Bononiensem, vsque ad regnum S. Ludouici, qui eum vna cum Pictonum prouincia Alfonso fratri dedit, quo sine liberis defuncto, Comites Bononienses eum iterum possederunt, vsque ad tempora Iohannis Regis, qui cum Iohannam Bononiorum & Aruernorum Dominam duxisset vxorem, vtrumque nactus est Comitatum. Paucis annis post, nempe anno M CCC LX. Rex Aruerniam Ducatus titulo ornauit, ita vt qui eo potiretur, Paribus Franciæ accenseretur, addita insuper agri Bituricensis parte, in gratiam Iohannis filii sui.

NEMVRCENSIS PRINCIPATVS.

Hic, cuius caput est Nemurcum oppidum, in Ducatum

Ducatum erectus est à Carolo VI, rege in gratiam Caroli II. Nauarræ regis à d. IX. Iulii mensis anni M CCCC IV. hac conditione, vt Secundus cederet Sexto agro Eburonicum, vicinisque terris, quas habebat in Normandia. Nauarreno autem sine liberis mortuo Nemurcensis Ducatus rediit ad regnum Francorum. Postea datus est Philippo Sabaudo cum agro vicino pro centum librarum millibus: vtiturque hoc titulo is qui nostra memoria rebus præest Dux Nemurcensis.

DVCATVS INCVLISMENSIS.

Comitatus hic sæpe mutauit dominos. Primo peculiares suos habuit Comites: deinde peruenit in manus Philippi Pulchri regis eiusque filiorum Regum Galliæ. Horum vnus, Ludouicus Hutinus, filiam habuit Iohannam Comitem Inculismensem. Vxorem hanc duxit Philippus Ebroicensis; post quem Comes fuit Carolus Hispanus. Deinde eum Anglis tradidit Iohannes Rex. Sub Carolo V. rege peruenit ad fratrem eius, Iohannem Biturigum Ducem, qui eum dedit Carolo VI. hic rursus peculii iure largitus Ludouico fratri Aureliorum Duci, post quem adeptus est Franciscus I. rex, qui ideo Angulesmensis cognominatur. Vltimus hic fuit Inculismensium Comitum, cum ipse Comitatum in Ducatum erexerit anno M D XV, iusseritque deinceps regni esse prouinciam, à quo nunquam fuit auulsus nisi iure pignoris, quando pro Hypotheca traditus est Dianæ, Henrici II. filiæ naturali, hac conditione, vt ea mortua ad regnum reuerteretur. Nostro tamen æuo, defuncta Diana illa Ludouicus XIII. hodie regnans, perrexit eum Pignoris nomine tradere Carolo Valesio, Aruernorum Comiti, addita eadem clausula.

CASTELLERALTVM DVCATVS.

Debet & hic initia sua Francisco I. regi, qui hanc gratiam fecit Francisco Burbonio mense Februario anni M D XIV. Mompenseria Domina eum nostro tempore Hypothecæ siue pignoris nomine possidet.

SEQVVNTVR COMITATVS, quorum Domini Pares Franciæ salutantur olim, hodie sunt vniti regno.

COMITATVS PICTONVM.

Ademit hunc Anglorum regi Philippus Augustus Gallus, quod diceret illum iniustum possessorem, & qui perfidiæ notam in dominum directum incurrisset. Paris Franciæ dignitas ei accessit per Ludouicum Huttinum, qui id beneficii dedit Philippo Longo fratri, anno Christi M CCC L. mense Augusto.

MARCA.

Comitatus Marcanus eundem Paritatis honorem eidem debet regi, qui id largitus est honori filii Philippi Pulchri mense Martio anni M CCC XVI.

COMITATVS EBROICENSIS.

Extat in actis publicis declaratio Caroli Belli de erigendo Comite Ebroicensi in Parem Franciæ, in fauorem Philippi Longi, scripta anno M CCC XVI. Et tres isti Comitatus inserti sunt dominio regio, per Philippum Longum & Carolum bellum, cum hæ terræ diuerso iure ad eos peruenissent.

ATREBATVM COMITATVS.

Is nostro æuo Artesia dicitur, auctus dignitate Paris per Philippum Pulchrum, in fauorem Roberti II. filii S. Ludouici. Accidit id mense Septembri anno M CC XCVII. Sed hic nostro æuo nec regnum nec Galliam agnoscit.

COMITATVS MATISCONENSIS.

Cum Iohannes Galliæ rex ab Anglis captus in carcere detineretur, Carolus Delphinus filius eius, Prorex Franciæ, Comitatum Matisconensem largitus est Iohanni fratri Pictauiorum Comiti, addito titulo Paris Franciæ, vt eum possideret ipse eiusq; filii ac hæredes legitimi recta linea: litteræ consignatæ sunt Septembri mense, anni M CCC LIX. Postea, cum Rex in Galliam reuersus fuisset, nullam illam pronunciauit donationem, deditq; Iohanni filio suo Biturigum & Aruernorum Principatus, confectis ea de re litteris, mense Nouembri M CCC LX. quibus Comitatus Matisconensis in æternum regno incorporatus est. Quo non obstante, in transactione Atrebatensi Matiscona data est Burgundiæ Duci, & à dominio regio auulsa. Mortuo autem Carolo Burgundo Comitatus is regno denuo insertus est, scripto in eum finem diplomate mense Martio anni M CCCC LXXVI.

FOXENSIS COMITATVS.

Ornauit hunc Comitem Paris Franciæ titulo Carolus VII. rex, gratificatus Gastoni Foxæo Comiti, mense Augusto anni M CD LVIII.

BELLOMONTIVM ROGERII.

Hunc Comitatum inter Pares Franciæ adscripsit Philippus Valesius rex, in gratiam Roberti Atrebatensis, mense Ianuar. anni M CCC XXVIII.

SEQVVNTVR DVCATVS, quos Simplices vocant, quod illis dignitas Parum Franciæ non sit annexa: quanquam & hi cum corona regni coaluerunt.

DVCATVS BITVRIGVM.

Huius initia incidunt in annum à Christo nato M CCC XXX, quando Iohannes Rex, Biturigum Principem Ducem appellauit Iohannem filium suum in ordine tertium. Desiit posteritas huius in filiabus anno Christi M CD XVII. ita hic Ducatus ad dominium regis reuersus est.

DVCATVS TVRONENSIS.

Exornauit Turonum prouinciam Ducali titulo idem Iohannes Rex, eamque donauit filio suo quarto Philippo, postea Duci Burgundiæ, cognomento Audaci.

SVESSIONVM DVCATVS.

Debet hic principia sua atque titulum Ludouico XII. regi sub annum M D I.

CARNVTVM DVCATVS.

Carnutum regio Ducali titulo cohonestata est per Franciscum I. regem, anno M D XXVIII. in gratiam Renatæ Francicæ, Ducis Ferrariensis coniugis. Nostro tempore pignoris nomine eam obtinet Princeps Nemurcensis.

DVCATVS STAMPIANVS.

Agnoscit hic & ipse Ducatus auctorem Franciscum I. regem, qui eum erexit anno salutis M D XXXVI. Possidet eum Hypothecæ nomine nostro æuo Princeps Vindocinensis siue Vendomensis.

DVCATVS VALESIORVM.

Antiquior est hic, institutus per Carolum VI. anno M CD II.

BELLOMONTIVS VICECOMITATVS.

Et hunc Franciscus I. rex Ducatus titulo ornauit anno M D XLIII.

MONTARGENSIS DVCATVS.

Huius initia incidunt in annum Salutis M D LX. debenturque Carolo IX. regi.

DVCATVS BORBONIORVM.

Burboniorum ager longo tempore sub simplicis Baroniæ nomine notus fuit, vsque ad regnum Caroli Pulchri regis, qui eum Ducatus illustrauit titulo anno M CCC XXVII. in gratiam Ludouici Claremontani, & Beatricis Burgundicæ Burboniorum Dominæ.

SEQVVNTVR II DVCATVS, quos Simplices & Particulares simul vocant.

LONGÆVILLANVS.

Ducatum hunc auspicatus est Ludouicus XII. rex anno Christi M D V. vt gratificaretur Francisco Aurelienſi Comiti Dunensium.

TVTEVILLANVS.

Tuteuilla oppidum est Normandiæ. Exornauit hoc Ducatus titulo Franciscus I. rex in gratiam Francisci S. Pauli Comitis, cum is matrimonio sibi iunxisset Adrianum Tuteuillæ Dominum anno Salutis M D XXXIV.

CHEVREVSE.

Hunc Ducatum erexit Henricus II. rex anno Christi M D LV. in fauorem Caroli Cardinalis Lotharingici. Ioinuillius princeps eum nostra tempestate possidet, vtitur titulo eius armisque.

ALBRÆTENSIS.

Et hic Ducatus principia sua debet eidem Henrico II. regi sub annum M D LXXV.

RVANENSIS.

Carolus IX. Gallorum rex huius ducatus auctor est, qui eum erexit vt placeret Claudio Guiferio, Magno Franciæ Equitum Magistro sub annum M D LXVI.

BELLOPRATENSIS.

Idem Carolus nonus eodem anno huius Ducatus fundamenta posuit.

BOSSIACENVS.

Marchionatum Bossiacenum Ducatus titulo auctum sublimiorem fecit Carolus IX. rex ad annum Christi M D LXVI.

DVCATVS CASTRI S. THEODORI, CASTILIONIS AD Matronam, & Epernæus.

Sæpe memoratus rex Carolus IX. has tres Dynastias Ducali titulo exornauit in gratiam Francisci Alenconii anno Salutis M D LXVI.

EBROICENSIS.

Huius Ducatus initia debentur Carolo IX. regi, inciduntque in annum M D LXIX.

BRIENNENSIS.

Brienna Campaniæ oppidum est & Toparchia. Hanc titulo Ducatus insigniuit Henricus III. rex anno salutis M D LXXXVII.

CROVIACVS.

Hunc Ducatum erexit Henricus IV. rex in fauorem Ducis Arscotani.

BARLEDVCANVS.

Bario oppido Ducalem titulum donauit Philippus Valesius anno Æræ Christianæ M CCC XIX. Possidet hunc nostro æuo Lotharingiæ Dux, quanquam & ex parte agnoscat dominium Regis Francorum.

ELENCHVS EORVM PRINCIPVM, QVI ANTIQVITVS PARES Franciæ dicti fuerunt.

Fuerunt ab antiquis temporibus duodecim Pares Franciæ Principes, diuisi omnino in sex Politicos, vel (vt vocant) Laicos: & totidem Ecclesiasticos. Horum rursus tres Ducali vsi sunt titulo totidem appellatione Comitum.

Archiepiscopus Rhemorum, Dux & primus inter Pares Franciæ Ordinis Ecclesiastici.

Episcopus Laudunensis, Dux & Par.

Episcopus Lingonum, Dux & Par.

Tres comites Ordinis Ecclesiastici Pares hi sunt.

Episcopus & Comes Nouiodunensis, Par.

Episcopus & Comes Bellouacensium, Par.

Episcopus & Comes Cabillonensis, Par.

Secularium siue Laicorum Principum rursus hi Duces sunt.

Dux Burgundionum, Primus inter Pares Franciæ.

Dux Normandiæ. Dux Aquitaniæ.

Comites hi sunt.

Tolosæ: Flandriæ: Campaniæ.

Fabulosum est & ineptum, Pares Franciæ eorumque originem à Caroli Magni temporibus accersere velle: vel etiam certum eorum institutioni velle præstituere tempus, cum hic nihil certi statui possit, sed omnia lubrica sint & obscura. Sunt tamen qui obseruauerunt, ante tempora Caroli Simplicis, omnia prope regio dominio

dominio subiecta fuisse ; regnique prouincias longe aliter distributas fuisse, quam posteriori æuo : rege regni partes subiectis ministrisq; suis pro arbitrio concedente. Cæterum sub Caroli Simplicis regno multum potestatem & authoritatem regis accepisse detrimenti. Id enim æui totum regnum diuisum fuisse ac veluti scissum in septem maiores ac principes Prouincias, sub nominibus Comitum, Marchionum & Ducum cum potestate regia : his rursum alias minores velut Dynastias aut Toparchias subiectas, quæ à septem illis velut feuda subalterna aut secundaria dependerent, plane eo pacto, vt nostro æuo Comitatus Turonensis, Andium, Blesensis aliique non pauci directe dependent à Corona regni Franciæ. Inter septem illas maiores prouincias primo loco numeratam fuisse, quæ diceretur Francia proprie sic vocata cum agro Parisino, quo spacio id terrarum contineretur, quicquid est inter Sequanam & Ligerim amnes, vsq; ad fines Normandiæ. Verum huius Prouinciæ pomœria Hugo Magnus protulit, extenditque vsque ad interiora Picardiæ. Reliquæ sic ab iis numerantur: Burgundia, Normandia, Flandria, Aquitania, Languedocia (quæ tunc appellabatur Gothia) & quicquid possedit Herbertus comes, sub titulo Comitatus Veromanduorũ, extendens se vsque ad Campaniam, Picardiam & territorium Briense.

Quemadmodum autem septem hæ prouinciæ maximæ amplissimæque fuerint totius Galliæ: sic eos, qui has obtinuerint, non solum cæteris dynastis reguliscq; potentiores fuisse, sed & vendicasse sibi vna cum appellatione principũ nomina Primatum & superiorum Franciæ, adiectis titulis terrarum regionumque quibus dominati fuerint. Creuisse autem adeo horum principum potentiam, vt æmuli facti auctoritatis regiæ, secessionem facerent à Carolo Simplice rege, eo quod vellet quendam è numero comiliariorum suorum nomine Saganum in altiore supra principes constituere honoris fastigio, qui quamuis humili genere natus esset, totum tamen possideret regem. Hæc principum nimia pariter potentia & insolentia reges in contemptum adduxit, factos iam imbecilliores, vsque ad Hugonem Capetum ; & inter eius liberos ad tempora Ludouici Crassi eiusque successores, qui principes, cum regibus prope æquales essent potentia, neque quam iis eum præstiterint honorem, quem posterioribus temporibus. Quod si tunc magni illi Principes seipsos appellassent Pares, vt nostro æuo fit, non est dubium, quin deo se Pares dixissent, quod æquales essent auctoritate regibus : neque quidem absurde se ita nominassent, cum re vera tales essent. Rursum, si quis consideret conditiones, iura atque priuilegia, quibus antiqui illi regni magnates gauisi sunt: inueniet, dignitatem Parum non fuisse aliam ab ea qua Pares post Hugonem Capetum ætati sunt : quodque nos mouet, vt credamus, posteriores Pares ad exemplum priscorum illorum creatos fuisse, est, quod nemo ex omni Laicorum numero, qui supra recitati sunt, non fuerit aliquis è successorib. magnorum illorũ principum, quos ab initio adduximus : accedente hac insuper ratione: Si Hugo Capetus Ducatum suum Franciæ conferre voluisset vni è filiis suis hac conditione, ne vnquam deinceps rediret ad dominium regium, haberemus perfectum magnorum illorum principum numerum, qui antea in Gallia fuerant. Britanniæ Ducatus illis non accensetur, quamuis prouincia illa satis sit ampla & opulenta, & à Caroli Crassi temporibus vsque ad Hugonem Capetum à regibus neglecta fuit, cum regum præsentiam domestica exegerunt negocia illa autem longius abesset. Accedit quod Armoricarum illarum regionum principatus instabilis fere fuit & caducus, ob bella extera & ciuilia, quibus perpetuo distinebantur.

Neq; vero dubitari debet, Campaniæ Comites successisse in dignitate & possessione terrarum, quas suo tempore possedit Herebertus Comes inter sui æui Principes, quod prouincia eius inter liberos hæredes diuisa prope nomen suum perdiderit : Theobaldo prisco illo Turonum Comite, qui vnam ex filiabus eius vxorem duxerat, ad dignitatem soceri sublimato, cum is iure matrimonii factus fuisset per Campaniam potentior, quam dotis nomine accipere potuit.

Porro Hugo Capetus, cum Diadema regium adeptus fuisset, vt nouam sibi stabiliret potẽtiã, coactus est vnicuique principum eas relinquere terras, quas quisque Feudi aut Beneficii nomine à rege possidebat, cum omnibus graduum honorumq; titulis, & imperandi inter suos potestate, vt Duces atque Comites regni prope æquales haberet, excepto solo hominio & iuramento fidelitatis, ad quod regi præstandum ipsi obligarentur. Hinc descendisse nostri æui Pares Principes verisimile est, qui tantum ex è militarium ordine supersunt, quod Hugo Capetus Prouinciam suam, stricti dictam Franciam, indissolubili nexu cum regno vniuerit, quæ per antecessores eius ab dominio regio aulsa fuerat, quo facto Lutetia Parisiorum denuo facta est habitatio regum, quæ hac dignitate per aliquot annos caruerat. Hinc etiam intelligi potest, quare neque Duces Andegauenses, neque Aurelienses aut Turonenses Pares Franciæ non dicantur, cum dependeant velut beneficiarii à Ducatu Franciæ. Hæc est Lector, coniectura Vigenerii, quæ apud multos locum inuenit, certa potius quam verisimilis dicenda. At alii, inter quos agmen ducunt Pasquerius & Loiselius, patum pensi habentes eos, qui iam alte in antiquã illa tempora penetrant : Pares Franciæ à Patriciis Constantinopolitanis repetunt, multasque sententiæ suę in medium afferunt rationes, quas alii omnino improbant. Eorum ergo opinio à pluribus approbatur, quæ Pythoni quoque placuit : Pares Franciæ nomen suum non aliunde quam à communi Feudorũ vsu mutuasse: quod vasalli, qui obtinebant Feudum Caducarium

plane & directe ab eodem domino, dicerentur *Pares Curiæ aut Domus*, qui adsunt præsto domino, cum is possessionem terrarum suarum capessit, qui comitiis iudiciisque in causis feudalibus interesse solent, pluribusque vtuntur iuribus, quæ ipsis cum Franciæ Paribus communia sunt, si parua licet componere magnis: nã & hi interesse solent, velut primi, inaugurationi regum, suntq; præcipua summi in regno consilii membra, quod à paribus denominatur, vbi variæ feudorum, in primis eorum quæ ad Dominium regium spectant, disceptantur causæ, quocunque tandem nomine censeantur, in primis quæ ipsos pares concernunt: & vt verbo dicam, par Franciæ non est alius, quam Legatus & Vicarius Regis ipsius. Vnde apparet quotquot è Baronibus Feuda regalia obtinẽt cuiusmodi sunt Ducatus, Comitatus & eiusmodi, quæ ab rege, quatenus rex est, dependẽt, eos iure dici posse pares regni. Huiusmodi fuerunt à prima eorum institutione duodecim illi, quos supra commemorauimus: Dux Burgundiæ, Normandię, alii, quos nonnulli appellauerunt pares de iure communi, vt eos à cæteris distinguerent, qui postmodum hoc priuilegio ornati fuere. Numerus autem siue computus temporis certior iniri non potest, quam circa regnum Ludouici Iunioris, qui filius fuit Ludouici Crassi: nam ante huius tempora quidã horũ Ducatuũ eo titulo insigniti nõ fuerũt, siue fuerint in potestate regũ, siue ab iis possessi, qui hac dignitate caruerunt, siue deniq; non in vniuersum dominium regium agnouerint: quæ res coegit nonnullos, vt institutionem huius ordinis ad diuersa tempora retulerint. Regnante a. Ludouico Iuniore, omnes illæ prouincię, principes peculiares habebant pares Franciæ, qui eas obtinebant à rege, fidelitatisq; iuramentum ei præstiterant nomine feudi siue beneficii, quod nude à corona dependeret. Tunc enim Henricus Iunior, Regis Anglię filius Normandię Ducatum obtinebat, præstito clientelæ obsequiiq; nomine iuramento, fratre eius existente Duce Aquitaniæ. Eudo eodem titulo possidebat Ducatum Burgundiæ. Henricus Largus, Theobaldi Carnutensis frater Comitatũ habebat Campaniæ. Philippus Flander & Reinoldus Anfortii filius possidebãt Comitatum Tolosanum; Guilelmus vero Roberti filius Comes erat Flandriæ. Horum sex Principum potentia magna erat, eorumq; prouinciæ regni velut limitaneæ, vt irruptiones exterorum arcere possent. Burgundia enim regnum claudebat ad Ararim fluuium, qui antiquus fuit Francici regni limes: Normandia Oceanum attingebat: Aquitania idem mare & Pyrenæos montes, quibus Gallia ab Hispaniis separatur: Campania Mosam fluuium tangebat, qui alter limes est antiqui regni: Tolosa & Languedocia Rhodano amne & mari mediterraneo terminabatur: Flandria vero Scaldi & mari Germanico. Cur autem Burgundiæ Dux primum inter pares Franciæ nactus sit locum, Vigenerius hanc conatur afferre rationem. Henricum primum, quanquam post patris sui mortem primogeniturę ius adeptus fuisset, à matre tamen minus amatum fuisse, quæ illi Robertum fratrem iuniorem prætulerit, subnixum fauore quorundam regni principum. Cæterum Henricum adiutum à Duce Normandiæ, superiorem factum inimicis, coegisse Robertum, vt contentus Ducatu Burgundiæ, quem iure clientelæ possideret, de cætero acquiesceret. Verisimile igitur esse, eum hanc fratri feciſſe gratiam, vt eum cæteris paribus præferret. Reuersus est autem Burgundiæ Ducatus ad dominium regium Carolo Duce sine liberis masculis extincto. Normandia denuo coniuncta est regno, Anglis de perfidia & rebellione in iure conuictis exactisque: vt & Aquitania. Tolosæ Comitatus vi transactionis inter regem & Reimundum, postremum Comitem Tolosanum. Campania ad regnũ rediit, cum alia ratione satisfactum fuisset posteris ac hæredibus Ludouici Huttini. Flandria non amplius agnoscit Galliæ regem, postquam Franciscus I. iuri suo renunciauit.

PARES FRANCIAE ORDINIS ECCLESIASTICI.

HIc primum notandum est, ex omni procerum Ecclesiasticorum per Galliam numero, eos solos inter pares regni adscriptos, quorum Episcopatus Ecclesiæq; Cathedrales antiquitus comprehendebantur in terris oppidisq; quæ reseruatæ fuerant Carolo Simplici eiusq; filiis, vt ibi domicilium regium constituerent, & aulam figerent, Laudunense & Nouiodunense oppida notantur ab Historicis, quod fuerit ibi frequens regum habitatio. Sic Ludouicus Transmarinus dictus, Lingonum vrbem sub peculiare sibi assumsit patrocinium: vnde Lotharius rex anno Christi CMXXC. & Robertus sub annum MXXX. eo miserunt propria sua auctoritate Episcopos, non expectata vsitata electione, quod aliis in locis non moris erat. Bellouacensem comitatum accepimus ab Eudone donatum fuisse Rogerio Episcopo, regnante eodem Roberto rege, circa annum Salutis MXV. Obseruant Historici Bellouacensem Episcopũ nonnisi à quadringentis his postremis annis inter Pares Franciæ locum habuisse. Catalaunum certum est, iam inde ab anno CMLXIII. nulli principum Gallicorum subiectum fuisse. Archiepiscopi Rhemorum erat id æui præcipua auctoritas supra cęteros regni proceres cum Rhemenses iam ab antiquo à Ludouico Transmarino ius cudendæ monetæ obtinuissent, quod factum est anno Christi CMXXXVII. Robertus eum Episcopum Ducis & Paris titulo ornauit sub an. MLXXIX.

QVINAM DVCES AVT PARES FRANciae lecti sint posterioribus seculis nostroque aeuo iis per regnum gaudeant honoribus.

VENDOMENSIS.

COmitatus Vendomensis siue Vindocinus secundo ramo arboris siue domus Burboniæ insertus est, per Iohannem Burbonium; Iacobi filiũ, cum is matrimonio sibi iunxisset Cãtharinam hæredem Comitatus Vindocinensis. Auxit hunc ducis & Paris titulo Franciscus I. rex, mense Februario anni MDXIV. quod ratum habuit Curia Parisiensis a. d. V. sequentis mensis Martii: Camerã autem rationalis anno insequente MDXVI.

ANNOTATIO.

Rationes huius sublimitatis & dignitatis has allegare possumus: Officia regi præstita, propinquitas sanguinis, reddituum annuorum magnitudo, Dynastiarum ac Toparchiarum annexarum multitudo & opulentia, quales sunt: Mons ad Aquas duplices, Montoriã, Lauerdinum & Fanum Calatii, à nullo superiore præterquam à rege beneficii nomine dependentes; cum exemptione iurisdictionis, vt loquuntur; reseruatis tamen casibus regalibus & causis ad Parlamenti forum spectantibus. Conditio autem annexa hæc est: vt extincto principe sine liberis masculis, Paris dignitas simul extinguatur, solaque remaneat appellatio Ducis, quæ in fœminas transire possit: vt videri possit, Cæsarem, Henrici IV. regis filium naturalem & Ducissæ Bellofortiæ, donatariæ dicti Ducatus Vindocinensis; vere non posse sustinere titulum Patis Franciæ; nisi hoc Donatio facta secum portet; & approbetur ratumque fiat per iudices Cameræ rationalis: vt dignitas illa ad conseruandam Pariatus antiquitatem consistat in persona regis donatoris; qui dum vixit, eam transtulit in donatariam: cum facilius sit, rem aliquam continuare, quam extinctam viuificare. Tractat hanc quæstionem Chopinus lib. 3. de doman. fol. 495. nouæ editionis: *An vetustus Franciæ Pariatus mutatione personarum nouus esse dicatur?* concluditque non videri, cum ait: *Patritiatorum verius prædiorum sãriumque haberi quam personæ attributum.* Non debet autem distinctio ista egredi terminos, *dummodo primæui Patritiatus concessio finita non sit vltimi possessoris interitu, alioquin si prius extraneus patritiatem eiusmodi ducatum coemerit, illi nouum Patritiatus diploma erit impetrandum, nisi antiquum nominetur, & referatur ad omnes successores.* Quod si Cæsar ille, qui hoc æuo ducatum Vindocinensem obtinet, pro peregrino habetur, decisio quæstionis, illi duetsabitur; quod tamen à multis non existimatur.

DVCATVS GVISIVS.

Hic olim non nisi Comitatus fuit, vsq; ad tẽpora Francisci I. regis, qui vt gratificaretur Claudio Lotharingo, Ducis & Paris Franciæ eum exornauit titulo Kalendis Ianuarii anno Salutis MDXXVII. approbante summa Curia Parisina a. d. XII. Augusti mensis, & Camera computorum regiorum a. d. V. Septembris eiusdem anni.

ANNOTATIO.

Huius honoris atq; dignitatis causæ sunt variæ: Egregia in reges ac regnum merita, coniunctio antiquorum ducatuum cum dominio regio, propinquitas familiæ siue potius affinitas, cum Claudius iste duxerit vxorem Antoniettam Burboniam è Comitibus Vindocinis. Obseruant scriptores, primum hunc fuisse principem non sanguinis, qui Paris honore affectus fuit. Cõditio addita hæc est, vt ipse quidem cum liberis masculis nepotibusque hoc vratur titulo: extinctis iis simul expiret dignitas illa, remanente Ducis appellatione, vt de superiore siue Vindocinensi dictum est. Verba approbationis hæc sunt: *Ad onus, quod dicta Paria extincta, ressortus dictarum terrarum reuertetur in statum, qui ante creationem Ducatus & Pariæ extabat.* Camera autem rationalis ita habet: *saluis tamen Procuratori Generali suis actionibus, vbi impositorum aliquid Baroniarum & dominiorum aut subiectum redditui & vnioni seu incorporationi Coronæ Francicæ reperiretur.*

DVCATVS MOMPENSERIVS.

Comites Mompenserios imposterum Duces & Pares Franciæ salutari iussit Franciscus I. rex; gratificatus Ludouicæ Borboniæ, Mompenserii Dominæ, filioq; eius natu maiori Ludouico Borbonio, Principi Rupis Guionii; quam rẽ approbauit Curia summa Parisina mense Februario anni MDXXXVIII. & paulo post Præfecti reddituum ac rationum.

ANNOTATIO.

Contigit iis honor iste ob egregia merita, quibus maiores eorum superioribus temporib. regis sibi deuinxerant, accedente consanguinitatis vinculo, & Aruernorum Comitatu aliarumque terrarum, quæ iure patrocinii & clientelæ à solo rege dependebãt; exemptione item iurisdictionis. Lex hæc dicta fuit: vt extinctis hæredib. masculis simul expiraret Pariatus dignitas, saluo tamen Ducatus titulo.

DVCATVS ELBOVIVS.

Marchionatus hic antea fuerat, erectus in Ducatum, addito Paris titulo per Henricum III. regem mense Nouembri anni MDLXXXI. in gratiam Caroli I. Lotharingi Comitis Harecurtii. Ratum hoc habuit Curia Parisina a. d. XXIX. Martii mensis anno MDLXXXII.

ANNOTATIO.

Quod & ipsum factum est, vt Carolo illi rependerentur præmia ob sua & maiorum in regnum merita; quodque Marchionatus iste cum Baroniis & Toparchiis suis longe lateq; extenderetur, luculentosq; perciperet redditus: qui-

bus non tantum lætaretur ipſe, ſed & omnes eius hæredes legitimi, tam mares quam fœminæ; neq; ab alio quam à regio faſtigio illæ terræ dependerent: quod cum fecit, abſtraxit eas à Ducatu Normandiæ eiuſque clientela, exemitq; à iuriſdictione eius, quãtum Pariatus illius dignitas concernit duntaxat, nõ autem ſubiectorum litigia & iuriſdictionem ordinariam. Eadem hic lex valere iuſſa eſt, vt ceſſantibus hæredibus maſculis reuolueretur ad regẽ. Ratum habuit hoc Curia ſumma Pariſina pure ac ſimpliciter: quo facto præſtitit ille iuramentum Paris, receptuſq; eſt inter ſummos primę Curiæ, conſiliarios. Obſeruabit Lector, eodem modo litteras ſiue Diploma hoc ad Parlamentum Normandiæ miſſum, vt referretur in acta publica ratumq; haberetur, vt iam ante factum fuerat in eadem Curia, velut in foro competenti, cum Comitatus Longæuillanus Ducali titulo ornatus eſt per Ludouicum XII. regem, in gratiam Franciſci Aurelienſis, Comitis Dunenſis anno Salutis MDV. ne eximeretur aut diſtraheretur ab hominio Ducatus Normandici. Quanquam ſi verum fateri volumus, rectius præſtabũtur debita regi ſeruitia, ſi Ducatus illi, qui denuo coniuncti ſunt dominio regio, vt tamen minoribus natu filiis in peculium dari poſſint, non tam potentes habeant cliẽtelas, cuiuſmodi ſunt Ducatus. Sic enim fiet, vt peculiaria illa & attributa dominia nõ poſſint tantas ab vaſallis ſuis vires colligere, quas regi facturo eis bellum opponere queant: quanquã enim in omnibus beneficiis vel (vt vocant) vaſallagiis ſemper ſuperior excipiatur: non ſemper tamen ea lex debito modo obſeruatur. Huic incommodo vt occurratur, optimũ factu iudicamus, vt magna illa Feuda ſiue beneficia immediate dependeant à corona regia: quam rem vtrum multi noſtro ęuo conſiderauerint, haud pol ſcio.

DVCATVS NIVERNENSIS.

Niuernenſes Comites deinceps Duces atq; Pares Franciæ haberi voluit Franciſcus I. rex in fauorem Mariæ Albretanæ & Franciſci Cliuii, menſe Ianuario, anni MDXXVIII. approbante Parlamento a. d. XVII. ſequentis menſis Februarii, & curia computorum regiorum eiuſdem menſis die XXVIII.

ANNOTATIO.

Tilletus eo capite, quo de parib. Franciæ loquitur, obſeruat, Comitem Niuernenſem inter principes pares relatum anno MCDLIX. per Carolum VII. regem, dantem hoc beneficium Iohanni Burgundo: quod confirmauerit Ludouicus XI. prid. Kalend. Iulias anni MCDLXIV. Sed & Ludouicum XII. de nouo parẽ creaſſe Engelbertum Cliuium menſe Martio anni MDV. quod & in acta publica Curiæ Pariſinæ relatum fuerit. Exaltationis huius cauſas extitiſſe narrãt litteræ, ingentia merita maiorum eius, in reges ac totum Gallorum regnũ, inter quos caput alte effert Iohannes Burgundus, Brabantiæ Dux, Comes Nemurcenſis, auus dictæ Mariæ Albretanæ, qui regem iuuit Burgundis Galliam inuadentibus. Secundus ab hoc conſtituitur Engelbertus Cliuius, cuius commendatur ſtrenuitas in occupatione regni Neapolitani. Tertius eſt Iohannes Albretanus Comes Trecenſis & Retelenſis, Mariæ illius pater, qui cum Francisco Cliuio bonam regi operam præſtitit in bello Pedemontano. Accedit (vt in litteris illis habetur) dictum Comitatum Niuernenſem ab Iohanne Burgundo eiuſq; ſucceſſoribus poſſeſſum fuiſſe eodem paris titulo, qui vt pares Franciæ obiuerint munia ſua in regum Gallicorum inauguratione. Sequitur in Diplomate, exaltaſſe regem Comitatum illum in Ducatum (vbi notabit lector, quia pariatus vocabulum omiſſum eſt, prę-ſupponi illud haberiq; non dubium, etſi ea quæ ſequuntur verba renouationem aliquam innuere videantur) vt titulo illo, velut ab ſolo faſtigio regio dependente, vtatur cum ipſa Maria Albretana, tũ hæredes eius mares & fœminæ, aut quocunq; tandem iure in huius Ducatus poſſeſſionem ſuccedant, aut cauſam proprietariam in illis terris adipiſcantur, præſenti futuroq; tempore, ſub titulo, iure & prærogatiua Pariatus. Hæc nouiſſima verba nouam aliquam creationem innuere videntur, quia ſequitur: ſub cognitione & tribunali prouocatorio ſummæ Curiæ Pariſinæ, quod & à cæteris paribus obſeruatur: ſaluis caſibus regalibus & priuilegiis: ita tamen ne quid creetur damni aut præiudicii Mariæ illi Albretanæ in ſuis iuribus, proprietatibus, poſſeſſionibus & permiſſione dignitatis Ducalis ipſi eiuſq; filio vnico. Mandat igitur rex iubetq;, vt vi ac valore huius creationis in Ducatum & Pariatum (quæ verba non enunciatiua ſed diſpoſitiua cũ ſint, ſine dubio oſtendunt Niuernenſem pariatum nouum eſſe, abolito extinctoq; iure veteri) Maria illa & Franciſcus Cliuius gaudeant, lætentur fruanturque titulis, iuribus ac poſſeſſionibus conuenientibus. Eſtq; hoc Diploma approbatum tam à Curia Summa, quam à Camera computorum regiorum, pure ac ſimpliciter, & in acta publica relatum. Notandum inſuper eſt, controuerſiam de prærogatiua & conſidendi ordine motã, deciſam fuiſſe, referente Choppino ibid. pag. 495. Litigantib. Ludouico Gonzaga Duce Niuernẽſi per vxorẽ, & Duce Montmorancio, dicente Montmorancio, mutatas eſſe in illa pariatus dignitate perſonas: vnde Dux Niuernenſis litteras declaratorias obtinuit à rege, ſcriptas a. d. 27. Februarii an. MDLXVI. eſtq; lis illa diiudicata in conſilio menſe Iunio anni MDLXVII. Eandem controuerſiam Niuernẽſi mouit Dux Aumalius, priores in conſeſſu partes ſibi vendicans; vicit autem cauſam Niuernenſis, obtinuitq;, vt præcederet Aumalium, oſtendentibus iudicibus, nihil hic dari ſplendori generis, cum vterq; Princeps eſſet extraneus, ſed ordini pariatus. Sententia lata ac publicata eſt in ſuprema Curia a. d. V. Septembris anni MDLXXIX. Præter has controuerſias alia quoq; lis commemoratur, in eodem obiecto mora Niuernenſi à Duce Guiſio anno Salutis MDLIII. vbi pro Guiſio

sio contra Niuernensem pronunciatum est, ita exigente erecti Pariatus ordine. Vnde potius coniicere est posteriorē collati pariatus Niuernensis habitam rationem, eumq; post Guisios in ordinem missum, secus ac Tilletus perscripsit.

DVCATVS AVMALIVS.

Franciscus Lotharingus, filius maior Claudii Ducis Guisii, Comes Aumalius, primus Dux & Par Franciæ salutatus fuit, ab Henrico secundo, cum is ad regni fastigium adscendisset, mēse Iulio anni MDXLVII. Ratum id habuit Parlamentum a.d.V.Ianuarii anni MDXLIIX. Camera autem rationalis a.d.XII. eiusdem mensis & anni.

ANNOTATIO.

Adscendit Comitatus iste ad hoc honoris culmen ob merita Francisci illius Lotharingici in regem, & quod in Henrici II. inauguratione Paris Franciæ munus obiuerat, tam suo quā Claudii fratris sui nomine, vti conuenerat contracto matrimonio inter eum & Franciscam Busæam, filiam Dianæ Pictauiensis, Comitis Valentinæ. Lex eadem quæ aliis dicta, vt extincta prole masculā Paris quoq; dignitas expiraret, saluo Ducatus titulo, cum exemptione iurisdictionis prēterquam in casibus regalibus, approbante Curia Parisina.

MERCVRII DVCATVS.

Primus Dux & Par salutatus est è Principibus Mercurii Nicolaus Lotharingus, validi montis Comes, ab rege Carolo IX. mēse Decembri, anno MDLXIX. Acceptauit hoc retulitque in archiuum Curia cum Diplomate accessorio Henrici III. a.d.XX. Augusti mensis an. MDLXXVI. An Camera computorum idem approbauerit nondum liquet.

ANNOTATIO.

Meritus fuisse creditur hoc quicquid est beneficii Nicolaus ille, cum multū laborasset, velut arbiter, ad conciliandam pacem inter Henricum II. & Hispanorum regem; accedente illius prudentia atq; vigilantia, cuius specimina ediderat, cum tutelam gessit Francisci Lotharingiæ Ducis, pupilli. Sunt & aliæ rationes allatæ in medium: Splendor & claritas generis, principatus amplitudo, qui multis bonis oppidis, castris arcibusq; abundat, clientelarum præstantia, existentibus eius beneficiariis nonnullis Comitibus Baronibusq;. Iussus igitur est Nicolaus hoc beneficio perfrui, in posteros ac hæredes tam mares quam fœminas transmittere, idq; à potestate regia absolute acceptum agnoscere: delibata ab Aruernorum Ducatu decerptaque iurisdictione, nomine iuris duntaxat & priuilegii pariatus, cum iure prouocationis ad Curiam Parisiensem, & derogatoria ordinaria ad vniendos denuo cum potestate regia Ducatus, Marchionatus & Comitatus.

DVCATVS MOMMORANCIVS.

Baroniæ nomine hæc regio olim nota fuit, aucta postmodum Ducatus & Pariatus titulo in gratiam Annæ Mommorancii, Connestablii Franciæ, per Henricum II regem, mense Iulio anni MDLI. approbante rem actam summa Curia a.d.IV. Augusti mensis, & Camera rationum die sequenti eiusdem anni. Dissentit ab hoc Tilletus, qui ad mensem Iulium anni MDXLVI. refert, authoremq; huius dignitatis laudat Franciscum I. regem.

ANNOTATIO.

Mouerunt autem vel hunc vel illum regem ad hoc beneficium egregia viri in Gallię regnum merita, quodq; Baronia hæc primo loco habeatur inter omnes totius Galliæ, cuius Dynastæ sēper nobilissimi fuerint existimati, inprimis autem Matthæus Mommorancius, Connestablius Franciæ sub Philippo Augusto. Addita lex est, vt intercidente posteritate masculā, paris dignitas collapsa habeatur, salua tamen Ducali sublimitate, sine distractione iuris prouocandi ad Curiam.

DVCATVS PONTERIVS.

Comitatus hic ad Ducis & Paris Franciæ honorem exaltatus est per Carolum IX. regem in gratiā Sebastiani Lucemburgici, Comitis Ponterii, & Vicecomitis Martiguii, mense Septembri anni MDLXIX. approbante inq; acta publica referente Summa Curia a.d.XV. eiusdē mensis, Camera autem computorum a.d.VII. Octobris eiusdem anni.

ANNOTATIO.

Mouit regem magnitudo & dignitas familiæ Lucemburgicæ, è qua etiam Imperatores aliquot prodierunt, confœderatioq; cum regibus Gallorum, Ducibus Burgundiæ, Sabaudiæ Britanniæque; accedente etiam sanguinis propinquitate ac affinitatibus: vt Sebastianus ille gauderet hoc beneficio, cum successoribus hæredibusque suis tam maribus quam fœminis, nec solū hoc de Ducatu sed & Pariatū caperetur: Ducatu duntaxat cōsideratione Pariatus ab Ducatu Britannico auulso, neue ipse hæredesque eius à conuentibus ordinum Britanniæ excluderentur, sed eundem, quem Comites Ponterii seruare consueuerant, obtinerent locum: addita iurisdictionis exemptione, extra casus regales & iure prouocationis ad Parlamentum Britannicum (saluis tamen ab hac quoq; prouocatione casibus iuribusq; ad Pariatum spectantibus) cum onere, vt deficientibus maribus fœminisque tam natis quam nascituris è procreatione dicti Lucemburgici, vel si liberi eius mares non gignerent, vt ita in illis virilis sexus cessaret, tam Ducis quam Paris appellatio cessaret simul, & dictæ terræ ad Comitatus iura antiqua reuoluerētur. Ratum id habuit Curia summa cum Parlamento Britannico, quōd prouocationis ius sibi reseruauit, exceptis casibus qui Pariatum concernunt, neue hoc in exemplum traheretur. Conditio addita fuit, vt solemne iuramentum Curiæ præstaretur.

DVCATVS MAENIVS SIVE CENOMANNORVM.

Marchionatus hic in Ducatum & Pariatum erectus fuit in fauorem Caroli Lotharingici, qui filius fuit secundo genitus Francisci Ducis Guisii, per Carolum IX. regem, mense Septembri an. salutis MDLXXIII. approbante Parlamento a. d. XXIV. eiusdem mensis & anni.

ANNOTATIO.

Testatus est hoc pacto rex agnoscere se singularia merita & officia, quæ Claudius & Fräciscus Lotharingici, Duces Guisii pater & auus, itemq; Henricus Guisius, frater Caroli natu maior, Galliæ regibus præstiterunt: Inter quæ late eminuit defensio vrbis Pictauiensis, itemque alia virtutis specimina in proximis his bellis: ideoq; iussit, vt tam ipse quã hæredes eius succedere gauderent eo Ducatu cum Baroniis terrisq; vnitis, nec alium quam regem vnquam agnoscerent beneficii dominum, cum exemptione iurisdictionis, præterquam in casib. regalibus, & quæ appellationis iure ad Parlamentum Parisiense spectant, annexa hac cõditione, vt nihilo secius Ducatus ille cum cohærentibus dynastiis diuidi separariq; posset, ac si nunquam coaluissent. Additum est his colophonis loco, vt quãuis ex veteri lege filiæ succedere non possent, id tamen in hoc priuilegio non obseruaretur.

DVCATVS PINÆVS.

Huic Ducatui ius Pariatus collatum est per Henricum III. regem mense Octobri anno MDLXXXI. in gratiam Francisci Lucemburgici, approbante factum Parlamento a. d. XXX. Decembris mensis dicti anni.

ANNOTATIO.

Fuerat iam ante principatus Pinæus Ducali titulo ornatus per eundem Henricum III. Decembri mẽse anno Salutis MDLXXVI. in eiusdem Francisci Lucemburgici fauorem, adiunctis non paucis possessionibus in diplomate cõprehensis, vt iis lætaretur cum ipse tum hæredes eius mares atq; fœminæ, & de iure successores, dependente beneficio à solo rege, habita ratione Baroniæ & craſſæ illius turris in arce Regia Parisina, cum reseruatione iuris prouocatorii ad Curiam Parisinam immediate, vt incolæ Ducatus illius causam dicerent coram præside Caluomontano, exceptis solis casibus regalibus. Derogatum hic est Edicto Molinæo, quod ad vnionem Ducatuum, Marchionatuum & Comitatuum, in casu defectionis liberorum masculorum, quod cum ratum haberet Parlamentum, expresse cauit, ne id in exemplum traheretur, a. d. XXVIII. Septembris anni MDLXXVII. subscripsit Camera rationum a. d. IX. Augusti mensis anno MDLXXXII. Postea Duces illos inter Pares principes adscripsit Henricus III. vt ea dignitate lætaretur cum ipse Franciscus Lucenburgicus tum eius hæredes. Causã fuit regi hos honores in ipsum conferendi splẽdor & amplitudo illustrissimæ familiæ Lucenburgicæ, è qua præter reges aliquot prodiuerant quatuor Imperatores & Marchiones Sacri Imperii, itemque Connestablii & Mareschalli Frãciæ. Maternum genus ducebat à bona Lucenburgica, quæ nupterat Iohanni regi, vnde agnatio cum sequentibus regibus, domo item Andegauensi, Bituricensi & Burgundicę. Huc accedebant fœdera & affinitates cum potentissimis regnis, Gallia, Anglia, Hungaria, Dania; nec non cũ illustrissimis Ducibus, Austrię, Sabaudiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Niuerni, Cliuiæ, Flandrię, adeoque cum plerisque Germaniæ Principibus. Mouebant etiam egregia in Francorum regnũ merita Valeriani & Caroli Lucenburgicorum, qui Connestablii fuerant, & Antonii Lucenburgici, Mareschalli Franciæ.

DVCATVS AQVILONIVS.

Henricus IV. Galliæ rex Baroniam Aguillonam Ducatus appellatione dignatus est, interque Pariatus Franciæ retulit mense Augusto anni MDXCIX. gratificatus in eo Henrico Lotharingico, Caroli Ducis Mænii filio primogenito. Subscripsit Parlamentum ad d. II. Martii anni MDC.

ANNOTATIO.

Datum hoc est fidei & officiis dicti Ducis Mẽnii maiorumque eius, quibus reges Gallorum demeriti sunt, necnon proprinquitati sanguinis, qua non ipse solum sed & mater eius Henrica Sabauda regem attingebant, accedente matrimonio inter eum & Henricam Gonzagiam, Ducis Niuernensis filiam. Annexæ autem sunt huic Baroniæ, postquam ad Ducale fastigium adscendit, aliæ quoque Baroniæ, Montpesacum, Sancti Libradii, Madallianum & Bleuiratum, quib. & ipse hæredesque eius in perpetuum gauderent, solumque regem beneficii dominum agnoscerent, nomine arcis regiæ Lutetiæ, reseruata Parlamento Burdegalensi prouocatione in causis ipsum Parlamentum concernentibus, à iudice curiæ Aguilloniæ, inque causis regalibus, cum clausula derogatoria, edicto de reuniendis Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus cum corona comprehensa, in defectu hæredum masculorum. Subscripsit diplomati Curia suprema nude & simpliciter, ita tamen vt præstaretur regi iuramentum.

DVCATVS ROHANENSIS.

Vice-Comitatus hic ad Ducis Parisque Franciæ dignitatem euectus est per Henricum IV. regem mense Aprili anno MDCIII. in gratiã Henrici de Rohan, Domini Leonii, quod ratum habuit Curia Parisina a. d. VII. Augusti mensis eiusdem anni, Parlamentum autem Britanniæ subscripsit a. d. XVI. Octobris eiusdem anni: Camera autem rationalis a. d. XXIIX. Maii an. MDCIV.

AN-

ANNOTATIO.

Non dubium est, quin hoc datum fuerit antiquæ nobilitati virtutibusque eius, maiorumque illius, in primis autem meritis Renati Vicecomitis Rohanensis, Patris eius, quodq; familia hæc semper primo loco fuerit apud Gallorum & Nauarrenorum reges, vt & apud priscos Duces Britanniæ, & quod longa successione à M C C. annis eorum progenies mascula numerari possit. Accedit quod Vicecomitatus iste habebat multa oppida mœnibus clausa, vltra X L. Parochias, multosque clientes ac beneficiarios. Iussus est igitur Henricus iste Ducis & Paris iure atque appellatione vti, omnesque eius liberi ac successores masculi, quibus deficientibus, tam Ducis quam Paris dignitas cessaret, vtque hoc beneficium à solo fastigio regio penderet, præstito iuramento fidelitatis, & saluo prouocationis iure Parlamento Britannico. Approbauit Curia Parisina cum onere tituli & prærogatiuæ honoris saltem Ducis & Paris, donec satisfactum esset indemnitati præstitæ de non diminuendo iure & dominio iurisdictionis, vtque causæ Pariatum concernentes disceptentur & iudicentur in Curia Parisiensi, priuatim in Parlamento Britannico: neue in exemplum res traheretur. Iurauit in has conditiones Henricus Rohanensis, vt Ducem & Parem regni facere par est ad d. VII. Augusti mensis anno Salutis M D C III. Approbauit Parlamentum Britannicum acta hæc, inq; archiua retulit, annexa conditione, ne ciues subditique illius Ducatus extra Parlamenti iurisdictionem conueniri possent, vtq; litteræ declaratoriæ intra sextum mensem à rege impetrarentur; saluo iure eorum, qui his reb. contradicere possent, reseruatisq; casibus iudicio regio.

DVCATVS IOYEVSE.

Annas Vicecomes primus fuit, quem Ducem & Parem Franciæ appellauit Henricus III. rex, mense Augusto anni MDLXXXII. subscribente Parlamentio a.d. VII. Septembris eiusdem anni.

ANNOTATIO.

Non dubium est, quin id datum sit nouæ affinitati, cum Annas ille duxisset sororẽ regis, qui affini indulsit, vt dignitate illa frueretur cum ipse tum hæredes successoresq; eius, vt incedendo, suisq; muniis fungendo statim sequeretur principes, Duces autem & Pares, qui non essent principes, etiam antecederet. Subscripsit Parlamentum, postquam varias conditiones proposuisset, vt iis gauderet honorib. cum ipse tum hæredes liberiq; eius è legitimo matrimonio.

DVCATVS RETELENSIS.

Hic olim Essui populi putantur habitasse. Exit hunc Comitatum in Ducatum addita Pariis Franciæ appellatione Henricus III. mense Decembri anni MDLXXXI. in gratiam Ludouici Gonzagæ & Henriettæ Cliuiæ, Ducum Nivernensium Comitumq; Retelensium, approbante Parlamento a.d. 13. eiusdẽ mensis & anni.

ANNOTATIO.

Putatur autem Henricum regem mouisse Comitatus Retelensis amplitudo, cum habeat sex oppida muris clausa, contineatq; Baroniam siue Dynastiam Rosæam: vt Ludouicus Ducis titulo & dignitate vterentur cum ipse, tum hæredes legitimi, mares & fœminæ in perpetuum. Notatur hic à quibusdam, Paris vocabulum in his verbis non repeti. Acceptauit hoc Curia, inque acta retulit.

DVCATVS HALVINIVS.

Prouincia Magnelæa XVI. aut XVII. oppidis insignis, Marchionatus titulo nobilis fuit vsque ad annum MDLXXXVI. quum eam rex Henricus III. in Ducatuum & Pariatuum numerum adscripsit, addito Haluini titulo, in gratiam Magnelæi Marchionis, vtque remuneraret præstita sibi à familia Pienna officia; & quod daret hoc memoriæ Haluini Flandriæ.

ANNOTATIO.

Habuerat Magnelæi Dominus filium, qui cũ ante patrem defunctus fuisset, mater huius marito superstes, ceu dotis nomine vsa est titulo Ducatus Aluinii, vi creationis huius, qua ipsa quoq; dignitatis huius fiebat particeps, non minus ac maritus, quod sic statuisset Henricus IV. cum in viuis fuisset. Post cuius mortẽ Ludouicus XIII. adhuc sub tutela reginæ matris constitutus, expertus fidem & officia Ducis Epernonii, totiusq; adeo familiæ Candalensis & Piennensis, extendit prorogauitque Ducis & Paris Franciæ appellationem in Comitem Candalensem, primogenitum Epernonii filium, qui duxerat filiã vnicam Marchionis Magnelæi, neptem Ducis Aluinii, deditque super ea re nouas litteras, approbatas à Parlamento a.d. 28. Maii, an. salutis MDCXI. cumq; Candalius fidelitatis iuramentum præstitisset, receptus est à Parlamento per Decretum a.d. 23. Aprilis an. MDCXIV. Vtitur autẽ Candalius iure atq; dignitate Ducatus Aluinii, cuius repræsentat primam erectionem, & percipit redditus terrarum ac si nunquam eæ vacassent. Sequenti tẽpore Marchionissa Magnelæa, dissoluit matrimoniale vinculum inter filiã suam & Candalium, adducta iustis legitimisque rationibus, nupsitq; filia ista de nouo Nanteuillio Comiti, filio Comitis Schonenbergici, qui iure huius matrimonii vtitur nomine, titulo & iure Ducis Aluinii & Paris Franciæ.

MONTBASSONIVS DVCATVS.

Fuit Ludouicus Rohanensis, Montbassonius Comes, ab Henrico III. rege Dux & Par Franciæ appellatus mense Maio anni M D L XXXVIII. adprobauitque Parlamentum in Turronibus id a.d. 27. Aprilis MDLXXXIX. & Camera computorum a.d. 7. Maii eiusdem anni.

ANNOTATIO.

Causa huius rei extitit sublimitas & anti-

quitas familiæ Rohanensis, qui generis sui auctorem laudant primum Britannorum regem, recitantque longo ordine prosapiæ suæ in masculis indubitatam seriem ab annis mille ducentis, iactantque fœdera, quæ ipsis cum clarissimis totius orbis Christiani Principibus intercesserint, vt & officia regibus ab antiquis temporib. præstita, in primis Petri Rohanensis, Mareschalli Franciæ virtutem in pugna ad Foronouum. Ludouico igitur permissum est, vt frueretur ipse Ducis & Paris Franciæ titulo, cum terris ipsius Ducatus, cuius membra sunt Baronia S. Mauri, ad Monasterium & Hagam, eiusque liberi mares tantum, legitime ab eo procreati, vtque Ducatus à nullo quam rege dependeret, vtque terris illis à Iudice Montbassonio ius diceretur, salua prouocatione ad Curiam: hac tamen lege, vt deficientibus hæredibus masculis tam Ducalis quã Paris dignitas simul expiraret, reducta prouincia illa in veterem sortem & appellationem. Approbauit hoc suprema curia, habitaque ratione ordinis, dignitatis & auctoritatis Ducis atque Paris, iuramentum ab eo exegit, non neglectis cæteris quoque, quę in hoc genere obseruari solent: vt qui contradicturi essent audirentur, vt implerentur conditiones, nihilq; iura regia paterentur detrimenti.

DVCATVS VENTADVRIVS.

Ducatui Ventadurio Paris dignitatem adiunxit Henricus III. mense Iunio, anni à Christo nato MDLXXXIX.

ANNOTATIO.

Comites cum antea fuissent Dynastæ Ventadurii, vsq; ad Gilbertum Leuium, Henricus III. rex eum Ducem dixit, vt ipse cum hæredib. successoribusq; melioris sexus eo perfrueretur honore, approbante id Parlamento a.d. XIII. mensis Maii, anni superius commemorati. Stipulatus est ab eo Procurator Generalis, ne contradicente quidem Gilberto, vt Ducatus is extinctis hæredibus masculis ad regium dominium reuerteretur, confirmauitq; stipulationem Camera computorum, propositis conditionibus per sententiam Curiæ. Henricus autem IV. eandem gratiam fecit Annæ Leuio, Gilberti filio, repetitis oneribus & in edicto a.d. XIII. Maii anno MDLXXVIII. scripto comprehensis: ne quid nouaretur in iurisdictione aut petitione iuris visitata, quæ eadẽ in litteris declaratoriis perscripsit idem Henricus IV. a.d. IX. Iunii anni MDC IX. subscribente Parlamento a.d. III. Iulii mensis eiusdem anni, vt & Camera rationum paulo post: in quo postremo diplomate clausula illa de reuersione omissa est & sublata penitus.

DVCATVS THVARENSIS.

Huic quoque adiuncta est Paris dignitas, in gratiam Claudii Tremulii per Henricum IV. regem, mense Augusto, anni MDXCV. Parlamentum ratum habuit a.d. VII. Decembris mensis, anno MDXCIX.

ANNOTATIO.

Ornauerat iam ante Ducatus titulo dynastiã Thuarensem Carolus IX. idq; anno MDLXIII. mense Iulio, adductus egregius Tremuliorum in reges Gallos officijs, inprimisq; Ludouici Tremulii, qui Legatus fuerat Caroli VIII. regis in prælio ad S. Aubinum, in pugna ad Marignanum, sigillatim autem in clade ad Ticinum, vbi fortiter dimicans pro rege Francisco in acie cæsus est: quin & ob virtutem Caroli Tremulii, Principis Talmontii, Ludouici filii, qui in prælio ad Marignanum occubuit; accedẽre etiam antiquæ nobilitate & splendore familiæ Tremuliorũ, inter quos illustria virtutis specimina edidit Claudius Tremulius in nouissimis hisce bellis, vt iam taceamus de illius in regem meritis, & affinitatibus. Hinc factum est vt cum Ducis titulo Paris Franciæ dignitas coniungeretur, vt ea perfrueretur non ipse Claudius solum, sed & eius liberi ac hæredes masculi, vtque amissa prouincia à Senescballi Pictauiensis iurisdictione suis vteretur legibus suoque iure, exceptis casibus regalibus: vtque beneficium à solo rege dependeret, deficiente autem prole mascula Paris dignitas cessaret, ipsa regio in pristinum statum relaberetur. Subscripsit summa Curia, addito hoc saltim, vt dignitate illa gauderet, sine fraude aut præiudicio dominii regii eiusq; iuris, quod Procurator regius in Vice Comitatum Thuarensem prætendebat.

DVCATVS EPERNONIVS.

Hanc Baroniam Henricus III. ad Ducalem sublimitatem euexit, addito Paris titulo in gratiam Iohannis Ludouici Nogareti, Valettæ Toparchæ, cui rei subscripsit suprema Curia a.d. XXVII. Nouembris an. MDLXXXI.

ANNOTATIO.

Dedit hoc haud dubie rex antiquitati ac splendori nobilissimæ Nogaretiorum gentis, qui pro dignitate regni Galliæ multum desudauerunt regnante Philippo pulchro, & virtutibus Magni Senescballi Bellocariorum, è quibus longa annorum serie ortus est Dux Epernonius, accedẽtibus meritis Iohannis Nogaretii Valettæ Domini, qui Eques fuerat sacræ militiæ, quodque Dynastiam Epernoniam antea possederant Comites Vindocini, postea Britanniæ minoris Duces, vt Iohannes Ludouicus Dux & Par Franciæ salutaretur cum ipse tum liberi eius vtriusque sexus in perpetuum: cum iure tamen prouocandi ad Curiam Parisinam, & exemptione iurisdictionis, extra casus regales. Accessit & alia causa in litteris expressa, quod rex constituisset affinem suam, sororem cõiugis Reginæ Epernonio nuptum elocare. Constituere illum igitur arq; velle, vt in ordine consessus suum cum Principib. obtineret locũ, cæteris vetoDucib. Paribusque ẽt anteferretur, excepto Duce Ioieusio, cum clausula derogatoria quantum ad vnĩedos cum corona regia Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Ratum id habuit Parlamentum pure & simpliciter, auditis prius præsidibus. Tullensibus quo facto receptus est inter Pares Franciæ, & consequenter adscriptus numero Consiliario-

rum

tum, præstito fidelitatis iuramento. Obseruabit lector, Ducem hunc Epernonium non duxisse sororem reginæ, vt supra quidem perscriptum est: sed hæredem principatus Candalensis: non immerito igitur in dubium vocata est prærogatiua illa ante cæteros principes, quæ matrimonio illo nititur, quod tamen, vt diximus non est sequutum.

DVCATVS RAESENSIS.

Huic Comitatui Ducatus & Pariatus dignitatem donauit Henricus III. mense Nouembri anni MDXCI. gratificatus Alberto Gondiæo, & Catharinæ Claræmontanæ vxori eius, Comitibus Ræsensibus. Subscripsit Parlamentum a.d. 20. Martii anno Salutis MDXCII.

ANNOTATIO.

Causam huius rei arbitramur, quod Comitatus iste late extendatur, magnosq; possessoribus suis fructus afferat: quod maiores Alberti, primas in Republica Florētina partes obtinuerint, splendidissimaque possederint ædificia & sumptuosa Palatia, tam in ipsa vrbe Florentia quam extra eam, accedente hoc præcipuæ nobilitatis indicio, quod idem fuerit creatus Princeps equestris ordinis per Tusciā, cui à S. Spiritu nomen est: postremo quod fortiter fecisse in sex præliis historiarum monimentis celebribus, in Pedemontana regione & alibi: quæ omnia claritatem hominis ostendunt. Hæc cum sequentibus in medium afferenda fuere, postquam diuersæ sunt hominum sententiæ. Alberto permissum est frui dignitatibus illis vt & eius posteris, hęredibus masculis, donec mares superstites futuri sunt, seperatis à fidelitatis iuramento & prouocatoria Parlamenti Britannici, pariatus duntaxat cōsideratione, omniumq; causarum & iurium, quæ inde dependēt: ita tamen, vt propterea nec ipse nec posteri eius prohibeantur interesse conuentibus ordinum Britanniæ, vt Comitem & Decanum Ræsensem facere par est. Subscripsit diplomati regio Parlamētum iis quæ adhiberi consueuerunt saluis conditionibus: postquam solenne iuramentum ab eo exegerunt, in primis illud quod Mareschallum Franciæ præstare par est: quo præstito, iurauit etiam Ducis nomine.

FRONSACENSIS DVCATVS.

Fronsaci Marchionatum, Ducatus & Pariatus titulo decorauit Henricus IV. rex in gratiam Francisci Aurelienſis, S. Pauli Comitis Gubernatoris & Legati regii per Picardiam, mense Ianuario anni MDCVIII. Approbauit id summa Curia a.d. XVIII. februarii eiusdem anni in Curia Burdegalensi, cuius in prouocatione ius agnoscit Ducatus iste Fronsacensis.

ANNOTATIO.

Factum hoc est ob præclara in regnum merita & officia singularia familiæ Longæuillanæ & comitum Dunensium, à quibus illi originem habuerunt, quorum seruitiorum memoria adhuc viuit apud eos, qui non leues inde perceperunt fructus. Lex dicta est, vt principatum illum obtineret nomine beneficii à solo rege proficiscentis, postquam id auunculum fuisset à Ducatu Aquitaniæ ad Comitatum Petrocoriorum, quem Patroni iure etiam data fide antea obseruauerat: in solis tamen causis pariatum concernentib. cum adnexa clausula, vt extinctis hæredibus masculis vtr. q; dignitus, tam Ducis quam Paris expiret & deleatur, reuertatq; iurisdictio ad priorem suum statum.

DVCATVS DAMVILLANVS.

Baronum Damuilliorum in Duces ac Pares Franciæ exaltationem debemus Ludouico XIII. regi, qui hoc modo gratificatus est Carolo Mōtmorācio, Archithalasso Galliæ, filio & fratri Annæ & Henrici Comitum Stabuli Franciæ, cum numeraretur annus à nato Christo MDCX. subscripsit Parlamentum a.d. XXX. Decembris mensis eiusdem anni.

ANNOTATIO.

Datum est hoc beneficium meritis officiisque Montmoranciorum, quæ hoc pacto ad exemplum maiorum suorum regum Galliæ grato aliquo munere compēsare voluit rex iuuenis, gnarus, digna virtuti rependēda esse præmia, fidosque ac strenuos homines honoribus, titulis, officiis, dignitatibus ad virtutis exercitia inuitādos, in primis qui iam eius rei illustria ediderunt specimina, vt eorum exemplo allecti reliqui & ipsi ad parem laudis adoream enitantur. Multum etiam ad rem fecit antiquæ familiæ Montmoranciæ nobilitas, è qua tot viri illustres & magnamini prodierunt, qui ad conseruandam Gallici regni sublimitatem & regum auctoritatem seipsos prope deuouerunt, à quo affectu nunquam transuersim se abripi passi sunt: inter quos caput effert Matthæus Montmorancius, qui ad annum Salutis MCCXXII. regnante Philippo Augusto, Connestablii Franciæ dignitatem nactus est, vt & posterioribus temporibus Annas & Henricus Montmorancii: vnde Baronia Damuilia circa annum MDLII. multum aucta fuit accessione aliquot dynastiarum & Aerifodinarum, vt luculentæ aliquot clientelæ, in quibus circiter XXXV. Parochiæ sunt, Principatum Damuillanum Patroni iure agnoscant: vt ea dignitate perfruatur Carolus Montmorancius dum viuat, & post mortem eius hæredes eius mares è legitimo matrimonio procreati: quos si nullos post se relinquat; succedat Henricus Montmorancius patruelis eius, & post eum hæredes masculi, ab ipso legitimē geniti in perpetuum; gaudeantq; Ducis & Paris titulo.

VCETIENSIS DVCATVS.

Huic Ducatui Pariatus dignitatem adiunxit Carolus IX. rex mense Ianuario an. MDLXXII. gratificatus Iacobo Crusollio, Duci Vcetiensi. Ratum id habuit suprema Curia a.d. 3. Martii eiusdem anni: & Camera computorum regiorum a.d. II Ianuarii anni MDLXXVII.

AN-

ANNOTATIO.

Olim Vcetia Vicecomitatus fuit ; sed Ducatus titulus ei accessit anno MDXCV. in gratiam Antonietti Crusolii, cum onere, vt deficientibus maribus ad dominium regis reuolueretur, cum exemptione iurisdictionis, præterquam in casibus regalibus, saluo prouocandi iure ad Parlamentum Parisiense in casibus Pariatum concernentibus, quin & ad Parlamentum Tolosanum extra casus, quos vocant Præsidiales. Receptus est ad præstandum fidelitatis iuramentum.

DVCATVS BELLOFORTIVS.

Comitatus Bellofortius ad Ducis & Paris sublimitatem adscendit opera Henrici IV. regis qui id dedit affectui suo in filiũ suũ naturalẽ Cæsarem, & matrem eius Marchionissam Monticulorum, conscriptis eã de re litteris anno Christi MDXCVII. approbatis in Parlamento a. d. X. Iulii eiusdem anni. Subscripsit Camera rationalis a. d. I. Augusti mensis.

ANNOTATIO.

Quanquam Comitatus iste dicto demum anno Ducis Pariſq; titulo exornatus fuerit, in diplomate tamen regio perscriptum est, velle regem, vt Marchionissa illa eiusq; filius Cæsar, cum vtriusq; hæredibus tam maribus quam fœminis, proximum in consessu locum obtineat à Ducib. paribusque Montmorancijs ; quasi immediate post hos creati essent. Mouit a. haud dubie regẽ quod Comitatus iste inter antiquissimos & nobilissimos est totius Galliæ, qui semper possessus est à principib. Foxensib. Albretensib. & Niuernensib. sibi inuicem succedentib. Monticulorum a. Domina eum adepta est à principe fœmina Guisia, quæ ex parte hæres fuit Ducatus Niuernensis, adiunctis adhunc terris ac dominiis nõnullis aliis, inter quę eminet Baronia Iancurtia. Mandat igitur rex, vt mulier illa cum filio Cæsare, eiusq; successores vtriusq; sexus fruantur illis terris ac dignitatib. in perpetũũ, solumque beneficii dominum agnoscant regem, eiq; iuramentum præstent, cũ prouocatione ad Parlamentum Parisiense, vt antea, vt ipsi eorumque successores ad primam instãtiam, si ita videbitur, possint causas dignitatem Pariatus concernentes subdere cognitioni & iudicio Parlamenti, vt prisca paribus Franciæ concessa priuilegia ostẽdunt ; cum exemptione iurisdictionis Iudicum ordinariorum, præterquam in casib. regalibus. Quod ad prioritatem in ordine consessus, datũ id est fauori & gratiæ ; qua rex complectebatur cum mulierem tum filium Cæsarem, qui cum sua posteritate succedere debebat in hoc Ducatu. Approbauit hoc curia pure & simpliciter ; vt & Camera rationalis regia.

DVCATVS BIRONIVS.

Baroniæ titulo antea insignis, Ducatus & Pariatus euasit, Henrico IV. rege gratificante Carolo Gontalto Bironii Domino, Marescallo Generali & Duci exercitus, Gubernatori & Legato regio per Ducatum Burgundiæ & Bressæ, mẽse Iunio anni MDXCVIII. Ratum id habuit suprema Curia ad diem vltimum eiusdem mensis & anni.

ANNOTATIO.

Considerauit haud dubie rex virtutem & ánimi generositatem in viro isto, quem dignum eo nomine iudicauit, vt maioribus honoribus ad posteritatem commendaretur : accedentibus multis maximisq; officiis, quibus pater eius Bironius, Marescallus Fraciæ, de vniuerso regno bene meritus fuerat, cuius vestigiis insistens filius tanta vsus est fide & in regem affectu, vt magna pars illius gloriæ, quæ aliquot victoriis parta est ab iis, qui sub eius ductu ruinæ patriæ mascule se opposuerunt, huius viri laboribus & vigilantię accepta ferenda sit. Hinc rex volens huius rei exemplum & testimonium ad posteros extare, vt æternitati consecraret memoriam tot periculorum, quæ ille in multis prælliis, obsidionibus, velitationibus, impressionibusque hostium adierat ; & à viginti annis fortiter sustinuerat ; postquam primum per ætatem aptus ad arma fuit ; quo tempore XXXII. vulnera corpore excepit, toridem fortitudinis circumferens signa, eum adhoc dignitatis fastigium euexit : cum iam ante per omnes honorum gradus ascendisset ; quibus ad summam à rege sublimitatem virtutis via conscendi potest. Cumque in obsidione vrbis Ambianorum ; quam Hispani sibi vendicauerant, tot virtutis & prudentiæ edidisset specimina, igne, ferro ac sanguine hostium adobrutus, permouit regem, vt non potuerit facere quin eum summis illis cumularet honorib. Cum autem postea sententia iudicum Parlamẽti ad mortem condemnatus fuisset, quam is subiit vltimo die Iulii an. MDCII. Ducatus eius fisco adiudicatus fuit, & ad primam appellationẽ rediit : sed tamen partem bonorum eius fisco addictorum, rex donauit fratri eius S. Blancardi domino.

DVCATVS SVLLIVS.

Baroniæ Sulliæ Ducatus & Pariatus dignitatem conciliauit Henricus IV. rex Februario mẽse anni MDCVI. in fauorem Maximiliani Bethunensis, Marchionis Rhothæi, adprobante Parlamento a. d. IX. Martii, Camera autem computorum a. d. XV. eiusdem mensis & anni.

ANNOTATIO.

Datum hoc est haud dubie bonæ fidelique; quam is regno præstitit, operæ, annexis Baronię illi aliis quoq; dynastiis ac Toparchiis Molin. frontia, San-Gondonia, & Capellæ Anguillo-niæ : vt Ducis & Paris honore fruatur cum ipse Maximilianus, tum eius hæredes masculi, donec aliqui superstites erunt : vt per fidem & iuramentum obligati sint soli regio diademati : extinctis autem illis, vtraque simul dignitas expiret & territorium Sullæum ad pristinam formam redeat ; ex formula vsitata in vnien-

dis

dis defectu masculorum cũ dominio regio prouinciis. Approbauit Parlamentum ea conditione, vt satisfaceret tam ratione terrarum Feudalium, quam de prouocandi iure & causis dependentibus. Sic igitur præstitit vsitatum iuramentum & iuratuit regi fidelitatem.

CASTELLI RVBRI DVCATVS.

Hunc Marchionatum in Biturigum situm prouincia Ludouicus tertius Ducatus & Pariatus accessione locupletauit mense Maio anni MDCXVI. officium id præstans Henrico Burbonio, Principi Condæo, primo principi sanguinis, primoque inter pares Franciæ: subscribente Parlamento a.d.III. Augusti sequentis.

ANNOTATIO.

Factum hoc est, vt domus, terræ & dominia eorum, qui Maiestatem regiam sanguinis necessitudine contingunt, extollerentur supra cætera oppida & possessiones, aucta nouis honoribus, tam illustri origine dignis. Sic Marchionatus iste, qui antea duobus paruerat dominis, coaluit opera huius Henrici Burbonii, vt in omni Biturigum prouincia antiquissimus & nobilissimus habeatur, dependens à sola fide & Patrocinio regis, clarus multis & luculentis redditibus. Ipsum oppidum elegans est & amplum, celebre ob forum dicasterii, quod vulgo ab oppido illo nomen inuenit, vnde & totus principatus denominatur, in quo nonnulla collegia Abbatiæ & conuentus. Quin & clientelas non contemnendas habet, oppida beneficiaria non pauca, Baronias, Castra & Arces, Fortalitia, Tribunalia, dynastias, vnde dependent & alia beneficia, primaria & secundaria, tam in Ducatu Biturigum, quam in Turonibus, Pictonibus Borboniisque. Præter Castelli rubri oppidum, spectat ad eundem Principem iurisdictio & ius prouocationis terrarum ad Indrum fluuium, quod beneficii nomine à solo rege dependet, propter Comitatũ Blesensem, nec nõ dominiũ, Baronia & oppidum Castrense, dependens feudi nomine à Marchionatu Castelli rubri, cum aliis quoque dynastiis, Cõmerensi, Charterensi, quæ omnes cum principatu illo cohærent, pertinentque ad eundem principem Burbonium, vt & ad forum & tribunal Iustitiæ memorati oppidi Castelli rubri.

COMITATVS D' EV.

Huic Paris Franciæ dignitas contigit per Carolum VII. regem Augusto mense an. MCCCCLVIII.

ANNOTATIO.

Fecit hoc Carolus in gratiam Caroli Artesii Principis sanguinis regii. Obtinet hũc Comitatum nostra tempestate Catharina Cliuia, Vidua Ducis Guisii, estq; hic solus comitatus non conunctus dominio regio. Extat declaratio Ludouici XI. regis, qua Comes iste iure ac ratione comitatus sui inter pares Franciæ adscribitur, non obstante tractatione cum Carolo Normandiæ Duce, regis fratre.

DVCATVS DVNENSIS.

Franciscus I. rex Comitatum Dunensem ad Ducis & Paris Franciæ fastigium euexit, vt compensaret fidem & officia, superioribus regibus præstita per Franciscum Aurelianensem, Comitem Dunensem.

SEQVVNTVR NOMINA EORVM, QVOS Ludouicus XIII. qui nostro ævo in Gallia regnat, inter Duces & Pares Franciæ adscripsit.

DEdiguerii regio Ducatus & Pariatus titulo cohonestata est, sic merẽte Francisco Bono, Mareschallo Franciæ, Legato summo regis per Delphinatum. Receptus est hic à Parlamento Parisino. 27

Comitatus Brissacensis Ducis & Paris titulo ornatus est in fauorem Caroli Cossæi, Mareschalli Franciæ.

Malliæum eodem honore gaudet, impetratum per Carolum Albertum, Luinæ Dominum, receptum à Curia Parisiensi anno salutis MDCXIX.

Honoratus Albertus, Mareschallus Franciæ, Dux & Par Franciæ creatus & à Parlamento Parisiensi receptus est.

Rogerius, Magister equitum siue Magnus Hippocomiæ Præfectus, Dux Bellogardius & par Franciæ salutatur.

Iohannes Ludouicus de Valetta litteris instructus est, quib. Dux & Par dicitur.

Franciscus Sillius Rupis-Guioniæ Comes eodem modo.

Francisc. Comes Rupis-Focaltiæ literis Dux & Par Franciæ saluratur.

Antequam hunc de Nobilitate Francica tractatum finiamus, obseruandum est quid cõsiliũ priuatum regium constituerit a.d.X. Mart. anni MDLXXVIII. Castellania (vt vocant) hoc nomine digna non erit, nisi gaudeat iure supremo, medio & infimo exercendæ in subiectos iustitiæ; nisi item habeat ius Nundinarum, Præfecturæ, portorii, vectigalis, præeminentiæ: inprimis autem in Ecclesiis istius terræ.

Baronia debet constare tribus Castellaniis, non paucioribus, quæ sibi sint arcto & indissolubili vinculo coniunctæ, soliq; regi præstent fidelitatis iuramentum. Comitatus habeat duas Baronias cum trib. castellaniis, non paucior. vel contineat Baroniam vnam, Castellanias sex, coniunctas ita vt supra diximus. Marchionatus componitor è tribus Baroniis & sex Castellaniis coniunctis vnitisq; & à solo rege dependentib.

Postremo Henricus III. rex edicto vetuit, ne vllus imposterum, cuiuscũq; sit dignitatis & auctoritatis, vel diplomate vel alia ratione salutetur Dux & par Franciæ, nisi è prouincia sua eiq; annexis terris & agris quotannis percipiat octo millia coronatorum, addita hac inuiolabili conditione, vt quamprimum is, cuius gratię aut meritis hæc duplex dignitas permissa est, adita illa obierit diem suum, siue habeat liberos, tã mares q̃ fœminas, è legitimo matrimonio procreatos, siue iis destituatur, quocunq; tãdẽ id fiat pacto, è

vestigio, quicquid terrarum sub Ducatus & Pariatus nomine comprehenditur, prisco suo dominio denuo incorporetur. Extat autem hoc edictum cum declaratione sua, quantum ad erectionem Ducatuum, Marchionatuum & Comitatuum in volumine quinto constitutionum regiarum, fol. 37.

28 Nunc deinceps ad cæteros Principes & Magnates veniendum est, qui præcipuis in Aula Francorum regum funguntur officiis.

Igitur Magni Aulæ Magistri, siue Præfecti Prætorio, idem prope est officium, quod apud priscos Francorum reges maioris domus siue Palatii regii. Authoritas huic est in vniuersa aulæ comitiua, sequelamue regiam, qui institutâ quotannis velut quodam diribitorio aut lustratione seruitiorum regiorum, ab summo ad infimum eorum censum peragit, sublatis quidem his, substitutis aliis, datisque præceptis: nec cuiquam licitũ est ab eius se subtrahere obedientia, aut iussa limitare: quæ quidem sublimitas haud temere vlli quam Principi viro contingit: adeo vt nostra tempestate Præfectura Prætorii fere sit in manibus Principis regii sanguinis. Vidimus autem aliquando duos simul & eadem vice Magnos Aulæ Magistros: vnum quidem Annam Montmorancium, qui & iple erat Comes Regii stabuli: alterum vero Franciscum Lotharingium, Guisiæ Ducem, Legatum summum Henrici II. regis.

Quale sit officium supremi cubicularii, vel ipsum nomen satis indicat, cum sit caput eorum qui sunt à camera & cubiculo regio: in hoc enim situm est, eos, quibus conuento rege opus est, vel arcere, vel admittere ad eius colloquium. Idem imperat omnibus nobilibus, qui circum regem versantur, quique à camera aut cubiculo nomen sortiuntur, quorum est officium, regem exuere vestibus, iisdemque rursus induere. Numerus horum non est certus nec definitus, sed pro arbitrio regum, estque inter eos vnus, qui se primum nominat: quod præ cæteris emineat, & nobilibus pueris vel adolescentibus præceptà det. Hoc æui duo sunt primi cubicularii, quorum vnicuiq; suum peculiare à rege assignatur officium, vt ipsi visum fuerit. Idem supremus siue magnus cubicularius sine discrimine omnibus imperat, non obseruata generis aut opum prærogatiua, quicunque regi propiora & cubicularia præstant seruitia, cuius generis sunt seruui atrienses, ministri cubiculi, capsarii, vestiarii, aliiq;, qui sub hunc censum vocantur. Postremo spectat ad magnum cubicularium, regem solennibus ac regiis induere vestibus, cùm in regem inauguratur, aut Diadema regni de more suscipit.

Magistro Equitum sine magno Hippocomię præfecto incumbit cura Equitiorum regiorum: imperat ergo nobilibus omnibus, quibus suus est in Hippocomiis regiis locus, itemque Angariis, nobilibus pueris illi ministerio destinatis, equisonibus, stratoribus & equorum instructoribus. Omnes igitur equi regis, siue ij quotidianis vsibus inseruiant, siue inter armenta oberrent, eius sunt commissi fidei, de quibus ille habere quæ videntur constituit. Solet is quoque præferre gladium regi in vagina auratis perspertà lilijs in omnibus ceremoniis solemnioribus, cuiusmodi sunt ingressus operosiores, consecrationes regum, & eorundem sepulturæ. Hoc officium nostro æuo in duos diuisum videtur, cũ primus equitiorum præfectus eadem prope vtatur auctoritate, qua ipse magnus magister equitum; cui incumbit cura postarum (vt vocantur dispositi equi celeres, quibus compendiosa ratione discurritur) & qui præcepta dare solet illius officii exactori atq; custodi.

Inter omnia exercitia nobilia nullum viro principi magis conuenire videtur quam venatio; quod ea corpora adsuefiant ad tolerandos quasuis iactationes & labores, vt hac ratione vitetur ocium & membrorum torpor, qui animũ quoque in societatem ignauiæ rapit laxatque. Huic rei igitur magister venationis & Præfectus Aucupii prouidere solet. Compertum est his, quo tempore rex soleat venatum prodire, siue ad aues captandas, siue ad insectandos ceruos animum adiiciat: illius igitur intellecta voluntate, ad hanc vel illam se accingunt, peram, placituri studio industriaque sua regi. Imperitant hi omnibus venationis ministris, siue plebeio nati sint genere siue nobili, sigillatim autem iis quibus canum venaticorum accipitrumq; cura est commissa.

Oeconomi regii aliud nihil sunt, quam boni dispensatores domus, quibus incumbit suppeditare sumtus in familiam aulicam, quorum exactam eos par est tenere rationem, vt quieo nomine ad calculum & abacum vocantur. Solenne his gestare baculum ab vtraq; extremitate deargentatum, & anteambulare nobiles, qui cibos portant ad mensam regiam. Aiunt his olim cõmissam fuisse æstimationem rerum ad alimoniã spectantium, dispunctionemque diurnorum sumtuum, cum rebus nõnullis aliis eiusdem generis: sed hoc onere hodie leuati sunt, vices eorum subeunte præfecto domicilii: nec hoc nouum videri debet, cum & alia multa mutata sint, secundum arbitrium regum, qui nunc hos nunc illos auctoritate auxerunt.

Est insuper à ministeriis regiæ mensę, structor Panarius siue præfectus pistorium; Præterea structores ferculorum, & carptores seu sectores cibariorum; quorum nomina satis indicant, quod sustineant officium. Olim panario præfectura quoque annonæ incumbebat; & cura panis publice vendendi; vti dispiceret an frumentum esset bonum; mensura aridorum iusta, panis autem iusti ponderis: quo comperto constituebat vtrique æquabile precium. Nostro rem pore prægustatoris fungitur munere in cibis regi propositis, vt obuiam eatur periculo quod accidere potest; pari modo vt pincerna prægustet pocula regia, ne forte venenum inferatur pro limento.

Cum autem Regia sit receptaculum diue

foru

forum hominum, qui non omnes eodem modo affecti sunt, ob magnum numerum Principum aliorumque Procerum qui fere semper sectantur Aulam ; necesse est plurimos hic inueniri, qui siue locauerint cæteris operam suam, siue suo viuãt arbitrio, multoties deliquunt, commissis furtis, homicidiis, rixis, aliisque se alligant criminibus, quę castigationem merentur. Commissum est Præposito Domus iudicis officium, vt ius dicat tam in causis ciuilibus quam criminalibus, si controuersia inter ministeria aulica oriatur : extenditque se eius iurisdictio non solum in comitiua aulæ, ipsamque regiam, sed ad sextam vsque Leucam circa eam, habetque duos velut sub præfectos ac Legatos : vnum, cui nomen est à curta tunica, cuius apparitores se nominãt seruos Præfecti Domus : alterum, cui subsunt quinquaginta stipatores, vestitu ipso sagisque dominum officiumque profitentes, etsi nõ multum à satellitibus & custodibus corporis regij distent : his ille vtitur ad persequendos apprehendendosque facinorosos & maleficos. Eidem demandata est, præter irrogãda noxiis supplicia, æstimatio ac indicatura panis, vini, carnium, fæni, auenæ, quo munere, qui superioribus temporibus functi fuerint, iam antea perscriptum est. Cognoscit insuper causas omnium aulicorum, quæ iurisdictio olim ad Oeconomos siue Magistros regiæ spectabat, qui ius dicebant in Causis furti aut noxæ, quæ ab Aulicis committebantur. Huic eidem Domus Præposito demandatum est officium illius, qui olim tempore Philippi III & postea Rex Ribaldorum (siue vt latinè loquamur, Cohercitor sceleratorum, lenarum lenonumque ac prostibulorum) dicebatur, qui de prostitutis ac flagitiosis pœnas sumere ex officio poterat.

Est & Centuria nobilium virorum sigillatim adscripta in sanctiorem regij corporis custodiã, quæ honoratior appellatur, retinetque adhuc centumuirale nomen, quamuis Franciscus I rex numerum eorum duplicauit. Habet autem quęuis centuria suum Centurionem & subcenturionem.

Vniuersum autem stipatorum regiorum corpus diuiditur in Francos, Scotos, & Heluetios. Tantundem autem est Scotorum quantum Francorum, qui ferunt exomides cum Tessera regia, appellãturque Satellites Custodiæ : cæteri qui eas non gestant, nominantur Exempti, ferunt que baculos manibus, sunt que velut inferiores ductores ordinum, qui præcedunt stipatores cæteros, eosque ducunt absentibus centurionibus. Præter hos est Legio Prętoria cui suus præest Dux legionis.

Cum autem tanta sit eorum qui regis aulam sectantur multitudo, constituti sunt certi quidã Mareschalli, dissignatores, & diuersoriorum arbitri, quibus incumbit officium assignandi domicilia & diuersoria tam regi quam principibus ac magnatibus, eorumque domesticis & ministris, vt omnis euitetur confusio.

Præter hos omnes quos numerauimus, certa quædam sunt munia, quæ nominantur Officia Status, in quibus præcipua consistunt regni negotia, & qui his præsunt, in tanta sunt auctoritate, vt sine iis nihil quod maioris sit momenti, ne expediri quidem possit. Caput siue Dux horum est Cancellarius, qui etiam est supremus per regnum Præses Iustitiæ. Huius tantæ sunt vires, vt etiam immunitates & beneficia per ipsos reges concessa corrigere & minuere possit, quamuis rex ipse Diploma signauerit, & aliquis è numero Secretariorum regiorum subscripserit. Idẽ Cancellarius ratione Officij, cuius maxima est per regnum auctoritas largiri potest atque expedire gratias, immunitates, beneficia, officia aliaque, quæ subditi à rege petere solent, sunt q; omnes litteræ huiusmodi, quæ ipsius signo non muniuntur, nullius precij momentique. Quod si Rex sinistram aliquam de cancellario concipiat opinionem, aut indignetur ei, cum officium hoc sacrosanctum habeatur & inuiolabile, & quod ei nisi mortuo auferri non possit : adiungitur ei potestatis socius, qui nomen gestat Custodis sigilli regij, quod nefas existimetur, Cancellarij nomen vlli homini impertire viuo eo, qui officium illud gessit meritusque est.

Fieri insuper nulla ratione posse videtur, vt ipsi Principes suos secum habeant in causis propriis Secretarios, vnde factum est, vt secretariorum qui sigillatim ab aula vel suprema Curia nominantur, in quorũ collegio sunt omnino quatuor, qui dicuntur Secretarij status, vsque ad sex & viginti adscendat numerus, appellanturque omnino omnes Secretarij regni Galliæ, quibus singulis suæ attribuuntur Prouinciæ, & hi tractant expediuntque omnia negocia, tam intra quam extra regnum. Est & quidam Secretarius, qui regi est à causis occultioribus & sanctioribus, quas ipse in vulgus efferri minimè velit.

Consilia insuper pro bono aut emolumento publico, de domo regia duo sunt, quorum alterum appellatur Priuatum, alterum Magnum. Olim hæc duo vnum & idem fuerunt, tantisper donec Parlamentum nullo loco fixum maneret, sed subinde mutaret locum : sed mutatis rebus pro re nata, etiam opus fuit mutare officia.

Consilium Priuatum constat aliquot viris magnæ existimationis, cui Præsidet is quem rex præesse iubet, cum ipse præsto non adest, vindicantque sibi id iuris fere Principes sanguinis regij, vel regni Cancellarius, vel aliquis è prudentissimis & honoratissimis regni. Tractantur in hoc consessu causæ belli & pacis, aliæque quę ad bonum publicum spectant : quin & huc reuocantur aliquando causæ grauioris momenti, & quæ exemplo suo vel prodesse vel nocere possunt, ab ipso Consilio Magno, vt & à Parlamento. Consilium quod Magnum vocatur, componitur antiquitus è Cancellario & octo Magistris libellorum supplicum è Palatio regio, cum XVII Consiliariis duobusque Secretariis, Aduocato regio vno & Procuratore Generali vno. In hoc consilio iudicatur diffinitiue, ministris 29

Iustitiæ illic non nisi per semestre laborantibus, quod sit quasi Parlamentum ambulatorium. Decidunt hi iudices causas appellationum in rebus ciuilibus, quæ huc afferuntur à tribunali Præpositi Domus regiæ, diiudicanturque hic controuersiæ, quæ inter ipsas summas curias oboriuntur: vt & lites beneficiorum causa, quæ rex conferre solet, excitatæ.

Sunt autem Libellorum Supplicum Magistri Assessores Cancellarij, quibus cum cognoscit de omnib. regni officiis, dispicitque, vtrum ij, qui officia venantur, ijs sustinendis pares ac digni sint an non; hi possunt accusatos eximere noxæ, datis impunitatis nomine litteris publicis, vnde vocantur Parua Cancellaria: quibus autem id iuris competit, suffragij etiam ius habent in diuersis foris ac tribunalibus Parlamenti, possuntque præsidere in Municipiis, præfecturis atque diœcesibus, vt illis præfecti ac Nomodici vltro loco cedant. Et hactenus quidem magistratus ac ministeria quibus in Palatio, regia siue aula locus est, breuiter persecuti sumus: videamus iam eos qui extra regiam sunt; in quorum numero ij primo loco nobis occurrunt, quibus incumbit cura rei bellicæ, cum hinc maximum potentię regiæ accesserit incrementum: post de reliquis quoque dicemus.

Igitur Præfectus Equitum, siue Comes Stabuli, aut vndecunque tandem dicatur (nos vocem Conestablij in tanta deriuationum varietate & antea & deinceps retinemus) summũ à rege imperium obtinet in vniuersam regni Gallicani militiam, siue ea equestris sit siue pedestris; cum sit caput omnium per regnum Copiarum, non conscriptorum solum militum sed & præsidiariorum, quocunque ij loco collocati sint. Hæc imperij militaris amplitudo permouit reges, vt permitterent Conestablis sedere in loco Iustitiæ in Palatio, vtque suum haberent Legatum ad Tabulam Marmoream, qui cognosceret de criminibus aut erroribus eorum, qui armorum vsum profiterentur. Vt autem in exercitus crimina animadvertere potest: ita quoque iudicare solet eos, qui quocunque modo milites offenderunt: cognoscit de præda militari, rapinis, lytris captiuorum ipsisque captiuis, insolentia & inobædientia militum in superiores suos, & exauctoratione eorundem: infligitque pœnas qui non perfectis stipendiis ab armis discedunt. Idem audit querelas militum, cum exauctorati & arma ponere iussi sunt à Commissariis bellicis per ignominiosam missionem, habetque curam lustrationis exercitus atque diribitoriorum. Idem cognoscit causas eorum, qui prospeculatoribus capti sunt, aut apprehensi nomine debiti, aut Chirographi aut contractus alius in causa militari: iudicat quin etiam eos, qui iniussu Ducis munita loca hosti tradiderunt, aut nulla vrgentiore necessitate compulsi. Pronunciat de bannitis siue proscriptis viris nobilibus, qui cum beneficia clientelæ nomine à rege obtineant, militare tamen pro eo nolunt. Præterea Quæstores, Thesaurarij, præfecti annonæ militaris, & qui stipendia numerant militibus, omnesq; adeo in vniuersum, qui in censum militarem veniunt, à iurisdictione Conestablij dependent.

Hunc in Ordine sequuntur Mareschalli Fráciæ, quibus olim missio data est ab officio: hodie mutata rerum facie, munus id non ante extinguitur quam eorum vita. Primis temporibus vnum tantum fuisse accepimus: deinde duo creati sunt: hinc tres, & mox quatuor, vt nostro æuo aliquando sex aut septem fuerint. Cum hæc scriberemus, erant omnino quinque. In constitutionibus regni legimus, competere Conestablio & Mareschallis Franciæ eorumque Legatis ad Tabulam Marmoream, cognoscere de delictis ac criminibus hominum militarium, tam equitum quam peditum, siue ij in castris viuant siue in præsidiis, siue militatum eant, siue ab expeditione redeant, aut vbicunq; tandem versentur. Pertinere etiam ad eos cognitionem causarum circa bello captos, spolia prædasque, monomachias siue pugnas ex prouocatione & causa fortuita, de stipendiis regiis, inobedientia & deserto signo ac exercitu.

Proximum ab his locum obtinet Amiralius, siue Thalassiarchus aut præfectus maris, à quo viuo hoc officium non auferetur. Ius huic est & imperium in omnibus locis maritimis, & quicquid in rerum marinarum censum venit, vt cognoscere possit de omnibus, qui aliquo pacto in eo genere deliquerunt. Nemo potest vel audet ipso non permittente nauem mari committere, aut vela dare, etiam si eam suis sumptibus instruxerit: sed nec Portum aliquem Galliæ nauigans subire. Spectat ad hunc cognitio causarum, quæ euenerunt circa contractus militiæ nauticæ ergo, itemque circa mercimonia & piscationem, cum aliis litigiis ciuilibus & criminalibus, quæ inter nauigantes mare exoriri solent. Habet autem in plerisque locis Legatos suos, quibus dicunt litigantibus. Licitum est ei accipere decimam partem omnium rerum quæ capiuntur, vt & omnis lucri & emolumenti, quod è mari percipitur, quam exigit per quoscunque ei visum fuerit. Permittit idem quibuscunque videtur Halecum capturam, neque quisquam sine eius venia ad terras nouas nauigare audet, ad capiendos haleces, aut moluas pisces atq; Ichthyocollam. Constituit etiam excubitores, vigiliarumque stationes in littoribus lociſque maritimis, quoties ita vsus aut necessitas boni publici exigit: nec desunt qui existiment, posse illum inducias aliquot dierum cum hoste pacisci: quæ quidem prærogatiua non est exigua.

Legati generales exercituum in hoc constituti sunt, vt pro rege adsint in iis, quæ ipsis assignantur locis, ne ipse cogatur vbiuis periclitari, vt non semel compertum est. Commissum est his idem in copias imperium, eadem auctoritas, qua rex vteretur, si ipse coram & præsto esset.

Gubernatorum Rectorumque per Prouincias satis magnus est numerus per Galliam, cum

regnum

regnum id longè lateque patet. Fuit his olim magna potestas, vt possent impertire beneficia, ius Fori ac Nundinarum largiri, plebeio ortos genere in numerum nobilium adscribere, spurios pronunciare legitimè natos, & causas ac lites à iudicibus consuetis ad suum tribunal euocare. Sed Ludouicus XII proposito Edicto in ordinem eos coëgit, amputata multum eorum potentia. Quanquam autem adhuc non parum possint, Iudicia tamen vsitata ab illis nequaquã dependent, sed tantum ea quæ bellum concernunt: & licet Gubernator repræsentet ipsum regem, si tamen quæstio sit de vita aut facultatibus alicuius ciuis, aut alius alicuius, qui se militem non profitetur, Rector prouinciæ illum non potest punire, sed iudex loci ordinarius: neque ad hunc quidem partes litigantes prouocare possunt, sed ad forum aut Curiam superiorem. Idem dicemus de Legatis regis Generalibus in Prouinciis. Multo minus id extenderim ad Legionum Duces, aut equitum ductores, neque ad magnum rei tormentariæ præfectum, cum vel ipsum nomen satis ostendat, quale sit eorum ius & officium.

De Ordinibus militaribus Galliæ sic accipe Lector: sicut Ordo Stellatorum initia sua debet Iohanni Regi: sic Ludouicum XI. instituisse Ordinem S. Michaëlis Ambosiæ: Henricum verò III. authorem extitisse sacræ militiæ S. Spiritus, adhuc nostro æuo subsistentis: cuius Equites nec paucioribus nec minoribus gaudent atque perfruuntur priuilegiis, quam aliorum ordinum, sed & insuper luculentioribus. Restat nunc vt Curiam Parlamẽti Parisiensis lustremus oculis, cum omnibus collegiis & societatibus eius supremis, tam quæ ad administrationem Iustitiæ, quam quæ ad Fiscum regium pertinent.

Est autem institutio Parlamentorum inter antiquissimas totius Galliæ, vti testantur historiæ, in quibus legitur, Senatum illum priscorum adeoque primorum Galliæ regum tempore Parlamenti nomine dictum non fuisse, sed Conuẽtum Statuum siue Ordinum, qui tertio quoque anno conuocabantur, quandoquẽ etiam citius, prout regni necessitas exigebat, aut regi placuerat: idque in tali loco aut oppido, quod videretur ad rem præsentem aptissimum: durabant autem Comitia illa fere duobus mensibus. Cumq; pari modo vt in Angliæ regno, frequentes illi Procerum Conuentus, ob multitudinem impẽsorum sumptuumq; molesti ac incommodi acciderent: ostendit populus regi, quantopere hac re grauaretur: obtinuitq;, vt nobiliores aliquot in amplioribus regni Gallici Prouinciis eligerẽtur Vrbes, in quibus instituerentur Iudicia, lectis ad eam rem Clericis, nec non iurisperitis, iudicibusque in litigiis partium probè versatis, qui discuterent causas à prouocantibus ad se delatas, vt adhuc fit in Curiis Superioribus aut Dicasteriis Galliæ, vbi diciduntur causæ particulares & litigia priuatorum, reseruatis querelis publicis, donec auctoritate Regis Ordines prouinciæ conuocentur. Hæc fuit facies ac ratio Parlamentorum, regnantibus primis Francorum regibus: perinde vt adhuc fit in Anglia: vt nempe conuocarentur regni Ordines, cum quibus rex deliberaret de maximi momenti negociis, exquisitis singulorum sententiis consiliisque, auditis quiritantium grauaminibus, iisque salutari aliquo remedio sublatis. Hinc orta est appellatio Parlamenti, nempè à Colloquendo vel Conferendo, quæ semper retenta est posterioribus temporibus, vt Supremus Iustitiæ locus ita diceretur.

Fuerunt autem primi procerum conuentus sub Parlamenti nomine habiti in patente aut spacioso aliquo campo, estque id obseruatum à primæ lineæ Francorum regibus, vt & à sequentibus quibusdam. Sic narrat historia Francica, Pipinum regem cũ animo agitaret bellũ Aquitanicum conficere, ad Biturigum Vrbem venisse, vt pro Francorum regum consuetudine Cõuentum principum haberet in aperto campo. Huius moris crebram mentionem facit Gregorius Turonensis, cum aliquot locis ait, in publicis conuentibus, aperto campo habitis, solitos fuisse Principes, Episcopos, Abbates, cæterosque Magnates atque proceres secum eo ferre tentoria & papiliones diuertendi gratia. Solebãt autem in his Conuentibus siue Comitiis regni pertractari negotia, Iustitiæ administrationem & bonum publicum concernentia, inprimis autem causæ Beneficiorum Ecclesiasticorum, nec non leges de tollendis abusibus & corrigendis malis moribus ac consuetudinibus in regno. Quod si partes dissidentes in quibusdam certis controuersiis conciliari non poterant, exigente lite vlteriorem cognitionem, quod non satis liqueret: constituebant Ordines certos Iudices Politicos, quibus plena fiebat potestas iudicandi ferendique sententiam definitiuam, à qua prouocare nulli erat licitum.

Cæterum Conuentus illi siue Comitia, quæ peragebantur in agris & sub dio, appellabantur Parlamenta Ambulatoria, quibus suus fuit in Gallia locus vsque ad regnum Philippi Pulchri: qui cum animaduerteret incertitudinem tam Parlamentorum quam ipsorum locorum multum secum vehere incommodi, quod ciues regni non parum offenderentur Parlamentis illis ambulatoriis; adhibitis in consilium regni Ordinibus legem tulit, vt summa Curia siue supremum dicasterium esset.

Lutetiæ Parisiorum: vtque constituti iudices 30.
non alibi quam in illa Vrbe habitarent, per quos ceu summos & perpetuos definitores omnes Prouocationes in toto Galliæ regno deciderentur. Ad eundem modum magnus ille Legislator Solon in Athenarum Vrbe Areopagum velut summum iustitiæ tribunal constituit, lectis viris bonis & prudentibus, qui ius dicerent litigantibus, & ad quos omnes Atticæ regiones ciues deferrent causas controuersiasque suas, vt ibi definirentur. Idem fecit Lycurgus Spartæ, instituto Senatu, qui ius diceret omnibus Lacedæmoniorũ dominio subiectis. Apud Milesios

Hippodamus, legislatorum non postremus cõstituit summum Iustitiæ tribunal, quod constabat è prudentia & senectute venerabilibus viris, ad quos deferebantur præcipua reipublicæ negotia. De Druydibus Cæsar Iulius affirmat, quod fuerint Gallorum Philosophi & Sapientes, cõueniretq; soliti certo anni tempore, in loco Galliæ fere medio, nempe in Carnutibus. huc omnes vndique, qui controuersias habuerint conuenire, eorumque iudiciis decretisque parere soliros. Centum viros ex omni populo lectos, senio & prudentia conspicuos, Romulus primus Romanorum Rex præesse rebus iussit, quos & Senatores siue Senatum appellauit, qui & ab ipso statim initio Patres honoris ergo dicti, simul admonebantur, vt priuatorum causas paterno affectu tractarent, assignauitque illic Curiam Romanam, vt ibi conuenirent.

Porro ipsa Parlamenta, antequam firmam Lutetiæ nanciscerentur sedem, ita erant ambulatoria, vt ferè sequerẽtur aulam regis: nec multum intererat, vbi conueniebatur, dummodo id singulis annis semel fieret. Postea Ludouicus Pius siue Bonus singulari Iustitiæ studio legem sanxit, vt quotannis bis haberetur, etsi dies certi non præstituti fuerint. At Philippus Pulcher postea voluit, vt Parlamentum Lutetiæ fixam haberet sedem, vtque bis in anno conueniretur, ad festum Natiuitatis Dominicæ, & Purificationis Matris virginis. Sed nec hæc lex adeo firma habuit fulcra, vt non mutarentur subinde dies illi, cum interdum conueniretur ad Festum Paschatis, quandoque etiam ad Kalendas Nouembreis, prout regi placuerat, vt apparet ex Annalibus Curiæ vetustis, quæ vulgo nominantur *Olim*, in quibus latæ sententiæ vocantur *Arresta*, quæ solemniter pronunciabantur in togis rubeis, ad vigilias aut alios dies solẽnia festa præcedentes. Postea Ludouicus Hutinus, vt maiorem Parlamento conciliaret auctoritatem, locũ ei fecit in Palatio, antiqua regum Francorum habitatione, haud secus ac Adrianus Imperator continuo circum se habuit centum Iudices, velut quendam Senatum, quibus singulis peculiares suas assignauit habitationes, vt ius dicerent. Ad hunc igitur modum Parlamentum, quod antea nulli loco erat alligatum, certam sedem Lutetiæ inuenit, annitente Philippo Pulchro rege, vbi deinceps summum ius dictum est sub nomine & auctoritate ipsius Regis, conuenientibus ibi Ordinibus regni, Proceribus Ecclesiasticis, Principibus, Baronibus, Iureconsultis, Iudicibus in iure versatissimis: neque motum est deinceps Parlamentum sua sede, nisi semel, cum Angli ipsam Parisiorum Vrbem aliaque per regnum oppida occupauissent: ibi demum in Pictonum Caput translatum est, hæsitque ibi ab anno salutis MCCCCXIIX vsque ad annum MCCCCXXXVI, vbi profligatis Lutetia Anglis Parlamentum ad veterem sedem rediit. Quinquam & alias graues causæ occurrerint, quæ leges coegerint mutare locum: vt cum Carolus VII Parlamentum conuocauit ad Montargium, & ad Vindocinorum oppidum, ad ferendam ibi sententiam in Iohannem Ducem Alenconium.

Cum primum Parlamentum Lutetiæ stabilitum est, nõ erat nisi vna sola Camera, ad quam interdum accedebat Camera Prælatorum, eadem causa, quod ipsum Parlamentum potissima sui parte constabat è Proceribus Ecclesiasticis: vel saltem, quod Ecclesiastici viri ibi præsiderent, primumque inter cæteros obtinerent locum: vt moris erat in Camera computorum, & Curia vectigalium Oblationumque regiarum, & aliis dicasteriis supremis regni Galliæ.

Postea constituta est Camera classium inquisitoriarum, quæ & alias dicta fuit Camera Magna, quod maximi momenti ibi pertractarentur controuersiæ, & quod maxima polleret auctoritate supra omnes regni Inquisitiones. Et postquam Parlamentum constitutum fuisset Lutetiæ, dicta fuit Magna Camera litigantium sermone, ad differentiam Classis inquisitoriæ, vbi actiones scriptis libellis fiebant. Subsequentibus temporibus cum Regni pomœria prolata fuissent vlterius, auctis causis litibusque in Parlamento, necesse quoque fuit numerum Iudicum augere, atq; ita plures inquisitionum classes siue Cameras instituere. Constituta ergo est alia Classis inquisitorum, quæ nomen adepta est ab Inquisitionib. Palatij. Ab his igitur Classibus siue cameris Parlamenti, Inquisitorum, libellorum supplicum, detractus est certus iudicum atque consiliariorum numerus: vnde subnata est Curia Turnellæ, hoc est, Auditorium minus siue Tholus. Quæstionum, quæ Camera siue Classis instituta est per Franciscum I regem anno Christi MDXV, constans duobus Præsidibus, octo Consiliariis è Camera Magna. Nomen Turnellæ ei inditum autumant, quod iudices illi alternatim & quasi per orbem, obseruato semestrali tempore, ius dicerent, vt Bodinus affirmat, ne assidua condemnandi ad mortem homines consuetudo, crudelitate aliqua imbueret naturalem iudicum humanitatem, quod omnino futurum erat, si perpetim exercerent officium suum. Meam vero si quis exquirat sententiam, potius existimauerim, quod iudicũ ille conuentus, à Turri vel Turricula nomẽ traxerit, in qua ferebatur sententia in causis criminalibus, quæ hodie attributa est Magnæ Cameræ iudicibus siue Auditorio Maiori.

Mense Iulio anni à Christo nato MDXIX idẽ Franciscus I. rex instituit Cameram Vacationũ, obseruatis legibus & constitutionibus Ludouici XII. regis.

Postea Classis Inquisitoria diuisa fuit in duas: altera maioris, altera minoris nomen obtinente: Cumque negotia & lites ad Parlamentum delatæ mirum in modum crescerent, Franciscus I. rex, ad fanum S. Germani anno Salutiferi Partus MDXXI. edicto sanxit, vt crearentur viginti noui Consiliarij Parlamenti, vnde emersit tertia Camera Inquisitionum siue Classis tertianorum. Quartanorum Classis siue noua Camera Inqui-

Inquisitoria instituta fuit mense Maio anno MDXLV, constans Consiliariis XVIII. Præsidibus II. Circa idem ferme tempus, mense Iunio anni MDXLV iacta sunt fundamenta Cameræ Consilij vel Secretarij, cuius erigendę causa fuit, vt diuturnis litigiis sublatis, promtè iustitia vnicuique distribui posset, constans duobus Præsidibus & XII Consiliariis, Clericis IV & Laicis VIII, vt cognoscerentur illic & diiudicarentur omnes prouocationes verbales (vt loquuntur) quæ ad hanc Cameram remissæ sunt, vt decideretur, à Magno Auditorio, vbi causæ perorãtur.

Et hæc quidem fuit Parlamenti facies & ratio vsque ad annum MDLIV, cum Henricus II. rex constituit Parlamentum Semestre proposito Edicto Compendij conscripto mense Maio superioris anni: in cuius edicti gratiam mandauit, vt Curia Parlamenti esset vnum aliquod & solidum corpus, compositum ẽ centum quinquaginta sex capitibus: nimirum octo Præsidib. Curiæ totidem Præsidib. Inquisitionũ: XXXVI Cõsiliariis ex ordine Ecclesiastico (in quibus nõ comprehenderentur Præsides Inquisitionum Clerici) CIV Consiliariis Laicis, non computatis XII Paribus Francię & XX Magistris libellorum supplicum: vtque dimidia Præsidum Consiliariorumque pars fungeretur officio suo à Kalendis Iulij vsque ad noui anni auspicium: altera medietas (sunt autem vtrobique LXXVIII) inciperet à Kalendis Ianuarij vsque ad Iulium mensem. Vnoquoque autem semestri in tribus Cameris siue tribunalibus ius diceretur, exempli gratia: Magna Camera, vbi causæ viua voce perorantur, constans IV Præsidibus, nec non XXX consiliariis, (in quorum numero X. Clerici & XX. Laici) & vtraque Classis Inquisitoria, constante vnaquaque Præsidibus II. Consiliariis XX, inter quos Clerici IV, Laici XVI. Ab his tribus Curiis decerpatur numerus senatorum iudicum Cameræ Turriculi siue Tholus quæstionum criminalium, constans duobus Præsidibus & Consiliariis VIII. è Laicorum numero, quos suppeditet Auditoriũ magnum: & ab vnaquaq; Classe Inquisitorum detractis Laicis IV, vt ita constituatur Corpus Consiliariorum XVI, & ex tot quidem iudicibus constare debet Camera Turnellæ. Hoc Edictum de Parlamentõ semestri duraui vsque ad annum MDLVII. cum rex promulgata noua lege Parisiis Ianuario mense aboleuit Edictum de semestri spacio, restituitq; Parlamentum in pristinum statum; in quo fuerat ante. Cumque in Inquisitionum Classibus maior vsitato esset numerus Consiliariorum, cum in vnaquaque inuenirentur XXIV, cum antiquitus non nisi XV aut XVI fuissent: abundantia illa causam præbuit erigendæ quintæ Classi Inquisitoriæ, quæ ad exemplum IV antiquarum constaret Præsidibus II. & consiliariorum sufficiente numero, qui detraherentur quatuor illis Classibus prioribus. Factum hoc est per Edictum publicatum mense Iulio anno A C.N. MDLXVIII.

Cum autem sequentibus temporibus tumultus atque turbæ in regno ortæ sedatæ fuissent, proposito Edicto Pacificatorio per Henricum III regem: in fauorem illius Pacificationis constitutum est nouum tribunal, quod appellatum est Camera Edicti: in quem finem fuerunt creati præsides cum VIII Consiliariis, vel potius allecti è numero iudicum è reliquis Classibus, qui lites, hoc edictum concernentes deciderent. Fuit autẽ ab vltima memoria summa huius Parlamenti auctoritas & reuerentia, cum nulla esset tam ardua causa aut difficilis, quæ in eo non explicari aut decidi posset: quin & reperimus, collegia Ecclesiarum à rege in Parlamento petiisse licentiam eligendi Episcopos nouos, si priores decessissent.

Dirimebantur etiam hic materiæ monomachiarum aut duellorum, vt planum est in exemplo Comitum Foxẽsis & Armigniacensis, quib. Parlamenti sententia anno A N. C. MCCCIX permissa est pugna singularis; cum viderentur idoneas eius rei in medium attulisse causas. Extat & aliud exemplum quod contigit anno MCCCLI, vbi de pugna singulari relatum est ad Parlamentum, orta controuersia inter Iacobum Archoyum Equitem; & Iohannem Picardum, itidem Equitem Iacobi Socerum: afferente Iacobo isto, Iohannem Socerum suum vi oppressæ filiæ suæ; quæ esset Iacobi vxor, stuprum obtulisse: quam rem ipsa filia de patre vltrò aliquoties confessa fuerit, cum nullis minis neque quæstionibus vrgeretur. Contra Iohannes regerebat, Iacobum generum suum, intempestiuo falsoque Zelo motum hæc in Socerum confinxisse; & quicquid eius generis vxor eius dixerit aut confessa fuerit, vi adactum dixisse, aut fascinatione veneficiisque corruptam.

Tanta autem in æstimatione & iustitiæ opinione fuit Parlamentum istud ob Pares Franciæ Principes, non per Galliam solum sed per omnia prope Christiani orbis regna, vt eius iudicio & exteri principes vltro se submiserint etiam in cõtrouersiis de rebus grauissimis, quod aliquot exemplis docebimus.

Refert Haymo in Historiæ suæ monimentis, ortam fuisse inter Melegastum & Oleadragum fratres graue de regno patrio litigium, quod cõpositum sit per Parlamentum Galliæ, sub Ludouico Pio Imperatore; vbi regnum natu minori adiudicatum fuerit. Erant anno A C. N. MCCXLIV grauissimæ simultates ortæ inter Fridericum II. Imperatorem & Innocentium IV. Papam, vt in apertum bellũ eruperet res: Papa indicto Lugdunum Concilio, conabatur Imperatorem priuare Imperio. Contra Fridericus nixus bonitate suæ causæ, non dubitabat, quicquid sibi esset cum Pontifice controuersiarum, submittere iudicio Regis & Principum in Parlamento. Rursum anno Salutis MCCCXII, regnante Philippo Pulchro, lis Comitis Namurcensis decisa fuit per Parlamentum: nec abhorruit ab hoc iudicio Iohannes Namurcensis, etsi aduersarium causæ haberet Carolum Valesium fratrem regis. Postea ad annum MCCCXX Phi-

lippus Princeps Tarentinus submisit se iudicio Parlamenti in causa controuersa, qua litigabat cum Burgundiæ Duce, ob sumtus certos & impendia nomine Imperij Constantinopolitani, fuitque sententia pronunciata pro Tarentino contra Burgundum, rege ipso inter Principes pro tribunali sedente. Extat & alia sententia lata in Parlamento anno à nato Christo MCCC XLII, inter Ducem Lotharingiæ, & Guidonem Castilionæum, qui duxerat Mariam Lotharingi sororem, mouente hoc illi litem de vxoris dote, quæ partem sibi petebat tam Ducatus Lotharingiæ quam aliarum terrarum. Vtraque pars se libenter submisit iudicio Parlamenti regij. Idem fecerunt anno AC. N. MCCCXC Delphinus Viennensis & Comes Sabaudiæ, cum in controuersiam venisset Marchionatus Saluciarum cum nonnullis aliis dominiis: vbi pro Delphino contra Sabaudum iudicatum est. Cum in Gallia regnaret Carolus VI. Cameracenses ad tribunal Parlamenti vocati sunt, quod aliquot modis deliquissent, contemtis sententiis definitiuis à Curia Parisiensi latis. Quanquam autem nec regi nec Parlamento subiecti essent, tanta tamen huius apud illos fuit auctoritas vt non ad dicendam causam solum comparuerint, sed etiam de admissis satisfecerint. Anno MCDXII Lutetiam venerunt aliquot Nobiles Hispani, ferentes secum transactiones & pacta quædam inter reges Castulonis & Lusitaniæ: rogantesque, vt apertis curiæ valuis publicarentur: qua in re ipsis mos est gestus, & litteræ reiactæ testes publicè datæ. Quid quod nondum octoginta anni sunt, quod Carolus V. Imperator, cognita Maiestate & integritate huius iudicij, non voluit ratam habere formulam pacis factæ anno AC.N.MDXXVI. & MDLVII. cum Francisco I. & Henrico II. regibus, neq; eorum verbis promissisque stare, nisi prius Parlamentum vidisset, subscripsisset, suaque auctoritate approbasset. Nec profectò quicquam est, quod tantam huic Curiæ aut Dicasterio venerationem conciliauit, vt eam etiam exteri admirati sint, quam summa laus integritatis, æquitatis & iustitiæ iudicum, & Zelus singularis iusti bonique promouendi in regibus. Nam ab antiquis temporibus ad hoc Parlamentum ab ipsis regibus electi sunt viri de regno bene meriti, sufficientes ad illustre illud officium, & prudentia virtutibusque conspicui, non qui secus affecti. Summa autem sunt huius Curiæ & Sacrosancta iudicia atque mandata, cũ Parlamentum repræsentet ipsum regem, qui & ipse non dubitat, altitudinem Maiestatis suæ, Iustitiæ & rectitudini huius Iudicij submittere, eiusque locum dare constitutionibus. Commendatur autem tam apud ciues regni quam extraneos inprimis nomine virtutis, doctrinæ & experientiæ, qua iudices affatim præditi deprehenduntur.

31. Iam ad Cameram Computorum Regiorum Parisiensem veniemus, quæ proximum à Parlamento locum obtinet: cuius instituendæ & stabiliendæ causa fuit, vt summa penes eam sit cognitio & decisio earum rerum, quæ rationes, redditus & facultates ærarij regij concernunt. Ad hoc officium omni tempore creati allectique sunt iudices & ministri, qui appellantur Magistri rationum, quod is præcipuus sit eorum labor, Vocare ad rationes Thesaurarios, Quæstores, exactores, & quicquid huius generis pecunias tractat regias. Cum primum huius Curiæ fundamenta Lutetiæ iacta sunt, constituti sunt cum successu temporis Præsides & superiores, quibus præsentibus omnia dubia & cætera negotia, quæ ad ærarium regium spectant, determinata sunt & discussa. Obtinuit autem mos, vt Primus Præses fere sit Archiepiscopus, Episcopus, aut alius quispiam è Proceribus Ecclesiasticis: Secundus vero ex illustri natus genere Politicus.

Constituit autem Carolus VI rex lege lata a. d. VI. Ianuarij anni MCD vt Magnus Galliæ Pincerna, qui regi adeyathos, esset vnus è duobus Præsidibus Cameræ computorum Lutetiæ. Sic regnante Philippo Longo, cum mense Iunio anni MCCCXVI Henricus Sullius superior esset Cameræ rationalis siue ærarij, a. d. XXX Aprilis mensis anni sequentis creatus est Magnus Pincerna Franciæ: & vi ac virtute huius officij Præses factus est computorum regiorum, cum hoc officium cum illo arctè cohæreat. Eratque Pocillatoris regij munus vnum è quatuor illis Magnis Officiis, quæ qui sustinent, pollent auctoritate subscribendi Diplomatis edictisque regum; & assidere in iudicio Paribus Franciæ principibus, cum voto & sententia deliberatiua. Suntque hi summi iudices, ad quos solos pertinet cognitio sine exceptione, de rationibus ac redditibus regum. Extat autem in hanc rem Edictum & Declaratio facta Compendij a. d. I. Augusti anno a. n. C. MDLIII, quo Rex iubet mandatque, vt soli quæstores & rationales sint maneantque iudices in suprema Curia & vltima cognitione causarum Computi & ærarij, vt neque Generales, aut qui præsunt collationibus vectigalibusque, neque vllius alius tribunalis iudices quicquam iuris in eos prætendere possint.

Neque vero parua huius Cameræ siue Iudicij fuit estque auctoritas, cum bona eius pars sit è Consilio regio. Hic enim mandata atque instructiones concipiuntur, non tantum quod ad vectigalia & oblationes; sed & quæ ipsum regni statum concernunt. Magna hic est hominum multitudo, Magistri rationum, Auditores computorum, correctores rationum, Tabelliones, Ostiarij, scribæ, tabellarij rationales, aliiq; complures. Sunt autem in hac Camera siue Classe Præsides circiter IX. Magistri computorum ad LXII. Hos sequuntur Correctores rationum, numero ad XXI. Funguntur autem eodem officio, quo alibi Consiliarij, vt ostendit Diploma scriptum a. d. XIII. Decembris anni AC. N. MDXXXII. Ipsum autem Correctorum vocabulum satis ostendit, quod sit eorum Officium, vt rationes, quas exactores exhibent reddunt-

que,

que, diligenter inspiciant atque examinent, vtrum tam expensis quam acceptis iustæ consistent rationes: quod si quid animaduersione dignum offendunt, vt id extrahant & referant ad Tribunal computorum, vt iubet lex per Carolum VII regem lata Meloduni, Decembri mense anni A N.C.MCDLIV.

Auditorum institutio perantiqua est, & eiusdem fere cum Magistris rationum originis. excrescit horum numerus ad LXII, cessantque vicissim ab officio senis mensibus. Fuerunt semper in Camera Computorum Scribæ siue Tabelliones duo: cum autem causæ rationales augerentur, duo illis adiuncti sunt Clerici, postea appellati Notarij, ex lege Vernonia, sub annum MCCCLXXXVIII lata. In eadem Camera rationali locum habet Procurator regius, ex constitutione Caroli VII regis, anno MCDLIV concepta. Aduocati autem Regij institutio incidit in annum MCDV.

Est & Ostiarius Cameræ ex antiqua constitutione, in hunc finem lectus, vt exequatur ea quæ dictæ Cameræ debentur seruitia. Vtitur hic iure cubicularij apud illustres sublimesque viros, qui Cameram ingrediuntur, vt præstent ibi fidelitatis iuramentum, terrarum & beneficiorum nomine, quæ à solo rege dependent. Habet & sub se custodes duos, alterum calculi & computorum: alterum librorum & catalogorum rationalium.

Præter omnes quos recensuimus, ab omni tempore fuerunt XVIII nuncij siue tabellarij, qui perferrent mandata eorum, qui sunt regibus Gallis à Computo rationum & Thesauris ærarioque. Lætantur & hi titulo Ostiariorum, quod vna cum illis concurrant, qui in executionem mittunt mandata consiliariorum Parlamenti, Magni Consilij & Iustitiæ regalis. Eorum autem nostro æuo numerus accedit ad XXIV. Postremum agmen claudit Bibliopegus siue Compactor librorum, qui manu laborat in dicta Computorum Camera siue Classe rationalium, cuius quod sit officium, satis liquet. Exigitur ab hoc fidei silentiique iuramentum, atuntque vulgo nefas esse ipsum scire litteras.

Est etiam in Palatio Parisino Camera Thesauraria, ita appellata, quod antiquis temporibus Thesauri regij ibi custodirentur in turri quadam haud procul à dicta Camera Thesauraria. Turris adhuc hodie videtur clathris ferreis cancellata, & à tabulati contignatione pendent adhuc bilances, quibus pecuniæ regiæ in ærarium illatæ appensæ ponderatæque fuerunt. Regnantibus priscis illis Clodoueo & Chilperico regibus, vnus solus fuit Thesauri præfectus, cuius officium non vltra annum durabat, sic volentibus regibus. Postea creati sunt IV. Per edictum autem Bloisense adeo eorum creuit numerus, vt constituerentur XVII Thesaurarij, pro modo Prouinciarum Galliæ. Suntque in hac Camera Thesauraria Consiliarij, quibus iurisdictio est in omnes cæteros Galliæ Thesaurarios.

Curiæ Subsidiorum siue Vectigalium primus auctor fuit Ludouicus Hutinus, circa annum Saluti MCCCXXXVIII: tunc enim, vel sine non diu ante id tempus, constituti sunt per omnes prouincias & oppida regni meliora Quæstores, ad exigendas pecunias debitas, qui quod sigillatim eligerentur, Electi appellati sunt, vt cæteri Magistri & Consiliarij Generales, vt cognoscerent & diiudicarent omnia negotia & controuersias, quæ oriebantur in causis Vectigalium, subsidiorum collationumque. Dicti autem sunt Consiliarij Generales, quod officium eorum communiter extenderetur in vniuersi regni Vectigalia & pecunias subsidiarias: quorum numerus creuit pro modo sycophantarum & quadruplatorum, qui in recipiendis pecuniis plerumque mala fide versati sunt.

Constabat autem Curia illa Subsidiaria ab initio tantum octo viris, Præside vno, Generalibus quatuor, tribus Consiliariis. Nunc aucto numero ibi sunt Præsides IV, Consiliarij & Generales XXVI. Procurator regis vnus, Aduocati Generales regij duo, Scriba siue Tabellio vnus, Ostiarius vnus.

Est & alia adhuc Curia cum superioritate in Gallia, vbi causæ Monetariæ sine exceptione superioris diiudicantur. Habuit hæc à principio Magistros Generales VIII, Aduocatum vnum, Procuratorem regis vnum, cum suis ostiariis & Examinatoribus monetæ. Sed postea Franciscus I. a. d. XI Martij anno MDXXV adiecit Præsidem vnum, Consiliarios duos: Henricus autem II. insuper auxit numerum alio Præside & tribus Generalibus Togatis. Nec hoc contentus, cum Cameram Monetariam Curiæ nomine cohonestaret, addidit adhuc vnum Præsidem cum duobus Generalibus, vt numerus excreuerit ad Præsides IV. & Generales XX.

Porro quantum ad Curiam Parlamenti Parisiensis, in quo Principes sanguinis regij nascuntur Consiliarij, non fiunt: debet ea ex antiqua lege constare centum viris, qui sunt: Duodecim Pares Franciæ, quarum terræ & dominia prouocationis iura habent ad Curiam Parisinam: deinde octo Magistri Libellorum supplicum de domo regia: hinc octoginta Consiliarij, comprehensis in hoc numero quatuor Præsidibus, suntq; omnino ex ordine Ecclesiastico quadraginta, & totidem Laici (vt vocant) inter quos est Episcopus Parisinus, S. Dionysij Abbas, deinde duo Aduocati regij, & Procurator Generalis. At verò numerus hic nostra tempestate multo est auctior, crescentibus quotidie causis ac litigiis, quæ requirunt maiorem iudicũ numerum. Ima officia in illa curia sunt Notarij quatuor, totidem Secretarij, Scriba Ciuilis, Scriba Criminalis, Scriba Repræsentationum &

Ostiarij. Vniuersum hoc corpus diuiditur in Cameras sex. Primum locum tenet Camera Magna, quæ alio nomine dicitur Camera Deaurata, & Auditorium Magnum. Sequitur Camera Turriculæ, siue Tholus Quæstionum, vel Auditorium Minus, vbi disceptantur atque perorantur causæ sonticæ siue criminales. Tertias obtinet Camera Maior libellorũ supplicum. Quartas Camera supplicationum Minor siue Classis tertianorum. Hinc Camera noua siue Classis Quartanorum. Postremo loco est Camera Dominij. Continentur autem in eodem Palatio & alia tribunalia, Supplicum libellorum de Domo regis, Cancellariæ, supplicationum Palatij, Præfectura Palatij, Præfectura Aquæ ductuum & syluarum, à quibus duabus dependent trecenti ministri, pro modo Aquarum syluarumque regni: Camera Connestabl. & Mareschallorum regni Franciæ ad tabulam Marmoream: Camera Computorum regiorum, Fiscus, Gazophylacium, Camera Monetaria, subsidiaria, Electorũ, Sedes Admiralitatis ad Tabulam Marmoream, postremo Magnum Galliæ Arrocopium.

Et hæ sunt supremæ Curiæ, siue Tribunalia, siue Dicasteria in regno Francorum, ad exercendam Iustitiam, administrandos prouentus siue ærarium fiscumque regis, & conseruandam Politiam bonosque mores generatim per Galliam.

Prima Præfectura siue Diœcesis quæ Parlamento Parisiensi subiicitur, est Vrbs Laudunensis: hinc Durocortorum Rhemorum, post Ambiani, Abbatis Villa, Bononia Morinorum, Syluanectum, Senones, Auxerra, Trecæ, Vitriacum Parthensium, Castellũ Theodori, Mons Caluus Bassignorum, Meldensis ciuitas & Prouinsiensis: vbi notandum, postremas has duas, vt & Castrum Theodori, in Briensi contineri territorio. Hinc sequuntur oppida & populi: Melodunum, Pictones, Andes, Cenomani, Turones, Bloisia, Bituriges, Aurelia, Carnutes, Inculisma, Rupella, Mõsfortis, Lugdunum, Molinũ, S. Petri Monasteriũ, Rioniũ, Orillacum in Aruernis, & postremo loco Vrbs & Præfectura Parisiensis: de qua, vbi quæ visum fuerit, dixerimus, etiã cæteras videbimus, secundum seriem Prouinciarum, nõ autem obseruato ordine quem præmisimus.

Igitur in Vrbe Lutetia est sedes Præsidialis Comitij (vulgo Castelletum vocant, quod semel dixisse sufficiat) constans Consiliariis XXIV, valore legis quam Henricus II. dixit anno salutis MDLIX. Ad hoc Præsidium petendi iura & prouocandi ius est à tribunali Præpositi & Vicecomitis: ab hoc dependet conseruatio priuilegiorũ regiorum Studij Vniuersalis Parisiensis: vt & antiqua iura refortiendi causas à Præpositura, Bria Comitis Roberti & Fertea Alepensiũ. Est præterea in eodem Comitio Præpositus siue Iuridicus Minor cũ legatis suis Ciuili, Criminali, Particulari: nec nõ Conseruator Priuilegiorũ, Regij cognitores litium, Procuratores & Aduocati, scribæ ciuiles & criminales, postremò Cõmissarij Vrbani. Ministeria Comitij sunt Apparitores & Viatores, qui equis incedunt, & qui pedites cum virga, qui vadimonia indicũt, & in ius vocant, & iudicũ sententias denunciant: gestant hi titulũ officij sui cũ tessera regia & armis regni Frãcici. Incũbit Comitio ab omni retro antiquitate cura Politiæ & bonorũ morũ velut censoribus publicis, consiliariis intento oculo obseruantibus, an à pistoribus, laniis aut macellariis fraus aliqua committatur, quam si deprehendant, seuere in delinquentes animaduertunt.

Præfecturæ quæ sunt sub *Comitio Parisiensi* hæ numerantur: Possiacena, Fanũ S. Germani, Tornanũ, Iosedũ siue Corbelia, Monleriũ, Gõnessa.

Præcipua tribunalia Iustitiæ, quæ Parlamento Parisino subiiciuntur, hæc sunt: Primũ est Laduni, vbi sedes Præsidis, constans ex edicto Hẽrici II regis, Consiliariis X. & vno Scriba Appellationũ. Ad hoc tribunal prouocare possunt in casibus Edicto comprehensis hæc oppida: Laudunũ, Fanũ Quintini, Ribemontiũ, Nouiodunũ, Cussiæum, Cauniũ, Suessiones, Guisa, Perona, Mons Desiderij, & Roia. Alterũ tribunal est apud Rhemos, vbi sedes Præsidis, constatque Consiliariis VIII. & Scriba vno Appellationum; tenore Edicti (quod semel dictũ, semper obseruatũ volumus) Ad hoc tribunal prouocare possunt Rhemi, Catalaunum, Esperhæum, Fimes, Comitatus Vertuensis, Præfectura Saudronia, & causa Conseruationis Priuilegiorum Academiæ Rhemensis.

Apud *Ambianos* est tribunal cũ sede Præsidis, habens Consiliarios VII, scribam Appellationum vnum, in vsum præfecturæ Ambianæ.

Apud *Abbatis-Villam* itidẽ tribunal cum sede præsidis, constans Consiliariis VII & Scriba Appellationum vno, pro Iurisdictione Ponthiensi.

In Vrbe *Bononia Morinorum* Sedes Præsidis, consiliarij VII. Scriba Appellationum vnus, pro præfectura Bononiensi.

Apud *Syluanectũ* oppidũ Sedes Præsidis, Octo Consiliarij, Scriba vnus, ad quod tribunal est ius prouocationis oppido Syluanectẽsi, sedi Compendiensi, Clarimontio in Bellouacensibus, Creilio, Præposituræ Angiẽsi, Caluo Monti Vexinensium, Ponti Aesæ fluuij, Bellomontio ad Aesam, Crespiæo, Fertemilonio, Petrofontio.

Apud *Senonum* oppidum tribunal cũ sede Præsidis, constans Consiliariis X. & Scriba vno. Huc prouocationis ius oppido Villæ nouano Regis.

Auxerra tribunal cum sede Præsidis, Consiliariis VIII & Scriba vno, in vsum Præfecturæ Auxerranæ.

Apud *Trecense* oppidum tribunal cum Sede Præsidis, Consiliariis VIII. Scriba vno, ad quod est ius prouocãdi Trecensibus, Bario ad Sequanam, Musslæo Episcopi, Ferteæ ad Albam, Nogentio, Ponti supra Sequanã, Eurio Castello, & S. Florentij Fano, cum causis ad Conseruationẽ Nundinarum per Campaniã & Briense territorium, quatenus præfectura Trecẽsis se extendit.

Vitriei Parthensium est tribunal cum sede Præsidis, Consiliarij VII, Scriba vnus, in quo tribunali resortiuntur causas, dictum oppidum Viatriæum, sedes S. Menoldi, Fanum Desiderij, Ruueræa

ueræa & Passauantum.

Apud *Castrum Theodorici* Sedes Præsidis, Consiliarij VII, Scriba vnus, à qua sede iura petere possunt dictum Oppidum, Castilio supra Matronam, Trefonium, Castellum Vchilium, & Fanum Frontini.

Ad *Caluum Montem Bassigniorum* tribunal cum sede Præsidis, Cõsiliarij VII. Scriba vnus, à quo tribunali dependent Caluus Mons oppidum, cũ Præfectura Baria ad Albam. In ciuitate *Meldensi* sedes Præsidis, Consiliarij VII, Scriba vnus, ad quod tribunal prouocare possunt dicta ciuitas Meldensis, cum sede Crecienſi, Columerienſi, Fertensi. *Melodum* est tribunal cum sede Præsidis, constans Cõsiliariis VII, Scriba vno, vnde præter Melodunum oppidum ius petunt sedes Moretana, Nemurcensis, Castro-landonensis, ad sacellum reginæ, & Milium Gastinensium.

In oppido *Prouinsiensi* (veterum *Agendicũ* fuit) est Sedes Præsidis cum Consiliariis VII, Scriba vno. Hinc iura resortiuntur, dictum oppidum cum sede Sezanensi, Monteria, Braia supra Sequanam, Castrum Iouillium; hinc quoq; depẽdent iura & cõseruatio Nundinarum in Briensi territorio & Campania, quousque se extendit iurisdictio Agendici.

In Vrbe *Pictauiensi* sedes est Præsidis cum tribunali, in vsum Præfecturæ Pictonum, habens Consiliarios XII & scribam Appellationum vnum. Hinc iura petere possunt primũ ipsa Vrbs, & Academia in causa cõseruationis Priuilegiorum, & sedes ad Lusinianum, Castelleraltum, Montem Morillonum, Marca inferior, Doratum, Fontenęum Comitis, Niortum, Giuręum, & S. Maxentij Fanum.

Apud Ciuitatem *Andegauensem* pro Præfecturis Andium est sedes Præsidis cum consiliariis X & scriba vno, vnde iura petunt Andegauẽses, Saumurienses, Baugæi, & Bellefortij in cõualle.

In Vrbe *Turonum* tribunal cum sede Præsidis, Consiliarius VIII, Scriba vno. Hic iura causaque resortiuntur Turones, Chinonij, Lodunenses, Langestani, Ambosiani, Lochenses & Castillonij ad Indrum fluuium.

Apud oppidum *Cenomannorum* (Mans) tribunal cum sede Præsidis, pro illa præfectura, quæ inde iura petit, cum Castello Lorio, Lauallia, Bellomonte, Fano Susannæ, Castro Gonterij, Fleschiaco oppido, Sablæo & Fertæa Bernardi.

Lugduni est sedes Præsidialis, Consiliarij VIII, scriba vnus. Hic ius dicitur Lugdunensi vrbi cũ iure Nundinarum eiusdem, Præfecturæ Matisconensi, Forestensibus, Bello-Iulienſibus. Est & Lugduni aliud tribunal, quod vernacula lingua vocant Parlamentum de Dombes. Forestensibus quidem hodie ius est prouocandi ad Monbrissionium. Apud Molinum est sedes Præsidis pro Diœcesi Borboniorum, vbi sunt Consiliarij VII & Scriba vnus. Ius hic dicitur primo ipsis Molinensibus cum prouocatione, postquam locus iste Ducatus titulo insignitus est: vt & sedibus superioris Marcæ.

Ad S. *Petri Monasterium* sedes Præsidis cum Consiliariis VII, scriba vno. Huc pertinent dicta Præfectura Monasterienſis, Doncienſis, Sauorinie, Cussetensis, & Sancti Stephani Niuernensis oppidum.

Apud oppidum *Rionense* sedes Præsidis pro Iurisdictione Aruerniæ inferioris, cum octo Cõsiliariis & Scriba vno. Hinc iura petunt oppida, Rioniũ, Mons Ferrandi, Cõbrallia, Mons Acutus, Aqua-pertusa, Claremõtium, Mõpenseriũ.

Orillaci tribunal est cum Sede Præsidis pro Iurisdictione Aruerniæ superioris, habens Consiliarios VIII, scribam vnum. Hic resortiuntur causas præter Orillacum oppidum, Fanum S. Flori, Carolatum & Muratum.

Blasij Sedes est Præsidis pro ista Præfectura, cum Consiliariis VII, & Scriba vno. Hinc depẽdent inferiora tribunalia Bloisiense, Remorentinium, Maleacense, Castellodunense & territorium Dunense.

In Vrbe *Biturigum* tribunal cum Sede Præsidis, in vsum territorij Bituricensis, cum Consiliariis VIII & Scriba vno. Huc prouocatio est Biturigibus, Academiæ pro Conseruatione Priuilegiorum, Issodunijs, Duno regio, Munio oppido & Concressanio.

Aureliæ est Sedes Præsidis pro Prefectura Aurelienſi, cũ Consiliariis XII, & Scriba vno. Hinc ius petunt sedes Aurelienſis, tam ratione Præfecturæ quam Præposituræ, & conseruationis Priuilegiorũ Academiæ illius Vrbis: præterea sedes Boisia, Castellũ Renati, Ienvilla, Castellũ Ieuræ, Nouũ oppidũ Logense, Giena, Mons Argi, Lorisa, Melunum ad Lorium amnem, Bogencium.

Ad Vrbis *Carnutensis* Sedem Præsidialem, vbi sunt Consiliarii X, scriba vnus, pertinẽt iure Prouocationis præter dictum oppidũ sedes Castelli noui, Thinaræa, Vnellorum ciuitas, Perca Gouetra, Srampium oppidum, Durdana, Nogentium regium, Bonæuallia, & Iurisdictio in temporalibus Ecclesiæ Cathedralis Carnutensis, cum Abbatia Bonæuallensi.

Apud *Inculismenses* sedes est Præsidis cum senatoribus VII. & scriba vno. Hic resortiuntur causas præter oppidum Inculismam etiam Cogniacum & Castellonorum.

Rupellæ tribunal est & Sedes Præsidis, cum senatoribus septem & scriba vno. Hinc iura petere potest cum Rupella oppido totum territorium Alnienſe, cum agro vicino.

Apud *Montem-fortem Almerici* est sedes Præsidis cum Senatoribus VII, scriba vno. Huc Prouocationis ius est ab sede Monfortia, & ab oppidis Hudano, Mantesio, Meulano.

Ad hunc tribunalium siue sedium Præsidialium numerum alia quoque accesserunt post Henrici II. tempora, vt Consiliariorum & Senatorum numerus admodum auctus fuerit, per aliquot edicta, quibus noua instituuntur officia.

Normandia comprehendet Præfecturas VII, quæ omnes parent *Parlamento Rotomagensi*, sunt quehæ: oppidum Rotomagense, Callati, Canium, Constantini, Ebroicense, Giforium, Alenconium. Parlamentum Rotomagense instituit

stituit Ludouicus XII, vt in eo essent Præsides IV. Consiliarij siue Senatores XXVIII, interque eos Clerici XIII, Laici XV, Scribæ II, Auditor vnus, cum causidicis regiis, Aduocatis duobus, Procuratore generali vno. Succedente autem tempore numerus iste non parum auctus est, vt & in cæteris per Galliæ regnum Curiis.

Est & *Rotomagi* præter Parlamentum, Curia Subsidiorum Vectigaliumque, vbi Electi exercent iurisdictionem, cuius autor fuit Carolus VII, habetque Præsides II, Senatores XI, Scribam vnum, Aduocatos II, Procuratorem regiũ I. Ostiarios III, cum Condo & Promo pecuniarum. Iudicant hi definitè in causis subsidiorum, collationum, vectigalium, porroriorum, indictionum, accessionum, beneficiorum, mutui, rerumque similium. Ab his iudicibus dependent non pauci Electi, exactores vectigalis salinarij & Antigraphi, quibus forum est & tribunal peculiare. Præter autem comitia prætoriana Ducatus Normandiæ, hic quoque comprehenduntur Ducatus Vnellorum, Præpositura Caumontia, & Accrementum Magniense cum Ponte Aesæ. Et præter hęc omnia Rotomagi quoque est Curia Præfecturæ, sedes Præsidis, Vicecomitatus & Iurisdictio ordinaria.

Vt autẽ pressius numerẽmus Sedes, ac tribunalia Præsidialia, vt & Præfecturas, eas hoc ordine persequemur. Præfectura Caudebecana; Sedes Præsidis Ebroicensis, Præfectura Gisorienſis, Alenconia: & hęc postrema comprehenditur sub Generalitate (vt loquuntur) Rotomagensi, vbi sunt circiter Vicecomitatus viginti, cum XII vel XV sedibus regiis. Hinc sequitur sedes Præsidis Canensis: Præfectura Constantiensis; in quibus sunt Vicecomitatus VII, cum nonnullis sedibus regiis.

Parlamentum Tolosanum sub se habet tribunalia & Præfecturas has.

Tolosam, Carcassonem, Villafrancam in Ruthenis, Cadurcos, Tarbellos. & in his sunt tribunalia V, dependẽtia à Prẽfectura Cadurcorũ.

Apud Montem Pessulanum est Curia subsidiaria, & camera Computorum regiorum.

Sedes Betierensis Præsidis. Præfectura & Sedes Bellicandri & Nemausensis.

Sedes Præsidialis Burdegalensis, Petrocoriorum, Agennensis, Bazadensis, Louensis, Sanctonum oppidum. Iudicia quinque.

Parlamentum Burgundiæ sub se habet:

Præfecturam Diuionensem, Nuisensem, Belnensem, Axonitanam, S. Iohannis de Leone Cabilloni ad Ararim, Matisconensem, Augustodunensem, Semurienſem, Moncenicam, Carolẽsem, Alexiensem, Aualonensem, Arnæam Ducis, Montagninam, Barienſem ad Sequanam, Getensem, Bellæam, Burgensem.

Parlamentum Britanniæ minoris complectitur

Sedem Præsidialem Rhedonensem; Tribunal & Cameram Computorum Nannetensem, Sedem Venetorum (Vannes) Cadetes maritimos, Plovviliam. Iudicia regia VI.

Parlamentum Delphinatus, siue Gratianopolitanum sub se habet

Præfecturam Gratianopolitanã, Viennensem, Valentinã, Montlimarensẽ, Ebrodunẽsem, Vapincanã, Niuodunẽsem, Diensensem, Crestanã, Cabelliẽsem, Sãcti Marcellini, Brennouicẽsem,

Parlamento Prouinciæ accensetur

Præfectura ad Aquas Sextias, cum sedibus regiis, ad minus XX. Notabit autem vltimo loco Lector, omnes Galliæ Vrbes habere suas Cameras rationum siue Computorum, excepta Tolosana & Rhedonensi.

RELIGIONIS ET CVLTVS RATIO per Galliam.

Scriptum reliquit Epiphanius, Sanctũ Lucam tradidisse Gallis fidei Christianæ initia. Pollicetur autẽ & S. Clemens in prima sua Epistola cõtra Iudæos, missurum se in Galliã de mandato S. Petri ad Iacobum fratrem Domini. Deinceps Crescentius. Martialis, Dionysius Areopagita, Eleutherus, Aphrodisæus, Rusticus aliique viri Pij multũ laborauerunt ad propagandam fidem Christi, iis in locis plantatam asseuerãte Tertulliano, iam suo æuo multas Gallorum nationes religionem Christianã amplexos professosque esse. Postremo totum regnũ conuersum est ad fidem, regnante Clodoueo rege ad annum Domini CCCCLXV. Porro continet Gallia Diœceses CCXVI, in quo numero sunt Archiepiscopi XV, Episcopi CCII.

Diœcesis	Parisiensis	Complectitur Parochias cum Turribus & Campanilibus	600.
	Meldensis		410.
	Carnutensis,		1700.
	Sueßionum,		380.
	Bellouacensis,		592
	Nouiodunensis,		404
	Bononiensis,		460.
	Ambianorum,		498.
	Rhemorum,		1014.
	Catalaunensis,		360.
	Trecensis,		509.
	Senonum,		930.
	Aurelianensis		700.
	Andegauensis		668.
	In Turonibus		1035.
	In Pictonibus.		709.
	Cenomannorum,		451.

Lucio-

	Lucionenſis,		213.
	Biturigum,		1260.
	Niuernenſis		211.
	Lemouicenſis		411.
	Inculiſmenſis		411.
	Claremontana,		306.
	Lugdunenſis		411.
	Matiſconenſis		307.
	Cabillonenſis		420.
	Auguſtodunenſis		1300.
	Auxerrana		460.
	Olbienſis		960.
	Syluanectenſis		211.
	Rotomagenſis		1338.
	Caënenſis		509.
	Alenconia,		930.
	Ebroicenſis,		355.
	Nannetenſis		385.
	Rhedonenſis		450.
	Venetorum,		405.
	Bellocaſiorum,		211.
	Saenſis,		213.
	Conſtantienſis		319.
	Abrincana		362.
	Trignaa,		307.
	Sancti Machlouij		314.
Diœceſis	*In Cadetibus,*	Complectitur Parochias cum Turribus & Campanalibus.	202.
	In Santonibus,		291.
	In Petrocoriis		302.
	Lingonum		960.
	Burdegalenſis		918.
	Montis Albani		414.
	Tarbelliorum.		291.
	Axitanorum		259.
	Baſaſienſis.		504.
	Auchenſis		768.
	Baionenſis		349.
	Cadurcorum		422.
	Toloſana		1152.
	Caſtrenſis		412.
	Carcaſonenſis,		319.
	Narbonenſis,		972.
	Agennenſis		629.
	Betierenſis		306.
	Mompeſſulana,		491.
	Agathopolitana.		77.
	Mirepoſiana		89.
	Nemauſenſis		509.
	Sancti Pauli		62.
	Vaurenſis,		114.
	Manadenſis		209.
	Viuarienſis		155.
	Albienſis		309.
	Rhutinienſis		219.
	Vabrenſis		500.
	S. Pontij		482.
	S. Flori		202.
	Lodanenſis		203.
	Riuenſis		500.
	Aletenſis		168.
	Ligierenſis		125.
	De Puy		428.
	Viennenſis		800.

Valen-

Valentina	325.
Vapincana	204.
Ebrodunensis	211.
Diensis	147.
Brennoticum	170.
Dinienſis	185.
Aquenſis	800.
Ceſteronenſis	200.
Arelatenſis	311.
Maſſilienſis	280.

Præter has Parochias eſt in Gallia ingens numerus Monaſteriorum, quibus Abbates vel Priores præſunt: horum pars adhuc ſubſiſtit; pars bellis ciuilibus peſſundata iacet in ruderibus.

34. Sunt autem in Galliæ regno, vigentque duæ præcipuè Religiones; iis quidem Romanam Eccleſiam, his verò Caluini dogma ſequentibus. A principio multis annis ferro, ignique in hos ab illis ſæuitum eſt, trucidatis infinitis Proteſtantium, ſed hoc fuit hydram ſecare, cum è ſanguine & cineribus interemtorum noui ſubinde prodierint. Erupitque tandem Sacrum hoc litigium in crudele bellum, quod per aliquot annos durauit, nunc his nunc illis præualentibus, quanquã Caluini ſectatores multoties inferiores fuerint. Nec tamen propterea ſpẽ animumq; abiecerunt, ne tot quidem edictis aut proſcriptionibus regno migrare iuſſi, aut honorib. dignitatibuſq; ſpoliati, ac inteſtabiles pronunciati. Tandem cum vtriuſque partis iacturam conſideraret rex, & quod tam illi quam hi ciues regni, ſubditique ſui eſſent, paterno affectu complexus vtroſque; vtrique parti conſulendum duxit. Videns autem Proteſtantes, & qui nouum ſequuntur dogma, quo magis affligerentur, eo minus à ſententia ſua dimoueri poſſe, ſed à ſupplicijs & perſecutione animos ſumere: ſtabiliuit denuo Edictum pacificatorium, quod ſuperiorum temporum reges conceperant, & per regni prouincias propoſuerant: quo nouitiis illis cauetur de ſecuritate, vt religionem ſuam exerceant, in iis locis, in quibus dudum conſueuerunt: vtque Sacrificium Miſſæ denuo introduceretur in ea loca, vnde violentia aduerſæ partis furcillatum fuerat: quæ ratio pacis viſa eſt commodiſſima.

Conſequens nunc erat, vt de Priuilegiis & libertate Eccleſiæ Gallicanæ aliquid diceremus; ſed verendum eſt, ne obiiciatur nobis, nos actũ agere, cum integri de ea re aliorum extent libri, ad quos remittimus harum rerum curioſum Lectorem.

ELENCHVS REGVM GALliæ è Francis.

35. PHARAMVNDVS.

Clodio Comatus regnauit annis XX. mortuus anno ſalutis CDXLVII.

Merouæus regnauit annis XII. Obiit diem ſuum anno Salutis CDLIX.

Childericus I. regnauit annis XXVI, defunctus anno CDLXXXIV.

Clodoueus I. Rex Chriſtianus, præfuit regno per annos XXX, mortuus anno DXIV

Hildebertus Rex Pariſiorum: nam fratres eius in alijs regni partibus regnauerunt.

Narrant enim hiſtoriæ Clotarium Aureliæ, Clodomirum in Sueſſionibus,

Theodoricum apud Mediomatrices in Auſtraſia regnaſſe. Hildebertus exactis in regno annis XLV obiit ſine liberis anno Chriſti DLIX.

Clotarius Rex Aurelienſium ſucceſſit Hildeberto in regno Pariſiorum, regnauitque in vniuerſum annis L.

Herebertus (quem quidam Aridetum vocant.) Pariſiis regnauit.

Chilpericus Clotarij Primi filius, regnauit annis XXIII, obijt anno Chriſti DLXXXVII.

Clotarius II. potitus eſt regno XLIV annis, mortuus anno DCXXXI.

Dagobertus I. rex fuit annis XIV mortuus anno Domini DCXLV.

Ludouicus (à quibuſdam Clouis dictus) regnauit an. XVI mortuus anno DCLXII.

Clotarius (rectius Lotharius) III regnauit annis IV.

Hildericus præfuit Francorum regno annis XII.

Theodoricus (rectius Dietericus) regnauit annis XIV, mortuus anno DCXCIII.

Clodoueus III. regnauit non niſi IV annis.

Hildebertus II. regnauit annis XVIII, defunctus anno DCCXV.

Dagobertus II, potitus eſt regno per annos tantum IV.

Lotharius IV non niſi per biennium regnauit.

Chilpericus III, à Pipino ſolio regio deturbatus, in quem miniſterium detruſus.

SECVNDA LINEA REGVM Franciæ à Pipino vſque ad Hugonem Capetum.

Pipinus regnauit annis XVIII, mortuus anno Chriſti DCCLXVIII.

Carolus Magnus exceſſit è viuis anno Chriſti DCCCXIV cum regnaſſet annis XLVI.

Ludouicus I, (vel vt alij numerant II) cognomento Pius regnauit annos XXVI, mortuus anno gratiæ DCCCXL.

Carolus II, moritur anno Salutis DCCC LXXIX cum regnaſſet annis XXXVIII.

Ludouicus II, cognomento Balbus regnauit ſolis annis duobus, mortuus DCCCLXXXI.

Ludo-

Ludouicus & Carolomannus spurii regnauerunt simul, quorum ille in venatione interemtus est, percussus à quodam domesticorũ, & Carolomannus cum eques sequeretur puellam, collapso equo ceruices fregit anno gratiæ DCC CLXXXV.

Carolus III. regnauit annis V, mortuus anno DCCC XCI.

Eudo regnasse fertur annis nouem, extinctus anno Christi DCCC LXXXXIX.

Carolus Simplex, cum præfuisset regno XX VII. annis, mortuus est an. CM XXVI.

Rudolfus solo biennio regnauit, defunctus Auxerræ anno gratiæ CM XXXVI.

Ludouicus Vltramarinus regnauit annis XX VII. mortuusque est anno CM LVI.

Lotharius regnauit annis XXXI. excessit è viuis anno CM LXXXVI.

Ludouicus V. per vnum solum annum regno potitus, mortuus est, in quo desinit secunda linea regum Galliæ.

ELENCHVS REGVM POST Hugonem Capetum vsque ad Philippum Valesium.

Hugo Capetus, Parisiorum Comes regnauit annis IX. obiit anno Christi CM XCVI.

Robertus, cum regnasset annis XXXIII. mortuus est anno Salutis M XXXI.

Henricus I. mortuus est anno gratiæ M LXII. cum regnasset annis XXX.

Philippus I. regnauit annis XL. defunctus anno Salutis M C IX.

Ludouicus Crassus, VI. huius nominis, cum regnasset annis XXVIII. obiit an. M C XXXVII

Ludouicus VII. regnauit per annos XLIII. mortuus anno Christi M C LXXIX.

Philippus Augustus Adeodatus regnauit annos XLIII. mortuus anno M CC XXIII.

Ludouicus VIII. regno potitus est solis IV. annis, mortuus anno Christi M CC XXVII.

Ludouicus IX. cognomento Sanctus, cum regnasset annos XLIII. obiit anno M CC LXX.

Philippus III. præfuit regno annis X V. defunctus anno M CC LXXXV.

Philippus IV. cognomine Pulcher cum regnasset annos XXVIII. obiit anno M CCC XIII.

Ludouicus X. non nisi mensibus X V III. regno potitus est, mortuus anno M CCC XV.

Philippus V. cognomine Longus regnauit per annos V. mortuusq; est anno M CCC XX.

Carolus I V. dictus Pulcher septennio cum præfuisset regno, defunctus est anno M CCC XXVIII.

ELENCHVS REGVM A Philippo Valesio vsq; ad Ludouicum XIII. nostro æuo regnantem.

Philippus Valesius regnauit annis XXII. obiitque anno Salutis M CCC L.

Iohannes mortuus est anno gratiæ M CCC LXIII. anno regni decimoquarto.

Carolus V. regnauit annis XVI. mortuus anno gratiæ M CCC LXXX.

Carolus VI. regnauit annis XLII. mortuusq; est anno M CD XXII.

Carolus VII. præfuit Francorum regno annos XXXVIII. obiitque anno M CD LX.

Ludouicus XI. rex fuit per annos XXIII. mortuus anno Salutis M CD LXXXV.

Carolus VIII. regnauit annis XIV. defunctus vita sub annum M CD XC VII.

Ludouicus XII. potitus est regno per annos XVII. mortuus anno M D XIV.

Franciscus I. regnauit annis XXXII. defunctus anno M D XLVII.

Henricus II. annis X II I. cum regnasset mortuus est anno gratiæ M D LIX.

Franciscus II. mortuus est anno M D LX. cum solis mensibus XVI. rex fuisset.

Carolus IX. regnauit annis XIV. excessit è vita anno M D LXXXIV.

Henricus III. cum regnasset itidem annis XIV. mortuus est non relictis liberis, & in hoc stirps regia Valesiorum defecit.

Henricus IV. quem aliqui Magnum vocant, Rex Nauarræ, Galliæ quoq; regnum adeptus est Henrico tertio sine prole extincto, cui sanguinis iure quã proxime iunctus erat: cum genus suum directa linea referret ad Ludouicum sanctum, per Ludouicum Comitem Claræmontanum in Bellouacensibus, sancti filium. Multi huic regnũ capessenti se opposuerunt, sed ipse omnes deuicit, iusq; suum egregie persecutus obtinuit: ipse vicissim ab iis victus, quibus in conspiratione deprehensis delicti gratiam fecerat. Huic regem similem Gallia vix vnquam habuit, quem sine dubio illi qui post nos victuri sunt, desiderabũt. Potentissimus enim regum cum esset, populo suo quietem peperit, vicinos in amicitia, hostes in timore continuit. Regnauit omnino annos XXI. interfectus à fœdissimo parricida anno M DC X. Huius filius LVDOVICVS XIII. velut Sol post densas tenebras, ita Galliæ regno illuxit, viua imago virtutum Patris, Herois incomparabilis, Henrici Magni. Tenet autem omnes firma spes, vt quemadmodum sceptrum suum auspicatus est in ætate innocente, ita Regnum eius futurum Pium, Iustum & Pacificum.

DE PROVINCIA BEARNENSI QVÆ PARS EST GALLIÆ.

SVMMA CAPITA.

1 *Termini regionis Bearnensis: eiusdem situs, ingenium fertilitasque soli: Vrbes ac oppida præcipua, cum aliis locis memorabilibus.*

2 *Fluuii eius & amnes, plerique non nauigabiles.*

3 *Robur militare Bearnensium, fortalitia, armamentaria, inprimis Nauarrensium.*

4 *Forma dominii & ratio gubernandi apud Bearnenses. Qui apud eos Principes cum summa potestate*

fuerint. Summa curia siue Parlamentum Bearnense vbi & quando constitutum.

5 *Religio vetus & noua Bearnensium: Episcopatus Escarienſis & Oleronensis: quando Romana Religio eiecta fuerit ea regione: Iohanna Regina introduxit Caluini dogmata. Ludouicus XIII. rex reduxit Missam in Ducatum Bearnensem. Tenor Edicti regii, quo Episcopi & Ecclesiastici in Bearniam restituuntur.*

SITVS AC TERMINI REGIONIS.

1 BEarnia prouincia est non adeo magna, nulli tamen superiori præterquam Principi suo vllo iure obnoxia, qui ibi est cum Maiestate. Occurrit hæc descendentibus à Pyrenæis montibus, quibus Gallia ab Hispania velut sæpimento diuiditur, facto initio à prouincia Tarraconensi. Extenditur autem Bearnia ab Austro in Aquilonem, quæ est eius longitudo: fines habet, à Meridie Comitatum Bigorrensem; à Septentrione Biscaiam Regalem (quæ pars Cantabriæ) separante hanc à Bearnia Cano fluuiolo. Latitudo ab Ortu in Occasum sumitur, habetque limites hinc quidem Biscaiam Nauarrensem, illinc tertam tesquis incultam & Chalosiam, secundum
2 Adarem fluuium. Amnes non magnos solum duos habet, quorum neuter nauigationi aptus est.

3 Diuiditur autem regio Bearnensis in territoria duo: quorum illud montibus vicinum multis collibus eliuisque attollitur, cuius oppidum præcipuum est Oleronense: alterum totum vallibus deprimitur ad pedem montium, vbi oppidum est Escarium. Est autem Pauium totius Bearniæ ciuitas præcipua, vbi sedes est summæ Curiæ siue Parlamenti per Ducatum ius dicentis. Cætera oppida sunt Orthesium, antiquum domicilium Principum Bearnensium & Comitum Foxensium: Morlassum, vbi cuditur moneta in vsum regionis: Naya oppidum mercatu celebre, quod totum igne cælitus lapso exustum est circa annum Christi M D XLV. Pontacum, Codercum & Nauarrenorum oppidum, situm ad radices montium, vbi est armamentarium regionis: quin & hic est Nauarra inferior, cuius primas fert oppidum S. Palatii.

FORMA DOMINII ET RATIO GVBERNATIONIS.

4 HAbet Bearnia curiam supremam & nulli alii obnoxiam, in qua ius vnicuiq; dicitur, suntque ibi Præsides II. Consiliarii XX. Aduocatus vnus, Procurator vnus. Conueniunt autem Ordines regionis quotannis, permittente Principe, vt ibi quæ ex vsu publico sunt, in commune consulant, vtque inter se deliberent de Donatiuo, quod Ordines Principi quotannis offerre solent. Legum consuetudinumque suarum sunt obseruantissimi, adeo vt iniquis animus ferant, si vel princeps in iisaliquid immutet. Porro qui scire desideret, quo pacto Bearnensis regio auulsa sit à cætero corpore regni Francici, is nouerit, quod iam à CCC LX. & amplius annis prouincia ista peculiares suos habuerit Principes, qui noluerunt recognoscere superiorem, quem quidem titulum confidentius vsurpauerunt, sancto Ludouico expeditionibus in Terram sanctam occupato: hoc enim ipso tempore incolæ elegerunt sibi velut supremum principem Reimundum de Moncada. Habuit hic filium nomine Gastonem de Bearnia, qui cum non haberet nisi duas filias, quas ex vxore sua hærede comitatus Bigorrensis susceperat, elocauit maiorem natu Comiti Aremicorum in matrimonium: minorem vero Rogerio Bernardo, Comiti Foxensi, cui in dotem dedit Principatum Bearnensem & Comitatum Bigorrensem. Cumque Bearnia in Comitum Foxensium possessionem veniisset, semper in illo libertatis statu perstitit, donec nouissimis his annis mutauit faciem, vt in sequentibus commemorabo; perstitit autem in Autonomia ista beneficio potentiæ & auctoritatis magnæ illius & opulentæ familiæ, quanquam ab initio vsurpauerit absoluti dominii titulum in fraudem & præiudicium regni Francici. Nihil enim certius est, quin Bearnia, quæ olim fuit pars regni Aquitanici, quod Carolus Caluus cum regno Galliæ coniunxit, deinceps quoq; sub Aquitania comprehensa fuerit, postquam illa in prouinciæ formam redacta est. Porro hoc pacto ad regis dominium peruenit Bearnia. Nupserat Catharina Nauarrena, Bearniæ Princeps, Domina Comitatuum Foxensis & Bigorrensis, Iohanni Alani filio, Duci Albrotano, è quo matrimonio natus est Henricus Albretanus Rex Nauarræ, Princeps Bearniæ, Comes Foxensis, Bigorrensis & Aremicus: deinde Carolus, qui periit apud Neapolim; nec non quædam filiæ, inter quas Margarita Valesia, soror Francisci I. Regis: huius filia Iohanna Albretana Nauarræ regina nupsit Antonio Burbonio, vnde natus est Henricus Burbonius, Rex Franciæ & Nauarræ; Pater Ludouici XIII. qui nunc rerum per Galliam potitur.

QVIS SIT STATVS RELIGIONIS IN BEARNIA.

6 PRofessa est antiquitus Prouincia Bearnensis Religionem Romano-Catholicam, habuitque duos Episcopos, Oleronensem & Escarensem, qui erant velut duæ mamillæ, vnde incolæ sugere deberent lac Christianæ fidei & virtutum. Durauit hoc vsque ad Margaritam Valesiam, Francisci I. regis sororem: quæ accersiuit in prouinciam quosdam Lutheri discipulos, quorum passim multi erant in regno: quanquam non eo fine, vt publice profiterentur sua dogmata, sed vt ipsa priuato studio eos audiret. At filia eius Iohanna Nauatræ regina progressa vlterius, patefecit prouinciam Lutheri & Caluini, inprimis autem huius sectatoribus. Hi enim cum liberum ad eam obtinuissent aditum adeo in suam sententiam pertraxerunt mulierem, vt dicto citius, anno salutis M D LXIX. omnes sacerdotes & Monachi prouincia pulsi eiectique fuerint,

fuerint, bonis Ecclesiasticis vel dispoliatis vel in alios vsus conuersis.

Multum autem ad hanc rem opis attulisse putatur magnus huius reginæ animus, & iniuriarum impatiens, quæ clandestinum odium conceperat in Sedem Romanam propter amissum regnum Nauarrenum, quo Auus eius Iohannes ab Hispanis spoliatus fuerat: cum ipsa crederet, secutum tunc Pontificem Iberorum partes.

Cum ad Diadema peruenisset, aperte nec dissimulanter fecit, quod Henricus pater eius vix in occulto ausus fuerat. Nam vix tutela exiuerat, cum cæpit ostendere Romano Pontifici, quam parum is posset in suis prouinciis. Nam cum regnare incepisset, statim aboleuit sacrificium Missæ per vniuersam Bearniam, euertit Diuorum templa, sacrificos Monachosq; in exilium egit. Cumq; Iohanna ista esset indolis præstantis, ingeniosa supra modum & acuta: non solum scripris libris calamo suo testari voluit libertatem spiritus & mentis quam iactabat, sed & acu ac opere phrygio depictis peristromatis. Cum enim admodum delectaretur acutis sententiis atque Emblematis sua ipsius manu elegantibus coloribus variegauit lata Aulæa siue peripetasma, pictura textili ipsam materiam profitente, quanquam occulto sensu. Erat inter hæc Mineruæ opera tentorium duodecim aut quindecim partibus siue stromatis constans, miro artificio elaboratum, quod appellabat *carcerem Ruptum*: quo innuebat rupisse se vinculum, & excussisse iugum Captiuitatis Pontificiæ. In medio vniuscuiusque partis siue telæ depinxerat historiam aliquam è veteri Testamento, quarum omnium argumentũ erat vnum LIBERTAS: cuiusmodi sunt Iosephus triennali carcere exemptus: populus Hebræus egrediens captiuitate Babylonica: Susanna à calumniis Veteratorum vindicata, & alia huiusmodi. Ab extremis telarum oris visebantur catenæ dissolutæ, compedes ac Boiæ ruptæ, instrumenta suppliciorum fracta derectaque. Ab summa parte literis prælongis hæc verba ex Corinthiis descripta erant: *Vbi Spiritus, ibi Libertas.* Vtque ostenderet cuidentius odium quod conceperat in Romanam Religionem, inque primis quantopere detestaretur sacrificium Missæ; cum haberet telam siue peristroma egregium, in quo Margarita mater eius totum actum illius sacri acu depinxerat, antequam per Ministros Ecclesiæ in diuersam sententiam perducta fuisset; stante ad aram sacerdote & populo Hostiam (vt vocant) monstrante: euulsit subtemen, quod sacerdotem repræsentabat, inque eius locum substituit sua manu Vulpeculam, quæ conuersa ad populum cum fremitu quodam dentium videbatur minitari adstantibus, & tamen proferebat adscriptas has duas voces, *Dominus vobiscum.*

Quid post acciderit narrare superuacaneum puto, cum per omnem Europam notum existimem, quantas Catholici perpessi fuerint per Bearnensem prouinciam oppressiones, quibus exagitati fuerint modis, quibusque artificiis. Multi tamen à prisca sententia non decesserunt, sed Romanæ Ecclesiæ Pastorem firmiter complexi, venerari perrexerunt, quanquam exercitio Ecclesiastico destituerentur. Hi cum magno numero essent per prouinciam, præualuerunt contra violentas constitutiones & Edicta Reginæ, quibus priscam colendi DEVM rationem adimere populo moliebatur, substituta noua.

Henricus IV. rex, cognomento Magnus, cum miro affectu complecteretur Natale solum, & quæ inde dependent terras, recordatus, à Pontifice Romano ea se diris Papalibus exsolutum condicione, vt restitueret res Ecclesiasticas per Bearniam: auspicatus fuerat emendationem: sed impeditus mole negotiorum, cum ipsi occupationes aliæ ex aliis nascerentur, satisfacere stipulationi non potuit, cum mater ipsius Regina Iohanna Albretenna omnes iam ante ferme profligasset Catholicos. Contentus igitur, Romanam Religionem in quatuor aut quinq; locis restituisse, cum plura non posset, conquieuit. Mouebat hæc res admodum vicinos Episcopos inprimis Baionensem, cum viderent nouis opinionibus oppressam hanc prouinciam, quæ priscis temporibus floruisset in Catholica fide, eoque nomine præclarissimis fuisset ornata Ecclesiasticorum priuilegiis & immunitatibus. Dolebant populum, cui Deus præ cæteris ingenium acre, sensusque subtiles, terram insuper omnibus ad vitam necessariis largitus fuisset, adeo à prisca & Francorum regibus propria, perque regnum recepta religione discessisse. Sed videtur Deus hanc gloriam Filio reseruasse, vt Pater eius Henricus sæpe vaticinatus fuerat. Agebatur tunc tertius annus, cum Rex sedens in consilio suo, sine vllius suggestione, sed vt loquuntur, motu proprio, sententiam tulit in causa redituum ac beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ hactenus sub iudice & litispendentia fuerant, vt omnes Ordines Ecclesiastici per Bearnensem Prouinciam restituerentur in bona sua, inque suas Ecclesias; constituitque edicto proposito, vt diuinus cultus antiquo more perageretur, fuit autem edictum illud huiusmodi.

Ad D XIII. Iulii mensis A N.C. M DC XVI. Ecclesiasticos Catholicos per Ducatum Bearnensem, qui sit ipsius Regis peculiare patrimonium, exhibito libello supplice petiisse, vt religionis illius per omnem illam prouinciam, tam in vrbibus, oppidis, castellis, quam pagis villisque restituerentur exercitia, ad eum modum quo antiquitus vsitata fuerant, vsque ad annum A N.C. M D LXIX. vtque bona Ecclesiasticorum, quæ ad eum diem interdicto subiecta, in manibus Regis fuissent, priscis possessoribus restituerentur & Episcopis cæterisque Cleticis potestas fieret, conuentibus prouincialibus sua quoque ferre suffragia & perfrui dignitatibus. Propositum tum fuisse edictum per Henricum IV. Regem anno A N.C. M D XCIX. quo Catholici quibusdam in oppidis aliisque in locis restituti fuerint, cum vtraque pars tam illi quam Reformati suas Regi exposuissent rationes. Ante quidem Montgomerium Legatum Generá-

lem Reginæ Nauarrenæ Iohannæ, omnia Ecclesiastica bona interdicto adeoque fisco subiecisse per totam Prouinciam, tantisper, donec Reginæ aliter visum fuisset, facta hæc esse a. d. II. Octob. mensis anni A N.C.M D LXIX. Ordines autem Regni Generales in nuperis Comitiis exhibito libello petiisse, vt Cathol. religio per eum principatum pristino iuri ac nitori restitueretur, in oppidis, castellis pagisque omnibus. Regem igitur eorum petitionem ad animum admisisse, vtique cum constaret, patrem eadem animo agitasse consilia, ideoque velle atque iubere, vt omnia Ecclesiastica bona, quocunque censeantur nomine, quæ hactenus interdicto subiacuerint, ipsis restituantur, omni sublata exceptione & protestatione. Quin etiam Regem sub patrocinium & tutelam suam suscipere omnes, quicunque per illam prouinciam Religionem Roman. amplectantur, & non solum cultum suum libere exercere possint, sed & bonis suis, iuribus, dominiis, decimis, & quibuscunque aliis possessionibus perfrui, vt ab antiquo.

Pari modo se quoque incolumitatem & securitatem præstare præsenti edicto cæteris omnibus, qui reformatam (vt quidem vocent) sectentur religionem, eorumque ministros, Ecclesiasticos, Collegia, Professores, Scholasticos pauperes viduasque, ita, vt quandoquidem præsenti edicto Catholici eas capessere reditus, vnde alteri hactenus victitauerint, iussi sint, Rex spondeat, se è redditibus Regiis illius prouinciæ, qui de more fisco inferuntur, quotannis tantundem repensurum, vt illis legitima possint persolui stipendia, & egentibus distribui Eleemosynæ. Quod ad iura suffragiorum consessuum q; potestatem, quam Episcopi pariter petierint, attineret, de iis Regem nondum liquido constituisse, cogniturum autem de hac quoque causa. Scriptum est hoc edictum A. D. XXV. Iulii. A N.C.M DC XVII.

Instantibus autem Episcopis cæterisque clericis, Rex altero mense post, aliud edictum proposuit, solennibus verbis conceptum, in eandem cum superiore sententiam, nisi quod insuper iubebantur præfecti ac magistratus in illa prouincia operam dare, vt mandatis Regis per omnia satisfieret.

Quanquam autem vtrumque hoc edictum plenum esset æquitate & iustitia, cum reformatis sua permitteretur libertas, & rex etiam iis de suo polliceretur stipendia cumq; æquissimo iure Catholicos suis perfrui bonis & patrocinio Regis, qui eandem profitebatur religionem, tuti esse deberent, reperti tamen sunt non pauci qui querelis omnia implerent, idque vnice agerent, vt cæteros quoque ad seditionem commouerent. Cæteri tamen extra Bearnensem Prouinciam Galli, secus sentiebant, dicebantque, eleganter secum agi, quod sub Regis patrocinio & tutela viuere possent. Et sane edictum supremæ curiæ Tolosanæ hoc clarissime loquebatur, etiam tunc, cum Regis mandato de restituendis bonis Ecclesiasticis subscriberet, & id suo calculo comprobaret. Confirmabantur enim eo Senatusconsulto Ministris reformatarum Ecclesiarum Collegiis, Professoribus, seminariis Scholasticis, pauperibus, iidem reditus annui, quos ante ex clericorum bonis interdicto subiectis perceperant, vt tantundem quotannis ex Regio fisco ipsis persolueretur. Vtque eo certiores essent, nominatæ sunt quædam præfecturæ, comitatus, oppida & conuentus, è quorum contributionibus, Regi debitis, tantum defalcaretur æris quantum iis debebatur. Mandabatur insuper omnibus præfectis magistratibus, quæstoribusque per totam prouinciam darent operam, ne per eos staret, quo minus huic edicto satisfieret, sed curarent vt illi sine omni molestia, & querela hoc beneficio Regio perfruerentur. Scriptum fuerat hoc Senatusconsultum A. D. VII. Decembris, Anno M DC XVII.

Cum autem Ministri Ecclesiastici eo nomine quererentur, quod sibi stipendia extra prouinciam Bearnensem assignata essent, eoque nomine non parum de persolutione sibi dubitandum dicerent: Rex, annitente potissimum Philippo Mornæo Plessiaci Toparcha, constituit, postquam redditus Ducatus Bearnensis abunde sufficerent ad persoluendum illud æs, non aliunde ipsis collegiis, scholis, pauperibusque satisfieret, ne de Regiæ Maiestatis bona promtaque voluntate dubitandi vel minimam causam haberent. Hoc mandatum Rex solenni formula conceptum, magistratibus misit. A. D. II, mensis Februarii. A N.C.M DC XVIII.

Interim venit ab Rege commissarius Renardus, vt adesset restitutioni bonorum Ecclesiasticorum, velut executor quidam edicti Regii, sed ita, vt prius ab Parlamento Bearnensi confirmaretur. Erat autem Parlamentum illud nulli alii per Galliam subiectum, constabatque maxima ex parte reformatis, paucis Catholicis, vnde superantibus illis multitudine suffragiorum, cõclusum est, vt Rex suppliciter rogaretur, ne quid in publico prouinciæ statu mutaret, sed sineret habitatores illis vti legibus, quibus in præsens vterentur. Quo intellecto, Renardus libellum supplicem misit ad Regem, ipse in finibus Ducatus Bearnensis consistit, expectans vlterius abeo mandatum. Dum adhuc in prouincia moraretur, non abiit vlla dies, quin domus illius ex vltima plebe hominibus cingeretur, potissimum mendicis, qui mira viro insultabant petulantia, dictisque incessebant, quasi ideo adesset, vt ciues ac prouinciam ad mendicitatem redigeret. Dissimulauit hoc suprema Curia & Legatus, connixitque importunitati horum histrionum, cum eos castigare debuisset. Certe erat hic Renardus vir magnæ auctoritatis, & de Republica non vulgariter meritus, & si maxime nihil tale ipsum commendasset, maiore tamen honore dignus erat, quia Legatum Regis agebat.

De Parlamento adeo mirum non est, illud hac in parte aduersatum esse intentioni Regiæ, nec enim nouum erat, Senatores illos etiam a-

lias

lias oblectatos, quoties de restitutione Catholicorum agebatur, quanquam conquerendi atque aduersandi causam adeo nullam haberent, vt cum eos pessimis modis habuissent, non veriti tamen reuereri Scorpionem à quo miserè icti fuerant, & coacti osculari purpuram suo sanguine tinctam. Sed videamus rationes quibus vsi sunt contra mandatum de soluendo interdicto, & restituendis Ecclesiasticorum bonis.

Primo querebantur, deiici se possessione fortunarum suarum, quas iam quinquaginta annis obtinuissent, adeoque possessio illa præscriptione diuturni temporis confirmata in ius transiisset, ne auditos quidem.

Constituti igitur sunt disquisitores, qui de causa cognoscerent, Castellonouanus, Pontetarus, Rosseus, Lomenius, aliique nonnulli.

Consederunt hi ad audiendum, cum Lescuius consiliarius, duoque ex ecclesiarum ministris, Diserottus pater & filius, Binciniusque Toparcha dixerunt pro reformatis, suntque auditi ad satietatem. Præscriptionis ius quod allegabant, ita elusum est, vt dicerent Catholici, alia se præscriptione mille quingentorum annorum niti, non obstante, quod Iohanna Regina, sub prætextu criminis inobedientiæ, quod Ecclesiasticis intentauerat, possessiones clericorum fisco addixerit, vnde pateat nullitas obiectionis, quod nunquam horum bonorum possessores fuerint. Constare autem patrimonium Dei (vt appellabant) fisco addici non posse, ne ob proditionis quidem aut fractæ fidei flagitium: ipsum Clericum eo priuari posse donec moriatur. Detur igitur, omnes Clericos, qui eo tempore vixerunt, culpæ affines fuisse: cum autem iam dudum exspirauerint cuncti, negari non posse simul exspirasse confiscationem.

Alterum quod prætendebant, hoc erat, Reginam Iohannam quasdam Ecclesiasticorum possessiones & dominia oppignorasse nobilibus quibusdam, quibus Hypothecarii hactenus, tanquam propriis, vltra quadraginta octo annos vsi fuerint, velut hæreditarii possessores, sine interruptione vllius mortalis. Iam dubium nequaquam esse, quin si eorum posteri qui vel pignoris vel feudi nomine ea dominia easque facultates obtinent, iis moueri debeant, forte, vt multæ nobilissimæ familiæ ad mendicitatem redactæ, querelarum grauissimarum causas sint habituræ. Ad quod obiectum id respondebatur: non iam primum hoc ab Rege mandatum esse, sed superiorem Regem Henricum IV. idem mandasse, vt reducerentur etiam ea bona ad pristinas possessiones, quæ ab summa potestate fuerint abalienata. Deinde, non facienda mala vt eueniant bona, neque fas esse, vt ob quorundam priuatorum emolumentum, bonum publicum aliquid detrimenti patiatur. Vix enim fieri posse, vt litigantibus de aliqua possessione duobus, altero vincente, alter, qui causa cecidit, non lædatur.

Tertio vtot inuersione, si, vt isti dicunt, Regina per confiscationem patrimonio Regali ea bona propria vindicauit; sequitur dominia & possessiones illas oppignorari non posse, nisi sub conditione & iure æterno redemtionis. Qua fronte igitur queruntur, si Rex sua ad se recipiat eaque postea iis restituat, quorum ante aliquot secula fuere propria?

Quarto die post quam Renardus Bearnensi prouincia excessit, quod fuit ad XXIX. Iunii mensis diem, tantus tamque horribilis terræ motus vniuersum principatum concussit, vt ipsa humus videretur excutere velle, cum ipsos habitatores tum crimen inobedientiæ, subsititque hic tremor intra prouinciæ Bearnensis fines, nec se extendit vltra. Pars quædam domus Regiæ quam Forceus Toparcha incolebat, corruit cum nonnullis aliis domicilliis, quædam ædificia, interque ea turres ad templa appositæ, ita concussæ sunt, vt campanarum pistillis illisarum audiretur sonus: & per eosdem dies quodam mane sub auroram apparuit crux rubicunda in nubibus, de quibus prodigiis, vt fit, varii varie pronuntiabant.

Non fuit vllum contumeliarum genus aut iniuriarum, quo commissarii Regii per inconditum vulgus non fuerint affecti. Legati qui eo missi sunt, contra ius gentium se irrisos, consputos, vexatos fuisse querebantur. Vulgo concurrebatur ad arma, legebantur duces è factiosissimis ciuibus, concitabatur populus, præparabantur omnia ad defensionem, quin illud quoque agebatur, vt in societatem huius belli pertraherentur Aquitani, Pictones, & Galliæ Narbonensis incolæ: eratque velut fermentum, cuius acore tot prouinciarum massę & consperſiones leuarentur.

Regis animus non erat primo impetu armis vti, ne paucorum insaniam calamitate publica vindicaret, sed non poterat sine læsione conscientiæ & authoritatis Regiæ conniuere in omnibus vrgentibus præsertim Catholicis, & de iniuriis sine fine querelas ad eum deferentibus. Proposuit igitur adhuc aliud edictum, certus fore vt mos gereretur. Sed tantum abfuit, vt etiam ad seditionem currerent, vnde Rex coactus ipse in Bearnenses proficisci, quanquam via admodum longa esset, periculumque ne interim ad aulam aliquid nouitatis oriretur.

A. D. VIII. Octob. mensis redierunt, qui Lutetia eo missi fuerant, irritorum conatuum suorum nuncium referentes; aderantque illis duo Senatores Parlamenti Pauensis, qui dicebant, libera suffragia nequaquam fuisse, cum Baro Benacensis armata manu curiam impleuisset, neque se potuisse Regis animum exponere aut suo calculo approbare, nisi euidentissimum vitæ voluissent adire periculum, quam tamen libenter Regiis iussibus postposuissent, si communi malo remedium quærere potuissent.

Quanquam autem Forceus dynasta per eam prouinciam omnia posset, Regique Burdegalæ pollicitus fuisset, curaturum se, vt edictis regiis suus constaret valor vigorque, idque tanta facilitate, vt ne minimus quidem motus oriretur:

nihil tamé horum præstitit quæ promiserat. Rogatus enim à Regiis legatis, vt se maioris securitatis atque authoritatis ergo cum iis coniungeret, veniretque ipse in supremam curiam, vt ab eo obedientiæ exemplo capto cæteri imperata facerent: excusatione valetudinis aduersum Regios vsus est: ad suos autem se aliter excusauit: non potuisse se impedire, quin peregrini ingrederentur Prouinciam: nam & eos sæpius idem factitasse.

Suprema Curia Parisiensis non necesse esse iudicabat, vt ipse Rex tam nebuloso & pluuio anni tempore, id iter in Prouinciam tam longinquam susciperet, sperare enim, Senatum Bearnensem se subiecturum authoritati sui Principis, vt superuacaneum esset eo Regem proficisci. Hoc curiæ Parisiensis consilium, cum ad Bearnenses nescio quomodo euolasset, freti absentia Regis, mandata eius tanta obstinatione contemserunt, vt iam nemo dubitaret, Regis authoritatem vltro proculcari. Rex igitur cum hæc intellexisset omnino sibi in prouinciam proficiscendum statuit, dixitque legatis, cum per eos adducere refractarios ad obedientiam non potuerit, per se ipsum hoc faciendum esse. Cum autem interea sæpe à reformatis, vt vocant, sollicitaretur, respondit iis: abirent, dicerent supremæ curiæ senatoribus, se ipsum ad futurum, & res prouinciæ inspecturum.

Sic profectus is est ad XIII. Octob. non habita ratione itineris valde per id anni tempus obscæni & difficilis. Profecto duorum dierum itinere, occurrit Aduocatus Generalis consilii Bearnensis, afferens Senatusconsultum, quo curia illa Regis mandatum approbauerat, eique subscripserat; precabatur hic Regem per omnia sacra ne progredi vlterius vellet. Quin & ipse Præses regius Forceus adfuit, adhibuitque omnes machinas vt Regem à profectione diuerteret, sed tardius hoc erat: Rex enim respondit: Tua vero, Forcee, maxime interest vt eo proficiscar, tibique qui debilior es, quam vt mandata mea in effectum mittas, copiis meis lubueniam.

A D. XIV. eius mensis Arsacũ aduenit, qui locus quinq; miliaribus à Pauo oppido, quod est, regionis caput distare creditur. Adfuere è ciuib. qui percontabantur, quo pacto vellet vrbem ingredi excipique? respondet vt absolutum supremumque dominum deceret, siquidem in vniuersa ciuitate templum esset, quo ingredi salua sua fide posset.

Quod si nullum ibi inuenturus foret, se ne ingredi quidem Ciuitatem velle, in qua aram non esset habiturus, ad quam pro ea prouincia, quæ hæreditate ad se deuoluta, proque felici itinere Deo gratias agere posset. Ingressus tamen est vrbem sibi ante eum diem non visam. Habebant Catholici in extremo angulo suburbii vetus delubrum, sane angustum, quo velut in exilium aliquod relegati fuerant, vbi sua sacra peragerent. Noluit eo ire Rex, ne videretur cum ipsis proscriptus, quin potius in ea domo in qua diuerterat aram extemporaneam strui, sacrumque sibi fieri iussit, & cultum peragi.

Ingressus Rex in oppidum, statim animaduertit, non fuisse vanos, qui Lutetiam ad eum peruenerant rumores. Nam nec faustis acclamationibus populi exceptus, vt moris est in introitu Regis, sed & dicebatur vulgo, (quanquam hoc difficile sit ad fidem dicere) subtractam fuisse alimoniam & occultatam annonam, ne regiis suppeteret, ferebanturque auditæ quorundam in publico voces, vbi primum Rex prouincia discessisset, se euersuros omnia quæ ille constabiliuisset. Potuit igitur Rex supersedere disquisitioni, quid circa legatos actum fuisset, cum quid in se perpetraretur præsentem, ad oculum liqueret.

Necessarium igitur iudicauit, vi agere, ad præcauendas Nauarrenorum seditiones, quæ iam non occulte agitabantur, collocandaque in omnibus ciuitatibus firma militum præsidia, quibus præfectos Gubernatores constituit, spectatæ fidei & prudentiæ viros, iussitque vt suauiter quidem, verum etiam fortiter agerent; quod vbi factum est, celeriter ceciderunt arma è manibus inobedientium, & hoc modo finis impositus est factiosorum conatibus. Laudari autem satis digne non potest eorum prudentia & magnanimitas, qui tam fidele Regi suggesserant consilium, vt ipse proficisceretur in exulceratam prouinciam, cæteroquin non esse sperandum, vt felix rerum sequeretur exitus. Erant multa qui iter hoc dissuadere poterant, sed illi perstantes in sententia euicerunt, ea tanti momenti non esse, vt tam luculentæ prouinciæ salus & incolumitas publica negligeretur. Rex quoque maturo iudicio & fausto euentu illis subscripsit.

Commiserat Rex Poyano Baroni, cuius fides constantia & prudentia cognita fuerat, suprémam in Bearnenses, qui bona pars sunt Regni Nauarreni, præfecturam. Hunc quidam ex primi ordinis proceribus in prouincia ad hunc modum allocutus fertur. *Tu quidem, Poyane, mihi non nisi nomine notus es: nullis tibi sum acceptis beneficiis deuinctus. Regi si quo nomine obligatus sum, existimo me id debiti optima ratione exsoluturum si iis ope & consilio adsim, qui ei bonam fidelemque præstant operam, quod tu quidem non obscuris facis argumentis. Macte hac virtute vir optime, paremque fidem & operam Regi tuo impositorum præsta. Spondeo tibi, hac te via ad summos honores peruenturum qui in vllum eministris Regiis cadere possint.*

Erant ab antiquo in prouincia Bearnensi quidam, quos Perlanos vocabant, capita quædam militiæ, quorum ea erat authoritas & potentia, vt perexiguo tempore possent septem aut octo millium hominum exercitum colligere. His Rex frenum iniecit sine vlla violentia, tantum authoritate sua atque præsentia, sustulitque noxiam eorum potentiam magno incolarum bono, qui illis molestiis hac ratione eximebantur. Cum autem illi hanc potestatem colligendorum militum Feudi nomine antiquitus obtinerent, Rex ereptam illis Regiæ potestati addixit.

inde

inde ad officia, magistratus præfecturasque deuentum, quibus fere in vniuersum Catholici præfecti sunt, cum ante propter multitudinem Reformatorum, atque in suffragiis ferendis potentiam, illi se oppressos quererētur, & ab officiorum administratione exclusos.

Hæc autem in rebus Politicis mutatio erat tantum apparatus quidam ad eam quæ secuta est in Religione mutationem, & restitutionem clericorum in sua bona. Nam paulo post interdicto exempta sunt bona Ecclesiastica non iam per edicta, sed vi ac potestate Regia, conscriptis tabulis, & in executionem missis, antequam Rex oppido decederet. Igitur Episcopis reddita sua in Parlamenti curia subsellia, quæ ipsis prisco iure competebant, cum plena authoritate. Deinde Templum primarium quod parochiale vocant illis restitutum est, cum reformati per quinquaginta annos soli possedissent: notatumque est, hanc restitutionem eodem die contigisse, quo ante annum quinquagesimum iussu Reginæ illis cesserat, ejectis Clericis. Certum enim erat Mongommerium Comitem acie vicisse Terridem haud longe ab vrbe Nauarrenorum, eodem die eiusdem mensis, quinquaginta annis, antequam Rex oppidum Pauum ingrederetur, & officium missæ restitueret, quæ totis quinquaginta annis inde exulauerat. Eodemque die fuerant edicto Iohannæ Reginæ pulsi Episcopi, iam vero reuoluto illo anni iubilæi circulo restituti.

Dignum autem visu erat spectaculum & ad posteritatem memorabile, videre Regem cinctū principibus & officiariis Coronæ Gallicæ, omnique familia aulica, cum belli ducibus præcipuis exire templo nouiter expiato, & longo tractu per medium Oppidum ingredi, vsque ad vltimum suburbii angulum, vbi erat sacramentum (ceu loquuntur) constitutum in altari exigui illius delubri, cuius in superioribus mentionem fecimus. Sublatum inde istud fuit, portatum sub vmbone vel velo, sub quo Rex ingredi noluerat: sequentibus cum Rege Principibus, Ducibus, Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, omnique Ecclesiasticorum numero, qui eo conuolauerant ad tam amicum oculis eorum spectaculum, quantumuis insperatum. Audiebantur per compita & vicos lætæ gratulantium voces VIVAT REX, sine fine clamantium, quibusdam lachrymis præ gaudio, ciuibus præ dolore manantibus. Post prandii tempus concio habita est, in eodem primario templo, inque eadem Cathedra, quæ tot annis Reformatorum Ministris inseruierat. Concionator Regis ordinarius amplam sibi sumserat declamandi materiam, traducto ad institutum suum loco sacro ex verbis Iacobi Patriarchæ: *Quam terribilis est locus iste! vere non est hic aliud nisi Domus Dei & porta cœli.* Auditores vtriusque partis frequentes aderant: quod cum animaduertisset orator, accommodato ad vtrosque sermone dixit: Regem quidem omnibus proponere media salutis acquirendæ, cogere tamen neminem, vt quicquam credat faciatque, quod suæ aduersatetur conscientiæ.

Rex parum se fecisse ratus, quod statum Reipublicæ & Religionis reformasset, nisi etiam institutioni iuuentutis, quæ fundamentum religionis videbatur, consuleret, ad hanc quoque animum adiecit. Cum igitur cognouisset Iohannam Reginam Auiam suam erexisse (siue vt loquuntur) fundasse studium vniuersale in oppido Ortheſio, pro erudiendis adolescentibus, in ea, quam ipsa secuta fuerat, religione, siue domestici regni forent, siue extranei, vt esset hoc velut seminarium Ministerii Ecclesiastici: Rex existimans hoc ferendum non esse sibi, qui Christianissimus haberi vellet, accedentibus insuper Episcoporum precibus, & supplicante omni Catholicorum multitudine, constituit, vt ibi Iesuitis bonas literas & artes docendi potestas fieret. Prospexit illis insuper eorumque collegio de sufficientibus redditibus, vt iuuentutis institutioni toti vacare possent, voluitque ipse haberi vocarique Fundator illius Collegii Iesuitici. Permiserat illis Rex Henricus IV. vt in Bearnensi prouincia habitarent, sed certis quibusdam strictisque conditionibus, nempe vt à docendi munere abstinerent, & ab audiendis priuatis confessionibus, vtque numero non multi essent. Sed hæc omnia sublata sunt, ipsisque plena potestas harum rerum facta.

Erat per omne id tempus, quo Rex in prouincia commorabatur mira cœli serenitas & clementia, cum anni tempus suapte natura pluuiis nebulisque fere obnoxium, ingenium suum exuisse crederetur, nec deerant qui hoc ad miraculum trahebant, quia ita volebant. Quis autem miraculorum finis erit aut præsagiorum ominumque, si ad hunc modum omnia quæ accidunt, ad portenta trahi fas erit? Hæc sunt ea quæ Rex quinque dierum spacio effecit, cum in oppido Pauo, quod est prouinciæ Bearnensis caput, commoratus fuisset. Et hæc sunt illa, quæ circa mutationem Religionis per Bearniam nostro tempore contigerunt.

REGNVM ET POTENTIA HISPANORVM.

SVMMA CAPITA.

1 *Catalogus omnium regnorum & prouinciarum, quæ nostro æuo sunt sub Dominio Hispanico.*
2 *Diuisio ac termini veteres nouique Hispaniæ, & tria gubernationis genera.*
3 *Topographia Catalaniæ & plerarumque Hispaniæ prouinciarum.*
4 *Metalli fodinæ auri, argenti, æris: Thermæ natiuæ, aquæ medicatæ ac salubres, quarum hinc inde venæ per Hispaniam.*
5 *Ingenium & mores veterum & nouorum Hispanorum.*
6 *Opes & diuitiæ Hispaniæ in quo consistant. Mercimonia & negociatio frequens in Portubus & oppidis maritimis. Reditus annui atque fructus, quos ex regnis prouinciisque suis percipit rex Hispanorum.*
7 *Vires & Robur militare Hispani Regis, tam terra quam mari.*
8 *Hispanorum copiæ pedestres quantum valeant. Numerus copiarum Equestrium, quæ in Regnis Hispanorum Dominio subiectis, regiis stipendiis merent. Propugnacula eius & munitiora loca.*
9 *Quanta auctoritate valeat Hispanorum Rex in regnis prouinciisq; suis. Senatorum & Consiliorum numerus. Principes & Illustriores familiæ per Hispaniam.*
10 *Ordo & Leges nauigationum Hispanicarum.*
11 *Quæ Religionem in Hispania concernunt, quomodo se habeant. Archiepiscopi & Episcopi, eorumque prouentus annui.*
12 *Genealogia Regum Hispanorum. Successio Regum Gothicorum in isto regno.*

1 NE perplexum dubiumque reddamus lectorem, neue necesse habeat tot regna, principatus, prouincias, quæ Hispanorum subsunt dominio, hinc inde & sparsim per hunc librum conquirere, operæ precium duximus, vna quasi Synopsi philohistoris oculis subiicere, omnes terras ac regiones, quas in diuersis Orbis terrarum partibus Rex iste nostra tempestate possidet: quod vbi à nobis factum fuerit, proposita velut generali potentiæ Hispanicæ tabula; deinceps ad specialem prouinciarum regnorumque considerationem nos accingemus.

Possidet igitur hoc æuo Hispaniarum Rex in Europa omnia illa & vniuersa regna, in quæ superiori sæculo Hispania diuisa fuit: præterea regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanensem: ex Insulis Siciliam, Sardiniam, Balearicas, id est, Maioricam, Minoricam, Iuicam vel Ebusam. Nam de prouinciis eius in Belgica alibi dicemus.

In Africa possidet portum longe optimum, qui est in toto illo littore ad mare mediterraneum, quem lingua Arabica Marzalcabil, id est, Portum Magnum vocant: præterea hæc oppida munita: Oranum, Melillam, Pignoniumque Africæ.

Extra fretum Herculeum Hispanici iuris sunt Insulæ Canariæ siue Fortunatæ, quæ etsi duodecim numerantur, septem tamen præcipui sunt nominis.

Postquam autem Lusitaniæ regnum ad Hispanum regem peruenit, cum eo Diademate simul nactus est in eadem Africa Septam & Taugeram, oppida maximi momenti, & quæ velut claues habentur freti Gaditani: extra quod etiam Hispanici iuris est oppidum Nazaganense.

Eodem iure acquisiuit Insulas Azores, inter quas præcipuæ sunt V. Tercera, S. Michaelis, S. Mariæ, Picæ, & S. Georgii. Idem dicendum est de Madera Insula amœna & diuitiis abundante.

Obtinet præterea in Africa rex Hispanus totum illud Africæ littus quod extenditur à promontorio Atlantis minoris vsque ad promontorium Aromaticum, quod Guardafu barbaris vocatur: Cum capitis viridis & S. Thomæ Insulis.

In Asia nomine ac titulo regni Portugallici obtinet optima fere loca à parte Orientali, inter quæ sunt Ormus, Dius, Goa & Malaca. Regnum autem Ormusanum complectitur bonam partem Arabiæ felicis, cum Insula Barriensi magna atque copiosa.

In opposito littore possidet Damanam, Baziniam, Zanaam; cum munitioribus locis Regni Canonor & Cochin.

Præterea quicquid extenditur littoris inter Damanam & Melipurium oppidum, vel ad Hispanos, vel ad eorum socios & amicos spectat, excepto solo Calicuto oppido. Insula Maharia cum Portu Columbano in Zeilam grandi illa Insula, quæ veterum Nauigeris esse putatur, Hispanorum dominium agnoscit: vt & circiter XL. Insulæ, quas Philippinas vocant, inter quas amplissima est Luconia, quæ ad CC Leucas porrigitur, angustior tamen quam pro ea longitudine.

In his Philippinis primæ post Luconiam numerantur, Vendenæa & Tandaia, quæ per excellentiam Philippina vocatur, quod prima omnium detecta fuerit & Celebe, in qua mortuus est Ferdinandus Magellanus.

Secunda Pars Dominii Potentiæque Hispanicæ consistit in possessione Noui Orbis. Diuiditur autem is in Insulas & Terram Firmam siue Continentem. Est autem Insularum in eo mari

mari, quod Europam Africamque respicit, & vulgo Mare de Nort appellatur, immensus numerus, qui ne ad nostra vsq; tempora initi certo potest, cum constet solas Lucaias vltra quadringentas esse. Boriquena (hodie S. Iohannis de Portu diuite) magnum complectitur terræ spacium, nec minor est Iamaica (nunc S. Iacobi) Cuba, & Hispaniola, Barbaris Haity dicta.

In continente Noui Orbis Hispanus possidet totam Oram Floridæ, Nouæ Hispaniæ, Lucaniæ, cum ingenti illa peninsula vsque ad Promontorium Californium & regionem Quiuiram: quod vastissimum terrarum spacium Castilienses detexisse gloriantur.

Adde his Noui Orbis partem Australiorem, quam vniuersam prope possidet, exceptis interioribus: vbi quidquid est inter duos prægrandes fluuios, Argenteum & Maragnonium, Brasiliæ nomine censetur: cui aduersum est auriferum regnum Peruanum: nam Mexicanum est vltra Isthmum Nominis Dei versus septentrionem.

Hæc breui pede & generatim percurrisse sufficiat: videamus iam singula regna & prouincias, easque consideremus prestius, facto initio ab ipsa Hispania, terrarum dictarum omnium regina, & magni regis domicilio.

Est hæc prima Terræ Continentis pars, opposita Africæ, interiecto Mediterraneo mari & Freto Herculeo. Terminos habet ab Ortu Pyrenæos montes, perpetuis iugis ab Oceano, vbi Flauiobriga, hodie Fonterabia, oppidum tendentes ad Mare Mediterraneum, duobus insignes promontoriis: vno, quod Olarso cognominatum, in Oceanum proiicitur: altero quondam ab Veneris Templo, nunc à S. cruce denominato, quod in Mediterraneum excurrit ad initium Catalauniæ inter Rosas & Colibram oppida. Ad meridiem alluitur Mari Mediterraneo, quod & Orientale vocant, quod Hispaniam ab Africa diuidens, coniungitur Oceano ad Fretum Gaditanum, excurrens vsque ad S. Vincentii Promontorium.

Ab Occidente Oceano pulsatur Atlantico, à S. Vincentii Promontorio, vsque ad Promontorium Celticum, quod hodie Caput Finis Terræ nominant. Aquilonare littus eundem respicit Oceanum, qui Cantabricus appellatur. facto initio à Promontorio Celtico Callaicorum vsque ad Fonterabiam Cantabrorum. Est autem Pyrenæorum montium ea natura, vt ab ea parte qua Hispaniæ imminent, non recta progrediantur linea, sed tortuosis anfractibus difficilem longamq; viam faciant, ab vna eorum extremitate ad alteram proficiscentibus: cum cõtra, qua in Galliam vergant, multo facilius & expeditius præstent iter, dimidiaque sui parte breuius.

Porriguntur autem longo ductu Pyrenæi montes per Nauarrenos & Ronceuallenses, secundum vallem Salazariam & Ronoaliam vsque ad Hisauam, quod oppidum extremus est regni Nauarreni limes: hinc conuertuntur per Arragoniam vsque ad angusta siue fauces Catalauniæ, & promontorium S. crucis, vbi finiuntur mari mediterraneo, ad quod à Fonterabia vsque fere numerantur LXXX. Leucæ.

A Promontorio Crucis vsq; ad Caput S. Vincentii, maxima sumitur Hispaniæ longitudo, constituens CC LXXV. leucas, vt calculus ostendat, circumferentiam eius esse milliarium Hispanicorum DC XX. quorum milliarium vnumquodque quatuor milliaria Italica continet, vt ita spacium illud in peripheria constituat milliaria Italica MM CD LXXX. Si quis terrestri itinere viam illam conficiat: nauigio enim metiri si quis velit, multo longius hoc spacium inuenier.

Diuiserunt olim Romani Hispaniam in Citeriorem & Vlteriorem. Citeriorem vocabant eam quæ propior erat terris Imperii Romani, sitam inter Pyrenæos montes & Iberum fluuium. Vlterior erat longius à popul. Rom. prouinciis dissita, vltra Iberum amnem, à quo extendebatur vsque ad Fretum Gaditanum. Hæc deinde diuisa est in tres prouincias: Bæticam, Tarraconensem, Lusitaniam: vbi Romani tribunalia constituerunt XIIII. Tarraconensi, quæ cæteras magnitudine anteibat, comprehendente VII. Lusitania III. Bætica IV. Durauit hæc diuisio vsque ad tempora Attilæ Hunni. Postea enim in Locum Bæticæ successerunt regna hæc: Granatense, Andalusiæ, Estremaduræ. Tarraconensi prouinciæ subrogatæ sunt: Arragonia, Castilia, Nauarra, aliaque parua regna. Portugallia autem & Algarbia Lusitaniæ nomen aboleuerunt.

Nostro æuo noua distributione partiuntur totum imperium in tria regna: Arragoniæ scilicet, Castiliæ, Portugalliæ. Sub Arragonia comprehenduntur præter ipsum Arragoniæ Regnum, Catalonia, Valentia, Insulæ Balearicæ, Sardinia, Sicilia, Neapolis. Castilia complectitur Biscaiam (siue Cantabriam) Legionem, Asturiam, Gallœciam, Estremaduram, Andalusiam, Granatam, Murciam, Castiliam vtramque, Insulas Canarias, Regnum Nauarrenum, Ducatum Mediolanensem, Nouum Orbem, Philippinas Insulas aliasque. Portugalliæ accensentur Algarbiæ regnum, Portugalliæque, cum iis terris quas Hispani possident in Guinea Africæ & Æthiopia; In Occiduis autem Indiis Brasiliam cum nonnullis Insulis.

In descriptione horum regnorum siue prouinciarum primum omnium occurrit nobis *Cataloniæ* regnum (rectius hi dicuntur Gothalani, quanquam nos vulgarem scribendi modum sequamur, à Gothis & Alanis) quæ ab Salsibus oppido exorditur, & ad Iberum fluuium terminatur. Est ergo aliqua sui parte vicina Galliæ.

Sequitur *Perpennianum* in Comitatu Russilonensi, quem Gallis oppignorauit Iohannes Arragoniæ Rex, acceptis multis Coronatorum millibus. Postea eum Hispano reddidit Carolus VIII. cum is pollicitus fuisset, non interpellaturum se Caroli in iure suo Neapolitano. Extenditur

ditur autem Comitatus iste inter duo velut brachia Pyrenæi montis, quorum illud porrigitur ad Salses oppidum, hoc ad Colibram quæ veterum fuit Illiberis. Visuntur hic in ipsa maris crepidine, aut haud procul inde varia oppida cum portubus quibusdam, necessariis potius quam securis, cum diuersis ventis expositi sint, nec satis capaces nauium. Ibi enim est Euna siue Illa, Illiberis, Rosæ, Empuriæ, Palmosa, Blandæ, Barchino tamen caput est Catolonicarum Vrbium.

Interiora commendant hæc oppida; Gerunda, Vica, Cardona, Ilerda, Monsserratus miraculosa imagine & deuotione accolarum clarus, Vrgella. Tarraco tamen maritimum est oppidum, vnde magna pars Hispaniæ nomen acquisiuit: quæ Vrbs, etsi Portu excipiendis nauibus careat, loco tamen admodum opportuno sita est. Vbi fluuius Iberus Mare Mediterraneum ingreditur, Insula est, antiquus Romani & Carthaginensis imperii limes, vt & ipse fluuius. Oritur autem Iberus haud procul ab Oceano Cantabrico, erumpens ex Idubeda Monte duobus, fontibus, quorum dexter in saltu Ancensi: sinister ad oppidum, quod ab Incolis Funtibra appellatur. Inde magnis crescens amnibus, primo Calagurritanis exceptus aruis, Iuliobrigam & Tubellam petit, Nauarræ oppida, Iuliamque & Celsam, ac inde Cæsar-Augustam alluit. Illinc digressus in Austrum, & mox versus Euronotum labitur, per Laletaniæ populos, qui nunc Catalani, Tortosamque præterlabitur. Augetur Iberus aquis à pede ac radicibus Idubedæ montis prosilientibus, nam ab altero littore solum Bilbilim accipit. Irrumpens Mare, ab suo nomine dictum Ibericum, duobus ostiis, Insulam efficit, incolis *Alfaques* dictam, receptaculum Piratarum. Reliqua Hispaniæ flumina prope omnia habent littora edita, alueos autem valde depressos, vt natationi hominum male apta sint, quamquam in Arragonia Iberus alicubi natari possit, & in Valentiæ ac Granatæ regno fluuioli minores huic vsui seruiant.

Arragoniæ regno adhærent ad Caurum Ventum, Nauarra: ad Vulturnum Catalania: qua Africo exponitur, Castiliam spectat: qua Aquiloni, Pyrenæos montes habet. Visuntur in hoc regno, vel potius in hac Hispaniæ Prouincia, Vrbes præcipuæ: Cæsaraugusta, amœnitate & rectitudine platearum elegans: Itemq; Osca, (illa hodie *Sarragossa*, hæc *Huesca* dicitur) Iacca, Calaiura, cui primæ debentur post Cæsaraugustam: Barbastrum, Monsonium, aliæ.

Valentiæ regnum nomen à præcipua Vrbe sortitur, Emporio nobilissimo summæque antiquitatis. Hoc regnum ad meridiem Murciam respicit; ad occasum vtramq; Castilliam: ad Septentriones Arragoniam: ad Ortum littora eius pulsat mare Internum. Oppida præcipua habet duo Oriuellam & Valentiam. Numerantur in hoc regno vltra viginti duo millia Maurarum familiarum. Fluuii illustriores sunt, Duria, incolis Arabico nomine *Guadalabiar* dictus, quæ vox aquam puram limpidamque denotat. Sucro amnis, nouo nomine *Xucar* dictus, Sucronensi sinui nomen dedit, qui se extendit ad Insulam vsque, quam irrumpens in mare Iberus duobus brachiis amplectitur. Portum habet regnum istud Alicantensem, in magno illo sinu, qui antiquis dicitur Illicitanus.

Murciæ confinis est Alicanta, & Gatense promontorium. Regnum hoc est exiguum, pauca habens oppida, nec ea populosa, nec magni momenti. Præcipuum est Murcia, & Carthagenæ Portus, omnium Hispanicorum, qui ad mare Internum, optimus, quod è diametro oppositam habeat paruam Insulam, quæ eum ab accessu ventorum immotum, & à Neptuni furore tutum præstat. Ipsum oppidum male cultum peius ædificatum est.

Granatense Regnum à Vera vsq; Malacam se extendit, ostenditq;, quantū interfit boni publici, vt Agricultura diligenter exerceatur. Cum enim Maurorum gentes has terras possiderēt, omnis illa ora frequentissime habitabatur, affluebatq; omnib. rebus bonis vtilibusq;. Colles cooperti erant vitibus arboribusq; frugiferis, valles & loca campestria abundabant frumento, luxuriabāt hortis, alebantq; innumeros homines. At nunc, eiectis illis, destituto colonis solo parum gignitur, quod neglecta agricultura terra facta sterilis nequaquā tam liberali fructus profundat sinu. Ipsa *Vrbs Granatensis* refert malum Punicū, quod aperta fissura hians grana ostentat. Complectitur enim duos colles, quos propemodū montes vocare possis, qui intercedente valle, per quam Bara amnis fluit, diuiduntur: Est autem diuisa in partes quatuor, quæ differunt ratione situs, nominanturque, Granata, Mons Solis, Albacina, Antequetula. Hic est locus ille, qui Maurorum vocabulo *Alcacer* dicitur, repræsentans paruum oppidum constans decem portis. Itemque *Alhama*, (Attigis veterum) Maurorum quondam regum Palatiū, tam ob artificiosum structuræ genus, quam ob viuorum fontium multitudinem dignus locus, qui inter stupenda Mundi numeretur. Nihil autem est ipsa ratione situs huius arcis admiratione dignius, nam ab Oriente subiectum sibi oppidum spectat: à meridie montes perpetuis niuibus tectos: ad Aquilonem ingens se offert planicies. Complectitur autem tota Vrbs circuitu suo septem millia, cincta mœnibus firmis, cum grandi numero turrium: suntq; qui eas ad mille esse ferant.

Nouem milliaribus Hispanicis à Granata abest oppidum *Guadix*: præter quod consideratione digna sunt hæc: *Rotunda, Maluella, Veles, Mohatara, Bazæa* paucæq; aliæ. Castrū *Alharnense* septē Leucis Hispanicis à Granata Vrbe distat. E ciuitatibus maritimis primas obtinent *Almeria & Malaca*, circa quæ oppida ingens villarum numerus spargitur. Occupauit autem regnum istud Ferdinandus Catholicus, Arragoniæ & Castiliæ rex anno salutis M CCCC XC.

Andalusia, Hispaniæ Bæticæ pars est, porrigiturque à freti Herculei angustiis vsque ad Anam (barbaris *Guadiana* dicitur) fluuium. Est-

que hæc

que hæc velut porta quædam aut ianua maris mediterranei, quod per hanc ingreditur, de qua vt & ipso Freto inferius aliquid dicemus: quanquam videatur non minus ad regnum Granatense quam ad hanc prouinciam pertinere. Habet igitur Fretum illud, siue Herculeum siue Gaditanum appellare malis, in latitudine millia septem, cum æstu ac reciprocatione, quæ Oceano conueniens est, qui per has ingressus angustias nouum nomen acquirit, vt Mediterraneum siue Internum Mare appelletur: porrigiturque vsq; ad extremitatem Ponti Euxini versus orientem milliaribus circiter MMM DCC X. Græci appellant *Fretum Herculeum*, ob ingentes duas columnas æneas, quas in Templo Herculis Libyci eo loco extitisse memorant: aut, vt aliis placet, ob duos montes, quorum qui in Hispania est, Calpe: oppositus autem in Africæ littore, Abila nuncupatur, quibus poetarum fabulis claritas & nomen partum est, cum fingant, Fessum Herculem, eos constituisse peregrinationum itinerumque suorum limites. *Gaditanum* Latinis dicitur, ob Gades Insulam, haud longe inde distantem. Mauri & Arabes nomen ei imposuerunt strícto ad *Gibraltar*, ob castrum, quod supra Calpen montem extruxerant, non amplum quidem, sed tantæ altitudinis, vt procul adspicientibus insula à continente separata videatur. Emensis Fretum illud occurrit Insula, quæ hodie *Calez*, veteribus *Gades* dicebatur, à Continente Hispaniæ littore circiter DCC. pedes distans, à qua proximo interuallo abest alia parua insula, non vltra ccc passus in circumferentia continens: vtrique harum Latini Gades nomen imposuerunt. In maiore oppidum est, quod florentibus Romanorum rebus inter nobilissima & ditissima Hispanicorum oppidorum locum inuenit: vt Strabo scribere non vereatur, Gadium vrbem vix vlli per Romanum Orbem cessuram, siue amplitudinem spectes, siue Magnificentiam, siue denique habitatorum multitudinem, cum id æui numerarentur ibi quingenti Equites Romani, qui præterquam in Patauina ciuitate haud temere extra Vrbem reperti vno loco fuerint. Nostra ætate immane quantum infra splendorem illum id oppidum imminutum est, vt verius inter opportuna appellendis mercatorum nauibus loca, quam inter magnificus vrbes adscribi mereatur. Mauri eam destruxerunt, sed Piratæ restituerunt. Exhausta autem est potissimum atque labefactata vicinitate Hispalis, quæ omnia ad se attraxit mercimonia, magno cum Gadium detrimento. Est autem inter Gades & continentem terram eximius Portus, quem Regalem vocant; & qua in Septentrionem vergit Insula alius, Virgini sacer, à quo, si exiguum Promontorium circumieueris, occurret famosus ille S. Lucæ portus, vbi fere naues sunt in statione, expectantes commodum ventum, cuius beneficio in altum mare excurrere, aut vsi refluxu Oceani Hispalim adscendere possint, quæ Vrbs sita est in sinistra Bætis fluuii ripa. Habet hæc vrbs in circuitu circiter millia sex, quo spacio comprehenduntur Basilicæ ac Templa, Monasteria insuper operosissima, accedente ad ornatum platearum rectitudine & latitudine. Circa id tempus, quo Ferdinandus Magnus Hispalim armis recepit, numerabantur ad viginti millia pagorum villarumque ac mapalium, cum nostro æuo numerus multo minor sit. inueniuntur tamen circa ducenta loca firmata mænibus.

Constituit autem Bætis fluuius, qui Arabum lingua Gadalqui vir, id est Fluuius Magnus appellatur, tutam nauium stationem ad Hispalim Vrbem, meteturque non abs re nomen illud, vt Grandis appelletur, non tantum ob amplitudinem suam, verum etiam quod aquas vehit tingendis pannis vtilissimas, & aptas ad conciliandum hominibus cutis nitorem. Adscendit autem fluxus maris repellitque aquas fluuiales vsque ad alterum supra Vrbem miliare. In opposita Hispali ripa fluuii Triana (aliis Traiana) est, locus & pars Vrbis amœnissimæ. Etsi autem Solis calor hic mediocritatem excedere videtur, vt frumenta quæ in illo agro nascuntur, Aprili mense fere maturescant, quod & in Ægypto accidit, tantum tamen est ibi refrigeriorum, vt Ferdinandus rex dicere solitus fuerit, Hispali æstiuandum esse, Burgis vero (quæ veterum Auca) hybernandum: quamuis enim aer circa hanc frigidior sit, multa tamen ibi aduersus frigus adminicula.

Habet autem Andalusia siue Bætica præter Hispalim alia quoque oppida non contemnenda, inprimis Cordubam, ad quam nauigiis super Bætis aquas adscenditur ab Hispali, maioribus minoribusque. Est autem *Corduba* Vrbs satis ampla, si ambitum spectes, minus tamen frequens ædificiis, quod magna pars intra mœnia hortis occupetur. Circa hanc sunt non paucæ arces & Castella munita, inter quæ *Lorena eminet*. Iaenna oppidum est non parui momenti, vt Hispanorum reges inter titulos & dominia sua referre id non dedignentur. Dependent enim ab eo Vbeda, Boessa, Anduartum, loca consideratione digna. Præter hæc inuenio ibi Almadenam & Marchenam oppida: quorum illud est Equitum Ordinis militaris Alcantarensis: hoc (quod veteres Cormonem dixere) situm est in confinio Granatæ & Andalusiæ.

Extremadura incipit à Villa Regali extenditurque vsque ad Baiados, & hinc post Morenam montem vsque ad Tagum. Visuntur hic in ripa, qua Anas fluuius regionem intersecat oppida, Baiadorum & Augusta Emerita. Omnem autem admirationem vincit, quod Anas fluuius, vbi subter humum se occuluit, quindecim milliaria Hispanica sub terra fluit, donec rursus emergat apud Merelinum oppidum, cui natalibus suis splendorem attulit Ferdinandus Cortesius, expugnator Mexici, apud Antipodes. In hoc territorio imago S. Virginis Guadalupanæ, ad quam ingens quotannis est concursus hominum, ostentatur.

Magna

Magna est similitudo vtriusq; *Castiliæ*, (veteres Castulonis regnum dixere) nisi quod Castilia Noua planior est in vniuersum quam Vetus. Diuiditur autē hæc ab illa interuentu quorundam montium, qui à Nauarreno regno incipientes per totam fere porriguntur Hispaniam vsque ad Mare. Castiliæ noūæ Caput est Vrbs Toletana, Veteris Burgensis. Est autem *Toletum* amplissima Ciuitas, sita loco paulò editiore, vbi semper ascendendū aut descendendū est, habens in circuitu milliaria ferme quatuor, quanquā non videatur tam magnū complecti spaciū, ob inæqualitatē situs. Ambitur ab omnibus partibus mōtibus, præterquam ab vno latere: plateas vicosq; habet angustos, domos dēsas frequentesq;, quæ intus ornatiores sunt quā foris pollicentur. Diuiditur in vicos viginti tres, habetq; fora siue cōpita XVII. A tribus partibus alluitur Tago fluuio, qui etsi deorsum fluens labatur, sursum tamen aquę eius attrahūtur beneficio cuiusdā machinæ, cuius auctor extitit Iacobus Cremonensis. Haud longe ab Toleto Vrbe offert se planicies arridens admodum illi loco, vbi aqua Tagi deducitur. Vbi ab Toleto in Septentriones te conuerteris, occurret ciuitas *Madridum* siue *Madritta*, (veterum Mantua Carpetanorum putatur) domicilium & habitatio Regum Hispanorum. Cis Anam fluuium apparet *Ciuitas Regalis*, super autem ipsam ripam *Oretanorum oppidum*, quod hoc tempore *Calatraua* dicitur, vnde certus quidam Equitum per Hispaniam denominatur ordo. Visitur etiam citra eundem Tagum oppida, Coequium & Ocagnum, quibus nomen illustre pepererunt Chirothecæ, quæ ibi fiunt.

Ad eundem fluuium sita est *Norba Cæsarea*, quæ nostro tempore *Alcantara* dicitur, vnde alius Equitum Ordo per Hispaniam denominatur. Infra Madridum est *Complutum* celebre oppidum, quod mutato monstroſe nomine hodie *Alcala de Henares* dicitur.

Sed pergamus ad *Veterem Castiliam*, vbi primum se nobis offeret oppidum *Burgi*, (Brauum Ptolemæi putatur) Metropolis regionis, vt & supra diximus. Est hæc ciuitas perantiqua, frequēterq; habitatur, sed plateas habens angustiores, cincta omni ex parte montibus, vnde dies ibi per annum b reuiores, quam Clima & latitudo graduum illius loci requirit: tardius enim iis sol oritur, citius occidit,

——Longæq; cadunt de montibus vmbræ.

Vnde frigidiori aere fruuntur incolæ. Visitur ibi inter alia opera spectatu digna Templum Metropolitanum, admirandi artificii, vt sacra officia eadem hora & momento in quinq; sacellis sub eodem tecto cantari possint, nec tamen vllus sacrificus à cæteris impediatur aut turbetur. Est ibi crucifixi simulacrum, tantæ antiquitatis, vt à Nicodemo factum sculptumve vulgo putetur. Est & apud Burgenses conuentus Religiosorum numerosus, vt è centum quinquaginta professis constare credatur, qui omnes sunt nobilibus orti familiis.

Litigat autem Burgensis Vrbs cum Toletana, vtra alteri præferenda sit in Consessibus, inque Conuentibus Ordinum Hispaniæ, & adhuc sub iudice lis est, quanquam Ferdinandus Rex vrbano quodā dicto vtriq; satisfacere annixus fuerit.

Supra Thormim fluuiolum *Salmantica* est, studio Vniuersali celeberrima, à qua versus septentrionem haud longe abest *Medina Campi*, oppidum opulentum & mercatura celebre: deinceps *Zambra & Vallis Oleti*, ciuitas inter amœnissimas merito numeranda, sita supra Pisercam amnem, elegans ædificiis, spaciosis plateis compitisque, exornata magnificis palatiis: artificum hic magnus numerus, inprimis autem aurifabrorum. Creuit Vallis Oleti amplitudine & elegantia ob habitationem regum, quorum aliquandiu fuit domicilium. A Salamantica in Ortum vbi te conuerteris, occurrent *Auila*, *Segobia*, *Sequentia* & alia multa oppida, quę commemorare tædiosum foret. *Numantia* tamen illa apud priscos tantæ celebritatis mihi non abibit indicta, quæ hodie amisso tam memorabili & glorioso nomine *Soria* dicitur: oppidum æterna memoria dignissimū, cum nullum ex omnibus totius orbis, tot cladibus affecerit Romanos, tot annis eorum exercuerit arma, quanquam præsidio vteretur nec magno nec firmo. *Medina Riui Sicci* (olim Egurorum Forum) Emporium nobile non multum distat à *Pallantia*.

Egressus è finibus regni Castalonis, in montanis Asturum videbis *Legionem* oppidum à Legione VII. Germanica sic dictum, caput regni illius: quanquam non desint, qui hoc nomen oppido demum impositum fuisse autumant, postquam Hispani Mauris id armis eripuerunt. Illud memorabile est, quod ab hac Vrbe cæpit recuperatio regnorum Hispanicorum, quæ prope omnia Mauri & Sarraceni occupauerant: vnde Hispanorum reges diuturno octingentorum annorum bello Barbaros continuo afflixerunt, donec eos terra Hispania exactos Africam repetere coegerunt: quo quidem bello non pauca virtutum & perseuerantiæ specimina edidit cum ipsis regibus Hispanorum Nobilitas.

Gallæcorum regnum complectitur hinc Auia fluuius, illinc Oceanus. Maxima huic regioni celebritas à Monumento S. Iacobi Apostoli, quem Hispani venerantur Patronum Protectorem q; suum apud *Flauium Brigantium*, hodie *Compostellam*. Instituit autem Ordinem Equitum Iacobæorum, cuius magna est per Hispaniam existimatio, Alfonsus IX. rex cum non sine miraculo superasset Miramolinum. Habet hoc regnum portum præstantissimum ad Coronam oppidum (priscis Phanus dicebatur) quo Carolus V. Imperator negotiationes Aromatorias ab aliis locis transferre voluit: sed res caruit successu. Oppida Gallæciæ maritima præcipua sunt, *Baiona*, *Ribadea & Pons Vetus*.

Inter Ribadeam oppidum & S. Andreæ fanum interlacet *Asturia*, cuius caput est Asturum lucus siue Bregantium, hodie *Ouiedum*. Huc se pulsi omni prope Hispania receperunt Gothi, dominantibus late Saracenis, & restiterunt hostibus

ſtibus. Hinc originem ſuam repetunt Hidalgorum familiæ per Hiſpaniam. Porrigitur autem hæc prouincia longe in Septentrionem, extendente ſe Promontorio Scythico, quod hodie caput de Fico dicitur; extremum obtinente Santilliano oppido.

Sequitur *Boſcorum* regio, cuius termini ſunt Nauarra, Guipuſcoa, Ocanus, Aſtures. Cantabri hic olim habitarunt, vbi nunc Biſcaia. Principale oppidum huius eſt *S. Andreæ Fanum*, cum Portu multarum nauium capaci. Talem habet etiam *Lauretum* oppidum maritimum; *& Portus Galeta*. Boſcorum caput eſt Belli Vadi oppidum, (hodie *Bilbao*) loco ſitum percommodo. Domus in ipſo non continua ſerie cohærent, per vicos plateaſque, ſed ſparſim ac temere poſitæ ſunt, quod aſperitas ſoli petroſi aliter non ferat.

Guipoſcua fines ſtatuo Vidoſonam vel Vidoſorium amnem, qui Galliam ab Hiſpania ſeparat, Pyrenæos Montes, Nauarram, Biſcaiam, Oceanum Cantabricum. Caput regionis habetur *Fanum Sebaſtiani*; deinceps ſequuntur *Funterabia, Deuia, Oria, Toloſetta, Mons Trici & alia.*

Limites *Nauarræ* ſunt, hinc Iberus fluuius; illinc Pyrenæi montes. Caput regni *Pompeiopolis*: hanc ſequuntur *Stella, Turella, Lucronia, Calagurris*. Itur ex hoc regno in vicinam Bearniam duabus viis: cætera montes occludunt. Si ratio ineatur, deprehendemus, ſextam ferme huius regni partem à Gallorum rege poſſideri, quod iniuſte inuaſit rex Hiſpanus, regibuſque Nauarrenis eripuit, cum optimo iure pertineat ad Ludouicum XIII. Gallorum hoc tempore regem: qui legitima procreatione deſcendit à Catharina Nauarrena, Comite Foxenſi & Bigorrenſi, nec non Principe Bearnenſi. Nupſerat hæc mulier magno ſuo malo Iohanni, Alani filio, Duci Albretano, qui ſecutus partes Ludouici XII Gallorum regis, opem tulit ei contra Venetos, Hiſpanos & Germanos. Quo facto ita irritauit Pontificem, vt regem Nauarrenum diris deuoueret, regnum ipſum interdicto ſubiiceret, idque Ferdinando Hiſpano donaret: qui occupata Pompeiopoli totoque prope regno Nauarreno, vſurpator alienæ regionis, poſſeſſionem eius ad poſteros hæreditate tranſmiſit. Poſteris Iohannis reliquus eſt titulus regius cum parte aliqua regni. Adſcribam autem in gratiam Lectoris Genealogiam regum Nauarrenorum:



NATVRA ET INGENIVM TERRÆ Hiſpaniæ.

NON per omnia & vbique culta eſt Hiſpania, quod multis in locis ſolum habeat lapidoſum & ſabuloſum; & hinc inde vaſtæ occurrant ſterileſque ſolitudines. Si tamen cum obiecta Africa conferatur, maior illius deprehendetur fertilitas, quod non tam feruidis torreatur Solis æſtibus. Fert enim multis in locis, producitque affatim, quicquid vſibus humanis eſt neceſſarium, cuius generis ſunt frumenta, legumina, vinum, fructus arborei, oleum, linum, ferrum & alia metalla, mel & ceram, alicubi etiam greges & armenta. Fluuios habet, qui piſces abunde ſuppeditant, & apti ſunt nauigationi. Non ita frequentibus perflatur ventis vt Gallia, nec aër ibi caliginoſus eſt, nec vaporibus malignis infectus. Aurum, argentum, ferrumque optimum vix vlla terra ſuppeditabit liberaliore manu quam Hiſpania. Nec autem ſolum terra effoditur, ſed etiam in fluuiis inuenitur, qui vbi hybernis intumuere pluuiis, ſabulum vehunt tamentis auri mixtum; quæ virtus præcipuè eſt Tagi amnis. Fuit autem tempus, cum in Hiſpania auri defæcatiſſimi dimidiam libram graues micæ inuentæ ſunt. Sunt alicubi per hoc regnum calidæ & frigidæ ſcaturigines, magnæ ad curandas ægritudines virtutis. Pecudibus non deſtituitur, vt vulgo exiſtimatur, cum non manſuetis duntaxat, ſed & feris abundet. Magna autem cum primis equorum ibi præſtantia, qui tantæ ſunt celeritatis, vt à ventis progeniti vulgo dicantur. Beſtias noxias non multas ibi inuenies, niſi forte Cuniculos in hoc genere ponas, quod terram ſubruant, radices plantarum corrodant, & fodiendo habitatoribus moleſti ſint. Amnes per Hiſpaniam leni curſu fluunt, nec quicquam damni ripis ſuis viciniſque terris impetu ſuo inferunt. Maximam autem Hiſpanis piſcium copiam vicinum mare ſubminiſtrat. Aër vbique fere bonus

& salubris est, frigidior qua septentriones & Pyrenæos montes spectat: calidior qua regnum in Oceanum Atlanticum & Mare Internum vergit. Fructuum arboreorum nullum non genus hic prouenit, quorum tanta est abundantia, vt omnibus prope septentrionalibus gentibus submittat oliuas, poma aurea, citrea, Medica, ficus & similes. Caro pecudum ibi exquisiti saporis, inprimis veruecina & porcina. Piscium præstantiam, quos Mare affatim suppeditat Andalusiæ, Lusitaniæ, Gallœciæ & Cantabris, nemo satis digne deprædicauerit. Auctor est Strabo, pinguescere Thynnos supra modum circa Fretum Gaditanum è glandibus, quæ à vicinis littori quercubus in mare cadant. Ludouicus autem Granatensis scriptum reliquit, in littore Lusitanico circa annum Salutis MDLXXV fluctuũ impetu in terram eiectũ fuisse piscẽ longũ Orgyias XL, latũ pedes Geometricos XV, tã crassum, vt duo proceri homines cũ vtrinque ad latera belluæ constitissent, alter tamẽ alterũ vix conspicari potuerit. Extremæ caudæ bifidæ interuallum fuisse Orgyiarum V. In regno Valentiæ eiecit mare anno Christi MDLXXVIII in littus Virulum marinum, centum pedes Geometricos longum. Ceperunt & aliquando Cantabri in suis littoribus Balænas tantæ vastitatis, vt ex vna CC amphorasadipis collegerint. Sed, vt quæ terra suggerit bona persequamur, abundat Hispania præter fruges fructusque pice, Cocco, iunco siue sparto, lino, cannabe, argento viuo, sapone, therebintina, alumine, lapidibus ad ædificia. Laudat alicubi Plinius Aerifodinas in montibus Marinis, (qui etiam hodie *Sierra Morena* vocantur) quod vberes metallo fecerint. Lanam greges & multam & commendatæ bonitatis præstant.

Vt autem ad specialem regionum descriptionem perueniamus: *Cataloma* maxima sui parte sterilis est, felicior in producendis arboribus quam segetibus, illisque potius syluestribus quã fructiferis. Circa Vicum oppidum asperior est ager & prope desertus, melior tamen circa Tortosam.

Arragonia ad radices Pyrenæi montis sita solitudinibus adeo vasta est, vt integrum vnius diei iter confecturus sis, antequam vllam hominum habitationem inuenias: sunt tamen quædam valles, in quibus satis frumenti fructumque gignitur, accedente aquarum præstantia, quæ mira fæcunditate imbuunt loca, per quæ fluitant. Apud Calaiutam oppidum aër valde temperatus est, terra felix, populosa, amœnissimis hortis consita.

Valentia tamen laudabiliorem haurit aërem, quo vix benignior reciprocatur per totam Hispaniam. Ipsa regio obsita hortis secessibusque iucundissimis: agri multum fundunt orizæ, saccari, farris, pomorum, vt Campaniæ Calabriæque, quæ est Italiæ pars amœnissima, per omnia conferri possit. Fluuij, quibus Valentiæ regnum perluitur sunt, Durias, quem Incolæ retenta Arabica voce *Guadalabiar* vocant; & Sucro. Effodiuntur hic apud diuersa oppida metalla, aurum, argentum, ferrum: nec non Alabastrum, alumen, Calx fossitia, crustæ lapideæ.

Murcia ciuitas anno à nato Christo MCCXLI è Maurorum manibus erepta est per Alfonsum VI. regem, qui à Germanis ad Imperium vocatus fuit. Receperat autem iam ante fidem Christi circa annum CCXVI. vt ita in Saracenorum manibus fuerit annis DXXV. Abeo tempore semper in fide erga reges suos perstitit. Habet autem Murcia siue Murgis ciuitas circa decem habitatorum millia, in ambitu cõtinens sesquimilliare Hispanicum. Tota sita est in plano, nec vlla platea decliuis est adeo, vt adscendendum vel descendendum sit: distatque à mari Leucis Hisp. IX. à Valentia IV. Huius imperio subest Orcinia & Carthagena, quorum oppidorum neutrum contemni debet, quod vtrumque portum satis commodum habeat, quanquam illud paulo longius abfit à Mari. Est autem in ipsa Ciuitate Rector Prouinciæ, cum Legato, causarum ciuilium iudice, consiliariis siue Senatoribus XII, scribis XXIV. Aduocatis verò pluribus quã XXX. Seueris autem legibus pœnisque coercentur mercatores ac institores in hac vrbe. Si enim quis deprehensus fuerit vendidisse vitiosas merces, aut auxisse precium, aut fraudem fecisse fisco, aut si quis de furto accusatus, reus peractus fuerit, impositus asino per plateas ac compita vrbis ductatur, sequente lictore, ac nudum eius tergum virgis cædente, vbi in singulis quadriuiis tot excipit ictus, ad quot condemnatus est. Prætor cum iudicibus sequuntur eũ in equis, præeunte tubicine, altumque exclamante: *Hæc est pœna, quam regia Maiestas, eiusque nomine Prætor Capitalis infligi iussit huic homini conuicto furti, vel alius criminis, cuius culpa damnatus est, vt prægnantes plagas totidem accipiat, quot scelere suo promeritus est.* Hinc rursus inflatur tuba, & carnifex pergit eũ cædere flagris, numerans sollicite ictus, ne plures inferat quam iussus est. quod si faciat, obturbatur pulsatur que à populo. Est & apud Lorcam oppidum (Ellocrata hæc putatur) Legatus in Causis ciuilibus, itemque apud Carthagenam, vnde prouocandi ius est ad tribunal Murciæ, & hinc ad Vrbem Dicasterium que Granatense, quod ibi sit summa curia regia.

Vbi primum Murciæ sonuit campana, in subitis casibus periculisque pulsari solita, Præfectus vrbis eueſtigio cum armata manu ad portam aduolet necesse est, ad arcendos littore ac Portu Mairos alios que Piratas. Est autem quicquid inter Murciam & Carthagenam interiacet soli, fere sterile & desertum, & parce habitatur, cum asperi hic sint montes, vbi æstiuo tempore guttam aquæ inuenire non est, ad reficiendos viatores, nisi secum aliquid humoris ferant. At vero ager circa Orcinum oppidum crebris habitatoribus soli bonitatem profitetur. Murciæ insuper imperium agnoscunt oppida Caranaca, Moratella, Calasparra, Colomera & alia quædam. Ipsam Vrbem Murgim Sucro fluuius perluit,

perlüit, ortus in regno Valentiæ, commodus ciuitati, quæ clara est frequentibus mercimoniis, ob præstantiam Serici, cuius hic magna copia & bonitas. Hesperidum hortos & Adonidis si quis alicubi quærat, hic inueniet, quibus pares esse poterunt Murcensium horti, non solum quod omne genus arboribus referti sint, de quibus Aurantia poma, Limonia, citria immanis magnitudinis dependent, sed & cannis dulcibus, vnde Saccarum conficitur. Taceo iam oliuas, amygdala, Vineas, poma Medica siue Malogranata, & alios fructus arboreos præstantissimos. Omnem autem elegantiam vincunt crebræ fontiū limpidissimorum scaturigines, quę Crystallino aquarum splendore oblectant & ad hauriendum inuitant spectatorum oculos.

Granatense territorium cum pulcherrimis fertilissimisque totius Hispaniæ certare potest, inprimis vbi Genilī & Dara fluuiis irrigatur, accedente incolarum industria, qui in colendo circa hanc vrbem agro mire satagunt: vnde plantarum, herbarum, frumenti fructuumque tam fælix prouentus: quam fælicitatem auget Saccari copia, & Serici, nec non gregum armentorumque. Saraceni, qui anno Salutis MCDXCII hinc profligati fuere, dicere sunt soliti, Paradisum futurę beatitudinis nullibi rectius collocari posse, quam in ea cæli parte, quæ respondeat territorio Granatensi.

Qua Aquilonem spectat, offert se campestris planicies, vbi omnia quæ terra nascuntur, tanta vbertate luxuriant, vt nisi quis ipse coram oculis arbitratus fuerit, credere nequaquam possit. Ad fluuium Genilem campi amæniores an fertiliores sint, iure dubitaueris, cum multum frumenti gignant: in montibus autem vicinis ouium caprarumque greges non pauci pascuntur.

Est apud Granatenses Archiuum & Dicasterium Regium, & sedes Archiepiscopi; ipsam vero Arcem regiam turrium multitudo facit admirabilem. Habet ea vrbs insuper Cisternas, siue lacus compluuios, aut aquæ cælestis receptacula miræ pulchritudinis, inprimis vnam totam marmoream, quam sustinent XII Leones è marmore sculpti. Numeratur in hac vrbe foci siue Lares ad quadragies mille, & vltra bis mille fontes aquæ frigidæ limpidæque. Apud Alhamam oppidum Thermæ sunt natiuæ, quæ sanis hominibus lauantibus delectationem, ægris vero morborum leuamen præstant. Mirū est, quod proxime ad ipsas aquas calidas riuulus fluit, cuius aquæ sunt frigidissimæ, nactus à reipsa nomen, vt *Rio frio* riuus frigidus appelletur. Territorium Malacense, partim planum est, partim collibus ac valleculis inæquale, vbique tamen laudabile ac fructuosum.

In omni, quam late patet Hispania, non est prouincia fructibus segetibusque fauentior quam *Andalusia* (Bæticæ pars) nec quæ pascendis gregibus armentisque sit aptior, inprimis equis, vt non mentitus fuerit, qui hanc Hispaniæ partem nominauit Granarium, Conditorium, Horreum & Cellam vinariam Hispaniæ. Tantum insuper hic auium, inprimis Turdorum, quorum hic caro delicatissima, vt difficile sit ad fidem dicere. Ager Hispalensis totus consitus est arboribus fructiferis, oleis, vitibus, segetibus. Spectatu digna est sylua, meris constans oleis, tantæ longitudinis, vt ad trigesimum milliare Hispanicum extendatur. Territorium Cordubense vberrimi prouentus est, hortis elegantissimis amœnum, fontibus irriguum, vsu vtilissimum. Apud Almadenam oppidum multum effoditur argenti viui (metalli species hæc est liquescens, ponderosior tamen cæteris omnibus, appetens auri, cui indiuulso nexu adhærere gaudet) destitutum hoc auro, ad argentum currit, idque purgat à scoriis sordibusque tertæ, æris Cyprio & plumbo. Cætera metalla omnia non contemnit solum, sed & corrumpit, arrodit, penetrat, fugit. Igne excoctum resoluitur in fumum, & è fumo in pristinam metalli speciem reuertitur. Reperitur autem apud Almadenam duplex Argentum Viuum. Præstantius id iudicatur quod è confractis petris egreditur; quod terræ visceribus eruitur, vilius habetur: vtrumque tamen venenatæ qualitatis & virulentiæ. Nam fossores, qui in eruendo eo laborant, breui tempore euadunt pallidi & cadaueroſa facie, vt mortuis similiores sint quam viuis, nec fere viuaces deprehenduntur. Est autem hoc metallo isti ingenium, vt ipsa ossa subtilitate sua sine sensu penetret, vt compertum fuerit, è ruptis putridisque ossibus fossorum, qui obiuerant diu ante, argentum viuum prodiisse. Hinc aurifices inauraturi aliquid, vt se à malignitate hac tutos præstent, paullum auri ore occultum tenent, donec laborant, satisque constat, micam illam auri exemptam palato, exhibere argentum viuum, quod interim attraxit. Rupes autem, è quibus extrahitur argentum hoc liquidum, totæ rubicundæ apparent, ob Minium, quod est velut excrementum huius metalli, ei perpetuo adhærens. Et hæc est causa, cur Plinius huic loco venas Minij adscripserit, quæ ipsius æuo in æstimatione fuerunt. Circa Marchenam (quod oppidum Veteres Carmonem dixere) nascuntur optimi Equi, quo non præstantiores in tota Hispania.

Extremadura magis radiis solaribus exposita est, quam vlla prouincia Hispaniæ: vnde fit, vt quemadmodum in Italia aduentante hyeme pecudes ex agro Brutio & Samnio in campestria Apuliæ aguntur; sic armenta gregesque è partibus Hispaniæ Aquilonaribus in Extremaduram deducuntur, calidissimam regionem. Est autem hic excessus caloris in causa, vt rarius habitetur, & minuta habeat oppida. Totum illud terræ spacium, quod Anas Fluuius subterraneo labens meatu subit, pascuis vberrimis fælix est: vnde prouerbio factus locus: esse in Hispania fluuium, super quem armenta boum pascantur. Territorio Guadacanalensi celebritatem nominis nostro æuo peperit vena argenti, quę nuper ibi detecta est.

Castilia Noua planior est, magisque campestris

quam Vetus, vergitque magis in Austrum, vnde etiam feruentior. Illa plus valet in gignendo frumento, hæc in pascendo pecore. Noua irrigatur Tago aliisque compluribus amnibus: Vetus Durio fluuio, qui ob numerosos amnes quos exhaurit, in tantum crescit aquarum copia, vt inter maxima Hispaniæ flumina numeretur. Nauigationi tamen non satis est commodus, quod angustioribus coarctatus ripis, ob præcipites, quibus includitur, rupes & petras, rapidius fluit, neque ea fœcunditate vicinos agros imbuit, qua Iberus, Bætis, & Tagus. Madridum (Mantua Carpetanorum) aërem haurit admodum salubrem, habens in vicinia iucunda nemora, apta venationi Iuxta vallem Oleti ager est pinguis & ferax omnium bonarum rerum, pabuli, vini, fructuum, carnis, lacticiniorum.

Asperior hac multo est *Gallæcia*, & alicubi aquarum inops. Apud Auriam oppidum (Orens vulgo) vinum non illaudabile prouenit. Venatio in hac regione & piscatio frequens. Asturum ager Gallœcano similis est, alicubi asperior horridiorque, & minus idcirco habitatus.

Apud *Cantabros Boscosque* rarus vini est prouentus, quę res cogit incolas, præsertim circa Adriani Fanum, vt pro vineis pomaria plantent, conficiantq; è pomis potum vini æmulum, qui difficilis iudicatur concoctionis: etsi gustu non insuauis est iis, qui huic Baccho adsueuerunt. Lignorum copiam Biscaia subministrat ad extruenda omnis generis nauigia. Vicinum mare in promendis piscibus liberale est. Apud Bilbaum oppidum panis coquitur optimi saporis, & carnes ibi quam alibi sunt delicatiores. Apud Tolosettam amnis fluit sane modicus, qui Salmonũ & Truttarũ captura nobilis est. Vicina regiuncula Alauæ abundat ordeo aliisque frumenti speciebus, estque paulo commodior.

MORES VETERVM HISPANORVM.

5. Iulius Firmicus hoc Elogio ornat veteres Hispanos; quod dicit plenos esse arrogantiæ & vanæ iactationis. Vopiscus addit vafros & versipelles, corpore satis composito, quietis impatientes, nouarum rerum auidos: Iustinus etiam grauius iis conuicium facit, cum ait, illos ingenio propius ad bestias quam ad homines accedere. Vtebantur Prisci Hispani, vt Diodorus scriptum reliquit, sagis nigris breuibusque, quem habitum Isidorus Striges nominat. Ptolemæus cum Diodoro ait, eos non esse ineptos ad quas vis res, quodque sint mundiciei studiosi. Alius quidam eos ait tam sordidos impuroſque fuisse, vt non solum corpus vniuersum, sed etiam dentes vrina lauerint perfricuerintque. Fœminis eorum Strabo agriculturæ studium cæterorumque operum rusticorum tribuit, additque sine dubio fabulose, mulieres enixas partum, solitas ministrare viris, qui se ipsos in lecto collocauerint composuerintque ita, ac si ipsi peperissent infantes. Carniuoros supra modum facit Diodorus, quod potionis genus è melle conficiant, bibantque vinum importatum non natum apud ipsos. Florus autem è frumento potum coxisse affirmat. Hispanos inter populos, qui ad ebrietatem vsque perporare solent, Athenæus refert. Contra Iustinus parsimoniam, abstinentiam, sobrietatem illis tribuit: vt vel ditissimi inter eos aquam biberint & soli sine ministris cibum ceperint: addente Trogo, ne festis quidem diebus lautiorem apud illos conspici apparatum. Ait Plinius, suo æuo illos glandem fecundis mensis inferre solitos, subscribente Strabone, qui panem quidem & farinam è glande fabricasse affirmat, quem panem cæteraque edulia prior ille decumbentes humi sumsisse ait. Lauare corpus aqua calida, à Romanis dedicerunt post secundi Belli Punici tempora. Corpora firma, & ad tolerandam famem ac labores valida tribuit eis cum Iustino Valerius Maximus, animumque mortis contemtorem. Seruio iure succensent, qui eos latrociniis rapinisq; addictos autumat. Trogo est natio bellicosa, amans pugnæ, ocium odio habens. Solebant veteres Hispani plurimum sibi ipsis tribuere in bello, non equites solum sed & pedites qui molestiarum erant patientiores: quod si equestris pugna finita esset, desilientes ab equo equites peditibus in auxilium properabant. Gladiis vtebantur breuibus, teste Liuio & Polybio, aptis ad comminus & prope feriendum hostem, quę punctim non cæsim percutiebant. Athenæus iaculorum vsum iis tribuit, & Diodorus Galeas æneas, & regumenta crurum è pilis facta. Strabo leui armatura eos instruit, ferentes cetram, phaleras & fundam. Polybius pugnam ingressuris induit amiculum lineum, purpureis limbis prætextatum, & sagum candoris exquisiti. Solitas etiam matres atque auias iunioribus in bellum profecturis narrare patrum auorumque fortia facinora, Sallustius in Historia prodidit.

Circum sepulcra mortuorum tot paruas erexisse eos pilas auctor est Aristoteles, quot ex hostibus sepultus interfecisset. Consueuisse eos flumina natando superare Cæsar obseruauit. Quod si Iustino credimus, pluris Iberi prisci fecerunt equos, seruos, arma sua, quam vitam ac sanguinem. Crudeles fuisse in hostes, comes ac hospitales in peregrinos affirmat Diodorus. Repertos fuisse inter eos, qui mortuis regibus superstites esse noluerint, post Sallustium Seruius refert. Libertatis fuit gens illa adeo cupida, vt bello Cantabrico inuentæ fuerint matres, qui liberos trucidarent, ne in victoris hostis venirent potestatem: narrante Strabone, filium Cantabri hominis, ita iubente patre, interfecisse omnes sibi sanguine iunctos, in carcere conclusos, cum gladium ad eam rem nactus fuisset: quin & fœminam præcidisse capita omnibus, quæ cum ipsa in vinculis asseruabantur. Aliquos etiam in cruce extentos iamque morituros cantasse legimus. Laudat hanc animi magnitudinem in mancipio Iustinus, quod tempore belli Punici cum herum suum sumta de eo vin-

dicta

dicta interemisset, inter tormenta iucundè riserit, ipsamque tam intempestiua lętitia tortorum vicerit crudelitatem.

Fidelitatem Hispanorum Cæsari notam fuisse inde constat, quod secum habuerit stipatores corporis Hispanos, qui ipsum cum gladiis sequerentur. Addit his Strabo, solitos illos parare venenum, quod necatet sumentes sine dolore, vt si quid ipsis aduersi contigisset, vterentur eo parato ad expellendam vitam. Refert Silius Italicus, consueuisse eos cadauera mortuorum humi exponere, à vulturibus deuoranda: Aelianus tamen hoc solũ affirmat de iis qui bello cæsi fuissent: nam quos morbus aut senium consumsisset; eorum corpora exusta fuisse. Et hæc quidem tam varia de priscis Hispanis auctores memoriæ prodiderunt.

MORES HISPANORVM NOSTRI Temporis.

Temperamentũ eorũ communiter calidũ & siccũ habetur, vnde coloriis subfuscus, & fæminę Hispanorũ frequenter vtuntur albo & rubro. Membra viris dura & teretia, minimeque laxa. In superstitionibus ante omnes mortales esse creduntur, præbentque se velut duces in hoc genere ac Magistros ceremoniarum: peritissimi blanditiarum & adulationis, qui eos quos captant, magnificis ornare nouerunt titulis. Ad simulandum & dissimulandum, tacenda secreta, occultanda animi penitioris sensa non docti, sed nati factique videntur. Grauitatis studiosi sunt cum affectatione quadam seueritatis, quo nomine omnium gentium sibi odia conciliant. Fœminæ eorum rarissime vinum bibunt, nec sæpe in publicum prodeunt, spectati vulgo nolentes: nobiliores autem nunquam exeunt domo, nisi præeunte anteambulonum numero, sequentibus ancillis non paucis.

Domi Hispani modice viuunt, suntque paucocontenti: sed cum ad alienas adhibentur mensas, effusi ruunt in ferculà, mire indulgentes genio & curiculam beantes. Exteros parum humaniter excipiunt, inurbani in hoc genere. Extra Hispaniam cum versantur, mutuis se cumulant honoribus, magnificisque alterum alter effert laudibus, vt plebeio natos genere instar nobilium venerentur, nobiles autem paulo infra regem. Iustitiæ amantes ferè sunt, studentque suum cuique exacte tribuere. Magna est Magistratuum sedulitas, & in puniendis maleficis seueritas: vnde pauca in tam numerosa gente inueniuntur furta, pauciora homicidia. Nemo enim speret, se hic impune contemturum leges, aut detrimenti quid illaturum alteri, quisquis ille tandem sit. Quoties duo vel tres Hispani conuenerunt, quantumuis humilis conditionis, inprimis cum sunt militiæ, non tamen nisi de rebus sublimibus colloquuntur, de incolumitate Reipublicæ, de euertendis hostium consiliis, de summa rerum, de frangendis inimici viribus, de æstu militari ac nouis stratagematibus. Quod si quis opportunum aliquid in medium attulerit, & dignum altiore indagine, ad superiores suos referunt.

In castris incredilem ostendunt tolerantiam, patiunturque diutius quam vlla gens sub sole famem, sitim, vigilias, omnisque generis labores. Prælio commisso, artificiosè & caute magis pugnant quam furiosè: estque non tantum corporum sed & armorum eorum ea ratio ac leuitas, vt vrgente nimis hoste referre celeriter pedem possint, eundemque recedentem insequi. Etsi autem ingenio sunt acri ac subtili, infeliciter tamen plerumque discunt, quod existiment, si aliquo modo litteras perceperint, iam ad summam eruditionis se peruenisse. In omni autem philosophandi ratione nihil perinde amant, ac sophisticen ac fallacias in argumentando: Suntque etiam in scholis tam amantes suæ linguæ, vt malint Hispanicè quam Latinè loqui. Sunt tamen nostro æuo, qui Gallorum curiositatem æmulantur, cum magnus eorum numerus inueniatur, qui litteris operam dant Lutetiæ & Lugduni. Atræ bilis plus habent aliis mortalibus, vnde tardiores ferè sunt in expeditionibus. Quietis studium non respuunt, dantque enixe operam, vt splendide ac ornate incedentes, ob externam speciem magni fiant: quod vt obtineant, argento sumtibusque nequaquam parcunt. Nouerunt autem omnia sua magnificè deprædicare, & inter ipsas gloriationes tamen lucrum si captare possunt, minime omittunt: tegentes quantũ possunt paupertatem ac debilitatem suam. In pugna pedestri plus valent quam Equestri, non quod destituantur equis, quos habent præstantissimos, sed quod rectius vtantur bombardis igniuomis quam vllo alio telorum aut armorum genere. Ostendunt autem publicè summam erga res diuinas veneration em, nec desunt, qui pietati eorum & cultui Numinis acceptam ferant Noui Orbis inuentionem. Amori venereisque affectibus cito succumbunt, etiam in affecta & decliui ætate: estque amor eorum non repentinus aut superficiarius, sed passionum ardoris que plenus, nec facile quis credat, qui non viderit, quam miros effectus in iis hic affectus generet. Neque enim vlli rei quantumuis charæ, ne ipsis quidem ditiis parcunt, dummodo amicæ placeant. Et hæc quidem generatim de Hispanorum natione dicuntur: iam specialiora sectemur.

Qui *Cataloniam* inhabitant, rudes fere habentur, inciuiles, efferi, pleni ignorantia. Sed *Arragonij*, inprimis qui Cæsaraugustam incolunt, ciuiles & esse & haberi student, exercitia sectantes nobilibus viris & equestri ordine digna. *Valentiani* à cæteris Hispaniæ populis non admodum æstimantur, quod immersi deliciis vitæ ac voluptatibus, quibus & Vrbs & tota regio affluit, nullum præ cæteris sectentur studium, ne armorum quidem, vt vulgo à vicinis delicatuli audiant & contemnantur. Nulla est in tota Europa Ciuitas, in qua meretricibus ac prostitutis mulieribus maior habeatur honor quam

Valentiæ, ita voluptatum cura omnibus modis potior est honestate. *Andalusiæ* incolæ politiori & ciuiliori vitæ student, suntq; animo erecto & laudis auido, & quidem non est hoc iis inuidendum, cum prudentiam cum gloriæ cupiditate coniungant. *Cantabrorum* populi in re maritima sunt probe versati, boni milites pariter, siue terra sit gerendum bellum siue mari.

DIVITIÆ HISPANIARVM.

6. Cum Hispania non abundet fluuiis amnibusque, neq; multum ibi pluat, consequens est, non eandem esse posse vbique rerum affluentiam: quin & multo maior futura esset commerciorum raritas, nisi nauigia ab Indiis reuersa ad has oras appellerent. Cum enim omnis commercandi & negociandi commoditas consistat in facili mercimoniorum de loco in locum trâsportatione, prætereaque in ipsius regionis, in qua commercia exerceri debent plenitudine & copia, fluminumque ac amnium nauigabilium multitudine: Hispania autem plerisque in locis montibus asperetur, & paucos habeat fluuios: necesse est, vt minus in ea sit commerciorum, quam pro regni amplitudine. Neque tamen quisquam negauerit, habere eã bonos idoneosque portus, in quibus negotiatores magna copia naues appellere & commercia agitare possunt. Faciunt autem potissimum rem Hispani ex diuendito vino, oleo, cera, melle, saccaro, croco, fructibus arboreis varij generis, quorum tam vber hic prouentus, vt toti septentrioni inde satis subuehi possit; inprimis oliuarum, Aurantiorum, Citriorum, ficuum, passularum & eiusmodi. Thynnorum piscatio tam quæstuosa est, vt solus Dux Medinæ Sidoniæ quotannis percipere inde credatur ad octoginta ducatorum aureorum millia, Arcosius autem circiter viginti millia.

In Ciuitate Murcia conficiuntur vasa cretacea, magno numero, commendatæ bonitatis & pulcritudinis, vnde multum colligitur pecuniæ, plus tamen è Serica lana, quæ ibi præparatur præstantissima. Carthagena vero negotationi ex ouilla lana multum debet, quæ inde auehitur Genuam, Mediolanum, Florentiam & ad alia Emporia, in ipsam quoque Galliam, vbi magnus est lanæ Hispanicnsis vsus, in re vestiaria. Accidit, vt vermes serici artifices siue Bombyces per totum territorium Murciense, aduersa tempestate perculsi emorerentur penitus. Sed incolæ accepto à Granatensibus semine defectum illum instaurauerunt, vt iam toto illo agro plus sit Bombycum quam fuerat antea. Ex eodem serico, vt & lana ouilla Granatenses potissimum lucrum percipiunt, Malaca vero ex copia alimentorum.

Vniuersæ autem Hispaniæ quæstuosus est Portus Hispalensis: hinc enim mittitur vinum, oleum, fructus & alia mercimoniorum genera in Aduersum vsque orbem, & in Aquilonaria regna, conuehiturque huc ex omnibus partibus tantum vini, vt vulgo dicatur, nisi singulis diebus quatuor millia doliorum vini importentur Seuiliam, publicanus, qui portorium & vectigal vinarium conduxit, viri boni nomen tueri non possit, sed fallere creditum necesse habiturus sit. Vicissim huc adferuntur è noua Hispania & regno Peruano precios issimæ merces, aurum, argentum, & ab Cubagna Insula Margaritæ, Smaragdi ab S. Marthæ fano, materia Cocco similis ad tingendas telas pannosque à regno Mexicano, Saccari & corij vis maxima ex Insula Hispaniola, aliæque immensæ opes ex nouo orbe; vnde illæ in totum mundum distribuuntur: vt hæc sola vrbs propter incredibiles thesauros, qui huc velut in ærarium Hispaniæ publicum inferuntur, tantum regi suo emolumenti gignere credatur, quantum integrum aliquod regnum.

Nec parum lucri prouenit Hispanis ex Argento viuo, quod magna copia effoditur & inuenitur apud oppida Almadenam & Cordubã. In plerisque autem Hispaniæ interioris locis gignuntur equi perfectissimæ pulchritudinis, quos ipsi Genettos vocant, corpore tam eleganti & bene composito, vt natura in procreandis iis secum ipsa certasse videatur, pulchriores illos an celetiores effingeret. Tam enim velociter currunt, vt si laxatis habenis eos impellas, non ire, sed volare aut vento rapi videri possint. Audacia iis incredibilis, vt vltro in prælia ruere gestiant, nec quicquam acceptis vulneribus terreantur, sed animos sumant à conspecto suo cruore. Quin & reperti sunt, qui lecto immani vulnere ventre, trahentes calcantesque intestina sua, sessores tamen, antequam caderent, in securum aliquem locum transferre annixi sunt. Hinc non abs re maximo venduntur precio, vnde non parum lucri Hispanis accedit. Quod si natura illis respondens animositati robur corporis largita fuisset, iã nihil esset quod in perfectissimo equo desiderari posset. Hæc in eum finem dico, quia compertum habeo, plus illis esse audaciæ quam virium, vnde ob celeritatem aptiores sunt ad velitationes & pugnas extemporaneas, quam ad diuturna prælia, vbi longo tempore in acie consistendum est, quod melius faciunt equi Germanici. Et vt verum dicam, multum his equis commune est cum natura & ingenio ipsorum Hispanorum, qui in externo splendore proram puppimque existimationis collocantes, magnifici & gentiles haberi vnicè student, ad instar equi spectari desiderantis. Gallæci è duabus rebus lucrum percipiunt: è vino quod apud Auriam oppidum prouenit; & è piscatione, cui maritima oppida multum dant operæ.

Biscaia septentrionalibus populis lanas suas submittit, & enses, qui cuduntur optimi apud Bilbaum oppidum. In Guipuscoa etiam argentifodinæ sunt apud Tolosettam oppidum.

Lusitanorum siue Portugallensium diuitiæ magnæ

magnæ sunt. Serici enim copiam exteris vendūt, inprimis quod apud Bregantiam colligitur, præstantius quouis alio. Exportatur etiam hinc multum salis, & salitorum Thynnorum vis magna, qui potissimum apud Turdetanos (hodie Algerbia) in oceano capiuntur, vnde non parum argenti colligunt. Lissabonam (quæ olim Iulia felix & Olyssippo) ab omnibus partibus mercatores confluunt, ab Orientalibus Indiis, ab Aethiopia, Brasilia, Madera Insula, aliisque, quin & ab Aquilonaribus prouinciis, velut in communem commerciorum locum. Hinc quoque classes Oceanum nauigaturæ commeatum, instrumenta nautica, aliasque res necessarias petunt: ex hac vrbe velut instructissimo conditorio ac penu totum Lusitaniæ regnum suis consulit vsibus.

Sed age, Lector, videamus clarius, quæ merces exteræ in portus varios Hispaniæ, præsertim autem Olisipponensem aliunde importentur.

Igitur ab Creta Insula (hodie Candia) inferuntur vina Maluatica siue Cretica, quæ postea ad Orientales Indos auehuntur, euaduntque beneficio longæ nauigationis saporis longe laudatissimi, adeo vt dolium vnum (quod prope omnes populi Pipam vocant) ibi vendatur scutatis XC aut interdum C.

Africa & Mauritania submittit magnam vim corij, nec non lapillos pretiosos, peristromata & aulæa variegata cum aliis mercimoniis: quanquam nostro æuo non in tanta abundantia vt antea.

Ab Anglia veniunt multæ merces Britannici generis, inprimis panni pretiosi.

Ab Inferiore Germania telæ lineæ, & minuti generis merces, crepundia, vtensilia, monilia, quæ in orientalem Indiam asportantur.

Galliæ regiones submittunt frumenti vim, & instrumenta Mechanica.

Ab Indis occidentalibus veniunt prægrandes naues, oneratæ corio crudo boum ingentium, cuius generis præcipue suppeditat Hispaniola Insula, vt & Casiam medicam, Saccarum, nec non aliquantum auri argentique, aliasque merces Indicas, quas illa pars Orbis gignit.

A Brasilia Ingens vis Saccari affertur, cuius prouentus in singulos annos fit vberior: quin & Ambra Ch yſea à colore dicta, ingensque Gossipij vis: estque harum rerum adeo ferax illa prouincia, vt plus procreet quam optari possit. Madera Insula mittit quotannis in Hispaniam DC vasa dimensa saccari, cuius tanta est bonitas, vt in hoc genere primas partes obtineat, vendaturque illud mensuræ genus, quod Hispani Arrobam appellant quatuor Ducatis vel etiam amplius. Affertur etiam inde sanguis Draconis, quod est nomen succi arborei siue Gummios, cum nonnullis aliis rebus. Sancti Thomæ Insula vero plus saccari suppeditat, vt annuus prouentus ad duo millia arrobarum adscendere credatur: à qua Insula etiam Aethiopica mancipia nigerrimi coloris in Hispaniam perferuntur. Non sunt multi anni, cum primum Xylinum vel Gossipium in illa regione plantari colligique cæpit, cuius tam felix & vber est prouentus, vt primo anno Olyssipponem illatæ sint sexagies mille libræ, nec in his stat fæcunditas illa, sed in singulos annos augetur.

A Parana & Insula Principis venit oriza, nuces, saccarum, mancipia atra, simiæ non caudatæ, & Psittaci Cyanei coloris.

A Promontorio Hesperidum siue Capite Viridi Hispani accipiunt Saccarum, Gossipium, Corium crudum, pelles caprarum, Orizam, Ceram, Oleum, & inprimis plurima mancipia Aethiopica nocte nigriora.

Ab Azoribus Insulis immanem vim Isatis siue Glasti, quod distrahitur nauigijs per Angliam Siciliamque: multum insuper frumenti ordeique, quod frumentum fere in Isulam Maderam aut Africæ partes deuehitur, Rege decimas inde defalcante: præterea Alumen Petrosum, quod in hoc genere optimum iudicatur.

Ex Guinea Africæ regno aurum venit, cuius singulis annis importati precium accedit ad bis centena millia Scutatorum: in quem consum non venit id, quod priuati iuris est, & quod secreto in Hispaniam infertur.

Ab Indis Orientalibus quotannis inuehuntur ducenties mille centupondia (ipsi Quintalia nominant) Piperis. Gingiberis, Cinnamomi, Masticis, Caryophyllorum, nucum Myristicarum, precium vltra ducenta millia Ducatorum adscendit.

Adfertur & inde Borax, Camphora, lignum Aloës, Hebenum, Santalum & alia Pharmacorum materialia, quorum omnium prouentus est quadraginta millia Ducatorum. Sunt quidam qui proprio auspicio inferant Glossipij graues massas diuersi generis, coëmtas pro quadragies mille ducatis, vnde propemodum duplum lucrantur.

Margaritarum, Vnionum, gemmarum, Carbunculorum, Adamantum, aliorumque pretiosorum lapillorum Oriens magnam copiam in Hispaniam mittit, quorum omnium precium sciri certo non potest, quod multa huius generis per Mercatores ac Gemmarios clam inferantur, ne vectigal aut quintas ex lege persoluere regi cogantur.

E regno Chinensi, Malaca, Bengala, Maluia, Lambaia aliisque partibus Orientis venit ingens vis serici candidi, vasa pellucida nec tamen vitrea, gratissimi aspectus, quæ ipsi Porcellina vocant, & aliæ res subtiles, ingeniosæ ac delicatæ (Lusitani Brincos vocant) non exiguo numero. Margaritæ

etiam minoris generis ab China afferuntur, & vasa cæteraque opuscula incredibili ingenio & subtilissimo artificio fabrefacta, quæ magno precio venduntur apud Vlissiponenses & in cæteris Hispaniæ vrbibus. Ex eodem regno Chinensi Mercatores aduehunt capsulas, abacos, tabulas, arcas, sellas, repositoria, mensas, è ligno faberrimè facta omnia, nigroque colore inducta, vt ipso splendore ebenum lignum mentiantur, emblemate tesselliſque ac flosculis aureis perspersa, quæ cum superioribus perspicue loquuntur, homines Chinenses minime esse stupidos aut hebetes, sed ingenij acris & ad quæuis artificia percipienda ac inuenienda aptissimi.

E Persida aduehuntur stragulæ vestes, peristromata, aulæa picta, auro ac serico versicolore variegata, & lanea, sed subtilissimi staminis. Nautæ qui ab iis partibus veniunt, apportant secum conchas paruas, exquisiti candoris, in littore maris repertas, quas Lusitanis diuendunt.

Omnia hæc mercimoniorum genera ad Vrbem Olysipponensem ab omnibus orbis partibus conuehuntur, vnde in longe dissita regna & prouincias iterum diuenduntur, incredibili cum Lusitanorum lucro, vnde coniectura quisque assequi potest, quanti sint reditus, quos rex inde percipit, quod Aromataria negociatio ab ipsius solius arbitrio dependeat, nisi à præfectis ministrisque suis circumscribatur. Quamquam, si veritatem sine interprete perquiramus, inueniemus, Regis Hispanorum prouentus & ærarium iam ab aliquot annis imminutum fuisse, postquam Mercatores tantos congestere thesauros. Hinc priuatis quibusdam regis indultu permissum est, vt ipsi hæc mercimonia & negociationes exerceant, rege sibi solo vectigalia Aromataria reseruante, vnde septies centena millia ducatorum in fiscum eius illata perhibentur, non connumeratis expensis. Sunt autem hac tempestate tres Proreges in India: Primus apud Ormum in sinu Persico: alter in regno Malacæ: tertius apud Mosambicam: his iniunctum est, dent sedulo operam, ne merces Orientales, inprimis Aromata, per Sinum Erythræum Alexandriam perferantur, vt aliquando factum fuisse constat, ministris regiis per mercatores auro corruptis.

Ab Olysippone viciſſim in Indias exportantur hæ merces: Vinum Creticum & Hispanicum, telæ lineæ & fericæ, panni lanei, & quædam minuti generis. In Chinam, Guineam & ad Nigritas deuehuntur inter alia grandes annuli teretes ex orichalco, qui in inferiori Germania fabricantur, vbi singuli singulis nummis Regalibus emuntur, venduntur que terni Nigritis pro singulis ducatis aureis, non modico negociatorum quæstu.

In Brasiliam mittitur vinum, panni lanei, materia vestiaria, ipsæque vestes iam confectæ omnis generis, quod opifices in ea regione non sint: quamquam hæc corporis operimenta non pro natiuis soli incolis (qui penitus nudi incedunt, in syluis victitantes, & carnes humanas deuorantes) sed in vsum Lusitanorum præparentur mittanturque, qui in ea parte Americæ habitant.

Anglis ex Hispania itidem supportatur vinum, oleum, saccarum, aromata omnis generis, quæ eædem merces etiam Belgis aduehuntur, præter magnam salis copiam, qui apud Lusitanos terra eruitur, perhibentibus iis, qui harum rerum pollent notitia, inde quotannis ad exteros exportari CCC Vrcas salis, vrca autem apud Lusitanos constituit CD dolia salaria.

Naues ab Italia Olysippone onerantur aromatibus pharmaciſque, vt & saccaro; in Algarbia autem & apud oppidum Lagos Thynnis piscibus qui saliti quoque per reliquam Hispaniam diuenduntur.

Iam vt de prouentibus redditibusque regis loquamur, satis constat illum ex Italia Siciliaque vltra quatuor auri millones percipere: vltro duos ex sola Lusitania, tres aut amplius ex Noui Orbis prouinciis, ex Insulis Balearicis quinquaginta millia scutatorum: ex Hispania vero reliqua millionem vnum cum quater centies mille coronatis. Quanquam hi ordinarij annuique prouentus ne comparandi quidem sint cum iis diuitiis, quas velut extra ordinem ac sortem variis modis colligit, quæ exactiones iam etiam in consuetudinem abiuerunt, cuiusmodi est Cruciata, vt vocant, vnde vel cuiusuis regni opes ad eum confluunt; præterea subsidia Ecclesiasticorum, quibus vel solis centum triremes instructissimas armare ac sustinere potest: Vacantiæ Beneficiorũ Feudorumq;, quę caduca facta sunt, quarum fructus maior est, per Italiam Hispaniamque, quam quisquam credere possit: taceo iam collationes & donatiua tot principum & populorum, tam certa & fixa quam arbitraria. Nam & regnum Neapolitanum tertio quoque anno confert auri millionem vnum, insuperque bis centena millia coronatorum: & Sicilia, Sardinia, Insubria, Castilia, Prouinciæ Noui Orbis, singulæ suo tempore, ingentia regi donatiua offerunt. Contributiones insuper rebus dubiis supra modum magnæ sunt, quod vno Castulonensium exemplo probabimus, qui superioribus annis regi suo quatuor auri milliones contributionis nomine pollicit sunt, intra quartum annum soluendos.

Quid dicam de Ordinibus Equestribus siue Militaribus per Hispaniæ regna, Manteggij, Calatrauæ, Alcantaræ, S. Iacobi: quorum omnium caput & Magnus Magister ipse rex est, è quibus tantum ad ipsum diuitiarum redit, vt iis solis ditare possit, si velit, omnes eos, qui quacunque ratione de rege regnoq; bene sunt meriti, quod Anglorum Polonorumq; reges facitare nouimus. Sed hoc omne absumitur in sumptus Aulę regiæ, in stipendia Proregum, Ducum militarium,

rium, Præfectorum, Præsidum, Cõsiliariorum, Legatorum, Rectorum in prouinciis, Quæstorum, honoraria Cardinalibus tribui solita, postremo in copias militares nauticas ac terrestres: quorum omnium nec finis est nec numerus, vt compertum sit, ne tot regnorum quidem prouentus annuos tot nummi petis suffecisse, præsertim cum diuersis in locis bellum gereretur. Vnde non est mirandum, Hispanum regem grãde æs alienum habere, vt qui solis Genuensibus aliquot auri milliones debeat, desperante Republica illa de solutione in æternũ futura. Quid quod præstantissimos quosdam portus marinos per Europam mercatoribus oppigneratos nouimus? Summa spei & fiduciæ Hispanicę consistit in expectatione Classium Indicarum, quæ vbi vix portum attingunt, adsunt creditorum centuriæ, & dicto citius diripiunt, quidquid est ad rectum auri argentique. Quod si naues Indicas vel tempestate perire, vel ab hostibus intercip contingat, cum Batauos Anglosq; nonnunquam bonam inde partem delibasse satis constet: res Hispanica desperationi proxima est. Nulla autem res sępius exhausit ęrarium Hispaniense, quam bella Inferioris Germaniæ, in quæ, incredibile memoratu est, quantum pecuniæ impenderit, prope sine vllo fructu. Quę si vel composita fuerint, vel per inducias longiores ampliata, crediderim sane, collecturum id denuo vires, & ęstas illas capaciores repletum iri. Sed ne sic quidem multum superfuturum existimamus, cum expensorum in tot regnis ac prouinciis, vbi semper aliquid occurrit, nunquam sit futurus vel modus vel terminus.

ROBVR ET VIRES HISPANORVM.

Sunt quidam, qui existiment, Potentiam Hispanicam diu duraturam non esse, his adducti rationibus. Primo, quod regna & prouinciæ, quibus rex ille imperat, per omnes Orbis partes dispersæ sint, longeque ab inuicem distent. Secundo, quod incredibiles sumtus requirantur ad submittendos subinde milites & nauigia. Tertio quod populi remotiores pertæsi dominationis Hispanicæ, contemta eorum paucitate, memores libertatis, conspirare contra eos possint, eosque exigere ac profligare terris suis. Quarto, quod Prorex aliquis aut Gubernator Hispanus, videns se tot marium terrarumque spacio à rege suo diuulsum, adspirare ipse ad dominationem possit, spretoque principe non amplius se præfectum dicere, sed regem dominumque prouinciæ: securus ab animaduersione tot terrarum interuallo. Sed his postremis ita respondent alij: Hispanum hominem nũquam id ausurum, cum nihil certius sit, deficiente ipso à Principe suo, incolas regionis, qui nihil peius oderunt nomine Iberico, insurrecturos è vestigio in ipsum rebellem, destitutum iam subsidio ex Hispania. Et hęc est causa, quod hactenus nihil tale quid acciderit, nec valde etiam metuendum sit, auctis vbique numero Hispanis.

De rebellione populorum aiunt nihil admodum formidandum esse, quod eos Hispani arcte habeant, & duris lupatis sine fine coherceant, sintque in omnes occasiones, quibus exteri ad insurgendum abuti possent, intentissimi. De diuisione terrarum ac prouinciarum, frustra hoc obiici aiunt: allatis inter alias hac quoque ratione: Magna imperia satis valida esse ad occurrendum externis periculis ruinam minitantibus: Mediocria vero ad resistendum internis. Esse autem in Monarchia Hispanica, quæ in tot mẽbra diuisa sit, vtrumque genus. Magnitudinem in toto corpore è tot partibus composito: Mediocritatem in plerisque membris, quod patet in regnis, Hispanico, Peruano, Mexicano, quæ satis valida sint, & sua mole stare possint. Vnde Dominatio Hispanica vtroque perfruatur bono, quod gignat Magnitudo, & quod Mediocritas: vt tuti esse possint ab exterorum hostium insultibus, & à domesticorum seditionibus.

His addunt, omnia tam vasti corporis membra coniungi vnirique posse beneficio virium marinarum. Sicut enim Augustus Imperator classem quidem vnam habuit Rauennæ in Italia: alteram vero apud Messinam Siciliæ, quibus totius Imperij Romani tutas præstitit prouincias: ita Hispanum regem habere classes præualidas duas: vnam in Mari Mediterraneo; alteram in Oceano, quibus in imperio contineat omnia regna prouinciasque, tam in Europa nostroque orbe, quam in aduerso: quodque tam magno nauium militariter instructarum numero non solum tuta præstare queat loca maritima, per Italiam, Hispaniam, Nouumque Orbem; classesque euntes ac redeuntes deducere: sed & frenum iniicere Anglorum Belgarumque nauibus, ne pro lubitu vltro citroque discurrere possint. Beneficio enim classium in Mari Mediterraneo illum vnire atque coniungere posse omnia sua regna per Europam & Africam: haud secus ac Lusitani viribus suis marinis obtinẽt ac defendunt, quicquid habent in Perside, Cãbaia, aliisq; partib. Orientalibus, quas magna cũ gloria hactenus possederũt vltra nonaginta annos.

Cum hoc caput in deliberationem venisset, reperti sunt quidam magni iudicij, nec minoris experientiæ viri, qui potentię Turcicę magnam habendam esse rationem dixerunt, arbitrantes: si Rex Hispanus, cõtractis immodicis sumtibus, quos in varios casus expendit, thesauros colligeret, eosque in classem centum & quinquagin. ta triremium, aut etiam plurium conuerteret, (quod quidem ipsi non sit futurum difficile) fore, vt Turca, qui hactenus circiter centum triginta triremibus contentus fuit, duplicaturus esset nauium numerum, volens semper Hispanis superior esse: ita futurum, vt rex iste maximam pecunię vim profunderet in vsus nihil profuturos.

Sed mihi quidem consilium hoc nimis videtur subtile ac scrupulosum, compertumq; est, in rebus, quę præsentẽ animum & celerẽ effectum requirunt, nihil magis noxium fuisse nimia subtilitate

tilitate ingeniorum. Nec enim satis est dicere, velle Turcam numero nauium superare Hispanum; sed videndum etiam est, an superior euadere possit, cum neque hominibus rei maritimæ peritis, neque numero nautarum aut Architectorum Hispanum vincat. Si enim Argeriam & Tripolim excipias, totum littus Africanum vix sufficerit alendis duabus triremibus. Idem possum dicere de Ponto Euxino, vbi duo tantum sunt loca maritima alicuius momenti, Caffa (olim Theodosia) in Taurica, & Trapezus. Quid si hoc idem de littoribus Asiæ dicam? Nec enim satis est, possidere prouincias quæ mari alluuntur: sed videndum etiam est, an incolæ prompti sint ad militiam nauticam, ad exercenda mari mercimonia, an supperat materia nauibus fabricandis, an ibi sit copia ferramentorum, funium, telæ; an homines ij per imbecillitatem ferre possint iactationes fluctuum, pericula tempestatum, tædia nauigationis, insuetum aerem victumque. Da mihi vel mediam partem totius Imperij Turcici, quantum ibi est hominum marinorum, & dicam, vix pares eos futuros solis Catalanis, Cantabris, Lusitanis & Genuensibus, quos postremos sciens seruitio Hispani regis adscribo.

Postremo duabus rebus Hispanus, vel omnium Confessione, superior erit Turca. Primo, etsi in Imperio Turcico plures sunt homines: quia tamen magna eorum pars fidem profitetur Christianam, fidere iis non nimium potest, cum pugnandum est in homines eiusdem religionis ac fidei. Deinde, quod loca maritima Hispani propius iuncta sint, quã Turcæ, vnde vires nauticas citius contrahere, & simul in expeditionẽ mittere potest. Adde his, si placet, quod ex historiis colligitur, fere semper exercitus Occidentis victoriam reportasse ab Orientalibus, & Aquilonares à Meridionalibus, Romanos vicisse Carthaginenses, & Græcos homines Asiaticos. Sic Augustus Cæsar habens exercitum Italicum vicit fuditque classem Aegyptiorum: & nostro tempore Christianorum naues fuderunt Classes Turcicas, qui ipsi fassi sunt, nostras triremes suis esse multo meliores, vt semper horruerint cum illis concurrere. Accedit, quoties Carolus V. Imperator classem in mare armatam emisit, Turcam nunquam ausum fuisse, contra in aciẽ progredi, aut belli fortunam cum nostris hominibus experiri. Duxit idem Imperator ad Argeriam Africæ quingentas naues, & ad Tunetem vltra sexcentas: quin & Andreas Auria tanta classe Græciam adortus est, vt sine magno labore ceperit Patras & Coronen oppida. Sed de hoc satis.

Nihil iam dicam de viribus marinis, quas rex iste multis iam annis habuit in Oceano Germanico, dum oppugnat inferioris Germaniæ populos, eosque sub dominationis suæ iugum reducere nititur. Quod si ad Hispanorum robur nauticum Hollandorum, Selandorum, Frisiorumque vires accederent, iure gloriari posset, omnium omnino principum totius Orbis mari se esse potentissimum.

Neque mentionem faciam tot nauiũ omnis generis, quæ incredibili multitudine Hispalim quotidie veniunt: cũ hic appellant integræ classes ab Peruano regno & Noua Hispania: vbi perpetuo exercentur milites in armis & re nautica. Tacebo Boscos Cantabrosue, qui quantũ mari possint, satis notum est. Sunt enim hi fortes pariter milites & præstantes nautæ, qui nec aduersi hostis minas, nec furentis Neptuni metuunt violentiam.

Vt autẽ euidentius pateat, quantũ mari possit rex Hispanorum, videamus quæso ingentẽ apparatum nauiũ, cum rex iste bellũ facere statuisset Reginæ Angliæ & Inferiori Germaniæ, ad annũ Christi MDLXXXVIII. Iusserat autem instrui CCCL vela cũ nauticis ministeriis nouies mille. In hoc numero erant, onerariæ quatuor ab Neapoli, ab Hispali prægrandes naues XXV. totidem à Cantabria, Orcæ Germanicæ XXX: nauigia minora ab Catalania & Valẽtia L. Celoces & Liburnicæ ab littore Hispanico totidem: ab Lusitania naues C. ab littore terrarum Austriæ, Biscaia, reliquæ Hispania triremes XX. ab Neapoli XIV, à Sicilia XII. præter minora nauigia.

In hac classe erant circiter sexaginta millia hominum, tam Hispani, quam Itali & Germani. Et Hispanorum quidẽ erant millia XXV, in quibus erant Legiones veteranæ, euocatæ ex præsidiis Italicarũ Vrbium, & sex millia præsidiariorum, accersita ab Insulis Canariis, ab Indiis & Lusitania. Italorum erant millia XII, Germanorum autem millia XXV. Equitum Hispanorum erant MDC. Ad hanc classem subsidia contulerunt hæ prouinciæ.

Andalusia panis nautici biscocti centupondia duodecies mille.

Malaca & ager vicinus centupondia septies mille quingenta.

Carthagena & Murcia centupondia quinquies mille.

Neapolis & Insulæ Maris Mediterranei centupondiorum millia quindecim.

Hispalis & Extremadura contulerunt carnis salitæ centupondia quater mille.

Gallæci centupondiorum millia VI; Asturia & vicinæ regiones mille.

Rursum Seuillia & Extremadura contribuerunt laridi centupondiorum millia V. Ronda millia II. Gallæcia totidem: Biscaia totidem.

Algerbia suppeditauit salitorum piscium doliola octies mille. Almandraua Ducis vndecies M. Gades quater mille.

Maiorica Insula dedit Casei centupondia bis mille. Senegallia & Extremadura mille. Portugallia centupondiorum millia viginti quinque.

Genua & Valentia subministrauit orizæ centupondiorum millia XIV.

Andalusia & Neapolis cados aceti & olei vicies ter mille. appendit autem Cadus libras V. libra vero vncias XVI.

Carthagena submisit quindecim millia modiorum ciceris, pisorum & fabarum. Neapolis autem

autem cum Sicilia millia modùm XI.

Ab Malaca, Maxouella & Ceresa agroque eorum oppidorum venerũt vini Amphorarum millia XIII: ab Neapoli millia VI, ab Conuentu Hispalensi millia VII.

Frumentum, ferrum, telas lineas, instrumenta nautica aliasque res necessarias suppeditauit Andalusia, Neapolis & Biscaia.

Ad rem tormentariam lecta sunt hominum in vniuersum millia IV & CC, in quo numero fuerunt fossores CD.

8. Postquam marinas Hispanorum regis vires persecuti sumus: videamus iam, quantum possit idem militia terrestri, quæ consistit in peditatu & equitatu.

Et de peditatu quidem ita sentiunt, regem in omnibus suis prouinciis extra Hispaniam meliores pedites non habere quam Wallones, (qui populi olim Atrebates, Morini Neruij dicti fuerunt) Extra Hispaniam dico, quod Hispanorum peditum virtus satis eluxerit in eo, quod patriam in libertatem asseruerunt, excusso Maurorum iugo, profligatisque Saracenis: nec hoc contenti in ipsam quoque Africam traiecerunt, in qua opportunissima loca armis sibi vendicauerunt. Lusitani quoque Mauritania infestata, Guineæ auriferum littus sui iuris fecerunt, cum parte Aethiopiæ qua Cafres habitant: præterea in India Malacam in Chersoneso aurea & Insulas Moluccas. Castulonenses verò transito Oceano Atlantico, Nouum mundum occupauerunt, in quo sunt tot regna amplissima, tot prouinciæ vastissimæ, tot immanes populi, omnes lingua, habitu corporum, moribus immane quantum differentes. Consistit autem prope omnis eorum vis in dexteritate & solertia, cum nulla natio Europæ melius videat, quare in bello iuuari qua impediri possint. Ad hanc adiungunt diligentiam, vt caueant erroribus, ne obliuiscantur aut omittant rei bene gerendæ occasiones, sed omnia in commodum suum vertant. Concordiæ inter se admodum studiosi sunt, vt vix vnquam auditum sit, Hispanos inter se digladiatos fuisse, cum extra patriam essent. Postremo iam olim audiunt famis, sitis, caloris, frigoris, laboris & aduersitatum omnis generis patientissimi, in quo genere omnes alias gentes superare creduntur.

Hac ratione multas victorias obtinuisse leguntur, & si aliquando victi sunt, vicissim etiam sæpe vicerunt. Nec enim semper fauentem experti sunt fortunam, inprimis cum Carolus V. exercitum quinquaginta millium in Prouinciã Galliæ misit, vbi Hispani ita excepti sunt, vt vix decima pars miseriis illis superesset. Nec melius rem egerunt apud Argeriam Africæ. Contra Anglos autem quam infeliciter pugnauerit inuicta illa Classis, quam in superioribus descripsimus, satis notum esse arbitramur.

De peditatu Italico in iis prouinciis, quæ Hispanis subiiciuntur ita sentiunt, posse eum bonam gnauamque operam præstare principi suo in expeditionibus bellicis.

De Equitatu sciendum, optimis Hispanos abundare equis, quibus meliores in vniuersa Europa non inueniantur: cuiusmodi sunt non Hispanici tantum & Lusitanici, sed & Apuli Calabrique, vt & Burgundici ac Flandrici.

Videtur autem Natura his hominibus prospicere voluisse de ferro & armis, apud Cantabros Astures que, vt & apud ferrifodinas Molinenses: nec minus apud Billaum, Tholosettam, Oretanosque, accedentibus officinis ferramentorum in vrbibus, Mediolano, Neapoli, Bosco. duci. De victu prospexit iis natura, per abundantiam granariorum Apuliæ, Siciliæ, Sardinię, Castulonis, Andalusiæ & Artesiæ. De vinis, in multis locis, inprimis in Calabria, ad S. Martinum, Aimontij & alibi.

Solent autem reges illi, ne nimirum exhauriant viris Hispaniam, quibus continuo vtuntur ad tam varias expeditiones, neue patria hominibus viduata inculta maneat, conscribere validas copias exterorum, tam equitum quam peditum, inprimis autem Germanorum & Italorum. Sed defectus argenti (cuius in tot locis necessario quotidiè immanem vim prodigit) multoties in causa est, vt tantos exercitus cogere non valeat, quibus ambitioni ac desiderio suo satisfacere possit, quod est, omnia occupare, omnia possidere.

Alit autem Rex Hispanus in regnis prouinciisque suis, non modicum equitum numerum. Nam & in Hispania tria millia equitum habet: & Mediolani mille quadringentos equites vtriusque armaturæ: in Regno Neapolitano duo millia & centum: & Siculi obligantur submittere armatos equites mille quingentos. Neque vero parui æstimandi sunt Beneficiarij ac Clientes regis, qui Feudorum nomine ipsi in militiam proficisci & equo militare tenentur, vltro & sine stipendiis, si periculum à patria propulsare necesse sit, cum Principum virorumque nobilium, qui huiusmodi beneficiis perfruuntur nõ pauci sint, vt in sola Hispania numerentur Ducatus XXIII, Marchionatus XXXII, Comitatus XLIX, Vicecomitatus II. Archiepiscopatus VII. Episcopatus denique XXXIII.

In Regno Neapolitano & Siculo perhibentur esse Principes XIV. Duces XXV. Marchiones LVII, Comites LIV, Barones postremò CCCCLXXXVIII. Et hæc isto quidem loco sufficiant, ne necesse habeam cæteros persequi.

Propugnacula & loca munitiora in Hispaniæ interioribus perpauca sunt, plura tamen in finibus & littoribus Maris. In confinio Languedociæ Hispani habent Salsas, munitum oppidum, oppositum Lauquetæ Gallorum munimento. Est autem illud oppidum ad Salsas maximi momẽti, tam ratione situs (angustus enim ibi transitus est, ob paludes & stagnantes aquas, quarum exhalatione aër per æstatem pestifera malignitate imbuitur) quã ob munitiones manu factas. Perpennianum in Comitatu Russilienſi, nõ cõtemnendum est oppidum, habens arcem quæ

inter

inter firmissimas Hispaniæ numerari meretur. Barchino satis aduersus assultus munita est. Philippus II, Hispanorum rex cum cognouisset, quantum situm esset in portu Nouæ Carthaginis, iussit vt is exquisito opere muniretur, ne Turcæ illic sibi nidum extruerent. In regno Granatensi plura sunt loca munita quam alibi, quod Mauri in hac parte postremum habitauerint. Arx apud Pompeiopolim cum munitissimis totius Europæ iure computabitur, cui non multum cedit Fuenterabia, ad repellendos hostiles impetus, suique defensionem sufficiens.

Olyssippo Lusitanorum vna est ex optimis totius regni Hispanici, Vlibus. Sunt in hac armamentaria tria, in quibus tantum armorum est, vt inde armari thoracibus possint peditum millia XV. cum non exiguo equitum Cataphractorum numero. Sunt & alia insuper armamentaria ibi pro tormentis igniuomis metallo fusis, inter quæ vna machina est admirandæ longitudinis, globum ferreum torquens centum librarum, facta summo artificio. Erepta est hæc Machina Mauris expugnato oppido Dio in aditu Indiæ.

Assurgit ante Monasterium ad Bellam turris quædam tota aquis circumdata, in qua asseruantur triginta machinæ æneæ, non vt ii sustineatur vis hostium, cum is qui vicinum collem occupauerit, tormentorum ictibus ipsam turrim facile delecturus sit: sed vt seruiat pacis tempore contra hostiles naues appellere volentes, quo etiam fine ad os siue fauces portus munimentum cum vallo excitatum est, quod cum iusto sit angustius, non magni vsus esse potest. In Lusitania haud procul à Tago fluuio est propugnaculum S. Iuliani, opere nouo structum, vt custodiatur transitus amnis eo loco.

Lusitanorum vires paulatim labefactatæ sunt, propter tam longinquas nauigationes & expeditiones, adeo, vt Iohannes III. amiserit oppidum promontorij Aguerini, & Safinum deseruerit, cum Aiamorio & Arcilla oppidis. Et Sebastianus rex profecturus ipse in Africam, ad occupandum regnum Marocanum, vix magno labore potuit colligere duodecim Lusitanorum millia. Idem quoque eueniet Hispaniæ, quæ in singulos propedies fit infirmior; exhausta ciuibus ac inquilinis tam crebris nauigationibus, vt prope soli pueri ac faminæ relinquantur in oppidis, cum quotannis aliquot militum millia, in quibus consistit flos iuuentutis patriæ, regno egrediantur, qui vix redeunt, nisi mutilati membris, aut morbis vel senectute affecti, & ad generandum inepti, vt non solum viduetur regnum viris, sed & pueris, in quibus consistit spes reipublicæ ac posteritatis.

Videntur autem mihi Hispani, dum hoc faciunt, plane alia ac diuersa incrementum potentiamque suam quærere via, quam prisci Romani. Hi enim cum prudenter considerassent, ad illustria facinora & duraturam ad posteros felicitatem nihil æque necessarium esse, ac multitudinem hominum, omni studio in id incumbebant, vt contractis matrimoniis liberos gignerent; augendæque ciuitatis ergo etiam eos qui antea hostes fuerant, in Vrbem recipiebant: vt vna eademque gens eodem die cum Romanis congrederentur armis & eiusdem vrbis ciues fierent. Quin & ipsi Romani ius ciuitatis suæ non tantum exteris vrbibus oppidisque conferebant, sed etiam integris prouinciis. Hac ratione omne prope Imperium suum amplexi sunt, & ad id fastigium adscendit nomen Romanum, vt non tantum auctoritate & robore, sed etiam multitudine omnibus cæteris orbis partibus se opponere audierint, vnde factum est, vt Roma ruere ac euerti non potuerit nisi suis ipsius viribus. Contra Lusitani & Castellani in suis expeditionibus, in quibus propter regionum, quas obtinent, vastam amplitudinem & distantiam plurimis hominibus opus habent, non aliis quam apud se natis vtuntur, cum gentes illæ nequaquam numerosiores sint cæteris per Europam; sed singulis annis earum numerus immiuatur. Et vt Castilienses cum Lusitanis conferamus, illi quidem velut subsidiariis copiis vti possunt Mediolanensibus, Neapolitanis, Siculis, Sardis aliisque gentibus, quibus iam à multis annis imperitant, & quorum perspectam habent fidem & obedientiam, quasi non subacti sed sub eorum dominio nati sint. At Lusitanis talia illa supplementa penitus desunt, sed coguntur, si velint externis suppetiis vti, conductos ære milites ex regione non suspecta, in præsidiis aut finibus regionum collocare.

Hic defectus & penuria hominum in causa fuit, vt tam Hispani quam Lusitani multas maximi momenti expeditiones & consilia omitterent, vtque nonnunquam ea, quæ iam sub manibus habebant, lento pede procederent. Hæc eadem causa est, vt vix ægre hac tempestate defendant Insulas & loca maritima Noui Orbis, Brasiliam, Caput Viride, Guineæ littora, vbi magno labore resistunt Belgarum incursibus, & Piratis Anglis. Taceo iam de mancipiis Aethiopici generis, qui sæpissime concitatis tumultibus in Hispanos insurgunt, in S. Thomæ Insula, Hispaniola & alibi. Quod enim Lusitani his proximis annis quæstuosissimam Insulam Ternatem amiserunt, paucitati hominum adscribendum est.

Habet Hispanus rex è Principibus & Reipublicis potentioribus hos vicinos: Turcam, Gallum & Venetos. Ex his Galliæ rex hoc tempore pacem & amicitiam cum Hispano colit: nisi forte Gallus allegato prisco iure, aliquot prouincias & oppida ab Hispano repetere velit: quæ res vtriusque regni quietem rumpere possit. Sed pone casum, intercedant inter eos inimicitiæ, non est dubium, quin Galli, quorum est ingens multitudo, & animi ad bellum proclines si ab Langedociæ vel Vasconum partibus Hispanos inuadere vellent, ingentem eorum animis sint inie-

iniecturi scrupulum, quibus paucitas sua & regionis vastitas nota est. Neque mihi quis obiiciat, vicissim ab altera parte Galliam ex Picardia inuadi posse, aut à Sabaudia & Allobrogibus. Præterquam enim quod Picardi per se satis validi sunt ad sustinendum exercitum: Hispani, qui Flandriã obtinent, satis habent quod agant, dum se ab Ordinibus Inferioris Germaniæ tueantur, quorum quanta sit potentia non ignorant, vt exercitus quos habent, in alios vsus conuertere non possint, gliscente, vt nunc fit, inter eas partes bello. De Sabaudia nihil metuendum putamus, quod per eam Italorum exercitus per Insubriam aut regnum Neapolitanum conscriptus, inuadere possit Galliam. Nam si vel maxime Allobrogum princeps eos per fines suos transire patiatur, non est tamen dubium, quin solus Prorex Delphinatus copias illas Italicas sit remoraturus, earumque fracturus impetum, quod nuper contigisse recens memoria suggerit, cum Dediguerius Heros id præstitit, Hispanis per Insubriam & Liguriam maxime tumultuantibus.

Iam de Venetis dicendum. Huic Reipublicæ sic satis cum Hispanis conuenit, quandoq; Ducatus Mediolanensis in horum est potestate: & Veneti quidem potius custodiendis iis quę possident, & muniendis finibus, quam acquirendis alienis terris intenti sunt. Cumq; Respublica illa tota pacis artibus dedita sit, nullo cum eius emolumento futura sit tranquillitatis in tumultus cõuersio, in tanta præsertim vicinia. Accedit, quod Hispani Venetos in grauissimis periculis fluctuantes non deseruerunt, gliscente bello cum Baiazete, Solimanno & Selimo II. Turcarum Principibus. Hæc cõsiderãt sine dubio sagacissimi hominum Veneti, quodque Argeria & Tunetense oppidũ in Africa multo propius ab iis absint, quam Cyprus aut Insulæ Ionici Maris. Multum igitur iis proderit vicinia Hispaniæ, Siciliæ, Sardiniæ, Balearum Insularum & regni Neapolitani.

Reliqui per Italiam Principes & Respublicæ, aut sunt Hispanis amici, aut obnoxii, aut imbecilliores, quam vt in eos quidquam tentare possint.

Heluetii, quamuis Burgundiæ Comitatui vicini sint, tanto tamen cum exercitu eum inuadere non poterunt: quod si vel maxime id conentur, inuenient oppida munita ac impedimenta alia, quibus cum colluctari non erit vtile.

De Turca aliisque à quibus Hispanorum regi aliquid damni aut periculi imminere posse videtur, tum dicemus, cum ad eos nos series & ordo instituti nostri vocabit.

FORMA DOMINII HISPANICI.

REges Hispanorum, cum sint potentissimi, natiq; apud gentem regibus suis semper addictissimam, in summa apud suos sunt veneratione & cultu, quæ augetur apud multitudinem, si parcius rariusque in vulgi conspectum prodeant. Possunt enim Reges omnia in suis regni faciuntque sine arbitro, quæcunque placuerint: nec tamen repudiant consiliarios, quorum ductum sequuntur.

Regnum Hispanorum deficiente prole mascula, hæreditate etiam ad fœminas transit, vt regum filiæ patribus succedere, ac Diadema sumere possint. Et hac ratione Principes Austriaci è Germania omnia regna Hispanica adepti sunt, vt suo loco prolixius videbimus.

Dependet à rege nominandi ius (vt vocant) omnium Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Prioratuum, & summa capita ordinum Equestrium, S. Iacobi, Alcantaræ & Calatrauæ. Ipse absolute, & (vt loquuntur) proprio motu de bello & pace decernit constituitq;. Ipsius solius est creare Præsides Curiarum, Senatores, Proreges, Rectores Prouinciarum, Duces belli & Legatos.

Lege tamen hac potestas regia adstringitur, vt magna illa beneficia nulli nisi nato Hispano conferre possit, aut qui Diplomate regio ius ciuitatis Hispanicæ adeptus sit. Suntque Hispani tenacissimi priuilegiorum immunitatumq; suarum, nec immoderatis donationibus ea labefactari patiuntur. Hinc illud natum est Maximiliani Imperatoris dicentis: Se esse Regem Regum, Hispanum autem esse regem hominum: quo dicto innuere voluit: se à Principibus Germanis impetrare nihil posse, nisi quod libenter largirentur: Hispanos autem suo Regi nihil negare, nisi quod per leges patrias, per iura, statuta ac consuetudines largiri ei non possint.

Sunt autem in Hispania multæ Curiæ, siue Senatus, siue denique Consilia, quorum adminiculo rex vtitur in regundis suis regnis prouinciisque. Nos Hispanizantes consilii nomen retinebimus. Sunt autem hęc

Consilium summum Hispaniæ.
Consilium status siue Regale.
Consilium Castiliæ.
Consilium Aragoniæ.
Consilium Italiæ.
Consilium Indiarum.
Consilium Ærarii & Thesaurorum.
Consilium ordinum Equestrium.
Consilium Inquisitionis.
Consilium Bellicum.
Consilium Cameræ.
Consilium expeditionis debitorum.
Consilium Portugallicum.
Consilium Bosqueranum.

Cum his singulis vel pluribus rex communicat de iis rebus quæ ad regni gubernationem & conseruationem status pertinent, & ad amplificationem Monarchiæ Hispanicæ: auditisque omnium sententiis, imperat, vt id executioni mandetur, quod ipse iudicauerit optimum.

Vrbium oppidorumq; præfecturæ committuntur fere nobilibus, non exteris, sed ibi natis, quib. rex tribuit & nomen & auctoritatem Gubernatoris, adiunctis iis certis assessoribus siue consiliariis è ciuium numero creatis. Cum autem

tem tempus Præfecturæ aut Gubernationi præfixum effluxit, inquiritur seuere in Gubernatoris acta, & omnia scripto concepta consilio offeruntur regio. Consilium porro ad regem refert, vt præfectum puniat, si alicuius sceleris, fraudis aut iniustitiæ conuictus fuerit: aut vt inposterum eum ab officiis arceat, si ineptus & negligens deprehendatur: vice versa, si nihil in ipso inuentum fuerit vicii, vt collaudatum ob iustitiam & virtutem ad sublimiora euehat officia, honoribusq; cumulet.

Sunt autem quædam Curiæ aut Tribunalia, ad quæ rex remittit omnia negocia, quæ prius ipsius cognitioni oblata fuerunt, siue viua voce id factum fuerit, siue scripto libello, alterutrum enim fiat oportet ex veteri consuetudine. Nam si quis ipse pro se breuiter loqui velit, suaq; exponere desideria, non negabitur id ei, ita tamen, vt vota sua memoriæ ergo succincto scripto cõprehensa regi exhibeat, qui ea perlegit cũ è publico in cubiculum suũ se confert. Cognito deinde petitionis ingenio, ad vnum è consiliis suis remittit, vt porro de ea cognoscatur: Est autem horum consiliorum primum ac præcipuum cõsilium Status, in quo disceptantur omnia, quæ super gubernatione regnorum prouinciarumq; eius in considerationem venire possunt: itemq; si quid noui aut subiti occurrat, quod authoritatem regiam & Hispanici nominis dignitatẽ cõcernat. Ad hoc consilium admittuntur nonnisi viri illustres, & quorũ nota est prudentia & dexteritas, suntq; oppido pauci numero: eorum stipendium annuum est, bina ducatorum millia.

Adhæret huic consilium Regis siue Regale, in quo disceptantur causæ tangentes vectigalia publica & alimoniam regni. Ad hoc ius est prouocandi ab omnibus reliquis Curiis & Tribunalibus regni Castulonensis, constatque nostro æuo ex his velut mẽbris. Præses primo loco est, natus illustri familia, interdum etiã vnus è proceribus Ecclesiasticis: Consiliarii adiunguntur XII. homines ob sapientiam & rerum vsum ex omnium Consiliariorum reliquorum numero lecti, vt de difficillimis controuersiis iudicare recte possint: ad quam rem vetusto more dies Veneris eligitur. Sunt in horum XII. Senatorum numero tres, quos rex eo honore dignatur, vt consiliarios Cameræ suæ appellet, quibus ius est considerandi atq; expediendi causas Cratiæ, vti loquuntur, quanquam omnia quæ sunt in hoc genere maioris momenti ante ad regem referãtur. Secretarii tres his tribus consiliariis adiuncti sunt, quorum primus & ipse eo honore lætatur, vt Secretarius Cameræ dicatur.

Hoc Consilium vsitato more diebus Saturni haberi solet. Philippus II. rex an. salutis MDLX. legem tulit, vt consilio Regio adiungerentur auditores IV. qui cognoscerent de omnibus causis, quæ prouocatione adhanc curiam afferrentur, à duob. Cancellariis Valadolensi & Granatensi, post confirmatas duas sententias (ita verba habent) cum configuratione mille quingentorum duplonũ auri. Hæc a. vt melius intelligantur sciẽdũ primo est, esse Valladoleti & Granatæ Cancellarios duos, qui non accipiunt cognitionem causarum prioris instantiæ (vt aiunt) nisi eæ pupillos, orphanos, viduas aut alias personas miserabiles cõtingant. Sed si ad eos prouocetur ab inferiore iudice, cognoscunt denuo de causis omnib. Regni Castellani. Quod si eueniat, vt sententia Cancellarii cõformis sit sententiæ primi iudicis, qui se læsum arbitratur, potest denuo prouocare ad Cancellariam eampse, quæ de suo corpore constituit alium auditorem. Qui si cum duobus illis conformiter iudicet, iam decisa lis est: nec licet ad alium porro prouocare, nisi controuersia summam quatuor milliũ ducatorum excedat: tunc enim qui litigat, solum regem appellare potest, ita tamen, vt de mille quingentis duplonib. satisdationem aut sponsores præstet. Valent autem singuli duplones denis quaternis nummis regalibus.

Solebant antea reges causas illas vni ex consiliis suis diiudicandas committere. Cum autem litigiis ac controuersiis ea obruerentur, vt nullus finis futurus esse videretur in causis prouocationum, litibus futuris immortalibus: Bonum factum visum est, quatuor illos auditores adiungere, qui in solis disceptandis causis appellationum occuparentur. Quod si accideret, vt in postrema prouocatione duæ priores sententiæ iudicis & Cancellarii adprobarentur, is qui male appellauerat, multabatur mille quingentis illis duplonib. depositis, qui hoc modo diuidebantur. Quingenti inferebantur in ærarium regis: Totidem numerabantur parti aduersæ, quæ iudicio vicerat: Quingenti deniq; qui restabant, cedebant iudicibus, quibus facta fuerat iniuria, quod à iusta & sana eorum sententia male prouocatum fuisset.

Sunt autem hæc illius Cancellariæ membra. Præses vnus, Auditores XVI. Iudices in causis criminalibus IV. Procurator Fisci, Relator, Secretarius, Scribæ, alia ministeria. His insuper adduntur duo Iudices Nobiles.

CONSILIVM CASTILIÆ.

Præsidet huic Consilio Præses vnus, qui quot annis stipendii nomine percipit MDCIV. Ducatos aureos, Solidos XXVI.

Consiliarii siue Senatores XV. quorum vnusquisq; accipit DCCCII. ducatos.

Procuratores Fisci IV. qui singuli capiunt ducatos DCCCII. solidos XIII.

Enarratores controuersiarum, siue Relatores IV. quibus singulis numerantur ducati annui CC. solidi XXIX.

A Secretis VI. quorũ quisq; percipit LXXV. millia Marauedarum.

Commissarius taxæ litium, cui numerantur CCXCIX. ducati, solidi XXV.

Custos rationum, libellorum, & sigilli prouisionum habet ducatos DXXXIV. annuos & solidos XLII.

Est & ibi vir aliquis Illustris, Princeps Status, velut Inquisitor aut Proprietarius.

Qui

Qui accipit impensa Iustitiæ, cum suo Secretario, habet annua millia XXX. Maraued.

Qui recipit multas pecuniarias irrogatas obtinet ducatorum MDCIX. solidos XXXIV.

Portarii XII. vnoquoq; accipiente XXX. millia Maraued.

Numerator siue diribitor, cum Commissario suo, quib. numerantur CD. millia Maraued.

CONSILIVM SIVE CVRIA ARAGONICA.

Præses siue Vice-Cancellarius vnus, cuius salarium est, ducatorum III. millia.

Regentes V. quorum quisq; percipit ducatos mille.

Duo Relatores siue Expositores causarum, quorum cuiq; numerantur ducati CCC.

Aduocatus Fisci Regii percipit ducatos mille.

Præfectus ærarii Generalis ducatorum millia III.

Legatus eius accipit ducatos DC.

Quatuor Commissarii Præfecti Ærarii, singulis accipientibus ducatos centenos.

Præfectus libellorum rationalium percipit ducatos DC.

Legato eius numerantur ducati C.

Quaternis Commissariis rationum soluuntur ducati centeni.

Pro scriptore Apocharum & Syngraphorum ducati C.

Quaternis ianitoribus dantur octogeni ducati annui.

Ostiario Curiæ ducati L.

Protonotario DCCC. ducati.

Eius substituto D.

Magistro computorum & rationum ducatorum millia II.

Subpræfecto rationum ducati DC.

Sex Commissarii computorum, cuiq; ducati dantur centum.

Tres Secretarii, quorum vnusquisq; accipit ducatos D.

Sedecim Scribæ Mandatorum, cuiq; soluuntur ducati annui XII.

Quatuor Scribæ Petitionum, cuiq; soluuntur ducati annui CL.

Duo Tabelliones, qui sigillum seruant, cuiq; ducati CL.

Alii sedecim Scribæ rationum, quolibet percipiente ducatos C.

Obsignatori diplomatum dantur ducati L.

Cursori vni cum duobus seruis soluuntur ducati D.

Dissignatores hospiciûm XXV. quorum quilibet accipit ducatos C.

Sexaginta ordinarii de domo Aragonica, cuique dantur ducati duceni.

CONSILIVM SIVE CVRIA ITALICA.

Præses huius Consilii quotannis accipit ducatorum millia II.

Sex Regentes, quorum singulis numerantur ducati mille.

Sex alii Regentes, quorum tres sunt Hispani, tres Itali, quæq; prouincia suos habente.

Secretarius Consilii Italici, duo millia ducatorum accipit.

Præfectus Fisci ducatos mille.

Duo Enarratores causarum, quilibet habet ducatos annuos D.

Magnus officialis cum quinq; sociis suis siue Commissariis, quorum quilibet percipit M.

Ianitores III, quolibet accipente ducatos annuos XXVI.

Ius sigilli in hoc Consilio spectat ad regem.

CONSILIVM SIVE CVRIA INDICA.

Præsidi huius Curiæ numerantur quotannis ducati MMDCLXXIII.

Octo Consiliariis, vnicuique ducati MCCC XXXVI. regales IX. Maraued. XXVI.

Duobus Procuratoribus Fisci, tantundem singulis.

Duobus causarum enarratorib. singulis CCLXVII. ducati, regales IV.

Duobus Secretariis, singulis tantundem.

Duobus Secretariorum substitutis, cuiq; ducati CXXXIII. regales IX.

Duobus Ostiariis Curiæ ducati DC. regales X.

Regestorum & rationum præfecto CCLXVII. ducati, regales IV.

Custodi Sigilli Curiæ soluuntur quotannis ducati CCLXVIII. regales IV.

Præfecto expensarum sumtuumque ducati DXXXIV. regales VIII.

Receptori multarum irrogatarum, & facienti sumtus iustitiæ tantundem.

Secretario qui expedit literas prouisionum tantundem.

VICEREGES ET AVDIENTIAE SIVE Tribunalia quæ habentur in Indiis.

Prorex Nouæ Hispaniæ.

Prorex regni Peruani, hic Illustri genere natus percipit quotannis ducatorum millia XII.

Audientia siue Tribunal Nouæ Hispaniæ in vrbe Mexico.

Audientia siue Tribunal Gattimalæ.

Tribunal in ciuitate Regum.

Tribunal ad S. Franciscum Quitensem.

Tribunal Noui Regni Granatensis.

Audientia siue Curia apud Insulas Philippinas.

Curia in ciuitate S. Dominici in Hispaniola Insula.

CONSILIVM SIVE CVRIA ÆRARII ET QVÆSTVRÆ.

Præses curiæ accipit quotannis ducatorum millia VI.

Auditor Rationum & computi ducatos CCLXVII. regales IV.

Quatuor Consiliarii, singuli accipiunt tantundem.

Præfectus Aerarii, Secretarius, Procurator Fisci, quisq; accipit tantundem.

Quatuor ostiarii siue apparitores idem accipiunt.

CONSILIVM SIVE CVRIA ORDINVM.

Huius Curiæ præsidi quotannis soluuntur MDCIV.ducati,regales II.

Quatuor consiliariis, vnicuique DCCCII. ducati, regalis I. Apud hoc consilium siue Tribunal expediuntur litteræ & diplomata Ordinum S.Iacobi,Calatrauæ,Alcantarę,&disceptãtur lites atque controuersiæ, ortæ inter Equites dictorum ordinum.

Præfecto Fisci DCCCII.ducati, regalis I.

Aduocato Fisci, Aduocato ordinis Calatrauæ,Aduocato Alcantaræ, singulis tantundem.

Procuratori Fisci ducati LXXX. Solidi III.

Enarratori controuersiarum siue Relatori CCLXVII.ducati,regales IV.

Præfecto Fisci ordinis S.IacobiCLX.ducati, regalis I.& dimidius.

Secretario consilii de Alcantara tantundem.

Conseruatori sigilli ordinis S. Iacobi CVI. ducati, regales II.

Conseruatori sigilli ordinis Calatrauæ ducati LXXX.solidi III.

Custodi Codicum rationariorum dictorum ordinum ducati CXXX. solidi XXXVIII.

Ei qui litteras,diplomata, Apographas in Ordinum Curia expeditas Regi offert, vt ab eo cõfirmentur, numerantur quotannis ducati CCLXVII. regales IV.

Horum ordinum omnium supremum caput & magnus Magister est ipse Hispanorum rex, in primis autem ordinis S.Iacobi: pro quo ordine, si quid litteris publicis consignatur, rex post Titulos vsitatos in fine addere solet hæc verba: *Et Administrator perpetuus ordinis S. Iacobi.*

CONSILIVM SIVE CVRIA INQVISITIONIS.

Archiepiscopus Toletanus iam ab antiquo gaudet titulo Inquisitoris Generalis, vtque ipse huic consilio præsideat, percipit quotannis MDCIV.ducatos,regales IV.

Sex eum sequũtur Inquisitores,quorum cuique numerantur annui DCCCI. ducati, regal. XII.

Præfecto Fisci Inquisitorii tantundem.

Secretario inquisitionis CCLXVII. ducati, regales IV.Necesse est autem, vt hic Secretarius non aliunde quam è regno Castiliæ oriundus sit.

Alii Secretario è regno Arragoniæ numerantur ducati annui CCLXVII. regales IV.

Enarratori causarum & controuersiarum tantundem.

Iudici Inquisitionis præcipuo DCCCII.ducati,regales nummi II.

Procuratori multarum irrogatarum totidem.

Sunt autem per omnia Hispaniæ regna Familiares,id est,speculatores, captatores,delatores, proditores.

Turba grauis paci placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitauit opes,

qui id vnice &summo studio agunt, vt suspectos de religione peruestigent, prodant & accusent, circiter vicies Mille, quorum quiuis mercedis nomine accipit ducatos DCCC.reales II. Et tanti constat hoc officium.

Præfecto Fisci Inquisitionis Secretæ DCCC II.ducati soluuntur,& solidi XIII.

Duobus Curiæ ostiariis siue Apparitoribus, singulis XXX.millia Marauedarum.

Sollicitatori expeditionum tantundem.

Consilium Inquisitionis Toletanæ.

Habet hoc Inquisitores VI. Secretarios II. Præfectum Fisci I. Ostiarios II.

Accusatores autem siue Delatores vltra centum.

Oppidorum nomina, in quibus habetur Inquisitio.

Granata. Hispalis. Murgis. Cuenca. Logronum.Clarena.Gallicia.Vallis Oleti.

Cancellariæ siue Grammatophylacia Hispaniæ.

Apud vallem oleti Cancellaria, & supremi Curiæ.

Apud vrbem Granatam Cancellaria &supremi Curiæ.

Apud Hispalim seu Seuiliam,regens, audientia & supremi Curiæ.

Regni Galleciæ audientia & supremi Curiæ.

Regni Nauarreni Cancellaria,&supremi Curiæ.

Magistri rationum & computorum in magno rationario regio.

Magistri computorum quatuor,quorum vnicuique soluuntur quotannis CCC. millia Maraued.

Præfecto Fisci tantundem,Enarratori siue Relatori tantundem.

Quatuor Arrienibus siue Ianitoribus, cuiq; XV.millia Maraued.

Triginta computatoribus & subductoribus rationum ordinariis,cuiq; ducati DCCC.

Aliis duobus præfectis Fisci, CCC. millia Maraued.

Scribarum principi, Scribæ cruciatæ, computatori cruciatæ,cuiq; CCC. millia Maraued.

Receptori pecuniarum ad Fiscũ CCLXVII. ducati,regales IV.

Duodecim rationum subductoribus nominatis,singulis CXXX.ducati,regales VII.

CONSILIVM SIVE CVRIA BELLI.

Præsidi vni, & quatuor Auditoribus numerantur annui ducati CXX.regales VIII.XII. Maraued.

Secretario Bellico tantundem.

Duo-

Duobus Officiariis Curiæ Bellicæ, cuique CXXXIII. ducati XXXVIII. solidi.

Duobus Atriensibus, singulis LXXX. ducati, III. solidi, denarii numi VI.

Enarratori controuersiarum ducati CVI. solidi LII. denarii nummi VI.

In hac Curia siue Consilia omnia ea tractantur negotia, quæ bellum tangunt, siue defendēdæ sint prouinciæ regis, siue inuadendæ alienæ; bello tam terrestri quam nauali: nec non de muniendis finibus, cōferenda alimonia in vsus militiæ, parandis expediendisq; armis, rē tormentaria; per omnia regna & terras quam late patet dominatio Hispanica.

CONSILIVM CAMORÆ, SIVE GRATIARVM.

Habet hæc Curia tres Auditores; quorum quisque prouentus annuos percipit CCLXVI. ducatorum, regalium nummorum IV.

Magnus officialis Secreti Consilii V. millia Marau.

Atrienses siue Ianitores duo, quorum quisq; accipit XXX. millia Marau.

Explicator controuersiarum causarumque ducatos CVI. solidos LII.

In hac Curia assignantur præmia iis, qui recte præfuerunt officiis suis: fit gratia vitæ iis, qui ad mortem condemnati sunt: reuocantur ab exilio proscripti: restituuntur libertati damnati ad metallum vel remum: expediuntur litteræ confirmantes dona & beneficia regis, cuiuscunq; generis ea sint.

CONSILIVM EXCVSSIONIS DEBITORVM.

Constat hoc Præside vno, Auditoribus tribus, Secretario vno. His non numerantur stipēdia, cum ipsa Curia hoc fine instituta sit, vt debita & æs alienum regis dissoluantur: fitq; huius Curiæ prouidentia, vt debita illa immania, quib. Carolus V. Imperator Hispaniæ regna onerauit, quotidie imminuantur.

CONSILIVM SYLVARVM REGIARVM.

Constat & hoc Præside vno, auditoribus duobus, Secretario vno, Ianitoribus duobus: pertractanturque in eo quæ ad incolumitatem Syluarum regiarum pertinent, ne quid damni iis inferatur: cui rei præter eos quos diximus, & alii dāt operam, qui quocunque pacto seruitiorum ratione eo nomine obligantur.

CONSILIVM VEL CVRIA PORTVGALLIÆ.

Habet hæc Præsidem vnum, Auditores quatuor, Secretarium vnum, Ianitores duos, Præfectum vnum Fisci. Magnus est huius Curiæ vsus, latus magna. De hoc regno multi libri scripti sunt; qui publice extant; & nos post dicemus plura.

Proreges & proprincipes, quos rex Hispanorum hinc inde constituit.

Prorex Neapolitanus.
Prorex Siciliæ.
Prorex Nauarræ.
Prorex Lusitaniæ.
Prorex Aragoniæ.
Gubernator Valentiæ.
Gubernator Cerdennæ.
Gubernator Mediolani.
Gubernator Insularum Balearicarum.

NOMINA PRINCIPVM ET RERVMPUBLICARVM EXTERARVM, APVD QVOS HISPANVS REX PERPETVO SVOS LEGATOS SIVE ORATORES HABET.

Romanus Pontifex, Imperator Rom. Rex Galliæ, Rex Angliæ, Rex Maroci in Africa, Dux Sabaudiæ, Respublica Veneta, Respublica Genuensis, Heluetii.

Computus stipendiorum, quæ Rex Hispanus aulicis suis ministris quotannis persoluere solet.

Magno Aulæ Regiæ Magistro tria ducatorum millia annua.

Quatuor inferioribus Aulæ Magistris, cuiq; ducatos MD.

Nobilibus Aulicis XXX. qui inseruiunt, cuilibet quotidie regales nummos VIII.

Nobilib. domus Regiæ XXIV. cuilibet quotidie regales nummos VI.

Decem Nobilibus regis Cubicul. cuilibet duodecim regales, qui valent scutatum vnum.

Horum substitutis velut sub-cubicul. cuique VI. regales per diem.

Tribus caparis siue vestimentariis, quibus supellex regia commissa, senos regales diurnos.

Quaternis Cimeliorum & Mundi custodib. primo in dies, regales XI. cæteris IV.

Quinq; structorib. Panariis siue Artocopis, singulis quaternos regales diurnos.

Quatuor pincernis siue ab Oenophoris, primo regales IV. reliquis II.

Totidem Salsamentariis culinæ inseruientibus, primis duobus IV. postremis II. regales.

Tribus custodibus repotiorum, singulis II. regales diurnos.

Duobus pueris Culinæ seruientibus, singulis singulos regales.

Archimagiro & eius primo seruo, regales IV. cæteris II.

Custodi cultellorum, singulis diebus regales binos.

Coquo qui Magistro Aulæ sigillatim seruit, regales III.

Ianitori Culinæ eiusque seruo, regales II.

Præcipuo Plumario, eius ministro & quatuor pueris CCCC. ducatos per annum.

Præfecto stragulæ vestis & aulæorum regiorum, quaternos regales diurnos.

Seruis atque ab operibus eius quinis, singulis regales diurnos binos.

Præfecto Fabrûm ferrariorum, tres regales per diem.

Tribus eius operis seruisue regales diurnos binos.

Duobus Medicis à cubiculo regiæ Maiestatis, cuiq; CCC. ducatos singulis annis.

Medico domestico tantundem quotannis.

Chirurgo Regio, quatuor regales nummos quotidie.

Duobus Tonsoribus regii corporis, quaternos regales diurnos.

Horum seruo secundario regales nummos III.

Duobus Pharmacopœis, tantundem singulis. Seruis eorum regales II.

Vestimentario singulis annis ducatos L. Caligario totidem.

Calceario siue Sutori annuos ducatos L.

Aurifici ducatos annuos XL.

Phrygioni & Acupictori ducatos quinquaginta.

Pellioni tantundem.

Sarcinatrici vel Netrici ducatos annuos XL.

Lotrici linteaminum totidem.

Duobus Ianitoribus siue Atrien sibus Palatii, cuiq; quaternos regales diurnos.

Serarum custodi sesquiregalem diurnum.

Duobus Ostiariis cubiculi regii, regales quotidie IV.

Septem Ianitoribus Cœnaculi & Cubiculi regii, ternos regales quotidie.

Præter hos sunt LXVII. Camerarum ac Cubilium custodes, quorum vnusquisque annuos percipit ducatos quinquagenos ternos, solidos senos.

Portarii insuper duodecim ad Seras catenatas Palatii, qui perpetuo ad portam sunt, quorũ quilibet accipit LXIX. ducatos annuos, solidos vero IX.

OFFICIA AVLÆ RELIQVA.

Legato Magni Aulæ Magistri soluũtur quotannis ducati CCLXVII. regales IV.

Et qui subducit rationes & suppeditat sumtus venatoribus tantundem.

Magno Promo-Condo, tantundem singulis annis.

Præfecto rei Balliſtariæ LIII. ducati XXV. Maraued.

Chirurgiæ Magistro ducati LXVI. solidi XLVI.

Artifici qui fila ducit aurea ducati XL. solidus I.

Chirothecarum artifici ducati XXXII. solidi IV.

Magistro Sphæristerii siue Pilæ ducati XXIX. solidi XII.

Politori armorum ducati XVI. solidi II. nummi VI.

Artifici balliſtarum & catapultarum tantundem.

Mulionibus de domo regia, nempe Mulionum magistro & sex eius seruis, singulis annis ducati DCCCII. solidi VII. nummuli VI.

Magistro tripudiorum & Chorearum, eiusque sociis octo, vnicuique soluuntur ducati DXXXIV. solidi XLI.

MILITES PRAETORIANI ET STIPATORES CORPORIS REGII.

EBVRGVNDIS.

Centurio stipatorum corporis regii Burgundionum ducatos annuos accipit mille.

Legatus eius siue subcenturio ducatos D.

Signifer ducatos accipit CCCC.

Centum sagittariis Burgundis, omnibus nobilibus prognatis familiis, numerantur quaterni regales nummi, singulis in diem. Tubicini totidem.

Sacellano tres regales in singulos dies.

E GERMANIS.

Capitaneo Custodum corporis regii Germanorum dantur ducati annui mille.

Legato siue subcenturioni eius CCC.

Præfecto vigilum custodiæ Germanicæ ducati CC.

Duobus Tympanistis iunctim ducati CXXX. Tibicini ducati LX.

Centum Germanis militibus, vnicuiq; duo regales diurni.

Sacellano tres regales in singulos dies. Chirurgo X. millia Maraued. per annum.

EX HISPANIS.

Centurioni stipatorum regiorum Hispanorum soluuntur mille ducati annui.

Subcenturioni eius D. Coactori agminis CC.

Duobus Tympanistis iunctim CXXX. ducati. Auletæ LXII.

Quatuor Decurionibus terni regales diurni.

Centum peditibus Hispanis, bini regales per singulos dies.

Sacellano totidem: Medico quatuor: Tonsori vnus.

Stipatores corporis regii equites.

Sunt hi omnino sexaginta Hispani, equo merentes stipendia in Prætorio, quibus numerantur, terni regales diurni singulis. Totidem cuiq; Tubicinum: sunt autem duo.

Dissignatores diuersoriorum X. qui stipendia percipiunt, vbicunq; Regis aula est, siue Valladoleti, siue Madriti, siue deniq; alibi. Adscendit autem stipendium eorum supra CXXXIII. ducatos annuos.

Quadraginta Commonstratores Viarum, quo-

quorum quiuis percipit XXX. millia Maraued.

Præter hos sunt CCC. Nobiles ordinarii de domo Regia, quorum quiuis annui stipendii nomine accipit XL. millia Maraued.

Illis enim, qui per vices quaternas seruiunt, numerantur octogeni ducati annui.

Nobiles sacri Cubiculi Regii.

Horum duci siue Capitaneo legitimo dantur annuatim ducati DCCC. regales XI.

Legato eius siue subcenturioni CL. millia Maraued.

Vexillifero CCLXVII. ducati, regales II. Maraued. V.

Ei qui signum maius præfert, XXX. mil. Maraued.

Duobus Tubicinibus illius turmæ, cuique quatuor regales diurni.

Centum Nobilibus custodibus sacri cubiculi, seni regales diurni, cum alta pax est. Cæterum Rege in militiam proficiscente, aut ad Ludos aut festiuitatem aliquam publicam, regales iis numerantur duodeni.

Sacellano bini regales diurni.

Quæstori & solutori stipendiorum quaterni.

VENATIONIS MINISTRI.

Est hoc genus Venatorum regiorum magnæ per Hispaniam existimationis, cum plerique sint Equestris ordinis aut Nobilibus prognati familiis. Numerus eorum ad quinquaginta accedit, inter quos viginti gerunt custodiam cubiculi Reginæ & liberorum regiorum, nixi antiquissimo priuilegio: vnde eos Hispani sua lingua nominant *Monteros de Garda*. Plerique oriundi sunt ex veteri Castilia, è montanis circa Burgensem vrbem, percipitque quilibet eorum quotannis DCCC. ducatos.

Accedunt his XIX. nobiles adolescentes cũ Moderatore suo, & bis mille ducatis annuis.

Moderatori illius substituto siue Commissario soluuntur ducati C.

Magistro studiorum illorum Nobilium puerorum ducati CC.

Sacellano LXXX. Præfecto Culinæ LX. Precentori, Magistro Musicæ, quidem quoque est Chorearum ludorumq; institutor LXXX. ducati annui.

Magistro Equiriorum, qui eos equos artificiose in gyrum agere docet, ducati XL.

Magistro artis Gladiatoriæ, ducati dantur annui L.

SACELLVM SIVE LARARIVM REGIVM.

Magnus Aræ Sacellanus, siue Præfectus Sacrorum accipit annuos bis mille ducatos.

Magnus Eleemosynarius Regius, ducatos mille.

Oratorii Præfectus, quaternos regales nummos in diem.

Quatuor Sacellani, ferentes habitum S. Iacobi singuli CCCXLVII. ducatos annuos.

Duo Sacellani ordinis de Alcantara idem accipiunt.

Duo alii Sacellani ordinis de Calatraua tantundem.

Viginti quatuor Sacellanis, qui sacris operãtur aut ministrant in delubro, dantur singulis CXXXIII. ducati annui.

Magno Adytorum Magistro ducati annui CCCC. solidi LVIII.

Quatuor ministris Aditorum, duobusq; Ædituis, vnicuique singulis diebus tres regales nummi.

CHORVS MVSICORVM REGIORVM.

Præfecto summo Musicæ numerantur annui ducati CCLXVII. regales IV.

Magistro Symphoniaco Sacelli L. millia Maraued.

Duodecim pueris in Choro concinentibus ducati CXXXIII. solidi VIII. quod aurum accipit magister eorum & institutor.

Quadraginta quinque Cantoribus Lararii, cuiq; quatuor regales in diem.

Musico, qui in concentu profundam vocem præstat, tantundem.

Præceptori qui pueros in choro cantaturos in lingua latina instruit, tantundem.

Magistro Organi Musici, & ei qui pueros in notis harmonicis instituit, idem.

Dissignatori Musicæ in Sacello ducati CVI. solidi II.

Hierophylaci Oratorii XXX. millia Maraued.

Hierophylaci Sacelli, tantundem.

Qui organa pneumatica & cætera Instrumẽta Musica ad Harmoniam concinnare nouit, ducati CXXXIII. solidi XXXVIII.

Magni Eleemosynarii Commissario, ducati XL. solidus I. nummuli IX.

Duobus seruis, qui tibias Organorum follibus inflant, cuiq; XV. millia Maraued.

Sex Musicis qui Pentachordis, arcu setaceo fidibus tactis, ludunt dantur in singulos dies regales quatuor. Duob. cornicinibus tantundem.

SACELLANI QVI NON MINISTRANT IN AVLA.

Sunt & alii Hierophantæ siue Sacellani, qui extra Aulã regiã versantur, & tamẽ stipẽdia inde percipiunt, numero quadraginta, cum vnicuiq; numerentur ducati LXXX. solidi III. nummuli VI.

STABVLVM ET HIPPOCOMIA REGIA.

Magno stabuli Regii Præfecto soluũtur quotannis ducatorum duo millia.

Quinque minoribus Præfectis Equorum regiorum, singulis C. millia Maraued. siue ducati CCLXVII. regales IV.

Quatuor equorum subactoribus & instructoribus, singulis tantundem.

Fecialì seu caduceatori L. mille Marau. per an.

Dissignatori stabuli regii tantundem.

Adiuncto siue socio eius, XXX. millia Maraued.

Aliis dissignatoris sociis, cuique tantundem.

Tabellario siue internunció stabuli regii XX. millia Maraued.

Quinis aliis Tabellariis, idē stipendium annuum.

Politori armorum & instrumentorum stabuli, LX. millia Maraued.

Eius in hoc labore socio, tantundem.

Magno Hippocomiæ ac Equorum regiorum Curatori, L. millia Maraued.

Quatuor eius sociis & ministris, singulis XV. millia Maraued.

Quatuor seruis, qui equis præbent pabulum, cuiq; XV. millia Maraued.

Rationali præfecto Equitii L. millia Maraued.

Custodi armorum prophylacticorum XX. millia Maraued.

Duobus Ephippiorum seu Sellarum artificibus, cuiq; XX. millia Maraued.

Stratori equorum tantundem.

Custodi Ephippiorum, frenorum, corrigiarum XX. millia Maraued.

Seruo huius custodis, vel potius socio, tantundem.

Pilentorum & Lecticarum artifici, XX. millia Maraued.

Qui Pilentorum & Cisiorum curam custodiamq; gerit, tantundem.

Deauratori & Plumario, cuique tantundem.

Tabernæ institoriæ Magistro XV. millia Maraued.

Argentario XX. millia Maraued.

Aquario IV. millia Maraued.

Quatuor fabris, singulis tantundem.

Sclopetario XV. millia Maraued.

Fabro armorum, XXX. millia.

Fabro curruum siue Carpentario XX. millia Maraued.

Commissario, qui rationem exigit fabricarum, tantundem.

Ei qui sclopetum seu bombardam minorem regi præfert, XLV. millia Maraued.

Octoginta pueris siue seruulis in stabulo, singulis duos regales & dimidium vnoquoque die.

Habet rex vsitato more Pilenta siue currus tectos XXIV. numerantur q; vnicuiq; aurigæ regales diurni quatuor.

Itemque Lecticas siue currus pensiles sex, & ad vnam quamq; mulas duas cum duobus seruis, quorum seruorum merces diurna est regalium nummorum trium.

Præterea sex Carpentā in vsus varios Hippocomiæ regiæ, vnicuique carpento adiuncti sunt seruuli duo, quibus terni regales diurni numerantur.

MVLIONVM REGIORVM COLLEGIVM.

Primus mulionū mularumq; magister quotannis accipit ducatos CCCC.

Proximus ab eo ducatos C.

Sunt autem mulæ fere quinquaginta, quarū singularum singuli seruuli curam gerūt acceptis tribus regalibus in dimensum diurnum.

Curator fabricarum percipit annua XV. millia Maraued.

Habet rex in seruitio suo tredecim Cursores, quibus præter amictum & calceamēta, quæ rex suppeditat, numerantur terni regales diurni.

Qui regem peregre proficiscentem sequuntur, tantundem accipiunt.

Octodecim Symphoniacis, qui ludunt Instrumentis Musicis, singulis regales IV.

Duodecim Tubicinibus soluitur idem stipendium.

MVNIA ECCLESIASTICA.

Prædicatori siue Concionatori numerantur annua LX. millia Marau.

Auditori Confessionis Secretæ regis ducati DCCCII. regalis vnus cum dimidio.

Concionatori alii qui particularis dicitur LX. millia Marau.

AVCVPII REGII MINISTRI.

Præfecto Aucupii, proipso & eius sociis CC LX. millia Marau.

Proximo ab hoc cum duobus aliis CII. millia Marau.

Quatuor aliis Aucupib. singulis C. mill. Maraued.

Aliis quatuor LXXX. millia. postremis quatuor LX. millia.

Decem venatoribus, qui aues aquaticas capiant XV. millia Maraued.

Magistro Falconariæ siue rei Accipitrariæ. C. millia Marau.

Præfecto instrumentorum venatoriorum L. mill. Mar.

Fabro instrumentorum venaticorum II. mill. Maraued.

Quatuor seruis qui curam gerunt canum vestigatorum XXX. mille Maraued.

Quatuor seruis qui curam gerunt canum vel locium tantundem singulis.

Quatuor aliis qui canes illos nutriunt eruditunt q;. XX. millia Maraued.

Duobus Vertagorum & Molossorum custodibus XXIV. millia Mara.

Iam ab his ad cæteras Gubernationis regnorum & prouinciarum partes nos conuertemus. Est igitur apud Hispalim vrbem regens vnus, & Auditores quatuor, qui ius dicunt ciuibus illius vrbis, & ad quos deferuntur controuersiæ. Idem fit in regno Nauarreno. Apud Gallœcos sedes est siue tribunal cum Præside vno. In Aragonia tribunal, cui præest regens vnus cum suis consiliariis.

Valen-

Valenciæ regnum eodem modo regitur, vt & Catalonia.

Cum autem receptis regnis prouinciisq; Hispaniæ, quas possederant Mauri & Saraceni, necessarium videretur, continere in officio nouellos Christianos, qui nuper Baptismum receperant, & cauere, ne ad pristinam Idololatriam siue superstitiones relaberentur; cæptum est cogitari de Inquisitione, cuius seueritate recidiuæ à fide Christiana obuiari posset. Quanquam autem consilium istud ab initio malum non fuerit, idem tamen ei accidit quod aliis multis bonis constitutionibus, vt in immanes abusus degenerarent, & fieret officina crudelitatis & sæuitiæ, cuius rei innumera in historiarum monumentis extant exempla. Porro ipsius Inquisitionis caput est Inquisitor Generalis, qui de more nunquam aut raro discedit ab aula regia. Adiuncti sunt huic Consiliarii Ecclesiastici IV. vitæ & eruditionis probatæ. Cognoscuntur in hac Curia siue Senatu causæ Religionis & Hæreticorum, & mittuntur in cæteras regni partes Inquisitores speciales, qui sedes suas ibi habent, nempe Seuilliæ, Cordubæ, Legioni, Granatæ, Murciæ, Toleti, Valladoleti, in Gallœcia, Aragonia, Valentia & Catalonia.

Sequuntur autem Regiã perpetuo quatuor Iudices, qui cognoscunt controuersias tam in causis ciuilibus quam criminalibus, extenditurque iurisdictio eorum per quinque milliaria Hispanica, circum id oppidum vbi aula regis est, quin & per totum regnum, si id sigillatim iis demandetur. Magna est horum per Hispaniam auctoritas, in primis in criminalibus, cum facinorosos magna seueritate puniant: neq; cuiquam datur ab eis ad superius tribunal prouocatio. Sunt in eadem Curia circiter triginta Apparitores, & Scribæ Causarum capitalium complures, quibus diuersa adsignata sunt loca, vt & diuersi sunt carceres.

Est apud Hispanorum reges in more positum, vt bene de se meritos milites, qui durante bello fortiter fecerunt, quiue confracti aut mutili mẽbris viui tamen euaserunt, singularibus ob virtutem afficiant prẽmiis beneficiisque transeunte beneficio etiam ad posteros ac hæredes, si ipsi dum eo perfruuntur, moriantur. Nec est vllum ad fortitudinem & fidem in bello præstandam calcar efficacius, quam cum sua virtutem manẽt præmia: vt contra timidos ignauosq; efficit, aut saltim remissos bellatores, vbi perinde est, siue fortiter siue ignaue facias, & si negligãtur ii, qui cæteris plura ediderunt virtutis specimina: quã rem apud multas gentes nõ obseruari videmus. Sunt præterea dignitates nonnullæ per Hispaniã & officia hæreditaria quæ paulo post recitabimus: vt & Principes ac Proceres nõnulli primẽ notæ, quos Hispani *Grandes Titulos* appellant, quorum præcipui hi sunt, qui sequuntur.

Familia Velascorum, eorum arma, tituli, redditus annui.

Dux Feriæ, Marchio Verlangæ, Comes Haronius, Connestablius Castiliæ. Domicilium hic habet in vrbe Burgensi veteris Castellæ, & in montanis eiusdem partibus dominium suum, nec non apud Soriam, quæ veterum fuit Numantia: partim etiam apud Boscos siue Cantabros. Prouentus eius annui accedunt ad LXX. millia ducatorum.

Comes Nieuæ, ex familia Velascorum. Domicilium huic in oppido Nieua, territorium in prouincia Rioiensi. Prouentus eius X. millia ducatorum.

Comes Sirueliæ è gente Velascorum, redditus annuos percipit XIV. millia ducatorum.

Est autem Familia Velascorum è nobilissimis totius Hispaniæ, quæ dedit non paucos Castellano regno Connestablios, multosq; Principes & magnanimos belli duces. Prima eorum origo est è montanis Cantabrorum, vbi etiam ex parte dominantur: putanturq; Velasci Nobilitate ante cæteros omnes. Arma eorum hæc sunt: Scutum album, septem cęruleis laterunculeis siue alueolis variegatum: præterea sex leones rubicundi in eodem æquore, & sex Castella aurata in æquore rubeo.

Familia Mendozarum, eorum tituli, arma, prouentus.

Dux Infantasiæ, Marchio Cenetæ & Santillianæ, Comes Saldagnæ, Dominus regiæ possessionis de Manzanares. Domicilium suum habet Guadalaiaræ: dominium & possessiones in Castilia Veteri, eiusq; regione montana, in regno Toletano & Prouincia Alua. Prouentus eius C. millia ducat.

Dux Francauillæ, Princeps Molitensis è familia Mendozarum. Possessiones habet in regno Toletano & Neapolitano, percipitque annuos quadragies mille ducatos.

Marchio Montexarius, Comes Tendillę. Domicilium eius ad Montexarium, terræ in prouincia Alcarien si. redditus eius annui XL. millia ducatorum.

Marchio Montesclarensis. Domus eius Guadalaiaræ: dominium in Prouincia Alcariẽsi: prouentus annui decem ducatorum millia.

Marchio Cagnetæ. Domiciliũ habet in Cuenca oppido, dominium eius in bonis ab eodem oppido dependentibus. redditus eius decem ducatorum millia.

Comes Combradiensis, è Gente Mendozarum. Domicilium eius in Guadalaiara, possessiones in prouincia Alcarien si. redditus decies mil. le ducati.

Comes Castrensis ex eadem Gente. Prouentus eius annui VIII. mill. ducat.

Comes Montacutus Domicilium suum habet Almansanæ: dominium in regno Aragonico. Prouentus eius XVI. millia ducatorum quotannis.

Comes Orgacius, inter primos Hispaniæ proceres, & secundum quosdam huius Familiæ caput. Domus eius ad Sanctam Eulaliam, possessiones in regno Toletano. Percipit inde quotannis X. millia ducatorum.

Est

Est autem Gens Mendozarum vna è nobilissimis Hispaniæ. Originem suam referunt ad magni nominis principem virum in Cantabris, qui dictus fuerit Don Curia. Cæteros autem huius familiæ antecit Dux Infantasiæ, cuius arma hæc sunt: Scutũ cum fascia transuersa rubea & lineis eiusdem coloris in æquore viridi: ab vtroque latere scripta sunt hæc verba: *Aue gratia plena.*

Familia Henricorum & tituli quibus ij vtuntur.

Dux Medinæ Riui Sicci, Comes Modicæ, Vicecomes Esterlinius. Habitatio eius Valladoleti: dominia eius in prouincia Camporum, in Catalonia & Sicilia Insula. Prouentus quos inde accipit sunt centum millia ducatorum.

Dux Alcalæ ad Gazulas, Marchio Tariffæ, Comes Ornosius. Domicilium eius in Hispali vrbe, possessiones in Andalusia, vnde XXX. millia ducat. percipit.

Marchio Villanouanus de Riuo, è Gente Henricorum. Domus eius Hispali, possessiones in extrema dura, quæ ipsi quotannis XXII. ducatorum millia pendit.

Marchio Alcanicensis ex eadem Gente, percipit XII. ducatorum millia quotannis.

Comes Albæ Listæ, domicilium suum habet Camoræ, possessiones in Castilia veteri, vt & in extrema dura. Redditus eius ad XXX. mille ducatos.

Comes Fontium *(de Fuentes)* & ipse ex Henricorum familia; habitatio eius in Salmantica oppido. Possessiones eius in Castilia Veteri, prouẽtus X. mil. ducat.

Celebritatis magnæ est Henricorum familia per Castellanum regnum, qui originem gentis suæ referunt ad Henricum fratrem Petri regis, cognomento Crudelis, & ad quandam reg am puellam ex Gallia. Is enim Henricus, cum Petrum Crudelem fratrem suum interfeciſſet, ipse occupauit diadema regium. Arma huius gentis sunt: Scutum per medium transuersa linea diuisum, in superiori parte duo castella in æquore rubeo: in inferiore Leo repens in eodem æquore. Ex hac gente orti sunt Admiralii Castellæ, Duces Medinæ de Riuo Sicco.

Familia Principum de Cerda è domo regia, quibus vtantur titulis, armis, prouentibus annuis.

Dux Medinæ Cæli, Marchio Cogolludi, Comes Portus S. Mariæ, hic est caput totius familiæ Cerdensis. Domicilium eius apud Medinam Cæli: possessiones eius in regno Toletano & Andalusiæ parte, vnde quotannis ad eum redeunt XL. millia ducatorum. Habitant tamen hi principes potissimam anni partem in Hispali Vrbe.

Comes Geluensis est ex eadem Cerdarum familia oriundus, conficiuntque redditus eius annui sexaginta ducatorum millia.

Refert autem hæc familia genus suum ad reges Castiliæ & Franciæ, vt apparet ex Genealogia Regum Hispaniæ, & Historia S. Ludouici Francorum regis. Ex hac gente, vt diximus originem trahunt Duces Medinæ Cæli. Arma eorum sunt: scutum in quatuor alueos diuisum, variantibus in quincuncis modum signis, vbi in superiore parte insignia regnorum, Castellæ & Franciæ, illud à dextro, hoc à sinistro latere: in inferiore eadem, inuerso tantum ordine conspiciuntur. Est autem regni Castellani signum Leo & Castrum alternatim posita. Leo rubeus in æquore albo, & castrum coloris purpurei. Arma Franciæ nota sunt, nempe tria Lilia aurea in æquore cæruleo.

Mauricorum Familia, tituli, domicilia, prouentus.

Dux Naieræ, Comes Valentiæ & Triuigni, caput Gentis Mauricorum. Aulam suam habet Naieræ, dominium in prouincia Roiensi, vnde percipit quotannis XL. millia ducatorum.

Marchio Aquilaræ, Comes Castagnedæ, è Gente Maurica, domicilium suum habet Carrioni Comitum: Possessiones suas in regno Legionensi & Camporũ prouincia: Prouentus eius annui accedunt ad XL. millia ducatorum.

Comes Paredensis ex eadem familia. Habitare solet apud oppidum Paredes, bona eius sunt in Camporum prouincia, vnde quotannis ad eũ redeunt XII. mil. duc.

Creditur vulgo priscus ille & fortitudine bellica celeberrimus Comes Ferdinandus Consaluus de Castilia ex hac gente traxisse originem: certe ab eius posteris orti sunt Duces Naieræ in Castilia. Arma huius familiæ sunt scutum cum duobus Lebetibus ahenis nigris, quibus adiunguntur quaterna capita serpentina, in æquore rubicundo.

Familia Principum Cordubæ, horum tituli, domicilia, redditus.

Dux Sesæ, Comes Cabræ & Baenæ. Caput hic est Gentis Cordubensium, cuius domicilium est in ciuitate Corduba, & Granatæ. Possessiones in regno Neapolitano & agro Cordubensi, vnde redeunt ad eum quotannis LXX. millia ducatorum.

Referunt hi originem Gentis suæ ad Dominos & Principes Andalusiæ, Ferdinãdum Nunnesium, Aluarum Perezum. Multi hinc originem traxere illustres bello viri, inter quos præcipue eminet celebris ille dux exercitus, Consaluus Ferdinandus de Corduba, hæres tituli & virtutum paternarum. Arma huius gentis talia sunt: Ab summo leptem trabes, signum regni Aragonici. Ab inferiore parte caput Æthiopis; catenis ad pilam affixum, cum trẽdecim lineis velut tigellis circumid, quib. totidem trophæa innuuntur.

Familia Principum de Toleto, eorum tituli, prouentus.

Dux Albæ & Gueſcæ, Marchio Coriæ, Comes Saluaterræ, Vicecomes Salizarum, Dominus Vallis Corneiæ, è domo Toletana. Domicilium eius Albæ; dominia eius in regno Casti-

Castilię veteris, in Lusitania & regno Granatensi, ex quibus possessionibus quotannis ad eum redeunt LXXX. millia ducatorum.

Marchio Villæ-Francę, in eo ipso oppido domicilium habet, possessiones suas in regnis Legionensi & Neapolitano vnde percipit XX. ducatorum millia.

Comes Oropesæ, Toletanus, domicilium suũ habet Talauerę, possessiones in regno Toletano. redditus eius annui XXV. millia ducatorũ.

Aiunt quidam, hanc nobilem familiam referre originem suam ad quẽdam Equestris ordinis virum, nomine Stephanum Illanum, qui frater fuerit Imperatoris Constantinopolitani: quiq; venerit in Hispaniã, vt opitularetur Castulonis regi bellum gerenti contra Mauros, quo confecto Stephanus in Hispania manserit: Vnde ortos perhibent Albæ Duces. Arma huius gentis sunt, scutum in quo quindecim rhombi partim cærulei partim candidi, cum vexillis nouem in circuitu, vbi innuitur, victoria parta tot signa Mauris in prælio erepta fuisse.

Cunigarum familia, arma, tituli, domicilia, prouentus.

Dux Beiaris, Marchio Gibraleonis, Comes Belalcazaris, caput familię Cunigarum & Lineæ Soto-Maiorum. Domicilium eius Hispali, & in oppido Veiari: Possessiones in Andalusia, regno Seuillię: redditus annui LXXII. millia ducatorũ.

Marchio Aiamontius Soto-Maior, è gente Cunigarum. Domus eius Hispali, redditus annui ducatorum XXV. millia.

Marchio de Villa Manrica, ex eadem gente, percipit quotannis XV. mille ducatos.

Comes Mirandæ, è familia Cunigarum, caput Auellanedarum. Domicilium habet Pegnarandæ, possessiones in Castilia veteri, vnde accipit XXXV. millia ducatorum.

Referunt hi gentis suæ originem ad filiã quãdam regiam Nauarrenã; estq; Dux Beiaris Magnus Commendator regni Castellani. Arma eius clypeus albus, cum transuerso tigno nigro, & signo regni Nauarreni.

Boriarum familia, arma, tituli, domus, prouentus.

Dux Gandiæ, Marchio Lombæus, caput huius familiæ. Domicilium dominiumque eius in regno Valentiæ, vnde quotannis percipit ducatorum XXV. millia.

Marchio de Nauarris, regulus Montesæ, è gẽte Boriarum, cuius redditus annui putantur cõstituere ducatorum XV. millia.

Orta est autẽ hæc familia Valentia vrbe, prouenitq; principes aliquot viros, inter quos agnen ducit Dux Gandiæ, idemq; Montesæ Dominus. Arma vetusta Gentis vacca depascens herbas virides in æquore rubicundo, & in extremo fasciculus frumenti demessi itidem in campo rubeo.

Gens Guśmannorum, eorum arma, tituli, redditus.

Dux Medinæ Sidoniæ, Marchio ad Fanum luciferi (hodie S. Lucar de Barrameda) Comes Nieblæ, caput Gentis Guzmannorum. Domum habet Hispali, & ad Portum S. Lucæ de Barrameda. Status eius in regno Seuilliæ, prouentus inde annui permagni, qui ad ducatorum CXXXV. millia accedunt.

Marchio Ardalensis, Comes Tobarensis, ex familia Guzmannorum. Domicilium eius in Malaga oppido, possessiones in Andalusia: prouentus XV. millia ducatorum.

Marchio Algabæ, è Guśmannis, domum habet Hispali, dominium in Andalusia, è quo percipit ducatorum millia XV.

Estq; hæc inter Nobilissimas Castiliæ familias & antiquissimas, cum genus referat ad clarissimum in historiis regem Gothum, cui nomen Gundemaro. Dedit gens Guzmannorum multos viros principes & belli Duces, inprimis Duces Medinæ Sidoniæ, Marchiones Ardalenses, Comites Orgacinos. Arma horum Clypeus compositus è duobus caldariis rubris, cum quatuor capitibus serpentinis ad vnamquamque ansam.

Cardonarum familia, tituli, prouentus, arma.

Dux Marquedæ, Marchio Elchensis, caput familiæ Cordonarum. Domum habet Toleti, possessiones suas in eodem regno. Prouentus eius sunt L. millia ducatorum.

Marchio Betetæ, è gente Cardonarum, Domicilium habet Flerenæ, bona sua in extrema dura, vnde quotãnis percipit ducatorũ 15. millia.

Magnæ hæc familia per Cataloniam est existimationis, ferturq; vulgo originẽ trahere è nobilissima Principum Andegauensium familia in Gallia. Debent huic originẽ suam multi viri illustres & in re bellica clari. In armis præferũt Cardonæ ab antiquo tria lilia super aratrum. Sed Caroli Magni Imperatoris tempore lilia mutata sunt in carduos virides (ad quos nomen alludit) in campo rubicundo.

Familia Figueroarum: eorum tituli, redditus, arma.

Dux Feriæ, Marchio Cafræ, princeps familiæ Figueroanæ. Domum habet Cafræ, possessiones in extrema dura, vnde ad eum redeunt XL. millia ducatorum.

Marchio Pliegi, Dominus Castri Aguillarii è Figuerois. Domum habet Cordubæ, possessioneśq; in eo regno, vnde percipit ducatorum millia annua LX.

In Gallęcorum regno primas hęc familia partes obtinet, suntq; Duces Feriæ inter primos totius Hispaniæ proceres, in armis suis ostentantes quinque folia ficus, in æquore albo.

Familiæ principum de Cueua, eorum tituli, prouentus, arma.

Dux Albuquerquensis, Marchio Buelmæ & Cuellaræ, Comes Ledesmæ, princeps familiæ. Domicilium habet in Cuellario oppido, possessiones suas in extrema dura & Castellæ regno, ex quib. percipit quotannis XLVI. millia ducat.

Marchio Ladradæ, è Cueuarum gente, domũ suam habet Ladradæ, possessiones in regno Toletano, vnde ad eum redeunt octo ducatorum millia annua.

Nobilis hæc familia ex Aragoniæ regno originẽ trahit, quãquã alii ab Aquilaria Camporũ eos educere malint. Albuquerquẽses Duces, vt diximus

mus hinc orti sunt, aliiq; viri illustres. Arma eorum scutum transuersa linea per medium diuisum: in cuius superiore parte sunt arma regni Aragonici; in inferiore spelunca, vnde erepit serpens vel Draco.

Paciecorum (vel Pachecorum) familia, tituli, prouentus, arma.

Dux Escaloniæ, Marchio Moyæ, Comes S. Stephani, caput familiæ Paciecorum, Domum habet Toleti, possessiones & bona sua in regno Murciæ, & oppido Manca, vnde fruitur quotannis centies mille ducatis.

Debet hæc familia originem suam Lusitaniæ siue Portugalliæ, vt & ipsi Duces Escaloniæ & Marchiones Vilenæ in Castilia. Ostentant inter arma scutum cum duobus Caldariis rubicundis, & ad singulas ansas bina capita serpentina in æquore albo. Extrema cinguntur octo paruis clypeolis siue scutulis, admodum insignium regni Portugallici.

Gironiorum familia, arma, tituli, domus, prouentus.

Dux Ossunæ, Marchio Penafeliæ, Comes Vregnæ, caput gentis Gironiorum. Habitat hic Penafeliæ, possessiones suas habēs in regnis Castiliæ & Seuiliæ, vnde percipere creditur quotannis centena Ducatorum millia.

Referunt Gironii originem gentis suæ ad fortissimum quendam Equestris ordinis virū, qui cum pugnaret in prælio quodam contra Saracenos, seruasse dicitur vitam regis sui, expositio in periculum capite vitaq; propria. Arma eorum sunt huiusmodi: Scutum in tres partes diuisum; duæ in superiore medietate, inferior medietas solida. Supra ab dextro latere Leo rubeus in cāpo argenteo: ab sinistro Castellum deauratum in æquore rubeo. Inferius tres secures siue Asciæ.

Familia Pontiorum Legionensium, eorum tituli, prouentus, arma.

Arcorum Dux, Marchio Taræ, Comes Marchenæ, Alpha Pontiæ familiæ. Domicilium habet in Hispali vrbe, possessiones & bona in Andalusia, prouentus annui constituunt ducatorum millia quadraginta.

Comes Baialensis è Pontiis Legionensibus aulam habet in Baialensi oppido, redditus in regno Legionensi, qui accedunt ad VI. millia ducatorum.

Est autem familia Pontiorum Legionensium antiqua per Hispaniam & nobilis admodū, quę dedit aliquando Pontium de Minerua Equitem ob bellicam fortitudinē maximæ gloriæ. Quin & Duces Arcorum ex hac ipsa originem suam repetunt. Arma eorum adhunc modum habēt: Clypeus bifariam diuisus est. Ad manum dextram præfert Leonem subrubeum in campo Argenteo: ad sinistram quinque trabes erectas ad similitudinem Armorum regni Aragonici. In circuitu spectantur octo scuta minuta in æquore cæruleo.

Familia siue Domus Regalis Arragonita, eius arma, tituli, prouentus annui.

Dux Villæ Hermosæ, Comes Ribagorcæ, caput Arragonēsiū. Domiciliū habet apud Cæsaraugustam, possessiones & bona in regno Arragonico, prouentus eius annui constituunt XX. millia ducatorum.

Perillustris est hæc familia per Hispaniam, vt quæ ab Arragoniæ regibus orta, plurimos magnæ famæ atque gloriæ heroas dedit. Arma eius sunt nouem trabes erectæ in Scuto, quinq; variegatæ, cæteræ rubicundæ.

Familia de Syluis, eorum tituli, prouentus, arma.

Dux Pastranæ, Princeps Eboli, caput huius familię. Habitat hic Madriti, possessiones, ac dominia habens in Alcaria, redditus annui, quos percipit, extendunt se ad LX. millia Ducatorum.

Marchio Montis maioris, eiusdem familiæ, percipit tantundem auri.

Comes Cifuentanus domicilium suum Toleti habet, possessiones in Alcaria, prouentibus gaudens annuis, qui ad XX. millia ducatorum adscendunt.

Orta est hæc gens ab Lusitania, vnde multi fortes ac celebres viri profecti sunt in Castiliam, regnante Iohanne I. rege, cui originem suam se debere affirmant Duces Pastranenses & Comites Cifuentani. In armis præferunt Leonem repentem, coronatum, in æquore argenteo.

Osoriorum familia, arma, tituli, prouentus.

Marchio Asturcanus, Comes Tralamariensis & ad Fanū Sanctæ Marthæ. Hic idē est & supremus familiæ Villalobanæ & caput Osoriorum. Domicilium eius est Asturcæ, possessiones in regno Legionis: percipit is quotannis L. millia ducatorum.

Comes Osorius, primus Manricorum & Osoriorum habitat Vallatoleti, dominia habens in Castilia veteri, redditus eius XIV. millia ducatorum.

E regno Legionensi prodiit illustris & perantiqua Osoriorum gens, vt & Marchiones Asturcani cum aliis quibusdam per Castiliæ regnum viris illustribus. In armis ostentant duos lupos in æquore rubeo, & octo cruces decussatas siue Burgundicas.

Familia Roiarum, tituli, proventus, arma.

Marchio Poræ caput familiæ huius, habita in Pora oppido, possessiones eius in prouinci Burebensi: prouentus ad XX. ducatorum mil lia.

Marchio Denienſis, Comes Lermæ habit apud Deniam oppidum. Dominia habet in C stilia Veteri, vnde quotannis percipere cred tur ad XLV. millia ducatorum.

March

Marchio Altamiræ, ex eadem Roiarum ortus familia, percipit millia XV. Est & huius gentis magna per Castulonense regnum celebritas. Aula frequentior eorum est Burenæ, haud procul à Briuiesca. Arma eorum sunt quinque stellæ coloris cærulei in æquore puniceo.

Familia Dominorum de Castro, tituli, prouentus, arma.

Marchio Sarriæ, Comes Lemosæ, de Castro, Villanoua, & Vlloa, Caput huius familiæ. Habitat hic apud Montem-fortem Lemosæ & in Sarria. Possessiones eius in regno Gallæcorum, vnde putantur ad eum redire quotannis LX. millia ducatorum.

Ex hac gente orti sunt Marchiones Sarriæ & Comites Lemosenses: habeturque valde nobilis & antiqua, vt originem suam referat ad quendam magni nominis ducem Romanum, Crastinium, qui in prælio Pharsalico primum cum suâ manu militum in Pompeianos fecit impetum. Hinc quoque Ortum perhibent Lainum Caluum, qui vnus fuerit è Iudicibus cum potestate regia, antequam in regni formam ea prouincia redigeretur. Aulam habent in Gallæcia, præferuntque in armis quinque Ancilia glauci coloris in æquore argenteo.

Riberarum familia, tituli, prouentus, arma.

Dux Alcalæ, Marchio Tariffæ, Comes Horhosius, princeps Familiæ Riberarum & Henricorum. Domicilium habet apud Hispalin Vrbem, bona & dominia in Andalusia, vnde percipit LXXX. ducat. millia. Gloriantur hi se à Gallæciæ ortos regibus. Et sane extant Ducum Alcalensium eorumque Maiorum egregia in reges Castulonenses merita, in bellis præcipue aduersus Mauros, à quibus complures reportauere victorias, illustre per Hispaniam inde consecuti nomen. In armis ostentant Clypeum tribus tignis viridibus illustre in æquore rubicundo.

Pimentellorum familia, tituli, opes, arma.

Horum caput est Comes Beneuentanus, aulam habens apud Vallitoletum, dominium in Camporum prouincia, vnde percipit ducat. millia XII. Estque hæc familia, vt pleriq; arbitrantur orta non ex vno regno, sed ex Lusitania, Gallœcia, & Castilia. Est autem horum, inprimis Comitum Beneuentanorum illustre cumprimis per Hispaniam nomen. Arma eorum sunt clypeus quadrifariam diuisus: summa sustinent insignia regni Arragonici: inferiora habent vexilla quina argentata in æquore viridi.

Haroensis familiæ tituli, domicilia, opes, arma.

Marchio Carpionis, Comes Adamensis, princeps familiæ Haroensis, cuius redditus annui conficiunt XXIV. millia ducatorum. Ortum hæc refert ad quendam Don Curiam, inter Cantabros potentem hominem, Patrem Marchionum Carpionensium. In scuto depictos ostentant duos lupos, ex vniuscuiusque ore prominet agnus, media sui parte absumtus, coloris punici in æquore argenteo, cum octo crucibus decussatis siue Burgundicis.

Familiæ Auilensis tituli, domus, prouentus, arma.

Caput huius est Marchio de las Nauas, habitans in oppido Auila, in cuius agro suas habet possessiones & prouentus XV. millium ducat. In eodem oppido degunt ipsi Auilenses, referentes originem suam ad illustrem quendam Comitem Blasium, qui cum summus copiarum præfectus esset, militans contra Saracenos auspiciis Alfonsi Octaui, regis Castulonensis, adeptus victoriam illustre nomen est consecutus. Arma Auilarum sunt, Scutum cum tredecim Orbiculis cærulei coloris in æquore Puniceo.

Cortesiorum familiæ tituli, prouentus, arma.

Primus qui Regnum Mexicanum in aduerso Orbe armis subegit, fuit Ferdinandus Cortesius. Huius filius, Marchio de Valle possessiones suas habet in Noua Hispania, domicilium vero in ipsa Vrbe Mexico. Redditus quos percipit, constituunt ducatorum CL. millia. Orta est hæc familia ab Arragonia, quæ non paucos dedit Hispaniæ viros fortes & bello claros. Insignibus vtuntur Cortesii admodum speciosis: Scuto quadrifariam dispertito, in cuius superiore parte ad manum dextram visitur Aquila nido suo incumbens: ad sinistram imago Vrbis Mexicanæ, cum octo capitibus mortuorum traiecto fune connexis. In parte inferiore, illic quidem leo incedens, hic vero tres coronæ in æquore cæruleo.

Familiæ Peraltarum tituli, domus, prouentus, arma.

Caput Peraltarum est Marchio de Falses. Domicilium habet Marcillæ de Nauarra, quæ illius agnoscit dominium. Possessiones habet in regno Nauarreno cum prouentibus sex millium ducatorum. Est hæc familia illustris & antiqua per Hispaniam, quæ originem suam ad Reges Nauarrenos refert, vt & recta linea inde deriuantur Marchiones de Falsis. Arma eorum ostendunt scutum, cum Grypho in campo puniceo, vt & quatuor Ancilia cum insignibus regni Nauarreni.

Familiæ Aquilarensis tituli, domus, opes, arma.

Quanquam Sesæ dux est ex Cordubensibus, Aquilarensis tamen caput est huius familiæ, qui & Comes est Cabræ & Baenæ. Domicilium habet Cordubæ, possessiones in regno Cordubensi & Neapolitano, vnde percipere creditur quotannis ad LXX. ducatorum millia.

Marchio Aquilaræ, Comes Castagnetæ, ex Henricis de Lara. Domicilium suum habet apud Carrionem Comitum, possessiones suas in regno Legionensi & Prouincia Camporum, vnde percipit ducat. millia XL. Est hæc familia inter regni Castellani antiquiores: referens originem suam ad Marchiones Pliegenses, quorum Maiores præsto fuerunt Castellanis regibus aduersum Nauarrenos, nec non in bellis contra Mauros, quos memorabili vicerunt pugna, adepti inde titulum Dominorum Aquilaræ de Frontera. In armis ostentant aquilam nigram tenentem vnguibus scutum distinctum tribus tignis in æquore rubro.

Faiardorum tituli, domicilia, insignia, opes.

Faiardorum caput est de Velis & de Mula. Aulam habet in Vrbe Murcia, cum redditibus quinquaginta millium ducatorum. Ab his longa serie orti sunt Gubernatores Regni Murciæ. Originem suam repetunt ex Gallœcis, à Fano S. Marthæ de Hortiguera. Huius familiæ strenuũ quendam iuuenem perhibent honorum & gloriæ auidum venisse Murciam, ibique non paucas à Saracenis reportasse victorias, militantem pro rege Castulonis. In virtutis ergo præmium eum cum posteris accepisse perpetuum Prorogis Murciæ titulum & officium, vnde sunt orti Marchiones de Velis, ostendente id genealogia depicta in Templo Vrbis Murciæ, cum armis familiæ, quæ ibi in peculiari sacello visuntur.

Viamontiorum familia, tituli, prouentus, arma.

Debent his originem generis sui Connestablii Nauarreni, qui habitant apud Pompeiopolim, possessiones suas in regno habentes Nauarreno, vnde quotannis ad eos redeunt XX. millia ducatorum. Vulgata est opinio, hos, quamuis ab Nauarra venerint, ortos tamen à quodam Carolo rege Francorum. Arma eorum ostendunt variegatum rhombis argenteis glaucisq;.

Familiæ ad Portos Carreros tituli, opes, insignia.

Iohannes de Horta, Marchio Alcalæ ex hac prosapia Carrerorum ortus est, domicilium habens apud Hispalim, possessiones & bona sua in regno Andalusiæ cum prouentu XVI. millium ducatorum.

Ex eadem gente est Marchio Villanouanus de Barca rupta, caput familiæ, cuius domicilium est Asæ, possessiones vero in regno Cordubensi, cum prouentibus annuis XVIII. millium ducatorum. Refert prænobilis hæc familia genus suum ad Regem quendam Lusitanum. Inde enim nobiles quidam in Castiliam profecti tanta seruierunt fide ac industria Alfonso Magno Regi, vt luculenta inde retulerint præmia. Hi porro ortum dederunt Comitibus Metellinis in Castilia. Arma eorum ostendunt scutum deargentatum cum impositis duobus signis militaribus siue vexillis grandioribus.

Familia Bacana, eius tituli, domus, opes, arma.

Est ex hac inprimis gente Marchio de Sancta Cruce habitans in viso oppido. Bona eius sunt ad S. Crucem cum prouentu XXV. millium ducatorum.

Est hæc familia ex Nobilissimis inter Nauarrenas, obtinetque secundum locum inter eas, quæ ad electionem regis veniunt. Arma huius familiæ ostendunt septem alueolos nigros in æquore argenteo cũ aliquot vexillis, & in limbo octo cruces Burgundicas in campo puniceo.

Herrerarum familia, arma, tituli, prouentus.

Ex his est Marchio Augnonius, habitans Madriti, opes eius præcipuæ ex prouincia Alcariensi, cum redditibus XXX. millium ducatorum. Domicilium statum huius gentis in Castilia, vbi inter antiquissimas habetur. In armis ostentant octo Caldaria siue Cortinas in æquore cæruleo.

Familiæ Cardonarum tituli, opes, domus, arma.

Cardonatum principatum tenet Comes Pueblæ, habitans Lerenæ, percipiens ex territorio Cordubensi ducatorum millia XVI. Nobilissima hæc gens est in Castilia, vnde originem traxere Duces de Maqueda, & Marchiones Elchenses. In armis ostentant duos lupos glauci coloris cum octo crucibus Andreanis.

Zapatarum familia, tituli, prouentus, insignia.

Comes Baraiensis Madriti habitat, ex possessionibus quas in regno Toletano obtinet percipiens XII. millia ducatorum. Aiunt hi se ortos à Rege quodam Aragonũ, Abarca, qui pater perhibetur multorum equitum fortissimorum, in quibus Madriti fuerit Franciscus Zapata, Præses sanctioris consilii regii, vt iam de multis aliis taceamus.

Heridiarum familia, tituli, opes, insignia.

Ex his est Comes de Fontibus, cuius dominia sunt in Arragoniæ regno, cũ prouentibus annuis VIII. millũ ducatorum, Missus fuit hic Comes in Belgicam viuo Duce Parmẽsi, quo defuncto, ipse præfuit prouinciis illis an. à C. n. MDXCV. cepit hic Dorlanum, Castelletum, Cameracum, vnde famam laudemq; sibi peperit. Aduentante autem Alberto Archiduce, cessit ei Comes, factus Produx Insubriæ vsq; ad annum MDCX, quo mortuus est. Gloriatur hæc familia, originem suam à Gothis esse, qui Pyreneos olim habitauere montes. Ex eadem ortus est Comes Belchisius in Arragonia. In armis ostentant scutum, quinque castellis argenteis decoratum.

Familiæ Sarmientorum tituli, prouentus, arma.

Ex his est Comes Salinarum & de Bibadeo. Domiciliũ eius in vrbe Burgensi, possessiones in Cantabris: redditus XX. milliũ duc. Magna huius gẽtis per Hispaniam æstimatio, in primis Comitum de Salinis in Castilia. Arma eius exhibent clypeum cũ tredecim orbiculis coloris punicei.

Familiæ de Geuara tituli, prouentus, arma.

Comes Ognatensis huius est caput, in Ognate oppido habitans. Possessiones eius, quas in Guipuscoa habet, XXXVI. millia ducatorum ei suppeditant. Ortum dedit Arragonia & Cantabria. Est & hæc familia inter XII. illas quæ ad electionem regis conueniunt. In Scuto præferunt tres trabes rubicundi coloris, cum alueolis argenteis.

Aialarum familia, tituli, prouentus, insignia.

Aialarum Alpha est Comes de Gomera, percipiens ducatorum XIV. millia. Repetunt hic originem suam à priscis Arragoniæ regibus, vnde multi insuper alii viri fortes prodierunt. Ex eadem gente ortus est Comes Fuensalidæ, præferens in Scuto suo cum duobus Lupis nigris in campo argentato, cum octo crucibus Andreanis coloris rubicundi.

Azeuedarum familia, tituli, domicilia, arma.

Horum primus est Comes Montereiensis, domicilium habens apud Salmanticam, possessiones in Gallæcia cum redditibus XLVI. millium ducat. Cæteri ex hac familia stata habent in Gallœcis domicilia, quę multos bello celebres dedit viros:

viros tam in Castilia quam Lusitania. In scuto ostendunt arborem viridem coma rotunda, in campo rubicundo, ad cuius truncum medium alligatus visitur canis leporarius albus.

Familia Lunensis tituli, prouentus, insignia.

Huius Princeps, Comes Moratensis, domum habet Cæsaraugustæ, possessiones in Regno Arragoniæ, vnde percipit ad XXXVII. millia ducat. Habitant hi fere in Arragonia, vnde ortus est celebris ille Aluarus de Luna qui regnante Iohanne II. fuit Magnus Magister Ordinis S. Iacobi, & Conneſtablius Castiliæ, expertus vltimis annis variantis fortunæ iniquitatem. Scutum præferunt partim argenteum partim rubicundum, in quo Luna in cornua crescens.

Mesiarum familia, tituli, opes, arma.

Primas inter hos tenet Marchio Guardiæ idemq; S. Euphemiæ Comes. Huic domicilium in Vrbe Salmantica, possessiones apud Fauentiam (Iaen) cum prouentibus XL. millium ducatorum. Ortum his dedit Gallæcia, præferentibus in Clypeo tres trabes cæruleas in æquore rubicundo.

Familia Vloarum, tituli, prouentus, insignia.

Huic familiæ nomen dedit Gallæcorum fluuius, cui nomen Vloa. Caput eius est Marchio Motensis, prodieruntque ex ea complures viri clari & bellicosi. Prouentus constituere putantur XVI. ducatorum millia.

Arellanorum tituli, opes, domicilia, arma.

Horum princeps est Comes Aguillaræ, bona sua possessionesq; habens in prouincia Rioiensi cum prouentibus quindecies mille ducatorum. Stata Arellanorum habitatio est in regno Nauarreno, creditur que præcipua eorum nobilitas. In armis habent Scutum ex æquo partim cæruleum partim rubrum, cum nouem Liliis deauratis.

Benauidarum arma, tituli, opes & prouentus.

Ex hac est Marchio Fromistæ, in oppido eiusdem nominis habitans. Ex possessionibus, quæ ei sunt in Camporum prouincia, percipit ducat. X. millia. Prodiere hi primum ex Gallæcis pinguntque in Scuto suo Leonem repentem, cum tribus tæniis albis, per medium sectis in æquore rubro.

Familia Auellanadarum, cum suis titulis, opibus, insignibus.

Comes Riuadaniæ ex hac est, habitans apud Valladolitum, dominia sua habens in Gallæcis, vnde percipit quotannis ducatorum VI. millia. Castilia Vetus huic nobili familiæ statum præbet hospicium, partim etiam Cantabrorum regio. Scuto rubicundo appictus est Lupus niger, cum octo crucibus decussatis siue Andreanis punicei coloris.

Carillorum familia, tituli, opes, insignia.

Comes de Pliego ex hac domo est & Mendoza, domicilium habet Guadalaiaræ, percipitque redditus VIII. millium Ducatorum.

Sunt & aliæ permultæ familiæ Illustres nobilesque per Hispaniam, quarum omnium recitare nomina, titulos, viros illustriores in vnaquaque, domicilia, possessiones ac redditus, cum Scutis coloribus variegatis, præterquam quod fuerit difficillimum, etiam lectori non potest non esse tædiosum. Nos igitur iis, quas longa serie recitauimus, erimus contenti.

Archiepiscopi per Hispaniam præcipui numerantur hi.

I. Archiepiscopus Toletanus, Hispaniæ Primas, Magnus regni Castellani Cancellarius. Prouentus eius annui sunt CC. millia ducat.

II. Archiepiscopus Hispalensis siue Seuilliæ, Princeps Consilii Regii, eius prouentus annui sunt LXXX. millia ducatorum.

III. Archiepiscopus sancti Iacobi, qui quotannis percipit XXIV. mill. ducat.

IV. Archiepiscopus Granatensis, percipiens quotannis XXIV. millia ducatorum.

V. Archiepiscopus Valentiæ habet annuos tricies mille ducatos.

VI. Archiepiscopus Cæsaraugustæ (Saragossæ) L. mill. ducat.

VII. Archiepiscopus Tarraconensis, XVI. mill. ducatorum.

VIII. Archiepiscopus Burgensis percipit annua ducatorum millia triginta.

His Archiepiscopis siue Ecclesiis Metropolitanis subiiciuntur hi Episcopatus, vocanturq; suffraganei.

Sub Toletano.

Episcopatus: Cuencanus	Cuius prouentus annui sunt:	XL. millia ducatorum.
Ciguencanus		L. mill. ducat.
Cordubensis		XLVI. mill. ducat.
Valentinus		XXX. mill. ducat.
Segouiensis		XXIV. mill. ducat.
Oxamensis		XXII. mill. ducat.
Fauentinus		XX. mill. ducat.
Auilensis		XX. mill. ducat.

Sub Hispalensi.

Episcopatus: Malacensis,	Cuius prouentus sunt:	XXX. mil. ducat.
Gadium,		XII. mil. ducat.
Canariarum		XII. mil. ducat.
Insularum.		

Sub Archiepiscopo S.Iacobi.

Episcopatus	Sorienſis ſiue Numantinus,	XXIV. mill. ducat.
	Placentinſis	XL. mill. ducat.
	Aſtorganus	XVIII. mill. duc.
	Camoranus ſiue Scuticanus	XX. mill. ducat.
	Salmanticenſis	XXIV. mill. ducat.
	Ciuitatis Roderici	X. mil. ducat.
	Mindonenſis	XII. mill. ducat.
	Aurienſis ſiue Orenſanus	VIII. mill. ducat.
	Lugonenſis	VIII. mill. ducat.
	Tudenſis	IV. mill. ducat.

Sub Archiepiscopo Granatenſi.

Episcopatus Abderenſis ſiue, vt hodie, Almerienſis poſſidet XXIV. mill. ducat.

Episcopatus Actienſis (hodie Guadix) VII. ducatorum millia.

Sub Archiepiscopo Valentiæ.

Episcopatus	Oriolenſis ſiue Orcelitanus,	LXXX. millia ducatorum.
	Segobrigenſis	X. millia ducatorum.
	Valueſtrenſis	VI. mill. ducat.
	Nouæ Carthaginis ſiue Carthagenæ	XVI. mill. ducat.

Sub Archiepiscopo Burgenſi.

Episcopatus Calagurritanus, percipiens quotannis XX. millia ducatorum.

Episcopatus Pompeiopolitanus, prouentus habens XXII. millium ducatorum.

Hi duo Episcopi à ſuperioribus exemti ſunt.

Episcopus Legionenſis percipiens quotannis XIV. millia ducatorum.

Episcopus Brigentinus, hodie Ouiedenſis XXI. mill. ducat.

Præter eos quos numerauimus hi ſunt.

Episcopus Aragonenſis, cuius prouentus annui ſunt XL. mil. ducat.

Episcopus Pallantiæ ſiue Palentinus, percipiens XXXII. mill. ducat.

Episcopus Iacetanorum, percipiens quotannis VI. millia ducatorum.

Episcopus Gueſcarenſis cuius prouentus XI. millia ducatorum.

Episcopus Teruellitanus, cuius prouentus annui VIII. mil. ducat.

Episcopus Albaracinus, accipiens ſingulis annis VI. mil. ducat.

Abbatiæ præcipuæ in regno Aragoniæ.

Abbas Montaragonius,	percipit quotannis	XII. millia ducatorum.
Abbas S. Victoriani,		II. millia ducatorum.
Abbas S. Iohannis ad Pegnam		II. millia ducatorum.

Episcopus Balearicarum Inſularum ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Valentiæ, ſuntque prouentus eius annui X. millia ducatorum.

Prioratus.

Prior Conuentus ſancti Iacobi Vertesſini, habet annuatim XXX. millia ducatorum.

Prior Conuentus S. Marci Legionenſis, habet X. ducatorum millia.

Prior Conuentus ſancti Iacobi Hiſpalenſis, accipit XIV. millia ducatorum.

Commendaturæ ſiue Præfecturæ cum luculentiſſimis prouentibus annuis trium Ordinum Equeſtrium per Hiſpaniam. Etſi autem ſuſpicamur, hæc Lectori tædio potius quam voluptati fore, tamen ne quid omiſiſſe putemur addemus omnia ſeruatis etiam nouis locorum oppidorumque nominibus.

Commendaturæ Ordinis S. Iacobi.

Commendatura	Magna Caſtiliæ	habet quotannis	XIV. mil. d.	Commendatura	Socaellemenſis	habet quotannis	XIV. mil. du.
	Occagnitana,		MD.		Coralienſis à maquerrana.		IV. mil. duc.
	Montalegrenſis,		V. mil. duc.		Sanctæ Crucis		M. ducat.
	Montis Regalis,		X. mil. duc.		Caſtilienſis Prouinciæ		MMD. ducat.
	Variarum,		MDCCC. d.		Campo Montelia,		III. mil. duc.
	Villaruuiana,		MC. ducat.		Aledenſis & Totana,		IV. mil. duc.
	Viſſoriana,		II. mil. duc.		Caraauaccenſis,		XII. mil. duc.
	Viedmienſis,		MD. ducat.		Cicenſis,		MCC. duc.
	Orcaionia		IV. mil. duc.		Ricotenſis.		VI. mil. duc.
	Poſſorunienſis.		MDC. duc.		Socoborum,		IV. mil. duc.
	Mirabellana,		MCCC. du.		Moratellana,		IX. mil. duc.
	Villamaiorenſis		II. mill. duc.		Montiſſonia & Cidanenſis,		III. mil. CC.
	Capi Ereptani		MD. ducat.		Cagnamarenſis		M. ducat.
	Eſcuſana		MD. ducat.		Montelia & Oſſenſis.		MDCCC. d.

Com-

Carricosana	MCC. Ducat.	Aubechama & Videmarienſis, cuius Commendator eſt Comes Fontis Salidenſis.		V. mill. Duc.
Villæ Hermoſæ	IIII. mill. ducat.	Villanouana Fontiũ		MD. duc.
Mamboſotana	V I. mill. Ducat.	Meridenſis		IIII. mill. Ducat.
Segurana Surcenſis cuius commendator eſt Dux Feriæ,	II. mill. Ducat.	Alhangana		V. mill. CC.
		Alcueſtana		MM.
Veaſenſis cuius commendator eſt Marchio Almacanæ	V. mill. Ducat.	Ornachienſis, cuius Commendator eſt General. Oranenſis		V. mill.
		Palamenſis		M. D.
Yuenus.	VI. mill. Duc.	Oluienſis.		M. ducat.

Commendaturæ Prouinciæ Legionenſis.

Magna Legionenſis, cuius commendator eſt Marchio Sanctæ Crucis		XII. mill. ducat.
Aguzana.		X. mill. ducat.
Guadalcanalienſis		IV. mill. CC. ducat.
Publiana Sanctii Pereſii		MM. ducat.
Reginæ		IV. mill. D. ducat.
Fontana-Magiſtralis		MMCC. ducat.
Præfectura Sanctorum		IV. mill. CCC. duc.
Villafrancana		M. ducat.
Bene-Venidenſis		III. millia ducator.
Vſagrienſis		MD. ducat.
Riberenſis quæ propria eſt familia Nobilium de Ribera		III. millia ducator.
Inoioſana		MCC. ducat.
Quæ ad Fabricas Prouinciæ Legionenſis deputata eſt		VI. mill. ducat.
Familiæ Cordubenſis Venauidarum		III. mill. ducat.
Barrana quæ ſpectat ad Vermudenſes,		MD. ducat.
Caſtelli Torafeni, & hæc eſt Comitum Beneuentanorum		M. ducat.
Ad Caſtrum viride.		D. Ducat.
Pennæ Vſentiæ Mendozarum,		II. mill. D. duc.
Trianenſis		MD. Ducati.
Magna Montalbanenſis Vigneſiorum		IV. mill. ducat.
Orchentena Mendozarum		CCCC. ducat.
Muſerana Cardonarum		D. ducat.
Commendatura Zagrana & Conettana Toletanorum,		MM. ducat.
Auellinorum in Sicilia		MD. duc.
Fratellana Bacanenſium		CCCC. ducat.
Sancti Colorii Neapolitana Spinolarum,		M. ducat.
Vaſentina in Francia		MM. ducat.
Orionenſis in Bearnia		D. ducat.
Eſteppiana		VI. mill. duc.
Paracuellorum quæ ſpectat ad Ceuellones		II. mill. duc.
Mutionenſis		MD. Ducat.
Mohernaudia Laſſorum		MM. ducat.
Oroiana Valdeſiorum		III. mill. ducat.
Lolonia, quæ ſpectat ad Acugnas		M. ducat.
Morana Pimentellorum		MD. ducat.
Eſtreueriana Lunarum		DCCC. ducat.
Huelamonenſis		CCCC. ducat.
Mureſia & Venacuſana Gueuararum		D. ducat.
Caſtilleiana Cueſtarum		CCC. ducat.
Caſtri viridis Gutsmannorum		CCC. ducat.
Almendraleiana Cunigarum		MMCCCC. ducat.
Montemolinia Toletenſium		MCCCC. ducat.
Medina Turrium, hæc eſt Padillarum.		MMD. ducat.
Monaſterienſis, cuius Commendator eſt Marchio Cagnetæ		MD. ducat.
Calcadillenſis, quæ eſt Moncadarum		MD. ducat.
Aquilarienſis Cunigarum		DC. ducat.

Gubernationes & Recturæ quæ ab Ordine Equestri D. Iacobi dependent.

Rectura	Quintanarienſis	Quæ quotannis largitur	LXXX
	Villanouana Alcandetana		C
	Motenſis		LXXX
	Veleſiæ, quam Comes Buendiæ tenet		D
	Beneuenidenſis		CCCC
	Higuerenſis		DCCC
	Portenſis Reginæ		C
	Cont-Algalenſis		CC
	Fontano Magiſtrenſis		C
	Montonchenenſis		MCC

Ducatos.

Commendaturæ ſiue Præfecturæ Ordinis Equeſtris Calatrauæ.

Commendatura	Magna Ordinis Calatrauæ, cuius Commendator eſt Albæ dux, è familia Principum de Toleto	Cuius prouentus annui conſtituunt	X. mill.
	Ordinaria eiuſdem Ordinis		IX. millia
	Ordinaria Ceſtellanorum		II. millia
	Almagrenſis, quæ ad Lunas & Mendozas ſpectat		M
	Mudelenſis		IV. mill. D
	Caſtilſerana Manricorum de Lara,		IV. mil. D.
	Almuradeliana Velaſcorum		MD
	Carrionenſis		MDCCC.
	Torobana familiæ Syluenſis		MCCC
	Vallis Pegnanæ Padillarum,		III. mill. D.
	Montachelonia ſpectans ad Pimentellos		MD.
	Fontis Moralis, quæ eſt Cordubarum & Pontiorum Legionenſium		M.
	Moralis Henricorum de Riberis, ad Marchionem de Villa noua ad Riuum,		VII. mill.
	Corralienſis ſpectans ad Padillas		MMDC.
	Portus Plani, quæ eſt familiæ Moroniæ		MDC.
	Alcoleanæ Orteſiorum		MCCCC.
	Valleſterionia		MCCC.
	Ad Fanum Danielis		MMDCC.
	Poſſuelana quæ eſt Acugnarum		MC.
	Almodonarienſis Campi, quæ eſt Cunigarum & Cordubarum,		MMDCC.
	Herrerana Manricorum de Lara		MM.
	Manſanarienſis, quam obtinet Marchio de Pliego		VI. mill. D.
	Commendatura Viuerorum		MMMCD
	Domus & familiæ Cordubenſis		MMD.
	Velmeſiana		DCC.
	Calatrauienſis		IV. mill.
	Soritana Sandoualiorum,		D.
	Vallegana		MC.
	Domus & Familiæ Toletanæ		MCC.
	Domus & Familiæ Talauerana Henricorum		DCCC.
	Domus & Familiæ Placentinæ Oſoriorum, cuius Commendator eſt Comes Adradæ		III. m. CCC
	Domus & Familiæ Seuillianæ		III. mill.
	Cagnaueralana		II. mill.
	Leperana, cuius Commendatores antiquitus eſſe ſolent Proreges Caſtiliæ		MDC.

Ducatorum.

Prioratus dicti Ordinis Calatrauenſis.

Prioratus	Fontium	Cuius redditus annui	M. Ducat.
	Acuqueſæ cum Sancti Benedicti intra Hiſpalim		DC. duc.
	S. Benedicti apud Fauentiam		MM. duc.
	S. Benedicti apud Porcunam		M. ducat.
	S. Benedicti apud Toletum		DC. ducat.
	Coritenſis		CC.

Sacrarium dicti Ordinis Calatrauenſis poſſidet CC. ducatos.

Commen-

Commendaturæ Ordinis Equestris de Alcantara.

Commendatura Magna Alcantarensis quotannis importat X.millia DXXXIV.duc.
Claueria eiusdem Ordinis (vt vocant) VI.millia CCXLVI.ducatorum.
Commendatura Azauchalensis MMCC.ducat.
Sanctæ Magdalenæ III.millia CCC.ducat.
Hornosiana ducatos CCCC.

Commendatura	*Celaminia*	*II.mill.CL.ducat.*
	Vatumberana Iurisdictionis Baiodocensis	*CCC.ducat.*
	Familiarum Ordinis Calatrauensis	*MMD.ducat.*
	Portesuelana	*III.mill.CL.duc.*
	Publiana	*MCC.ducat.*
	Familiæ & Domus Corienſis	
	Nelienſis & Nauarrena	*MD.ducat.*
	Caſtilienſis	*MMCCCC.duc.*
	Eglaſina	*III.mill.D.*
	Molaregiana	*IV.mill.*
	Santiuagneſia	*IV.mill.*
	Maioriana	*IV.mill.D.*
	Parragalana	*MC.Ducat.*
	Veluiſiana Montium	*M.ducat.*
	Sarſienſis	*D.Ducat.*
	Ienfaiana	*MD.ducat.*
	Herrerana	*DCCC.duc.*
	Caſtellonouenſis	*IV.mill.D.*
	Cabecana Buenſis	*III.mill.DC.*
	S.Spiritus	*MM.ducat.*
	Calamenſis	*IV.mill.CCC.*
	Quintanenſis	*M.ducat.*
	Paradelenſis	*MM.ducat.*
	Caliſuelenſis	*MMD.duc.*
	Parragoſana.	*III.mill.CCC.*
	Adelfana	*DCCC.ducat.*

Cuius prouentus annui ſunt

Iuriſdictiones dicti Ordinis Alcantarenſis.

Vtraque Iuriſdictio Alcantarenſis iunctim percipit MD.ducatos.
Iuriſdictio Magazelana DCCC.ducatos.
Heſana Alcorcanenſis, MCCCC. ducatos.
Iuriſdictio Banquerenciana CCCC.ducatos.

Prioratus ad hunc Ordinem ſpectantes.

Prioratus de campo, D.ducat. *Prioratus Calaueenſis, CCCC.duc.*
Prioratus Magezelæ, CD.ducat. *Sacrarium Ordinis, DCCC.ducat.*

Notandum, Hiſpanorum regem perpetuum eſſe caput & Magiſtrum omnium horum Ordinum, Sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantarę. Quãquam negari non debet, aliquando prærogatiuas illas cum fructibus ſuis elocari certis quibuſdam conductoribus, qui quotannis elocationis nomine regi perſoluunt tredecim ducatorum millia. Iidem conductores tenentur ſingulis Ordinis Equitibus, qui profeſſi ſunt Ordinem, nec tamen Commendaturis perfruuntur, ſingulis annis pro pane & aqua, vt loquuntur, ſoluere duodecim Marauedarum millia. Gaudet autem illo omnium Ordinum ſupremo Magiſterio Rex tenore priuilegiorum, quæ Pontifices Romani regibus Hiſpanis Bulla publica permiſerunt.

DE EQVESTRIBVS ORDINIBVS Regni Portugalliæ.

Sunt in regno Luſitaniæ ſiue Portugalliæ tres Sacrorum Equitum ordines. Primi dicuntur Equites ſacræ militiæ Chriſti, quorum ſignum eſt Crux rubea cum fimbria ſiue linea extrema aurea & argentea linea in medio.

Secundus eſt Equitum Iacobæorũ, qui pro inſigni ferunt gladium rubrum, vt & illi qui ſunt per Caſtiliam. Tertius eſt S. Bernardi, quorum ſignum eſt crux viridis, ad modum Ordinis Calatrauenſis. Caput horum Equitum omnium eſt Rex Luſitanus, qui ad quingenti eſſe perhibentur. Sunt in horum numero aliquot viri Principes: Duces duo; Braganciæ, cuius prouentus annui accedunt ad centum cruciatorum ſiue ſcutatorum Luſitanicorum millia: & Auerenſis, qui percipere creditur quotannis L.millia. Præterea Marchiones tres, & Comites decem. Nobilium ingens eſt numerus, qui & beneficio horum Ordinum plus cæteris per regnum poſſident. Soliti hi fuerunt ſuperioribus temporibus temere & ſine ordine aduerſus Mauros pugnare: quæ res cum multum iis adferret incommodi, vocatis Rex ex Germania, Gallia & Italia viris rei bellicæ & aciei ſtruendæ peritis, erudiri illos iuſſit & adſuefieri ad ſeruãdos ordines, haud ſecus ac laniſta aliquis docet gladiatores in ludo.

Vsus & ordo rei exigere videtur, vt pauca de nauigãdi ratione Lusitanica dicam. Mense Martio potissimum soluunt è portu quinque aut sex prægrãdes naues, quæ eo quidẽ anno in patriam minime reuertuntur, omnes enim naues ante decimum octauum mensem in eundem, vnde soluerunt, portum non appellunt, sed singulis annis duplex soluit classis, prior quidem mense Martio, posterior Septembri. Confecto aliquantisper cursu separantur alia ab aliis nauigia, quibusdam vicinæ Africæ diuersa littora petentibus, aliis vero in Asiam Indiamque pertendentibus. Cumq; reduces hæ naues nullos vehant milites, sed tantum turbam nauticam cum paucis quibusdam mercatoribus, mittuntur iis in occursum fere sex naues militariter instructæ, vsq; ad Promontorium Capitis viridis, qui est extremus Africæ in Austrum vergentis mucro, ne classis Lusitanica à Piratis Anglis Batauisque intercipiatur, qui magna solertia in redeuntes ab Indis Hispanorum naues intenti vigilant, à quibus si aberrent, compertum, eos in vicinas illius Oceani Insulas, Maderam, Canarias, Azores impetum fecisse, easque diripuisse.

Est autem hæc ad Indos Orientales nauigatio multo facilior & expeditior, quam quis credere possit, adde etiam quæstuosior. Repertus est enim nauta quidam senex, annos sexaginta natus, qui vicies ter ad Indos profectus, quadragies sex dictum illud promontorium Bonæ Spei nauigando superauit. Nam qui Lineam Æquinoctialem transiuit, vbi polaris stella Arctica apparere desinit, potest quis eadem Pyxide nautica & Magnetis indicio nauigans vti, qua vtuntur in nostro mari; vt si quis Canarias Insulas Occidentem versus præterierit, Stella siue Asteriscus Pyxidis nauticæ, vt ipsi nautæ dicunt, (quod & contingit nauigantibus in Orientem postquam Meridianum Insulæ S. Laurentii prætergressi sunt) vt acus Magnetica nonnihil declinet ad id spacium, quod inter Occidentem & Septentrionem medium est, cuius rei causa nondum constat, sed adhuc latere putatur.

STATVS RELIGIONIS ET REI EC- clesiasticæ per Hispaniam. 11

Sequitur omnis in vniuersum Hispania Religionem Catholico-Romanam, adeo vt contrariæ opiniones in magno ibi sint odio: quæ ne aliquod incrementum capere, aut serpere possint longius, instituta est seuera illa & magni rigoris Inquisitio, quæ quanquam ab initio bono fine introducta fuerit, ita tamen successu temporis variis abusibus infamis facta est apud exteros, vt officina sæuitiæ & crudelitatis à plurimis iudicetur. Fuit antiquis temporibus Ecclesiarum Hispanicarum prima Hispalensis, in cuius dignitatis gradum postea euecta est Toletana.

Cum autem magna pars Hispaniæ cum ipsa Toletana vrbe à Barbaris Mauris capta spoliataque fuisset, euasit ad id fastigium Ecclesia siue Archiepiscopatus Bracarensis, docentibus id Ecclesiæ istius Archiuis. Recuperato autem à Christianis Toleto, cum Toletanus amissam dignitatem repeteret, Bracarensis autem semel acquisitam restituere nollet, contentio illa orta est, quæ nondum inter litigantes decisa est.

Qui porro à temporibus Romanorum in Hispania fuerint Præsules, docet in Chronico suo Vasæus, quem videat Lector. Post ereptas rursum Barbarorum manibus Hispanias, Episcopatus antiquis suis ciuitatibus sunt restituti, vt & quidam in nonnullis recens instituti.

Etsi autem haud ita pridem Archiepiscoporum & Episcoporum Hispaniæ ex præscripto auctoris Elenchum exhibuerimus: quia tamen sequens insuper Catalogus ab auctore nostro Gallo subiicitur, ne ingeniosi in alieno libro esse velle videremur, omittere eum noluimus; & quanquam multa hic occurrant, quæ paulo ante quoque dicta sunt; tamen quædam inuenientur, quæ in superioribus non habentur.

Igitur Archiepiscopatus Tarraconensis, cuius prouentus annui extenduntur ad ducatorum millia octo, hos sub se habet Episcopatus.

Barchinonensem	*cuius prouentus annui, sunt, ducatorum millia*	*V.*
Gerundiensem		*IV.*
Ausanensem siue Vicanum		*XXV.*
Ilerdensem		*V.*
Orgeliensem		*VII.*
Derthusiensem		*VIII.*

Archiepiscopus Cæsaraugustanus, qui quotannis percipit ad viginti ducatorum millia, hos sub se habet Episcopos.

Hiuensem	*cuius prouentus annui sunt ducatorum millia*	*III.*
Tirasconensem		*V.*
Pompeiopolitanum		*VI.*
Calagurritanum		*XII.*
Segouiensem		*III.*

Arch

Archiepiscopus Toletanus, post regis regiamque prolem nulli vel dignitate vel fortunarum amplitudine secundus, cum sit Castellani regni Cancellarius, Hispaniæque Primas, vltra viginti millia ducatorum annuatim percipit, habetque sub se Episcopos hos:

Morueterensem siue Saguntinum	*cuius prouentus annui sunt ducatorum millia*	*XX.*
Ouiedensem		*VI.*
Burgensem		*XII.*
Placentinum		*XVI.*
Ciguntensem		*VIII.*
Curiensem		*XII.*
Cordubensem		*II.*

Estque hic Archiepiscopus dominus etiam in temporalibus septendecim oppidorum, quæ muris mœnibus ve clausa ac munita sunt.

Archiepiscopus S. Iacobi Compostellanus fruitur quotannis ducatorum millibus viginti, quem in rebus ecclesiasticis superiorem agnoscunt hi Episcopi.

Auilensis	*cuius prouentus annui constituunt ducatorum millia*	*VIII.*
Palentinensis		*XV.*
Salmanticensis		*II.*
Eborensis		*XX.*
Caurinensis		*VIII.*

Archiepiscopus Olissipponensis, cuius reditus annui conficiunt sexdecim ducatorum millia, hos sibi suffragantes habet Episcopos.

Legionensem	*cuius prouentus annui conficiunt ducatorum millia*	*VIII.*
Vbedensem		*VI.*
Zamorensem		*XII.*
Dumiatensem		*IV.*
Lerensem		*VIII.D.*
Bauadocensem		*VI.*

Archiepiscopo Bracarensi, ad quem quotannis redeunt duodecim millia ducatorum, Subsunt hi, qui sequuntur Episcopi.

Conimbricensis	*cuius prouentus annui conficiunt ducatorum millia*	*XII.*
Lamocensis		*VI.*
Visensis		*VIII.*
Almoriensis		*III.*
Tidensis		*II.*
Lugoensis		*XV.*
Astorganus		*IV.*
Monuedensis		

Archiepiscopus Hispalensis siue Seuillensis, cuius prouentus annui superare creduntur vndecim ducatorum millia, sub se habet hos Episcopos.

Iaennensem siue Fauentinum	*cuius prouentus conficiunt ducatorum millia*	*XV.*
Carthagenensem		*V.*
Syluensem		*VI.*
Gaditanum		*VIII.D.*

Supersunt duo Archiepiscopi, Valentinus & Granatensis, qui licet nullos à sua auctoritate dependentes habeant Episcopos, iure tamen gestandi Pallii Archiepiscopalis vtuntur, percipitque Valentinensis ducatorum quotannis millia XIII. Granatensis vero duo.

Præter eos quos supra commemorauimus sunt quidam per Hispaniam Episcopi, qui superiorem præter Summum Pontificem agnoscunt neminem, sed à sola curiæ Romanæ auctore se dependere affirmant, sunt que hi:

Malacensis	*cuius prouentus annui constituunt ducatorum millia*	*I.*
Gaadicensis		*I.*
Almeriensis		*XV.*
Orcnensis		*III.*
Pacensis		*IV.*
Canariensis		*VIII.*

Quod si quis desiderio cognoscendi plura in hoc genere teneatur, quantos vnusquisque per Hispaniam è proceribus Ecclesiasticis, siue is Archiepiscopi, aut Episcopi, aut Abbatis, postremo Prioris loco censeatur, percipiat prouentus; is præter Vasæum legat, quæ Damianus à Goes, Lusitanus super hac materia scripsit.

Vnum mihi videtur memoratu dignum, quod & adscribam: esse in Burgensi ciuitate Veteris Castellæ Conuentum Religiosarum siue Monialium, quæ suo quodam nomine Welquæ nominentur, esseque eas ad centum quinquaginta, nobili genere prognatas omnes. Imperitare insuper Abbatissam earum oppidis viginti quatuor, & vltra quinquaginta pa-

ta pagis villisque, habereque ius conferendi plura beneficia Ecclesiastica, inter quæ etiam numerentur duodecim Ordinum Equestrium Commendaturæ.

GENEALOGIA REGVM HISPANICORVM.

12 FVit vniuersa Hispania à temporibus Attilæ Hunni in duodecim diuisa regna, quæ tamen posterioribus temporibus ad quinque redierunt, fuerunt que hoc ordine computata: Castella, Aragonia, Nauarra, Portugallia, Granatense quod & Hispania Bætica: postremum hoc in Maurorum potestate fuit, qui & in Granatensi vrbe Regiam suam habuerunt, vsque ad patrum nostrorum tempora. Constat autem, Castulonis reges ante multos annorum centurias fidem Christianam amplexos fuisse. Profligati enim ex Italia Gothi, quam sibi armis subiecerant, valideque ibi dominati fuerant sub Alarico & Atulpho regibus receperunt se in Hispaniam, cum rege suo Sigerico, cuius posteri longo ordine vniuersam prope hoc ordine obtinuerunt Hispaniam.

Series Regum Gothorum, qui in Hispania dominati sunt.

Sigericus, qui ab aliis dicitur Segericus.

Wallias, quem alii appellant Valiam.

Theodoricus qui & alio nomine Rodericus, factus rex anno Christi, CD XCI.

Thorismundus siue Thrasimundus, cuius fratres fuere Dietericus & Henricus.

Alaricus, Henrici Filius. Primus hic sedem sibi constituerat Tolosæ, sed eiectus Gallia in Hispaniam fugere compulsus est, per Clodoueum Francorum regem.

Tendius Alarici filius, occisus fuit.

Teudosilus, vel vt alii vocant Theudegesilus. Trucidatus hic fuit à suis, quod virginum matronarumque per vim labefactaret pudicitiam.

Agla. Hunc in aduerso prælio oppetiisse perhibent.

Atanagildus. Et hic interfectus est haud procul vrbe Toletana.

Leongildus fratrem suum in partem regni admisit, Luidum nomine. Arrianus fuit hic, vt & antecessores eius. Subiecit regno Castulonis Siciliam Insulam: hostiliterque persecutus filium suum Hermogidum, eum interemit, quod Orthodoxam Christi fidem Hermogidus sequeretur, circa annum Salutis D LXXII.

Riccaredus Lenogildi filius, ab Arrianismo ad fidem Catholicam conuersus dicitur per sanctum Leandrum.

Ludus & Viterius, iunctim regnauerunt.

Gundamirus.

Sesibutus, cuius dominatio per totam prope se extendebat Hispaniam.

Riccaredus eius nominis secundus.

Scintilla, qui Sesibuti fuerat Archistrategus.

Sisenandus, ante quem nonnulli collocant Racimirum.

Scintilla Secundus.

Tulca.

Vinda aliis historicis Witesuindus appellatus.

Richensuindus, Rex bonus & Sanctus.

Bamba. Trucidauit hic ingentem Maurorum numerum, qui hostiliter affligebant Hispaniam.

Henringus, qui in societatem regni admisit Egicum, generum suum.

Vitissa: eruit hic oculos Theuteberto filio Richensuindi, ad quem legitimo successionis iure regnum pertinebat. Is Theutebertus, cassus luminibus, cum vxore duxisset, procreauit Rodericum, qui cum ad regni gubernacula peruenisset, vindictam exegit à Vitissa & eius liberis, vltus hoc modo iniuriam parenti illatam, cum is adhuc puer admodum esset.

Rodericus. In hoc cessauit linea Regum Gothorum hoc modo. Habebat Rodericus in aula sua Comitem, nomine Iulianum, quem constituerat Præfectum Mauritaniæ Tingitanæ. Alii scribunt, eum in illam Africæ partem missum, vt fungeretur ibi legatione, quorum sententia videtur verisimilior. Dum autem Iulianus abest, Rodericus abusus occasione violentũ stuprum obtulit filiæ eius. Patri, cum iniuriam filiæ illatam intellexisset, nihil antiquius fuit, quam scelus hoc in Rege vindicare: in qua cogitatione cũ noctes diesq; versaretur, optimum factu iudicauit, si Mauros in Hispaniam euocaret: Qui non neglecta rei bene gerẽdæ occasione, traiecto freto Herculeo, armata manu Hispaniam ingressi sunt, circa annum Æræ Christianæ DCC XIV. duce quodam Mucio, quem Miramolinus rex eis præfecerat: vsi autem sunt magna felicitate Mauri, vt breui temporis spacio vniuersam prope sibi subegerint Hispaniam, quanquam non sine cruentis aliquot conflictibus, cum vno biennio vltra septuaginta hominum millia ab vtraque parte cæsa fuisse nonnulli scriptum reliquerint. Christiani vero, cum omnibus prope præliis victi fuissent, quod reliquum erat, ad Astures & Gallæcos se recepit cum Principe suo Pelagio, Roderici Patruo: qui deinde recepit ab Afris Legionem Vrbem, in qua regnauit per viginti annos. Hoc tempore non amplius appellauerunt se Gothorum vel Ostrogothorum reges, sed vsi sunt titulo regum Hispaniæ siue Castellæ. Porro hanc rem alii sic narrant. Pelagium, Roderici patruum, vt euitaret Vitissæ sæuitiam, qui iam fratri suo Theuteberto effoderat oculos, in locum solitarium confugisse, vbi assumto religioso vitæ genere, tantisper delituerit, donec viderit Mauros hostilibus incursionibus totam vastare prouinciam, miscentes cum rapinis cædes. Ibi demum Pelagium progressum è latibulo suo collegisse aliquam Christianorum manum, qui iam ante eo confugerant: quibus assumtis cum se in Asturum regionem contulisset, augescentibus ad iusti exercitus

modum

modum eius copiis, Mauris bellum intulisse Legionemque vrbem armis occupasse, vbi postmodum per viginti annos regnauerit, quo toto temporis spacio nactus opportunitatem, aliquem nec modicum agri modum Afris denuo eripuerit, quos vicinorum montium præsidio se tutantes Pelagius bello fatigauerit assiduo. Cum autem Mauri immane quantum crescerent numero, Pelagius infirmior coactus est vallo fossaque se ac suos defendere, ac beneficio meatuum subterraneorum vti. Sed ne sic quidem satis se tutum animaduertens, cum obsessus ab Afris grauiter premeretur, conuersus ad innocationem numinis Pelagius, videns se elabi non posse, Diuinum implorauit auxilium.

Nec caruerunt effectu preces eius: tela enim, sagittæ ac lapides, quas hostes in Christianos torquebant, conuerso ordine maximo cum impetu in Mauros irruisse, magnumque ex iis trucidasse numerum.

Cumque insuper intellexissent, laborare seditionibus inter se Afros, facta eruptione, commissoque statario pugnæ genere, multos interfeciisse, cæteros in fugam coniecisse. Hinc Christianos velut recepisse spiritum, animaduersoque, Deum pro illis pugnare, secutos prosperæ fortunæ ductum, subinde terras prouinciasque aliquas à Mauris recuperasse, impetratis etiam auxiliaribus à Carolo Magno copiis, quo factum esse, vt vndique cæderentur ac spoliarentur Barbari, & plurimis exuerentur regnis prouinciisque, quanquam vniuersa pelli Hispania non potuerint. Accidisse hæc ad annum Domini DCC LI. Pontificatum Romanum obtinente Stephano III. PP. qui & ipse metu Aistulphi Longobardorum regis in Galliam ab Vrbe profugerit.

Habuit Pelagius successorem in regno Fasilam Filium; qui cum in venatione Vrso occurrisset, correptus à fera inq; frusta concerptus periit, cum nemo ei suppetias ferret.

Alfonsus nepos Fasilæ, vel vt alii, fratris filius, primus Catholici cognomento ornatus fuit, quod Arianorum sectam regno suo eliminauerit, restituto in summum dignitatis gradum Christianismo. Vixit hic cum Chilpericus & Pipinus in Gallia regnarent.

Successit Alfonso patri Froila filius, siue, vt alii nominant Friola, ad annum Salutis DCC LXI. Vicit hic ingenti prælio Infideles Afros, qui agebant ferebant Gallœcorum regionem, qua quidem pugna exercitus eius vltra quinquaginta hostium millia trucidasse perhibetur. Occubuit percussus manu fratris sui Aurelii, qui hoc pacto regno per nefarium scelus potitus est.

Regnauit Aurelius Froilæ frater non nisi sex annis.

Quem secutus Silo Alfonsi gener, pacem cum Mauritanis Afrisq; fecit, compositis tumultibus per Gallœciam.

Curegatus Alfonsi filius, è Concubina procreatus, Afrorum auxilio ad regale fastigium conscendit. In huius beneficii professionem singulis eis annis certum virginum siue iuuenculatum numerum sub nomine tributi misit, quod ita cum iis priuatus adhuc pactus fuisset. Multum hic à virtute & laudatis antecessorum moribus degenerauit.

Germondus, siue Veremundus Alfonso affinitate iunctus Diaconum agebat, cum ad capessenda regni sceptra vocaretur: Cuius tædio, abiecto Diademate ad Ecclesiasticum reuersus ordinem ingressus monasterium, Monachum Regi prætulit.

Alfonsus II. Alfonsi primi filius Rex factus, plus religioni quam regno vacauit: fuitq; tantæ pudicitiæ, vt vxorem suam ne attingere quidem voluerit. Contemta igitur hominis sanctimonia, cum Afri ad eum deiiciendum solio concurrissent, adortus eos Alfonsus, virum se ostendit & rebus parem, interfectoque maximo hostium numero, cum ingentem prædam nactus fuisset, ædificauit è manubiis duo oppida, quæ appellauit Asturiam & Duetam.

Ramirus Germondi siue Veremundi filius, Normannos prælio deuicit, qui cum magnis copiis mare traiecerant ad vastandam spoliandamque Cantabriam. Prospere insuper pugnauit aduersus Afros, quo in prælio aperte eius copiis opitulatum fuisse S. Iacobum Apostolum perhibent.

Ordonius Ramiri filius moriens sex liberos reliquit, cum regnauisset annis decem, Vrbemque Toletanam Mauris ademisset. Obiit anno Salutis DCCC LXXXIII.

Quo eodem anno rex factus est Alfonsus III. cui ob felicitatem Magni cognomen attribuitur. Multa hic bella feliciter contra Afros gessit, quibus & duo egregia oppida in Lusitania eripuit Conimbriam & Visæam. Hic est ille Alfonsus, qui quatuor fratribus suis oculos effodi iussit, cum contra eum conspirassent.

Sunt qui scribant ædificasse illum Basilicam S. Iacobi Compostellæ: alii auctorem eius laudant Carolum Magnum Imperatorem, quorum sententia propius accedere videtur ad fidem historicam. Regnauit Alfonsus III. annis XL.

Garsias Alfonsi III. filius multa & periculosa bella gessit, capto etiam Aiola Maurorum rege, quanquam solis tribus annis regnauerit.

Ordonius II. extruxit à fundamentis templum cathedrale in vrbe Legionensi, magnificisque exornatum ædificiis insuper luculentis redditibus annuis dotauit. In bello contra Mauros infelix fuit, qui cruento quodam prælio magnum numerum militum eius trucidauerunt: inter quos & nonnulli Episcopi cæsi sunt. Erant ad id tempus quatuor Comites in regno Castellano, qui cum eo in militiam proficisci noluerant. Hos sollicite perquisitos ad se accersiuit, pollicitus, id eis nequaquam fraudi aut noxæ fore. Sed non sterit promissis, verum eos vbi comparuissent, corripi obtruncarique iussit. Offensi hoc facinore regni proceres, negauerunt ei inposterum obedientam, electis certis

quibus-

quibusdam Iudicibus, qui reipublicæ præessent. Ab his deinceps descenderunt posteriores Castellæ reges.

Froila II. Ordonii frater, crudelitate & sæuitia insignis fuit, iugularis magno numero viris nobilibus. Postremo leprosus factus interiit, relictis post se quatuor liberis, cum non nisi anno vno regnasset.

Alfonsus IV. cum regno se abdicasset, idque tradidisset fratri suo Ramiro, Monasterium ingressus est. Tactus vero postea sera pœnitentia, vitamque perosus Monasticam, reditum ad regnum sibi machinari conatus est. Quod cum animadvertisset Ramirus, comprehensum fratrem prauuit oculis.

Sanctius primus huius nominis, Ramiri frater. Fuit hic ventre adeo obeso, vt rectus incedere minime posset. Multis ergo vsus remediis, vt abdomen istud ex parte minueret, nihil tamen effecit. Erat ea tempestate Rex Maurus, nomine Abdemarus, regiam suam habens Cordubæ, homo magnæ prudentiæ, qui complures doctos Medicos alebat in aula sua. Quod cum sanctius intellexisset, facta cum Abdemaro pace, credidit se inutili illo pinguedinis onere Maurorum Medicorum ope leuatum iri. Cumque se suamque illi commisisset salutem, potionem sumsit, cuius is fuit effectus, vt excruciatum maximis doloribus regem interemerit. Sanctio extra regni limites versante, Ordonius filius Alfonsi, cui à Ramiro oculos erutos fuisse diximus, inuasit coronam regiam. Cæterum Sanctius ope Mauritanorum, quos ei Abdemarus in auxilium miserat, recuperauit regnum deturbato vsurpatore, mortuusq; est anno A N.C.DCC CCXVIII. cum annis vndecim regnasset.

Huius filius Ramirus III. Sanctio Patri successit. Regnante hoc Mauri, rupta pace, quam cum patre eius sanxerant, regnum eius hostiliter inuaserunt, vastata vndique regione. Vnde Galloeci contemta regis adolescentia, apud S Iacobi oppidum regem sibi elegerunt Bermutum Gordinii filium, Alfonsi IV. agnatum. Fuit huic Bermuto ingens bellum aduersus Almansorem Arabum siue Maurorum regem; vbi Bermutus prælio inferior ad Asturum montes fuga se recipere coactus est, Almansor autem castris apud Legionem positis vrbem obsedit, & paulo post oppugnatione cepit, cumque non solum oppido, sed & agris vastationem intulisset, raptim ingressus Galloeciam, Templum D. Iacobi deiecit. Bermutus autem rex, coniuncto sibi cum copiis Garsia Castellæ Comite, aggressus Mauros multum vicissim iis damni intulit; reportatis ab iis luculentis spoliis.

Successit Bermuto filius Alfonsus V. qui sororem suam in matrimonium dedit Abdalæ Mauro, regi Toletano, vt eius vteretur suppetiis aduersus regem Cordubensem, hostem. Sed puella regia, cum Christianam profiteretur fidem, vetita numinis iram, in hominis gentilis amplexus, præsertim Mauri, venire noluit, vbi nec minis nec pollicitationibus locum dedit. Dum hæc agun ur, rex Maurus moritur, & virgo, impostuni matrimonii formidine liberata, in monasterium virginum se abdit. Extinctus est Alfonsus V. in obsidione Visæi oppidi in Lusitania, ictus sagitta. Bermutus III. Alfonsi filius, iuuenis admodum mortuus est, nulla relicta sobole, cum non nisi quatuor annis regnasset.

Ei successit in regno Sanctia soror cum marito suo Ferdinando Primo, Castellæ Comite. Fuit Ferdinandus hic primus, qui duo regna coniunxit, Castulonis & Legionis, quod factum est anno Salutis M XVIII. Ad id vsque tempus præfuerant Castellæ regno Comites Gubernatores: at Ferdinandus, vt dictum est primus se nominauit regem Castellanum. Quin & ad superiora regnum quoque Nauarrenum adiunxit, fratri Garsiæ ereptum. Videns autem ad tantum se peruenisse robur, annixus est, vt bonam Lusitaniæ partem adiungeret suæ potentiæ cum Vrbe Conimbricensi. Obiit quadragesimo regni sui anno. Non est autem dissimulandum, esse, qui de Nauarreno regno aliter sentiant, sed nos communiorem sequimur opinionem.

Cum enim Saraceni Africæ continuis excursionibus plerasque Hispaniæ popularentur prouincias, Nauarreni Enecum quendam regem sibi præfecerunt, hominem magnæ potentiæ, qui iam antea possidebat Comitatum Bigorrensem, qui ad vsq; Pyrenæos montes excurrit. Hic magna prosperitate cum Afris bella gessit, reportatis ab iis nobilibus aliquot victoriis.

Post Enecum Rex factus est Garsia filius eius: post quem hi secuti sunt ordine:

Sanctius Abarca, Garsias. Sanctius Castellanus.

Ferdinandus Sanctii filius. Expugnauit hic Valentiam Vrbem, ope & auxilio Roderici Vituarensis, anno Christi M XXX.

Sanctius & Alfonsus frater eius. Pulsus hic ab illo actusque in exilium, confugit Toletum ad regem Maurorum, in cuius aula aliquandiu vixit. Appellabatur hic vulgo *Rex cum pertusa manu*: cuius cognominis hæc fuit ratio. Cum familiariter admodum vteretur Afrorum principibus, contigit, vt aliquando eorum Concilio interesset, quod habebatur in regia Toletana. Quibus deliberantibus, ipse inclinato in vicinum scamnum corpore, simulabat somnum. Mauri autem eum dormire parum credentibus, accurrere nonnulli, alta clamantes voce & eum surgere iubentes, adesse quosdam, qui liquefacto plumbo ei perforaturi essent manum. Etsi autem Alfonsus hæc verba probe intelligeret, perrexit tamen in profundi somni simulatione, sustinuitque, vt liquefactum plumbum in volam eius infunderetur. Ictus autem doloris vehementia, cum subito exiliisset, fidem eis fecit, vere se dormiuisse. Sequenti die susceptæ sunt pacis conditiones inter ipsum & regem Maurum: quibus non obstantibus, arrepta Alfonsus occasione, fregit fidem iuramento firmatam, eripuitque homini Vrbem Toletanam. Vt autem reuertamur ad Sanctium fratrem eius, sciendum est,

est, periisse eum cum Zamoram siue Sarabrim Hispaniæ vrbem cum exercitu obsideret, occupaturus eam in gratiam Vracæ sororis suæ. Cum enim quidam ex oppidanis, Velgida Olfosinus nomine, proditorem ac transfugam simulans, ad regem venisset, eique dixisset: si desiderio potiundi oppidi teneretur, sequeretur se, commōstraturum se ei secretam portam, per quam sine noxa cum suis ingredi posset: Rex nimis credulus, cum simulatoris verbis fidem adhibuisset, secutus eum, cum haud procul abdita illa porta ad necessaria naturæ secessisset, Velgida traiectum regem tragula mortuum reliquit, inque oppidum confugit. Hunc tam infelicem Sanctius vitæ nactus est exitum.

Alfonsus reliquit filiam Vracam, quæ postea nupsit Raimundo Comiti Barchinonensi, vnde natus est filius, cui inditum est nomen Alfonso septimo: qui postea successit auo materno in regno: habuitq; hos liberos:

Henricum, huius nominis primum, Castellæ regem.

Sanctium & ipsum Castellæ regem.

Alfonsum Octauum, filium Sancii.

Ferdinandum regem Legionis.

Alfonsum Nonum.

Beatricem filiam, nuptam Ludouico Francorum regi.

Est autem Alfonsus iste VII. iudicatus superior potentia & viribus omnibus regibus, qui eum antecesserant, vnde à quibusdam *Hispaniæ Imperator* appellatus fuit, cum occupasset Cordubam, Patmeniam, Baionam cum aliis multis præcipui nominis oppidis: acquisitis etiam regnis nonnullis. Excessit è viuis cum Fridericus I. cognomento Barbarussa Imperator esset.

Sanctius III. Castulonis rex, vxorem habuit Blancam filiam Garsiæ Nauarreni regis, vnde natus est Alfonsus VIII. qui ducta in vxorem filia regis Angliæ, complures ex ea sustulit vtriusque sexus liberos, interque eos Blancam, Ludouici Gallorum regis matrem: Berengariam nuptam Alfonso Legionensi: Vracam, coniugem regis Portugalliæ: Eleonoram nuptam regi Aragoniæ.

Fuit hic Alfonsus VIII. felix in bello aduersus Mauros, quorum multa millia vno prælio ad internecionem concidit, mortuus anno MCLX.

Octauo in regno successit Alfonsus IX. filius Ferdinandi, regis Legionensis, genuitque filium, Ferdinandum, eius nominis tertium.

Henricus Alfonsi VIII. & ipse filius, exiguo empore regno præfuit, solo biennio.

Quem secutus Ferdinandus III. Alfonsi X. filius, Castellæ & Legionis rex fuit. Multas hic & glorioſas à Saracenis reportauit victorias, subacta omni prope Hispania, profligatisque Barbaris in Bæticam vsque, quam nos Granatensem hodie appellamus, iisque factis sibi tributariis. Regnante hoc, ccidit ad annum Salutis MCCLII. vt Iacobus, Aragonū rex armis occuparet Balearicas Insulas, quas Maioricam & Minoricam vocamus, redactis ad Christianæ fidei amplexum incolis, quod non sine ope auxilioq; huius Ferdinandi III. regis factum est.

Filius eius Alfonsus X. matrimonio sibi iunxit Violentam, natam Iacobo Aragoniæ rege, quam & tenerrime dilexit. Cum autem nullos ex ea susciperet liberos, volens dissoluere sterile hoc matrimonium, curauit, vt adduceretur sibi Christina, Danorum regis filia, exquisitæ pulchritudinis virgo. Dum hæc agitantur consilia commoranti apud Hispalim regi nunciatur, Violentam reginā ferre vterum. Cōfusus inopsque consilii rex, cum non inueniret, quid de Christina, quæ iam in spem regiarum nuptiarum venerat, faceret: peropportune accidit, vt Philippus frater regis, Abbas Vasolidensis & Archiepiscopus Hispalensis, ad aulam veniret. Hic, vt fratrem nodo illo expediret, abdicauit se Ecclesiastica dignitate, duxitq; ipse Christinam Danam in vxorem.

Lætatus rex, vtrumq; multarum prouinciarum prouentibus opulentissime ditauit, proximumq; ab se locum tribuit.

Habuit postea Alfonsus X. complures ex Violenta liberos, Ferdinandum, Sanctium, Iohannem, nec non filias, Berengariam, Leonoram, Beatricem, quæ postrema nupsit Lusitanorum regi, luculentamque ei dotem attulit, regnum nempe Algerbiæ, vbi olim Turdetani populi. Et hinc factum est, vt inposterum Lusitaniæ reges Algerbiæ quoq; possessione lætati fuerint. Fuit hic Alphonsus X. princeps cum primis sapiens doctusque, cuius etiam monumenta literaria extant, interque alia *Libri Historiarum Mundi*; itemque *de motibus cæli & stellarum*; nec non *Tabulæ Alphonsinæ*. Vocatus fuit ad Imperii Romani sceptra à quibusdam Electoribus, aduersus Richardum Anglum, miseruntq; proceres Imperii ad ipsum Burgos vsque in Castiliam veterem Episcopos Spirensem & Constantiensem cum S. Galli Abbate, vt ei de Electione nuncium afferrent. Acceptauit Alfonsus primo Imperii dignitatem, tradito auito regno filio suo Sanctio. Auditis autem Principum Germaniæ contentionibus, rogatusque à nonnullis, cessit dignitatem istam Rudolpho Habsburgensi, qui haud ita pridem Romanorum rex electus fuerat. Reuersus igitur in Hispaniam, vnde venerat, cum esset Hispali, mœrore animi extinctus est, cum Imperio pariter & regno patrio excidisset. Nec enim filius reduci patri à solio regio assurgere, aut Diadema reddere voluit. Reliquit Alfonsus moriens hos liberos:

Sanctium IV. Iohannem: Didacum: Petrum: Berengariam: Beatricem.

Successit, vt diximus, Alfonso X. patri Sanctius IV. filius, felix in bello contra Mauros, vt qui traiecto freto in Africam ingressus occupato Tanfa oppido, ingenti prælio deuicerit Mahometum Fessæ regem, constituta in littore illius regni numerosa classe Hispanica. Non tamen effugit ingratitudinis & sæuitiæ cauterium: quod

patri ex Germania reuerso cedere regno noluerit: quodque quatuor millia nobilium Hispanorum ad Passerolam trucidari iusserit, qui mota seditione Alfonsum, fratris eius filium, regem consalutauerant.

Ferdinandus IV. Castellæ & Legionis rex suscepit ex Constantia, Lusitani regis filia, vxore, Alfonsum XI. & Eleonoram filiam, nuptam Alfonso Aragonũ regi. Occupauit hic rex vtrũq; freti Herculei littus anno MCCCLXXII. Alfonso vndecimo liberi fuerũt: Petrus, Alfonsus, Selsius, Sanctius, Henricus II. pater Iohannis Primi, & Leonora Nauarræ Regina.

Defuncto patre Petrus ad regnum peruenit, homo sceleratæ vitæ, qui neà matris quidem cæde abstinuerit, interfectis insuper propinquis consanguineisq; suis, aliisq; primi nominis hominibus. Cumq; idem exitium machinaretur Henrico fratri, hic dolum sentiens, ad Aragonios confugit, impetratisq; ab eo rege auxiliis, reuersus in regnum, fratrem in vrbe Toleto occupatum carceri inclusit, inclusum pugione cõfodit. Quo extincto Henricus à proceribus regni ad diadema vocatus, coronam suscepit anno Dominicæ incarnationis MCCCLXXII.

Successit huic Henrico II. Alfonsi vndecimi filio, Iohannes primus huius nominis, duxitque vxorem Eleonoram filiam Petri Aragonum regis. Duo difficilia dubiæq; fortunæ bella hic gessit: vnum aduersus Lusitanos, cuius causa fuit mors Ferdinandi Soceri eius, cui volebat succedere iure materno, ciuibus proceribusque regni ad spurium quendam Iohannem nomine, sanguine ortum regio, inclinantibus. Alterum ei bellum fuit contra Anglos, qui ex vtroque eum regno, Castellæ & Legionis profligare conabantur, eo quod regis Angliæ filius, cui nupserat Petri Aragoniæ regis filia, vtrumque sibi deposceret regnum, quod ad vxorem hæreditario iure pertinerent. Sed posterius hoc bellum ita compositum fuit, vt in affinitates nouas desineret. Non autem videtur alienum ab instituto nostro, Genealogiam vniuersam Iohannis I. regis vsque ad nostra tempora continuatam subiicere.

Igitur Iohannes Castiliæ Rex ex vxore sua Eleonora duos filios suscepit: Henricum Regem Castellæ & Legionis, & Ferdinandum Aragoniæ regem. Henrico rursum duo fuerunt filii, Iohannes Castellæ rex, & Maria Aragonia. Iohannes filiam habuit Elisabetham & filium Henricum, è quo altera Elisabetha filia procreata est.

Videamus iam secundum Iohannis superioris filium, Ferdinandum nempe Aragonium. Huic igitur quatuor fuerunt liberi. Alfonsus Aragonum & Siciliæ rex: Iohannes, qui postea successit fratri: Maria Castellæ: Iohanna Lusitaniæ regina.

Ab Iohanne illo, quem Alfonso fratri successisse monuimus, progenitus est Ferdinandus Castellæ rex; à Ferdinando vero, Iohanna filia & Iohannes filius, qui deinde vxorem duxit Margaritam Maximiliani Austriaci Imperatoris filiam. Iohanna nupsit Philippo Austriaco, eiusdem Maximiliani filio, & Catharina Anglorum regi.

Sic igitur deinceps accipe. Philippus Austriacus, Belgarum Burgundionumq; Princeps, Maximiliani Cæsaris filius & Iohanna Hispana hos habuerunt liberos.

CAROLVM Quintum Imperatorem. Ferdinandum I. & ipsum Imperatorem. Eleonoram, Emanuelis Lusitaniæ Regis, deinde Francisci I. Galli coniugem. Mariam Reginam Hungariæ, Elisabetham vxorem Christierni Regis Daniæ: postremo Catharinam Iohannis Lusitani coniugem.

Reliquit Carolus V. filium vnum, Philippum Austriacum, Hispanorum regem, eius nominis secundum.

Quod si quis me velit cæptam superius Genealogiam pertexere vlterius: sic dicam: Successisse Henricum III. regem patri anno AN. C. MCCXC. Fratrem autem eius Ferdinandum assumtum fuisse in regem Aragoniæ, cum Martinus Aragonum rex sine liberis masculis mortuus fuisset, & mater Ferdinandi fuisset filia Petri Aragonii. Elocauerat autem Henricus iste filiam suam in matrimonium Alfonso suo è fratre nepoti. Hæc mulier sola præfuit regno per annos viginti quinque, absente marito, qui se bellis Italicis implicuerat, ob causam regni Siculi.

Iohannes II. mortuo patre suo rex Castellanus consalutatus est. Genuit hic ex vxore sua Maria Ferdinandi filia Henricum IV. Multum hic negotii exhibuit Alfonso propter regnum Aragonium, sed conatus eius fuerunt irriti. Tantum autem apud illum valuit Monachus quidam Iacobinus, vt ad huius suasionem omnes Iudæos è regno suo proscripserit, prohibitos quicquam bonorum extra Hispaniam efferre. Vnde multi ex iis, Christianismum professi, baptizari voluerunt, scil. vt sua seruarent bona. Cæterum hoc non obstante (vt est perfida illa gens & scelerata) in occulto suas habebant Synagogas, & reuoluebantur subinde ad Iudaismum.

An. A N. C. MCCCCLIV. excepit patrem in regno Henricus IV. Eripuit hic aliquot per Hispaniam Mauris siue Saracenis oppida: & postea armis ac vi occupauit regnũ Nauarrenũ, defuncto Carolo Aragoniæ regis filio. Caruerat hic liberis propterea, quod haberetur ad generandum ineptus, quanquam ipse contrarium asseueraret, producta in medium filia notha, quã ab se procreatam affirmabat. Igitur proceres regni repudiato eo assumserunt sibi reginam Elisabetham, Henrici IV. regis sororem, quam nuptum dederunt Ferdinando V. Iohannis Aragonii, Principi sanguinis regii, qui & postea in regnis Hispaniæ successit.

Is igitur Ferdinandus V. Princeps bonus & Catholicus diadema regni sumsit anno AN. C. MCCCCL. Fauit huic impense fortuna belli, vt multi Saracenos Mauros q, prostratos præliis, partisq; elegantibus victoriis, omni Barba-

ros

ros prope eiecerit Hispania: quorum vltimi profligati sunt ii, qui Bæticam siue Granatense regnum incoluerant, postquam illud circiter septingentos annos possedissent. Regna Neapolitanum Siculumque hæreditatis iure ad eum deuoluta sunt. Filium vnum habuit, cui vxorem desponderat Margaritam Austriacam Maximiliani I. Cæsaris filiam. Cæterum hic ante patrem viuere desiit, nullis relictis liberis, qui succedere possent. Hinc motus Ferdinandus in filium sibi adoptauit Philippum Austriacum, cui & Iohannam filiam suam in matrimonium dedit, vnde nati sunt duo Imperatores, Carolus V. & Ferdinandus I.

Caroli filius fuit (vt supra quoque diximus) Philippus Austriacus, eius nominis Regum Hispaniæ secundus; qui cum Regnum adiuisset anno AN. C. MDLV. obtinuit istud vsque ad annum MDXCIIX. Hoc Hispaniarum regna obtinente fusæ prostrataeque sunt vires Turcarum maritimæ, magno illo & celebri in mari Ionio prælio nauali. Adiunxit hic circa annum AN. C. MDLXXX. ad cætera regna sua etiam diadema regni Portugalliæ, vt iam de cæteris eius factis memoria dignissimis nihil dicamus.

Vxores Philippus II. habuit IV. Prima fuit filia regis Lusitaniæ, ex qua suscepit filium Carolum. Secunda Maria, regina Angliæ, vnde nulla soboles. Tertia fuit Elisabetha, Henrici II. Gallorum regis filia, vnde nata est Isabella Clara Eugenia, Alberti Austriæ Archiducis vxor. Vltima fuit Anna Austriaca, Maximiliani II. Imperatoris filia, Mater Philip. III. regis. Potitus est regnis suis per annos XI. III. quæ & multis variisq; modis auxit. excessit è viuis a. d. XIII. Septembris, anno A N. C. M D XCVIII. ætatis suæ anno septuagesimo.

Successit patri Philippus III. ducta vxore Margarita Austriaca, quod factum est anno A N. C. MDXCIX. Hinc nata est ei anno MDCI. filia, nomine Anna Maria Mauricia. Deinceps anno MDCV. natus est filius, Hispaniarum heres, nomine Philippus Dominicus Victor. Dominatur is nostra tempestate longe lateq; non in Hispania solum, sed & cæteris per Europam regnis potentiæ Hispanicæ subiectis, vtiturque nomine PHILIPPI QVARTI. Vxorem habet Elisabetham filiam maiorem Henrici IV. Galliæ & Nauarræ regis.

SYLLABVS PROVENTVVM ANnuorũ, quos rex percipit ex omnib. illis regnis & prouinciis, quæ hodie communiter sub Hispaniæ nomine continentur.

STuduimus, amice lector, in hoc nostro Syllabo speciatim enarrare, quantum fieri potuit, rectigalia & prouentus annuos, quæ rex Hispaniorum quotannis percipit ex vrbibus, oppidis, & cæteris locis in regno suo. Vt autem quæ sequentur, intelligantur facilius, sciendum est, vti Hispanos vocabulo *Alcauale*, quo significant decimam partem, quæ regi persoluitur, de omnib. mercimoniis, insuperq; etiam de domibus fundis cæterisque bonis. Hoc ius soluitur regi antequam quis possideat titulum Principis, vel Illustris Viri, vel Equitis. Multæ autem ex iis ciuitatibus, quas infra recitabimus consueuerunt paciſci cum rege, vt vnaquæque in loco, vbi ius dicit cum ipsa tum ager vicinus, suam persoluat assignatam partem, & sic satisfaciat regi, numerata certa pecunia pro fortuita. Quanquam autem in multis locis Alcauala id est decimas suas rex singulari libertate donet benemeritis, aut eas vendat, fit tamen id ea lege, vt semper tertia pars maneat fisco regio. Sic igitur accipe.

Ex Salinis in regno Hispaniæ redeunt quotannis ad regem scutatorum millia CCXXVII. præterea quæ CMXLI. solidi VII. nummi X. Valet autem scutatus vnus regales nummos XII. Nam computationem quæ fit per Maraueedas, omittemus, cum sit minutissimum monetæ genus, & tædiosissima earum per tot millia numeratio.

Decimæ mercimoniorum, quæ veniunt mari ex Cantabria, euntque per Castellæ regnum, constituunt annua scutatorum millia CLXXI præterea DLXVIII. cum solidis XVII. nummis VI.

Decimæ quæ mari aduehuntur è principatu Asturum soluunt scutat. mill. DCCCCXXVI. insuper CDLXXV. solidos V. num. VII.

Præfectura oppidi Bilbao soluit è mercimoniis mari aduectis scutat. centena millia XII. itemq; CMLXXX. solidos XXIII. num. IV.

Vrbs Burgensis cum agro suo numerat pro redditibus, tertiis decimisq; quotannis millia scutatorum XLI. prætereaque DCXXXIII. solid. XX.

Locus iurisdictionis Burgensis (Hispani Merindadam vocant) qui appellatur Pluteus siue Auditorium soluit quotannis millia V. itemq; scutatos LXVI. solidos XLV.

Occamons numerat quotannis scutatos LX. XXIII. solidos XX.

Iurisdictio Rioiæ dat scutat. MCCCLII. solidos VI.

Iurisdictio ad Iberum scutat. millia IV. insuper CMI. solid. L.

Iurisdictio trans Iberum dat scutat. millia III. itemq; CCCCXXXV. solid. L.

Victoria ciuitas numerat quotannis scutat. DCLIX. solid. XVII.

Prouincia Guipuscoa, quæ pars est Cantabriæ soluit regi quotannis scutat. MMDCCCXCIV. solidos IV. nummos VI.

Ferrifodinæ eiusdem prouinciæ soluunt scutat. CCCLXVII. solid. XXXVIII.

Loca septem Iurisdictionum siue Merindadę Castellæ veteris scutat. MMCCCVIII. solidos XLIX.

Vallis Menensis numerat scutat. DLVIII. solid. XLIX.

Ager Iuliobricensis (hodie Logrogno dicitur) soluit quotannis scutat. MDCCLVI. solid. LII.

Oppidum Iancasinum cũ agro suo pendit scut. MCCCXXV. sol. LVII.

Ciuitas S. Dominici soluit millia scutat. IX. insuper CIII. solidos LV.

Oppidum Didaci (siue Iacobi) scutat. MCCC XXXV. solid. XLVII.

Iurisdictio Mugonensis pendit millia scutat. X. itemq; CMIII. sol. L.

Oppidum cum Castro Assidonensi, (hodie Xeres dicitur) soluit quotannis scut. millia XIX. insuper XCIV. sol. IV.

Locus Iurisdictionis de Ceriato pendit scutator. millia IV. præterea DCCCXXIV. solidos XII.

Merindada siue Iurisdictio Monzonẽsis scutatorum millia V. itemque D LXXVII. solidos XXV.

Palentia vrbs cum Prouincia Camporũ pendit annua scutat. mill. XLI. itemque DXXXIX. cum solidis XXX.

Carrionis oppidũ soluit scut. MCCXXVII. sol. XX.

Iurisdictio Carrionis scutat. MCXXXII. sol. XXI.

Loca quæ spectant ad Petrum Aluaresium de Vega pendunt quotannis scutat. mill. VIII. præterea q; CCCCXLI. solid. X. num. VIII.

Oppidum Sahagunæ pendit scut. mill. IV. itemq; CMII sol. XV. num. IX.

Iurisdictio Pernensis scutat. CDXXXVI. sol. XV. num. IX.

Iurisdictio Campensis MMMMCCXCI. solid. III.

Vallis Mirandæ soluit MCCCLXXXI. scut. solidos LI.

Quatuor oppida quæ appellantur vulgo Maritima pendunt scutatorum millia VIII. præteraque scutat. DCCCLXVI. sol. XXXV.

Principatus Asturiæ cum ciuitate Ouiedana soluit millia scut. triginta, præterea q; CCLXIV. sol. XLII.

Ciuitas Luconia soluit scutat. millia X. insuperq; scutat. XXXIX. sol XLIII.

Mondogneda siue Montonia oppidum numerat millia IV. scutat. insuper CCXLV. sol. VI. num. VI.

Orensana ciuitas cum sociis pendit scutat. millia XV. præterea DCCCCL. sol. vero LIX.

Ciuitas Compostellana ad S. Iacobum, & loca Archiepiscopatui illi subiecta soluũt annua mill. XLIV. scutat. insuper DCXXVIII. sol. LV.

Ciuitas Thuiana & loca Episcopatui illi subdita soluũt mill. XIV. scut. insuper CCLXXXI. solidos L.

Oppidum Ponfertanum pendit mill. IV. scutatosq; CXL. sol. LI. num. VI.

Ciuitas Legionensis & loca Iurisdictioni Episcopi illius subiecta soluunt millia XIV. scut. insuper DCCV. sol. LIV.

Astorgana ciuitas cum agro suo & Episcopatu numerant iunctim millia III. scutatosq; DLXVI. solid. XI.

Loca illa, quæ Hispani appellant *Cauadias de Legione & Asturca* numerant scutatos MCMLIII. sol. II.

Zamorana Ciuitas cum sua Iurisdictione pẽdit millia XXXVI. scutat. insuper DCCLX. sol. IV. num. VIII.

Ciuitas Taurensis cum sociis soluit millia XXVI. cum scutatis DCCCCLX. sol. XL.

Vallis Vregnana, quia decima spectat ad Ducem Ossunensem, pendit solum CXLII. scutat. solid. IX. nummulos VI.

Vallis Garegnana soluit pro tertiis & decimis millia V. insuper scutatos DCCXVIII. solidos VIII. nummos IV.

Varacilla de Loma numerat scutat. DCXII. sol. XLV.

Vrbs Salmantica cum agro & Iurisdictione sua pẽdit millia LVIII. scutatos insuper DCCC XXIII. sol. XXXII.

Ciuitas Roderici cũ sociis scut. mill. XXVII. insuperq; DCCCVI.

Triguerorum societas scutatos soluit MXXII, sol. III.

Olomillana ciuitas scutatos CXV. sol. XI.

Oppidum Tordesillsanum cum locis appertinentib. numerant mill. VI. scutatosque insuper CCCLXXII. sol. XXXIII. num. II.

Ciuitas Valladoletana cum sociis & iurisdictione numerat millia LXXI. scutatosq; insuper LXXX. sol. LV.

Oppidum Tordehumos soluit scut. MMXII. solidos XV. num. II.

Medina Campi cum locis sociis pendit quotannis millia LXXV. insuper DCCCXXIII. solidos XXXIV.

Oppidum Olmedum cum sociis, mill. V. scut. insuper CCLXVII. sol. X.

Oppidum Naua cum septem Ecclesiis pro tertiis soluũt scutatos DCCCXVII. solidos IX. Decimæ enim pertinent ad Franciscum Fonsecam.

Madrigalense oppidum soluit M D CLXX. scutatos, sol. II. num. VI.

Areuallense oppidum cum sua iurisdictione pendit millia XIII. insuper scut XIV. sol. IV.

Ciuitas Auila cum sociis & iurisdictione sua mill. XLVII. preterea scutat. soluit CCCCLXX. sol. IV. num. VI.

Segouia Ciuitas cum agro suo pendit millia XXX. scutatosq; DLXXXIII. sol. XX.

Oppidum Aranda de Duera, cum agro suo numerat millia IX. scutatosq; insuper CLXVII. sol. XXVII. num. VIII.

Roa oppidum pendit quotannis scutat. MDCCXX. sol. LIV. num. II.

Oppidum Gomielis Isanii soluit pro tertiis scutat. CCCLXXVII. sol. XXVII. quod decimę spectant ad Ducem de Ossuna.

Sepulueda oppidum cum locis sociis pendit scutatorum millia VII. insuper scutatos CCCC LXXXII. sol. LVI.

Ciui-

Ciuitas Soria, (quæ veterum fuit Numantia) cum sociis pendit millia XXV. scutatos insuper CC. sol. LIX. nummos VI.

Oiluna ciuitas cum locis vicinis & Episcopatu suo soluit mill. IX. insuperq; scut. DCCCIII. sol. LVI.

Agreda & Caracena oppida cum socii millia V. scutatosq; CL. sol. XXIV.

Molinæum oppidum cum agro suo pendit millia XIV. præterea scut. CXCIII. sol. XXVIII.

Ciuitas Sequentia (Ciguença) cum sociis numerat mill. VIII. scutatosq; insuper CMLXXV. sol. XXX.

Cuença ciuitas siue Concia, cum agro sociisq; pendit mill. LX. cũ scutatis insuper CCCCVII. sol. XXV.

Ciuitas Huetana cũ sociis pendit mill. XLIII. scutatosq; CMXI. sol. XLVIII.

Villarena de Fontibus millia VI. scutatos insuper CLXIX. sol. VII.

Marchionatus Villenanus soluit mill. LXXVI. scutatosque præterea CXXXVII. solidos XV. nummos VII.

Bellomontium oppidum scutatos soluit pro tertiis MCLXVI. sol. IV. Decimæ enim pẽduntur Marchioni de Villena.

Murcia Ciuitas cum sociis & iurisdictione numerat mill. XXXVI. scutatos præterea CCC XXIII. sol. XXXII.

Lorca Ciuitas cum agro millia XII. scutatosq; CCLIV. sol. LV.

Alcaresium oppidum cum agro sociisq; pendit mill. XLI. scut. DCXXVII. sol. XXVI.

Oppidum Secura Montana cum agro & vicinia pendit millia XXVII. scutatosque insuper C LXXXIII. sol. L. numinos VI.

Villanoua Infantium cum sua Prouincia pendit millia XXI. scutatosq; insuper CCXXXV. sol. XVII.

Ocagna oppidum cum prouincia quæ Castilla nominatur soluit quotannis mill. LVI. scutat. insuper CCCCXXXII. sol. XI.

Guadalaiara ciuitas cum vicinia, mill. XXVII. scut. CXVII. sol. XL.

Proxa & Poza oppida soluunt iunctim millia XXVII. scutatosq; CXVII. sol. XL.

Almonacida oppidum cum prouincia Soritana, MMCMXI. scut. sol. LVI.

Oppida Vega, Talamenca, Tordelaguna cum suis iurisdictionib. pendunt millia XLVII. scutatos insuper CXXX. solidos XXII. num. VI.

Oppidum Hyepes pendit quotannis scutat. CIII. sol. XLI.

Alcala de Hennarez (olim Complutum) cum locis suæ iurisdictionis & Bribueda oppido soluunt millia XXXIX. & scutat. DCCCXXVIII. sol. XXIX.

Madritum (olim Mantua Carpetanorum) cũ sociis locis pendit mill. LVII. cũ scutatis insuper DCCCCXLVII. solidis XXXVI. nummis II.

Comitatus Pugnonius in rostro soluit scutatorum mill. III. & LXXXV. sol. XIV.

Grignonium & Cuba oppida soluunt pro tertiis scut. CCLXXXIX. XXVI. sol. VIII. num. Nam decimæ dantur Alfonso Mendozæ.

Oppidum Galapahar pendit pro tertiis scutatos CCCXCII. sol. IX. Decimæ enim spectant ad Ducem Infantasciæ.

Illesca oppidum cum sociis soluit millia V. scutatos insuper CXXIX. sol. XXXVII.

Toletana ciuitas cum sociis numerat millia CLXXVI. scutatosq; CLXIX. sol. VII.

Prouentus regii, qui appellantur Seruicia Montagonia conficiunt quotannis mill. XLVI. cũ scutatis insuper DCCIII. solidis XL.

Almagrum oppidum cum prouincia sua dat mill. VII. scutatosq; CCXCI. sol. XL.

Magisterium ordinis Calatrauæ millia soluit VIII. insuper CDXXVII. solid. VIII.

Ciuitas Regalis oppidum dat MDCCI. scutatum, solid. LIV.

Loca quæ comprehenduntur sub Archidiaconatu de Talauera Reginæ soluunt quotannis scutatos MCXII. sol. XLV.

Placentia vrbs & loca Archidiaconalia pendunt millia XLV. insuperq; scut. CCLXXXIX. sol. XII.

Trugillium ciuitas cum locis sociis confert quotannis scutatorũ millia XXIX. & DCCCC LX. sol. XLVII. num. VI.

Cacerense oppidum eiusq; socii soluunt mill. XIX. scutatosq; CCXLIX. solid. XII.

Ciuitas Baiadocensis cum agro pendit mill. XXIV. scut. CDXXXVIII. sol. XLIII.

Alcantara cum sociis & prouincia soluit mill. XXIII. scut. XLIV. sol. XXXIII. num. VI.

Decimæ è gramine & fœno ordinis Calatrauę ad nutrimentum equorum, cõstituunt mill. scutat. VIII. & CCLXXXV. sol. XLV.

Prouincia Serena soluit millia XVIII. scutatosq; DLIII. sol. LV.

Oppidum ad Fontem Magistri millia XVII. & scut. XC. sol. XLI.

Oppidum Xeres ad Baiadociam confert millia XVII. itemq; CDLXI. scut. solid. LI.

Guadalcanalense oppidum cum sociis pẽdit scutatorum millia VIII. scutatos insuper C. solidos XXXIII.

Hispalis siue Seuillia cum sociis & pro agro suo numerat quotannis CCCCXLI. mill. scutatorum & insuper DCXLVII. cum solidis VI.

Prouentus annui dominii Hispalensis constituunt scut. mill. IV. itemq; CMI.

Ciuitas Palma cum Geluensi oppido pro tertiis soluunt scut. DLXXXIII. solidos viginti: decimæ enim pertinent ad Comitem Palmensem.

Oppida Teba & Ardales tertias duntaxat soluunt, quę se extẽdunt ad scut. MCCCCXXIV. sol. I. num. III. Nam decimæ dantur Marchioni Ardalesio.

Clarena oppidum cum sociis pendit pro tertiis decimisq; scutatos septies mille & sexcentos quinquaginta nouem, sol. XIX.

Ciuitas Gadium numerat millia viginti & scut. DCXCI. sol. X.

Prouentus Vicecomitatus ciuitatis Gadium

extenditur ad mill. VII. & CCCCXLVI. scutat. sol. V.

Oppidum Gibraltar in Freto Herculeo soluit scutat. mill. III. & DCLXXVI. cum solidis VIII. nummis III.

Ciuitas de la Frontera siue Finium cum sociis pendit millia I.I. & scutat. DCCCXXXVIII. sol. III. num. VI.

Carmona oppidum sociique pendunt millia scut. XXIII. itemq; CLXI. solidos IV. nummos VI.

Lora & Setauilla oppida dant MDCLXVI. scutatos, sol. IV.

Ciuitas Eciia (veteres Astigin dixere cum sociis & suburbiis suis pendit mill. scut. XXXVII. insuper DCCCCXC. sol. XI. num. VI.

Corduba ciuitas cum suis clientibus numerat scutatorum mill. XXII. & LIII. solidos LIII. nummos II.

Loca Regia apud Cordubam soluunt millia XLI. scutat. insuper CXVIII. solidos XXXVIII. nummos II.

Anduiara siue Clastum oppidum cum sociis pendit scutatorum mill. XI. itemq; DCCLXIV. sol. XXX. num. VI.

Erbeda ciuitas cum suis soluit mill. XXVIII. insuperq; scut. DXXXI. sol. L. num X.

Quesada oppidum quotannis dat millia scutat. III præterea scutatos CDLXXV. sol. XXIX. num. VII.

Comitatus S. Stephani soluit scutat. MMMCCLXXXIV. sol. XIX.

Oppidum Martosium cum suis soluit mill. XXVIII. scutat. XXIX. sol. IV.

Ciuitas Iaenensis (olim Fauentia) cum sociis pendit millia XXXIX. insuperq; scut. XXXIV. sol. XIX. num. VI.

Ciuitas Granatensis cum agro & clientibus soluunt iunctim quotannis millia CIV. itemq; scut XCIII. cum solidis VIII. num. VI.

Ex serico, quod apud Granatam conficitur, redire dicuntur ad regem quotannis mill. LIII. scutati insuper DCCCCXXI. solidi IV. Quamuis haud sciam, an nostra tempestate tam opulentus sit prouentus, vtiq; postquam omnes in vniuersum Mauri anno AN. C. MDCX. ex omni profligati sunt Hispania. Nec potui vel diligentissima perueſtigatione, vt nunc illis pulsis res habeat, cognoscere.

Certi quidam prouentus apud Granatam, qui Barbaro nomine Guelaiabizes vocantur, inferunt in fiscum quotannis millia scutatorum IV. insuper MCII. solidosq; XLIV.

Ciuitates Loxa & Alhama numerant millia scutat. VIII. itemq; CMXLVI. sol. XXXVIII.

Bacensis ciuitas mill. scutat. XXVI. itemque XLIV. sol. XXXVIII.

Almeriæ Ciuitas mill. scutar. VII. itemque DXLIX. sol. I. num. VI.

Oppida Almugnaçar & Salobregna soluunt quotannis VI. millia scutat. & CCCCLXXVII. sol. LVI. num. V.

Malaca ciuitas cum sociis pendit XXXIX. millia & CLXXV. scut. sol. XV.

Velez Malaga pendit VIII. millia DCXLIX. scut. sol. XXXI.

Pulchena oppidum dat scutat. MIV. solidos LIV.

Konda ciuitas cum agro suo dat XIII. mill. & LXXIII. scut. sol. II.

Canariæ Insulæ solent pendere mill. XI. scut. XI. sol. V.

Teneriffa Insula sigillatim soluit mill. VII. scutatosq; CCCLII. sol. LVII.

Palma Insula pro se numerat scutat. mill. V. & DCCCLXXXII. sol. II.

Tributum ordinarium quod ea regna pendunt, quæ Castiliæ nomine censentur, extendit se ad scutatorum mill. CCLII. insuperq; DXXI. sol. LII. num. IV.

Ius Portoriorum in regnis Valentiæ, Aragoniæ, Nauarræ constituit quotannis scutat. millia CXXIX. & CV. sol. L.

Ius Portoriorum regni Portugalliæ conficit millia LXXXII. & DCXXXVII. scutat. solidos XV. num. VI.

Vectigal lanarum & licentia eas extra regnum exportãdi, importat scutatorum millia CXXX. insuperque CCLXII. solidos XVI. nummos VI.

Magnum vectigal Hispalense adscendit ad scut. millia CCCLXXII. itemq; DXXVIII. sol. LVII.

Ex magno Vectigali Indiarum percipiuntur quotannis millia CLXII. & III. scutati, solidi XLV.

Prouentus è dominio ædificiorum monetæ regiæ per ea regna excurrit ad millia LVI. & CCCLXXII. scutatos, solidos XXXII.

A Mensariis, quibus rex elocat ius Commandaturæ S. Iacobi, & Calatrauæ & Alcantaræ, accipit is millia CCXXXVIII. & XLVII. scutatos, sol. VIII.

Ex elocatione pratorum quæ in illorum ordinum terris tempore fœnisecii metuntur colligit mill. XC. itemq; DCCCXXXV. scutatos, L. sol.

Fodinæ argenti viui, Almedana nomine, infert ærario quotannis mill. CLXXXI. & DCLXXII. scut. sol. XXXV.

S. Cruciata, detractis impensis, singulis annis infert millia CCCCXC. præterea aque CXCVI. scutatos, cum solidis quatuor nummis totidem.

Subsidium annuum quod regi soluitur est millium CLIX. scutatorum insuper CCCXIII. cum solidis XLIII.

Ecclesiæ & Episcopatus eorum regnorum soluunt annua scutatorum millia CCLXIX. præterea DCVII. solidos L. nummos VII.

Seruitia horum regnorum quæ regi præstantur quotannis constituunt millia XVII. &

& CCCIII. scutatos solidos XV. nummos II.

Prouentus monetæ exteræ est millium XVI. & CCCLXXXVII. scutatorum, solidorũ XV. nummorum V.

Prouentus Indiarum annui in vsum regis, constituunt millia DCCXXXV. & CCXCIV. scutatos, sol. VII.

Regnum Nauarrenum pendit quotannis mill. LXXXV. & DCCLXXXIV. scutatos, cum sol. XIX.

Regna Valentiæ, Aragoniæ, Catalaniæ solnunt iunctim millia CLXXXIII. & DCCCXXIII. scutatos, cum solidis XXXII.

Prouentus Insularum Sardiniæ, Maioricæ, Minoricæ inpendunrur in custodiam & defensionem earum Insularum.

Siciliæ Regnum reddit in vniuersum singulis annis milliones II. cum millibus CXLIV. & scutatis DCVII. solidis L. nummis VII.

Prouentus regni Neapolitani cum Apulia & Calabria adscendunt ad millionem vnum, millia insuper CII. cum scutatis DCCCCXLI. solidis X. nummis VII.

Ducatus Mediolanensis soluit quotannis millia DCCXXXV. & CCXCIII. scutatos, solidos XXII.

Flandriæ & Burgundiæ prouentus cesserunt nostro æuo Alberto Archiduci Austriæ, qui eas prouincias doris nomine accepit cum Isabella Clara Eugenia, Philippi II. Hispanorum regis filia.

Prouentus chartarum, vt vocant, mill. XLVI. & CCCXXIII. scutatos.

Vectigalia pannorum, qui ab Florentia & alibunde in hæc regna importantur, constituunt millia XXIV. cum DIX. scutatis, solidis XL.

Ciuitas Saldagna, (quam superius suo loco omissam huc repetimus) soluit annua MMCCCCLXXXII. scutatos, solidos viginti & vnum.

Ex his facile cogitatu est, quanti sint redditus annui siue prouentus regis Hispanorum nostro tempore, quos vix cogitatione nedum cõputo quis facile assecutus fuerit, quem nos laborem ociosis aut curiosis relinquemus, ad amœniora properantes.

NARRATIO LVCVLENTA, QVO pacto reliquiæ Maurorum & Sarracenorum in vniuersum è tota Hispania eiecti sint.

ANnus agebatur à nato bono publico millesimus sexcentesimus decimus, cum Philippus Tertius Hispaniarum Monarcha edicto publico eiecit atq; proscripsit omnes eos, qui origine & gente Mauri siue Saraceni, fidem tamen Christi duntaxat ore profitebantur, quanquam Mahometismus illis magis cordi esse videretur: quorũ nouorũ Christianorũ (ita n. vocabantur) tanta fuit multitudo, vt ad nouies centena millia capitum accedere crederentur. Priusquam autem ipsum edicti tenorem lectori proponamus, eiusque effectum atque executionem, operæ precium visum est, rem paulo altius ordiri: vnde videlicet & quando hæ Maurorum gentes in Hispaniam venerint, vt melius intelligatur cum totius rei gestæ series, tum causæ propter quas eos rex suis expulerit regnis atq; prouinciis.

Mahometi Arabis vitam qui descripserunt, multi fuerunt, qui, etsi non vno modo illius res tradunt, in eo tamen conueniunt omnes, quod eum è plebeio vilique genere ortũ, pauperib. parẽtib. patre Ethnico, matre Iudæa natum affirmant: fraudibus tamen atque versutia effecisse, vt Propheta vulgo crederetur. Hic igitur Mahometus adscito sibi in societatem Sergio Monacho Arriano nouam illius ope commentus est religionem, siue superstitionem, è Iudaismo & Arrianismo confusis coadunatam, quod virus primo clam, deinde publice disseminare ausus est per Arabiam. Hoc modo magnam hominũ multitudinem, in primis Arabum ad se collegit, adeo vt circa annum AN. C. DCXVII. Ducem se appellare auderet omnium Arabum & Sarracenorum.

Postea Caliphæ Arabici (sic enim vocabantur successores Mahometi) beneficio nouæ huius superstitionis, & armorum suorum in tantam excreuere potẽtiam, vt octoginta post mortẽ eius annis Vlitus Calipha nullo prope mortalium interpellante, omne possideret littus Africæ, qua illa septẽtrionem respicit, prætereaq; Palæstinam, Syriam, Arabiam & Persiam: & vt enumerationis compendium faciamus, quicquid terrarum in longum velut ducta linea extenditur, ab extrema in occidentem Africæ parte vltra Atlantem montem, vsque ad Indum fluuium, qui terminus creditur terræ Asiæ maioris in orientem Solem. Hoc igitur Vlito Imperitante, circa annum Domini DCCXIII. cum reges Hispanorum, vltimi è Gothis immane quantum omnibus immersi torperent viciis, adulteriis, crudelitati, ignauiæ: via facta est Arabibus, Mauris & Saracenis irrumpendi in Hispaniam. Ingressi igitur eam per fretum Gaditanum, interfecerunt spacio quinque annorum vltra septingenta millia Christianorum, sublatisq; his impleuerũt regionem Mauris, deiectis à regali solio Gothis, quorum tamen prioribus seculis tanta virtus fuerat, vt non solum imperiũ Romanum euerterint, sed & ipsam Romam cum Italia calcauerint.

Tradit consensus historicorum Franciæ, anno Christi DCCXXV. Abderamũ, Regis Geziti, qui Vlito successerat, Proregem per Hispaniã, duxisse trans mõtes Pyrenæos Maurorũ, Arabũ

& Saracenorum quadringenta millia, quod agmen instar diluuii se in Galliam infuderit, inque medium illius regni penetrauerit, vsque ad quartum à Turonum ciuitate milliare. Hos autem omnes cæsos fuisse à Francis, ductu Caroli Martelli, qui tunc magnus Aulæ Magister, siue, vt appellant, Maior domus fuerit, apud Dietericum regem. Narrant iidem quinto anno post Amorrhæum regem conatum supperias ferre Saracenis, quos idem Martellus intra Narbonense oppidum compulsos graui premebat obsidione, acie victum cæsumq; fuisse in cruento illo prælio iuxta Colibram, ad radices Pyrenæi montis. Quibus cladibus absterritos fuisse Barbaros istos, ne posthac pedem vlterius in Europam proferrent: eademque opera effectum esse, vt miseræ Christianorũ reliquiæ per Hispaniã latitantes, qui colla Mahometano iugo hactenus subtraxerant, seque armati in montium asperitates per Asturiam Cantabriamq; recepe-rant; animum ac vires colligerent, & noua quædam regna stabilirent, etsi pertexigua, Sobarobrense & Ouiedanum.

Arabibus in vniuersum tribuunt pleriq; auctores ingenium instabile, quieti inimicum, ambitiosum, audax, ordinis impatiens. Sic posterioribus annis in Asia duos creauerunt Caliphas: vnum in Persia, alterum Damasci: ex qua diuisione imperii Arabici postea nati sunt Turcæ, qui omne prope nomen Saracenicũ, & Arabicum per vniuersam deleuerunt Asiam.

Sic Miramulini Arabes, nacti summam in Africa potentiam, Caliphas Asiaticos superiores recognoscere noluerunt. Hispania quidem quadraginta tribus annis per Legatos regum siue Calipharum sibi inuicem succedentes administrata fuit, donec Maurus quidam Abderamus, interfecto Iosepho, vltimo Hispaniæ prorege, regem se appellauit Cordubæ, auspicatus nouũ regnum, quod sub XX. regibus duravit annis CCLVII.

Donec Hispania paruit Præfectis Calipharum siue Miramulinorum, Christianorum reges Sobarobrenses & Ouiedani non potuerunt proferre limites suos, eleganter secum agi existimantes, si intra Asturum & Cantabrorum montana tuto delitescere possent. Sunt hi quidem paulo longius progressi, sed Abderamus, qui Cordubæ primus erat rex, cum ad tantam adscendisset potentiam, vt triginta millia equitum, ducenta peditum vsitato more in aciem educeret, compulerat eos, ad pristina se referre montium latibula. Cæterum, vt fit, successu temporis, cum Mauri suas partirentur prouincias, interque eos orirentur confusiones, discordiæ, bella ciuilia, factum est, vt reges Sobarobrenses occuparent quicquid est terrarum inter Iberum fluuium & Pyrenæos Montes, assumtis titulis regum Nauarræ & Comitum Aragoniæ. Ab altera parte reges Ouiedani sui iuris fecerunt, quicquid est agri inter Duriam fluuium & Oceanum Cantabricum siue septentrionalem: quo quidem in spacio hodie comprehẽduntur regna, Boscorum, Legionis, Asturiæ & Gallæciæ. Sed & vlterius progressi, traiecto Duria amne inuaserunt partem Castellæ veteris, abiectoque nomine ac titulo Ouiedanorum, Legionis se reges appellauerunt. Paruit horum imperio aliquandiu & Castilia, quam ipsi prouinciam per Iudices & Comites rexerunt, vsque ad annum AN. C. CMX. vbi Ferdinandus Consaluus annuente rege Legionis primus se Castellæ Comitem cum Maiestate nuncupauit. Et ad hunc quidem modum se habuerunt res Christianorum per Hispaniam, dominantibus Mauris sub appellatione regum Cordubensium, vsque ad annum AN. C. MXIV.

Crescentibus autem bellis intestinis inter Mauros, & prouinciis subinde in minores partes & velut lacinias scissis, Christiani, qui nihil ad summam diligentiam reliqui faciebant, si qua ratione hostib nocere possent, arrepta occasione eis Toletum vrbem ademerunt, quod accidit ad annum Domini MLXXXIII. Cæsaraugustã vero anno AN. C. MCXVIII. postremo Cordubam ipsam anno Salutis M C XLVII. Hæ tam notabiles iacturæ rerum Saracenicarum in causa fuerunt, vt multi reguli per Hispaniam, qui hactenus aliena auctoritate Prouinciis præfuerant abiecto Legatorum aut Præfectorum nomine se ipsos reges appellarent, partim absolutam meramque sibi arrogantes potentiam, partim vero sub patrocinio regum Marocani aut Fezzani, donec ad annum AN. C. MCCXXXVI. Maurus quidam, Mahometus filius Alhamaris, primum se regem Granatæ dixit, & supremum Saracenorum per Hispaniam dominum. Diuisis adhunc modum inter se Arabibus, Sanctius, magnus ille Nauarræ rex circa annum MXXXIV. Comitatus duos, Castulonis & Aragoniæ ad regalis tituli sublimitatem euexit: & Castellæ quidem nouellum regnum attribuit minori filio suo legitimo Ferdinando: Aragoniam autem dedit Ramiro, filio nothо, qui primum se Aragoniæ regem dixit.

Porro cum Alfonsus VI. Legionis & Castulonis rex, Portugalliam, Arabibus ereptam, in dotem dedisset Theresæ filiæ, quam matrimonio iunxerat Henrico Lotharingo, accidit, vt horum filius eiusdem cum patre nominis, regem Portugalliæ se diceret anno Salutis MCXII. Et sic habes, Lector, originem omnium regum Christianorum, qui per Hispaniam insurexerunt aduersus Mauros, nec conquieuerunt donec eos aut trucidauerunt, aut sua terra penitus profligauerunt.

Cum autem Castulonis reges ratione situs, regni sui propinquiores essent Mauris Bæticam siue Granatensem incolentibus, ipsa vicinia incausa fuit, vt alteri alteros subinde bello appeterent. Aragoniæ tamen reges Valentiam occupauerunt anno AN. C. MCXXXVIII. vt Castellani Hispalim (siue Spalim) an. MCCXLVIII. Murciam vero anno M C C L V II. vt & Algerbiam, cum nonnullis aliis oppidis Mauorum, quorum reguli parere noluerunt regi Granaten-

natensi. Dedidertũt autem plerique omnes hi se suaque Hispanis regibus sub hac conditione, vt acciperent alias terras ad inhabitandum, suisque sub regum Christianorum dominatu vterentur sacris, legibus atq; priuilegiis. Sic factum est, vt Hispani reges Mauris in multis oppidis vsũ permitterent Mahumetismi. Neq; vero perpetuo belligeratum est ab Hispanis Mauriſq; in Hispania; quandoq; enim induciæ pactæ sunt in certum tempus, aliquando pax constituta. Cum autem hæc frequenter rumperetur, & Christiani Maurorum metuerẽt perfidiam, qui inter ipsos habitabant, factum est, vt illi hos oppidis suis expellerent, nisi suscepto baptismo Christianos se profiterentur. Quib. potior erat amor patriæ & bonorum suorum, ii baptizabantur: & horũ posteri deinceps Mauriſci siue noui Christiani vocati sunt: vt hoc nomine distinguerentur à Musarabibus, quomodo appellabantur veteres Christiani, qui adhuc in iis oppidis inueniebantur, quæ Hispani subinde vel pactis vel armis à Saracenis recuperabant. Tradunt Hispanorum Historici, quoties recrudescisset inter Saracenos & Hispanos bellum, Mauros interfeciſſe & spoliasse veteres Christianos: & hos vicissim eodem modo egisse cum Mauris & nouis illis Christianis.

Durauit igitur regnum Granatense, dominantibus ibi Mauris sub XXII. regib. annis CCLXIV. vsq; ad annum MCCCCXCII. vbi reges Castellæ & Aragoniæ Ferdinandus & Isabella armis coegerunt Mahometum cognomento Paruum, regem, vt depoſito titulo regio ipsam Granatensem vrbem cum munitissimo castro Alhambra iis cederet, hac lege, vt ipse vicissim honestam & viro principe dignã ab iis perciperet alimoniam: vtque ipse eiusque successores certis quibusdã terris boniſq; velut peculio perfruerentur, quibus gauisus fuisset vltimo Granatæ rege, patre suo viuẽte, neue Mauri, qui sub ipsius patrocinio, cogerentur mutare religionem aut ceremonias vsitatas, donec in Hispania commorarentur: ii vero, qui in Africam se reciperent, vti fruiq; possent suis agris, fundis atq; domib. aut ea omnia, si ita videretur vendere. Et hic fuit finis tot regnorum, quæ Mauri & Arabes in Hispania condiderant, postquam durassent annis DCCLXXXI.

Istis igitur Regibus, Ferdinando Aragonio & Isabellæ Castellanæ debentur initia magnæ illius Monarchiæ Hispanicæ, cuius quanta sit potentia, noſtra cum primis loquuntur tempora. Per hos n. coaluerunt circa annum A N. C. M CCCCLXXIX. tria regna Aragonium, Castellanum & Legionense. Cum quibus postquam cõiunxerãt Granatense, an. Christi MCDXCII. & Nauarrenum, vsurpatione captum AN. C. M DXII. omnem sub vnum diadema redegerunt Hispaniam, sola excepta Lusitania siue Portugallia: quam tamen & ipsam mortuo postremo rege Henrico Lusitano, Philippus II. rex occupatam cum reliquis Hispaniæ regnis coadunauit. Taceo iam de iis terris regnisque quæ extra Hispaniam possederunt, Neapolitano & Siculo: accedente Christophori Columbi Genuatis sagacitate, qui sub eorum nomine potissimam noui orbis partem detexit, quam hodie occidentalem Indiam vocant: vt & nihil dicam de littoribus & Insulis Africæ ac mediterranei maris.

Non igitur sine causa Ferdinando huic Catholici titulum assignauit Iulius II. P. M. quo posteri eius vsq; ad noſtra tempora vtuntur: quam ipsi hanc causam afferant, quod auctor fuerit Inquisitionis Hispanicæ aduersus recidiuos Iudæos & Mauros Mahometanos, de qua alibi diximus.

Circa idem tempus, quo primum stabilita fuit inquisitio, quod incidit in annum A N. C. M CCCCXCIII. idem Ferdinandus Catholicus, proposito alio edicto proscripsit ex omnib. suis prouinciis Iudæos & Mauros, qui recusarent susscipere baptismum. Hoc edictũ alii aliter interpretati sunt: quibusdam factum excusantib. & à bono in fidem Christianam zelo profectũ asseuerantibus; aliis eo factum dicẽtibus, vt haberet rex causam addicendi Fisco suo Iudæorum & Mahometanorum diuitias, quas immensas per omne regnum fuisse cõstat. Fuerunt alii qui scripserunt: Legem istam per se malam non fuisse, sed perniciosos inde consecutos effectus. Iudei enim à baptismo Christianisq; factis abhorrentes, quorum numerus ad centum millia capitum excurrebat, ad Turcarum confugerunt patrocinium, quos docuerunt rationem conficiendi pulueris nitrati, & modũ iaculandi plumbeos globos è machinis tormentisq; æneis. Ii autem, qui baptismum susceperunt, cum Christiani haberentur, matrimonia postea contraxerũt cum nobilibus familiis per Hispaniam, vnde mira confusio sanguinis & contaminatio Genealogiarum orta est, vt multi dicere non possent à Iudæis an Hispanis orti forẽt. Mauri autem Mahumetani, arreptis desperatione armis, acie victum trucidauerunt Alfonsum de Aguillara, quem rex cum exercitu contra eos miserat. Postremo tamen Ferdinandus rex his permisit, vt traiicerent in Africam, diuenditis iis, quæ per Hispaniam habebant, bonis. Adhuc igitur modum Mauri & Mahometani tota Hispania eiecti sunt, nemine ex omni eorũ progenie remanente præter Mauriscos & nouos Christianos, qui & ipsi hoc anno, MDCX. per Philippum III. regem pulsi proscriptiq; sunt: cuius edicti tenorem lectoris oculis subiiciemus.

Ait igitur rex non solum sui muneris esse, sed & ipsius conscientiæ ratione se obligari, vt è regnis suis prouinciisque eiiciat atque eradicet, quicquid ad offendendum Deum faciat, bonis fidelibusq; regni ciuibus incommoda creet, ipsam rempublicam labefactet. Compertum autem sibi esse, omnia ista proficisci à Mauriscis & nouis illis Christianis, qui per Granatense regnum, Murciam & Andaluſiam hactenus habitauerint. Eos enim non superioribus duntaxat temporibus semper rebellionibus nouisque rebus studuisse, veros bonosq; Christianos

nos exspoliasse atque trucidasse, sacerdotes iugulasse, Turcas in auxilium vocasse: sed & postquam iis è Granatensi prouincia deductis permissum fuisset alibi in Hispania habitare, dummodo correctis priscis erroribus, probam & Christianis hominibus dignam viuerent vitam: tantum abfuisse, vt satisfacerent præceptis promissisque suis, vt semper apertum Dei ipsius & Christianæ religionis contemtum præ se tulerint, quam rem luculentis testimoniis deprehendissent, & seueriter puniuissent præfecti Inquisitionis. Sed nec ab odio, latrociniis & homicidiis in veteres Christianos abstinuisse. Nouiter autem etiam Turcarum imploraſſe auxilium, sumamq; iis aliisq; hostibus pollicitos fuisse operâ, siue regna regis patrimonialia, siue ipsius vita atque persona foret appetenda.

Etsi autem hac perfidia & proditoriis consiliis plurimos annos insumsissent, nullum tamen ex iis ne tanto quidem tempore repertum fuisse, qui tale aliquid ad regem referret, sed omnes id vnice studuisse, vt occultarent sua scelera, & si opus foret pernegarent. Non defuisse quidem ipsis illustria exempla eorum qui è Gentilismo & Mahumetismo ad fidem Christi conuersi, egregiam regno atq; regi præstiterint fidem, verum his exemplis eos motos non fuisse. Manifestum hoc esse signum omnes in vniuersum ad eundem affectos modum, vt summo studio faciant quæ Deo pariter & regi displicent.

Quæ cum ita sint, regem memorem officii sui, vt securitati tum suæ tum regnorum suorum prospiceret, adhibitis in consilium viris grauibus, doctis, prudentibus, Christianæ religionis amantibus, constituisse, è regnis Granatensi, Murcia & Andalusia omnes in vniuersum expellere, atq; in æternum proscribere Mauriscos & nouos illos Christianos, non viros solum & adolescentes, sed & mulieres, pueros puellasq; cum ipsis infantibus. Sicut enim, quando ingens aliquod & detestabile crimen cõmittitur in Collegio aliquo aut corpore communitatis, totum collegiũ & cõmunitas destruitur & è medio tollitur; ita quoque de Mauriscis faciendum: arcendos eos longissimè à cæteris regni ciuibus, ne suâ illos cohabitatione velut contagio quodam corrumpant inficiantq;.

Velle igitur regem iubereque, vt virtute præsentis edicti omnes Mauritsi nouiq; Christiani ex illis regnis, quę supra commemorauimus, cuiuscunq; sexus aut ætatis sint, nullo penitus excepto, nisi solis mancipiis intra trigesimum diẽ facessant exeantq;, vtq; ii capitis pœna sine mora afficiantur, qui vlterius ibi commorari, aut redire in eas partes ausi fuissent, quacunque tandem id causa aut prætextu fieret. Eadem pœna constituebatur iis è Mororum progenie, qui vel per Valentiæ aut Aragoniæ regna transire, aut in iis morari voluissent; quod si qui ex illis ibi deprehensi fuissent, idem subituros cum cæteris supplicium, non obseruata vlla iudicii forma aut iudicis magistratusq; sententia.

Interdicebatur insuper omnibus in vniuersum Hispaniæ ciuibus, cuiuscũq; conditionis forent, ordinis, aut dignitatis, ne quis post elapsũ diẽ trigesimũ vllum Mauriscum, siue is vir esset siue fœmina, in sua prouincia, dominio, agro, domicilio, vel clam vel aperte reciperet foueretque: secus facientes omnibus suis bonis, feudis, vasallagiis, priuandos esse, & incapaces pronunciandos beneficiorum regiorum, applicatis bonis possessionibusque eorum fisco regio.

Etsi autem optimo iure posset fisco suo addicere omnia Mauriscorum bona tam mobilia quam immobilia, quia essent proditores & conuicti criminis lasæ Maiestatis Diuinæ & Regiæ; ea tamen se aiebat in eos vsurum clementia, vt ipsis permitteret, spacio triginta illorum dierum, omnia mobilia sua bona vel vendere vel permutare, & acquisita pro iis regno suo exportare: non quidem in auro & argento, gemmis aut preciosiori supellectile: ne litteris Cambii; sed in mercimoniis, quæ regno antiqua lege exportare liceret, aut fructibus terræ. Fundos enim, agros domosque & cætera immobilia bona regem de iure sibi seruaturum, vt illa vel in vsus diuinos sacrosque conuertere possit, vel in bonum publicum, vt visum fuisset. Donec autem suas res Mauritsci diuenderent aut distraherent, recipere se eos spacio triginta illorum dierum sub fidem & patrocinium suum, vt toto illo tempore libere possint ire, redire, negociari & suas res agere, à nemine impediendos, neque contra ius fasque lædendos aut vlla molestia afficiendos: eos vero è Hispanis, qui id ausi fuissent, subituros pœnam, quæ pacis publicæ fractoribus constituta esset. Licere igitur Mauriscis eorumque domesticis exire ex Hispania saluis, nec hoc solum, sed & secum efferre mercimonia & fruges terræ, persolutis duntaxat portoriis atque vectigalibus; de auro autem argentoque, cæterisque rebus interdictis stare sententiam: nisi quod tantum argenti illis permitteretur, quantum tam aditer terrestre faciendum, quam ad trajicrendum mare foret necessarium.

Postremo mandabatur omnibus per Hispaniæ regna magistratibus, Præfectis oppidorum portuumque marinorum, Archihalassis, Classiariis, vt quisq; suo loco seriam nauaret operam, vt vbiq; locorum hoc Edictum regium proponeretur, & delinquentes in id sine mora ac seuere punirentur. Ignauorum aut secus facientium bona Fisco addicebantur, ipsis ab honorib. officiisque semotis. Perscriptum fuit hoc edictum a.d. XIX. mensis Decembris anno AN. C. MDCIX.

Quanquam autem Edictum miseris illis hominibus triginta dies largiretur, quibus sua bona mobilia diuendere aut permutare possent: tamen Iohannes Mendoza, S. Germani Marchio, totos decem dies inde defalcauit, relictis tantum viginti in vsum Mororum dierum: addito, quod ita boni publici ratio & regis commoda exigerent. Iussit etiam omnes Mauriscos, qui in oppidis vrbibusque habitabant, nequaquam inde discedere, nisi

nisi prius apud Prætorem aut magistratum loci professi fuissent nomen suum, & abeundi licentiam impetrassent, constituto capitis supplicio secus facientibus.

Vix tanta promptitudine scriptum istud edictum existimo, quanta executioni mandatum est. Omnibus enim nautis, quotquot naues suas habebant in diuersis portubus & stationibus per Hispaniam mandato publico interdictum est, ne naues suas abducerent: quod iis regii præfecti vti constituissent in transportandis in Africam Mauriscis. Ita factum est, vt permulti in diuersos obiecti littoris Africani portus appellerent. Toto autem illo anno multis vicibus tam terrestri quam maritimo itinere in Galliam Mauri venerunt, è diuersis partibus, & tanto quidem numero, vt ad centum quinquaginta millia capitum accessisse videantur. Primi quidem, qui in Galliæ Narbonensis portus incurrerant, in Africam feliciter traiecerunt. Illi vero, qui è portu Bresconio soluerant, per eos, qui illos securitatis causa deducere ac comitari debuerant, omni iniuriarum genere affecti, postremo spoliati bonis fuerunt, quod quidem facinus inhumanum & crudele ab omnibus iudicatum fuit.

Henricus IV. Galliæ rex cum audiuisset, proposito edicto publico omnes in vniuersum Mauriscos ex Hispania proscriptos, intra breue tempus inde aufugere iussos fuisse, & iam numerosissimas familias eorum, ingentiaque agmina in finibus Cantabrorum & circa vrbem Baionensem conuenisse, incredibili in exules istos suus humanitate, optionem iis dedit; si qui vellent amplecti religionem Catholico-Romanam, eos secure in Galliæ regno habitauros: quod si hoc minus probarent, licere illis per Galliæ regnum sine impedimento iter facere, atque ad portum alicuem maris mediterranei, vnde sine mora possent in Africam vel Ægyptum, vel quocunque visum fuisset traiicere.

In hunc finem, cum primum Galliam attigerunt proscripti, missi sunt Commissarii regii, quibus mandatum, vt eos, qui Christianæ fidei nomina dare vellent, nominibus suis cognatos, in album referrent, vt ipsis tempus & locus constitueretur, quo deberent coram Episcopo Baionensi aut eius Vicario profiteri sua nomina, vt ea postea à Scriba Senatus Baionensis in acta publica referrentur. Vtque ii, qui ad hunc modum nomina Catholicismo dedissent, deducerentur, donec Garumnam & Dertonam omnes superassent, vbi illis licitum foret, habitare in plana illa parte regionis, vbicunque ipsi voluissent. Cæteri, qui à sacris Christianis abhorrebant, iubebantur conuenire in vnum aliquem certum locum, vt vno agmine deduci possent per vias compendiosas & minimum difficultatis habentes ad littus Gallicanum, qua parte id pulsatur mari mediterraneo, vt ibi imperiti paratis in eum finem nauibus, primo quoque die in Africam traiici possent, aut aliud aliquod regnum, quod Turcico subesset imperio. Nauarchis autem atque classiariis seuerissime interdictum est, ne quem ex iis iniuria afficerent, aut aliquid præter constitutum naulum exigerent, nisi vellent capitis incurrere pœnam. Vt autem constaret, quomodo exules tractassent nautæ, iubebantur eius rei publicas litteras testimonii vicem à Mauriscis accipere, simul atque ii in littus Africanum excensionem fecissent. Aliter Classiarios regi non satisfactu os. Postremo imperatum est omnibus Magistratibus prouinciarum & oppidorum, per quas Mauri iter facturi essent, vt iis de commeatu necessariisque hospitiis prospicerent, eosque ab omni iniuria summa cum cura defenderent.

Quapropter mandauit rex Cliellæ domino, vt profectus exciperet Mauriscos Castellanenses, qui numero ad quadraginta millia Galliam petebant, ingressuri eam iuxta oppidum S. Iohannis Lusonii. Præterea imperauit Augerio, Præfecto regis per Languedociam, vt eos ab iniuria prohibitos citra noxam deduceret ad portus & stationes littoris Gallicani, qui erant ad Mare Mediterraneum, vt impositi nauibus traiicerentur in Africam, quemadmodum ipsi Mauriſci petierant.

Augerius, accepto à Duce Ventadurio mandato qui tunc Legatus regis erat per Galliam Narbonensem, magna fide quod iussus erat, executus est, deduxitque Mauriscos illos ex agro Baionensi ab ipso inde Oceano Cantabrico vsque ad Agatham oppidum Languedociæ, vbi Portus est Maris Mediterranei. Hic nauibus imposuit diuersis vicibus vltra triginta millia, qui transfretauerunt, exscensione facta ad Tunetem Africæ vrbem, tanta fide & securitate, vt deinceps Maurorum proceres regi exquisitas egerint gratias, collaudata admodum Augerii prudentia & dexteritate.

Interfecto interea rege, nuncium accepit regina vidua, quinquaginta millia Mauriscorum Aragonensium, iam in via esse Galliam versus; & præter hos in Prouincia Galliæ appulisse ingenti numero Mauros Granatenses, vsos nauigiis Ragusiensium, Gothalanensium & Genuensium. Regina igitur, quæ de incolumitate exulum non parum sollicita erat, quod versaretur ante oculos, quam miseris modis ii habiti fuissent, qui ex Insula Portúque Bresconio soluerant: accedentibus querelis Prouincialium Gallorum & Languedocensium, qui multis se affici incommodis ab illa tanta Maurorum confluge, & infici præterea morbis contagiosis conquerebantur, plenis iam Xenodochiis morbidorum in vrbe Massiliensi his inquam causis adducta regina vidua misit Aymarum libellorum supplicum Magistrum, vt quam primum regiones illas illuuie ista exoneraret, Mauros q; deduci in Africam curaret, ab iniuria tamen defensos: vt respirare possent prouinciæ.

Aymarus, cum ad summam diligentiam nihil fecisset reliqui, deductos Mauriscos Agatham

ciui-

ciuitatem, monuit de querelis populi. Maurorum proceres contra conquerebantur de violatis suis per nautas Bresconios. Aymarus, habita quæstione omnes è classe, qui affines culpæ erãt in carcerem compingi iussit, donec de iis plenius cognosceretur. Ipse cum prospexisset de omnibus, quæ ad profectionem erant necessaria, tam pro iis qui iam præsto erant, quam pro reliquis, qui adhuc expectabantur, cumque tolerabile constituisset vecturæ precium omnib. impositos nauigiis, in Africam deuehi iussit.

Cum Languedociam his molestis hospitibus exoneraſſet Aymarus, qui pedestri itinere in Galliam venerant: profectus est in Prouinciam, vt transportari curaret Mauros Granatenses, qui nauibus eo, vti diximus, appulerant. Cum eos imponeret nauibus, id difficultatis ei obortum est, quod validiores & opulentiores semper volebant primi ingredi triremes, abactis retro infirmis ac pauperibus. Mandauerat autem rex, vt ditiores naulum persoluerent pro egenis, ne quis per causam inopiæ in Gallia relinqueretur. Conuocatis igitur Maurorum præcipuis mandauit, vt inter se eligerent, qui collectum vecturæ precium pro omnibus soluerent, quique pauperibus de victu cæterisque rebus necessariis prospicerent, constituto Quæstore, qui eo nomine redderet rationes. Idem fecit Augerius apud Agathopolim. Sed apud Massiliam tristis interuenit casus, qui institutum illud conturbauit. Constituerant Mauritsci Quæstorem Zappatam quendam, qui ab iis qui circa Massiliam hærebant, pecunias colligeret. Fecit hic quod iussus erat: cumque aliquem argenti modum coegisset, aufugit nebulo, ablato secum vecturæ precio. Hoc facto tantæ miseriæ obruerunt calamitosos Mauritscos, vt diuites, postquã nacti fuerunt media euadendi, inque Africam transfretandi, pauperes post se in Gallia reliquerint. Qui cum aliquandiu nutriti fuissent è domibus Hospitalibus, fessi eorum consortio Massilienses, postremo coacti sunt, de suo naulum persoluere, vt in Numidiam transportarentur.

Sunt autem communiter Mauri versuti, fallaces, & ad omne genus fraudis aptissimi, pleni proditionis & deceptelæ. Exteris fidem datam rarissime seruant, ne ipsi quidem inter se satis fidi, nec alter facile alterius mouetur miseriis, quæ ipsorum vitia expertus est Augerius apud Agathopolim, quo loco plurimi eorum nauibus impositi sunt. Venerat huc sub initium mensis Augusti Hachi Abrahamus Mufaracca, quem magnus Turcarum Princeps in Galliam miserat, vt Mauritscorum res cognosceret, eorumq; curam susciperet. Qui cum vidisset, quanta cura & sollicitudine Commissarii Galli in iis transportandis vterentur, acquiescens in Africam traiecit, vt ibi nouis hospitibus pararet hospitia.

Cum primum quinquaginta illa millia Mauritscorum Aragonensium in Franciam Languedociamque se infunderent, magnæ querelæ deferebantur ad supremam Curiam Tholosanam, quiritantibus colonis, quantum damni agris datum fuisset per Mauros Castellanos, qui illac transierant & omnia vastauerant: quibus populi questibus moti Parlamenti senatores proposito edicto, prohibuerunt sub capitis supplicio, ne quis Maurus Languedociam vel ingredi vel transire auderet. Cæterum Augerius memor officii sui, cum intellexisset, aliud agmen venisse ad Subracum oppidum, plurimosque eorum iam cis Garumnam conspici, nihil moratus Senatusconsultum Tholosanum, iussos transire pontem apud Subracum, versus Agathopolim deduxit, vbi vltra centum nauigia in portu stabant, quæ mercatores ac nautæ ab omnibus partibus eo conduxerant, vt iis Maurosin Numidiam transportarent. Conquerebantur hi, non posse se in ista egestate soluere vecturæ precium, quod Aymarus constituerat. Augerius igitur moderatione adhibita, minus illos soluere iussit, addito, vt vigesimus quisque immunis esset à naulo: iussitq; nautas illo contentos esse, nisi mallent grauissimas persoluere multas: adeo tangebatur hic vir miseriis afflictissimæ illius multitudinis.

Iussos fuisse edicto regio ditiores Mauros, pro tenuioribus vecturæ precium soluere, supra diximus. Hoc vt eluderent, prope omnes se pauperes asseuerabant. At Augerius, cum ab opulentioribus sponsores exegisset pro duobus Scutatorum millibus, onerauit sex naues calamitosissimis & egentissimis Maurorum, & eos præmisit. Ibi proceres Maurorum, veriti longiorem moram & iniquum fore rati, si opulentiores proficiscerentur, relictis in Gallia tenuioribus: consilium ceperunt, eligendi quosdam, qui inito transportandorum numero, pecunias pro iis colligerent. Electi igitur fuerunt Tristanus Oscenus, Petrus Biberus, & Alfonsus Lopez: hi & nauli rationes iniuerunt, & de alimonia cæterisque rebus necessariis pauperioribus prospexerunt.

Igitur hi tres, Oscenus, Biberus & Lopez cõmunicato cum præcipuis Mauriscorum consilio, rem aggressi sunt, ita vt Lopez quicquid colligeretur pecuniæ, ipse reciperet, & eo nomine responderet. Vide autem quid acciderit. Cum Lopez nihil solueret mercatoribus neque nauium præfectis, neque quicquam eorum, quæ iussus erat faceret, irati illi Augerium conuenerunt, rogantes, vt ipse sua auctoritate cogeret hominem ad soluendum quod debebatur argentum. Cumque de reliquo parum fiderent Lopesio, petierunt, vt, quo sibi in futurum de solutione caueretur, ciuis quidam Agathensis sibi nominaretur, quẽ eo nomine velut spõsorẽ cõuenire possent. Non displicuit hoc consilium primis Mauriscorum: ita tamen vt Loppesius, quemadmodum hactenus ipse è suorum manibus pecunias receperat, ita eas deinceps quoque colligeret. Sic de voluntate tam Mauriscorum

ùm quam Mercatorum, qui de iis transportandis pacti fuerant, nominatus est Iohannes Antonius Iordanus, ciuis Agathensis.

Exiguus tamen fuit huius rei fructus. Neque enim Commissarii Mauriscorum vel eorum Quæstor expediebant argentum, vt promiserant: siue id malitia quadam fecerint, siue quod opulentiores dissimulatis opibus suis se pauperes mentirentur.

Vnde spectaculum omni commiseratione dignum erat, videret calamitosos & inopes Mauriscos in nauigia detrudi, expositos vndarum & inediæ violentiæ sine rebus necessariis, vt ne panis quidem biscocti tantum, quantum sufficeret, iis suppeditaretur.

Vnde duplex audiebatur querela, Mauris miserentibus planctus lachrymasque suas cum ingnatione nauarchorum, metuentium, ne sibi itio verteretur, si ii, quos deuehendos sibi umsissent, fame morerentur, aut desperatione.

Et Augerius, qui supra modum afficiebatur orum miseriis, cum horum hominum curam bi à Rege demandatam non ignoraret, ei annonariæ melius prospexit, importato in ngulas naues maiore aliquanto commeatu.

Quanquam ne sic quidem satis consulebatur eorum necessitatibus, vrgente tam longo periculoso itinere, quod tempore hyberno onficiendum erat: Tunetana enim Vrbs diabat Agathopoli circiter ter centum milliariis Gallicis.

Constituit insuper Augerius, vt pauperibus, tibus ne ad panes nauticos quidem æs suppebat, ditiorum Mauriscorum sumtibus alimonia subministraretur, constituto tolerabili preio, & toto negocio demandato Donneto & ollerato, mercatoribus Gallis.

Hac ratione factum est, vt annitente omni tudio & diligentia Augerio, vnius mensis pacio septuaginta naues plenæ Mauriscis, in iortum Tunetanum appulerint, ea quidem feicitate, vt nullus omnino ex iis perierit, cuus rei locuples Maurorum Proceres dederunt Augerio testimonium, quod non pigebit adscribere.

Nos otros Comissarios diputados por el Reyno de Aragon, abaxo firmados, certificamos al Rey, y a la Reyna, y a mon Segnor, Duque de Ventador, Par de Francia, & Lotenente General por su Magestad en la Prouincia de Lengadoc, Como Segnor D'Auter Commissario diputado por sadicha Magestad por nuestra guia y embarcamiento, Nos guiado y hecho accompagnar por sus tinientes y Archeros desde la villa de Toloza, a esta villa de Agde, habiendo recibido todo buen tratamiento, fabor, y merced del y de sus tinientes. Nos an deffendido y conseruado, como sus proprios hijos, y hecho dar los mantenimientos con toda abundancia y otras cosas necessarias, y a administrato Iusticia en todas las occasiones, que se an offrecido, y le habemos requirido. Y a hecho embarcar veynte e cinco mil Moriscos Aragonenses, pequenos y grandes sobre buenos baxeles, guiados y lleuados por muy buenos patrones y marineros, donde quedamos muy contentos y muy obligados à seruir sclo su Magestad, y rogar a nuestro Segnor por su salud y prosperidad. Hecho en Agde à veynte y quadro dias del mes de Nouembre y ano mil seys ctentos y dies. Alonso Delope, Tristan Oscen Maiour, Pedro Viuera, Noffre Almocaden, Baile de Mores, Commissario diputado por el Reyno de Aragon.

Quarum literarum sententia hæc est: testantur Commissarii & Quæstores Maurorum, summa fide & diligentia versatum in suo officio Augerium, & curasse, vt viginti quinque millia Mauriscorum Aragonensium, transportarentur in Africam: cuius rei nomine ipsi gratias agunt & Regi, & Reginæ, & Duci Ventadurio.

Paulo post id tempus idem Augerius nauibus imposuit adhuc circiter quadraginta millia Mauriscorum, tam Granatensium, quam Castellanensium & Aragonensium. Cæterum in his fides mercatorum nautarumque desiderata fuit, qui non ex sententia Augerii & voto cum Mauris egerunt.

Vnde postea graues querimoniæ habitæ sunt aduersus ipsum Augerium & eos quorum opera in illis traiiciendis vsus fuit. Lopesius enim, quem Mauri procuratorem constituerant, reuersus in Galliam, ad Regem accusauit cum ipsum Augerium, tum quosdam ciues Agathenses, effecitque vt citarentur ad dicendam causam.

Comparuit ad condictum Augerius, respondítque scripto ad accusationis capita, cum iam ante totam historiam transportationis Maurorum accurate descriptam, typisque expressam in vulgus edidisset: Protestatus claris verbis, nunquam se vllo modo immiscuisse se exactionibus pecuniariis Mauriscorum, neque scrutatum eorum impedimenta aut bona, neque peruestigasse, quid in nauibus veheretur.

Protulit etiam in medium literas publicas, quibus testabatur, traduxisse se summa securitate & citra noxam per prouinciam Languedociam circiter sexaginta millia Mauriscorum, quos summa cura & sollicitudine nauibus imposuerit cumque omni familia ac supellectile in Africam transportauerit.

Contradicebat huic acriter Mauriscorum Procurator Lopesius, qui continuata accusa-

tione dicebat: dictum Augerium cum Iosepho Palmerio & Iohanne Antonio Iordano, ciuibus Agathensibus, sub prætextu excutiendi Maurorum sarcinas, vt deprehensis ditiorum opibus cogeret eos pro pauperibus naulum persoluere: eos inquam aliquot Regalium nummorum millia abstulisse quod argentum quorundam priuatorum inter Mauriscos fuisset.

Nec in hoc stetisse iniuriarum modum; violatos afflictissimos Mauros variis latrociniis, furtis, exactionibus contra omne ius & æquitatem.

Pergente ad hunc modum Lopesio, & accusationis suæ capita vrgente, Consilium regium ipsum cum tota lite remisit ad Parlamentum Parisiense, vt ibi cognosceretur & decideretur causa.

Videns Augerius, alia via contra se ingredi actorem suum, quam ipse existimauerat omissa persecutione litis, recepit se in Languedociam.

Plerique hoc factum ita interpretabantur, quasi reus deserto vadimonio subterfugeret cognitionem causæ & sententiam iudicis: cum contra Maurus non acquiescerent, donec Augerius cum ciuibus Agathensibus nominatim citarentur à summa Curia Parisina, addicendam porro causam: Cuius iudicii quis fuerit exitus, non est huius loci commemorare.

Habes amice lector, quæ acciderint circa proscriptionem Maurorum ex omnibus Hispaniæ regnis: quo pacto plurimi eorum facta via per Galliam ad mare mediterraneum, ibi nauibus impositi, in Africam traiecerint.

Non habet, nisi fallor, hæc historia parem, in omnibus rerum gestarum monumentis.

Et est profecto ingens ac magnanimum hoc Hispanorum Regis facinus, qui ausus est expellere ac proscribere nouies centena millia hominum ex illa parte continentis Europæ, quam ipsi maioresque eorum nongentis annis continua temporum serie possederant.

Cæterum de hac Maurorum proscriptione diuersi diuersimode senserunt scripseruntque. Alii enim laudarunt factum: quod sole meridiano clarius esset, Maurorum hanc progeniem semper quæsiuisse media, quo pacto seditiones in Hispania excitarentur, & Turcarum copiæ in eam vocarentur, vnde ipsis semper clandestinæ fuerint cum principibus Mahometanis conspirationes & intelligentiæ. Alii secus censuerunt; Hispanos ad illam Mauriscorum proscriptionem compulsos fuisse desiderio ingentium diuitiarum, quas Mauri possederant, inprimis latifundiorum agrorumque.

Sed quia adhuc sub iudice lis est, nos eam in suspenso relinquamus, & ad alia pergamus.

Arracha Oppidum Mauritaniæ ab Hispanis captum.

Qui mos longe perniciosissimus apud Christianos principes inoleuit, vt non obstantibus affinitatibus aut sanguinis necessitudinibus, alteri alteros odio prosequantur & bello infestent: idem quoque in reliquis orbis partibus inter reges principesque agnatos dominatur.

Mauritaniæ & Numidiæ reges huius rei luculenta præbent testimonia, quibus inter sedigladiantibus, Castellæ vel Lusitaniæ reges, non neglectis occasionibus, modo his modo illis suppetias tulerunt, ita, vt ipsis auxiliaribus semper aliqua terræ controuersæ portio, aut oppidum aliquod commodo loco situm, præmii loco cederet.

Sebastiano tamen Portugalliæ regi non tam æqua fuit fortuna.

Hic enim, cum non per Legatos bellum gerere statuisset, sed ipse in Africam profectus, Muleij Hamet i partes contra fratrem eius Malucum Abdelmelechum, Regem Fessæ & Maroci defendendas sumsisset, commisso cum Afris prælio apud Alcacerquiuiram acie victus cæsusque est, vt quidem Castulonenses affirmant.

Lusitani enim id non credunt: sed aiunt eum è prælio cum paucis superstitem fugisse, ignotumque per varias orbis partes vagatum fuisse vsque ad annum A N.C. M DC I. vbi cum aperuisset, quis esset, captum fuisse Venetiis, eo quod se Sebastianum Lusitaniæ regem diceret.

Postea cum in Hispanorum manus venisset, deductus primo Neapolim, deinde in Castiliam, laqueo suspensus periit.

Maximus autem & perniciosissimus error, quem Sebastianus iste in illa expeditione admisit, hic fuit, quod traiectis in Africam copiis, cum apud Arzillam oppidum (veteribus *Zilia* fuit) exercitum in continentem exposuisset, relicta à tergo hostili vrbe Arracha, in ipsos campos progressus, Abdelmelecho in plano & æquabili loco pugnandi copiam fecerit.

Est autem Arracha oppidum satis munitum in regno Fezzano, eiusque prouincia Azgarensi, in ipso Oceani littore, vbi Lucus fluuius sua in eum exonerat aquas: estque vna pars oppid supra huius fluminis ripam sita, altera in ipsa O ceani crepidine.

Portum habet commodissimum, sed muni tum valde, & qui non facile capi possit, quod e immineat castellum, in quo reges Fessani antl quitus consueuerunt perpetim alere trecento equites leuis armaturæ cum totidem sclopeta riis: quod vicina loca atque oppida maritim quæab Lusitanis Castellanisque possidentu perpetuis ac numerosis præsidiis obtinean tur.

Extendit autem se hæc prouincia in orie tem à fluuio, quem Barbari Nocor vocant (pr scis fuit *Nolochara*) vsque ad fretum Gadit num; & ad Oceanum, à Freto vsque ad Lucu fluuium: in qua parte Hispaniæ Rex aliquot nc

cont

contemnenda oppida possidet, cuiusmodi sunt Tangera & Arzilla, (veteribus *Tingis* & *Xilia*) cum nonnullis aliis.

Orto bello inter fratres Numidarum reges & Fessæ, Muleij Sequium, & Muleij Sidamum, Mahometanos, minor coegit maiorem vniuerso cedere regno, qui ita pulsus Hispanorum regis auxilium implorauit.

Docuerat autem iam eos exemplum Sebastiani regis Lusitani, quantum fidendum esset Barbaris regibus.

Igitur Castellani vt cautius agerent, pollicitus sunt homini auxiliares copias, insuperque centum millia ducatorum, si reuersus Arracham (quam adhuc maior fratrum obtinebat) vel precio vel quocunque modo sibi pararet amicos, ac militum cogeret numerum quantum posset maximum: vtque Hispani locum aliquem securum haberent, quo se exigente vsu recipere possent, petebant à Barbaro, vt sibi traderet in manus Arcem Arrachæ cum munimentis.

Pactus his conditionibus Afer, accepta parte auri promissi & naui vna Hispanica, Arracham rediit: vbi exiguo tempore à plurimis amicorum exulumque conuentus salutatusque est.

Hispanus interim, cum classem instructissimam è triremibus aliisque nauium generibus collegisset, eique decem militum millia imposuisset, ducem iis dedit S. Germani Marchionem, qui ad XX. diem Nouembris circa vesperam portum Arrachæ ingressus est, ibique per totam noctem in Anchoris substitit.

Mane facto, conuocatis nauarchis & ductoribus militum Marchio suum exponit consilium: statuisse se, si ipsis videretur, vi aggredi Arracham, si Maurus perfidia solita non stetisset promissis. Responderunt omnes: facturos se officium bonorum militum.

Sed casus ab inexpectato hoc consilium opportune mutauit. Maurus enim negare cum promissum non posset, videns tantis aduenisse Hispanos viribus, volebat vel coactus stare pactis.

Amici vero eius & populus Arrachensis, metuentes iugi Hispanici, volebant cum arce defendere oppidum.

Sed Rex, cum Præfectum arcis sibi haberet obnoxium, deductis è præsidio Barbaris, qui in arce fuerant, Marchionem cum Hispanis intromisit, eique claues tradidit.

Vbi de receptis in arcem Hispanis in oppido auditum est, populariter concurrerunt ad arma omnes, vt eos si possent à ciuitate arcerent. Pugnatum est hic acriter circiter tribus horis: cum autem multi è ciuibus cecidissent, referentes cæteri pedem, sub Hispanicum iugum colla submiserunt.

Ibi è vestigio S. Germani Marchio potitus & oppido & arce in summitate turrium cruces erexit, cum armis regni Castellani.

Ad hunc modum munitissimum illud oppidum, quod semper Hispanis Lusitanisque saluam mouerat, sub alienum deuenit imperium, maximo cum ciuium dedecore atque detrimento.

Marchio mutauit vetus munitionis nomen, eamque cum propugnaculis S. Mariæ Virgini consecrauit, quod ipso die Præsentationis Matris Virginis admissus fuisset.

Obserua hic lector rerum & temporum vicissitudines. Fuit tempus cum Mauri ex Africa in Hispaniam traiecere, eamque sui iuris fecere.

Nostro æuo Hispani vltro in Mauritaniam excursiones faciunt, ibique occupatis oppidis & agro colonias condunt: quod prope idem summus authorum D. Iulius de Gallis & Germanis suo tempore affirmat.

PORTVGALLIÆ REGNVM, QVOD OLIM SVB LVSITANIÆ NOMINE NOTIVS, HODIE HISPANORVM SIVE Castulonis Regi paret.

SVMMA CAPITA.

1 *Ambitus, Longitudo & Latitudo Regni Portugalliæ. Numerus oppidorum eius maiorum & minorum. Portus Lusitaniæ & Algerbiæ præcipui. Vetus huius partis Hispaniæ appellatio.*

2 *Ingenium terræ quale. Fertilis & abundans vino, oleo, & frumento quantum in necessarios vsus sufficiat. Auri & argenti fodinæ: abundantia salis.*

3 *Modus Gubernationis & administratio Iustitiæ in principali vrbe Olisippone, adeoque toto regno.*

4 *Castella, munitiones, arces & vires, quas Portugalliæ Rex possidet extra regnum hoc.*

5 *Opes & diuitiæ, & prouentus annui regni Portugallici.*

6 *Expensa siue sumtus annui eiusdem regni.*

7 *Descriptio Olisipponensis Vrbis, (quam incolæ Lisboam vocant) & quo pacto ea habitetur.*

8 *Elenchus Regum, qui in Portugallia rerum potiti sunt, vsque ad Philippum Hispanorum omnium Regem, Caroli V. Imperatoris filium.*

1 REgni Portugalliæ ambitus esse censetur leucatum siue milliarium Hispanicorum DCCCXXCV, ita, vt CXXXV. leucas metiatur in longitudinem secundum Oceanum occidentalem, & milliaribus CL. cingatur, qua cæteram contingit Hispaniam. Sunt omnino in Hispania Lusitaniaque oppida XV. quæ patria lingua Ciuitates (*cités*) appellantur per excellentiam, quod hoc nomen cæteris non attribuatur, nisi sint Capitales vel Episcopales, vel præcipuis priuilegiis ornata. Reliqua omnia contenta esse oportet nomine villarum (vt ipsi loquuntur) id est simpliciter Oppidorum, siue muris portisque cingantur siue non. huiusmodi locorum, quæ Græci felicius quam nos Comopoleis dicunt, quæque villæ siue oppida nominantur, inuenies in Portugallia CDLXX. in quorum numero pagi & viculi rusticorum non computantur. Portus marinos nobiliores tres habet: Olissipponensem, Portuensem, Setubalensem. In Algerbia (vbi olim Turdetani populi) itidem sunt tres, apud oppida Tauilam, Lagos, & villam nouam.

Portugallia priscis temporibus dicta fuit Lusitania & Hispania vlterior: excurritque hoc æuo versus Boream supra confluentes Minium Auiamque, ad oppidum vsque Ribadaniam, in Auiæ fluminis ripa positum, qua parte Gallæciam spectat: ductaque hinc in ortum linea ad Mirandam, oppidum extructum supra Durium amnem: inde vero meridiem versus recto fere progressu facto ad ostia Anæ fluuii, quo latere regno Castellano, Extremaduræ & Andalusiæ est confinis: ad Notum & Occidentem Athlanticum respicit Oceanum.

Totum hoc regnum in longitudinem extenditur, secundum Oceanum, vt anfractuosa illius littora, si per lacinias metiaris, habeant CCCCLXX. milliaria, cum ipsa perpendicularis longitudo non nisi CCCXX. leucas constituat, latitudo LX. Fuit hoc terrarum spacium olim in duo regna diuisum, quorum illud *Portugallia* dictum fuit, alterum, multo minus & ignobilius *Algerbia*, quæ vox est Arabica, campum aut atuum felix significans.

Diuides autem Algerbiam à Portugallia, si imaginariam lineam duxeris à munito castro *Alcutimio* ad aliud, quod ad mare situm *Vdigala*, dicitur. Algerbia meridionalis est, cuius respectu Portugallia in Septentrionem vergit.

Multis elegantibus hoc regnum perluitur fluuiis, inprimis Guadiana, (qui Anas est) Tago, Mondego, Durio & Minio, qui fere omnes auri ramenta sabulo permixta vehunt.

Anas fluuius per Portugalliam labitur spacio septem leucarum, Tagus XVIII. Durius XXVIII, qui & ipse eam diuidit à regno Castellano.

Algerbiæ præcipua oppida hæc sunt. Tauila, Lagos, Siluæ, quorum duo prima portus habent satis commodos.

Quod si caput S. Vincentii, quod veteribus Promontorium Sacrum dicebatur, circumuectus fueris, adhuc vnum portum inuenies, ad villam nouam, vt iam de minoribus dicere supersedeamus.

Habet Portugallia portus optimos tres, Setubalensem, qui ad XX. milliaria longus putatur, quo tamen multo maior est Olissipponensis, quem Tagus fluuius facit, vt Portuensem Durius.

Possunt autem per Olissipponensem portum naues onerariæ iustæ magnitudinis terram ingredi supra decimumquintum vsque ad vigesimum milliare.

Existimatur autem *Olisippo* omnium vrbium totius Orbis Christiani populosissima, si so-

lan

lam excipias Lutetiam Parisiorum. Inædificata est quinque collibus inter quos magnæ se extendunt planicies vsque ad fluuium. Complectitur viginti millia domorum, quæ in Parœcias viginti quinque diuiduntur.

In editiori colle attollitur arx miræ vetustatis, non munita opere manuue, sed ratione situs duntaxat. Non sunt ibi milites in præsidio, sed seruit maxima eius pars carceribus nobiliorum.

Vbi Tagus aquas suas in Oceanum deponit, oppidum est, vbi naues consistunt, commodum ad Vrbem nauigandi expectantes ventum, aut affluxum æstumque maris. Proxima ab Olissippone est *Conimbria*, vbi est Schola vniuersalis (vt vocant) erecta à Iohanne III. Rege, abundans fere semper magna studiosorum frequentia. Est & alia Eboræ, fundata ab Henrico Cardinali, qui postea Rex factus est. Hanc sequuntur *Lameca*, *Visæum*, *Miranda*, *Portus*, *Portalegra*, *Leria*, *Guarda*, *Elua*. *Bragantia*, quanquam Episcopalis non sit, inter Metropoles tamen numeratur, & Ciuitatis nomine gaudet.

Dux autem Bragantiæ potentissimis Principibus adnumerari potest, cum tantum possideat opum, tantum diuitiarum, vt non absre miretur quis, quomodo in tam exiguo regno alius præter regem princeps esse possit tam opulentus tamque potens: constat enim prope tertiam regni partem eius agnoscere imperium.

Duces tamen præter hunc in illo regno adhuc duo sunt: Marchio vnus, Comites octodecim, Vicecomes vnus, Baro vnus. Præter ciuitates quas ex parte recensuimus, numerantur in Portugallia oppida minora & arces siue castella vltra CCCC LXX. quorum maxima pars est inter Tagum & Minium amnes. Ea pars regni, quæ est inter Tagum & Anam fluuios non adeo est populosa; at quicquid terrarum est inter Durium & Minium, scatet incolis, sed populus fere pauper est & laboriosus, similior Gallæcis, quorum fines tangunt, quam Lusitanis.

Constat has terras olim longe frequentius habitatas quam nunc, quod exhauriatur regnum frequentibus nauigationibus coloniisque in remotissimas Orbis partes, Brasiliam, Æthiopiam, Indias, Chersonesum auream, Moluccas insulas: in quibus adeundis quotannis infinitorum hominum fit iactura, pereuntibus nautis vectoribusque in mari variis calamitatibus: vt iam non dicam de coloniis Lusitanorum in illis locis, vbi fere sponte manent, quibus domi res est angustior: hinc fit vt Portugallia minuatur quotidie habitatoribus.

Quam populosa autem fuerit ea, indicio est, quod Iohannes rex expeditionem in Africam susceperit, ducto in eam exercitu quadraginta millium.

Hunc conatum feliciter æmulatus est Alfonsus V. qui ab eo euentu Africani cognomentum sortitus est. Postquam autem terræ Indicæ detectæ fuerunt, Emanuel Rex aduersus Azamorium exercitum misit, constantem viginti millibus peditum, tribus equitum.

Qualitas & ingenium regionis. 2

Aer Lusitanicus optimus est, & salubritate commendabilis: non æstu torridus, sed frigidiusculus, ob continuum fluxum & refluxum maris, pulsante non solum Oceano littus, sed & variis sinubus ingrediente.

Attollitur hinc inde montibus collibusque, qui præcipue frequentiores per Algerbiam. Fructus arborei hic lætius & vberius prouenium, quam in vlla totius Europæ parte. Abundant Lusitani vino, melle, oleo. Frumenti non tantum gignit, quantum incolæ opus habent, aduehitur tamen satis ex Gallia & regnis septentrionalibus.

Non destituuntur metallis, auro, argento, alumine: effodiunt insuper humo candidissimum marmor. Salis tantum habent, vt non incolarum solum seruiat vsibus, sed & ad exteros euehatur.

Cæterum illa pars regni, quæ est inter Tagum & Anam amnes cum montibus asperetur, & fere sterilis sit, non satis frequenter habitatur.

Modus Gubernationis & administratio Iustitiæ. 3

Primum summumque Portugalliæ Tribunal est, quod vulgo *Relationes Ciuiles* nominant, cuius supremum iudicem ipsi *Rectorem* vocant, qui repræsentat Regem. Sunt huic adiuncti duo alii Iudices velut assessores.

Hoc sequitur Tribunal criminale, vbi ius dicitur à duobus iudicibus; estque præterea ibi Auditor vnus, & iudex in causis portoriorum siue vectigalium, quæ regi soluuntur, ipsi sua vel potius Maurorum lingua *Alfandegam* vocant: præterea Iudex in causis proprietatum & beneficiorum; Octo Iudices in causis Orphanorum: vnus in causis domuum hospitalium.

Inspectores insuper, vel, vt ipsi vocant, *Correctores*, rerum Indicarum Guineæ, Capitis Viridis, Insulæ D. Thomæ & Brasiliæ.

Ab his omnibus Iudicibus datur prouocatio ad supremum Tribunal, quod Relationem Ciuilem nominati diximus, Præter hæc omnia est Tribunal supplicationum, cuius iudices sunt in non minori existimatione, quam per Galliam Præsides Curiarum. Horum qui primus est dicitur *Corrector supplicationum*, socii autem eius Curatores & Iudices bonorum regiorum. Dicunt hi ius litigantibus, si vel ipse Rex in iudicio conueniendus sit à priuato aliquo, nec ab eorum sententia appellari potest. Est & aliud Tribunal quod ipsi *Altum Consilium* vocant, iudices autem *expeditores causarum Palatii*: item, Tribunal conscientiæ: Tribunal siue sedes Curatorum & Inspectorum Prouentuum regiorum: Tribunal Cameræ computorum regiorum: cum postremo Consilio Status.

Castra atque fortalitia Lusitanorum extra regnum Portugalliæ.

Habent Lusitani in Africa hæc munita oppida, Septam, Tengin, Xiliam, (hodie Tanger & Arzilla) Maderam Insulam, Insulas Azores, siue Flandricas, quæ nominantur Tercera, S. Michaelis, S. Mariæ, S. Georgii, Pico, Gratiosa. Insuper Insulas Florum & Corui: nec non Insulas Capitis viridis, D. Iacobi, Focum, Maium, Bonam Vistam, S. Antonii, S. Nicolai. Arguina Castellum est in Guinea Africæ, vt & Mina S. Georgii, castrum munitum valde. Præterea Insulam Principis, D. Thomæ, & Annum bonum obtinent. Regna Congi & Angolæ in Æthiopia tributum pendunt Lusitanis. Et beata illa insula S. Helenæ iuris est Lusitanici. Transito Promontorio Bonæ spei occurrunt Sofala oppidum, & Mozambica Insula: vt & oppidum Ormus & Dius in sinu Erythræo (quanquam hæc duo sint dubiæ possessionis) itemque magnifica illa Vrbs Goa, domicilium & sedes Proregis Indiæ. In ea parte Indiæ Orientalis, quæ Malabar dicitur, Lusitanos agnoscunt oppida & castella, Honor, Mangalor, Canonor, Grancanonor, Cochin & Culam. Præterea munimentum, cui Columbæ nomen est, in Insula Ceylon, cum oppidis Nagabatan & D. Thomæ, itemque castrum Malacca, cum Terenate & Tidore, Banda & Amboina Insulis.

In Americæ illo latere, vbi Brasilia est, extenditur dominium Portugallicum ad quingenta milliaria in longitudinem, diuiditurque in quatuor Præfecturas, vnde quotannis Olissipponem aduehi putantur centies quinquagies mille Arrobæ sacchari. Conficiunt autem singulæ Arrobæ libras tricenas binas. In Brasilia optimus portus est, qui dicitur *Ad Omnes Sanctos*, cum oppido impositio, quod *Sancti Saluatoris* appellatur. Hoc oppidum & hunc Portum non diu est, quod Batauorum naues stratagemate occupauerunt, pulsis Hispanorum & Lusitanorum præsidiariis. Sed sequente anno Lusitani vtrumque receperunt.

5 *Diuitiæ & Prouentus regni Portugalliæ.*

Percipere creditur rex Lusitanorum quotidie ingentes redditus, qui ad auri millionem vnum & ducatorum centum millia adscendunt.

Fructus & Prouentus Ordinis Equestris Cruciatorum, cuius caput ipse Rex est, qui ordo possidet Insulas Acores, Maderam, Capitis viridis, S. Thomæ & Principis. Horum inquam Equitum prouentus annui extendunt se ad ducenta ducatorum millia.

Prouentus Guineæ cedit quotannis cruciferis Ordinis Iesu Christi extenditque se ad centum ducatorum millia. Redditus Brasiliæ sunt ampliores, vt qui centum & quinquaquinta millia ducatorum conficiant.

Vectigal ex aromatibus & mercibus Indicis perceptum constituere putatur singulis annis sexcenta millia ducatorum. Vectigalia dico: cæteri enim redditus, qui ex Indiis percipiuntur, eq; partibus Orientalibus, impenduntur in conseruationem & defensionem eorum locorum, quorum supra mentionem fecimus. Vt verbo dicam, qui accuratius computauerunt, redditus regni Portugalliæ ad sexaginta auri tonnas extendunt.

Expensa annua regni Portugallici. 6

Ministris & administris Iustitiæ per totum regnum, mercedis vel salarii nomine dantur quotannis centum ducatorum millia.

Prouentus Teucarum, id est donorum & priuilegiorum, quæ rex velut Feuda gratuita largitur certis hominibus hac lege, vt donec ipsi viuant, his vtantur fruantur, iis defunctis ad regem caducitatis iure reuoluantur, hi inquam prouentus quotannis adscendunt ad trecenta millia ducatorum.

Iura redituum perpetuorum, quæ emuntur à dominio, vectigalibus & iure regio, vt in æternum percipiantur, neque caduca aut emortua fiant in hæredibus & successoribus extenduntur ad CL. millia ducatorum annua.

Ad defensionem munimentorum locorumque Africæ quotannis insumuntur ducatorum quinquaginta millia.

Ad conseruandas quinque triremes perpetuas centum millia ducat.

Ad sustentandas copias nauales, quæ classes in Indiam nauigantes, & inde redeuntes comitantur & tuentur, CCC. millia ducatorum annua.

Ad stipendia siue salaria persoluenda iis, qui grandibus ornati sunt titulis, quosve ipsi Equites Cameræ & Fidalgos sua lingua vocant, quibusque rex singularis beneuolentiæ indicia & ornamenta confert, aut quorum merita, vel ab ipsis vel à maioribus eorum regno præstita, remunerare cupit, vt appellentur Seruitores Domus Regiæ, qui non exiguus æstimatur honor, vt præstetur iis auena vel ordeum in equorum alimoniam: his inquam omnibus quotannis soluuntur ad octoginta ducatorum millia.

Sumtus & impensæ necessariæ ad Cameram & aulam regiam conficiunt annuatim CC. millia ducatorum.

Ad conseruandas arces & munimenta regni Portugalliæ CC. millia ducat.

Horum expensorum summa constituet quatuordecies centena & LXXX. mill. ducat.

Accuratior Vrbis Olisippponensis descriptio.

Habet amplissima hæc vrbs triginta duo templa Parochialia, & vltra duodecim millia domorum, in quibus continentur ad habitationum viginti millia, in quorum numerum non veniunt Monasteria virorum mulierumque, nec Collegia Sacerdotum, delubra, vt nec Curia, aula regia & quæ inde dependent ædificia. Habitatorum numerum putant superare centum viginti millium, in quibus comprehenduntur decem millia seruorum & mancipiorum æthiopicorum. Nititur hæc computatio relatione Pastorum siue Parochorum, quibus incumbit ouium suarum numerum certum inire in sua Parœcia, qui & in numerato habent eos qui aulam

regi

regis sequuntur, qui viuunt in Monasteriis, Cōuentibus, Xenodochiis, Nosocomiis. Numerantur etiam peregrini & viatores. Tota enim vrbs referta est huiusmodi Monasteriis, Hospitalibus aliisque locis sacris, quæ prope tantum spacii in ciuitate occupant, quantum ipsæ domus ciuium. Delubra, Oratoria, Sacella in tanta ibi sunt copia, vt eorum certus iniri numerus non possit. Vici & plateæ numerantur CCC L. angiportis non connumeratis.

A. D. XII. mensis Decembris anno A N.C. M D LXXXI. Olissippone mortuus est Albæ Dux, Prorex Portugalliæ, qui cum esset extrema senectute, proximis quatuordecim ante obitum suum diebus non alio victus genere quam lacte muliebri nutritus fuit. Corpus eius aromatibus conditum Albam in patriam suam deportatum ibique tumulatum fuit.

Sub initium anni M D LXXXII. soluit è Portu Olissipponensi numerosa classis, sub ductu Marchionis de sancta Cruce, sequente ingenti Nobilium numero, qui omnes sua præstare regi volebant officia. Iuerunt hi omnes versus Insulas Acores siue Flandricas, circa quas hærebat cum classe Antonius regis Portugalliæ filius, multas secum habens naues Gallicas, sub Thalassiarcho Philippo Strozza, vbi commisso naualí prælio, multisque hinc inde cæsis, tandem Galli victi fugatique sunt: quorum permulti ex nobilioribus capti, crudelitate victoris capite truncati sunt.

Antonius nactus celocem vix aufugit, Philippus Strozza nauiculæ impositus saucius, paulo post ex vulneribus mortuus est. Hac victoria admodum elati facti sunt Lusitani, & Marchio ingens acquisiuit nomen, qui cum triumpho domum rediit. Confirmatus hoc successu in possessione Portugalliæ, Rex Hispanus, Proregem Lusitanis dedit Albertum Austriacum, Cardinalem, fororium suum; ipse Madritum rediit.

CATALOGVS REGVM PORTVgalliæ vsque ad Philippum II. Caroli V. filium.

PRimus Portugalliæ rex ab historicis commemoratur Alfonsus, filius Henrici Comitis, qui vt Chronicorum narrat fides, filius fuit Ducis Lotharingiæ, qui venerat ad aulam Regis Castellani, vt ei præstaret operam suam in bello aduersus Mauros infideles, qui eo tempore maximam obtinebant Hispaniæ partem, cum vniuersa Lusitania: quique subinde bello vellicabant Castellanos, vicinosque Hispaniæ populos. Is igitur hoc in bello tam fortem ac magnanimum se præstitit, vt rex, volens ipsius virtutes digno aliquo remunerare præmio, in matrimonium ei collocauerit Tyresiam filiam, data in dotem ea Gallæciæ Lusitaniæque parte, quæ nunc Portugallia dicitur, quam non ita pridem ipsemet sua virtute, è Saracenorum & Maurorum seruitute vindicauerat. Natus est huic filius Alfonsus anno à C. n. M XC IV. qui residuum Lusitaniæ Mauris vi ademit, quique post mortem patris Ducis Portugalliæ titulo contentus fuit, spacio viginti septem annorum, cumque ad annum ætatis quadragesimum quintum peruenisset, consecutus illustrem victoriam in agro Orchiensi contra Ismarium & alios quatuor Saracenorum Maurorumque reges, quinque scutorum insignia monumentum facti posteris relinquens, Rex coronatus fuit, permittente Pontifice, & circa id tempus Portugallia ad regni fastigium ascendit. Alfonsus hic, primus Portugalliæ Rex vxorem duxit natus annos quinquaginta duos, ex qua sustulit filium vnum & filias tres, præter quos legitimos liberos spurios quoque habuit, filium vnum atque filiam. Cumque præfuisset regno annis XLVI. obiit Conimbriæ, sepultus ibi in Monasterio sanctæ Crucis, quod ipse suis erexerat dotaueratque sumtibus, vt & duo alia monasteria: Alcobense, & S. Vincentii extra Olissipponem.

Hanc vrbem Alfonsus I. Rex ita Mauris ademit. Cum Christianorum exercitus reuersus è Palæstina post captam Damiatam, siue Pelusium Ægypti vrbem nauigaret Oceanum, accidit, vt tempestate coacti, in Portugalliæ littora appellere, inque terram descendere cogerentur. Obsidebat tunc Alfonsus Olissipponem, sed exigua cum spe potiundæ vrbis. Commodum autem aduenerant naues Germanorum, quæ redeuntes ab Asia per fretum Gaditanum ingressæ Oceanum septentrionem petebant. Horum tam bona & forti opera vsus est Alfonsus, vt non tantum ceperit hanc vrbem, sed & multa alia insuper loca in suam potestatem redegerit.

Ne autem ingratus esset pro tam opportuno auxilio Rex, hunc nationi Germanicæ honorem habuit, vt eam particularibus æternisque donaret priuilegiis, quibus gauderent supra natos regni Lusitanici ciues: proposito Edicto irreuocabili, vt omnes Germani, qui imposterum vellent habitare aut negociari in regno Portugalliæ, liberi ac immunes essent, ab omnibus vectigalibus, portoriis, censu, contributione, subsidiis, non ipsi solum eorumque vxores, liberi, domestici, serui, sed & bona ac domicilia eorum omnibus exempta oneribus: vtque ipsis liberum esset, non obstantibus regni legibus sumptuariis, vestire se quomodocunque placuisset, ornare; corpus auro, margaritis, gemmisque, quod natis Lusitanis nequaquam permissum est, quos lex vestiaria intra mediocritatis & modestiæ compingit cancellos. Vtque ipsis licitum esset de nocte & extra tempus per vrbem incedere, stipatis sex aut septem seruorum numero, cum lumine vel sine isto, cum armis omnis generis ad defensionem sui & propulsanda pericula, quod nequaquam licet ciuibus regni.

Tertio ne quis ciuis regni viro Germano, litem moueat, quacunque tandem de causa intra ipsius domicilium: neve Germanus vllius Iudicis sententia stare cogatur, excepto solo crimine læsæ Maiestatis, quo quidem in crimine & ipso

non ab alio quam suo iudice iudicandus sit, qui appelletur Iudex Germanorum.

Quarto, ne domus Germanorum, siue eas locatas habeant, siue emptas propriasque, assignentur vnquam vsibus aut seruitiis regis vel aulæ eius, cui quidem oneri cætera ciuium domicilia subiacent.

Quinto, Germani immunes erunt ab omnibus officiis seruitiisque vel regno vel regi præstandis ad quæ nolentes nemo cogere possit: sed ne quidem contributio aut subsidium pecuniarium ab iis exigatur, etiamsi ipsa regni necessitas aut defensio status id postulet, ad quam tamen rem omnes nati ciues Lusitani multis modis obligati sunt.

Postremo, vt facientibus iter per Lusitaniam Germanis omnes diuersitores & Pandochei summa promptitudine ministrent, ante cæteros pro ipsorum pecunia inseruiant, eosque honorifice excipiant. His aliisque priuilegiis, quæ omnia enumerare longum foret, cum Alfonsus tum successores eius Reges Portugalliæ ornauerunt Germanicam nationem, quibus ii non tantum in præsens tempus exacte obseruatis plene gaudent, sed quotannis propemodum vtuntur auctioribus, cum ipsi Germani vicissim non desinant, de Lusitanis quibuscunque possunt modis bene mereri.

Secundus Portugalliæ Rex fuit Sanctius, Alfonsi I. filius, natus anno A C.N.M C LIV. Rex factus anno ætatis suæ trigesimo primo. Fuerunt huic quindecim liberi, tam mares quam fœminæ. Præfuit regno annis XXVII. mortuus Conimbriæ anno A N.C. M CC XII. cum vixisset annis LXV. sepultus fuit in Monasterio S. Crucis iuxta patrem.

Alfonsus II. tertius Portugalliæ Rex factus est, cum non nisi quindecim annos natus esset. Fuerunt ei tres filii, quos illud sæculum inter sanctos retulit nomine Dominicum, Franciscum & Antonium. Obiit hic anno A N. C. M CC XXIII. humatus in Monasterio Alcobitano.

Sanctius II. Alfonsi II. filius patrem in regno secutus est natus annos XVI. mortuus Toleti anno Christi M CC XLVII. conditus in Basilica illius Vrbis.

Fratri Sanctio successit frater Alfonsus III. Comes Boloniæ, factus quintus Portugalliæ Rex. Regnauit hic annis XXXI. mortuus Olisippone anno A C.N. M CC LXXIX. sepultus in Monasterio Alcobitano.

Dionysius, huius filius diademate regni cinctus est anno ætatis XVIII. regnauitq; XLVI. annis, obiit diem suum anno A C.N. M CCC XV. a.d. XX. Ianuarii mensis, cum sexaginta quatuor annis vixisset.

Corpus eius conditum est in Monasterio ad Oliuellas, quod ipse viuus fundauerat, distans duobus milliaribus Olisippone.

Vxor eius fuit Isabella, filia Petri Regis Aragoniæ, quæ post mortem in Diuarum numerum relata fuit.

Huius mulieris sepulcrum visitur in Vrbe Conimbricensi, vbi olim claruisse miraculis aiunt.

Dionysium in regno excepit Alfonsus IV. coronatus Rex in oppido Arenio cum triginta quinque annos natus fuisset, VII. Portugalliæ Rex, qui regnauit annis XXXI. mortuus Olisippone mense Maio anni A N.C. M CCC LVI. sepultus in choro summi templi illius Vrbis. Hic Rex Salatum oppidum Mauris ademit, ope vicini sui, Regis Castellani.

Petrus Alfonsi huius filius VIII. fuit Portugalliæ Rex, qui in pace & iustitia regnum administrauit, defunctus anno A N.C. M CCC LXVI, conditus in Monasterio Alcobitano. Reliquit filium hæredem Ferdinandum, cum iam ante ex Agnete de Castro duos filios, sed extra matrimonium suscepisset, Iohannem & Dionysium.

Ferdinandus IX. Portugalliæ Rex, accepto diademate matrimonio sibi iunxit Eleonoram Consaluam, quam eripuit marito suo Laurentio Vaccæ de Chuna, quem toto insuper regno expulit.

Fuit hic ciuium suorum amantissimus, seuerus in facinorosos, errones & malis artibus victitantes. Cum regnasset annis XVII. decessit anno A C.N. M CCC LXXXV. cum vixisset annos XLIII. Sepulcrum eius visitur in Choro Templi Franciscanorum Arenii oppidi.

Hoc defuncto, venit ex Castilia Iohannes cum vxore Beatrice, vt capesseret sceptra regni Lusitanici. Sed filius nothus Petri Regis, Ferdinandi frater restitit Iohanni, congressusque cum eo acie, Victor factus in campestribus iuxta Georgii fanum, in eius rei memoriam monasterium erexit & luculentis dotauit redditibus, vocauitque Monasterium Prælii. Sic fuit Iohannes ille nothus decimus Rex Portugalliæ coronatus, natus annos XXXVIII. Obiit a. d. XIV. Augusti mensis anno A N.C. M CC CC XXXIII. sepultus in eodem monasterio, quod ipse fundauerat.

Hic Rex ademit Mauris in Africa Septam Vrbem.

Secutus hunc est filius Eduardus, vndecimus Portugalliæ Rex, qui cum vixerit annos XLII, tantum duos regnauit, defunctus anno Christi M CCCC XXXVIII. conditus in Monasterio superiore iuxta patrem.

Alfonsus V. Eduardi filius in Aera ciuitate natus est anno A N.C. M CCCC XXXII. cumque defuncto patre non nisi sex annos natus esset, Patruus eius Petrus Tutorio nomine regno præfuit vsque ad annum M CCCC XL VIII. vbi Alfonsus regnare cœpit, duodecimus Portugalliæ Rex. Mortuus est in eodem oppido, adeoque eodem conclaui in quo natus fuerat a.d. XXVIII. Augusti mensis, à n. C. M C CCC LXXXI. sepultus apud patrem auumque.

Successit huic Iohannes II. cognomento Ma-

gnus

gnus, decimus tertius Portugalliæ Rex, natus Olisippone a.d.XIII.Maij mensis, anno A N.C. MCCCCLV. Damnauit hic capitis, & publice securi percuti iussit Eboræ Ferdinandum Ducem Bragantiæ a. d. XXII. Iunii anno Christi MCCCCLXXXIII. Idem Iohannes sua manu pugionem intra pectus adegit Dominico, Duci Begiæ, fratri vxoris suæ Eleonoræ tradito principatu Emanueli fratri eius. Vixit Iohannes annis quadraginta, mortuus in Thermis Aluoranis a.d.XXV.Octobris anno A N.C.MCCC CXCV. requiescit in Monasterio de Prælio apud suos maiores.

Scripserat hic testamento successorem hæredemque Emanuelem Visæum, qui XIV.Portugalliæ Rex factus, diadema sumsit a.d. XXVII. Octob is superioris anni. Iussit hic vt per omnia sua regna baptizarentur Iudæi, siue vellent siue non, nisi mallent omnibus spoliari bonis. Mauros insuper, qui Olisippone habitauerant Vrbe omnes expulit, iussos exire porta Moreria. Hoc Emanuele regnante populus seditionem mouit aduersus nouos Christianos siue Iudæos baptizatos, quorum aliquot centuriæ interfectæ sunt, tam virorum quam fœminarum infantiumque, spoliatis incensisque eorum domibus, & ablatis bonis mercimoniisque. Rex perquisitos seditionis auctores exquisitis affecit suppliciis, quo facto conquieuit tumultus popularis. Huius regis auspiciis primum cæptum est nauigari ad Indos Orientales, ex Portugallia, nec non in Æthiopiam ad regnum Preciosi Iohannis siue Iami, magni Regis maximæ partis Africæ. Idem Emanuel per Duces Legatosque suos occupauit Safinam & Azamorium oppida Africæ. Obiit Olisippone die S. Luciæ sacro anno A N.C. MDXXI. Sepulchrum eius ostenditur in Monasterio Bethlehemitico.

Successorem hic habuit Iohannem III. filium, qui decimus quintus factus est Rex Portugalliæ, natus Olisippone mense Iunio, coronatus eodem mense anno A N.C.MDXXI. Fuit hic ingenii mitis & quieti, amator religionis Christianæ & totius Ordinis Ecclesiastici, peculiari fauore complectens literas & literatos.

Præter ea quæ in vniuersali studio Conimbricensi erant collegia, nouum fundauit, mortuusque est a.d. XI. Iunii Mensis anno A N.C. MDLVII. sepultus in Monasterio Bethleemitico, quod dicitur Thermopolium Germanorum.

Hoc defuncto decimus sextus Rex Diadema sumsit, Sebastianus, filius Principis Portugalliæ, nepos Iohannis Regis, qui princeps patre adhuc viuo, vxorem duxerat Iohannam, Caroli V. Imp. filiam, Philippi II. sororem. Moriens autem reliquit vxorem grauidam, quæ Sebastianum hunc vtero ferebat, qui & auo defuncto in regno successor factus est. Natus autē fuerat ipso die Sebastiano consecrato anno A N. C. MDLIII. Traiecit cum ingenti exercitu in Africam, vt ibi extenderet dominii sui pomœria, anno Christi MDLXXVIII. sed fusus victusque acie à Numidis & Mauris, occubuit (vt ferunt) ipse & maxima pars exercitus eius.

Quo vel cæso vel amisso Rex salutatus fuit Henricus Cardinalis, Sebastiani Patruus, decimus septimus in ordine, qui cum morti vicinus esset, circa annum MDLXXX. coronam reliquit Philippo Hispanorum Regi, qui se verum legitimumque hæredem regni profitebatur, quod Carolus V. vxorem habuisset filiam Emanuelis regis natu maximam, sororem aui Sebastiani regis, è qua ipse Philippus Rex natus fuerat. Supererat adhuc vnus, nomine Ludouicus, Henrici Cardinalis & Regis frater, qui decedens è vita reliquit filium nomine Antonium, Priorem Ordinis Equestris Cruciatorum S. Iohannis, quem & plurimi per Portugalliam Regem consalutauerant. Vicit autem huius Antonii ius ingens potentia Hispani Regis, qui non solum nobilitatem Lusitanicam precio sibi fecerat obnoxiam, sed & armis miserum Antonium suppressérat & profligauerat. Philippus igitur pulso vi aduersario Lusitaniam ingressus, receptus & proclamatus est Rex in Monasterio Thomarienſi, per tres regni Ordines, Ecclesiasticos, Nobiles, & Magistros ciuitatum. Ad hunc modum diadema regni Portugalliæ ad Castellanos reges peruenit, cum proprios suos habuisset reges, numero XVII. spacio CCCCXLII. annorum.

DE INSVLIS BALEARICIS, SIVE GYMNESIIS, MAIORICA, MINORICA, ALIIS.

NOn alienum ab instituto me facturum arbitror, si insulas quasdam Maris Mediterranei, quæ Hispanicum agnoscunt dominium, consequenter describsero. Baleares, siue Gymnesiæ quæ olim dictæ fuerunt, nostro æuo Maiorica & Minorica, peculiare regnum constituunt, cuius nomen inter suos Rex Hispanorum adscribere solet titulos.

Maiorica (quam hodie barbare Mallorcam vocant) propior est continenti Hispaniæ quam Minorica, distans ab Hispanico littore, qua illud curuatur in Sucronienſem sinum, non vltra quatuor aut quinque horarum nauigationem: cæterum à Minorica quatuordecim milliaribus distat.

De magnitudine eius Insulæ diuersimode sentiunt, quibusdam eius ambitum CCXL. milliaribus, aliis CCC. Postremo aliis CCCC LXXX. metientibus. Strabo eam longam fecit stadia DC. quæ constituunt milliaria LXXV. latā milliar. XXV. Sed nostri æui Geographi multo maiorem eius latitudinem deprehenderunt, ita vt ambitus complectatur ad C. milliaria: Vnde manifestus error Strabonis deprehenditur.

ditur. Præcipuum totius Insulæ oppidum est eiusdem cum ipsa Insula nominis, quanquam priscis temporibus Palma dicta videatur. Est ea nostro tempore ornata studio vniuersali, vbi Remundi Lulli, Maioricani philosophi scripta in magna sunt æstimatione: vt magnis stipendiis alantur perpetim viri docti, qui illius literarum monimenta siue libros publice prælegant. Præter Maioricense oppidum aliud est in ea Insula, quod Pollentia vocatur, in meridiem conuersum, vt Maiorica septentrionem respicit,

Ingenium & Natura Insulæ.

Asperior hæc est, & vix sterilitatis nomen effugit, qua mari alluitur: sed vbi in medias perueneris partes, latis vini, olei, frumenti, fructuumque arboreorum procreat. Inprimis commendatur ob præstantissimi olei prouentum, quod inde in Galliam, Flandriam, ipsamque adeo Italiam deportatur. Casei in hac Insula conficiuntur saporis scitissimi, & meliores iis qui vel Romæ vel in Hispania venduntur. Faciunt præterea incolæ rem è panno laneo, crassioris fili, cuius ingens copia ex hac insula exportatur, in diuersas prouincias, adeoque in Siciliam vsque. Impatiens est hæc Insula noxiorum animalium, quorum hic nulla inuenire datur, nisi forte cuniculos, in hoc genere colloces, quod subruendo cauandoque terram damni aliquid inferant ædificiis. Ceruorum autem tanta est multitudo, vt mirari subeat, quomodo victitent in tantillo spacio.

MORES INCOLARVM.

Exercuerunt olim Balearici in vniuersum Piraticam, rapientes quicquid ipsis offerebatur; erantque homines crudeles, longe ab omni humanitate remoti, qui habitabant instar Ibicum in speluncis & hiatibus petrarum, vnice in id intenti, vt incautos ex insidiis opprimerent nauigantes. Nauigiis vtebantur paruis, ruditer & inconcinne aptatis, leuibus tamen.

Cum aliquando classem Romanam vidissent, prædam sibi offerri rati, ausi sunt cum suis nauigiis triremibus Romanorum obuiam ire, nec hoc saltim, sed & facto impetu naues Romanas sagittis lapidibusque prope obruerunt. Sed Romani, cum adiustam statariam q; pugnam ventum fuisset, fugere eos coegerunt, quos & consecuti, parum abfuit, quin latrones hos intra sua perderent latibula. Antiquitus neque aureæ neque argenteæ monetæ vsum habuerunt. Militauerunt aliquoties pro Carthaginensibus stipendium militiæ aliud non pacti, quam vinum & captiuas mulieres. Fundæ vsus ipsis familiarissimus fuit, cum silicibus ad destinatum locum missis rarissime aberrarent. Et vero ab infantia ita instituebantur, matribus panem puerorum supra baculum infigentibus, quem eos comedere fas non erat, nisi lapillo è funda misso eum deiecissent, vnde optimos eos funditores euadere necesse fuit.

Nostro æuo deposita feritate, ciuilitati adsuefacti, vicinis suis Hispanis non multo inferiores sunt. Rebus tamen venereis non minus dediti, quam priscis temporibus.

Haud procul à Maiorica Insula absunt duæ aliæ, quas nostra ætas nouis nominibus Dragonetam & Cabreram vocat.

MINORICA BALEARICARUM minor.

Hæc magis in Orientem vergit quam Maiorica: ambitus eius est milliarium CL. latitudo LX. Distat ab Hispania mill. CL. Tempore Ptolemæi oppida in ea fuerunt duo, nempe *Iamo*, quæ nostro æuo *Castrum Magi* nominatur; & alterum, quod hac tempestate idem cum Insula nomen obtinet, vt *Minorica* appelletur. Pagi tamen vicique hic frequentes.

Qua mari alluitur, septa est montibus vndique syluis arboribusque tectis, quasi à natura aduersus Oceani insultum munita. Et quanquam hæc insula minor sit sorore sua, bonitate tamen illi neutiquam cedit, quin imo magnam multitudinem boum nutrit, & gregum omnis generis abundat copia, gignitque præclaros mulos, qui vocaliores sunt cæteris in hoc genere.

Portus habet Insula hæc duos, *Maonium & Fernellanum*. Nostro æuo hæ duæ Insulæ peculiaris regni nomine gaudent, sub quo etiam comprehenduntur *Pythiusæ*, quarum altera olim à Græcis dicta fuit *Opbiusa*, Latinis *Colubraria*. Hodie eam *Frumenteram* vocant, cuius ambitus censetur esse milliarium LXX. distantia à continente Hispaniæ milliarium ferme LXXX. Deserta est autem hæc Insula maxima sui parte, propter serpentes, quorum ibi est ingens multitudo, vnde non pauci homines ab iis interimuntur.

Altera *Iuissa* (vel *Ebusa*) nominatur, decem miliaribus à superiore semota à continente vero L. ambitus eius prope ad C. mill. accedit. Mirandum autem est, solum huius Insulæ serpentes non ferre, nec aliud vllum noxium animal, nisi forte Cuniculos, qui frequenter absumunt segetes. Gignit enim ager huius Insulæ tritici & frumenti affatim. Colligitur in hac etiam quotannis magna vis salis. Certis enim anni temporibus aqua Oceani irrumpit in interiora terræ, ibi habitatores celeriter obturato exitu, cogunt aquam intra cauernas suas consistere, nec tamen eas mouent aut turbidas reddunt, vnde tam graues salis micæ concrescunt, vt non solum Balearicis insulis is sufficiat, sed & naues iustæ magnitudinis eo oneratæ in Italiam vsque deuehantur, vnde multis ciuitatibus non alius in vsu sal quam hic ipse.

Porro qui scire desiderat, quo pacto harum Insularum dominium ad reges Hispanorum peruenerit, is nouerit, Mauros Africanos ea obtinuisse vsq; ad annum A N. C. M CC XL quando Ferdinandus Rex Castulonis eos primum Maiorica armis expulit.

Se

Sed Mauri reuersi, cum eam denuo sibi vendicassent, in causa fuerunt, vt Iacobus Aragoniæ Rex, Petri filius, eo proficisceretur cum copiis, vbi auxilio Regis Ferdinandi rem tam bene gessit, vt eiectis denuo Mauris, Titulum Regis Balearicarum Insularum, sibi primus tribuerit, quod accidit post eum quem supra diximus annum.

Et hoc est ius illud, quod habent Aragonenses Reges in has Insulas, & nunc Castellani, postquam hæc duo regna coaluerunt per matrimonium Ferdinandi Catholici & Isabellæ Regum Hispanicorum, quorum posteritas eodem vtitur iure.

Sunt circum insulas Pythiusas, *Frumenteram & Iuissam*, aliæ paruæ Insulæ tres, sed exigui nominis & vsus: vt & inter Maioricam & ostium Iberi fluuii alia parua, deserta, quam *Mancolibram* vocant, vt iam alias, quas commemorare nihil attinet, prætereamus: cuiusmodi est illa, quam Iberus fluuius facit aquas suas deponens, & ista, quæ est in portu ad Carthagenam.

REGNVM NEAPOLITANVM, QVOD HODIE PARS EST POTENTIÆ HISPANICÆ.

SVMMA CAPITA.

1 *Variæ appellationes huius partis Italiæ in historiarum monumentis. Huius regni amplitudo, ambitus, limites.*

2 *Diuiditur in sex Prouincias, si veterem obseruemus diuisionem. Nostro æuo in duodecim, quarum prima est Terra Laboris.*

3 *Celebriores Insulæ & Portus marini huius regni.*

4 *Res singulares & propriæ huic regno.* 1. *Equi elegantissimi quatuor generum.* 2. *Scaturigines aquarum medicatarum & Thermarum naturarum variæ virtutis & vsus.* 3. *Camous sulphureus cinctus rupibus ardentibus vnde effoditur alumen.* 4. *Mira montis Asiruni, vbi Tarantula inuenitur, è quo eiicitur venenum cantu & sono instrumentorum musicorum.*

5 *Mores & ingenium Neapolitanorum tam veterum quam hodiernorum.*

6 *Opes & diuitiæ huius regni; commercia cum Venetis. Negotiatio amygdalarum, croci, serici, olei, vini equorum, coriorum.*

7 *Robur militare regni Neapolitani, in quo consistat. Quantum numerum copiarum ad militiam tam terrestrem quam marinam expedire possit, quantum item nauium, præcipua eius fortalitia, vrbes, arces.*

8 *Modus Gubernationis regni & administratio iustitiæ per nes septem Vicereges, quorum primus & qui cæteris imperat Neapoli residet.*

9 *Archiepiscopatus qui sint in regno Neapolitano.*

10 *Elenchus Regum Neapolitanorum, qui ad nostra vsq; regnauerunt tempora.*

REgno huic, quod mediam prope Italiæ partem complectitur, nomen dedit præcipua Vrbs, antiquis Parthenope, nobis Neapolis dicta. Historiæ recentiores huic varia indunt nomina, modo Neapolitanum, modo regnum Apuliæ, quandoque etiam Siciliæ appellantes. Ii enim Reges, qui hoc cum Siculo possederunt regnum, in titulis suis vtriusque Siciliæ Reges se nuncupauerunt, intelligentes cum ipsam Siciliam Insulam, tum illam Italiæ partem quæ trans fretum iuxta Scyllacæum est. Et huius appellationis auctor fuit Fridericus II. Imperator. Carolus Andegauensis & Alfonsus Aragonius sciscripserunt se Reges Siciliæ & Neapoleos.

Incipit hoc regnum à fluuio Terenre, cuius ostium in septentrionem vergit, & post Terracinam supra Vfentem amnem, qui in mare Tyrrhenum suas deponit aquas, extenditurq; vsque ad fretum Siculum; includitur autem instar peninsulæ intra duo maria, Adriaticum & Tyrrhenum siue Superum & Inferum. Limites eius ad occidentem sunt, duo, quos diximus amnes: ad Aquilonem alluitur mari Adriatico; ad Austrum Tyrrheno & parte Siciliæ obuertitur; ad orientem mari pulsatur Ionico. Mensura & amplitudo eius hoc modo colligitur. A Terracina Neapolim vsq; numerantur octoginta milliaria Italica: à Neapoli vsque ad sinus Policastrensis promontorium milliaria XLVII. Hinc vsq; ad Rhegion Calabriæ mill. CXXIV. Hinc ad Spartiuentum, CXXXIII. Inde ad caput columnarum CXCV. A Promontorio columnarum Tarentum vsque CC. A Tarento vsque ad promontorium Hydruntinum XXVI. Hinc ad Caput S. Angeli CCXXII. Rursum ad Vfentem fluuium CC. milliaria. Omnia hæc si in vnam colligantur summam, efficient milliaria Italica MCCC XVIII. Et hic est ambitus regni Neapolitani, si istud circumnauiges, quibus si addas CL. milliaria, quæ in latitudine habet vsq; ad limitem occidentalem, vbi terrestre iter faciendum est, redundabit summa milliarium MCCCCLXVIII. Et hæc est integra huius regni peripheria, quod attingit prouincias Romani Pontificis per spatium CL. milliarium. 1

Alfonsus primus Aragoniæ, Siciliæ & Neapoleos Rex, diuisit illud in sex prouincias; nempe in Terram Laboratoris (siue Campaniam) Principatum (Campaniam Felicem) Basilicatam (siue Lucaniam) Calabriam, Apuliam, Aprutiũ (hi sunt Samnites). Postea Apulia in tres partes diuisa est; in Hydruntinam, Barium (quæ est Apulia Peucetia,) & Apuliam planam (siue Dauniam. Rursum Ferdinandus Hispanorum & Ludouicus Gallorum Rex, eam in duas æquales partes diuiserunt, ita vt Apulia Calabriaq; cederent Hispanis, Campania & Samnium cum Vrbe Neapoli Francis.

Hoc

Hoc æuo communiter in duodecim prouincias diuiditur, quæ his appellantur nominibus. Terra Laboratoris, Aprutium vtrumque, Apulia plana, Præfectura Capitanei, Principatus citerior & vlterior, Basilicata, Calabria superior & inferior, Barium, Ager Hydruntinus. Complectitur loca hominibus frequenter habitata M DCC. in quæ his viginti Archiepiscopos, centum viginti septem Episcopos, & hominum insuper circiter milliones duos.

Prima occurrit ad littus maris *Terra laboratoris* siue *Campania felix*, cuius olim caput & Metropolis fuit Capua, vbi exercitus Annibalis deliciis emollitus languit, vt posset vinci. Non deest vetustus scriptor, qui memoriæ prodidit, Romanos existimasse, in toto hoc vniuerso tantum tres esse vrbes, quæ ob splendorem & magnificentiam dignæ sint Imperio in cæteras: Romam, Carthaginem, Capuam: quidam his Corinthum adnumerant. Et Carthaginem quidem ac Corinthum, velut æmulas maiestatis suæ exciderunt. De Capua secus censuerunt. Hanc enim, ne nimis crudeles haberentur, si nobilissimam totius Italiæ ciuitatem perderent, non quidem deleuerunt, agro tamen omni multauerunt, omnique penitus forma Reipublicæ priuauerunt. Ædificiis parsum est, vt essent domicilia aratorum & terram laborantium. Senatum autem omnesque Magistratus eis abstulerunt, ne vnquam seditionem concitare aut res nouas mouere possent. Hac tempestate non Campaniæ solum, sed totius regni caput est Neapolis, Vrbs vere regia, & fastigio illo dignissima. Complectitur enim circiter septem millia ambitu suo, ingensque accepit nostro seculo incrementum, nec dubium est, quin in multo maiorem amplitudinem excreuerit, nisi Rex Hispanus edicto vetuisset, ne proferrentur eius pomœria. Petierant hoc à Rege Proceres ac Barones regni, quorum subditi desertis oppidis suis Neapolim migrabant frequenter, scilicet vt gauderent priuilegiis ac immunitatibus, quibus lætantur ciues Neapolitani. Quanquam etiam istud regem mouisse videri possit, vt ansam rebellioni præcideret, quod populus à fide deficiens, si nimius sit, in ordine ac officio contineri difficulter possit in Vrbe tam copiosa tamque valida. Habet enim Neapolis Arces siue castra munitissima tria. Primum dicitur *Castellum Nouum*, quod extruxit Carolus Andegauensis. Alterum *Castellum Oui*: tertium *sancti Elmi*.

Non est Vrbs in toto Orbe Christiano, quo maior sit Illustrium Nobiliumque virorum confluxus, exercentium se subinde in variis nobilitatis exercitiis, & id vnice studentium, vt reuera sint quod dicuntur, id est Nobiles & Generosi. Destinata sunt his illustribus exercitiis quinque loca publica, quæ ipsi *Sedes* appellant.

Portum habet Neapolis nec admodum capacem nec satis securum, quamuis multo melior quam olim fuit, effectus sit adiectione ingentis molis lapideæ. Est & Neapoli Armamentarium publicum, siue officina nautica, vbi perpetim fabricantur omnis generis naues, numerantur que in ipsa Vrbe vltra ducenta habitatorum millia.

Haud procul inde absunt Puteoli, vbi tantum rerum admirabilium videre est, vt Natura in hunc vnum locum studiose congessisse videatur quicquid fingere aut excogitare potuit pulcrum & spectatu iucundum. Ibi sunt lacus *Lucrinus* & *Auernus*, cum *Bays*, queis nullus in orbe locus prælucet amœnis. Porro Metropoles huic regno tribuuntur tres: Neapolis, Capua, Surrentum. Ciuitates XXII. inter quas hæ sunt maioris nominis: Caieta, Suessa, Theanum Sidicinum, Calui, Caserta, Venafrum, Nola, Auersa, & alia oppida permulta, inter quæ circiter sexaginta sex castella, natura & opere munita.

Ea pars regni, quæ *Principatus* dicitur hos habet limites: ad occidentem *Terram Laboratoris*: ad Orientem *Basilicatam*.

In longitudinem extendit se ad milliaria XXXIII. in latitudinem ad XVI. præcipua eius oppida hæc sunt.

Nuceria, Sancerina, Massa, Vicus, Amalphis, Salernum cum aliis non nullis. *Nuceria* nouem milliaribus à mari abest, cincta innumeris vndique pagis villisque. *Riuella* nouum est oppidum, eo non ita pridem splendore extructum, vt non multum cedere debeat cæteris per regnum oppidis. *Amalphis* oppidum est perelegans, quanquam nostro tempore non ad pristinam famam accedat. Scribunt quidam, in hoc oppido primum inuentum esse vsum Magnetis in pyxide nautica: quorum tamen opinionem Pasquerius sufficientibus refutat rationibus, ex veteribus quibusdam Poetis probans, vsum eius fuisse antiquiorem.

Ab hac vrbe dicitur totum illud latus, quod in meridiem porrigitur, *littus Amalphitanum*, quod se in vigesimum milliare extendit, habens editos montes, præcipue, qua in mare excurrit.

Sunt autem hi montes tam alti & præcipites, ideoque difficilime adscendendi, vt qui eos solum intueatur, lassitudinem aliquam sentire videatur. *Salernum* oppidum est cum antiquissimis numerandum, mille circiter passibus à mari remotum, intra mœnia sua includens hortos amœnissimos. Habet & vniuersale studium, dicitur que ab eo Princeps Salernitanus.

Extenditur autem hæc regio, quæ Principatus citerior & vlterior dicitur, in longitudinem secundum mare ab Salerno oppido vsque ad Policastrum: & ab Sancti Seuerini Fano vsque ad Paludes, interluitque eum Silarus fluuius fere medium. Continentur hoc Archiepiscopatus duo, Salernitanus & Alphitanus, cum quindecim præterea oppidis, castellis vero locupletissimis firmatis CC XIII. inter quæ est Ebolū cum sua sylua: & Fianum cum valle propinqua qu

XX. m

XX milliaribus longa est quatuor lata ; cincta ab omni parte collibus fructuosis & bene habitatis.

Principatus vlterior extendit se à Nusco oppido ad Consentiam & Badagnam, continens præter hæc oppida adhuc octo alia : Anelinum, Arrianum, Bisachium, Montem-maranum, Montem viridem ; ad S. Agatham ; ad S. Angelum & Vicum : cum locis mœnibus cinctis LIII.

Basilicata continet Lucaniam cum parte veteris Apuliæ ; clauditurque his limitibus. Ab occidente Silaro fluuio, qui & limes est Campaniæ : à meridie mari Tyrrheno : ab oriente, Calabria inferiore & parte superioris : ab Aquilone agro Barensi. Oppida præcipuè hæc continet : Malphim, Venusiam, Potentianam ; Cerentiam, Tricarium, Lauellam, Montempilosum, Marsicum, Rapollam ; cum Castellis locisque firmatis XCIII.

Calabriæ inferioris termini à septentrione sunt, Calabria superior, antiquis dicta Magna Græcia ; cum Crathide fluuio ; & parte Apennini montis : ab occidente Lanus fluuius cum Basilicata ; à meridie mare Tyrrhenum & fretum Siculum : ab oriente pulsatur parte maris Adriatici. Caput huius est *Consentia*, oppidum perantiquum, complectens colles VII. arce insuper munita spectandum, super montem oppido immineatem ; qui huic non tantum imperitat, sed & omnibus vicinis locis. Consentia cingitur Crathide & Busento amnibus ; suntque incolæ eius satis ampla cum re, quamuis antiquitas ditiores fuerint. Præter hanc alia ibi sunt oppida, Fredum ; Bellomontium, Fanum diuæ Euphemiæ ; vnde subiecto mari nomen inditum. Tropia oppidum est elegans, opulentum & populo abundans. Antiquitate cætera superat Rhegium, in fronte aut extremitate Italiæ situm, olim validum potensque, nunc verò prope desertum, inprimis ab anno MDXCIV, cum Turcæ ei ignem subiecerunt. Visitur & in iis partibus Castellum Villarium, in summo montis fastigio extructum, nec non Monsaltus, Ducali titulo insigne, Turianum, Regianum, cum S. Marci oppido, & Matturano antiquo oppido in Apennino monte : præterea Tabernæ, oppidum affluens ; Nicastrum, tribus à mari distans millibus, Mons Leonis, in ipso Apennino situm, vnde titulus & nomen Comiti ; & Terranoua frequens satis.

Calabria superior (si Ptolemæum sequimur) his describetur limitibus. Ad ortum mari Adriatico : ad meridiem Alice fluuio & Calabria inferiore : ad occidentem Crathide amne, cum parte Apennini montis & Lucaniæ : ad Aquilonem sinu Tarentino & agro Barensi. sunt ibi duo promontoria celebriora, nempe Columnarum, & Scyllacæum ; quod posterius valde formidabile est nauigantibus. Hic antiquissima nobilissimaq; vrbs est Tarentum, Calabriæ quondã & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, vbi portus & sinus Tarentinus. Deinde Hieraea siue Hierax, Marchionatus titulo gaudens, & Bellum-Castrum ; octo millibus à mari distans ; deinde Croto, oppidum antiquæ claritatis, quanquam multo infra veterem splendorem hoc æuo. Bassinianum, Principatus cum arce valida ; Tarsia Corilana, Rosinanum oppidum munitum, tribus à mari millibus : Cassanum insuper, Altauilla principatus titulo gaudens ; Materà Archiepiscopalis. De Tarento, quæ olim Archytæ patria, nunc principatum constituit ; iam ante diximus.

Terra Hydruntina, incipit à Tarento ; quo velut limite prætexitur ab Austro, vt & mari, vsque ad promontorium, quod hodie S. Mariæ Caput dicitur, olim fuit promontorium Salentinum. Ab oriente eodem limitatur & Mari Ionio : qua septentrio est, Adriatico alluitur, ab Hydrunte Brundusium vsque : qua Occidentem respicit, Apulia illi adiacet Peucetia, cum Magnæ Græciæ portione. Forma eius est peninsularis, cũ prope vndique cingatur mari Adriatico & Ionio. Latitudo eius inter Brundusium & Tarentum triginta millia continet ; si Plinio credimus : alij quadraginta statuunt. Sed si circumnauigaueris ; inuenies ducenta millia, vt totus regionis ambitus complectatur millia CCXL.

Oppida eius præcipua sunt *Alecium*, triginta distans millibus à promontorio Salentino, procerum totius huius tractus domicilium ; multorumque ob elegantiam Nobilium sedes. *Hydruntum* siue Hydrus ; Vrbs vetustissima, præter portum satis capacem ; Arcem habet in saxo, quo mari imminet, tutissimam, opus Alfonsi II. regis. *Brundusium* miræ antiquitatis, cuius auitus splendor penitus collapsus cueruscque est discordiis ciuilibus. Fuit tempus, cum Portus eius inter præstantissimos numeraretur ; sed nunc adeo repletus est, vt vix triremibus per eum currere liceat. cætera oppida sunt, *Callipolis*, *Vxentum*, *Castrum*, maritimum, clarum obdamna à Turcis accepta.

Sequitur *Apulia*, quæ duplex statuitur à veteribus : *Peucetia & Daunia* : illa hodie vocatur, *Barium* : hæc *Apulia plana* ; diuiditurque altera ab altera intercursu Aufidi fluminis. Comprehendit hæc posterior præter Præfecturam Montis S. Angeli, quæ complectitur oppida XIII, castella & Arces XC, has præcipuas ciuitates : Manfredoniam, Sipontum, Salpen, Luceriam, Asculum Satrianum, Arpos, Ceruariam, Bouianum, Tremulam, Troiam & alias. Videtur autem Natura omnes Apuliæ opes in Montem S. Angeli congessisse, cuius radix ambitum complectitur millium prope CXX. Statuerat hunc Diomedes Insulam facere, quod Isthmus eius longior non sit duobus millibus, Postea Saraceni, cognita loci opportunitate, eum muniuerunt, longoque obtinuerunt tempore ; quod non sit vllus locus commodior ad dominandum vexandumque vniuersum regnum Neapolitanum, & excurrendum in mare Adriaticum.

Apulia *Peucetia siue Bariana* continet triginta

sex castella siue loca cincta mœnibus, ciuitates vero quatuor, quarum primaria est Barium, deinde Tranum, post Monopolis & Iuuenatia, reliqua oppida sunt, Polinianum, Mola, Morfitta (siue Malfetta, principatus titulo clarum) Viglię & Barulum.

Quam terram olim Samnites habitauerunt, hodie *Aprutium* (Abruzzo) vocant Itali, cuius termini sunt ab Ortu Apuli Dauni cum amne Phiterno: ab occasu Sabini & Picentes cum Truento fluuio: ab Aquilone mare Adriaticum: ad meridiem Apenninus Mons. Habent ergo duos fluuios veluti liminares, Phiternum & Truentum. Diuiditur Aprotium in vlterius & citerius, interfluente Pescara amne. Vnum continet CL castella siue loca clausa mœnibus, ciuitates autem quinque: Beneuētum, Lancianum, Chetum, Burellam, Sulmonem. Alterum complectitur CCLXXXIV loca firmata, ciuitates quatuor: Aquilam, Adriam, Pinnam, Tarinam. Vrbem Beneuentanam donauit Ecclesiæ Romanæ Henricus IV. Imperator, vt ita redimeret tributum quodpiam; quæ cum varias experta fuisset vicissitudines, tandem per Normannos Ecclesiæ reddita fuit. Aquilam mœnibus cinxit Fridericus II. Imperator, deductis eo ab Amiterno & Forconio coloniis, vt regio ab illa parte muniretur contra Romanos. Ostenditur apud Lancianum Ostia (vt vocant) consecrata, quæ sanguine stillasse dicitur, cum ab Iudæo quodam cultro percuteretur. Complectitur Aprutium intra se Comitatum Molisinum, ad quem spectant loca cincta muris CIV, ciuitates vero quatuor.

3. Est in mari Adriatico ex aduerso Apuliæ Planæ videre Insulas Diomedis, quarum præcipuæ nostro æuo dicuntur S. Mariæ Tremitanæ & Dominici. In mari autem Ionio aduersus Callipolim iacet Insula Achatis, obscuri nominis. sunt & in Sinu Tarentino quædam, sed paruæ, eoque ignobiliores. Contra promontorium Columnarum duæ sunt, quæ appellantur Insulæ Dioscori & Calypsus. In mari itidem Tyrrheno sunt quædam iuris Neapolitani, nempe Palmarola, Pontia, cum aliis minoribus, quas recēsere non est operæ precium. Puteolis verò & Neapoli obiacent insulæ circiter XVIII, quarum præcipua est Ischia (veterum putatur Inarime) cuius ambitus est millium XVIII. cincta autem est vndique rupibus altissimis, vt aditus in eam non pateat, nisi vno loco. Et hæc ratio situs efficit, vt inter munitissimas recenseatur. Ischiæ vicina est Prochyta, cuius ambitus habet millia circiter VI. Capreæ, diuerticulum Imperatorum, & quo sæpe Augustus commeare solitus fuit, tertio loco constituuntur. quæ enim minoris momenti sunt, eas præteribimus.

In tanto autem tam prolixi littoris spacio admodum pauci inueniuntur Portus, quanquam sinus quidam, aut curuaturæ, aut ostia fluuiorū alicubi portuum vicem præstare possint. In vniuersum tamen omnes parum tutas præbent nauibus stationes, vt satis patet in Neapolitano, qui potius pompæ seruit & ostentationi, quam securitati nauigiorum, quanquam ex parte defenditur noua illa iacta Mole. Quoties enim iratus marinos fluctus miscet Neptunus, solent triremes ad Baias deduci, quæ tamen via est longiuscula: quin & ipsa mirabilia Neronis, siue Mare Mortuum, nonnunquam portus vicem præstant. Eodem modo seruit Sinus Caietanus, quanquam in orientem totus pateat. In terra Hydruntina reperitur Brunduſinus: de Bariana existimant, si is qui est ad Tranum oppidum, ædificaretur, posse illum capacem esse centum nauium: Tarentinus autem in Basilicata etiam plurium.

Fuit hic olim percelebris, sed nostra tempestate obstructus, eo, vt putatur, fine, ne allecti commoditate loci Turcæ, eo appulsi nouas res machinentur: cum constet, olim Cleomenem Lacedæmonium, nec non Alexandrum & Pyrrhum Epiri reges, cum copias è Græcia in Italiā traiicerent, hoc portu vsos fuisse, cum capax esset atque tutus, nec longe è Græcia eo transfretatio.

INGENIVM ET NATVRA REGIONIS.

4. Nihil est omnium rerum, quod ad vsus hominis necessarios requiri possit, quod non in regno hoc affatim gignatur: quin & multa ad medicinam vtilia hic proueniunt, & delitiis humanis seruientia, tanta quidem copia vt vbertim ad exteros possint exportari. Nascuntur in hac parte Italiæ equi pulcherrimi, qui cum in equiriis siue hippodromiis regiis, tum in aliorum virorū principum aluntur, nec eos fas est vendere extra regnum, citra permissionem regis Hispani, aut Proregis Neapolitani: quanquam horum consensus raro impetratur. Tritici hic aliorumque frumenti generum mira abundantia, vt & v ni, olei, fructuum arboreorum & inprimis lanæ sericæ. Circa Rhegium oppidum inque multis Calabriæ locis saccharum conficitur. Agri in terra Laboratoris siue Campania supra modum fertiles sunt, in procreando vino & frumento cum plurimo tum optimo. Totus ager circa Puteolos scatet venis aquarum medicatarum & Thermarum diuersæ virtutis. Est ibi campus Sulfuratus, cinctus vndique præaltis rupibus, quæ fere semper ab summo ardere videntur: ex his eruitur & coquitur alumen. Ad Montem Astrunum occurrit antrum siue Crypta tantæ amplitudinis, vt tria millia in circuitu capiat: sed fit paulatim angustior, coitque in fundum, in Amphitheatri speciem, currente per medium modico riuulo. Hic offerent se tibi sudatoria, & specus, quam citra euidens mortis periculum ingredi non licet.

In agro Hydruntino, quanquam aēre perfletur bono & salubri, tamen lepra & Elephantiasis populariter grassatur, cuius rei culpam sunt qui adscribant multitudini carnis porcinæ, qua incolæ vescuntur: vt & caricis siue ficubus siccatis, in quibus potissima pars alimoniæ populi tenuioris consistit. Ager ipse prima specie aspe-

rior

riot videtur: sed si aliquantum ligone aperias fodiasque humum, fertile ac pingue solum occurret: & quanquam paucis terra irrigetur aquis, pabuli tamen affatim gignit, vt & frumenti omne genus, tritici, ordei, auenæ, fert & oliuas, melones peponesque exquisiti saporis. Asinorum & mulorum prouentus ibi vt vberrima quæstuosus. Est in iis locis animalculũ quoddam (incolæ Tarantulam vocant) venenatum, è quo virus cantu & sonitu instrumentorum Musicorum elicitur: quod de aliis quibusdam bestiolis scripsit Gellius, secutus fidem Theophrasti. Etsi autem Chelydros & alias venenatas bestias gignat hæc regio, à nullo tamen insectorum genere adeo infestatur, quam à Locustarum exercitibus, quæ nihil relinquunt impastum, quacunque transeunt, fitque interdum, vt vna nocte messes iam maturas consumant, totiusque anni spem frustrentur. videtur autem & hac in parte Natura iis prospexisse, creatis certis auibus, quas incolæ Gaulas vocant, quæ illa insecta persequuntur & pessumdant.

Alterum est, quod has regiones prope singulis annis affligunt grandines, vnde illis non parum damni accersitur. Audiuntur hic tonitrua, tam hyeme quam æstate, sicut præcipue in terra Laboratoris. Salubritatem & temperiem agri Hydruntini arguunt arbores odoratæ, Laurus, Myrti, Cedri & Oleæ, quarum omnium hic largus prouentus. Rupium, quibus Campania versus mare cingitur, tam molles sunt lapides atque fragiles, vt constet eas vsque ad quinquagesimum passum marinis fluctibus exesas fuisse, intra centum annorum spacium. Brunduſij autem aër malignus est, cuius rei hæc est ratio, quod nihil aërem reddat puriorem ac salubriorem, quam multitudo habitantium, quorum industria loca paludosa & vuida abstergunturs, vt arua inde fiant, syluæ densiores & vepreta incidantur ac exurantur, cuius ignis vi aër fit nitidior, contra solitudo in magnis vrbibus non solum incolas iis bonis priuet, sed & acerui lapidum & rudera ædificiorum corruptionis causæ existunt, testantibus id magnis illis quondam vrbibus, Aquileia, Roma, Rauenna, Alexandria Aegypti, & Bagadeta, siue Babylone, vt de ea accepimus. Apuliæ solum, etsi fabulosum est & leuius, gramenque breue ac rarum gignit, tantæ tamen est illa herba bonitatis, vt multos greges multaque pecorum armenta feliciter nutriat.

Aprutium, (siue Samnium) regio frigidior est totius regni. Sancti Seuerini Fanum celebre est, ob vini, quod ibi prouenit, præstantiam. In agro Amalphitano, & vicinis locis cis rupes, elegantes se aperiunt valles, in quibus multæ aquarum viuarum scaturigines, quæ collectæ riuos constituunt iucundissimo murmure campos percurrentes. Mala granata, citria, aurantia, vt cæteri fructus arborei, hic sunt in summa abundantia. vti sunt oliuæ, pira, pruna, cerasa, & [illegible]genus. Nec vino, cuius hic magna copia, lua [illegible]. Non videtur autem natura soli gustui [illegible] voluisse, verum etiam nares delectare atque oculos, myrtetis crebris, lauretis, buxetis, sed & copia hederæ, rorismarini & florum odoratorum, præcipue rosarum. Ager Salernitanus pomorum citriorum, limoniorum, aureorum, granatorum cæterorumque fructuum vbertate luxuriat. Basilicata siue Lucania aspera est & montosa, ideoque frequentia in ea latrocinia. Prope Pæstum oppidum duplex quotannis est rosarum prouentus, *vnde biferi rosaria Pæsti* in prouerbio. Calabria ferax est frumenti, inprimis ordei, vt & vini diuersorum generum, oliuarum, ficorum, faecari, mellis, salis, auri, argenti, lanæ, gossypij & Croci. Serica lana autem in tantum abundat, vt in sola Calabria tantum inueniatur, quantum propemodum in omni reliqua Italia. Præter hæc multum ibi crescit lini & cannabis: & Manna hic de cælo lapsa colligitur. Quin & in ipso maris littore, nedum in interioribus regionis, visuntur horti elegantissimi, omne genus fructiferis arboribus, quas fere supra recitauimus, consiti.

De Insulis huius regni etiam aliquid dicendum est. Ischia abundat vino generoso, & fructibus, multumque ibi effoditur sulfuris & aluminis, vt iam de Thermis medicatis taceam. Prochyta ignem vomit, & Thermas habet calidissimas. Capreārum insula destituitur frumento, abundat autem vino, piscibus & volatilibus.

MORES antiquorum Campanorum, Apulorum, Calabrorum. §.

Memoriæ prodiderunt prisci scriptores, Campanos esse superbos, ob copiam omnium terra nascentium, aëris bonitatem, regionis totius amænitatem. Est apud illos Palus Acherusia, & Auernus, & cryptæ subterraneæ, & Antrum Sibyllæ, ad quæ loca omnia (teste Strabone) ire nefas erat, nisi factis rite sacrificiis, placatisque Superis, ex vsitata maiorum superstitione. Aderant ingredi volentibus Sacerdotes, eosque introducebant, expiatos prius lustratosque. Fons qui ibi mirum fætorem exhalat, ob hanc causam Phlegeton appellatus fuit.

Iidem sacerdotes excipiebant volentes consulere Oraculum, alebantque se ac suos vel effossione metallorum, vel vaticiniis. Hæc est causa cur de iis Homerus scribat, eos Solem nunquam infueri. Sed hoc fatidicum hominum genus exactum ac profligatum memorant à Calabrorum quodam Rege, qui prædictiones eorum vanas ac mendaces compererat. Habebantur in Vrbe Neapoli quinto quoque anno ludi ac certamina publica Luctatorum, Cantorum Poetarumque, sic iubente Oraculo. Erat in hoc ipso regno, haud procul à Rhegio Locrorum ciuitas, optimis per Zaleucum instructa legibus, inter quas erat, vt is, qui vellet de noua aliqua lege ad populum referre, collum laturus laqueo infereret, certus de suspendio, si plebs legem non approbasset.

In eadem Italiæ parte erat Sybaritarum ciui-

tas, quorum infamis mollities prouerbio locum fecit, vt *Sybariticæ delitiæ* dicerentur. Docuerant etiam hi equos suos ad sonum fistularum saltare & tripudiare. Vtque verborum compendium faciam, omnium harum prouinciarum habitatores adeo immersi erant voluptatibus, vt Annibalis exercitus ante id tempus inuictus, eneruatus plane ac fractus fuerit deliciis Campanis, cum incolarum mollitiei & delicatis moribus se adsuefecisset.

Mores harum gentium nostro tempore.

Sunt Neapolitani prope omnes hilares, vrbani & nitidi, ingenij non mali, præterquam quod deliciis immersi sunt, ante omnes prope totius mundi homines. Inprimis autem mirifice sibi placent, si se gratos acceptosque sentiant mulieribus. Neapoli habitat, quicquid prope in toto regno est Nobilium, non tantum propter salubritatem aëris, sed & quia ibi est prope theatrum hominum elegantiorum.

Nec temere in vno totius Europæ loco tantum simul videre licebit hominum nobilium, quam Aestatis tempore extra Neapolim, vbi offerunt seruitia sua nobilibus fœminis, quæ ibi pilentis & curribus vltro citroque vectantur. His viri equis vecti tanta sermonis gratia & morum suauitate adequitantes blandiuntur, vt videatur Nobilitas Neapolitana ad id vnice non instituta, sed nata, vt captent muliebrem gratiam, semperque versentur in Gynæconitide, cum in hac arte omnibus nationibus palmam (si qua est) præripiant. Qui cum tales sint, non tamen sunt timidi & ignaui, cum videamus nobilitatem istam sequi castra, quærere bella, edere virtutis specimina, quod satis patuit in diuturnis istis inferioris Germaniæ bellis, in quibus omnibus propemodum annis non exiguus Nobilium Campanorum aut Apulorum militauit numerus. Quin & populus ad arma minime ineptus deprehenditur, cum constet, bonam pedestris militiæ partem, quam ante Albertus Archidux, & nunc Rex Hispanus vtitur, è Neapolitanis militibus constitisse, quorum multo plures in his bellis meruerunt, quam nati Hispani.

Populus in ciuitatibus admodum studet mercimoniis & negotiationi, quanquam plerique à mercatura abhorrere incipiunt, ob incredibiles exactiones vectigalium, quæ in hoc regno maiores sunt, quã quis possit credere. Dixi Neapolitones esse omnes vrbanos & ciuiles: sed hæc regula multas patitur exceptiones, cum in multis locis infiniti reperiantur, quibus ciuilitas & mores elegantiores parum noti sunt. Circa enim Montaltum inuenies eos tam rudes & feros, quam in vlla parte totius Italiæ. Quin & omnes prope in vniuersum Calabri sunt ingenij crassioris quam cæteri Itali, vt & veteres memoriæ prodiderunt: & Hydruntini sunt simplices, inertes, quanquam, si vero nomine id vitium appellare volumus, stupiditatem recte appellabimus. Omnes autem tam viri quam fœminæ sunt dediti rebus Venereis, nec vllare sibi magis placent, quam in amoribus suis: nec fere vllus in orbe locus est, vbi amatores minus frustrentur suis desideriis, modo non sint nimis rudes, sed nouerint mereri, vt amore digni habeantur. Notantur autem singulæ huius regni prouinciæ singulis scommatibus à cæteris Italis: vt Basilicatenses vocentur temerarij, Calabri stupidi, fœminæ Consentinæ obstinatæ, Beneuantanæ rusticæ, Capuanæ superbæ, Neapolitanæ officiosæ, Brundusinæ ociosæ.

Non studeant Neapolitani delitiis domesticis, vt intra suos opipare viuant parietes: in id vnice propensi, vt elegantes ac magnifici foris appareant, habeanturque magni ac nobiles, omnes sumptus in exteriorem pompam ac splendorem conferentes, qua quidem in re, vel potius vanitate, non recedunt à cæterorum Italorum consuetudine. Mulieres eorum superbissimè vestiuntur, vt etiam plebeiæ illustrium æmulentur in vestitu luxum, faciliusque iis persuaseris, vt totum diem ab omni cibo abstineant, quam vt aliquid ad summum corporis ornatum omittant, vbi coram multitudine comparendum est. Quibus autem res domi est angustior, non grauabuntur totam septimanam in paranda lana serica noctes diesque laboriosissime consumere, eo duntaxat fine, vt die Dominico cum cæteris de stolido illo corporis ornatu ac splendore aliquo modo certare possint.

OPES ET DIVITIÆ.

Si qua in his rebus est felicitas, Neapolitani 6. regni incolæ vix vllis per totam Europam de felicitate cessuri essent, nisi quotidianis exactionibus & quæstorum acerbitate facultates eorum exhaurirentur: cum non solum omnium rerum abundent copia, sed & eas distrahere ac venundare possint per terras Ecclesiæ Romanæ, aliasque prouincias: ipsi insuper nauigationis subleuati commoditate, cum ab antiquo Apuli Calabrique cum Venetis negotientur, quorum commerciis, si destituerentur, male cum ipsis ageretur, quod tum patuit, cum ob morbum Epidemium intermissa fuit negotiatio. Hinc peculiari quodam studio ac beneuolentia feruntur Neapolitani in omnes, qui illius Reipublicæ subsunt imperio. Non est vlla in tota Italia prouincia, quæ plura domi suæ nata exteris submittat. Vendunt enim Apuli Calabrique nuces amygdalaque ingenti copia vsque in Africam & Alexandriam Aegypti. Crocum mittunt in plurimas prouincias exteras, sericam vero lanam Genuensibus & Florentinis submittunt: oleum vero Venetis; vinum, capras, agnos, arietes, & inprimis equos in diuersas regiones exportant. Ab Apulis enim carnes accipiunt cum Veneti, tum Hetrusci Illyricique pars. Vinum quod apud S. Seuerinum crescit, præcipuæ est bonitatis, & magnificà Romanis. Calabria inferior submittit prouinciis exteris Coralia & Mannam, cuius maior est

quam

quam in aliis locis præstantia. Castro, oppido maritimo gloriam peperit bonitas olei, quod magna copia plenisque nauibus mercatores Ligures hinc auehunt, & inde rem faciunt.

Redeunt ex hoc regno, vt fama est, ad regem Hispanorum milliones duo, & ducatorum quingenta millia, in qua summa connumeratur gratuitum donum, quod solum constituit millionem vnum & ducatorum millia CC. Hoc donum in debiti formam degenerauit, vt iam quotannis tantum auri conferre non liberum sed necessarium sit. Totum autem hoc propemodum vniuersum insumitur in præsidiarios milites, exercitum equestrem & pedestrem, triremes bellicas, ædificia, stipendia nobilium, qui proregi sunt ab officiis, aliasque expensas, quarum non est numerus.

VIRES ET ROBVR MILITARE.

Fuerunt ab omni retro tempore Neapolitani notati crimine rebellionis, & quod crebræ inter eos seditiones fuerint: vt obseruatum sit, spacio annorum CCCCL, quibus à diuersis gentibus, Normandis, Germanis, Gallis, Catalaunis, Hispanis reges acceperunt, numerentur XXVII. insignes Neapolitanorum rebelliones, nunc sub hoc nunc sub illo titulo ac prætextu in magistratus suos insurgentium: qui nisi leuitate quadam animi ingentes sibi proposuissent spes & aureos montes, nunquam neque Pontificum Romanorum instigationibus, neque ambitioni propriæ, neque vindictæ cupiditati tam facile locum dedissent. His igitur tam crebris rebellionibus (etsi diuersis de causis ortæ fuerunt) duas tamen præcipuas assignabimus. Prior est magnitudo & potentia principum regni: posterior electio Regis, quæ dependebat à principibus exteris, qui sæpe mutabant voluntatem, inprimis quod fere Pontifices breuis admodum sunt vitæ. Hinc diuiso in factiones regno, vna quidem pars adhærebat principibus in regno natis, quorum ob multitudinem clientelarum magna erat potentia, ingentes redditus annui. Vnde non semel perspecta clientum & affectarum suorum promptitudine, ausi fuerunt minari regibus, eosque bello appetere, nihil pensi facientes priuati commodi causa totum regni statum conturbare: inprimis si intelligerent, inclinare Pontificem ad depositionem vnius regis, abuti hac mutatione potuerunt, & in sua commoda vertere res nouas, quarum studio aliquoties sollicitauerũt Papas, ad transferendum in alium aliquem diadema regni. Rursum inuenti sunt, qui calumniando apud reges etiam iustas bonasque Paparum actiones, siniſtris regum de Pontificum in eos affectu impleuere animum suspicionibus, vt deinde meruerint à Pontificibus diris & anathemati subiici, solioque deponi: vnde Principibus nata spes, ad votorum suorum summam perueniendi. Hinc non sine grandi causa Hispani iam à multis annis omnem mouerunt lapidem, vt firmarent sibi atque conseruarent possessionem huius regni, non solum vt studerent paci ac concordiæ cum Pontificibus Romanis, sed & horum in regno imminuerent potentiam & auctoritatem, eosq; qui videbantur præ cæteris validi & potentes, redigerẽt in ordinem, facerentque minus formidabiles: quod obtinere illis eo fuit facilius, quod pleroſq; Italiæ principes sibi reddidissent obnoxios, vt ab iis nihil foret metuendũ periculi. Cum enim regnum hoc in Hispani regis peruenisset potentiam, continuo è medio sublata sunt omnia, quæ poterant ad perturbationem regni facere, vnde regi illi firma regni possessio acquisita est, inprimis quod ad exteros principes attinet, qui ei hoc nomine bellum mouere potuissent. Ius enim quod Gallus prætendebat, penitus abolitum est, sancita pace, quod fuit anno A N.C. MDLIX. Ad bella ciuilia quod attinet, cum Hispano bene conueniat cum Pontifice Romano, cum Duce Sabaudiæ, cum Duce Herruriæ, cumque sibi habeat is obnoxios Genuensem & Lucensem respublicas, nec temere Veneti illius velint lacessere potentiam: non est verisimile, Ordines regni ausuros aliquid contra eum, vel si audeant, effecturos.

Accedit, quod quibusdam ex ordinibus beneficia præstat & viuendi media, inprimis Curiæ Confidentium; ratoque ad gubernacula Reipublicæ magnos illos regni Proceres & primæ notæ Principes admittit, aut si admittit, angustis eorum cancellis includit limitatque potentiam: magnaque seueritate animaduertit in aduersarios aut suspectos, nec facile aures præbet, querelas deferentibus aduersus Proregem aut Gubernatores: quarum rerum omnium prægnantes habet rationes. Largitio enim beneuolentiam populi parit, eumque in spem maiorum beneficiorum erigit: secundo cauet, ne quis captata aura populari nimis magnam acquirat auctoritatem: tertio pruritum & libidinem mouendi res nouas acerbitate pœnarum comprimit. Nec hoc solum: sed (vt ad primum de beneficentia reuertamur) videntes regni ciues, inde & non aliunde omnem suam dependere felicitatem, & bene merentibus de rege proposita esse tam luculenta præmia, magis magisque illius nituntur aucupari gratiam, vt aucti nouis titulis & honoribus supra cæteros eminent. Ita fit, vt dum sibi quis viam sternit ad opes atque dignitates, simul crescat in fide & obsequio erga principem, à qua fide vt discedat, nulla re deinceps impelli posse videtur. Secundum cohibet in ordine magnates, ne clientelas sibi quærant & factiones ad mouendas res nouas. Tertium, cum eodem numero habeat apertos inimicos & suspectæ fidei, efficit, vt quisque in verbis factisque suis tam caute & prudenter se gerat, vt Princeps etiã de ipsorũ cogitationibus securus esse possit, siue ij sint nobiles siue plebei, cũ nobiles & illustres sine auxilio plebis nihil tẽtare possint, & Hispani sibi plebem aduersus nobilitatem fouendã desumant, inprimis in causis

Iustitiæ: populus autem non nisi irrito conatu seditionem moturus sit, ductu & consilio illustrium destitutus. Postremo, discordia inter huius regni Ordines tam altas radices egit, vt viuentibus membris in aperta simultate & malevolentia, Regnum ipsum tutum sit à diuulsione: annitentibus Hispanis, vt inter proceres simultatis ac discordiæ semina fomententur, dum modo illi, modo alteri fauent, ne regi Hispano vnquam metuendum sit, fore vt coniunctis animis viribusque iugum à se excutere moliantur. Quod si vel maxime ausuri essent, nemo tamen illorum facile probaturus esset conatus aut adiuturus, cum pleræque Italiæ prouinciæ tranquillitate egeant, & Pontifex Romanus Hispano sit amicissimus, qui tam bene sibi prospexit, vt plurimum ipse possit in Electione Papæ, habens plerosque è Cardinalium numero suis obnoxios votis: vnde non desinit Pontificum ambire amicitiam, quos si inimicos habeat, non parum incommodi sibi creare posse nouit, vt exempla Clementis VII. & Pauli IV. ostenderunt. Et hæc quidem cum Pontificibus amicitia, & cum cæteris Principibus Italis fœdera, & sublatæ per totum regnum tumultuum motuumque causæ, sunt verum antidotum, quo rex Hispanus hactenus vsus est aduersus belli ciuilis venenum.

Habet is perpetuo mille pedites Hispanos in hoc regno, per diuersa castella ac præsidia distributos, sub ductu aliquot centurionum, & Magistro Campi atque Auditore: & hæc est illa Legio, quæ dicitur Regimen Neapolitanum vel Terzo di Napoli. Præterea in arcibus siue turribus, quæ sunt extructæ ad custodiam locorum maritimorum dispositi sunt mille sexcenti pedites, cum suis ordinum ductoribus centurionibusque. Equites sunt in vniuersum mille, diuisi in signa septendecim, quorum sex constant Hispanis, vndecim vero Italis, sexaginta equitibus constante quolibet signo, excepto viceregis, quod habet centum, & M. Antonij Columnæ, quod constat equitibus CX. Equites leuis armaturæ numerantur CCCCL, diuisi in signa siue turmas quinque.

Iam de potentia marina aliquid dicemus. Habet regnum hoc instructas, in procinctu triremes XXXVII, triginta tres Neapolitanas, & quatuor in vsum Genuensium. Triremes Neapolitanæ consueuerunt in statione consistere ante Molam, (olim Formias) oppidum, vacuæ milite præsidiario, quandoque & remigio magna ex parte, quod eo vtantur ductores militum & mercatores, ad exonerandas naues suas, & alia seruitia domestica: obseruatum que est, cum aliquando octo Biremes prædatoriæ apud Capreas Insulam rapuissent duas triremes Siculas, integer dies insumtus fuerit, donec quinque triremes Neapolitanæ armarentur, insecuturæ Piratas Turcas, quod neque milites neque nautæ remigesque haberi tempestiue possent. Vnde vulgo putatur, non magni vsus eas futuras regi Hispanorum, quod non satis instructæ sint tormentis & instrumento, nautis non magnæ experientiæ, & mancipiis Turcicis ad remum vtantur, aut damnatis, quorum illi quidem mala fide & coacti seruiunt, hi vero nullum rei nauticæ vsum habent, vt iam non dicam, quam ægre damnati capitis sustineant molestias & incommoda nauigationis.

Eodem modo præsidiarij milites in castellis, tam tribus illis in Vrbe Neapoli, quam reliquis, nequaquam multi sunt, aut pro numero stipendiorum, quæ ab Hispano rege numerantur. Omnis autem vis tormentorum siue machinarum ænearum (de vsitatis ſt atisque loquor) est in Castro Nouo, & Castello S. Elmi, itemque in munimento Caietano & Arce Capuana, nam de cæteris per regnum sparsis nemo magnopere sollicitus est. Omnis autem res tormentaria parce admodum & maligne curatur, ex qua re, vt & aliis multis, intelligitur auaritia præfectorum regiorum, cum tamen sulphuris, nitri, & huiusmodi materiæ ingens in eo regno sit copia.

Sunt autem hæ prouinciæ omnes admodum populosæ, numerantur que in iis Principes XIII, Duces XXIV. Marchiones XXV, Comites XC. Barones C, qui obligati sunt, vt omnes in propria (vt loquuntur vulgo) persona præsto sint ad officia regi, in casibus qui defensione regni exigunt. Cum Paulus IV. P. M. bellū huic regno intulisset, legit Albæ Dux, Prorex, exercitum vicies mille peditum, septingentorum equitum cataphractorum, & mille quingentorum equitum leuis armaturæ.

Præcipua regni munimenta hæc sunt: tria Castella Neapolitana, Nouum, Oui, S. Elmi, deinde Arx Mencia, Crotonensis, Tarentina, Callipolitana, Hydruntina, Brundusina cum propugnaculo S. Andreæ, Monopolitana, Barensis, Tranensis, Barlettana, Manfredonia, Montis sancti Angeli, Caietana, Cantazarena, Consentina & Aquilensis.

MODVS GVBERNATIONIS.

Habet ab antiquo rex Hispanorum Proregem in his oris, qui habitat in vrbe Neapoli, vt & cæteri magistratus, qui proximum ab eo locum obtinent, non solum quod hæc vrbs sit antiqua sedes regum, sed & ob elegantiam & commoditatem situs, concursum nobilium in regno, frequentiam mercatorum, & artificum tota collegia. Potest autem hæc vrbs esse instar compendij totius regni, quod hinc emittantur Gubernatores vel præfecti per duodecim prouincias, in quibus sunt sex, qui etiam Proreges siue vicereges dicuntur, quanquam proregi Neapolitano subiiciantur. Est insuper in vnoquoque oppido, quod quidem sit iuris regij, quidam velut rector oppidanus, quem ipsi Capitaneum vocant: nec datur ab his Capitaneis vel Iudicibus prouocatio, nisi ad Proregem Prouinciæ, aut ad Vicarios Consiliarios que Neapolitanos: vnde fit vt tribunalia primariæ

mariæ vrbis semper obruantur litigiis & causarum actionibus, Aduocatis, Notariis, Actorumque Magistris lites de die in diem producentibus, vt carceres fere semper pleni sint ingenti hominum numero, cuiuscunque conditionis, vnde patet, ius hic satis rigide dici, & iustitiam legitime administrari.

Sunt autem præter Proregem in hoc regno VII. præcipua officia. Conneſtablius, Magnus Iustitiarius siue Cancellarius, Magnus Admiralius siue Thalassiarchus, Magnus Thesaurarius, Protonotarius & Seneschallus. Sunt & quatuor Curiæ quas illi Sedes vocant: Capuana, Nidana, Montana, & S. Gregorij, vbi omnes Principes, Duces, Marchiones & cæteri regni Proceres cum Ordinibus conueniunt, vt in commune consulant de causis ad emolumentum Reipubl. spectantibus.

STATVS ECCLESIASTICVS.

Nemo fere dubitat, quin omnes qui regnum Neapolitanum inhabitant, sint optime affecti in Religionem Catholico-Romanam. Cæterum sunt in eo regno Archiepiscopi viginti, sub quibus plurimi sunt Episcopi, quos ordine commemorabimus.

Archiepiscopo Neapolitano suffragantur Episcopi, Nolanus, Puteolanus, Ceruiensis, Ischiensis. Auersanus superiorem non agnoscit.

Archiepiscopus Capuanus præest Episcopis, Theanensi, Caluēsi, Casertano, Caiacensi, Isernensi, Suessano, Venafrano, Aquinati, Calmensi, Cassinensi, quanquam hic cum Abbatia montis Cassinensis ab omni superioris obedientia exemptus sit, sic volente Iohanne XII. PP.

Archiepiscopo Salernitano subsunt Aquensis, Policastrensis, Nuscanensis, Satnensis, Acernensis, Marsicanus, Nucerinus. Cauensis & Rauellensis sunt exempti.

Archiepiscopo Amalphitano subsunt Episcopi: Lictarensis, Scalanus, Capreensis, Minoritanus.

Archiepiscopus Surrentinus, sub se habet, Lobrensem, Salpensem, Vicensem, Castellimarinum siue Stabiensem.

Archiepiscopus Cannosanus sub se habet Episcopos Auranensem, Sarranensem, Montisuridis, Laquedonensem, S. Angeli de Lombardis, Biscacensem.

Archiepiscopus Acherontius suffraganeos habet Potentianum, Tricarensem, Venusinum, Grauiensem, Angolensem.

Materensis ad Archiepiscopalem dignitatem euectus est.

Archiepiscopo Tarentino suffragantur Mutalensis & Castellanensis.

Archiepiscopatui Brundusino subest Astrinensis & Hostunensis.

Archiepiscopo Hydruntino subiiciuntur Castrensis, Callipolitanus, Licensis, Vgentinus, Lucensis, Nertonnensis, qui tamen exemptus est.

Archiepiscopo Barensi subsunt Betontinus, Calphaianus, Iuuenacensis, Rubentinus, Salpensis, Caurensis, Baterensis, Conuersanus, Mineruiensis, Polinicensis, Catheticensis, Lauellinensis.

Archiepiscopus Trani sub se habet Episcopos Montepolosanum, Rapolensem, Alexianum. Monopolitanus superiorem non agnoscit, vt nec Melphitanus nec Troianus.

Archiepiscopus Manfredonensis, qui idem est cum Sipontino sub se habet Vescanensem, cum Monte S. Angeli.

Archiepiscopi Beneuentani hi sunt suffraganei: Telesinus, S. Agathæ, Alphiensis, Montis Marani, Auellinensis, Vicanensis, Arianensis, Roianensis, Asculanus, Lucerinensis, Tertibulensis, Traconensis, Vulturanensis, Alarinensis, Ferentinus, Ciuitatensis, Termesensis, Lesinensis. Frequentinensis, Triuentinus, Bomiensis, Guardiensis, Musanensis, S. Mariæ.

Archiepiscopo Chetiensi parent Episcopi: Aquilensis, Pennensis, Atriensis, Sulmonensis.

Archiepiscopo Lancianensi subsunt Soranus & Teramensis.

Archiepiscopo Rheginо suffragantur Locrensis, Crotoniensis, Cassanensis, Neocastrensis, Cathacensis, Giracensis, Tropetensis, Viboniensis, Scyllacæus, Bouiensis.

Archiep. Consentinus sub se habet Maturanensem, Rossanus nullum. Bisignanus enim non agnoscit eum.

Suffragantur S. Seuerini Archiepiscopo, Ebriacensis, Strangulensis, Geneocastrensis, Gerentinensis, S. Leonis. Episcopatus Insulæ Liparis vnitus est cum Parentiano, subiiciturque vterque Archiepisc. Messanensi.

Omnes hi Archiepiscopi & Episcopi luculentos quotannis percipiunt prouentus, quorum catalogo hoc coronidis loco addam, inter loca beneficentiæ ac pietati in regno Neapolitano consecrata, vnum esse, cui *Monti Pietatis* nomen, vnde quotannis sexaginta scutatorum millia in pios vsus erogantur, partim vt ij qui ibi viuunt, nutriantur, partim in Eleemosynas, partim in gratuitam alimoniam bis mille infantium & puerorum per hoc regnum.

CATALOGVS REGVM NEAPOLITANORVM.

Vix arbitror, in toto orbe habitabili vllum 10.
inueniri regnum, quod toties acquisitum armis atque occupatum fuerit, & quod in ipsa seruitute plura libertatis & dominationis ediderit specimina. Subinde enim ex vnius in alterius manum delapsum est, fuitque successio tam dubia & inconstans, vt aliquoties familia quædam regia extincta fuerit, antequam satis firmas radices egisset. Nos hic breuitati studebimus, gnari, longiorem earum rerum, quæ circa reges contigerunt, narrationem tædiosam fore lectori: sic igitur persequemur regum seriem. *Rogerius* Siciliæ Comes, ex testamento Guilielmi

Dux Apuliæ & Calabriæ, ex posteris Tancredi, Richardi Normanni filij, eripuit Imperatori Constantinopolitano vrbem Neapolim, circa finem decembris mensis anno A N.C.MCXXX, vbi mox Rex Neapoleos & Siciliæ salutatus est Beneuenti, à Pontifice M. Anacleto II. qui sibi fideliratis ius reseruauit.

Possedit huius Rogerij posteritas regnum Neapolitanum, donec Guilielmus cognomento Bonus moreretur, non relictis liberis legitimo matrimonio procreatis, ibi ordines regni elegerunt regem Tancredum, nepotem spurium illius Guilielmi. Sed Clemens III. P.M. cum regnum caducitatis iure ad Ecclesiam Romanam deuolutum diceret, concitauit bellum in Apulia, quod post ipsum continuauit Cælestinus III. qui & Henricum VI. Imperatorem, regem Neapoleos coronauit, hac conditione, vt illud regnum occuparet tanquam feudum Ecclesiæ, & hac ratione deuenerunt terræ illæ à Normannis ad Germanos, qui parum prospere ibi dominati sunt: quod Fridericus II. Henrici filius, Imperator, cum hostiliter persequeretur Pontifices, & Imperio & regno isto priuatus fuerit ab Innocentio IV. qui regnum hoc obtulit Colomanno Angliæ regis filio, qui noluit periculosæ plenum opus aleæ subire, vt eiiceret Friderici liberos, qui potissimam regni partem valide obtinebant, inprimis Manfredus filius nothus Friderici.

Vrbanus IV. PP. transtulit id in Carolum Andegauensem, Comitem Prouinciæ, S. Ludouici fratrem, qui illud armis occupauit, vnde titulum regium nactus, & à Clemente IV. inuestitus est, ea lege, vt quotannis quadraginta millia ducatorum Sedi Romanæ persolueret, & Asturconem album. Continuata fuit successio huius regni in familia Andegauensi. Carolo I. enim, Andium Comiti, successit Carolus II. filius, qui hæredem habuit filium Robertum: qui Robertus mortuus sine liberis, reliquit id Iohannæ, filiæ Caroli Ducis Calabriæ. Sed Vrbanus VI id dedit Carolo Dyrrhachino, qui erat ex posteris vnius fratrum dicti Roberti, exclusa omni iure muliere, quod eam excommunicatam diceret, quia fouerat partes Antipapæ Clementis septimi.

Post Carolum regno potiti sunt liberi Ladislai, qui simul erat Hungarorum rex, imperante etiam Iohanna regina, quæ deinceps de consensu Clementis Antipapæ adoptauit Ludouicum Andegauensem, Galliæ regis secundonatum filium. Cæterum Ludouicus interfectus est apud Barium, per milites Caroli Dyrrhachini. Ludouicus tamen illius filius coronatus est & rex appellatus ab eodem Clemente: sed frustra id fuit, pellere enim aduersarium non potuit. Cuius filius eiusdem cum patre nominis, vocatus vt regnum istud occuparet, diademate cinctus est à Martino V. P.M. vnde irata Iohanna regina, misit ad Alfonsum Aragonum regem, qui ei regnum offerrent. Erat autem per id tempus Alfonsus in Sardinia Insula, qui vbi Neapolim veniisset, impatiens muliebris dominationis, quæ omne sibi vendicabat imperium, conatus est illam carceri mancipare. Sed mulier fraudis conscia, secreta fuga se subduxit, Ludouicumque illum hæredem scripsit, irrita pronunciata Alfonsi adoptione. Interea moritur Ludouicus: & quanquam Iohanna successorem Renatum Ludouici nominasset, & ipsa paulo post extremum diem clausisset, vnde Eugenius IV. PP. ad Ecclesiam deuolutum regnum aiebat: his, inquam, omnibus contemptis, Alfonsus Neapolim expugnauit, totumque sibi regnum subiecit: impetrata etiam paulo post coronatione à Pontifice Eugenio. Ad hunc igitur modum Neapolitanum regnum à Francis ad Gothalanos migrauit. Renatus ius suum reliquit moriens Ludouico XI. Gallorum regi. Cui successit Carolus VIII, & potissimam regni partem armis recuperauit.

Postremo Ludouicus XII rex Gallus, & Ferdinandus Hispanus id inter se partiti sunt, postquam Fridericus rex desperatione aufugisset. Sed Galli, cum rem vbique male gessissent, in causa fuerunt, vt id vniuersum Hispanis cederet. Sequuta est capitiuitas Francisci regis in prælio Ticinensi, & bella intestina Galliæ, vnde Galli non potuerunt repetere possessionem, quamuis ius eripi eis non potuerit.

REGNVM SICILIÆ, QVOD ET IPSVM PARS EST POTENTIÆ HISPANICÆ.

SVMMA CAPITA.

1. *Situs Siciliæ Insulæ, forma eius triangularis: promontoria quibus definitur: antiquitus iuncta continenti Italiæ: postea ab ea auulsa, vel per terræ motum, vel Aetnæ montis incendium.*

2. *Diuisio Insulæ in tres prouincias siue regiones, in quibus CLXXIII oppida.*

3. *Sicilia quibus rebus potissimum abundet; bitumine, farre, vino odoris moschati, melle, pice, croco, lana, fac. caro, sale minerali, lapillis preciosis, Porphyrite lapide, marmore, alabastro, metallifodinis auri, argenti & ferri.*

4. *Aetna Mons ignem euomens; & tamen ab summo perpetuis niuibus tectus; lacus & fontes aquæ calida.*

5. Sici-

5. Sicilia prisco temporibus à Cyclopibus, Læstrygonibus, Gigantibus habitata. Siculorum nostri temporis quod sit ingenium, quique mores.

6. Opes & robur militare Insulæ.

7. Summa Curia Sicula. Donum gratuitum tertio quoque anno proregi ab Siculis offerri solitum.

8. Inquisitores in causa Religionis in Sicilia. Tres Archiepiscopi, quibus plurimi per regnum suffragantur Episcopi.

9. Elenchus regum, qui id regnum vel possederunt vel ius in illud prætenderunt. Sententia regis Hispani aduersus Cardinalem Baronium, in causa Sicula.

1. SIcilia, quæ facile prima haberi potest inter Insulas maris mediterranei, sita est inter Italiam & Africam. Limites habet ad Aquilonem mare Tyrrhenum, ad Orientem Adriaticum & Ionicum, à meridie mare Africum, ab occidente Sardoum. Tribus hæc promontoriis in diuersa procurrens, Græcæ litteræ imaginem, quæ Delta dicitur efficit. Promontoria autem illa sunt: Pelorus, Italiam spectans: Pachynus, in Austrum atque Peloponnensum vergens: & Lilybæum, in Africam conuersum, à qua distat millibus C. quanquam Strabo & Ptolemæus numerent CLXXX. Distat hoc promontorium Lilybæum à promontorio Caralitano Sardiniæ millibus CLXXXX, (alij CC. numerant) Vbi Italiæ proxima est, non nisi M D. passibus ab ea abest: vbi autem longissime remota, nempe inter Drepanum & Neapolim, milliaria intercedunt CCC. Facit illa angustia freti, vt omnes prope authores prisci existiment, cohæsisse illam antiquitus cum continenti Italiæ: posterioribus verò temporibus ab ea auulsam, vel ob incendium Aetnæ montis; vel terræ motu: vel denique perpetuo fluxu & refluxu Ionij, & Tyrrheni maris. Huic sententiæ multum suffragatur, quod mare in illo freto vltra profunditatem LXXX passuum non descendit, & vicinæ vrbi Rhegio nomen impositum, quod rupturam significat, quia illic Siculum latus ab Italia diuulsum fuerit. Accedit, quod littus vtrumq; fragile est & cauernosum, & propemodum æternis perflatur ventis. Mare quod Italiam Siciliamque interluit impetuosum est & infestum nauigantibus, vnde veteres odiosa Scyllæ & Charybdis ei imposuere nomina. Est autem Scylla rupes, Charybdis vero vorago maris, vbi aquæ in gyrum rotatæ absorbent cum nauibus vectores: hinc vtrimque non exiguum nauigantibus periculum.

Etsi autem Insula illa communiter trigonali forma est, vnde & antiquitus Triquetra & Trinacria dicta, latera tamen eius obliqua sunt. Quod enim orientem spectat, concauum est: quod vero septentrioni obuertitur, & ipsum introrsum nonnihil curuatur. Porro ab Lilybæo ad Pelorum (quorum illud hodie *Capo Boco*, hoc *Capo Fare* dicitur) inuenies spacium milliarium CCLXXXV. Latus meridionale ab Lilybæo ad Pachynum (quod *Capo Passero* incolis est) mill. habet CXCIII. siue, vt aliis placet CCXL. Postremò littus Orientale à Peloro ad Pachynum continet mill. CL. quanquam alij CLXXV numerent. Hinc illi quidem totum Insulæ ambitum metiuntur millibus DCXXIV, hi vero DCC. Ab hoc autem spacio multum dissidet Possidonius, qui referente Strabone vniuersam Siciliæ peripheriam includit millibus DL. quod quo pacto stare possit non video.

Posita est Sicilia, vt & Sardinia, sub quarto cæli climate, inter Parallelum vndecimum & duodecimum, vbi longissima dies per æstatem est horarum XIV cum duabus tertiis, videturque in vtraque hac Insula stella Canopi, quæ clarissima est omnium earum, quæ sunt in Argo Nauj: quanquam illa stella vix in vlla Italiæ parte visatur.

2. Diuiditur Sicilia omnis in partes siue regiones tres, vocanturque eæ *Vallis Demonæ: Vallis Noti: Vallis Mazaræ.* Vallem Demonæ Ptolemæi tempore habitauerunt Messanenses & Catanenses. Vallis Noti continet totum promontorium Pachynum & quicquid veteribus sub regni Syracusani nomine comprehensum fuit. Vallis Mazaræ nomine appellatur reliquum Insulæ, vbi olim Orobitæ & Segestani.

Numerantur nostra tempestate in tota Sicilia oppida pariter & Vrbes CLXXIII. in quibus Panormus principatum obtinet, deinde Messana, Mons-Regalis, Syracusæ, Catana, Agrigentum, Enna, Drepanum. Panormi sedes est Proregis, & oppidum pulcherrimum, magnificis ædificiis & vniuersali studio ornatum. Syracusana Vrbs multum hoc tempore infra pristinum splendorem imminuta, vix veteris gloriæ vestigia seruat. Catana, etsi non respondeat veteri dignitati, aliquid tamen claritatis habet ob Academiam, & amœnitatem vicini nemoris, quod octo millia in circuitu habere creditur.

Natura & ingenium terræ Siculæ.

3. Omne solum Siculum plenum est igne subterraneo, quem aliquot locis euomit: quæ tamen res non impedit, quo minus omnium rerum bonarum sit feraciſſimum. Perflatur Sicilia assiduis ventis, tota concaua intus est & cauernosa, plena sulphure & bitumine, quæ vera sunt nutriendo igni pabula. Et hæc est causa, quod tot locis flammas eructet, alicubi densos exhalet vapores, & calidarum aquarum venis turgeat, quæ multis locis saluberrimarum thermarum vsum præbent. In agro Sunensi, in quo raptam Proserpinam veteres finxerunt, loco quem dixerunt *Vmbilicum Siciliæ*, tanta est frumenti vbertas, vt ex vno tritici modio centum colligantur, quem agrum iccirco vocant incolæ *Campo dallo cento Salme*, Campum centum modio-

modiorum. Huic tamen vix cedere videtur Leontinus ager. Vina quid commemorem optimi saporis odorisque? certant vina Sicula cum laudatissimis totius Italiæ, inprimis illud, quod *Muscatellum* exactæ dulcedinis & fragrantiæ vocant, & vinum Balincium Plinij esse videtur. Oleum præterea Sicilia vbertate quadam & abundantia fundit, vt & Saccarum, Crocum, Mel, salem, omnis generis fructus nobilissimos: inter quos etiam numerantur fructus palmæ syluestris. Effoditur non solum sal è visceribus terræ, sed & coquitur magna copia ex aqua marina. Sericum gignit præstantissimum, inprimis circa vrbem Messanam. Aucupium & piscatio hic frequens, ad vsum & delectationem.

Inueniuntur insuper in hac ipsa Insula diuersa genera lapillorum preciosorum: vt Achates lapis apud ostiũ Agathæ fluuij, & Berillus iuxta oppidum Grateriam. Porphyriten hic inuenies duum generum: vni quidem color est ex albo & rubicundo mixtus, alteri viridis: sed nec Iaspide destituitur nec Smaragdo. Marmor hic magna copia è montibus excidunt, tam nigrum quam coloris mixti. In valle Mazarensi fodinæ sunt non Alabastri solum, sed & auri, argenti, & ferri. Coralion vt olim, sic hodie quoque gignit, inprimis inter Drepanum & Eliam Insulam.

4. Inter mirabilia Siciliæ occurrit primo Mons Aetna (Siculi nostri *Montgibellum* vocant) qui cũ fere semper sulphureas eructet flammas, ab summo tamen, vbi flamma atrocissime sæuit, densis niuibus obtectus cernitur. In agro Mencensi Palicorum lacus est, qui tribus orificiis aquas præcalidas euomit, non sine vapore & murmure. Haud procul Aetna monte fons est aquæ frigidæ simul & acidæ, magno impetu ebulliens, cuius id est ingenium, vt pannos, qui prius in decocto gallæ madefacti sunt, continuo nigro inficiat colore. Ad promontorium Lilybæum galli gallinacei & gallinæ maiores inueniuntur, quam in vlla totius Europæ Africæque regione.

5. *MORES VETERVM SICVLORVM.*

Habitatam antiquis temporibus Siciliam à Cyclopibus & Læstrygonibus, immanis molis Gigantibus, non Poëtarum antiquorum & Historicorum solum produnt monimenta, sed & ingentia ossa aliquot locis sepulcris eruta testantur. His successere Sicani, Hispani generis populi. Postea Græci eam appetiuere, ductis etiam eo coloniis: & Troiani post Ilij excidium huc appulere, vt & Cretenses cum Minoë rege suo. Romani eo Colonos misere circa tempora primi belli Punici, & deinceps Imperante Augusto. Post diuisum orientis & occidentis Imperium, Constantinopolitanis paruit per annos ferme CC. Gothi eam postea occupauerunt, sed cum annis XVII eam obtinuissent, expulsi sunt per Belisarium. Saraceni occupauere eam sub Michaele Balbo, qui tamen & ipsi à Normannis ejecti fuerunt: succedente his ingenti Longobardorum multitudine. Hinc imperium Insulæ obtinuerunt aliquandiu Sueui Germani: quibus consilio Clementis VII. pp. exactis, Galli rerum potiti sunt per annos XVII, vsque ad *Vesperas Siculas*: inde Aragonum & Hispanorum regibus paruit vsque ad nostra tempora. Vnde facilis est coniectura, Insulanorum mores diuersos & ingenia varia fuisse, pro varietate populorum, qui se in Siciliam infuderunt, vnde mira confusio necessario extitit. De Agrigentinis vetus fuit prouerbium, solitos illos ædificare, quasi perpetuo victuros: & indulgere | comessationibus, quasi iam morituros.

Erat apud Siculos locus iuramento sacer, vbi is rem quam iureiurando euincere volebat, inscribebat tabellæ ligneæ, eamque aquæ imponebat profluenti è fonte quem CRATEREM appellabant: Quod si is verè iurasset, natabat tabella super aquam; sin falso, mergebatur ea, fundoque subsidebat. Fuerunt olim Siculi leuitatis & inconstantiæ nomine à cæteris Italis notati, qui ad quemuis mobiles ventum, haud facile perficiebant, quod orti fuerant. Facundi semper habiti fuerunt, affirmatque Diodorus & Aristoteles, eos ipsam artem bene dicendi inuenisse, & modum conscribendi Eclogas. Plinius autem & Plutarchus inuentionem Horologiorum & quorundam instrumentorum bellicorum iis tribuunt. Eadem hæc Insula patriam dedit magno illi Architecto & Mathematico Archimedi.

MORES SICVLORVM NOSTRI Temporis.

Sunt Siculi maxima ex parte ingenio acri & subtili, & ipsa Natura facundi, vnde Apuleius eos appellauit homines Trilingues. Faceti insuper sunt, & iocorum dicteriorumque studiosi, quibus obuios pungere ac mordere nouerunt: nimia tamen loquacitas iis vitio datur. Præter hæc quæ diximus, vehementer indulgent suspicionibus, inuidiæque, vt non raro odiosa sit eorum conuersatio. Facilis apud illos mutua offensa, & eadem in exigenda vindicta leuitas, vel ob leuissimam iniuriam. Miraberis eorum iactantiam & gloriationes, si eos audieris. Hospitalitatis tamen laudem ferunt, quod peregrinos humaniter excipiant. Ingeniosi putantur, non solum ad excogitandas res, sed & ad vtendum iis dextre. Obseruant hoc in iis exteri, vafros magis esse quam prudentes, & versutos magis quam sinceros, & rebus nouis supra modum studentes. Obædientiæ tamen laude non carent, quod pareant legibus & iustitiæ, sint fideles Principi suo, eique omnibus modis suam probare studeant industriam. In primo calore amicitiæ & congressus, propemodum nimis sunt officiosi. Aut nimis sunt timidi, aut temerarij ac audaces nimis, ita vt medium non nouerint.

Timidi plus iusto sunt, dũ suarũ rerum satagunt, quod semper priuatum emolumentũ ipsis

ante

ante oculos versetur: quod vt promoueant nouerunt se in omnes vertere formas, seruiliter se illi submittentes, cuius opera se ad desiderioru suorum finem peruenturos arbitrantur: huic ita seruiunt, vt ad hanc vnam rem nati esse videantur. Vbi autem de bono publico agitur, dici non potest, quam audacibus consiliis in medium proruant. Creduntur Siculi egregie meriti de rege Hispaniæ, quod vltro se ei subdiderint, nec fas iudicat, Hispanos vel latum vnguem discedere à pactis & conditionibus, quibus in Siciliam ij recepti sunt. Priuilegiorum suorum conseruationi, vt rei sacrosanctæ, student enixissimè vt arbitrentur quid uis licitum esse, quod ad immunitatum suarum propagationem ad posteros faciat, negantes, si eo nomine populare seditionem concitent, propterea rebelles pronunciandos.

Studuerunt semper & ab antiquo Principes aut illustres viri inter Siculos, contrahere amicitiam aliquam cum proceribus aulæ Hispanicæ, quo fine captare eos solent, quibus rex præcæteris fidit, & quos secretorum suorum faciu participes, vt quandoque etiam exercitus regios sequantur. In vniuersum tamen omnes id operam dant, vt cum præfectis ac Magistratibus negocia contrahant, cuius rei duplicem habent causam. Primo, quia quotidie aliquid litigij ipsis oboriri potest, vt causam dicant in Regia. Deinde quod natura quadam inclinatione cupiant censores esse eorum, quæ Prorex agit: vnde sollicite obseruant, quid amici eius, quid dicentes, quid serui rerum gerant. Nec ab hac censura tuta esse potest innocentia, cum ad quemuis vanum rumorem suspiciones concipiant. Fiunt autem multo audaciores ad inquirendum in res Proregis, si nouerunt, eum non sine difficultate ad id fastigium conscendisse, quodue multi sint qui ei inuideãt, quod parum firmis eius auctoritas in Regia sustineatur fulcris, postremo quod parum fidis aut appositis vtatur ministeriis.

Opes & diuitiæ Siculorum.

Fuit hæc Insula ab antiquo appellata *Horreum Romanorum*, quod beneficiũ illi vrbi etiamnum sæpe præstat: vt Siculi ex Tritico diuendito plurimum lucrentur argenti, vt nec minus ex oleo & Serico, cuius vtriusque magnam exteris submittunt copiam: in serico autem præcipuam laudem fert Messana. Redeunt ad regem Hispanorum quotannis ab Sicilia coronatorum millia CCC, sic tamen, vt anni exæquentur. Centum millia percipit è vectigali frumentario: tantundem è distractione mercimoniorum: rurum è portoriis, ędificiis regiis, decimis & donis millia coron. C.

Præter hos prouentus sunt etiam redditus extraordinarij, qui in Fiscum magnæ Cameræ inferuntur, nec non prouentus officiorum vacantium, defalcationes ordinis Cruciatorum, postremo dona extra ordinem collata, quæ omnia immanem vim argenti conficiunt. Vicissim expensæ, quæ sæpenumero accepta superant, consistunt in persolutione stipendiorum, quæ debentur præfectis, exercitui equestri & pedestri, nauarchisque ac nautis triremium, postremo præsidiariorum in arcibus ac castellis dispositorum.

ROBVR ET VIRES MILITARES.

Curat id vnice rex Hispanus, vt bonis præ- 6.
sidiis militum Sicilia contineatur, inprimis vt ora maritima custodiatur: dat igitur operam Prorex, nequid iis in locis desit, siue sint mittenda supplementa militum, siue commeatus, aut materia bellica. Panormus oppidum est inprimis forte ac munitum: proximum ab hoc Messana. Sunt autem per totam insulam hinc inde non paucæ arces ac castella, quorum ea est firmitas, vt non parum habiturus sit negocij, qui expugnatis ils sue velit Insulam subiicere imperio.

Modus Gubernationis.

Magna est Parlamenti siue Supremæ Curiæ 7.
Siculæ auctoritas, vt vicerex ordinarium illud siue statum donum, quod tertio quoque anno contribui solet, non possit acquirere, neque vllam largitionem extra ordinem impetrare, postremo in republica nihil mutare audeat, nisi de voluntate omnium Ordinum totius regni, quos Parlamentum repræsentat.

Constat autem hoc è triplici hominum ordine, quos Siculi tria brachia vocant. Primus Ordo est Ecclesiasticorum, tam maiorum quam minorum gentium, & hi iunctim appellantur Brachium Ecclesiasticum. Secundus constat ex illustribus nobilibusque, qui vocantur Brachium militare: Tertius est eorum, qui ab Prouinciis vrbibusque procuratorio nomine mittuntur, nominanturque Brachium dominationis.

Ordines hosce Prorex conuocat per litteras, quibus eos monet vt in vnum aliquem locum conueniant, vbi se quoque illis præsto futurum ait. Hi vbi comparuerunt, Prorex sedens in sella regia, loco quam cæteri eminentiore, exponit causas ea qua potest breuitate, propter quas cõuentum illum indixerit, simul quid ab ipsis fieri velit ostendit. Ibi primus è proceribus Ordinis Ecclesiastici, surgens è subsellio respondet: Intellexisse Ordines regni, quid Proregi sit animi: & iam quidem se soluturos conuentum, cæterum paulo post denuo conuenturos, & commodum se ei redditurus responsum. Inde certus locus constituitur, vbi omnes Ordines siue (vt ipsi vocant) Brachia sigillatim & sine Prorege conueniant. Ibi vsitato more de septem fere capitibus tractatur, & tres ille classes siue Brachia Ordinum mutuo se faciunt certiores, quid de vnoquoque capite concludatur, vt constet in quibus consentiant dissentiantue.

Primũ Caput, de quo tractatur, & cuius nomine fere cõuocantur, est *Donũ Gratuitũ*, vtrũ illud

regi

regi dandum sit an non. Quod si concludant, propter difficilia tempora & necessitates regni dari illud non posse, soluitur Senatus, nec aliud quicquam agitur.

Si verò decreuerint, dandum esse Donum istud, tum ad secundi capitis deliberationem peruenitur: quod est, Quantum illud donum esse debeat. Tertium est, quo modo illud à ciuibus regni colligendum sit. Quartum, quot annorum spacio illud persoluendum. Quintum, quibus conditionibus id sit numerandum. Sextum, quas ipsi vicissim gratias quæue priuilegia à rege petere debeant. Septimum ac vltimum caput, quinam potissimum ex omni Ordinum numero legendi sint, quibus omnia illa, quæ in comitio decreta sunt, exequenda committantur.

Fuit autem Messana Vrbs cum ob commoditatem portus tum ob pulchritudinem situs semper caput Regni Siculi æstimata, ornata plurimis priuilegiis ac immunitatibus: vnde fit, vt haud ferme ob aliam causam ciues in Proregem insurgant, & seditiones concitent, quam si priuilegia ac libertates suas vel non satis obseruari, vel aliquo modo imminutum iri querantur: quarum quidem libertatum Messanenses quam vitæ ac salutis suæ sunt studiosiores.

Sunt autem in vniuersa Sicilia tria suprema Tribunalia, à quibus omnis administratio Iustitiæ dependet, & causæ omnes deciduntur. Curia Magna, Forum Conscientiæ, & Dominium. Primum, nempe Curia Magna constat Præside vno, & Aduocato vno Regio (qui quidem hoc officio funguntur donec viuunt) iudicibus tribus in causis ciuilibus, totidem in criminalibus. Hi verò mutant alternantque officia: vt qui superiore anno in causis ciuilibus iudicauerint, sequenti criminales iudicent & viciſſim.

Secundum tribunal dicitur Sara Sedes siue Forum Conscientiæ, quod & vocatur Sedes Appellationum, constans Præside vno perpetuo, & Iudicibus duobus biennalibus: estque penes Proregem constituere Iudices in causis tertiæ controuersiæ.

Tertium tribunal dicitur Dominium siue Patrimonium, cuius eadem est ratio, quæ Cameræ Romæ, siue Summarij apud Neapolim. Est ibi Præses vnus, Conseruator vnus, Protector vnus, Iudex vnus, Magistri computorum quatuor. Necesse est autem omnes horum tribunalium senatores (excepto Conseruatore & Protectore, tertiæ Curiæ, qui extranei esse possunt) vel nati ciues regni sint, aut habeant vxorem viri Siculi filiam, vtque habeant in eo regno domicilium. Causæ Iustitiam concernentes expediuntur à viris grauibus, quibus Prorex magnam conciliat auctoritatem, inprimis in causis criminalibus: quique adhunc modum ius dicunt, vocantur Capitanei armorum. Sunt autem hi Capitanei in triplici differentia. Primum genus est eorum qui persequuntur proscriptos atque fugitiuos, quibus semper aliquis stipatorum & apparitorum numerus adiungitur, vt & nonnulli equites, qui stipendia regia merent. In secundo ordine sunt ij, quibus Prorex iudicum partes tribuit in cognoscendis & puniendis criminibus. Tertio, si Prorex aliquem è Dominio siue Patrimonio mittit, cui, vt maiore cum auctoritate suo fungatur officio, assignat titulum Capitanei Armorum. Possunt his annumerari ij, quibus per tres Valles siue partes regni ius imperiumque est, in causis ad belli administrationem spectantibus. Solet enim in singulas regni partes siue valles, quoties suspicio est futuri belli, mitti aliquis ex illustribus viris, cum certo peditum equitumque numero, cui iudicis auctoritas est tam in causis ciuilibus quam criminalibus. Hi duces militiæ & ipsi vocantur Capitanei Armorum: si verò ex ordine Principum sint ornantur splendidiore titulo, vt Locumtenentes siue Legati Proregis dicantur.

Præter ea quæ supra commemorauimus tribunalia, duo alia sunt, vnum quidem Panormi, alterum verò Messanæ. Et hoc quidem auctoritate regia stabilitum, suos habet iudices, supremamque auctoritatem, tam in causis ciuilibus quam criminalibus. Panormus habet Prætorem qui ius dicit in ciuilibus, & Capitaneum, qui sententiam fert in criminalibus. Nemo ciuium extra horum tribunalium iurisdictionem ad aliud Forum rapi potest: ita, vt si quæ causa aut controuersia ad forum Iustitiæ Panormitanum spectans, ad Magnam Siciliæ Curiam iudicanda deferatur, actor continuò ad tribunal Panormitanum remittatur: idem fit de Messana.

Est & aliud membrum siue pars Iustitiæ, cum ipse Prorex partes litigantes audit, siue id publicè fiat siue priuatim, vbi causæ (vt ipsorum vtamur verbis) summarie & plene expediuntur. Consilium siue Senatus regius is dicitur, cui interſint omnes tam Magnæ Curiæ quam Dominij senatores. Magnus autem hic senatus non facilè coit, nisi grauissimis de causis, cum vel soli Magnæ Curiæ iudices, vel solius Dominij senatores suspecti sunt, vel cum Prorex maiore cum confidentia & securitate aliquid decernere cupit, in causis dubiis, & vbi facilis est lapsus, vt exempli gratia, si omnes ad futurum bellum conuertendæ sunt cogitationes.

Tribunali siue Curiæ Dominij incumbit Procuratio Fisci, vt rationem reddant iudices tam eorum quæ accipiuntur quam expendunturs.

In re frumentaria, quæ ad idem tribunal pertinet, quatuor consideranda veniunt: Frumenti quantitas siue modus: precium quod ei constituitur: petitiones extraneorum: magnitudo honorum vectigalium quæ imperantur. Modus frumenti Proregi innotescit, vel per reuelationem (vt loquuntur) aut per calculum subductionis. Reuelationem vocant, cum prorex conquisitores mittit, qui cogunt vnumquemque edere quantum habeat frumenti: quæ quidem res

es sæpius parum bona fide & integritate agi-
ir. Calculus hoc modo computatur aut colligi-
ir. Sunto seminata mille per Siciliam onera tri-
ci: ibi frustra sperant exteri, vnum se habitu-
os modium, quod omne id frumentum vix iu-
icetur suffecturum ad alimoniam incolarum,
c faciendam denuo sementem. Quod si decies
enties milie onera inueniantur, licebit regno
xportare ducenta millia: nisi forte eo frumen-
o ad alios necessarios vsus velit vti. Sin in to-
o regno numerentur duodecies centena millia,
uadringenta exportari fas erit: quæ quidem
ertia computi ratio vocatur. Pro modo & mul-
itudine frumenti nascitur precium, quod certi
omines ad id officium per Proregem lecti con-
ituunt, de quorum experientia & integritate
emo dubitat. Et hoc secundum est quod con-
ideratur.

Tertium consistit in petitione exterorum, de
ua regem exacte certiorem fieri necesse est, an-
quam noua vectigalia constituat. Quartum
ingit modum vectigalium. Vsitatus modus est
cto Tari (ita Siculi vocant monetæ genus) vt,
modius magnus tritici vendatur exteris pro
ibus scutatis, emptor numerat tres scutatos &
cto Taros. Constituit autem Tarus vnus vi-
inti Grana Sicula, quæ æquipollent turnoni-
us Neapolitanis, faciuntque viginti quatrinos
omanos quadraginta. Huic rei peculiaris præ-
ectus, vel, vt vocant, Commissarius constitutus
t, cui cæteri ministri frumentarii subsunt, quã-
is ipse eos non creet legatque sed Prorex. Huic
xhibentur omnes, quæ à Prorege veniunt Epi-
olæ, concernentes causam frumentariam, &
uę cum illa coincidunt. Eodem fine sunt in to-
o regno octo viri, quos illi *Oneratores* vocant,
uorum quidem quinque principaliores sunt,
æterorum exigua est auctoritas. Ad hos One-
atores mittunt priuati frumentum venalitium,
t per eos nauibus imponatur. Habent autem
nguli Oneratores suos Horreorum magistros,
uod officium ab ipso rege proficiscitur, ven-
untque id alii alis magno precio, ob ingens
ucrum quod inde percipitur, vt Magister Hor-
i non sine causa satisdare & sponsores consti-
ere cogatur. Hęc frumenti massa ad hunc mo-
um oneratoris fidei commissa *Cumulus* nuncu-
atur: estque vix vlla per Siciliam res ciendo tu-
ultui efficacior, quam si Prorex Cumulum
ngere audeat.

STATVS RELIGIONIS ET ECclesiæ.

Equuntur omnes in vniuersum Siculi Reli-
gionem Romano-Catholicam. Sunt enim in
oc regno Inquisitores, in eum finem à rege cõ-
ituti, vt in causa pietatis velut ephori sint & cu-
tores. Vocatur tribunal eorum *Sanctum officiũ*,
orumque est Patribus istis, Hispano regi sem-
er plurimum placuisse illos, qui summa in iu-
icio fuerunt vsi modestia. Maxima autem est
rocerum Ecclesiasticorum per hanc Insulam
auctoritas, satisque testantur, scire se, quantum
possint apud populum. Constat enim eos in Co-
mitiis Proregi aperte se opponere solitos, dum
ipsius petitiones longa deliberatione pensitant;
non sine morositate, eo prętextu, quasi consideran-
di oporteat, sitne ex vsu populi an secus.

Sunt autem in Sicilia Archiepiscopi tres: Panormitanus, Messanensis, Montis-regalis, qui sub se suos habent Episcopos. Panormitano enim subsunt Episcopi Agrigentinus, Mazarensis & Melitensis siue Mileuitanus. Messanensi suffragantur Lispalidensis, Pacensis, Liparensis, Patrensis, & S. Marci. Montregalensis sub se habet Syracusanum & Catinensem.

REGES SICILIÆ.

HOrum Elenchum texere superuacaneum est, cum omnes ii, qui vel possederunt regnum Neapolitanũ, vel ius aliquod in illud prætenderunt, etiam Siciliam obtinuerint, vel sibi deberi affirmauerint.

Mortuo Clemente VIII. PP. cum Cardinales ingressi conclaue de eligendo nouo Pontifice agerent, accidit vt Cardinalis Baronius triginta septem votis destinaretur, quitamen numerus, etsi satis amplus, non erat sufficiens vt cõstitueret duas tertias. Quo animaduerso Protectores & Curatores negotiorum regis Hispani, quacunque potuerunt ratione aduersati sunt Baronio, annixi, vt per ambitum & prensationes impedirent hominis electionem: non sane aliã ob causam, quam quod vndecimo libro Annalium suorum inseruisset ius, quod Papa prætendit super regnum Siciliæ; quod postquam prolixe, quinque foliis allegasset, orsus à Papa Vrbano II. vbi ad annum AN. C. MXCVII. deuenit, expressis verbis ait: à Nicolao II. Pontifice qui sedit anno MLX. Robertum Guiscardum, omnesque Normannorum Principes, successores eius, Comites, Duces, postremo Reges Siciliæ; post hos Constantiam eiusq; filium Fridericum: hinc regem Angliæ, & qui orti fuerunt ex familia Andegauensi, Aragonia. Reges Siculi, eos, inquit, omnes à Pontificibus Romanis inuestitos fuisse, & in amentum fidelitatis Sedi Apostolicæ præstitisse, dictis acceptisque certis legibus, inprimis defensuros se libertatem Ecclesiasticam: ipsique iuramento hæc verba interuisse: *Quod in Ecclesiis vacantibus nos vel nostri in regno hæredes nulla habebimus Regalia, nulloſque fructus, reditus, prouentus & obuentiones percipiemus.* Idque, ait, semper obseruatum fuisse ab regibus Siculis vsque ad Carolum V. Imperatorem, cuius tempore prolata fuerit bulla quædam Vrbani II. PP. maioribus nostris (ait Baronius) incognita ante eum diem, cui innixus Imperator & post eum Siciliæ reges, successores illius eripuerint sedi Apostolicæ, tam ius spirituale quam temporale per Siciliam. Et viuo quidem Baronio Hispani annixi sunt, vt persuaderent, corrigeret illa quæ scripsisset vel sumta deleret spongia: Cærum non persuaserunt. Eo igitur mortuo Philippus

rex Hispaniæ vndecimũm illum Annalium Baronii Tomum proposito edicto publico proscripsit, & ex omnibus regnis suis furcillauit: cuius edicti summa capita subiiciemus.

Principio ait rex delatum ad se cum ab Consiliariis suis, tum ab aliis sibi regi regnoque fidis hominib. inprimis à natis ciuib. reg Sicilię, scripsisse Cæsare Baroniũ, olim Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, vndecimo tomo Annalium suorum Ecclesiasticorum, inq; vita Vrbani II. Pontificis, quædam, quæ parum ipsius modestiæ aut Professioni conuenirent inuectumq; fuisse potius, in modum accusatoris quam boni fidique historici in regem, idque vnice egisse, vt non solum suspecta redderet, verum etiam ostenderet falsa, iniusta, viciosa & violenta iura & titulos, quibus Sereniſſimi Siciliæ reges acquisiuerint Dominium in Insulam, & regias Præeminentias, eaque optimo iure & nemine interturbante possederint, legitima successione Principum vsq; ad nostra tempora. Cum igitur ipse rex ferre non possit aut permittere, vt lectio illius historię, quæ parum considerate à Baronio scripta fuerit, causam præbeat subiectis illius regni, mouendi turbas aut seditiones: vel vt sinistra illa persuasi homines opinione de superioribus aut moderno rege, velut iniustis possessoribus perpetam iudicarent: non potuisse regem facere, quin hoc edictum historiolę illi opponeret.

Non posse autem obscurum esse vlli, qui scriptum illud legat, abreptum hominem affectibus & cupiditate inuectiuam illam scripsisse, cuius rei locupletes testes sint, tot exclamationes & exaggerationes, quibus vtitur, ad conciliandam causæ Hispanicæ inuidiã. Quod si quis tamen ista mitius interpretari velit, dicturum eum, non satis scriptorem ista habuisse cognita: quo tamen ipso veniam non mereatur, cum ignorantia sit inexcusabilis in Historico. Notum enim esse per vniuersum orbem Christianum, Reges Siciliæ & acquisiuisse & possedisse omnia ea iura, vt propria attributa & præeminentias regias, dignitatis & Maiestatis Sceptri atq; Diadematis regii: accedente, si opus fuisset, benedictione, concessione & permissione tacita & expressa summorum Pontificum, qui postulante ipsa æquitate & iustitia id fecerint, obligati insuper ingentibus beneficiis obsequiisque quibus Catholici reges Siciliæ demeriti fuerint Ecclesion Dei & sacram sedem, reducto ad illius gremium & obedientiam tam nobili regno, quod antea Saraceni possederint, & pudendo Mahometismi iugo oppresserint, vnde non leue cæteris per Europã prouinciis imprimis Italiæ incubuerit periculũ, adeoq; ipsi Vrbi Romæ & Sedi Apost. A qua, vt hoc quicquid fuit periculi auerterẽt, nõ peperciſſe Siculos reges vitæ, sanguini, opibusque suis, non in asserendo solũ regno, sed & instaurandis & exædificandis tot Templis atque Monasteriis, quæ antea horribili Idololatriæ inseruierint, aut certe eiecta Christi seruatoris nostri memoria vicem stabulorum præstiterint perfidorum hominum iumentis.

Hac fide atque animi promptitudine seque suosque progenitores semper vsos in defendenda auctoritate & Maiestate Sedis Apostolicæ, adeo vt eius inimicis non sua tantum sed etiam subditorum suorum opposuerint corpora atque facultates, sartamque tectam conseruasse religionem Catholicam in Sicilia, vt in eo regno illa magis floreat vigeatque, quam in vllo alio totius orbis Christiani. Vnde quidem colligi possit, iura illa atque fundamenta minime iniusta & viciosa esse, quorum nomine gaudeant titulo & possessione cum ipse, tum maiores eius à tot seculis & ætatibus, saluis sibi regalibus & præeminentiis, vt non sit sibi verendum, ne læsæ conscientiæ & obseruantiæ legitimæ in sedem Apostolicam accusari possit.

Quapropter, ne nimia dissimulatione aut tolerantia tam manifestæ calumniæ, inimicis aut æmulis felicitatis Hispanicæ occasio præbeatur, regiæ Coronæ Siculæ notam aliquam inurendi, neue videri possit, neglexisse legitima iura regni illius, quod hæreditate à maioribus optima & æquissima ratione ad se deuolutum fuerit: & vero libro illo aperte iussuum in eo regno sibi imminuatur:

Ideo se adhibitis in deliberationem rei consiliariis suis, hominibus magnæ fidei & prudentiæ, iubere, atque imperare hoc edicto, veluti Pragmatica Sanctione; ne quis hominum, cuiuscunque sit dignitatis aut ordinis, aut quibuscunque tandem se tueatur priuilegiis, exponat, teneat, vendat aut emat in prouinciis regnisque sibi parentibus vndecimum illum Tomum Annalium dicti Cardinalis, siue is nomen auctoris siue aljus alicuius præ se ferat, siue impressum siue manuscriptum, in quacunque tandem lingua: inprimis obiſta verba, quæ ita incipiunt *Hic auctor aggreditur*, & desinunt in his: *Iam vero canentes receptui. quæ post Vrbani Papæ diploma datum Salerni sunt secuta, narremus*: nisi forte per certos quosdam homines ei rei destinatos ea correcta sint, adscripto eius rei testimonio. Qui secus fecerit, is multa quingentorum scutatorum tenebitur ad primum delictum, quorum tertia pars regio inferetur fisco, reliquum cedet iudici & denunciatori. Si secundo in hoc edictum deliquerit, præterquam quod eandem pecuniariam multam persoluet, proscriptus regno exulabit ad quinquẽnium. Qui tertio violabit; si nobilis sit natus genere, duplum persoluet & exul esto; si plebeius, impositus triremi applicator ad remum. Extendit autem hoc mandatum rex etiam ad eos, qui librum illum penes se habent nisi intra decimum quintum diem prolatum scriniis suis exhibeant iis, quibus hoc nomine mandata sunt data de correctione. Mandatur omnibus quam late paret potentia Hispanica Proregibus, Gubernatoribus, Legatis, Capitaneis, Consiliariis, Iudicibus, Auditoribus causarum, senatoribus in curiis atque tribunalibus

libu

libus, postremo omnibus in vniuersum Magistratibus, vt edictum hoc sacrosanctum habeant obseruentq;, & in delinquentes seueriſſime animaduertant. Perscriptum est atque propositum Edictum hoc in S. Laurentii Monasterio a.d.III. Octobris, anno àn.C.MDCX.

Habes, Lector, Edictum regis Hispani, cui vt satisfieret, cum Annales Baronii Antuerpiæ denuo typis describerentur, totus ille sermo cõtrouersus de Regno Siciliæ fuit non obeliscis solum confixus, sed ex toto deletus omissusque. Si paulum memoria repetiuerimus patrum nostrorum acta, videbimus, quandoq; viros principes ob causas multo leuiores excommunicationis aut interdicti pœnam incurrisse: sed author edicti huius, cum ob potentiam formidabilis esset bonis illis patribus, continuit omnes in pace, adeo, vt ne Legatus quidem Pontificius, nec vniuersus clericorum ordo verbulum contra mutire aut queri saltem de correctione libri illius ausus fuerit, quamuis auctor eius tantæ auctoritatis fuisset Cardinalis, & Cæsar, & Baro.

SARDINIA INSVLA, QVÆ ET IPSA HISPANIS PARET.

SVMMA CAPITA.

1. *Descriptio Sardiniæ Insulæ: longitudo eius & latitudo: sub quo cæli climate posita. Parum frequenter habitatur ob aerem pestiferum. Inter ea quæ rara habet hæc insula, Musimones numerantur quorum animalium pelles armorum vicem præstant. Herba Sardoa quæ ridentes facit exspirare.*

2. *Mores Sardorum cum veterum tum recentium. Rector Insulæ quis: religio & numerus Archiepiscoporum idem qui in Sicilia. Quopacto à diuersis populis gentibusque possessa, tandem dominio Hispanico subiecta fuerit.*

SArdinia Insula ampla satis est, vt quæ non multum cedat magnitudine Siciliæ: porrigitur in longitudinem ab Aquilone in Austrum, distans solis octo milliaribus à Corsica Insula. Pulsatur ab oriente mari Tyrrheno, qua parte CC. millibus à Sicilia abest. Versus meridiem mare habet Africum, distatq; ab ipsa continente Africæ millibus circiter CLX. Occidentale latus mare Sardoum alluit. Nostri seculi scriptores tribuunt ei CCXL. mill. longitudinis & XC. latitudinis, vnde ambitum conficiunt milliarium D. Iacet sub quarto Climate, complecturque XI. & XII. parallelum, vbi longissima dies est horarum XIV. cum tribus quartis.

NATVRA ET INGENIVM Terræ.

Diuiditur Sardinia Insula in duas partes: quarum illa quæ in septentrionem versus Corsicam protenditur, vernacula lingua vocatur *caput Lugudoris*: altera, quæ Africam spectat, appellatur *caput calaris*. Abundat tota Insula frugibus, tritico, vino, argentifodinis, pecore & armentis, nec in hac felicitate cedit Siciliæ. Aer tamen Insulæ inclemens est, vnde minus frequenter habitatur, quod sæpius ibi gignantur pestiferi morbi, præsertim æstatis tempore, & quo solum est fertilius, eo insalubrior est aer, vt videre est in parte insulæ Lugudorensi, quæ tota paludibus & cæno referta est. Caput enim siue pars Calaritana, cum frequentibus attollatur montibus, & sæpe perfletur Aquilonibus, multo aere vtitur benigniore.

Abundat Sardinia cum aliis animalibus, tum inprimis eo, quem Musolum incolæ, Plinius Musmonem aut Musimonem appellat, quod genus per omnem Europam nullo loco, præterquam hic & in Corsica inuenitur. Pilos habet & corium instar cerui, & cornua instar arietis circum aures reflexa. Corium eius ad arma prophylactica inseruit incolis. Animal noxium nullum alit præter Vulpem, & paruam quandam bestiolam, specie araneum referentem: incolæ *Solipungam* vocant. Accedit huic incommodo herba Sardoa, quam Pausanias Apio similem dicit, Latini Ranunculum & Strumeam vocant. Hæc si comedatur, ora hominum & rictus contrahit, & quasi ridentes perimit: vnde prouerbio locus factus videtur, *Risus Sardonius*.

Seruant Sardi per hyemem aquas pluuiales, vt iis æstate vtantur, cum aqua in solo arido multoties destituantur. Habet tamen alicubi Sardinia lacus & stagna piscibus referta, vt & natiuas terra scaturientes aquas calidas, quibus vis medicandi. Effoditur in ea quoque sulphur, alumen, & sal fossitius. Equos gignit non magno quidem corpore, cæterum generosos, robustos & agiles.

MORES VETERVM SARDORVM.

Olim cum Carthaginenses huius Insulæ domini essent, nolebant, vt ii qui in ea nati essent, terram colerent aut laborarent. Habuerunt eam aliquando Saraceni, post Pisani: postremo regibus Aragoniæ cessit, adeo vt incolæ ad arbitrium & viuendi rationem victorum suos quo-

que mores diuersimode mutare necesse habuerint.

Mores Sardorum nostri temporis.

Sunt hi robusti, & laboribus fere adsueti, colore subfusco ob ardorem Solis: parum interim ciuiles, dediti pecuariæ & venationi, agresti cibo & aqua contenti. Qui in oppidis & villis habitant, pacifice inter se viuunt, aduenas amant & humaniter tractant, quanquam non desint, qui illos crudelitatis nomine accusant. Piraticam exercere perhibentur mari, & terra latrocinia.

Opes & diuitiæ Sardorum.

Vinum Insula gignit commendatæ bonitatis, quod Romam vsq; auehitur, magnoq; venditur precio. faciunt & rem ex equis diuenditis, quos exteri cum desiderio mercantur, cum sint animosi & laborum patientissimi. Musmones etiam siue Muflones in Italiam parato vendunt precio.

Robur militare & loca munita.

Alit perpetuo rex Hispanus præsidium militum in hac Insula: sed ob exiguum habitatorum numerum non magnum esse potest robur Sardiniæ. Vrbs primaria est Caralis siue Calaris, sita in monte iuxta mare, Africam respiciens, portumque habet amplissimum. Hanc sequuntur Oristagnum, Sassaris, Alger, Chia, Orexia, Soria, cum nonnullis aliis ciuitatibus locisque munitis.

Ratio Gubernandi.

Omnium Magistratuum in Sardinia supremus est Protex, qui omnem fere regis obtinet auctoritatem: habitat hic in Vrbe Calari, & suo nutu omnem regit Insulam. Ratio administrandæ iustitiæ propemodum per omnia conuenit cum ea, quæ obseruatur in regno Siciliæ.

Religio & status Ecclesiasticus.

Sunt Sardi omnes Romano-Catholici, sunt-que in hac Insula Inquisitores de fide, non secus ac in Sicilia.

Archiepiscopos Sardinia habet tres: Calaritanum; cui subsunt Episcopi Sulcitanus, Dolensis, Puellensis. Sassaritanũ; cui suffragantur Sorẽsis, Plonatensis, Ampuriensis, Giscẽsis, siue Gerardinus, Castrẽsis, Othanẽsis & Bosanẽsis. Alborensem, cui subsunt Vsellensis, S. Iustæ, & Terræ Albæ. Ciuitatensis & Gastellinensis sunt exempti. Cæterum de Archiepiscopis Sardiniæ etiam aliquid in enumeratione Episcoporum Hispaniæ supra diximus.

Reges siue Principes Sardiniæ.

Diximus Carthaginenses aliquando dominium huius insulæ obtinuisse: sed hi postea ejecti fuerunt armis per Romanos. Declinante autem Imperio Romano, Saraceni eam occupauerunt, quibus erepta est per Genuenses & Pisanos. Vtriusque autem ademptam Pontifex Romanus feudi siue beneficii nomine permisit regi Aragonio. & ad hunc quidem modum Sardinia peruenit in potestatem regum Hispanorum.

DVCATVS MEDIOLANENSIS, QVI NOSTRO TEMPORE IVRIS ET DOMINII EST HISPANICI.

SVMMA CAPITA.

1. *Ambitus Principatus Mediolanensis: inter cuius ciuitates caput altius effert Mediolanum vrbs habitata bis centum hominum millibus. Hanc olim obtinuerunt Galli, Romani, Gothi, Hunni, Longobardi, alii: donec postremo Hispanorum regibus paruit.*

2. *Oriza in agro Mediolanensi ingens copia. Fertilitas territorii Papiensis, quod ideo Fœcundus Mediolanensium hortus appellatur.*

3. *Mediolanenses non minus apti ad bonas litteras, quam ad arma & Mercaturam.*

4. *Quantum auri modum rex Hispanus quotannis percipiat ex Mediolanensi Ducatu, præter dona quæ vocantur Gratuita.*

5. *Præsidia & milites stationarii quo numero ab Hispano Rege per Prouinciam alantur.*

6. *Mediolanensi Ducatui nostro quo præest Produx siue Legatus Hispani regis cum Senatu Mediolanensi, qui constat Doctoribus LL. duodecim, Proceribus quibusdam Ecclesiasticis & Nobilib.*

7. *Genealogia Ducum Mediolanensium.*

COmplectitur Ducatus Mediolanensis ambitu suo milliaria CCC. Caput totius regionis est Mediolanum Vrbs, quæ & vniuerso Ducatui nomen dedit. Magna est huius vrbis potentia & robur, situs perelegans & longe optimus, vt non iniuria nostra tempestate inter primas Europæ numeretur, vel eo duntaxat nomine, quod circiter ducenta habitatorum millia in ea numerari dicantur, adeo affluit populo. Multum ad amplitudinem eius faciũt suburbia longa & lata, quæ non minus quam ipsa vrbs valle

vallo & fossa aquis plena muniuntur, vt nonnul-
la cum iustis ciuitatibus committi possint. In-
grediuntur hanc Vrbem canales & aquæductus
mediocrium nauigiorum capaces, quibus Me-
diolanum importantur omnis generis mercimonia, ea quidem copia, vt nihil non hic æquo possit emi precio. Exornata est vrbs ædificiis magnificis ac splendidissimis, scilicet pro modo & numero tot opulentissimarum familiarum. Dedit Mediolanum ortū quatuor summis Pontificibus: Alexandro II. Vrbano III. Cælestino V. & nostris temporibus Gregorio XIV. Rapiunt præcipue spectatores in admirationem hæc ædificia: Castrum: Ædes sacra (ipsi domum vocant per excellentiam) & Xenodochium. Est pars huius Ducatus *Cremonensis ciuitas*, ornata pulcherrimis ædificiis tam publicis quam priuatis, in qua arx est elegans cum primis & munita, quæ custoditur ab Hispanis militibus. *Laus Pomposa* diuitiarum nomine commendatur. Hæ tamen ciuitates præter Mediolanensem, omnes cedunt *Ticino* siue *Papiæ*, quæ ad antiquitatis famam etiam hanc gloriam adiunxit, vt sedes esset regū Longobardorum & studio vniuersali floreret. *Nouaria* supra collem ædificata nobilibus antiquis superbit familiis, diuitiarumq; affluentia superbit, nomen impertiens lacui qui ad millia XVIII. in longitudinem excurrit, in latitudinem IV. Nec desunt qui ambitum eius LX. millibus metiuntur. Paucas huius Principatus citauimus vrbes & oppida, plurima enim sunt ista, elegantia & numero ciuium haud quaquam perspernanda.

Fuit Mediolanum priscis temporibus satis diu sub dominio Gallorum, eo vsque, donec M. Marcellus Consul Cæso Viridomaro Insubriæ rege eam Romanæ subiecit potestati. Debilitata autem longe post Imperatorum Romanorum potentia, variorum Barbarorum impetu hæc vrbs conuulsa est & labefactata: inuadentibus eam nunc Gothis, Hunnis, postremo Longobardis: quibus postremis per Carolum Magnum multa exactis, paruit ciuitas ista Francorum regibus, deinde Imperatoribus Germanis. Tandem sub Fridericis I. & II. Cæsaribus, quibus perpetuo rebellauit, propemodum deleta, nouos adepta est Dominos Galeatios Vicecomites, quos inde Wenceslaus Imperator primus Duces constituit anno AN. C. MCCCXCIV. His defunctis, Sfortiæ Principes securi sunt, qui & in Francisco Sfortia expirauerunt. Obtinuerunt Francorum reges hanc vrbem satis longo tempore: postremo tamen per Carolum V. Imperatorem ad Hispanos deuoluta, iis etiam nunc paret, seruantibus sibi ius Principatus Francorum regibus, quo se vti optimo arbitrantur, vt patebit ex Genealogia quam infra subiiciemus.

QVALITAS ET INGENIVM regionis.

Abundat omnis Insubria, adeoque ager Mediolanensis lacubus & fluuiis magno numero, accedente insuper Camporum planitie, in quibus ingens vis frumenti quotannis prouenit. Vino fructibusq; luxuriat, & lacus fluuiique magnam vim suppeditant piscium. Crescit circa Mediolanū ingens copia Orizæ, vt in alia vlla regione tantum prouenire vix credatur. Ager Cremonensis laudabile gignit frumentum, nec minus prouentu vini vber, melle autem & lino etiam vicinos superat. Apud Laudem Pompeiam secale, milium, vinum, linum, fructus arborei tāta proueniunt abundantia, vt maior alibi reperiri copia non possit, vt iam nihil dicamus de pratis pascuisq;, in quibus pecorum armentorumque magnus pascitur numerus.

Ager Papiensis tam fœcundus est & vber omni genere frugum & fructuum, vt Mediolanensium hortus vulgo appelletur, vbi etiam venatio & aucupium frequens, ob volatilium affluentiam, nec non felix captura piscium. Territorio autem Nouocomensi ad lacum Larium nihil amœnius aut fructuosius fingi posse plerique iudicant.

MORES INCOLARVM.

Gignit hæc regio homines non minus aptos ad litteras, quam ad arma & mercaturam: quanquam non est dissimulandum, reperiri multis in locis incolas ineptos, crasso ingenio & bonarum artium rudes. Cremonenses veteri fidelitatis elogio ornantur.

Est in vniuersum populus Mediolanensis diligens & supra modum industrius. Laudenses optimi sunt mercatores, gnari modorum acquirendi, nec minus bellicosi. Comensis Lacus accolæ prædicantur boni aratores & pecuarii. Mulieres Ticinenses obsordium & auaritiæ nomen male audiunt, quod nimis intentæ sint lucro: contra Mediolanenses habentur ciuiles & morum elegantia præditæ: vt Laudenses superstitiosæ, & Cremonenses in sumptum prodigæ.

OPES ET DIVITIAE.

Est in vrbe Mediolanensi tanta tamq; incredibilis eorum, qui mechanicas artes exercent, multitudo, vt prouerbium inde natum sit, destruendam esse hanc ciuitatem, si quis reliquæ Italiæ affatim opificum submINistrare velit. Est autem horum artificum tanta in fabricando solertia, vt quicquid ab iis proficiscatur, non secus ac probata optimæque fidei merx in magno habeatur precio. Quis enim nescit, quanta sit sclopetis siue bombardis Mediolanensibus vbique laus, quanta cæteris armis quæ ibi fiunt? inprimis autem commendantur Mediolanenses gladii. Nam de materia vestiaria & mundo muliebri tacere satius est. Vnde nemo dubitare debet, quin in hanc vrbem ingens argenti vis ab omni Europa inferatur.

Liceat etiam hic mentionem facere tibialiū è materia serica, quibus hic maior quam alibi præstantia. Orizæ plurimum mittit ad exteros, non sine ingenti lucro. Laudenses casei vix vllis per Italiam bonitate certant. Et vt multa paucis com-

complectar, Principatui Mediolanensi plerosq; fructus suos ac cætera vsibus vitæ necessaria debent Heluetii, Rhæti Lepontiique.

4 Redeunt ex hoc Ducatu ad regem Hispanorum quotannis octingenta ducatorum millia, non computato simul dono gratuito ceteriſque contributionibus extraordinariis. Vt autem pateat, posse regem istum ex hoc Principatu tantos cogere redditus per quæstores suos, quantos ipse velit, testimonium dicat vsitatum apud Italos prouerbium, quod tale est: *Quæstorem Siculum rodere: Neapolitanum edere: Mediolanensem deuorare.*

ROBVR ET VIRES.

5 Alit in hac prouincia perpetuo rex Hispanus præsidium trium peditum millium, cum mille equitibus leuis & sexcentis grauis armaturę. Posset autē plurimum ad huius principatus defensionem afferre momenti populus, ob incredibilem numerū, si maiore Hispanos prosequerētur beneuolentia: quorum quidem tantus est in Insubres fastus & insolentia, vt à populo extreme odio habeantur: qui nisi duris acribusque coherceretur lupatis, facili momento compelli posset vt arma in dominos caperet. Inter munitiora loca & propugnacula facile primas obtinet arx Megiolanensis.

Accipit autem quotannis Produx Insubriæ magnam pecuniæ vim ab Hispano rege, quam impendit in munitiones illius arcis, quæ vix vlla ope humana capi posse videtur. Turris Cremonensis, vt notum est refertur inter miracula mūdi. Ticinum siue Papia satis firma est & valida, vt & Nouaria. Etsi autem propugnacula & castella satis munita non exiguo sint per omnem prouinciam numero, Hispani tamen, omissis his, omnem securitatis suæ proram puppimque in arce Mediolanensi collocant; qua salua, neminem sibi metuendum existimant.

Non habet autem rex Hispanorum, quod sibi huius Principatus nomine metuat à Venetis, qui desiderio quietis & ocii iam longo tempore pacifice vixerunt. Non negauerim quidem Allobrogum principem, si vel ipse summis viribus in hanc prouinciam irruere velit, vel aliis inuasuris præbere trāsitum, multum huic creare posse incommodi: sed fœdus inter Hispanum & Sabaudum Insubres tutos præstat ab hac formidine. Heluetios constat aliquoties in hanc prouinciam factis irruptionibus, multa eius loca occupasse: sed Produx Insubriæ, cum vigilantia summa demandatam sibi seruet regionem, castrum insuper ad Fontes dictum, extruxit munitissimū, paulatim minuunt Alpinis istis gentibus irrumpendi libidinem.

MODVS GVBERNATIONIS.

Habet rex Hispaniæ Mediolani, vt diximus, 6 Producem, qui nuper admodum fuit Dux de Fontibus, natione Hispanus, idemque summus militiæ Insubricæ nomine regis præfectus. Cognitio causarum tam ciuilium quam criminaliū est penes Senatum Mediolanensem, constantem Doctoribus Iuris XVI. nonnullis proceribus ordinis Ecclesiastici, & Nobilibus indigenis.

7 GENEALOGIA DVCVM MEDIOLANENSIVM.



GENEALOGIA SFORTIARVM.



GENEALOGIA, QVA VTITVR REX GALLIÆ IN DEDVCENDO IVRE SVO, QVOD
prætendit ad possessionem Ducatus Mediolanensis.



PER INSVBRIA Mr

Z 4 DE IN-

DE INSVLIS LITTORIS AFRICANI, qua parte id spectat Oceanum Atlanticum, quæ nostra tempestate agnoscunt dominium Hispanorum.

Et primo quidem de Insulis Canariis.

MEmineruntantiqui Geographi Insularum Oceani Atlantici non vno loco, inprimis autem earum quas *Fortunatas* appellant: sed in nominib. earum inter se non conueniunt, vt nec nostri seculi homines priscis subscribunt in situ earundem ratione longitudinis & latitudinis. Quanquam hoc in confesso prope sit apud omnes, prodente Hugone Linschotto in suis nauigationibus, Canariis Insulis nomen impositum à multitudine Canum, qui cum primum detegerentur illæ Insulæ, reperti ibi fuerunt.

Sunt autem numero septem, quibus hæc imposita nomina: Teneriffa: Insula Ferri: Canaria Magna: Palma: Gomera: Lancelotta: Forteuentura.

In *Teneriffa* Insula Mons quidam alte attollitur, cui nomen est *Pico*, qui, vt plerique iudicant, cum quouis alio eminentia certare potest: certum enim est, eum ab sexagesimo milliari à nauigantibus conspici, nec ad eius fastigium adscendi potest, nisi mensibus Iulio & Augusto cum solis flagrant radii feruentissimi, ipsisque diebus canicularibus: toto enim reliquo anno niuibus perpetim coopertus est: quod magis mirabere, si scieueris, & hanc & vicinas Insulas omnibus anni partibus niuis expertes esse: trium autem dierum altitudo adscendenti patet, teste eo, quem laudauimus, Linschotto. Fastigium eius montis planitiem complectitur millium XV. è quo, cum cœlum est sudum & tempestas serena, omnes vicinæ Insulæ conspici possunt, quanquam nonnullæ ad quinquagesimum milliare inde absint. Inueniuntur hic lapides sulfurati, qui magna copia in Hispaniam mittuntur.

Insula, cui à Ferro nomen est, rem habet admiratione dignam: cum enim tota sicca sit & arida, nullamque habeat scaturientis aquæ venam, tota anydros, nisi qua parte mare attingit, cætera fere sterilis ac iners, parumque commodi ferens incolis: non tamen Numinis prouidentia omnino aquis destituta est, quibus cum hominibus tum pecoribus sagax natura hoc modo prospexit. Est in ea arbor quædam, incognitæ speciei, folia habens longa & angusta, quibus perpetuus minimeque pallescens vigor inest, circa quam perpetuo nubecula videtur, summos eius ramos inumbrans, sibique semper similis: ab hac distillat incessanter humiditas quædam, quæ foliis arboris inhærens in aquam liquescit limpidissimam: & ad hunc modum in guttas rotundata delabitur in vasa ac dolia, quibus excipitur tanta copia, vt non solum hominibus sed & brutis ac feris animalibus largiter sufficiat: cuius quidem miraculi nondum repertus est, qui rationem reddere possit.

Canaria Magna siue grandis caput est harum Insularum omnium, quæ & cæteris imperitat. Est in ea sedes Episcopi, cui in rebus Ecclesiasticis reliquæ Insulæ parent: nec non tribunal Inquisitorium.

Palma Insula est parua admodum, amœnitate tamen & salubritate sorores vicinasq; superans, fertilis palmarum & dactylorum.

Ingenium terræ harum Insularum.

Abundant hæ cum primis ordeo, melle, cera, saccharo, caseis ouillis, capris & camelis, cum magna, quæ inde euehitur, pellium omnis generis multitudine. Gignunt insuper ingenti copia Oricelen herbam, aptissimam tingendis rubro colore pannis, quæ à mercatoribus in varias Europæ partes exportatur.

Palma Insula plurimas viuentibus suppeditat commoditates, diues vino nobili, caseis, saccharo, pecudibus, vt in ea Hispani, qui in Brasiliam nauigant, velut instructo quodam penu, reperiant res ad tam longinquum iter necessarias.

Mores Canarienſium.

Fuerunt harum Insularum incolæ priscis temporibus efferi & rudes: sed nostro æuo multum ab horrida illa feritate abeuntes, Hispanorum conuersatione & frequentia politi ac ciuiles euaserunt.

Opes & diuitiæ.

Exportantur ex his Insulis vina in totâ prope Europâ præstantissima, vt & saccarum Canarié. se in summa est existimatione, quod Hispani atque Lusitani inde plenis nauigiis exportant, vt dici Insulæ istæ bono iure possint Emporium dulciarium.

Modus Gubernationis.

In Magna Canaria summum est Iustitiæ tribunal & Forum causarum, vbi ius dicitur & huic & vicinis Insulis.

Religio eorum & ratio cultus.

Adorabant Insulani priscis seculis proq; Numinibus colebant Solem, Lunam, Stellas: Cæterum Hispani, cum eas an. A N. C. MCCCC IV. armis occupassent, cum suo dominatu etiam Christianam religionem introduxerunt, à quo tempore vsque ad nostram ætatem à fide Christiana non defecisse creduntur.

Ad latus dextrum circiter centum milliaribus ab his Insulis abesse aiunt aliam quandam, quam

quam Sancti Perendonii Insulam vocant, ad quam multi ne opinantes quidem vi tempestate appellantur, qui summis pulchritudinem eius euehant laudib. prohibentes incolas illius Christianos esse. Complures Hispani ab Insulis Canariis nauigantes eam summa industria quæsierunt, inuenire tamen non potuerunt, existimantibus quibusdam id vi fieri Magica, aliis vero, ob continuas nebulas quibus illa obtegatur.

DE INSVLIS CAPITIS VIRIDIS.

Creduntur hæ esse veterum Hesperides, quibus posterioribus seculis hoc nomen inditum à Viridi Promontorio Africę, quod in mare occidentale procurrit, ex aduerso harum Insularum. Sunt autem omnino nouem, inuentę à Ludouico Cadamusto anno AN. C. MCCCCLV. insignitunturq; his nominibus. S. Antonii, S. Vincentii, S. Lucæ, S. Nicolai, Bonauista, Maii, S. Iacobi, & Insula Ignium. Est autem S. Iacobi præcipua nominis inter omnes, cuius lõgitudo putatur ad LXX. millia extendi, iuris Lusitanici, qui mediocris magnitudinis ibi habent oppidũ, cui nomen *Ribera grandi*, capax domuum circiter D. portum habens opportunum & satis amplum. Est autem S. Iacobi Insula prope tota aspera & montibus horrescens, quos tamen intercedunt elegantes & fructuosæ valles. Abundant autem omnes hæ Insulæ Caprarum gregibus & salinis. Hispani colliguntibi multũ milii, quod Zaburam vocant. Testudinum hic ingens numerus, quarum nonnullæ ad eam excrescunt magnitudinem, vt scutorum vicem militib. præstare queant.

INSVLA PRINCIPIS.

Abest hæc ab Æquinoctiali linea gradibus tribus, id adepta nomen, quod prouentus eius annui filio regis Portugalliæ assignati sunt, quẽ gens illa per excellentiam Principem appellare solet. Est autem satis studiose culta, plurimumque ibi conficitur saccari, quod magna copia ad exteros auehitur. Crescit in ea palmæ genus, cuius succo, postquam eum ab stirpe extraxerunt, potuntur incolæ, ad sitim sedandam haud secus ac vino.

ARZILLA (*Xilia*) TANGER (*Tengis*) SEPTA.

Tres hæ sunt ciuitates in regni Fessani prouincia Elabatana. Arzilla magna est & frequens admodum, distans à Freto Gaditano millibus circiter LXX. Tanger siue Tengis magnitudine & antiquitate nobilis, in ipso Oceani littore sita est, millibus circiter XXX. ab eodem Freto. Septa maiore etiam & munitior habetur, vt olim caput fuerit totius Mauritaniæ. Sunt autem ciuitates istæ nostra tempestate sub iugo Hispanorum, quorũ rex præterea etiam oppida duo obtinet in prouincia Garetana, minimè contemnenda: nomina eorum sunt Medela & Chesasa.

S. HELENAE INSVLA.

Nomen huic inditum est ab euentu, quod a. d. XXI. Maii mensis, qui olim D. Helenæ sacer erat, à Lusitanis inuenta fuerit. Complectitur hęc millia circiter sexdecim, abestque gradu dimidio ab æquatore versus Polum Antarcticum. A capite Bonæ spei, siue extremo Africæ in Austrum Promõtorio distat milliaribus DL. ab Angolæ autem continente CCCL.

Qualitas & ingenium terræ.

Crebris hæc Insula attollitur montibus, & quę ibi inueniuntur ligna, nulli alii rei aptà sunt, quam alendo in foco igni, ita exusta sunt in interiore medulla, quæ res ostendit, latere alicubi venas sulfuris aut ignis intra eius viscera. In vniuersum tota humus aret siccitate; & gignit alicubi graues sulfuris micas.

Antequam Lusitani primo ad eam accederent, nulla hic inueniebantur animalia, nec arbores vllos proferebant fructus: omnis eius bonitas consistebat in aqua dulci & potabili, quæ scaturit intra montes, delapsaque colligit se in valle quadam magna copia, haud procul sacello, vnde in plures torrentes diffusa oceanum ingreditur.

Hispani siue Lusitani, cum primum solummodo aqua dulci implerent naues suas, & lauarent linteamina; allecti commoditate loci paulatim varia animalium genera eo intulerunt, plantatis etiam bonis fructiferisq; arboribus in conuallibus, vt vtraque iam mira abundent copia. Est in ea incredibilis numerus damarum, caprearum, aprorum, perdicum & columbarum, vt quiuis ibi venationi & aucupio ad lubitum operam dare possit: nec hoc solum, sed & bacillo aut lapide ferire tam feras quam aues. Crescunt hic fici, quales in Lusitania, nec non mala granata, aurantia, citria, tanta vbertate, vt non iniuria Paradisus terrestris insula appellari possit: nam arbores ibi æternum florent, & prope semper fructibus prægnantes visuntur, ob frequentes pluuias, quibus valles istæ quotidie aliquoties aspergunturi: quas continuo solis radii sequuntur, vnde aere nunc pluuiis madido nunc à sole percalefacto, fieri non potest, quin summa sit fæcunditas. Piscium hic ingens copia & captura felicissima, vt exiguo tempore capi possint, qui in multos dies sufficiant. Exsiccant hos nautæ atq; torrefaciunt, aiuntque, præstare illos gustus suauitate cæteris qui capiuntur per orbem omnibus. Rupes quæ in ipsa maris crepidine assurgunt, opertæ sunt sale, qui sapidus est bonusque ad condiendos cibos. Vt non iniuria hæc Insula à summo opifice huc instar diuersorii collocata videatur, vt ibi reficiant se naues Hispanicæ.

Solent nautæ hic velut in Xenodochio relinquere ægros, suppeditata illis oriza, pane nautico &

co & oleo, cum aliquo aromatum modo. Pisces & carnes addere nihil opus est, cum ibi affatim inueniatur. Digressis enim peregrinis nautis & vectoribus, feræ, quæ fuga se intra rupium latibula abdiderant, redeunt ad valles, sunt que captu faciles. Ad hunc modum manent ægri in insula vsque ad annum sequentem, vbi recipiuntur à nauibus quæ ab India reuertuntur: constatque, conualuisse plerosque omnes ob saluberrimam aeris constitutionem, qui fere semper ibi est temperatissimus. Prohibitum autem est seuero Hispani regis edicto, ne quis sibi domicilium extruat aut habitet ibi, sed vt omnia totius Insulæ bona communia sint, quod metuendum sit, ne inquilini ea quæ publici iuris esse debent, in priuatum vertant quæstum: cum nefas sit paucorum vsibus cedere, quod tam multis prodesse potest.

Narrant superioribus annis Eremitam quendam ibi commoratum fuisse, vt curam gereret sacrarii, & seruiret Deo exquisitius in illa solitudine. Cum autem compertus fuisset interfeciisse plurimas capellas ac hinnulos, diuenditisque eorum coriis priuatum fecisse lucrum, iussus est cauere malo, & in Lusitaniam reuerti. Paulo post duo Æthiopes ex Insula Mozambica oriundi, & Iauanensis quidam cum duabus ancillis, cum furtim è nauibus se subduxissent, occuluerunt sese intra penitissimos montiũ recessus: cumque procreatis liberis vsque ad viginti capita multiplicati fuissent, direpta Insula & occisis pecoribus multum dederunt damni, sublectis insuper consumptisque fructibus. Donec enim naues instatione hærerent, delitescebant illi intra spelæa sua, quæ certis abditisq; habebant locis, quo nullus Lusitanorũ vsquam peruasisset. Digressis autem iis, descendentes in valles antiquo more populabantur Insulam. Animaduersis latronibus, nautici homines eos sæpius intercipere conati sunt, sed id frustra fuit, cum nemo vel peruestigare vel adire posset eorum latibula. Postremo imperante rege Lusitano militib. suis, vt eos quacunq; tandem ratione caperent, extracti antris suis inq; Portugalliam missi pœnas peculatus sui dederunt.

Ab eo tempore solis ægris ibi commorari permissum fuit, in quorum vsum parua erecta sunt tugurIola sub arborib. in speciem papilionum. Est autem magna ibi multitudo arborum, & pro iis etiam mapalia fequẽtia, vt procul spectantium oculis alicuius parui oppidi speciem ingerant. Qui validiores sunt inter ægros istos venantur feras ad parandas carnes, aut piscantur, aut colligunt fructus, vel denique lauant linteamina. Quod superest temporis cultui aut cantillandis hymnis sacris ac refectioni impendunt. Videbis ibi pleraſque ficus arbores in cortice scripta ægrorum qui conualuere profiteri nomina excrescuntq; litteræ istæ nonnunquam ad pedis geometrici longitudinem.

SANCTI THOMAE INSVLA.

Insula S. Thomæ nunc sequitur explicanda: inuẽta à Lusitanis die festo B. Thomæ, à quo etiam inditum loco nomen. Sub ipso æquatore sita est forma pene rotunda. Eius diameter est XL. miliarium. Hęc cum detegeretur tota consita erat proceris arboribus, quarũ rami sursum crescebãt. Pestem nescit. Aer calidus & salubris: pauci tamen Christiani hic ad quinquagesimum ætatis annũ pertingunt: ita vt prodigiosum foret inter illos, cana barba aliquem videre. Indigenæ vero facile ad centesimum annum viuunt. Dies noctibus semper æquales. Mensib. Martio & Septembri crebræ & densæ pluuiæ decidunt, quib. solum humectatur, cæteris mẽsibus rore copioso recreantur fruges. Solum ipsum insulæ tenax, lentum, colore subruffo. Frumentum, vites, aut arborem duriuscula ossa habentem non patitur: fert autem Melones, Cucumeres, Cucurbitas, Ficus, Gingiberis & Sacchari imprimis ingentem copiam, adeo vt quotannis XL. naues Sacchar o onustæ solitæ fuerint ex hac insula alio exportari, proque Sacchar o suo vinum, caseum, frumentum, coria, aliaq; ad vitam necessaria importari. Sed desiit prouẽtus iste, ex quo tempore vermiculi quidam arundinum radices perfodere cœperunt, adeo vt nunc vix VI. naues Sacchar o illic nato possint quotannis onerari. Liberaliter etiam Milium, Orizam, Hordeum præbet. Lactucas item, Brassicas, Rapas, Betam, Petroselinum, Herbas hortẽses magna luxurie profert. Præter has radicem, quæ apud Indos crescit in Insula Hispaniola, quæ illic *Batatta* dicitur. Nigri huius Insulę dicunt *Ignamam*, ac plãtant tanquam herbam eximiam eorumque vitæ necessariam. Cortex exterior nigri coloris est: interior albus, forma oblonga, instar maioris rapę, atq; in radice plures ramos habet. Castaneæ gustu repræsentat: melior tamen & delicatior. Vulgo sub cineribus aut prunis cocta, aliquãdo etiam cruda comeditur. Incolæ Hispani huc alii quot Oliuas, Persicas, Amigdalos, aliasq; arbores transtulerunt, quæ plantatæ pulcherrimã quidem aspectus fuere, sed nunquam vllos tulerunt fructus. Est in hac Insula cancrorum miri ficum genus, quod in terra Talparum instar degit, thalassii coloris. Solum subuertens: hę omnia longe lateq; infestat, arrodit absumitq; Reperitur etiam in hac Insula Auium ingens numerus, Perdices, Sturni, Merulæ, Passeres rides modulantes, & Psittaci. Vrbem in ea Lutani condiderunt *Pauoasam* ad flumen, in q DCC. familiæ creduntur habitare, præter E scopum aliosque ordinis Ecclesiastici homin Portum optimum amnemq; saluberrimum bet. Ad piscationes incitant in Mari omnis neris pisces. Imprimis vero res admiranda infinitum numerum Balenarum cõspicere, in hoc & in reliquis Africæ littoribus reperi tur. In media Insula mons est valde nemoro qui perpetuo nubibus teg tur adeo densis ex Siluis aquæ manent rigandis Sacchari a dinibus sufficientes, quoque sol est sublim eo magis circa Montem illum Cœlum

ne

nebulosum. Incolæ partim Albi sunt partim Nigri. Mirum quod narrant nigros admodum Pulicibus, Pediculis & Cimicibus infestari: albos neque Pediculos, neq; Pulices, neq; Cimices in lectis habere.

MADERA INSVLA IVRIS HISpanici.

OBtinet Insulæ huius medium trigesimum secundum gradum latitudinis Borealis, & tertium cum dimidio longitudinis: peridromus eius est circiter milliarium CXL. alii numerant CLX. Fuit hæc primum detecta & habitari cæpta circa annum Domini MCDXX. Cum ante id tempus deserta fuisset, sylvisque obsita. Sed hæ multis in locis igne exustæ locum fecerunt aruo, vt coli serique possent. Asperatur vndiq; montib. velut Sicilia, cui nec fœcunditate cede e creditur. Alicubi enim compertum est, sementem sexaguplum reddere, quanquam non tantum ferat nostro æuo. Frumenti tamen multum gignit, vini autem excellentissimi incredibilem copiam, vt & fructuum arboreorum. Adde his mel, & ceram magna quantitate, nec non saccarum, cuius magna onera hinc ad exteros exportantur. Armentorum gregumq; ingens hic numerus, accedente frequenti aprorum venatione, quibus montes ac sylvæ plenæ sunt. Inueniuntur etiam hic pauones sylvestres, coturnices, palumbi & id genus aues vesculæ. Sunt in hac Insula fontes viui, aquis scaturientes limpidissimis, & octo insuper fluuioli. Aer calidus est temperatus tamen, sed frigoris inscius. Cedri arbores hic ad magnam adscendunt altitudinem, è quarum lignis mensæ fiunt elegantissimæ, vt & scrinia, repositoria, arculæ & alia lignea supellex. Commoratur fere semper in hac Insula Archiepiscopus & Primas Indiæ, cuius domicilium est in vrbe Funciala, quæ caput & velut mater est cæterarum omnium.

DE INSVLIS FLANDRICIS QVAS ET AZORES VOCANT.

SVMMA CAPITA.

1. *Origo nominis & quare Azores ac Flandricæ appellentur.*

2. *Descriptio Terceræ & vicinarum insularum: earum præcipua oppida & Castella.*

3. *Fructus sigillatim apud has crescentes, quos Batatas nominant. Planta quædam, cuius radix plumarum vicem præstat ad implendas culcitas & stragula lectorum. Isatis siue Glastum herba, & auiculæ Canarienses.*

4. *Scaturigines aquarum calidarum, quarum tanus feruor, vt eo oua excoquantur. Fons quidam, conuersus lignum in lapidem exquisitæ pulchritudinis, quem attingere quidem licet, prohibente edicto Hispanorum regis.*

5. *Quibus morbis hæ Insulæ præ cæteris obnoxiæ sint.*

6. *Genus viuendi incolarum, & cui rei potissimum studeant. quo pacto conseruent frumentum suum, quod alioquin ætatem non fert, sed anni spacio corrumpitur.*

7. *Propugnacula Terceræ Insulæ, vbi tam Hispani quam Insulani in præsidio.*

8. *Angra ciuitas caput omnium harum Insularum, eademque sedes præfecti regii, qui proposito edicto interdicit exteris, ne circum eam nauigent, neu explorent cuncta.*

QVas nos appellamus Insulas Flandricas, alii Azores: eæ numerantur à Geographis septem, his nominib. Tercera, Sancti Michaelis, Sanctæ Mariæ, Sancti Georgii, Gratiosa, Picus & Faialis. Nonnulli duas his accēsent, quas Coruos & Flores nominant. quanquam hæ ad Azores referendæ non sunt, etsi sub eodem regantur cum his dominio, quod dicitur præfectura nouem Insularum. Dicti sunt primo Insulæ Azores, ob incredibilem vim accipitrum grandiorum, qui ibi reperti fuerunt, quos Hispani Azores, Itali Astores & Astures vocant, quamuis nostra tempestate hæ aues amplius in iis Insulis non inueniantur. Flandricę dictæ sunt à Flandris, qui primi Faialem ex Europæis habitauere Insulam: supersunt etiam nostro æuo ibi familiæ quædam Flandris Belgicis similes capillis, corporis habitu & morib. alia quoq; Flandrorum superstite memoria, amne quodam ibi *Ribera dos Flamingos*, (id est Fluuius Flandrorum) appellato. Prima ac præcipua harum Insularum omnium est Tercera, quam & vocant Insulam *Iesu Christi de Tercera*. Cingitur hæc ab omni parte prealtis rupibus & inaccessis velut naturali muro, complectiturque suo in circuitu millia prope XV. Portum, qui securam nauibus stationem præbeat, nō habet, quamuis littus ante Angram ciuitatem in lunæ crescentis faciem incuruatum, mare admittens, speciem aliquam portus præ se ferat, prominente vtrimq; terra in vndas. Hæc littoris species vicino oppido nomē dedit, vt Angra vocetur, quæ vox Lusitanorum lin-

lingua curuatam in cornu Lunam significat. Ab ea parte, vbi in mucronem velut in cubitum desinit & acuminatur, duos habet montes, quos Bresilios vocant, qui ita procurrunt in mare, vt separati penitus à reliquo Insulæ corpore videantur. Altitudo horum montium tanta, vt sereno cœlo inde ad decimumquintum vsq; milliare prospectus in mare pateat. Sunt in summitate horum columnæ duæ lapideæ, de quibus speculator, qui ibi est assiduus, quoties naues aduentare videt, signa proponit. Conspectis enim nauibus quæ ab occasu solis veniunt, puta ab Indiis, Brasilia, Guinea, capite viridi Africæ, vexillum vnum vel plura erigit ab ea columna, quæ in occidentem versa est, daro insuper signo tuba: si quæ veniant nauigia ab Lusitania, Hispania, vel à Septentrionis partibus, ab Orientali columna signa proponit, si q; hac ratione, vt nulla nauis non animaduersa aut notata Insulam accedere possit, cum signa illa ob altitudinem montium & columnarum à tota vrbe clare videri possint, vnde præfectus Insulæ & Tribunus Præsidiariorum militum mature commonefacti, cauere malo recte possunt.

Ad radicem dicti montis arx est, & ex opposito alia ad defensionem portus extructa, è qua aduenientes naues arceri portu possunt, & qui in eo stant sub Anchoris, prohiberi ne egrediantur. Caput autem non solum huius Insulæ sed & omnium Flandricarum est Angra ciuitas, à qua tribus millibus abest aliud oppidum nomine Praia, quæ vox significat locum mari imum, cinctum quidem mœnibus satis firmis, cæterum populo non admodum frequens. Sunt in Tercera Insula etiam vici quidam & Castella, velut S. Sebastiani, S. Barbaræ, Altare, Gualua, & Villanoua cum nõnullis aliis. Putatur Insula S. Michaelis in lõgitudine habere milliaria viginti, suntque in ea parua oppida & pagi complures. Præcipuum huius Insulæ oppidum dicitur *Punta Delga*. Portum non habet vllum, sed mare hic lõge est impetuosius quam circa Terceram: hoc tamen commodi habent naues quæ ibi consistunt, vt nullo prohibente castro vel propugnaculo, in apertum excurrere possint Oceanum, quoties mare ventis fluctibusq; turbatur: quod iis, quæ ad Terceram stationes suas habent, non est integrum. Et hæc est causa, quod naues peregrinæ libenter ad S. Michaelis Insulam appellant. Insula vero S. Mariæ in peridromo completi creditur milliaria decem aut duodecim, habitaturq; tota ab Hispanis.

Gratiosa quinque aut sex milliaria continet: habitant hic plerique Lusitani. Georgii Insula, cum prope duodecim milliaria longa sit, duo aut tria duntaxat lata est. Faialis vero ad XVII. vel XVIII. extenditur millia, estque celeberrima post S. Michaelis & Terceram.

Insula Florum complectitur millia VII. à qua circiter duobus millibus passuum abest exigua coruorum insula, cuius ambitus omnino duob. tribusue milliaribus absoluitur.

Eleuatur Polus Terceræ Insulæ triginta nouem gradibus, quæ distat ab Olissippone versus occidentem milliaribus Hispanicis CCL.

Qualitas & ingenium terræ.

Gignit in vniuersum Tercera Insula frumenti vinique plurimum, quanquam vini genius non is sit, qui longam ætatem ferre possit: vnde qui sunt Angræ ciues opulentiores, fere vtuntur vino ex Madera & Canariis Insulis importato. Habet præterea Insula hæc pisces, carnes, cæteraque res ad alimoniam necessarias, quantũ sufficiat. Oleum non producit, quod ex Lusitania adfertur: caret insuper sale & vasis fictilibus, quod argillam figulinis operibus aptam nõ habeat. Inueniuntur in ea Poma Persica, Cerasa, Pruna, nuces & castaneæ, non tamen in magna abundantia. Frequentiora ibi poma, pira, malia citria, aurea, limonia, & similes fructus arborei. Gignit solum liberaliter brassicam, rapa, caulẽ, herbas & olera, inprimis gramen ad faciendum fœnum. Reperitur hic planta vitis formam repræsentans, foliis tamen in diuersam speciem abeuntibus. Fructus eius nominantur Batates, excrescuntque in eam magnitudinem, vt singuli singulas pendant libras, quanquam non magno vendantur precio. Præbet hic fructus præcipuas plebi delicias, inprimis eum Lusitanis auide appetentibus, quanquam frequentia precium diminuat. Crescit insuper in Tercera frumenti species, nisi quis legumen appellare malit, forma rotunda ad instar pisi. Appellant vulgo Iunsam. Gustus eius palato gratissimus, quanquam pellicula tegatur quã pisum duriore. Cũque apud exteras gentes in magna sit hoc legumen existimatione, in natali so obiicitur fagi-nandis porcis. Inuenitur præterea passim in hac Insula planta ad hominis assurgens altitudinem, fructum omnino ferens nullum, nec vlli alii seruiens vsui, nisi quod radix eius tantæ est molliciei & subtilitatis, vt instar lanæ lericæ sit incolis, quibus à materia lectos culcitasque suas farciunt, vt nos solemus plumis anserinis, vel lana ouilla.

Aues rapaces & carniuoras hic paucas videas contra auiculæ, quas Canarienses vocant, passim hic factis agminibus volitant, quibus dici satis non potest, quanto opere rustici insidientur, cum magno eas vendere possint precio. Magnã hic vbertas coturnicum, gallinarumque Meleagridum & Africanarum. Æstate multi in littore capiuntur pisces: sed hyeme mare impetuosius piscationem non permittit: mensibus enim Ianuario, Februario, Martio & Aprili, vt & Septembri ferè semper agitatur ventis fructibusque. Solum ipsum frequentibus eluis colliquæ asperatur, alicubi etiam petrosum, assurgentibus in apicem exquisitum rupibus, & scopis tam acutis horrentibus, vt ingredientium plantas pungant secentque. Nec tamen sterilia aut inanes sunt colles isti, cum inter medios pides emineant vites, quorum foliis æstiuo tempore penitus obreguntur, vt mirari subeat, quopacto vites in tanta asperitate radices agere possint

sint. Non autem habent vineas in locis planis; sed abundant campestria frumento & glasto siue Isati herba, cuius vber prouentus inprimis circa Praiam oppidum, Obseruatione tamen dignum est, quicquid frumenti, vini, fructuumque in hac prouenit insula, vltra annum bonitatem suam non retinere.

Est Tercera obnoxia frequentibus terræ motibus, habetque hinc inde fomites subterraneos ignis & crateres patentes, reperiunturq; cum in hac tum in S. Michaelis Insula camini à natura facti, è quibus vapores densis permixti fumis assurgunt, vt vetisimile sit, humum in visceribus penitus alicubi exustam esse. Fontes hic terra scaturiunt adeo calidi, vt in eorum aquis ouum excoqui possit, haud secus ac ad ignem. Tertio ab Angra milliari fons est, qui lignum in aquas suas proiectum in petram solidissimam conuertit.

Cedrorum insuper in Tercera Insula tam copiosus prouentus, vt inde naues fabricentur, & materia secetur ad instruendum focum.

Aliud quoddam ligni genus ibi est, quod Sanguineum vocant, à colore in sanguinis modum rubente, exquisitæ pulchritudinis. Sed & albissimum ibi inuenitur & flauum in croci colorem lignum, vtrumque magni ob pulchritudinem precii.

In Insula Pico arbor crescit, quam indigenæ *Teixo* nominant, cuius tanta est æstimatio, vt edicto Hispanorum Regis populo non liceat illam arborem vllo pacto lædere, vel etiam attingere, cum eius ligni sectio certis quibusdam hominibus priuilegio regio munitis duntaxat permissa sit. Durities ei incredibilis, rubor iucundissimus, colore vndulato & splendente, crescente nitore ligni cum temporis diuturnitate.

Aere fruuntur omnes hæ Insulæ optimo & saluberrimo, vt pauci ibi grassentur morbi populares, præter vnum, quem Lusitani suo quodam vocabulo AR nominant, cuius id est ingenium, vt hominem insigniter debilitatum tabescere faciat vel toto corpore, vel aliquo eius membro. Alius insuper est, quem iidem Lusitani Sanguinem appellant, cum certa quædam ex materia sanguinea circa oculos erumpunt Apostemata, vel etiam in aliis faciei aut corporis partibus. Oritur autem vtraq; hæc ægritudo ex nimia quorundam locorum humiditate, quandoque etiam ex ventorum vehementia, quorum is est impetus, vt non solum abreptos à tectis imbrices, sed & aulla à domibus saxa longe lateq; disiiciant, adeoq; ipsum ferrũ consumant: animaduersum enim est, clathros ferreos ad brachii humani crassitiem, quibus muniebantur fenestræ ærarii regii, intra sex annorum spacium ita ventis exesos consumtosq; fuisse, vt ne minimi digiti quidem modum superarent. Quin & ipsos murorum lapides corrosos & propemodum absumtos postremo defecisse constat. Huic malo vt obuiam eant, solent frontispicia ædium suarum munire lapidibus è maris fundo aut littoris crepidine petitis, quibus firmior aduersum violentos istos flatus duratio.

Gratiosæ Insulæ tanta est in producendo omnis generis frumento vbertas, vt non parum ipsi Terceræ subministret. Georgiana abundat syluis, nemoribus & montibus, in quibus cedri altissime assurgunt: gignit & glastum herbam. Faialis vber est, & instructum velut penu omnium rerum ad vsus vitæ necessariarum, felix captura piscium & pastura gregium armentorumque. Fructus vero arborei lætius prouenium in Pico Insula, accedente singulari priuilegio *Teixo* arbore, cuius lignum in quanto sit precio superius diximus. Pecoris in hac vis ingens vini, quantum in vsus incolarum sufficiat, pomorum omne genus etiam hic luxuria, inprimis aurantiorum, cuius sapor multo quam alibi perhibetur palato gratior. Florum insula pascuis & florido strata solo vniuersa prope aptissima est, paruis magnisque nutriendis pecudibus, vnde magna carnium hic vilitas.

MORES INSVLANORVM.

Qui Terceram Insulam incolunt, vel sunt Lusitani, qui patriæ suæ mores & viuendi obseruant consuetudinem: vel sunt indigenæ Insulani, qui vt Hispanorum sequuntur imperium, ita quoque ritus & mores. A venatione penitus abstinent omnes, non instituto quodam, sed quod præter paucos cuniculos feræ ibi sint nullæ. Qui primi Faialem Insulam habitauerunt, Flandri fuerunt, hinc non solum naturæ quodam ac originis ductu Belgarum sectantur genium, sed & studio affectant. Terceræ incolæ laborioſi sunt inprimis, solertes in colendis agris, estque eorum cumprimis tribuendum industriæ, quod vineæ in ipsis scrupis rupibusque fœtificent, quanquam id vix fieri posse videatur. Consueuere frumentum, quod longius quam vnius anni senium non fert, magno studio conseruare sub terra in quartum aut quintum mensem. Habent omnes Praiæ oppidi ciues prægrandem quandam cryptam subterraneam vnam, angusto orificio, vt non nisi vni homini velut per puticulum ingressus pateat: in hac recondunt illi frumentum suum, certis notis distinctum. Facta messe quiuis triticum suum in conditorium illud infert, ibique seruat à mense Iulio vsque ad initium Ianuarii. Ibi omnes extrahunt, quod condiderant bonum integrumque, quamuis sint, qui plus inde non demant, quam opus habent, reliquo ibi diutius custodito. Vbi per tempus illud sub terra latuit, asseruatur deinceps in cistis, nec est periculum verminationis. Mos est apud aratores vt bobus quos aratro iungunt, peculiaria imponant nomina (quod & in Germania alicubi fieri nouimus,) quibus vocati, statim agnoscunt vocem imperiumq; magistri. Arculariorum ac Scriniariorum magnus hic numerus ob lignorum elegantissimorum copiam, quorum tamen in fabricandis mensis arculisque ligneis nequaquam ea dexteritas & solertia, quæ Alemannicorum, præcipue in Vrbe Norimberga. Po-

6

ga. Potissimum Tercerensium studium in herba Isati siue glasto plantanda: San-Marianorum vero in elaborandis rota vasculis terreis.

Opes eorum & diuitiæ.

Potissima in Tercera Insula negociatio debetur glasto herbæ, cuius gratia Angli, Scoti, Galli, huc nauigant, sua pro illa herba permutantes mercimonia, non sine vtriusque partis lucro. Faciunt & Insulani rem, ex diuenditis a-uibus Canariensibus, quarum hic magnus numerus, & apud exteros dignitas ac precium. Boues, cum in his Insulis multo maiores & pulcriores sint Europæis, magno venduntur. Accedit pecunia ex operibus diuersis ligneis, minutæ diligentiæ, quæ ab Hispanis caro emta auehuntur. Cæterum Terceræ Insulæ situs talis est, vt commodissimus habeatur ad recipiendas classes ab Occidentali India reuertentes, quæ hic de necessariis sibi in reliquum iter prospiciunt, & vicissim sua bona important, vnde non paruæ huic Insulæ accedunt diuitiæ. Hoc habet mali quod Angli Piraticam facientes, perpetuo circa has Insulas vagantur, insidiantes Hispanorum nauibus, si quas interceptas auro Indico emungere possint. Hac prædandi licentia territæ multæ naues, declinatis his Insulis, Piratas effugere conantur, priuatis Insulanis eximia lucri parte. Ad Faialem Insulam frequentius appellunt Angli, abundare eam glasto per totum annum scientes. Qui Florum Coruorumque Insulas habitant, pauperes fere sunt, redacti ad inopiam Anglorum Batauorumque Piraticis nauibus, quæ semper hic velut in specula latitant.

Robur & vires.

Est Tercera Insula Naturæ beneficio satis munita præaltis rupibus, quibus velut natiuo muro vndiq; cingitur, suntq; alicubi in ipsarum rupium montiumque cacuminibus arces & castella extructa. Angra ciuitas firma habet mœnia. Ad radicem Montis Bresilii munimentum est, cui è diametro respondet aliud compar, ad defensionem Portus, quibus prohibentibus, nauis vlla nec ingredi potest nec egredi. Alit in hac Rex Hispanus perpetuo præsidium signorum quatuordecim, qui cum olim Lusitani fuissent, nostra tempestate Hispani sunt, Tribunum habentes Hispanum. Sunt autem hi milites perpetuo arcibus castellisque præsidio, nullo modo graues incolis, cum militi permissum non sit, inuito centurione munimento egredi aut spaciari per campos: Hinc summa per totam insulam itinerum viarumque securitas. Est in oppido *Punta Delgada* signum Hispanorum vnum: in Insula vero San-Mariana præsidium nullum: quod vndique concluſa scopulis eo opus habere non videatur. In Gratiosa pauci sunt milites, quod incolæ pauperiores etiam sint, quam vt numerosum præsidium alere possint. Dorta oppidum est in Faialiinsula, castrum habens satis firmum. Cum autem ciues aliquando de sumtuum militarium magnitudine questi fuissent, deque insolentia militum, pollicti se suis viribus defensuros oppidum: Præsidium inde deductum est. Cum autem Cumberiandiæ Toparcha, Anglus, ciues leui pugna fudisset, capta Insula demolitus est arcem, & tormenta bellica in mare præcipitauit, abductis quæ in statione fuerant nauibus. restitutum igitur est præsidium.

Ratio Gubernandi.

Cum Angra ciuitas caput sit omnium harum Insularum, habitat in ea Prorex, & ius dicit in tribunali iustitiæ, magna vsus auctoritate. Non licet peregrinis circuire Insulam, quod putentur rimari aditus, neque equo animi gratia vehi: fuitque cum mercatoribus interdiceretur, ne à loco vendendis mercimoniis constituto digrederẽtur longius. Erat autem ei rei peculiaris Angræ nominata platea, à qua egredi extraneis non licebat, nisi penitus discessuris. Maior tamen iis hodie libertas: cum ire hinc inde per Vrbem Insulamque liceat, non vero eam circuire.

Religio.

Præter Catholico-Romanam hic nulla alia auditur. Est in Angra ciuitate sedes Archiepiscopi & Ecclesia Metropolitana.

MOSAMBICA INSVLA.

Distat hæc à continente ad dimidium milliare, estque idem ciuitatis nomen in Prassio Insula ad litrus Melindæ. Circuitur Mossambica quatuor stadiis, plana rotundaque est, portum habens ab accessu ventorum immotum cum apposito Castello.

QVALITAS REGIONIS.

Tota fere Insula palmis consita est; sunt ibi mala aurea, limones Citri, *Bannanas*. reliqui fructus arborei familiares alias per Indiam, hic desiderantur. Frumentum, Oriza, reliquaque legumina atque victualia, item telæ lineæ & eiusmodi ex India petenda sunt. Armenta, Oues, Capræ, Porci, Gallinæ in copia & precio vilissimo ibi parantur. Sunt ibi Gallinæ, quarum penna carnes & ossa adeo nigricant, vt coctæ in atramento elixæ putentur, sapidissimæ & reliquo longe meliores sunt.

Nulla penitus aqua dulcis adest, quæ potui sit, petenda est in continente ex loco à Lusitanis *Cabaseta* vocitato, & reponenda in vasis lapideis ex India aduectis.

Aer nec temperatus, neque regio per se alioqui salubris putatur, propter immensum Solis ardorem.

MORES INCOLARVM.

In hac Insula quadraginta, aut quinquaginta ad summum Lusitani vxorati habitant, præter quinquaginta vxoratos illos Lusitanos & Mesticos (dicuntur autem Mestici, quicunque ex parentibus Lusitanis in India nati & educ-

su

sunt, sonat vocabulum idem quod semigenus vel participium; annumerantur Lusitanis reliquis) habet insula trecenta quadringentaue tuguria indigenarum propria, qui partim Lusitanicis partim aliarum Nigritarum moribus vtuntur. Quotquot vero à Mossambica versus promontorium bonæ spei habitant, sunt homines feri & syluestres, viuentes more beluino, absq; vlla notitia veri DEI. Cuncti nudi omnes, soli mares ad præputium habent pannum admodum exiguum religatum, mulieres à media mamillarum parte ad media femora vsq; teguntur tela bombacina grysea. Sed ii qui continentem incolunt nullam corporis partem tegunt. Suilla & porcina caro præstantissima omniumq; saluberrima Mossambicæ habetur, & si ægrotis carnes omnino interdictæ fuerint, sola tamen porcina ob bonitatem excipitur. Nemini cælibi insulam inhabitare permittitur. Regulus Quiloensis olim dominatus fuit in hac Insula, habitantibus ibi Mahometanis, quorum præfectum Arabes Zequenum nominant.

OPES ET DIVITIÆ.

Apud Sofalam aurifodinæ sunt, quæ distat à Mossambica, versus caput Bonæ spei centum viginti miliaribus. Est & aliud peculiare quoddam genus mineræ Lusitanis aurum *de Botongoen onroënpos*, siue arena auridictum, quod arenam quidem sua paruitate & minutiis refert, sed tam puram putumque, vt nullum præstantius sit in toto Oriente. Capitaneus Mossambicensis in arce Sofalæ curatorem habet, & quotannis genus quoddam nauigii, illis *Pangaios* dictum, bis terue eo mittit, illud sanelittus legens aurum ex Sofala petit, mox in Mossambicam apportandum. Nauigium *Pangaios* è leui & raro ligno constructum, non nisi funibus colligatum est, nullo omnino clauo ferreo infixo. Affirmant plerique aurifodinas *Angolæ* vocitatas, & ab altera Africæ parte positas haud longe à fodinis Sofalæ distare, nec vltra trecenta millia ab inuicem abesse, acciditq; aliquoties, vt Nigritarum aliqui pedestri itinere ab Angola Sofolam vsque profecti sint. Capitaneus Mossambicensis tercentum mille ducatorum reditus habet per triennium ipsi definitum, hæc summa constituit uri tonnas nouem, constat ea summa vt pluribus ex auro, quod ex *Sofola Monomotapæ* ipsi inducitur. Ex Mossambica in Indiam deportatur Aurum, Ambra, Hebenum, Ebur, Mancipia vtriusq; sexus complura. Sunt enim robustissima in toto Oriente, nec alii tam fœda seruitia facile præstant.

ROBVR ET FIRMITAS.

Est ibi Castellum munitissimum & valde magnificum à Lusitanis erectum intra decennium aut eo amplius, & est vnum ex præcipuis & munitissimis ædificiis quotquot sunt in India. Nullum fere ibi præsidium, exigua munitio nec tormenta aliusue apparatus adest. Si tamen necessitas postulet, obstricti sunt Capitaneo Lusitani coniugati quotquot in ea Insula habitant, qui omnes in propugnationem Castri iurarunt, nec enim aliud propugnaculum præter vnicum hoc ce castrum per totam Insulam erectum, quo ea defendatur. Intra ipsum Castellum cisternæ passim factæ & plenæ aquæ dulcis sunt, quæ integro anno sufficiant si ita necessitas ferat.

MODVS ADMINISTRATIONIS.

Forma politiæ qua Lusitani Insulam administrant, ad eum se habet modum: quouis triennio Capitaneum, qui regia negotia exequatur, permutant alio, tum quicunque reliqua officia obeunt, & ipsi prouisione facta ex regis Lusitani gratia singulis triennis sibi succedunt. Si qui honestiores in regia classe stipendia fecerunt, ii pro cuiusq; conditione & meritis officia illa in illa recompensam accipiunt, ex quibus sua salaria ipsis proueniunt, iuxta negotiationes exercentes. Viuunt enim libere & ex proprio ingenio quamdiu in illis regionibus degunt. Semel in anno ex Mossambica in Indiam transmittitur, idq; mense Augusto vsq; ad medium Septembrem, qua confecta manendum est in India ad mensem Aprilem vsque, quo anni tempore redeunt venti *Monsoen*, qui Mossambicam comitantur euntes. Præter Capitaneum nemini negotiationem exercere licet, exceptis Lusitanis qui Mossambicam vxorati simul incolunt.

RELIGIO.

Æthiopes qui in Insula Prassio, vbi est Mossambica, habitant, sunt Christiani; reliqui, legem Mahometanam obseruant, ii videlicet, qui antequam Lusitani Insulam tenerent, cum Æthiopibus ad mare rubrum, cumque Mahometanis commercium habentes, religioni Turcicæ nomina sua dederunt, sed qui vocantur *Mestici* erga Religionem Catholicam affectissimi sunt.

DE INSVLIS LOCISQVE TERRÆ CONTINENTIS, QVIBVS LVSITANI ET HISPANI PER ASIAM potiuntur: & primo quidem de Armusio Oppido & Insula.

ARmusium Potentiæ Hispanicæ ideo accenseo, quod tributum annuum Regi Ibero endere consueuerit, qui potiora in illis locis ppida hactenus obtinuit, donec altero abhinc nno Persarum Rex adiutus Anglorum at Batarum consilio & ope (quorum in Hispanos nplacabile odium plus satis notum est) manam regni partem imprimis autem Lusitanorum propugnaculum prope desertum occupauit; subministrantibus Anglis Batauisque cum naues tum copias suas in expeditionem Persis. Armusium versus Septentrionem Persiam respicit, ex altera parte Arabiam; extenditur in latum ad 20. milliaria subiacetque 27½. gradui.

Qualitas Regionis.

Insula petrosa passim, solum omnino sterile,

neque fructus vllos, neque pascua habens, quin imo nec aquam dulcem restinguendæ sitis. Petræ ex mero sale sunt, & ipsi muri parietes quæ ædificiorum ex sale petroso constant. Insula ex sese omnino nihil producit, nec habet quicquam præter quod ex Arabia, Persia & ex Vrbe Bassora aduectum participat. Attamen ob loci maximam opportunitatem, nihil non affertur aduehiturq; illuc in maxima copia, & ingens ibi negotiantium est frequentia. Est enim Emporium totius Indiæ, Arabiæ, Persiæ, Turciæ, & quarumcunque aliarum vicinarum nationum, quocunque tempore aduenerit, habebis ibi Persas, & Armenios, sunt & Veneti ibi qui rem faciunt ex gemmis aromatibusque, magna affluentia quotidie eo ex India aduectis, quæ deinde Venetias vsque inde perferuntur itinere terrestri.

Si hyems fuerit, frigus respondet Lusitaniæ: per æstatem, quæ eodem anni tempore, quo in nostris regionibus, etiam illic incipit tantus Solis feruor adest, vt in canalibus ligneis aqua frigida repletis dormiendum sit, absque vllo integumento. Coniuges simul cubantes toto corpore ambo sub aquam demerguntur ad collum vsque. Tecta domorum complanata sunt, in summitatibus eorum foramina patent, per quæ aer & lux diei penetret, quod idem Ciues Cayri faciunt. Aqua dulcis in continenti petenda est. Est in Insula Armusio moribus epidemius seu popularis, vermes prælongos in cruribus generari, quos ex aquæ potu nasci existimant. Cura istorum vermium hæc est, vt quotidie portiuncula vermiculi ex cruce extrahatur, super culmum aut pennam conglomeranda quaqua vice, idque tamdiu tentandum, quam diu vermiculus trahentem sponte sequitur. Vbi sequi incipit ægrius, absistendum vsque in alterum diem, vulnus probe obligandum, vncto vltere bityro recenti non salito: hoc modo intra dies decem duodecimue, vermiculum omnem paulatim extrahunt, si enim vermiculi ex parte rupti fuerint, non nisi maxima molestia denuo apprehendendi sunt.

Mores Populi.

Idem his prope viuendi genus, iidem ferme mores qui Persis Arabibusque, eos igitur cur hic latius persequi debeam, causam non video, certus de iis sigillatim loqui, vbi ad Arabum Persarumque regna instituti nostri ratio & series stylum vocauerit.

Opes Armusiorum.

Ob maximam loci opportunitatem, nihil non affertur, aduehiturque illuc in maxima copia, & ingens est ibi negotiantium frequentia. Est enim Emporium totius Indiæ, Arabiæ, Persiæ, Turciæ, & quarumcunque aliarum vicinarum nationum, quocunque tempore aduenerit, habebis ibi Persas, Turcas, Armenios, sunt & ibi Veneti, qui rem faciunt ex Gemmis quotidie eo ex India aduectis, quæ deinde Venetias vsque inde perferuntur. Vicissim autem Armusiani vndiquaque ex aliis prouinciis, & regnis sibi adiacentibus quascunque merces accipiunt, ex regno Persiæ, ex prouincia Caracone, ex Dio, vnde tapetes pretiosos quos *Alcarifas* vocant, in copia habent. Ex Turcia habent telam camelinam, ex Arabia sunt illis varia Aromata & herbæ, pro pharmacopoliis, vtpote sanguis Draconis, Manna, Myrrha, thus & equi generosi, quadrigarum rapacissimo cursui accommodi, margaritæ orientales pretiosissimæ, captæ ad portum *Moscate*, qui est inter *capo Rosalgate & Moncadon* ad littus Arabiæ; item pasillæ vbertim, varia genera dactylorum, nuces iuglandes, varia electuaria, quæ in Indiam ex Armusio vbertim deuehuntur, item monetæ genus quam *Larynam* vocant, est autem forma eius oblonga, ad modum fili argentei quod malleo comparatum fuerit inflexum.

Vt autem planius fiat, vnde sit Armusii tanta frequentia negotiantium & nationum, sciendum, quotannis eo duas hominum peregrinorum collectiones, Caffilas & Carauanas dictas, aduentare, qui pedestri itinere ab Vrbe Syriæ, Alepo simul profecti sunt: distat autem Alepum à Tripoli quæ est ad littus maris mediterranei, itinere trium dierum. Congregatio ea siue Caffila sequenti modo disponitur: Imperator Turcicus quotannis in Aprili & Septembri Capitaneum constituit, cui aliquot centurias Ianitscharorum attribuit, qui deducunt Caffilam ad Bassoram Vrbem vsque. eo vbi ventum est, nauibus conscensis deinde Armusium vsque vehuntur.

Norunt Mercatores, quo tempore Caffila proficiscatur, vnde tempestiue merces suas & se itineri parant, conquirunt congregantque simul Camelos, Dromedarios, Mulos, Equos, venales pro cuiusque commoditate. Numerus quotannis in Caffila congregatorum excurrit singulis vicibus ad quinque vel sex millia hominum: collecti veluti instructa acie procedentes proficiscuntur, bini singulis Camelis impositi, aut mercibus à Camelorum dorsis vtrinque dependentibus. Ianitscharis saluos eos & bene defensos contra Arabes crebro irruentes deducunt. Ita dispositi quadraginta diebus per deserta proficiscuntur: ternis quaternisue diebus semel aquæ fontes obuios habent, vnde quam hauriant, quam in animalium pellibus tali vsui accommodatis secum vehunt. Sequuntur præterea exercitum non pauci caupones necessaria secum vehentes, quæ comeatui inseruiant. Sub noctem cuiusque diei conficto itinere, tentoria quæ secum vehunt, extendunt pernoctantque sub iis, sed non nisi excubiis prebecuratis dispositisque. Sub tali dispositione proficiscuntur ad ciuitatem vsque *Bassoram* transeuntes Babylonem, hodie *Bagadet* vocatam. *Bassoræ* constituti, ad dies aliquot respirantum denuo congregantur ii, qui negotiis suis confectis iter domum versus remetiri cogitant, iis congregatis, simili qua ante dispositione *Alepum* repetunt.

Præfectura Armusiensis post Soffalam, Mo-

sam

Cambicamque est omnium opulentissima per totam Indiam. Habet enim naues quas *Goam*, *Bengalam*, *Chaut*, *Mascatte*; atque in alia vicinia regna mittit, nec vlli licitum est, merces vel distrahere vel coemere, aut naues onerare, nisi Capitaneus prior pro naui sua coemerit, quantum ipsi opus fuerit, nauemque suam in nauigationem expediuerit: nec tamen facit hoc ex aliquo speciali regis indulto, sed quod ipse sibi eam potestatem arroget; Rex longius inde abest, quam qui huic incommodo remedium adhibere possit.

Priuilegium regium Capitaneo concessum, nullum est aliud, quam vt præter ipsum, aut cui ipse potestatem dederit, nemo equos in Indiam mittat, idque sane fit maximo ipsius emolumento, equi enim generosiores maximo precio in India veneunt, sæpe equus 500. aut 600. *Pardaûs* venditur, quorum singuli faciunt Ioachimicum talerum. Tempus nauigationis, quæ ex Goa versus Armusium instituitur, mensibus Ianuario, Februario atque Martio, item Septembri atque Octobri commodissimum est.

Robur & Firmitas.

Robur & firmitas huius regni in munitione quam Lusitani in hac Insula erexerunt, beneque munierunt, consistit. Intra ipsum castellum, cisternæ passim factæ & plenæ aquæ dulcis sunt, propter inopiam aquæ huius regionis, sicut in Mossambica. Castellum magno præsidio, munitione, tormentis, alioque apparatu bellico defenditur, vt Mahometani in obedientia retineantur. Omnia alia loca non adeo magni momenti sunt.

Modus administrationis.

Obseruant Lusitani rationem viuendi in hac regione vsitatam. Præfectus Castelli sequitur easdem leges, quas cæteri qui in vicinis locis, qui Regi Hispanorum deuoti sunt. Rex Armusiorum in hac Insula habitat, sed extra munitionem Lusitanorum. Vsu apud eos receptum est, vt quicunque in Regem eligatur, is fratres suos ad vnum omnes, maresque sanguine ipsum proxime attingentes, effossis oculis excæcet: excæcatos lautissime deinde sustentat quoad vixerint.

Statutum est enim Armusiorum, vt nemo cæcus Rex ipsorum esse possit; excæcantur consanguinei, vt Rex regnet securior, & quietius regnum possideat, motuum causis ita sublatis.

Religio.

Rex Armusiorum vna cum subditis suis traditiones Mahometi obseruat, secundum Persarum explicationem; sed qui ex Lusitanis progeniti, conuersi sunt per Patrem Casparum Bertium Zelandum, Iesuitam.

DIVS INSVLA.

Dius Insula & Ciuitas à Sindo fluuio 70. miliaribus distat, cum continente continua.

Qualitas Regionis.

Insula sua annona abundat, habetque pecora & alia vitæ necessaria, vtpote boues, porcos, oues, gallinas, butyrum, lac, cæpe, allium, pisa, fabas, &c. quæ cuncta tum copia, tum bonitate Belgarum prouincias superant. Habent & caseos sed contumaces admodum & nimium salitos, habent & pisces salitos in magna copia. Carnes fumo indurant, sapore optimas, & in multum tempus duraturas, vt apud nos moris est linguas bubulas fumo exsiccare.

Mores Incolarum.

Dium incolunt Lusitani promiscue cum indigenis, quemadmodum etiam fit Armusii & in reliquis Indiæ locis Lusitanorum ditionis. Lusitani moribus patriis vtuntur, & indigenæ vicinorum mores hucusque retinuerunt, vt postea dicetur: conuersatione tamen quotidiana mores Europei magis recipiuntur.

Opes & Diuitiæ.

Est in hac vrbe portus celeberrimus & negotiantium frequentia magna. Licet nullo suo prouentu sustentetur; sola commoditas loci, & quod media inter Cambaiam & Sindam interiacet, eam omnium rerum abundantia beatam faciunt. Vtrunque enim regnum, Sinda videlicet & Cambaia, longe fœcundissimum est. Hinc fit vt quouis tempore in Dio reperias, quascunque nationes peregrinas, Turcas, Persas, Armenios, Arabes, &c. vectigalia in Dio Lusitanis propria sunt. Subsistunt ibi quotquot Beniani, Gussuratæ, Rumossi & Persæ per Cambaiam versus rubrum mare negociantur, merces vel ex nauibus recipiendo, vel eadem illis onerando: nec est locus commodior ad sinus ostia & Caput Cambaiæ.

Robur & Firmitas.

Lusitani ex permissu Regis arcem excitauerunt, munieruntque, vt inexpugnabilis hodie videatur; eam Rex Cambaiæ arcem bis cum exercitu & regio satellitio obsedit, Anno videlicet 1539. & 1546. sed à Lusitanis strenue defensa perstitit: de quo vide Chronica Lusitanica.

Modus Administrationis.

Hæc Insula fuit olim propria Regis Cambaiæ, vt quæ in Regno & littore illius posita sit. Lusitani in ea ex permissu Regis arcem excitantes, paulatim & Vrbem & Insulam sibi subiecerunt, qui eam vt reliqua loca suæ ditionis in India administrant. Arcem inexpugnabilem contra hostium impetum erexerunt.

Daman & alia.

Indiæ littus ad ostia sinus Cambaiæ incipit, nomen sortitur ab Insula *Das Vasquas*. atque hoc in loco vera est India Orientalis, præter illud habet nomina quædam particularia; dicitur enim eadem Mossambica, Melinda, Armusium,

Cambaia, Choromandel, Bengala, Pegu, Malacca. &c. Ad littus illud consurgunt sequentes ciuitates & portus atque arces Lusitanis subiectæ & habitatæ. Daman Ciuitas prima est, inde pergendo milliaria 15. sub 19½. gradu occurrit Bassaina Ciuitas, ab illa per 10. milliaria sub 19. gradu, adest Chaul & ipsa ciuitas & munitio. A Chaul per milliaria 10. sub 18. gradu, visitur Dabul, à Dabul vsque ad Goam ciuitatem & insulam 30. millia numerantur sitaque est Goa sub 15. gradu. Littus Goæ ad Daman vsque siue ad sinum Cambaiæ dixerunt olim terram borealem siue Septentrionalem. à Goa aduscque Capo de Comarin Terra Australis dicitur. Vulgo tamen littus Malabarum.

Qualitas Regionis circa Daman, Chaul, & Basain.

Omnes hæ Regiones sunt fertilissimæ orizæ, pisi aliorumque leguminum, item butyri, ac nucum Indicarum. Solum oleum per vniuersam Indiam abest, excepto quod ex Lusitania affertur. Sunt & alia illis alimenta in magna abundantia. Terra ex se abundat zinzibere quemadmodum totus ille tractus maritimus, vnde vilissimum est. Tractus ille borealis dictus, aerem habet temperatum & saluberrimum, creditur que nobilissima beatissimaque totius Indiæ pars.

Opes & Diuitiæ.

Omnes prædictarum ciuitatum peropportunos portus nauiumque stationes habere sciendum est, qualis est ad Daman, ad Chaul, ad Basain. &c. quo ex vniuersa India negotiationes coguntur. Chaul omnium est in maxima celebritate, propter negotiationes frequentissimas suas, quas exercet Armusii, Cambaiæ, & ad rubrum mare, item in Sinda Masquatte & Bengale. &c. habet enim mercatores ditissimos, nauesque pene innumeras. Est locus non procul à Chaul, in quo telam sericam varii coloris variique licii texunt, vnde ciues in Chaul multum serico crudo negotiantur: quod à Chinensibus petunt, & deinceps præparari faciunt in loco prædicto, vnde illis maximum lucrum est. Sunt ibi atramentaria & sellæ arte mira elaboratæ.

De locis Lusitanorum ditionis in littore Malabarensi.

Incipit littus Malabarorum à capo de Ramos, decem milliaribus à Goa, vergens in Austrum, porrigitur ad caput de Comorin vocitatum, habetque ea distantia 54. milliaria Gallica. Lusitani arcem Onor possident, decem milliaribus à capo di Ramos distantem. Ab Onor ad arcem Basaloram quindecim milliaria numerantur. Lusitani hæc loca possident propter abundantiam piperis & orizæ. Bassalora, & Mangalos. Lusitanis subiecta, & pipere & Oriza abundant plurimum.

Qualitas, vt & Diuitiæ Regionis.

Abundat hæc regio pipere: adeo vt quotannis septem vel octo millia librarum exportantur, atq; hoc piper bonitate reliquum per totam Indiam & Malabarorum fines vincit, paucos ante annos cœptum est inde piper conquiri; sed nunc magnus fit peregrinantium concursus. Terra ea Reginæ de Batticola vocatæ subiecta est. Ipsa Regina piper diuendit, à qua curator negotiantium illud acceptare necesse habet. Curator in Onor habitat. precium pro pipere, sex mensibus ante pendendum est. pecunia numerata piper particulatim traditur. Fert & orizam hæc terra magna abundantia.

Robur & Firmitas.

Castellum Onor quod Lusitani incolunt, non adeo frequentatur, nisi eo tempore quando piper onerandis nauibus inde petunt. Per reliquum tempus non fit magnus peregrinantium concursus. Castellum satis munitum præsidio defenditur. Ab Onor ad arcem Barsaloram quindecim milliaria numerantur, in quo loco oriza & piper vbertim proueniunt. Manga or 9. milliaribus à Bassalora posita. Lusitanis subiecta, pipere & oriza plurimum abundans.

Munimentum Cananorienſe.

Distat munimentum Cananorienſe à Mangalora 15. milliaribus, atque hæc munitio præstat reliquis omnibus, quotquot Lusitani per fines Malabarorum possident, propter abundantiam piperis quod in loco eo colligitur. Extra eam munitionem excitarunt Malabari vicum amplum, vbi quotidie forum victualiorum frequentissimum ad miraculum vsque est. Sunt ibi Gallinæ, oua, butyrum, mel, oleum ex India, ficus Indicæ à Cananor apportatæ, eæque tum maximæ, tum selectissimæ ex tota India. Malos tanta talique proceritate & formositate habent, vt selectiores per totam Noruuegiam non inuenias, & in tanta copia, vt toti viciniæ sufficiant. Terra amœnissima est, perpetuo virens, arboribusque fertilissimis consita. Habitant inter Malabaros hosce Mauri plurimi sectæ Mahumetanæ, vt plurimum versus Sinum Arabicum negotiantes.

Tametsi nulli Indorum neq; Maurorum, absque Lusitanorum permissu integrum sit, eo negotiationem instituere, classis enim Lusitanica quæ quotannis loca ea maritima à piratis defendit, si in hos vel in alios Indos quoscunque, aliasue nationes, diplomate saluiconductus destitutas incidat, naues captas deprædabitur, nec raro fit, vt eas ad terram secum adducat. Æthiopes Cananoræ cum Lusitanis confœderati sunt, metu munitionis imminentis, at enim sub tali prætextu nihilominus ipsis infensissimi sunt, clamq; reliquis Malabaris contribuunt ad Lusitanos extreme persequendos.

Munimentum Cochin.

Lusitani in oppido Cochin castrum munitissimum habent, in quo Prorex & Episcopus Cochinienſis habitant.

Munimentum Coulon.

Arx est Lusitanorum, Coulon duodecim milliaria

milliaria à Cochino distans, vnde quotannis nauem vnam pipere onustam auehunt.

Munimentum Columbi in Insula Zeilon.

Habent Lusitani in Insula Zeilon arcem munitam, quam Columbo vocant. Eam Rex huius Insulæ magno exercitu obsedit: at enim reliqui Lusitani opitulantes Columbensibus coegerũt eum obsidione soluta in sua reuerti. Nullum est Lusitanis commercium cum indigenis huius Insulæ. Cinnamomum optimum totius Indiæ in hac Insula prouenit. hinc Præfectus præcipuum sibi capit Salarium, furtim enim & raptim noctu in Arcem important Lusitani.

Oppidum quoddam in Regno Bisnagar.

Lusitani in hoc Regno, supra sepulchrum S. Thomæ excitarunt vrbem, addideruntque templum ex lapide, quo sacellum S. Thomæ prius ex trabe steterat. Fores templi ex ligno seu trabe è flumine educta fecerunt, in memoriam miraculi. Aiunt locum illum miraculis celebrem esse. Templi fores clauis ferreis muniti sunt, ne nimia deuotione omne lignum auferatur.

Oppidum & Munimentum de Malaca.

Malaca sita est ad fluuium Gazam, pulchra admodum Vrbs, in circuitu viginti millia continens. Incolæ huius oppidi narrant, paucos ante annos ciuitatem primordia sumpsisse, sex septemue casis piscatorum palantibus duntaxat: tandem eo conuenerunt piscatores aliquot ex Pegu, Sian, Bengala; hi non vrbem tantum & statuta noua condiderunt, sed & linguam sibi peculiarem, commenti sunt. Vrbi nomen fecerunt Malca, quæ breui in tantum creuit, ob loci commoditatem, vt in regnum euaderet, quod cum optimo quoque adiacentium certaret.

Qualitas Regionis.

Aer tum aduenis tum indigenis admodum est noxius. Quotquot eo deferuntur ad tempus commoraturi, plerunque cum aduersa valetudine conflictantur, quæ primum cutem & capillos inuadit; si qui euaserint, habent quod Deo acceptum ferant. Vnde locus ille vitatur quantum potest. at quia multi rem ibi cum maximo commodo faciunt, homo animal audacissimum, nihil lucri causa intentatum, nihil inaccessum reliquit, securus & vitæ & periculi. Terra ex se sterilissima est exceptis paucis in locis, in quibus frumentum prouenit. Postremo totum Regnum Malacense, quod 30. milliaria porrigitur, prope vnicum desertum est, excepto solo, quod circa Malacam est.

Mores Incolarum.

Habitant ibidem Lusitani nonnulli cum vxoribus & familiis, qui vix sunt centum numero, qui patriis moribus vtuntur. Indigenæ coniugem alunt, suntq; ingenio malitioso, homicidia noctu exercentes, ne aurora agnoscatur, vtriusque sexus luxui & amoribus deditissimus, videnturque sibi præstantissimi omnium hominum. sunt & admodum studiosi poeticarum inuentionum, cantilenarum Venerearum, meditantes poemata elegantissima. Discrepant à vicinis in omnibus, atque vt in lingua idem fieret, selegerunt sibi ex diuersis vicinorum idiomatibus optimas quasque voculas, idioma sibi linguamq; propriam concinnantes. Si quis in India linguæ Malaicæ ignarus fuerit, is rudis habetur ac stupidus, non secus ac qui Gallicam linguam apud nostrates ignoraret.

Opes & Diuitiæ.

Est hic Emporium totius Indiæ, quo Chinenses, & qui insulas Moluccas habitant, quiq; reliquas adiacentes insulas incolunt, negotiaturi confluunt. Instituitur ibi negotiatio frequentissima per naues, quotquot ex China, Moluccis, Banda, ex Insulis Iaua & Summatra: item ex Sian, Pegu, Bengala, Choromandel aduehuntur. Præfectura reditibus suis proxime ad Mossambicensem, Armusiensemq; accedit.

Quotannis eo appellit nauis vna Lusitanica, mense vno integro prius soluens è Lusitania quam cæteræ Indiam meditantes. Dicta nauis cursum suum non tenet in Indiam, nisi extrema necessitate adacta. Ea nauis Malacæ oneratur, auehitque inde tantas Diuitias in Lusitaniam, quantas vix vlla ex India soluens. Arx præsidio sexcentorum Lusitanorum defenditur.

Modus Administrationis.

Regnauit olim Rex Mahometanus in Malaca, sed is per Alphonsum Albuquerquensem pulsus regno est, quod infensissimus Lupo Secheiræ fuerat: Nunc autem est oppidum & regnum sub dominatione Regis Hispanorum, administraturque vt cætera loca per Indiam Hispanis parentia. Cuditur ibi moneta aurea argenteaque, cuius incolæ antea nullum habuere vsum, quia monetam plumbeam habebant, magni ponderis sed minimi precii.

Religio.

Lusitani Malacam incolentes Religioni Romanocatholicæ addictissimi sunt, vt & maxima pars indigenarum quos Malayos vocant. Sed magnus est numerus mercatorum interdum diu ibi manentium diuersarum religionum, qui eadem libertate fruuntur. Residet in hac ciuitate Episcopus quemadmodum Cochini, sunt autem tum hi cum cæteris per Indiam Episcopis sub Archiepiscopo Goæ, tanquam suffraganei.

Cambaia Regio.

Habetur prouincia hæc inter fertilissimas totius Indiæ, vt quæ cæteris regionibus abundanter suppeditet ad victum necessaria: hanc ob causam frequens ibi est negotiatio Lusitanorum, Persarum, Arabum, & Armeniorum.

Mores Incolarum.

Profitetur se Rex Cambaiensis Mahometistam: Cæterum Gussaratæ & Baniauenses, qui huius regionis veri sunt indigenæ, veterum Philosophorum videntur sequi dogmata, puta Epicureorum & Pythagoreorum. Sunt alias ingenio acri, nec temere alibi per Indiam acutiores inuenies mercatores.

Opes eorum.

Gignit hæc prouincia frumentum, orizam, picem, oleum, butyrum aliaque necessaria. Varia ex gossipio hic elaborantur, diuersorum nominum, quæ latina lingua efferri non possunt, in vniuersum tamen ad materiam vestiariam, & vela paranda conducunt. Faciunt etiam tapetes Alcatiffes vocitatos, sed non tanta amplitudine, vt iis qui ex Armusio Persiaque afferuntur queant comparari: nec non alios minoris precii, qui Banquoiæ Begarri appellantur, assimilanturque pannis Scoticis, quibus cooperiendis tegendisque cistis vtuntur. Eodem artificio conficiunt peripetasmata & aulæa aculeata fericis filis intextis, & tentoria varii generis.

Banda & Amboina.

Qui Malaca soluunt, cursum suum tenent ad insulas Bandam & Amboynam, in quibus Lusitani suas habet munitiones & Capitaneos, negotianturq; hinc inde. Sita est Banda sub 5. gradu altitudinis vltra lineam Æquinoctialem. Negotiantur Lusitani in Insula Banda, siquidem in ea & plurimæ & optimæ nuces myristicæ, macisque proueniunt. præparantur ibidē Conseruæ & Confectiones ex nucibus myristicis, fit & oleū ibi tam ex nucibus quam ex foliis myristicis, quod Malacam & inde per quæcunque alia loca deportatur. Præcipua negotiatio hoc in loco fit permutatione, vt & Sunde & Iauæ. Insulanis nulla omnino fides habenda est, & diligenter cauendum, ne naues propius appellant. Necenim recens est, quod mercatores ab Insulanis decepti fuerint. negotiantes continebunt se in nauibus, ad quas Insulani scaphis appropinquantes merces aduehant, eoque modo contrahant permutandis inuicem mercibus, vt securius fiat negotiatio.

Ex Banda soluentes cursumque in Thraciam ventum ad 20. milliaria ad insulam Amboynam deueniunt, in qua Lusitani similiter habent munitionem, sed satis exiguam. Aromata parcius ibi proueniunt, naues tamen à Malaca Moluccas velificantes appellunt vt respirent & reficiantur necessariis.

Philippinæ Insulæ.

Qui à Camboia vel Cambaa in mare procurrunt in subsolanum per milliaria centum vel circiter, obuias habent Insulas Lussones. Hispani primi eas detexerunt anno 1564. eædem dicuntur *las Manillas* atque *Philippinæ*, à principali eius loci portu atque ciuitate Manilla denominatæ. Hispani Regis sui Philippi nomen eis indiderunt, Philippinas dicentes. Ciuitas Lusson siue Manilla est sub 12. gradu altitudinis poli Arctici. Insula in ambitu M. millia passuum continet, circa eam visuntur aliæ Insulæ innumeræ, quarum præcipuæ sunt Tindar, & Mindanao. Tindar proprie dicitur Philippina, pulchrior amœniorque cæteris, in ambitu 160. millia completitur: Insula Mindanao plura habet oppida, vt, Caillon, Pauados, Subut, Dapito & Suriaco.

Qualitas Regionis.

Terra ex se est fertilissima, suaq; annona & siligine copiose abundat, alit feras gregatim, ceruos, capreolos, hinnulos, nec non equos, vaccas, capreas & porcos. Sunt & feles ex quibus Zibettum fit, fructusque varii & optimi: abundat ibi mel, abundant pisces. Sunt qui affirment omnis generis aromata ibi prouenire, neque id tamen certo constat, soli Hispani iactabundi in eo videri volunt, quantum quidem mea fert opinio, vt cæteris præferantur. Profert quoque orizam, saccarum, legumina, ficus ad dimidium cubitum longas. Reperitur ibidem aurum & ferrum.

Aer est temperatus, & calidus, præcipue in littore maris, sed in locis à mari remotis, non adeo calidus est sed frigidiusculus.

Opes & Diuitiæ.

Diuendunt incolæ harum Insularum maximo lucro aurum ferrumque suum, quod in vicina loca Hispaniamque deportatur. Ex Zibetto quoque non minimum lucrum percipiunt: sed diuitiæ eorum in commerciis, quæ cum Chinensibus habent, consistunt, qui merces suas abundanter aduehunt, vtpote fericum omnis generis, gossipium, vasa porcellina, sulphur, ferrum, cuprum, æs, argentum viuum, nec non farinam, nuces, castaneas, dactylos, telam lineam, omnis generis, scriptoria elaborata, abacos & similia artificiose facta. Quotannis ex China XX. naues eo appellunt, quæ inde in Regnum Mexicanum deducuntur; cum lucro incredibili incolarum.

Robur & Firmitas.

Reperiuntur multa loca munita in his Insulis, quæ magnis præsidiis Hispanorum obtinentur, cum firmo proposito nulli mortalium cedendi. Iactura quam acceperunt proximis hi annis, ex quo ea quæ in Moluccis obtinuerun Insulis, amiserunt, exacuit eorum studia, vt a crius se defendant. Ea de causa magnam copian instrumentorum bellicorum & tormentorum nec non magnum numerum militum, in defe sionem Castrorum collocarunt.

Modus Administrationis.

Administrat Rex Hispanorum ciuitatem M nillam, siue Lusonias cæterasque Insulas circu iacentes per Gubernatorem, qui ex Hispania luc mittitur.

Religio.

Harum Insularum omnium Episcopus in V be Manilla residet. Quotidie magnus numer confluit, qui baptizati religionem Christian profitentur.

INSVLA ET CIVITAS GOA.

SVMMA CAPITA.

1 *Eius descriptio compendiosa, clima cœli, peridromus.*

2 *Sterilitas Insulæ, in qua vix quidquam nascitur, præter vinum è palmis.*

3 *Initium hyemis mense Aprili, æstate Septembri mense incipiente, qua quidem in re hæc Insula ab aliis terris regionibusque contrarium obtinet.*

4 *Morbi vsitati, qui ciues Goenses frequentius infestant.*

5 *Mores, Natura, Ingenium, non Goensium Indorumque duntaxat, sed & Lusitanorum, hinc inde per Indiam habitantium.*

6 *Distincti inter se Lusitani titulis, prærogatiuis, dignitatibus, & officiis. Proceres & Ingenui quantum distent à plebe.*

7 *Ratio contrahendorum matrimoniorum, quibus vtantur ceremoniis in nuptiis & baptismo paruulorum.*

8 *Fœminarum viuendi ratio, modus vestiendi, lasciuia & furtiui amores.*

9 *Canarienses & Corambini qui. qua eorum negotiatio, ratio vitæ, Religio.*

10 *Opes ac Diuitiæ Goensium consistunt in negotiatione, venditione mancipiorum diuersi generis, nec non equorum Arabicorum, Aromatum, rerum medicatarum, peripetasmatum & stragulorum, postremo Cambio monetæ.*

11 *Fortalitia & munimenta Insulæ, cui præest Prorex Indiarum.*

12 *Piper quale in iis locis gignatur, & qua illius vendendi ratio.*

13 *Religionum in Goa diuersitas, vbi cuique secundum conscientiæ suæ libertatem viuere permittitur.*

14 *Christiana Fides primum Indis annunciata per B. Thomam Apostolum.*

15 *Nouus Indorum Christianismus, authoribus primo monachis Franciscanis, deinde Francisco Xauerio Iesuita.*

EST Goa Vrbs caput omnium Vrbium totius littoris Indici, quotquot ab Hispanis & Lusitanis negotiandi gratia adeuntur. Sita est sub XV. gradu boreali. Ambit hanc Insulam fluuius: ipsa vero patet per milliaria tria in orbem. Ita in continentem extenditur, vt rectam cum continente ad oram maritimam lineam faciat, separatur autem à continente fluuio, qui ad latus boreale ingreditur, & circuit insulam donec ad australe latus in pelagus exoneretur, ita vt Insula positu suo Lunam semiplenam referat. Ostia fluminis ad vrbis portas satis late patent, in alueo eius complures sunt Insulæ paruæ, omnes habitatæ ab indigenis; vbi præter vrbem vectus fueris, quibusdam in locis alueus adeo contrahitur vt alicubi per æstatem sicco ferme pede transeas, aqua vix ad genua pertingente. Ad latus boreale terra Bardes est situ prælta, quo naues Lusitanicæ tuto se recipiunt iactis anchoris, donec ad placitum naues mercibus impleant. Bardes sub Lusitanorum ditione est, habet passim suos vicos bene habitatos. Terra Bardes separatur & ipsa à continente per fluuiolum tam exiguum, vt vix discriminantem deprehendas. Ad latus Australe Insulæ Goæ, vbi flumen in mare exoneratur, statim terra Salsette adest & ipsa ditionis Lusitanorum, similiter quoque à continente fluuiolo discreta. Goa ciuitas ædificiorum magnificentia, conspicua est, plateæ Lusitanico instratæ apparatu, ædes ob Solis æstum feruentem humiliores. Sunt post ædificia vt plurimum amœnissima viridaria, æstiuariis saluberrimis animi gratia extructis. Vrbs primum satis tenuia primordia habuit, nullis plane cincta mœnibus, fossa vna simplice & sicca, quæ præter pluuias aquam non haberet; antiqui illi muri etiam hodie integri visuntur, portæ duntaxat demptæ: ædificia circum circa excitata, ita vt modo ipsa vrbs duplo sit maior & amplior extra muros antiquos quam intra eosdem, noctes diesque patens.

Qualitas Terræ.

Insula hæc ex sua annona & prouentu sustentari non potest, nihil enim præter animalia quædam habet, vtpote Gallinas, capras, columbas alia pauca volatilia, terra siquidem aspera & plane sterilis est, vt plurimum montibus atq; syluis inhospita. Cibaria & reliqua vitæ necessaria Salsete atque Bardibus aduehuntur, quorum tamen præcipua pars ex continente petitur. Habent vinum ex fructu palmarum præparatum magna copia. 2

Aqua dulcis ibi non abundat, nec nisi vnicus fons est illis Bangauin dictus, ad quadrantem vnius milliaris ab vrbe, is in potum vniuersæ ciuitati facit. Aquam quam diximus fontanam, afferunt mancipia in vrceis, venalemque per vrbem circumferunt.

At eam quam pro culina proque lixis habent, ex pluuia in cisternis collecta domi asseruant. Solum saxosum & siccum rubicundumque est, vnde quidam Itali Chymicæ artis periti, conati sunt cuprum & aurum inde elicere, à Prorege tamen prohibiti sunt, ne videlicet à vicinis plus molestiarum haberent, creantes sibi ipsis malum ineuitabile, dum spe auri tantorumque thesaurorum potiendorum hostes eorum cupidos ad se pellicerent.

Hæc est anni ratio in India: incipit hyems sub 3 finem

finem Aprilis, in ea parte, videlicet qua littus in Cambaia porrigitur vsque ad capo de Comerin: cum ingruit spirant fauonii ex mari versus littus flantes, initium eius sunt tonitrua, fulgura, quæ pluuiæ continuæ insequuntur durantes indesinenter vsque in Septembrem, atque ex eo denominata est hyems, quod mare per id tempus nauigantibus non sit amicum: interim ratione caloris & sementis ipsa æstas est. siquidem ea pars anni quæ æstas propter siccitatem & cœli serenitatem dicitur, multo salubrior & frigidior est, tum plerumque spirat subsolanus, & noctes sunt satis gelidæ, neque tum sementis magnopere fit præter ea legumina, quæ toto anno seri solent. Ingruente hyeme quisque penu instruit necessariis, & reliqua pro hyeme comparat, non secus ac in nauibus fieri solet, si qua nauigatio longinqua instituitur. Tum quoque naues ex alto mari ad vrbem descendunt, colliguntur carbasa, deponuntur mali funibus velisque ademptis, ne putrescant ex pluuiarum continuatione, quæ tanta est per totam hyemem, vt non raro ædificia ex ea resoluta corruant. Quam primum incipit hyems, deuoluuntur ad ostia aluei ingentes arenæ cumuli, obstruentes ea, ne vllibi pateant vel nauibus vel scaphis, vnde tantus maris fremitus existit, ad totum littoris eius tractum, vt mutuo ibi colloquentes se non exaudiant. Ipse præterea alueus insulam circumquaque ambiens, ob torrentes de montibus descendentes dulcescit rubescitq; plane. In æstate omnia contrario modo se habent, vt pura sit aqua marina salsa, non secus ac in ipso mari. Finita hyeme in Septembri, diffluunt arenæ cumuli, adeo vt non nauigiis solum & scaphis, sed & nauibus onerariis Lusitanorum, vehentibus septies octiesve centena millia sepe doliorum, totus pateſcat aditus, nec bolidis iactu opus sit, nec vlla ex parte periculosus. Per hyemem sane omnia sunt tristissima, nec enim alia exercitia habent, præterquam quod domi sedeant, tempusque ludicris & ineptiis cum vicinis terant. Lusitanorum Mesticorumque vxores maxime per hyemem delectantur in pluuia cum maritis & ancillis ad villas expaciari, assumpto cibo & potu, quo genio indulgere valeant. Habent in villis passim cisternas siue piscinas, in quibus certatim innatant, luduntque in vndis more piscium, hoc ipso tempore fructus plures & meliores haberi possunt.

Incipit æstas in Septembri, duratque ad finem vsque Aprilis, per eam cœlum est serenum totum sine omni nubecula, tum armantur naues, mittuntur in diuersas oras, armatur & regia classis in protectionem oræ maritimæ, & saltuum conductum negotiantium nauibus præstandum, tum redeunt venti orientales, ex continente in mare flantes, vnde terreni dicuntur. Sunt autem suaues & refrigerantes admodum, in principio tamen propter aeris mutationem, & causæ sepe grauissimorum morborum, simul cum aeris mutatione illic incidentium. Spirant ii venti per æstatem continenter, incipientes circa mediam noctem, flantesque vsque ad meridiem, nunquam tamen vltra decem milliaria in mare feruntur. Tempore deinde pomeridiano ad mediam vsque noctem spirant venti occidentales, eos dicunt Viraſon, & inde aer temperatissimus fit, absque quo solis æstus foret plane intolerabilis.

Quis vero non miretur, quod cum hyems fuerit ad littus porrectum à Dio ad caput Comerinum, tum ad oppositum latus à capite Comerino ad littus Choromandel vsque æstas sit; nec obstat quod vtrumque latus sub eadem poli elevatione positum sit: neq; distantia inter vtrumq; littus dimensione per terram facta, excedat milliaria septuaginta, quin in quibus locis saltem XX. sit milliarium.

Est autem magis mirandum, quod si pedestri interdum itinere à Cochino ad S. Thomam ad littus Choromandel videlicet vsq; suscepto ad montes *Ballagates* deueniatur, ab vna montis parte, ab imo ad summum vsq; cœlum sudum & sol formosissimus splendebit, ab altera vero montis vertice ad radices vsq; eiunt metæ tempestates, pluuiæ, venti, tonitrua, & fulgura maximo cum fragore. Eadem mutatio est in tractu Armusii ad littus Arabiæ iuxta Rosalgette, vbi statio nauium est aqua placidissima, at si præteruectus eam cuspidem ad oppositum latus appuleris, habebis pluuias ventosq; procellosos & tempestates sæuissimas, quæ & ipsa mutatio ab anni temporibus dependet, estque similis cœli mutatio etiam in quibusdam aliis Indiæ locis.

Morbi & ægritudines corporum per Indiam populares plerunq; incidunt in mutationes temporum, nascuntur ex aeris temperie vt dictum est. Grassatur vulgo morbus in India cui nomen Morderyn fecerunt, corripit enim homines improuiso, inter initia morbi adest nausea, cruditas stomachi, vnde vomitus vehemens, qui sæpe tam vrgens, vt animam simul euomant, qui ex eo euadunt, habent quod Deo acceptum ferant. Dysenteria illis & frequentissima & periculosissima est, non secus ac apud nos Pesti contagium.

Regnant ibi febres ardentes continuæ tam acutæ, vt intra quatriduum homines extinguant, quæ aliud remedium præter venæ sectionem non habent, quæ Lusitanis propria est. Indi vero gentiles vtuntur herbis, ligno sandalorum & vnguentis curatione feliciter cedente. Pereunt quotannis ex dictis affectibus quamplures Lusitani, partim quod diæta vtantur vilissima, partim quod desidiosi sint & luxuriei dediti. Vt apparet in Xenodochiis, in quibus vel sanantur ex liberalitate regia, vbi vix annus abit quin quadringenti quingentiue ibi recipiantur ægroti, qui exanimes mox inde efferuntur.

Est ibi frequentissima lues venerea, nec clam à quoquam aut infamis habetur. Curatio est fit per radicem Chinam. Sunt qui ter quaterve ea correpti fuerint, nulla famæ existimationisve iactura, quin gloriæ sibi ducunt, maluntque hac ipsa quam quauis alia ægritudine teneri.

Pest

Peſtis Indis plane incognita. Calculus renum & veſicæ, arena, herniæq; frequentiſſimæ ſunt, præſertim inter coniugatos, propter aquæ potum quotidianum, adhæc quod delitiis luxuriæq; ſunt deditiſſimi. Viuunt enim in affluentia rerum omnium, totos dies ocioſi in pergulis, ſolis induſiis, ventre aperto aſſidentes, aſtat ſeruus qui ventum faciat, aſtat alius qui crura & pedum digitos fricet, alius item qui caput fricet, & item tertius qui flabello muſcas abigat. quod cum ad horam vnam atque alteram dicto modo peregerint, ſomnus meridianus ſequitur, quod ſi ſitim reſtinguere volunt, affertur ſitienti patella cum conſeruis aut confectionibus, ne aqua bibenti noceat, atque vt guſtu ſit gratior, vnde plerique pingues ventricoſiq; turgent, ex quo à reliquis Indis *Barriges* ſiue Aqualiculi, infami appellatione notantur.

Dies tam hyemales quam æſtiuales per integrum anni circulum ferme æquales ſunt, nec vlla horæ vnius ſpacium alii alios excedunt. Sol hora ſexta oritur mane, & idem ſexta occidit veſperi. in ipſo meridie ſol verticalis eſt, nulla proiecta vmbra. In Goa vrbe apparet vterque mundi polus, vterque enim & arcticus & antarcticus ſupra horizontem eleuatus non nihil conſpicitur.

Mores ciuium Vrbis Goæ & omnium Luſitanorum qui per Indiam ſparſim habitant.

Habet Inſula Bardes pagos paſſim habitatos à ruſticis Canaryns, qui nudi exceptis ſolis pudendis obambulant, ex palmarum Indicarum plantatione vitam ſuſtentantes, palmæ autem locis humidis & depreſſis & arenoſis ſecus flumina felicius proueniunt. Luſitani matrimonia contrahunt cum mulieribus ex Indorum origine. Inde nati liberi *Meſtici* dicuntur, ſunt autem vt plurimum ſubgilui, licet matres & forma & corporis proportione ſint ſpecioſæ. Liberi vero nati in India vtroque parente Luſitano *Caſtiſos* vocantur, ea de cauſa quod Caſta radicem ſignificet, in omnibus Luſitanis ferme ſimiles, colore tamen modicum differunt, vt qui ad gyluum nonnihil deflectat.

Nec Luſitani nec Meſtici qui in India ſunt opificiis exercentur, quod ſi fiat rarum admodum eſt, habent tamen opifices nonnullos inter ſuos, vtpote pilearios, ſutores, ephippiarios, vitores ſed & iſti ſuos habent amanuenſes & mancipia, qui officinas curent. Opifices ipſi per plateas ſpatia otioſi faciunt, officiis plerunque aliis præfecti, ſatis pompoſe incedentes, non ſecus ac ſi inter magnates numerandi forent, ibi enim ſummus & infimus ſunt in honore pares, nec inter diuitem aut nobilem & plebeium in conuerſationibus & quotidianis congreſſibus vlla eſt differentia.

Quotquot reliqua officia exercent, aut Ethnici ſunt, aut Indi indigenæ baptizati. Non ſunt inter illos, niſi duo ſtatus; videlicet vnus vxoratorũ, & alter Soldatorum, quod nomen omnium honorificentiſſimum eſt, non quod ſtipendiarii ſint aut capitaneum agnoſcant conſcripto exercitu, de quo nihil conſtat omnino per totam Indiam: quam primum enim Luſitani in Indiam appulerint, ſimulac cuiuis liberum eſt quaque verſus excurrere. Conſcribuntur ſane hoc quo dicemus modo. Simulac nauis aliqua ex Luſitania in Indiam ſoluit, quotquot in ea vehuntur, & nomina ſua propria, & cognomina, & ſtipendium quod à Rege accipiunt, indicare tenentur, quæ ſimul in indicem referuntur: ſunt inter 6
illos qui gaudent titulo *Fidalgo da caſa del Rei noſſo Senhor*: quod idem ſonat, ac ſi dicas, Nobilis aulicus regius, atq; hic titulus excellit præ aliis. Sunt alii titulo *Moſſos Fidalgos*, non minus honorifico, qui parentibus nobilibus procreati ſunt vel à Rege nobilitati. Sunt & *Caualleros Fidalgos*, pertinet hic titulus ad equites qui propria virtute & fortiter actis rebus eum ſibi promeruerunt; at facilimus eſt ad eum aditus, ſi quis enim militatum inierit, hoſte eminus ſaltem conſpecto, impetrat à Præfecto vel alio Nobili, vt equitis eiuſmodi immunitatibus donetur. Eſtque tam vulgaris hic dignitatis gradus, vt cuiuis lixæ & Agyrtæ propemodum contingat. Sunt & alii *Moſſos da Camera & dõ Seruico*. id eſt, qui ſunt à cubiculo Regis, ſiue cubicularii Regii. Luſitani in his honorum gradibus multo gloriantur arrogantius, quam in totius mundi theſauris & diuitiis precioſiſſimis.

Tandem ſunt & *Eſcuderos Fidalgos*: hi habentur conſcribunturque ſub titulo *hombres honrados*, id eſt viri honeſti. Omnium infimi, nullis omnino titulis gaudentes pro ſtipendiariis vulgaribus habentur, integrum eſt cuilibet eorum, vt rebus fortiter à ſe geſtis, aut officio fideliter obito, vel potius per gratiam ad altiorem gradatim aſpiret titulum, vnde ſtipendium illi magis opimum contingat. Aliqui Nobilium liberam menſam per hyemem habent, ad quam militibus liber acceſſus patet; ſuper qua liberalitate ſua dicti iam Nobiles ſibi publicum teſtimonium in ſcripto confici curant.

Luſitanorum Meſticorũ reliquorumq; Chriſtianorum œconomica adminiſtratio equidem honeſtiſſima eſt atque ſplendidiſſima: habent vt plurimum decem, viginti pluresve ſeruos ancillasque ſeu mancipia. In re familiari ipſorum eſt multa mundities, præſertim ſi lintea ſpectes, induuntur quotidie recentibus linteis, idque non heri heræque tantum, ſed & ancillæ, ſiquidem terra nimio ſolis æſtu feruet. Pari honore omnes Luſitani, tam nobiles quam ignobiles à miniſtris Regiis honorantur. Incedunt Luſitani per publicum gradu lento & elato, ipſi faſtu turgentes, pone famulum habent, latum pileum ſupra verticem ipſis ſublatum in ſublimi ferentem, quo à ſolis æſtu & pluuiarum iniuria defendantur. Si pluuiæ fuerint plerique puerum habent, qui veſtem talarem ſericam aut aliud pallium portet, quo heri aduerſus eas ſe

tutentur.

tuentur. Horis matutinis similiter puerum pone sequentem secum habent, qui puluinar ex holoserico portet, quod in templo adorãtes sub missa sibi substernant: idem fit de gladio quem puer pone sequens fert, vt & heri maiore cum grauitate incedant & minus molestentur. Obuiam sibi in publico facti, vtuntur solenni *Besolas Manos*. Templum ingressis sellæ stratæ sunt, quas dum occupant à circumstantibus omni honore afficiuntur flexis genibus. Si cui honos more cõsueto defertur, nec salutatus rite resalutaret, id maximæ infamiæ nec vllo modo ferendæ ducerent. Si quando ab aliis læsi iniuriam vlciscí statuunt, conuocant amicorum decem duodecimue, congregatique operiuntur aduersarium, qui vbi in casses incidit, pessime illum mulctant verberibus. Vbi animus non est aduersarium vitã omnino exuere, verberibus duntaxat tergus illi tam probe contundunt, vt salpam nemo friabiliorem ictibus reddiderit. Fit contusio ea arundine femoris crassitiem habente, illi *Bembus* vocant, vt quotidie vsu venire solet, nec est qui id curet, vt contusum respiciat. Habent præterea sacculos oblongos arena oppletos, quibus lumbos sæpe inuicem sibi pertundunt. Si quis alterum in ædibus priuatis conueniat, moris est, vt ædium dominus ad fores descendat, obuiam pileum in manibus gestans magna cum comitate & reuerentia hospitem excepturus, deducensque eum vsque in conclaue suum colloquio destinatum, sedile in medium apponit, super quod assideat hospes antequam & ipse accumbat. Hinc causam aduentus scisciatur, & colloquio habito iterum ad fores eum deducit, pari reuerentia in comitatu dominus ædium subsequitur: quod si ædium dominus dicto more minus vteretur, sane id ab hospite minus dextre acciperetur, quin omnem lapidem mouebit is, donec iniuriam eam vlciscatur.

7 Matrimonia contrahentes atque nuptias solenniter celebrantes cuiuscunque demum vel loci vel ordinis fuerint, plane nemine excepto, conueniunt proximi consanguinei, & vicini in equis, si equos non habuerint proprios, ab aliis conducunt eos, suntque pariter omnes splendide amicti, interdum numero vsque ad centum, ordine deinde per membra obequitant ad templum vsque, vna cum famulis, qui pileos latos ipsis contra Solis radios pone obtendant. Consanguinei cum inuitatis priores equitant, pone sponsus medius inter duos paranymphos (illi compatres vocant) inuehitur equo. Sponsum sequitur sponsa gestata in medio duarũ pronubarum, tres eæ in vno membro singulæ singulis *Pallaquins* gestantur ornatu splendidissimo, quas famulæ pone per pedes sine ordine sequuntur. iamque more Romano per sacerdotem consecratæ, eodem quo prius processu domum reducuntur: inter reducendum prospiciunt consanguinei atque vicinæ mulieres, nidinatæ in tapetes pretiosissimos, præterfluentesque nouos maritos aqua rosacea aut aliis fragrantissimis destillationibus inspargentes. Honoratiores in equis mancipia sua secum habent, suauissime tubis atque tympanis cantantes. Deducti iam in domum noui sponsi, vterque multa cum reuerentia, atque solennitate inuitatis & in equis ante ædes circumuectis gratias agit, se simul intro recipiens, & magna cum grauitate in superius conclaue conscendens, in fenestras vna cum mulieribus pronubis considit, quo facto hospites inuitati in equis singuli & ordine in gyrum equos flectentes, in gratiam & spectaculum sponsorum. Paranymphi feruntur primi, eos reliqui sequuntur ordine, tubis simul continuo personantibus. Hoc equorum cursu finito, singuli ad fenestram ex qua sponsi prospectant, honorem illis deferentes obequitant, exceptis paranymphis, qui ad Sponsos conscendentes, vota faciunt, connubiique fœdera precantur fausta. Hinc offerunt sponsis confectiones panesque martios, quibus libatis aquæ haustum addunt, tandem discedunt paranymphi, nec remanent nisi tres quatuorue proximiores, quibus prandium modicum sed valde opiparum apponitur, neque diu ducunt conuiuium, sed sponsum sponsamque correptos in thorum genialem protrudunt, sine vlteriore vel sumptu vel præfatione. Quin accidit sæpius, vt horis duabus ante solis occasum prius grabbatum genialem repetant, nec enim moram tam patienter ferre possunt, atque in nostris regionibus desponsati. Puerperia pari cũ solennitate ad templa deducũt. Susceptor postremus ingreditur solus nullo à latere comitante, sequuntur eum famuli duo, alter portat patinam argenteam deauratam, plenam panibus albis friabilibus non absimilibus Lusitanicis, quos *Rosquillos* vocant, in medio patinæ stat candela cerea deaurata & ipsa & monetis quibusdam aureis argenteisque appensis ornata circumquaque. Sacerdoti puerum baptizanti offerenda: alter Salinum argenteum deauratum iustæ altitudinis vna manu fert, manuque altera gutturnium ex eodem metallo sustinet, pendent vtrique ex collo mantilia multi arte elaborata. Pueros sequuntur lecticæ duæ lis *pallanquins* dictæ, in vna vehitur susceptrix, i altera obstetrix cum infante, circumdata vest pretiosissima, illi ministerio peculiariter dest nata. Finito baptismate, infans eodem quo pri processu domum reducitur; reuersi domum equis, similiter in orbem certatim feruntur, a te fenestras puerperii, in quibus susceptrix sp tatum assidet, inflantur tubæ, & reliqua mus instrumenta, pari modo, quo in nuptiarum cel bratione fiebat. Atque eæ nuptiarum cerem niæ, quas supra explicauimus obseruantur à p tribus familias. Iuuenes siue Soldati sponsi p ætatem in nauibus cum æqualibus pomp instituunt, vehunturque per fluminis alue donec ad locum destinatum appellant, vbi bem ingressi, omnes pompose per publicum cedunt, vtentes grauitate sua, stipati seruis p ferentibus vmbracula aduersus pluuias: etcn Indorum aliqui ministeria eiusmodi condu precio obire solent, accipiunt in diem 25. Ba tu

rucos. Moris est vt 10 siue 12 milites communibus sumptibus simul rem familiarem instituant, conducto vno atque altero mancipio quod seruilia officia curet, vestes purget, indusia lauet. Vescuntur oriza simplici aqua & modico sale decocta, item paucis piscibus salitis & oleribus facile parabilibus, panem non habent, bibunt puram aquam: Vestium hæc ratio est: quotquot viuunt in vna domo non nisi vnam aut duas vestes sericas habent, si ex conuictoribus vnus in publicum procedit tum reliqui domi se continent: domi autem vestibus non vtuntur, vtpote in nudis indusiis & femoralibus linteis tantum domi sedentes. Habent interdum secum aliquem Capitaneum, aut nobilem, qui pecuniam ipsis largiatur, qua vestes ad expeditionem parent, atque vt eos ita sibi deuincant, paratosque reddant, siue quando vel noctu vel interdiu ope ipsorum in aduersariis vlciscendis vti velint. Atque hic est modus atque compendium quo pariter omnes honeste viuere possint.

Tamen maxima pars militum victitat sumptibus, quos à reliquorum Lusitanorum vxoratorum, Mesticorum item & Indorum Christianorum vxoribus accipiunt: eæ enim amplas largitiones in eos profundunt, eo fine vt libidinibus saturentur. Habent alij patronos qui illorum opera vtuntur in negotiando, dicunturque tales *Catyns*, nec in expeditionem abeunt, aut alia officia regia tractãt, ad quæ nullus cogitur, tamsi nomen eius in Lusitania, cum reliquis consignatum sit: fruuntur & illi ipsi nomine militum communi cum reliquis, donec extra contagium fuerint. Hodie plures ex militibus animum ad mercaturam, quam ad regia officia applicant, siquidem Præfecti & Nobiles paulatim miserunt, à beneficiis ante hac in Milites more collatis, nec enim stipendia militibus debita soluuntur. Ad hæc præcipue militum intentio hodie eo spectat, vt rem sibi comparent, vnde in otio & voluptatibus vitam deinceps quiete degere possint, & si quando decem aut viginti obsequentia seruitia litteras commendatitias consecuti sunt, illis non concessum fuit in Lusitaniam redire cum donariis necessariis, sine quibus minus accepti futuri sunt. ad hæc si qui propter præstitorum officiorum recompensationem meruerunt esse inter Expectantes, ij tam sero in ordine successerunt, vt sæpe complures interea vitæ vita quam officio fungerentur; alij vero itineris nimiam longinquitatem & pericula fugi suscipienda malunt in India primam quamque conditionem acceptare, quam denuo de vita periclitari. Atque eædem hæ causæ sunt, quod nec bellicus apparatus ea qua debet expeditione conficitur, nec nauigationes porro nouis terris inueniendis suscipiuntur, quia Proreges magis Lucro quam Gloriæ inhiant, vnde ingenue confitentur, se non in animo habere, vt ea in statum meliorem velint redigere, quæ ab antecessoribus neglecta sint: traditam sibi à rege administrationem eam in recompensam præstitorum non præstandorum officiorum, neque vt commodum prouinciæ quærant. Atque hæc est causa, cur aliæ nouæ terræ hodie non inuestigentur, quin inuentæ etiam amittantur paulatim, vixq; sufficiunt defendendis terris, ante annos complures inuentis & vi occupatis, tum oræ maritimæ securandæ, vnde multi negotiantium bona sua intra annuum temporis spatium propter infestum mare atque præfectorum oscitantiam amiserunt. Nec enim Lusitani in India quicquã possident, præter loca quædam maritima, vtpote ciuitates, munitiones & Portus, secus littoris ductum excitatos, in ipsa continente plane nihil habent proprium.

Vxores Lusitanorum & Mesticorum in India vt & Christianorum recens baptizatorum, raro in publico comparent, nec nisi sacrum auditurae, vel se inuicem salutaturæ, & tum quidem obuelatæ in lecticis *Pallaquins* feruntur, vt à nemine cõspiciantur. Ad sacrum aut mutuos congressus accinctæ, induuntur margaritis & vestibus preciosissimis: vestes sunt ex serico vndulato, ex serico villoso & *Brocacto*. Nec enim vilior tela est quam sericum simplex. Domi communiter nudo capite sunt, nec nisi indusio ex tela lintea, illis *Baiu* vocata, desuperque ad vmbilicum protensa amicti: ab vmbilico ad genua aliam telam pictam ter quaterue complicatam lumbisque circumdatam habent, reliquæ corporis partes plane nudæ relinquũtur. Atque hic habitus communis est domi tam pauperibus quam diuitibus, nemine excepto. Negotia foris curanda exequuntur mancipia. Mulieres pane non vescuntur, aut admodum raro, vt nec serui nec ancillæ, non propter annonæ caritatem, abundat enim siligo, sed quod ad orizam adeo assuefacti sint, vt alium cibum non expetant, decoquunt orizam ex aqua comedendo eam addunt piscis saliti genus, aut fructum salsum *Mongas* illis dictum, siue etiam alium cibum ex piscibus aut carnibus præparatum, quibus appositis iusculum infundunt, cibumque tandem digitis capiunt; nec enim ibi vllus est vsus cochlearium, quin si viderent cochleari vtentem haberent eum ludibrio. Bibentes vtuntur poculo ex nigra terra facto perpulchre, in collo eius interstitium multis foraminibus peruium est, nomen huic vrceolo est, *Gorgoletta*: bibituri subleuant illud ita, vt ori non admotum, desuper aquam in os apertum defluentem gargarizantémque sine vllius guttæ profusione infundant, nolunt enim vt cuiusuis ori admotum sit, in eo munditiam spectantes.

Nouitij qui ex Lusitania primum aduehuntur, si hoc bibendi ritu adhuc insueti vtuntur, perfundunt plærumque vicinas ori partes, ob id delusi vocantur *Reinol*, qua appellatione nouitiis rudioribus ex Lusitania recens aduectis illudunt, vt qui fastui & Lusitanorum inflatis moribus vti nondum didicerint, iidem etiam primitus incedentes per vrbes à vulgo subsannantur, donec paulatim assuescant vti grauitate; at nec opus habent longa disciplina ad id: vix enim dici

poteſt quam dociles ſint. Viri adeo ſuſpicioſi ſunt in vxores ſuas, vt virum omnino nullum in ædes eas admittant, quas cum vxoribus inhabitant, tametſi fuerint inuicem coniunctiſſimi. Si quis fores pulſans herum quærit, tum mulier cum læ atque filiæ domeſticæ ſtatim ſe proripiunt, dominus ædium ſolus remanens, fores pulſanti reſponſum edit. ad hæc neminem virilis ſexus qui annum decimum quintum attigerit, ſecũ in ædibus, vbi fœminæ ſimul fuerint, habitare patiuntur: illis non procul inde peculiares ædes traduntur, in quibus ſeparati à mulierculis habitent. Contigit vt fratrum liberi rem cum vxore patrui habuerint, & frater cum fratris vxore concubuerit, quin imo frater cum ſorore. Incredibile dictu eſt quam laſciuæ & luxurioſæ ſint mulieres, vt raro inuenias quæ caſte viuat, & præter maritum non alium alat adoleſcentulum concubinum, quem noctu diuque clam per famulas & lenas admittat. Habent præterea herbam quandam Datroa vocatam, cuius ſeminis ſuccum expreſſum viris propinãt in cibo aut potu, quo ſumto vir inſano ſimilis, ſopitur, nec intelligit quicquam, ridet perpetuo interdumque obdormit proſtratus, velut exanimis, qui cũ hoc modo infatuatus eſt, vxor libere cum amaſio Veneri indulget, viro præſente & rerum omnium ignaro. Delirium hoc durat horis 24. at enim ſi pedes eius frigida laueris, redit ad ſanam mentem nihil mali ſuſpicans, credit enim ſe ſomno oppreſſum iacuiſſe. Frequens eſt illis maritos veneno tollere, norunt enim venenum quod ſumentem non prius enecat, quam hora deſtinata adſit. præparant illud vt ſex annis integris intra corpus abſque vlla noxa deliteſcat, at enim vbi hora deſtinata aderit, facit illud officium ſuum antequam abeat ſemihora. Similiter complures etiam vxores à maritis ſuis tolluntur, deprehenſæ videlicet in adulterio, aut ſola ſuſpicione maritis inſimulatæ, producunt deinde tres aut quatuor teſtes, qui dicant noctu ſeu die viros peregrinos ad eam itaſſe, quibus auditis abſoluitur reus in continente, idque ſecundum Luſitanorum & Hiſpanorum conſtitutiones. & integrum eſt illi quam primũ aliam ducere, nec tamen hæc legis ſeueritas vel minimum terrorem mulierculis incutit, vt luxuriæ ſuæ moderentur, licet quotannis infinitus earum numerus pereat: quod adeo vulgare eſt, atque vſu ita inualuit, vt porro nemini id mirum videatur. Ipſæ mulieres ingenue profitentur, mortem ipſis nec honeſtiorem nec optabiliorem contingere poſſe, quam ſi tali ſatoperent.

Mulieres & à natura ſunt mundiciei ſtudioſiſſimæ, tam in re familiari quam in toto corpore, laboribus raro aut nunquam exercentur, delectãtur ſuffumigiis cerebro gratis & inunctionibus per totum corpus, & per frontem, adhibitis è ſantalo & aliis lignis odoratis. Totis fere diebus nihil aliud agunt, quam vt folia quædam maſticent illis *Bettelle* vocata, addito calce & fructu *Arrequa*: hæc interdum tantæ virtutis eſt, vt maſticantes propemodum inebriet, licet aſpectu & ſapore ligno radiciue nõ ſit abſimilis: tres haſce ſpecies totos dies ruminant, non ſecus atque boues paſti, ſuccum deglutiunt, reliquum ex ore reiiciunt, hinc oris labia ipſis tam rubea tamque nigra redduntur, vt rei ignaris nauſeam creent. Lotiones eiuſmodi, lauacra, ſuffimigia &c. habent eam ab Indis Ethnicis, quibus ea ab antiquo in hunc vſque diem in vſu eſt, affirmant dentes ita roborari, ori mederi, animaſq; olentes enrari, vt prius vitam quam iſtas herbas auferre paterentur. Viris foras progreſſis, fœminæ totos dies in feneſtris ſedent poſt prætenſas telas, prætereuntes obſeruantes, ipſæ vero à prætereuntibus nullo modo videri poſſunt. Si quis præterit cuius amore inflammantur, in ſignum bonæ voluntatis velum remouent: ſunt enim hæc rudimenta Veneris amicæ, quam ſibi deinceps opera ancillarum magis magiſque conciliant, in qua arte miræ ſunt artifices. Deuorant quoque totos manipulos caryophyllorum, pipe-ris, zinziberis, & quoddam piſtum aroma illis *Cachunde* dictum, in eum duntaxat finem vt plus luxurient, pluſque pruriant. Neque eo contentæ mulierculæ, vt pro ſe talibus remediis vtantur, quin viris ipſis inſciis tamen mille alia propinant, quo fortiores in nocturna prælia, atque minus in Venerem ſegnes ſint, mulieribuſque plus ſufficiant.

Delectãtur balneis aquæ dulcis, pariter enim omnes promptiſſime natare poſſunt. Adeunt nocturno tempore templa deuotionis ergo, tũ per pedes ambulant, ſperantes plus indulgentiarum ex eo merito. Nocturnas haſce peregrinationes ſummæ libertati & recreationi ducunt ſpeque illas iam ante percipiũt vigiles ea veſpera, tum ancillæ quas præ cæteris diligunt, eas comitantur, quas peregrinationes amatoribus ſolicite denunciant, qui non ſolum ſeruas, ſed & ipſas heras ſæpius à templis abducũt, proripientes ſe in lupanar aliquod. Quod ſi ancillæ Luſitanum aut virum aliquem album amatorem habeant, in tantum efferuntur, vt omnes alios præ ſe contemnant, glorianturque de eo apud æquales. Si ancillæ ex hoc concubitu grauidæ liberos gignant, ij heris proprij cedunt, admodum beneob id contentis, manent enim mancipia dones vixerint. Sin vero pater pueri Luſitanus aut perſona libera foret, eum octiduo poſt natum infantem, puerum coram agnoſcere oportet ſuũ quod ſi fecerit & exiguam quandam pecuniolam ſummam legibus definitam hero ancillæ ſolueritpuer libertatem à patre congenitam retinet. Vbi octauus aut decimus dies, legibus definitus tranſierit, nec comparet qui puerum ſuum agnoſcat, puer in heri, cui ancilla ſeruit, poteſtate manet, quin herus ex ſuo arbitratu pueru deinde æſtimat, nec à quoquam cogitur ad vendendum.

Si non inauditum, at ſaltem perrarum e parricidium, quo matres infantes recens nato extinguunt, licet eæ pauperrimæ fuerint, pluri que faciunt infantem, præſertim ſi ex albo ſuſc

ptu

ptus fuerit, quam thesauros totius mundi, nec patri puerum cedunt, si vel maximum aliquid soluat excepto si furtim abripiatur.

Educatio liberorum Lusitanorum, Mesticorum, cæterorumque Christianorum hæc est: posteaquam nudi in hunc mundum nati fuerint, paulo post perbreui induſiolo aliquo ex humeris vestiuntur, qualiter mulieres *Baiu* suum gestant, cæteroquin nudi sunt, donec succreuerint, vt femorale & succinctorium sumant. Liberorum alij à matribus seruis, alij à nutricibus Indicis nutriti educantur.

Est mos apud Gentiles qui Goam inhabitant, receptus, vt quod mane primum domum egressi primum obuium habuerint, adorent, qualecunque demum sit. Si accidat, vt corniculam primum conspiciant, sane ea tota die domi se continebunt, nec in publicum prodibunt, si vel rem prectosissimam ferrent acceptam. volant autem corniculæ gregatim per Indiam, quarum volatum ipsi inauspicatum putant, & ob id idem quoque infaustum. Habent artis magicæ peritos, qui præstigiis suis homines fascinant, adducentes secum serpentes viuos omnis generis, quos in precationibus ita fascinant, vt se in partis capsulis quieti contineant, quod si spectaculum aliquod edere volunt, deptomptos serpentes atque in medio saltantes saliente sque apponunt, possunt illi serpentes ad harmonicos numeros quoscunque editos se saltando componere, præstigiatoribus hortantibus, eosque nunc per collum, nunc per brachia nudosque pedes mittentes, & nescio quas alias ineptias exercentes, dummodo homines argento emungant. Venena sciunt artificiose miscere, alterque alterum leuissima de causa iis tollit. Casas humiles stramine tectas incolunt, foribus angustis, fenestris nullis, ita vt in genubus subnixos ndrepere necesse sit ingredientibus. Supellex est stragulum stramineum in pauimentum extensum, super quod cubant loco lectuli seu puluinaris. Mensæ, mensalia, mantilia, strophiolaque ex foliis ficuum Indicarum constant. Vtuntur ictilibus, in quibus cibos præparant, aut orizam decoquunt, foueam habent in qua orizam istillo ligneo contundunt: siquidem orizam n siliquis sibi comparant, vti in campis prouenit ex mera simplicitate Sunt qui post ædes suas rizam serant, vt rei familiari sufficiat. Bibenes habent lagenam ex cupro cum rostrato cana, ex quo aqua desuper in os defluat vase illibao. Ædes vt plurimum fimo bubulo inunguntur, id enim pulices necare dictitant. per cutem undissimi sunt, siquidem quotidie toto corore lauantur, quin quoties naturæ opus redeunt abluuntur protinus. Læua se abluunt dexteram illibatam seruantes, vt qui ea in cibo sumendo vtantur, cochlearia enim illis in vsu non unt.

Legem suam obseruant rigidissime, domum nim nunquam egrediuntur, nisi prius fusis deore precibus. Rure ambulantes passim in specuncis, montibus & scopulis obuia habent idola sua Pagodes, forma detestabili, ex lapide inciso posita, quibus supplices fiunt. Si quam per mare nauigationem instituunt quindena integra ante tubas & tympana magno fremitu per publicum insonant. Nauis cursui parata circumquaque vexillis inditis volat, quo se Pagoden suum demereri, atque iter auspicatum ab eo expetere aiunt: similiter fit cum nauis reuersa fuerit, per quindenam integram, idque in gratiarum actionem. Pari solemnitate vtuntur in aliis festiuitatibus, vtpote cum nuptias, puerperia, siue alia anniuersaria, puta sementem & messem celebrant.

Adsunt ibi chirurgi & barbitonsores frequentes, passim in publicis plateis obuij, ministeria sua offerentes, ij tabernas vel officinas non habent, requisiti in ædes ciuium veniunt, vbi vili mercede, capillos, manuum & pedum vngues præcidunt, offerentes obsequia sua tanta cum instantia vt ægre repelli possint.

Sunt in Goa Medici complures Ethnici, qui plærunque autoritatis gratia se vmbraculis suis contra solis æstum defendunt, quod cæteris Ethnicis non in vsu est, præterquam cum legatione funguntur. Medici dicti non reliquos tantum ethnicos curant, sed & Lusitanos, quin proregem, & ipsum Archiepiscopum: Monachi reliquique pontificij plus in hisce fidunt, quam in suis Lusitanis, vnde lucrum amplissimum faciunt, & in maxima authoritate sunt.

Rustici, quique in Insula Goa extra vrbem, & reliquis locis vicinis degunt, vt plurimum sunt baptizati, nec tamen multum à reliquis ethnicis differunt, siquidem à superstitionibus ægre diuelluntur, indulgetur ipsis in eo propter vicinos, vt & isti alliciantur. In omnibus fere vicorum angulis mensularij sedent quos *Xaraffos* vocant, & ipsi Indi baptizati, quibus vix expeditiores in cognoscendis monetis reperias.

Lege cautum est apud Indos gentiles, ne quis eam artem mechanicam quam didicit, vitæ genus immutando, deserat, & aliam tractet, sed necesse habent, vt quisque eam exerceat, quam à parentibus hæreditario accepit: matrimonia non nisi inter eiusdem tribus contrahuntur. Filiæ dotem nullam accipiunt præter gemmas quasdam, & sumptus in Nuptias faciendas. Filij hæredes sunt ex asse.

Gusarates & Beniahes ex prouincia Cambaiæ oriundi sunt: eorum complures habitant in Goa, Dio, Chaul, Cochino & in reliquis Indiæ locis, negotiantur enim passim frequentissime, distrahentes gossipium, telam bombicinam, orizam aliasque merces, præcipue gemmas: in rationibus & pingendis litteris sunt doctissimi, adeo vt non reliquos solum Indos, sed & ipsos Lusitanos antecellant. Fame prius sitique necarentur, quam aliorum hominum cibos gustarent, & si quando cum Lusitanis à Goa in Cochinum negociandi gratia nauigant, instituunt tationes prouisionis pro tempore in

nauigationem insumendo, aquam herbasque sufficientes secum assumentes; quod si eueniat nauigatio opinione diuturnior, absumptis herbis & aqua, fame prius sitique peribunt, quam Christianorum aliarumve gentium cibos potumue attigerint.

Canarini atque Decanini ex terra Decan Goã quoque inhabitant, negotianturque holoserico, serico Damasceno & à Lusitanis integris telis conquirendo, vendunt ibidem telas bombicinas omnis generis, vasa porcellina, aliasque merces ex Cambaia, China & Bengala, accipiunt autem easdem merces à Lusitanis, à quibus eas velut propolæ studiose comparant, vnciatim eas aliis vendentes, vtuntur in contractibus Maculatoribus quos ita vocant, qui inter ementes & vendentes medij sunt, & merces aduectas coemunt, iidem quoque victualia ex continente aduectant in Insulam vrbemque Goam, vtentes nauibus Indicis, Cambaiam, Sundam & Mare Rubrum petentes. Habent artifices in auro & argento, item fabros æris rubri, atque alios opifices præstantissimos, habitantes in Goa pari propemodum cum Lusitanis, Mesticis & Christianis numero, sunt autem tonsores Chirurgi, fabri lignarij, &c. Conducunt vectigalia & reditus Lusitanorum per terram Bardes, Salsette & Insulam Goam, pariter sub vrbis Goæ iurisdictionem pertinentes, vnde sæpe accidit, vt in iudicio vna comparere cogantur, si quando rixæ, contentiones siue aliæ actiones iuridicæ in foro transigendæ sint. Solent autem in propria persona comparere, sine aduocato, sine causidico, quando commodissime & in optima forma causas suas agunt, citantes leges Lusitanicas, vt ipsis Lusitanis admirationi sint.

Canarini & Corumbini sunt rustici, qui vitam ex agricultura, atque piscatione, quiq; ex plantatione palmarum Indicarum fructum *coquen* ferentium se sustentant. Exercent item alia seruilia ministeria, vestes lauantes & corpora mundantes, quod ipsis peculiare est opificium, dicunturque *Meynates*, alij qui tabellionum vices per hyemem obeunt, dicuntur *patamares*. Dicti Canarini atque Corumbini inter omnes Indos sunt abiectissimi & calamitosissimi, vitam misere admodum sustentant comedentes facile parabilia, nec cibum vllum detrectant præter carnẽ vaccinam, bubulam, suillam & gallinaceam. eandem cum *Decaninis* religionem tenent, sunt enim eiusdem nationis & disciplinæ, discrimen inter illos vix deprehendas; nudi incedunt exceptis pudendis velo simplici intectis.

Fœminæ & ipsæ telam bombicinam simplicem circa corpus religant, pertinentem à medio vmbilico ad media vsque femora, partem eius residuam super humerum reiiciunt, ita vt medium pectus obueletur. Ex his plurimi baptizati sunt siquidem loca maritima & Goæ vicina incolunt, propter palmarum cultum, ripas fluminum amantium, tum propter orizæ sationem, quæ & ipsa fundum amat humilem, qui per hiemem inundetur, ad hæc quod ex orizæ prouentu sustententur. *Canarini*, illi venales in vrbem Goam apportant gallinas, oua, fructus, lac &c. ex continentis partibus allata. Habitant casas straminеas humilimas, foribus admodum angustis & depressis, ita vt geniculando adrependũ sit intrantibus. Liberos tot numero educunt, vt ad formicarum modum circum ferueant, cursitantes nudi, donec annum septimum vel octauum attigerint, quando femorale assumũt. Mulieres enitentes sæpe solæ sunt in ædibus, si mariti forte rure erunt, & sine obstetrice. Lotum infantem in terram ponunt super folium patulum ficus Indicę, nec multo post omnia negotia tam alacriter expediunt, ac si puerperia nulla expertæ fuissent. Vbi infantes nudi in mũdum editi fuerint porro nudi educantur, nec aliam eis curam matres adhibent, quam vt mũdatos in aqua frigida lauent, ita adolescunt felicissime, optima membrorum compagine, & magis erecti quam nostrates, tametsi omni cura, omni cultu atque in deliciis educantur. Nec rarum est, vt saluberrima corporis constitutione ad annum centesimum pertingant, ita vt nec capitis, nec dentium dolorem labefactationemue aut casum vllum sentiant. In summo vertice vllum ex crinibus innodatum habent, quem perpetuo crescere sinunt; reliquum capillorum detondent. Natare expedite sciunt, nulloque negotio se sub vndam demergunt. Solent flumina paruis scaphis Almadies dictis obnauigare: aliquæ illarum constant ex solido ligno excauato, tam paruæ, vt vix vnum virum capiant. Contigit sæpe vt scapha bis, ter, quaterue inuertatur, antequam alueum traiiciant, quod si fit insilientes in flumen, scapham erigunt, haustamque aquam educunt repetentes sedem suam. Sunt parcissimi cibi & macilenti admodum, membrisque nimium gracilibus atque infirmis exuci, vecordes, timidi, vnde à Lusitanis multum vexantur. In matrimoniis contrahendis atque defunctis sepeliendis, pari cum *Decaninis* vtuntur ritu. Defuncti cremantur, quorum viduæ capillos præcidunt & clenodia sua confringunt, licet & pauca & vilissima habeant.

Sunt passim per Indiam Iudæi & Æthiopes in copia. Iudæorum aliqui ex puro Hebræorũ sanguine descendunt, alij ex promiscua Hebræorũ & Æthiopum olim Hebraizantium consuetudine procreati sunt: in re familiari & habitu similes sunt iis quibus cohabitant. Templa synagogas *Mesquitas* promiscue inter Indorum ædificia posita habent, vtentes ceremoniis quisque pro legis suę obseruatione. Iudæi vxores habent formosissimas, inter quas aliquæ ex Palestina & Hierusalem adductæ sunt vtunturque omnes pariter lingua Hispanica.

Æthiopes legem Mahumetanam obseruant, valdeque versus mare rubrum aromatibus negotiantur. Tametsi vero nonnulli cum Lusitanis commercia habeant atque promiscue inter illos habitent, nihilominus tamẽ hostiliter erga eos

eos affecti sunt & quibuscunque modis possunt clam eos infestant.

Opes & diuitiæ.

Lusitani & Mestici Goam incolentes versus Bengalam, Pegu, Malaccã, Cambayam & Chinam merces suas distrahunt.

Goæ quotidie frequentissima congregatio, tũ ciuium & incolarum, tum quarumcunque aliarum nationum vicinarum: atque ea ferme respondet Antuerpianæ conuersationi, loco consueto quotidie frequentatæ, in eo tamen differt, quod Goæ non mercatores tantum, sed & nobiles & cuiuscunque status homines conueniant, simulque ibidem prostent merces omnis generis, ita vt nundinis propemodum æquiparanda sit. Fit congregatio dicta tempore matutino, nisi cum dies Dominica vel festum fuerit, tum plane intermittitur. Diebus profestis incipit ea mane hora 7. desinit hora 9. nec tempore pomeridiano durat, ob solis æstum intolerabilem.

Celebratur in præcipua ciuitatis regione, quæ vocatur longa, at area in qua conueniunt *Leilon* dicitur, in ea fit proclamatio mercium, per proclamatores à magistratu deputatos; ij & merces ipsi proclamant, & venales easdem exponunt. Quandiu Leilon siue proclamatio durat, tandiu & proclamatores incedũt amicti torquibus aureis, gemmis, clenodiis, margaritis, annulis &c. circum circa stipati variarum nationum mancipiis & captiuis, vtriusque sexus & ætatis hominibus, qui non secus atque apud nos pecora, venales sunt & datur ementibus delectus differente tamen precio.

Sunt ibi equi Arabici, aromata omnis generis, atque alia: sicca medicinalia sunt gummata [illegible] rata, & materialia alia, tapetes item pulcherrim, & multa artificio elaboratissima ex *Cambaia, Sinda, Bengala, China* aliis locis. Lusitani mariti & vtriusque sexus mancipiis quæstum faciunt, illi autẽ nonnunquam vel 10 vel 12 imo 20 vel plures illorum in sumptu vilissimo. puellæ seruæ parant omnis generis Conseruas & confectiones ex fructibus Indicis, parant & res pulchermas arte phrygia atque barbarica quæ ex iis magis iuuenculæ & forma sunt speciosiores, [illegible]ttuntur ab heris per ciuitatem passim, vt eius modi dulciaria atque operas phrygias diuenant, allicientes formositate sua ementes, magis cupidinis quam mercium emendarum studio flagrantes, nec enim seruæ tergiuersantur sollicitant, vt qui ex eo quæstu vitam sustentent, lucrum ratum, & reliquam summam ad heros deferunt, ex qua illi & se & familiam [illegible]nt.

Alij quæstum faciunt ex vsuraria. Aduentantibus enim nauibus Lusitanis coemũt minimos [illegible]gales octonarios, quos accipiũt duodecimin gulos cẽtenos reseruantes eos in Aprile vsq; [illegible]ando naues ex China appellunt, & nummi regales studiose requiruntur, in Chinam deferendi; lucrantur tum in centenos 25 vel 30. facta permutatione pro alia moneta ab Armũsio aduecta cui *Larino* nomen est in qua similiter 8 vel 10. per centum lucrantur, reseruant enim & hanc, donec classis Lusitanorum in Septembri appellat, & permutando cum nummis regalibus lucrantur 20 & 30 per centum; vt dictum. Est Larinus moneta necessario ipsis habenda, si Cochinum petunt, piper aliaque empturi, vbi ea moneta præ aliis quæstuosa est. Sunt & aliæ monetæ, *Pagodes, Venetiantes*, & *Santhones* dictæ, ex auro in vsu, vnde multi huic vni studio vsurario ita se dedunt, vt rem suam ex eo admodum augeant. Sunt nonnulli in India, qui ex reditibus de Palmis Indicis viuunt, ij sane ipsis [illegible]ute sustentandis sufficiunt, nec enim alibi per Indiam frugalior vita est: sunt qui ex quaque arbore quotidie recipiant dimidium Ioachimicum siue *Pardauum* atque eo amplius, sine vllà impensa. Sunt ibi qui trecentas quadringentasue eiusmodi arbores in vno agro simul cultas habeant, eas pro certis reditibus annuis locant rusticis *Canarynis*.

Indi Pythagorici, qui vrbem Goam incolunt, prædiuites & spectabiles sunt negotiatores, negotiationes amplissimas exercentes. Habent Indi mercatores peculiarem vicum in Goa, vbi tabernis apertis commercia sua exercent, exponitur ibi sericum Satynum, Damascenum, poculla porcellina ex China, & eius modi alia; siquidem per propolas siue maculatores suos merces quas cunque inde allatas studiose conquirunt ex asse, quas vnciatim distrahunt, in id velut à natura facti, vt negotiari ipsis sit congenitum. In eodem vico alij quoque telam lineam vendũt, item induſia vestesque confectas ad placitum ementium, tam mancipiorum quam liberorum. Est alius vicus habitatus & ipse ab Ethnicis, vendentibus succinctoria muliebria & eiusdem generis alia, item innumera pannorum genera, *Cotonias* vocant, non multum differentia à *Cannabinis*, carbasis & saccis conficiendis commoda. Est item vicus vbi *Benianes* ex *Cambaia* suę terræ merces exponunt, nec non gemmas, siquidem omnium optimas margaritas habent, gemmasque dexterrime poliunt. Sunt alii vici solis ethnicis habitati, opera lignea vendentibus, vt pote spondas, sellas, cera Indica pulchre perfusas: ceram enim eam omnis generis coloribus tingere norunt. Auri Argentique fabri peculiarem & ipsi habent vicum, ij omnes sunt Ethnici, præparantes opera & pulchritudine & diuersitate spectatissima. Reliqui opifices vtpote fabri lignarij, fabri æris rubri seu cupri, &c. quisque suos vicos habitat, suntque Ethnici omnes. Adsunt ibidem negotiantes ex asse, in frumento, oriza, reliquisque mercibus Indicis.

Præter tabernas dictas Ethnicorum, sunt illis & aliæ in quibus aromata & condita venduntur vnciatim, quales apud nos sunt herbularij & pharmacopolæ, prostant in illis quæ homini in mentem venire possunt de eo genere,

minus tamen selecta, quod negligentius ea curent. Istiusmodi mercatores sunt plerique Brachmanes, id est Idolorum sacerdotes, tabernas passim per totam vrbem angulares habentes, incisas in domorum muros, prætereuntibus opportunissimas.

Principalis moneta, quæ apud Indos in vsu est, dicitur Pardauus siue Xeraffinus & ex argento est. Cuditur Goæ, in vno latere est S. Sebastiani effigies, in altera iacula aliquot in fascem colligata. Valore Ioachimici siue tres Testones, siue trecentas Risas in moneta Lusitanica, in versura minimo aliquo interdum crescit decrescitue pro occasione. Fit etiam numerario in moneta *Tangas*, quæ quidem inter numerandum præsens in specie non adest, sed per eius taxam tamen summæ computantur, hoc modo: quinque *Tangas* faciunt vnum *Pardauum*, siue *Xeraphinum* in moneta cassa: rationes enim bifariam instituuntur, vno modo in moneta proba, altera in moneta cassa siue mala, quatuor enim Tangas in moneta proba, faciunt quinque Tangas in cassa, vnde fit, vt in contractibus moneta in specie sit nominanda. Est præterea alia numeratio quæ per *Vintinos* fit, nec ipsa in præsenti moneta. vsus eius est duntaxat inter numerandum. faciunt autem quatuor proba Vintini & quinque cassæ vnum Tangas. Viliſſima moneta illorum *Bassaruco* dicitur, atque horum quindecim in proba moneta faciunt octodecim in cassa moneta, Vintinus vnus & Bassaruci tres, faciunt duas Risas in moneta Lusitanica. Constat ea moneta ex puro stanno, quod in eam formam funditur, vt CCCLXV Bassaruci faciant vnum Pardauum seu Xerafinum.

Valent autem singuli Larini Persici centum & quinque Bassarucos, in moneta Cambij. Vtuntur & moneta aurea ad modum coronati nostratis, quam Pagodem vocant, singulis vltra octo Tangas constituentibus. Dicuntur autem Pagodes, quod homines Gentiles Idoli sui effigiem horrendam iis imprimant. Ducatorum Venetorum siue Turcicorum magna hic æstimatio, cum singuli prope duos Pardauos siue Xerafinos valeant. Aliud aureæ monetæ genus D. Thomæ imaginem præfert, valens Tangas septem. Quod ad monetam Lusitanicam, nulla hic gratior quam nummi regales grandiores, qui in octo regales paruos resoluuntur. Fuit tempus, cum aduentantibus primis nauibus ex Lusitania, singuli regales non nisi triginta sex Risis æstimarentur: Chinensium vero mercatoribus illis nummis regalibus tam auide inhiantibus, multo altius adscendit eorum precium. Cum autem Pardauorum in emendo vendendoque vsus sit frequentissimus, falsarij ex improbo metallo eos tam artificiose & fraudulenter imitari nouerunt, vt Trapezitæ ipsique adeo mercatores, nisi oculatas habeant manus, creberrime se deceptos animaduertant: vnde ipsis exquisita industria in tam subtili fraudis genere opus est.

Cudunt autem Indi, qui continentem habitant, falsum istud monetæ genus, vt eo imponant Lusitanis: qui malo cauere & effugere damnum cupiunt, raro eos accipiunt, nisi prius mensariis aut monetarijs ostensos. Sunt autem Danistæ & Nummularij hic in magno numero, qui positis in publico mensis nullum non genus monetæ aureæ argenteæque ostentant, faciuntque id magna cura, ne quis hic frustra quærat quod desiderat.

Ponderis genus apud Goam simile est Lusitanico, distinctum in centenarios siue quintalia, arrobas & alia minora pondera. Vtuntur tamen & alio quodam ponderis genere, quod vocant *Mao*, quæ vox manum significat, penditque libras duodecim. Hoc vtuntur cum trutinant venduntque butyrum, mel, saccarum, & eiusmodi vescula.

Appendentes Piper ad lancem vtuntur ponderis genere, quod Indi *Baron* vocant, constituitque tria quintalia cum dimidio ponderis Lusitanici. Nouimus autem Quintale vnum centum facere libras. *Medida* ponderis nomen est, valetque vnciis nouem. Viginti quatuor Medidæ constituunt *Manum*, & viginti Manus *Candilum*. Hoc genere ponderant orizam, frumentum cæteraque arida, & cum onerant nauigia, computant numerum Onerum per *Candilos* aut *Barrhas*. Oriza tamen etiam venditur integra, vt ab agro colligitur, colligata in fasces. Optimum Orizæ genus vocatur ab Indis Girasal: quod deterius est Chambasal. Sed & aliud est ibi huius frumenti genus adhuc vilius duobus istis, venditurque non decorticatum, *Batthe* ab incolis appellatum.

Iam de Proregibus huius partis Indiæ aliquid dicemus. Solent hi visitare atque inspicere Munimenta atque fortalitia, quæ iuris sunt Hispanici, vsque ad sexagesimum vel octogesimum ab Vrbe Goa milliare, qua littus illud in septentrionem & meridiem extenditur, nec faciunt hoc sine grandi suo emolumento, quod inde percipiunt non minus, quam ex vlla alia re. Constat autem Proreges Indiæ ingentibus gaudere prouentibus, quod in regiis bonis versentur pro arbitrio, cum plenam in ea re ab rege acceperint potestatem, vnde fit, vt plurimum aur argentique, cæterarumque coaceruent diuitiarum. Quid iam dicemus de donis muneribusque quæ iis ad promerendam eorum beneuolentiam certatim ab omnibus locis offeruntur? Nam omnes reguli, quibus cum Hispanorum reg pacta intercedunt & fœdera, à multis annis con sueuere nouis proregibus ad primum eorum prouinciam aduentum, opulenta & magnific mittere donatiua. Ipse insuper Prorex, dum Goæ commoratur, nihil de suo expendere ne cesse habet, cum impensis regiis cum ipse tum vniuersa eius familia alatur, suntque huic destinati redditus regij ex Bardibus & Sa sesta.

ROBV

ROBVR ET FIRMITAS.

Clauditur Insula vno duntaxat muro ab latere Orientali, è regione Salsettæ, vsque ad alterum latus terræ Bardensis. Parum in hoc muro est firmitatis, nisi quod instar repaguli est, ad arcendas incursiones Indorum Continentem habitantium, qui non sunt subimperio Lusitanorum. Est quidem in terra Bardensi Castrum edito loco situm ad ostium fluuij, sed magna ex parte vetustate collapsum, nec in eo sunt nisi tria tormenta ferrea, cum vno atque altero homine, qui ea custodiunt. Munitur quidem Goa Insula in littore maris álicubi prǽaltis rupibus, sed terra Bardensis, qua spectat Oceanum, littus habet elegans & arenosum, in quingentorum passuum longitudinem. Et hæc satis ostendunt, quodnam sit ipsius Insulæ munimentum atque firmitas. Qua Orientem solem spectat, tres quatuorue habet portas, in extrema insula, ipsaque maris crepidine, è regione Salsettæ. Cuiuis portæ præfectus est Capitaneus vnus cum scriba, ne quis his inuitis in Continentem traiiciat. Hinc fit, vt Indi Decanini cæterique Aethiopes Idololatræ, quotquot Goæ habitant, quoties in Continentem abire volunt, vel negotiandi, vel alius alicuius rei gratia, necesse habeant, sub sinistro brachio signum aut notam recipere, reuersique è Continente eandem denuo commonstrare, numerantibus singulis singulos Bassarucos, pro Capitaneo & Scriba. Collocatur hic in excubiis iuuenis quidam, cui incumbit de nocte signum dare tintinnabulo de turri dependente. Is igitur alligat sibi funiculum ad pedem, quem subinde attrahit, vt significet se non dormire sed vigilare. Huiusmodi transitus in Continentem, appositis excubiis, quinque sunt. Primus est ad latus Australe, qua itur Salsettam versus, appellaturque transitus S. Iacobi, propter eius Diui templum Parochiale, quod pone est. Secundus dicitur siccus, at latus Insulæ Orientale, estque visitatissimus, quod fluuius, qui insulam à continenti dispescit, ibi magis sit vadosus quam alibi. Tertius Aditus dicitur ad Matris Dei, in Austrum conuersus, proxime ipsam Vrbem. Huc vsque pertingunt mœnia, quæ à Transitu S. Iacobi incipiunt; reliquum Insulæ defensione penitus destituitur. Hinc traiectus est in vicinam Insulam, quæ respondet Terræ Continenti. Quartus Aditus appellatur Noua; & Quintus siue vltimus pertingit ab vrbe vsque ad medium fluuium, estque paulo depressior versus Bardes. Augustissimus firmissimusque est omnium, hic igitur sistuntur & perquiruntur omnia nauigia, quæ vel ingrediuntur fluuium vel egrediuntur.

Et hæc sunt munimenta Insulæ, quæ quamuis exigua sint, Insulani tamen nihil sibi à vicinis metuunt, cum ob arctas & intentas excubias, tum ob ciuium Goæ multitudinem. Nisi quis Lusitanis metuendum existimet ab ingenti Idololatrarum & Mahumetanorum multitudine, qui mixtim cum Christianis habitant. Sed huic formidini opponũt Lusitani exquisitã vigilantiam & attentionem, vt securi viuere possint. Accedit, quod naues militariter instructæ perpetuo circũsu circum illa feruntur littora, ne quis repentinus aliquis aliunde iis ingruat hostis. Tertio præsidiarij milites, quorum non exiguus in iis locis stipendiis regiis alitur numerus.

FORMA GVBERNATIONIS.

Obtinuit hactenus mos, vt tertio quoque anno nouus Indiæ Prorex ex Hispania Goam mittatur, cuius potestas cum ipso triennio expirat, nisi singulari regis beneficio vltra hoc tempus ista potentia prorogetur, quod tamen raro fit, vt non multa huius rei extent exempla. Habet autem Prorex iste suum Consilium, Sedem Iustitiæ, Archiuum, Iudices denique ad rationem omnia Lusitanicam, dicitque ius in omnibus causis nomine Regis Hispaniarum, ad quem tamen datur prouocatio in causis ciuilibus, quæ sunt valde magni momenti, quique casus soli reseruati sunt. In criminalibus nemo quisquam à tribunali, quod est apud Goã, prouocare potest, nisi sit genere nobilis: nec licet Proregi, capitis supplicio afficere hominem nobilem, sed necesse habet eum vinctum sub firma custodia in Hispaniam mittere, nisi forte rex aliter statuerit.

Custoditur autem Palatium Proregis per certos homines militares huic officio destinatos. Hic honor tãtisper manet hos stipatores, donec nouus Prorex aduenìat, qui & nouos adducit corporis sui custodes: qui postquam Bardes peruenit, aut ad alium quẽdam locum propinquũ, è vestigio mittit Procuratores suos, qui apprehẽdant Possessionem. Prorex igitur nihil cunctatus, cedit Palatio suo, cum illud prius omni supellectile & ornatu spoliauit, vt nudi supersint parietes, qui tamen continuo nouis vestiuntur aulæis & peripetasmatis, adeoque vniuersa aula larga instruitur ornaturque supellectile. Proficiscitur autem vetus Prorex eadem naui, qua nouus aduenit: estque hęc prouincia talis & tam opulenta, vt vix vlli à rege concredi soleat, nisi qui exquisita fide & industria à rege meritus est. Aiunt autem Indi, non esse spẽ, melius secũ actũ iri, donec mos iste mittendi in singula triennia nouos proreges duret. Primum enim fere annũ consumit Prorex in pernoscenda Prouincia: Secundum in colligendis opibus: tertiũ in constituendis quã optime rebus prouinciæ, ne successor eũ in aliquo vicio aut crimine deprehendat. Facit hoc, vt Gubernatores Indiæ tẽpestiue non tantum suis prospiciant rebus, sed & publicis prouinciæ commodis, excussa omni socordia & cunctatione consulat, cum non habeat spem longioris exacto triennio temporis, & per consequens diem ex die ducendi, quod ij faciunt, quorum diuturna est administratio. Est autem non hoc officium duntaxat, sed & pleraque alia per Indiam triennalia. Appetente

æstate, cum necessitas reipublicæ exigit, vt classis in Oceanum emittatur ad custodiam vltro citroque nauigantium Hispanorum, qui singulis prope annis à Malabaribus, iuratis Lusitanorum hostibus infestantur, circa Septembris mẽsis initium ad tubæ sonitum proclamat Præco: vt ij, qui regiæ militiæ marinæ velint dare nomina, veniant ad Prætorium accepturi stipendium. Ibi solet Prorex Ducem exercitus creare, qui plures sub se habet Centuriones, quorum singuli in singulis nauibus militibus præsunt: suntque inter eas, quæ centenos capiant milites, vulgo tamen tricenos aut quadragenos. Soluitur autem stipendium omnibus militantibus tertio quoque mense, Idque pro gradu aut dignitate vniuscuiusque. Est autem stipendium ordinarium militis menstruum septem Pardaui Xerafini, valetque Pardauus tribus testonibus Lusitanicis. Honoratiores & exempti percipiũt nouenos Pardauos, & sic alij pro ratione dignitatis in militia.

Dant autem operam Centuriones, vt quam optimos nanciscantur milites, nec parcunt suo peculio, sed præter stipendium vsitatum aliquid de suo militibus largiuntur. Nauigia onerantur omnis generis rebus necessariis, inprimis alimonia, Centurione cum militibus exempli causa cibum capiente, & operam dante, ne quid iis ad necessarios vsus desit: quod nisi faciat, parum habebit eos dicto audientes. Vagatur autem Classis ista per Oceanum vsque in Aprilem mẽsem, ad cohibendas Piraticas Malabarum excursiones. Circa finem Aprilis Goam reuertitur, & naues portum ingressæ in terram subtrahuntur. Reuersi ab expeditione milites ad sua quisque discedunt, nec coguntur militare in posterum, si nolint. Antequam exauctorentur classiarij, Prorex testatur coram Duce & militibus, aluisse se tot mensibus classem nomine impensisque regiis, & Piratarum coercuisse tantisper insolentiam. Si quid memoria dignum effectum fuit, magnificis id extollitur verbis, vbi illud nequaquam obliuioni traditur, Ducem de suo magnas fecisse impensas, vt regi fidem & seruitia sua probaret.

Huius rei testes aduocat Centuriones, qui sub ipsius ductu meruerunt. Inde conscribuntur per Secretarios litteræ, attestantibus præfectis armamentarij nautici, rem ita se habere, ne quid omittatur, quod ad fauorem regis conciliandum faciat.

Sic reuertuntur Lusitani domum, instructi luculentis testimoniis, non iam quicquam humile sapientes, sed ebrij bona spe, adipiscendi opipara in præmium fidelitatis à rege beneficia. Reuertuntur itidem plerique omnes officiarij exacto triennio in Lusitaniam Hispaniamue, estque non vsitatum beneficij genus, si rex officium illud in posteros aut liberos eius extendat, videasque, qui eo nomine facilius elocent filias suas, generis iam prouincias spe præcipientibus. Decedentes ab India litteras suas virtutis testes Archiuo regio offerunt, vbi eorum exemplum in acta refertur, remisso autographo ad viceregem in Indiam, vt eas suo approbet calculo.

De pipere ab Goa & India in Lusitaniam perferendo res ad hunc modum se habet. Nulla nauis oneratur eo aromate, nisi prius iustum habeant onus quinque illæ naues regiæ, quæ in hunc finem præsto sunt. Quod si tanta sit piperis copia, vt naues illæ id non omne possint capere, ibi Ministri regij petunt, vt adhuc aliæ addantur naues ad complementum vsitati numeri: quod vt fiat, omnino necessarium est. Hoc facto, integrum est Proregi, cæterisque ministris regiis, suis quoque imponere nauibus quantum velint, non solum piperis sed & aliorum mercimoniorum Indicorum, nec possunt id Procuratores regij impedire, dum modo regiæ naues sufficienter oneratæ fuerint.

Habent autem Procuratores regis singulos in singulis nauibus rationum præfectos, quibus è regio fisco numeratur stipendium durante itinere illo.

Durat autem propolium siue redemtio prouentus è pipere per quinquennium: quod si aliquis casus mari noxius superueniat, illi luunt, qui naues onerauerunt, qui & omnes sumptus faciunt in onerandas naues. Quod si argentum amittatur, penes eosdem est iactura. Delatos in Hispaniam lex cogit vẽdere piper regi, qui duodenos Ducatos soluit pro singulis Quintalibus, siue centenis libris: si quid põderi decedat, Propolæ id fit damno nõ regis, qui in Domum Mercimoniorum Indicorum non iubet recipi nisi piper siccum purumque, certus de lucro, expers à damno. Habent autem Monopolæ illi Priuilegia regia, tantæ auctoritatis atque roboris, vt iis contrauenire nemo audeat, quisquis is tandem sit. Est enim capitis pœna constituta, si quis alius per Indiam ausit piper vendere, mercatoribus eam legem strictissime obseruantibus. Tunc cũ naues onerantur pipere, nulli est integrum, eam rem vllo pacto impedire: quin & ipsa negotia regia per id tẽpus omittuntur, nec Prorex vllius alius causæ cognitionem suscipit, interim dum id fiat, sed ipse præsens adsistit, vt commoda regis promoueantur.

Venditur autem Barrhus piperis vsitato precio viginti octo Pagodibus nummis, constituitque Barrhus tria quintalia cum dimidio ponderis Lusitanici: ita vt Quintale vnum vendatur XII Pardauis Xerafinis & quatuor Tangis, pendente quintali vno libras CXXVIII.

Quod si naues incolumes cum mercimoniis portum ingrediantur, persoluunt regi certum argenti modum: milites vero, qui conscensis nauibus Hispaniam repetunt, nihil nautis mercatoribusque soluere tenentur, neque nomine nauli neque alimoniæ. Quod si nauim profundo hauriri Oceano contingat, nihil ibi rex perdit, præter argentum sibi debitum ab omnibus nauibus portum ingredientibus, & lucrum, quod percepturus fuerat, si piper illud in Apothecam regiam inferri

inferri contigisset. Hinc fit vt in cæteris regnis præfecti rei maritimæ non admodum curiosi sint de imponendo nauibus militum præsidio ad defensionem : at reges Lusitani id fieri volunt, gnari, omne Piper quadam ratione ad se pertinere.

RELIGIO PER INDIAM ORIENTALEM.

Suus cuique colendi Dei ritus & modus Goę relinquitur integer, cum mixtim in ea Vrbe ac Insula cum Lusitanis habitent Aethiopes, Iudęi, Armenij, Gusaratæ, Banianes, Bramini & aliæ gentes Indicæ, sequente vnoquoque suas de religione opiniones. Non licet tamen his, cadauera mortuorum igne cremare, & celebrare nuptias adhibitis diabolicis illis ceremoniis. Episcopus enim magna vigilantia cauet, ne quid offendiculi hoc nomine obiiciatur nouis Christianis. Quod si quis fidem professus recepto Baptismo ad Paganismum relapsus fuerit, traditur Inquisitoribus, pro eorum arbitrio puniendus.

Viuunt hic multi Arabes, Persæ, Abyssini, qui partim religionem profitentur Christianam, partim abominationi addicti sunt Mahometicæ. Vescuntur Mauri indifferenter omnibus escis, excepta carne suilla, sepeliuntque suos more Iudæorum. Multi inter Decaninos, Gusarates & Canarinos abstinent etiam à carne vaccina & bubalorum. Quidam, etsi Deum vnum creatorem omnium se agnoscere prædicant, Solem tamen insuper atque lunam adorant. Sunt autem in Vrbe Goa multa Templa & Monasteria, vnum tamen duntaxat Monasterium virginũ, quod nemo reperiatur tam facundus, qui puellis Indicis virginitatis aut castitatis studium persuadere possit. Residet hic Archiepiscopus, cui suffragantur omnes per Orientalem Indiam Episcopi reliqui. Est & hic tribunal Inquisitorium, haud secus ac in ipsa Hispania.

Antiquus Indorum Christianismus.

Narrant S. Thomam Apostolum, facta sortitione cum collegis, quam quisque Orbis partem, prædicaturus Christum, adiret, primum omnium in Insulam Socoteram venisse; vbi cum multos cognitione Dei illuminasset, ad loca Cranganor, Colam, & Choromandelam accessisse. Sparsa igitur longè lateque prædicatione Euangelij, motum fama de magnitudine regni Chinensis, eo profectum fuisse, vt & ibi doceret populum. Hic cum aliquot annis officio suo functus fuisset, reuersum fuisse in Choromandelæ regnum, ad recipiendos Neophytos, postque in fide confirmandos. Erat illius regionis per id tempus caput Meliapuria ciuitas, quã Lusitani adhuc hodie S. Thomæ Fanum appellant. Hic orsus extruere Oratorium S. Thomas contrarios habuit cum ipsum Regem, tum Bragmanes & Sacerdotes Pagodis Idoli. Ibi rem miram accidisse aiunt, quæ plurimum fecerit, ad conuertendos ad amplectendum Euangelium Christi Barbaros.

Factum aiunt, vt immani magnitudine trabem ligneã marini fluctus aduoluerint ad locũ quendam, milliaribus circiter decem ab vrbe distantem. Regem ligni pulchritudine captum, illo ad ædificium, quod tunc animo agitabat, vti constituisse, sed nulla ratione aquis extrahere potuisse, neque multorum ministerio hominum, neque robore Elephantorum, neque sollertia machinarum tractoriarum. Ibi Apostolũ accessisse regẽ, eumq; rogasse, si id lignũ sibi permittere vellet, ad ædificandum vero Deo Templum, se id nullius mortalis aut machinæ ope extracturum. Risisse regem, ac pro insano habuisse postulatum istud, itaque per ludibrium velut rem impossibilem permisisse. Ibi D. Thomam cingulum, quo lumbos succingere solitus erat, ad arboris ramum alligasse, qui forte aquis eminebat, immanemque truncum mari extraxisse vsque ad oppidi mœnia, cum stupore & admiratione totius populi. Postea eum Crucem lapideam erexisse, addito vaticinio; quod si marini fluctus eo vsque pertingerent, aduenturos in eas partes aboris longinquis homines albo colore, qui eandem proposituri essent doctrinam cum ea, quam ipse eis tradidisset. Estque animaduersa huius vaticinij veritas, cum paulo ante Lusitanorum in hunc locum aduentum, mare ad crucem illam exundatione peruenisset.

Creuit ergo fama & auctoritas S. Thomæ cum ipsius miraculis: vnde Brachmanes, existimationi suæ multum decedere videntes, priuati insuper lucro, inuidia stimulante Apostolo miras struxere insidias, adeo vt vnus eorum occiso proprio filio, S. Thomam cædis reum accusauerit. Vocatus ad iudicium Regis Apostolus, vt se purgaret crimine, negauit aliis opus esse testibus, quam ipsius mortui verbis: petiit ergo, vt sibi liceret ex occiso de auctore homicidij quærere. Non est ausus actor tam bonam rei conditionem recusare: admirantibus cunctis postulationis nouitatem, & sollicite expectantibus rei euentum. Mortuo ergo ante Iudicium Regium, allato, Thomas conuersus ad cadauer, præcepit ei in nomine Christi, quem annunciabat Deum & Seuatorem mundi, vt palam ediseereret, quis esset auctor cædis? Ad nomen Christi sustulit vocem demortuus, dixitque, S. Thomam esse Nuncium veri Dei, seque non ab alio quam patre suo occisum, acto in rabiẽ ex inuidia & odio in virum sanctum concepto.

At rex, qui iam ante non admodum iniquo erat in Christianos animo, conspecto insuper miraculo, fidem Christi amplexus sine mora est. At Brachmanes, quanquam perfidiæ aperte conuicti fuissent, videntes tamen se vna cũm Idolis suis pessum ire, Apostoli claritatem indies crescere: statuerunt eum è medio tollere.

Erat extra Vrbis mœnia collis modic⁹, quo Apostol⁹ ad exemplũ Christi cõsueuerat secedere, vt pre-

precibus ac piis cogitationibus in secessu vacaret melius. Ibi primo adobrutus lapidibus telisque, postremo transfacta per corpus lancea expiravit. Corpus interfecti à discipulis eius humatum est, in templo quodam propinquo, appositâ parte lanceæ qua confossus fuerat, & baculo ferrato, quo pro scipione fuerat vsus, & vase fictili, pleno terra, in quam sanguis eius delapsus fuerat.

Existimant alij, miraculum illud de trunco arboris non factum fuisse apud Meliapurium oppidum, sed ad Cranganonor, ipsumq; Thomam interfectum à Sangami regis successore apud Calaminam, corpusque eius à Christianis in Edessam Mesopotamiæ ciuitatem deportatum. Qua opinione non obstante, Iohannes III. Lusitaniæ rex, secutus communiorem opinionem mandauit Eduardo Menesio Legato suo per Indiam, vt omnem daret operam, si forte corpus S. Thomæ in littore ad Choromandelam reperire posset, nec non reliquias eius, de quibus supra diximus: quanquam non deessent, qui monerent, ea omnia Edessæ custodiri. Meneses id rursum mandauit Emanueli Friæ, qui Meliapurium profectus est, assumtis sacerdotibus quibusdam & Architecto vno.

Ibi inter plateas vrbis inuenerũt vestigia magnifici templi, cuius nihil supererat, præter exiguum sacellum, depictum intus pluribus crucibus, vt & exterius. Affirmabant oppidani, corpus Apostoli ibi esse, & erat ibi inscriptio lapidis, lingua vetusta Indorum, quam eius gnari ita interpretabantur, scriptum esse, Templum istud à S. Thoma ædificatum, eique Sagamum Regem donauisse decimas omnium mercimoniorum, quæ ad vrbem eam adferentur. Aiunt insuper incolæ, sub isto litterato saxo corpus regis sepultum fuisse. Fodientes autem profundius, reperisse locum cinctum muro lapideo, nouem pedes alto, ferebaturque sub isto occultari corpus Apostolicum. Igitur duo Lusitani, cum prius confessi fuissent sua crimina, aperto loco descendisse, ibique inuenisse ossa quædam candidissima, mixta calce & arena, nec non fragmentum lanceæ, & baculum viatorium cum vase terreo, quibus indiciis fuerit facta fides, haud dubie ipsum Apostoli corpus repertum fuisse. Minus autem dubitationis fuisse, postquam Sagami regis & cuiusdam discipuli S. Thomæ sepulcra iuxta inuenta fuere, sed plena horroris & sordium, ipso candore Apostolica ossa à cæteris distinguente. Igitur ossa Apostoli inclusa fuere peculiari arcæ, & duorum discipulorum alij, clauesque vtriusque arcæ cum ipsis ossibus Proregi traditæ.

Biennio post hæc fuere ossa illa per duos Lusitanos occultata subter aram Sacelli, & postremo Goam translata per Monachum quendam Franciscanum, eo tempore, quo Constantinus Braganciæ Dux Protegis munere per Indiam fungeretur.

Sunt & nostro tempore Christiani multi in his Indiæ partibus, qui à S. Thoma denominantur: non negauerim tamen, eos ad huc nonnullis implicari erroribus, partim è secta Nestoriana, partim ex Hæresi Arrij. Irrepserunt autem hi errores, partim quod miseri præconibus Euangelij destituti fuerint, qui docerent eos & Sacramenta administrarent. Quo defectu tristes, miserunt in varias Indiæ partes, qui adducerent ad se doctores, vbicunque eos adipisci possent. Legati igitur, longis ac tædiosis confectis itineribus, postremo venerunt in Assyriam, vbi à Patriarcha id precibus contenderunt. Dedit iis Patriarcha Sacerdotes, qui profecti in Indiam, pro vera & saluifica doctrina sparserunt istos errores, qui adhuc ad nostra vsque tempora ibi obtinent. Cum his multas tamen obseruant traditiones Apostolicas, multum tribuentes Eucharistiæ quam sub vtraque, vt loquuntur, specie percipiunt. Obseruant insuper tempora Aduentus, Ieiunij quadragesimalis, cantantes Psalmos Dauidicos, audientes Missam, celebrantes Festa Christi & Apostolorum, inprimis autem octauum à Paschate diem. habitant hi iuxta Cranganonor & in vicinis patribus; creditur que numerus eorum accedere ad sexaginta vel septuaginta millia. Est & ingens eorum numerus apud oppida Negaranam & Meliapurium: quin & in prouincia Angamalensi ad quindecim millia, & infra Cochinum versus septentrionem. Et hic quidem habitat eorum Archiepiscopus, cuius auctoritas dependet à Patriarcha Babylonio.

Incipiunt tamen magis magisque ad Religionem Catholicam propius accedere, annitentibus potissimum Iesuitis, qui collegium habent ad Vaipicotam. His enim confitentur delicta sua, & ad eos infantes suos deferunt Baptismatis fonte tingendos, discuntque sacerdotes eorum Missam dicere Romano more. Habuit ad annum A N. C. MDLXXXIII. Archiepiscopus Synodum, cui & duo Iesuitæ interfuerunt, vbi varia Decreta facta sunt, conformia Ecclesiæ Romanæ. Anno vero A N. C. MDLXXXVII. erexit sua auctoritate Rex Hispanus Collegium in Meliapurio oppido, adiuuantibus structuram Christianis Thomistis, nec non Seminarium scholasticum, pro instituenda iuuentute.

Nouus Indorum Christianismus.

Primi qui ex Europa in Orientalem Indiam profecti sunt ad annunciandam doctrinam Euangelij, fuere Monachi Franciscani, inter quos præcipuus Henricus, postea factus Episcopus Settæ, comitatus exercitum Petri Alnatesij eo proficiscentis ad annum A N. C. MD, cum nonnullis sacerdotibus: sed neque ipse neque socij eius quicquam efficere potuerunt, ob continua cum Indis bella. Secuti sunt hos alij eiusdem societatis, Antonius Petronius & Antonius Laurerus, qui aliquandiu Socoterã substitit, non sine fructu. Postremo ædificauit

Lupus

Lupus Sequeira Prorex Indiæ templum in vrbe Goa, eamque D. Francisco dedicauit, adiunctis prouentibus annuis pro collegio fratrum alendo: qui nacti inde commoditatem, annixi sunt omni ope ad conuertendos ab erroribus suis Indos, vt fere nunquam quicquam perfectum fuerit, vel belli vel pacis tempore, cui non ipsi interfuerint. Antonius enim Petronius primus fuit, qui Missam celebrauit & prædicauit apud Damanam Cambayæ oppidum: Antonius vero de Casale cum Iohanne de Castro apud Dium idem fecit. Primus Indorum Episcopus fuit quidam è Francisci sodalitio nomine Ferdinandus, qui eo venit Nunnensio de Acuna Proregem agente. Functus est hic præclare officio Episcopali administrando Sacramenta, confirmando Neophytos, conferendo Ordines, habendo cõciones ad Lusitanos, quibus paulatim ad fidem allexit Gentiles, vnde dubiũ non est, quin Christiana religio tunc egregria ceperit incrementa: verum negligentia scriptorum illius temporis, omissa causa Christi, operam suam collocare maluit in perscribendis bellis, nauigationibus & Mercimoniis. Habuit Ferdinandus successorem Iohannem Albuquerquensem Castellanum, ex eodẽ ordine, qui venit in Indiam cum Garzia de Norogna, adducto secum Fratre Vincentio, homine apto ad docendam religionem Christianam, præterea aque alio, Iacobo de Borda Lusitano, Prædicatore satis celebri. Hactenus tamen in Lusitanis semper animaduersum est desiderium magis propagandæ Christianæ fidei, quam effectus, quod Præfecti ac duces eorum omne prope tribuerint tempus ædificationi arcium & munimentorum, instruendis nauibus & conscribendo militi ad defensionam littoris Indici: quin & ipsi Monachi, etsi Goæ haberent frequens collegium, ita tamen diebus noctibusque occupabantur consuetis suis exercitiis, cantando in choro, sepeliendo mortuos, aliisque, vt parum ipsis superfuerit temporis, ad Catechisandum & instruendum in fide Christi Indos.

Stephano Gama Indiæ proregem agente, quod fuit ad annũ Christi MDXL. quidam boni homines inter quos primi fuere Michaël Valus, Generalis per Indiam, Iacobus de Borda & Cosmus Annius, aperuerunt scholam instituendæ iuuentuti diuersarum nationum, vt hoc medio maius per Indiam caperet religio Christiana incremẽtum. Assignati sunt huic scholæ reditus templi, quod antea Idololatriæ seruierat, estque ea appellata Seminarium Sanctæ Fidei, addito Pauli Apostoli nomine, ab exiguo sacello, quod iuxta erat. Fiebat hoc eo fine, vt in hoc Collegio educarentur adolescentes magno numero ex variis nationibus, instituti in doctrina Christiana, vt ipsi deinceps alios quoque erudire possent, inprimis ciues ac populares suos: fuitque hac ratione auctum in his oris regnũ Christi supra quam credi possit.

Paraues vocantur populi qui circa Promontorium Comorinum habitant, homines simplices, ingenijque minime mali, ex margaritarum piscatione plerique victum acquirentes, vnde fit, vt totum eorum littus, quod à dicto Promontorio vsque ad Manariam Insulam extenditur in longitudinem milliarium prope viginti quinq;, Piscatio nominetur. Hi igitur, cum Mahometanorum armis prope oppressi fuissent, eoque ad summam redacti miseriam & inopiam, habita deliberatione, & accedente studio Iohannis cuiusdam de Cruce, qui paucis annis ante ad Christum conuersus, in illis locis negociabatur, miserunt primi nominis viros ad Cochinam Vrbẽ, suppetias orantes, & Christianam se suscepturos fidem pollicentes. Hi vbi Cochinam peruenere, vt Lusitanis omnẽ de se dubitandi adimerent causam, baptizari primi voluerunt. Neutrũ aspernandum visum est: neque quod petebant, neque quod offerebant, vt euentus docuit. Lusitani enim expeditis nauibus aliquot militariter instructis, profecti eo cum copijs rem tam bene egerunt, vt non solum Mahometanos terra illa profligauerint, sed & Parauensium conditionẽ multo luculentiorem reddiderint, secura præstita piscatione. Erant in iisdem nauibus quidã viri Ecclesiastici, qui docuerunt rudem in fide populum, eo quidem successu, vt ipsi non sufficerent institutioni tot Catechumenorum, & confirmationi conuersorum. Hunc Euangelij progressum vna res impediebat: frequens huius populi cum infidelibus conuersatio, plena licentię & dissolutionis, qua quidẽ non Neophyti solũ, sed & vetères Christiani corrũpi potuissent.

Hac re animaduersa Iohannes Rex, neque laboribus neque sumtibus parci voluit, vt huic malo obuiam iretur, motus inprimis grauissima hac ratione, quod videbat se neque decimas è terris illis percepturum, neque vectigalia, neq; infidelibus felici cum successu facturum bellũ, nisi adductis ad fidem Christi gentibus istis, & hoc pacto aucta gloria Dei. Neque tamẽ potuit rex optimus, quod præclare cogitauerat, perficere ex voto, quod ad rem tanti momenti permultis opus esset viris laudatæ vitæ, plenis prudentia, doctrina, charitate, magnanimitate, bonæque Constitutionis corporis: & hos quidem eo tempore Lusitania paucos alebat. Concionatores enim qui in regno, maxima ex parte peregrini erant, ipsique Lusitani, qui litteris operam dabant, fere Alcalam siue Complutum proficiscebantur & Salmanticam. Vniuersale studium Conymbricense adhuc nouum erat, & à fundationis incude calens, vnde fere fructus gignebat amaros & immaturos, nec Indorum necessitas maturitatem eorum sine periculo expectare poterat.

Incipiebat eo tempore florere Iesuitarum societas: quo cognito scripsit Rex ad Petrum Mascaronium, Legatum suum Romę apud Paulum III. P.M. vt impetraret à Pontifice Ignatium Loyolam, auctorem illius societatis, cum nonnullis aliis. Fecit Legatus quod potuit, sed non obtinuit nisi duos, Simonem Rodericum Lusitanum, & Franciscum Xauerium Nauarrenum.

renum. Ex his duobus prior quidem in Lusitania remansit postea, Xauerius autem profectus est in Indiam. Discessere hi duo Roma anno A N.C. MDXL. In Lusitaniam postquam peruenere, rex, intellectis Xauerij virtutibus, multum viro honoris habuit, cuius affectibus, cum Indorum salutem serio multisque verbis commendauisset, obtulit Diploma Pontificium, quo Nuncius Apostolicus salutabatur, cum ampla per Indiam potestate. Venit Xauerius Goam a.d. XVI. mensis Maij, anno A N.C. MDXLII, vbi magnis honoribus ab Episcopo exceptus, statim manum aratro, quod dicitur, admouit, primum omnium Catechesin proponēs. Ibat quotidie per vicos ac plateas vibis, & cum tintinnabulo concusso, sonitum dedisset, confluentem populum, vt ad templum veniret, hortabatur: ibi tum ipse tum socij eius docebant eos fidem Christianam. Exacta ad hunc modum hyeme, Paulus Camerinus suscepit curam Collegij Paulini, in quo frequens adolescentum erat numerus. Audita autem Parauensium conuersione tam recenti, primo vere eo properauit, adducto secum Mansilla socio ad confirmandum nouellos apto, addidicitque linguam illius gentis non sine magna molestia. Non semel huic viro pugnandum fuit cum Brachmanibus, qui ferēdum sibi non putabant, vt eo pacto cum existimatione sua etiam lucrum detrimentum pateretur. At iste non diutius hærebat in vno loco quam necessitas exigebat, sed lectis ad officium nouiter conuersis, in quibus plus conspiciebat virtutis & spiritus, suo loco eos relinquebat in oppidis, vt cæteris quoque operam dare posset. Quibus, vt se absente alimonia suppeteret, impetrauit certas quasdam pecunias ab Indis, quas ipsi solebant quotannis regi pendere, in Cothurnos siue Ocreas, vt quidem loquebantur. At is scribens ad regem, negauit eum meliores ad conscendendum cælum habiturum Cothurnos, quam preces Neophytorum. Absumto ad hunc modum anno integro & vltra in erudiendis Parauensibus: vicini populi Macoēs dicti, qui sunt pars regni Tauancorensis, habitantes ad Orientale littus Promontorij Comorini, audita eius rei fama, misere quosdam è suis ad eum, vt ad se veniret Baptismum suscepturos. Paruit is eorum petitioni, vniusque mensis spatio conuertit vltra decem hominum millia. Hæc apud Macoēnses agitantem, alia excepit sollicitudo. Manaria Insula est inter Choromandelam & extremum promontorium Ceylam Insulæ: huius incolæ & ipsi ad eum miserunt, petentes Baptismum. Missis ad Manarenses quosdam è suis, qui eos Catechesin docerent, donec ipse expeditis apud Macoēnses rebus sequeretur. At rex Iafanapatensis, cuius illi suberanr dominio, re ea cognita, vehementi excandescens ira, partem eorum trucidari iussit, partē crudelissimis torqueri modis. Quidam è carnificum manibus elapsi, terrestri itinere spacio ducentarum Leucarum confecto, Goam venerunt, Baptismum petentes. Dum his tam bonis occupatur Xauerius exercitiis, submissi sunt ei noui socij, qui laborantem adiuuarent, Iohannes Beyra de Ponte Veteri, Nicolaus Lancelotus Vrbinas, Antonius Criminalis Parmensis, Caspar Berzæus, Antonius Gomeus, cum octo aliis sociis. Factum hoc est anno A N.C. MDXLVIII. Circa idem tempus venerunt Goam duodecim Monachi Dominicani, quorum caput erat Iacobus Bermudus, cæptum est eis extrui templum, & erigi collegium.

At Xauerius, cum Parauensium Ecclesiam Antonio Criminali commendasset, præbuit ei simul occasionem, glorioſam oppetendi mortem. Nam Brachmanes & Badagnij interfecerunt eum.

Dum hæc fiunt, Baptismi lauacrum suscepit rex Taronensis. Est autem Tanor oppidum à Goa versus Meridiē distans Leucis prope octoginta. Acceperat hic rex fidem Christi à quodam Vincentio, Ordinis Franciscani Monacho & Iohanne Suarez, qui sæpius ipsum inuisebant. Baptizatus, mutato nomine Iohannes vocari voluit. Paulo post idem fecit Regina, & duo ex proceribus eius aulicis: verum hæc in secreto facta sunt. Quin & ipse rex, metuens seditionem populatem, tria fila de collo pendentia publice ferebat, ad consuetudinem Brachmanum, quorum antea sectam fuerat amplexus. Incessit eum postea cupido, contrahendæ arctioris cum Lusitanis amicitiæ: profectus igitur est Goam, exceptusque apparatu magnifico. Horrabantur ipsum Archiepiscopus, Prorex & quotquot erant cum auctoritate, vt abiectis illis Idololatriæ Brachmanicæ symbolis, aperte Christianismum profiteretur: verum ille causatus tumultum populi, quocum arma coniuncturus esset frater suus, rogauit vicissim eos, ne præcipitarent negocium: se quidem toto pectore ita amare Christum, vt nullam sit omissurus propagandi Euangelij occasionem: sed prudentia & circumspectione opus esse. Mansit in Vrbe Goa diebus decem, quo tempore Confirmationem Christianismi suscepit ab Archiepiscopo. Cum igitur Lusitani non solum auxissent, sed & stabiliuissent imperium suum per Indiam, simul quoque Christi fides dilatata est. Destructis ergo Idolorum Fanis, Magnifica Christianorum Templa in eorum locum excitata sunt, Vtque lucrarentur homines infideles, omni genere benenolentiæ eos pellicere conati sunt & delinire conuersos, promotis iis ad officia & honores, auctisque eorum prouentibus, cum permissione gestandi arma, aliisque priuilegiis. Incredibile memoratu est, quantum inde delectationis perceperint noui Christiani, postquam audiuerunt, Regem Hispanum duos ex eorum numero creasse Commendatores Ordinis Christi, qui non leuis honor est. Constitutæ insuper sunt plures Catechumenorum domus, & Seminaria octo pro instituenda iuuentute. Nūquam tamen maius in iis locis doctrina Euangelij sumsit incrementum, quam Constantino de Bragancia Prorege agente, qui ad promouēdam

Indorum

Indorum salutem non solum impendit regios, sed & proprios suos prouentus & bona. Suscipiebat ipse multos è Baptismatis fonte, baptisatos honoribus afficiebat, omniq; beneuolentiæ genere prosequebatur; breuiter, patrem se nouiter conuersis præstabat. Hæc faciens non negotium solum religionis eximie adiuuit, sed & imperii Lusitanici pomœria per Indiam protulit atque stabiliuit. Durante ipsius Gubernatione, à solis Iesuitis baptizati sunt anno A N. C. MDLVII. circiter MDCCC. homines, nec pauciores eo qui secutus est anno. Ast anno Christi MDLIX. iidem baptizauerunt ter mille; bis centum sexaginta Indos. Postremo anno MDLX. XII. millia, DCCXLII. Ita factum est, vt hi adiuti à Monachis Dominicanis & Franciscanis, vniuersam vrbem Goam ad Christum conuerterint, quæ vrbs non minor creditur quam Genua Ligurum in Italia. Hinc factum est, vt posterioribus annis tam multi baptisati non fuerint. Nec tamen vix vllum abire aiunt annum, quo non mille aut etiam plures baptizentur, tam in vrbe quam in agro. Cum ad annum salutis MDLXXXVII. incolæ littoris Malabarensis extrema fame premerentur, diuenditis liberis suis, ipsi quoque vltro se in seruitutem addicebant. Auxit hæc res non parum Christianorum numerum, quod ii qui venum exponebantur, à nemine emebantur nisi à Christianis, deinde quod ii, qui ab Ethnicis iam emti fuerãt, in libertatem restituti fuerunt, si Christianismum suscepissent.

Eadem sumsit Christiana Fides incrementa in Basania regione, vbi rex Iesuitis copiam fecit suscipiendi orphanos, & eos instituendi, quin & ipse rex anno Salutis MDLXXXI. è suo fisco assignauit CCL. coronatos in vsum Catechumenorum. Baptisantur autem prope singulis annis in ea regione ducenta capita; apud Colnam totidem, centum vero apud Zanam oppidum, nec multo pauciores apud Damanam & Chiaulum. Canara vero regio Goę vicina tota Christianismo imbuta est, vt & parua Insula Coran. At in Salsetta Insula anno MDLXXXIII. tres Iesuitæ occisi sunt, quod sublata Idololatria imagines eiecissent: ibidem tamen anno MDLXXXVII. mille centum quadraginta homines ad Christum conuersi fuere, & quatuordecim pagi cum omnibus habitatoribus. In littore illo, cui Piscaroni nomen est, inueniuntur circiter quadraginta Christianorum millia, & in Manaria quotannis ad DC. vel DCC. baptizantur. In littore Travancorensi, quod ad LXXV. millia extenditur, vix potest doctoribus Christianis alimonia suppeditari; propter egestatem colonorum & incipum Gentilium ac Mahumetistarum nimiam crudelitatem. Quibus incommodis non obstantibus, numerãtur tamen ad decem Christianorum in illis partibus millia. Apud Cochim parum potest effici, quod rex proposito edicto omnium eorum, qui Christiani fiunt, bona fisco suo addixerit. Nec tamen huius edicti acerbitas impedire potest, quin singulis annis centena centum homines ibi conuertantur. Habent enim Iesuitæ ibi Collegium, vbi cũ Grammatica & Arithmetica humaniores docent litteras & scientias, magno ac frequenti adolescẽtum auditorio: vt & apud Chiaulum, vbi tamen præcipuæ in conuertendis barbaris sunt Franciscanorum partes, quemadmodum etiam apud Negapatanam.

Aiunt accidisse apud Chaulum, anno Salutis MDLXXXI. vt homo Gentilis Nobili prosatus familia, filiam habens cæcam, voto se alligaret, se effecturum, vt puella Baptismate tingeretur, si quis ei visum reddidisset. Voto rite nuncupato, obtigit puellæ, quod optauerat. Nec tamen satisfecit pater promisso. Ibi filia in grauissimum delapsa morbum prope erat, vt animum ageret. Repetit pater votum, & conualuit filia. Ibi demũ ad templum delata, sacro fonte abluta fuit. Postremo an. AN. C. MDLXXXVII. & sequẽti in Citeriore India baptizati sunt circiter octo hominũ millia, erantq; an. MDLXXXIX. Catechumenorum millia nouem, baptisatorum vero quinquies mille.

CONSIDERATIO VLTERIOR omnium earum, quas descripsimus, Insularũ, & locorum Terræ continentis per Africam, Asiam, Indiam. Eorum commoditas, vtilitas & momentum ad rem Hispanicam. De Insulis Philippinis. Qui reges amici sint regi Hispanorum, qui tributarii, qui deniq; vicini. Quid iuris prætendant Hispanorum hostes.

IAmprimum Insulæ Flandricæ siue Azores ratione situs plurimum commoditatis præstant regi Hispanorum, quod sine his neque nauigatio in Æthiopiam, neq; Indiam, neque nouum orbem continuari possit, quod omnes naues, quæ ab his partibus Hispalim aut Olysipponem petunt; necessario hic appellere cogantur, quæ ab occidente veniunt; vt persequantur institutum suum; quæ ab Oriente, vt ibi expectent commodos nauigationi suæ ventos. Præterea vltra oppida Seutam & Tengim (hodie Tanger) iuxta Fretum Herculeum, & Mazagan extra Fretum sunt in littore Africano à Promontorio Aquero vsque ad Guardafu duo genera hominum: aliis quidem Regis Hispani dominium sine exceptione agnoscentibus, aliis vero eidem confœderatis. Parent regi Hispanorum hæ Insulæ: Madera, Portus Sanctus, Capitis Viridis, Canariæ, Arguina, S. Thomæ, Principis, aliæq; vicinæ. Sufficit autem harum Insularum fertilitas non incolis duntaxat, sed mittitur inde in Europam multum saccari & fructuum arboreorũ, quibus Madera non minus abundat quam vino: sed & S. Thomæ Insula non minus nobis submittit saccari. Infestantur autem hæc regna atque Insulæ à nemine, nisi à Piratis Anglis, qui tamen Insulas Capitis Viridis raro transeunt. In

Insula Arguina & S. Georgii de Mina habẽt Lusitani duos procuratores mercimoniorũ, & duo loca instar fortalitiorum munita, vnde negociantur cum vicinis Æthiopibus, quiGuineam Libyamq; incolunt, accipientes ab his eorumque vicinis aurum. Est autem inter confœderatos principes potentissimus rex Congi, qui regnum possidet temperatius cęteris per Æthiopiam, eoque nomine magis populosum.

Habent ibi Lusitani Colonias duas: vna est in oppido S. Saluatoris; altera in Insula Loanda. Percipiunt ex hoc regno varias diuitias, inprimis vero ad mille mancipia singulis annis, quæ diuendunt per Insulas in Nouum vsque Orbem; constituta lege, quantum ex quolibet mancipio diuendito ad regem redeat pecuniæ. Ex hoc regno facilis est trãsitus in vastum illud Prete-Iani regnum, quod plenum est Elephãtis & omni alimoniæ genere. Attingit Congi regnũ Angolã, cum cuius rege Paulus Diazius atrox & longum bellum gessit, vario euentu, ob quasdam argentifodinas.

Est autem communis opinio, si Lusitani tanti æstimassent res prope sitas, quanti longinquas, conuertissentque illas vires, quas exhauserunt circum bonæ spei Promontorium nauigando in Indiæ partes, Malacam, Insulasque Moluccas: has inquam vires si in Africę occupationem cõuertissent, vix est qui dubitet, potuisse eos multo facilius, & longe minorib. sumtibus easdem aut ẽt maiores adipisci diuitias: quod non sint in toto hoc vniuerso regna auro abundantiora quam Africana ista: Mandiq;, Æthiopia, Congo, Angola, Butuense, Torosium, Monomotapanum, Caphatium aliaque. Sed ea est humanæ auaritiæ consuetudo, vt semper pluris æstimet aliena quam sua, & vt ille ait:

Quicquid quæritur optimum putatur.

Inter Promontorium Bonæ spei & Guardafu habent Lusitani hæc propugnacula: Cefalam & Mosambicam. Ex vna defendunt negotiationẽ cum vicinis gentibus: ex altera tutas reddunt nauigationes Indicas, quod classes fere ibi hybernare soleant, vel se reficere rebus necessariis. Amico vtuntur in hac parte rege Melindæ, vt & Quiloense; vicinæ vero Insulæ etiam tributum pendunt. Verbo dicam: nihil hic deest Lusitanis præter hominum multitudinem, quorum defectu fit, vt non tantum alias deserant Insulas, sed immanem illam S. Laurentii, quę inter maximas totius orbis referri debet, cum mille ducenta habeat in longitudine millia, in latitudine vero CCCCLXXX. parum culta, fertilis tamen omnium bonarum rerum, habens insuper elegãtes fluuios, sinus capaces & portuosum littus. Neminem in his locis metuunt Lusitani, nisi forte Turcarum naues: Sed perpetui nauium Hispanicarum aditus & abitus hunc illis facile adimunt metum, contigitq; anno Salutis MDLXXXIX. vt Lusitani iuxta Mombazam interciperent quatuor Triremes Turcicas & Onerariam vnam, quæ naues ausæ fuerant, huc vsq; procurrere.

Regna Asiæ potissima hæc sunt. Persicum, Cambaiense, Indicum. In Persico littore obtinẽt Lusitani Armusium: in Cambaia Dium Insulam & Daman, & Bazain. In India possident Chaulũ & Insulam Goam, cum vicinia. præterea hæc munimenta, Cochinense, Colanense, Insulam Manariam, & in Insula Ceylan Portum Columbanum. Inter omnia hæc tamen excellit Goa, in qua est Proregis domiciliũ, & opes totius Indiæ.

Maximi fiunt Armusium & Dium ob dominium maris & negociationes in sinu Persico atque Cambaiensi. Cochino & Colano multitudo piperis celebritatem peperit, cuius hic multæ naues plenæ auehuntur. Manaria clara est ob conchas Margaritiferas: Portus Columbanus ob Cinnamomi copiam & bonitatem. Daman & Bazain ob vicinarum terrarum eximiam fertilitatem commendatur, quæ causa est, vt ea oppida Lusitaniæ rex emeritis militibus assignauerit. Goæ præcipua laus in commoditate situs, coniuncta cum vicini agri vbertate.

Habet etiam in his locis Hispanus rex Principes quosdam amicos socios q;, alios vero tributarios. Ex amicis primus est idemque opulentissimus Cochinensis. Erat hic prius beneficiarius & cliens Regis Calecutensis, nec magnas habebat vires: at postea per amicitiam & cõmercia cum Lusitanis euasit adeo diues potens q;, vt vicini reges non sine causa ipsum suspectum habuerint.

Est & Colanensis rex ex Hispani regis amicis, qui munimenta quędam habet non leuiter æstimanda. Malacense regnum amplissimũ est, quippe quod extenditur ad ducenta sexaginta millia, quanquam raris habitatoribus pene desertum. Vrbs tamen eiusdem nominis inter celeberrimas referri potest Emporia. Nam omnes naues quæ magnum nauigant Oceanum, ab ostio siue Freto Maris Erythræi vsque ad Promontorium Liampense; huc appellentes, secum ferunt diuitias non terræ solum continentis, sed & vicinarum Insularum, quæ simul sumptæ vix cesserint magnitudine ipsi Europæ. Habet Rex Malacæ duos præpotentes hostes, regem Yorensem & Achenẽsem: quorum prior terrestri militia valet, posterior classe. Obsedere vtriq; hanc vrbem coniunctis viribus nõ semel, eamq; ad extremas redegere necessitates. At rex Malacensis adiutus Indorum & Lusitanorum copiis, semper se tutatus est, repulsus inimicis. Nouissime Paulus de Lima Yorensem regem acie deuicit, occupato firmissimo munimento, quod hic haud procul Malaca erexerat, in quo præter cęteras res aiunt reperta fuisse nongenta tormenta bellica, æneo omnia. Nec tamen hoc pacto Malacensibus securitas parta est, nomine regis Achenensis duratax at, qui nihil quærit præter illius tam inuidiosi regni exitium.

Philippinæ Insulæ pertinent ad Gubernationem Nouæ Hispaniæ, non quod intra illius regni confinia iaceant, aut pars sint Noui Orbis, sed quod primum detectæ fuerint anno Salutis MDLXIV. per Michaelem Lupum Lecaspium, quem miserat ad has perueſtigandas Ludouici

de V

de Velasco, Prorex Nouæ Hispaniæ. Creduntur in isto Archipelago, quod latissimo spacio intercedit inter Nouam Hispaniam & Taprobanen (hodie Sumatram) esse Insulæ circiter vndecies mille, maiores minoresque. Etsi autem Hispani has plerasque sub Philippinarum nomine complectantur, magis tamen proprie conuenit nomen istud septentrionaliorib. Occupauerunt ex iis Hispani circiter quadraginta, in quibus vltra decies centum millia habitatorum creduntur esse. Abundant autem generatim loquendo, auro, rebus ad victum necessariis, & Cinamomo, quarum rerum hinc magna vis exportatur in vtramq; Hispaniam.

Intulerunt in has Hispani ex Europa boues, vaccas, equos, cæteraque iumenta, vt ibi incolarum bono fætificarent. Habitantur defenduntur que hæc loca ab Hispanorum circiter mille sexcentis, inter quos vix nongentos milites reperias. Maioris hæ Insulæ momenti sunt, quam quis ignarus credere possit, quod præter alimoniæ copiam & aurum quod suppeditant, ratio situs earum commodissima sit, ad subigendas vicinas gentes, & introducendum negotiationes marinas ad has partes, nouamq; Hispaniam, & promouenda commercia cum Chinensibus & Mexicanis, quæ longe sunt quæstuosissima. Maxime autem istud faciendum est, quod inde cæptum est iniici frenum Mahometanis, qui sensim arripiebant dominium Insularum Asiaticarum, cum longe facilior sit Hispanorum in has partes nauigatio, ex regnis Mexicano & Peruano, quam illorum ex Arabia: cum naues repertæ fuerint, qui duorum mensium tempore ex Peruiæ partibus, Aquapulco & Xaliscis, in Philippinas Insulas venere, cum nauis ex Arabia vix mestri spacio iter illud conficere possit: non solum quod via illinc est breuior & expeditior: sed & quod magis propitios in ea nauigatione Hispani habeant ventos quam Mahometistæ. Illi enim linea recta progrediuntur: hi vero curua & obliqua. Illi prope semper eadem anni vtuntur tempestate: hi diuersa. Nam progressis ad promontorium Camorinum æstas mutatur in hyemem: idem prope iis contingit apud Malacam, vbi hac de causa subsistere coguntur. Adde quod Hispani semper vsi secundis ventis, per mare pacificum nauigent: contra Arabes impetuosum sulcare necesse habeant pelagus, inter innumeras Insulas frequentesq; æstus marinos, variantibus subinde ventis, & grandi à Piratis imminente periculo. Plurimum etiam ad rem facit, quod Hispanorum & Lusitanorum, vt sunt coniuncta regna, ita quoq; vires & robur belli: vnde fit, vt non sine causa suis rebus metuant Chinenses, videntes, Christianorum subinde crescere in his partibus potentiam.

Consistit autem robur & potentia Hispanorum, quoad hæc loca, in duabus rebus. Primo in commoditate locorum ratione situs: deinde in numero & bonitate copiarum militarium. Nam de situs ratione primo dicamus, gnari Lusitanos esse propter paucitatem suam validam aliquam vicinam prouinciam armis ac vi inuadere non posse, neque Persis, Gusaratis aut Decaninorum Principibus satis efficaciter resistere posse: vnice in id incubuerunt, vt occupatis locis commodissimis & portuosis littoribus, maris dominiũ arriperent, acquirendorum mercimoniorum ergo, vt locorum ipsorum firmitate freti pauci quamplurimis assilientib. resistere possent. Accedit, quod postquam portus adeoq; ipsum mare in sua habent potestate, facile iis sit quantamuis magnam classem in Oceanum emittere, vt non facile quisquam eorum vires marinas labefactare possit, cum nauibus vtantur optimis instructissimisque, vt vna harum quatuor aut plures Indicas vix reformidet: est vna res quam metuunt, Hollandorum furiosi conflictus, quorum non semel is est euentus, vt vtrique simul pereant. Vt autẽ melius constet exemplo, quantum Hispani in his partib. classe valeant: Constat Franciscũ Almeidẽ sem cũ viginti aut non multo pluribus nauibus, Mamaluccorum haud procul Dio vrbe vicisse classem. Alfonsum vero Albuquerquensem Calecutum oppugnasse cũ XXX. magnis nauibus: Goam cepisse instructum viginti & vna: eandem ereptam sibi recuperasse cum nauibus XXIV. Malacam occupasse cum XXIII. ingressum vero mare Erythræum cum XX, recepisse Armusium. Nunesium vero de Acugna contra Dium in expeditionem iuisse cum nauibus CCC. in quibus fuere Lusitanorum millia III. Indorum V. præter seruos armatos, quorum ingens fuit numerus. Postremo Constantinus Bragancius Onorium inuasit cũ classe nauium CLX. & cum totidem velis Ionesaptanum regnum.

De Principibus Regis Hispaniæ amicis actributariis diximus: dicendum est etiam de hostibus eius, qui sunt sane potentissimi. Persa enim Armusium sibi vendicat, nomine Feudi. Rex Cambayus Dium veteri possessionis iure, cum nonnullis aliis terris. Tertius est Rex Calecuti & Narsingæ. Neq; tamen Persa aut Narsingensis vnquam quicquam contra Lusitanos effecere, distenti aliis, grauioribusque bellis. Reliqui non semel conati sunt recuperare Dium, Goam, Chiaulum & alia loca, quanquam fere semper irrito conatu, quod ea loca ab auxiliaribus copiis ratione situs intercludi non possint. Nec hyems hostibus quicquam profuit, cuius difficultatem Hispanorum naues facile superauerũt. Accedente obsessorum dura tolerantia, & sociis magno animo ad iis ferendam opem properantibus. Sic omnis vis & robur hostium in fumos abiit.

Potentissimus tamen omnium est Hispanorum hostis Turca, cuius classes per mare rubrum inuectæ, vsæ commoditate ciuitatis Adensis, aliquoties conatæ sunt inde profligare Lusitanos, inuitatis à Rege Cambaiæ, & propria impulsis ambitione Turcis. Numerosissima autem, quam vna vice habuere classem, constitit nauibus LXIV. quæ Dium inuasere, turpiter reiectæ inq; fugam pulsæ; vt & alia classis XXVII. nauium,

uium, quæ Armusium tentauerat.

In Insula Zeylan non habent nisi vnum munimentum, Columbanum: cuius rex spoliatus regno suo ab Æthiope, cui nomen Singua Pandar, iam ope Lusitanorum & submissis se tutatur auxiliis.

DE NOVO MVNDO SIVE ADVERSO HEMISPHÆRIO, CVIVS MAXIMAM PARTEM Hispani sibi vendicant.

SVMMA CAPITA.

1. *Veteres duabus difficultatib. impediti, quod hanc orbis medietatem siue Hemisphærium non detexerint. Iidem tribus illis partibus totum hoc vniuersum definiuerunt: Asia, Africa, Europa.*

2. *Acus Nautica siue Marina, cuius ingens est in longinquis nauigationibus vsus, inuentum cuiusdam Itali ex regno Neapolitano, qui tam nobile instrumentum creditur inuenisse sub annum Christi MCCC.*

3. *Quod sit ingenium & natura Zonæ torridæ.*

4. *Confertur Nouus ille Mundus, (qualis quidem fuit cum reperiretur) cum hoc nostro siue Veteri: differentia vtriusq; hemisphærii cum huius tum illius: quibus rebus nouum illud veteri præstet.*

5. *Vnde habitatores aduersi orbis ortum trahant. Exploduntur erroneæ de eorum origine opiniones.*

6. *Diuisio latissima Terrarum Nouarum in duas partes, Americam & Magellanicam, cum descriptione vtriusq;.*

7. *Catalogus locorum atq; regionum, quæ regis Hispani imperium in nouo illo orbe agnoscunt, inter quæ caput altius effert propugnaculum S. Helenæ, cum tribus aliis in regione Florida.*

8. *Sinus Mexicanus.*

9. *Noua Hispania.*

10. *Gallœcia noua.*

11. *Prouincia, Mechoacana & Mexicana, cum Gastecana.*

12. *Iucatana.*

13. *Gattimalenses.*

14. *Terra Firma.*

15. *Nicaragua.*

16. *Castilia Aurea.*

17. *Nouum regnum Granatense.*

18. *Brasilia.*

19. *Peruuia.*

20. *Chile.*

21. *Præcipua oppida & loca regni Peruani.*

22. *Oppidum S. Crucis in Monte.*

23. *Tucuma Regnum, in quo Hispani habent quinque Colonias.*

24. *Paragaya.*

25. *Hispaniola.*

26. *Cuba siue Insula Ferdinandi.*

27. *Iamaica.*

28. *Insulæ Canibalum.*

29. *Historia Generalis noui orbis: eius vires atq; robur: gubernatio tam ciuilis quam Ecclesiastica.*

30. *Quam de Deo cognitionẽ habeant isti homines.*

31. *Idololatria eorum erga mortuos.*

32. *Et Statuas.*

33. *De Guacis siue Templis eorum.*

34. *De sacerdotibus, Monachis, Vestalibus.*

35. *Sacrificia eorum tam ex hominibus immolatis quam bestiis.*

36. *Sacramenta eorum, in multis rebus ad Romanæ Ecclesiæ ritus accedentia, quæ Diabolus ad æmulationem veræ religionis malitiosa quadam Cacozelia apud has gentes commentus est.*

37. *Præparatio Noui Orbis ad recipiendum Euangelium.*

38. *Præsagia quædam & omina futuræ annunciationis Christianæ fidei in nouis illis terris.*

39. *Prodigia quibus idem ostensum fuit.*

40. *Quid conuersionem Indorum ad Christianissimum promouerit, quid contra impediuerit.*

41. *Barbari inter se multum discrepantes feritate & moribus, & quo pacto illis prædicatum fuerit Euangelium.*

42. *Quam difficilis fuerit Americanorum conuersio, & quibus de causis.*

43. *Quib. remediis difficultates illæ & impedimenta amoueri tolliq; possint.*

ALTERA pars dominii Hispanici consistit i Nouo (vt appellamus) orbe siue Mundo: bi omnia sunt ad nutum & lubitum regis illiu cum nemo ibi sit, qui ipsius conatibus obuia eat, aut vllo pacto aduersetur. Diuiditur auten quicquid terrarum sub Noui Orbis nomine c tinetur, in Insulas & Terram Firmam, siue co tinentem. Insularũ maris septentrionalis, quo vulgo vocant *Mar del Nort*, tam ingens est cop vt earum numerus ne nostro quidem tempo certo iniri possit, cum constet solas illas, quæ caiarum nomine censentur, vltra quadringent esse.

Adde quod quædam harum Insularum tan sunt amplitudine, tantaq; prouentuum vber te, vt singulas singula regna non absurde app lare possis. *Boriquena* in longitudine habet trec ta millia, in latitudine sexaginta, cui non mu tum cedit *Iamaica*.

Cuba trecentas Leucas longa esse creditur, ta viginti. *Hispaniola* peridromus comprehen CXVI. millia.

In continente Rex Hispanus potenter ob net omne illud terræ spacium, quod à *Florida* c tenditur per *Nouam Hispaniam*, *Iucatanam*, o

imp

immani illa Peninsula meridionali, & hinc vsq; ad *caput* siue Promontoriũ *Californiæ*, ipsum regnum *Quiuiræ*, & vlterius, quantum quidem telluris detectum est.

Noua Hispania, quæ incipit ab *Sancta Helena* Castro, transitque per *Panamam* vsque ad *Quiuiram*, habet in longitudine circiter millia quinq;, totus vero eius ambitus complectitur millia C. quibus si iungas confines terras versus Aquilonem, inuenies nouies mille millia.

Peruuia incipit ab littore siue ora Panamensi immani terrarum spacio. Quicquid autem inter fluuios prægrandes Maragnonem & Argenteũ (quem Hispani *De la plata* appellant) interiacet, sub Brasiliæ nomine comprehenditur, spectatq; ad regnum Lusitanicum. Antequam autem vlterius in aduersõ hoc Hemisphærio prograediar, aliquid de vastissimarum illarum terrarum inuentione dicendum erit.

Arbitramur Aristotelem cum plerisque è veteribus duabus rationib. inductos fuisse, vt crederent, extra Europam, Asiam Africamque homines non esse, nec vllibi præterea globum istũ habitari. Prima est ingens illa latitudo & vastitas Maris Atlantici, quam transire, ob immensam aquarum molem, longe supra captum & vires humanas existimauerunt: & hoc mouit S. Augustinum, vt negaret Antipodas. Altera causa quæ veteres decepit est, quod crediderunt Zonam Torridam ob intolerabilem Solis æstum habitari non posse, non magis quam partes terræ vriq; Polo subiectas ob intensissimum frigus.

Cæterum si vtramque causam propius contemplemur, deprehendemus, multo plus vitium habere priorem, quæ Oceani vastitatem ro fundamento habet, quam posteriorem. Sed e hac in posterioribus agemus. Iam de altera dicemus. Constat autem veteres aliquam Zonæ Torridæ cognitionem habuisse, cũ Hanno Carthaginensis, vt Plinius testatur, nauigauerit litis Africanum, à Freto Herculeo vsq; ad Sinum Erythreum: Eudoxum autem quendam contrario itinere à mari Rubro siue Erythræo nauigasse dicit vsq; ad Fretum Gaditanum. Quod si verum est, oportuit eos æquinoctialem lineam adoque Zonam Torridam bis transire. Accedit quod veteribus nota fuit Æthiopia, India vtraque, intra & extra Gangem, itemq; Chersonesus Aurea, quæ regiones omnes sunt intra Zonæ Torridæ orbitas.

Adde his quod Plinius meminit Taprobanes, quæ sub æquatore sita est: potuissetque veteres ommonefacere ipsa illa in qua nos habitamus, ona, Torridam habitabilẽ omnino esse. Quaniam enim communiter Sol calefaciat & exsicet vicinitate radiorũ suorum, eoq; magis, quo rectiores illi sunt, ita, vt ob distantiam & obliitatem eorundem radiorum locum faciat friditati, vt nobis ostendunt dies & nox, æstas & iems: multas tamen exceptiones admittit generalis ista regula, inprimis pro diuersitate situs. rtus enim causarum vniuersalium in produione effectorum limitata est & quasi restricta ad qualitatem materiæ: & hæc est ipsissima causa, quod Astrologorum prædictiones toties errent decipiantq;. Sic videmus, ventorum violẽtiam duplicari in vallibus, diminui autẽ in planis locis campestribusq;. Ita solis ardor densatur ac multiplicatur in concauis speculis, dissipatur a. & vacillat in planis. Et ne abeamus longius, ipse calor & frigus aeris, adeoq; ipsarũ regionũ, infinitas admittit differentias pro diuersitate locorum altorum aut depressorum, æqualium vel inæqualium, itemque si in Aquilonem conuertantur, vel Austrum respiciant, vel deniq; in ortum aut occasum vergant: prope an procul à mari absint, in vicinia alicuius lacus, siluæ, fluuii, sint ne exposita ventis an nõ. Nouimus omnes, Angliam amplius distare ab æquatore quã Galliam: & tamen fatentibus vniuersis, Anglia hac temperatior est. Sic Selandicæ Insulæ minus rigent frigore, quam Atlantis Montis summa. Nunquam vicinia Solis maiores producit effectus quam in æstate, neq; absentia eius quam in hyeme. Quid autem dicemus si in eadem ab æquatore distantia Solisq; cursu inueniamus mutari tẽporis qualitates? Gata Mons est, qui sumta origine ab Monte Caucaso vniuersam Indiam mediam transit vsq; ad Promontorium Comorinum. Atqui eodem tempore cis montem illũ hyems incipit sub initium Aprilis mensis, & in altera parte, vltra montem æstas. Ibi videbis dominari pluuias, cum frigidis & procellosis ventis: hic vero serenos suauesque lucere soles. Illic mare iniquum est & difficile nauigantib. vt nautæ vix intra ipsos portus securas obtineãt stationes: hic a. Sinus Gangeticus siue Bengalensis blãdum negociatorib. exhibet iter & mare tranquillum. Postremo dicendum est, montem Gatam maiores habere effectus quam ipsum æquatorẽ, cum in tantillo spacio tempestates anni variare tam insigniter nouerit. Quod si igitur hanc hyemis & æstatis differentiam in eadem graduum altitudine deprehendimus: fatebimur vtiq;, caloris gradus, frigoris, siccitatis & humiditatis, non absolute dependere à propinquitate vel absentia solis, neq; à rectitudine aut obliquitate radiorum. Potest ergo moderatum frigus consistere ac locum inuenire in vicinitate Solis, & humiditas etiam cum rectitudine radiorum eius concurrere, vt prata ac pascua à Zona Torrida excludenda non sint, quod Aristoteles cum nõnullis aliis opinatus est. Cęterum prior illa difficultas multo plus momenti videbatur habere etiam ipsis antiquis. Nec mirum, cum in nauigationib. suis duces alios non sequerentur quam Solem, Lunam, Arctos, Cynosuras, aliasq; stellas. Obtecto igitur cælo nubibus, & sublata solis & stellarum claritate, ventis erant permittenda vela, aut coniectura aliqua diuinandum, quantũ viæ fecerint, quantum restet, quod eadem esset cęli mariq; facies, vnde nihil causæ ipsis apparebat, cur huc potius quam illuc eundum esset.

DEVS igitur, cum iam consilio agitaret transferendum in has terræ partes de Filio suo Euangelium, aperuit cuidam Flauio de Cosia, Amal-

phitano, nato ciui regni Neapolitani, mirum illud naturæ secretum, quod in Magnete Lapide delitescit, cuius ea est virtus, vt ferrum eo lapide contactum continenter in Septentrionem inclinet ac tendat, eamq; terræ plagam hac ratione monstret. Factum hoc perhibent anno AN. C. MCCC. Deprehenditur tamen hic aliquid differentiæ: quod ferrum Magneti lapidi attritum in quibusdam locis recta Septentrionem petat, alibi vero paululum diuertat, modo in orientem modo in occidentem: quæ Acus Marinæ diuersa declinatio nisi curiose admodum obseruetur, facile fieri potest, vt à proposito itineris scopo aberrent. Distat autem Stella Aquilonaris, siue Vrsa à nostro Polo gradibus tribus cum dimidio.

Igitur beneficio huius Lapidis, cuius attritu ferrum ostendit Polum Arcticum, confisi nautæ, audent immensam illam Oceani vastitatem traiicere, nouasq; peruestigare terras atq; Insulas: quod quidem adeo difficile non est, cum scientibus qua parte sit Septentrio, obscurum esse non possit, ad dextram esse orientem, ad sinistram occidentem, Meridiem autem Septentrioni oppositum. Patet hinc, quam sæpe diuina sapientia per res viles & exigui momenti, ingentes producat effectus, cum acicula ferrea Magneti affricta nihil vel precii habeat vel pulchritudinis, & tamen omnium actionum humanarum maxime ardua & admirabilis, videlicet nauigatio inde dependet. Ostensis iam difficultatibus, quæ veteribus in peruestigando Nouo isto Orbe obstiterunt, simulq; vtra inter eas plus momenti siue potius impedimenti attulerit: cõsequens est, vt de Zonæ Torridæ qualitate nõnulla dicamus.

3 Primum igitur istud velut pro fundamento statuendum est, æquatorem esse Circulum cælestem, qui totum orbem terrarum cingat ab oriente in occidentem, vtrimq; pari spatio ab vtroque Polo distantem. Dicitur etiam circulus æquinoctialis, quod cum Sol eum attingit (fit autem bis quotannis, Martio & Septembri mensibus) eandem dies cum nocte habeat longitudinem horarum duodecim, quod tempus dicitur æquinoctium. Post hunc duo alii obseruantur circuli imaginarii, qui vocantur duo Tropici, ideo, quod Sol, postquam alterutrum eorum attigit, conuerso itinere reuertatur versus æquatorem. Is qui est vltra æquinoctialem versus Austrum, vocatur Tropicus Capricorni: qui autem ab nostra parte est Aquilonem spectans, Tropicus Cancri appellatur: distatq; ille ab æquatore gradib. viginti tribus & dimidio Meridionalib. hic vero totidem gradib. Septentrionalibus. Igitur Zona torrida complectitur interuallum illud terrarum, quod inter vtrumque Tropicum est medium, gradib. quadraginta septem, qui respondent M C C C C X. Leucis Gallicis terrestrib. acceptis tricenis Leucis Gallicanis pro vno gradu: siue potius (quia magis probatur Geographices peritis milliarib. Germanicis vti) DC. CV. milliarib. Germanicis, quorum quindecim vni gradui latitudinis respondent. Iam itaq;, posito hoc fundamento, primum dicendum est, Zonam illam Torridam abundare aquis omnis generis, cum & ibi pluat, & ningat, idq; fiat multo magis, Sole radiis suis directis vertices eorũ feriente. eo n. tempore imbres multo effusiores cadunt, qui fere sub ipsum meridiei tempus incipiunt. Adde his, quod vix in vlla alia terræ parte maiores reperiuntur fluuii, cum constet in sola illa Peninsula Australi Noui Orbis, plurimos amnes esse exquisitæ magnitudinis, quos quidẽ iam omittemus omnes, solo illo D. Magdalenæ fluuio in testimonium adducto, cuius ostium, vbi deponit aquas suas, ad septem Leucarum latitudinem accedere aiunt. Iungamus huic, si placet, Orelianum amnem, cui septuaginta Leucas in latitudine: itemque fluuium Argenteum, cui quadraginta tribuũt. Nec lacub. destituitur Zona Torrida, ostendente id Ticicaca Lacu, cuius ambitum octoginta Leucis metiuntur, itemque Parensi, & Bombonio, suntq; adeo pauci montes, quib. non adiuncta sint aquæ stagnantes, è quib. prodeũt pleriq; fluuii & amnes, qui terras illas humectant irrigantq;. In altera Peninsula cis Isthmum versus Arctum lacus est Gattimalensis, longus quinquaginta milliaria, & Nicaraguensis etiam amplior, cuius longitudo CCC. millia conficiat. Mexicani Lacus ambitus continebat mill. centum: ast ille quem vocant Mare Cephalicum, peridromum habet mill. CL. Omnea. regnum Mechoacanum plenũ est lacubus, fluuiis fontibusq;. Si vero placet, ab Aduerso in nostrum orbem transire, vbi sodes plures reperies lacus fluuiosq; maiores quam in Æthiopia sub ipsa Zona torrida. Lacus insigniores duo sunt: prior vnde originem sumit Nilus, alter per quem currit, quorum vterq; in diametro habet millia C. His lacubus fluuiisq; se cedere negant, qui sunt in regnis Congo, Angola & Monomotapa. Lacus quidem duos habent Æthiopes, Aquelondanum & Collucanum, quorum ingens perhibetur vastitas: fluuii vero maximi sunt Coanthus & Niger, qui in brachia diffluens, alios etiam ex se gignit non parui nominis amnes, Senagum & Gambeam. Zairus vero fluuius, vbi oceanum Æthiopicum ingreditur, latus est viginti millia; quodq; magis etiam mirere, pleriq; ex iis, quos commemorauimus fluuiis, non cõtenti intra suos, quamuis amplissimos, se continere alueos, quotannis exundatione vicinos cãpos obruunt. Sancti Thomæ Insula & Sumatra sub æquinoctiali sitæ sunt linea, quarum tamen vtraq; humidior est quam credi possit. Et in illa quidem mons præaltus assurgit, vmbilicum fere Insulæ obtinens, perpetuis coopertus nubibus, vnde tantum defluit vndarum, vt eam pi inde affatim irrigentur. Sumatra etiam plena est paludib. fluuiisq;, quorum qui præcipui sunt oriuntur ex pręgrandi Lacu, stagnanti super edi tum quẽdam montem in medio Insulæ. Et quasi Natura non satisfaciat sibi ipsi, productis aquis ex aere & terra ad humectandam Zonam Torridam: eadem producit etiam prægrandes carinas concauas, in quib. magna vis aquarum continetur, vt videmus in regione Quitensi & Mexicana

lucc

lucci Insulis, quæ terræ sunt sub ipso æquatore.

Nec hoc loco silentio prætereundum est, sub Zona torrida in vniuersum mare esse multo vastius, & plus aquarum, vt contra in nostra, id est, temperata Zona, plus est terrarum quam maris. Addamus his quoq;, certũ esse, crescere aquas sub Zona Torrida magis, & densiores cadere imbres, quo propius Sol adæquatorem accedit: vice versa desinere aquas, cum is ad Tropicos conuertitur. Nec solum humida est Zona Torrida, vt ostendimus, sed etiam temperata in calore, vt inueniantur ibi regiones, quas magis frigidas quam æstuantes appellare possis, quod patet in Pasto, Collonia, Potosi, vbi montiũ summitates perpetuis niuibus & glacie operiuntur. Causam in genere huius rei adstruere possumus longitudinem noctium iuxta lineam æquinoctialem, vbi fere semper pares sunt diebus: à qua Linea, quo magis discesseris, eo longiores inuenies per æstatem dies, & noctes breuiores. Hinc fit, vt dies æstiui in Britannia lõgiores sint, quam in Italia Africaq;. Illa igitur dierum breuitas facit, vt Sol tam intensum calorem sub æquinoctiali linea producere non possit, quam in locis ab ea paulo remotioribus. Exemplo res erit clarior. In extrema dura Hispaniæ, vel Apulia Italię æstas multo est ardentior, quam in regionibus Noui Orbis Quito & Collao, quod notum sit, continuationem operationis in causa efficiente multum facere ad perfectionẽ effectus. Et hęc quidem ad hunc modum habent. Quid a. dicemus de ingenti differentia, quæ deprehenditur in ipsa Zona torrida, quæ alibi quidẽ calida valde est, alibi vero frigidiuscula? Hæc quæstio non contingit nouum solummodo orbem, sed omnes in genere terras atq; regiones, ideoq; supra iam r. spõdimus, vbi diximus, ipsum Solis calorem sexcentas recipere posse differentias, ratione situs ac proprietatis ipsarum regionum. Is tamen vlterius adiungemus, aduersum istud hemisphærium plenum esse prealtis montib. qui rerem intersecantes frigidiorem efficiant, tam altitudine sua, (cum notum sit summa quæque non frigore magis participare) quam quod perpetuis sunt cooperti niuib. intercedentib. insuper frigidissimis lacubus fluuiisq; qui inde prouent, quorum aquæ, cum ex soluta niue ac glacie colligantur, non possunt non esse crudæ ac grauidę, accedente vehementia & rapiditate curs, qua cũ impetu deuoluuntur è montib. perq; nualles ac campestria curriculo feruntur, vnde tam aer quã ipsa terra frigescat necessum est. Age his, si libet, montes illos, cum in summam ascendant altitudinẽ, magnas quoq; de se prouere vmbras, modo in hanc modo in illam partem, quæ vmbræ coniunctæ cum longis illis nocturnis multum conferunt ad temperaturam Zonę frigidæ. Compertum insuper est, ventos frigidiusculos fere indesinenter flare in illis partib. Venari n. Eurus perpetuum prope ibi obtinet dominium: Peruuiana. & Brasilia, quanquam Auster à meridie spirante perflentur, is tamen frigidior est quam quis credere possit, vt hac in parte Antonio non cedat.

Sed age, cõferamus deinceps vtrumq; hemisphærium, nostrumq; componamus cum nouo isto, quale quidem tunc fuit, cum primum detegeretur. Primum igitur nostrum illi duplici iure præstare videtur: tam ratione Cæli quam Terrę. Cæli, quod nostrum hemisphærium multo plures stellas habeat & luminaria cœlestia, quã oppositum. Nos n. habemus Stellam Polarem, non nisi gradib. trib. cũ dimidio à vero Polo Arctico dissitam, cum innumeris aliis stellis, quæ illam velut comitantur: cum cõtra Polus Antarcticus nullam stellam vicinã habeat, sed proxima quæque triginta gradibus inde distet. Alterum quo præstat, hoc est: quod Sol septem dieb. in anno amplius luceat versus Tropicum Cancri, quam Capricorni, vt æquinoctia & Solstitia nobis ostẽdunt. Et hæ duæ res in causa sunt, vt frigus versus oppositum polum sit acrius, quam versus nostrum, quod ille pauciorib. dieb. solis fruatur lumine, & non tam multis illustretur stellis. 4

Terra itidem nostrum hemisphęrium aduerso præstat duob. modis. Vnus est, quod nostrum magis extendatur ab occidente ad orientem, & consequenter aptius sit vitæ humanæ quam aduersum, quod vehementer angustum est & velut gracilescit ab occidente in orientem, extenditur a. & fit latius ab vno Polo ad alterũ. Terra enim quę porrigitur ab occidente in orientem, maiore fruitur æqualitate, cum semper pari spacio distet à frigore Aquilonis & calore Austri, fluentibus diebus noctibusque prope eodem modo. Sed vbi versus Polos iueris, incides in loca vbi noctes totos menses durantes inuenies, alicubi etiam per semestre spacium. Altera commoditas nostri orbis consistit in mari, quod multo habemus fauentius ad exercenda mercimonia & cõseruandam populorum societatem. Prętereenim Oceanũ, qui nobis cũ aduerso hemisphærio cõmunis est, habemus Mare Mediterraneũ, à quo tres nobiles illę partes Europa, Asia, Africa alluũtur, eiusq; beneficio velut coniunguntur. Accedat huc mare Caspium & Balticum, quorum illud plurimum cõmoditatis affert Asiæ, hoc vero Europæ. Sed & terræ nostræ planiores sunt & æquabiliores, ac proinde plus aptæ ad exercenda terra & aqua mercimonia. Videamus iam ea quæ vel terra nascuntur, vel inde natis nutriuntur. Et primum quidem cedat nostro nouus orbis necesse est in generatione perfectorum animalium: neq; n. habebat canes, oues arietesque, capras, porcos, feles, asinos. Maioris momenti res dicam: destituebatur bobus, equis, mulis, camelis atq; Elephantis. Ad Arbores si veneris, videbis illos caruisse cedris, malis aurantiis, granatis, limoniis, ficubus, Cydoniis, in primis vero oleis & vitib. Quanquã plus præstiterimus ratione animalium quam fructuum: in hoc n. genere bonitate duntaxat antecellimus: in isto & bonitate & varietate. De frugib. ita sciendum: nõ habuisse eos triticum nostrate, nec secalẽ, nec farris vllum genus ordeiq;, vti nec orizam. Horti a. ad voluptatem consiti, puta in quib. cucumeres, melones & id genus delitiæ, iis penitus erant ignoti.

In artificiis & ingeniorũ industria nemo Barbaros illos cum nostris hominibus ne comparauerit quidem: neq; n. illi ferramentis vsi fuerunt, materia ad omnis generis instrumenta perne-cessaria & in vita hominum perutili: neq; admodum igne, sine quo vix quicquã ingeniosum perfici potest. Tormentorum quidem siue pulueris pyrii illis nulla notitia, vt nec typographiæ, neq; litterarum omnino aut doctrinæ. Nauigabant illi quidẽ, sed non longius, quã vt ab littore cõspici possent: quæ cum dico, de ciuilioribus & minus feris loquor populis; quales fuerunt Mexicani & Peruani. Sed & in multitudine incolatũ noster orbis illum longe superat. In nouis n. illis mundi partibus, ingentes montes sunt, paludes vastæ, sylũæ vero, quarũ ne finis quidem vnquã patuit, vnde regiones illæ parum sunt habitatæ: quin & illud ipsum quod habitatur, non accedit ad regionum nostrarum frequentiam, quod hæ iam olim habitatoribus plenæ essent, cum illæ primum inciperent habitari. Accedit, quod apud nos inueniuntur artes quibus vita humana sustentatur, qualis est agricultura: vel quæ ad cõseruationem eius faciunt, vt Architectura: vel denique ad commoditatem, vt negociatio. Ita multiplicatione generis humani apud nos iunctim promouet & natura & industria: ibi vero, si verum fateri volumus, sola natura. Quin & hoc ipso tẽpore potissima incolarum Brasiliæ pars ferarum modo degunt, & in Nouæ Hispaniæ regno amplissimum terræ spacium Chichimici occupant, homines efferi, sine lege, sine capite, sine certis domiciliis, qui venatione viuũt & fructib. quos terra sponte gignit. Floridani & Paragaiini non multo illis sunt humaniores: cumq; Hispani primum in Peruuiam venerint, quanquam pleraq; loca satis populosa inuenerint, nullũ tamen oppidum ibi repererunt, quod ad ciuitatis formã accederet, præter Cusco, caput regni. Quæ cum ita sint, vt diximus, nostra tamen tẽpestate Nouus Orbis multo rariorib. incolis habitatur quã olim, partim propter bella ciuilia ipsorum inter se Hispanorum, quæ vel inter Pizarri & Almagri factiones, vel inter Pizarrianos & regios gesta fuerunt, in quib. circiter quindecies centena naturalium habitatorum siue indigenarum millia occubuisse certum est: partim vero ob crudelitatem & immanitatem Hispanorum, qui infelices Indos non solum pessimis afflixerunt & exhauserunt modis, sed & longissimis itinerib. de vno loco in alium deportauerunt, vbi tædio viæ ac laborum & mutatione aeris mori coacti fuerunt. Quæ res ipsis Hispanis non parum incommodi attulit, & etiamnum plurimum nocet, accedente vsu peregrinorum cibariorum, quæ ab Europa in illas partes orbis delata, ipsa inassuetudine Indis primum morbos deinde mortem attulerunt. Neq; enim tantum comedebãt carnium, neque tam crassas aut tam copiosi nutrimenti; neq; habebant vinum, quo tamen abundat Peruuia nostro tempore. Cumq; reges Barbari populum assidue distinerent, modo in ædificandis templis, modo in sternendis lapide viis publicis similibusq; operosis machinationib. nõ tãtum erat multitudini temporis, vt illud ebrietati vel ingluuiei tribuerent, vt nostro quidem tẽpore faciunt, vbi in tantũ abutũtur libertate, vt indulgentes ocio & ignauiæ, scortationi insuper & ebrietati, non obtorpescant solũ sed & pereant. Interiere ẽt permulti vsitatis frequentibusq; inter eos morbis, qui & noua inuenerunt nomina, imprimis a. lue Venerea, qua an. AN. C. MDLXVII. in Peruano regno plurimi pueri & adolescẽtes extincti sunt; plures tamen è fœmineo sexu quam masculi, compertumq; est, eos qui trigesimum annum superauerant, tunc quidem eo morbo tentatos non fuisse. Obseruatum etiam est, malum illud eos qui in Europa nati fuerant, nõ attigisse, quanquam cæteros ita afflixerit, vt cum ob has, tum alias rationes, quas suprà adduximus, pars maritima Nouæ Hispaniæ nostro tẽpore prope deserta sit. In Insulis quæ sunt in sinu Mexicano vix vllum semẽ primorum indigenarum reliquum factum est, multo minus a. in littore Parien. in campestribus vero Peruuiæ vix trigesima pars supereſt. Sed deinceps quoq; dicendum est, quib. in rebus Nouus ille Orbis nostrum huncce superet. Iosephus à Costa videtur eum temperatiorem facere nostro, quod neq; nimio exuratur æstu, neq; nimio molestus sit frigore in plerisq; locis. Sed hæc laus etiam nostro Orbi cum illo communis est; ẽt vbi vel sub ipso æquatore, vel haud procul ab illo abest: apparet hoc in ipsa Æthiopia, & Orientali India, atq; Chersoneso aurea. Ait præterea, Nouũ illum Mundum nostrum huncce vincere aquarum abundantia & multitudine pascuorum. E de aquis quidem non mentitur, cum multo plu spacii ibi occupet quam hic Oceanus, accedent bus duob. fluuiis, Argenteo & Maragnone, qu citra cõtrouersiam omnium maximi sunt totiu huius vniuersi. Excellere præterea America præ nostro Hemisphærio dicit in syluarum magnitudine, diuersitate arborum, radicum, herbarumq;, quib. potissima pars incolatũ in mũ tis locis vitam tolerat: quod quidem à vero nõ longe abire videtur, ob coniunctionem hum ditatis cum calore, cuius vtriusq; est perpetuu in iis partib. dominiũ. Ait à. idem Iosephus ext controuersiã esse, plus metallorũ, inprimis a & argẽti in aduerso orbe erui quã in nostro, qu quã hoc quidã adeo planũ & confessum non vt ipse opinatur. Dubitare n. iure possis, an Pe uiã in aurifodinis superet Æthiopiã, Monon tapam, Nandinguam, Sumatram, Lequin: & argentifodinæ Potosianæ ditiores sint quã Ca bebanæ in Angola. Postremo concludit Nou Hispaniam vnam esse ex præstantissimis tot orbis terrarum regionibus, qua quidem in pa nos ei non aduersabimur.

Et hæc de Nouo Orbe qualis quidem pti fuit seculis. Sed si eum cõsideremus vt nunc omnino existimo, eum præstare huic nostro: quidẽ in multitudine (cũ neq; quaquã adeo cu sit) sed in diuersitate animaliũ fructuumq;; c ad eos, quos suopte ingenio America protuli

iam noſtrates acceſſerint nō fructus ſolum, ſed & animantes: ad quam rem plurimū facit, quod ſemina Europea melius proueniunt in aduerſo orbe, quam Americana in noſtris partibus.

Porro non ſine cauſa quęritur, vnde habitantes nouum illum orbem primum in eas terras venerint. Sed iuuat eorum populorum de ſua origine audire opiniones. Igitur Guanches populi Andabaiæ, quæ vallis eſt ſubiecta montanis Cuſcenſium, fabulantur maiores ſuos ortos ex Lacu Sogodoca. Ii vero qui habitāt vallem Xauxenſem natos progenitores ſuos aſſerunt, conſuetudine viri & mulieris, qui prodierint ex fonte apud eos celebri nomine Guatibilca. Cuſcani repetunt originem ſuam ex magno illo Lacu Titicaca. Reliqui dicunt, poſt interemtum vniuerſali diluuio totum genus humanum, inſtauratos fuiſſe homines per ſex perſonas qui vitam ſeruauerint in cauerna.

Sed omiſſis his nugis delitiiſque, ſatis conſtat apud omnes ſanos, vniuerſum hominum genus ab Adamo & Eua prodiiſſe, à quibus originem traxerunt ii, qui in Arca Nohæ ſeruati fuerunt, progenitores omnium mortalium. Vnde clarū fit, Indos occidentales à nobis ducere genus & originem. Ex qua autem noſtri orbis parte huc venerint, ſcire facile non eſt. Nihil autem huic dubitationi plus afferre lucis poterit, quam locorum vicinia. Arbitratus Vopelius Geographus ſeptentrionale Gronlandiæ latus cohærere cum Eſtotilandia, & eſſe terram firmam ſiue continentem: quo conceſſo veriſimile eſt, Lappones Noruegioſque, cum excreuiſſent numero, deſtitutos idonea habitatione, paulatim velut proſerpēdo ad has regiones deueniſſe. Huic coniecturæ fidem aliquo modo faciunt incolarum viuendi ratio & conſuetudines, quæ in multis cum Lapponum ritibus conueniunt atque Norui giis: intelligo autem eos qui habitant Eſtotilandiam & Terram Baccalaos: Omnes enim habitant in cauernis aut excauatis arboribus: omnes veſtiuntur pellibus vitulorum marinorum, vel ferarum, viuunt è piſcibus aut fructibus, quæ inculta tellus ſua ſponte profert: ſed ne colore quidem hi multum ab illis differunt. Verſus Auſtrum, crediderunt veteres, terram illam quæ interuentu freti Magellanici ab America Meridionali ſeparatur, continentem eſſe, vel partem terræ firmæ, vnde non putauerunt difficile, cum fretum iſtud alicubi valde angustum ſit, homines ab auſtrali terra in Americam oppoſitam traiicere. Sed hanc coniecturam falſoſam, illamque terram, quæ fretum ad Auſtrum conſtituit, non partem continentis, ſed inſulam eſſe, Nauigatio Batauorum haud ita pridem detexit.

Extrema Orientis & occidentis nondum nobis cognita ſunt: Color duntaxat nouorum horum hominum magis participat cum orientalium quam cum occidentis incolis: color enim illorum qualis æri Cyprio, ex fuſco in ſubrubeum vergens, in quo tamen & ipſo colore certi quidam gradus ſunt, velut apud nos albedinis. In quibuſdam enim locis is eſt obſcurior, verbi gratia in Peruuia & Braſilia: alicubi vero clarior, vt in Paria & nouo regno Granatenſi. Inueniuntur & populi quidam nigri, ſed ii in exiguo ſunt numero, nempe in regiuncula carequa intra Carthagenam & S. Marthæ promontorium. Vnde non abſurde quis dixerit, veniſſe hos eo tempeſtate aliqua compulſos, vel ex Æthiopia, vel ex oppoſita Guinea. Ingens autem indicium eſt, ante Chriſtophorum Columbum in has partes ex Europæ parte ciuiliore & cultiore penetraſſe neminem, quod in omnibus iſtis prouinciis ne minimum quidem litterarum veſtigium repertum fuerit, aut aliarum rerum, quæ nobis per Europam familiares ſunt. Adde quod vltra ducenti anni vix effluxerunt, cum maxima pars earum Inſularum, quæ inter noſtrum continentem & nouum orbem intercedunt, velut Açores, Madera, Capitis Viridis, S. Thomæ, Principis, coli habitariq; cæpit, cum ante incultæ habitatoribus deſtituerentur.

Sic igitur cenſemus: Nouum iſtum orbem primitus habitatum fuiſſe à populis qui continuata habitatione, ex Europa & Aſia (nec enim videtur Africa ob ſitus diuerſitatem in hanc ſortem venire debere) quærentes ſubinde nouas ſedes atque domicilia commodiora paulatim ſe in iſtas oras infuderunt: accedentibus haud dubie etiam aliis habitatoribus, qui vi tempeſtatum & præter arbitrium eo compulſi ibi ſibi domos atque habitationes conſtituerunt.

DIVISIO NOVI ORBIS.

6. Ex quo tempore primum Chriſtophorus Columbus nouas illas terras detexit, nunquam ceſſauerunt Europæi homines, ſubinde nouis expeditionibus factis in penitiora illius continentis penetrare.

Etſi autem multi egregii viri qui cum audacia fortitudinem ſcientiamque conunxerunt, tam ex Hiſpania, quam ex Italia, Anglia, Luſitania, Gallia eo nauigarunt, vt aduerſum illum orbem penitus cognoſcerent, aſſequi tamen ſcopum ſuum nemo ex tanto numero potuit, aut ſcire, qui eius eſſent fines aut extrema verſus ſeptentrionem, occidentem, & meridiem. Ego quidem, vt de me profitear, malo ſequi auctoritatem eorum, qui ante me dixerunt, quam vanis laboribus aut quæſtiunculis tempus terere. Statuimus igitur illius noui orbis (de terra firma nobis ſermo eſt) partes duas, quas vocamus Americam & Magellanicam.

America rurſum diuiditur in duas prægrandes Peninſulas, quæ per Iſthmum quendam coniunguntur, longum leucas ſeptem, inter Nomen Dei & Panamam. Quod enim quidam vndecim leucas numerant, id fit ob curuitatem & difficultatem viæ, dum iter facientes vitatis ſcrupis & arduis montium commoditatem etiam per diſpendia quærunt. Nos alteram quidem earum Peninſularum nomi-

nabi-

habimus *Septemtrionalem*, alteram *Australem*. Et illi quidem tribuunt sedecim millia milliarium in circumferentia, quatuor vero millia in longitudine, ab ortu versus occasum. Fines eius versus Aquilonem nondum sunt cogniti. *Iacobus* quidem *Carterius* attigit eã sub gradu quinquagesimo, anno AN. C. MDXXXV. *Caspar* vero *Cortereal*is Lusitanus sub gradu sexagesimo sexto. *Sebastianus Gabotus* Italus peruasit vsque ad sexagesimum septimum, prohibitus immani frigore progredi vlterius. Postremo *Martinus Forbischerus* Anglus auspiciis Elisabethæ Angliæ Reginæ diuersis itineribus tentauit, an per fretum aliquod versus Cataiam & porro in orientem vsque ad Moluccas Insulas penetrare posset. Sed videtur se ipsa natura opposuisse eius conatib. non solum frigoris intolerandi vehementia, sed etiam ob pruinas in glaciem concretas, vt argẽti viui globulos referrent, tantæ virositatis, vt omnia consumerent, quę iis contingerẽtur. Accedebat, quod mare nullum se aperiebat in orientem, sed tantum porrigeretur fretum in septentrionem versus Polum. Et quamuis dictus Forbischerus rumorem sparserit, ingressum se fretum Arcticum, nunquam tamen scopum sui tam laborioſi itineris attingere potuit. Aperuit tamen nauigando oceanum regionem quãdam maritimam, quam appellauit Virginiam, cum nonnullis aliis terris desertis, ad quas peregrini quidam certis anni temporibus accedere solebant piscandi gratia. Cætera huius peninsulæ partim terminantur mari quod Aquilonare vocant, partim Australi.

Porro ea pars quæ in orientem vergit, complectitur tres regiones latissime patentes, *Estotilandiam, Terram Laboratoris, & Norembegam*, quæ pari prope terrarum spacio opponuntur Norueg iæ, Angliæ, Franciæ & Hispaniæ. *Estotilandia* septentrionalior est omnium earum regionum, quæ quidem in nostram notitiam peruenerunt. Aiunt autem hanc longo tempore ante Columbum inuentam fuisse à piscatoribus quibusdam è Frischlandia Insula: deinde penitius cognita fuit anno AN. C. M D XC. per Antonium Zenũ Venetum, auspiciis Zichmini Regis eiusdem Frischlandiæ & vicinarum Insularum.

Finitur *Estotilandia* Niuoso fluuio, qui sexagesimum gradum habet eleuationis Poli, incipitque ibi *Terra Laboratoris*, quæ porrigitur vsque ad fluuium S. Laurentii, quem aliqui nominant *Fretum trium Fratrum*, alii vero fluuium de *Canada*. Prẽterito Sinu trium Fratrum alius occurrit, quem *Quadratum* nominant, habens in longitudine fere octingenta millia, cuius ostium prope occluditur plurimis Insulis (Verazanus & alii numerant XXXVI.) quæ illi adorientem obiiciuntur. Nominatur autem regio isto Terra de Baccalaos, ducto nomine à pisce quodam cuius ibi ingens est multitudo, adeo vt fidem narrantium copia superet. Cum autem Insulæ illæ sibi inuicem vicinę sint, fit vt mare diuisum appareat in plurima brachia siue sinus, qua de causa multi ibi sunt portus commodi sane atq; securi. Peninsulæ illi magnæ Australi pariter tribuunt peridromum sedecim millium, longitudinẽ quatuor, latitudo eius admodum variat, cum inter Nomẽ Dei & Panamam ciuitates tantum intercedant milliaria VII. inter sinum Vrabæ & S. Michaelis LXXV. inter S. Augustini Promontorium & caput Album mille: ad Fretum Magellanicum CXXXIV. Interstinguitur prope vbique præaltis montibus, qui innumeras valles constituunt, è quibus infiniti profluunt fluuij maiores minoresq; quorum illi, qui in Oceanũ Aquilonarẽ aquas suas deponunt, longe maximi sunt, cæteroſque, qui aduersum Oceanum petunt, multis modis superant. Cuius rei causa est, quod montes, qui Peruanum regnum ab oriente cingunt, non tam longe absint à mari Australi, quin ab ipso conspici possint: vnde fit, vt ii qui in montibus illis oriuntur, breui admodum decurso spacio, mare ingrediantur, exhaurianturque antequam vires acquisiuerint.

Cum autem mihi constitutum nequaquam sit, totum illum nouum orbem describere, sed solum, quatenus concernit Monarchiam Hispanicam, contentus ero ea attigisse, quæ Hispanorum parent imperio, & vbi ipsi possessiones coloniasque habent, de reliquis prouinciis alibi dicturus.

CASTRVM SIVE FORTALITIVM S. Helenæ cum aliis tribus in Florida regione.

INitio igitur facto ab latere quod in Aquilonem vergit, sciendum, habere Hispanos fortalitium supra promontorium S. Helenæ, quod est in extremitate prouinciæ quæ Norumbega dicitur. Cum autem Galli colonias aliquot in ea prouincia plantauerint, videbimur extra propositum versari, si eas descripserimus prolixius.

Florida ab oriente terminatur Bahamania & Insulis Lucais, ab occidente habet regnum Mexicanum, ad meridiem Cubam & Iucatanam, à Septentrione Canadam, Virginiam, & Nouam Franciam. Longa putatur milliaribus CCC porrigiturque in mare angusto quodam vel promontorio; latitudo eius constituit mill. LX. Littus habet inæquale & asperum, vbi ma plenum est scopulis, inprimis circa istud promontorium, vbi scopuli sunt, quos Martyres appellant. Est hæc sub eodem cum Mauritania parallelo, vt medium eius XXXV. gradus altitudinis obtineat. Tot autem aduersitatibus & infa taniis iactati sunt Hispani, vt propemodum omnem spem obtinendæ huius prouinciæ abiecerint, etsi non ignari, quantas in aliquibus locis gigneret diuitias. Ab littore S. Helenæ vsque proiecturam Floridæ euntibus occurrit Rio ficcus, promontorium Crucis, S. Augustini, Cannaueralium. In Florida tamen habet rex Hispanus tria Castella, in quibus alit milites praediarios, nempe Iacobi, Augustini & Philippi, inde vsq; ad caput Terræ Nouę siue Franciæ Antarcticæ paruis vtuntur nauigiis, quæ remo impellunt, quod mare ibi prope vadosum sit. Fuerunt quidam, qui opinarentur, dari in illis partibus alicubi fretum,

qu

quod ex Aquilonari in Austrinum mare nauigat o pateret: in horum numero fuit Petrus Melendes, qui ausus est illius rei periculum facere quod audiuisset, in mari (quod del Nort siue septentrionale dicitur) inuenta fuisse fragmenta nauigiorum Chinensium, quodq; in sinu quodam qui ad trecentas Leucas terram ingreditur, apparerent certis quibusdam anni temporibus balenæ ex altero mari: nec deerant qui crederēt Thomam Ohandisch Anglum, qui anno Domini MDLXXXVII. circa caput Californiæ nauem Hispanicam, quæ è Philippinis Insulis aduenerat, intercepit, per illud fretum transiuisse. Stephanus Gomezius, cum eundem hunc trāsitum quæreret, multis milliarib. aduersus Sancti Antonii fluuium, qui in Florida est, nauigauit, & alii quidam idem tentarunt per S. Laurentii fluuium, irrito tamen conatu omnes.

Qualitas & ingenium terræ.

Abundat hæc prouincia multis variisque fructibus, & diuersis animalium generibus. Multū hic effoditur auri & argenti, quod incolæ colligunt, deductis in exiguos riuulos grandioribus fluminibus. Non est dubium, quin terra illa omne genus segetes proferret, siquidem coleretur & sereretur, cum patiens sit omnis generis arborum fructuumq;. Reperiuntur etiam ibi vniones, & lapilli quidā precioſiores, inprimis Turcoisii & Smaragdi. Vaccæ in illis partibus pilos habent setis equinis similes, iubam insuper ad equorum instar.

Mores & ritus illius gentis.

Eorum qui Floridam incolunt color accedit multum ad cupri siue æris colorem, quod venit e vnguento quodam, quo cutim illinunt, parim etiam ab æstu Solis, quanquam primitus albi nascantur. Sunt autem satis apti ad res gerendas, & leues corpore, quas res illis conciliat continuum exercitium, dum semper occupantur venatione, eū omnes eorum cibi aut missus fiant è ferina. Ceruorum apud illos genera tria, num inter ea, è quo lac emulgent, haud secus nos è vaccis. Conficiunt cuspides sagittarum iarum ex ossibus acutioribus piscium, aut præcutis lapidibus, è quibus ignem extundimus. ro moneta ipsis sunt conchæ quædam marinæ egantiores, quarum tamen vsu plebeiis interdictum est, earum possessione solis magnatibus seruata, vt apud nos ius cudendæ monetæ. agnates pro vestibus vtuntur pellibus è marte stiola, plebeii magna ex parte nudi incedunt. tuti sunt & versipelles, procliues quodam natæ instinctu ad vindictam & gerenda bella. De tu in futurum valde sunt solliciti, seruntque mentum suum Mense Martio & Iunio, fantq; tribus mensibus post messem, postquam ges maturuerunt, conuehuntque in granaria mmunia, vt inde distribuant vnicuique pro nitate sua & necessitate. Gerunt assidua cum ocodilis bella, disponuntq; in omnes partes icitas excubias, haud aliter, quam si ab omni latere hostilibus cincti essent exercitibus. Deficientibus cibis consueris, ad serpentes, lacertos, aliaque impura animalia deueniūt, vt & Auanates vicini eorū. Reperiuntur apud illos plurimi Hermaphroditi, quibus vtuntur loco seruorū siue mancipiorum, aliquando etiam iumentorum.

Opes & diuitiæ.

Postquam Incolæ auri argentique ramenta ex aquis collegerunt, vt superius diximus, deferūt ea ad littus maris, vt facta permutatione distrahant, quod præcipuum & fere vnicum apud ipsos est mercimonii genus.

Robur Prouinciæ.

Habent ibi Hispani tria loca munita, vt dictū est, S. Iacobi, Augustini, & Philippi, quāuis sint, qui negent S. Augustini castrum instauratum denuo fuisse, postquam Franciscus Draco Anglus id pessundedit. Quæ adhuc sunt integra, satis munita perhibentur, præsidioque hominum & re tormentaria sufficienter instructa.

Religio.

Credunt hi Barbari animas esse immortales, quo quidem in capite nobiscum conueniunt: cætera sunt Idololatræ.

SINVS MEXICANVS.

Habet sinus hic (quem etiam vocant Mare Cortesii) velut duas portas: vna, per quam mare cursu satis rapido ingreditur, est inter extremitatem Iucatanæ Prouinciæ & Cubam Insulam, altera, per quam illud egreditur, & eadem quidem vehementia, est inter acutum istud Floridæ Promontorium & eandem Cubam. Alluit autem sinus iste littus circiter ad duo millia mil. liarium inter dictas prouincias Iucatanā & Floridam, quod omne littus pertinet ad Nouam Hispaniam. Ipsum porro mare satis est intempestum, habetque paucos admodum portus, qui non sint subiecti Aquilonis iniuriis, excepto solo portu Hauanensi. Hunc sequitur S. Iohannis de Lua, quem Hispani munitissimum effecerunt, quod eo protegatur Insula quædam, milliare vnum in peripheria habens, ad quam appellunt rutæque ibi consistunt classes, quæ à Mexico & Hispania veniunt. 8

Noua Hispania.

Comprehenditur sub hoc nomine quicquid terrarum extenditur à Florida vsq; ad Mare Californiæ; versus Austrum confines habet Guattimalam & Iucatanam regiones. Subegit hoc regnum primū Ferdinandus Cortesius anno salutis MDXIIX. Continet a, hæc noua Hispania regna hæc intra se: Nouam Galliciam, Mechoacanam, Mexicum & Guastecanam. 9

Qualitas nouæ Hispaniæ generatim.

Aer circa Mexicum vrbem, quamuis sit sub Zona Torrida, tēperatus tamen est. Augusto & Septembri mensibus, singulis prope diebus à meridie pluit. Ager vicinus fertilissimus omnis

nis generis fructus profert, excepto vino & oleo: quāquā satis ibi inueniatur vini & oliuarū, quæ eo deferuntur vtraq; magno cum regis Hispani emolumento. Sunt insuper hic prope omnia animalium genera, tam ibi nata quam importata. Amant Hispani hanc noui orbis partem præ cæteris omnibus Americæ regionib. Quanquam autem indigenæ Mexicani plerique diutissime viuant: Hispani tamen (sic appello qui parentibus Hispanis nati sunt) raro sexagesimum annum superant: quodq; dignum est obseruatione, Hispani, qui domo profecti adulta iam ætate huc veniunt, viuaciores sunt, quam qui in prima huc deuehuntur pueritia.

Noua Gallicia.

10 Qui olim hanc prouinciam inhabitauerunt populi, Xalisci dicti fuerunt: quos cum Nunnesius Guismannus subegisset, extruxit ibi oppida S. Spiritus, S. Michaelis, Guadalaiaram, & Nouam Compostellam. Ea pars quæ cingitur Piasta amne & S. Sebastiani fluuio, nominatur Culhuacan à primaria ciuitate, cui idem est nomen, in qua Hispani S. Michaelis Coloniam fundauerunt. Omissis autem regionibus ad dexteram, quæ parum cognitæ sunt, quod nemo hactenus viderit eorum hominum aurum & argentum: à Sibola & Granata venitur ad mare Californiæ, quod nonnulli rubrum vocant: & hucusque terra est habitata, nec vlterius extendit se Hispanorum negociatio. Venit ad Sibolam Franciscus Coronatus ità iubente Antonio Mendoza sub annum MDLXXIX. sed cum nihil ibi inuenisset quod foret operæ precium, reuersus est Mexicum cum suis militibus.

Ingenium Terræ.

Abundat solum aurifodinis, estque capax omnis generis fructuum. Mare vicinum ingentem copiam piscium suppeditat, & syluæ numerosam ferarum exhibent venationem. Maxima tamen pars huius prouinciæ salebrosa est, rudis & aspera.

Mores habitantium in ea.

Qui littus Oceani accolunt è solis piscibus viuunt: interiores feri & immanes sunt, venationibus perpetuis ætatem terentes. Gens fædę paupertatis, nudi enim incedunt, quibus nuda humus aut densum nemus cubile præstat, vbicunque eos nox oppresserit. Sed nec ab esu carnium humanarum eos abstinere multi scripserunt. Olim nemo quenquam superiorem agnoscebat, sed promiscue libertate vtebantur: verum Hispani eos subactos parere docuerunt.

MECHOACANA.

11 Distat hæc Prouincia à Mexico paulo minus quam quinquaginta Leucis, in ambitu comprehendens octoginta. Est ibi oppidum Sinsonsa nomine, satis amplum frequensque in quo veteres reges Barbari commorabantur. Aliud oppidum Pascuara nomine, primo sedes fuit Episcopi: nūc vero habitat is in nouo Vallitoleto. Perfluit hanc prouinciam fluuius rapidus, qui postquā alios duodecim recepit amnes, ingreditur prægrandem lacum, quem vulgo vocant Mare Cephalicum, cuius ambitus quinquaginta millia constituit. Hinc rursum egressus, immaniq; præcipitio in profundam vallem delapsus, mille mæandris ambagibusque profluens, multosque aquis suis Crocodilos vehens, mare Australe irrumpit. Antequam autem Oceano exhauriatur, insulas quasdam constituit. Paulo digressis à littore maris occurrit Sacatula, deinceps regio Colima, & postea oppidum Purificationis, inque ipso littore maris Portus S. Iacobi, Natiuitatis & S. Antonii.

Natura & ingenium terræ.

Meretur hæc prouincia, vt inter optimas totius Nouæ Hispaniæ numeretur, cum ibi Mayzum, (frumentum Indorum) aliique fructus bis in anno maturescant, referente Francisco Toraza, sexaginta se collegisse modios, cum solos quatuor sementem faciendo proiecisset. Multa quoque humus ex se gignit simplicia (vt vocant) quorum in Medicina vsus, inter quæ Mechoacan radix primi nominis est. Gossypii, Cochenillæ, mororū & vermium sericæ lanæ artificum magna est hic abundantia. Auri & argenti metalla gignit, sed vtrumq; vilius est nec tam purum bonumque ac alibi. Mellis hic plurimum, vt & ceræ, & Ambræ nigræ, salis & piscium, à quibus postremis nomē traxit tota prouincia, cum Mechoacan barbaris piscem sonet.

Mores Incolarum.

Sunt hi statura alta, robusti & agiles, ferunt que præ se nescio quid sublimioris spiritus, ingeniique solertis, quod apparet ex operib. eorum præcipue cum plumas auium tam artificiose cōponere nouerunt. Sed & ex arundinibus grandioribus quædam in vsus suos concinnare sciunt, multaque alia eius generis, quæ supra captum barbarorum videri possint. Melius tamen hoc ostendit eorum lingua, quæ vbertate vocabulorū & figurata locutione elegantiam nō vulgarem præfefert, vt nonnulli eam cum Latina componere ausi fuerint. Temperamenti sunt optimi, ideoque viuaces, fertur vulgo descendere eorum progenies à septem illis populis, qui ab Aquilonis partibus olim populariter in has terras migrauerunt.

MEXICANA.

Est hæc prouincia omnium amœnissima & fertilissima totius noui Orbis, & si Iosepho à Costa credimus, nō Americæ solū sed & vniuersi terrarum Orbis. Nomen accepit à præcipua vrbe Mexico, quæ ab Insulis Fortunatis siue Canariis abest centum gradibus. Vrbem ipsam Cortesius cepit à d. XIII. Augusti mensis anno N. C. MDXXI. Habuit autem Hispanus ille Dux in illa expeditione Indorum ducenta millia, Hispanos nongentos, equi octog

octoginta, tormenta ænea septendecim, tredecim Myoparones in lacu, & sex millia Canoarum, quæ sunt velut scaphæ aut lembi piscatorii. Sita est hæc Ciuitas in ampla planicie, quam vndique alti montes circumdant, quibus nix in fastigio nunquam deest. Ipsa vallis ambitu suo conficit circiter leucas LXX. complectiturque duos lacus, quorum ille aquas habet dulces, hic vero salsas. Influit autem in lacum salsum aqua dulcis, cui salsedo conciliatur ob fundum nitrosum. Fuerat vrbs Mexicana primum constructa in lacu salso, sed Cortesius eam euertit, extructa noua, non quidem intra aquas, sed in sicco. Perhibetur autem adeo magna, vt sex millia domuum complectatur, in quibus Hispani soli habitant, cum circiter sexginta millia Indorum commorentur in subiurbiis.

Aiunt vulgo in illa Vrbe res quatuor inueniri exquisitæ pulchritudine: fœminas, vestes, equos, plateas siue vicos Vrbis. In ripa siue litore lacus illius circiter quinquaginta oppida extant, inter quæ id quod Tescuco à barbaris vocatur, non multum cedere fertur ipsi ciuitati Mexicanæ. Est autem intra Mexicum Typographia, Taberna Argentaria & Studium vniuersale satis celebre. Præter hanc etiam in hoc regno est Ciuitas Angelorum, in agro ad miraculum fertili, qui distinguitur in varias valles, colles & planicies, in quibus innumeri pascuntur greges ouium & armenta cornigerorum omnis generis, vt iam taceamus de ingenti tritici omnisque generis frugum copia, deque fructibus arboreis. Ab altero latere occurrit Tlacala, quod nomen sonat oppidum panis, situm colle non valde edito, agrum habens ferassimum, qui fere sexaginta leucas habet in circuitu. Habitasse olim ibi perhibentur circiter trecenta millia hominum: nostro æuo ad paucitatem redacto populo, inueniuntur tamen ibi millia quinquaginta. Ciues huius vrbis omnes nobilitate gloriantur, adepti id priuilegium ob auxilium fidemque, quam præstiterunt Hispanis nouis hospitibus aduersus vicinos Mexicanos. Cætera oppida maioris momenti sunt Tulla, Tulluca, & versus mare Vera Crux, vt & Zempoalan, cuius ager abundat ouis. Tauascum oppidum est satis amplum, vbi sedes est Episcopalis: vbi dicuntur inueniri ad viginti millia domuum, partim calce partim arena constructarum. Tecta plerisque è culmo & arundinibus, quibusdam etiam è certo quodam lapide fissili. Apparet tamen multo spatiosior quam reipsa est, domibus non contiguis sed paratim & intercedente spacio aliquo, locatis, ne ob metum incendii.

Fluit per hæc loca Aluarada fluuius, qui tribus ostiis Oceanum ingreditur. In regionis interioribus occurrit Vlatlan oppidum capax & amplum, agrum habens crebris refertum colonis vbertatem & felicitatem fundi, quamuis etiam ibi reperiantur venæ sulfuris & alumi-

NATVRA ET INGENIVM TERRÆ.

Fruitur tota illa continens aere temperatissimo, gignitq; immanem vim fructuum & omniũ rerum ad vitam humanã necessariarum. Morus arbor vix vllibi felicius quam hic prouenit, cuius foliis tantum alitur bombycum, vt fidem superet. In ripa lacus dulcis Mexicanæ prouinciæ prouenit gramen optimi nutrimenti, quod singulis nouilunijs metitur. In crepidine vero lacus salsi colligebatur olim multum salis: sed is nostro æuo defecit: cuius loco plurimum salis nitri colligitur: excoquunt tamen Indi terram igne, & inde aliquantum salis conficiunt, sed non magni vsus. Alit hæc terra plurimos equos, asinos, arietum ouiumq; greges: suntque alicubi metallifodinæ. Tanta autem est ibi omnium eduliorum abundantia & precii vilitas, vt viginti octo libræ carnis bubulæ non nisi dimidio regali nummo veneant, porcus vnus regalibus nummis duobus tribusque vendatur.

MORES PRISCORVM MEXIcanorum.

Victitasse has gentes more cæterorum barbarorum humanis carnibus, & Idola coluisse, & plures singulos habuisse vxores, priscarum historiarum fides asserit. De regibus Mexicanis sic narrant: Regnum istud non in successione sanguinis sed Electorum suffragiis constitisse, qui numero sex erant. Eligebant hi fere iuuenes alacres, corpore validos atque agiles, & quibus bella cordi essent, constatque interfectum ab Mexicanis Regem quendam, quod delusa Electorum spe ignauia atq; ocio torpesceret. Supremum apud eos Consilium erat compositum è quatuor gradibus nobilium & officiariorum, sine quorum consensu res nulla maioris momenti expediri poterat. Prima iis erat cura circa educationem liberorum: proxima ab his religionis, tertia belli: de cæteris non admodum erant solliciti. Habuit hæc respublica aliquando virum maximi ingenij, virtutis incomparabilis: Tlacaellel is vocabatur, eratque tam magni animi, vt oblatum respueret regnum, quanquam ipsius virtutibus non vno nomine debitum: existimabat enim potius è Reipublicæ vsu fore, si alio imperante ipse exequeretur quæ ex vsu communi essent, quam ipse, impositio humeris suis Regali onere, vacare aliis vrgentioribusque negotijs non posset. Erant autem omnia circa regem magnifica, siue habitationem spectares, siue ministeria aulica.

Longissime autem patebat eius dominium, religio & lingua; hinc quidem vsq; ad oppidum Tecoantepec, quod distat à Mexico leucis CC. illinc vero vsq; ad Guatimalã, quæ CCC. leucis inde abest. Ab oriente terminabat (respectu nostri) mare Aquilonare, ab Occidẽte vero Australe.

Quanquam ne in hac quidem potentia subiicere sibi penitus potuerint Mechoacanos & Tlascalenses, quin solæ illæ inimicitiæ quæ Mexicanis erat cum Tlascalensibus, aperuerint Hispanis portam ad inuadendum occupandumq; hoc imperium. Veneruntautem priscis temporibus

Mexicani in has oras ab septentrionis partibus, diuisi in septem tribus siue genera: illam autem regionem aquilonarem post modum repererunt Hispani, diuitem sane & populo affluentem, appellaueruntq; nouum Mexicum. Summa apud eos erat gloria armorum, hęc sola erat adipiscendæ nobilitatis ratio. Instituerat autem Motezuma, nouissimus Mexici Rex, ordines nonnullos velut Equestres, (siquidem equos habuissent) quorum primi se nominabãt Principes, secundi Leones, alii Aquilas, rursum alii Leopardos. Integrum erat his, gestare corpore aurum vel argentum, vestiri gossypio, vti caligis, bibere vasis pictis & deauratis: quorum nihil plebeiis ac ignobilibus permissum erat.

Mores eorum nostro æuo.

Sunt Mexicani fere ingenio sublimi, plenique studio ac industria. Quin & animosi satis, cum velut à parentibus acceperint, firmiterque statuant, in sola virtute hominis consistere nomen atque gloriam. In bello vtuntur sagittis arcubusque, plurimi etiam fundis, è quibus lapides iaculantur. Non tamen est negandum, eos bombardis quoque dextre vti nouisse, vtique ex eo die, quo Hispani inter eos commorari cœperunt. Plebs sobrietati supra modum studet, vt & mercaturæ ac negociationi. Nemo fere est, qui non studio lanæ sericæ bombyces alat: & opifices elaboratissima conficiunt opera, præcipue è plumis & ligno. Maxima tamen eorum pars Hispanorum moribus & viuendi rationi adsueuerunt, postquam Christianos professi baptismum receperunt.

Opes & diuitiæ.

Ex herba quam Mexicani omnibus annis metunt è lacu aquæ dulcis, creduntur non minus conficere ducentis millibus scutatorum annuorum. In cæteris, quamuis Peruuia Mexicanum regnum superet in auri & argenti copia, hoc tamen iure illi se præferre potest in copia fructuum, armentorum atque gregum, vt & ingenio artificum. De pecudum multitudine vel hinc sodes coniecturam fac. Inuenies vnum aliquem hominem, qui quadraginta millia boum vaccarumque alat, itemque qui vltra centum quinquaginta millia ouium arietumque in pascuis habeat. Anno à nato Christo M D LXXX VII. cum classis ex his partibus in Hispaniam rediret, retulit secum sexagies quater mille coria siue terga bubula, cumque hoc mercimonii genus quotannis ad viginti sex coronatorum millia & amplius ascendat, ingens tamen argenti vis singulis annis præterea colligitur, partim in moneta facta, partim è lana, saccharo, serico, & cuchenilla (nomen hoc est vermiculi, qui colligitur in foliis ficus Indicæ, in quibus nascitur inuolutus tenui velut gossypio) cuius non est exigua vtilitas. Colligitur vermiculus ille magna cum cura, siccaturque ad solem, post mittitur in Hispaniam, compertumque est ex hoc solo mercimonii genere non minus quam trecenta millia scutatorum confici quotannis. Intercedit & frequens Mexicanis cum Chinensibus negotiatio. Ex China enim in Nouã Hispaniam deuehitur linum, æs Cyprium, stannum, cera alba, tela serica alba, aurum, charta & quædam res delicatiores, quæ inde deferuntur in Peruuiam, bono cum mercatorum emolumento. Contra argentum præcipuum est genus mercis, quod in Chinam inuehitur, quæ terra plus auri quam argenti visceribus suis gignit. Aurum autem Chinense non superat nouendecim caratos, delatum vero Mexicum defæcatur vsque ad vigesimum secundum.

Mittit præterea Noua Hispania in Peruanam pro vno coronatorum millione pannos, sericũ, telam lineam & tabulas ligneas. Nondum adepti sunt isti homines artem perfectam conficiendi vitri, vt nec chartæ, quæ res sine dubio defectui artificum magis attribuenda est quam materiæ, inprimis quo ad vitrum. Charta enim colore oleaginoso inficitur ad quamuis rem potius apta quam ad scribendum: vitrum autem fit obscurum, crassum & materiale. Soluunt autem Indi Regi & feudatariis duodenos nummos regales in singula capita, & nihil præterea.

Gubernationis modus.

Cum constitutum mihi sit, in fine huius tractatus de nouo Mundo generatim aliquid dicere de Gubernationis forma per Americam deque eius potentia ac robore; contentus hic ero solummodo dicere, Regem in his regionibus iis qui terras aliquas occupauerunt, vt & militibus qui præ cæteris fidelem nauauerunt operam, non solere dare imperium in indigenas aut iura Magistratuum, sed solum ius feudi & vectigalium, quæ ipsi debentur: nec diutius durat hoc beneficium, quam dum benemeritus & filius eius viuat, idque sub hac conditione, vt id præstent quod rex ipse præstiturus erat: id est, vt alat Sacerdotes & Doctores Christianæ religionis, præstetque ea quæ ad cultum & templa pertinent. Administratio autem Iustitiæ omnino dependet à Curia & præfectis regiis. Habitant autem in Vrbe Mexicana cum Prorex Nouæ Hispaniæ tum Archiepiscopus estque ibi suprema curia summumque tribunal totius regni. Tlascalenses adhuc sua quadam fruuntur libertate, habentque rempublicam sed sub protectione ac clientela regis Hispani qui & Gubernatorem dat cum Vrbi tum territorio eorum.

GVASTECANA.

Cum primum Hispani noui Orbis dominium arripuissent, interiora parum pensi habentes, id vnice operam dederunt, vt littoralia loca habitatoribus implerent, vel ripas illustrium fluuiorum: cum autem paulatim creuissent potentia etiam ad penitiora regionis imperium suum propagauerunt. Nauiganti littus noui Hispaniæ occurrit ostium fluuii Palmarum quem vt scrutaretur curiosius, profectus

Al

Aluarus Naruesius anno A N. C. MDXXVII. cum sexcentis Hispanis peditibus & equitibus centum. Sed hi prope omnes interierunt, re nulla perfecta, cum quidem ob defectum alimoniæ ad tam immanem famem redacti fuissent, vt alteri alteros trucidarent atque deuorarent. Viginti milliaribus infra illum fluuium occurrit alius, cui Panuco nomen est, vbi Franciscus Garæus ab incolis mira barbarie efferatis maleacceptus est, trucidatis quadringentis militum eius, quorum partem sacrificarunt, alios deuorauerunt, detractasque illis pelles cum ad Solem siccassent, in templis Idolorum suorum suspenderunt.

Postea tamen hæc regio subacta est à militibus Cortesii. Appellatur autem Gasticana vel Guastecana, vel etiam à fluuio Panuco, estque ibi oppidum, cui nomen est Zimatao, in cuius agro ad pedem montis videntur duo fontes, è quorum altero scaturit pix nigra, ex altero rubra.

Postquam huc delapsi sumus, non alienum erit à proposito quod dicam, in insula Luporum haud procul Lima fontem esse bituminis, quod Peruani Copoium nominant; est & alius quidam in promontorio S. Helenæ, cuius vsus est præcipuus ad illinenda bitumine nauigia. Cum ante annos quadraginta incolæ rebellassent, & inde secutum fuisset bellum ciuile, accidit, vt iugulatis habitatoribus tota regio deserta relicta fuerit.

Sequitur Caput rubrum, fluuius Alneriæ, Villaricca, nomen adepta, quod portum habeat commodum iis, qui ex veteri Hispania in nouam negociantur. Strauit Antonius Mendoza viam ab hoc oppido ad Mexicum, vt expeditior esset mercium hinc inde transportatio. Paucis tamen annis post omnis negotiatio translata est maioris commoditatis ergo ad Veram Crucem, quæ paulo est inferior, aduersus S. Iohannis oppidum. Condiderunt hic Hispani Colonias duas, Panucum & S. Iacobi in vallibus.

IVCATANIA.

Est hæc grandis peninsula, cuius peridromus nongenta millia continet, estq; sub gradu primo & vigesimo sita. Barbari sua lingua Maiathanam vocant. Quo magis autem in mare porrigitur eo latior euadit, definitque in duo promontoria, quorum illud quod septentrionem respicit, Caput rubeum appellatur, Australe vero dicitur Coroca.

Qualitas regionis.

Sunt in hac prouincia multa loca deserta; auri argentique inops est, diues autem prouentu frumenti, fructuum, mellis, ceræ, abundans auibus, gallinis, Capis, leporibus & ceruis. Etsi item non perfluatur riuis amnibusque, solum men semper humidum & viride est, sibiq; ipsi fficit: causam deprehendunt fossores, qui vbi tres pedes sulcum depresserunt, in lapides cidunt, sub quibus sunt scaturigines aquarum.

Mores Incolarum.

Videntur natiui incolæ huius prouinciæ generosos alere spiritus, & aliquam rei bellicæ notitiam habere, suntq; viuaciores cæteris per nouam Hispaniam. Solebant ii quidem captos bello hostes suis immolare Idolis, ab iis tamen deuorandis abstinebant, vt etiam Mexicanos id facientes detestarentur. Vtebantur arcubus sagittisque, capite munito galea lignea, pectore vero thorace è gossypio, pingentes faciem totumque corpus ad terrorem colore nigro. Aiunt illos solitos adorare crucem, quoties obtinere vellent pluuiam: & erectas quidē ibi repertas fuisse cruces scripsere quidam, incolasq; vsos circumcisione.

GVATIMALA.

Inter Iucataniam & Nicaraguam regiones 13
offert se Guatimala oppidum, prætereaque S. Iacobi, S. Saluatoris, & S. Michaelis oppida, cum alio quod Chappa dicitur, quæ fere sunt Coloniæ Hispanorum.

Qualitas regionis.

Aere hæc regio perflatur dulci & benigno; agro gaudet fertili, siue is montibus attollatur, siue vallibus deprimatur, vbique enim fructuosus est. Præcipuum oppidum regionis situm est in valle amœnissima, perpetuo gramine virescente, arboribusq; fructiferis obumbrata. Abundat ager iste Cacaizo, qui fructus refert specie amygdalam, quanquam magis rotundetur; seruitq; monetæ vice incolis multarum nouæ Hispaniæ regionum. Valor his nucibus hic est, vt viginti millia Cacaizorum valeant centum viginti regales nummos in Guatimale, ducentos vero in Mexico. Fugit hæc arbor Solem, capta amore aquarum, igitur vt crescat lætior, fructusq; multos ferat, plantatur iuxta aquas, plerunque subter aliam maiorem arborē, quæ vmbra sua hanc à solis radiis defendat. Fuit antiquitus oppidum structum in pede montis cuius ima plena erant materia combustibili. Cum autem anno A N. C. MDXL. à d. VI. Decembris mensis, aquæ stagnantes, quæ hactenus subter montem delituerant, facta inundatione compluribus locis erupissent, obrutam illuuie ciuitatem magna ex parte euerterunt. Fecit hæc res, vt asportata materia duobus à pristino loco milliaribus, de nouo erecta fuerit. Cum vero ad annum Salutis M DLXXXI. torrens igneus è longinquis locis prorumpens, ciuitati proxima inuaderet amburetque, parum abfuit, quin omnia perirent incendio. Eo qui sequebatur die tantum prorupit cinerum, vt vniuersam impleret Vallem, ipsamque propemodum operiret ciuitatem. Nec in his stetit terror & infelicitas Gattimalensium: anno enim sequente ex eodem monte tantus prorupit ignis, vt is spacio viginti quatuor horarum defluens omnia corriperet, ipsasque inflammaret petras, percalefactis quinque proximis fluuiis, vt prohibente feruore aquæ transiri non possent. Audiebantur interim horribilia tonitrua, intermicantibus fulguribus, ignibusque

vicinum aerem secantibus, cum horrore ac metu hominum incredibili. Est in hac regione lacus centum milliaria longus, viginti latus.

Forma Dominii.

Ordinaria stataque Gubernatoris sedes est in Vrbe Guatimala (quæ & ab aliis S. Iacobi dicitur) qui magna cum auctoritate præest, cum vacantia beneficia possit libero arbitrio iis conferre, quibus placuerit: quod neque Proregi Mexicano licet neque Peruano. Est & ibi Tribunal siue Senatus regius cum præside vno, à quo omnia dependent quæ concernunt iustitiam. Habitat hic etiam Episcopus.

14 TERRA FIRMA.

Comprehenditur sub hoc nomine illa pars continentis, quæ post repertas Insulas à Christophoro Columbo detecta fuit: verbi gratia, quicquid est inter Pariam & Iucatanam: nempe mare Aquilonare, Fondura, Veragua, Pars Castellæ Aureæ, Cartagena, Venezuela, quibus deinceps iuncta fuit Nicaragua, cum residua parte Castellæ Aureæ, quatenus illa mare Australe contingit. Vt autem melius harum prouinciarum situm capere possimus, notandum est, terram, quæ recedit à promontorio meridionali Iucataniæ, recto filo inter occidentem & meridiem, de nouo in Orientem porrigi, recta linea aduersus Iucataniam, relicto in medio sinu capacissimo inter duo promontoria, quorum illud dicitur ad Tres Mucrones, hoc vero Camoronium: quanquam & aliud ibi sit, quod dicitur Caput Gratiæ Dei. Inter Iucataniam & tria puncta siue Mucrones extendit se sinus Higuerensis: Inter tres Mucrones & Camoronem videbis Trugillium oppidum: inter Camoronem & Gratiam Dei est Carthagena. Præcipua Hispanorum colonia in Fondura est Trugillium oppidum, Comaiacam enim indigenæ habitant, quibus eo loci datus est Episcopus. Est in eadem regione Algatequa oppidum non vltimi nominis, & lacus quidam, in quo complures paruæ Insulæ: propinqua vero vallis Olantia amœnitate omnes terras vincere videtur. In Veragua nihil adeo annotatione dignum reperitur, quam fluuius eiusdem cum prouincia nominis.

15 NICARAGVA.

Sequitur Nouam Hispaniam hæc prouincia, quæ nonnihil in Orientem & Meridiem vergit. Multis vicis hæc oppidisque frequentibus habitatur, sed exiguis, inter quæ primo loco commemorandæ veniunt coloniæ nouæ, Legionensis & Granatensis.

Qualitas Terræ.

Sabulosum hic fere solum, vnde & maior ibi calor per æstatem quam alibi, vt vix liceat iter facientibus interdiu ingredi: nec enim minus est siticulosa quam Apulia, nec minus fastidiosa quam Aragonia, aut indigentior arborum quam Extremadura. Non negauerim tamen, producere eam quibusdam in locis arbores, quarum vna instar multarum esse possit, cum tantæ crassitiei ibi inueniantur, vt à sex hominibus expansis brachiis vix cingi possint. Creauit natura quasdam tam delicatas & humanæ manus impatientes, vt vix digitulo contacti earum rami exarescant. Vbi tellus vel humectatur fontibus vel irrigatur fluuiis, satis ferax est bonarum rerum omnium, inprimis ea parte, qua extenditur à Portu Securo vsque ad Fonduram & Granatam, quæ ob eximiam soli bonitatem & felicitatem nomine diuitis littoris honestatur.

Potissimæ tamen Nicaraguensium diuitiæ consistunt in lacu quodam, cuius longitudo ad CCC. millia porrigitur, nec nisi duodecim leucis ab Australi siue Pacifico mari abest: qua propinquitate non obstante, exonerat tamen aquas suas in oppositum mare Aquilonare, quod multo longius abest. Sentiunt quidam non absurde, si canalis iste fieret latior, & alius ex eodem lacu deduceretur in mare Australinum, posse felicissimam nauigationem confici ex vno mari in alterum. Alii existimant, effodiendum canalem siue fossam nauigabilem à sinu Vraba ad sinum S. Michaelis. Spacium autem terræ quod intercedit, est milliarium septuaginta quinque. Alii malunt deducere in fluuium Crocodilorum, qui oritur iuxta Ciagram, & ingreditur mare iuxta Nomen Dei oppidum. Rursum aliis placet, porrigi amnem aliquem à Vera Cruce, vsque ad Tecoantepec. Sed videtur Natura ridere has curiosorum hominum de coniungendis maribus cogitationes.

Nec enim Nicanor potuit perficere à Mari Caspio Canalem in Pontum Euxinum; nec maiore felicitate Ægypti Reges conati sunt è Nilo fossam nauigabilem in Sinum Arabicum deducere: nec Romani quamuis potentissimi maiore successu in perfodiendo Isthmo Peloponesi laborauerunt.

Taceo iam ingentes difficultates & labores sumtusque incredibiles in tantum conatum impendendos. Adde quod is, qui potissimam incolarum partem in hoc ergastulo & laboriosa fossione detenturus esset, cæteros necessario essent pessundaturus. Videmus enim vix Æthiopas qui ex Nigritarum regione, & Angola, & Guinea huc deportantur, sufficere ad eruendum specubus subterraneis aurum & argentum. Accedit alia consideratio.

Si enim hac ratione tam facilis redderetur nauigatio in regnum Peruanum, Nouam Hispaniam, Moluccas & Philippinas Insulas, China, & vniuersum illud mare plenum Insulis futurum esse, vt laboriosa illa Lusitanorum nauigatio circa Africam & caput bonæ spei pertus omitteretur, omnibus in Occidentem vergentibus, iis vero regionibus quæ ad meridiem sunt, piratis in prædam relictis.

MOR

MORES POPVLI.

Sunt Nicaraguenſes ſtatura ſatis commoda, colore inter cyaneum & album medio. Fuit apud ilos quædam forma adminiſtrationis iuſtitiæ, etiam antequam ad fidem Chriſtianam conuerterentur: Fur enim addicebatur ei, cuius bona furto abſtulerat, in ſeruitutem, donec ei ſatisfactum fuiſſet. Ei qui Cacicum ſiue Principem occidiſſet, nulla erat legibus conſtituta pœna, quod dicerent, tantum crimen in hominem cadere non poſſe.

CASTELLA AVREA.

Deueniendum tandem eſt ad Peninſulam Auſtralem Noui Orbis. Extenditur Caſtella Aurea ab Nomine Dei & Panama vſque ad Sinum Vrabæ & S. Michaelis. Oppida celebriora & à Mercatoribus frequentata ſunt, Nomen Dei & Panama, quorum illud Oceanum Aquilonarem, hoc vero Auſtralem reſpicit. Habet vtrumque portum nobiliſſimum, quod, qui ex regno Peruano in Hiſpaniam negociantur, vtroque horum neceſſario vti cogantur.

Qualitas & ingenium terræ.

Neque Panama neque Nomen Dei aere fruitur bono & ſalubri: ſi tamen comparatio inſtituenda eſt, peius habet Nominis Dei oppidum, quod aer propemodum ſemper ibi ſit infectus, unde grandis conciliata loco infamia, vt ſepulchrum Hiſpanorum dicatur. Huic malo vt remedium afferret Rex Hiſpanorum, edicto iuſſit, vt oppidum Nominis Dei transferretur & extrueretur in loco paulo inferiori, vbi aer iudicabatur eſſe ſalubrior, vtque ei S. Philippi nomen imponeretur. Panamæ aer non eſt melior, dominante ibi calore intolerabili. Habet autem in altitudine eleuationis Poli octo gradus ab Æquatore verſus Arcticum. Et vt vno verbo de omnibus his regionibus dicamus, paſſim frequenter habitantur, non ſolum ob aeris malitiam, quæ prodit à multis aquis ſtagnantibus: ſed etiam ob Hiſpanorum, qui primitus has terras aperuerunt, crudelitatem, qui indigenas non vno genere mortis ſuſtulerunt, quod & in aliis locis fecerunt. Triticum hic ad maturitatem non peruenit, Maizum vero ſiue frumentum Indicum abundanter prouenit, ſi ſquam alias. Mare ingentem vim piſcium ſuppeditat, vt & fluuii, quorum nonnulli Crocodilos alunt monſtroſæ magnitudinis, cùm ibi perti fuerint, viginti quinque pedes longi. ccedit Ciagra fluuius ad Panamam vſque ad iintam Leucam, ſeruitque multum Mercaribus Hiſpanis, qui inde terreſtri itinere Panam vſque deuehuntur. Solet hinc in Perunum regnum tranſiri menſibus Ianuario, briario, Martio: quandoque etiam Auguſto Septembri, quanquam hoc minus ſit comodum. Familiare inſuper eſt nautis è Portu namenſi egredi ad recognoſcendas Inſulas rgaritiferas. Silentio prætereundum non eſt, cum plantæ & ſemina Europæa in pleriſque Nouæ Hiſpaniæ locis & Peruuiæ meliora prouenient & vberiora: circa Nomen Dei tamen & Panamam omnia à bonitate & magnitudine ſua degenerare, ita vt caulis & lactuca, cum tertium ſeritur, ipſam ſpeciem mutet, & in nihilum redigatur aut infatuetur.

Opes & diuitiæ.

Quicquid mercimoniorum ex Hiſpania in Peruuiam, & viciſſim ex hac in illam transfertur, in hac terra exponi neceſſe eſt, cum opes & Merces, quas Peruani in Hiſpaniam miſſuri ſunt, extractæ nauibus apud Panamam deponantur: contra illæ quæ ab Hiſpania veniunt naues, in Portu Nominis Dei exonerentur, vt inde iumentis terreſtri itinere deportatæ Panamam, nauibus rurſum imponi, inque Peruuiam deuehi poſſint.

NOVVM REGNVM GRANATENSE. 17

Ab Cumana verſus meridiem nouum Regnum Granatenſe occurrit, cuius præcipua oppida ſunt Sancta Fides, ſedes Archiepiſcopi & iuſtitiæ: deinde Tungia, Velez, S. Trinitas, Muſcolima, Palma, Toca, Marequita, Bagua, Victoria, S. Maria de Remediis, Pampelona, Merida & S. Chriſtoferi oppidum. Excurrit hic in mare promontorium quoddam, quod ex oppoſito propemodum terræ firmæ iungitur. Angulus Occidentalis nominatur Punctum Araniæ, Orientalis vero Punctum Salinarum, inter vtrumque autem locus eſt qui dicitur ad tres Mucrones.

Qualitas & opes regionis.

Totum hoc regnum plenum eſt amœniſſimis vallibus, quæ fructibus omnis generis abundant. Situs eius eſt firmiſſimus, cum vndique præruptis cingatur montibus, & vix paucos eoſque anguſtos habeat aditus. faciunt alicubi incolæ ſalem ex palma arbore. Apud Tungiam ſunt aurifodinæ, reperiuntur etiam ibi Smaragdi, & ad promontorium trium Mucronum leguntur vniones. Multi intereunt ſubinde homines in hac vnionum piſcatione, quod aquæ marinæ, in quibus conchæ margaritiferæ deliteſcunt, hærentes ad ſcopulos, extremæ frigidæ ſint: eſt autem neceſſe, vt vrinatores retento ſpiritu ſubter aquas hæreant plerumque ad quartam horæ partem. Hanc ob cauſam magiſtri eorum admodum ſobrie eos habent, victum exiguum eumque fere ſiccum ſuppeditantes, & ab omni mulierum conſuetudine eos procul arcentes. Naſcuntur autem perlæ ſiue margaritæ in carne oſtrearum, raroque admodum fit, vt geminæ in eadem concha reperiantur, ſed ſingulæ; vnde apud Latinos nomen inuenerunt, vt dicantur VNIONES. Sunt autem noſtro æuo nequaquam in eo quo olim precio, ob

multitudinem eorum, vtique postquam ingens copia in nouo orbe reperta in Europam missitata est. Omnem enim fidem superat, quantum margaritarum anno A N.C.MDLXXXVII. vna classe in Hispaniam deuectum sit. Fuit olim luculenta margaritarum piscatio apud Insulam Cubaguam, sed euanuit nostro æuo, siue exhaustis crebra piscatione conchis perlarum matribus: siue terræ motu absorptis, qui magnam vicini partem oppidi pessumdedit: siue deniq; paucæ videantur iam extrahi margaritæ, tam multis hominibus iis insidiantibus. Idem Smaragdis accidit: cum enim plurimi eorum eruerentur in Peruuia circa Portum-Veterem & Mantam oppidum, factum est, vt vehementer minueretur eorum precium & dignitas.

18 BRASILIA.

Hæc prouincia forte fortuna detecta fuit per Petrum Aluaresium Cabralium anno A N. C. MDI. Incipit autem à Maragnone fluuio, extenditque se vsque ad fluuium Argenteum siue de la Plata, incertis eius versus occidentem finibus. Fuerunt tamen, qui dimensi eius latitudinem quo vsque paret regno Portugalliæ, vltra quingenta millia deprehenderunt, littus eius ad tria millia milliarium habere asseuerantes: sed Lusitani non nisi mille quadringenta obtinent. Loca Brasiliæ præcipua hæc sunt, quæ enumerabimus. Cis promontorium S. Augustini Paraba est, etiam Ciuitas Niuium vocata: deinde Fernambuco, oppidum non contemnendum: hinc Insula S. Alexii inculta nec habitata, commoda tamen nauigantibus. Sequitur Promontorium S. Augustini sub octauo gradu & dimidio eleuationis Poli versus Austrum. Est hæc pars continentis vicinior Africæ quam vlla totius noui Orbis, cum sint qui negent alteram ab altera distare vltra mille milliaria.

Appellunt hic classes Lusitanicæ, cum Indiam Orientalem petunt, vt explorent ac præstolentur ventum idoneum, & recensent socios ac nautas, fitque aliquando, vt cum non possunt progredi vlterius, cogantur re infecta domum regredi. Sequitur Fanum Christophori & ostium fluuii S. Francisci, deinde S. Saluatoris oppidum cum Portu Omnium Sanctorum. Situm est hoc oppidum supra dictum portum, (nisi forte Sinus potius dicendus erit, cum ingressus eius ad tres leucas pateat, ambitus vero triginta constituat) quem aliquando subintrant Balænæ, colludunt que ibi magna spectantium voluptate. Solent hic habitare Episcopus & Prorex totius prouinciæ. Oppidum hoc cum portu ceperunt anno A N.C. MDC XXIV. Batani, perasturo vsi stratagemate, expoliaueruntque. Sed cum longius abesset ab eorum finibus, nec tueri possent, coacti sunt anno sequenti vtrumque rursus deserere. Ad octogesimum milliare inde abest sancti Georgii oppidum, deinde sub gradu vigesimo septimo Portus Securus, non incelebris, quod hic primum appulerit Aluaresius, compulsus eo ventorum importunitate, & hoc modo Brasiliam repererit. Tegunt hunc portum aduersus ventos longo ordine scopuli, instar firmissimi muri; ad quas allisæ vndæ fluctusque franguntur & vim perdunt.

Postea venitur ad fluuium S Spiritus, & Baiam Hermosam, & Promontorium Frigidum, quod prope ab omni parte mari cinctum, pene Insulam constituit, habetque in ambitu CC LXXX. milliaria. Hinc venitur ad Sanctos & Piratingam, quæ sunt loca mediterranea, nec contemnenda. Intra S. Sebastiani & S. Vincentii oppida est Bonabriga, sub ipso Tropico Capricorni. Extrema tamen colonia Lusitanorum in illis partibus est S. Vincentii oppidum: cumque hic locus longe distet à cæterorum Europæorum frequentia, relegantur eo velut in exilium, qui grauiora meriti sunt supplicia, ad remum metallumve damnandi. Euerterunt hoc oppidum Angli Piratæ anno A N. C. M D XCI die S. Stephano sacra: sed instaurata est, vt iam melior sit quam ante ruinam. Sub gradu vigesimo octauo est promontorium Patos, quod nomen adeptum est ab ingenti numero nigrarum auium, quibus fere nullæ plumæ, rostrum vero coruino simile.

Qualitas regionis.

Fruitur Brasilia aere optimo propter ventos suauissimos qui prope semper ibi spirant: cum tamen paulo humidior sit, eoque nomine senibus quam iuuenibus magis conueniat. Oriuntur fere duabus horis ante meridiem certi quidam venti frigidiusculi ab Australinis partibus, totamque littoris longitudinem perflant magno incolarum bono. Dominantur in mari venti Meridionales per sex priores anni menses, per sex reliquos imperium obtinent septentrionales. Optime autem nauigatur ab Olyssippone in Brasiliam Septembri & Octobri mensibus, vsque in Martium, omnium autem commodissime Ianuario mense: redeuntes vero in Lusitaniam non ita exacte obseruant tempus, quod semper expedita sit nauigatio.

Abundat tota illa Americæ Meridionalis pars fontibus, fluuiis syluisque, distinguiturque in plana & leuiter edita collibus, semper amœno virore spectanda, vt & varietate plantarum ac animalium, quæ vtraque nobis in Europa ignota sunt. Inter plantas habet Copidem, è cuius cortice fisso liquor exsudat similis balsamo. Nec latet huius virtus pecudes: cum enim à serpente aut alio venenato animali se admorsas senti unt, ad hanc plantam velut medicinam confugiunt. Vnde fit, vt hæ plantæ vbique prope denudatæ corticibus conspiciantur.

Cedrus arbor ibi est frequentissima (vt & in Noua Hispania) suntque præter hanc aliæ arborum species, quarum lignum est putredinis auariei expers. Faciunt Indi sibi Scaphas, singulas ex singulis arborum corticibus, ea quidem amplitudine, vt vigintiquinque viros quælibet commode capere possit.

Cuc

Cucumeres & Melones, quorum fructuum semina ex Europa eo translata sunt mira bonitate & pulchritudine luxuriant.

Spectatu dignum est inter cætera animalia quoddam, quod ab Indis Talugia, Hispanis Armadilla vocatur, magnitudine porcelli, toto corpore obtectum testa prædura velut lorica è squamis contexta, quibus etiam caput recondere potest, idque rursum, cum se extra periculum sentit, exserere, instar testudinis.

Cerigonibus peregrina species. habent hæc animantia sub ventre duo receptacula scortea, in quæ abscondunt pullos suos, eosque de loco ad locum portant, quoties periculum metuunt. Sed hoc genus etiam in Moluccis Insulis reperiri aiunt.

Paressam vocant Lusitani animal quoddam, magnitudine vulpis, sed tam tardi incessus, vt qui illud non viderint, tantam ignauiam animo concipere non possint, nec potest vel minis vel blanditiis compelli, vt testudineum istum protollat gradum: sed ne verberibus quidem cogi ad celeritatem potest.

Tamandoa ad magnitudinem adulti porci accedit, vngulas tamen longiores habet quam quis credere possit. Pascitur formicis, quarum aceruos postquam vnguibus dissipauit, vertam in multitudinem earum porrigit linguam, eamque plenam formicis in fauces retrahit. Caudam habet prælongam, adeoque villosis pilis obsitam, vt ea totum tegere corpus possit instar sciuri.

Antes (peregrinum animalis genus) habent quiddam quod mulis nostratibus simile est, quibus tamen multum cedunt magnitudine.

Labrum inferius simile habent proboscidi elephantis, auriculas rotundas, caudam perbreuem. Hæc animalia cum interdiu quiescant, non tantum pascuntur.

Haura siue Guai exiguum animalculum est, veli nostrati non absimile, de quo nemo dicere queat, quod illud edere aut bibere viderit vsque ad præsentem diem.

Porro tanta est auium & piscium tam marinorum quam fluuiatilium multitudo & ab Europæis diuersitas, vt difficile sit ad fidem dicere.

In regione circa Fanum Sebastiani nascitur frumenti genus, quod non simul & totum maturescit. Inuenies enim ibi spicas, alias quidem in vagina emergentes, alias florentes, tertias messem flauescentes.

Antequam hunc de Terræ Brasiliæ ingenio sermonem absoluam, non possum quin recitem, quod circa Portum Omnium Sanctorum superioribus annis comparuisse monstrum ingentis magnitudinis, horribili aspectu, cui facies erat simiæ, pedes Leonis, cætera habebat hominis. collum tamen flauescebat, & oculi velut igne scintillabant. Adeo autem fœdum & horribile adspectu fuisse narrant, vt miles, qui id primo è bombarda certo ictu emisso iugulauerat, præ horrore mortuus collapsus fuerit.

Mores incolarum.

Etsi aeris in his regionibus mira salubritas, terræ autem exquisita sit pulchritudo & amœnitas, iure tamen de incolis Brasilienſibus dici potest, esse eos omnium barbarorum barbarissimos. Maxima enim ex parte viuunt sine litteris, sine religione, sine legibus, sine Magistratibus. Cum in bellum eundum est, eum sequuntur, quem reliquis robustiorem arbitrantur: hic dux est militiæ. Plebs tota nuda incedit: opulentiores vel nobiliores aliquid pro amictu gestant è plumis auium versicoloribus contextum, quo velut Sabano aut subligari tegunt, quicquid est infra vmbilicum vsque ad genua.

Abradunt viri crines capitis à fronte vsque ad verticem. In cibum admittunt quoduis animalis genus, simias, lacertos, serpentes, mures diuersi generis. Panem quo pacto conficiant, admirabile auditu est. Est apud eos herba portulacam prope referens, cuius radix tam præsens habet venenum, vt, si comedatur cruda nec præparata, mortem continuo afferat. Hanc illi radicem contusam valide exprimunt, ne quicquam lethiferi illius succi remaneat. Hanc deinde ad Solem siccatam denuo pinsunt, & inde farinam conficiunt, ex qua in furno cocta panis fit miræ salubritatis & suauitatis. Ex eadem farina potum conficiunt, cereuisiæ non multum absimilem, qua postquam ebrii facti sunt versutiores & nequiores euadunt, quam sobrii esse solent.

Student præ cæteris barbaris veneficio & auguriis. Laborem oderunt, amantes ocii & oblectationum, multum indulgentes conuiuiis & saltationibus. Bella suscipiunt, non vt proferant fines suos, sed vt inde consequantur memorabile nomen, & vindictam sumant de vicinis suis, à quibus se læsos affirmant.

Captos in prælio aut expeditionibus non vendunt, sed mactatos assatosque ad ignem deuorant, maxime in solennibus epulis.

Nullum apud eos crimen punitur præter homicidium. Domicilia sua è lignea materia construunt, foliisq; arborum tegunt, deguntq; plures familiæ vna sub eodem tecto: quodque non parum ab insectis humi repentibus & minoribus animalibus immineat periculi, pensilibus indormiunt retibus, quę illis pro lectis sunt. In vniuersum sine cura viuunt, parum solliciti de futuro, vt quibus

Et iucunda quies & nescia fallere vita.

Natatores & Vrinatores sunt optimi, quibus nihil insueti, integram horam sub aquis latere, etiam patentibus oculis. Laborum sunt tolerantissimi & inediæ, cum adsueuerint iidem (quod mirere) integros dies noctesque comessationibus & potando consumere.

Parum à fabula abest, quod quidam narrant, enixis mulieribus infantes, viros se in lectum componere, his offerri munera, præberi cibos delicatiores, non aliter quam si ipsi, non vxores peperissent pueros. Apud

fluuium S. Sebastiani aiunt homines esse prægrandi statura, duodecim pleroſque pedes altos, quibus familiare sit, crudis vt plurimum vesci carnibus.

Opes Brasilienſium.

Maxima pars diuitiarum, quæ ex terra Brasilia percipiuntur, consistit in Gossypio & saccaro, cuius hic mira bonitas: inter omnes enim res, quas ex Europa eo Lusitani importauerunt, hæc est quæstuosissima. Fuit superioribus annis, cum saccarum Brasilienſe in Lusitaniam importatum excessit pondus centum & quinquaginta millium Arrobarum. Incumbunt autem Lusitani huic negociationi studioſiſſime, extructis multis hinc inde officinis molendiniſque, in quibus saccarum excoquitur: cui rei potiſſimum destinant ære emta mancipia ex Guinea & Congo Africæ.

CHILE.

Egressis per fretum Magellanicum in Mare Pacificum, ad dextram occurrit Chile, cui prouinciæ nomen obtigit à valle præcipua. Initium eius ab Austro vnde porrigitur in Aquilonem, habens altitudinem triginta duorum graduum. Aboriente autem in occidentem latior non est centum milliaribus, coarctata inde quidem Oceano, hinc vero montibus. Sub trigesimo sexto gradu est famoſa illa vallis Araucana, cuius incolæ hactenus magno furore suam defenderunt libertatem, eamque in hunc vſque diem conſeruauerunt. Habent Hiſpani in Chile diuersas colonias: S. Iacobi super Parauium fluuium, vt & in valle Mapocana, item Conceptione, quod oppidum est in exugna valle Pencana, habetque portum.

Valdeuia, haud procul ſpacioſo lacu extructa est, habetque & ipſa portum marinum. Imperialis est vna ex melioribus coloniis totius regionis, quæ ante bellum cum Araucanis habebat trecenta clientum millia, vt Valdiuia vltra millia centum. Imperialem vocatam, aiunt quod Hiſpani, cum primum eam ingrederentur in tectis, atque ſuperliminaribus portarum ligneas aquilas collocatas inuenerint. Præter hæc quæ diximus oppida, est etiam Villaricca, in ripa exigui lacus, haud procul duobus locis, vnde certo tempore flamma emicat & cineres eiiciuntur. Chilo oppidum diuerſum est à Chilan, hoc enim demum anno MDLXXXI. extrui cœptum est.

Anno à nato Christo MDLXII. tam validus terræ motus omnem hanc prouinciam concuſſit, vt montes transtulerit è ſuis ſedibus, & fluuiorum oſtia obiectis molibus occluſerit, oppidum Conceptionis ſolo æquauerit, & mare perfractis littoribus in terram intromiſerit, vt ſecundum quoſdam ad trecentas leucas interius irruperit. Cumque eadem calamitas anno MDLXXV. rediiſſet, Valdiuiam penitus deiecit. Ciuitas Metropolitana huius prouinciæ est S. Iacobi oppidum.

Qualitas regionis.

Exiſtimatur hæc prouincia ſimilis regionibus Europæis, cum ſit extra Zonam torridam, gignatque multum frumenti vinique optimi, omnisque prope generis fructus qui inueniuntur in Hiſpania. Id inter nos illosque interest diſcriminis, quod, cum nos habemus æſtatem, illi hyemem habent, & vice verſa. Auro hæc regio diues est abundatque paſcuis, vnde illic multi greges ouium & armenta tam boum quam equorum. Quæ cum talis ſit, infrequenter tamen habitatur ob bella quæ illis continua ſunt cum Araucanis. Fluuii huius prouinciæ interdiu ſatis citato curſu & cum ſtrepitu ingrediuntur, ſed noctu tam lente ac ſubmiſſe, quaſi gelu ac glacie conſtricti obriguiſſent.

Mores incolarum.

Sunt Chilenſes ſtatura alta, apti ad res & ſatis magnanimi. Arma ipſis ſunt arcus & ſagittæ: veſtes ferarum pelles, & multoties luporum marinorum.

PERVANA.

Extenditur magna hæc pars Continentis auſtralis ab oppido Plata vſque ad Paſtum, vel vt alii definiunt, ab Chile, vſque ad limites regionis Popaiæ, intra mare pacificum & montes Andes. Vt autem ſitum regionis huius melius capiamus, ſciendum est, diuidi eam in tres partes ſecundum longitudinem, quæ omnes inter ſe differunt, ſitu, qualitate, forma, ingenio; ſuntque hæ: Plana, Montana, & Andes. Planities porrigitur longo tractu vſque ad quingentas leucas, cum in latitudine non niſi decem aut quindecim habeat. Qua ortum aſpicit Peruana, duplex montium eaque longiſſima ſeries totam terram interſecat, facto initio (vt quidam memoriæ prodiderunt) à Fretto Magellanico vſque ad Panamam & Nomen Dei, ipſamque terram firmam.

Ea montium ſeries quæ occidentem ſpectat appellatur Hiſpanorum lingua Sierra: quæ vero Orientem, Andes: vtriuſque ſeriei latitudo non excedit viginti leucas. Hinc colligitur, Peruuiam, quo ad plana & montana, latiorem non eſſe quadraginta leucis. Habet Peruanum regnum circiter quinquaginta valles, è quarum numero præcipuæ ſunt, quæ Indi patria lingua appellant Xaucam, Chicam, Andaguaiam & Iucas.

Qualitas & ingenium regionis.

Dignum conſideratione pariter & admiratione est, quod in tantilla diſtantia latitudinis Peruuiæ, quæ vltra quadraginta leucas non extenditur, nec quicquam differt in altitudine in plana terra neque pluat neque ningat, neque vlla audiantur tonitrua: in montanis tamen interim variæ deprehendantur viciſſitudines tempeſtatum, (vt in Europa) vbi pluit à menſe Octobri vſque in Aprilem: in Andibus vero tota hyems perpetuis madeſcit pluuiis. Obſeruatum etiam est, eos, qui campeſtria ſiue plana habitant, cum in monta-

pro

proficiſcuntur, iiſdem tentari ventriculi & capitis doloribus, quibus vexantur, qui primum mare nauigant. Cuius rei cauſam alii quidem adſcribunt nimiæ ſubtilitati aeris, & penetrantibus corpora ventis: alii vero diuerſæ qualitati: cum planiciem perflent auræ calidæ ac humidæ, in montanis autem aer ferè ſit frigidus & ſiccus. Et illic quidem fere ſemper iidem ſpirant meridionales venti: hic vero multum variant, vt apud nos. Ibi neque pluit neque ningit: hic vtrumque fit: Vnde mirandum non eſt, ſi temperamentum hominum grauem ex tam notabili aeris mutatione ſentiat alterationem.

Ergo plana illa regionis pars, cum pluuiis nunquam irrigetur, fere deſerta eſt, ſabuloſa & ad ferendos fructus inepta, qui in ſolis vallibus proueniunt, per quas decurrunt fluuii è montibus prodeuntes. Quæ cauſa eſt, vt valles illæ, quas numero ad quinquaginta eſſe diximus, exquiſite colantur & habitentur frequentiſſime, diſtat autem fluuius vnus ab alio vt plurimum ſeptem vel octo leucis, vel circiter.

Agri culti à fluuiis haud fere longius vna leuca abſunt, ab vtraque parte. Quamuis autem in campeſtribus hiſce nunquam pluat, menſibus tamen hybernis, qui initium capiunt ab Octobri durantque vſque in Aprilem, ſubtilis quidam & delicatus ros ſiue nebula occupat aerem, quæ nebula, quamuis vix ſummum puluerem madefaciat, multum tamen facit ad maturandas & ad perfectionem perducendas ſegetes: imprimis circa Limam, oppidum primi nominis, ſolius huius nebulæ ſiue roris beneficio deetur, quod herboſum ſolum vireſcat floreatque, & alio deſtituta humore prata ſufficiens ecundibus ſuppeditent pabulum. Sunt inſuper his partibus quidam diſtrictus, in quibus larga vbertate proueniunt ſegetes & fructus cum ullus ibi appareat fluuius: exiſtimantibus quibuſdam ſubterraneis ſcaturiginibus ſolum maefieri, vel beneficio amnium qui aquas ſuas nter arenas illas perdunt, vel denique humiditate à mari veniente.

Ea pars montium, quæ Surra vocatur, abunat paſcuis atque ſyluis, in quibus incredibilis rrat vis Vicunnarum, (quibus magna cum careis noſtratibus ſimilitudo) vt & earum ferarum, quas barbari Guanachas & Pachas vocant. In Andibus omnia plena ſunt ſimiis & cercopithecis diuerſarum ſpecierum, vt & pſittacis variis. Magnus hic eſt prouentus illius herbæ, quam Cocam vocant incolæ, quæ in magna betur apud Peruanos æſtimatione, cum ſint i dicant ſolam eam quæ in argentifodinas Potinas mittitur, quotannis afferre venditoris quingenta millia ſcutatorum.

Et vt verbo dicamus, optima Peruuiæ pars nſiſtit in vallibus, quæ plurimum procreant menti & tritici Indici. Viuunt communiter Peruani frumento Indico, quod Maiz appellatur, quanquam id in partibus frigidis manius proueniat: cuiuſmodi ſunt agri in Paſto & Collao: ſed & hi defectum huius frumenti ſarciunt multis radicibus, quibus non minor ad nutriendum efficacia.

Mores incolarum.

Diuiduntur in vniuerſum omnes Peruani in tria genera, quorum vnumquodque plures ſub ſe complectitur populos diuerſis nominibus. differunt autem non minus in ritibus & lingua iidem. Fuiſſe illos bellis ciuilibus inter ſe acriter conflictatos aiunt, vſque dum Guainacapa imperio potiretur, cuius victoria omnium diſcordiarum cauſas ſuſtulit. Cuſcanam linguam poſteriore æuo cum nobiles tum è plebe præcipui didicerunt, elegantiæ ſtudio, cum ante non niſi in litigiis aut iure dicundo vſitata fuiſſet: noſtro autem æuo tam familiaris facta eſt, vt qui eam calleat, per totam Peruuiam negotiari atque iter facere poſſit.

Fœminarum amictus eſt tunica lanea, demiſſa vſque ad talos, viros veſtit interula quæ vſque ad genua demittitur, cum palliolo ſuperiecto. Etſi autem idem eſt habitus omnium per totam prouinciam, capitum tamen tegumenta variant, pro cuiuſq; regionis conſuetudine; cum aliis ſint in vſu ſimplicia aliis verſicoloria, adeo vt omnis in mitellis faſciiſque temporalibus conſiſtat varietas. In cæteris Peruani ſunt ſimplici ingenio, vel potius craſſo & rudi: ii tamen qui propius ſub Æquatore habitant, diſſimulare ea quæ animo agitant, nouerunt, nec facile quiſquam eorum aſſequetur cogitationes. Modus & ratio vitæ eorum multum habet ſimile cum ſordibus Iudæorum. Infames ſunt ob puerorum amores, vnde fit, vt non magni faciant mulieres, cum eas non ſolum habeant ſeruarum loco, ſed & ſæpe leui de cauſa in eas verberibus inſaniant. Qui ſub æquatore habitant, amiculo vtuntur breui vſq; ad vmbilicum, cæteris corporis partibus nudis relictis, etiam ipſis pudendis. Brachia ſua ornant armillis & lapillis pretioſis, & poſtquam perforauerunt genas, & labra, inſerunt in ea certos quoſdam lapillos, inprimis Smaragdos.

Aditus templorum apud eos erant in Orientem verſi, ſolo obtecti velo aut peripetaſmate laneo: intus in ipſo fano erant Idola duo, quibus eadem quæ capris ſpecies, coram quibus comburebatur quoddam certum ligni genus, vnde mira emergebat fragrantia. Apud Caracos populos inuenta fuerunt delubra, quorum ianuis impoſitæ erant ſtatuæ hominum, cum amictu, qualem Diaconi in Eccleſia Romana geſtare videntur. Solent Pazooni ingenti cura & admirabili ratione corpora puerorum virorumque à putredine conſeruare. Serpentes in horum delubris adorari ſolenne erat, quamquam inſuper vnuſquiſque peculiare ſuum haberet Deaſtrum, pro ratione artis ſuæ aut opificii quod exercebat.

Litterarum omnes iuxta erant ignari, vt & picturæ, qua tamen vtcunque vtebantur Mexicani loco litterarum: pro quibus Peruani habebant

habebant chordas laneas, quas appellabant Quippas, quas diuersis signabant nodis, numerabantque vsque ad decem, hinc rursus ad decem & sic deinceps. Nodos distinguebant variis coloribus, pro natura rerum quas per illas exprimere volebant. Habebat autem vnaquæque prouincia suos Notarios, qui nullo labore populo exponebant quæ facta essent, etiam ante multos annos, idque solo nodosorum illorum funiculorum adminiculo.

Arma eorum sunt nostro æuo, gladius, hasta longa, claua ferrea, securis argentea, cum multis sagittarum siue missilium generibus. In bello cauti sunt, noueruntque seruare ordines, suppetias ferre laborantibus, ad mortem animo intrepido, vt glorioſam post se relinquant nominis sui memoriam, aut præmio aliquo ab duce afficiantur. Causa belli inter eos ante Hispanorum aduentum hæc erat, quod dicerent tempore diluuii mundus seruatus fuisset intra lacus siue paludes eorum, quodque ob eam causam maiores eorum veros colendi Dei ritus soli accepissent, ea conditione, vt eos edocerent cæteros populos; & ita quidem hi homines fabulantur.

In numero Idolorum suorum primum locum obtinebat Viracocha, quem creatorem omnium rerum fingebant: post hunc colebant Solem. Rex eorum, Inga Pachacurius, quem velut Numam quendam Pompilium omnis superstitionis auctorem ferunt, cum extructis templis singulis Deastris suos assignaret prouentus annuos, nihil tale Viracochæ tribuit, quod diceret, eum qui omnium rerum Creator esset, prouentibus annuis non indigere. Terras quas bello acquisitas in prouinciarum formam redigebant, in tres dimidebant partes. Primam destinabant cultui & Religioni: secundam Ingæ siue Regi, vt inde se aulamque suam aleret: eratque hæc pars amplior reliquis: tertiam partiebantur in populum. Nemo tamen quicquam rei priuatæ iure dominii habebat, nisi singulari quadam Ingæ gratia, quanquam ne sic quidem ad posteros hæreditatis iure transmitteretur. Ager plebeius (vt sic appellemus) qui iuris erat publici, diuidebatur quotannis, tantumq; vnicuiq; assignabatur, quantum videbatur sufficere alendo ipsi familiæque: sic fiebat, vt vni plus alteri minus admetirentur, prout necessarium & ex vsu erat: hic vero ager publicus à canone immunis erat.

Vectigal quidem aut portorium nullum soluebant: iubebantur tamen colere, quicquid agri Idolorum cultui aut regiis vsibus destinatum erat: fruges, facta messe, in horreum ingens cõuehebantur asseruabanturque. Vnde, si quando annus pigrior inducta sterilitate colonorum spem fefellisset, depromebatur frumentum, ac tenuioribus gratis dabatur. De pecudibus eadem erat ratio; nam & greges & pascua in tres partes diuidebantur, vt aruum. Scribenti talia cogitatio suboritur, barbaros hos in hac iustitia distributiua solertiores fuisse Lycurgo, ipsisque adeo Romanis in Agrariis legibus tantopere sibi placentibus. Pluere aut nihil aut parum in Peruuiæ maxima parte superius diximus. Hæc est causa, quod incolæ non multum sint curiosi in extruendis domicilijs: quin & ipsi Hispani suas ædes tecto non operiunt, sed solummodo extenso linteo aut cortina. Non tamen ideo omiserunt reges Peruani magna excitare ædificia: inque primis Tambes, quæ sunt instar ingentium reconditoriorum, in quibus non solum asseruabatur alimonia, sed & velut in armamentario gentis instrumenta & arma. Erant hæc horrea extructa in viis regiis compitisque celebrioribus, distabatque vnum ab altero tribus quatuorue Leucis. Strauerant autem reges Peruani duas veluti vias Appias, quarum vnaquæque quingentas leucas longa erat: vna earum ducebat per planitiem, altera per montes. Fuit autem horum operum longe maior vsus & magnificentia, quam barbarorum captus est, nec desunt qui vias has insanis Ægyptiorum substructionibus & Romanorum molibus præferant. In illa enim exæquandorum montium difficultate quam oportet fuisse maximam, necesse fuit deuicere colles, & exæquare ac complanare valles profundissimas. Exscindendæ fuerunt rupes, fulcienda præcipitia, æquanda loca aspera & salebrosa, firmandum solum sabulosum vt ferret vestigia, & quæ præterea in tantæ molis opere sustinendæ fuerunt molestiæ. Granaria & Horrea publica, erant, vt diximus, [illegible] viis regiis, cincta fere elegantibus hortis, quibus arbores fructiferæ non solum conciliabant atiam, sed & viatores amœnitate sua inuitabant.

Diuitiæ regni Peruani.

Effoditur in hoc regno auri argentique copia ingens, vt iam de reliquis mercimoniis nihil dicamus. Diuiduntur autem prouinciæ vniuersæ Americæ in tres partes, quarum duas Peruana prouincia suppeditare dicitur, tertiam Noua Hispania. In omni tamen genere mercimoniorum hæc illam longe superat, cum tam ipsa continens quam vicinæ insulæ plurimum iuppeditent Cuchenillæ, Gossypii, saccari, & margaritarum. At Peruani thesauri tot modis commẽdati in duabus præcipuis argentifodinis constant, ad miraculum vsque diuitibus. Prior est in loco qui dicitur Potocuius vberrimæ venæ detectæ sunt anno A[illegible] C. MDXLV. vnde tantum argenti extractum est, vt solæ quintæ, quæ debentur Regi, [illegible] cio quadraginta proximorum annorum asseciderint ad centum & vndecim milliones pondo. Valet autem pondo regalibus nummis tredecim cum quarta nummi parte, si ad [illegible] netam Hispanicam reducantur omnia. Obtinuatum tamen est, vltra tertiam partem huius argenti decimatam vel potius quintatam non [illegible] esse. Purgatur hoc argentum à scoriis in officinis quinquaginta duabus, extructis super [illegible] uium quendam vicinum, itemque in aliis [illegible] gintiduabus in valle Tarapia sitis, vt [illegible]

omi

omittamus cæteras, quæ non aquarum impetu, sed equorum impulsu agitantur. Effodiunt & aurum in ea ipsa regione, sed rarius.

Alter prouentus subterraneus consistit in argento viuo, quod copiosum eruitur apud Guancauelaquam. fuerunt autem huius metalli venæ primum detectæ anno A N. C. MDLXVII. vnde ingens quoq; ad regem Hispanorum lucrum redit, cũ inde percipere dicatur ad CCCC. mille pondo. Priusquam autem ab opulentissima hac Peruana Prouincia discedamus, operæ precium nos facturos opinor si præcipua eius oppidá minoresque prouincias, quæ in illá includuntur, obiter perlustremus.

AREQVIPA, LIMA, TRVGILlum, aliæ.

Primum quod nobis occurrit oppidũ est Tarapata, cum suo portu ad gradum vigesimum primum: sequitur Arica & ostium fluuii portusque Quilcanus; in interioribus regionis sita est amæna illa plenaq; deliciis ciuitas Arequipa, extructa ad radicem montis igniuomi. Fruitur hæc aere temperato ac subtili, gaudetq; agro semper humido & florente. Portus ab ea non longe abest percommodus, in quo, quicquid argenti ab oppidis Plata & Potosi Panamam deuehendum est, nauigiis imponitur. Eundem ingrediuntur naues oneratæ commeatu & mercimoniis, quæ inde Cuscam deportantur. Est & ibi alius portus satis frequenti nauium statione celebris, vt & S. Nicolai, Sangallensis, & Collao de Lima.

Nominatur autem Lima alias Ciuitas regum, quod prima eius fundamenta iacta sint a. d. VI. Ianuarii, qui dies vulgo trium regum dicitur, anno Domini MDXXXIX. Sita est in ripa fluuii satis ampli, distatque duabus leucis à mari, vbi est portus cui nomen Collao, in Insula, quæ est è regione Arequipæ, à qua tamen centum leucis abest. Est autem Lima singulari cura & elegantia extructa, plateis adeo rectis, vt prope omnes eorum oppidique vmbilicum spectent, nec vlla vel priuata domus ibi est, quæ aqua à fluuio eo deriuata careat.

Aer ibi temperatus cum primis est, & frigidiusculus, plusculum etiam quam alibi per illam regionem durantibus inprimis quatuor illis mensibus, quibus per Europam æstas est. Eleuatur ei Polus gradibus duodecim cum parte tertia. Habitant in hac Vrbe Archiepiscopus & Prorex, estque ibi supremum tribunal Iustitiæ, & mercatorum totius regni conuentus frequentissimus. Numerantur in Vrbe Lima duodecim millia mancipiorum Æthiopicorum, & viginti quatuor millia fœminarum, vnde de reliqua multitudine facilis est coniectura.

Profecto inde ad aliquot Leucas occurrit portus Gaurensis, vbi magna conficitur salis copia, & paulo post Casmensis abundans frugibus ligneis. Hinc Santa est, & Quanapala, per quas venitur Trugillum, quod oppidum duabus Leucis abest à mari, sub gradu eleuationis septimo & duabus tertiis, sita in Valle Chimẽsi super ripam amœnissimi fluuii. Aguilla est sub gradu sexto, Payta mercimoniis frequens, sub quinto, Tumbesia sub tertio, Fanum Helenæ sub secundo, caput siue Promontorium S. Laurentii sub primo, Portus vetus & Fanum Iacobi cum promontorio Passao sub ipsa linea Æquinoctiali, & hic est Peruuiæ limes ex hac parte. Vbi ad dextram te conuerteris, ad decimamquintam à mari leucam offeret se S. Michaelis Fanum, prima Hispanorum in illis partibus colonia.

Priusquam omnino è campestri Peruuiæ parte discedam, quędam obseruatione non indigna commemorabo. Distat ad decimam quintã Leucam ab Lima locus quidam cui Mala est nomen; est ibi spectatu digna ficus arbor, cuius ea pars, quæ austrum respicit, fructus fert cum in montanis æstas est: altera quæ ad mare conuersa est, gignit ficus cum æstas est in planis. In valle Chilca nunquam pluit, nec vllus ibi amnis est, solum tamen multum exhibet frumenti Indici, solertia incolarum quæ talis est. Capiunt in vicini littore maris ingentem Sardinarum aliorumq; pisciculorum copiam, deinde effodiunt scrobes in agris infinito numero, in has coniiciunt pisciculos insertis capitibus eorum singulis frumenti granis, ac ita defodiunt, dicique satis non potest, quantopere Maizum luxuriet, suppeditantibus humorem pisciculis.

Collao & quædam alia.

Potissimæ tamen opes & potentia Peruanorum consistunt in prouinciis mediterraneis, quarum prima commemoranda venit Collao, sita in valle, vbi duæ illæ montium series siue ordines diuaricantur (de quibus montibus in superioribus diximus) vallemq; ampliorem constituunt. Limes eius Australis est Caracolla, septentrionalis Aiaüira. Paci nomen est præcipuo eius oppido, quanquam frequentior sit incolis natiuis Cuiquito, eoq; etiam amplior maiorisq; momenti, immediate regi subiecta. Habet hoc sub se alia oppida, quæ inde ius petunt, Iulium, Chilam, Achosiam, Pomaram, Cepitam, Quaquin, Tiguanacum cum aliis. Apud hoc postremum oppidum spectantur adhuc maceriæ quædam ac rudera immanium ædificiorum: quæ ipsa species miræ antiquitatis credere suadet, vastitas vero à Gigantibus extructa. Nec enim facile est animo assequi, quo pacto moueri superstruique potuerint saxa, triginta pedes longa, quindecim lata, spissa vero sex, idque magis mirandum, cum incolæ ferreis caruerint instrumentis. Est in hac Peruani regni parte famosus ille lacus Titicaqua, longus leucas triginta, latus quindecim, ambitum constituens milliarium octoginta, cuius profunditatem ad totidem passus descendere aiunt. Exhaurit hic lacus duodecim fluuios plerosque maiores, cum nonnullis minoribus, quos omnes velut in vnum flumen compactos, vno alueo prægrandi emittit, quod vbi alium lacum, nempe Parienſem ingressum est, perit ibi atque absorbetur, haud secus ac Iordanes fluuius Palæstinæ in lacu Asphaltite, aut Rha siue Volga amnis in mari Caspio.

Qualitas

Qualitas regionis.

Etsi ea sit in regione Collao frigiditas aeris, vt Maizum Indorum hic ægre proueniat, populosior tamen est hæc regni Peruani prouincia multis aliis. Fiat hinc coniectura licet, quanto plus situm sit ad colonorum frequentiam in aeris salubritate, quam fœcunditate soli. Defectum frumenti Indici sarciunt præter alias res quædam radices, quas incolæ Papas vocant, quibus is prope sapor, quem tubera habent. Exsiccatas has ad Solem in futuram hyemem seruant. Abundat insuper hæc prouincia pecudibus, inprimis iis, quas Camelogas vocant, quæ cum multa communia habeant cum ouibus, maiores tamen multo sunt, ad Camelorum speciem accedentes, quamuis sine gibbo. Imponuntur harum dorso onera, cum sine difficultate centum quinquaginta pondo ferre possint. Vtuntur iisdem etiam ad colendum agrum, accedente alio vsu, qui consistit in lana, quę parando optimo panno bona est, cum earum carnes etiam esu suaues sint. Crescit in littore Titicacæ lacus iunci quædam species, ad multas res vtilis: inde enim fabricant domos suas, vt & nauigia, grana vero eius mire faciunt ad saginandos porcos: incolæ Totoram vocant. Magna præterea auium aquaticarum copia est in eo loco, diuersi generis.

Chiarcarum Prouincia.

Hæc Collaon sequitur, magni nominis ob diuitias quas suppeditat ex argentifodinis Platensibus & Potosianis. Caput Prouinciæ est ipsum oppidum Potosi, inxta quod mons est exiguus, quem incolæ Cuiana Potosi, id est, paruum Potosi nominant, in cuius radice ipsum oppidum extructum est, habens in peridromo leucas duas, vbi frequentissima est negociatio ex omni Peruana confluentibus mercatoribus. Putantur hic habitare Hispanorum ad quatuor millia, indigenæ autem ad octoginta millium numerum accedere. His non accenseo eos, quos lucri cupiditas aut nouitatis visendę desiderium huc compellit è locis longe dissitis, neque miserabile fossorum vulgus, qui intra ipsa montium viscera ætatem agunt, quorum tanta est multitudo, vt vel hi soli oppidum constituere possent.

Qualitas & opes regionis.

Quantæ sint diuitiæ huius prouinciæ, vel hinc fieri coniectura potest, quod Gasca Præses regius in suo territorio assignauerit Petro Iniosæ centum millia scutatorum loco prouentus annui, quæ res manifestum facit, quantum sibi ipsi reseruauerit. Habet mons ille qui à Porco nomen accepit, argentifodinas tam vberes, vt exhauriri non posse videantur, estque non vna inter cæteras diues argento, quod tamen erui non potest, cum incolæ parum curiosi sint, & locus sit frigidior, quam vt æthiopes ibi laborare possint. Accedit vicinia Potosiani Metalli, quod sua vbertate montis Porcini gloriæ multum detrahit. Est autem Potosi mons non adeo magnus sub gradu altitudinis vigesimo secundo, forma pyramidali, altitudine vnius leucæ, cuius ambitus dimidiam constituit. Venas argenti interius habet quatuor, quarum quæ angustissima est, in latitudine pedem vnum habet, quæ latissima, sex. Vna earum, quæ à Centeno nomen habet, in ramos diuiditur viginti quatuor: alia cui Diuiti nomen est, ramos habere dicitur septuaginta septem. Descendunt autem fossores vltra ducentas & amplius Orgyias, ad solum lucernæ ardentis lumen. Qui in hoc laborant ergastulo, multis nonnunquam mensibus Solis faciem non intuentur; descendunt autem ascenduntque per scalas è corio factas crudo, gradibus quandoq; octingentis & amplius. Onus impositum humeris baiulant, candelam ardentem altera manu præferentes. Non possunt autem scribendo exprimi infelicium horum hominum miseriæ. Multi vertigine correpti in præceps acti decidunt, cæterosque omnes, qui inferiore loco ipsos sequuntur, secum rapiunt perduntque. Fuerunt autem hæ argentifodinæ apertæ Regis Hispani nomine & auspiciis anno A N. C. M D XLV. à quo tempore vsq; ad annum MDLXXXV. sola quinta pars quæ regi debebatur, tres milliones pondo constituit. Facit autem pondo tredecim nummos regales cum quarta parte.

Argentum rude, postquam terra extractum est, purgatur igne in multis officinis. Septuaginta quatuor enim aquis agitantur, triginta equis. In valle Tarapaia lacus est aquæ calidissimæ, tam exactæ rotunditatis, vt ad dimensionem circini effossus videatur: Non autem crescunt hæ aquæ etsi scatutigo bulliens in medio sine intermissione saliat, neque minuuntur, quamuis grandi canali aquæ feruentes inde deriuentur.

Cusco Vrbs regia.

Ad decimum septimum ab Æquatore versus meridiem gradum Cusco est, in planicie quadam vndique montibus cincta. Arcem habet tam immanibus structam lapidibus, vt Gigantum potius quam istorum hominum opus videatur, eoque magis, cum incolæ ferro destituti fuerint, & iumentis ad trahendum. Fuit Cusco sedes regia Ingarum siue Regum Peruanorum, caput totius Imperii, cum qua nulla alia conferri potuit, siue magnitudinem spectes, siue formam administrationis politicæ. Plateas habet prælongas, sed angustiores: domos lapideas iunctasque inter se mira quadam industria. Plebeiæ tamen ac viliores domus ligno extructæ erant, cooperiæ culmine.

Erat in hac vrbe prædives illud Solis Templum & Palatium regium, in quo quantum auri argentique fuerit, difficile est animo comprehendere. E foro quod in media Vrbe erat, quatuor plateæ ducebant ad quatuor præcipuas regni prouincias.

Vt autem reges hanc vrbem redderent augustiorem, imperauerunt regni principibus, vt vnusquisque Palatium in ea extrueret, suosque liberos eo mitteret, qui ibi educarentur: vtq

amp

amplitudo & magnificentia regni Peruani magis appareret, voluerunt iidem, vt ex omnibus prouinciis Ingæ subiectis aliqui semper in Vrbe conspicerentur, diuersimode & ex consuetudine suæ prouinciæ vestiti, alia atq; alia capite ferentes tegmina. Franciscus Pizarrus hanc Vrbem anno AN.C.MDXXXIV. nouo nostroque modo ædificauit. Putatur habitari à quinquaginta hominum millibus, spacioque duodecim leucarum circa eam inueniri ducenta colonorũ millia.

Qualitas agri Cuscani.

Est solum circa vrbem Cuscon plenum amænissimis & fructuosis vallibus quibus hæc fere sunt nomina: Andaguaia, Xaquisana, Bilcasia, Sucaiana: habetque vltima hæc aerem tam salubrem & temperatum, situmque ea amænitate & suauitate præditum, vt satis digne exprimi non possit: vnde fit, vt hinc inde magnificis Hispanorum ædibus ac populosis pagis plena conspiciatur. Prouentus fructuum Europæorum ibi nulla ex parte est infelicior quam in Hispania. Comeduntur in vrbe Cusco recentes vuæ nullo non tempore per totum annum. Boum, ouiũ, equorum ingens hic vis, cum magna sit omnium, adeoque maior etiam, quam apud nos fœcunditas.

CASSAMALCA CVM ALIIS.

Ab Lima versus orientem Cassamalca est, caput nobilissimæ prouinciæ, quæ maius etiam acquisiuit nomen, quod in ea fuso Indorum exercitu Atabalippa (vel rectius Attagualpa) Peruanus rex captus fuerit: quod accidit anno AN.C. MDXXXIII. Qui, vt se in libertatem assereret, victoribus Lytri nomine tantos erogauit thesauros, vt nunquam ditiores viri fuerint milites ab initio mundi. Centum enim & sexaginta homines adepti sunt argenti quidem libras CCLII. mille: auri vero millionem vnum cum coronatis CCCXXVI. Ipsum oppidum Cassamalca nostro æuo in exiguo est precio, quanquam ager eius latissime pateat inter Peruanos.

Oppidum Argenteum siue de Plata, Lima & Cusco sunt maiores & opulentiores, tam ratione subiectorum oppidorum quam prouentuum; Potosi, quanquam inter ciuitates non numeretur, populi tamen affluentia & diuitiis Limæ nequaquam cedere videtur. Cæteræ Hispanorum Coloniæ minores sunt, inter quas tamen non omnino silẽtio prætereundæ Guamanga, Frontera, Guanugo, Loxa, & Fanum Iacobi Guaiacensis.

Guamanga media via est inter Limam & Cuscon, interque vallem Xaucam & Andes. Quaindistat à Cusco sexaginta Leucis: in vtriusque confinio Balca oppidum est ad decimamquintam Leucam à Guamanga: & hic velut vmbilicus erat Imperii Ingarũ, quod tot sint milliaria à oppido Quito ad Balcã, quot à Balca ad Chichan. Guamangæ initia cadunt in annum MDXXIX. estq; id oppidum maxima ex parte lapide structum & argilla, domibus coctis tegulis operatis, accedentibus quibusdam ad splendorem excitatis turribus.

Guanuco oppidum eodem prope tempore extrui cæptum est, loco admodum salubri, cuius ager inter optimos censeri possit. Habet id sub se has regiunculas: Gonguam, Guailam, Tamarã & Bonbom. Hinc venitur in regionem Cacapo. Iam cuius caput est Frontera oppidum, quod dominatur etiam prouinciæ Guancanæ. Sunt autem Cacapoii albissimi & pulcherrimi omnium hominum in nouo Orbe. Loxę ciuitatis primus Architectus fuit Alfonsus de Nercadilla, qui eam struere cæpit anno salutis MDXLVI, antea appellabatur Zarza.

Perluunt hanc prouinciam complures amnes minores, vnde non tantum mira solo conciliatur amœnitas sed & fertilitas. Agri quicquid est, frumento conferitur Indico & tritico nostrate; colles mala aurantia & citria limoniaque de arboribus suis pendula exornant, horti herbis floribusq; odoriferis superbiunt, loca vero compascua & montes errantibus hinc inde gregibus armentisq; plena sunt.

QVITO PROVINCIA.

Sed monet nos tempus, vt prouinciam Quitensem ingrediamur, quæ in longitudine habet milliaria ducenta, in latitudine centum. Sita est hæc sub ipso Æquatore, & tamen magis frigida quam calida. Caput regionis est D. Francisci oppidum, structum Anno N.C. MDXXXIV. Situ loco humili inter montes. Discedit hoc septem Leucis ab equatore versus Aquilonem, sexaginta leucis distans à Portu Vetere, & octoginta à S. Iacobi fano, totidem à S. Michaelis: à Loxa CXXX. à Lima & Potosi CCC.

Qualitas regionis.

Incipit hic æstas mense Aprili, duratque vsq; in Nouembrem, incolæ mediocri statura sunt, laboribus adsueti, inprimis apti ad rem pecuariam, nec vlla est in tota illa continente terra, vbi fruges ac fructus Europæ felicius proueniunt, aut pecudes nostrates melius fœtificent, quam hic: inprimis magna est vbertas fructuum arboreorum, saccari & pomorum auratorum. Capræ ibi fere tres, etiam quinque interdum vno fœtu edunt capellas. Præter metallifodinas cæteras repertum est argentum viuum, quod cum rude est, flauum apparet, coniectum vero in ignem aliquid sulfuratum olet. Reperiuntur hic quoque Cannæ palustres prægrandes, quę multum aquę intra se continent. Sunt hic nonnulli montes, qui in summis fastigiis ignem euomunt, vnusque præcæteris admiratione dignus, qui tantum eiicit cinerum, vt ad aliquot millia circum se terram cooperiat, igniſque flammas tam largiter euomit, vt eæ ad centesimum & vltra videantur milliare, cum fremitu boatuq; tanto, vt ipsa tonitrua vincat.

Regio qua à S. Francisci oppido versus orientem itur, appellatur Terra Canellæ siue Cinnamomi,

momi, quanquam hoc Cinnamomum multum differat ab vsitato siue communi. Arbor habet ramos & folia lauri foliis quam simillima, maiora tamen: fructus glandem repræsentat: cortex vt & folium gratum spirat odorem. Optimum tamen huius arboris est iuxta fructum eius, vbi colore est subfusco, ex rubro & nigro mixto, vnde conficitur medicina ad costarum, stomachi & ventriculi dolorem, deferturque ad Quitense oppidum, vbi venditur cum cæteris mercimoniis. Fuit hæc prouincia anno MDLXXX. VII. ingenti terræ motu concussa, cum magno incolarum detrimento.

Sancta Crux de Monte.

22 Absoluta Peruuiæ descriptione restat, vt secuti vestigia quorundam ducum Hispanorum ingrediamur ipsum cor vastissimæ huius peninsulæ, quatenus illa nostro æuo cognita est. Causam mihi dicendi præbet oppidum S. Crucis de Monte, quam Hispani tenent habitantq;. Id ergo sic habet. Sub decimo septimo gradu Australi inter fluuios Orillanam & de Plata mons attollitur, qui ramus est prodiens ab Andibus, tendentibus vsque ad Fretum Magellanicum. Summa illius montis æterna teguntur niue atq; glacie. Transitis finibus Ceriganis descenditur in amplam planiciem quę triginta hisce annis proximis detecta est, in qua nullus omnino super terram visitur lapis, vt nec in aquis, ne scrupus quidem nucis iuglandis magnitudine. Versus septentrionem paruus mons assurgit, in quo Hispani oppidum ædificauerunt, vocaueruntque Sanctam Crucem de monte, sub gradu Æquatoris decimoseptimo. Distat id oppidum à Plata siue oppido Argenteo milliaribus C C C C. habetque circiter centum sexaginta domos, quas Hispani inhabitant.

Natura regionis.

Terra hæc, vbi plana est & campestris, sæpe fluuiorum exundationibus vexatur. Magna hic est formicarum copia, præcipue iuxta Vapæum fluuiū. Hæ igitur, vt aceruos suos ab inundatione conseruent, extruunt congesta terra quosdam quasi aggeres, altitudine paulo supra brachium humanum, tantæ tamen amplitudinis, vt eorum ambitus duodecim vel quindecim pedes complectatur. Intra hos aggeres & sibi ab exitio cauent, & congestum seruant pabulum. Eadē hæc velut terræ tubercula saluti multoties sunt viatoribus, cum ab aquis pene opprimuntur. Crescit autem Vapæus fluuius decrescitq; instar Nili, tardoq; ingreditur passu, lene fluens vt Araris Galliæ. Exhibet hæc prouincia varia animalia, quibus ingens à nostratibus differentia. Inter alia inuenitur ibi quoddam, porcello nostrati persimile, vescitur gramine dormitque in aquis vt pisces. Est & serpentis genus, quod Hispani Sonallā vocant, accedens ad longitudinem vnius orgyiæ, crassities ei quæ hastæ militari. Habet hoc genus tumores aliquos super caudam, magnitudine nucis iugulandis cohæretque vnus cum alio certis commissuris. Est his viperis tam acre præsensque venenum, vt quoscunque momorderint, è vestigio moriantur. Sed cæcutiunt oculis, quorum obtutus vltra tertium passuum non porrigitur, audiunturque crepitantibus tuberculis illis, cum adhuc viginti passibus ab homine absunt, vt is in tempore sibi cauere possit: inuenitur etiam exitiosum hoc genus in Brasilia.

Tocca auis est magnitudine cornicis, pectus habet album, rostrum deauratum tantæq; magnitudinis, vt prope totum corpus adæquet. Magnus hic Struthiocamelorum numerus, vt milites, qui auri siti regionem illam percurrunt, quandoque quadragena vel quinquagena ouа in arena inueniant, vnde iis victus suppetit.

Fert insuper hæc tellus magnam Gossypii abundantiam, vt & Orizæ, Maizi & variorum fructuum: triticum tamen & vinum non profert, quæ vtraque ex Peruuia eo deuehuntur: solentque singula vini dolia centenis scutatis vendi: quem defectum vt sarciant incolæ, potum factitium coquunt ex frumento Indico & melle. Cumque hic multi sint lacus & fluuii piscibus abundantes, in admirationem tamen omnes rapit exiguus riuus ad S. Crucis oppidum, qui cum non sit largior duabus orgyiis minimeque profundus, nec vltra vnius leucæ spacium fluat; ipsi tamen oppido satis suppeditat aquarum, & tria genera optimorum piscium, ea quidem abundantia, vt situla vel etiam manu capi possint; duratque hæc piscatio à Februario vsque ad finem Maii mensis: cæteris anni partibus sterilis piscę est.

Mores incolarum.

Habitantur hæ Prouinciæ à multis diuersisque populis barbaris, inter quos Cerigani & Vicarani, qui mutuis se conficiunt lanienis, aut contra Hispanos pugnant, quos arcere & prohibere transitu omni ope nituntur. Contra hos aliquando misit Franciscus Toletanus omnes prope robur Peruanum, Sed id frustra fuit. Vescuntur carnibus humanis, ut nos verveci nis. Horum vicini Tovij captos hostes suos ab humeris suspendunt bajulantque, valide concutientes eos dum incedunt. Varæi cum statura fere corporis altiore sint quam vicini eorum, omnes homines præ se barbarica ferita te adeo contemnunt, vt ausi fuerint scisciri ex Sacerdote quodam: Siquidem ipsi Christiani fierent, an eos eadem qua cæteros baptizaturus esset aqua? Habitationem stabilem perpetuamque non habent. Exercent filios suos in armis, cum vix recte ingredi didicerunt. arma autem sunt arcus, sagittæ & clava ligne His dum adhuc tenelli sunt, objiciunt capti hostes, velut prædam canibus, laudibus vehementes eos, qui crudelissime eos trucidauerint. Vque efferentur magis, imponunt illis nomi carnivororum animalium Leones, Tygres, L posque eos appellantes.

A

Alii quidam ex his populis, vt terribiliores appareant, coloribus inficiunt corpus, singulisque pleniluniis & nouiluniis concurrentes inter se faciunt se inuicem cultris osseis, vt adsuefiant ad ictus in bello recipiendos. Vendere ac emere apud eos res sunt inauditæ, cum solo viuant furto atq; latrocinio. Deducunt mortuos cũ planctu ad sepulchrum, sed & aduenientes hospites plorantes excipiunt, ita habent lacrymas in potestate.

Indigenæ circa oppidũ Sanctæ Crucis Montanæ colunt agros, nullumque alium soluunt Hispanis tributum, quam binas libras gossypii pro singulis capitibus. hoc enim vicem argenti siue monetæ præstat, non aliter ac in Noua Hispania Cacao, in Peruana Coca.

Diutissime viuunt hi homines, suntq; temperamenti optimi. Summa illis delectatio in venatione & aucupio. Comedunt etiam formicas frixas, & caudas crocodilorum, locustas serpentesque, postquam his amputauerunt capita, & abierunt intestina. Nudi omnes penitus incedũt, exceptis mulieribus, quæ verenda folio arboris aut cortice tegunt, aut harpasto Xylino perangusto. Hoc tamen non faciunt nisi nuptę. Hispani tamen hac tempestate eos qui oppidum incolunt, adsuefecerunt, vt eodem prope modo vestiantur, quo natiui Peruani.

Quando frigidior anni tempestas est, (quanquam omnis regio sua natura calida, nunquam nisi frigidis ventis perflatur) aut non egrediuntur ex ædibus, aut titionem ardentem calefaciendi sui causa manibus præferunt. Caput ita tondent, vt ab vtroque latere capillos abradant, rectis in vertice antiis longioribus. Alii mediam partem abradunt, alii partem sinistram, alii dextram, sunt qui in orbem tondent relictis in medio capillis. Aiunt autem hunc tondendi morẽ didicisse, monstratore quodam Pachicuma, ob eam causam Sacerdotem eum, qui primus eos ad cognitionem Euangelii inuitauit, vocauerũt Pachicumam.

Cum vxores pepererunt, viri se in lectum cõponunt, faciuntq; omnia, quæ superius de Brasilienſibus commemorauimus. Numerare nesciunt vltra quatuor, in quo numero consistunt. Futuri quinq;, manum monstrant, decem vero utraq; eleuata manu innuunt. Discessuri ab domo, tot deponunt ibi baculos, quot dieb. se abesturos rẽtur. At vxor siue is qui domi remanet, singulis dieb. aufert vnum baculũ, & sic deprehendit diem redditus. Vltra oppidum S. Crucis versus orientem populi sunt, qui sua lingua Gaimi, nostra Bellatores dicuntur, qui cæteros omnes Tapuios, id est seruos siue mancipia vocant. Hispanos tamen in aliquo precio habent, fabulanturq; eos ab sese oriundos. Iniuriam si quam acceperunt, nunquã obliuioni tradunt. Vescuntur carnib. humanis omnium nationum, à suis tamen popularibus abstinent. Domos præaltas omnire capaces extruunt, in quib. plures familiæ simul degunt, vnaquæque seorsim, quanquam nullo intercedente pariete. Pertuso labro inferiori lapillum aliquem inserunt, signum notamque nobilitatis. Iustitiæ ne nomen quidem audiuerunt. Principes alios præter militiæ duces ignorant, Hispanis armatis nõ permittunt ingredi suas habitationes, vbi fere quingenta domicilia vel familiæ degunt. Quod si eos armatos admittant, oportet vt pauci admodum sint, à quib. nihil metuendum sit periculi: subinde enim illis dominationem in vicinos populos obiiciũt. Ad cẽtesimum vigesimum milliare ab hoc loco habitant Chiquites, qui Hispanorum agnoscunt dominium. Notatu dignum est, quod lingua Varaiorum intelligatur à Brasilienſibus, à Paraguaiis, Garaiis eorumq; vicinis, quod ingens est argumentum, dominatos illos olim fuisse omnib. his populis: & vt is, qui linguam Latinam, Arabicam vel Sclauonicam nouerit, prope per vniuersum orbem nostrum commode peregrinari possit: sic qui idioma Varaiorum, Cuscanum & Mexicanum calluerit, per totum nouum orbem iter facere poterit.

TVCVMA.

INter Chilen, Brasiliam, Paraguaiã, & S. Crucem regnum Tucumę est, quod vltra CC. leucas extenditur. Excurrentes Hispani post occupatam Peruuiam in vicina regna, quinq; colonias hic cõdiderunt: Salten, Stecum, S. Michaelis fanum, & Sancti Iacobi, postremo Cordubam. Salte distat ab Talina, quæ vltima est terrarum Peruanarum, milliaribus centum triginta sex, quæ via difficilis est & tædiosa ob defectum aquæ. Sita est Salte in valle amplissima, quę longa est mill. LXXXIV. lata XXX. Post hanc alia est vallis, quam Calchiaquam vocant, quę à septentrione in austrum extenditur vltra leucas XXX. quam multi amnes perluunt, & cordati homines inhabitant. Hos Hispani iam à multis annis irrito conatu armis oppugnauerunt. Postremo tamen quidam Iohannes Perezius principẽ huius vallis blanditiis & amica ratione sub obedientiam regis Hispani perduxit, vt fidem Christianam receperit. Cum autem Perezius paulo post ei dominari vellet impotentius, excusso iugo barbarus cum tota valle rebellauit Hispanis, seq; suosque totis viginti septem annis in illa libertate conseruauit. Tandem Iohannes Ramiresius profectus à Peruuia cum mille peditib. Hispanis, equitib. quingentis & sagittariis trecentis finem huic bello imposuit. Stecum oppidum caput est quinquaginta aliorum oppidorum pagorumq;. ab hoc ad centesimum & quinquagesimum milliare abest S. Iacobi oppidum, sedes Episcopi & Gubernatoris huius prouinciæ. Cordub a sub eodem gradu sita est, quo illa in veteri Hispania, aduerso tamen, præterquã quod hæc habet hyemes frigidiores & æstates temperatiores. Distat ab Chile milli. LX, à S. Iacobi oppido CCXL. totidem à S. Fidei fano in Paraguaia. 23

Qualitas regionis.

Tota hæc regio plana est & campestris, aere gaudẽs magis calido quam frigido. Multum hic pluit, vnde fluuii facile exundantes alueis suis

exeunt. Venti hic acriter furũt, vt arbores stirpitus euellant, cogantque habitatores desertis domiciliis in antra & speluncas subterraneas se recipere. Vallis Saltensis abundat aquis fluuiisq;, in quibus ingens piscium copia. Aer temperatus est & bonus, si vsquam alibi, ager vero fæcũdus, & prata ampla, vnde magnus ibi gregum armentorumq; numerus. Territorium Stecanum multum gignit gossipii, frumenti, fructuum & pecudum. Regni Tucumensis potissima pars tã plana est & commoda, vt ibi per amplissima terrarum spacia iunctis quadrigis currus ac pilenta trahi possint, sine vlla prope offensa aut obstaculo.

PARAGVAII.

24 Habitant hi populi in finib. Tucumensium, qua in longitudinem porrigitur fluuius eiusdem nominis. Vt autem ingens hic fluuius commodius transiri possit, cum frequẽtibus inundationibus alueum suum egrediatur, videtur natura speciem quandam arboris creauisse, quam barbari Zainam vocant, quarum ingens hic est cõmoditas. Crassæ magis sunt quam altæ, fastigium iis & radix non magna, venter autem siue truncus satis capax, medulla plenus molli & tenera, cum duro cortice, vnde prope sine labore excauari possunt. Hinc conficiuntur scaphæ singulæ è solido ligno, multorum sane hominum capaces. Primus qui hanc Americæ partem detexit fuit Sebastianus Caborius, cum ab Oceano Aquilonari eo appulisset. Hunc secuti sunt alii ductores Hispani, inprimis Dĩdacus Royas, profectus ab Peruuia, & alii. Oppido præcipuo nomen indiderunt veræ Fidei: hoc sequuntur alia, Assumtionis, S. Annæ, Boni Aeris, S. Spiritus, & S. Saluatoris.

HISPANIOLA INSVLA.

25 Antiquum huius & originale nomẽ fuit Hayti & Quisquaia. Vtrumq; mutauere Hispani aduentitii, & pro primo Hispaniolam, pro secundo Dominicam dixere, à præcipuo quod ibi condidere oppido. Ambitus Insulæ putatur leucarum CCCL. siue millium MCCCC. Longitudo milli. D. Latitudo pro Sinuum & Promõtoriorum ratione varia, vbi a. maxima C C C. millium est. Medium Insulæ ab æquatore distat gradib. pene XIX. forma eius oblonga, protenditur enim ab oriente in occidentem. Vrbium præcipua est S. Dominici ad ostium fl. Ozama, sede Episcopi & Vicarii regii nobilis: est & hic suprema Curia & tribunal iustitiæ. Sunt in hac Monasteria quinq; magnæ celebritatis. Oppida minora sunt S. Iohannis, Meguma, Portus Platæ, Portus Regius, Cauana, Xaragua, cum nonnullis aliis, quæ omnia originem suam debent Hispanis.

QVALITAS EIVS.

Aer hic optime temperatus, vbi neque vllus frigoris neq; caloris excessus, quãquam in summitatibus montium rupiumq; gelu sit intensius. Arbores vt plurimum perpetuo virent, estq; præ cæteris omnib. amœna & fertilis. quicquid arborum, plantarum, frumenti ex Europa illuc delatum plantatumq; est, magna prouenit vbertate & luxuria: quamuis experientia colonos docuerit, lętius proueni segetes in montanis quam planis partib. Sunt in hac Insula fluuii complures, lacus ac fontes admodũ piscosi, præcipuam tamen amœnitatem & commoditatem incolis præstant quatuor insigniora flumina, quę in ipso Insulæ vmbilico, delapsa ex altissimorum montium iugis, in diuersas mundi partes abeunt: *Iuna* n. ad orientem, ad occidentem properat *Athunicus*: *Iacchus* Septentrionalib. *Naius* meridionalibus miscetur aquis: sic, vt quadripartito Insula diuidatur.

Est & in hac Insula cauerna subter præaltum montem, qua is in orientem Solem vergit, distans à mari D. passibus, cuius ingress.s ita à natura fabre factus est, vt Portale ingentis palatii repræsentet, interius percipitur Strepitus impetuosi cuiusdam fluminis, qui rapido intra concauitates terræ cursu fertur ad quinquies mille iactus teli ab arcu. Qui propius accedunt, obsurdescunt, nec tam celeriter recipiunt auditum; hæaquæ postremo ab lacu absorbentur.

Est præterea in Banoia ingens lacus, Indi Haguigabon, nostri mare Caspium vocant: is innumeris vndiq; fluuiis auctus, nusquam tamen excurrit aut exoneratur, sed cuniculis absorbetur: haud vanis cõiecturis creditur, rupes hasce spõgiosas per subterraneos meatus Maris aquam recipere, quod ibidẽ multitudo marinorum piscium inueniatur, & aqua maris salsugine infecta tota muricata sit. Alii insuper quantumuis minores in hac Insula sunt salsi lacus. Vltra supradictos lacus ingẽs etiam Fluuius in Mare salsus decurrit, quantumuis dulcis aquæ infinitis riuulis fontibusq; auctus.

Auri & argentifodinas insuper habet hæc Insula, aiuntque vulgo, montes Cabinios auro supra modum diuites occulere venas. Gignit praterea saccari vim ingentem, vt & Casiæ, & Gingiberis, & Mastiches, & Ligni Aloes & Cinnamomi. Ante Hispanorum aduentum tria tantum hic erant quadrupedum genera, nunc importatis aliunde animantibus ita repleta est, vt expellium & coriorum magna vis quotannis in Hispaniam exportetur.

Mores incolarum.

Est hæc gens naturæ quadam inclinatione [illegible] cio & ignauiæ dedita, incedunt prope vniuersi nudi, viuuntq; potissimum ex piscatione. Antequam Christiana Fide imbuerentur, credebant summum quendam Motorem omnium rerum esse, in cæteris pudendos errabant errores. Postquam cannas saccari feraces à nostris hominibus acceperunt, multas extruxerunt molas atq; officinas ad eam rem, faciuntq; quotannis non exiguum inde lucrum.

CVBA SIVE INSVLA FERDINANDINA.

Ad occidentem Hispaniolæ sita est hæc Insula, haberq; à Meridie obiectam Iamaicam. Lon-

gi

gitudo ei⁹ ab ortu in occasũ extẽditur ad CCC. Leucas Hispanicas. Vbi latissima est, LX. constituit milliar. vbi angustissima, tantum XX. Sex oppidis superbit, inter quæ primum locum tenet, quod S. Iacobo dicatum est, magni nominis ob portum fluuiumq; propinquum. Cætera oppida non satis populo frequentia putantur, excepta Hauana, vbi frequentissimus est nauium accessus. In S. Iacobi oppido habitat Episcopus.

Qualitas Regionis.

Reperiuntur circum hanc Insulam plurima breuia satis periculosa, suntque ab ea parte quæ in septentrionem vergit, vortices aquarum & charybdes noxiæ. At qua Meridiem spectat totum littus obiectis horret scopulis ac rupib. Regio aspera est, excelsa & montosa, multos tamen habet auriferos fluuios, quorum aquę dulces & potui aptæ sunt: vt & dulcia & salsa stagna frequentia. Montes ramenta auri præbent, & sabulum fluuiorũ auri segmenta vehit. Habet hæc Insula Vallem quandam inter duos montes ad duo aut tria milliaria deductã, quæ lapideos globos producit tanto numero, vt quis multas inde naues onerare possit. Hi à natura adeo ad sphæricam formam rotundi facti sunt, vt nihil circino possit ab artifice fieri rotundius. Iuxta Portũ Principis mons est, è quo Bitumen fluit aptum nauibus stipandis. Serpentum in hac Insula maior quam in vicinis copia.

Mores incolarum.

Ante Hispanorum aduentum solebant hi homines cicurare serpentes, eosq; in deliciis habere. Incedebãt fere nudi, vt & habitatores Hispaniolæ. Naturæ benignitate contenti omnia in commune possidebant, sineque legibus rectum bonumq; colebant.

IAMAICA INSVLA.

Hanc nunc S. Iacobi Insulam vocant, sitam inter XVIII. & XX. gradus. Habet hæc ab Ortu Hispaniolam, ab Septentrione Cubam, à Meridie Insulas S. Bernardi & Carthagenæ, ab occidente continentem Iucataniæ & Fonduræ. Porrigitur in longitudinem ad leucas L V. latitudo habet circiter XXV. vt ambitus constituat C L. quabus tantum ciuitatib. habitatur, Seuillia & Christiana. Illa præcipua est, habens Abbatiam, cui primatum aliquando gessit Petrus Martyr Anglerius Mediolanensis. Subegit has Insulas Iacobus Columbus Christophori filius, eamq; Hispanorum regi fecit tributariam, quod factũ est anno MDIX.

Qualitas terræ & diuitiæ.

Regio hæc grata aeris salubritate & temperie gaudet, admodumq; fertilis est, vt magnam vim bouis alat ob eximiam pabuli pinguedinem & bouum vberrimorum copiam, à quibus irrisum fertur etiam habere auri venas. Gossipio pro modum fertilis est & saccaro. Fluuiis & piscibus abundat, è quibus plurimum suppeditatur ium.

Mores populi.

Genus & ratio viuendi his eadem cum superiorum Insularum Hispaniolæ & Cubæ incolis, quanquam hi posteriores magis feroces & crudeliores illis fuisse perhibeantur.

CANIBALVM SIVE CARIBARVM Insulæ.

Appellantur hoc nomine omnes illæ Insulæ 28
quę duplici velut ordine extenduntur ab orientali & meridionali Hispaniolæ Insulæ littore recta ex aduerso continentis. Maior illarum pars habitatoribus destituitur: inter eas autem quæ habitantur, princeps est Insula S. Iohannis, vulgo à Portu diuite cognominata, prius Borinquena dicta, quæ ab oriente haud procul distat ab Hispaniola. Insula in longitudine porrigitur ad L. pene mill. in latum patet X V I I. maxima latitudo ad XVIII. milliaria Germanica accedit. Affluit frugib. fructib. animalib. piscibusq;, nec destituitur auro: ligno autẽ Guaiacõ hic insigne encomium. Est nunc in ea vrbs præcipua S. Iohannis, optimo gaudens Portu.

Sequitur hanc Margarita Insula, alio nomine Cubagua dicta, vbi superiorib. annis larga Margaritarum piscatio. Incolæ omnium harum Insularum colore sunt subfusco, capillitio barbaq; rarissima, crudeles & Anthropophagi. Vtebantur sagittis veneno infectis. Scaphæ illis in vsu exiguæ, quibus Canois indidere nomen, his vicina radunt littora.

SEQVVNTVR EA QVAE GE- 29
neratim circa nouum orbem considerandaveniunt, & primum de munimentis eius & robore militari.

POtentia Hispanorũ regis in hoc Mũdi hemisphærio tam magna est atq; valida, vt aduersarium metuere non possit nec debeat. In plerisque enim prouinciis habẽt Hispani castella quędam atq; loca munitiora, quib. ostia fluminum & portus marinos obtinent, aditusque maioris momenti: & vt vno verbo dicam, omnia loca, quæ ad dominationis conseruationem faciunt, quæque ferociores populos velut iniecto ori capistro in officio continere possunt, egregie muniuerunt. Et ab Oceano quidem Australi, nõ est cur vllum hostem metuant, qui illis multum incommodare possit. At circa littus Aquilonare aliquando ab Anglis Batauisque infestati fuere, qui Piraticam exercentes, circum littora nauigiis suis cursitant, populantes oppida maritima aut excipientes Hispanicas naues. Insigne præ cæteris damnum acceperunt anno AN. C. MD. LXXXVI. quando Franciscus Draco Eques Anglus S. Dominici oppidum in Hispaniola Insula expoliauit, & Carthagenam in Terra firma. Sed hæc Anglorum audacia effecit, vt Hispani cautiores redditi, quicquid in Oceanum Aquilonarem porrigebatur, melioribus munitionibus in-

accessum redderent. Insulas enim, quæ magno numero Nouæ Hispaniæ prætenduntur, & velut murus quidam aut vallum obiiciuntur, inaccessas fecerunt multis breuibus, vnde periculosæ ac rapidæ Syrtes ortæ sunt, inprimis vna quæ immani fertur impetu, ingressa Sinum Pariensem, vbi appellatur os Draconis, quæ inter Iucataniam & Cubam transiens, redit intra Cubam & Mucronem Floridæ, tanta vi, vt nullum nauigium eam superare possit. Adhæc incommoda, si venti contrarii accedant, &cætera quæ in mari occurrere solent pericula, non leuem metum iniicient iis, qui circum hæc littora errantes, in portum aliquem se recipere securitatis ergo nõ audent. His naturæ beneficiis non contentus rex Hispanus, castellum excitari iussit firmissimum in insula Veræcruci propinqua, quod oppidum est in littore Mexicano: itemque aliud in Insula Cuba è regione continentis Floridæ. Prius fortalitium impedit hostes, ne incommoda Syrtium euitare possint: posterius, ne illis ad suum commodum abuti queant. Adiici insuper iussit vrbi Sancti Dominici fortalitium longe optimum, quæ vrbs ab ipsa Natura facta aut structa videtur, ad obtinendum maris illius dominium, adeo bono commodoq; loco sita est. Et quemadmodum Italia ratione situs ab ipsa natura videtur constituta domina Maris Mediterranei: ita Hispaniæ forma & effigies loquitur spiratque imperium Oceani: accedente natura & temperamento Hispanorum, quod ita dispositum est, vt omnium terrarum & climatum aerem sine noxa ferre possint.

Gubernatio ciuilis Noui Orbis.

Sunt omnino in toto illo opposito mundi Hemisphærio Proreges duo: prior Nouæ Hispaniæ, qui residet in famosa illa vrbe Mexico: posterior Peruani regni, qui habitat in oppido Lima. Posterioris tamen maior est auctoritas, non solum quod latius pateat ipsius prouincia, sed & quod possit pro arbitrio suo de feudis & commandaturis officiisque statuere, quod Proregi nouæ Hispaniæ non permittitur. Prouincia tamen Mexicana eiusque dominium præfertur Peruanæ his nominibus: quod vicinior multo sit Hispaniæ, quod vrbs Mexicana inter pulcherrimas referri mereatur, quod incolæ eius multo sint ciuiliores. Præsunt in tribunali iustitiæ senatores supremarum Curiarum, quæ quinque sunt per Nouam Hispaniam: Mexicana, San-Dominicana, Gattimalensis, Cuadalaiarensis & Panamensis. In Peruuia totidem: Limensis, Imperialis in Chile, Platensis, Quitana, & ad Fanum S. Fidei. Ab his supremis tribunalibus tam Hispani quam Indi ius petunt, neque ab eorum sententia datur prouocatio.

Hispani omnes (excepto Marchione Vallensi & vno atque altero præterea) terras ac dominia sua feudi nomine obtinent, quibus tamen duntaxat fruuntur donec viuunt ii qui primitus acceperunt (dantur autem fere iis qui occupauerunt) eorumque filii primogeniti, vel vxores, si hæredibus masculis destituantur. Accipiunt hi à subditis, quibus dominantur, binos coronatos in singulas familias: ipsi vicissim obligantur, constituere iis sacerdotes, qui obeant munia Ecclesiastica, populumque in fide ac vita Christiana instituant.

Habitant Hispani fere separatim ab Indis, illis fere in oppidis mœnibus cinctis degẽtibus, quæ ipsi ædificauerunt, forma fere quadrata, cum foro satis amplo, plateisque directis: his vero in suburbiis commorantibus, aut veteribus pagis mapaliisque, vbi omni studio incumbunt rei pecuariæ & eruendo metallo.

Vbi hæredes primi feudatarii mortui sunt, beneficium caducitatis iure ad Regem reuoluitur, vnde fit, vt terræ & ditiones maioris momenti immediate ad regem pertineant. Notatu autem dignum videtur, quod ii qui terras & dominia feudi nomine obtinent, fere nunquam paupertatis limites transgrediantur, aut sexagesimum vitæ annum. quod si accidat, inter res rariores refertur. Multi multoties conati sunt, vt terras & feuda illa redderent propria, perpetua atque hæreditaria, eoque nomine ingentem auri vim obtulerunt Carolo Quinto Cæsari & Philippo II. At reges veriti, ne Tyrannuli isti miseros Indos crudeliter & auare habitos, perpetuis consumerent laboribus, eorumq; medullas ex ossibus exhaurirent, accedente etiam rebellionis metu, vt aures eorum petitioni patefacerent, adduci nunquam potuerunt.

Modus regiminis Ecclesiastici.

Habet Nouus hic Orbis Archiepiscopos omnino quatuor. Primus habitat in oppido S. Dominici: secundus Mexici: tertius Limæ: quartus ad S. Fidem in Nouo Regno. Suffragantur primo Episcopi tres: Portu-diuitensis, Cubẽsis, Iamaicanus. Mexicano subsunt Episcopi decẽ Tlascalensis, Guiaranus, Mechoacanus, Xalis canus, Iucatanensis, Gipensis, Fonduranus Gattimalensis, Nicaraguensis, & ad Veram Pacem. Tertius sub se habet nouem suffraganeos Cuscanum, Platensem, Quitanum, Popaianum Panamensem, Tucumensem, Paraguaiensem Imperialem & Conceptionis. Archiepiscopo S Fidei parent hi Episcopi: Carthagenæ, S. Martha & S. Margaritæ. Ordines Monasticos in nou orbe reperies quinque. Franciscanos, Domin canos, Augustinianos, Iesuitas, & à mercede d ctos. Sunt & hic nonnulli ex eo Carmelitaru genere, qui nudis incedunt pedibus. In vniue sum putantur esse Religiosorum ad quinqu millia. Curati potissimum (vt appellantur) sunt quatuor ordinibus, Franciscanis, Dominicani Augustinianis & à mercede dictis: plurimi tam è Francisci sodalitio. E Iesuitis curati nulli p tantur, præterquam in regione Iulien si. Hab tat autem fere curatus commodissimo suę Iuri dictionis loco, quæ aliquando satis late pate hinc emittit inferiores suos in diuersa loca, vt c cant Missas & populum in mysteriis Christian instituant, cumq; pauciores sint quam pro am plitudine terrarum sacerdotes, permisit Pon fex Romanus, vt Sacerdos bis in diem Missa dica

dicat, non obstante more veteri, in locis duntaxat remotioribus.

Incumbit insuper Curato, non solum vt instituat populum in fide & moribus Christianis, sed & in litteris, vt eos doceat legere, scribere, cantare, præterea rationem faciendi sementem, plantandi arbores, ędificandi domos, postremo socialem vitam viuendi. Hinc factum est, vt barbaræ illæ gentes, cum tot disciplinas & tanta bona ab ordinis Ecclesiastici hominibus accepissent, eos amarent quam maxime. Vt autem huic rei vacare recte possit Curatus, accipit tam à rege quam à feudatariis honestum stipędium, quo cum seipsum tum cæteros qui cultui seruiunt, alere possit.

Numerat autem rex omnibus Episcopis certa stipendia annua, quibus minimum, quotannis duo scutatorum millia: quanquam hi reditus ad multo ampliorem summam paucis annis adscenderint: Archiepiscopus enim Mexicanus percipit singulis annis XXIV. millia coronat: Limensis XXXIV. Episcopus Cuscanus LXII. Mechoacanus XX. Platensis XXVI. Quitensis XVIII.

Ad Communionem sacrorum Christianorum Indi tarde, nec nisi post edita probitatis specimina admissi sunt, & maiore quidem cum difficultate in regno Peruano quam Mexicano: difficilius tamen ad recipiendos ordines Ecclesiasticos admittuntur, quod nimis proni sint ad ebrietatem, quodq; rari admodum studeant Philosophiæ nedum rebus Theologicis.

Inquisitio de Fide duobus locis sua habet tribunalia: apud Limam & Mexicum. In iisdem vrbibus sunt totidem Academiæ siue Studia vniuersalia. Opus autem fuit cura & diligentia in conuertendis ad Christianismum Indis tam in Peruano regno quam Noua Hispania: & tandem anno AN. C. MDLXXXIV. Archiepiscopus Limensis conuocata Synodo Prouinciali legem tulit, vt typis publicis describeretur formula instituendi Indos in religione Christiana, addito mandato, vt omnes ea vterentur, ad submouendam errorum & varietatis causam.

Quam cognitionem de Deo habuerint prisci Noui Orbis incolæ.

In periculo aut aduersitate aliqua constituti barbari illi, oculos tamen ad cælum attollebant, habitare eum illic ostendentes, qui res omnes sua moderatur prouidentia. Non est autem mirandum, quod Deum verum & supremum rerum dominum non cognouerint, cum hoc sit proprium eorum, quos æterni Numinis lumen irradiauit. Sic quidem dicere possumus, qualemcunq; illam Dei cognitionem apud alios Gentiles clariorem vel obscuriorem esse, prout vel propius vel propius absunt ab vsu rectæ rationis virtutum & moralium.

Sunt autem inter omnes Americæ populos Mexicanæ nouæ Hispaniæ & quædam Brasiliæ gentes longe barbarissimi. Vtriq; n. vitam viuunt ritus efferam & brutis conuenientem, degentes sine capite, sine lege, sine vlla ciuilitatis forma aut ratione viuendi politica: cum omnis eorum sermo omniaq; studia tantum eo dirigantur, vt satisfaciant præsentib. suis desideriis. Nam & sensus obscurant intellectum, & affectus corrumpunt iudicium. Nec n. cogitationes suas à terra sursum eleuare possunt, aut aliquid animo comprehendere, quam quod est ante oculos. Sic vicinæ Brasilienses ib. gentes nullam omnino vel Dei vel vllius religionis cognitionem habent.

Cum autem hominem necesse sit aliquid habere cui innitatur aut quo se fulciat, oportet eum, qui in Deo non acquiescit, aut falsis adhærere diis, vel auguriis aut similibus vanitatibus, quod in Brasilienses ibus patet: qui quamuis neq; Deum neq; Idola adorauerint, augurum tamen & circulatorum fraudib. mirum in modum decepti, admodum dediti fuere signis & ominib. vel futuræ prosperitatis vel infortunii.

Qui habitabant circa S. Crucis in Monte oppidum, quanquam ne ipsi quidem idola colerent, Diabolum tamen aperte adorabant, non vt aliquid boni ab eo obtinerent, sed vt mala futura euitarent. Loquebantur & conuersabantur cum eo, offerentes ei res diuersas, libantes pocula in eius honorem, adhibitisq; ceremoniis bibentes, nec audebant fructus terræ gustare, nisi prius dæmonio primitias obtulissent. Nunquam tamen illum exquisitius colebant, quam in venatione & piscatione, quibus artib. illi potissimum ducebant vitam. At Varræi vicini eorum, exeuntes certo quodam anni tempore prorsus è potestate mentis currebant lymphatici in syluas & solitudines, inconditis saltantes gestib. magnisq; vlulatib. inuocantes quendam Cendirũ, de quo miras narrabant absurditates. Hoc nomen semper ore ferentes, per præcipitia & inuios saltus currebant, incedebant super prunas candentes, & calcabant serpentes sine vlla tamen noxa. Iidem septem Dæmonum genera nouerant, quos omnes venerabantur, ne ab iis verberib. vel ipsa morte afficerentur, dediti supra modũ auguriis.

Sed omissis his, veniamus ad populos paulo ciuiliores. Cuscani & in vniuersum omnes Peruani fatebantur vnum esse creatorem rerũ omnium summumq; moderatorem, quem ipsi Viracocham appellabãt, & Pachacamam, & Pacaaiam, id est, Creatorem cæli & terræ. Verbo autem commodo, quo nomen Dei exprimerent, destituebantur: sed ne hoc ipso tempore Deum dicere nouerunt, nisi vocabulo vti velint Hispanico. Faciunt hæc omnia, vt difficulter ipsis persuaderi possit, esse vnum verum supremumq; Deum, nec præter eum vllum alium, quod posterius tamen facilius credent. Fatendum tamen eos superare in qualicunq; Religionis vmbra veteres Græcos, qui vni summoq; Deo multos succenturiabant alios, iisq; furta, & nullũ non flagitii genus tribuebant, quod de Viracocha suo dicere Indi ne in animum quidem induxerunt: sed de eo nihil non magnum præcio sum & admirabile dixerunt, vnde & eum sua lingua *Vaspu*, id est *Stupendum* appellauerunt.

Post Viracochã Peruani venerabantur Astra,

cumq; nullius syderis se magis exerat virtus quã Solis, secundum huic tribuebant locum: vt tertium illi, quem fingebant causam esse pluuiarũ & cæterorum meteororum: inprimis autem colebant Tonitrui Deum siue Altitonantem, ob terrorem quem hominibus incutere solet. Persuasum insuper ipsis erat, esse in cælo omnia plane ac eadem animalia, quæ in terra, ita, vt horum generatio ab illis dependeret, habereque vnam quamq; animalis speciem suam peculiarem stellam, quæ ipsi dominaretur, quam & ideo diuinis prosequebantur honoribus, vt si animal mansuetum esset ac vtile, astrum virtute sua id conseruaret, sin venenatum noxiumque, ab eius vi nocendi homines conseruaret. Quoties noua Luna adepta luminis aliquid in cornu coibat, Varæi eam adorabant horrendis cum vlulatibus & absurdo corporis motu, vt ab ipsa certam mittendi ab arcu sagittas adipiscerentur scientiam, quod eorum potissimum est exercitiũ. Deformabant variis incisuris brachia, femoraque cum cruribus, dicentes hoc multum ad celeritatem cursus facere. Combusserant iam ante animalia, quorum singularis pernicies: in horum cineribus se factis vulneribus volutabant, vt eos plaga hians combiberet: Mulieres etiam genas faciei, brachia & femora cultellis ad ornatum, vt opinabantur, incidebant, impresso colore cæruleo, quæ notæ nunquam deinceps deleri poterant.

Chiani populi sunt vicini oppido S. Crucis in Monte, hi diuidunt, vt nos, annum in duodecim menses, dicentes vnicuique certam præsidere stellam, quam adorabant, certisque venerabantur sacrificiis, præsertim iis mensibus, quibus fruges colligebant. Iidem velut augures magna superstitione obseruabant cantus auium, nec satis dici potest, quantopere abhorruerint ab vlulatu noctuarum bubonumq;. Quem si forte audiuissent, seniores arreptis armis ad eum locum concurrebant, rogantes auem, vt sine noxio præsagio discederet. Iuniores interea cum mulieribus domi desidebant, ne participes fierent sinistri ominis.

Peruani autem (ad hos enim velut postliminio reuertimur) diuinam vim etiam terræ tribuebant, & Mari, sub nominibus Pachacuma & Macamoca, vt & Iridi, & omnibus omnino rebus, in quibus magnum aliquid & admirabile eminebat: arboribus, montibus, rupibusque editioribus: iidem colebant maiores fluuios, & ex animalibus Vrsos, Dracones, Tygrides, ne ab iis detrimenti aliquid acciperent. Iter facientes, proiiciebant veterum fragmenta calceorum, eaque offerebant montibus rupibusque, ipsisq; adeo viis, vt facilem & expeditum largirentur transitum. Pilos à superciliis euulsos consecrabant Soli, montibus, ventis, aliisq; rebus, quas aliquo pacto metuebant.

Guacauilcarum gens offerebat Diis suis dentes, qui forte ori excidissent. Cuscani magno honore colebant vulpem, quam in Guaca siue templo suo habebant. In oppido Menta, quod haud procul distat à Portu veteri adorabant Smaragdum inusitatæ magnitudinis & pulchritudinis, huic commendabant vitam sanitatemq; suam, oblatis etiam sacrificiis. Cassamalcani in Deorũ suorum numero habebant rotundos quosdam lapides, ouali forma, alios q; multo maiores, vtebanturque peculiari superstitione erga fontes & fluuios, lauantes se singularib. adhibitis ceremoniis, præsertim si morbo tentarentur.

In regione Cinaloa, quæ est vltra Nouam Hispaniam, vnum agnoscebant Creatorem rerum, qui omnia suo regeret arbitratu, excepto homine, ad hunc enim non extendebant eius dominium, ne liberas hominis actiones eius mancipare obsequio. Corpora mortuorum vel exurebant nullis cum ceremoniis, vel in profundas fossas abiiciebant. Mechoacani aliquam creationis mundi habebant notitiam, & formationis hominis è limo terræ, itemq; de diluuio, quanquam hoc postremum ipsis commune fuerit cũ Peruanis & Brasilien sib. qui Diluuii historiæ miras stolidasq; adsuebant absurditates. Diis cælestibus tribuebant creationem rerum cælestium, quæ supra nos: terrestrib. vero terrestrium, credebantq; communem quandam Matrem Deũ, vt Græci Cybelen suam. Nulla erat apud ipsos ars, nullum exercitium, quod non haberet peculiarem Deum suum: putabantur a. Dii illi non esse alii, quam viri de gente sua præclare meriti, qui post mortem suam apparuissent superstitib. qua in re mille fraudes diaboli interueniebant.

De superstitione eorum circa cadauera mortuorum.

Solebant Peruani magna & exquisita cura conseruare corpora defunctorum regum suorum, quæ in vrbe Cusco ita erant condita, vt in peculiaribus essent conclusa sacellis, à ducenti & amplius annis. Thesauri, quos defunctus Inga collegerat, destinabantur conseruationi delubri, in quo regis mortui cadauer erat reponendum, vt inde viuerent, qui manib. eius exequias aut rem diuinam facerent. Mos illis regib. erat vt viui etiamnum sibi ponerent statuas lapideas, quibus idem habebatur honor qui ipsi regi, siue is viueret, siue viuere desiisset. Cum belum ingruisset, aut nimia siccitas fruges exedisset, portabantur in publico statuæ illæ, ad impetrandam vel pluuiam vel victoriam, non sine solemnib. sacrificiis. Inoleuerat autẽ detestandus ille mos apud Mechoacanos, Peruanos vicinosq; populos, vt defuncto viro vxores eius vel filiæ, & serui quos præcipue amauerat, simul interimerentur, aut vna cum mortuo viui deferrentur, ne scil. in altera vita mulieribus seruique destituerentur. Occidebantur autem cantantes & tripudiantes, felices se existimantes si seruirent illi, quibus tale genus mortis contigisset.

Accidebat quandoq;, vt defuncto Inga aliquo magno Principe, domestici aut familiares eorum, qui in monumentis regiis locum habere non poterant, defoderentur in iis locis, in quibus rex, donec viueret, versari solitus fuerat frequentius, scil. vt rex post mortem suam vsitato illic transiens, eorum vti posset seruitio

In exsequiis Ingarum sacrificabantur etiam infantes, & sacrifici pingebant eorum sanguine faciem, ducta linea ab vna auricula ad alteram.

Quod si quis è populo obiisset olim suum, his fere vtebantur ritib. Imponebant sepulcro varia cibariorum genera, inserebantque aurum, argentum, alias res pretiosiores oris eorum, sinui & manibus, postquam eos noua induissent veste, vt ad hunc modum exculti ornatiq; ad alterã prodirent vitam: persuasi, animas mortuorum hinc inde errare, nec minus calore, frigore, siti ac fame tentari quam viuos homines: & ob hãc causam celebrabant eorum anniuersaria, offerentes eis diuersos cibos vestesque recentes, deritis scilicet prioribus, quas mortui induissent. Iohannes de Turre, vnus ex ordinum Doctoribus Consalui Pizarri, aperto Magnatis alicuius sepulcro, extraxisse dicitur tantum thesaurorũ ac materiæ vestiarię, vt precium eorum ad quinquaginta millia coronatorũ accederet. Mechoacani, cum defunctos non solum in altero mundo viuere, sed & iisdem, quibus in hac vita exercitiis vti crederent, haud contenti de victu & vestibus iis prospexisse, etiam arma & exercitiorum illorum instrumenta apponebant, quibus apud Manes se oblectarent. puto hoc illud est poetæ:

——quæ gratia currûm
Armorumq; fuit viuis, eadem cura sepultos
Sollicitat——

DE CVLTV IDOLOLATRICO STATUARUM.

NOn minor erat Peruanorum circa statuas saxeas ligneasq; insania & furor: cumq; sepel cæpissent vereri ac metuere Diabolũ, quod terent ipsum posse multum inferre damni, formam eius repręsentabant specie quam poterant maxime terribili. Et sane solebat Dæmon per statuas illas responsa dare, & sacerdotib. colloqui. Mexicani præter inanimes statuas etiam viua adorabant ac spirantia Idola. Captum vnum alienem (vel etiam plures) ex hostibus, quem sacrificio maxime aptum iudicabant, eodem vestiebant exornabantque modo, quo ipsum Idolum, cui immolandus erat, imposito etiam captiuo eo nomine. Omnibus illis diebus, quibus mihanc peregrinationem agebat, eundem huic mancipio habebant honorem ac cultum, quem ipsi Idolo, iusso interim homine hilariter viuere & saginare ventrem. Eunte hoc per vicos & plateas populis, accurrebat populus, eumq; flexis genibus adorabat, oblatis etiam loco sacrificii donatiuis, quibus ei offerebant infantes, sani ęgroros suos, vt illis valetudinem restitueret. Permissum erat interdiu facere quicquid vellet, quamuis semper decem aut pluribus corporis custodibus stipatus esset, nocte vero caueæ ferreæ includerent ne elabi posset. Deducta postea ad Catastrophen comœdia cum satis obesus videretur, macerabatur vt victima ad sacrificium, epulantibus cæteris & solenne conuiuium agitantibus.

DE QVACIS EORVM SIVE TEMPLIS.

ERant in Peruuia Templa quædã toti regno communia, alia vero particularia, pro singulis prouinciis. Ex omni autem numero tria erãt cæteris celebriora. Primum ad quartam Leucam Hispanicam distabat ab vrbe Lima, cuius rudera adhuc testantur structuræ amplissimæ magnificentiã; Pachacama Fano nomen fuit. In hoc loco Diabolus responsa dabat Sacerdotib. qui oraculum de nocte fere consulebant, obuerso Idoli statuæ dorso: hinc inclinato in terram capite, ostensisque verendis, turpiter se gerebant: & hæc quidem spurcities diabolo grata erat. Petebant ab eo sacerdotes consilium; at malignus spiritus vel tenui responsabat & acuto sibilo, vel clamore immani & horrendo.

Alterum Templum erat apud Cuscon, in quod velut Pantheon aliquod Ingæ congesserant omnia Idola, tam deorum quam dearum, quæ colebantur apud subiectas regno Peruano nationes, vt essent velut obsides sponsoresque obedientiæ ac fidelitatis, alebatque vnaquæque prouincia sacerdotes, qui suo ministrabant Idolo, non sine ingentibus expensis. Visebatur ibi præter cæteras imagines statua Solis ex auro solido, tanto artificio in orientem conuersa, vt quoties Sol oriens eam suis percuteret radiis, tantus inde ex reuerberatione radiorum solarium exoriretur splendor, vt ipsius meridiei claritatem duplicaret.

Tertium Templum vniuersale erat in Insula Lacus Ticicaquensis, quæ tota erat Soli dedicata. Causam huius cultus asserunt hanc. Terras illas aliquando multis diebus solari lumine ac diei beneficio caruisse: postremo Solem repente in ea comparuisse Insula, vnde lux & claritas prouinciæ redierit. Hac re motum Ingam, magnificum illud ei Astro templum extruxisse. Si tamen verum fateri volumus, Mexicani multis modis in templorum magnificentia Peruanos superauerunt, & in multitudine ceremoniarum. Habebant ii præcipuum Idolum, quod absurdo & barbaro nomine Vitzlipuzli vocabant, cuius ædes siue basilica tantæ erat vastitatis, vt in eius area, quæ templum cingebat, octodecim hominum millia conuenire possent, vt solemni festo ibi choreas agitarent, eratq; atriũ siue vestibulum illud prægrande è saxo quadrato mœnibus structis circumdatum, lapidibus tortuosa in serpentis modum commissura iunctis. Portis patebat quatuor, in totidem Mundi Cardines directis, ita, vt vnicuique responderet via publica lapide strata, ad sex millium longitudinem. Ad ipsum templum adscendebatur scala triginta gradibus constante, lata triginta vlnas maiores. Inter hunc graduum ordinem & ipsum templum locus quidam vacuus erat, arboribus recta linea consitis plenus, adiecto pariete ligneo consertis tignis trabibusque adunato, cuius summa craniis mortuorum horrebant. Præter hoc magnificum templum adhucalia octo in vrbe erant, multo tamen magnitudine & splendore infra illud posita.

DE

DE SACERDOTIBVS EORVM ET religiosis.

34 ERat Sacerdotum ordo apud Mexicanos triplex: alii enim infimi, alii medii, alii Summi vocabantur, & hos quidem postremos *Papas* ab iis vocatos fuisse, ex eorum annalibus constat. Potissimum eorum officium erat incensa adolere Idolis, non mane saltim, sed & circa meridiem mediamq; noctem. Sacerdotes Idoli Vitzliputzli ordinata serie secundum generationes quasi hæreditario sibi inuicem succedebant iure. In Peruuia monasteria puellarum numerosa erant, quarum aliæ quidem iuniores erant, aliæ annosiores, quas Mammaconas vocabant, quæ iuniores in disciplina monastica instituebant. Cuilibet Monasterio suus Vicarius siue Gubernator præerat, penes quem erat potestas eligendi, quæ maxime videbantur ad hanc rem idoneæ: necesse autem erat eas annos octo compleuisse. Hæ puellæ in iis quæ ad vitæ castitatem pertinebant, probe instructæ, postquam annum decimum quartum compleuissent, cænobiis iterum eximebantur, & in Guacas seu domos precatorias abstrudebantur, vbi disciplina accuratiore coercitæ perpetuam vouebant castitatem. Harum nonnullæ seruitiis ordinariis sacrificiisque, à solis virginibus præstandis: quædam extraordinariis, vt sanitatis impetrationi, si Inga ægrotasset; vel si bellum in hostes esset gerendum, adhibebantur. Rursum aliæ, futuræ Ingarum præcipuorumque principum coniuges aut concubinæ educabantur. Si quæ violatæ pudicitiæ rea comperta fuerat, in præmium dedecoris, viua obruebatur terra, vel aliis modis cruciata è medio tollebatur. Moniales apud Mexicum vnius tantum anni professionem faciebant: & hæ filiæ pœnitentiæ aut castitatis dicebantur, Idolorum cultibus præfectæ. Durabat autem eorum deuotio ab anno XII. ad complementum decimi tertii. Munus earum erat, templum aqua conspergere & scopis verrere, cibos coquere, qui Idolo proponebantur; quos postea Sacerdotes comedebant. Surgebant etiam de media nocte, suasque recitabant preces: noctu pœnitentiam agentes, flagris se percutiebant, & auriculis framea perfossis cruorem eliciebant, quo faciem ac genas ringebant. Commissi per violatam pudicitiam piaculi suspicionem captabant, si glires muresque aliquid sacrati in Templo arrosissent, aut discurrissent liberius, quo velut obscæno omine animaduerso, magna seueritate inquirebatur in eam quæ deliquisset.

E regione aliud erat monasterium adolescentum, quibus caput incoronæ modum tonsum erat, haud secus ac nostris Monachis, nisi quod coma ab occipitio demittebant & per humeros spargebant. Vita his in paupertate agebatur perpetua, & à rebus Venereis abstinentia, cum summa obedientia coniuncta. Assidui hi erant in templis & Idolorum cultu, sed & ministrabant maiorum gentium Sacerdotib. Et tamen his etiam alii minores viliorib. destinabantur officiis. Ingrediebãtur fere quaterni vel seni, magnam præ se ferentes modestiam, vt ne oculos quidem humo attollerent, auersa etiam à feminis obuiantib. facie. Mendicando per oppida rogabant stipem, quæ si vel negaretur aut non sufficeret, egressi mœnibus rapiebant è vicinis agris, quod nanciscí poterant, magistris eos hoc nomine reprehendere nõ ausis, quod hoc paupertati & integritati eorum datum sit priuilegiũ. Circa mediam noctem aperta cute cultello, extrahebant sanguinem è brachio alterutro, durabatq; hæc eorum viuendi ratio non nisi vnum annum.

Sed ad sacerdotes redeamus. Postquam incensis odoribus Idolo suffitum fecerunt, quod circa medium noctis fieri diximus, conuenieb̃at omnes in areã summæ ædis, ibi arreptis frameis vnusquisq; coram sibi vel crus perforabat, eoq; qui prodierat cruore, faciem sibi illinebat, frameam deinceps vndique madefactam sanguine, fasciculo palearum in eos vsus præsenti infigebat, vt ex iis vniuersus populus colligeret, quanta se quisq; deuotione pro salute reliquorũ sauciasset. Ad solemne aliquod statumq; festũ quatriduano fore ieiunio se macerabãt: res venerea magna cura ac rigore fugiebant, vt nõ pauci reperti fuerint, qui exsectis suis sibi manib. verendis, castitati cõsuluerint, aut alia quapiam ratione generandi vim & desiderium extinxerint. Nihil neq; cibi neq; potus sumebant, quod eos ad libidinem aut coeundi studium vllo pacto illicere posset.

SACRIFICIORVM RATIO.

OFferebant Indi in sacrificiis suis quicquid habebant pulchrum, charum atq; preciosum, cuius generis est aurum, argentum, grana tritici Indici, herbæ, cera, & animalia, quæ Idolis suis immolabant. Peruani aliquando hecatombas sacrificabant, mactatis vno die centum arietib. colore differentib. eoque nomine variis adhibitis ceremoniis. Solebant a. quotidie Soli offerre veruecem tonsum, quem inuolutũ panno rubeo cremabãt instar holocausti. Sed & de tonsa supercilia sua Soli offerebant. Omnem crudelitatem superabãt sacrificia humana, quæ cum Peruani tum Mexicani peragebant, omnia tamen maxime hi. In coronatione regum suorum vel cum bellum imminueret, solebãt Peruani duocentos pueros trucidare, quib. ætas à quarto ad decimum annum. Nonnunquam & virgines sacrificabant ex iis, quas ex monasteriis ad Ingam deduci solitas superius recensuimus. Quoties enim vel exprimoribus vel etiam ex inferioribus aliquis ægrotabat, consulti Magi & Sortilegi conclamatum esse de languentis vita respondebant, nisi vel filios vel filias suas Soli aut Viracochæ immolaret, addita precatione vt hac victima succidanea victima accepta patri Idolum parceret. Mexicani, etsi à filiorum & innocentis ætatis iugulatione abstinebant, mancipia tamen bello capta magno numero mactabant: vnde factum est, vt vicinos suos Tlascalenses, quamuis possent, suo tamen imperio subdere nolu

roluerint, vt semper sacrificiorum ex bello sibi ppereret materia. Modus, quo infelicissimi illi crificabantur, erat atrocissimus. Mactandi in premam aream Templi ducebantur: prodiat tunc sacerdos quidam amiculo cinctus, iuens victimas illas in genua subsidere, ostensaue singulis imagine, quam manu præferebat, æc addebat verba: Ecce hic est DEVS tuus. linc deducebantur miseri ad lanienam. Archiamini cõtinuo aderant sex alii sacerdotes, huic i peculiariter destinati, quorum is habitus et & ea facies, vt Diabolos fædissimos adspeu potius referrent quam homines. Horum o mactandi pedes, duo alii manus, quintus llum apprehendebat: sextus acuto cultro vẽm & pectus miseri aperiebat, & cruentis mabus cor palpitans euellebat. ante tamen infeem alte sublatum extensumque acuto lapidi impingebant, vt dorsi vertebræ impetu franrentur. Ereptum corpori fibrisque auulsum victimarius conuersus ad statuam, Idolo osdebat, post ad solem prætensum magno imu in monstri coniicit faciem. Corpus exani- voluebatur in suo cruore, post præcipitio de dibus deturbabatur: stabant, qui eum in acie erant, qui & exceptum cadauer suo more eparatum deuorabant, restituto duntaxat sfico capite.

Frequens hic mos immolandi captiuos apud xicanos: sed & alius humanior in speciem, qua detur perituris optio, præ illo expeten-. Captum aliquem bello, vel etiam plures, uisitisque cibariis velut ad saginam pastum, ructum gladio cum aliquo victimariorum mittebant, vbi fere mancipium, ligatum ppe pede altero nudumque succumbit & cę. r. Cæso pellis detrahitur, qua victor suæ cuperinducta per vrbem obambulans, dona- obuiis accipit. Raro fit, vt victima vincat um, quod tamen si contingat, vitam & salu- lucratur, nec id solum, sed viri fortis ac prętissimi bellatoris laudem reportat, constitui- nonnunquam tribunus militum.

VO PACTO CACODAEMON *Sacramenta & Ritus quosdam Ecclesiæ imitatus fuerit.*

ARrant Iustinus Martyr & Clemens Alexandrinus, Diabolum, vt tolleret atque eret fidem inenarrabilis Mysterii de Incarne filii Dei & operum admirabilium Chriper Poetas Gentilium multis annis ante taquid finxisse, cuius astutiæ exemplum pro- in Fabula Bacchi, quem bis natum fuisse nenti sunt veteres: primum ex Semele, deex femore Iouis: sine dubio, vt pii illi scris arbitrantur, eo fine, vt duplicem filii blcuraret generationem, temporariam & æternam. His subiunxerunt Fabulam Erichthonii, Pallade Virgine eum natum fingentes: itemque Herculis, qui ad inferos descenderit, assertoque in Libertatem Theseo tricipitem Cerberum ligauerit. Omnia eo, ne vocati ab Idolorum cultu ad Christianismum homines, fœcundum virginis matris admitarentur partum, vel descẽsum Christi ad Inferos, vel denique totum redemtionis nostræ Mysterium.

In Nouo Orbe maligno illi spiritui fictionibus Poeticis nihil opus fuit, quin ipse mira impudentia Ecclesiæ Romanæ ritus atque Sacramenta imitatus est, inprimis Sacrificium Missæ. Nam apud Cuscon, Peruani regni caput, Sacerdores Solis appetente certo quodam festo, ex farina Mayzi frumenti Indici cum sanguine alborum arietum, eodem die mactatorum massam pinsebant & subigebant, ex qua coquebant placentulas. Hoc facto ex diuersis regni prouinciis infiniti confluebant homines ad Regiam Cuscanam, distribuebaturq; singulis particula quędam per Sacerdotes: vocabantque hoc Sacramentum confœderationis & vnionis cum Inga Rege. Qui panis illam buccellam percipiebant, magna id faciebant reuerentia, promittentes sancte, se nunquam non honorificam Ingæ facturos mentionem, sed neque siniſtri quidpiam de illo cogitaturos. Soli insuper se omnem per totam vitam habituros reuerentiam cultumque, cuius voti iam porrectam micam testem intra viscera sua reciperent. Agitabatur autem hoc festum bis quotannis, Augusto & Decembri mensibus, quo tempore placentarum illarum frustilla ad omnia templa totius regni mittebantur, vt ibi distribuerentur populo, qui ad Cuscon non fuerat.

Cacozelia tamen Mexicanorum etiam plus admirationis habere videtur. Biduo antequam solemne Vitzlipuzlii festum agitabatur, quod Maio mense fiebat, virgines cultui consecratæ pastam faciebant ex farina frumenti Indici, cum Blito herba & melle. Ex massa illa fingebant Idolum panaceum ad magnitudinem ligneæ statuę, quæ in templo erecta visebatur. Hanc imaginem farinaceam feretro impositam ferebant Sacerdotes humeris, insequẽte populo magnis passibus. Adhunc modum circum arua & campos magno confecto spacio, reuertebantur ad Templum. Veniebant huc paulo post vestales virgines, albis amictæ mundissimisque stolis, ex cubilibus suis spiras de tosto Mayzo & Blito herba factas efferentes. Has ossium grandiorum forma pistas adolescentibus tradebant, qui eas magna strue ante Idolum congestas ossa & carnem Dei sui Vitzlipuzli nominabant.

Ibi demum visebantur Sacerdotes ac cæteri templi ministratores, flammeis pulcherrimis ac versicolorib. induti, ornati capita sertis, & colla corollis ex floribus concinnatis conspicui; hos Deorũ Dearũq; varia sequebãtur simulacra. Sacrifici choreas agitantes & nescio quæ car-

carmina concinentes circum spiras illas saltabant, easque hoc pacto consecrabant, scilicet vt cato & ossa Dei sui fierent. Hinc producebantur immolãdi captiui, & ad eum quẽ supra exposuimus, iugulabantur modũ. Peractis his aliisq; Ceremonijs Presbyteri Idolum panaceum habitu sueto exutum, confringebant, & cum spiris consecratis in frusta plurima redigebant, quæ distribuebantur populo, magna cũ veneratione specie ea recipienti, nec dubitanti, carnem & ossa se Dei sui percipere.

Idem mendaciorum pater etiam in Confessionis ritu Romanæ Ecclesiæ consuetudinem æmulatus est. Erant enim apud Peruanos, maiores minoresq; pœnitentarii, quorum distincti erant gradus, grauioribus delictis superiorum cognitioni reseruatis. Habebatur autẽ crimen ingens, si quis peccata admissa sacerdoti nõ ad vnguem reuelasset: quam rem, si Confessarii deprehendissent, multis verberibus in pœnitentis fraudem animaduertebant, impacto in humeros eius acuto lapide, donec secreta animi proferret. Persuasum enim erat populo, omnium quibus torquerentur ærumnarum, ac inprimis morborum originem à solo peccato esse. Sed & aliquãdo Magorum & Veneficorum opera confitentium rimabantur conscientias. Inprimis autem ægrotante Inga vniuersus confitebatur populus, vt hoc pacto saluti languentis consuleretur. Peccata fere erant crassa illa, homicidia, furta, adulteria, neglectæ templorum festorumque solemnitates, sinistra de Rege iudicia, & inobedientia erga superiores. Ipse Inga, non Sacerdotibus, sed Soli tantum confitebatur, qui delicta sua ad Viracocham deferret, & illorum veniam ab eo impetraret. Confessus Inga, viuo se abluebat flumine, dicens: ego quidem Soli peccata mea confessus sum: hic vero fluuius ea excipiens in mare defetat, æternumque demersa occultet.

Quin & S. Sanctæ Triados hæ gentes aliquo pacto pinxisse mysterium videri possint: tres enim Solis venerabantur statuas; vnam quidem Solem Patrem, alteram Solem Filium, tertiam Solem Fratrem vocantes: quod idem quoque in Tonitrui Dei sui triplici faciebant imagine, Patrem, Filium & Fratrem nominãtes. Populi qui circa S. Crucis Montanæ oppidum longe lateq; habitant, quanquam casus quosdam obseruent, quibus futurum matrimonium, ne inter nubentes coalescat, impediri potest: Si tamen id iam contractum sit, quantumuis sit illegitimum, dissolui iisdem legibus minime potest.

PRAEPARATIO POPVLORVM Indicorum ad recipiendam Euangelii doctrinam.

37 CVm statuisset Deus Opt. Max. Indiæ populos ab Erebo Idololatriæ ad Christianam veritatem adducere, magnæ inter illos mutationes acciderunt, inprimis apud Mexicanos & Peruanos, qui cæterorum omnium facile primi erant. Sicut autem tunc, cum Euangelii de Filio Dei incarnato prædicatio cæpit, Romanum Imperium sub Augusto Cæsare ad altissimum conscenderat fastigium, pacato vniuerso prope nostro orbe: ita cum eadem salutari doctrina Indorum Christus imbuere statuisset animos, & alterum illum nobisq; aduersum illustrare orbem; Regum Mexicanorum & Ingarum in Peruuia Imperia summum videbantur felicitatis attigisse gradum. Quantum autem hæc vtriusq; regni potentia ad propagandũ Euangelium in iis partibus fecerit, intelliget is, qui sciuerit, quod sub magnis præpotentibusq; Imperiis fere pax floreat atque tranquillitas. Pax enim aperit regni portas, conciliatq; vrbibus ac oppidis commerciorum frequentiam, vnde societas populorum, & per consequens expedita dilatandæ veritatis diuinæ commoditas. Pace florent artes & doctrinę, virtus, ciuilitas, politia, boni mores legesque quibus omnibus multum præstat Dominatus vnius cuiusdam magni principis. Cõtra Dominorum multitudo discordiam gignit, vnde oriuntur bella, effusio sanguinis, ruina populorum oppidorumq;, cum interitu virtutis, fidei, religionis.

Magnitudo Imperii, vt diximus, multum facit ad promouendum Euangelii præconium, vt multæ gentes vna eademq; vtantur lingua, quæ latissime patet, concedentibus vltro victis ingentis victricis idioma, & cum ipso dominica lingua se extendente. Notum autem est, Idioma Mexicanum per Nouum Orbem ad mille obtinere milliare, necangustioribus Cuscanam loquelam contineri limitibus. Vtriusq; enim regibus, Mexicano & Peruano non minor cura proferendæ linguæ suæ quam ipsius dominationis. Etsi vero complures in vtroque regno sunt prouinciæ idiotismis & dialectis inter se variantes, Mexicana tamen lingua ob copiam & suauitatem cæteris per vniuersam Nouam Hispaniam dominatur, vt Cuscana ob eandem causam per omnem Peruuiani regni continentem est frequentior, haud secus ac apud nos Latina, & inter Turcas Europæos Sclauonica, Asiaticos vero Arabica communis est. Hinc fit, vt quibus prædicandæ Euangelicæ veritatis incumbit officium, si alterutram earum calleant linguarum, ea per duo leucarum millia vti possint, cum in iis partibus mundi in tanto spacio vltra quindecim aut viginti occurrant Idiomata. Primum à duabus illis linguis in dominio locum obtinent, Gorgotica, Chinensis, & quæ vtriusque harum latius extenditur, Vataica: hæc enim Paraguaiam totam q; Brasiliam in vsu est. Intelligunt eam & Iucataanii, & plerique adeo populi à Freto Magellanico vsque ad Sinum Vrabasem.

Tertium quod inde bonum nascitur hoc est, quod Imperii magnitudo per varias regiones dispersos populos, in vnum aliquem locum cogere potest. Populi enim Nouæ Hispaniæ & Peruuiæ, antequam à Mexicanis & Cuscanis subderentur armis, viuebant vt bruta aut bestiæ;

rege, sine lege, sine communitate. Vnusquisque, qui placuerat, ad habitandum sibi delegerat locum, vt viueret cum domesticis familiaribusque suis. Sic hodie etiamnum magna pars viuit eorum, qui Floridam inhabitant: sic pars Cichymicarum: sic Brasilienses Varaijque. Mutant hi instar Scytharum Nomadum domicilia subinde, iam quidem hic habitantes etas vero mapalia sua alio transferentes. Vnde fit, vt cum in vnum aliquod corpus & societatem reduci non possit, paruò cum successu & magna difficultate iis prædicetur Euangelium.

Hoc autem tam operoso labore liberauerunt Præcones veritatis cælestes Reges Mexicani & Cuscani, coactis in pagos & oppida populis, certa quadam Reipublicæ forma apud istos constituta. Postremo magnitudo Status & dominationis expoliuit rudes ac feros Indorum animos, excitato eorum ingenio & iudicio per conuersationem cum diuersis hominibus, à quibus paulatim aliquid combibere potuerunt humanitatis atque prudentiæ. Vixerant ab initio Peruani inter montes, velut rupices aut cauernæ, nudi toti, rudiores ipsis brutis, comedentes ea quæ tellus inculta sponte fundebat, vescentesque insuper carnibus humanis. At sub Ingarum imperio cum aliqua morum ciuilitate etiam varias apprehenderunt artes.

Ibi enim demum cæperunt colere agros, serere sementem, metere frumenta, plantare radices, & collecta in futuros seruare vsus.

Quin & adiiciebant animum ad perquisitionem metallorum, auri, argenti & æris, pabant innumeros greges, tondebant oues, iebantque ex lana varia panni & stragulæ vestes genera, non ad tegendum solum sed & ornandum corpus. quin & extruebant domos, ciosa ædificia & magnifica templa.

Erat & inter eos quædam iustitiæ Legume forma ac ratio, cum statutis quibusdam velmunicipalibus. Ante Ingarum dominatum nia apud eos plena erant brutalitate, crudelie, confusione, labe.

Ad hunc modum igitur, perpolitis aliquo do Americanorum mentibus inprimis aun procerum principumque, cætera omnia runt expeditiora, sublata natiua feritate, & ollitis mentibus ad suscipiendam Euange- quod mites & humanos auditores requirit, dicationem.

Ostendit autem ipse rerum euentus, nos vera ui, cum certum sit, paucis diebus plus perfem fuisse hac in parte apud Peruenses & Menos, quam apud Brasilienses, Floridanos, hymicas, aliosque barbaros multis an-

t si vel maxime hi capaces sint ad recipiendoctrinam Christianam, difficilimum taforet, eos in fruge & bona mente continob frequentes earum gentium motus & tutus, vt & ob crebras habitationum mutaes. Constat enim, Brasilienses non diu conare fidem Christi, nisi semper versentur cum Lusitanis: à quibus si commorentur longius, celeriter ad vomitum relabi comperti sunt; vel naturæ quadam praua inclinatione, vel cæterorum consuetudine & exemplo. Hinc clerici eos non satis aptos iudicant ad recipiendum baptismum, nisi vel morbo aliquo grauiore, vel extremo senio affectos nouerint: quod tum animo sint quietiore, debilitata atque mitigata feritate morbo vel senio, & sublata periculosa conuersatione. Idem de cæteris plerisque Indorum populis, præter Mexicanos Peruanosque dicere possis.

Quibus modis præterea Indi ad recipiendum Euangelium Christi dispositi fuerint.

Et ea quidem, quæ in superioribus recitauimus, velut externa quædam fuerunt media ad Prædicationem Euangelii reddendam faciliorem: cæterum concurrunt cum iis etiam alia quædam maioris roboris & efficaciæ.

Inter hæc primum locum tribuemus acerbo & intolerabili Ingarum Mexicanorumque Regum dominatui, qui grauissimis oppresserunt plebem oneribus, vt eam non hominum, sed iumentorum loco habere viderentur. Nos quædam populi vtriusque grauamina pressurasque indicabimus, vnde de reliquis iudicium fieri poterit.

Ad nouum igitur Regem nihil hæreditatis nomine perueniebat ex omni copia, diuitiis & preciosa supellectile, quæ defunctus habuerat: sed oportebat eum nouam sibi domum extruere, colligere aurum argentumque, vestes, instrumenta, mundum, adeoque omnia, quibus rex opus habet, eratque nefas, eum ex defuncti bonis quicquam tangere, quę omnia destinabantur ad vsus pios sanctosque, ad fabricam templorum, alimoniamq; sacerdotum, conuersa insuper domo regis in sacrarium, qui ex eo tempore in numerum Deorum relatus colebatur. Erigebantur ergo ei statuæ, instituebantur sacrificia festique dies totaque eius posteritas occupabatur in ceremoniis, aliisque rebus, quæ ad defuncti honorem facere videbantur. Hinc fiebat, vt plebeii assidue distinerentur in auro colligendo, subruendisque terræ visceribus, in conficiendo panno ac re vestiaria; breuiter, in coaceruandis thesauris, cum ab iis, quæ miseræ plebis industria iam ante collecta fuerant, pilum auferre nefas esset. Adde his operosissimam Templorum apud Peruanos struendorum rationem, cum iam montes essent deprimendi, iam valles attollendæ, ad sternendam prægrandibus saxis viam, cum iumentis destituerentur. Tambas appellabant ingentia granaria sua, quæ & armamentaria dicere recte possis, cum in iis seruauerint instrumenta belli, iuxtaq; alimoniam ad numerosissimam Ingæ aulam nutriendam: Erat autem huiusmodi horreorum publicorum magna per vniuersum regnũ multitudo. Adde his vias publicas duas, incredibilis lõgitudinis, quia protẽdebatur vtraque ad millesimum milliare & vlte-

rius; vna quidem ducebat per montes, altera vero per plana & campestria regni. Æstimet mihi iam aliquis non imperitus rerum, quanti id opus laboris fuerit, ob intercurrentes rupes asperrimas, & solum profunde sabulosum, quæ difficultates cum cæteris innumeris sola humanarum manuum industria vincendæ erant, cum destituerentur miseri instrumentis ferreis, iumentisque ac curribus ad trahenda onera.

Quis vel cogitatione assequi poterit, quam laboriosa res fuerit, tam immania secare saxa, quadratam iis conciliare cubicamque formam, ea per longissima viæ spacia de loco in locum transferre, collocare in muro, iungere & adunare: hæc omnia sine ferro efficere, propemodum fidem superat: & tamen facta vidimus.

Videtur tamen omnes has miserias, vna Peruanorum superare calamitas, qui liberos suos ad sacrificia victimariis tradere cogebantur, quoties aut Inga Languisset, aut magnum aliquod susceptisset negotium: ad quam infelicitatem accedebat, quod Inga vel Cacico aliquo mortuo ipsis viuis sepulchrum erat subeundum, mortis regiæ sociis futuris. Mortuo enim Guainacapa, vltra mille ex eius domesticis partim trucidatos partim vuos terra obrutos ferunt, scilicet ne destitueretur apud inferos ministris famulisque. Idem Rex cum nescio qua de causa succensuisset populo cuidam inter Quiton & Pastum habitanti, iussit ex iis trucidari viginti millia, eorumque cadauera in propinquum conici lacum, cui ab eo euentu nomen inditum est, vt Aiarquacoca, id est mare sanguineum vocaretur.

Ratio autem, quæ Peruanos mouerit, vt familiares suos, diuitiasque cum defunctis sepelirent hæc existimatur, quod aliquando visi fuissent defuncti longo tempore circuire possessiones suas, quas præ cæteris rebus amauerant, ornati rebus illis vna sepultis, & comitati domesticis suis, quod spectrum persuasit stolido populo, frui eos post mortem rebus dilectis, & indigere non seruis tantum famulisque, verumetiam auro, argento, ac varii generis alimonia.

Nec leuius fuit populorum, qui antiquitus Nouam incoluere Hispaniam, iugum, sub Regum Mexicanorũ dominio. Vltimus enim rex, cui Motecumæ nomen fuit, legem tulerat, ne quis ex infima plebe in faciem regis intueretur, capitis constituta pœna. Iter faciens lecticæ insidens portabatur, vectus velut in curru triumphali ad omnes delicias facto, proceribus vtrumque latus stipantibus. Habebat diuersa palatia, aliis ad lætitiam, aliis ad luctum compositis, aliis ad alios casus, qui quotidie occurrebant. Erat huic Regi viuarium amplissimum, variis sæpimentis interstinctum, in quibus magnum alebat numerum omnis generis animalium ferarumque, vt & auium, cum piscinis amplissimis, aqua marina partim, partim dulci ac fontana plenis, in quibus piscium incredibilis copia. Huic autem viuario ingens venatorum, aucupum, seruorumque destinata erat multitudo: transigebatque Rex potissimam anni partem inter has delicias. Hæc tam intolerabilis seruitus & impotens Barbarorum Regum dominium promtos fecit hos populos ad recipiendam fidem Christi, quod inde subleuationem aliquam non vana spe animis concepissent: erantque ii præ cæteris parati, qui quam maxime oppressi erant.

Quid nos iam de multo grauiore Diaboli iugo dicemus? Diximus in superioribus, vbi de Mexicanorum cultu & religione disseruimus, quoties homicida ille Spiritus miseris his humana imperauerit sacrificia, & quam crudelibus modis calamitosos illos trucidari iusserit, vt non tam mortem cruoremque eorum sitiuisse, quam dolorem genusque mortis desiderasse videri possit. Hæc etsi superius persecuti sumus, vnum tamen etiam adiungemus, quod mire huc facit. Sacerdotes Idolorum & sacrifici, captata occasione adibant Reges Principesque, querentes, Deos tantumnon mori fame, regumque in hac inedia exposcere opem. Continuo mittebantur à Rege Legati ad Principes, qui exposita hac Idolorum necessitate eo monerent, conscriberent milites ad suscipiendam aliquam expeditionem belli, vt nacti captiuos, eos immolare possent. Sic igitur cæpto bello ventum est ad manus. Vnicus Mexicanorum in eo bello scopus erat, vt quam plurimos hostes viuos caperent, quos postea Idolis suis sacrificarent.

Neque vero nouus Rex Mexicanus diademate cingi poterat, nisi prius confecto aliquo bello, magnum victimarum numerum adduxisset. Postremo perosi Mexicani humanorum sacrificiorum multitudinem, & nimiam Diaboli crudelitatem, cui ferendæ pares non amplius erant, non tamen inueniebant, quo pacto hu rei obuiam irent; tibi commodum Christianæ dei eis illuxit præconium, quod cum plenum esset mansuetudinis & clementiæ, & omnia m tia polliceretur, Euangelium magna animoru lætitia & promptitudine ab iis exceptum fuit.

Sed & Mechoacani audita fama Euange misere vltro Legatos ad Ferdinandum Cor sium, qui paulo ante Mexicon Vrbem oppug tione ceperat, orantes, vt in suam prouinci mitteret Leges suas, cum interpretibus, qui cerent populum: omissuros enim se lubentis mo priores illas nequitias cum tanta crudeli coniunctas.

Narrat Iosephus à Costa rem memorabil adstitisse aliquando Hispanos milites, cru lis eiusmodi sacrificii spectatores: ibi ad scentem quendam, cui iam scisso pectore fuerit euulsum, pro mortuo de summis sa præcipitem datum, Hispanorum lingua c eos allocutum dixisse hæc verba: *Caualleros, erto mehan*, quod est: O Equites, interfece me: quod quidem prodigium multum hor & commiserationis apud Hispanos genueri

Quo pacto Diabolus vel nolens doctrinam Christianam adiuuerit.

Quis credat ipsum gloriæ diuinæ & salutis humanæ Hostem hoc vtrumq; apud Indos nostros promouisse, quanquam nihil minus animo agitauerit? cæterum cogitationes Dei tam profundæ sunt, eiusque tam abstrusa sapientia, vt quantumuis malis rebus optime vti sciat, & ad glorioſum nominis sui honorem conuertere, quæ ad id obscurandum excogitata fuerant.

Inter maxima Christianæ Fidei Mysteria est doctrina de SS. Trinitate, de Incarnatione Verbi, & de Eucharistia, quæ omne humanæ rationis lumen captumque superant. His vt Diabolus solita arrogantia obstreperet, id egit, vt fraudibus deceptelisque suis miseros circumscriberet, & tamen simul aptos redderet ad percipienda facilius Christiana illa dogmata.

Inter disciplinæ Christianæ capita difficultatis plurimum videtur habere confessio delictorum cæteræque Pœnitentiæ partes, quæ sensibus fere nostris aduersantur. Hæc tamen ipsa aperitas Indis res peregrina visa non fuit, adsuefs multo austeriori confitendi rationi, qua cacodæmon eos miseris modis dudum excarnificauerat, verus hominis carnifex & iis torquendis natus, cum Christus nihil tale suis imperet, lenicus quippe & Pater indulgens humani generis.

Quin & ipsi Reges Nouæ Hispaniæ, cum Diaema de more sumebant, offerebant Idolis suis nguinem quem ipsi sibi è partibus diuersis rporis non sine magno dolore extraxerant: leo omnia Diabolus cruciatu & cruore suis endebat. Adsuefecit insuper homines ad pauertatem, Castitatem, Obedientiam & Religiem, vt id superius multis exemplis ostendius: vnde factum est, vt consilia Euangelica, eu vocant) res noua & inaudita iis visa nequauam fuerint.

Vaticinia quædam extitisse futuræ prædicationis Euangelicæ.

Cum constituisset Deus præparare homines l aduentum filii sui in carnem, misit non soum Prophetas ad populum Hebræum, sed de r etiam Græcis Gentilibusque Prophetides ue Sibyllas, tam clare de Christo vaticinantes, carnationemque æterni verbi, miracula, pasnem & mortem eius annunciantes, vt non cura prædixisse, sed iam transacta narrasse viri potuerint. Non latuit hæc res homines hnicos: quapropter interdixerunt Christialibrorum Sibyllinorum lectione.

Idem Deus noster ne Noui quidem Orbis mines his adminiculis destitutos esse vot, vt ex his patet. Erat in Hispaniola Insu-Rex nomine Guarioneus: qui cum aliquan- Idolorum suorum Oracula consuluisset, d se mortuo de regno populoque suo futum esset? responsum tulit: venturos post paucos annos in eam Insulam viros vestitos, nutrientes barbam, qui destructuri essent statuas, sublaturique priscos ritus & ceremonias.

In tertis circa fluuium argenteum siue de La Plata, paucis ante Hispanorum aduentum annis, erat quidam Eremita, Oriquata nomine: magna huic viro ob vitæ probitatem inter suos obtigerat æstimatio.

Hic igitur, sine dubio occulto quodam diuini spiritus impulsu, discurrere cœpit per eas regiones, vaticinans de peregrinæ gentis aduentu, qui nouam tradituri essent colendi Dei rationem: hortabatur ergo omnes singulosque, vt eam amplecterentur, abiicerentque malum morem ducendi plures vxores.

Vt autem rem eam penitius imprimeret hominum animis, certis quibusdam concepit verbis, iussitque, vt memoriæ mandata illa carmina diebus festis canerentur, quod & adhuc fit apud eos populos.

In Acuzamilia Insula, haud procul à Iucatania regione inuenta est crux lignea, duarum Orgyiarum altitudine, ad quam veluti rem diuinam & cœlestem solebant confluere homines, inprimis cum nimia siccitas solum exureret, vt inde impetrarent pluuiam sementi necessariam.

Sacerdotis cuiusdam apud Mechoacanos magna erat inter suos fama & auctoritas; & hic prædixit veritatem populo suo post exiguum tempus reuelandam: nec desunt, qui cum eius exquisitam habuissent notitiam, dixere, vitam illum plane Christiano more egisse. Vnus etiam è seruis eius domesticis asseuerauit, celebrasse illum festa Natiuitatis & Resurrectionis Christi: vtque id maiore cum deuotione faceret, aliquot diebus ante, vt vitaret tumultus interpellantium, abdidisse eum se in loca solitaria. His atque similibus operibus, cum magnam sanctitatis & doctrinæ famam fuisset adeptus, verba eius pro indubitatis habita fuere oraculis: affirmaueruntque multi, qui eius sermones audiuerant viuendique rationem viderant, cum postea concionibus nostrorum hominum interfuissent, pleraque se iam ante ex illo sacerdote audiuisse. Præterea constat, vix paucis diebus postquam Cortesius Vrbem Mexicon expugnauerat, Regem Mechoacanum cum flore nobilitatis suæ vltro ad eundem Cortesium properasse in Nouam Hispaniam, vltroque factum vasallum Imperatoris Caroli, baptizari voluisse, impetratis à Cortesio viris Ecclesiasticis, à quibus in Christiana Fide erudiretur. Adde superioribus quod omnes vtriusque regni, Peruani & Mexicani, populi firmiter crediderint animarum immortalitatem, & pias quidem post mortem ingentia manere præmia, improbas vero exquisitas pœnas. Nec defuerũt, præsertim apud populum Chicoranũ, qui purgatorium crederent, non quidem ignem, sed frigus intensissimum, per quod qui transissent, in loca voluptatis & deliciarum plena proficiscerent.

ficiscerentur. Fuit insuper apud illos, quanquam mille fabulis absurdisque somniis inuoluta Diluuii vniuersalis notitia, & mortuorum resurrectionis, sed, vt diximus, perobscura. Hinc factum est, vt cum auarissimi hominum Hispani defossos terra principum thesauros rimarentur, & eadem auri siti sepulchra magnatum effringerent: ea res molestissime Indis accideret, supplicantibus, ne tanta animas maiorum suorum afficerent iniuria, neu disiectis corporum ossibus eorundem impedirent resurrectionem.

39 *Annunciatio doctrinæ Euangelicæ etiam variis prodigiis adiuta.*

Ingressi Peruanum regnum locupletissimum amplissimumque Hispani, tam exquisitas dilatandæ potentiæ suæ & prædicandæ fidei inuenerunt occasiones, vt eas ne optare quidem ausi fuissent. Tlascalenses etiam in regno Mexicano, populus validus & potens, internecinum gerebant bellum cum Rege Mexici, cumque hic multo esset fortior, abeuntes illi ad Cortesium, qui nouus eorum successerat sedibus hospes, fœdus cum eo percusserunt. At Ferdinandus, arrepta occasione, cum per simulationem Tlascalensium sibi partes aduersus Mexicanos defendendas sumsisset, causam belli nactus barbarorum ope aggressus Mexicon, postremo expugnauit Vrbem, subiecitque totum illud regnum non tam Carolo Imperatori, quam Christo Domino Deoque nostro. Sed & iam ante prodigiis ostentisque variis ac metuendis tale aliquid futurum significatum fuerat, quæ non solum supra modum perterrefecerunt Motecumam Regem superbissimum, sed & latam prædicationi Euangelicæ aperuere fenestram. Erat in oppido Cholola Idolum præ cæteris famosum, nomine Quezalcoal. Hoc clare prædixit, venturas peregrinas gentes, arrepturasque possessionem regni cum omnibus subiectis prouinciis.

Itidem Rex Tezcucanus, Magus summæ peritiæ habitus, quippe cui pacta cum Cacodæmone intercedere credebantur, cum Motezumam insueto tempore inuiserit, nunciauit ei, se accepisse mandata ab Idolis suis, accederet regem, eique interitum regni sui significaret.

Alii insuper Magi ex diuersis partibus idem nunciabant, quorum vnus dum loquitur regi, ipse Rex animaduertit sibi digitos manuum ac pedum deesse. Oblato hoc portento exterritus supra modum Rex, deinde collecto spiritu, prædominante bile, imperauit sine mora omnes Magos ac Necromantas in carceres abripi: cui mandato cum satisfactum esset, Magi omnes è vinculis elapsi repente disparuerunt, delusis custodiis: quo tamen phasmate male sibi consuluerunt diabolici homines. Rex enim laxatis iracundiæ frenis sæuire in coniuges ac liberos eorum, quos omnes neci dare, ædes eorum à fundamentis euertere, bona auctioni ac hastæ subiicere.

Tot obuenientibus prodigiis extra se raptus Rex, cum videret se sæuiendo nihil proficere, ad placandos sacrificiis Deos suos conuertit animum, quibus cum nouo more victimas cædere constituisset, iussit vt ingens lapis vsum aræ suppletu-rus attraheretur.

Quibus hoc imperatum erat, omni ope adnixi, ne latum pilum saxum mouere loco poterat, quin omnibus consumptis viribus vectes quoq; & obices confringebant. Inde pluribus conuocatis instaurabant priores conatus, sed irrito pariter labore, nec destiterũt, donec audita vox est. Nolle Creatorem omnium rerum impostetum hoc sacrificii genere coli, quapropter desineret, nec se inani labore fatigarent. Perculsis omnium mentibus visum est hæc Regi nunciare: qui mutato consilio, iussit vt super saxum illud loco pristino relictum immolarent victimas. Sacerdotibus igitur operi se accingentibus denuo vox illa intonuit: Non effugituros pœnam, qui spreto vaticinio, contra Creatoris omnium rerum voluntatem auderent damnata offerre sacrificia.

// Neue dubitarent de oraculi veritate, futurum, vt
// lapis ille trahentes aliquãtisper sequeretur, mox
// rursus assumpto pondere immotus iaceret, ne
// tantillum quidem promouendus. Constitit sua
// dictis veritas, paruo enim molimine traxerunt
// saxum velut sponte sua sequens aliquo vsque: ibi
// denuo iacuit immotum, eluso omnium molien-
// tium conamine.

// Inde conuersi ad preces, id saltem orabant
// multis verbis, vti liceret sibi ad muros atq; por-
// tas Vrbis Mexicanæ vsq; pertrahere fatale pon-
// dus: quod quidem factum est, sed lapis iam pro-
// pe vrbi aduolutus repente in lacum delapsus o-
// stendit, frustra eos conari, Creatoris voluntati
// oblúctando. quæ siuere igitur contis ac pertici
// portentosum illud saxũ, eo loco quo demersum
// fuerat, sed luserũt operam; pauculis enim inter
// positis diebus repertum est eo loco, vbi primum
// omnium positum fuerat, qua re aucto prodigii
// populus in admirationẽ & stuporem magis qu
// antea datus est. In terra hæc obtulere se portẽ
// Sed nec cœlum signis feralibus caruit, quibu
// exterritæ mentes humanæ imminentem ma
// vim vitare tamen non potuerunt. Nam in sum
// ma aeris regione apparuit flamma viuidissim
// forma pyramidali, late diffusa. Circa media
// noctem fere oriebatur, ac semper in sublim
// tendebat, donec oriente sole cuneus ille igne
// mutato loco in meridiem obuerteretur, estq
// hoc prodigium integro prope anno obseruat

Cometes insuper inusitatæ formæ conspectus est, qui non de nocte solum, sed & interdiu luxit, scintillantibus tribus apicibus, qui in tr
capita desinebant, nõ sine horrore adspicientiũ

Sed & Fanum ipsum fortuito igne correptum arsit, incerto authore incendii, cũ neq; fulmen cœlitus tactum, neque humana negligentia ac censum fuisset. & quamuis innumera mul
do conflueret, ignis restinguendi causa, paru
tamen aut nihil confectum est, quin imo, vti c
ta constat fama, aqua ingesta non aliter con

luit ignis, quam si oleum infusum esset, gliscente incendio, donec quicquid fuit materiæ lignææ in cineres penitus est collapsum.

Ingens ille lacus qui inter duas vrbes Mexicanam & Tezcucanam longe lateque excurrit, occulta quadam ignotaque causa feruere cœpit atque bullire, subsilientibus in altum fluctibus, tanto cum impetu, vt quicquid erat ad ripam ædificiorum collaberetur, cum tamen nec venti flarent vehementiores, nec terræ motus animaduersus vllus fuisset.

Relatum est insuper ab diuersis locis auditam fuisse vocem querulam velut lamentantis mulieris in hæc verba eiulantis. Interitus vester ô filii mei, prope adest? Quo vos ego iam abduam, ô charissimi liberi, ne omnes internecione pereatis?

Præterea monstrum quoddam triceps formidandæ speciei inuentum, regique oblatum est, quod postquam contemplatus esset, dispauit.

Monstra hæc atque prodigia omnia, superabant duo alia, quæ sigillatim enarrabimus. Prius ora habet: cum Motezuma rex plenus tristitia & formidine conclaue luctuosum ingressus, quod tristarum vndique mœrorem ac tristitiam præ se ferebat, de portentorum horum fœditate ac euentu secum disputaret, oblata est ei auis, quæ à piscatore quodam in ipso lacu capta fuerat: magnitudo aliti quanta gruibus, species quoque non multum abludens. In summo capite ferebat speculum lucidissimi splendoris, quod intuenti Motezuma, visus est sibi cœli stellarumque ac eo contemplari pulchritudinem, non sine admiratione singulari. dum autem intentius speculatur, videt exercitum ab oriente venientem ignoti peregrinis armis pugnabat, magnamq; hominum edebat stragem. Magi ipsius atque harioli eandem videbant speciem, interpretari autem non valebant, nec minus ipso rege hærebant anxpites. Ipsa auis postquam se satis conspicienam præbuit, ex oculis eorum nescio quo subducta disparuit.

Alterum duorum horum prodigiorum de quibus diximus, ad hunc modum habet. Homo simplex & incultus, qui omnem ætatem ruri egerat, accessit regiam petens sibi copiam fieri loquendi Principis. Vix ægre admissus narrat: laboranti sibi in agro, ingentis magnitudinis superuenisse aquilam, quæ intentum operi rustico corripuerit vngulis, sine tamen læsione sua, inque antrum quoddam detulerit remotum è conspectu hominum: post aquilam humana loquela ita cœpisse profari. Ecce me ô potentissime omnium, & eum quem tibi meo ministerio adduci imperasti. agrestem autem diu circumspexisse, neque tamen quenquam vidisse in quo sermonem misceret aquila: vocem autem allapsam auribus suis: nunquid illum nosset extentus humi dormiret? excitatum rustidentem, miræ fragrantiæ. quem cum exactius considerasset, dixisse agrestem: hic quidem Motezuma Rex esse videtur, tum spectrum: non eras tu, ô homo, respondisse, ipsus est. Viden' vt stertat securus in vtramque aurem, nec quicquam pensi habeat, quid futurum sit de ipso atque vniuerso regno eius, contemtis periculis longe grauissimis? Venit tempus, vt debitas Deo pœnas pendat fastus ac intolerabilis superbiæ suæ, qua moderatum ante hunc diem Mexicanorum imperium in apertam transformauit Tyrannidem. Nec videtur affici posse sensu miseriarum futurarum, talpa cæcior, mulo stupidior. in cuius rei documentum, age, cape funiculum ardentem è manu eius & admoue coxæ dormientis, videbis illum velut omni sensu destitutum ne moturum quidem latus admoto igne. Correpto autem formidine, ac tergiuersante rustico adire propius ad regem, spectrum perrexisse loqui: quid trepidas accedere? vel quid metuis regem? Confirmo tibi me millies plus posse atque pollere, quam homuncionem hunc, esseque in mea manu ipsum perdere è vestigio, te conseruato: quare age, quæ iussus es exequere. Auditis his agrestem acceptum è manu regis funem ardentem coxæ eius admouisse, quod stertens ille quidem haud senserit, neque corpus vllo modo commouerit. Ibi dixisse genium: cum videas hominis stuporem & veternum immedicabilem, abi excita eum è pernicioso lethargo, omniaque quæ vidisti, quæque audiuisti bona fide narra, siquidem saluus esse voles. Cum dicto adfuisse Aquilam illam priorem, quæ itidem comprehensum agricolam blande detulerit in agrum eius, vnde non ita pridem abstulerat. Qui redditus sibi ipsi non putauerit reticendum tantum mysterium, sed continuo regi aperiendum.

Præterea per omnem Indiam magnus rumor vagabatur, quod olim à potentissimo quodam domino deserti fuissent, qui abiens ipsis certum reditum spoponderit. Igitur communi decreto, cum honorariis amplissimis quinque insignes legati ad Hispanos emissi sunt, qui eos pro more exciperent & salutarent, dicerentque, nihil se nescios esse, magnum Imperatorem Quetzalcoal iam rursus appellere: ideoque seruum eius Motezumam ad ipsum legatos amandasse, qui dicerent, Motezumam Quetzalcoalis seruum esse. Scire enim se iam aduenam non nisi Topilchim esse ipsissimum, qui ante plurimos annos ad Mexicanos reditum pollicitus esset. Acceptis muneribus, Cortesius se ipsum illum esse, quem salutarent respondebat. Quod Legatis apprime placebat se tam familiariter & amice ab aduenis tractari haberique. Et sane constituerat Cortesius leniter omnino clementerque cum Indis agere; sed peccata gentis, inprimis Idololatria, sacrificiorum humanorum crudelitas, & immanis regis fastus, seueram cruentamque videbantur diuino iudicio exigere seueritatem. Hinc ortæ sunt tot rebelliones, atrocissima prælia, euersiones oppidorum, cædes homi-

num ab vtraque parte. Regnum Peruanũ Hispani eodẽ fauore Numinis ingressi videntur. Reliquerat moriẽs Guaynacapa, magnificẽtissimus Peruanorum Rex duos filios: priori nomen erat Guascar: minori Attagualpæ, quem nonnulli scriptores Attabalibam vocant. Et maior quidem, hæres patris legitimus, eidem in regno successit. Attagualpa vero ei bellum intulit, fratremque cepit. Hinc Peruani proceres magna affecti tristitia, cum non satis haberent ad Regem è carcere liberandum virium, conuersi, vt solebant in extremis, ad sacrificia, frequentibus victimis supplicauerunt Viracochæ, vt, postquam ipsi debiliores essent, quam vt Ingam in libertatem assererent, ipse cælitus demitteret homines, qui miserum eximerent vinculis. Peractis rite sacris, cum non dubitarent de auxilio, repente ad eos affertur fama, venisse trans mare peregrinam quandam gentem in Peruuiam, quæ commisso apud oppidum Cassamalcam prælio, Attagualpam acie victum ceperit. Fecerat autem hoc Franciscus Pizarrus cum suis quas habebat, Hispanorum copiis. At miseri illi, qui pro Guascare tantopere satagebant, persuadebant sibi, impetrasse se hecatombis suis, quas Viracochæ obtulissent, horum hominum aduentum, eamque ob causam Hispanos eodem nomine Viracochas appellabant: quod quidem nomen iis mansit longo tempore, vt Viracochæ, id est homines diuinitus missi aut cœlo lapsi dicerentur. Hinc apparet, Deum, quemadmodum Cortesio Hispanisque portam aperuerat in Nouam Hispaniam per discordiam Mexicanorum & Tlascalensiũ, accedentibus tot prodigiis, quæ regnante Motecama apparuerant; ita quoq; regnum Peruanum Pizarro suisq; tradidisse, concertantibus de eo fratribus, Guainacapæ filiis: accedente sacrificiorum successu, quo factum est, vt Hispani filii Dei & cælitus lapsi viderentur.

Constitutio Alexandri Sexti Pontificis Maximi.

Intellecta tot nouarum terrarum inuentione Alexander VI Pontifex Romanus, vt Euangelii doctrina maiore animo ac successu in iis disseminari posset, in eam curam vnice occubuit, vt vtrique Regi, Hispano & Lusitano persuaderet, daret vterque operam, vt miseræ illæ gentes ad Christum Dominum conuerterentur. Cum autem videret discordiam regum huic tam nobili instituto plurimum incommodare posse, vt omnes bellorum inter eos amputaret occasiones, diuisit Orbem inter duas illas nationes, ducta linea illa famosa à Septentrione in Meridiem, quã vterque populus Demarcationem vocat. Et vt auferret omnibus totius Orbis Principibus & Monarchis, qui in hanc rem peruestigandam sumtus nullos fecerant, omne imposterum ius ac prætensionem; interdixit omnibus, ne quis deinceps, præter Hispanos Lusitanosque terras illas adiret. Verum hoc interdictum apud multos parum habuit roboris & efficaciæ.

Quibus rebus conuersio Indorum adiuta fuerit.

Neque in sacris neq; profanis Historiis legimus, vnquam aut in vlla regione Euangelii prædicationẽ maioribus progressam passibus, quam in Nouo hoc Orbe; cum non homines, non familiæ, sed toti simul populi conuersi sunt, adeo vt constet, vnum Monachum ex Franciscana familia aliquammultis annis vltra quatuordecies centena millia baptizasse in Noua Hispania, vt numerus eorum, qui annorum quinque vel sex spacio baptismatis fonte abluti fuere, adscenderit ad octo vel decem hominum milliones. Mirandum autem valde est, ipsos milites hanc tam celerem Indorum conuersionem supra modum adiuuisse. Etsi autem nullum hominum genus ad introducendam pietatem videatur minus aptum quam militare, nimisque verum sit, inter tumultus bellicos legum ciuilium vocem non exaudiri, multo minus Euangelii præconium, instrumentum mansuetudinis & modestiæ: milites tamen Præconibus verbi Dei bonam nauauerunt operam in destruendis statuis ac imaginibus diaboli & euertendis Idolorum templis.

Notum est, naturam hominis talem esse, vt nec velit nec possit omni penitus carere religione, carere cultu, carere templis locisque sacris adeo, vt si homines vera colendi Dei ratione destituantur, prolabantur & ruant ad superstitiones & Idolorum venerationem: & si non habeant delubra aut sacraria manu facta, Deos sibi quærant in montibus & cauernis.

Igitur Noui hi populi, cum supra modum qualiumcunque tandem Deorum cultui dediti essent, partim natura partim instituto, cum crederent statuis, aris, templis, quæ omnia furor militaris euerterat; facilius amplexi sunt religionem Christianam, inuitati concionibus sacris cum hanc doctrinam mille modis intelligere suauiorem, quam cui antea dediti fuerant, Idolomaniam.

Solent hic homines Politici disputare, an quis nouum aliquem acquirit principatum, recte faciat, si omnia repente simul ac semel mutet, Hispanos in Mexicano & Peruano regnis fecitasse constat? an vero expediat, si lento pede progressus sensim mutet statum, quod Imperatores Romani fecere? Facilis tamen videtur esse responsio. Si quis enim adiutus mira fortunæ indulgentia facili labore regionem acquirat, exclusis vel superatis omnibus difficultatibus; is facili momento omnia poterit submouere obstacula. Quod si cui non satis ad immutandum sit virium, is rectius arte vsus fuerit quouis, lucratus occasiones & tempora, vt astu faciat, quod robore ac celeritate efficere haud potuit.

Turcæ inuadenti regna aliena & prouincias omnia ex animi sententia succedere: ergo postus nobili aliqua victoria, euestigio omnia mutauit ad suum arbitrium, inductaq; alia reipu cæ forma, profligauit non ipsos duntaxat Pri

pes, sed & omnes illustri cretos sanguine sustulit, ereptaq; populis libertate, conuertit oppida in pagos, Palatia in mapalia, templa in stabula equorum: bona quæ propria fuerant, in feuda & beneficia, &, vt vno verbo dicam, dominum se constituit tam rerum quam personarum. At Christiani Principes, cum non tam immanibus ad persequendum institutum suum vtantur viribus, alia incedũt via, ad quã plus temporis & dexteritatis requiritur. Sed ad institutũ reuertamur.

Igitur Noui Indi, spoliati deastris & delubris fanisque suis, cum nou haberent, quo in necessitatibus constituti se reciperent, vt antea consueuerant, facilius Ecclesiæ Christianæ ritus ceremoniasque, quas oculis arbitrabantur coram, susceperunt, amplexi etiam sine difficultate Fidem quæ eis annunciata fuerat.

Guacas, id est Fana vel Templa Peruanorum militari furore euersa fuisse diximus. Precipuum autem horum & velut Antrum Delphicum erat in oppido Pachacama, distante quatuor Leucis à Ciuitate Regum, in quo Diabolus responsa reddebat sciscitantibus. In vrbe Cusco erat quoddam Pantheon, in quo stabant omnium prouinciarum singularia Idola, quæ Ingarũ dominium agnoscebant, velut obsides & pignora fidei ac subiectionis. Mirum est, quod in eadem vrbe vltra CCCC. delubra minora ac maiora fuisse scribunt. At vero in Noua Hispania Idola & eorum sacræ Ædes non tam pessundata fuere militum insolentia, quorum est omnia perdere & in nihilum redigere: quam prudentia & pio Zelo Ferdinandi Cortesii, Victoris harum gentium, qui seuere suis ordinum imperauit ductoribus & tribunis, ne quod Idololatricum Fanũ, ut statuam vllam erectam sinerent: ita factum est, vt sublatis è medio his omnibus, cum non haberent Indi, quo preces & sacrifica oblaturi parent, malam colendi Dæmones, in bonam Christianamque Deum verum venerandi conuerterint consuetudinem.

Quid conuersionem Indorum potissimum impediuerit.

Postquam multis verbis ostendimus, quibus mediis modisque Christiana Fides in his terris promota fuerit: videamus etiam paucis, quæ Euangelico curriculo obiecta fuerint impedimenta.

Primum omnium occurrit sinistra Europæorum hominum, quam ab initio de his hominibus conceperant, opinio; quibusdam illis propter paupertatem aspernantibus, aliis nihil eos ultra brutorum captum sapere existimantibus, cum viderent inciuiles eorum mores, à nostris rum quantum abhorrentes. Faciebant autem e potissimum milites, quorum omnes violenti solent esse actiones, & vnicum res suas augendi desiderium: plerisq; etiam ne optantibus quidem, vt conuerterentur Barbari, ne hoc pacto gerentur eos recepto Baptismo mitius humaniq; tractare. Credibile tamen est, Deum etiam horum hominum nefanda scelera, quibus penitus immersi fuerant, acriter punire voluisse, & quidem per impios milites, inprimis autem Crimẽ Sodomiæ, Idololatriã, & Anthropophagiã. Effecerunt autem hæc tria flagitia, vt Canibales priuati libertate diminutiq; capite, seruire iussi fuerint, procurante Thoma Ortisio Monacho, iubente vero Carolo V. Cæsare, ad annum Salutis MDXXV. Non est igitur mirum, insolentiam militum, quæ in victoria rebusq; secundis modum non inuenit, adiutam insuper superiorum auaritia, accedente quorundam religiosorum intempestiuis consiliis vltra fidem in miseros debacchatam fuisse, haud secus ac impetuosus torrens sisti non potest, cum imbribus liquefactisque intumuit niuibus.

Notum est, quam tetrum vicium sit Auaritia, quam crudele & enorme, vt nullis legum repagulis, neq; mortis pœna aut deniq; inferni supplicio cohiberi possit. Quid igitur putandum est, hãc furiam designasse in cruentis militibus, à quorum commiseratione, quæ tamen longissime aberat, miserrimorum hominum pendebat vita & salus? Quid autem facerent aliud hi Martiales Lupi, tam immani terrarum à suo separati Principe, omnemq; ac plenam pro lubitu furendi nacti potentiam? Hominum fidem! quantum Barbarorum horum periisse existimamus in aurifodinis apud Cibaon? quantum in margaritarum piscatione apud Cubaguam Insulam? quantum in perueſtigandis Smaragdis apud D. Marthæ? cæteras diuitias harum regionum omittimus.

Neque vero defuerunt, qui conscientiæ stimulis acti hanc rẽ iudicauerunt indignissimam, quorum alii quidem scriptis libris hanc crudelitatem detestati sunt, alii, cum ad Aulam Imperatoriam venissent, remediũ huic immanitati adhiberi modumq; statui petierunt. Carolus Cæsar, cuius acre iudicium ingeniumq; mire notũ est, intellectis his sceleribus suorum, vt satisfaceret pietati suæ, consilio suo rem istam proposuit, vbi viri quidam excellenti doctrina & pietate consuluerunt, abolendam istam tyrannidem in miseros innocuosq; Barbaros. Anno igitur MD XLIII. Edictum Imperatorium propositum est, ne quis inposterum Hispanus vllum Indum in metallifodinas detruderet, neq; cogeret ad perquirendas in profundo margaritas, neq; pro iumento haberet in baiulãdis sarcinis, nisi extrema cogeret necessitas, qua tamen ipsa, digna portantibus solueretur merces: vt tributorum, quæ Indi soluerent Hispanis, iniretur certa ratio, vt tributa ea, mortuo beneficiario Hispano, Coronæ vnirentur ac fisco: postremo ne Episcopi, Conuentus Monastici aut Domus Hospitales vllos haberent per Indiam clientes siue vasallos. Hoc Edicto factum est, vt Hispani prope omnibus priuarentur seruis & mancipiis: quæ causa fuit eorum, quæ postea secuta sunt inter eos, bellorum. Pizarrus enim, cum rebellantium Hispanorum Ducem se constituisset, effecit, vt Blascus Nunesius Vela, prorex Peruanus

interficeretur. Hos tumultus vt opprimeret Imperator, misit eo Licentiatum Gascam, hominem miri ingenii & prudentiæ, qui vim dexteritate cum superasset, & vafricie impetum, commisso leui prælio deuicit seditiosos; Pizarroque capto ac capitis supplicio affecto, conquieuit motus ille ciuilis. Facta pace negotium religionis etiam felicius successit.

Barbarorum in Nouo Orbe genera multa esse, eaq; inter se diuersissima: ac proinde non vnum eundemque prædicandi illis Euangelium modum.

Solent scriptores Barbaras appellare eas gentes, quarum mores à recta ratione & communi viuendi modo abeunt longius. Quæ definitio si vera est, (inprimis ex parte posteriori membri) melius hæc appellatio conueniet Græcis Latinisque, quam cæteris nationibus. Si enim communis viuendi ratio appellanda est, quam maxima pars hominum sequitur: & si Barbari dicendi sunt, qui ab hac abeunt longius: at vero extra controuersiam Græci & Latini aliter vixerunt, quam cæteri mortales: sequetur illos potius, vt pauciores, Barbaros esse appellandos quam hos. Dicemus igitur eos esse Barbaros æstimandos, quorum vitæ modus & consuetudo extra rectæ rationis cancellos exorbitat, quod consistit in feritate mentis, ignorantia & morum ruditate.

Est autem Feritas certa quædam Brutalitas, cuius quatuor facimus species.

Prima est eorum, qui nullam habent neq; de Deo neque Diuinitate aut Religione notitiam, & hi rursum inter se differunt. Quidam enim, quanquam sine Deo viuant, incantationi tamen & veneficiis dediti sunt, estque res miranda valde, reperiri homines, qui cum neque Deum in cœlo neque terra agnoscant, submittunt tamen se Magis ac incantatoribus. Videntur hi mihi prope similes equis quibusdam, qui cum sua natura sint terribiles & ferrum ac ignem contemnant, ad leuem tamen vmbram cespitant & resiliunt, exterriti sono currus aut rei aliius ludicræ.

Ad hoc genus referendi sunt Cichymicæ & Brasilienses.

Alterum genus est eorum, qui speciem aliquam religionis habent, vel magis proprie loquendo, Superstitionis, cuius tamen neq; fundamentum neq; probabilitas vlla apparet: quin omnes eorum narrationes meræ sunt fabulæ & somnia. Huc pertinent incolæ Hispaniolæ Insulæ, & adhuc nostra memoria sunt indigenæ Insularum Salomonis.

In tertio censu sunt qui varios Deos siue Idola colunt, neque tamen vllo modo ad Summum Deum & Creatorem perueniunt.

Quartos eos numerabimus, qui non negant, Summum Deum esse Creatorem huius vniuersi; sed hunc non solum Deum agnoscunt; quod fecerunt Cuscani in Peruano regno. Primæ & secundæ classis barbari nullas omnino habent cæremonias, aut eas sine vlla solennitate. Tertii & quarti obseruant ritus legitimos, stabiles & solemnes: vt Mexicani & Cuscani.

SECVNDA species Feritatis aut Brutalitatis consistit in victu siue alimonia; estq; rursum in duplici differentia. Quidam enim adeo bruti sunt, vt nec serant nec metant, nec vllo pacto agrum colant: sed instar brutorum ea comedant, quæ terra mater sua sponte gignit. Cumq; tempe. amentum hominis fere sequatur nutrimentum, fit, vt ferino comedentes more, etiam parum à feris absint. Aliorum brutalitas in hoc cõsistit, quod carnibus humanis vescantur, vel indifferenter omnium, vel hostium suorum duntaxat, quos bello ceperunt, quod illi fecere, qui Popayan & Mexicon incoluere. Popaianenses quidem solebant affigere domibus suis capita eorum, quos deuorauerant, vel ingentibus cannis suffixa erigebant, vt documento essent crudelitatis suæ. Alibi detractas hostibus pelles implebant cinere, postquam carnes deuorauissent, easque de lacunaribus aut tignis suspendebant, aut deponebant aliis locis, reficiebant faciem interfecti cera, imponentes alteri manui hastile, alteri sagittam: quo quidem spectaculo vix quicquam horribilius fingi potest: & hæc erant aulæa siue peristromata, quibus exornabant parietes domiciliorum suorum. Iidem hoc ceperunt consilium, exacturos se Hispanos sua terra fame & inopia rerum. Omissa igitur semente & agri cultura cum fames non Hispanos hostes solum sed & ipsos Barbaros premeret, alii alios deuorauerunt, & hac ratione Anthropophagia apud Araucenses introducta fuit, cum ante in vsu non esset. Omnium tamen prodigiorum famam & fidem superare putatur quod incolæ vallis Nutensis, Popaianensium finitimi fecere. Vagabatur Caciqui siue reguli eorum per hostium agros, venantes non feras, sed mulieres, quas captas abducebant, quam maximo possent numero. Has domi asseruatas in eum duntaxat alebant finem, vt natos inde infantes deuorarent, & sane vorabant eos, vbi decimum aut duodecimum annum attigissent. In valle vero Guacen non verebantur captiuis suis vel agnatas consanguineasque suas substernere, vt natis ex congressu liberis postea vescerentur: quo facto ipsos quoque captiuos, patres deuoratorum liberorum, mactabant vorabantque, cum viderentur iam ad generandum inepti.

Tertius Feritatis & Brutalitatis gradus constit in eorum nuditate, quæ & ipsa diuersimode habet. Quidam enim nullum honestatis sensum habentes, ne partes pudendas quidem coopeiunt. Alii verenda quidem vtcunque velant, cetera per totum corpus nudi. Tertii ad vmbilicum vsque tecti, inferiores partes nudas habent atque ita videmus, eos omnes nuditatem suam ostendere, vel in toto vel in parte. Nonnulli fingunt pinguntq; cutem, vel quod ita se pulchriores fore arbitrentur, vel in bello terribiliores. Quidam perforatis labris, naribus & auricu-

exig

exiguos & nullius precii lapillos aut annulos inserunt, puto ornatus gratia, quod Brasilianos facere constat. Paucos inuenies, qui toto corpore tecti sunt, sed pellibus ferarum aut belluarum marinarum, quod quidem non tam brutalitati quam duritiæ ac ruditati tribuendum est.

Quarta brutalitatis species ex eorum habitationibus apparet, quæ mirum in modum variant. Qui Barbariores sunt cæteris, alias ignorant domos, præter speluncas cauernasq; montium, aut excauatas arbores, quibus naturæ beneficio, sine humana industria, à ventis, pluuiis & frigore satis defenduntur. Diem consumunt quærendo cibatia, ingruente nocte nuda humus aut forte cespes cubile præbet, vbicunque eos tenebræ oppresserunt. Est tamen inter hos forma quædam Politiæ alicuius, quanquam certa nulla; domicilia non habeant, velut inter Tartaros siue Scythas, qui viuunt in curribus animarum pellibus tectis, & Arabes in suis Adiuaretis. Illi tamen propius ad politicam vitam accedunt, qui non tantum certam habitationum formam obseruant, sed & locum, suntque qui habitant in villis, pagis, castellis, oppidis, domibus vel contiguis iunctisque, vel dispersis. Differunt autem hæc tria habitationis genera hoc potissimum modo. Primi quærunt nutrimentum, quo eos necessitas aut occasio inuitat. Secundi duxerunt secum animalia iumentaque, vnde dependet eorum vita, non mutantes habitationem sed locum, pro ratione copiæ aut inopiæ pabuli, quod quærunt. Tertii in vno certoque loco habitant, eo conferentes alimoniam suam, cæteraque res necessarias. Et vt de Arabibus pergamus adhuc, eorum nonnulli sub dio in campis ætatem agunt, sub tuguriis habitantes, & hi proprio vocantur Arabes. Qui in castris oppidisque degunt, alio nomine Mauri appellantur.

Sic & Scytharum aliqui in æqua camporum planicie viuunt; cæteri in oppidis, vt faciũt Zanderenses. Vtriq; tamen, tam Arabes quam Tartari eos nobiliores putant, qui extra oppidorum moenia in campis degunt. Quintum brutalitatis gradum tribuemus formæ Gubernationis. Qui barbarissimi sunt inter hos populos, viuunt sine lege & sine principe, siue bellum habeant siue pacem. Alii pacis quidem tempore neutrum horum & ipsi nouerunt, sed cũ in militiam proficiscendum est, caput aliquod sibi eligunt. Terræ & leges & reges agnoscunt, siue pax sit siue bellum, in quo genere sunt Tlascalenses & Chinenses, qui Reipublicæ proximi sunt: alii Monarchicam formam sequuntur, principatum in electione constituentes, vt Mexicani in Noua Hispania: aut in successione sanguinis, vt Peruani. Inter hos primi ac secundi vere Barbari appellari possunt. Quanquam, si verum fateri volumus, primi Noui Orbis habitatores in vniuersum omnes fuerunt sine vlla forma Politiæ & Gubernationis: sed factum est deinceps, vt qui inter eos erant paulo cæteris ingeniosiores ac mentis melioris, cæteris persuaderent, simul habitare, & domicilia siue habitatiunculas erigere, primum è ramis arborum, deinde è truncis crassioribus, postremo è terra & lapidibus. Ex hac mutua cohabitatione natæ sunt leges & artes, ornamenta vitæ humanæ.

Quod ad parandi victus atq; alimoniæ rationem, res pecuaria primas partes obtinet, quæ Peruanis maxime cordi fuit, vnice intentis multiplicationi pecudum, vt fœmellas nunquam offerrent in sacrificium, sed ne venatione quidem captas occiderent: & si quam ouem morbidam aut porrigine infectam nacti fuissent, defodiebant eam viuam, ne totum gregem inficeret.

Ex tam solerti cura minorum pecudum, velut stolo è trunco, prognata est ars carminandi lanam, in fila ducendi, & pannum ad vestimenta inde conficiendi. Sequitur pecuariam agricultura, cuius præcipuum est officium, fruges è terra educere, deinde fructiferas serere & alere arbores.

Hanc sequitur demũ Architectura, extructis domiciliis, primum è ligno, deinde è terra, postremo è marmore aut alio lapidis genere, quæ ædificandi ratio Cuscanis & Mexicanis apprime nota fuit, magis tamen his quam illis. Quanquam autem satis altas & spacioſas erexerint domos & palatia, vt erat captus eorum, magnifica, artem tamen concamerandi fornices non tenuerunt, etsi non carerent arte ac ingenio, mirabiles fabricandi pontes etiam ex materia fragili. E iunco enim prægrandi admixtis stramentis atque paleis firmiter vna contextis, pontes fecerunt, iisque etiam profundos & latos straſſuere fluuios, materia pontium iuncea ob leuitatem non subsidente. His pontibus velut pro fundamento positis, iniecerunt deinde aliam materiam, è palustri vlua & id genus leuibus culmis, vtraque pontis extremitate firmiter ad suum littus deligata: & sic dabatur tam hominibus quam animalibus transitus. Inuentus fuit talis pons, supra Gucuitum Lacum, longus pedes trecentos. Agriculturam comitatur negotiatio & mercatura, cuius beneficio nostra aliis communicamus bona, & illorum vicissim acquirimus. Fuit autem olim præcipuum in hac parte Orbis mercimoniorum genus, Sal, setæ ex cauda animalis Cacao, & Cinnamomus. Cæteræ artes inde scaturiunt, & aliis ab aliis velut de manu in manum porriguntur.

Vltimo loco sequuntur Litteræ & Scientiæ, inprimis Theoricæ siue Speculatiuæ, velut fructus optati pacis, securitatis, ocii & abundantiæ. Hinc videmus florere litteras & artes liberales humaniores que in oppidis pace fruentibus, & inter homines suo viuentes arbitrio, speculationes vero & meditationes profundiores fere in Monasteriis & Conuentibus religiosorum. Ad has enim diligẽtia & assidua attentione opus est. Postremus ordo est hilarioris Musæ, carminum popularium, Poeticæ, adde & Eloquentiæ.

Ex his quæ diximus colligi potest, Barbariem omnem coniunctam esse cum incapacitate rerum cœlestium, duplici de causa: ob brutalitatem & stupiditatem. Illa regnat præcipue apud Chichi-

Chichimicas, Brasilianos, Caribes. Ista apud Insulares Salomonis, in plerisque vallibus regni Peruani, & aliis locis compluribus. Vnde apparet, non eundem propagandæ Religionis Christianæ modum obseruari posse vel debere apud omnes & vbique. Qui inter Canibales & apud cæteras gentes versatur, quæ indifferenter humanis vescuntur carnibus, ita cum iis agere debet, vt cum inimicis generis humani, vel cum stultis pariter atque furiosis. Reddendi igitur sunt primum omnium capaces rationis & humanitatis: deinde in studio virtutis & Christianæ fidei instituendi. Neque sane ille multum peccauerit, qui primum vi & armis aduersum eos vsus fuerit, vt se homines esse sentiant, deinde paulatim illis Euangelizauerit. Nam & Aristoteles auctor est, tales homines instar bestiarum vi & verberibus mansuefaciendos.

Horum barbarorum vicini à carnibus quidem humanis abstinent, nudi tamen incedunt sine verecundia, cum tamen vix quidquam sit, quod hominem adeo à bestia discernat quam pudor & honestas. Aduersum hos vi atque ferro vti nefas arbitratus fuerim, sed comiter adsuefaciendi sunt, vt corpus primo tegant, assuefacti vero ad pudorem & honestatem in Christiana deinde religione sunt erudiendi. Nam inuenies, apud quos acerbitate & violentia nihil opus est, vt à natiua barbarie discedant, sed mansuetudine & lenitate cum aliqua tamen seueritate coniuncta, quod non sint instar Luporum aut Tygridum, sed stupidi velut iumenta ad trahendum onus iungi adsueta, apud quæ plus minis quam verberibus, metu quam vi effeceris, cum certum sit blanditias & delinimenta nihil hic valere.

Cum autem experientia docuerit, neque hos neque illos in semel recepta Fide perseuerare, donec sub natiuis suis principibus vixerint, cum Principum vel exempla vel mandata facili momento multitudinem ad Idololatriam reuocare possint: ipsa necessitas exigere videtur, vt sub vnius alicuius Christiani Principis viuant imperio, qui studeat eos in officio continere, nec populum saltem sed & proceres eorum.

Est autem hæc res tanti momenti, vt propter metum ambitionis aut auaritiæ tam pia cura excludi non debeat, aut abiici. Hæc eo dicimus, quod non fugiat nos, disputatum fuisse sub primam Noui orbis occupationem, expediatne ac licitum sit, arripere illorum locorum dominatum siue supremum imperium? sed quæstio nostra ætate superuacanea est, ob frequentia damna, quæ illinc quidem Mahometistæ, hinc vero Angli intulerunt.

Non est enim dubium, quin Turcæ Philippinas occupauissent Insulas, & Angli potissimam Americæ partem, nisi Hispani præoccupatis iam iis regionibus inuadentes repulissent. Sicut igitur Conuersio Noui Orbis cœpit ab armis & victoriis, & Prædicatione Euangelii continuata fuit: ita porro pertexenda est coniuncta voce verbi Dei cum auctoritate Magistratus.

Et Apostolos quidem satis constat Euangelio auctoritatem conciliasse magnitudine & frequentia miraculorum, quibus confusionem attulerunt Iudæorum arrogantiæ, & ferociæ Gentilium: quod Iudæi quidem adsueuerant ostentis ac prodigiis, quas vel in cœlo vel terra contra naturæ ordinem fieri vidissent: Gentes vero inflatæ propriæ doctrinæ opinione se solas sapere arbitrarentur. Cum igitur parum ad rem facere videretur, si Oratores Dei nationes illas facundis verbis aut eloquentiæ viribus aggrederentur, ne conuersio earum humanis artificiis aut rationi attribueretur: necesse erat, vt Apostoli vtrosque miraculis conuincerent, talibus inquam operibus, quæ natura impossibilia videbantur: ex quibus aperte possent perspicere, quod Deus, qui Naturæ imperat, per eos loqueretur, & per consequens Euangelii præconium longe vinceret Philosophorum putatiuam sapientiam.

Et tamen difficile fuit iis persuadere, edere se miracula per Christum crucifixum atque mortuum: cum crux Christi, vt Apostolus ait, Iudæis sit scandalum, Græcis autem stultitia.

At in Nouo hoc Orbe, vbi neque Iudæi neque Græci erant, sed populi brutales & stupidi nihil opus erat miraculis, sed auxilio humano, vt ad rationis vsum adducerentur, qua veritatem quæ simplex est, & per Doctores Christianos simpliciter proponebatur, citra moram amplecterentur: Lux enim Euangelii tam pulchra et tam clara & amabilis per se, & iugum Christi tam leue, vt eius desiderium hominibus conciliare nihil opus sit, vnde non legimus, in vllo regno aut prouincia doctrinam Christianam tam celeriter receptam fuisse, quam in nouo Orbe.

Quanquam autem huius rei plures possint assignari causæ, præcipua tamen non absre putanda est misera indigenarum conditio, & legum diuinarum mansuetudo ac bonitas.

Nam & Idololatria illorum plena erat horroris, quæ nequaquam blandiebatur miseris, lex facit Mahometistica: neque desiderabant miracula vt Iudæi; neque contemnebant diuinum à se sentientes, quod Græci faciebant: sed erant homines simplices, sine arrogantia aut fastu, neque poterant amare Idola sua, neque eorum sacrificia, quæ vita & sanguine humano constabant: non erat ergo res magni laboris iis persuadere, vt præceptis melioribus animum applicarent, quæ Christi Domini nobis commendauit lenitas.

Accedit, quod quo minus alta saperent, eo auidius & cum maiore admiratione audirent sermones de rebus diuinis & cœlestibus, ac quæ quicquid illis proponebatur de magnitudine & potentia Maiestatis Diuinæ, de miseridia & suauitate Christi, deque merito passionis & mortis eius: nam quo plus res hæ illorum debantur superare captum: tanto magis illi debant hæc Deo conuenire.

Quæ difficultates interuenerint in conuersione Nouorum Indorum.

Neque tamen quispiam sibi recte imagina-
itur, conuersionem illam Noui Mundi sine
nagnis perfectam fuisse difficultatibus, aut ro-
as illas suis caruisse spinis. Prima fuit linguæ
ndicæ ignorantia, cum vix vllares sit, quæ ma-
orem requirat facilitatem, exprimendi concep-
ta mentis, & linguæ siue loquelæ gratiam,
quam Mysteria Sanctæ Fidei.

Cæpta vero est prædicatio Euangelii ab iis,
ui auditorum suorum idioma nesciebant, ac
roinde ab iis intelligi non poterant. Opus igi-
ur habuerunt certis Interpretibus: qui cum ne
ipsi quidem satis aliorum assequerentur dicta, v-
um pro alio reddiderunt, aliquando etiam pro
Catholicis dogmatibus erroneas opiniones au-
toribus proposuerunt.

Necesse autem est, magnis rem illam actam
isse difficultatibus, quod fit, cum duo per ter-
um aliquem colloquuntur, vt iam nihil dicam
e iactura temporis. Accedit ad superius aliud
commodum, quòd non haberent certam ali-
iam & communem formam, qui catechisa-
nt, sed diuersa vterentur ratione, destituti ali-
io superiore, qui illis modum legesque præ-
riberet. Tertia difficultas accidit ex paucitate
ncionatorum, vt hic locum inuenerit illud:
essem esse copiosam, paucos vero operarios.
Ex his difficultatibus varii defectus oborti
nt in populorum horum conuersione.
Primo ignorantia, in qua nouitii illi Christia-
perstiterunt, cum parum admodum intelli-
ent de rebus ad salutem necessariis. Baptiza-
enim non præeunte institutione, vix quic-
iam habebant ex Christianismo quam Bapti-
um, in quo tamen ipso suscipiendo potius
idebant placere Caciquis siue Regulis suis,
ui & ipsi baptizati fuerant: vel Hispanis rerum
ominis: vel denique, quod plures ita facere vi-
rent, sequuti multitudinem, quam quod cer-
aliqua ratione ita sibi faciundum statuerent.
Sed & primi Sacerdotes, qui conuersionem
dorum aggressi fuere egregie sibi placuere in
ultitudine baptizatorum, satis se hoc pacto
ficio suo fecisse arbitrati, neque vlterius pro-
essi fuere, cum partim errore quodam id face-
nt, partim quod desperarent, suffecturos se
ntæ instituendæ multitudini. Alterutrum igi-
r eligentes, nescio quomodo, satius existima-
re, sine catechesi eos relinquere quam sine
ptimo. Hinc nimirum istud est, quod legi-
is, duodecim Monachos è Francisci Familia
sse, qui singuli centena Indorum millia bapti-
erint: adeoque vnum ad quater centena mil-
baptizasse. Non possum ergo videre, quo pa-
tantam multitudinem hominum efferato-
n & paulo supra brutorum intellectum ad-
dentium in Christiana doctrina instituere
uerint, vtiq; cum in Mexicana lingua balbu-
nt. Omnium autem deterrimum fuit, quod
am paruo instituentium numero, tamē non-
nnulli fuerunt flagitiosæ vitæ, exiguæ doctri-
næ, ac nullius pene Zeli: & hi cum tales essent,
tamen ad tam ingens & sacrosanctum officium
fuere adhibiti.

Erat anno A N. C. MDLXXXVII. in prouin-
cia Paraguaiana Sacerdos, cui ingens sane terræ
spacium, & magna hominum multitudo insti-
tuenda commissa fuerat. Hic ex baptizandis ni-
hil aliud scisciabatur, quam de imponendo no-
mine, an quis Didacus, aut Alfonsus, aut Petrus,
ait denique alio aliquo nomine vocari vellet.
Quin & in ipsa Noua Hispania, vbi nostro æuo
certi sunt Episcopi & Religiosi variorum ordi-
num in numero non exiguo, contigit, vt vnus ex
eo genere Sacerdotum, quos Curatos appellant,
suæ fidei cōmissos haberet sexaginta vel septua-
ginta pagos Indicos, in quibus vltra quadraginta
habitatorum erant millia. Factum est igitur, vt
populus iste antiquis superstitionibus adeoque
Idololatriæ eodem modo quo ante, adhæserit:
neque enim mentem suam ad cœlestium rerum
considerationem vel tantillum erigebant, neq;
à multitudine vxorum discedebant.

Postremum incommodum hoc fuit, quod
primi religiosi qui in Nouum Orbem venerunt,
barbaros nō singulos baptizauerint, vnum post
alterum: sed centenos, imo millenos, vnde con-
currentibus tot hominibus ad Baptismum, dubi-
tatum deinde fuit, qui baptizati fuerint, qui nō:
sed & ipsi de quorum Baptismo constabat, à Po-
lygamia non discedebant, cum nescirent, quas
ex vxoribus dimitterent, quas retinerent: nec
quicquam in hac re consilii expediebant ipsi do-
ctores, magis incerti quam auditores.

DE CORRECTIONE HO-rum incommodorum.

Primus qui nouorum Christianorum in A-
merica conditionem emendare aggressus est,
fuit Marchio de Valle: hic enim præterquā quod
ciuilem Nouæ Hispaniæ gubernationem in cer-
tas leges redegit, etiam operam dedit, vt anno A
N. C. MDXXIV. Synodus Prouincialis habere-
tur, cui interfuerunt quinque Sacerdotes, no-
uendecim Religiosi, & Laici sex, in quorum nu-
mero fuit ipse Cortesius Marchio, & Martinus
de Valentia, Vicarius Papæ. Ibi disceptata est
causa de matrimonio Indorum, quamnam po-
tissimum ex vxoribus quinis retinere deberet.
Decretum est, cum nemo sciret modum eorum
contrahendi matrimonia, neque conditiones
prioris aut posterioris temporis, vt quinis Bar-
barus eam quam maxime cordi haberet, retine-
ret vxorem, cæteras repudiaret.

Nemo tamen plus rem Christianam per No-
uam Hispaniam iuuisse putatur, quam Vascus de
Quiroga, primus Mechoacanorum Episcopus,
qui factis optimis statutis, Indorum in rebus
spiritualibus profectum mire adiuuit, ne cæte-
rorum quoq; eorum commodorum immemor,
tantamq; sibi apud has gentes famæ peperit ce-
lebritatem, vt nullum ex omni numero Hispa-
norum magis in ore ferant. Sublata enim vxo-
rum multitudine, Idololatriam & superstitiones

penitus

penitus exterminauit, constituitque, vt ii, qui nondum receperant baptismum, prius instituerentur, restituitque suo nitori diuina officia, suumque conseruauit rebus locisque sanctis honorem ac auctoritatem. Post hæc omni ope annixus est, vt templa firmis erigerentur structuris, luculentis dotarentur redditibus, & necessaria instruerentur supellectile, ad diuina officia & Sacramentorum celebrationem necessaria.

Quæ cum viri gloriam atque nomen non parum auxerint, multo tamen celebriorem eius famam reddidit beneficentia erga pauperes & afflictos: cuius rei etiam nostro æuo multa eaque clarissima per regnum Mechoacanum extant documenta.

Neque enim in eo vllum reperies oppidum, vel Castellum aut pagum, quantumuis egenum & tenue, in quo non sit domus quædam aut diuersorium ad excipiendos peregrinos, vel Nosocomiolum pro infirmis.

Cum autem illa loca certos redditus siue prouentus non habeant, alia per eum inita est ratio, constitutis certis quibusdam hominibus, qui cuiusque loci curam gerant, ægris morbidisque pro viribus inseruiant, eisque de rebus necessariis prospiciant. Ita autem per domos distributæ sunt vices, vt vnaquæque familia sciat, qua sibi ministrandum sit septimana.

Reuoluta igitur serie, cum ordo ministrationis aliquem contigit, vniuersa prodit familia, tam viri quam mulieres liberique, deferuntque ad domum hospitalem, quæ necessaria sunt per illam septimanam ad ægrorum sustentationem. Habet autem quoduis sodalitium aut vicinia vnum aliquem certum hominem, velut promum condum, cui concredit, quicquid pro infirmis paratum est, vinum, esculenta, vasa munda, lintea, & id genus alia: qui velut præfectus Nosocomii illa distribuit in vsus ægrotantium. Summus autem huius domus præfectus septem diebus ante monet eos, quos ordo ministerii tetigit, quid in futuram septimanam facto opus sit. Gnari huius rei, qui sunt in illa familia multum colligunt lignorum, quanquam ab sexto & vltra milliari accersere necesse habeant: fœminæ vero eorum de frumento & cibariis sunt sollicitæ, rebusque similibus.

Vbi dies constitutus illuxit, quisque defert ad Nosocomium, quod parauit, alius quidem ligna, alius panem, alius carnes, pisces, legumina: quidam etiam eo deducunt recentes ægros.

Quoties enim aliquem in morbum incidere contingit, statim adest consciа societas, defertque morbidum ad templum, vt ibi confiteatur delicta sua: hinc asportatur in domum hospitalem, vbi seruitur ei dies noctesque, quæ quidem in ægros beneficentia omni laude digna est. Et hæc quidem consuetudo, cuius auctor fuit Episcopus ille, etiam nostra tempestate durat, vnde mirum non est, ostendere iis in locis Deum claris documentis, quantopere sibi in Christianis placeant opera dilectionis. Versantur iidem magna cura circa diuinum seruitium, templorum ornamenta & vasa, persuasi, etiamsi omnia iursum deorsum vertantur, Templorum tamen præcipuam vnicamq; esse habendam rationem. Hinc fit, vt multum auri impendant in emendas imagines & altarium ornamenta, quamuis sani pauperes sint, miseramque degant vitam: in illo tamen non liberales sed profusi sunt, vt seipsos necessariis priuent rebus, easq; in Dei seruitium conuertant. Quin & supellectilem suam ædibus detrahunt, vt ea ornent templa, etiam defraudantes genium suum, sibique cibaria detrahentes, vt sacerdotem alant: argento autem destituti, labore & seruitio defectum sarciunt. Primo huius incommodi correctio accepta fertur Monachorum multitudini, qui collegia erexere sub militis Francisci, Dominici, Augustini, & Mariannis, quibus postea accessere Ieſuitæ cum Carmelitis: nec non Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ, Academiæ, Seminaria, Catechismi impressi Synodi ac conuentus prouinciales, visitationes Episcoporum, & huius generis alia.

DE INSVLIS BRITANNICIS, QVÆ HODIE OMNES VNIVS REGIS AGNOSCVNT IMPERIVM,

Et primo quidem

DE ANGLIÆ REGNO.

SVMMA CAPITA.

1 *Angliæ vetera nomina, Albion & Britannia. Ratio & Etymologia horum nominum. Saxones eius olim possessores.*

2 *Britanniæ forma externa, non multum absimilis Siciliæ Insulæ. Situs eius, magnitudo atque limites.*

3 *Fertilitas Britanniæ, temperamentum, aeris qualitas, pestiferis ac contagiosis morbis quarto quoque anno fere obnoxia.*

4 *Inimica bestiolis ac insectis venenatis, impatiens Luporum.*

5 *Fluuij & amnes Angliæ, quorum rex Tamesis, præcipuum & singulare habens, quod aquæ nunquam superant ripas, quanquam max-*

co

continuisque augeantur pluuiis. Equi Anglorum, quos ipsi Guildinos appellant, maxima ex parte castrati, apti & capaces ad varias addiscendas artes. Ingens auium & volatilium multitudo in Anglia.

6 Quantum damni alites inferant segetibus in agris per Angliam, & quibus mediis incolæ fruges ab iis indemnes præstent. Piscium Anglicanorum eximia bonitas, inprimis Luporum &

7 Margaritarum siue Vnionum in Anglia abundantia Iulij Cæsaris æuo, qui monile vnionibus fimbriatum perpictumque Veneri consecrauit. Metallifodinæ ibidem auri, argenti, plumbi, stanni, cupri & ferri.

8 De Gagate lapide, in ipsis aquis ardente. pollet virtute ciendi vrinam si redactus in puluerem sumatur in aqua.

9 Veterum Britannorum moneta ferrea & ærea. Eorundem in cibis capiundis superstitio.

10 Fœminæ Britannorum vetusto tempore communes, eorum ratio gerendi belli & struendæ aciei.

11 Anglorum nostro tempore singularis ciuilitas & ingeniorum subtilitas. quibus potissimum vtantur exercitiis.

12 Angli natura ingenij sublimis & imperiosi, dediti voracitati carnium & ebrietati, inclinantes ad furtum.

13 Ingentes opes colligunt è tribus præcipue prouentibus: Lana, Stanno, quod in Cornubia eruitur, & Halecibus, qui magna copia apud Eboracum capiuntur.

14 Londinum caput vrbium Angliæ, tantæ capacitatis vt à tercenties quinquagies mille hominibus habitari credatur.

15 Negociatio Angliæ duodenis auri millionibus annuis æstimata.

16 Aerarium & prouentus fisci regij in Anglia.

17 Redditus ordinarij siue stati Coronæ Anglicanæ.

18 Subsidia & collationes extraordinariæ in Anglia duum generum.

19 Sumptus qui in aulæ regiæ comitiua atque ministeria impenduntur, quousque se extendant quotannis.

20 Quantum impositum sit tributum iis, qui per Angliam Catholico more viuere volunt.

21 Situs huius Insulæ optimus. Ingens nauium numerus, quas Angli in Oceano habent.

22 Anglorum nautæ rerum marinarum peritissimi. Negociantur in regiones longissime dissitas, tam in orientis quam occidentis regna.

23 Quantus militum per Angliam cogi possit numerus.

24 Quantum exercitum Henricus VIII. Anglorum rex, & quo ordine ad obsidionem Bononiæ Morinorum duxerit.

25 Nobilitas Angliæ. Ordines Militares siue Equestres in Anglia, diuersum genorum, & qui in eorum creatione obseruentur ritus.

26 Ordo Equitum Aureæ Periscelidis, à quo primum institutus.

27 Quæ sint præcipua Officia Regia in Anglia, & quinam illi qui lingua patria Milordi dicuntur.

28 Ordines Angliæ qui. Parlamenta regni, eorundemque summa auctoritas & potentia: In Comitiis vel conuentibus procerum regni, qui quibus fungantur officiis.

29 Triplex ordo Iudicum in Anglia.

30 Sedes Regia in quibus locis. Quibus suppliciis puniantur vsitato more proditores.

31 Curia siue Regia Westmonasterienſis. Camera Stellata quando primum stabilita.

32 Curia Ecclesiastica, quæ & dicitur Curia Christianitatis, eiusque iurisdictio in quatuor generibus causarum.

33 Conuicti furti aut alterius criminis, & ad suspendium condemnati, strangulantur manibus propinquorum suorum.

34 Religio Christiana quando & per quos in Angliam introducta atque confirmata fuerit.

35 Diuortium Henrici VII, regis Angli quod fecit cum Catharina Aragonia, post quam duxit Annam Buleniam.

36 Henricus rex declarat se Caput Ecclesiæ Anglicanæ, profligata auctoritate Pontificis Romani, coniecto in carcerem Thoma Moro.

37 Quando Monasteria cum religione Romana in Anglia abolita fuerint.

38 Coronatio Reginæ Elisabethæ, adhibitis ceremoniis Catholicis.

39 Constitutiones Ecclesiasticæ, auctore Iacobo rege, è quibus colligitur, quis sit status hodiernæ Ecclesiæ Anglicanæ.

40 Catalogus Regum Angliæ.

41 Fœdera quæ Anglorum regi intercedant cum exteris Regibus & Principibus.

42 Archiepiscopi & Episcopi, qui antiquitus in Anglia fuerint.

QVæ olim tria fuerunt Regna tribus regibus subiecta, Anglia Scotia, Ibernia; ea nostra tempestate vni parent regi, qui Magnæ Britanniæ se regem appellat, vetusto nomine velut postliminio in hodiernum vsum reuocato, cum Romani omnes illius Oceani Insulas, Britannicas appellauerint. Inter has autem ea pars, quæ Anglia appellatur, semper in maiore æstimatione fuit, vt nobilior, potentior, Galliæ propior & Romanorum æuo notior.

Scio me non effugiturum vel vanitatis notã, vel lectionis tædium, si omnia huc vellem congerere, quæ ab auctoribus de nomine huius Insulæ disceptantur, cum mei instituti sit, de rebus ipsis, non de verbis aut nominibus disserere. Ne autem curiosiores, qui in ipso orationis limite de Etymologia nominis solliciti sunt, aliquid à nobis omissum querantur: dicam solum modo, Græcorum fabulosas Narrationes quendam Albionem fingere, Neptuni filium, qui Insulæ nomen dederit. Dissentiunt ab his Latini, qui à rupibus albicantibus, quæ in littore procul adspicientibus se offerunt, Albionem dictam autumant. Vsitatius est Britanniæ nomen, à voce *Brit*, quod depictum siue coloratum significat, natum: quod olim Britanni se colore cæruleo inficerent, vt terribiliores essent hostibus in

acie. Nouissimè dicta fuit Anglia, ab Anglo-Saxonibus Germaniæ populis, qui nobilissimam hanc maximamque Insulæ partem armis acquisitam obtinuerunt. Hæc de nomine dicta sufficiant: videamus rem.

2. Forma huius Insulæ fere triquetra est, Siciliæ maximè similis: nam in tres diuersos angulos siue mucrones cuneatur. Promontorium primum Occidentem versus, Anglis vocatur *Caput Cornuuallia* siue *Cornubia*. Secundum est Promontorium Cantium, quod Orientem prospicit, quod Angeli dicunt *Nortforland*, vnde omnis illa Angliæ pars, quæ Ortui Solis obuertitur, Cantium, vel vulgari nomine *Kent* appellatur. Tertium Orcas siue Tatuisium, quod longe in Septentrionem extenditur, Scotis *Dungisbehead* dictum. Limites eius sunt, ab Occasu Hibernia: à Septentrione vastissimo & apertissimo Mari Hyperboreo pulsatur: ab Ortu, qua Germaniæ prætenditur, Oceanus vrget Germanicus: à Meridie, qua Galliæ obiicitur, Britannicus.

De magnitudine ipsis Anglis potius quam veteribus credendum, qui eam magna diligentia mensi sunt ad hunc modum. Incipiunt à Tatuisio promontorio ad Belerum, itinere ob sinuosos littorum tractus curuato, numerantes millia DCCCXII. Inde vsque ad Cantium CCCXX, denique à Cantio ad Tatuisium mill. DCCIV. Hac ratione fiet, vt totus Insulæ ambitus contineat millia DCCCXXXV. Cum autem parum ad rem faciat, nosse terræ magnitudinem, nisi ipsius natura & ingenium cognoscatur, antequam penitiora Insulę ingrediamur, videamus, quantum boni ea habitatoribus suis subministret, vnde cuiuis planum futurum est, quibus vicissim rebus destituatur.

Natura & ingenium regionis.

3. Aër huius Insulæ paulo crassior est, aptus ad generandas nebulas, pluuias, ventos, cæteraque Metcora, quorum frequentia aër ita incrassatur, vt neque frigoris ibi neque caloris magni sentiantur excessus. Noctes hic fere sunt serenæ ac lucidæ, vulgaresque morbi rariores, quam alibi, vt minus in Anglia in medicamenta impendi arbitrentur, quam in vllo alio Europæ regno. Obseruatum tamen est, Angliam sæpiculè morbo pestilenti tangi tentarique, &, si quibusdam credimus, quarto quoque anno, qua lue multi mortalium intereunt.

Fertilitatem eius Panegyricus Constantino dictus supra modum extollit, quem legat qui velit. Arbores omnis generis eam producere ait Iulius Cæsar præter fagum & abietem, quanquam nostro æuo hæ duæ arbores magno numero ibi inueniantur. Destituitur oliuis, malis Citriis aureisque, eiusque generis fructibus, qui in locis calidioribus felicius proueniunt. Vites habent Angli, sed ornatus magis gratia quam vtilitatis: nam quamuis botros proferant, raro tamen ad eam, quæ requiritur, perueniunt maturitatem. Seritur omne hic frumenti, omne leguminis genus. Segetes cito crescunt, quamuis tardius matureścant, quod vt solum, ita quoque aër sit humidior. Colles hic plurimi, sine ramen arboribus & aquis, in quibus gramen prouenit densum sed breue, mire aptum saginandis gregibus, frequentiam Ouium iuuante singulari quadam cæli benignitate & terræ indulgentia, vt non tantum sint carnium deliciis, sed etiam vellerum tenuitate nobiles. Aiunt autem, pastores per Angliam arcere greges suos ab omni potu aquæ, coactos rore cæli sedare sitim, quod longa didicerint experientia, nocere iis supra modum aquæ potum. Et profecto non in Colchide, verum hic ego arbitror esse Aureum vellus. Lana enim est fundamentum diuitiarum Anglicanarum, qui quantum è pannis optimæ notæ quotannis colligant auri argentique, difficile est ad fidem dicere. Hos pannos enim Germani vtrique, & Poloni, & Dani Suecique in summo habent precio, nec in iis coëmendis argento parcunt aut sumtibus. Omni pecudum animaliumque genere abundat Anglia, quod de iis intelligi velim, quæ nostræ parti orbis familiaria sunt: Asinis tamen mulisque destituitur.

Venenatorum & noxiorum animantium terra hæc est impatiens, à Lupis etiam peculiari priuilegio immunis, quos incolarum sustulit solertia. Hinc fit, vt oues huic inde errent, incustoditæ, in summa libertate & à noxiis animalibus immunitate: nec hæ solum, sed & equorum boumque armenta, noctes dieśque per prata vagantur, procul ab omni timore. Non gignit Anglia vinum, vt ante diximus, sed eius loco coquit cereuisiam ex hordeo & lupulo, nõ adspernandi gustus, quæ & satis commoda est iis qui adsueuerunt.

Fluuij hic sunt perelegantes, quibus totum regnum perluitur, aiuntque, (quod admiratione non caret) fluuios Tamesin & Humbrum nõ crescere etiam effusissimis pluuiis.

Equi, quos Anglia gignit, elegantes sunt, magna ex parte castrati, vt melius durare possint ad labores. Dum libere in pascuis errant, non totum aut succussorio ingrediuntur gradu, sed æquabili continuoquè, & interim tamen multumviæ progrediuntur. Cuniculis nulla Europæ regio abundantior, vt nec omni volatiliũ genere tam syluestrium quam cicuratorum. Commendantur inprimis Capones ex Cantio ob magnitudinem, sicut Puluerarienses in agro Parauino, & Cenomannenses in Gallia. Habent anserculi Britanni hoc singulare, quod gustus sunt admodum delicati dum teneriores sunt, & non dum mutauerunt pennas: adultiores vero fiunt insuauiores. Perdicum, Phasianorum, Coturnicum, merularum, turdorum, luculentum hic aucupium, inprimus alaudæ valde impinguantur per hyemem, quæ ibi mitis & clemens est: harum tunc capitur tanta multitudo, vt etiam plebeiorum mensæ plenæ conspiciantur. Per lacus fluuiosque cygni vagantur magno numero, audiunturque integris diebus cornicum coruorumque crocitationes. Frequens est enim plur

plurimorum sententia, in nullo totius Orbis regno plus inueniri cornicum, quàm in Anglia.

Cum enim humidior tellus vermiculos gignat, quibus hæ volucres auide vescuntur, fit, vt pabuli allectæ abundantia huc conuolent. Nec tamen his vermibus contentæ sunt, sed sementem in agros proiectam ore legunt, ipsasque segetes, dum adhuc in herba sunt, depopulantur: vnde non parum colonis damni dant. Huic incommodo ita obuiam eunt agrestes, vt eo tempore pueros in agris disponant, qui sagittis missis in prædones illos animaduertant, nec enim clamoribus abigi possunt. Magnum hoc pacto cornices incurrerunt odium, vt auctoribus magistratis præmium constitutum sit iis, qui quam plurimas interemerit.

Abundat Anglia multis piscium optimorum generibus, Rhombis inprimis & Luciis. Et his quidem multo nunc maius quam olim precium, postquam experientia comprobatum est, extractos è stagnis & in viuariis piscinisque asseruatos supra modum pinguescere, cum iis minores ac viliores pisciculi proiiciuntur. In forum piscarium venum prolatis, piscator cultello ventrem aperit, vt ostendat, quantum pinguerit piscis. quem si vēdere non possit, ursum consuit, inque piscinam cum aliis recondit, nec quicquam pisci ex hac apertura periculi, quæ celerius coalescit quam credi possit. Ostreis hic maior quam alibi gratia & multitudo.

Fert insuper Anglia aurum, argentum, Curum, plumbum nigrum & album, quod posterius stannum appellatur. Ferrum alicubi ignit, sed modicum. Est & vbi conchæ margaritifera reperiuntur. Narrat Suetonius in vita cæsaris, impulsum hunc spe capiendorum unionum in Britanniam traiecisse, eosque tunc ibi inuentos fuisse frequentissimos. Sed nostra tempestate non nisi perexiguæ reperiuntur, & vix in vno atque altero loco, iique flauescentes, in littore Scotico & apud Insulas Orcades, quæ ob paruitatem vix cum Apuanum piscicularum oculis contendere possint. Quin ipse Plinius hoc fatetur, cum ait, margaritas Britanniam gignere & paruas & obscuras, quanquam Cæsar credi voluerit, monile, quod ipse Veneri donauerat, ex vnionibus Britannicis factum fuisse.

Habet insuper Anglia fontes salsos, & thermas calidarum aquarum natiuas, vt & Gagathem lapidem, qui quamuis vili sit aspectu, magnas tamen habet virtutes, cum ignem in vis aquis nutriat conseruetque, vt incensus extingui nisi affuso oleo non possit. Huius laudis ramenta in puluerem comminuta, si quis cum aqua sumat, vrinam retinere nequit, sed continuo mingat oportet: vnde ad exturbandos ex vreteribus calculos mira vi eum pollere aiunt.

Et hactenus quidem de commodis quæ Anglia habet diximus: nunc etiam de incommodis eius aliquid dicendum est. Destituitur ergo rebus quibusdam, quas ab aliis accipit, vel ad suas necessitates vel ad delicias. Accipit ergo à peregrinis aromata omnis generis, saccarum, fructus certos arboreos, quos Gallia & Hispania suppeditat, vt & vinum oleumque, cum lupo salictario ad coquendam cereuisiam. Adde his auream sericamque vestimentorum materiam, & telas lineas cum aliis exoticis mercibus, cuius generis sunt Isatis herba, Cochenilla Indica, & alia tingendis pannis necessaria. Omnia autem incommoda hoc superat, quod ferè quarto quoque anno epidemius morbus pestifer populariter grassatur, multosque sub tartara mittit mortales. Expositio ingenio terræ, videamus nunc etiam mores veterum recentiorumque Britannorum.

Mores antiquorum Britannorum.

Vtebantur veteres Britanni certis particulis æris infecti, vel annulis cupreis, vel vt alij scriptum reliquerunt, laminis ferreis pro moneta. Nefas iudicabant manducare anserem, vel leporem, vel pullum gallinaceum, quos tamen animi gratia alebant. Qui Canticum incolebant, cæteris erant humaniores, adeo, vt non multum differre iudicarentur à Gallis in viuendi ratione, Agriculturæ aut sementi perpauci operam dabant, cum carne & lacte viuere suauius existimarent. Tegebant corpora ferarum pellibus, inficiebantque totum corpus Glasto, quod cæruleum efficit colorem, vt in bello formidabiliores hostibus apparerent. Quin & fœminæ eorum pariter pingebant cutem, cæterę nudæ incedentes, festis potissimum diebus. Crines promittere iis vsitatum erat, quanquam totum corpus raderent, excepto capite. Mentum spoliabant barba, mustacem in superiore labro relinquentes. 9.

Conueniebat nonnunquam inter decem aut duodecim viros, vt vxores communes haberent, secuti hac in parte (si iocari fas est,) Rempublicam Platonis. Ii tamen, qui hac fœminarum promiscua consuetudine vtebantur, erant fere fratres cum fratribus, aut liberi cum parentibus: è qua confusa Venere, si infans natus fuisset, iudicabatur illius esse, qui mulierem virginem acceperat. In præliis vtebantur essedis (quod erat genus currus) quæ summa celeritate impellebant, mittentes interim tela sua, vt multoties hostilem aciem perfregerint, fremitu equorum & strepitu rotarum territis inimicis. Delati cum essedis his in hostilium equitum turmas, subito abiis desiliebant, & pedestrem conserebant pugnam. Interea curribus dabatur tempus recipiendi se è pugna, ita tamen, vt si domini eorum ab hoste circumuenti premerentur, currus præsto essent, quibus ad 10.

necessarium effugium vti possent. In cæteris Strabo eos barbaros agrestesque agnoscit, vt qui tam rudes fuerint, quod nec ex summa qua abundabant, lactis copia caseos exprimendi artem nouissent. Syluæ aliquam partem, quam fossa circumdedissent, & sæpimento muniuissent contra repentinas hostium incursiones, oppida sua vocabant, inque iis habitabant. Narrat Tacitus, habuisse Britannos aliquando non viros in militia duces, sed mulieres: negatque Dion Nicæus, illos vnquam coluisse agros, sed sola victitasse venatione, adiunctis ad ferarum carnes fructibus arborum; sed ne piscibus quidem vesci voluisse, quamuis & multos & bonos haberent. Erant hi populi non laborum solum patientes, sed & famis sitisque & reliquarum aduersitatum. Immersi enim paludibus vsque ad mentum, ita sine cibo aliquot manebant diebus, inque ipsis syluis enutriti, si opus foret, cortice ac radicibus arborum victitabant. Corporibus infantium varias figuras imprimebant, quæ cum iis crescebant. Erat Gens Britannica Magiæ supra modum dedita, vt in huius flagitiosæ artis scientia omnes cæteros mortales superare crederentur. Donec nauigarent in mari, ab omni penitus cibo abstinebant, quod adeo mirandum non videtur, cum itinera illorum marina essent breuia, nec vlla ipsis cum vicinis nationibus intercederent commercia. Potu vtebantur factitio ex ordeo, vt & hoc ipso faciunt tempore. Cætera, quæ ipsis ab auctoribus tribuuntur vel vana sunt, vel nullius momenti, vt sine offensa cuiusuis omitti possint.

Mores Anglorum nostro æuo.

11. Sunt Angli in vniuersum homines ciuiles ac politi, procul ab omni ruditate & barbarie, quam quidam imperiti sibi imaginantur. Nobilitas profecto Anglicana adeo elegantiæ & vrbanitati studet, vt vix vlli nationi exteræ cedere debere videatur: quanquam multos videas per Galliam Italiamque, qui philautia quadam & stolida vanitate inflati, nihil elegans nihil politum vspiam, quam apud se reperiri posse sibi persuadent. Non tamen negauerim, rude & iners vulgus, extremæque conditionis plebeculam paulo in Anglia quam in multis aliis locis esse barbariorem. Sed hos natalium humilitas & sordidum viuendi genus excusat, quos corrigere velle, esset Aethiopem lauare.

In cæteris Anglorum ingenia sunt excitata, acria, promta & subtilia, ad quasuis apprehendendas artes & scientias apta. Corpora eorum hoc quasi singulare habent, vt admiraculum sint agilia, ad agendas quasuis personas, & omnia corporis exercitia longe aptissima. Qui aliquantum supra vulgi humilitatem adscenderunt, moribus fere vtuntur commodis, non sine gratia, miscentes cum iucunditate conuenientem grauitatem, qua in re multorum leuitatem damnant, quibus quidam imperiti vrbanitatis & comitatis laudem tribuunt. Sed hoc quidem illis ab ipsa natura concessum est, vt nihil artificio acquisiuisse, sed omnia suo sibi peperisse ingenio, nec inuita Minerua videantur. Peregrinos excipere comiter, dapsiliterque habere, studium apud illos est, adeo vt nec labori nec sumtui parcant, dum hospiti placeant, ostentantes simul magnificentiam & libertatem animi. Dignum est obseruatione, quod aiunt, omnibus peregrinis, qui Londinum veniunt, licere in domo Maioris (qui est summus magistratus Vrbanus) prandere vel cænare gratis, tenetur enim velut in Taberna publica omnes admittere. Sagittandi artis semper habiti sunt Angli peritissimi, & strenui bello milites. Hoc tamen habere vicij putantur, quod magis cæco quodam & furioso impetu ferantur in hostem, quam certo & ad vincendum necessario consilio. Quicquid sit, videntur pol quidem turpis fugæ metusque ignari, ad solam tendere victoriam: vt is, qui multos Anglos in suo habeat exercitu, magnam ad victoriam momentum habere credatur.

Hoc nomine male audiunt, quod belli incommoda non satis viriliter ferant, sed pleni impatientia, intempestiuam belli aleam periclitari cupiunt aut vincere aut perire desiderantes. Qui ad litteras & studia animum applicant, incredibili felicitate discunt, nec vnquam Anglia caruit viris Illustribus, qui summam sibi in artibus & scientiis peperere gloriam. Vestimenti genere vtuntur non multum à Gallorum habitu abs imili, qua quidem in re prope nimis curiosi sunt, neque quicquam noui in re vestiaria à Gallis excogitatur, quod Angli non imitentur. quanquam fere infeliciter: cum vel mutile vel inepte, vel inconuenienter Gallos æmulentur, siue id accidat sartorum ruditate, siue ambitioso Gallorum inuenta corrigendi studio & æmulatione puerili.

Credent mihi hoc, qui cognouerint Anglorum ingenium elatum & arrogans, vt ne in hoc vicio vel ipsis Hispanis cedere debeant, cum se omnibus præstare in Orbe putent hominibus. Videbunt etiam, si excipiant eos qui melius nati eductique sunt, cæteros naturali quadam feritate ferocire, & eorum viuendi rationem iis, qui rectius sentiunt sapiuntque, intolerabilem esse.

Furti nomine præ omnibus gentibus accusatur hæc natio, quo quidem in crimine tam acuti sunt & vafri, vt etiam, qui diligentissime res suas se custodire opinetur, si in loco sit vbi Angli versantur, cauere tamen à damno non possit, neque eorum hominum exquisitam effugere vafritiem. Fac quicquid velis, conabuntur te circumscribere, & te minime sen-

tient

ientre aliquid quod ex eorum vsu sit, auferent. Hoc tam immane desiderium argenti, quod vel cum præsentissimo vitæ periculo appetunt, pessima quandoque iis suadet facinora, vt ne à cæde sociorum abstineant, si lucelli aliqua spes affulgeat, vt norunt illi, qui Anglorum cohortes in suis habent exercitibus. Quin in ipsa eorum patria ante paucos annos omnia plena fuere latronibus, qui adorti vel peregrinos vel iues sine idoneo comitatu iter facientes, aut ecunia spoliauerunt aut vita, aut vtraque. Huic incommodo obuiam itum est lege quaam, quæ in huiusmodi casibus agrestes ad rma & persecutionem latronum conuocat, uod & in Hispania fieri nouimus.

Ab his hominum carcinomatis oppida mimè sunt immunia, vt qui in iis peregrinantur, magna sedulitate ad conseruandas res suas pus habeant, si quid enim paulo longius exaciari sinant, de reditu desperandum illio est: Si quis de nocte incomitatus per vios ingredi ausit, alterutrum metuat oportet el rerum quas secum fert, vel vitæ etiam iuram.

Nec in terra subsistunt huius gentis latronia: Neptuni regnum etiam infame reddunt ercendo Piraticam vbicunque possunt, vt a mercatorum querela sit de nauibus Anorum, quæ omnia prædentur rapiantque, æ eorum conatibus obsistere non possunt. rietati insuper Angli plus satis dediti sunt, vsupra modum appetentes, vt vlterius bibant am ferre possint.

Quod si ab ebrietate se lædi sentiant, vtuntur no Tabaci herbæ Indicæ, cuius beneficio quo modo discutiunt noxios vini vapores, aulo post restituti, ingurgitare se mero vltes possint. Nec in virili sexu hæc insania det ad fœminas etiam extenditur, quanquam modestiores esse debeant. Sed quid attis, Anglicanas insectari matronas siue fæas, cum hoc potius sit, vt aliæ sibi caueant, n

Ex vicio alterius sapiens emendet suum.

Nunc nostri muneris esse arbitramur, de bus diuitiisque huius regni consequenter uid dicere. Etsi enim hæ sunt irritamenalorum, instrumenta luxuriæ, & corrua nobilitatis: fatendum tamen est, eseruum Reipublicæ, quo si destituatur, motu, viribus ac vigore deprehende-

OPES ET DIVITIÆ ANGLIÆ.

iximus superius, Angliam, Scotiam Iberque vnius regis agnoscere Imperium. Etsi n Scotia Iacobo VI. demum rege cum cæcoaluit, de diuitiis tamen plerique, quillud regnum exquisite notum est, ita sene conferendas illas quidem esse cum prouentibus annuis multarum prouinciarum siue principatuum, qui regio titulo nequaquam gloriantur. Quod cum ita sit, de sola Anglia nobis dicendum arbitramur.

Igitur priuatorum diuitiæ maxima ex parte debentur lanæ, ex qua fiunt panni præstantissimi, quos Germani, Dani, Sueci, Poloni, plurimi æstimatos magno emunt precio. Nec desunt, qui modum auri, qui quotannis ex hoc lanicio ad vendatores redit, ad quindecim tonnas, vt loquuntur, adscendere affirmant. 13.

Secundum genus lucri suppeditat stannum, quod in Cornutiæ partibus effoditur purgatumque candore suo prope ad argenti splendorem accedit. Quibus hæc res nota est, aiunt hinc colligi ab exteris vltra quinque millia coronatorum quotannis. Nec parum auri adipiscuntur Angli ex piscatione halecum, quorum ingens vis apud Eboracum ciuitatem capitur, indeque in plurimas Europæ partes mittitur.

Sed & ex cereuisia diuendita rē faciunt, quæ in inferiore Germania auide bibitur, vt iam nihil dicam de corio & carbonibus, quorum non est ociosa aut inutilis venditio.

Præcipua ac prima regni Vrbs est Londinum, regia & domicilium regum, tantæ vastitatis, vt cum suburbiis suis & Westmonasterio capere existimetur CCCL millia hominum. Situ est optimo atque commodissimo supra Tamesin fluuium, quo naues grandiores onerariæ appellere possunt, etiam vsque ad onus quadringentorum vasorum, adiuuante eorum accessum & discessum æstu & reciprocatione maris, quamuis vltra sexaginta millia Vrbs ab Oceano distet. 14.

De diuitiis priuatorum hinc fieri potest coniectura, quod duo mercatorum sodalitia, quibus peculiari priuilegio permissa est negotiatio in Flandriam, & inde in Angliam, vt & negociatores quidam lanarij, ad eas conscenderint opes, vt inter eos sint, qui L. vel LX. mille libras Sterlingorum possideant, quæ summa, si ad nostrum numisma reducatur, constituet circiter CC millia coronatorum aureorum. Vt iam nihil dicamus de aliis mercatoribus, qui stanno, aromatibus aliisque mercimoniis negotiantur, vnde Magnarij dicuntur. Etsi autem fidem forte superat, verum tamen est, quosdam qui salitos pisces diuendunt, nonnunquam ad idem diuitiarum fastigium, vel etiam amplius adscendere. De totius regni Angliæ negotiatione magnifice admodum sentit Guicciardinus, qui ait, ante ruinam & deuastationem prouinciarum Flandricarum superasse quotannis duodecim auri milliones. Et hæc quidem de populi ac priuatorum diuitiis dicta sunto. 15.

Nunc deinceps de prouentibus Fisci & ærario regio dicendum erit: hi enim in primis necessarij sunt ad conseruandum in flore regnum, cum constet, vel nimiam tenacitatem & sordes, vel profusam liberalitatem Principum in re tenui non semel pessundedisse respu- 16.

blicas. Antequam reges Anglorum absolutum adepti sunt & merum imperium, definitis fruebantur redditibus, quantum scilicet ordinibus regni illis largiri aut tribuere visum fuisset. Postquam autem Proceres de suo decesserunt iure & auctoritate, eorumque conuentus instituantur, non vt præscribant regi, sed illius voluntati saltim in speciem subscribant, omnis potestas est penes Sanctius Regis consilium, à quo dependet, quicquid in ærarij negocio constituendum est.

Antequam Henricus VIII. rex ab Ecclesia Romana secessionem fecit, certum est, in ærarium regium quotannis illata fuisse circiter quingenta coronatorum millia, saltim ex tutela pupillorum, vsque ad vigesimum secundum eorum ætatis annum. Omnes enim orphani, quorum hæreditaria bona vel ex minima parte obnoxia erant coronæ Anglicanæ, cogebantur tantisper sub tutela regis esse, donec emanciparentur, rege interim illis certos prouentus annuos, quanquam satis parcè assignante, quibus alerentur. Expleto anno XXII. admittebantur ad hæreditatem paternam pupilli, sed ita, vt pro emancipatione certum argenti modum numerarent regi. Sub hunc censum etiam veniunt causæ matrimoniales, non pupillis solum, sed & maiorennibus nubentibus, si regem in aliqua bonorum suorum parte dominum agnoscant: Estque hic mos non in Anglia solum sed & Scotia receptus, vt qui aliquo beneficio regi sit deuinctus, matrimonium contrahere non possit, nisi consentiente rege, & pactioni dotis subscribente. Vtuntur tamen reges veteri quadam consuetudine clementia potius in nubentes, quam stricti iuris rigore. Redibant ex his acquirēdi modis ad regem antiquitus quotannis decies aut duodecies mille libræ Sterlingorum: at nostro æuo, postquam maxima pars possessionum Ecclesiasticarum cum bonis Laicorum coaluerunt, adeo eorum excreuerunt diuitiæ, vt redditus illi ad regem spectantes singulis annis vltra triginta millia librarum Sterlingorum adscendant. Porro quantum diuitiarum hic rex ex possessionibus beneficiariis, feudatariis, fiduciariis eorumque caducitate percipiat, difficile est dicere, cum pro ratione successorum in his bonis, eorumque vel multitudine vel paucitate varient: istud quidem extra controuersiam est, redditus illos, inter quos sunt qui vocantur Militares, ad incredibilem quotannis pecuniarum vim adscendere. Coaluerunt tamen cum extraordinariis his redditibus, siue vt vocantur, iure veteri regum, etiam prouentus Ducis Lancastriæ, qui soli XXX. millia librarum Sterlingorum conficiunt.

Accedunt his omnibus vectigalia, quæ dicūtur Vsitata, quæ soli ij pendunt, qui regnū ingrediūtur & egrediuntur, quod vectigal omnes indifferenter soluere coguntur, tam peregrini quā ciues regni. quanquam illi in quibusdam rebus quadruplum soluere cogantur, præ ciuibus, in quibusdam autem pro exactorum ac publicanorum libidine.

Non est dubium, quin Anglorum rex ex his tam luculentis redditibus amplissimas esset percepturus opes, si vel solas merces quæ in Angliam inferuntur & exportantur contempleris, vnde opulentissima persoluuntur vectigalia, nisi publicanorum fides vel (vt mitissime loquamur) dexteritas desideraretur. Quod si iuris priuati essent hæc vectigalia, vel ad aliquem principem pertinerent, fructuosiora fore nemo dubitat. Nunc verò, cum ad Fiscum spectent, diripiuntur atque intervertuntur variis modis, vt de C C. millibus librarum Sterl. quæ singulis annis colliguntur: vix quarta pars ad regem redire existimetur: residuum in expensa refertur, vel inter publicanorum quæstorumque aduncas manus hæret atque euanescit.

Et hi sunt præcipui illi ac antiqui Coronæ 17
Anglicanæ prouentus, quibus ne nostro quidem æuo quicquam derogatum est. Quibus addendum est ingens lucrum quod ex metallis ad regem redit, cum sint in Anglia fodinæ ferri, plumbi, & inprimis stanni, cum vix vlla pars Insulæ huius metalli sit expers, inprimis per Cornubiam, vbi & præstantissimum effoditur & maxima in quantitate.

Fuerunt & olim & etiamnum in Angliæ regno Episcopatuum & Abbatiarum nonnullarum redditus annui vacantes, nec sane exiguo numero, vnde plurimum emolumenti ad regem redit, cum ad eum pertineat nominatio Abbatum & Episcoporum, quibus cum superi fructibus ac redditibus beneficij est cum rege transactio. Adde his, quod reis perduellionis bona adimuntur & fisco addicuntur, vt & multæ pecuniariæ, quæ à pluribus tribunalibus exactæ ærario regio inferuntur, inprimis eæ, quæ *Straquerrabæ* ab Anglis dicuntur. In vniuersum omnes hi prouentus, tam vsitati quam extraordinarij, adscendebant (vt fama est) ante separationem ab Ecclesia Romana, ad centies quinquagies mille libras Sterlingorum, quæ constituunt sexcenta millia scutatorum. His si addantur bona Ecclesiasticis ademta, & Equitibus militiæ Rhodiæ, quæ Rex Henricus VIII, sibi vsurpauit, duplum facile inde emerget, quanquam non nimio rigore exactiones fiant. Ab eo Henrici regis tempore ad nostram vsque ætatē percipiunt reges Angli decimas bonorum Ecclesiasticorum, vt & Annatas, olim Pontificibus numerari solitas: cui rei peculiaris Curia constituta est, quæ Augmentationis dicitur, vt & alia Primitiarum, alia decimarum, qui prouentus omnes simul sumti superare creduntur octies centena millia coronatorum.

Subsidia & collationes extraordinariæ in 18
Anglia sunt duūm generum: quandoque enim in commune ex vniuerso regno exiguntur, quo fine conuentus indicitur Ordinum regni (qui alio

alio nomine Parlamentum appellantur) vbi decernitur, quid facto opus sit. Aliquando rex ipse à priuatis vel singulis personis subsidium petit, quod Beneuolentiæ nomine appellatur: ibi quisque pro se operam dat, ne parum obsequiosus aut deuotus in principem suum videatur.

Omnibus his acquirendi modis nouus aliquis nostra tempestate accessit, quod omnes, qui prædæ ab inimicis parandæ nomine nauigijs suis in Oceanum excurrunt, Piraticam facturi, eosque populos, quibus nulla sunt cum Anglis fœdera, infestaturi, ab rege certam pacti pecuniæ summam licentiam impetrant: quod quidem olim apud Reges Tunetanos vsitatum fuit, & etiamnum prorex Argerianus Africæ in more positum habet, qui Piratis receptum dat in oppida portusque suos, hac conditione, vt ipse in partem prædæ & mancipiorum veniat.

Iam deinceps cogitet mihi aliquis velim, nisi regnum intestinis turbetur discordiis bellisque ciuilibus, quantum pecuniarum rex Anglus quotannis cogere possit? Cum enim regnum suo sua mole stet, nec opus habeat perpetuos vere equitum peditumque exercitus, nec in apparatus belli necesse sit sumtus facere, cum hostem extraneum haud metuat: quis dubitabit, quin tam immanes prouentus conuerti possint non solum ad conseruationem status & dignitatis regiæ, sed & ad satisfaciendum omnibus magis desideriis? Auferenim stipendia, quæ soluntur trecentis peditibus stipatoribus corporis regij, & quinquaginta nobilium turmæ, quibus singulis XXV sterlingorum libræ annuæ persoluuntur: nec non quinquaginta pensionarij, in singulos libras quinquagenas annuas: itemque quantum in reparationem portuum, arminorum, nauium, rei tormentariæ, armamentariorum, instaurationem palatiorum regiorum per regnum, alimoniam iudicum ac ministrorum regiorum, aliosque necessarios in republica vsus insumuntur, quod sane vltra meam intelligentiam non adscendit: omne quod superat in Aulæ magnificentiam & apparatum plusquam regium, in fastum, luxum, superfluitatem conuerti potest.

Non iam loquor de necessarijs officijs Camerarij, Mensæ, Hippocomię, Armamentarij, Sacri priuati, rei vestiariæ, aliisque: sed de ingenti quodam numero, quos rex alit, sub diuersis officiorum ac dignitatum nominib. Fuit enim olim ante Elisabetha numerus initus, quantum singulis quotanis in aulæ victus necessarios intuitum sit, estque deprehensum, ad sexaginta millia libras Sterlingorum sumtus eos ascendere, quæ nostrâ monetâ fere constituunt CCL. millia coronatorum. Aiunt autem rationarij Aulæ, hanc summam vix quartam partem constituere sumtuum, qui regnantibus Henrico & Eduardo regibus impensi sunt, quam superfluitatem Elisabetha amputauit, dimissis multis aulicis, quorum careri poterat opera.

Ad hunc igitur modum habent se prouentus regij Coronæ Anglicanæ, sic colliguntur, sic expenduntur, vt nihil restet ad necessarios vsus extraordinarios, cuius generis sunt bellum, dissolutio debitorum, & alij casus fortuiti, præter subsidia extraordinaria: quæ quidem multo futura essent ampliora & fructuosiora, si ad modum aliarum prouinciarum fierent stata atque ordinaria. Sed huic rei nimia regni obsistit libertas, quæ adeo in ordinem cogi non potest.

Superioribus hoc duntaxat addam: solere re- 20.
gem Angliæ certum exigere tributi genus, tam per Iberniam quam Britanniam, ab omnibus, qui iuxta ritus Romanæ Ecclesiæ viuere volunt, quanquam ipsis non permittat publicum religionis suæ exercitum. Huius tributi partem ipse rex sibi reseruat, reliquum permittit quibusdam è comitiuis aulæ, quibus Catholicos quosdam assignat, à quibus omnibus diebus vitæ suæ id percipiant. Hi deinceps cum Catholicis de summa quadam pecuniæ paciscuntur.

Alia subsidia extraordinaria regno huic ignota sunt, præter illa duo genera, quæ colliguntur vel interuentu Parlamenti & Ordinum regni, vel liberalitate singulorum, cum necessitas reipublicæ vrget, quo casu tam peregrini quam ciues conferunt. Fit tamen hæc collatio certis pensionibus, nec simul omne numeratur, accedente æstimatione vniuscuiusque facultatum, impositoque censu pro magnitudine vel exiguitate necessitatum regiarum. Etsi autem æquissimæ sunt illæ exactiones, nunquam tamen infra millionem auri conficiunt.

De opibus diuitiisque regni Anglicani diximus, in quibus etsi præcipuus regni neruus consistit, non tamen in eo sita sunt omnia, quæ ad securitatem regni pertinent. Robore & potentia insuper opus est, de qua nunc deinceps ordine dicemus.

ROBVR MILITARE REGNI ANglicanæ. 21.

Duo requirit Aristoteles in oppido, vt id forte & munitum sit ratione situs: primum est, vt difficilem ad id & arctum hostes habeant accessum: alterum, vt iis qui in oppido sunt, egressus facilis sit & expeditus ad quasuis occasiones. Vtrumque hoc de situ huius Insulæ siue regni potentissimi optimo iure dici potest. Mare enim quod inter Angliam Iberniamque intercedit minime profundum est & littus occidentale hinc inde plenis periculi prætexitur scopulis, vt maioribus nauibus ab hac parte minime detur accedendi facultas. Rursum Oceanus Britannicus, Insulam à meridie pulsans, fluxus refluxusque habet tam vehementes, crescens

ad duodecimum quindecimumque passum in altitudinem, vt vel cordatis nautis formidinem incutere possit. Nauis igitur, quæ portum aliquem ingredi velit, necesse est, vt & fluxum maris & ventum habeat propitium: quanquam plus in æstu maris quam vento situm sit, accedente alio incommodo, quod littus ab omnibus partibus asperum, non nisi paucis in locis mitescat, quæ munitionibus manu factis custodiuntur. Exempla habemus in Warwico, Douera, Dorcestria, Plimmutho, Milforto, Bristolio aliisque locis pluribus. Facit hæc res, vt vniuersa Insula velut vnum propugnaculum vel vnum munimentum aut arx haberi possit.

Nunquam hæc Insula capta fuit bello aut externis armis: quin potius omnes, qui eam cum classe adorti sunt, re male gesta, & cum iactura hominum nauiumque retrocedere coacti sunt, quod vno exemplo in medium adducto, & à nostris petito temporibus ostendemus.

Annus agebatur à nato Christo post millesimum quingentesimumque octogesimus octauus, cum Hispanorum rex horrendam illam & formidabilem classem, cui Inuictæ nomen indiderat, misit ad occupandam Angliam, cuius incredibilis apparatus ex sequenti catalogo intelligi potest, qui Olisippone typis publicis descriptus, postea in Gallicum Germanicumque sermonem conuersus est. Constabat autem classis ista centum triginta nauibus. In numero vectorum erant viri illustres CXXIX, qui suis militabant sumtibus cum seruis probe instructis CCCCLVI. Præterea CCXVI. Magnates, Nobiles, Ductores Ordinum, Signiferi, Legati cum seruis CLXIII. Legiones erant in vniuersum XXX sub signis CXXVII. in quibus militabant viginti millia militum, in quo numero multi erant equites designati, Parmensi principe iusso arma & instrumenta equestria classi ex Flandria subuehere, quibus instruerent equos, quos quin in Anglia inuenturi essent, minime dubitabant. Habebat vnaquæque nauis, & vnaquæque Legio, (vel si Cohortes mauis dicere) peculiarem suum visitatorem, designatorem, Thesaurarium, Præfectum annonæ & Chirurgum. Iudices erant iuri dicundo, Auditor causarum Generalis, huius Legatus, Iudex Regius cum suo Proiudice, quatuor Senatores, totidem Secretarij, ostiarij sex, Commentariensis siue præfectus reorum vnus.

Præfectus Castrorum erat Alphonsus de Cepeda, cui adiuncti erant nobiles viginti, cum duobus Architectis militaribus. Rei Tormentariæ præfectus suos habebat legatos, cum LIX magistris tormentorum, & instrumentorum omnis generis, nec non curruum præfectis, seruisque ac helotis.

Curam ægrorum gerebant hi: Administrator cum collega suo, Medici Therapeutici V. Chirurgi V. tonsores totidem, obligatores vulnerum IV. cum magno Magistro, visitatore & seruis sexaginta duobus. Religiosorum maior prope, quam pro his copiis numerus. Monachi obseruantiæ (vt vocantur) ex Castiliæ regno VIII. ex Lusitania XX. Cordigeri Castulonenses XXIX. Lusitani XIX. Augustiniani Castulonenses IX. Lusitani IV. Carmelitæ Castulonenses, XII. Lusitani IX. Cordigeri tertij Ordinis Franciscanorum in Lusitania VIII. Iacobini XXII. Iesuitæ Castulonenses XV. Lusitani VIII. Deprehensum est in diribitorio circiter X millia hominum adfuisse, (vltra milites) qui procul abfuturi erant à prælio, si ad manus venissent.

Nouimus autem exercitum quantumuis magnum, nisi armis & commeatu necessario adprime instruatur, non posse nec damnum nec ludibrium euitare. Non fugit hoc regem Hispanorum, qui diu ante suis ita de rebus omnibus necessariis prospexerat, vt defectus alimoniæ ne metuendus quidem esset. Panis bis cocti siue Nautici aderant centupondia quindecis mille, dolia vini quatuordecies mille centum & septuaginta. Laridi centupondia sexies mille quingenta. Casei MMMCDXXXIII. Piscium torrefactorum omnis generis centupondia VIII mille. Orizæ tantum, vt in singulas naues tria centupondia distribuerentur, in tres menses suffectura. Fabarum & pisorum, sex millia trecenti & viginti modiûm: Metretas olei vndecies mille cum trecentis nonaginta octo. Mensuras aceti XXIII mille, DCCCLXX. Aquæ dulcis & potabilis doliûm XI millia & DCCC. Præter hæc vtensilium ac instrumentorum omnis generis tantam hæc classis vehebat copiam, vt dubium non sit, eum qui hæc omnia recensere voluerit, tædium lectionis allaturum omnibus, quod idem quoque sentiendum est de materia omnigena, inprimis vestiaria, coriacea, rudentibus, fertamentis aliisque.

Armorum amynteriorum vis ingens. bombardarum diuersi generis vltra XVII millia, bipennes acuminatæ ad mille. VI millia hastarum longiorum. Ligonum, sarculorum, dolabrarum tantum, quantum septingentis fossoribus sufficere posset.

Ad hunc modum ornata instructaque classis illa soluit Olisippone, auspiciis regis Hispani, ductu autem & imperio Ducis Medinæ Sidoniæ, cui XXII duo adiuncti erant viri magnæ auctoritatis & experientiæ. Habebat is in famulitio equestris Ordinis viros X. & nobiles adolescentes XIV. cum magno cæterorum seruorum numero.

Vix altum tenuerant naues, cum circa littus Gallæcorum Coronensem Portum perentibus tam sæua ingruit tempestas, vt ad terrã appelle re, ibi

re, ibique expectare cogerentur, donec Neptunus iracundiam suam despumasset, cum in ea procella & ventorum immanitate tres triremes Lusitanicas amisisset, aliis quibusdam nauibus adeo quassatis afflictisque, vt ad residuum iter inutiles essent. Sedata tempestate, cum iam futuræ tranquillitatis signa apparerent, proposito signo profectionis, quod fuit a. d. XXI. Iulij mensis, Imperator Classis tam feliciter vela fecit, vt intra quintum diem Cornubiæ promontorium se ei in conspectum daret: & eodem tempore Archithalassus Anglicanus cum Francisco Dracone, Legato suo profectus cum nauibus militariter instructis, è portu Plymuthensi, primis Hispanorum nauibus acriter inuectus, conserere cum iis manus cæpit: fuitque hic acer conflictus, vt prima Hispanorum acies cedere coacta Triremem prægrandem perdiderit, in qua magna pars stipendiorum pro Iberis militibus, & Commendarij Ducis Medinæ simul deprehensi sunt, quibus monebatur, quo pacto in deuicta Anglia se deberet gerere.

Post hanc pugnam Hispanica classis conuersis in littus Gallicanum proris, portum Icium petere instituit, vt ibi Parmensis Ducis naues sibi adiungeret. At rursum Classis Anglicana, quæ hanc duorum exercituum coniunctionem impedire omnibus viribus nitebatur, agenti eam secuta celeritate, præliari coëgit, quamquam apud Hispanos iam omnia plena essent confusione. Nauis enim Prætoria stipata nonnullis triremibus, fluxu maris abrepta, atque puluino arenæ destituta, cum omnibus quæ in ea vehebantur, præfecti Caletensis optiua cessit arbitrio. Cæterarum nauium misera fuit conditio, cum violentia Tormentorum Anglicorum ab omni parte appetitæ, ceratis carinis mergerentur, vt hoc quamuis confuso & tumultuario prælio nauali, circiter duodecim millia Hispanorum desiderata fuisse dicantur.

Quæ superat Classis, cum conuersa in aquilonem circa Norwegiam erraret, petitum inde Scotiam Iberniamque: mare illud septentrionale, visitato circa id anni tempus furore, tam horrendum in modum in Hispanos desæuiit, vt XVII maiores naues profundo haurirentur Oceano, compluribus aliis debilitatis, perfractis, vel in sabulo ad fluxum arbitrium destitutis: vt ex Inuicibili classe, quæ centum triginta nauibus constabat, non nisi triginta in Hispaniam redierint, amissis centum. Tanti constitit Hispanis tentasse bello Angliam, vt documento essent cæteris, nequaquam facilem captu esse Insulam.

Iam de viribus Anglorum marinis etiam quid dicendum erit, deinde etiam de militia terrestri. Solebant hi antiquitus præter naues alias, circiter centum militariter instructas habere, quarum tamen nostra tempestate imminuto numero, vltra LXX superesse putantur.

Habet hoc regnum tot portus marinos, in quibus tantus negotiatorum assidue versatur numerus, ex omnibus Europæ partibus huc confluentium, vt Angli compertum sibi dicant, naues mercatorias fere adscendere ad numerum duûm millium. Quod quale sit, iam non disputabimus; illud est extra controuersiam, posse Anglos parua difficultate cum quadringentis & amplius nauibus instructis in apertum prodire Oceanum, si vsus exigat. Exempla cape. Eduardus III, cum ad occupandum portũ Icium siue Caletum proficisceretur, mille naues in expedito habuit: nec pauciores Henricus VIII. cum ad obsidendam Bononiam Morinorum iret.

Erit igitur res non dubij periculi plena, inuadere Insulam quæ portus habet & accessu & ingressu perdifficiles, fortalitiis insuper, propugnaculisque apprime munitos.

Iunge his, si placet, exquisitam rerum marinarum notitiam, virtutem bellicam & promtitudinem, cum nulla gens nauali genere pugnæ ante Anglos existimetur, siue audaciam spectes siue celeritatem, aut obediendi scientiam. Nauibus vtuntur non tam altis quam longis & spaciosis, leuibus tamen & expeditis, tormentis militaribus, quorum ingens apud illos copia, optimè instructis: his percurrunt latum illum Oceanum, parum pensi habentes, siue id æstate fiat siue hyeme. Negociatio eorum porrigitur vsque ad Roxolanos & Moschos, inde in orientem Cathayam vsque. Rursum in mari mediterraneo Aegyptum petunt, Alexandriam, constantinopolim, & opposita littora Africana, non qua mare solum internum ea spectant, sed & Oceanum, in partibus Guineæ & Angolæ. Nota loquor & vulgaria: ad Indos vtrosque excurrunt, vel Noui Orbis adeuntes littora, vel Indi Gangisque ostia, vicinasque Insulas. Notum est, quo pacto anno A N C. MDLXXXVI. Hispaniolam Insulam cum quibusdam oppidis Nouæ Continentis adorti fuerint. Et ante initum regis Angli cum Hispano fœdus, continuis vexabant excursionibus Insulas Azores, Promontorij Viridis, & Brasiliam.

Duo ex iis, Franciscus Draco & Thomas Candisch ausi sunt incredibili conatu, sed felicissimo itinere totum terrarum orbem circumnauigare. Vnde dubium non est, quin hi tanti viri ob tam excellentes animi ardores & contemtum periculorum omni laude digni forent, si eam rerum marinarum peritiam ad meliores vsus conuerterent: nec adeo dediti essent piraticæ, parati omnes inuadere naues, & mercatores quos adorti fuerint,

rint, cum reipublicæ Christianæ iactura ad mendicitatem redigere. Quæ res cum nonnullis feliciter cesserit, opibus eorum in immensum auctis, exemplo & spe pari moti cæteri, eadem sibi pollicentur lucra, vt venditis fundis ac possessionibus, armentisque insuper, omnes fortunas concredant Neptuni arbitrio, implentes Oceanum latrociniis, cædibus & rapinis. Quanquam Angli se communi lege tueantur, dicentes, non amicos socioſque, sed Hispanos eorumque clientes se aggredi, quos omnes, si possint, perditos velint, nam

——*Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

23. Præter has in re nautica vires, magnum est etiam huius Insulæ robur in militia terrestri, cum semper ingens militum numerus in hoc regno fuerit, quibus non exigua in re militari fama. Valet igitur militum & numero & bonitate. Numerus hinc patet, quod totum regnum diuisum est in Comitatus quinquaginta & vnum, in quibus sunt aliqui, (qualis est Lancastrensis) è quibus dena millia peditum conscribi possint. Sed omissis his, dubitandum non est, quin regnum hoc paruo labore exercitum emittere possit, constantem centum millibus peditum, viginti equitum.

Habet vnusquisque Comitatus, suum Vice-Comitem, qui regis nomine ei præest: huic incumbit munus cogendi militis, si necessitas exigat, qua in re hunc obseruat modum. Conuocatis ad se omnibus, quotquot suum agnoscunt imperium, à decimosexto ætatis anno vsque ad sexagesimum, seligit eos, qui aptiores validioresque ad bellum videntur. Pedestrem conscripturi exercitum, magis proceros legunt & membrosos. Diuidebatur olim omnis eorum peditatus in genera quatuor, pro diuersitate armorum. Primi vrebantur arcu & sagittis, quarum veteres Angli grandem habuere peritiam, & hoc genere pugnæ multas reportauere victorias. Secundi ferebant hastam, ad formam securis Amazonicæ armatam, quam nos Halebardam vocamus, quanquam ferrum eius esset paulo amplius, in mucronem definens cum affixo vnco, qua hasta non solum equos confodiebant, sed & sessores ab equis detrahebant. Erantque antiquitus in hoc armorum genere exercitatissimi Angli. His nostri seculi solertia duo noua adiunxit, docente experientia: prius consistit in bombardis, vt vocant, quibus, quod præ cæteris feliciter vtantur, nemo hactenus ausus est dicere: posterius est hasta longa, cui aptissimi sunt omnium mortalium, & ad hoc genus veluti nati: statura proceri, corpore robusti agilesque.

Conscripturi equitum turmas, legunt mediocri statura viros, aptos membris & equorum amantes. Equi eorum non sunt patientes diuturni cursus, neque durabiles ad belli impetum, si cum Germanorum Belgarumque equis conferantur. Præterquam enim quod ipsa terræ pinguedo & bonitas non fert equos laborum patientes, (cum equiria & Hippocomiæ solum exigant, quod non nimis pingue sit, nec iusto siccius) Angli parum circa eos curiosi sunt, vt vsu & assuetudine meliores faciant. Equitum Anglorum duo sunt genera, quidam enim toto corpore armati sunt, quorum maxima pars est ex nobilitate: alij leuiter armati, Italorum fere in equitando rationem sequuntur, vel Albanorum, cum lanceas ferant, longiores tamen & teneriores. Etsi autem, si opus sit, equitum grauis armaturæ ad duo millia in procinctu habere possint, leuis autem multo maiorem numerum, nunquam tamen auditum est, quod Angli equestri genere pugnæ singularia virtutis specimina ediderint: quod quidem de peditatu eorum vere dici potest. Non latuit hoc Eduardum quartum regem, cuius tam memorabiles fuerunt expeditiones: is enim, vt ostenderet, vtris plus fideret, dimisso equo ad pedites se contulit.

Vt autem certior coniectura fieri queat quantum bello possit Anglorum Rex, vtique is, qui nostra ætate non his solum, sed & Scotis Ibernisque imperitat, non erit absurdum, adscribere, quantis viribus copiisque Henricus VIII. rex expeditionem aduersus Bononiam Morinorum susceperit. His igitur, cum ex Britannia in Galliam traiicere trifariam partitus est exercitum. In prima acie habebat duodecim peditum millia, & quingentos equites leuis armaturæ, præterquehos alios equites mille, loricis ex hamis fereis consertis armatos, quibus superinduerant Chlamydes cæruleas panno rubro fibriatas. Posteriorum aciem ductabat Norfolciæ dux, quæ constabat totidem peditibus equitibusque. Inter has copias erant mille Iberni, tecti interula longa linea, iniectoque desper pallio laneo, cætera nudi, sine pileo, promissis conspicui capillis. Arma his erant tri spicula singulis, & gladius prælongus. Sinistram armauerant chirotheca ferrea, quæ longitudine sua ad cubitum vsque pertingebat. Cu ad manus ventum esset, colligebant fluen camisias, easque alte succingebant, homines cursum expeditissimi.

Principalis totius aciei phalanx, in qua i rex tendebat, constabat viginti millibus p ditum, & duobus equitum. Sequeban phalangem centum tormenta maiora aen non connumeratis minoribus. Trahebantur deinde totidem curribus centum mu frumentariæ, quæ singulæ singulis agitab tur equis: quanquam iisdem curribus etiam f pi essent impositi, ad coquendos panes. C ruum omnis generis tantus aderat numer vt vniuersum exercitum iis cingeret velut fo & vallo, quibus trahendis, vt & maiorib. mi rib

ribusque tormentis bellicis cum instrumentis, ex Anglia traiecerant equorum XXV. millia. Quanta alimoniæ adfuerit copia, ex eo colligi potest, quod quindecim boum millia in castris Anglorum fuerint, præter minores pecudes, quarum numerum inire nemo poterat. Quantum ibi fuerit scalarum, pontium, globorum ferreorum, pulueris pyrij cæterorumque instrumentorum militarium, nec dicere facile est, nec vtilitatum vtile: cum nihil omnino omissum fuerit quod ad absolutissimam expeditionem requiri potest.

Numerus tamen nauium, quæ olim regiis tributis ad omnes euentus in procinctu habere solebant, admodum, vt diximus, imminutus est, vel negligentia quadam, vel impensarum tædio, diuenditis quibusdam, nonnullis vero vetustate solutis confractisque. Verum hunc defectum facile sarcit rex, adiunctis ad ordinarias naues aliis conductitiis, si opus sit, vbi & peregrinæ ac mercatoriæ naues in casibus subitis iam regi coguntur præstare operam. His nauibus simul iunctis, non solum poterit omnis vis Anglicano littore propelli, sed etiam excursiones fieri in hostiles prouincias, cum vera fama tantum earum numerum in diuersis Angliæ portubus habere stationes nunciet, vt rege sommodo iubente quadringentæ facile cogi possint. Quo de numero, etsi multum largiantur difficulter credentibus, hoc duntaxat effimus, vt vel mediocri nauium armatorumque numero regnum hoc aduersus quantamuis vim hostilem defendi facilime possit, nec à quoquam vel commeatus intercluſionem vel quicquam hostile metuere necesse habeat. Militum numerus quantus in repentinis casibus per hoc regnum cogi possit, si vis facienda sit, hinc patet: quod viginti quinque millia facile cogi possint, armatis singulis militibus galeis thoracibusque fulgentibus. De solis iis mihi sermo est, quos rex armare potest: quibus si quis adiungat principum Dynastarumque copias, euadet indubitabilis multitudo: sunt enim inter hos, qui centena mille viros in expeditionem mittere possint, vt narratur de Comitibus Ambiensi, Saberiensi, Westmerlandiano & inprimis Cumbrucano. Quanquam autem hi omnes fortem armis adeo versati non sunt, vt cum veteribus conferri queant, si tamen inter milites exercitatos distributis ordinibus adscribantur, non est dubium, quin & ipsi egregiè suo sint officio futuri officio, cum ipsa naturæ inclinatione ad rem ferantur.

Antequam hoc regnum cum Scotia in vnum coaleſceret, Oceani fluctibus ab omni parte septum, non habebat causam metuendi, ne ab vlla extera natione inuaderetur, exceptis Scotis, quibus eandem cum Anglis Insulam incolunt. Sed hos casus Angli sibi prospexerant, excitatis finibus propugnaculis, & impositio mille delectorum militum præsidio. Munimenta sunt quatuor: primum Warvvickij, in finibus orientalibus, super Medonem fluuium, vbi luculenta piscium inprimis Salmonum captura, quam prisco æuo Scotis ademptam Angli sibi vendicauerunt. Secundum est ad Carledum oppidum, in finibus occidentalibus. duo quæ supersunt minoris momenti, inter vtrumque illud sita sunt: vnum appellatur Orcheum, alterum Warcense. Est & ibi Dura oppidum, quod etsi paulo longius à finibus abest, magni tamen semper nominis apud Anglos fuit, quod populo sit apprime frequens, & quanquam præsidium militum ibi de more non sit, ciuium tamen multitudo & virtus multoties repulit Scotorum impressiones. Hæc de robore & viribus Angliæ in vtraque militia dicere habuimus. Porro dicendum erit de forma reipublicæ siue Regiminis per hanc Insulam: cum satis non sit, prouinciam esse diuitem, munitam, populosam, nisi etiam bene gubernetur, loquētibus innumeris exemplis, multa opulentissima regna, ob malam reipublicæ administrationem collapsa interisse.

Forma reipublicæ & gubernationis.

Est regnum siue Diadema Angliæ omnino hereditarium, succeduntque defunctis regibus, qui iis sanguine quam proximè iuncti sunt, adeo, vt deficientibus masculis etiam fœminæ ad sceptrum regium admittantur. Pro cuius consuetudinis fundamento Angli habere se autumant legem illam in libro Mosis Numerorum, vbi dicitur: Vt viro mortuo sine liberis masculis, fœmellæ succedant in hæreditate: quam illi legem ita interpretantur, vt semper tamen excludant spurios. Ab hac consuetudine semper longe abfuerunt Franci, habentes id honoris Legi Salicæ, quam olim tulit Pharamundus, primus in Gallia rex Francorum, circa annum A N.C. CDXXII. quæ fœmellas à successione regni penitus excludit.

Diuiditur autem Vniuersum Angliæ regnum in quatuor hominum genera siue ordines: in Nobiles, Ciues, Homines ligios siue Legales, & opifices. In Nobilium numero primo comprehenditur ipse Rex, deinde Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones quos per excellentiam Dominos appellare solent, postremo Nobiles proprie sic dicti, siue Equites & Armigeri, quos Angli composito ex Latino & Germanico vocabulo, *Gentelmannos* vocant, quasi Gentiles Viros. Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones, Principum dignitatem fere hæreditario adipiscuntur à patribus, qui dum viuerent, eadem gauisi sunt. Viuo enim Patre primogenitus Ducis appellabitur Comes: filius vero Comitis, vicecomes dicetur aut Baro: Domini autem communiter appellantur non solum Ducum aut Marchionum filij, sed & Comitum primogeniti. 25.

Baro autem nemo iure dici potest, nisi ex pro-

prouentibus annuis quotannis mille marcas auri percipiat. Eques nemo naſcitur, ſed fit, ne ipſe Walliæ quidem Princeps. Solent autem fere creari equites antequam pugna ineatur, vt ſublimitate tituli ad virtutem excitentur, vel poſt prælium & acquiſitam victoriam, ſi fortiter fecerunt, vt præmia virtutis percipiant: vel poſtremo in alta pace, vt in fide erga Principem & Rempublicam cæteris facem præferant. Differunt autem multum inter ſe iſti Equites.

Quidam enim ab ipſo Rege eiusque manibus dignitatem accipiunt, nonnulli ab aliis, ſed iubente Rege: poſttemo quidam ab ſummo duce exercitus, qui eos honore illo dignos iudicat. Creantur autem Equites inſidentes genibus, percutiente eo, qui nouo illos mactat titulo, eorum humeros ſiue dorſum leniter, nudato gladio, additis his vocibus: Eſto Eques in nomine DEI. Adiungitur autem nomen Ordinis Equeſtris, puta S. Georgii vel alius alicuius. Equites de Balneo dicuntur qui creantur in coronatione & conſecratione Regum, non ſine multis & operoſis ceremoniis. Equites ſigniferi fiunt in exercitu, vt illis licitum ſit arma inſigniaque ſua oſtentare in labaris vexillisque, non ſecus ac Barones.

Sed hic Ordo Equitum per Angliam prope exoleuit. Cuiuſcunque autem Ordinis Equeſtris honorem vir accipiat, vxor eius continuo ſalutatur Domina, haud aliter ac Baronis coniux. Vir tamen Baronis nomine non appellatur, ſed nomini proprio eius præponitur vocabulum Sir, quod Dominum innuit.

26. Ordo Equitum aureæ periſcelidis primum inſtitutus eſt ab Eduardo III. rege, eſtque hic per Angliam omnium honoratiſſimus, de quo alias dicendi locus erit. Cum autem hi Ordines Equeſtres tantum ſint ornamenta regni, nihil autem faciant ad gubernationem eius publicam: omiſſis his, ad alia deueniendum eſt.

Nobiles Scutarii ſiue Scutiferi (Eſcuyers) ſunt, quibus ius eſt arma maiorum ſuorum nobilitatis indicium facientia publice oſtentare. Videntur autem ita dicti, quod ſcuta ſiue clypeos viris illuſtribus præferre ſoleant, adepti id nomen, vt eo à plebe & vulgo hominum diſtinguantur.

Nobiles ſiue Gentiles viri vocantur omnes, qui vel tales nati ſunt vel facti. Neque ſane magna difficultate in Anglia aliquis Nobilis euadere poteſt, cum omnes qui ſtudia LL. ſectantur aut artes liberales profitentur (dummodo non opificio alicui aut labori manuario addicti ſint) eodem cum Nobili genere natis ſalutentur nomine.

Nobilitatis ordinem ſequuntur Ciues ſiue Burgeſii: hi in ſua quilibet vrbe publicis funguntur muneribus, à quibus denominantur, & in Parlamentariis Angliæ Comitiis locum habent, antiquis oppidis quatuor ad comitia mittentibus, cæteris vero duos.

Tertium genus eſt eorum, quos Leges Anglorum homines Ligios ſiue Legales vocant, id eſt Ingenuos, qui ex agris, quos optimo iure tenent, quadraginta (non minus) ſolidos quotannis percipiunt, ſiue ſex Sterlingorum libras hodiernæ monetæ. Fatentur hi aperte, ſe non eſſe genere nobiles, cum his ſummos, vbique honores deferant. Altiores tamē ſunt vno gradu opificibus cerdonibuſque, qui vltimo loco agmen ſequuntur.

Officia Regia per Angliam manent iis, qui ea gerunt, donec viuant, nec adimūtur iis, niſi nomine criminis læſę Maieſtatis. Etſi autem horum officiorum nomina nonnihil diuerſa ſunt à cæteris regnis, eadem tamen fruuntur authoritate & emolumento, quo alij alibi.

Primo loco & ante cæteros eſt, Magnus regni Cancellarius, deinde Quæſtor Regius ſiue Magnus Theſaurarius, Præſes, Cuſtos ſigilli regij Magnus Cubicularius, Conneſtablius, Admirallius, & Magnus Seneſchallus. Quanquam Conneſtablij & Mareſchalli officium extra belli tempus non eſt in vſu, præterquam in Coronationibus regum & eiuſmodi ſolemnitatibus. De cæteris ita ſciendum, Reges Angliæ Status atque Ordines ita ſibi ſubieciſſe atq; obnoxios reddidiſſe vt ipſi ſoli omnia poſſint: quod factum eſt vel aperta, vel iuſta in Principes animaduerſione vel defectu legitimorum hæredum, ſuccedendo rege ab inteſtato. Et quanquam non pauca oppida & dominia ſint ſub Principum poteſtate, omnibus datur tamen vltima prouocatio ad Conſilium regium, nec quidquam amplius concet Dynaſtis Toparchiſque iſtis in ſubditos ſuos, ſi hi perſoluerint annuum tributum, cui certa in capita quotannis conſtitutus eſt modus. Vectigalia enim, & portoria & eiuſmodi omnia pertinent ad regem.

In omnibus maioribus regni Oppidis constituit rex præfectos & gubernatores. Cum hæc olim ſupremos abſolutoſque habuerint dominos, hodie nulla alia illius rei ſupereſt memoria, quam quod rex, qui ſibi ſeruat oppidum minimumque alicui ex iis, cui peculiariter fauet, titulum illius loci largitur, adiunctis exiguisquibuſdam prouentibus, ademta autem omni iuriſdictione, quam nulla parte obtinent in loca, quorum vtuntur tam operoſo titulo. Retinetur tamen illius ſententia in quibuſdam rebus exiguis, cum quæſtio eſt de fundo aliquo, decimis, aut rebus ſimilibus: à plena autem loci gubernatione penitus abſtinere iubetur.

Tituli autem quibus rex ſuos honeſtat, Ducis, Marchionis, Comitis, Vicecomitis & Baronis ſalutat ſalutari iubet. Quantum ad illum Titulum, cum Anglica patria lingua Milordi dicuntur, propagatur ille à patre in filium primogenitum, & de manu in manum porrigitur, ſiquidem filius eſt membrum Parlamenti. Nemo enim filius eſt hoc nomine vtatur, in Parlamenti Curia

cipi potest, prohibentibus legibus, donec pater eius viuat, si vel Comes sit aut Baro.

Duce aliquo mortuo, non statim permissum est filio primogenito, Ducis sibi sumere appellationem & titulum, vt in aliis regnis vsitatum est, ed oportet vt expectet donec à rege Dux appelletur, quod quidē solennibus fit ritibus. Is enim qui patri succedere debet, sistit se coram rege, qui eius lateri accingit gladium, imponitque capiti ducalem pileum, adhibitis pluribus ceremoniis. Idem quoque fit in successione Comitum, vt ad eum inuestiantur modum: Viuis enim patribus Ducum Comitumque filios Mirordi titulo contentos esse oportet: Vicecomitum vero & Baronum filij solummodo propriis appellantur nominibus.

Si talis aliquis titulus vni alicubi familiæ sempel attributus est, & quidem à rege, ab ea postmodum auferri non potest, nisi enormi aliquo commisso crimine, cum is qui dignitatem tituli mittit, pro se & tota posteritate amittat, quam eadem rem vocant Priuationem sanguinis, pro quod dicere volunt Priuationem Nobilitatis, ius autem reuoluitur ad regem, nisi si delictum illud posteris remittatur. Accidit hoc alicando in Polo, Norfolciæ Duce, & Cortecio, quibus omnibus delicti facta gratia, & ius sanguinis (vt loquuntur) cum bonis & domis restitutum est. Hæc autem in integrum restitutio fieri non potest, nisi in conuentu ordinum, vt nec absque horum præsentia superior illa Capitis diminutio fieri potest.

Summa potestas ad eum modum est in manibus Ordinum per Angliam, vt regi seruiant tantar Nouaculæ, qua secare potest quicquid velit, Ministri autem eius, vt cogant populum ad conferendum quantum ille optauerit pecuniæ.

Est autem ex vsu regis, si singulis annis conuocentur regni Ordines, qui grauiter ac molesti futurus esset, si consuetudo illa interrumperetur: quanquam prudentiores & meliores reges, si votis agendum esset, optarēt, rarius ut conuentus procerum siue Parlamenta, vt in Galliæ regno fit, ne populus tam frequentibus premeretur exactionibus, cum quoties non operose conuenitur, de populi Corio luitur: cum plerique eorum, è quibus Parlamentum constat potissima ex parte beneficiorum ac seruitiorum nomine regi obnoxij sint, totiq; feruntur in desideria regis, vt concludant faciantque, quæ ei cordi esse nouerint. Ipsi quidem, postquam tam bonam Principi suo nouerunt operam, aliquid muneris doni loco accipiunt, populo & permissam regi pecuniam, & promissum ministris donatiuum cum gratulatione persoluente.

Constituunt autem Leges Angliæ duplices causas, Iuris & Facti. In Curiis considerandæ sunt personæ, loca, res, modus agendi, & tempora. Personæ sunt: Notarij publici, Aduocati, Consulti. Notarij concipiunt acta, decreta actus, rescripta & sententias, & eas litterarum monimentis consignant. Aduocati, quos in scientia iuris probe versatos esse conuenit, formant casus & materias pro Iureconsultis. Iureconsulti persequuntur litem & controuersiam ad litis contestationem constituunt, donec de ea iudicum sententia pronuncietur.

Loca siue Tribunalia, vbi causæ disceptantur, leges & sententiæ feruntur, varia sunt: Parlamenta, Curia Cancellata, Sedes Regiæ, Promptuaria litium, Camera Computorum, Curia pupillorum, Curia Cameræ stellatæ, Curia Requestarum, & Archiuum Ducatus Lancastrensis.

In his tribunalibus Dicasteriisque, quibus iudicandi est libera & absoluta potestas, abrogantur leges antiquæ, perscribuntur nouæ, mutantur iura & possessiones priuatorum, legitimi pronunciantur spurii, corriguntur pondera & mensuræ, feruntur leges de successione Regum, constituuntur vectigalia, recipiuntur in gratiam supplices, restituuntur diminuti capite; breuiter, statuitur de vita & morte reorum.

Officiarii Status hi sunt: Oratores, Scribæ & Arbitri. Oratoris est, scito & ad persuadendum apto sermonis genere causam Ordinibus exponere. Scribæ concipiunt sententias easque conseruant, siue publicandæ sint siue non, ne in vulgus intempestiue efferantur.

Arbitri sunt, qui ab Ordinibus & ciuitatum legatis viri boni & ad iudicandum apti existimantur.

Quoties autem Ordines conuocandi sunt, hic obseruatur ordo. Missis hinc inde litteris conuocat Rex Duces, Marchiones, Comites, Barones, cæterosque viros Illustres, siue ii sint ex ordine Ecclesiastico siue Politico, quibus ius est ferendi suffragii, vt intra diem conueniant quadragesimum. Scribit etiam Rex ad Vicecomites siue rectores prouinciarum, vt conuocatis prouinciæ Ordinibus duos nobili genere natos eligant, qui reliquis mandata regia exponant.

Vbi dies aduenit, in palatium altum & magnifico excultum apparatu conuenitur: & Rex quidem in throno tanta Maiestate digno ac editiore considet: paulo inferius Cancellarius sedet, aliquot tamen gradibus inferior, propius Regem quam quisquam alius.

Subsellia, quæ ad dextram cathedræ regiæ, occupant Archiepiscopi & Episcopi regni: quæ ad læuam, Duces, Comites, Barones. Iudices, Secretarii atque Scribæ intermedium locum occupant: in vniuersum tamen omnes insident sedibus ægrandibus, lana farctis, sic ferente antiqua consuetudine.

Interea, qui sunt Equestris Ordinis, & quos vocant Habitatores Parlamenti, qui ad numerum trecentorum aut quadringentorum accedunt, in alio quodam loco separatim à Palatio conuenire iubentur, & interrogati respondere, à qua prouincia vel oppido missi fuerint.

Ex omni hoc numero eligere iubentur virum cordatum & simul modestum, qui aptus

sit Oratoris munere fungi, & Ordinum postulata regi proponere, ad quæ responsurus sit Cancellarius. Ibi Orator ante omnia petit, vt Ordinibus antiqua priuilegia sarta recta sint, neu Rex iniquo ferat animo, si ipsi liberius dicant suas sententias, cum nonnullis aliis, quæ ex vsu videntur.

Respondet Cancellarius, quæ placuerint: fitque nonnunquam, vt duo dies primi his reciprocis insumantur orationibus. Est ibi quidam præter Cancellarium, qui legit suasiones & admonitiones Ordinum, quæ vel accipiuntur vel reiiciuntur, pro multitudine suffragiorum in hanc aut illam partem.

Si de noua aliqua lege disceptatio est, subscribit libello supplici vel admonitorio Lector, vt res cum pluribus communicetur. Quod si ita visum fuerit, exponitur populo commonefactio illa per aliquem eorum, qui lana plenis saccis insidere consueuerant. Hic vbi domum illam congregationis ingressus est, affatus Oratorem ita inquit: Censuerunt Patres Conscripti, vniuersusque regni Senatus, vt hoc deinceps valorem legis obtineat; re igitur, Orator præstantissime, orant obsecrantque, vt tu dicas, quid tibi videatur ex vsu esse Reipublicæ. Digressis his, occluditur ostium, & Orator proponit suis quæ iussus est, eorumque exquirit sententias.

Interea omnibus qui conuenerunt, graui constituta pœna interdictum est, ne mutuis se proscindant conuiciis, aut altercando alter alteri iniuriam faciat. Ordines, vbi meridiei signum datum est, conuentum soluunt. Quod si plebs sciuit ea quæ patres censuerunt, subscriptio talis est. *Placuit Populo.* Contra, si Patres Senatusconsulto approbent postulata plebis, subscribunt: *Placuit Patribus.*

Si vero inter vtrosque conuenire non possit, eliguntur ab vtraque parte nonnulli, qui velut Arbitri controuersiam decidant, propositis vtrimque sanis rationibus: fitque plerunque, vt postremo in eandem pedibus eant sententiam.

Adeo nihil stabile, firmum, perpetuum haberi potest, quod non ab vtraque parte ratum pronuncietur: quanquam ne hoc quidem sufficiat, sed necesse sit, vt Rex nouissimo Comitiorum die ipsus subscribat. Notandum autem est, Regem ipsum suo ore, lingua tamen Gallica approbare, his verbis: *Sic visum est Regi.* Ibi senatusconsulta & leges ratæ pronunciantur, typisque publicis confestim describuntur, omissis tamen nonnullis priuilegiis, quæ cum quosdam sigillatim concernant, in vulgus emittere nihil attinet. Quod si Regi postulata ac sententiæ non placuerint, aut leges perlatas ipse improbet, hæc duntaxat profert verba. *Nondum liquet Regi.*

Absoluit autem Rex propria sua auctoritate ab omnibus criminibus, non obstante vereri quodam priuilegio, quo res ea Principi Walliæ & quibusdam illustribus regni proceribus attributa est. Cum rege loqui, nisi insidentem genibus, fas non est, nullique impune est, si in vestibulo Conclauis regii deambulare ausit, etiamsi Rex præsto non sit. Quin ne capite quidem operto ibi versari licet, quamuis Rege absente, inprimis homini Anglo: peregrinum enim excusare poterit ignorantia tam ambitiosi moris.

Sunt iudiciorum in Anglia genera tria, nempe Ordinum, Duelli, & Conuentus Iuridici. Primum genus prope per omnia conuenit cum superioribus, de quibus iam ante dictum est. Duellum, quanquam non amplius sit in vsu, non tamen omnino prohibitum est, cum Angli ita censeant, negandum id non esse viro bono, si bonis honestisque id petat rationibus. Formulam harum prouocationum & Monomachiæ inuenies in Commentariis Britonis. Ab his iudiciis prouocatio ad alia non datur.

Tribunalia siue Sedes Regiæ antiquitus ita dictæ sunt, quod reges ipsi fuerint ibi soliti præsidere, quodque omnes controuersiæ & causæ quæ ipsam Coronam concernunt, rege ipso pe suos litigante hic expediantur. Iudicat autem i hac Curia primus Angliæ Iusticiarius, cum sui Assessoribus. Curia actionum ciuilium est, i qua controuertuntur & diiduntur causæ pri uatorum: Estque in hac Iudex vnus cum tribu Assessoribus, iudicatque litigantes ex iure An glico. Mittuntur autem decreta Magistratuum & sententia Iudicum in executionem per Vic comites.

Est & Camera Computorum, siue vt Ang vocant, Scaccarium, à tabula quadrangula quam assidebant quæstores, in ea omnes aud untur causæ quæ ad Fiscum pertinent.

Suppliciorum per Angliam non magna diuersitas, omnes enim, cuiuscunq; criminis (excepto solo læsæ Maiestatis) suspenduntur, queoque vitam finiunt. Cæteri omnes, homic dæ, sicarii, fures, latrones patibulo puniuntu estq; res inusitata, subiicere hominem torme tis & Eculeo distendere, vel amputare caput, corpus in partes secare, vel fracta membra ro imponere: hæc inquam apud eos vix audiuntu Non est in Iudicis arbitrio, mitigare vel exacc bare supplicium, sed oportet, vt super alterut ad Principem vel consilium referatur, quoru iussu grassatorum latronumque suspensa corp ra in cruce relinquuntur, donec putrefac sponte diffluant, quanquam cæteri suspensi t ra obruantur. Mulier, quæ maritum interfec conuicta est, viua exuritur. Serui qui domin occiderunt, impositi gerris vimineis ad locu supplicii trahuntur. Qui alium veneno è me tollere conatus est, supplicio capitis non affi tur, quod Princeps non priuatus fuerit vn subditis suis. Commisso homicidio, omnes cædi interfuerunt, pro homicidis habentur.

Proditores Regis aut Patriæ ad hunc mod puniuntur. Primo suspenduntur, deinde etia num spirantibus aperto ventre eripiuntur in stina; post amputatur illis caput securi: postre trun

truncus in quatuor partes secatur, quæ quadrifariam in diuersis locis suspenduntur.

Fruuntur Duces, Marchiones, & Barones regni, quibus in consessu Parlamenti locus est, hoc qualicunque priuilegio, vt rei Criminis Læsæ Maiestatis iudicentur per eos, qui sunt eiusdem ordinis & dignitatis.

Sunt præter superiores in Angliæ regno certi quidam iudices, quos Assisarum vocant, qui singulis annis eliguntur ab ipso Rege, quos oportet esse viros perspectæ probitatis: qui vbi legitimum præstiterunt iuramentum mittuntur, alii in alias prouincias. Officium eorum est audire querelas populi aduersus iudices ordinarios, iustitiæque ministros, quin & licet illis audire querimonias oppidorum prouinciarumque, si quid habeant aduersus Vicecomitem aut Gubernatorem. Horum iudicum tam ampla est auctoritas, vt reos vel ad mortem, vel ad aliud pœnæ genus condemnare possint, si ita iustum arbitrentur, nec quisquam est qui impediat, quo minus ad supplicium damnati è vestigio ducantur, cum ab horum suprema sententia non detur prouocatio: parumque refert, quicunque fuerit ille qui deliquit, siue iudex siue Rector prouinciæ. Dicuntur etiam Iudices Circuitus, quod ire soleant prouincias, quæ cuique assignatæ sunt, instructi litteris publicis à rege, quibus eorum adstruitur auctoritas, contra quos suis, quicunque illi sint.

Est & alius insuper Senatus siue Curia in Anglia, cui similem vix in vllo alio regno inueniri credo. Cum ius dicitur apud VVestmonasterium, pridie illius diei quam Assisiæ finiunt, conueniunt Cancellarius, Barones, omnesque ii qui sunt in parte Consilii regii sanctioris, ac non è iudicum numero duo primi Iustitiarii, considentque ab hora matutina sexta vsque ad vndecimam in certo quodam loco, cui nomen est Cameræ Stellatæ, vel ob ingentem numerum fenestrarum, quibus palatium illud ruinium est, siue quod lacunar auratis stellis vnque perpictum sit.

In hoc tribunali deciduntur & iudicantur iniuriarum & violentiæ, vt retundatur insolentia potentiorum, qua insultant multitudini. Coguntur autem accusati ipsi coram adesse atque respondere, & nisi de obiectis se purgare queant, iubentur in carcerem ire. Hic vbi aliquandiu sedit reus dimittitur intercessione amicorum, & facta sponsione, victurum inposterum, ita vt causas quiritandi nemini præbeat.

Quo facto damnatur ad persoluendam Fisco multam pecuniariam, vtque sumptus litis & iudicii refundat aduersario, eique de damno satisfaciat.

Confirmata fuit hæc Curia eo tempore, quo Cardinalis Volsæus, Archiepiscopus Eboracensis Angliæ fuit Cancellarius. Præsidum officium præstant Cancellarius, Præfectus primus iudex; assident omnes Consiliarii & Barones, ibi in suffragia colliguntur que sententiæ.

Pœna vsitata est carcer & multa pecuniaria. Curia VVardorum siue pupillaris, à pupillis, quorum causæ ibi tractantur nomen habet. Curia Comitatus Lancastriæ, siue Ducatus potius, decidit causas reales & personales, quæ quocunque tandem nomine bona & possessiones illius Ducatus contingunt. Curia Requestarum, pauperum & regiorum famulorum causas audit, redduntque iudices litigantibus gratis ius & sine salario. Appellatur etiam Curia Conscientiæ.

Est præter superiores omnes in Anglia Curia 32
Ecclesiastica, quæ & dicitur Curia Christianitatis. Præsident hic Archiepiscopi & Episcopi, habentque suam peculiarem iurisdictionem: cognoscunt enim de testamentis & testamentariis, de decimis, funeribus & exequiis, causis matrimonialibus, fornicatione & adulteriis: breuiter de omnibus quæ ad honeste agendam vitam, ornamentum Ecclesiæ & Religionem pertinent.

Et hic est Iustitiæ ordo per Angliæ regnum, vt illa in singulis Dicasteriis Tribunalibusque, vbi ius dicitur, administratur. Concluturi igitur hoc caput, vnum adhuc addemus, quod haud dubie rarum videbitur lecturis, accidit que circa eos qui ad mortem damnati sunt.

Cum Anglus aliquis capitis damnatur, interim 33
dum ad suspendium educitur, adsunt propinqui sanguinis atque necessarii eius. Ar reus impositus currui postremo ad patibulum ducitur, sequentibus amicis consanguineisque vel ut ad sepulturam. Ibi suspenditur damnatus, inserto collo catenæ ferreæ latæ ferme tres digitos. Cum autem catena ob latitudinem illam non tam celeriter elidere fauces & spiritum penitus excludere possit, accurrunt propinqui eius, arreptumque pendentem pedibus fortiter trahunt, iuuantque morientem, vt celerius pensum Naturæ absoluere possit. Non prohibent hoc qualecunque pietatis officium iudices causarum criminalium, quod compertum habeant, pependisse quosdam à summo mane vsque ad vesperam, nec tamen mori potuisse, quamuis horrendos sustinuerint cruciatus.

Et Gubernationem quidem Angliæ Politicam hactenus absoluimus: consequens est, vt etiam de religione & modo colendi numinis agamus.

De iis, quæ rem Ecclesiasticam & Religionem per Angliam concernunt.

Sunt qui scribant, Veteres Britannos Chri- 34
stianam Religionem ab Iosepho Arimatheensi accepisse primum, longeque post Eleutherium Pontificem Romanum misisse Fugacem & Damianum, qui prædicarent verbum Dei, & hos ipsos baptismatis vnda tinxisse Lucium Regem cum magna Britannorum multitudine, circa annum A N.C CLXXX. Cum autem Insula postea occupata fuisset ab Anglis, gente Saxonica, misit eo Gregorius Magnus Augustinum quendam & Melitum, cum multis aliis Mo-

nachis Benedictinis, qui velut postliminio reuocauerunt prædicationem Euangelii, conuerso ad fidem Etelberto Saxone, rege Cantii, quod accidit circa annum A N.C.DVI.

A hoc tempore vsq; ad annum Salutis M D XXXIV. Anglia secuta est (vt nonnullis placet) fidem Romanocatholicam, quin & Ina Anglorum rex potentissimus legem tulit, vt singulæ domus per totum suum regnũ quotannis Pontifici Romano soluerent nummum denarium vnum, qui è re S. Petri denarius appellatus fuit. Colligebatur autem hocargentum singulis annis, eũtibus exactoribus de familia ad familiam, tributumq; illud Petrinum postulantibus. Fuit tempus, cum Angli tædio illius contributionis & spe adipiscendæ libertatis, excutere iugum illud Pontificium tentauerunt, sed nihil aliud effecerunt rebellione sua, quam quod auxilio Francorum Saxonumque in ordinem redacti & parere coacti, de cætero pro simplici denario triplum persoluere iussi sunt.

Porro Henricus VII. Angliæ rex, desponsauit Arto Primogenito filio suo Catharinam Ferdinandi Aragonii & Isabellæ Castellanæ filiam, qui duo tum late regnabant per Hispaniam. Sed negant quidam Matrimonium istud consummatum fuisse, filio regio paulo post nuptias mortuo. Post cuius obitum ad conseruandam pacem inter Hispaniæ & Angliæ regna, Henricus, alter Henrici VII. regis filius, de consensu Iulii II. P. M. duxit Catharinam illam vxorem, susceptique ex eâ tres liberos masculos, qui paulo postquam nati sunt, expirauerunt, & fœmellas duas, cum illi multis annis cõuixisset. Postremo cepit Henricum coniugis tædium, alienis forte in reritum amoribus. Cardinalius Volsæus, cum hoc animaduertisset, homo cætera arrogans & ambitiosus, cum sua sponte odisset Reginam; iniecit animo conscientiæque regis nescio quem scrupulum, quasi parum legitime in matrimonio haberet eam, quæ ante fratri eius nupsisset.

Cœpit deinde aperte suadere diuortium Regi, odio potissimum Caroli V. Imperatoris, cuius Catharina erat Amita, eo, quod diceret Volsæus, impeditum se à Carolo, quominus crearetur Pontifex.

Interim Rex efflictim deperibat Annam Boleniam, nec id quidem dissimulanter. Plurimi Theologi Orbis Christiani huic se immiscentes negocio, scriptis publicis perturbabant homines, aliis contra Henricum, aliis pro ipso militantibus, vt quemq; affectus aut spes præmii impellebat. Qui matrimonium iustum legitimumque pronunciabant, Henrici votis aduersantes, Leges Mosaicas allegabant, quibus frater defuncti sine liberis fratris vxorem ducere iubebatur, vt conseruaretur radix & familia in tribu. Hos illi, qui pro rege nitebantur, facete irridebant, sublatam illam legem in nouo fœdere & antiquatam, substituta noua asserentes, qua Christianis id facere non liceret.

Postremo Henricus non amplius dissimulandum ratus, abiecta persona misit Romam ad Pontificem Clementem VII. legatos, inquelis Stephanum Gardinerum & Franciscum Brie-num, vt cum Pontifice agerent de diuortio. Papa rem Cardinalium & Theologorum aliquo iudicio commisit, qui responderunt, matrimonium & bonum & legitimum esse, nec vlla ratione dissolui posse. Excepit contra hos Gardinerus, obtinuitq; à Pontifice, vt duo alii Cardinales iudices constituerentur, Campegius & E boracensis, vtq; causa in Anglia non alibi discuteretur. Ibi cum multis verbis & rationibus a vtraque parte certatum fuisset, Regina prouocauit ad Papam, dicens, vtrumq; iudicem deuitatum & obnoxium esse regi; alterum quidem o Archiepiscopatum Eboracensem & Episcopatum Vintonienſem; alterum vero ob comm da, quæ perciperet ab Ecclesia Saresburien Motus prouocatione Pontifex, rescripsit Card nalibus, ne in iudicio pergerent, misso Paulo C pizuccoRetensi, qui quæ gesta essent ad se refe ret. Rex videns ingentem rei difficultatem, inc gnarus est Volsæo, cumq; amplius ferre non p set fastum hominis, deiecit eum de dignitate questri, ademto etiam Episcopatu Vintonien sed & Palatium, quod is ædificauerat in Vr Londino magnificum, eripuit homini, que primum angustis circumscriptum finibus, è p go quodam exire vetuit, deinde intra Diæce Eboracensem sese continere iussit. Rursum d sperato successu, cum eum Londinum in carc rem duci imperasset, mortuus est Volsæus in v extinctus miserabiliter. Nihil tamen hac re m tus est rex, quin amaret Boleniam, vnde Thom Cramero Romam misso imperauit, vt causa suam defenderet.

Dum hæc fiunt moritur Guilielmus VVa mus, Archiepiscopus Cantuarienſis, qui semp defenderat regis cum Catharina matrimoniu Ibi Thomas Bolenius, Pater Annæ, & ipsa An promouebant suis suffragiis Cramerum, vt f ret Archiepiscopus Cantuarienſis: aiunt no nulli hanc dictam fuisse conditionem, vt mat monium Catharinæ nullum irritumque p nunciaret, etiam calcata Pontificis auctorita Primum quod Rex fecit memorabile, est qu diem dixit omnibus Ecclesiasticis, eosque g uiter accusauit, quod Angli cum essent, Leg extranei potestati se subiecissent, vnde sede pro tribunali, omnia eorum bona in pœn temeritatis suo addixit fisco. Homines Eccle stici, cum se à proceribus regni destitutos vi rent, neuterque Archiepiscopus interceder territi, ex litigantibus supplices facti sunt, c secrantes, vt multam pecuniariam acciper Ita Clerici persolutis CCCC. Millibus coron torum, cætera bona ægre sibi seruauerunt. H fuit initium tituli, quo postmodum Henri Rex vsus est, cum se *Caput Ecclesiæ Anglicanæ* de ceps scripsit & nominauit.

Ad extremum rex secreto matrimonio iunxit Annam Boleniam, cum sacerdoti, qu los copularet, nomine Rolando, persuasisset id facere consensu pontificis. Hoc facto Cat

tinæ locus quidam remotior nominatus est, vt se ibi cum tribus nobilibus puellis contineret, nec pedem iniussa inde moueret. E vestigio vidisses Regiam plenam adulatoribus, qui vt placerent nouellæ Reginæ, palam irridebant Papam, Episcopos, & omnem Clericorum Ordinem.

Altera ex parte ii, qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerant, arrepta hac occasione, conati sunt sua spargere dogmata, quo fine persuaserunt regi, vt à suis idem exigeret obedientiæ iuramentum, quod ante Pontifici iurare soliti uerant: quibus vt facilius persuaderent, adiunit formulæ iurisiurandi hæc verba, *Quantum id erbo Dei permittitur.* Hoc artificio in suas partes e: traxerunt Iohannem Fischerum, Episcopum Roffensem, virum magnæ doctrinæ & pietas.

Præstito iuramento Cramerus, qui non amius agnoscebat Papam, pronunciauit sententam diuortii inter regem & Catharinam, quod ctum est sub finem anni A N.C.MDXXXII. lemens Pontifex his auditis, vicissim pronunta sententia definitiua, illegitimas iniustasq; it secundas regis nuptias: sed id quidem nis sero fuit.

Ibi concitatior factus Henricus rex, omnia amenta mundumque muliebrem Catharæ eiusque filiæ Mariæ abstulit, vna cum titu & honoribus, coegitque proceres regni conptis verbis iurare, habituros se secundum trimonium pro legitimo, & Elisabetham Anfiliam (hæc enim iam nata erat) agnituros redem regni Anglicani, excluſa Maria velut gitima.

Paulo post in vincula duci iussit Ioannem Fierum, Episcopum Roceſtrenſem siue Roffen, & Thomam Morum, cũ nonnullis Mona. Franciſcanis, qui probare se facta regis posse abant: conuocatisq; regni Ordinibus, vetuit, quis deinceps in Anglia auctoritatem Pontiagnoſceret, constituta pœna, quæ criminis Maiestatis itrogari solet: se enim Anglicaſ Ecclesiæ caput in terris esse, æquum igitur, ibi non alii soluerentur Annatæ & decimæ eficiorum, seque inposterum iudicem fore, deciſurum controuersias Ecclesiasticas, & recturum abusus: addita inhibitione, ne quis osterum Papam alio nomine appellaret, m Episcopum Romanum.

ostremo Fisco suo addixit omnia vtriusque s Monasteria, distributis eorum prouentiinter nobiles regni, vt in totius huius nepparticipationem venirent. Deſierunt igiMonasteria in Anglia circa annum A N.C. XL. creditur que numerus templorum, quæ atione deserta fuere accedere ad millia X. icus VIII. rex mortuus anno Salutis MD I. successorem hæredemque regni habuit rdum filium, qui cum Diademate & reimul etiam titulum Capitis Ecclesiastici ngliam sibi sumpsit.

o hoc rege Romano-catholica Religio ingens passa detrimentum, ac propemodum oppressa est, annitente potissimum Eduardo Semero qui Caluini sequebatur dogma, cumq; esset auunculus regis, & plurimum posset, pro sacerdotibus Ministros Caluinianos templis induxit, inque cathedris constituit, iussis iunioribus præcipue eorum interesse concionibus. Ibi primum constitutum est, vt officia diuina celebrarentur lingua vulgari, vt etiamnum fit.

Interea Maria, Henrici VIII. ex Catharina Aragonia filia in priuato suo Lario sacris operabatur ex instituto Romano. Eduardus, cum paucis annis postquam Diadema sumpsisset, regnauisset, immaturo fato raptus est.

Ibi Maria, cum per Duces suos vicissetNorthumbriæ Ducem, Iohannamque Graiam Suffolciam, regni ex testamento Eduardi hæredem, securi percussisset, abiecto titulo Capitis Ecclesiæ per Angliam, remisit omnes causas Ecclesiasticas siue spirituales ad iudicium Pontificis. Ibi Cramerus Archiepiscopus Cantuariensis primus omnium ad mortem condemnatus, vinus exustus est, cumque eo multi alii primi nominis viri, electis paulo post in Exilium- V. que missis circiter triginta millibus eorum, qui diuersum à Romana religione sentiebant, inter quos & multi exteri erant. Leges & acta Eduardi contra Ecclesiam Catholicam antiquatæ ac irritæ pronunciatæ sunt, nupsitque Maria Philippo II. Hispanorum regi, in fauorem, vt aiebat, religionis: quæ dum tota est in iis instaurandis, quæ pater & frater labefactauerant, moritur sexto regni sui anno.

Successit huic Elisabetha, Henrici regis ex 38
Anna Bulenia filia, cumque discordiis ciuilibus locum dare nollet, consensit, vt ceremonus Catholicis coronaretur.

Sed paulo post detracta larua, silentium imposuit Catholicis doctoribus, aperuitque portus & portas Insulæ iis, qui paulo ante profligati fuerant. Hinc conuocatis Ordinibus caput se regni salutari voluit, tam in Politicis quam Ecclesiasticis, imposita multa omnibus, qui id facere recusarent, exceptis Baronibus regni, quod metueret, ne hi cum Ordine Ecclesiastico coniunctis viribus, bellum intestinum concitarent. Cæteri cogebantur in hæc verba iurare, constituta pœna, primo quidem, vt omnia eorum bona fisco addicerentur, ipsi in perpetuo detinerentur carcere: secundo, vt capitis subirent supplicium.

Hoc pacto ærario suo addixit Annatas decimasque, sacrumque Missæ penitus sustulit atque abolenit per vniuersum regnum, cum omnibus ceremoniis atque exercitiis Catholicis, proposita pœna, vt ii, qui eiusmodi sacris interesse conuicti fuissent, ducentos multæ nomine soluerent coronatos, aut per sex menses mancipa- V. rentur carceri: Si iterum deprehensi fuissent, quadringentos, aut per annum integrum essent in vinculis: si tertium, vt addictis Fisco omnibus eorum facultatibus, ad vsque finem vitæ in carcere detinerentur.

Altero post hoc edictum die, qui Iohanni Baptistæ sacer fuit, anno A.N.C.M.D.LIX. cessatum fuit à celebratione Missarum per vniuersum Angliæ regnum.

At Elisabetha regina, postquã intellexit Gregorium XIII. P.M. erexisse Romæ Collegia quędam atque Seminaria pro exulibus Anglis, qui metu persecutionis è patria profugi Romam venissent, vt ibi plenius eruditi instructique ad propugnandam Catholicam religionem apti euaderent; quæsito prætextu, quod in seminariis iis viuerent vitam Legibus Angliæ aduersantem, quodque ibi machinarentur profugi consilia in perniciem regni, gignerenturque factiones & rebelliones: his, inquam de causis seuerissimum proposuit edictum, quo reuocabantur omnes qui in illis Collegiis scholasticis Romæ commorabantur, vt in patrium solum reuerterentur, addita comminatione, si quis pater posthac filios suos Romam mitteret studendi gratia, sed nec ad exoticas scholas, sed vt intra decimum diem omnes Patres familiæ profiterentur apud quæstorem Ecclesiasticum, nomina eorum, & conditionem, qui deserta Anglia ad peregrinas se contulissent scholas, non salutato magistratu, vt absentibus illis significari posset, quæ cõstituta illis esset pœna, nisi intra quartum mensem, desertis extraneis collegiis, domum properarent. Quod vt obtineri posset, interdicebatur eorum parentibus & agnatis, ne quicquam illis submitterent pecuniæ, extensa hac inhibitione etiam ad Mercatores, si Cambio aut vorsura facta quicquam peregre viuentibus suppeditarent argenti. Et hæc quidem fuerunt initia regni Elisabethæ.

Sed vt ad negotium religionis reuertamur, viget floretque in Angliæ regno doctrina illa, quæ Caluinismi nomine & hæreseos vsurpatur, sed in aliqua differentia, neque sane exigua.

Priores enim appellare possis Caluinopapistas, quod in ceremoniis rebusque cultus externi multa habeant cum ritibus & ceremoniis Romanæ Ecclesiæ communia. Habent enim suos Archiepiscopos, Episcopos, Diaconos, Decanos, cæterosque prope omnes gradus & ordines Ecclesiasticos, qui suis perfruuntur bonis redditibusque quas ab antiquo antecessores eorum perceperunt. Quin & diuina officia celebrant, canuntq; in templis horis consuetis, vt antiquitus, vnde à quibusdam Caluinistæ molles & delicati appellantur. Certum tamen est, eos Pontificiis æquos propiciosque nequaquam esse.

Qui in Anglia Puritani appellantur, in hoc à superioribus differunt, quod nihil quicquam sibi cum Romano Catholicis commune esse volunt: ideo calcant abiiciuntque ipsa nomina cum officiis Ecclesiasticis apud Catholicos vsitatis, ne ceremoniis quidem horum vti volentes, quo nomine cæteros superstitionis accusant, etsi in religione non dissentiant. Tolerantur etiam Anabaptistæ in Anglia, quemadmodum multis locis in Germania, qui in quibusdam capitibus, inprimis autem odio in catholicos, cum superioribus conueniunt. Etsi enim alteri alteros non admodum amant, sed & editis etiam libellis vnaquæque pars secus sentientes erroris accusat, Romanæ tamen religioni pariter omnes infensi sunt, eamque magis ac magis extinctam cupiunt.

Quo pacto autem primo sub regno Mariæ Protestantes, & rursum Imperante Elisabetha Romano-catholici habiti tractatique fuerint, hic recensere non est operæ precium, cum acta publica nostrorum temporum, historiæ Martyrum & Commentarii ac Annales satis clare testentur, vtri in alteros impii crudelesque exiterint. Nobis sufficerit dicere, Iacobum VI. regem, qui Elisabethæ successit, concepisse per suos librum Constitutionum Ecclesiasticarum, vnde Lector facile colligere poterit, qua sit nostro æuo formula cultus & religionis per hoc regnum. Nos præcipua capita delibabimus.

Primum est: vt Angliæ rex agnoscatur caput Ecclesiæ Anglicanæ in omnibus suis prouinciis ita, vt qui de eo dubitet, excommunicetur, non secus ac ille, qui dixerit, Liturgiam in Ecclesiis Anglicanis vsitatam, & libro precum publicarum comprehensam, cum administratione Sacramentorum, à verbo Dei alienam, aut superstitione aliqua corruptam esse. Damnati etiam, si quis vnum ex XXXIX. Articulis in Synodo Londinensi anno A.N.C.MDLXII. habita, superstitionis aut erroris arguere ausus fuerit. Præterea qui ceremoniis Ecclesiæ Anglicanæ damnatis, Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, Archidiaconis eorumque ordinatione inclementer dixerit. Percutiuntur insuper Anathemate, si qui sentiant, dicantque, licere Ministro Ecclesiæ, aut alii cuicunque aliquid in ritibus Ecclesiasticis decernere non interueniente auctoritate regis, etiamsi id in congregatione Ordinum fiat.

Dies Dominicæ cæteraque festa in Institutione Anglicana comprehensa obseruantor omnibus, vt ibi audiantur Conciones & Lectiones Verbi Diuini, vtque fiant preces publicæ priuatæque, & peccatorum confessio.

Litania siue Liturgia publica legitor & cantor diebus omnibus vigiliisque in libro precum publicarum comprehensis. Eandem quotidiam recitanto Rectores, Vicarii, Ministri Curati in omnibus Templis, Collegiis, [illegible] lis, inprimis autem diebus Mercuriii & Veneris etiam profestis: Minister horis constitutis adesto, vt preces ad Deum fundat, & postquam populus campanæ sono conuocatus fuerit, recitato Litaniam in dicto libro comprehensam: huic omnes patres familiæ, qui vltra diem Leucam à templo non habitant, interesse tenentor, aut saltim vnum ex domestico eo mittere, qui quæ agantur, intelligat.

Formula & ceremoniæ Liturgiæ & Co[illegible] Dominicæ obseruantor in omnibus Academ[illegible] Scholisque, vt ea vtantur scholastici eorum [illegible] præfecti in templis sacellisque, diebus festis dominicis. Dum recitatur peccatorum con[illegible]

fic

ſio, Litaniæ cæteræque preces, in genua ſubſidunto omnes: dum fit Confeſſio fidei, ſtanto erecti.

Oeconomi Parochiarum communicato cum Paſtore loci conſilio operam danto, vt ſemper præſto habeant panes ſiligineos cum aliquo boni vini modo, ne deſint hæc ſacra ſymbola accedere Cænam Dominicam volentibus diebus conſtitutis, ſumtibus tamen Parochialium. Vinum illud feratur ſuper menſam in vaſe puro, ad minimum Stanneo.

Cæna, vbi rariſſimè, ter in anno celebrator: qui eam adminiſtraturi ſunt, præcipuè in templis maioribus, induti ſunto veſtibus ſacris iiſdem, quibus vtuntur ſolemnibus feſtis. Publici alicuius criminis conuicti, nec admoniti reſipiſcentes, à S. Cœna arcentor. Cænam Domini quiſque in ſua Parochia percipito.

Patres pro liberis ſuis in S. Baptiſmate ne ſpondento. Impuberes ad Menſam Dominicam ne admittuntor.

Puer Baptizandus ſigno Crucis Dominicæ ſignator: nemo tamen credito, ſignum illud eſſe eſſentia baptiſmi & neceſſarium eſſe: Baptiſmum hæc verba pronunciato. *Baptizato te in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Si Miniſtri verbi Dei Ordinandi ſunt, ieiunium indicitor. Diaconus aut Presbyter neo creator, niſi alicubi per aliquod tempus exercuerit Diaconatum aut Preſbyterium, in templo aliquo Cathedrali aut collegio ſacerdotum. Vel ſane ſi comprobauerit deſignatum ſe Sacellanum in aliquo collegio vniuerſitatis Cantabrigienſis vel Oxonienſis: poſtremo ſi per quinquennium Magiſter Artium fuerit.

Epiſcopus, ſi aliquem qui his titulis caruerit, receperit, neceſſaria ei ſubminiſtrare tenetor donec de officio ei proſpectū fuerit. Quod ſi facere recuſet, per Archiepiſcopum accedente ius Epiſcopi conſenſu ſuſpendatur per annum integrum, ne Diaconos aut ſacerdotes vocet.

Ad Miniſterij functionem nemo niſi interrogatus examinatuſque admittitor, niſi item tres hos articulos ſe approbare pronunciauerit: I. Regem Angliæ ſupremum caput eſſe in temporalibus & ſpiritualibus. II. In libro Liturgiæ publicæ nihil contineri quod verbo Dei aduerſetur, ſe igitur ſecuturum præſcriptam formulam in precibus & adminiſtratione Sacramentorum. III. Placere ſibi librum, in quo concepta ſunt capita religionis concluſa in Synodo Londinenſi anno MDLXII.

Nemo etiamſi Ordines ſuſceperit, ad beneficium Eccleſiaſticum admittitor, niſi ſufficienti ſuæ vitæ teſtimonio honeſtæ vitæ.

Admiſſus ad beneficium aliquod, iurabit, nullum interueniſſe genus fraudis aut ambitus, quod ſimoniam vocant.

Decani Eccleſiarum Cathedralium in ſuo loco iiſque reſidento, non alibi.

Decani & Præbendarii, qui reſident apud Eccleſias Cathedrales, ad concionandum obligati ſunto; Præbendarii vero etiam, vt in iis habitent locis, vnde ſua percipiunt beneficia.

Si quis, qui beneficio aliquo fruatur, idoneis de cauſis ab eo abſit, alium qui ad prædicandum aptus ſit, in ſuum locum ſubſtituito: accedente tamen approbatione Epiſcopi, aut Ordinario loci.

A Gloſſis & Paraphraſibus in lectione Scripturarum publica abſtinento Miniſtri, qui ad prædicandum Euangelium nondum admiſſi ſunt.

Antequam habeatur Concio, ſolemnes in ſuggeſtu recitantor preces.

Lectio precum publicarum & Sacramentorum adminiſtratio bis in anno incumbito Miniſtris ſimpliciter Prædicantibus, cæteri ſæpius adminiſtrabunt cum efficacia.

Confirmatio celebretur tertio quoque anno, cum Epiſcopus viſitabit Diæceſin.

Catechumeni offeruntor Epiſcopo in viſitatione, vt confirmentur.

Nemo Miniſter Matrimonio copulato deſponſatos, niſi præceſſerit denunciatio futuri cōiugii, & de nupturis legitime conſtiterit.

Concionatores, Vicarii & Rectores diebus Dominicis populo ſignificanto, ſi in futura ſeptimana vigilia quæpiam aut dies feſtus occurrat.

Miniſter, cui concionandi munus permiſſum eſt, conabitur à ſententia ſubmouere Pontificios, quotquot in ſua nouit eſſe Parochia, & ad Religionem in Anglia vſitatam adducere.

Baptiſmum aut ſepulturam Miniſter nulli penitus negato, niſi qui ob enorme aliquod crimen excommunicatus mortuus fuerit.

Si extrema vrgeat neceſſitas, Miniſter baptiſmum longius ne differto.

Idem in librum peculiarem referto nomina omnium, qui baptizati, iuncti matrimonio, & ſepulti fuerint.

Intra priuatos parietes neque conciones habentor, neque Cœna Dominica adminiſtrator, Miniſter nemo propria auctoritate indicat celebretque ieiunium publicum, neque particulares conuentus agat.

Diaconi aut Presbyteri dignitatem qui ſemel ſuſceperit, dimittere Ordines iſtos & plebeius fieri non poteſt.

Docendi munus nemo vel publice vel priuatim ſibi ſumito, niſi id fiat de voluntate Ordinarii.

In Templis habentor libri precum publicarum ſumtibus Parochialium, vt & Sacra Biblia in maiore forma, cum libris Homiliarum, quæ per Angliæ regnum receptæ ſunt. Ibidem & Baptiſteria ſunto, cum menſis ad vſum Cœnæ Dominicæ, nec non cathedræ ad concionandum, & Phylacia ad recipiendas Eleemoſynas.

Viſitantor Eccleſiæ tertio quoque anno, & ſi quid correctione dignum fuerit, commiſſario à rege eo nomine miſſo, indicator.

Fundi, possessiones, bonaque Ecclesiastica in librum conscribuntor, & penes Episcopum asseruantor.

Oeconomi & Inspectores Ecclesiarum eorumq; collegæ ne permittunto, vt ludantur Comœdiæ, conuiuationes agitentur, neu quid rerum prophanarum fiat in Templis, sacellis aut Cœmiteriis, neu superstitiosa ratione campanæ impellantur in antiquis festis, quæ extrita & sublata sunt per librum Liturgiarum publicarum.

Matrimonium inter gradus prohibitos contractum nullum esto.

Qui annum vigesimum primum nondum attigerunt, non consentientibus parentibus aut consanguineis matrimonium ne contrahunto.

Simplex confessio partium ad dissoluendum matrimonium sufficiens non habetor, sed ne auditor quidem.

Sententia diuortii aut separationis à solo iustitiæ tribunali expectator. Qui separati legitime fuerint, à secundis nuptiis abstinento, donec alter eorum in viuis fuerit.

Qui decimum quartum annum compleuerunt, necdum Cœnæ Dominicæ participauerunt, ad superiores deferantor, vt & ii, qui in templo turbauerint preces publicas, aut insolentius se gesserint.

Peccata nota & enormia Ministro indicantor, qui tamen sua vltro confessi fuerint, clam habentor. Oeconomi tenentor deferre nomina eorum, qui obstinatiores ritus Anglicanos sequi noluerint.

Sententiam priuationis officii in Ministrum pronunciare, non alii quam Archiepiscopo licitum esto.

Habes, Lector, præcipua Capita Constitutionum Ecclesiasticarum in Anglia, quibus tamen simplices Caluinistæ teneri nolunt, qui ritus & ceremonias illas maxima ex parte damnant reiiciuntque.

Catholicis exercitio religionis suæ penitus interdictum est, quibus, vt quietis in regno viuere liceat, certus tributi annui modus imperatus est: Plerumque tamen ita cum iis transigitur, vt semel pro semper aliquid pecuniarum soluant, ne quis ipsis de cætero molestus sit.

Puritanis & ipsis non licet publice suo fungi Ministerio, immunes tamē sunt à tributo. Nunc Angliæ regum Catalogum texemus, deinde de Archiepiscopis & Episcopis huius regni differemus.

40 CATALOGVS REGVM Angliæ ad nostra vsque tempora.

Magna confusio est in historia regum Anglicorum, vsque ad Egbertum, qui regnauit circa annum Domini DCCCI. Nos igitur, quibus non est constitutum conciliare Annalium discordiam, præteritis superioribus ab hoc Egberto Elenchum regum ordiemur.

Egbertus cœpit regnare anno A N. C. DCCCI. cumque regnauisset annis XXVII. mortuus est anno DCCCXXVIII.

Adolphus regnauit annis XX. mortuus anno DCCCLVIII.

Ethelbaldus regnauit mensibus V.

Ethelbertus regn. annis V. moritur anno DCCCLXXIII.

Ethelredus regn. annis IX. mortuus anno A N.C.DCCCLXII.

Alfredus regnauit annis XXVIII. moritur anno CM.

Eduardus Priscus regn. ann. XXIV. mortuus anno CMXXIV.

Adelstanus regnauit ann. XVI. mortuus an DCCCXL. cum vniuersam Insulam suo sub fecisset imperio.

Edmundus regn. annis VI. mort. anno CM XLVI.

Aldredus regn. annis IX. mortuus anno CM LIII.

Edvvinus regnat annis IV. moritur anno CM LIX.

Edegarus regn. ann. XVI. moritur anno CM LXXV.

Eduardus, qui sanctus & Martyr vsurpatu cum per tres annos regnasset, interfectus est do lo & insidiis Alfredæ Nouercæ suæ, quod acc dit anno Salutis CMLXXVIII.

Ethelredus cum præfuisset regno annis XX VIII. moritur anno MXVI.

Edmundus cognomēto Latus Ferreum, re an. I. mortuus MXVII.

Canutus Norvegiæ & Daniæ Rex, factus e Rex Angliæ. cum Edmundum & Eduardum, lios Edmundi cui Latus Ferreum nomen er profligasset, regnauit in Anglia annis XX. mo tuus anno MXXXVII.

Haraldus regnauit annis IV. mortuus an MXLI.

Canutus II. regn. II. annis, mortuus anno XLIII.

Eduardus regnauit annis XXIII. mortuus a no MLXVI.

Haraldus II. regnat annum vnum, morit anno MLXVII.

Gulielmus Conquestor, Normandiæ D victo Haraldo, Angliæ rex factus, regnauit a nos XXI. mortuus anno MLXXXVIII.

Gulielmus Ruffus regnauit XIII. mort anno MCI.

Henricus I. regnat annis XXXV. mort anno MCXXXVI.

Stephanus Comes Bononiensis, Hen consanguineus, occupato regno potitur per nos XIX, moritur anno MCLV.

Henricus II. cum regnasset annis XXX moritur anno MCXC.

Richardus I. regn. ann. X. mortuus a MCC.

Iohannes cum præfuisset regno annis XV moritur anno MCCXVII.

Henricus III. cum regnasset annis LVI. m tur anno MCCLXXIII.

Eduar

Eduardus I. (ex hac prosapia) regn. XXXV. ann. mortuus MCCCVIII.

Eduardus II. regn. XIX. annis, mortuus anno Salutis MCCCXXVII.

Eduardus III. regnauit annis LI. mortuus anno MCCCLXXVIII.

Richardus II. regn. annis XXII. mortuus anno MCCCC.

Henricus IV. regn. annis XIV. mortuus anno MCDIV.

Henricus V. regnauit annis IX. mortuus anno MCDXXIII.

Henricus VI. præfuit regno annis XXVIII. mort. MCDLXI.

Eduardus IV. regn. annis XXIII. mortuus anno MCDLXXXIV.

Eduardus V. cum non nisi duobus mensibus ex fuisset, mortuus est anno vndecimo ætatis iæ.

Richardus III. regnauit annis II. mortuus anno MCDLXXXVI.

Henricus VII. cum regnasset annis XXIV. oritur anno MDX.

Henricus VIII. regn. annis XXXVIIII. mortus anno MDXLVII.

Eduardus VI. regn. annis VI. mortuus anno DLIII.

Maria, quæ nupsit Philippo Austriaco, regna- annis V. mensibus III. mortua anno MDL II.

Elisabetha, postquam regnasset annis LV. oritur anno MDCIII.

Iacobus Rex Scotiæ successit huic in regno gliæ, qui postquam regnasset annis XXII. iit anno Salutis, XXVI. Mart. MDCXXV.

Successit huic Carolus filius, ducta in vxorem nrica Maria filia Henrici IV. Galliæ & Narægis.

i ab antiquis seculis ad nostra vsque tempo- epetamus historias, inueniemus intercessisse gibus Anglis fœdera ac Affinitates cum po- issimis Europæ Principibus per Galliam, aniam, Germaniam, Daniam, Sueciam, garíam, aliisque. Et vt de vetustioribus fœbus matrimoniisque, quæ cum reliquis tracta sunt nationibus taceam, solum de affis cum Gallis Hispanisque dicemus.

gitur primum Carolus Simplex, Galliæ rex, ad secunda vota descenderet, duxit vxorem am Eduardi filiam, sororem Adelstani & undi Regum Anglicorum, inciditque hoc imonium in annum partæ Salutis DCC V. ex quo natus est Ludouicus III. cognoo Vltramarinus, Francorum rex.

go, cognomine Magnus, Francorum Dux rifiorum Comes, Pater Hugonis Capeti , secundo matrimonio sibi iunxit Ethilliam Eduardi, sororem Adelstani, sed steit hoc coniugium contractum anno A N. CCCXXVI.

Stathius Bononiensis Comes, Stephani rex Angliæ Vsufructuarius circa annum Salutis MCXXXVII. vxorem duxit Constantiam, Ludouici Crassi Francorũ regis filiam. Hoc sine liberis defuncto, Constantia nupsit Raimundo Comiti Tholosano.

Henricus Rex Angliæ Henrici II. filius vxorem duxit anno MCLXIII. Margaritam Ludouici VII. Gallorum regis ex Constantia Castellæ regina filiam tertiogenitam. Natus hinc est filiolus, qui nonnisi per triduum superstes fuit.

Richardus cognomento Cor Leonis, Angliæ rex huius nominis I. consenserat in matrimonium cum Alice quarta filia Ludouici VII. Gallorum Regis, circa annum MCLXXXIX. Sed hoc matrimonium non perfectum est, ducente Richardo Berengariam, Regis Nauarreni filiam, & Alice nubente Gulielmo Comiti Ponthiensi.

Iohanni II. Duci Britanniæ Armoricensis, Principi sanguinis Regii, desponsata fuit Beatrix, Henrici III. Regis Angli filia. Confirmatum est hoc coniugium in S. Dionysii oppido præsente S. Ludouico Rege Gallorum. Vnde nati sunt filii duo, filiæ III.

Edmundus Comes Lancastriæ Henrici III. Angliæ Regis filius, vxorem duxit Blancam Artesiam, Roberti Comitis Atrebatensis & Mathildæ Brabantinæ filiam, regii sanguinis mulierem, quæ prius nupta fuerat Henrico Regi Nauarreno.

Eduardus primus Angliæ Rex, defuncta Eleonora Castulonensi, priore vxore viduus factus, matrimonio sibi iunxit anno MCCXCIX. Margaritam, Philippi Audacis Francorum regis ex Maria Brabantina filiam, è quo coniugio duo nati sunt filii, & filia vna.

Eduardus II. Angliæ rex matrimonii fidem dedit anno MCCCIX. Bononiæ Morinorum Isabellæ, Philippi pulchri Francorum Regis & Iohannæ Nauarrenæ filiæ, dicunturque nuptiis his interfuisse quatuor reges, Romanorum, Galliæ, Nauarræ, Siciliæ. Dedit hoc matrimonium Eduardum III. Anglorum postea regem.

Iohanni cognomine Valido, Britanniæ Minoris Duci, anno MCCCXLI. nupta fuit Maria, Eduardi III. Anglorum Regis filia, quanquam hoc matrimonium sterile fuerit.

Fuerat desponsa Eduardo Duci Eboracensi, Edmundi Comitis Cantabrigiensis filio, Eduardi III. Angliæ regis nepoti, Beatrix Lusitanica, Ferdinandi Portugalliæ regis filia vnica, è Francico sanguine. Sed hoc matrimonium effectu caruit, cum Beatrix nupsisset Iohanni I. Regi Castellano.

Iohannes I. Lusitaniæ rex, cognomento Memoriosus, natus Francorum prosapia, vxorem duxit Philippam, Iohannis Ducis Lancastriæ filiam, qui fuerat filius minor Eduardi III. Angliæ regis. Fuit hoc matrimonium celebratum anno MCCCLXXXVII.

Richardus II. Rex Anglus anno MCCCXCV, duxit Elisabetham, Caroli VI. Regis Francorum

rum filiam, quæ deinceps nupsit Carolo Aureliæ Duci.

Henricus IV. Angliæ rex, cui cognomen fuit Lancastrensi vxorem habit Iohannam, Caroli II. regis Nauarreni filiam, qui sanguinis necessitudine Francorum reges attingebat, ortus à linea Ebroicensi. Incidit hoc matrimonium in annum M CD III. Nulli hinc nati sunt liberi.

Circa annum A N. C. M CD VII. tractatum fuit de matrimonio inter Henricum filium maiorem Henrici IV. regis Angliæ, & Mariam, Caroli VI. Francorum regis. Cæterum hoc cõsummatum non fuit: nam Maria spretis nuptiis, monialis facta est in Conuentu Possiacenõ.

Henricus V. Anglorum rex desponsauit sibi Catharinam, filiam Gallorum Regis & Isabellæ Bauaricæ, contracto matrimonio illo apud Trecenses Campaniæ Gallicæ a. d. XX. Maii anno A N. C. M CD XX.

In eadem Vrbe Trecensi duxit Iohannes Dux Betfortensis, Henrici IV. Angliæ regis filius Annam, Iohannis Ducis Burgundiæ, Principis è sanguine Gallorum regum, & Margaritæ Bauariçæ filiam, quod accidit anno M CD XXIII.

Henricus VI. Angliæ rex in vrbe Nanceio Lotharingiæ matrimonio sibi iunxit anno A N. C. M CCCC XLIV. Margaritam Andegauensem, Renati, regis Siciliæ & Ducis Andegauensis ex Isabella Lotharingica filiam.

At Pugnax ille Burgundionum Dux Carolus iunxit sibi anno M CD XLV. Margaretam Eboracensem, Richardi Ducis Eboracensis filiam, sororem Eduardi IV. Regis Angliæ.

Conuenerat inter Gallos Anglosque, vt Carolus Delphinus, Ludouici XI. Gallorum regis filius, eiusq; postea in regno sub nomine Caroli VIII. successor, quanquam puer admodum, suo tempore vxorem acciperet Elisabetham, Eduardi IV. Anglorum regis filiam, vtque, si hanc ante pubertatis annos decedere vita contigisset, Mariam sororem illius duceret. Etsi autem hæc ita conclusa fuere in Ambianorum ciuitate a. d. XXIX. anno A. N. C. M CD LXXV. neutrum tamen matrimonium fuit perfectum.

Cum defuncta Anna Britannica Ludouicus XI. Gallorum rex viduus factus fuisset, secundis nuptiis iunxit sibi Mariam, filiam Henrici VII. & sororem Henrici VIII. regum Anglicorum: quod accidit Lutetiæ Parisiorum a. d. XIV. Septembris anno A N. C. M D XIV. Attulit Maria ad maritum dotis nomine CCCC. millia cotonatorum, quanquam nulli ex hoc matrimonio nati sint liberi.

Maria Henrici VIII. ex Catharina Aragonia filia primum promissa fuit in coniugium Francisco Delphino, Francisci I. regis filio, a. d. IV. Octobris anni M D XVIII. Delphino autem præmature mortuo eadem desponsa fuit Aurelien Duci. Neutrius tamen vxor facta, postremo cum iam Anglicani regni Diadema adepta fuisset, nupsit Philippo secundo Austriaco, Hispanorum regi.

Cumque Eduardo VI. Angliæ regi in matrimonium promissa fuisset, anno M D LI. Elisabetha Henrici II. Regis Galli ex Catharina Medicea filia, & illud matrimonium morte Eduardi consummari non potuisset, nupsit deinde Elisabeth Philippo II. Hispanorum regi.

Franciscus II. Franciæ Rex vxorem habuit Mariam Scoticam, neptem Margaritæ quæ fuerat Henrici VII. Anglorum regis, contracto matrimonio ad annum Salutis M D LIX. cum nulli inde nati fuissent liberi, nupsit Henrico Alæo Stuarto, vnde natus est Iacobus VI. Anglo Scotiæ & Iberniæ rex.

Henricus III. Galliæ & Poloniæ rex, cum adhuc Dux esset Andegauensis, tractatum fuit a no A N. C. M D LXXI. inter ipsum & Elisabetham Angliæ reginam. Cum autem hæc pactum effectu caruissent, duxit Henricus Ludouicam Lotharingicam, nullisq; procreatis liberis à nacho cultro confossus expirauit.

Fuerunt eadem pacta postmodum tentata ter Franciscum Ducem Alenconium & Elisabetham, Anno M D LXXXI. sed irrito conatu.

Anno M D CXIV. Duxit Fridericus Palatinus Elector, Bauariæ Dux, Friderici IV. Electoris filius, Elisabetham, Iacobi Regis Angliæ Scotiæ Iberniæ, & Annæ, Christiani Daniæ & Norvegię regis sororis filiam vnicam, vxorem, celebratis Londini nuptiis, ex quo matrimonio, cum hæc scriberemus, sex nati fuerunt liberi.

Anno vero M D C XXIV. iuncta est Serenissimo Carolo, Iacobi filio, Angliæ, Scotiæ, Iberniæ regi, Mariæ, Henrici IV. Franciæ & Nauarregis ex Maria Medicea filia, Ludouici XIII. & Nauarræ regis soror. Quod matrimonium felix & fœcundum vouemus.

---

42 *ARCHIEPISCOPI PER ANGLIAM.*

Fuerunt ab vltima antiquitatis memoria in Angliæ regno Archiepiscopi tantum duo, Cantuariensis & Eboracensis, sub quibus hi sunt Episcopi suffraganei.

Sub Cantuariensi XXI.

Londinensis,
Vintoniensis,
Conuentrensis,
Saxisburiensis,
Bathoniensis,
Lincolniensis,
Petroburiensis,
Dunelmensis.
Exouiensis,
Cloceſtriensis,
Herefordensis,
Nordouicensis,
Eliensis,
Roffensis,
Ciceſtrensis,
Oxoniensis,
Vigorniensis,
Briſtoliensis,
Meneuensis,
Bangorensis,
Landauensis,
Aſaphensis,

Sub Eboracensi III.

Ceſtrensis.
Carleolensis.

REGN

REGNVM SCOTIÆ, QVOD NOSTRA ÆTATE CVM ANGLICANO COALVIT.

SVMMA CAPITA.

Scotia primo Albania dicta, eius descriptio & prouinciæ.

Fluuii & Lacus celebriores per hoc regnum.

Sylua Caledonia, in qua boues albi indomiti, iubati instar Leonum.

Abundantia Carbonum & bituminis terrestris.

Aurifodinæ apud Craufortum, vbi aurum eruitur non magno labore.

Lacus Lumondensis, in quo præter alia admiratione digna Insula est fluctuans.

Butcuhsania regio non fert mures domesticos maiores.

Fons, cui innatant guttæ olei maximæ virtutis.

Scoti olim Picti vocati: pingere soliti corpus & crines: vixerunt carnibus humanis, eorum antiqua ratio pugnandi, & arma.

Scoti nostro æuo diuiduntur in ciuiles & feros siue syluestres. Vtrorumque militia & in bello tolerantia, clari ob fidelitatem.

Perantiqua inter Scotos & Francos fœdera. Auxilia Scotorum in Galliam missa. Scoti honoribus præmiisque maximis à Francorum regibus affecti ornatique.

Sterilitas & egestas terræ Scoticæ.

Edimburgum totius Scotiæ Metropolis, quo nomine à Ptolemæo appellata existimetur.

Ordines Regni Scotici, è triplici hominum genere compositi. quæ sit eos conuocandi ratio.

Nobiles & perantiquæ quædam Scotorum Familiæ.

Equites Scotorum aurati, Barones, Nobiles.

Collegium Iustitiæ institutum à Iacobo V. Rege.

Quinque Curiæ subalternæ in quoque Comitatu.

Quæ sint Curiæ quæ appellantur Commissariatus, & quæ harum iurisdictio.

Quo tempore Scotia Fidem Christi susceperit. Palladius in Scotiam missus ad profligandam hæresin Pelagianam.

Exusti quidam in Scotia ob religionem, inter quos Hamiltonius.

Turbæ in Scotia, auctoribus hæreticis & Priore S. Andreæ.

Maria Stuarta, regina, Iacobi mater, capitur, accusatur, securi percutitur.

Archiepiscopi & Episcopi in regno Scotiæ.

Catalogus regum Scoticorum, & quamdiu quisque eorum regnauerit.

Britanniæ Magnæ pars, quæ longo tractu Septentrionem porrigitur, Scotia dicitur *Albania*. Atq; etiamnum ab incolis, qui seruant linguam *Albain* dicitur, & ablber-*abany*. Termini eius Australes Angliam versus sunt *Tueda & Soluienus* fluuii: ad Septentrionem est Oceanus Deucaledonius, ad Occasum Hybernicus, ad Ortum Germanicus, ab aliis partibus omnibus eam ambiunt Oceanus & Mare Germanicum. Longa est LXVII. milliaria Germanica, quæ constituunt Anglica CCLVII. lata LII. Germanica siue CXC. Anglica. Diuiditur Scotia in plures regiones siue prouincias, quarum *Laudensis* olim dicta fuit Pictolandia, siue Pictorum terra, aspera montibus, horrida solo, expers arborum, sed incolis frequens ciuilioribus & hospitalibus. Est in hac Edinburgum, totius regni Caput & habitatio regum, cum nonnullis aliis oppidis non contemnendis. Sequitur hanc *Mercia siue Merk*, quod Scotorum & Germanorum lingua limitem significat, intellige inter Scotiam & Angliam. Post eam est *Teifadalia*, id est vallis ad Deuam fluuium, haud procul ab Anglia, plena regio saxis rupibusque. *Eschedalia* vallis ad fluuium Etcam: *Nithisdalia* ad Nithiam amnem. Sequitur *Anandalia*, deinde *Gallouidia*, in occidentem conuersa, vniuersa pecoris quam frumenti fertilior. *Caristia* & ipsa magis felix pascuis quam aruo. *Glottam* ab Occidente *Coila* contingit terra inops sterilisque. Deinceps est ager *Sterlinensis*, *Menethensis*, *Clusdidalensis*, *Lenocensis*, *Arnouallensis*, *Straterensis*, *Storiensis*, *Rossensis & Argillensis*, qui postremus abundat lacubus, totus aptior pascendo pecori quam segetibus ferendis. Hic olim habitauerunt Caledonii, vnde tota regio aliquando appellata fuit. In Occidentem hybernum excurrit *Cantiera*, hoc est caput siue angulus regionis, quæ hic vasta est & plena paludibus. *Fista* siue *Fifa* regiuncula agrum habet cæteris fertiliorem, in quo est S. Andreæ oppidum. *Angusia* regio amæna ad vtramque ripam Saui fluuii. Cæteræ fere sunt: *Morauia*, *Butcuhania*, *Rossia*, *Nesselandia*, *Tarbachia*, *Beanrossia*, *Sutherlandia*, *postremo ager Cathenensis*.

Qualitas Terræ Scotiæ.

Est in vniuersum prope Scotia aspera & montosa, nullaq; ex parte cum fertilitate Angliæ conferenda, piscibus tamen abundantior. Mare enim quod eam ferme ab omnibus cingit partibus ingentem copiam suppeditat salparum & halecum cum primis, nec non Coraliorum Concharumque. In vallibus plurimi sunt lacus, paludes fontesque, & fluuii piscosissimi, quorum maxima pars à monte Grampio oritur. Sunt & ibi tres fontes scaturiginis tam copiosæ, vt paulo post nauigabiles fiant. Nomina horum sunt *Aleuthus* qui deponit aquas suas in mare Ibernicum:

Ibernicum; *Saus*, qui omnes prope fluuios Scotiæ magnitudine superat, & in mare Germanicum exoneratur: postremo *Fortha*, qui & ipse in mare Germanicum exiens, sinum constituit, qui à magnitudine sua Mare Scoticum aliquibus dicitur. Diuiditur Scotia ab Anglia præter Tuedam etiam Nessa & Lutha fluuiis.

Montes non omnes steriles sunt, in quibusdam enim satis pingue pabulum saginando pecori prouenit, alii etiam marmor & alabastrum gignunt.

3 Syluæ plenæ sunt feris, quibus maxima ex parte color niger, in famosa tamen illa Sylua Caledonia inueniuntur boues albi, adeo feroces, vt domari nulla ratione possint, iubam ab collo promittentes instar Leonum.

4 Est ibi locus quidam, qui appellatur *Area Carbonum*, abundans bitumine terrestri & sulphure, vnde incolis pabulum ignis præbet in defectu lignorum, quandoque etiam ardet non sine accolarum detrimento.

5 Profert insuper Scotia varia metalla, Aurum, Argentum, Argentum viuum, Ferrum, Plumbum & Cuprum, & hoc quidem magna copia. Est in Drisdallia iuxta Craufortum Aurifodina, vnde aurum effoditur non magno labore.

Est in Gallouidia Lacus, cui Myrtoo nomen est, cuius hyberno tempore vna pars gelu concrescit, altera ne intensissimo quidem frigore glaciatur. Sunt in Caricta regione ingentis magnitudinis boues, quorum caro tenera suauisq; esu est, sed pinguedo semel liquefacta nunquam concrescit, sed olei instar semper fluitat.

In Lenocia ad radices Grampii montis per vallem cauam Lomundus ingens lacus se explicat, XXIV. millia passuum longus, & VIII. latus, habens intra se circiter XXX. Insulas, maxima ex parte cultas atque habitatas. Tria autem de hoc lacu memoratu digna referuntur. Primum quod pisces pinnis carent, gratissimi alias saporis. Deinde aquæ nullo interdum flante vento ita concitantur, vt vel audacissimos nautas ter-
6 rere possint, quo minus soluant. Denique Insula quædam gregibus armentisque pascendis aptanatat, ferturque fluctuando quo ventis impellitur.

7 Butcuhamia mures domesticos maiores non fert, sed ne importati quidem superstites esse possunt. In Fifensi regione nigrum quoddam genus lapidum eruitur, quod instar Lithantracum alendo igni aptum est.

8 Altero ab Edinburgo milliari fons est, cuius aquæ perpetuo innatant guttæ olei, cuius ea est natura, vt si nihil demas, non tamen exuberet, neque minuatur, si quantum velis inde auferas. Olei huius vsus est contra scabriginem & impetiginem cutis. Frumenti tantum prope gignit Scotia, quantum ad incolarum alimoniam necesse est.

Mores veterum Scotorum.

9 Communis opinio est, Scotos olim Pictos fuisse appellatos, quod soliti fuissent corpus pingere coloribus, inprimisque brachiis ac manibus certas quasdam notas igne inurere, quod septentrionales illos ferocioresque Scotiæ populos etiamnum facere, quidam asserunt. Quamquam tamen hoc nomen nequaquam omnibus commune fuerit, quod duæ istæ nationes Picti Scotique occupata septentrionali Britannia partæ, vicinis populis sua imposuisse constat nomina, prout vnaquæque gens consederat. Picti autem non solum corpus sed & capillos cærulei colore inficiebant. Colligunt autem ex S. Hieronym. solitos illos fuisse vesci carnibus humanis, & amputatas mulieribus mammas, miræ ferritate deuorasse, partes illas suauiores gustu asseuerantes. Hector tamen Boethius diuersum tradit, asserens eos valde studuisse sobrietati, fugisse ebrietatem & somnolentiam, & è quouis frumenti genere panem confecisse. Carnibus victitasse vel venatione captis, vel boum, quam quam modo à cæteris nationibus diuerso, quos vitulos castratos labori adsuefecerint, vaccas autem grauidas mactauerint, pinguiores eas suauiores eo tempore existimantes. Plurimum tamen inter eos piscibus victitasse. Pransos Boethius vel leuiter vel omnino non: Vesperi autem suauius indulsisse genio. Potum eorum fuisse vel aquam coctam ex thymo, menta, aut aliisque salubribus herbis: vel cereuisiam ex deo paratam. Maximam tamen partem solitos fuisse aquam bibere, secumque tantum tulisse farinæ, quantum in vnum diem sufficere cre batur. Carnibus vix semicoctis viscebantur, quod maiorem iis hoc pacto ad nutriendum vim & suauitatem inesse dicerent: pisces vero solem siccatos comedebant, si alia re ad prægandam famem destituerentur.

Cum pace fruerentur, erant capitibus nudi crinibus abscissis præterquam circa frontem, antias quasdam promittebant. Pedibus nudis quam calceatis lubentius incedebant, vt hac tione ad omnia viarum incommoda se adsuecerent. Femoralia eorum non infra genua scendebant, superior vestis vel linea erat vel nabina. Palliis vtebantur in æstate teneriori in hyeme crassioribus & amphimallis. Lectis præbebat nuda humus, aut scamnum cum gulo. Alio quam materno lacte infantes sulere non solebant; quod si quę infantulum alii mulieri nutriendum præbuisset, adulaccusabatur. Victi prælio, celerrimo ad mo se recipiebant cursu, neque per eos stabat, minus è vestigio vindictam ab hoste exige Si proceres nobilesque eorum periclitare in acie, serui aut subiecti eorum vel cum prætissimo vitæ periculo eos eripere nitebantu simul interibant. In tumulis sepulcrisque lium tot erigebant paruos obeliscos, quo functus occidisset hostes. Si quis gliscent lo iter faciens deprehensus fuisset sine tio, non habens gladium ab latere suspen aut ferrum in manu, is flagris cædebatur miniæ gratia. Tunc etiam leuiter armati collari ferreo, vel etiam coriaceo, cætera

rant arcus cum sagittis, lancea & gladius. Si quis non impetrata missione è castris discessisset, primo cuiq; , qui illi occurrebat, integrum erat ingitiuum interficere, addictis bonis illius fisco. Mulieres quæ non grauidæ erant aut nimis vetulæ, habito delectu, etiam nomina cogebantur are militiæ. Profecti ad bellum, primum animal quod occurrisset, mactabant, tingentesque ius sanguine telorum suorũ mucrones ori admouebant gustabantq; , hunc morem felix omen futuræ victoriæ habere dicentes. Qui inluuiei aut ebrietati nimis essent dediti , viui bmergebantur. Litteris non vtebantur, sed signis quibusdam Hieroglyphicis , vt & Ægyptii iq;. Et hæc de veterum Scotorum morib. sufciant.

Mores Scotorum nostri æui.

Accusantur Scoti à quibusdam, quod naturæ adam inclinatione sint inuidi & superbi, qui teros prope mortales contemnant. Magnifi- nobilitatis suæ iactatores , vt incredibili quam vanitate etiam egeni atque inopes, & ex vlna fæce plebis homines non vereantur dicere gio se ortos genere & sanguine.

Priusquam autem vlterius progrediamur, pendus est Lector in duplici Scotos esse diffentia, alios quidem comtos & ciuiles , alios o agrestes & efferos esse , & prope brutales, muis Christiani habeãtur: & hi quidem poiores bello optimi iudicantur, vt qui defectu dam rationis mortem non metuant. Ciuippellantur qui meridionaliores versus Anm habitant, nominaturq; ea pars Scotię terlta, & multo est fertilior quam septentrionais fere in quotidiano vsu est lingua Anglica Feri Sylueſtresque Scoti versus septentrioincolunt, vtentes idiomate & armis Irlanum, à quibus oriundi putantur, & quib. sunt ibus quam simillimi. Arma horum sunt Ar- & Sagittæ, Gladius latus admodum , & pucutissimus.

Cætera Scoti sunt satis ingenioſi & industrii, indictam tamen mire procliues, quam nunm negligunt , si media ad eam inuenire possit, crudelitatis etiam in hac parte noram non gientes. In bello habentur animosi & audastrenuique milites, inediæ, vigiliarum, algoatientissimi, multo magis quam Angli. Nec t iis ingenium ad quasuis subtilitates & vaem, inclinans ad factiones & seditiones. Necamen vlla fere ars est aut scientia, ad quam inhabiles aut inidonei iudicentur.

delitatis in Principes singularis laude iam à is annis ornati sunt , perhibentibus iis loes testimonium Francorum regibus , qui is Prætorianis & stipatoribus corporis iam m vsi fuerunt. Huic fini ea quæ sequuntur, cimus , in quibus Scotorum cum Francis ra perscripsimus , cum narratione , quanmilitum numerum quondam Scoti Gallo- regibus auxilio miserint, quibusque ipsi vicissim in Galliæ regno vtantur commodis atque priuilegiis.

Aiunt autem fœdus hoc, inter Francos & Scotos (quod significatur duplici Liliorum ordine in margine clypei circa Leonem rubeum in Scotorum insignibus) contractum fuisse anno D. CCLXXXXI. inter Carolum Magnũ & Achaium Scotorum regem , & continua serie obseruatum longo tempore, inter XLI. Francorum & XLVI. Scotorum reges. Hui. Fœderi vt satisfacerent Scoti , multoties misisse Francis copias auxiliares. Nam & Achaiũ Carolo magno submisisse quatuor Scotorum millia , duce fratre suo Guillemero , quorum bona opera Carolus vsus fuerit in bellis Italicis , Germanicis Hispaniciſque, vt & in priuatis suorum iniuriis vindicandis.

Malcolmus III. Scotorum rex duo millia Scotorum submisit Hugoni fratri Philippi I. Francorum regis , cum ille terram sanctam q; vrbem Hierosolymam peteret in comitatu Godefridi Bullionæi.

Rursum cum S. Ludouicus Francorum rex in Orientem proficisceretur adduxit ei tria Scotorum millia Patricius Dombarienſis , Comes Marcanus, iussu & auspiciis fratris sui Alexandri II. Scoti regis.

Alexander III. eidem Ludouico regi expeditionem in Africam paranti , misit duo Scotorum millia, ducibus Comitibus Carictenſi & Atholienſi.

Iohanni Regi Gallorum tria Scotorum millia in subsidium misit Dauid Brusæus, ductore Gulielmo Comite Duglassiorum, qui Scoti postea omnes cæsi sunt in prælio Pictauienſi.

Robertus Stuardus Prorex Scotiæ. Iacobi primi regis Auunculus, submisit Carolo Delphino Franciæ septem millia Scotorum, ductorib. filio Roberti Comite Buchamio, & Archebaldo Duglassio , fuitque horum Scotorum opera Francis prælium ad Baugæum secundum.

Eundem Carolum , cum iam Francorum rex esset, adiuuit decem Scotorum millibus , Mũdarcus Prorex Scotiæ , Roberti filius , ductoribus iisdem Buchamio & Duglassio. Sed hi prope omnes cęsi sunt in cruento illo prælio ad Verneuillam anno AN. C. MCDXXIV.

Sequenti anno, qui fuit AN. C. MCDXXV. adduxit eidem Carolo VII. regi, Iohannes Stuardus Conneſtablius Scotiæ quatuor Scotorum millia , præter eos quos Dauid Pitulotus ducebat.

Quam bonam deinceps & vtilem operam nauauerint Scoti sub ductu Roberti Bernardi & Iohannis Stuardi, Dominorum Aubignii, nec non Alexandri Ducis Albaniæ & Iohannis filii eius, Comitis Bononienſis regibus Francis, Ludouico XI. Carolo VIII. Ludouico XII. Francisco I. & Henrico II, pleni sunt scriptorum vtriusque gentis libri & Historiæ. Nec contenti fideli & eximia , quam Francis in ipsa Gallia præstiterant, opera, etiam imminentem Francis tẽpestatem in ipsam patriam suam Scotiam attraxerunt,

xerunt. In prælio enim Durſano amiſſis circiter decem Scotorum millibus vulneratus captuſq; fuit ipſe Dauid Bruſæus : & Iacobus IV. Scotorum rex, cum bellum faceret Henrico VIII. Anglorum regi, pro Gallis militans , in prælio Flandunenſi cæſus eſt cum omni ſua nobilitate & Scotorum militum pene quatuordecim millibus.

Qua clade non abſterritus filius eius Iacobus V. & ipſe bellum intulit Henrico Anglo in gratiam Franciſci I. regis Galli. Cumque prælium aduerſum feciſſet Iacobi copiarum dux Oliuerius de S. Clara, adeo iniquo animo tulit fortunę iniquitatem, vt octaua die poſt interierit.

Huius filia, Maria Stuarta, hæres regni Scotici, quamuis ordinum omnium Scotiæ conſenſu promiſſa fuiſſet in matrimonium Eduardo VI. Anglorum regi, etiam viuo patre eius, Henrico VIII. tamen his pactis non obſtantib, in Galliam miſſa & Franciſco II. collocata fuit: vnde concitatus Eduardus , vt iniuriam vlciſceretur miſit in Scotiam cum valido exercitu Ducem Somerſetenſem: vbi in prælio ad Pinquæum occubuerunt circiter quindecim Scotorum millia.

His auxiliis, officiis & damnis, quæ Scoti Gallorum cauſa perpeſſi ſunt, nō male adiungemus affinitates & matrimonia mutua regum atque Principum vtriuſq; gentis.

Igitur Ludouicus XI. cum Delphinus eſſet Franciæ, duxit vxorem Margaritā, Iacobi I. Scotiæ regis filiam : quo tempore , vt teſtantur Hiſtoriæ vtriuſq; nationis, ſanguis (ſic loquuntur) valide mixtus fuit. Aiunt enim vltra centum quadraginta illuſtres virgines & Matronas , in Galliam nuptum elocatas fuiſſe, ex quarum numero fuere duæ Reginæ ſorores , quarum vna nupſit Duci minoris Britanniæ : altera Comiti Flandriæ.

Alexander Albaniæ Dux, Iacobi III. Scotorum regis frater, matrimonio ſibi iunxit Comitiſſam Bononiēſem, cumq; in Hippodromo inueheretur Ludouico Aureliæ Duci, feſtuca fractæ in concurſu lanceæ ſauciatus , paulo poſt mortuus eſt. Natus tamen eſt ex hoc matrimonio Iohannes Stuartus Albaniæ Dux , Comes Boloniēſis & Prorex Scotiæ, dum Iacobus quintus puer erat.

Nupſit huic Iacobo V. in prioribus nuptiis Magdalena Franciſci I. Galliæ regis filia. in poſterioribus Maria Lotharingia , Longæuillæ vſufructuaria, ſoror Ducis Guiſii. Huius Iacobi filia , Maria Stuarta , Scotiæ regina conuenit in manum Franciſci Delphini , qui poſtea rex fuit ſecundus eius nominis.

VICISSIM Reges Gallorum moti tam frequentibus auxiliis, officiis, iacturis & affinitatibus Scotorum, ſui officii eſſe crediderunt, publico teſtimonio oſtendere , quam grata hæc Scotorum ipſis fuiſſent obſequia : ſtatuerunt igitur hanc nationem maiorib. quam vllam aliam exteram afficere beneficiis , & ornare priuilegiis honoribuſq;.

Igitur Carolus VII. Francorum Rex, Buchaniæ Comitem Conneſtablium Franciæ creauit qui præcipuus poſt regem eſt honor.

Anno ſequente Douglaſſius Comes factus e Dux Turonum & Mareſchallus Franciæ , mar ſitque Ducatus iſte tum penes eum , eiuſque lium ac nepotem donec vixerunt , regnantib Carolo VIII. & Ludouico XI. Gallorum reg bus.

Iohanni Stuarto datus eſt Comitatus Tr cenſis, cum alia quadam Dynaſtia in Biturigibu

Robertus Stuartus, Aubignii Dynaſta , fi Mareſchallus Franciæ.

Dauid Pitulenſis fuit Præfectus ſtipatoru regii corporis apud Ludouicum XI. Gallorū regem , qui Dauidi extincto ob fidem hono ergo erexit ſtatuam in atrio magno Palatii.

Bernardus Stuartus, Aubignii Toparc Mareſchallus Francię creatus fuit, regnante L douico XI. rege , deinde Prorex Neapolitan ſub Carolo VIII. rege. Bernardi frater à Ludo co XII. Gallorum rege Produx Mediolanen conſtitutus eſt , idemque ſupremus regis Le tus apud exercitum Gallorum in Italia. Poſt mo miſſus eſt in Angliam , vt defenderet par Henrici VII. contra Richardum III.

Huius filius Robertus Stuartus fuit Præ ctus excubiarum regiarū, & Mareſchallus Fr ciæ, regnante Franciſco primo rege.

Iohannes Stuartus, Roberti hæres, præ ctus fuit cohortis Scoticæ , quæ ad corporis gii cuſtodiam deſtinata fuit ſub eodem Fra ſco.

Iohannes Hamiltonius, Araniæ Comes, rex Scotiæ, donec Maria Stuarta regina ſub tela erat, Dux creatus fuit Caſtelleraudius iusque filius maior præfectus cohortis Scot quæ in Gallia meret.

Poſſem etiam plures nominare , tam Pol quam Eccleſiaſtici Ordinis viros Scotos, præcipuis officiis dignitatibusque per Gall exornati luculenta amicitiæ Gallicanæ to cuti fuere præmia. Quibus tamen omnibus contenti Gallorum reges , cum virtutem a dem Scotorum apprime cognitam habere vt fœdera ac ſocietatem cum illis alligarent culis arctioribus, magnis eam nationem o verunt priuilegiis, vt ex his patet.

Ludouicus, qui Sanctus vſurpatur, G rex , cum in Paleſtinam proficiſci conſtitū voluit, vt XXIV. Scoti milites dies nocte corporis ſui cuſtodiam obirent. Manſitq honor apud Scotorum nationem circiter C annis regnantibus octo regibus Gallorum.

Carolus V. auxit numerum ad LXXVI tamen, vt XXIV. prioribus hunc tribueret norem, vt cæteris præeſſent , fungerentu ſuo munere ad hunc modum. Dante reg peram rebus divinis , & capiente cibum , id fiat in prandio ſive cœna , ſemper duo ſtent throno regio , ex vtroque latere v Diebus feſtis , tangente rege ſolenniter S

as, aut creante Equites Ordinis supremi, vel
missis peregrinorum Principum Oratoribus
tra ordinem, semper sex sint quam proxime
rca regem, tres ab vnoquoque latere. Nulli a-
quam hi portabunt regem, quocunque eum
neris ferri leges & ceremonię exigunt. Iidem
mitabuntur eius effigiem.

Fuit autem custodia corporis regii penes so-
s Scotos vltra LXX. annos; Carolus enim VII.
inus fuit, qui signum peditum Gallorum ad
rporis sui custodiam conscripsit, sed vnum
ntaxat.

Huic Ludouicus Vndecimus adiunxit secũ-
m: & Franciscus primus tertium. Mansit ta-
n XXIV. illis Scotis, cum ius antiquitatis tũ
rogatiua præ cæteris eiusdem nationis, vt so-
i singularibus fruantur priuilegiis, non ad-
llo vllo in societatem.

Vt soli custodiant claues regiæ, circa vesper-
um tempus.

Vt penes eos solos sit custodia Chori in tem-
.

ɛt custodia nauium, quoties rex fluuios na-
at.

Vt ipso habitu & armorum genere publice
entur dignitatem suam.

Vt rege ingrediente oppidum aliquod, cla-
tradantur præfecto eorum.

unt & alia quædam priuilegia, quibus vigin-
atuor viri illi Scotici, eorumque præfectus
dent, vt in coronatione, nuptiis, exequiis re-
, Baptismo & Matrimonio regiorum libe-
m, quæ cum non sint adeo magni momen-
ua historia omitti possunt.

ræterea Carolus VII. Francorum rex, auctor
ius omnium cohortium siue signorum pe-
norum per Galliã, è Scoticis reliquiis quæ
oaduerso apud Verneuilliam superfuerant,
cripsit centuriam vnam equitum gra-
, & duas leuis armaturæ, hisque primum
buit locum in militia Gallicana, constituto
uno eorum Roberto Stuarto Aubignii To-
ha, cui in eodem officio successit filius Ber-
us, & huic rursum Robertus filius, Rober-
ro alius Robertus, superioris agnatus &
es.

um Tribunatum hunc trecentorum Scoto-
abuisset Iacobus Hamiltonius Araniæ Co-
successit ei Iohannes Stuartus: postea vero
ouicus Stuartus, Dux Lenocensis, nepos Io-
is. Etsi autem plures quoque turmæ equi-
per diuersos Gallorum reges ordinatæ sunt,
tamen adeo fuere perpetuæ, vt superiores

d extremum nouissimi reges Galli, non cõ-
omnibus superioribus, illustriora in Natio-
Scoticam beneuolentiæ suæ voluerunt ex-
ocumenta. Henricus enim secundus, con-
inter filium eius & reginam Scoticam ma-
nio, impertiuit omnibus Scotis vtriusque
ius idem, quod nati ciues in regno Francię
t, etiam in bonis caducis, vt ciuitate dona-
ti fuerentur iisdem cum indigenis Gallis priui-
legiis immunitatibusque, hac duntaxat addita
conditione, vt hoc tantisper valeret, donec Sco-
ti in amicitia erga Gallos perseuerarent: vtq; vi-
cissim Galli in Scotiam delati, eodem immuni-
tatis & beneficii iure perfruerentur. Subscripsit
huic Henrici regis diplomati Parlamentum Pa-
risiense mense Iulio, anno AN. C. MDL. confir-
mauitq; idem Henricus IV. sub annum Domi-
nicæ incarnationis MDXCIX.

Anno à nato Christo MDLXVII. confirma-
uit Carolus IX. Francorum rex, Mercatoribus
Scotis priuilegia, quæ maioribus eorum data
fuerant, vt immunes essent ab omnibus exactio-
nibus, quæ mercimoniis imponi solent, vt cla-
rius habetur in litteris regiis, quibus suprema
Curia subscripsit Lutetiæ Parisiorum, easdemq;
postea confirmauit, annis MDLXXXI. & MD.
XCIV.

Sicut autem tempus edax rerum, & longin-
qua quiduis imminuit dies, ita his nouissimis
duobus priuilegiis multum decessit roboris &
vigoris, multo autem plus priuilegiis custodiæ
Scoticę. Postquam enim Comes Mongomerius,
vltimus Scotorum Prætorianorum Tribu-
nus, per Mortem Henrici II. regis ab officio suo
remotus fuit, ab eo tempore semper Galli Sco-
tis præfecti sunt, qui aperta velut porta etiam a-
lios quam Scotos in Prætorianorum numerum
admiserunt, vt iam vix tertia illius signi pars è
Scotis constet, præcipuis insuper illis muneri-
bus ac priuilegiis, de primo in exercitu ordine,
de Mareschallo domus, de conseruandis claui-
bus, de custodia chori aliisq;, ab Scotis ad alios
translatis, contra Scoticæ nationis consuetu-
dines.

Vt autem planius pateat antiquitas fœderis
inter Francos & Scotos, non pigebit nos adscri-
bere capita confœderationis inter Carolũ Ma-
gnum Francorum, & Achaium Scotorum regẽ,
quæ deinde confirmata fuerunt atq; renouata
per Ludouicum Iuniorem itidem Francorum
& Guilhelmus Scotorum reges anno AN. C.
MCLXVI.

I. Primum, vt amicitia inter Francos & Scotos
intercedente fœdere contracta æternum salua
& illibata maneat.

II. Si Franci per Anglos bello vrgeantur, Rex
Scotus militum copias submittat, sumtibus ta-
men Francorum regis.

III. Si Angli alterutram gentem iniuria affe-
cerint, coniunctis Francorum & Scotorum ar-
mis ea propellatur atq; vindicetur.

IV. Scoti ad bellum ab Anglis prouocati, au-
xilia accipient à Francis, ipsorum Francorum
impensis.

V. Si quis Francus aut Scotus res Anglorum
vel publice vel priuatim iuuerit, siue id armis, æ-
re, consilio, alimonia fiat, criminis lælæ Maiesta-
tis reus habeatur ab vtrisque.

VI. Proscriptos ab vna gente & regno, alteri
recipere non sit licitum, neq; hostes aut inimi-

cos, sine vtriusque nationis consensu. Quod si Anglorum rex alterum bello aggrediatur, alter rex obligatus esto, Anglos ab alia parte armis inuadere.

VII. Si alter duorum istorum regum vel pacem vel inducias pactus fuerit cum Anglis, non comprehenso altero, & interim Angli bellum moueant illi, qui pacis conditionibus comprehensus non est, pax illa siue inducię irritæ sunto.

Antiqua hæc Confœderatio, cum primum renouaretur, vndecim articulis concepta fuit, per Carolum V. & Robertum II. reges, anno M C C CLXXI. deinde renouata inter eosdem anno AN. C. MCCCXCI. tandem etiam inter Carolum VII. regem, & Robertũ Albaniæ Ducem, Protegem Scotię ad annum Christi MCCCCVI. Alia confœderatio sancita fuit inter Carolum VII. & Iacobum II. reges Franciæ & Scotiæ, anno MCDXLIX. deinde inter Ludouicum XII. & Iacobum III. an. MDXII.

Rursum alia confœderatio inita & insuper amplior facta fuit inter Franciscum I. regem Gallorum, & Ducem Albaniæ, protegem Scotię anno AN. C. MDXVII. confirmata deinceps inter eundem Franciscum regem & Comitẽ Araniæ, Gubernatorem Scotiæ, anno à nato seruatore MDXXIII.

Opes regni Scotici.

12 Diximus superius, & etiamnum repetimus, Scotiam maxima ex parte adeo ieiunam & sterilem esse, vt ægre incolis suis tantum suppeditare possit, quantum ipsi ad alimoniam opus habent. Omnis eorum negotiatio, quæ non est magna, consistit in lana, carbonibus fossitiis, & quibusdam generib. panni ac materiæ vestiariæ laneæ. Maximum lucrum eis accedit ex halecum captura, his enim debent, quod mercatores exotici ad eos accedunt, variaque mercimoniorum genera important, auectis vicissim halecibus. Neque tamen hæc eo dicuntur, quod non sint in Scotia diuites mercatores, qui in diuersis orbis partibus negotiantur, inprimis in Aquilonaribus regionibus: horum enim opera fit, vt non paucæ naues exteræ in Scotorum portus maritimos appellant, quos regnum istud multos bonosq; habet. Plurima tamen mercimonia, inprimis ea quæ ad delicias & suauitatem vitę faciunt, in Angliam vicinam translata sunt. Hæc publica inopia facit, vt rex non magnos à ciuib. suis prouentus redditusq; percipere possit, vt vix cum quibusdam principibus Italiæ Germaniæq; conferri possit.

Vires & Robur Scotiæ.

Cum nostro æuo Scotia & Anglia sub vnius regis coaluerint imperium, equidem videre non possum, quod nam regnum in toto orbe, ratione situs, fortius validiusque esse possit, cum totum littus, quod ab omni parte mari pulsatur, vt & interiora regionis plena sint editis montibus, præcipitiis, densisque Syluis, vt vinci subigique non posse videatur. Si enim incolæ ad fugam compellantur, patet iis receptus in montes, vbi viuunt exsiccatis piscibus & ferarum carnibus. In his latibulis, si quis eos adoriri ausit, ea est locorum ratio & situs, vt exigua cum manu ingentem hostium exercitum profligare possint. Qua Angliam respicit, duo habet propugnacula Scotia; prius vocatur *Ambar*, vbi portus est satis capax ab Anglicano latere in sinu iuxta Edinburgum, è regione Waruici. Posterius appellatur *Dumbritorium*, in latere occidentali, situm in edito monte, qui solus & prope à cæteris omnibus separatus est. Videtur autem Castellum istud oppositum Lartingensi.

De oppidis dicturi initium merito facimus ab Edimburgo, quam vrbem Scoti & Iberni vocã *Dun Eaden*, i.e. vrbẽ Eaden, vulgus v. meridionali Scotorum *Edemborrovv*. Credunt pleriq;, hanc Ptolemæo dici Castrũ Alatũ, cum nomen Edenborrovv idem significet. Sedes hæc regia & Metropolis non tantum Laudoniæ, sed & vniuersi regni Scotici, situ editiore inter montes longitudine ab oriente in occidẽtem mille passuum porrecta, latitudine dimidio minore. Tota vrbs ex monte dependet: hic ad occasum altissimus versus septentrionem præcipitio munit vrbem, cætera ad Orientem & Meridiẽ sunt validò cumdata muro. Facit hęc loci & situs commoditas, vt difficillima captu vrbs sit, nisi fraude aut proditione præsidiariorum fiat. Ad orientalem vrbis partem est Regis Palatium, quod *Cathedram Arthari* vocãt. Ad occidentalem Rupes prærupta, & in rupe arx maxima, quæ Scotis vulgo *Castrum puellarum* dicitur, quod veterum Pictorum filiæ illustri loco natæ ibi custodirentur donec maritis nuberent. *Alberdonia* oppidum remissimũ est, in littore maris Germanici. In Mania est *Fordunium* oppidum, tanta situs opportunitate, vt non nisi summa difficultate oppugnari possit.

De Scotorum animositate & contemtu periculorum ante diximus, iam hoc duntaxat addimus, satis magnam eorum esse multitudinem, quãtumuis magno peregrinorum exercitui obsistere possint, viribus eorum insuper Angl accessione supra modum auctis, postquam vnius eiusdemq; regis coaluere imperium, vi existimandum est, vtriusq; nationis cõiunct robur tantum esse, vt à nullo extero hoste impune lacessi nedum expugnari possit.

Forma reipublicæ Scoticæ.

Sunt omnes in vniuersum Scoti in triplici ferentia; vel enim sunt in ordine nobilium, Ecclesiasticorum, vel denique Plebeii.

Primum locum rex obtinet, auctoritatem giam, dominium directum, & Iurisdiction habens tam in Laicos (vt loquuntur vulgo) in Clericos. E filiis regiis, si plures sint, natu ximus Princeps Scotiæ, cæteri simpliciter P cipes vocantur.

Inter Nobiles fuerunt olim honoratiss qui lingua patria *Thanas* vocabantur, erant

præcipui regis ministri, quorum caput dicebatur *Abthenes*, qui vero inferiore loco erant, *Vnderthanes*. Sed hæc nomina paulatim exoleuerunt, postquam Malcolmus III. Scotiæ rex Nobiliorius suis & qui præ cæteris de regno bene meriti erant, ad exemplum Normandorum, Comium & Baronum nomina ac dignitates tribuit. Ab eo tempore paulatim irrepserunt in Scotiã, t & in Angliam, tituli Ducum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum & Baronum. Primus ui Ducis nomen & titulum introduxit, fuit obertus III. qui id fecit circa annum Salutis ICCCC. Sicut postea Iacobus VI. rex honoraos Marchionum & Vicecomitum Titulos reno inuexit. Sunt hi velut sublimiores ex omni obilitate, vocanturq; vulgo *My Lords*, quod noen tantam dignitatem in se continet, vt etiam nd Episcopis & summis Magistratibus tribuar. Magnates eos Latine posses dicere. In reliorum Nobilium ordine primum locum sibi ndicant Equites aurati, qui iuramentum maa solennitate præstare solent. Hos sequuntur , qui nullo certo honoris titulo insigni, sed nobili familia prognati vulgo *Gentelmen* ellantur: quanquam plebs omnes qui diui affluunt, quiq; hospitalitatis & clientelarum mine bene audiunt, hoc eodem fere titulo entelman) decorare solear.

Porro filii minores Comitum, Dynastarum, uitum auratorum in nullam hæreditatis parsuccedunt, siquidem ea tota in filium natu ximum, conseruandæ familiæ causa, iure Scoeuoluitur.

De plebe sic res habet. Ne quid grauius in uam ciuitatem in publicis Comitiis statuapermittitur à rege, tribus aut quatuor ab vuaque ciuitate euocatis ciuibus, vt cum relius duobus Ordinibus suam sententiam de repropositis libere interponant. Proxime & ndum regem est Regni procurator, quem ernatorem vocant, huic prouincia adminidi regni incumbit, si Respublica rege orbeaut si rex per ætatem regni negocia non posbire, vel etiam si peregre & longius absit. t a. ordinũ regni auctoritas magna & propedũ absoluta, cõueniũtq; in publicis Comitiis o loco Ordines Ecclesiastici, Archiepiscopiscopi, Abbates & Priores. Secundo loco es, Marchiones, Comites, Vicecomites, nes. Tertio, Legati vrbium & oppidorum. nõante multos annos accesserunt duo Deti ex vnoquoque Comitatu. Dicit autem diem quo conueniendum est, eumque ordus constituit. Causas exponit Cancellarius i: ibi Ecclesiastici Proceres ex omni numeliticorum octo eligunt, & viciſſim Politici em ex numero Clericorum. Hi sedecim vnuenere, rursum nominant octo è Deputi Comitatuum, & totidem è Legatis oppidoet ita numerus virorum triginta duorum et. His præsident Cancellarius, Præfectus i, Custos Sigilli, Secretariusque regius. Hi omnes aut admittunt aut reiiciunt, quod ordinibus proponitur, postquam prius cum rege cõmunicauerunt consilia sua. Si quid admittatur, magna cura & sollicitudine ab ordinibus excutitur, ibi postquam in suffragia itum est, offertur regi, qui è vestigio vel placere sibi vel displicere ostendit. Si quæ res parum probetur, pro nihilo habetur.

Summum post ordinum regni conuentus lo. 17
cum obtinet Collegium Iustitiæ, Iacobus V. rex hoc instituit, constituto ibi præside & consiliariis XIV. septem Ecclesiasticis, totidem Laicis, Scribis tribus, Aduocatis vero totidem, quod videbantur è re & vsu esse. Audiuntur autem causæ singulis diebus, excepto die Dominico, suntque feriæ à primo die Nouembris vsq; ad decimumquintum Martii, & à festo Trinitatis vsque ad primum diem Augusti mensis. Iudicatur hic secundum leges Scotiæ municipales, quæ si deficiunt, recurritur ad ius ciuile.

Sunt quoque in singulis Prouinciis siue Comitatibus, qui præsunt singuli, quos Vicecomites antiquo vocabulo appellant, horum auctoritas in his rebus, quæ ad ciuiles causas & capitis summam pertinent, decidendis non aliunde pendet, quam à iure quodam hæreditario, quo etiam illos sibi Vicecomitatus vendicant: vt ii Vicecomites non à rege creati, sed à parentibus nati iure quodam dici possint. Sunt insuper alia Tribunalia, quæ vocãtur Commissariatus, quorum præcipuum est Edinburgi, vbi dicuntur causæ coram quatuor iudicibus in causis præcipue testamentariis, beneficiorum Ecclesiasticorum, decimarum, diuortiorum, & similium rerum, quarum cognitio pertinet ad forum Ecclesiasticum.

Quod ad iudicia capitis attinet, habet primus iudex Regius tribunal suum Edinburgi (quod officium olim peculiari quodam priuilegio spectabat ad Comites Argateliæ,) committunt autem iudices totam causæ cognitionem in rebus capitalibus, duobus aut tribus Iureconsultis, siue de vita siue de bonorum confiscatione agendum sit.

Licet autem reo capitis in hoc iudicio, etiamsi de crimine læsæ Maiestatis accusatus fuerit, patrocinio Aduocati vti ad causæ suæ defensionem. Quanquam & præter hos iudices alii quoque sint, quibus rex nonnunquam singulariter committit causas reorum capitalium, vt de iis cognoscant. Vicecomites in prouinciis Iurisdictioni suæ obnoxiis, & Magistratus Vrbani in oppidis de homicidio cognoscere possunt, & cędis reum ad mortem condemnare, si quidem is intra vigesimam quartam horam correptus fuerit: quibus horis elapsis, res ad iudicem Regium pertinet, aut eos quibus ab hoc commissum est. Vtuntur autem & eodem priuilegio quidã Nobiles, si intra eorum iurisdictionem homicida correptus fuerit, aut latro grassatorq;. Hæc de ciuili Scotici regni administratione dicere habuimus: veniamus iam ad Ecclesiasticam.

Religio quæ in Scotia obseruetur.

18 Fertur Scotia Fidem Christi suscepisse tempore Victoris I. Pontificis M. circa annum A N. C. CCIII. ita vt Idolorum cultus penitus cessauerit sub rege Crakinto, qui mortuus est anno Sal. CCXIII. Misit in hoc regnum Cælestinus I. Palladiũ, vt profligaret inde hæresim Pelagianã, quæ cæperat ibi pullulare sub Eugenio II. P. M. mortuo anno C D L X. Non fuit mutata ab eo tempore religio Catholica, vsq; ad nostram tempestatem, cuius mutationis non vltima causa fuisse videtur vicinia Angliæ, conantibus Henrico V I I I. & postea Elisabetha Anglorum regibus, Regem populumque Scotorum ab vnione Romanæ Ecclesiæ auellere. Et sane, si verum fateri volumus, fuisset Romanæ Ecclesiæ doctrina multo ante è Scotia eliminata, nisi eam Iacobus V. eiusque vxor Maria summa vi retinuissent.

19 Et hæc fuit causa, quod igne cremari iusserit Hamiltonium Comitem, quamuis consanguineus eius esset, quod conuictus fuisset de Hæresi, eodemque modo tractauerit plures in regno viros Nobiles. Anno vero MDXXXIII. conuocatos Ordines Regni exhortatus fuerit, vt in Romanæ Ecclesiæ fide & obedientia perseuerarent. Mortuus est Iacobus iste anno AN. C. M. D X L I. cum regni gubernationem reliquisset Mariæ vxori suæ, quæ ei quinto die ante filiolam pepererat nomine Mariam.

Quo non obstante, Araniæ Comes Gubernator regni & Tutor reginæ & eius filiolæ declaratus est. Egerunt cum hoc Angli magnis conatibus, si qua ratione Maria Stuarda hæres Scotiæ Eduardo Henrici regis filio matrimonio iungi posset. Cui cum se S. Andreæ Cardinalis opposuisset, Aranius eum in carcerem coniecit. Ibi primum ritus & Ceremoniæ Ecclesiæ Romanæ prope per vniuersum regnum cessauerunt, & Prorex Ministros in Cathedris constituit. Quo facto duæ per regnum exortæ sunt factiones, aliis quidem pro rege Angliæ, aliis vero pro regina vidua laborantibus, quæ inter has turbas, deserta Scotia in Galliam traiecit, assumta secum filiola, quæ postmodum nupsit Francisco Delphino Franciæ. cumque communicasset consilia cum Henrico II. Francorum rege & agnatis suis (erat enim filia Claudii Ducis Guisii) celeriter reuersa in Scotiam, Gubernatricem se dixit regni. Cumque plus fideret Gallis quam Scotis, eosq; his in præcipuis regni officiis præferret, quæsita est causa seditionis, mittentibus proceribus in Germaniam qui vocarent Ministros Euangelii, vt Romanocatholicos in odium adducerent.

20 Interea Iacobus filius nothus defuncti regis, cum Prior esset S. Andreæ, pertæsus vitæ monasticæ, petiit à Regina, vti sibi largiretur Comitatum Moræum. Repulsam autem passus, ingentes turbas dedit, quarum occasione vsi, qui diuersum à Catholicis docebant, magnos fecerunt in regno progressus. Postremo, cum Regina vidua mortua fuisset, Maria Stuarta, filia eius, quæ Catholicæ religioni fuerat addictissima, omnibus eam modis reducere in regnum atque stabilire conata, cum diuturnis detenta fuisset carceribus postremo capite plexa, ac securi percussa est in Anglia.

Quæ Historia, cum à diuersis scriptoribus diuersimode referatur, vnoquoq; suis indulgente affectibus, nos eius narrationi supersedebimus, incidit mors eius in 18. Februar. mensis anni AN. C. MDLXXXVII.

Hæc Maria Stuarta filia & hæres regni Scotiæ, vix in vitales auras prodierat, cum duo potentissimi reges ad eius adfinitatem aspirauerunt. Henricus quidem VIII. Angliæ rex, vt eam coniungeret filio suo Eduardo VI. & Henricus II. Galliæ, qui eam ambiebat pro Francisco Delphino, suo filio: quæ res duabus in Scotiæ regno & periculosis quidem factionibus occasionem præbuit.

Cincta fuit Maria Diademate regio mense e tatis XVIII. ducta in Galliam anno V I. Mariti nupsit tribus. Primo Francisco Delphino Galliæ, cum ipsa ageret annum X V. Delphinus vero XIV. vixerunt hi duo vna non omnino tribus annis.

Francisco mortuo reuersa in Scotiam, conuenit in manum Henrici Arlæi Stuarti nobilissimi iuuenis, qui vigesimum secundum annum ætatis agebat, omnibus charus, à paucis odio habitus. Vt autem Maria omnium principum mulierum in Orbe Christiano erat formosissima, ita nihil ad cæteras virtutes videbatur ei deesse. huius matrimonii initia fuerint indicata omnium felicissima, ob concordiam & amorem coniugum, cuius primus & nouissimus fructus fuit Iacobus V I. Magnæ Britanniæ rex. Cæterum hic amoris mutui feruor paulo post refrixit, interueniente exitiali coniugibus malo zelotypiæ, cui videtur nutrimentum subiecisse Spurius Iacobi V. Scotiæ regis, qui Henrico persuasit, vt spectante regina iam grauida, trucidari iuberet Nobilem quendam peregrinum, cui mulier exxe fauere iudicabatur præ cæteris. Et sane nimis videbatur hic familiariter vti gratia & fauore Reginę, cui adeo erat homo cordi, vt se sine ipso viuere non posse, quamuis grauida, dictitaret. Aliqui tribuebant hoc exquisitæ Musicæ scientiæ, quæ ipsi tantum apud reginam conciliasset gratiæ. Huius hominis cædes penitus interrupit coniugii concordiam, effecitq; vt in amoris locum irreconciliabile succederet odium. Rex cum esset Edimburgi & quiesceret, circa mediam noctẽ effracto vi magna cubiculo ingressi sunt assassini, qui subornati fuerant ad eum strangulandum: hi strangulauerunt regem.

Hoc ad istum sublato modum, dedit Maria fidem matrimonii Comiti Bothvvello, qui

magna suspicione erat interfecti regis. Vnde concitatus populus accusatam adulterii & parricidii reginam mancipauit carceri. Bothvvellus ufugit in Daniam, vbi in carcere mori coactus st. Maria cum euasisset è custodia, arma corriuit aduersus rebellem populum. Sed deserta bomnibus, coacta est fugere in Angliam d Elisabetham reginam suam consanguieam. Sed Scotiæ proceres grauissimis eam percuti accusationibus, quibus parum idonce reondebat, effecerunt, vt diuturno macerata rcere postremo securi percuteretur: de quo cto alii aliter sentiunt.

Interea dum captiua attinetur & postea capiplectitur Maria, in qui à Romana religione dirsam profitebantur, omnia in Scotia ad suum oitrium agebant, qui non contenti Catholicis eare molestias etiam regem admodum puem in diuersa à Romana fide educari, Caluiniaq; mysteriis; initiari curabant, vnde tantum adolescens in Pontificios eorumque cultus ionem concepit odium, vt ab eo omnib. dies vitæ abhorruerit. Constitutis enim legibus lesiasticis, eosdē obseruari iussit ritus & cerenias in Scotia, quos in Anglia vigere supe latius ostendimus. Idem quoque, sed etiam ratius facit, Carolus filius, Angliæ, Scotiæ, niæ rex.

Si tamen res quæ ad religionem Scotiæ spet, contemplemur pressius, inueniemus, Meonalem huius regni partem ob confinia Anum & commercia cum Belgis cæteris q; Gerris, acrius odisse Pontificios, quam Scotos ntrionales, qui adhuc rudiores sunt: & vrc oppida magis sequi noua dogmata, quam tes, qui ruri & in pagis habitant.

abet Scotia ab antiquis temporibus Archiepos duos, nempe, Sanct Andreanum, Prim Scotiæ, & Glascoensem.

rchiepiscopo S. Andreæ octo subsunt Epitus: Dunkeldensis, Abredonensis, Morais, Dumblanensis, Brechinensis, Rossensis, nensis & Orcadensis. Glascoensi suffraut tres: Candidæ casæ, Lismariensis siue Arnsis, Sodorien sis, seu Insularum, Suræ, Mulæ. Ecclesiastici olim Decretorum & conum auctoritate continebantur: nunc aut cæteri, legibus, quas Reges descripseaut regum voce confirmatas, tres ordines sse iusserunt, reguntur. Sequitur ergo vniclericorum ordo eandem viuendi ratiouam Ecclesiastici per Angliam, præferenuas constitutionibus veteribus, quibus maiores tot annis vsi fuerunt.

ENCHYS REGVM Scotiæ.

rant Scotorum Historiæ, Fergum quenm primum vsū fuisse titulo regis Scotiæ CCCXX. annis antequam Filius Dei in carne manifestaretur, eumque regnasse annis XXV.

Hunc secuti sunt hi. Ferritarus, qui regnauit annis XV. Mainus qui annis XXIX. Darnadillus. XXVIII. Reutherius XXVI. Reuthus, XIV. Thero XII. Iosinus XXXIV. Fimamus XXX. Durstо IX.

Euedus primus XIX. Gillesius vsurpator II. Euedus secundus XVII.

Ederus XLVIII. huius tempore Britannia tributaria facta est Romanis.

Eugenius I. regnauit annis VII. Metellanus tunc regnauit, cum Seruator noster in mundum nasceretur. tribuunt regno eius annos XXXIX. aiuntque mortuum anno Salutis XXXIV.

Carataces regnauit annis XX. mortuus anno Gratiæ LIV.

Corbredus regn. XVIII. annis, mortuus anno AN. C. LXXI.

Dardanus regnauit annis IV. moritur anno LXXIV.

Corbredus Galdus regn. ann. XXXV. mortuus anno CIX.

Luchtacus regn. ann. III. mortuus anno CXII.

Mogallus regn. ann. XXXVI. moritur anno CXLVIII.

Conarius regn. annis XIV. moritur anno CLXII.

Huic successit Ethodius huius nominis primus. Ethodio Satraeldus primus, Satraeldo successit

Donaldus primus, qui regnauit annis XXI. mortuus anno CCXVI.

Hunc excepit Ethodius secundus. Ethodium Atharicus. ex his duobus prior interfectus est, alter sibi ipsi manus intulit.

Nathalocus, cum crudeliter sæuiret in suos, trucidatus est ab iis anno AN. C. CCLIII.

Findacus regnauit annis X. mortuus anno CCLXIII.

Donaldus II. cum non nisi vnum annum regnasset, occisus est.

Donaldus III. & ipse cæsus, successorem habuit Cratinthū. Hic Fincomarcum, Fincomarcus Romachum, hic rursus Angusanum.

Eugenius II. regnauit annis tribus mortuus anno Christi CCCLXXIX. Tunc Maximus ab Imperatoribus Romanis missus, deinceps Tyrannus, vniuersam sibi subegit Britanniam, caruitq; Scotia regibus annis quadraginta quatuor, vsq; ad annum Salutis CDXXIII.

Fergutius secundus Eugenii nepos rex factus septem annis regnauit, obiitque anno AN. C. CDXXX.

Eugenius II. regnauit annis triginta & vno, mortuus An. Salutis CDLXI.

Huic successit Dongardus, Dongardo Constantinus, huic rursus Congalus qui mortuus est anno Salutis DI.

Congalus successorem habuit, Conranū qui cum regnasset annos XXXV. successorē habuit

Eugenium tertium. Eugenius Conuam, anno DLXVIII.

Rimatillus hunc excepit, successorem habēs Aidanum, qui posterior regnauit annis XXVII. mortuus anno DCVI. Huic successit Knuthus.

Eugenius IV. regnauit annis XIII. mortuus DCXXXII.

Ferequardus in carcerem missus successorem habuit Ioheuardum, qui regnauit annis XIV. mortuus anno DCXLVI.

Ferequardus Iouehardi successor, cessit Malvino, mortuo anno DCLXXXIV.

Hunc sequuntur, Eugenius V. Eugenius VI. Eugenius VII. princeps bonus & Religiosus, mortuus anno DCCXVI.

Inde Mordacus rex fuit, posthunc Ethfinus, Eugenius VIII. Fergutius III.

Hinc Saluatius, Archeuus qui & Achaius mortuus anno DCCCXX. Post Congalus, Dongalus, Alpinus, Remethus, Donaldus V. mortuus anno DCCCLX. Constantinus II. Etho.

Gregorius regnauit annis XXII. mortuus anno DCCCXCII. Donaldus VI. Constantinus III. qui regni sui anno XL. factus est Monachus.

Malcolmus I. hinc Duffus, Colenus, Kemetus, mortuus anno M.

Constantinus IV. regnauit annis tantum tribus, quem sequuti sunt, Grinus, deinde Malcolmus II. qui regnauit annis XXXI. mortuus anno MXL. Hunc sequuntur Duncanus & Machæus.

Malcolmus Camnorius regnauit annis XXX. mortuus MXCVII. cui successit in regno Donaldus VII.

Ethgarus. Fuit hic primus rex, qui in consecratione & coronatione sua sacram vnctionem adhibuit.

Dauid. Malcolmus V. Gulielmus Leo, qui regnauit per annos XLIX. mortuus anno AN. C. MCCIV.

Alexander, qui cum sine legitimo hærede decessisset, magnæ turbæ in Scotiæ regno ortæ sunt, quod tum erat in potestate sex virorū, qui expectabant, quem finem habitura esset contentio inter Iohannem Balliotum & Robertum Brusæum.

Iohannes adeptus Diadema beneficio regis Angliæ, præstitit ei iuramentum, reclamantibus tamen Scotis. Ad extremum ductus est in Angliam instar captiui, constitutis certis hominibus, qui ex Anglorū sententia regno præessent.

Robertus victo Eduardo tertio à Scotis rex salutatus est, possedit que Scotiæ regnum nemine interpellante.

Successit patri Roberto Dauid filius, sed profligatus per Eduardum Iohannis Ballioti filium fugit in Galliam. Neq; tamen Eduardus hic inter legitimos reges numeratur; nam Scotiæ præfuit Robertus Stuartus nomine Dauidis II. qui & id obtinuit, donec Dauid ex Gallia reuerteretur.

Dauide mortuo ordines elegerunt Robertum Stuartum nepotem Dauidis ex sorore, & Roberti Gubernatoris Scotiæ per absentiā Dauidis, filium

Successit huic Iohannes Naturalis Roberti filius, qui & ipse Roberti nomen sumsit.

Hinc Iacobus I. Iacobus II. Iacobus III. qui Diadema sumsit, annos natus septem, anno AN. C. MCDLXIII. Iacobus IV. Iacobus V.

Huic primo nupsit Magdalena Francisci primi regis filia. Deinde Maria filia Ducis Guisiæ vnde nata est Maria, nupta primum Francisco II. Gallorum regi: deinde Comitis Lenocii filio Henrico Arlæo Stuarto, hinc natus est

Iacobus VI. Angliæ, Scotiæ & Iberniæ Rex mortuus anno MDCXXV.

Successit huic filius Carolus, hoc tempore feliciter regnans.

HIBERNIA INSVLA, QVÆ REGIS ANGLORVM PARET IMPERIO.

SVMMA CAPITA.

1. *Antiqua Hiberniæ nomina varia: eius descriptio ratione situs secundum Ptolemæum alioſque Geographos, vt Maiorem Scotum & Munsterum.*

2. *Diuisio Insulæ in quinque præcipuas prouincias, & quot Comitatus vnaquæque prouincia complectatur.*

3. *Aer eius suauis & temperatus: quibus morbis Hiberni potissimum sint obnoxii.*

4. *Singularia quædam huius Insulæ in generatione animalium terrestrium, piscium & auium.*

5. *Admirabile genus auium, quas Martinetas vocant, quæ mortuæ à putredine immunes sunt.*

6. *Hiberni prisci soliti humanis vesci carnibus instar Canibalum & Anthropophagorum: quin propinquorum mortuorum cadauera vorare adsue*

7. *Agilitas summa & animositas Hibernorum. tus eorum in Baptizandis infantibus suis, quos quo pa educare soleant,*

8. *Furtum apud Hibernos infames non facit, sed la de dignum habetur.*

9. *Matrimonia inter Hibernos contrahuntur verba de futuro, non autem de præsenti.*

10. *Preces ordinariæ Hibernorum, quas concipiu silente Luna.*

11.

11. *Victus & alimoniæ Hibernorum ratio.*
12. *Galuesium & VVaterfortum oppida mercimoniis celebria.*
13. *Militia Hibernica in tres diuisa ordines. Vtribus inflatis vtuntur loco tubarum militarium.*
14. *Propugnacula in Hibernia extructa, auspiciis & sumptibus Elisabethæ & Iacobi VI. regum Angliæ.*
15. *Quo tempore Hibernia sub potentiam Anglorum deuenerit.*
16. *Iberni feri & agrestes à quibus regantur domibus & iudicibus.*
17. *Tribunalia & officia per Hiberniam.*
18. *Hiberni quando primum Fidem Christianam susceperint.*
19. *Comes Tirouensis Catholicus, concitata seditione Insula pellitur.*
20. *Edictum a.d. XXX. Ianuarii anno MDXCIV. Prorege & consiliariis Hiberniæ propositum, quo proscribuntur Episcopi, Prælati, Iesuitæ, formatores iuuentutis Catholici, vt exulent ab Insula.*
21. *Archiepiscopi & Episcopi in Hibernia qui.*

QVæ nobis vulgo Irlandia vocatur Insula, ea apud Priscos varia habuisse reperitur nomina. Quidam n. è veteribus eam Iernen, & Irin, Ogygiam, alii Iuernen, Iuerniá, postremo Hiernam appellauerunt. Incolæ eam Erin dicũt: ngli Ireland. Sita est inter Circulum Arcticum Tropicum Cancri, quamuis magis versus Pom Arcticum extendatur. Protenditur hæc Inla ab Austro in Aquilonem forma ouali C C. millibus passuum, latitudine vix C C. imet. Habet hæc Insula quam Ptolomæus Parm Britanniam appellat, hos terminos. Ab orBritanniam maiorem, à qua mari Hibernico celloso & vadoso vnius tantum diei nauigane discluditur. Ab Occidente vastum Oceam. A septentrione, qua Oceanus Deucaledois intercedit, habet Islandiam, à meridie Hiniam, à qua trium dierum nauigatione di-

Tradit Iohannes Maior, natione Scotus, Dor Parisiensis libro 1. de Gestis Scotorum, Hiniam olim appellatam fuisse Scotiam, eam o partem Britanniæ maioris, quæ hodie aplatur Scotia, ab Anglia diuisam non fuisse. o pacto autem factum fuerit, vt ea pars Is Scotia postmodum appellaretur, exponit in Maior, & cum eo Munsterus lib. II. Cosmoph. cap. XI. vbi aiunt, populos Hiberniæ antitus Scotos vocatos fuisse à marte Iberi ducis um, cui nomen fuerit Scotæ: eos autem cum a limites Hiberniæ se continere non possent, num adiecisse ad occupandam vicinæ Briniæ partem, quæ Albania dicta fuerit, siue Al. Igitur Hibernos aliquot in eam Insulam, alidas quidem fecisse expeditiones, parumabfuisse, quin tota potirentur Insula, nisi anni Saxones in auxilium aduocassent. Qui ex Germania in Britanniam venissent, coeunt Hibernos aliquot præliis victos in extremum versus septentrionem Insulæ Angulum se recipere, vbi aquarum & montium beneficio tuti peculiare erexerunt regnum, quod Scotiam vocarunt. Obseruat autem idem Chronographus, etiam nostra ætate linguam Scoticam ex veterum Britannorum & Hibernorum idiomate mixtam esse, quod in Scotia Iberni iunctim cum Britannis habitassent.

Diuiditur Hibernia in quinq; partes seu prouincias. In *Lageniam*, quæ ad orientem est Angliæ proxim: *Connaciam*, quæ ad occidentem vergit: *Vltoniam*, in septentrionali parte: *Momoniam* in Australi plaga sitam: & *Mediam*, quæ medio loco sita à cæteris clauditur. 2

Comitatus habet *Lagenia* hos: *VVexford, Caterloch, Kilkennus, Dublin, Kildar, Comitatum Regis, Comitatum Reginæ, Longford*, quib. *Fernei* & *VVicklo* nunc annumerantur. *Connacia* distribuitur in Comitatus VI. *Clariæ, Lerinimæ, Galueiæ, Roscomni, Maio & Slego*. Vltoniæ Comitatus sunt hi. *Louth, Doun, Antrimme, Monahon, Tiroen, Armack, Caltrane, Donergall, Fermanagh & Couan*. *Momoniæ* Comitatus sunt hi. *Kerryensis, Limmiricensis, Corcagiensis, Triparariensis, Sanctæ Crucis, VVaterfortensis*, quib. etiam *Desmonia* accensetur. *Media* vero prouincia hos habet Comitatus: *Esthmethensem, VVestmetensem, & Lonfortium.*

Qualitas terræ in Hibernia.

Aer Insulæ temperatus est & salubris, cælum 3 mite, clemens, blandum, vt neque æstiuo calore incolæ ad vmbras & loca opaca impellantur, neque frigore ad focos: fruges tamen hic rarius ad maturitatem perueniunt. Nec hæc tellus venenata animalia gignit, nec aliunde importata fert. Humiditas tamen nimia aeris & terræ in causa est, vt incolæ frequentibus infestentur catarrhis & ventris profluuio, cui vtriq; incommodo obuiam eunt frequenti vsu vini distillati, siue, vt vocant, aquæ vitę. Est autem vniuersa regio mõtibus aspera, paludib. vuida, syluis nemoribusque plena, exposita ventis, multos hinc inde stagnantis aquæ lacus habens, etiam in ipsis montium summitatibus. Nec portubus marinis bonis commodisq; destituitur, habetq; alicubi elegantes campos & loca plana, sed hæc perexigua sunt, si cum immani terrarum spacio, quod à syluis occupatur, ea conferas. Est tamẽ vniuersa Hibernia satis fertilis, si Vltoniam excipias, quę alicubi ferax est, alicubi vero sterilis: quanquam & connactia minus culta sit, plena vbiq; syluis, montibus paludibusq;. De hac Insula Mela ita scribit: *Adeo luxuriosa est herbis, non latis modo sed etiam dulcibus, vt si exigua diei parte pecora se impleant, & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliãt.* Hinc pecorum infinita multitudo, & ingens butyri, lactis & casei abundantia. Tritici hic aliquis prouentus, cuius tamen grana contracta & minuta, & vix alicuius vanni beneficio purganda. Vites, si quæ ibi sunt, ornatui magis quam vtilitati seruiunt. Sole enim cæleste virginis signum percurrente, oborti venti frigidiores terram perflant, nec calor post-

postmeridianus satis est efficax ad maturandas vuas. Equi hic generantur optimi (*Hobios* vocant incolæ) quibus non idem qui cæteris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glome atio. Bestiam vllam noxiam non gignit, præterquam lupum & vulpem. Cętera animalia, quæ hominum assuetudine cicurantur, pleraq; hic minora sunt quam alibi. Syluæ per Hiberniam omnia prope ferarum genera habent: cerui præ nimia pinguedine parum ad cursum apti sunt, nec multum canibus currendo faceſſunt negocii. Aprorum magna hic copia leporesque permulti, sed caret Damis, Capreis & Erinaceis. Talpæ nullę vel rarissimæ, contra mures infiniti. Falcones, Accipitres & Nisos præ aliis regionib. copiose producit, vt & Aquilarum copiam, quarum hic non minor est numerus quam alibi Miluorum.

Tanta vero se multitudine Grues ingerunt, vt vno in grege centum frequenter reperias: in Boreali etiam plaga cygni abundant. Ciconiæ per vniuersam Insulā rarissimæ sunt, & illæ quidem nigræ. Perdices tamen, Phasiani, Picæ & Luscinię hic deesse dicuntur.

Piscium tam marinorum quam eorum, qui in aquis dulcibus capiuntur, ingens hic copia, cum tam multis lacubus fluuiisque irrigetur Insula, plenis piscium, vt non vsitati solum & peregrini generis pisces hic inueniantur, quos apud alios populos frustra quæsieris. Tanta insuper apum multitudo hic (etsi fuerint qui hoc negare voluerint) vt non solum in alueariis reperiantur examina, sed & in truncis arborum, rupiumque cauernis. Effoditur etiam alicubi è terra, nigra quædam massa sulphurea, vtilis ad concipiendū fouendumq; ignem, cum non vbique satis sit ad focum lignorum. Est & ibi captura margaritarum.

Scribit Giraldus de hac insula memorabile quiddam, quod nos silentio non præteribimus: Ex lignis quibusdam in mari temere natantibus, gummi primum effluere: hoc gummi postea in crustā indurescere, intus nasci animalcula, quæ primum vitam, postea rostrum, pennas, alas cōcipiant, deniq; vel in aere volitent, vel aquis innatent, neq; aliter generari hanc volucrem. Testatur idem scriptor, se istiusmodi aues permultas vidisse semiformatas, rostillo ex testulis pendentes, quæ si perfectæ fuissent, reliquarū more volitassent.

5 Inueniuntur in Hibernia aues quædam, quas ipsi Martinetas vocant, merula minores, in modum coturnicum curtæ, sed albo ventre nigroq; dorso. Mira narrant de his auiculis, quia si mortuæ in loco sicco seruentur, putrescere nesciunt, & inter vestes aliasq; res locatæ, eas indemnes à tinea conseruāt. Quodq; longe stupore dignius est mortuæ quoque in sicco suspensæ, recidiua plumarum renouatione singulis annis immutantur.

Ernus lacus cum piscosissimus sit, præter alios tamen abundat Salmonibus, qui cæteris per orbem suauitate gustus minime cedunt.

Mores Hibernorum antiqui.

6 Refert Strabo, priscos Hibernos feritate multo fuisse ante veteres Britannos, vt qui soliti fuerint vesci carnibus humanis, omnium mortaliū voraciſſimi, honestissimum iudicantes, corpora parentum defuncta laniare dentibus, & in ventriculum demittere. Cū alienis cubare mulieribus, vt & cum matribus sororibusq;, interes licitas erat. Mela eos facit supra modum agrestes, virtutis ignaros, ab omni pietate alieniſſimos. His addit Solinus, potitos victoria, solitos cruore interfectorum oblinere facies, post eos terra condidisse. Iuris apud hos, iniustitiæq; discrimē nullū, vt idē scriptor habet. Cū mulier filiolum peperisset, primum infantis cibum mucroni gladii paterni impositum, suauiter inserebat ori pueri, addita imprecatione, ne vnquam præterquā in acie & inter arma ipsum mori contingeret. Qui inter Hibernos eminere cupiebant, ornabant capulos gladiorum suorum dentibus magnorum piscium, quos non alibi quam in suo littore capi nouerant, accedentibus ad eboris duritiem & candorem, vt ostenderent, omnem Hibernorum gloriam in armis consistere. Hæc fere sunt ea, quæ priscorum scriptorum de Hibernorum moribus nobis offert auctoritas: quanquā facile creditu sit, non omnes cognitos fuisse, ob miram gentis feritatem & barbariem, ad quos ne accedere quidem tutum erat, quodq; nihil admodum desiderabile haberet ea Insula, & exteris magnopere expetendum. Quid enim attinebat, magno cū labore ad barbaros hos adnauigare, & inter eos incredibili cum periculo versari, vt satisfaceres ineptæ curiositati, & efferatorum hominum cognoscere mores? Quod cum dico, de antiquis Irlandorū moribus accipi volo, qui enim eos quales nostro æuo sint, noscere voleat, is legat Sylvestrem Giraldum, quem in superioribus laudauimus, alioſque, qui sine dubio desiderio eius satisfacient.

Mores Hibernorum nostri temporis.

In vniuersum Hibernorum gentem consideranti patebit, eos esse robustos, agiles, audaces, qui nihil cunctantur, cuiuis se exponere periculo, patientes laborum, frigoris, famis, & omnium, quę bellum secum fert, incommodorum. Amori gens ēt in frigido humidoq; solo dedita, comis erga peregrinos, in amicitia constans, in odio irreconciliabilis, facilis ad credendum, gloriæ auida, iniuriarum impatiens, siue verbo siue facto lædantur. Qui malus inter eos est, peior esse non potest: qui bonus, vix melior. Durę infantes eorum baptizantur parentes agnatique plerumque prophana illis imponunt nomina, adiungentes appellationem aliquam a euentu petitam, vel à colore, puta rubicundo albo, nigro, vel etiam à morbo aliquo, aut alia re simili: aliquando etiam nomina quę parum absunt ab iniuria aut probro, cuiusmodi generis sunt, scabiosus, claudicans, supe-

bus & eiuſmodi. Etſi autem iniuriarum ſcommatumque ſunt impatientiſſimi, tamen ne magnates quidem, qui litteram O. ſuis præponere ſolent nominibus, ab his titulis abhorrent. Nomen parentis vel agnati alicuius puero imponere nefas arbitrantur, quod credant illum à quo nomen mutuaretur, citius moriturum.

Patre autem mortuo, filius eius vtitur nomine, ne id pereat, inprimis ſi progenitores eodem vſi fuerint, aut ſi aliquid læti ferat ominis. Hauſerunt hanc opinionem è Poetis, qui lingua eorum patria ſcripſerunt, maiorumq; fortia facta litterarum monimentis conſignauerunt, admiſtis innumeris fabulis, quibus non parum inter populares acquiſiuerunt. Nam fœminæ, quæ recenter nupſerunt maritis, aut quæ nuper pepererunt, turpe ſibi ac infame exiſtimant, niſi laudatores iſtos ac præcones vel noua veſte, vel alio aliquo munere afficiant. Mulier quæ infantem enixa eſt, ſeptimo poſt partum die, marito, vt ante, cohabitat. Si fœmina aqua illuſtrior peperit, continuo inferioris ordinis mulieres confluunt ad puerperam, nutricis officium ambientes, tanto quidem affectu, vt infantes hos propriis ſuis præferant liberis. Etſi autem, vt diximus, rebus venereis admodum dediti ſunt, vterq; tamen, vir & vxor conceſſu maritali abſtinent, amore pueri lactentis, ne lac fiat deterius. Quod ſi negligatur, ſubmota nutrice ſubſtituitur alia. Vbi infans ægrotare deperit, nutrix eum inungit veteri vrina, & contra faſcinationes eius collo appendit non ſolum initium Euangelii Ioannis, ſed & clauum inſertum, vngula equina extractum. Eodem fine nutrix & infans cinguntur cingulo ex capillis muliebribus facto. Sed & puellæ amatoribus ſuis dono offerunt armillas, è capillis ſuis intortas factaſq;. Qui eadē in infantia ſuxerunt vbere, ardentiſſimo ſe inuicem amplectuntur amore, fitq; nonnunquam, vt maior ſit amor & concordia inter fratres collactaneos quam inter vterinos. Percuſſi à parentibus pueri, ad nutrices confugiunt, qui & amore in hos cum geminis parentibus certare honeſtum ducunt. Capto in morbum puero, è veſtigio currit nutrix ad ægrum, quamuis per aliquot abſit millia paſſuum.

Ocio gens eſt ſupra modum dedita, in magna felicitatis & diuitiarum parte collocantes, ſi omnibus feriari liceat operibus. Muſicæ ſtudio vehementer capiuntur Hiberni, inprimis excutiendæ citharæ quam Harpen vocamus. Ad vitam ingrediuntur Monaſticam, auſtere & duriter obſeruant regulam, incumbentes vigiliis, vigiliis, macerantes carnem ſuam creberrimis ieiuniis, vt mirandum adeo non ſit, quod veteribus eorū in hiſtoriis perſcribitur Monachis. Mulieres & puellæ, quæ Catholicam ſectantur religionem, ſingulis diebus Mercurii & Sabbathi ieiunant. Eæ vero fœminæ, quæ vel profligato pudore male facere didicerunt, peiores ſunt quam quiſquam credere poſſit. Solebant olim cortice & foliis populi arboris tingere camiſias ſuas, & ad hunc modum flauo colore inficere, ſed is mos noſtra ætate exoleuit. Mirum tamen eſt, quod aiunt eos humanæ vrinæ immergere linteamina, neſcio pol qua gratia.

Furtum in Hibernia neminem infamem 8
reddit, quanquam frequentiſſimum ſit inter eos: colorem huic rei quærunt, cum dicunt, maiores ſuos ad eundem victitaſſe modum, qui nihil turpius iudicauerint quam labore aut opere manuario tolerare vitam. Aiunt indicium degeneris animi eſſe, totam dormire noctem, cum viris fortibus conueniat, de nocte ſurgere ad faciendas prædas & exercenda latrocinia: qua quidem in re ne Templis quidem locisq; ſacris parcunt, ſed ad extremum pilum ea exſpoliant, interfectiſq; hominibus nonnunquam ædificiis ignem ſubiiciunt.

Matrimonia præterquam in oppidis, ſunt 9
inter eos rara, quæ tamen & ipſa non per verba de præſenti ſed futuro concipiuntur. Hinc frequentia & leui de cauſa inter illos diuortia, vt maritus aliam ſibi quærat vxorem, vxor alii nubat viro, vt de matrimonio fere nemo certus eſſe poſſit, vſque ad alterius mortem. Vnde perpetuæ controuerſiæ & lites de bonis & poſſeſſionibus, frequentes rapinæ, homicidia & odia immortalia. Vxores à viris domo exactæ veneficos conſulunt, ſi qua ratione nouam nuptam ſiue pellicem excantare & ſterilem reddere poſſint, aut noxiis implicare morbis. Vterque ſexus multum tribuunt ſubflaueſcentibus capillis, quos promittunt, inque antias contortas pro ornamento oſtentant.

Hiberni ferociores ſiue barbariores (dupli- 10
ces enim ſunt, quod & de Scotis diximus) ad ortum nouæ lunæ in genua ſubſidunt, recitatiſque preculis nonnullis ſubiungunt: *vt nos ſaluos ſanoſque offendiſti ita relinque.* Præcipuum precum earum argumentum eſt, vt à lupis cuſtodiantur, ſic cætera ſalua fore rati. Mulierem, quæ primo die Maii menſis à vicina ignem petit, cæteræ pro non dubia habent venefica: neque ſane dant vlli præterquam in vſum ægrorum, perſuaſæ, eas quæ hoc pacto ignem nactæ fuerint, accipere potentiam, per totum annum furandi caſeos. Kalendis Maii ante portas ſinguli defigunt arborem, hac ratione fieri arbitrantes, vt armenta eorum lacte abundent per totam æſtatem. Equum vel aliud animal laudare nefas exiſtimant, niſi hæc verba addant: *Deus te ſeruet,* quod niſi fiat, cæteri in terrā deſpuunt, quaſi ſtultitia etiā alibi in vſu eſt. Quod ſi intra diem tertium aliquid ægritudinis equo accidat, aduocatum eum, qui laudauit, cogunt, vt in autem animalis inſuſurret Orationem Dominicam. Nouerunt mulieres Hibernicæ plerumque varias incantationes, ſed ſub pietatis ſpecie ſemper carminibus ſuis præmittunt ſalutationem Angelicā: ſed hoc faciunt mulieres Catholicę. Si quis morbo correptus decūbat, qui eum offi-

officii gratia inuisunt, sedulo cauent, ne de morte, vel testamento, vel salute animæ procuranda verbulum vllum faciant, sed tantum de recuperanda sanitate. Si quis æger Eucharistiam petat, illum pro desperato & perdito habent. Quod si quem mori contingat, tantos cæteri clamores & eiulatus cient, vt qui nesciat morem eorum, ruiturum mundum credat.

11 Alimonia eorum maxima ex parte tenuis est & simplex, vescuntur enim fere herbis, radicib. & fungis, & butyro, cum admista farina auenacea. sæpius tamen lacte, carne, eiusque decocto, frequenter sine pane, frumentum enim suũ pro equis seruant, quorum exquisitam gerunt curam. Cum fames eos acrius vrget, crudis vescuntur carnibus, superinfusa ad digerendum aqua ardenti vel vino adusto. Agrestiores inter eos sanguinem è boum venis eliciũt, qui postquam coagulatus constitit, admisto butyro comedunt. Quocunq; eant, nudis fere incedunt capitibus, nisi cum in militiam prodeuntes galea ferrea tegunt, promittentes crispam cæsariem, deforfice aut cultro rasorio loquentem nullo modo ferentes. Hæc de septentrionalibus Irlandis dicere habuimus, qui multo sunt feritate ante cæteros. Etsi enim alia quoque ab historicis referantur, vereor tamen, vt illa citra nauseam & tædium lectoris recitari possint.

Diuitiæ Hibernorum.

12 Consistunt potissimæ huius gentis opes in mercatura, quam exteri ad hanc adnauigantes Insulam in ea exercent, vendentibus incolis lanam peregrinis, quod vnicum prope est apud eos mercimonii genus. Galuetum oppidum hãc ob causam celebrius est, non tantum quod frequentes eo accedant negotiatores extranei, sed & quod multi mercatores cum re lauta ibi habitent. Huic tamen non cedit Waterfortum ob mercatorum frequẽtiam, qui ab omnibus partibus eo confluunt. Gignit in plerisque locis Hibernia, quantum ad habitatorum vsum necessarium est, quod ita accipi velim, vt nihil hic ad deliciascreari intelligatur. Diuitiæ eorum prope omnes & oblectatio consistit in armentis, vbi tamen vaccas reddere lac negant, nisi vitulos suos ad latus sibi adstare videant, vel saltem coria vitulorum occisorum, paleis aut stramentis effarcta, vt vel odore vel specie decipiantur.

Emolumentum, quod Rex Angliæ inde percipit, exiguum est, cum quicquid ibi est prouentuum, fere in præsidiarios milites insumatur, qui magno numero regiis impensis hic aluntur. Qui per Hiberniam more Romano viuere volunt, necesse est, vt tributum annuum pro incolumitate soluant quæstorib. regiis, etsi non permittatur iis religionis exercitium.

Robur & potentia Hiberniæ.

13 Constat talibi, ita apud hos quoque militia om nis in peditatu & equitatu. Adsuetaciunt autem equos suos, vt eos ad voluntatem habeant, insiliantque sine vllo adminiculo, etiam loricati. Huius rei causa non in equo duntaxat, qui ita tractabilem se præbet, sed & in ipsa Hibernorum agilitate, qua de superius diximus. Hastas bene ponderosas circa medium manibus prehensas supra capita in hostem vibrant. Inter peditesquidam sunt sagati milites valde robusti, quos *Galeglassos* vocant, & tela pedalia securibus similia, eaque gemina, cultris tonsoriis acutiora, longiusculis hastilibus affix[illegible] sunt, & totius Hibernici belli fundamẽtũ ac robur sunt. Secũdum locũ obtinẽt peditesleuis armaturæ, prælongis latisq; vtentes gladiis, ab indigenis *Carni* appellati, neminem occisum putantes, nisi capite truncatum. Tertio in loco cõstituuntur, quos ipsi cursores appellant, sua lingua *Daltinos*, qui inermes ingrediuntur, & ministros se præbent peditibus. Totus autem tam Equitatus quam peditatus, quoties ad man⁹ venitur, magnis clamoribus vocem *Pharro* ingeminant. Sed & cum in belli expeditionem eunt, in ipsis oppidorum pagorumque portis iisdem intonant clamoribus eos qui non valide vociferantur, infelices futuros augurantes, vniuersum autem silentium pessimum omen interpretantes. Omnes autem tibiis vtricularibus pro tubis vtuntur, aulædos pro cornicinibus habentes. Est autem Hibernia Insula populo frequentissima, vnde numerosus inde cogi potest exercitus, militibus animosis constans, vt videantur vinci non posse, nisi intestinis laborent dissidiis. Sed iam ab antiquo civilibus flagrauere discordiis, quibus via ad dominium strata est Anglis, & finis impositus eorum libertati.

Rex Anglus, qui nostro æuo his quoque imperat, præsidia peditum habet in decem munimentis, additis nonnullis equitib. vt omnis militum numerus accedat ad XII. millia: quorum præsidiorum prima cõstitutio, Elisabethæ reginæ accepta ferenda est, post nouissimas turbas. *Almach* nomen est oppido Archiepiscopali, præteris munito, à qua non procul abest versus orientem aliud oppidum, *Tridatum*, quod videtur omnium Hibernicorum munitissimum. *Dublinum* sedes regia est, firmis cinctum mœnibus, habens portum, vnde commodissima in Angliam transfretatio. Ad Septentrionale latus vnus locus est munimento firmatus, *Vocuerga* nomine: at versus Angliam inuenies oppida munita septem, quæ suis portubus marinis, nempe *Dublinum*, *Anglesnum*, *Posciam*, *Limbracum*, *VVaterfortum*, *Rosaum*, *Lorchium*. *Crusalia* enim est meridionalior.

Mare quod Hiberniam & Angliam interluit vadosum est & inquietum, propter fluuios, qui magno numero ex diuersis partib. in id influunt, vnde confusi æstus & contrarii fluctus illud assidue turbant, non sine periculo nauigantium. Postremo, non video causam, cur Angliæ regnum metuere debeat ab vllius exteri Principis potentia aut insultu, tam ob egregiam situs rationem, quam ob munimenta & præsidiorum firmitatem: nisi ipsi Hiberni, qui hactenus in fidem

Angli

Anglos perstiterunt, mutata voluntate communiter rebellent.

FORMA REIPVBLICAE PER Hiberniam.

Habuit Hibernia quondam multos regulos, iunc autem Anglis paret, sub quorum dominium delapsa est anno A N.C.MCLXXV. quo Rodericus Connaciæ regulus se regem Vniersæ Hiberniæ nominauit: qui cum totius Insulæ Imperium affectaret, bellum continuum ùm cæteris regulis gessit, vt qui erant per Inulam reguli, pertæsi hominis Tyrannidem, se ponte ac sine vlla sanguinis effusione Angloum regi Henrico secundo dediderint: ab eo empore omnes Anglorum reges Domini Hiernię dicti sunt, vsq; ad Henricum Octauum, ui Rex Hiberniæ ab Insulæ Ordinibus & Proribus salutatus fuit, quia quibusdam seditios Domini nomen erat inuisum. Mittit eo Aniæ rex proregem, quem superioribus annis onseruatorem Irlandiæ vocare solebant. Huic lduntur Iustitiæ administri, Iudices, Legati & eputati. Omnes autem muniuntur litteris iblicis regiis, quibus magna eis per prouincias rmittitur auctoritas, & propemodum regia: ossunt enim Proreges inferre bellum, quibus detur, rursumque constituere pacem, constiere Magistratus, paucis exceptis, gratiam fare criminum & delictorum, præter Læsæ Mastatis: creant insuper Equites & multa faciunt iusmodi.

Quod si quis ad tale aliquod officium protus à populo recipiendus est, leguntur pulcè diplomata illa regia. Post vbi legitimum æstitit iuramentum, traditur ei in manum adius (inprimis si sit Prorex) deinde collocar in sede, præsente Cancellario regni, præcis consiliariis Caduceatore & armigero, cæisque ministris regiis ac honorariis. In sumo Consilio hi sunt assessores: Cancellarius, hesaurarius regni, Comites, Episcopi & Iudis è sanctiore tribunali. Habet enim Iberniasdem prope Ordines quos Anglia.

Diuiditur autem Hibernia, vt superius quoe attigimus, pro moribus incolarum eorume diuersitate in duas partes. Hibernorũ enim pars, quæ contemtis legum repagulis excuque obedientia barbarorum ritu viuunt, vercula lingua vocantur *Wild Irisch*, id est, Siluees Hiberni. Qui vero legibus reguntur, aplantur Anglo-Hiberni: & eorum prouincia minatur *The Englisch Pale*. Anglice naturaliter ncorruptè loquuntur, Hibernice tamen loentes intelligunt, propter quotidiana comrcia. Habent Hiberni primarios quosdam vi, vel potius Tyrãnos, quorum dominio pluenentur: sub Anglorum iure & imperio, nisi ulate & quamdiu Angli milites eorum terria depopulantur, teneri nolunt. Præponunt nominibus suis literam O. vel Syllabam ac, vt *O-Neal, Mac Ponell*. Vtũtur hi particulari quodam iure vel potius abũtuntur, vt insolentia eorum à multitudine vix ferri possit. Faciunt hi de bonis eorum quos sub sua potestate habent, quicquid visum fuerit, freti Galloglassis cæterisque militibus vel potius latronibus, quos circum se alunt. Constituunt certa iudicia, iudicesque patria lingua Brehonios vocant. Sunt hi ex vna familia procreati, & quamuis scientiam iuris non habent, ius tamen dicunt vicinis, certis quibusdam diebus, in edito quodam monte. Illic reorum, qui accusantur, proprium est, Nego, & nisi conuincantur, euadunt: si deprehendantur in manifesto furto aut latrocinio, condemnantur, frequentius tamen ad restitutionem ablati.

Ius successionis in Tyrannide hi homines nõ obseruant; sed si quis bona natus prosapia fortior sit aut audacior, concitata factione & seditione dominatum arripit, eiectis omnibus defuncti liberis agnatisque: inde collocatur inuasor ritu planè barbarico in thronum lapideum, ostentaturque omnibus in edito quodam monte. Habent & legem quandam patria lingua appellatam *Thanistri*, qua designatur successor, puto à vocabulo Gotico vel Danico *Thane*, quod Nobilem significat. Cæteri per Iberniam Magnates rationes & leges Anglorum sequuntur.

Possunt Ordines Hiberniæ plus quam omnis 17.
reliqua multitudo, qui conueniunt ad arbitrium Proregis, quanquam regnante Eduardo II. rege lex lata fuerit, vt singulis annis conuentus Ordinum haberetur. Sunt & quatuor alij conuentus Iuridici sicut in Anglia, & Curiæ quinque: Camera Stellata, Cancellaria, Bancus regius, Bancus decretorum communium, & Fiscus regius. Habet insuper vnusquisque comitatus suos iudices, velut Irenatchas, ad conseruandam pacem. Est & Regis nomine in iudiciis Apparitor Legitimus, cum Procuratore generali & Sollicitatore.

In prouinciis Hiberniæ remotioribus sunt constituti Gubernatores quidam, qui ius dicant: vt in Connacia vocatur Principalis commissarius: in Momonia Præses: habentque hi suos in senatu assessores, lectos ex nobilibus & Iureconsultis.

Habet Hibernia easdem leges municipales quas Anglia, vt & leges Parlamenti, erantque in Parlamento Hiberniæ leges Anglicanæ in vsu vsque ad Henricum VIII regem, cuius regni anno decimonono receptæ confirmatæque sunt decreto & auctoritate Ordinum. Sed ab eo tempore peculiaria sua habuerũt statuta Parlamentorum.

Præter Magistratus Ciuiles est etiam quidam Militaris, quem Marescallum vocant, cui incumbit disciplina militaris, vt compescat insolentiam militum & seditiosorum. Fuit hoc officium plurimis annis penes Barones Morlæos in Anglia, qui id acceperunt ab Iohanne rege. Habet Marescallus suum Legatum, quandoque etiam plures, prout tempus & vsus exigit. Funguntur hi seuere officio suo, nixi auctori-

tate litterarum sigillo magno Hiberniæ munitarum.

Habes, Lector, formam reipublicæ siue gubernationis in Hibernia, cum enarratione tribunalium, curiarum, & Iudicum ministrorumque Iustitiæ, vnde apparet, vel parum vel nihil hæc differre à legibus & consuetudinibus Anglorum.

Antequam autem hunc sermonem concludam, non possum silentio prætetire laudabilem Hiberniæ consuetudinem, qua nulli feruntur Danistæ, fœneratores aut Vsurarij, qui duplicato fœnore & intolerabilibus vsuris prouincias argento exhauriunt. Felices fore arbitrantur cæteras quoque prouincias, si hunc eundem obseruent morem, profligatis sanguisugis istis, qui habent instar lienis in corpore humano, qui nõ crescit nisi cum totius corporis nobiliorumque partium detrimento. Euigilate Principes, & has pestes publicas è regnis prouinciisque longè profligate.

DE RELIGIONE ET REBVS Ecclesiasticis per Hiberniam.

18. Dicitur hæc Insula fidem Christi suscepisse anno ab eius natiuitate CCCXXXV. regnante in Scotia Fincomarco. Factum hoc est opera fæminæ inter Pictos, quæ nacta familiaritatem cũ Regina, exposuit ei fidei Christianæ capita, eamque ad Christianismum conuertit, quod factum est anno A N.C.CCCXXII. Regina porro cum regi exposuisset quæ didicerat, ad fidem Christi cõuertit maritum, qui cum magna populi multitudine Baptismũ suscepit anno CCCXXXV. Perstiterunt in accepta doctrina Hiberni vsque ad tempora Henrici VIII. Anglorum regis, qui noua ibi cæpit spargere dogmata, quæ postmodum multis modis auxit fouitque Elisabetha regina, profligato etiam Tiroënsi Comite, qui rebellionis suæ, de qua iam non est dicendi locus, etiam hunc prætextum quæsiuit, quod diceret, videre se non posse extinctam religionem Romanam.

19. Sed adeò fuit infelix eius conatus, vt victus omniq; expulsus Insula, aliũ ad quem se exul reciperet, non haberet, quam Pontificem Romanum. Iacet igitur in Hibernia Romanæ religionis exercitium; quod si qui intra priuatos parietes interesse Missæ deprehensi fuerint, præterquam quod qui Catholico more viuere volunt, quotannis statum persoluere tributum coguntur, condemnantur insuper ad ingentem multam pecuniariam, qua persoluta eos ad mendicitatem redigi necesse est. Sacerdotes verò comprehensi perpetuo mancipantur carceri. Non viget igitur alia per Hiberniam publicè religio, quam ea quæ in Angliæ descriptione exposita est.

Eadem porro Edicta, quæ contra Catholicos in Anglia publicata fuerunt ab Elisabetha & Iacobo regibus, in Hibernia quoque proposita sunt: præter quæ Prorex Insulæ, de voluntate supremi Consilij proposito nouo Edicto a.d. XXX Ianuarij mẽsis anni A N.C.M.D.CXXIV proscripsit ex vniuersaque insula exulare iussit omnes Archiepiscopos, Episcopos, Iesuitas, totumque adeo ordinem Clericorum, cum informatoribus scholasticæ iuuentutis. Cuius Banni sententia hæc est.

Ait primo notum vulgo esse, quot malis damnisque affectũ fuerit Hiberniæ regnũ per quosdam peregrè aduenientes ordinis Ecclesiastici viros, Archiepiscopos, Episcopos, Magnos Vicarios, Abbates, Priores, Decanos, Iesuitas, Fratres, Presbyteros, Ludimagistros, aliosque eius farinæ homines, qui in id solum incumbant, vt peregrinum extraneumq; dominium atque auctoritatem in regno stabiliant quod aliũ præter regem non agnoscat. Et Episcopos quidem id agere, vt exercendo iurisdictionem in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis Maiestati Imperiali præiudicent: Inferiores vero Sacerdotes, obeũdo functiones & officia sacra: quo nomine non parum emungant argẽti ab egena illa Hibernorum natione, in qua innumeri sint, sacerdotum illorum suasionibus decepti, cum id solum moliantur, vt auersis populi ab vsitata in regno religione animis, eos cæcitate & superstitione imbuant, amoriſque affectum & obseruantiam in Regem extinctum eãt, sublata vel turbata pace & tranquillitate regni publica.

Proposita quidem fuisse aliquot edicta aduersus seditiosum illud hominum genus, tam ab ipsis Anglorum regibus, quam à Proregibus Insulæ, quibus omnis ille ordo celeriter & intra præfixum terminum exiret regno, nec vnquam reuerteretur, constitutis grauissimis pœnis, quæ contemtoribus regiæ Maiestatis debentur: sed parum iis perfectum fuisse. Delatum enim esse ad regem, horum hominum iam plus quam vnquam antea in regno esse, in primis autem Sacerdotes & Iesuitas, qui peregrinam potentiam in regno stabilire cõtendant, clanculum hinc inde delitescere, nonnullos etiam sumta audacia, prodire in publicum, vt exerceant functiones suas in conuenticulis, qua re multi non solum seducantur, sed & ab vsitata obedientia in regem, & veneratione in leges auocentur: vnde nõ sit dubitandum, si conatibus eorum vltra indulgeatur, rem summi periculi plenam fore: quæ insolentia Episcoporum, Iesuitarum, Sacerdotum Anglorum regi displiceat, nec amplius ferendi sit.

Proregem igitur Mandato Regio audientem omnibus per vniuersam Hiberniam denunciare, & sub ipsa regis auctoritate mandare: vt omnes Episcopi, Decani, Iesuitæ, Fraterculi, Sacerdotes, Ludimagistri, siue sint Regulares siue seculares, aut quocunq; tandem nomine censeantur, qui vel à Romano Episcopo vel vlla alia extranea auctoritate ordinati sunt aut dependent, ex vniuerso Hiberniæ regno faceſſant, intra quadragesimum diẽ à scripto hoc edicto: neue qui eorum post quadraginta illos dies in regnum istud reuertatur, constitutis grauissimis pœnis, qua

quas leges infligi iubent contemtoribus regum. Eodem tenebuntur crimine omnes Hiberni, qui proscriptos istos Titulares receperint, fouerint, texerint, aut post constitutum tempus XL. dierum cum illis conuersati fuerint.

Mandare se præterea eiusdem regis sui nomine & auctoritate, vt, si quis ex omni proscriptorum nomine vltra constitutum diem in regno mananeat, aut de industria eo redeat, aut si latitantes quis foueat, vel reuertentes suscipiat, vt omnes prouinciarum Gubernatores, Præfecti, Marescalli, & Magistratus oppidani cum Connestabliis, & quæ regia sustinent officia, Clericos illos omnibus modis prohibeant, receptatoresue eorum, fautores, cælatores, nutricios, cum ipsis Pontificiis arctissimis includãt carceribus, donec quid de iis fieri debeat, ipse Prorex cum senatu decreuisset.

Ei tamen, qui ex numero illorum Archiepiscoporum, Episcoporũ, Decanorũ, Sacerdotũ, Iesuitarum ante quadragesimũ diem ad Gubernatorem prouinciæ vel aliũ subordinatũ Magistratum vltro veniens, professus fuerit, interfuturum se exercitiis Ecclesiasticis ex consuetudine recenti Hibernię, & victurum secundũ leges regni, iis inquam fiebat hoc edicto gratia, & in regno permanendi licentia, vt iisdem cum ciuibus frui possent bonis priuilegiisque.

Sunt in Hibernia Archiepiscopi IV. *Dublinensis, Armachensis, Cassilensis & Toanensis.* His suffragantur Episcopi XXIV. Fuit olim horum auctoritas maxima: sed nostro æuo labefactatis iis solus Angliæ rex omnia potest, tam in spiritualibus quam temporalibus. Cum igitur omnis Catholico-Romanis amputata sit in exercendo cultu suo libertas, & qui Pontificem Romanum agnoscunt, in summa viuant sollicitudine, inprimis qui sunt ex ordine Ecclesiastico: fit, vt omnes hi vitandi periculi ergo, deserta Insula ad exteros confugiant, vbi per omnes prope Europæ partes testimonium dicunt, quam inclementer domi & in patria sua habeantur. 21.

DE REGNO HVNGARIÆ.

SVMMA CAPITA.

Quæ terræ atque prouinciæ sub Hungariæ nomine cõprehendantur, cum originatione huius nominis.

Limites huius regni, & sub quo sit cæli situm climate.

Diuiditur Hungaria in partes duas. Buda caput regni, situ amæniſsimo & ad defensionem percommodo, vnde sit nacta nomen.

Reliquæ Hungariæ Vrbes, inter quas Stridon, B. Hieronymi patria, & Iauarinum, munitione ante cæteras pleraſque, quod oppidum quando & per quem Turcis ereptum fuerit.

Frumentum Hungariæ tertio à semente anno in meliorem speciem vertitur. Vina sulfurata, odorata & cito inebriantia.

Fluuij, lacus, scaturigines aquarum medicatarum & calidarum in hoc regno: vt & montes præcipui nominis.

Sal mineralis in Maromarusia: aquæ miraculi instar, conuertentes ligna in lapides. Aliæ quæ ipsa ebullitione putrefiunt. Et Nitrosæ, quæ cum hyeme fluant, æstate consistunt atque glaciantur. Rursum aliæ, quæ ferrum tam molle reddunt quam lutum est. Itemque aliæ, è quibus Chrysocolla colligitur.

Æris Cyprij fodinæ vbi. Hiatus in Comitatu Zapoliæ, vnde tam grauis exhalat odor, vt ne volucres quidem impune supervolare queant.

Terra Hungariæ diuerso tempore à diuersis nationibus Barbaris habitata: Pannoniis, Gothis, Scythis, Hunnis.

Quo pacto veteres Hunni nouem munimentis hoc regnum incluserint, constitutis speculatoribus; qui quo verbo protesserа vsi fuerint.

Prisci Hunni efferati, seditiosi, vindictæ cupidi: nostro æuo ciuiles & armis præ cæteris gentibus dediti. Eorum viuendi ratio, vestitus, matrimonia, funera, lingua, modus scribendi.

12 *Mos Hungarorum in radendo mento, & alendo mystace.*

13 *Opes Hungarorum præcipuæ in pecore & abundantia victus. Exiguum robur militare huius regni.*

14 *Duo summi Magistratus per Hungariam, Palatino primas obtinente: & de cæteris officiis primi nominis.*

15 *Monomachia siue duellum receptum apud Hungaros, in causis dubiis, & vbi iudicibus liquere non potest.*

16 *De successionibus, à quibus excluduntur fœmellæ, solis admissis masculis.*

17 *Variæ Sectæ ac religiones in regno Hungariæ.*

18 *Archiepiscopi & Episcopi eiusdem qui.*

19 *Catologus regum Hungariæ, tempus eorum regni & mortis.*

20 *Turbæ in hoc regno excitatæ anno à N. C. MDCV. ob causam religionis & præfecturarum militarium.*

21 *Quibus conditionibus pax per Hungariam sancita sit cum Boscaio, mense septembri anni MDCVI.*

22 *Acta Debrecinensia inter Legatos Rudolfi Imperatoris & Matthiæ regis, & quid ibi conclusum fuerit.*

23 *Exemplum rituum & ceremoniarum, in coronatione Regum Hungaricorum obseruari solitarum, quarum specimen est in Matthiæ Austriaci inauguratione.*

QVanquam multi ex Imperatorum numero regnum hoc obtinuerint, quia tamen

id proprie ad Imperium non pertinet, visum est peculiari de eo loco agere, vtique cum vterque Imperatorum Matthias & Ferdinandus id possederint, antequam ad Imperium vocati fuerint.

1. Comprehenditur nostro tẽpore sub Hungariæ nomine tota inferior Pannonia siue secunda Proconsularis, omnemque Iazygum Metanastarum regionem complectitur, quam Plinius includit inter Danubium & Tibiscum amnes, Sarmatiæque montes. Accensetur huic & veteris Daciæ pars, quæ Transsyluania dicitur, quãuis peculiares suos habeat principes. Nomen ab Hunnis siue Hungaris acquisiuisse creditur, Scythiæ populis, profectis ab ea parte Scythiæ, quæ Iuhra siue Iugra appellatur, quæ regio hodie tributaria est Magno Rhutenorum Duci.

2. Limitibus regnum hoc includitur his. Ad meridiem est Sauus amnis, quo à Croatia & Seruia disiungitur, quæ sunt in parte Illyrici Adriatico Pelago obuersa. A Septentrione sunt Polonia & Russia, Carpatho Monte discluſa. Ad occidentem Solem Austria, superioris quondam Pannoniæ nomine nota, cum Morauia & Styria; ab oriente Tibiscus fluuius, qui nostro æuo ab incolis *Tissa* vel *Patissa* dicitur. Si vero huic regno Transsyluaniam includere volemus, statuemus eius terminos ab Oriente vtramque Valachiam, nempe Subalpinam & Moldauiam, diuisas ab inuicem Aluta fluuio, quam Hungari Oli, Germani Alta vocant.

Collocant Geographi Hungariam inter sextum & septimum clima, ita vt comprehendat decimum septimum & decimum sextum Parallelos, vbi longissima per æstatem dies est ab hora decima quinta ad decimam sextam.

3. Diuiditur Hungaria vniuersa in Citeriorem & Vlteriorem. Citerior complectitur omnem illum tractum qui citra Danubium est: vlterior illum, qui vltra Danubium, quem quidem medium Tibiscus amnis secat. Metropolis & caput regni BVDA est, sic denominata, vt plerique existimant, à Buda conditore, Fratre Attilæ regis, vel, vt alij scribunt, à Budinis Scythiæ populis, quorum Herodotus meminit. Appianus, Irenicus & Althamerus *Curtam* Ptolemæi existimant. Aliis *Aquincum* est Ptolemæi & Antonini. Germani vocant *Ofen*. Huius Vrbis si inspicias situm, ex parte montosa & validis est firmata propugnaculis, vt nec quicquam amœnius nec munitius in tota prope Hungaria inueniri posse videatur. Hæc anno A N.C. MDXXVI. a.d. XX. Augusti mensis à Turcarum Tyranno Solimanno Christianis erepta est.

4. Sequuntur hanc *Posonium* (Germanis *Preisburg*) vrbs nobilissima, vbi Leyta fluuius Pannoniam superiorem ab inferiore diuidit, suasque postea cum Istro miscet aquas. Vrbs est ea vetus & elegans, quæ vt situ, ita aëre, quo fruitur, læto multas Pannoniæ vrbes superat. Ad suburbium in præcelso montis vertice Arcem validam habet. *Belgradum* Germanis dicitur *Grichisch Weissemburg*, antiquorum Taurunum est, captum à Turca Solimanno anno Christi MDXX. Vlterius secundo Danubio descendentibus occurrit *Sigedunum*, captum à Turcis anno MCDXLIX. Medio inter duas istas vrbes spacio Campus est Maxonius, nobili Hunniadæ victoria aduersus Mahometum Turcarum Principem celebris, quæ contigit anno A N.C. MCDLVI. Aduerso flumine adscendentem multa loca excipiunt funestis Christianorum cladibus tristia. *Valpo* Vrbs capta anno MDXLIII. *Quinque Ecclesiæ* ad Drauum amnem, anno eodem captæ. Sigethum anno MDLXVI. de *Buda* supra diximus. *Strigonium* ad Danubium (Germanis *Graan*) Archiepiscopalis quondam sedes, iam in potestate Turcarum est. *Alba Regalis*, Germ. *Stul-Weissenburg* Regum corona & sepultura celebre oppidum, occupatum est à Turcis anno Salutis MDXLIII. In eodem pene tractu est *Stridon*, patria B. Hieronymi. *Komara* oppidum munitissimum in Insula, quam Danubius facit, frustra aliquoties à Turcis petitum. *Iauarinum* (Germanis *Raab*) ad Danubium est situ fere inexpugnabili. Quo non obstante captum est à Turcis, & vicissim à Christianis receptum ductu Vaubecurtij, equitis Galli. Cętera oppida, quæ minoris momenti sunt, non enarrabimus.

Ingenium & qualitas terræ Hungaricæ.

Videtur Natura huic regno omnia liberali manu contulisse, quæ ad agri felicitatem ac soli exquisitam fertilitatem requiri possunt, cuius tam mite est ingenium, vt frumentum tertio à facta semente anno in meliorem mutetur speciem. Habet enim Hungaria quædam frumenti genera nostris hominibus pene ignota, producitque ager triticum, vel parum vel omnino non cultus. Vinum gignit tractus Danubianus generosissimum, quanquam non sit in exigua differentia. Alicubi enim præstantia & suauitate non cedit Cretensi, quod crescit circa Sirmium, ante cætera laudabile est: quod vero in Pissilienſi comitatu nascitur, odoris est ingrati, citoque inebriat, ob propinquitatem aquarum calidarum & sulfuratarum.

Ouium boumque tanta hic copia, vt in exteras regiones tot greges & armenta mittant, vt incredibile videatur. Abũdat etiam feris, Leporibus, Damis, Capreolis, Ceruis, Apris, Lupis & huiusmodi. Auibus insuper diuersi generis, præsertim Turdis, Perdicibus & Phasianis. E metallis habet vberes in terræ visceribus diuitias, auri, argenti, æris Cyprij, ferri chalybisque.

Nec aurum solummodo terra effoditur, sed & ex arena fluuiorum colligitur. Parum tamen hic stanni & plumbi inuenitur.

Flumina plura & maiora quam Hungaria, vix

vix vllum in Europa habet regnum, quorum pleraque sunt nauigabilia, & piscibus supra modum abundant. Excellunt inter hæc Danubius, Sauus, Drauus & Tibiscus. & tria quidem priora aliis quoque regionibus communia sunt: Tibiscus autem est Hungariæ proprius & peculiaris. Nascitur hic in Maromarusia regione, sub altissimis Carpathi montis iugis, prouentuque piscium superat cæteros omnes. Abundat enim Sturionibus, Luciis, quorum epar vlnam dimidiam quandoque superare perhibetur, Cyprinis ac Siluribus.

Alij etiam amnes præter hos sunt, qui optimorum piscium copia adfluunt, Trutis, Salmonibus, Percis, Murænis, Barbionibus, aliisque vilioribus: qui amnes plerique aurum suo vehunt sabulo.

Inter montes huius regni caput altissimè effert *Carpathus*, etiam priscis Græcis notus, nomen à *Carpo* siue fructu metallorum adeptus. Post hunc *Matranus* haud procul Vrbe Agria, qui fere vniuersus vinetis constitus est. Tertius qui & amplissimus, ab Hungaris *Erdel* vocatur.

Habet insuper Hungaria Lacus non incelebres, inprimis *Batalonium*, quem Germani *Plathsee* appellant, quadraginta milliaria Italica siue octo Hungarica in longitudine habens: præter minores.

Subministrat insuper hoc regnum salem fossilium, qui exciditur è petris Maromarusiæ, vbi etiam aquas scaturci fons, quæ simul ac terram contigerit, induratur & lapidescit. Sunt præterea hinc inde aquæ calidæ natiuæ per regnum istud, inprimis circa Budam: quodque admiratione non caret, in quibusdam aquis calidis pisces reperiuntur, qui cum extrahuntur, inque frigidam mittuntur, è vestigio moriuntur.

Thermæ in Comitatu Liptoniensi scabiei & lentagræ medentur. In præfectura Scepusiana aqua est, in quam si lignum immittatur, in lapidem indurescit, & circa S. Martini Fanum aqua quædam ea prosilit violentia, vt bullire ad ignem videatur: hæc se conuertit in lapidem tam supra quam infra terram: lapis autem ille spongiosus est instar pumicis. Haud procul inde visuntur aquæ nitrosæ, quarum ea est natura, vt hyeme calent, æstate congelentur, vt incolæ eo accedãt refrigerij glaciem æstiuam.

In Comitatu Zapoliensi hiatus terræ est profundus admodum, vnde tam grauis exhalat Mephitis & noxius odor, vt superuolantes aliquot moriendi causas ibi inueniant. Apud oppidum Smolnicense intra montes aqua quædam scaturiens in subiectas fossas delabitur, qua ferrum exiguo tempore instar luti aut cerillæ mollescit: quod si igne colliquatur, primum ex sese gignit cuprum. In Comitatu Bistricensi opulentissimæ sunt ærifodinæ, quæ nostra ætate vocantur Regiæ, vnde prodit terra viridis, è qua colligitur Chrysocolla. Sed de his ab aquarum miraculis ad mores gentis veniamus.

Mores & ritus priscorum incolarum.

9. Fuerunt terræ istæ, quas hodie communiter Hungarici regni nomen complectitur, à longissimis temporibus velut quidam receptus & refugium multarum exterarum gentium. Habitarunt eam primum Pannones (vel vt Græci vocant Pæones.) His Romani successerunt; quorum declinante imperio, Gothi eam sibi vendicauerunt: hi ab Hunnis expulsi fuere. Gothos vlti Longobardi Hunnis vicissim profligatis, totis quadraginta duobus annis eam obtinuerunt. Sed reuersi Hunni sub rege Attila, denuo irruperunt, eamque spoliis omnium vicinarum nationum impleuerunt. Hos longo tempore post Carolus Magnus Imperator bello aggressus vicit, expugnataque vrbe Buda inæstimabiles thesauros abstulit. Postea anno A N. C. DCCCC, Imperante Arnulfo, Hungari è Scythia profecti, magna multitudine in Pannoniam se infuderunt, coniunctisque sibi priscorum Hunnorum reliquiis, potissimam Magnæ Germaniæ partem prædabundi peruaserunt, donec ab Othone Magno Imperatore magnam perpessi cladem repressi sunt: quæ Othonis victoria incidit in annum gratiæ DCCCCLIV.

10. Consulturi veteres Hunni securitati suæ, cinxerant totum istud regnum nouem firmissimis munimentis, velut sæpibus, quas Germani *Hagens* vocant, quorum sæpimentorum vnumquodque densissimis inter se implicitis coadunatum erat arboribus, diuersi generis, latum viginti pedes, altum totidem. Quicquid inter ramos, crates & lignea illa repagula intererat spacij, compleuerant prægrandibus laxis, admista argilla tenacissima; & huic velut fundamento superiniecerant vastas cæspitum moles, herbascentes ac gramine tectas, plantatis insuper vepribus, dumis arboribusque, vt syluæ viridantis induerent speciem. Ab vno munimento ad alterum intercedebat spacium viginti milliarium Germanicorum: quæque in hoc pago extructa erant oppida, villæ, prædia, ita sibi respondebant, vt vox hominis ab vno loco ad alterum exaudiri posset.

Portas horum munimentorum struxerant locis aliis, easque humiles & angustas fecerant, vt latenter egredi possent ad facienda latrocinia. Vbi opus erat, poterant cornicines in speculis excubiisque constituti inflato cornu vel tuba signum dare, quod exauditum ab iis, qui in proxima erant munitione, rursumque vicinis datum, celeriter ad omnium aures perueniebat.

Facit Procopius Hunnorum genera duo: vnum appellat Hunnorum Alborum, alterum Nomadum. Albos hoc modo describit. Non viuunt Hunni Euthalitæ vitam pastoralem, vt cæteri eius gentis, sed student aliquo modo ciuilitati, suntque formosiores & colore corporis magis albo quam cæteri. Non solent hi prædatum excurrere in Romanorum prouincias, neq;

tã fero ac truci sunt adspectu, vt reliqui Hunni. Parẽt vnius regis imperio, quique inter eos sunt maiore cum re, alunt continuo ad mensam viginti è numero amicorum, quos & in societatẽ potentiæ ac fortunarum admittunt.

Pæones (si Appiano Alexandrino credimus) vrbes non habebant, sed in tuguriis mapalibusque cum suis degebant, regis, aut præsidis, aut iudicis iudiciorumque penitus ignari. Fuerunt autem Hungari olim existimati immites, feri, mobiles, seditiosi, auari, infidi, vindictæ cupidi, & exteris parum commodi.

Mores Hungarorum nostri temporis.

11. At nostro æuo deposita illa feritate satis deprehenduntur tractabiles, politi & ciuiles. Amant natu æ quadam inclinatione ocium, cuius cum pertæsi sunt, exercent se in armis. Artibus & opificiis paucissimi se dedunt, nec plures mercaturæ ac negotiationi. Sunt in vniuersum Hungari corporibus quadratis & robustis: ingenio tamen tudiori, & omnino aptiores ad bellum quam pacis artes. Spernunt fere oppidanorum commoda, nec vnquam ingrediuntur ciuitates, vt in iis habitent, sed vt cito desertis mœnibus in agrum reuertantur.

Qui lautiore sunt cum re suas in hortulis habent delicias, inque balneis, circa ædificiorum splendorem parum curiosi, quæ vt sint spaciosa & habitatio ampla duntaxat operam dant. Vulgus in casis & tuguriis, iisque tumultuario opere ac sine cura factis habitare consueuit. In lectis cubare adolescentibus fas non est, donec vxores ducant: ante id tempus culcitris super fœno aut stramine extensis indormiunt, qui mos etiam obtinuit apud vicinas gentes.

Vestitu vtuntur satis splendido & magnifico: iniiciunt interiori ac strictiori tunicæ pallium prolixum fluxumque, caput pileolo tegentes, lautiores etiam margaritis gemmisque exornantur. Fœminis, cum eas nuptum elocãt, aliam dotem non dant, præterquam nouam vestem: estque amictus muliebris strictior, qui eas totas tegit vsque ad collum. Gestant cum viri tum mulieres ocreas breuiores, quæ vsque ad mediam suram ascendunt.

Parentes ac consanguineos vita functos, annum integrum lugent, quandoque etiam alterum: abrasoque mento præter mustacem barbam non alunt, vt ferociores appareant.

12. Lingua vtuntur peculiari, quæ tamen in quibusdam ad Illyricam accedit: & quamuis ab antiquo peculiaribus quoque vsi fuerint in scribendo litteris: hodie tamen Romanis contenti sunt. Animo sunt elato & fastidioso, in bello valentes, plus ostentantes virium in militia equestri quam pedestri. Obedientia erga Principem sunt inter primos.

Opes & robur regni Hungarici.

13. Quanquam Hungaria Italiæ Germaniæque immanem vim magni paruique submittit pecoris, vt superare apud ignaros fidem videatur, cũ sint in ea rustici, qui centum capita boum in pratis pascuisque habeant, nec eos inspicere dignẽtur, nisi in triplum aucto numero, vt sint qui credant, hanc solam prouinciam toti Europæ sufficere posse: quamuis etiam multum eius montes gignant in suis visceribus auri, argenti, æris & ferri, adde etiam chalcanthi, quæ omnia ad exteras regiones exportantur: mirandum tamẽ est, paruas huius regni esse opes, cum contenti sint incolæ fructibus ac prouentibus, quos terra larga manu suppeditat, ad transigendam commodè vitam: & has illi potissimas existimant esse diuitias: his solis se sub sistere, his viuere ex animi sententia, his, si opus sit, alere se exercitũ posse existimantes.

Quanquam autem ab eo tempore, quo Turcę maximam huius regni partem occupauerunt, ingens agri modus cultoribus destitutus, tantum bonarum rerum non fundat, quãtum olim; residuum tamen, quod à Christianis obtinetur coliturque, tam fertile est vt magnæ hominum multitudini alendæ sufficere possit. Etsi autem continuis bellis Turcicis colonorum numerus valde imminutus est, spes tamen est, si diuturniore pace sub hoc rege, qui simul Imperator est, regnum istud frui contingat, recollecturum aliquo modo vires: certum enim est, si Turcæ hanc prouinciam cum exercitu ingrediantur, Hungarorum istas relliquias sine Imperatoris ac Germanorum auxilio, ad sustinendam tantam molem & potentiam nequaquam suffecturas.

Forma gubernationis per Hungariam.

Administrat rex Hungariæ regnum suum duorum Magistratuum auxilio, quorum sublimior qui est, rursus in tres Magistratus diuiditur. Primi nominis est *Palatinus regni*, proximus à rege, & regis ipsius, si cubi accusetur, index ordinarius. Hunc proceres communi voto eligunt, nec hæreditarium id est officium. Hunc sequitur *Cancellarius* regni perpetuus, qui est Archiepiscopus Strigonienſis, regni Hungariæ Primas, idemque Summus Secretarius. habet hic prærogatiuam electum regem inungendi & Sigillo maiori Priuilegia muniendi. *Magister Curiæ*, regis comitatum sequi tenetur, estque eiusdem consiliarius intimus. *Tabernarum regiarum magister* aurifodinarum, salinarum, earumque ciuitatum, pagorum, castrorum causas iudicat, quæ ad fiscum regium pertinent. Secundus Magistratus tractat iudicia, in quo Officiarij tres sunt maioris auctoritatis: I. Vice-palatinus regni, II. Iudex personalis præsentiæ, III. Vice-Iudex Curiæ. Minores potius ministri iudicum & executores iudiciorum quam Magistratus dici possunt, sunt que hi: Protonotarius Iudicis Personalis, Protonotarius Vice-palatini, & Protonotarius Iudicis curiæ. Hi omnes Magistri appellantur, habentque in laboris con-

sortium

sortium adiunctos hos sequentes. Secretarium Metropolitani Strigoniensis, qui & Fiscalis dicitur: Assessores duodecim cum Notariis aliquot iuratis. Tertius Ordo est eorum, quorum officia regem propius contingunt, vt: Thesaurarius regius; Magister Cubiculariorum regalium, Magnus Aulæ Magister; hinc Dapiferi, Pincernæ, Ianitores & alia minora officia. Iudicant hi ex lege scripta, quanquam & alia ratio sit decidendi controuersias inter eos vsitatas.

Si enim causa propter obscuritatem legibus decidi non possit, duello iubentur dimicare partes dissidentes, idque coram rege vel eius Legato, victori in causæ bonitatem cedit quod superior euasit.

Monomachi hunc in pugnando obseruant ordinem. Qui infestis equis concurrunt, primo lanceis vtuntur, deinde gladiis: qui pedites congrediuntur, toto corpore nudi sunt, sola verenda tecti.

Mos est Hungariæ, vt in hæreditate soli mares succedant, & siquem mori contingat nullis relictis liberis masculis, fœminæ non succedunt, sed bona defuncti ad fiscum regium applicantur.

Status Ecclesiasticus per Hungariam.

Cum Turcarum gens plurima loca per hoc regnum occupauerit, & longe lateque ibi dominetur, facilis est coniectura, Sectam Mahometanam per oppida & prouincias dispersam passim obtinere. Præter hanc etiam variæ non tam regiones quam superstitiones in Hungaria vigent inuiscuntque, non eæ tantum quæ in Germania alliaque reperiuntur, sed & Nestorianorum impia, ipseque adeo Atheismus. Notandum autem minus diuersitatū in religione inueniri apud loca, vbi dominantur Turcæ, quam in oppidis Christianorum imperio subiectis: cuius hæc causa est, quod Turcæ non ferant vel minimam disputationem, etiam in his rebus, à quibus tamen coercitio metuenda non est.

Habet Hungaria Archiepiscopos duos, Episcopos vero septendecim. Archiepiscopi sunt: Strigonienſis & Colasenſis. Illi suffragantur Episcopi sex, huic octo. Episcopi, qui Strigonienſi subsunt, olim hi fuerunt, Agrienſis: hic nulli arcæ sunt, sed dominantur ij qui à Romana Ecclesia secessionem fecerunt. Iauarinus siue Strienſis, cuius tertiam partem Diœceseos Turcæ obtinent: Nitrienſis, qui adhuc ibi residet cum Capitulo suo, sed minima Diœceseos pars ei libera relicta est. Quinqueecclesienſis & Vacienſis. Vtrumque hunc Episcopatum arca rapuit. Vesprinenſis, & hic cum capto à arcis oppido, penitus interiit: nam Dioecesis ante ablata fuerat. Ipsa sedes Metropolitana quæ Strigonij fuerat, cum maxima Diœceseos parte in Turcarum potestatē deuenit anno N.C.MDXLII. Collegium Sacerdotū recepit Tirnauiā; & regitur Ecclesia per Administratorem quendam ab Imperatore missum.

Archiepiscopatus Colasenſis totus est in potestate Turcarum, omnesque Episcopatus eisdē subiecti sunt: excepto Transsyluano, (de quo hic dicendi non est locus) & Zagabriēsi, in quo oppido Episcopus quidem residet cum prouentu mille florenorum annuorum: sed tota Diœcesis est sub dominio Turcico.

Archiepiscopo Spalatenſi subsunt Episcopi tres: Segnienſis in Dalmatia, quod oppidum caput est gentis Vscochorum: Mosdrucenſis, cuius pars Turcis paret, pars comiti Sdrinenſi: & Ticinienſis, totus Turcicus. Georgius Drascouitus Cardinalis, vt collabētem nationem suam sublenaret, obtinuit à Rudolfo Imperatore partem Præfecturæ Turrochianæ, vt instituere posset Seminarium litterarum pro iuuentute Hungarica in Vrbe Vienna Austriæ. nec id frustra quidem, cum ingens sit ibi ex hac gente adolescentum numerus.

Catalogus regum Hungariæ.

Primus Hungarorum rex, qui Christianam amplexus est religionem, fuit Geyza, qui susce- 19.
pto baptismo constituerat per vniuersum regnū Christianam spargere fidem, adiutus à Germanis. Hunc secutus est Stephanus, inter Sanctos relatus, auspicatus imperium suum anno A N. C.CMXCVII. Habuit hic vxorem Henrici Sācti Imperatoris sororē, nomine Gizelam, è qua inter alios liberos sustulit S. Emericum, qui ante patrem obiit.

Stephano successit è sorore nepos Petrus, quī cum adulteriis & stupris supra modum deditus esset, indignati Hungari, à regno profligato homini substituerunt

Abam, Stephani fratrem consanguineum, qui peius etiam regno præfuit quam Petrus, cū intolerabili superbia omnium in se concitasset odia. Cumque tertio regni sui anno in prælio cæsus occubuisset, Hungari Petrum reuocauerunt: qui pro rege Tyrannum se gerens, crudelibus modis in sacerdotes debacchatus, loca sacra profanauit atque spoliauit. Cumque finem malefactis nō imponeret, Hungari correpto homini oculos eruerunt, altero anno, postquam ab exilio reuocatus fuerat, estq; eodē an. mortuus.

Andreas S. Stephani & ipse consanguineus, cum regnare cæpisset anno Christi MVII, restituit atque stabiliuit religionem Christianam in Hungaria, ædificatis templis compluribus. Hic senex admodum hæredem regni constituit Salomonem filium.

Bela tamen Andream fratrem bello persecutus, victoriamque consecutus, effecit, vt apud Albam regalem diademate cingeretur. Tertio autem regni sui anno, tam immani lapsu pauimento allisus est, vt confractis omnibus corporis membris regnum Salomoni suo ex fratre nepoti moriens relinqueret.

Mortuo Bela Salomon in regnum patriū restitutus est, adiutus ab Henrico tertio Imperatore, cuius is sororem in matrimonio habuit. accidit hoc anno A N.C.MLXIII.

Sed Geysa pulso à solio regali Salomone, apud Albam Regalem rex salutatur. Tertia regni anno, agitantem ea consilia, quo pacto Salomoni regnum restitueret, mors corripuit. At Hungari reuocare Salomonem noluerunt, qui mortuus est in Eremo, vbi desperatione & tædio vitam finiuit, cum liquoties frustra conatus fuisset ad imperium redire.

Secutus est eum Ladislaus vir sanctus & iustitiæ amans, qui in perpetua vixit castitate. Elegerunt hunc omnes in vniuersum regni proceres, quantumuis recusantem. Cumque illustres aliquot victorias reportasset; mortuus est anno A N. C. MXCV, regni vero decimo nono, cum Almo filio, quamuis iuniori, regnum se relinquere dixisset. Sed Almus vltro cessit Colomano fratri maiori. Ortis autem paulo post inter fratres discordiis, cum res ad bellum spectaret, nolentes Hungari crudeli & intestino collidi bello, voluerunt, vt ipsi fratres inter se digladiarentur, & regnum victorem sequeretur. Recusauit Colomannus conditionem, quod gibbo deformis esset, claudus insuper & luxatis iuncturis. Sed postea astu interceptum Almum, effossis oculis cæcum fecit. Cumque nepoti suo Belæ virilia exscindi iussisset, ne sobolem is procreare posset, metuens sector defectum hæredis masculi in regno, catello testes exsecuit, & laudabili illa fraude seruato puero incolumi, tyranno satisfecit. Obiit Colomannus morbo diuturno consumtus anno Salutis MCXIV. cum annis regnasset vno & viginti.

Successit patri Stephanus filius nondum cõpleto octauo ætatis anno, gubernacula regni interim alio tenente, postea tamen regnauit annis omnino octodecim: cumque liberis destitueretur, adoptatum in filium Belam Almi filiũ, regem Testamento constituit.

Is Bela, quanquam cæcus esset, regnum pacificè gubernauit, postremo Hydrope correptus, extinctus est anno gratiæ M C X L I. anno regni sui nono.

Post quem regnauit Geysa filius eius, mortuus anno MCLXI.

Stephanus Geysæ filius natu maior & in regno successor obiit diem suum anno A N. C. MCLXXIII.

Sequitur hunc Bela Stephani frater; Belam Emericus, qui cum regnasset annis VIII. mortuus est anno Salutis MCC.

Cumque Ladislaus non nisi mensibus VI. regnasset, successit Andreas Emerici frater, mortuusque est anno gratiæ MCCXXXV. regni sui anno trigesimo quarto.

Bela filius Andreæ maior regnauit annis VI, Stephanus vero huius Belę filius etiam triennio minus.

Ladislao Stephani filio cognomen fuit Cunoni, trucidato anno gratiæ MCCXCIX. cum regnasset annis circiter XIV.

Andreas alter Stephani filius præfuit regno annis XI. mortuus MCCCXI. Defuncto hoc Andrea, variantibus in electione Hungaris, quidam Wenceslaum Bohemiæ regẽ vocantibus ad regnum, aliis vero Othonem Bauariæ Ducẽ. Sed hic ab aduersa parte regno pulsus est, quod magna cum magnificentia ingressus fuerat.

Carolus, Caroli Martelli Siculorum regis filius, quem nonnulli appellant Carolobertum, fuit electus rex Hungariæ anno MCCCLX.

Huius filius Ludouicus patri adolescens admodum successit. Gessit hic acre bellum aduersus Neapolitanos, cumque plures victorias ab Italis reportasset, mortuus est ætatis annum agens LVI, Salutis MCCCLXXXII, relinquẽs regnum in manibus filiolæ suæ Mariæ, quam desponsauerat Sigismundo Caroli IV. Imperatoris filio.

Præfuit Maria regno aliquandiu, ductu & cõsiliis Nicolai Garæi, quod ætate tenella admodũ esset. At Hungari misso in Apuliam Episcopo Sagabriensi, vocauerunt ad regnum Carolum Andreæ filium. Quo veniente Sigismundus, qui paulo ante solennibus nuptiis sociauerat sibi Mariam, fugit in Bohemiam ad fratrem Wenceslaum. Sed anno A N. C. MCCCLXXXV Carolus occisus est, machinantibus mortem eius Maria & matre eius cum Nicolao Garæo. Rursum Elisabetha regia vidua, mater Marię per. iit aquis submersa per Hornacum Caroli amicum, & Maria nouella regina castro munito in finibus Liburnorum inclusa fuit. At Sigismundus, contracto ingenti è Germanis exercitu, Hungariam ingressus, captum Hornacum, equi feri ocis caudæ alligauit, tractumque per diuersa loca, forcipibusque candentibus laceratum, ad extremum in quatuor partes vium secari iussit. Hic est ille Sigismundus, qui, cum ingentibus contractis copiis, etiam Gallorum legionem sub signis habens, aduersus Turcas profectus fuisset, à Baiazethe Turcarum rege acie victus fugatusque est apud Nicopolim Thraciæ, commisso memorabili prælio anno A N. C. MCCCXCVI. Narrant illius historiæ scriptores occubuisse Christianorum millia viginti, Turcarum vero sexaginta, & hos tamen victores euasisse, quod longè superarent multitudine.

Sigismundus Imperator & Rex Hungaro excessit è viuis anno Salutis MCCCCXXXI ætatis septuagesimo. Cum rex Hungarorum fuisset annis XV.

Contigit Alberto Austriaco Sigismundi ge nero vt eodem tempore & Imperator Roma norum & Hungariæ rex crearetur: sed no multo post mortuus est alui profluuio dysente co, cum nimis auidè melopepones comedisse

Post hunc ad regnum vocatus est Vladislau Poloniæ rex. Venit hic in Hungariam recepti à proceribus. At vidua Alberti post mortem mariti peperit filiolum, Ladislaum Posthu mum, effecitque vt puer in regem vngeretur coronaretur solenniter Albæ Regali, die Pente costes, cum nondum quatuor annos natus fui set. Sed prævaluit factio Vladislai Poloni. Cæ autem hoc, in prælio illo cruento apud Varnã

qu

qua clade vix vlla contigit Christianis atrocior, victoria Amurathi partes secuta, Ladislaus ad regnum patrium peruenit. Cum autem Fridericus III. Imperator tradere Hungaris adolescentem regem nollet, Prorex Hungariæ factus est Iohannes Hunniades, qui Austriam cum exercitu ingressus, multum prouinciæ damni intulit. Postremo, cum satis diu litigatum fuisset, deductus Viennam Ladislaus magno honore ab Hungaris Bohemisque Rex receptus est. Desponsauerat huic anno MCDLVIII. Carolus VII. Galliæ rex Magdalenam filiam: sed in ipso nuptiarum apparatu mortuus est repente rex iuuenis Pragæ, cum non omnino XXXVI. horis languisset, anno ætatis XIX. Eiusdem propè ætatis erat (nam annum XVIII. agebat) Matthias Coruinus, Hunniadis filius, cum ab Hungariæ Ordinibus rex eligeretur. Vocauerant alii Fridericum III. ad regnum, sed hic ætate grauior, cum Matthia ita transegit, vt ei suis manibus coronam imponeret anno Salutis MCCCCLXV. Mortuus est hic rex illustribus aliquot de Turcis potitus victoriis, anno regni sui trigesimoseptimo.

Post mortem Matthiæ rex factus est Vladislaus alter, Poloniæ regis Casimiri filius, quem iam antea Bohemi in regem receperant.

Cui successit Ludouicus, occisus in prælio aduersum Turcas, Christianis aduerso anno MDXXVI.

Successit huic Ferdinandus I. Austriacus, quod Annam Vladislai filiam, Ludouici sororem vxorem haberet. Gessit hic multa cum Turcis bella spacio XXXVIII. annorum, varia fortuna, reliquitque moriens regnum Maximiliano II. Austriaco Imperatori.

Huius filius Rudolfus II. Imperator & ipse, cum longo tempore Hungariæ regnum, quale cunq; id est, obtinuisset, cessit id postremo Matthiæ fratri, qui postea Cæsar factus illud reliquit

Ferdinando II. Austriaco, postea quoque Bohemorum regi & Imperatori Germaniæ, qui his omnibus prouinciis, acquisita ab aduersariis non vna victoria, eo tempore cum hæc scriberetur, potenter præfuit.

ARRATIO COMPENDIOSA, quo pacto inita cum Turcis pace suborti Tumultus ciuiles in Hungariæ regno compositi fuerint.

Horum Tumultuum, qui Hungariæ regnum ita concusserunt, causa fuit gemina. Primo, quod quidam libertati religionis frenum inicere conarentur: deinde quod quererētur Hungari, summas in re militari præfecturas committi exteris, quos ipsi minus probabant. Author rebellionis fuit Stephanus Botscaius, qui se post. Principem Kismariæ appellauit; hic concitata in Hungariam superiorem & Transsyluaniam legatione, cum multos è proceribus Hungaris suas pertraxisset partes, aperte ab Imperatore defecit, fretus etiam pollicitatione auxiliorum Turcicorum. Is ergo Botscaius cum Hungarorum equitum magnam manum contraxisset, progressus in campum, Transsyluaniæ se Principem & Batorij hæredem dixit. Post proposito edicto, quatuor Legatos Imperatoris hostes patriæ declarauit: qui coniunctis copiis, cum obuiam progressi Botscaio, cum eo manus conseruissent: omnes in ipso conflictu Hungari, tam pedites quam equites, desertores ducum suorū facti, in partes Botscaij transierunt. At Silesij cæterique Germani, cum nihilominus præliarentur, prope omnes à copiis longe maioribus concisi sunt. Belloiosa, comes Italus, Dux exercitus Cæsarei, aufugit: Petsius & Lippæus capti fuerunt. At victor Botscaius captiuum Petsium, cum nonnullis aliis Ordinum ductoribus & signis militaribus ab hoste captis ad Turcam misit, vt suum in hunc affectum ostenderet. At Lippæus, cum Hungarus esset, Legatus Botscaij factus, Cæsaris partes deseruit. Hinc victores litteris publicis euulgatis testati sunt, non aliam ob causam arma se corripuisse, quam vt libertati conscientiarū consulerent, & impedirent persecutiones, quibus Clerici & Iesuitæ infesti immmerent Euangelicis. At hi, cum tanto laborarent odio, vitata Vngaria Viennam se recepere. Cassouienses secuti suorum exemplum, excussa obedientia, è suo viciniſque oppidis eiecerunt sacerdotes & clericos, & Protestantiū partes se sequi professi sunt. Interea Georgius Basta, & ipse Italus, correcturus Belloiosæ errores, cum omnibus delictorū nomine Imperatoris frustra proposuisset veniam; desperata fruge Cassouiā obsidione cinxit. Sed hoc frustra fuit, cum Hungari imposuissent oppido validum sex millium peditum præsidium. Soluta igitur obsidione, cum discederet, cepit oppidum Epetiense cum nonnullis aliis minoris momenti locis. Sed Bastam persecutus Botscaius, triginta currus, qui recenter Vienna venerant, onusti argento & panno, intercepit, multumque terroris vicinis prouinciis intulit, cum multos milites peregrinos trucidasset.

Basta, intellecta magnitudine periculi, per litteras horratus Botscaiū, vt admitteret pacem reducto ad Imperatoris obedientiam populo. Non abhorret Botscaius, dum his satisfiat conditionibus: si ipse Transsyluaniæ princeps sit, idemque Imperatoris per Hungariam Legatus. Si Galli Belgæque milites deducantur extra regni fines: si militibus persoluantur stipendia: si liberum omnibus permittatur religionis Protestantis exercitium: si Belloiosius Comes, author harum calamitatum, Botscaio tradatur viuus, vt de eo pœnas ex Iustitiæ lege sumere posset: Si Imperator polliceatur, se ipsum venturum ad conuētum Ordinum regni Posonium: si milites Germani intra sua se contineant munimenta & præsidia, nec excurrant ad prædas agendas. His intellectis, cū facile videret, cuius generis essēt ea postulata, Basta nihil respōdit. Interim tota Transsyluania parebat Botscaio, qui accepto à

Turcis

Turcis aliquo auri modo suis persoluit stipendia militibus, indictoque conuentu, conuocat ordines Hungariæ, vt consulerent de republica. Paulo post Comes Serinensis, Nadastus & Beduus, qui hactenus aduersus Turcas pugnauerant, cum copiis suis in Botscaij castra transierunt, vt exercitus eius creuerit ad XXV. millia hominum, cui iam omnis parebat non solum Transsyluania, sed & Moldauia & Walachia. Ibi Matthias Austriæ Archidux nomine Imperatoris pactus est, omnino è re & commodo Boscaij, qui, Legatum suum Heliam Halin ad Cæsarianos misit, vt ostenderet, ab æqua pace se non alienum esse, dummodo ad superiores conditiones accederet, ne in senatu Hungariæ alius admitteretur Episcopus præter Cancellarium: neu cuius ob religionem deterior esset conditio: ne quis fieret Episcopus nisi natus ciuis Hungarus & nobilis genere: vtque amnestia sanciretur reciproca.

Gliscebat interea nihilo minus bellum, cum vtriusque partis damno. Turca, intellecto agitari pacis conditiones inter Imperatorem & Boscaium, mittit primum suum Vezierum in Hũgariam, vt de pace cum Cæsarianis inter Imperatorem & Turcam ageret. Botscaius hac re cautior factus, mittit ad Vezierum, qui ei exponerent, quibus conditionibus cum Imperatore pacisci vellet, simul vt ostenderet, inscio Turca in hac re se nihil facturum. Erat autem pax Veziero admodum cordi, qui suasit Botscaio, vt ipse prior Legatos Viennam ad Cæsarem mitteret, ad cõstituendam per Hungariam pacem: ipsum Vezierum quoque missurum eo homines idoneos, vt postea apud Komaram oppidum congressis diuersarum partium Legatis pax stabiliri posset. Sic factum est vt post calamitosum bellũ atque diuturnum pax coaluerit, cuius hæc fuere capita.

21. Primo conscientiæ nullius vis affertor, sed promiscue Catholici, Lutherani & Caluinistæ quieti inter se habitanto, præter has religio alia non admittitor.

II. Matthias Archidux Austriæ, Legatus & Prorex Imperatoris esto per totum Hungariæ regnum, in quo nulla fiet mutatio.

III. Botscaio Principatus Transyluaniæ cedito & Siculorum Comitatus. Idem esto Palatinus superioris Hungariæ. Liberi eius masculi patri succedunto, quibus si careat, omnes illi principatus atque dignitates caducitatis iure ad Imperatorem reuoluũtor, filiæ verò si quæ fuerint, honesta cum dote maritis elocantor.

IV. Futurus Palatinus & Thesaurarij generales regni ab Ordinibus eliguntor.

V. Feudum aut Beneficium in regno nemo obtineto nisi natus ciuis.

VI. Quæ interuenerunt offensiones ab vna aut altera parte, perpetua obliuione sepultę sunto. Hac pace magna in Austria & Hungaria orta est lætitia, & Viennæ atque alibi frequentes ignes publicæ hilaritatis indices excitati. Nec tamen hoc gaudium diuturnum fuit Boschaio, quem Cancellarius suus porrecto veneno sustulit, vt in partem illarum dignitatum ipse veniret. Botscaius, cum se toxicum bibisse intelligeret, Alexiteriis vsus, grauique in Cancellarium concepta suspicione, corripi veneficum iussit, confessumque crimen capite truncari. Tanta autem fuerat veneni vis, vt contracto inde morbo, cum frustra pharmacis fuisset vsus Botscaius ad diem XIII Decembris mensis expiraret. Morti se vicinum sentiens, vocauerat ad se regni proceres, cohortatus eos ad præstandam Cæsari obedientiam, & colẽdam inuicem pacem. Hac inter Imperatorem & Botscaium constituta pace, Matthias Archidux mittit duos Oratores cum splendido comitatu ad Vezierum Turcicum, vt conueniret inter ipsos de loco, in quo de pace tractandum erat, & qui transactioni interfuturi essent. Vtque maior vtrique parti constaret securitas, substiterunt Legati Botscaiani in loco non nisi septem Leucis Gallicanis ab Komara distante, vt si qua inter vtriusque Imperatoris Legatos oriretur simultas, ipsi præsto essent, qui suam interponere possent auctoritatem.

A.D.XVI octobris Vienna egressi sunt Legati Rudolfi Cæsaris, deducente eos illustri viro Budiano cum turma equitum suorum. Habebant hi secum duos Bassas Turcicos, qui Viennæ captiui fuerant, quorum vni nomen erat Soliманno, alteri Hali; quos sequebantur sex currus, quibus vehebantur viginti millia aureorum & Horologium automaton exquisiti artificij donum Magno Turcarum Principi offerendũ vt & multa vasa argentea.

Bassa Budensis aduerso Danubio vectus cum nauibus XXIV, & ipse adfuit, nec non Legati Botscaiani, vt interessent paci tantopere deliderate. Ad hunc modum cum Oratores Cæsaris, Turcę & Hungari aliquoties ad deliberandum conuenissent, tandem pax facta & quindecim his capitibus concepta est.

I. Exules & pulsi suis bonis, redeant, coloni agros vt ante colant, domos restituant, vt ante bellum fuerunt.

II. Imperator Romanus appellabit Turcam nomine filij: Turca illum nomine Parentis venerabitur. In litteris scriptis alter alterum non Regem sed Imperatorem salutabit. In hac pace comprehenduntur Tartari, quos si Cæsarianis lædant, contra pacta fecisse iudicabuntur. Regna, terræ & dominia Domus Austriacę huic paci includuntur omnia, vt ab iis omnis hostilis actio abstineatur: qui secus fecerint, seueriſſimè punientur suppliciis. Neuter conabitur dolo aut strategemate aliquo castellum, oppidum, villam aut domum in alterius territorio sitam inuadere, sed ne alienum quidem hominem mancipem facere, neque speculatores in alterius prouincias mittere. Pax cum Botscaio facta, bona fide seruabitur. Mercatores liberi exercebunt mercimonia sua, cui rei certa loca in finibus vtriusque regni constituentur, vbi tuto negociari possint.

Si quid controuersiæ aut discordiarum inter vtriusque partis homines oriatur, Gubernatori Iaurinensi, Bassæ Budensi & Præfecto Illyriciano eas componere ius fas esto. Si autem lis erit maioris momenti, ipse Cæsar & Turca eam decident. Captiui ex vtraque parte liberi dimittentur. Matthias Austriacus mittet oratorem cum muneribus ad Vezierum: & hic vicissim mittet legatum cum eiusdem valoris muneribus ad Matthiam. Eadem erit reciprocatio mittendi & donandi inter vtrumque Principem, Rudolfum Cæsarem & Turcam.

Pax hæc ita firma stabilisque esto, vt viginti continuis annis sanctè vtrimque obseruetur, inter vtrumque Imperatorem, eorumque successores & hæredes: & tertio quoque anno ad conseruandam amicitiam alteri ad alteros oratores mittant, cum exquisitis ac regiis muneribus. Vaccia oppidum Romano Imperatori in hac transactione cedet, Strigonium autem Magno Turcæ.

Habuit Bassa Budensis Christianos magnificè admodum, eosq; magni precij donis coluit. Constantinopoli autem & Viennæ, inque omni Hungaria magnam pax hæc excitauit lætitiam.

Cum autem mors Botscaij paulo post superueniisset, magna rerum in eius prouinciis facta est mutatio, & pax illa superior male obseruata per Hungariam, Cæsarianis cæteros excursionibus & deprædationibus subinde vexantibus. Quibus incommodis vt remedium afferretur, conuenerunt Ordines atque Proceres Hungariæ & Transsyluaniæ, quibus placuit omnibus, regem in regnum vocare, vt illius præsentia velut Sol aliquis omnes harum turbarum nebulas discuteret. At proceres superioris Hungariæ & ipsi cõuenere Cassouiæ a. d. XIV. octobris mensis, vbi decreuerunt non committere, vt Transsyluania ab Hungaria separararetur, Interim Haydones (genus militum Hungarorum) nihil moti hos conuentus pergebant rapinis & latrociniis continuandis, cumque vnum & alterum castellum occupassent, aperte se Turcarum amicos profitebantur, Germanorum autem & Wallonum militum hostes. Ibi demum Matthias Archidux Posonium venit, a. d. XV. Ianuarij MDCVIII, centum secum ducens currus & ducentos equites. Prodiere huic in occursum honoris ergo omnes Proceres, cumque is Episcopus Iaurinensis: Archiepiscopus atque Cardinalis Strigoniensis & ipse adfuit. Venit etiam Helias Hascus, nomine ordinum superioris Hungariæ, cum aliis quibusdam proceribus. Initium Comitiorum factum est a. d. XXIII. Ianuarij mensis, anni MDCVIII. Ibi Cardinalis & nomines Ecclesiastici volebant mitigare rigorem articulorum transactionis Viennensis cum Botscaio: quibus acriter Helias restitit, cum Legatis superioris Hungariæ, negabantque hi consentum illum alia institutum causa, quam vt retrimeretur Haydonum insolentia. Agebãt Austriaci cum ordinibus super confederatione siue Liga, vt vocant, offensiua & defensiua, sed cum parum inter Politicos & Ecclesiasticos conueniret, vocati sunt velut arbitri, qui ab Hungaria superiore venerant. Ibi cum quietiora essent omnia, conuenerunt ordines in diuersoriũ Heliæ, quo annitente concluſum est, ne quid in articulis Viennensib, mutaretur: quodque Liga si qua fieret, videretur aduersus rempublicam facta. De Haydonibus tumultuantibus visum est, vt Helias & Turso ad eos proficiscerentur, eosque ad officium reducerent: parere nolentibus bellum denunciarent.

Matthias Viennam reuersus, suos cõuocauit ordines, vbi omnia eis exposuit, quę Posonij acta fuerant, & quantis sibi opus fuisset laboribus, vt caueret, ne Hungariæ regnum ab Imperio auelleretur: monuitque eos, vti rem pecuniariam expedirẽt in futuros belli vsus, si forte Haydones ponere arma nollent.

Apparebat facile, Matthiam ad Hungariæ regnum adspirare, quod vt facilius assequeretur, statuit vniuersæ Hungariæ pacem & tranquillitatem reddere, nec eam solum ab Haydonibus seditiosis, sed & à Turcis incolumem præstare. Et commodum Helias atque Turso tam bene gesserant rem, vt ex iis conscriberent quindecim signa equitum, vtq; cæteri sublata omni dissensionum causa, ad officium frugemque redirent. Sic Matthias coëgit exercitum in finibus Morauiæ.

Rudolfus Imperator, cognito tumultu, Pragã misit Cardinalem Ditrichsteinium ad Archiducem Viennam, per quem approbabat omnia quæ non tantum cum Turcis sed & ordinibus Hungariæ acta fuerant, cumque alia quædam impetrare conaretur, inuenit Archiducem minimè postulatis suis consentientem. Cuius voluntate cognita Cardinalis, perscribit omnia ad Imperatorem, Hic metuẽs fratris impetum, cõuocat ordines Bohemiæ Pragam: imperat omnib. oppidis arma capere, conscribere militem, conuehere commeatum: crebras circum se ipse habere armatorum stationes: scribere ad Electores & Principes Imperij, eosq; de auxiliis appellare.

Interea Matthias egressus cum copiis Vienna venit Znoymam Morauiæ ciuitatem, vbi delectum egit, lustratoq; exercitu comperit, viginti sibi millia equitum peditumque sub signis esse, lectissimorum militum, cum viginti octo tormentis æneis, & ingenti virorum Illustrium ac nobilium multitudine, qui Archiducem officij gratia sequebantur. Hic scripsit ad ordines Bohemiæ, mandans, vt ab vnoquoque oppido duo ad se venirent è primariorum ciuium numero, vt ex ipso coram intelligerẽt, cur arma sumsissent.

Ibi denuo Cardinalis mittitur ad Archiducẽ, vt quidnam eum ad hos conatus impulisset, ex eo intelligeret. Legatus Pontificius & diuersorum Principum Oratores, qui nuper in Bohemiam venerant idem agunt: vt & Electorum Brandeburgici & Saxonis, qui octo duntaxat dierum inducias petebant, vt interim non progrederetur: sed obtinere non potuerunt.

Rapido

Rapido igitur progressus itinere, assumtis octo millibus expeditissimorum militum, ac Coloniensia cum cæteris copiis subsequi iusso, a.d. XVII Maij mensis, Castra metatur ante ipsam Pragam. At Rudolfus Imperator, cum duos hostes repente nactus fuisset, fratrem ante muros Vrbis, Ordines Bohemiæ in vrbe, dubius consilij, quid faceret non inueniebat. Cum enim Bohemi diuersas sequerentur religiones, quisque pro se suisque fatagebat, petebantque à rege varia, quæ ille in his constitutis angustiis negare non audebat. Ibi Imperator ipse in Senatum procerum venit, cumque orationem ad eos habuisset, Bohemi mutatis animis iurauerunt, se bona ipsamque vitam ac salutem pro Imperatore periculo exposituros. Post hæc Legati Matthiæ Archiducis cum litteras salui conductus à Cæsare & Bohemis impetrassent, Pragam ingressi sunt, a.d. XXVI Maij. Ibi Comes Theatinus Legationis caput, ingressus senatum, salutauit Proceres nomine Archiducis, cumque quid in mandatis habebat, exposuisset, ad Imperatorem relatum est, qui respondit; videri bonum factum, vt conueniant vtrimque viri idonei ad communicanda consilia, vtque id potissimum fiat in oppido Dobrecinensi, vbi conuentum est inter fratres ad hunc modum.

Tradet Rudolfus Imperator Matthiæ fratri Diadema Hungaricum, cedetque ei totum regnum: Hungaris iuramenti religionem remittet, vt alium eligere possint regem. Idem Imperator subsidium extraordinarium colliget ab ordinibus suis, ad persoluenda militi stipendia. Accipiet Matthias Archidux omnes titulos, iura, insignia, priuilegia regni Hungariæ, intra secundum mensem, nec vllum in ea Imperator sibi reseruabit ius, sed omnia transferet in Fratrem eiusque liberos & hæredes. Pax inter Hungaros & Turcam facta confirmabitur auctoritate Imperatoris. Mortuo Imperatore sine liberis masculis, Archidux succedet in regno Bohemiæ.

Rursum pollicebitur Matthias Archidux ordinibus, si casus ferat, vti ad se regnum Bohemiæ deueniat, iure successionis, iuramentum se in conseruationem Priuilegiorum regni præstiturum: si vero Electione ad regnum perueniat, iuraturum, vt veteres reges soliti fuerunt. Archidux inter titulos suos, regem se Bohemiæ Designatum appellabit, & administrationem Morauiæ sibi retinebit.

Plura his alia subiuncta fuere, inque capita pacificationis inter Fratres relata, qualia sunt de iure nonnullorum Episcopatuum: de Priuilegiis Silesiorum: de comitatu Tirolensi: de titulis quibus vterque vti debeat: de finibus regnorum & prouinciarum: sed ea quæ superius vbertim prosecuti fuimus præcipua sunt: quibus omnibus subiuncta est clausula de obliterandis omnibus offensis.

Hæc capita transactionis, postquam lecta, approbata & ab vtraque parte subsignata fuerunt: Corona regni Hungariæ cum omnibus insignibus regis ad Matthiam Archiducem in castra perlata est: fueruntque præter Diadema &c. Gladius Stephani regis, pomum aureum, ocreæ, antiqua vestis regia, & sceptrum regale. Archidux vt hæc omnia splendidius acciperet, omnes suas copias in acie constituerat, pugnaturo similis, adstante ingenti virorum illustrium numero. Ibi exauditus ingens tormentorum æneorum boatus, explodentibus etiam militibus minora sua sine manuaria, in signum lætitiæ publicæ. His ad hunc modum factis, Archidux ab vrbe Praga castra mouit, diuisisque trifariam copiis, Viennam repetiit.

Quo postquam a. diem XIV. Iulij mensis venit, magnificentissimo apparatu à ciuibus exceptus est. Eodem tempore Viennam venit Legatus Turcicus ab Buda missus, virgens confirmationem pacis cum rege initæ, nec sine regiis muneribus. Qui postquam quod voluit obtinuit, ad suos reuersus est. Secutus est eum Orator missus ab Archiduce siue Rege Matthia, qui cum Constantinopolin venisset, muneribus amplissimis Magnum Turcam salutauit.

A.D. XXII octobris mensis Matthias Vienna digressus Posonium appulit, exquisito ab Ordinibus regni exceptus apparatu, erant enim ibi vltra decem millia armatorum. Hic omnium primo ei exhibiti sunt articuli pacificatorij Edicti anni MDCVI, quorum hæc est summa.

Primo. Vt Religionis Protestantium exercitium liberum sit in omnibus regni ciuitatibus & oppidis, inprimis Posonij. II. Vt Germanus nemo constituatur Gubernator in vllo Hungariæ Castro, inprimis in oppidis locisque Turcicæ potentiæ finitimis, vbi nati Hungari præficiendi sunt. III. Corona regia seruabitur à Politicis Viris nō Ecclesiasticis. IV. Ante omnia nouus Palatinus eligetur. V. Rex in ipso regno sibi regiā constituet, quo absente summa rei penes Palatinū esse it, vsi auctoritate Senatus: hic si quid conclusum fuerit, rex suo assensu approbabit. VI. Primaria regni officia venalia nō habebit rex, ad quæ nemo admittetur, nisi is in regno natus fuerit. VII. Iesuitę in regnū restituti, vt & cęteri ordinis Ecclesiastici homines, non itavagabūtur per prouincias vt antea facitauerūt. VIII. Collatio pecuniæ regiæ tantū inferatur camerę computatū regionis Posonij: monetæ extraneæ ad conformitatem Hūgaricæ reducentur. Vacante Palatini officio Præses curiæ vniuscuiusq; prouinciæ ibi cū imperio esto, donec Palatinus alius creetur.

Hi articuli Matthiæ futuro regi oblati sunt, quibus cum is quædam addidisset, quædam ademisset: Helias Hascus Palatinus Hūgariæ dictus est: Matthias vero rex proclamatus, a.d. XIV Nouembris mensis: qui & decimo nono eiusdem mensis Diademate regio cinctus est, his fermè ceremoniis.

Primum Corona illa Sacro-sancta curruī regio imposita & ab Arce vsque ad primarium S. Martini templum delata est, sequentibus decem vexillis, cum arcula aureo panno intecta, quæ omnia in sanctiore templi adytō deposita fuere. Ad quatuor currus angulos qui

quatuor incedebant primi nominis Senatores, quos Proceres regni sequebantur. Ingrediebatur post hos rex Hungarico more vestitus, insidens Asturconi magnifice exornato, claudente ei latus fratre Maximiliano Archiduce, & sic inter turbam illustrium virorum è diuersis nationibus templum intrauit. Cumque paulum intra sacrarium commoratus fuisset, adfuerunt duo Episcopi, qui eum ad Aram deducerent. Antecedebant ingredientem duodecim illustri loco nati viri, ferentes decem vexilla, & quinque alii, qui hæc portabant Cimelia. Primus crucem, II. Pacem. III. gladium regium. IV. sceptrum, V. qui Helias erat Palatinus, Coronam. Rem diuinam peragebat Forgatsius Cardinalis, cui multi adstabant siue ministrabant Episcopi & primi ordinis viri Ecclesiastici. Vnxit ibi Cardinalis regem, imposuitq; coronam capiti eius, acclamante populo magna voce, Viuat rex nouus Hungariæ. Finito sacro, rex accepto gladio, quem Colonita Maresc hallus Hungariæ sustinebat, ter eum in modum crucis versus viros Ecclesiasticos vibrauit. Postea sumsit Eucharistiam è manu Cardinalis. Cumq; sparsisset monetam auream argenteamq; digressus rex viginti Equites creauit. Hinc vestitus amictu regio, coronam ferens capite vectus equo, cum ad columnam quandam venisset, præstitit Iuramentum, & Hungari ei vicissim: Postremo alio conscenso equo, cum gladium ter in formam crucis per aerem duxisset, in arcem rediit, vbi paratum erat prandium. Et sic finis factus est ceremoniarum.

POLONIÆ REGNVM CVM ADIVNCTIS EI PROVINCIIS.

SVMMA CAPITA.

Origo & Etymologia nominis. amplitudo, prouinciæ regni.

Diuisio Poloniæ in Maiorem & Minorem, siue superiorem & inferiorem, & quæ vtriusque præcipua sint oppida.

Cracouia caput Vrbium Polonicarum: Ducatus & oppida vicina.

Liuonia. quæ sint primi nominis in ea oppida.

Lituaniæ fines, metropolis, principatus, palatinatus.

Samogitia, eius longitudo & confinia.

Masouia, vnde hoc nacta sit nomen, eius vrbes & oppida.

Volhinia, eius situs & prouinciæ.

Podolia, huius limites & oppidum principale.

Russia, quæ Etymologia nominis: eius fines, prouinciæ, oppida.

Podlasia, quando & per quem cum Poloniæ regno vnita fuerit: præcipua eius oppida.

Pomerania: huius fines, amplitudo, primi nominis oppida.

Prussia, eius limites, lõgitudo, præcipui fluuii. Quando in Ducatus formam reducta fuerit: olim in duodecim principatus diuisa, hodie in duos. Marieburgum Vrbs celebris.

Quibus rebus inprimis abundet Polonia: incredibilis in ea apicularum numerus, quibus sylvæ plenæ sunt. Aerifodinæ plumbi, ferri, cupri, lapidis Lazuli & Salis fossitii.

Polonorum veterum origo à Slauinis: quibus ceremoniis vtantur cum nomina infantibus suis imponunt. quos prisci Poloni præ cæteris deos coluerint.

Ignis, arbores & serpentes olim apud Lituanos in deorum numero, quos sacerdotes in rebus dubiis consulebant. Sacrificabant gallum gallinaceum: ceremoniæ eorum in festorum solennitatibus & exsequiis defunctorum.

Ratio viuendi Polonorum nostri temporis; quibus vtantur in scribendo characteribus: vsus latinæ linguæ frequens in oppidis & pagis. Sublimitas ingenii & magnanimitas Nobilitatis Polonicæ: eorum vestiendi ratio & arma.

18 *Opes Polonorum potissimum consistunt in frumento omnis generis, melle, cera, lino, cannabe, armentis, salinis, coloribus & pigmentis, ferro, succino, pellibus ferarum preciosis.*

19 *Prouentus annui regis Poloniæ, quo vsque adscendant. Bona Nobilium & possessiones amplissimæ.*

20 *Robur & vires Polonorum bellicæ: ingens equitum in eo regno numerus. Tormenta ænea & apparatus bellici in locis munitioribus. Naues eorum & vires maritimæ.*

21 *Vicini eorum partim amici partim inimici: quibus cum Polonis intercedant fœdera.*

22 *Forma & modus gubernationis, magis ad reipublicæ quam regni rationem accedens. Qui sint apud eos Nuncii terrestres, quæ eorum auctoritas in publicis Ordinum regni conuentibus. Quæ sit auctoritas & potentia regis, quæ Nobilium.*

23 *Perpetua prope discordia inter Ordines, Senatores & Equites: familiæ Nobiliores per Prouincias.*

24 *Status Polonici regni duobus constans membris. Numerus Episcoporum. Palatini qui, qui Mareschalli, cæteraque dignitates.*

25 *Diuersæ religiones in Prussia totaque adeo Polonia, quibus ansam præbuerunt Mercatores exteri, & Albertus Brandeburgicus, mutata forma dominii per Prussiam. In quibus prouinciis etiamnum floreat religio Romano Catholica.*

26 *Genealogia Ducum & Regum Polonicorum.*

POloniæ à planitie terræ nomen inditum arbitrantur plerique: hanc enim *Pole* sua lingua appellant. dicitur etiam regnum Lechitarum à Lecho primo gentis Polonicæ rege, qui sedem regiam sibi stabiliuit apud Gnesnam circa annũ Dominicæ Incarnationis DL. Est autem multo amplius hoc regnum nostra tempestate quam olim fuit, auctũ accessione Lituaniæ & Liuonię.

Dirimitur à Marca Brandeburgensi Nota & Orba fluuiis, alicubi etiam Odera siue Viadro amne à Silesia, extenditurque ad vsque Boristhenem & Moscouiæ Russiæque confinia. Separatur ab Hungaria Monte potissimum Carpatho. Amplitudo eius & vastitas apud alios atque alios maior, vtique cum aliqui ei Pomeraniam Prussiamq; accensent, alii non: cumque forma eius aliquo modo ad rotunditatẽ accedat, multo spaciosius est hoc regnum quam quis credat: cum non Polonia maior minorq; duntaxat, sed & multæ aliæ Prouinciæ tam vasto terrarum spacio comprehendantur. Fuit Polonia antiquitus occupata velut deserta: Prussia vero cum Pomeraniæ parte, vt & Podolia, Russia, Volhinia, Liuonia, Masouia, Lithuania; hæ prope omnes armis acquisitæ sunt. Hęc tamen postrema cum Samogitia & parte Russiæ Iagellonis vetus fuit patrimonium. Anno enim A N. C. MCCCLXXXVI. Iagello Lituaniæ Dux matrimonio sibi iunxit Hedvvigam filiam regalem, quæ sola supererat è stirpe regum Polonorum. Dictæ sunt nouo coniugio hæ leges: I. Vt ipse fieret Christianus. II. Vt populum Lituanicum ad eandem Christi fidem adduceret. III. vt Prouincias suas cum Poloniæ regno in perpetuum vniret. Et primæ quidem duæ conditiones citra moram completæ fuerunt, non itidem tertia, cui vix nostro demum æuo satisfactum est, cum stirps Iagellonum penitus defecit. Nolebant enim reges se posterosque suos priuare tertis patrimonialibus, quarum absolutum ipsi obtinebant imperium, easque incertæ Polonorum electioni submittere: vnde factum est, vt semper quæsito aliquo prætextu id differrent, metuentes scilicet, ne Lituani rem eam ægro ferentes animo, excitata hoc nomine seditione arma corriperent. Videntes autem Lituani Iagellonis posteritatem masculam deficere in Sigismundo Augusto rege, imminentibus insuper armis & potentia Moscouitica, coacti fuerunt, cum regno Poloniæ se coniungere.

Liuonia fuit primo Equitum Cruciferorum Ordinis Teuthonici, qui ibi Magnum habebant Magistrum. Cæterum magno Moschorum Duce terram hanc ingenti cum exercitu inuadente & partim occupante, veriti grauiora dediderunt sese Patrocinio Sigismundi Poloniæ regis, qui eos sibi defendendos sumsit, factum id est anno A N. C. MDLVIII.

Quanquam Liuonia Moscouiticum dominatum excutere penitus non potuerit vsque ad annum MDLXXXII. regnante in Polonia Stephano.

2 Postquam hæc generatim de Polonia diximus, iam etiam speciatim de eius Prouinciis aliquid dicendum erit. Diuiditur Polonia omnis in superiorem & inferiorem: Superiorem, quæ & septentrionalior est, intersecat ferme in partes duas æquales Varta fluuius: Minorem siue Australem perluit Vistula amnis. Polonia Maior, siue superior, siue septentrionalis, quæ vicinos habet Pomeranos & Pruthenos, nomen id acquisiuit ex dignitate, quod in ea primus P
lonici regni fundator, Lechus ædificata Gn
sna ciuitate, regium sibi constituerit soliu
Cæteræ huius vrbes, quæ aliis minoribus
ges dant & velut patrocinantur hæ fere su
Posnauia Metropolitana, quæ sub se habet
lia oppida minora, cuiusmodi sunt, Cosc
num, Myedzirceze, Ostrosouium, Vulcauiu
cum aliis, quorum vel nomina Romani S
monis scriptura renuit. Casisia inter palu
sita, sub se habet Gnesnam, Picedrium, c
sex aliis. Siradia Ducatus integri nomine c
setur, qui peculii nomine assignabatur sec
dogenitis Regum Polonorum, sub se habet V
luniam, Sadecum, Petricouiam, Rosporiz
& Spicimiriam, cum nonnullis aliis. Cu
siue Vladislauia sub se habet Bidgostam: B
stia Radzieiouiam, Grusphiciam & Cuia
uiam. Raua præest Sochazouiæ, Gostinio & Ga
bi. Plotzcouia sub se habet Rozanouiam. L
briniæ denique subsunt hæ: Sloncka, Ra
num, Gotzonum.

Polonia Minor, postquam in Vrbem C
couiam sedes regia translata est, in maiore se
per fuit existimatione quam Maior: habet
Vrbes principales III. Cracouiam, Sandom
riam & Lubinum: quarum vnaquæq; non p
ca sub se habet oppida. Cracouiam Appia
putat Carrodunum esse Ptolemæi: quod an
rum sit, non est mei propositi disputare, se
psam potius lustrare Vrbem. Est in hac Arx
gnifica, verumque Regum Poloniæ Palatiu
vbi coronantur & post excessum tumulant
Magna hinc vrbi celebritas, sed non minor g
ria à studio vniuersali, vbi fere semper ing
studiosorum frequentia. Cracouiæ tres Ciu
tes contiguæ sunt Clepardia, Stradomia &
simiria. Habet eadem sub se Ducatus duos:
tocensem & Osuniocimensem. Oppida ei s
sunt hæc, quæ suis appellanda sunt nomini
Biecz, VVoninz, Sandecz, Lelou, Kzyaz
Proscouice. Sandomiria ciuitas Principali
lius districtus præest his oppidis: Chezin
Kortzin, Viflicia, Pilsna, Opozno, Polov
Zauvichost, Zarnou, Malegost. Lublinum su
habet Vrzendum, Lulouum, Parcouum, &
simirium.

Liuonia Prouincia est ampla admodum q
in longitudinem extenditur secundum M
Balticũ ad CXXV. milliaria Germanica; vbi
gustissima est, milliaria habet in latitudine
Terminatur ab Oriente Russia, quæ Mosc
uitico subest imperio, intercedente tamen N
ua fluuio & Lacu Beybas. A Meridie habet
mogitiam: ad Occidentem alluit Mare Ba
cum: à Septentrione obiicitur Finlandia, à
separatur interuentu Sinus Finnici. Primi
minis Vrbs in Liuonia est Riga, sita in littu
vbi Duina fluuius aquas suas in mare depo
Post hanc est Reualia, quam Rutheni Re
uam nominant, portum habens opportun
& capacem in littore maris Baltici. Dirpat
tio loco est, sita in ripa iuxta Becum fluuiu
in

ter duos lacus, estque non maritima sed me-
irerranea. Cætera maioris momenti oppida
nt hæc: Venda, in medio regionis, Velinum,
ernouia, VVolmaria, VVeienburgum, VVi-
nstein, VVormse, Narua, aliique multa, qui-
us fere nomina Germanica. Neque tamen Li-
onia in vniuersum Polonorum regi paret, sed
uædam minoris nominis oppida Moschoa-
m Duci obediunt, alia porro Danum, alia
uecum regem agnoscunt; qui eo quo hæc scri-
ebamus tempore Polonis prope omnia quæ
ossederant, cum ipsa Vrbe Riga armis eri-
uerat.

Lituania, prouincia latissime patens, vicina
t Moscouiæ, habetque ad Ortum illam par-
m Russiæ, quæ Magno Moschorum Duci sub-
cta est; ab Occasu Podlassiam, Masouiam, Po-
niam, & aliquantum versus Aquilonem Prus-
am. A Septentrione attingit Liuonia & Samo-
tia; à Meridie Podolia & Volhinia. Comple-
itur hæc prouincia complures principatus &
giones minores, diuiditurque in certos Pala-
natus, vt & ipsum Poloniæ regnum: cuius ge-
eris sunt Palatinatus Vilnensis, Trocensis, Min-
ensis, Nouogrodensis, Brestensis, Kiouiensis
m nonnullis aliis. Vrbes in Lithuania ratæ,
gi & villæ frequentissimæ. Caput & Metro-
lis totius regionis est Vilna, eam non mino-
m esse affirmant Cracouia cum omnibus suis
burbiis.

Nonnulli Lituaniæ accensent Nouogradiam,
ius ambitum ad septem milliaria Germani-
complecti perhibent: verum hæc Magno Ru-
enorum Duci paret, capta à Moscouitis anno
N. C. MCCCCLXXVII. Præcipuus omnium
tuaniæ fluuiorum est Borysthenes, quem in-
læ hodie Neper vocitant, qui per Russiam
itans, & infra Kiouiam decurrens Pontum
xinum irrumpit.

Samogitia sequitur Lithuaniam, cui vicina
, habens in longitudine L. milliaria. Ter-
natur à Septentrione Liuonia, ab Occiden-
Mari Balthico, vbi nonnihil in aquilonem
ctitur, vicinam habet Prussiam. Oppidis
gantioribus prope omnino destituitur, non
n pagis villisque, quæ partim Regem, par-
n Nobiles agnoscunt Dominos. in vniuersum
nen domus plebeiæ vilissima structæ visuntur
ateria.

Masouia longe lateque extenditur, coniungi-
que Poloniæ, nomen adepta à quodam Ma-
e regionis Principe, qui victus ac profliga-
à Casimiro Polonorum Duce anno Chri-
MXLV. fugit in Prussiam, vbi non ferens tor-
nta & morsus animi vitam laqueo finiuit. At-
git ab Oriente Lituaniam, ab Occidente Po-
iam, ab Aquilone Prussiam, à Meridie rur-
n Poloniam Russiæque partem. Habuit hæc
quando peculiares suos Principes, destinata
undo genitis Regum Polonorum filiis. De-
ctis autem Iohanne & Stanislao heredibus
ueritia, quod contigit anno A N. C. MDXX
. Ducatus iste ad coronam Polonicam reuer-
sus est. Caput Prouinciæ putaturesse Macouia,
quæ plures sub se habet alias ciuitates. Fuit Ma-
souia grauissimis afflicta calamitatibus, à Men-
doco Lituaniæ Duce, inprimis annis A N. C. M
CCXLVI. & MCCLX.

Volhinia inter Lituaniam, Podoliam & Rus- 8
siam sita, accensebatur olim Ducatui Lituanico:
sed nostro æuo coniuncta est cum regno Polo-
nico. Diuiditur in Prouincias tres, Leucouiam
siue Luzcouiam, VVolodimiriam, & Kryzeme-
necum: quæ eadem sunt oppida præcipui nomi-
nis, sub se alia minora habentia.

Podoliæ fines sunt ab Austro Moldauia ad 9
Tyrum fluuium, qui nostro æuo Niester vocatur, ab oriente excipiunt vastissimi campi, prope destituti habitatoribus vsque ad Mæotidem Paludem. Nihil in Podolia cultum occurrit, præter villas quasdam raras, hinc inde sparsas, ob continuas Tartarorum incursiones. Præcipua regionis ciuitas appellatur Camienieca, diuina prope ratione exædificata inter præcipitia, tam firmis muris ac munimentis, vt Tartari oppugnantes multoties ingenti accepto detrimento inde repulsi fuerint: quod idem & VValachis Turcisque contigit. Accensent huic nonnulli Lemburgum oppidum, cui salsamentorum copia celebritatem peperit, quæ inde ob bonitatem ad exteros exportantur.

Russia diuersis nominibus appellatur, Roxo- 10
lania & Ruthenia, cui nomini etymologiam assignant, quod Russia velut Rosseya dicatur, significante vocabulo dispersos populos: quod hæ gentes aliquando totam Sarmatiam Europæam occupauerint cum parte Asiatica. Hinc deduxere colonias à mari glaciali vsque ad Mediterraneum sinumque Adriaticum, vt & à Ponto Euxino vsque ad Mare Balticum. Hinc factum est, vt omnes illi populi, qui Sclauonica siue Illyrica lingua vtuntur, communi nomine appellati fuerint Russi siue Ruteni. Non est autem nostri propositi de vniuersa hic agere Russia, cuius potissima pars Magni Moschorum Ducis imperio subest: sed tantum de Meridionali eius parte, quæ Russia nigra, vel, secundum alios, Rubra dicitur.

Huius igitur fines sunt ad Austrum Sarmatiæ Montes, qui & Carpathii & Tartarici vsurpantur. Ab Oriente habet Volhiniam, Podoliam & Moldauiam: ab Aquilone Lithuaniam: ab Occidente Poloniam. Continet hæc Russiæ pars Regionem & oppidum Lempurgense, Haliciam, Belziam, Chelmum & Promesiam, quæ Prouinciæ sub se multas habent alias minores. Caput tamen vniuersæ Russiæ Nigræ est Lempurgum, sede Archiepiscopali insigne. Dicitur autem vero nomine Leopolis.

Podlassia regio est spaciosa, ab Occidente 11
contermina Masouiæ, & ab Oriente Lithuaniæ. Fuit hæc olim sub Lithuanorum dominio: sed anno A N. C. M D LXIX. coniuncta fuit cum Regno Poloniæ opera Sigismundi Regis Poloniæ & Magni Ducis Lituaniæ. Visuntur hic oppida Bielsko, Bransko, Suras & Tikolcinium: &

in hoc postremo asseruantur Thesauri regii. Præter hæc est Cniſſinum, vbi est domus regia cum amplissimo viuario, pleno omnis generis bestiis & innumeris piscinis, piscibus refertissimis. Cætera oppida sunt Nareuia, & Vasilcouia, postremo Augustouia, oppidum copiosum, quod authorem agnoscit Sigismundum Augustum, Polonorum Regem.

12 Pomerania (quanquam hæc Imperii Romani Germaniæque prouincia ad Poloniam nihil pertinet, nostro duntaxat æuo) pulsatur mari Baltico, porrigiturque longissimo spacio à finibus Ducatus Megapolitani vsque ad Prussiam. Deriuant plerique Etymon nominis à Sclauonico *Pa meren*, quæ vox prouinciam maritimam significat. Vocauerunt hanc Wandali primi eius cultores Pamortzy, ipsi vero indigenæ Sidinos sese dixere. Numerantur in ea quadraginta oppida muro & fossa cincta, præter plurima castra & Monasteria. Ciuitates primi nominis fere maritimæ sunt, mediterraneæ paucrores.

Littori maris Naturæ ipsius prouidentia eximie prospectum est, vt ob insignem firmitatem irruentis maris fluctus contemnere possit, & vbique fere portuosum sit & accessum præbeat nauibus. Vrbium primo loco meretur numerari Stetinum totius Prouinciæ caput: sequuntur hanc Nouogardia, Lemburga, Stargardia, Bergradum, Cameneca, Publina Grifenburgum. Maritimæ hæ fere sunt: Colberga, Caminum, Collinum, Sunda, Pucka, Reuecolium, Louemburgum, Hechelia, Stralsunda, oppidum perelegans & negociatione celebre, cum nonnullis aliis. Fuit olim Iulinum oppidum & Emporium nobilissimum, hodie minus, nostris Wollinum dictum. Omnes tamen superat diuitiis & amplitudine Gedanum vel Dantiscum: quanquam plures sint, qui hanc Vrbem Prussiæ accenseant. Adiacent Pomeraniæ Insulæ III. Prima est Rugia, in qua numerantur oppida V. secunda dicitur Vsedoma, in qua sunt III. tertia est Iulina, in qua oppidum est vnum, nempe Wollinum.

13 Prussia, quæ ab aliis Borussia, Pruthenia, Hulmigeria & Vlmigeria dicitur, habet à Septentrione mare Balticum, ab Oriente Lituaniam & Samogitiam, ab Occasu Pomeraniam: Masouiam vero atque Poloniam à meridie. Sumitur longitudo eius ab Aquilone in Austrum, continetque hæc milliaria Polonica ferme quinquaginta, à Castro Memmelio vsque ad oppidum Toronienſe. Latitudo prope longitudini compar. Flumina amplissimæ huius regionis hæc ferme sunt: Vistula, Nemenus, Crononus, Nagotus, Elbinga, Bassaria, Ala, Drebnicia, Lica, Lauia, aliaque minora. Paruit hæc prope vniuersa olim Equitibus Teuthonicis Crucigeris: qui cum impotentius dominarentur, Prutheni concitata seditione, excusso Equitum dominatu, amplexi sunt imperium Casimiri Regis Polonorum, paruerunt que deinceps Polono vsque ad annum MCCCCL. Anno vero A N.C. MCCCCLVII. Præsidiarii Crucigerorum milites in Mariæburgo, vendiderunt Polonis Castrum pro C D LXXVII. florenorum millibus.

Nec tamen vnquam adduci potuerunt Equites, vt Polonorum Regi iuramentum fidelitatis præstare vellent, sed multa ac difficilia cum Polonis gessere bella, varioque euentu pugnatum est, inprimis circa annũ Christi MCDXCVIII. Postremo cum bellorum calamitatumque finis non esset, Albertus Brandeburgicus, cum tertius & quadragesimus esset in Ordine Magister Equitum, venit in fidem & clientelam Sigismundi Polonorum Regis, quod factum est Cracouiæ anno A N.C. MDXXV. Viciſſim e Rex beneficii nomine contulit, atque, vt loquuntur, Feudi iure, Prussiam eam, quæ nostro æuo latissime patet, & Ducalis appellatur: additis egregiis dignitatibus & priuilegiis, vt Dux Prussiæ præpositus omnibus Poloniæ Proceribus, in Comitiis Conuentibusque regni primum ac proximum à Rege obtineret locum.

Aiunt diuisam olim fuisse Prussiam in principatus XII. quos ita Venedus Dux partitus est pro numero liberorum suorum, circa annum Salutis DLXXIII. Suntque nomina eorum hæc: Sudauia, penitus à Cruciferis deuastata, Sambia, Nethania, Nadrauia, Slauonia, Bartonia, Galinda, Varmia, Hogerlandia, Culmigeria, Pomesania Michlouia. In vnaquaque harum prouinciarum aliquot arces & oppida exædificata sunt ab Equitibus Cruciferis, diuersis tamen temporibus, postquam horum operâ Christiana fides in Prussiam introducta est. Numerantur in vniuersum ab Equitibus Teuthonicis extructæ arces LXXII. oppida vero maiora LXII. quorum tamen numerus nostra ætate factus est auctior: adeo vt sola Prussia cum multis Poloniæ Prouinciis iunctim sumtis hoc nomine certare facile possit. Nostra ætate diuiditur vniuersa Prussia in Ducalem & Regiam. Ducis sedes est Koningesburgi siue Regiomonte quod est oppidum perelegans, maritimum, emporio & studio vniuersali clarum, authore a fundatore Alberto Primo Brandeburgico, Prussiæ Duce. Regalis Prussiæ caput est Mariæburgum. Cæterum cum hæc scriberemus, quod fuit ad annũ A N.C. MDCXXVI. Gustauus Adolfus Suecorum Rex, illato Polonis bello, magnaque vsus prosperitate, Mariæburgum, Elbingam, Puscam cum plurimis aliis Prussiæ Regi oppidis armis occupauerat, vt de amittenda vniuersa Prussia non parum Poloni periclitaretur.

QVALITAS ET INGENIVM terræ Poloniæ.

Est in vniuersum Polonia regio plana, sylu frequentibus obsita, montibus prope vbiqu cincta. Frigidior tamen, vnde fit, vt oleis v neisque destituatur: abundat tamen cæter rebus omnibus ad vitam commode agenda necessariis.

Plurimum enim gignit siliginis & hordei, & omn

omne genus leguminis, vt multæ prouinciæ
anſmarinæ inde petant alimoniam. Armen-
rum gregumque hic permagna abundantia, &
ſcium copia ingens. Fatendum tamen, non ſa-
s eſſe cultam pro amplitudine agrorum, cum
gentes intercedant ſyluæ, in quibus innume-
e vagantur beſtiæ & feræ. Aucupium hic fre-
uens, fructuum arboreorum copia incredibi-
s, vt & butyri ac ceræ. Mellis autem tanta hic
t abundantia, vt paſſim & temere in rupi-
usconcauisque arboribus id inueniatur, et-
m quandoque ab apum examinibus deſtitu-
um.

Auri argentique fodinas regio hæc neſcit,
æterquam circa Cracouiam, vbi argenti ve-
s reperiri aiunt, vt & apud Sandomiriam,
i etiam lapis Lazulus eruitur. Plumbum ta-
en ſuppeditat, & ferrum, ac æs cyprium per-
ctæ bonitatis. Salis hic immanis copia qui
iam terra effoditur, in magna commendatio-
e. Longiſſima per æſtatem dies in Polonia
t horarum ſedecim & minutiarum quadra-
nta.

Liuonia plena eſt paludibus, quibus potiſſi-
a parte inuia eſt, montibus autem collibus-
ue deſtituitur. Plurimis irrigatur fluuiis, &
uamuis ager ſatis fœcundus ſit, multis tamen
locis inculti iacent campi. Frumenti hic cre-
t plurimum, & fructuum arboreorum, vt
agnam vtriuſque copiam exteris ſubmittat
ouinciis. Piſcium hic ob multitudinem vili-
s, ferarum & animalium domeſticorum co-
a ingens, inprimis equorum, qui ob gradus
mitatem laudantur.

Mellis ceræque hic abundantia vt & picis a-
dæ. Oleas vitesque Liuonia neſcit, vt totus Se-
ntrio. Lacus habet non paucos, inter quos
cile primus eſt, qui ab incolis *Beipas* appellatur,
bens in longitudine millia XLV. omneque
nus piſcium ſuppeditans.

Lituania & ipſa paludoſa eſt & vliginoſa, re-
rta nemoribus, adeo vt ob ſyluarum denſita-
m impedita per eam ſint itinera. Lacus habet
gentes, & fluuios nauigabiles, qui ſæpius tranſ-
ntur hyeme quam æſtate, cum aquæ omnes
ncretæ frigore ſecurum viatoribus præbent
anſitum. Aer hic moleſtus, craſſus & frigidior,
de fit, vt quæ hic naſcuntur animalia parua
t & deformia.

Reperiuntur hic præter ea, quæ in Germania
ueniuntur, animantia Bubali, Alces & Equi
i ac indomiti. Frumentum hic copioſe cre-
t, ſed raro ad maturitatem peruenit. Vinum
ſi importatum Lituania non habet, ſale v-
ur à vicina Polonia aliisque prouinciis acqui-
o.

Vix vllibi plures Martes, Mures Pontici &
os Zibellinos ac Herminos vulgo nuncu-
nt. Picis hic, ceræ ac mellis abundantia. Vil-
quæ Vrbs caput eſt Lituaniæ, longiſſima dies
horarum XVII. cum octaua horæ parte, ne-
ue in tota hac prouincia infra decimam ſextam
ram procuditur, cum longiſſima eſt. In parti-
bus vero ſeptentrionalioribus etiam ad horas
XVIII. accedit.

Samogitia tota frigore horret, vbi maximam
anni partem niues ac glaciem reperire poſſis.
Syluæ hic frequentes, vnde abundat nobiliſſi-
mo ac puriſſimo melle, quod in omni arbore
excauata inuenitur.

Maſouia in vniuerſum nemoroſa eſt, in qua
permulti inueniuntur Bubali & Vri ſiue Tauri
ſylueſtres.

Volhinia, quæ inter Lituaniam Podoliam &
Ruſſiam ſita eſt, ob agri fertilitatem frugibus o-
mnis generis abundat, cæteriſque fructibus.

Stagna lacusque habet frequentes, vbi in-
gens piſcium copia, nec minor ferarum in ſyluis.
Laudatiſſima hic pro pecudibus paſcua & mel-
lis ac ceræ, velut in omnibus his regionibus, mi-
rus prouentus.

Podolia fertilitate ſe ſuperioribus omnibus
præfert, vbi ſemel ſeritur, ter metitur. Facta e-
nim ſemel ſemente, & leuiter ſarrita humo,
tribus ſequentibus annis meſſis colligitur. Ne-
que vero opus eſt ſingulis annis agros conſe-
rere, ſed ſufficit vt mergæ concutiantur leui-
ter, antequam ab agro auferantur, & quod ex-
cidit, faciendæ ſementi ſufficit in annum ſe-
quentem. Par pratorum luxuria in ferendo fœ-
no, in tanta gramine excreſcente altitudinem,
vt paſcentes boues vix cornibus emineant:
quod adeo magis mirandum eſt, cum ſolum
multis locis ſit lapidoſum, vt ſex taurorum paria
aratro trahendo iungi neceſſe ſit. Armenta
boum & greges ouium hic plurimi, feræ innu-
meræ, examina infinita. Sal hic copioſe inue-
nitur.

Ruſſia Meridionalis ſiue Nigra feraci admo-
dum gaudet agro, abundans equis, bobus, oui-
bus, martibus & vulpibus. Apum in hac tanta
vis, vt non ſolum in præſepibus ac cauis mel-
lificent arboribus, verum etiam in rupium ca-
uernis & ſcrobibus teriæ. Vitibus vt ſuperio-
res prouinciæ omnes caret. Fluuiis perluitur
hæc permultis, lacusque habet piſcibus ſcaten-
tes. Aiunt in Chelmenſi territorio ramos ab
arbore pinu defectos, terræque per biennium
aut triennium ſuppoſitos in duriſſimos conuer-
ti lapides. Solum hic etiam cretam gignit.

Pomerania plana eſt, paucis duntaxat colli-
bus alicubi aſpera. Satis ferax eſt rerum neceſſa-
riarum, irrigaturq; multis fluminibus, quæ ple-
raque nauigabilia. Agri hic cum cura culti, vn-
de magna copia farris, butyri, mellis, ceræ, & hu-
iuſmodi rerum, quæ etiam ad exteras gentes ex-
portantur. Colligunt etiam Pomerani in ſuo lit-
tore ſuccinum, quamuis id maiore copia in
Pruſſia legatur.

Pruſſia omnis vndequaque eſt fertiliſſima,
magno vicinas regiones poſt ſe relinquens in-
teruallo. Amænior ſit ager an fœcundior dubi-
tare poſſis; littus omne portus habet ad mare
Balticum commodiſſimos, vbi in varios ſinus
incuruatur. Solum frumenti eſt feraciſſimum,
quod Polonicum & Lituanicum in hoc genere

longe excellit. Aer satis temperatus & salubris, non hominibus solum sed & pecudibus aptissimus, quarum incredibilis hic copia. Abundat Prussia examinibus apum, vnde maior in syluis mellis vis, quam credi facile possit. Syluæ ac nemora hic spaciosa & densa, in quibus feræ frequentissimæ, interque eas multi Bubali, Alces, Vri, Equi syluestres. Multi hic amnes, stagna & lacus, in quibus piscium multitudo tanta, vt vilescant, estque ibi lacus, qui septem milliaria Germanica ambitu suo complecti creditur. Colligunt Prutheni in suo littore succinum magna copia, suppeditantibus id maris Baltici fluctibus tempestate aliqua concitatis, incolæ Germanico vtentes idiomate *Augstein* vocant siue Bornstein.

15 *MORES VETERVM POLONORUM siue Sarmatarum.*

Vt Polonos à Priscis Slauis siue Slauinis ortos constat: ita certum est, horum illos retinuisse mores longissimo tempore, vt qui vnius gentis nouerit ritus atque consuetudines, etiam alterius teneat. Nos quarundam tantum mentionem faciemus. Imposituri nomina infantibus suis iam satis grandibus, deducebant eos ad templa Deorum suorum, desectosque primos capillos illis consecrabant, in arrham pignusque perpetui seruitii. Ad has ceremonias solebant conuocare parentes & necessarios, vt hilarem eum sumerent diem. Mactabatur ibi porcus, & sumebatur mellita potio, siue hydromeli. In Deastrorum numero potissimum colebant Iouem, quem ipsi vocabant Iessan: hinc Plutonem, quem ipsi Ladonem appellabant; deinde Dianam, quam Niam, hinc Martem, quem Marzam, & Zezillam, quam Cererem esse dicebant, postremo Venerem, quam Zienanam vocitabant. Eadem iis de Diis sententia quæ cæteris gentibus, nec in sacrificiorum ritibus à Græcis Romanisq; abibant longius. Festa celebrabant epulando, cantando, saltando, & omne genus lætitiæ exercendo. Narrat Dugloſſus Historicus, hunc hilaria agitandi modum ad sua vsque durasse tempora: vixit is autem aliquot annis, postquam Poloni Christianã susceperе fidem. Quin & ipso hoc nostro æuo Lituani eosdem saltandi ac exultandi obseruant ceremonias, vocem Ladon subinde in cantilenis repetentes, cum ingenti complosione manuum.

Aitque idem Dugloſſus, coluisse eos quendam Ziuium, quo nomine intelligebant vitalem illam vim aeris, quæ dat vigorem rebus animatis. Pogodam insuper Deam veneratos, quam serenitatem & temperiem aeris crediderint.

16 Constat priscos Lituanos Deorum loco coluisse Ignem, syluas & serpentes, quos etiam intra priuatos aluere parietes, velut Lares quosdam familiares aut Numina domestica, quibus & sacrificia offerre consueuerunt. Adorabant autem non ignem quemlibet, sed sacratũ, quem magna cura nutriebant, ne sponte extinguere-

tur; congerentibus sacrificis ac Templorum ministris perpetuam eius alimoniæ materiam. Lapso quopiam in morbum, è vestigio propinqui eius concurrebant ad sacerdotes, sciscitantes, fatalene esset illum mori an conualescere? Adibant hi sacerdotes ignem sacrum apperente vespera, & mane reddebant responsa percunctantibus, quibus persuadere volebant, vidisse se languentis vmbram iuxta ignem.

Qui penitiora regionis incolebant, Solem adorabant & syluas, procerissimæ cuique arbori maximum deferentes honorem. Fœda horum olim paupertas, & pudenda, si cum Ruthenis conferrentur, vt principes eorum atque Dynastæ vectigal à multitudine consequi aliud non potuerint, in signum subiectionis, quam pannos viles atque crassos, suber, pelles, & huiusmodi vilia mercimonia. Serpentibus (quod supra dictum oportuit) solebant immolare gallos gallinaceos, eosque lacte nutrire. Duæ illis agitandorum festorum causæ, prior post collectam messem, appetente septembri mense; altera, cum victis hostibus à bello rediissent, quorum spolia & manubias igne cremabant, immolato insuper vno è captiuis.

Defuncto quopiam inter eos, exurebant cum cadauere preciosiorem, quam viuus habuerat, supellectilem, ne equis quidem parcentes, libantes lacte & melle diffuso super tumulum mortui. Antequam fidem Christi amplecterentur, soli nobiles inter eos vrebantur vestibus panno laneo factis, & calceos gestabant: vulgus lineis amiciebatur, vel rhenonibus ferarumque pellibus.

Non multi anni sunt, cum Samogitæ adeo fuere rudes, vt vsum vini, auri, argenti & æris penitus ignorarent. Licitum erat viro vni plures ducere vxores, & filius siue priuignus, defuncto patre, Nouercam sibi iungebat matrimonio. Fratre etiam Fratriam in vxorem accipiente. Maximum hic Deorum Vulcanum siue Ignem colebant, quem studiose curabant, ne extingueretur, custodiebantq; illum atque alebant sacerdotes in edito monte. Syluæ apud hos erant & nemora quædam sacrosancta, quod in iis habitare Deos suos crederent: vnde non arbores solum, sed & bestias in iis degentes, breuiter quicquid in iis erat, sacrosanctum arbitrarentur. In his syluis cremabant corpora magnorum suorum amicorum cum equis, sellis, armis, vestibus. Tumulis fociſque imponebant scamna siue sedilia lignea, onerata eduliis factis ex farina in modum casei, inde fundebant cereu siam in ignem, eo prolapsi insaniæ, vt crederent vmbras defunctorum, quorũ cremauerant corpora, de nocte eo accedere, & vesci appositis cibis. Quod si quis ex iis vel leuiter violasset syluas illas, aut bestias quæ in illis, vel aues sacras, incuruabantur illi Diabolico artificio manus pedesque.

Diuonienses diutissime barbari incultiq; mansere addicti venerationi Dæmonum, ad eum quem modo descripsimus modum. Fuit autem hic populus adeo rudis & simplex, vt expresso è

suis

fauis melle, ceram in vias proiecerint, velut rem sordidam & superfluam. Cantantes vel vlulantes potius subinde repetebant vocem IEHV siue AHV, cuius significationem ne ipsi quidem satis sciebant.

Fuit Pruthenorum gens antiquitus crudelis & barbara, compotationibus dedita, lac iumentorum in summis habens deliciis, cum aquæ nullæ vsum adhuc ignorarent. Vxores sibi quiuis accipiebat pro arbitrio, quas vilissimarum seruarum loco habebant. Defatigati vel laborando vel potando, in hypocaustis vel balneis se reficiebant: aliquando etiam medio hyemis rigore frigida abluebantur. Defunctos terra sepeliebant, cumque iis supellectilem preciosiorem, arma & equos: ei qui in prælio cecidisset, immolato aliquo è captiuis inferias dabant.

Pro diis colebant Ignem, Solem, Lunam, beluas quasdam & serpentes, aliasque nugas. Hospitales erãt & munifici in peregrinos, inprimis eos, qui facto naufragio ad littus eiecti fuerant, vltro eos ad hospitii iura inuitantes. Si quos à ratis exagitari affligique animaduertebant, eis in auxilium properabant. Argenti aurique apud eos olim parua æstimatio: pluris faciebant preciosas animalium pelles, quas pro laneis lineisue permutabant vestimentis.

Mores Polonorum nostri temporis.

Poloni nostri temporis longe absunt à crudelitate & ruditate veterum Sarmatarum: sobrii quippe & prudentes in suis actionibus, Comes erga peregrinos, quod quidem de ciuilibus ac ingenuis potissimum intelligi vonus: nam vulgus vsque ad vnum & alterum ulum emungit hospites, si id facere possit. mpotationibus indulgent, vt omnes populi Septentrionales, sed cereuisia se ingurgitant aqua mulsa: vini enim vsus apud eos perrarus, vt qui nec vites nec rationem colendarum vinearum nouerint. Characteribus in scribendo vtuntur compositis, partim è Græca partim vernacula litteratura: quin & viri ac mulieres non multum à Græcis inuestiendi ratione abeunt. Abstinent Poloni à furto & latrociniis, in sua duntaxat regione & inter suos, vt hyberno tempore nullo metu longa conficiant singuli vel bini itinera, trahis, curribusve ligneis.

Sunt Poloni in rebus suis industrii, studentes diuersarum cognitioni linguarum, inprimis Latinæ, quam vulgo in oppidis pagisque reperiuntur, nec sublimiores tantum, sed & plebeios homines. Qui inter eos nobili genere orti sunt, elegantiæ in vestitu student, nil parcentes impensis: natura sunt robusti & periculorum contemptores, vt non vereantur expectare hostes, etiamsi numero multo superent, vel etiam vltro lacessere. Nobiles inferioris conditionis æquaquam tolerant aut dissimulant iniurias à Baronibus & Dynastis acceptas, sed vlciscendi quomodocunque nituntur, vocatis etiam in coniurationis societatem clientibus, amicis ac consanguineis.

In vniuersum de Polonis dicere possis, prodigos eos esse potius quam liberales, quod immodici sint in conuiuationibus, & magnum alant comitum seruitiorumque numerum, qui cum re lautiore sunt.

Solent Lituani hyberno tempore, cum niue ac glacie omnia obsita sunt, facientes iter syderum ductu proficisci, haud secus ac nauigantes, qui Cynosuram Arctonq; obseruant. Feruntur vxores horum concubinos alere, permittentibus id maritis, cum viris vxoratis vicio feratur, pellicum implicari amoribus. Sed & matrimoniorum exigua inter eos firmitas, quæ facile de vtriusque consensu soluuntur: quin & diuortio facto, denuo aliis nubunt, quoties & vbi in mentem venerit.

Vini vsum vulgo nesciunt: panis eorum ater est, quod farina non satis cribretur aut à furfuribus mundetur. Potum numerosi suppeditant greges & armenta, cum abundent lacte, quod loco vini iis seruit. Loquuntur Lituani Sclauonicam linguam, vt Poloni.

Ad militiam proficiscentes, potius studentmagno cum apparatu ingredi, quam animo ad pugnam parato; hinc fit, vt ardor eorum celeriter refrigescat, viresque consumantur. Persequendi hostis vbi iis necessitas oboritur, quicquid preciosi secum habent, etiam selectiores equos, & impedimenta, domum remittunt, sequentes Ducem exercitus coacti potius inuitique, quam pugnæ ac victoriæ amore.

Obseruatum multoties est, eos, qui ob beneficium aliquod à Rege obtentum militiam & castra sequi obligantur, numerata pecunia missionem impetrasse, & deseruisse exercitum; tantumque abfuit, vt hic discessus iis vitio versus fuerit, vt contra voce præconis & ad tubæ sonitum per castra proclamatum fuerit: si quis ad suos deserta militia redire vellet, eum oblato argento missionem impetraturum. Abutuntur hi homines adeo nimia libertate sua, vt existiment, quiduis sibi licere, quod in mentem venerit.

Vestitu vtuntur longiore, imitati prope Tartaros, armis autem Hungaros repræsentant, ferentes hastam clypeumque. Equis utuntur valde bonis, maxima ex parte castratis, quibus raro soleas inducunt ferreas: quos ad suum modum adsuefaciũt ad vsum magis quam ad ostentationẽ.

Plebis conditio miserabilis est, quæ in perpetua velut captiuitate detinetur: nec indecorum putant Nobiles, cum comitati longo Equisonum agmine per pagum aliquem viam faciunt, permittere seruis, vt ingressi domos rusticorum, rapiant auferantque, quicquid placuerit: quiritantes eo nomine etiam verberibus obtundant. Clienti patronum inuisere volenti, vacuis comparere manibus fas non est: sed & cæteri vltra census statos atq; vsitatos redditus, quos pendunt superioribus, cogũtur quot septimanis bis iisdem gratuita præstare seruitia. Quod si vxor sacerdotis moriatur, aut si is nuptias celebret, aut si nascatur ei infans, oportet eos qui sub ipsius sunt cura atque Patrœcia, certum

ei argenti modum Xenii loco offerre, vt mitem eum per totum annum experiantur in audienda confessione. Capitalis alicuius criminis reum cogunt sibi ipsi necem inferre, ita iubente principe, vt ipsus sibi nectat laqueum: recusantem verberibus tormentisque tam diu lacerant, donec dolorum tædio sponte vitam abrumpat.

Qui Liuoniam incolunt, omnem vitam insuauem putant, nisi quæ in crapula & ebrietate consistit: quanquam hæc vicia magis dominentur in aulis magnatum quam plebis tuguriis. Qui hic quamplurimum bibit, & vno ductu prægrande poculum exhaurit, laudem inter cæteros meretur. Præmium horum helluonum est Podagra, Hydrops, Proluuies cruenta ventris, aut morbus aliquis his ipsis atrocior.

Magna in has Amphoras & Gurgites vtuntur viri Nobiles liberalitate, quibus vt affatim suppeditent, crudelibus modis deglubunt rusticos: ita, vt quicquid diurnus horum nocturnusque labor, ac cum sudore multo coniuncta industria colligere potest, id illi insumant in Gnathones ac Curculiones istos.

Agricolæ hic prope mancipiorum numero sunt: quod si quis longiorem inediam, aut verbera minasque domini ferre non possit, & fuga sibi consulat, Herus ei è fuga retracto vel alterum vel vtrumque iubet amputari pedem, ne rursum fugere possit. Viuunt aluntúrque miserrimi hi homines cibis tam asperis & vilibus, vt vix porcos nostrates eos degustaturos, nisi famelicos, arbitrer. Calceis vtuntur è subere aut coriis arborum quarundam fabricatis, quorum id est precium, vt singula paria ternis minutis nummulis vendantur.

Cantantes Luporum vlulatum repræsentant, nec finem pausamque boandi nouerunt, semper vocem Iehu interponentes.

Interrogati, quid eo vocabulo sibi velint, ignorare se id aiunt, sequi tamen ritum maiorum suorum, qui ad eundem cecinerint modum.

In vniuersum reputanti occurret, homines hos bestialem potius quam humanam viuere vitam: sed nec aliter quam pecudes tractantur. Mandaturi terræ cadauer hominis mortui, circumstantes id in orbem bibere incipiunt, inuitantes se mutuo ad compotationem, & ipsi quoque mortuo præbibentes, ad quem, si ordo bibendi rediit, effundunt poculum in pallentem eius faciem. Hunc in fossam vbi demiserunt, adiungunt ei securim, poculum cereuisia plenum, aliquid cibariorum, & nummum vnum alterumque viatici nomine.

Cumque e maxima eorum pars Equitibus Ordinis Teuthonici subsit, his mortuum alloquuntur verbis: I, proficiscere in alterum Mundum, vbi dominaberis Germanis, quemadmodum ipsi tibi in hac vita imperitauerunt. Contracturi matrimonium, pulcrum putant, si non ducant sed rapiant vxores. Sunt autem variæ in Liuonia gentes, puta, Curiones, Litii, Aestii, & Liuones proprie sic dicti, qui omnes diuersis vtuntur in loquendo idiomatis: in vrbibus tamen castellisque, & apud elegantiores prædominatur lingua Germanica.

Audiunt vulgo fœminæ Rigenses (quæ Vrbs caput est Liuoniæ & Colonia Germanorum) superbæ, magnificæ, & quæ alias præ se contemnant: nec mulieres appellari volunt sed Dominæ. Illiberale arbitrantur nere, aut acu pingere, aut alio quouis modo laborare manibus, honestius existimantes, ocio & deliciis vacare.

Vnde fit vt abiecta colu instrumentisque muliebribus, ament pilentis vehi per vrbes & agros, idque hyemis tempore, æstate vero scaphis lintribusque oberrantes per lacus & fluuios animum oblectent.

Sunt Samogitii procera statura & elegantibus corporibus, sed supra modum inciuiles, rudes, barbari: audaces tamen in bello; amiciuntur thoracibus, vtunturq; gladiis nostro prope more, sed nonnihil breuioribus.

Equi eorum parui sunt, quos tamen ita adsuefaciunt, vt maximi sint laboris, vt difficile sit ad fidem dicere. Humum fodiunt proscinduntque, non ferro, sed vomere ligneo, quod & Moscouitæ faciunt. Fuit cum quidam Præfectus eorum subleuandorum gratia vomeres ferreos aratris aptari iuberet.

Verum altero & tertio anno, cum inclementia cœli & aeris intemperie messis non responderet expectationi, stolidissimi mortalium causam tribuentes mutationi patrii moris, etiam concitata seditione effecerunt, vt Præfectus antiquata de vomeribus ferreis lege, ligneos reduceret, ibi demum acquieuerunt. Hos populos quia ingenio sunt tardo crassoque, Diabolus lubrio fere habet, & frequentibus terret spectris atque fantasmatis.

Vxores singuli plures ducunt, non obseruata cognatione generis & sanguinis, cum filius defuncto patre etiam Nouercam ducere aussi. Argento signato vel nunquam vel raro vtuntur. tuguria habent admodum humilia, quorum tecta culmis cooperiunt, iniecta terra siue argilla: in summo tecto foramen amplum relinquunt, per quod lumen diei admittunt, vnde tenti domicilio lux.

Ignis in medio perpetuus, non tam ob re quenda cibaria, quam vitandi frigoris ergo, quo ibi est tam contumax, vt multis mensibus fluuios glacie obducti visantur. Focus in media domo est, vt assidens ei pater familiæ, non solum calefacere corpus possit, sed & omnia circum curiosis lustrare oculis, quid famuli, quid pecudes alites faciant. Idem enim tectum omnes operit homines & iumenta gregesque.

Qui ditiores inter ipsos habentur, pro pocu aureis argenteisque Vrorum Bubalorumq; cornibus vtuntur. Hypocaustis vulgo non vtuntur vt vicini eorum. Naturæ quadam inclinatione feruntur ad diuinationes, incantationes & sortilegia, captantes etiam à rebus obuiis auguria.

Pan

Panem communiter comedunt atrum, qui
xigui est nutrimenti, bibuntque fere aquam;
ereuisia enim & aqua mulsa vtuntur rarius. In
ingua & vestitu parum differunt à Lithua-
is.

Nec Masouienses à Polonorum cæterorum
noribus, habitu, lingua multum abeunt, nisi
uod loquendo verba quodam cum sibilo pro-
unciant, vnde & dignoscuntur ab aliis. Cæte-
audaces sunt & robustis admodum corpori-
us. Volhinienses in hac re Masouiensibus simi-
s, lingua dissimiles sunt: Idiomate enim vtun-
r Ruthenico.

Sunt autem Rutheni Meridionales firmis
æditi corporibus, vtentes in bello arcu & ha-
duodecim pedes longa. Regium nomen cane
ius & angue oderunt. Habent Poloni colo-
as suas per vniuersam hanc prope Russiam,
in & Nobiles Equestrisque Ordinis viri in-
eos prope omnes Poloni sunt.

Qui Pomeraniam inhabitant, linguam &
ores Vandalorum retinuerunt, donec ad fi-
m Christi conuersi fuere; ibi demum Saxo-
m idioma & ritus susceperunt, loquunturq;
eetiamnum Germano-Saxonice.

Prutheni, inprimis Nobiliores, originem
m deducunt à Germanis, quorum & inge-
m & mores ac consuetudines retinent. Ædi-
a enim multo altiora excitant quam Poloni,
abitant nitidius & firmiores sunt in virgen-
propositio, valentque leges ac consuetudi-
apud eos diutius. In exercendis omnis ge-
is artibus magis sunt industrii, & eorum to-
ita est quam illorum πολιπκώτερ@. Et vt vno
bo rem complectamur, superant Germa-
omnes totius Septentrionis populos mul-
modis, inuentione & tractatione artificio-
, legum & consuetudinum æquitate, & re-
publicarum administratione.

Opes & Diuitiæ Polonorum.

Consistunt hæ in ingenti copia frumenti o-
s generis, quo vniuersa Polonia adeo abun-
vt multis exteris prouinciis laborantibus
onam suppeditauerit, nec vicinis saltim
ibus, sed & aliquando Italiæ subuenerit fa-
periclitanti, frumento Genuam, Romam,
in Hetruriam submisso. Colligunt & mul-
argenti ex diuendito melle, cera, lino, spar-
canuabe, venduntque incredibilem quot-
s vim pinguissimorum boum, arietum, e-
um & aliquando bubulorum. Nec mino-
is opes accedunt è salisfodinis Oceansibus,
repertas fuisse asserunt anno A N.C.MCC
vt & è Veliscensibus. Etuitur autem partim
le è terræ visceribus, prægrandibus micis,
m aqua è salsis fontibus hausta excoquitur,
æter ingentem salis vim, qui terra effoditur,
um etiam coquatur: hinc lucrum non sper-
dum.

ciunt præterea rem è pigmentis & colori-
erra effossis, inprimis Glauco Cæruleo-
ve, nec non è metallis ferro & ære Cyprio, cu-
ius vtriusque apud eos magna copia. Accedit
his Succinum, quod in littore Pruthenico lec-
tum, magno precio venditur: & sulfuris ab-
undantia, cuius apud eos vberes venæ.

Si demas Portum Dantiscanum & Regio-
montanum cum Rigensi & Reualiensi, pauca
supererunt loca, in quibus negociatio exerce-
tur aut mercatura.

Quanquam etiam quæ in his ipsis exercean-
tur mercimonia, auro argentoque locupletare
prouincias non possint, cum omnia rursus im-
pendant in coemendas telas sericas & pannos
laneos precioſiores, qui à Flandria ad illos ad-
feruntur & Britannia: nec non in vinum, sac-
charum, fructus exoticos & aromata quæ à Lu-
sitania veniunt & Hispania: accedente immen-
so pretio vini Cretici atque Græci, cuius singula
dolia sexaginta quandoque coronatis vendi
constat.

De Dantisco autem certum est, exportari in-
de singulis diebus vltra mille onera frumenti,
tritici, secales, siliginis, præter ingentem vim li-
gnorum, picis aridæ & liquidæ, lini, cannabis,
cereuisiæ, aliarumque mercium quamplurimarum.

Vendunt insuper Poloni immanem copiam
precioſarum pellium, diuersis bestiis detracta-
rum, cuiusmodi sunt Vulpes, Ictides siue Mar-
tes, & mures Pontici, quarum non exigua sunt
precia. In vniuersum tamen fatendum est, Po-
loniam non esse frequentem mercimoniis aut
aptam ad negociationes, ne in oppidis quidem
exercendas, cum ingenia Polonorum ad has
res facta non videantur, sed potius ad indul-
gendum genio, & prodigendas in comessatio-
nes lautitiasque vestium opes, quas si sint mun-
diores, extrinsecus ad illos importari necesse
est: vnde sequitur necessario, eos auro argento-
que abundare non posse, cum regnum opulen-
tum dici non possit, quod non plurimas ad exte-
ras prouincias emittit merces, paucis vero im-
portatis opus habet.

Quod enim exportatur, argento mutatum,
lucrum affert: quod importatur, aurum au-
fert.

Et hoc est, cur regnum Neapolitanum & Pro-
uincia Mediolanensis tantis abundat opibus,
cum emittant tantum frumenti, vini, olei, lanæ
sericæ, croci, fructuum arboreorum, equorum
aliarumque rerum, quarum indiget vsus, è qui-
bus ingentem pecuniarum vim conficiunt, &
ab extraneis adipiscuntur. Ager Mediolanensis
multum exteris submittit tritici, orizæ materiæ
vestiariæ, ferramentorum aliorumque merci-
moniorum, cum parum ab aliis recipiat.

Quod si regnum Neapolitanum Siculum-
que ita abundaret opificibus & industria fabri-
candi præditis, velut affluit bonis terra natis,
vix opinor vllam totius Europæ regionem
de bonitate & opibus cum iis certatu-
ram.

Vt autem ad Poloniam reuertamur, prouentus eius adeo exigui non sunt, vt quidam arbitrantur. Narrant enim qui rem calculo subduxerunt, prouentus annuos, qui è salis & metallifodinis ad regem redeunt, extendi ad sexies
19 centena coronatorum millia. Non diffitemur, Sigismundum Augustum Regē bonam horum reddituum partem oppignorasse: & Henricum Valesium anno proximo, antequam discederet Poloniam, vt arctius sibi deuinciret Nobilitatem, vltra trecenta thalerorum millia perpetua iis quotannis percipienda assignasse. Possunt tamen Reges Poloni facile augere prouentus suos, beneficiis morte fiduciariorum caducis factis, & coronæ denuo applicatis, in primis iis, quæ ad tempus, & priuatis hominibus permissa fuere. Potest autem Rex omnes hos prouentus, si velit, aut maximam eorum partem in futuros recondere vsus, cum aulæ eius de rebus necessariis prospiciatur ex Lithuania, partim etiam ex Polonia, dum vel in hac vel illa commoratur prouincia. Neque profecto hæc leuis ad regis commoda videri debet accessio, aut prouentus illi Polonici extenuari, cum constet, Regnum Scotiæ, & Nauarræ, & Sardiniæ non vltra centum scutatorum millia fisco regio quotannis largiri: sed nec ipsum Arragoniæ regnum toto triennio vltra sexcenta millia coronatorum pendere. Multo autem ampliores regem Poloniæ percepturum fructus verisimile est, nisi is tam profuse liberalis esset in Palatinos Castellanosque suos, quibus vsitato more earum quibus præsunt prouinciarum redditus ex tertia parte, aliquando duas tertias, quandoque in vniuersum omnes permittit. Ingruente autem bello aliisque necessitatibus publicis, conuocatis Ordinibus Proceribusque regni, & disceptata re, populus ingentibus tributis oneratur, quæ vel agrorum nomine, quos possident, persoluere coguntur, vel à vectigali cereuisiario hoc nomine aucto defalcantur, vnde tanta pecuniæ vis redundat, vt huius beneficio Stephanus rex ingentem toto triennio aduersus Moschorum Ducem aluerit exercitum.

Nobilitatis opes propemodum æquis portionibus inter eos diuisæ videntur, cum alter altero non multo ditior sit aut potentior, vt qui plurimum inter eos possideat, vltra viginti quinque millia coronatorum non percipiat. Excipiendi sunt ab hoc censu Dux Prussiæ & Curlandiæ. Hi duo enim, etsi superiorem agnoscunt regem Poloniæ, suasq; ab eo feudi nomine dependere fatentur prouincias: quia tamen Germani sunt Principes, viua Polonici regni membra nō sunt, quod nolint interesse Polonorum conuentibus, neq; eorum stare decretis, sed nec electioni coronationiq; interfuerunt Regum, neq; Præfecturas Prouinciarum regni suscipiunt, contenti suis hæreditariisq; ditionibus. Neq; profecto ciues regni Polonici habēdi sunt, verum extranei, Germani inquam ambo: prior quidem Marchio est Brandeburgicus, cuius præcipua sedes est apud Regium Montem, qui Germanis est *Kūnigsberg*, & nostra ætate Ducatum Prussiæ obtinet Elector Brandeburgicus: alter ex illustri familia in VVestfalia oriundus Curlandiam & Semigalliam possidet.

Robur & Potentia regni Polonici.

Consistunt vires regni Polonici in abundantia alimoniæ, argento, copiis pedestribus equestribusque, armis & propugnaculis. Et de victu quidē ac pecuniis satis in superioribus diximus: restat, vt cætera quoq; persequamur. Si Reipublicæ incolumitas id exigat coguntur Nobiles militare regi suis propriis impensis. Omnes hi equis stipendia faciunt, armati diuersimode, partim more Germanico, partim leui vtentes armatura, ad exemplum Tartarorum. Et hi posteriores vulgo vocantur Cossaqui, quorum singulare opificium est, spoliare, prædas agere, exurere villas, & obuia omnia perdere. Proficiscentes ad militiam magnifice vestiti ingrediuntur, Chlamydes ferentes aureis argenteisque limbis fimbriatas versicolores, plumas cristarum loco pileis ferentes, vel etiam integras aquilarū vulturumq; alas, iniecta humeris pelle Leopardi aut vrsi, nihilq; omittentes, quod eos terribiles facere in acie, & hosti pauorem incutere possit. Equos habent mediocri magnitudine, mire tamen promptos, agiles, & habenis audientes, nec minus cordatos quam sunt Germanici. Vulgaris est sententia, posse in Polonia, si extrema vrgeat necessitas, colligi centum equitum millia, in Lithuania vero sexaginta vel septuaginta: è quibus omnibus facile legi possint, equitum millia centum, qui bonam in bello præstare possint operam. Sciendum tamen, equos Polonicos multo esse meliores Lituanicis.

Tantum autem habent fiduciæ in equestri [illegible] la copia, vt omne præ se robur militare contemnant, nihili facientes munitiones oppidorum castrorumque. Sic enim arbitrantur, deductum per loca aperta exercitum aduersus hostem, maiore animo præliari pro patria, vxoribus, liberis, libertate, aris, focis, tumulis. Euntes in bellum negant se obuersuros hosti tergum, quacunque tandem id fiat de causa.

Conatus aliquoties fuit Sigismundus Augustus Polonorum rex, vocatis ad Comitia Ordinibus regni persuadere, vt opere manuque munirent Cracouiam, quæ tam vicinum haberet Imperatorem Germanorum: sed conatus hic fuit irritus, verentibus Polonis, ne rex fretus munimento absolutum arriperet dominatum accedente præsidii firmitate: tum quod dicerent, satis sibi esse animi ad defendendam in aperto campo patriam.

Peditatu fere omnino carent, cum populus omnis Polonicus è duobus potissimum constet generibus: ciuibus inquā in oppidis, qui vel sunt mercatores vel opifices: & rusticis in pagis villisque, quod genus, quam sit seruile & miserū, iam ante commemorauimus: ita fit, vt in solius nobilitatis manibus versentur arma, qui illibere putant pedestrem sequi militiam. Coacti [illegible]

rem conscribere pedites, è Germanis eos legunt atque Hungaris stipendio conductis. Sic Stephanus Rex, cum bellum gereret in Liuonia, ex his duabus solis nationibus conscripserat peditum circiter sedecim millia, cum iam ante haberet in exercitu vltra quadraginta millia equitum Polonorum.

In deducendis tormentis æneis, seruili vtuntur opera Tartarorum & rusticorum è regno, quibus iisdem fossorum officium delegant. Est autem rei Tormentariæ ac machinarum bellicarum affatim in hoc regno, quod Illustres viri per Poloniam ac Nobili genere nati multa id genus per arces ac Castella sua constituta habeant, & magno numero ea suppeditet vicina Germania, diues metallis & abundans artificibus, qui nouerunt & fundere eiusmodi cannas prægrandes aheneas, & earum onerandarum ac explodendarum optime tenent rationes. Quanto autem minus est per Poloniam munimentorum ac fortalitiorum, eo plus armorum est omnis generis.

Hæc autem non ita accipi volumus, quasi locis munitis penitus destituantur Poloni: cum contrarium credere suadeat arx Leopolitana, siue Lemburgensis, & oppidum Camenecense in Meridionali Russia, vt & Arx Cracouiensis in Polonia Minore. Adde his Polociam in Moscouiæ finibus, & Mariæburgum cum nonnullis aliis per Prussiam Liuoniamque: quæ omen non Poloni, sed Germani opere manuque muniuerunt, tunc, cum Equites Ordinis Cruciferi his regionibus potirentur. Et ita quidem habet robur militare Poloniæ, cuius tam numerosus est, vt ostendimus, equitatus, vt vix credi debeat, vllum per Europam regnum in hoc genere Polonos æquare, nedum superare posse.

Neque his ipsis promtitudo quidem deest. Si enim regnum aliquid forte ac validum sit, quatuor requiruntur: primo, vt ex ipso regno, an aliunde petantur copiæ militares; deinde, sint numerosæ: tertio vt sint firmæ ac validæ: quarto vt sint agiles. Primi capitis ratio hæc est: quod parum in extraneo milite sit spei aut fiduciæ. Secundi, vt delerâ parte copiarum, stataue iactura restitui possit, numeroso suppetente exercitu. Firmas validasque esse necesse est, quod multitudo sine fortitudine plus noceat quam prosit. Agilitas necessaria est, vt cito possint contrahi atque expediri milites, si vsus dexteritatem aliquam ac celeritatem exigat.

Ex his quatuor conditionibus vltima Polonis deesse videtur. Nam ad expeditam militiam imprimis duæ res requiruntur: primo auctoritas principis: deinde vt argentum sit in promptu. At in Polonia rex neque capessere potest bellum, neque imperare tributum, nisi de consensu Ordinum, qui in conuentibus publicis exorandus est. Solent autem in conuentibus conuenire mortales, vnde velut inertis & operosa quædam machina tarde mouetur, multumque temporis, postquam conuenere, deliberando insumitur. Constat autem in re bellica celeritate opus esse, ne Princeps ab aliorum pendeat arbitrio, sed in sua ipsius manu habeat rem argentariam. In conciliandis enim dissentientium animis, & colligenda pecunia tantum perditur temporis, vt hosti locus detur, & occasio ex manibus amittatur.

Adde his, quod Ordines Proceresque Poloni, cum ad Conuentus aut Comitia proficiscuntur, tantum in operosum splendorem & apparatum impendant argenti, dum alter alterum magnificentia superare nititur, vt non multum ad expeditionem militarem supersit.

Non negauerim tamen, expeditiora fore omnia, atque celeriora, si prompta defensione patriæ opus sit: ingruens enim malum & necessitas reipublicæ tollere cunctationes potest.

Sed si ad exteram aliquam prouinciam occupandam conferenda sint consilia, dubium nullum est, quin omnia tardius successura sint, quod spes incerti boni non tam valide mouere soleat, quam metus præsentis infortunii.

Quæ, etsi ad hunc modum habent, vidit tamen patrum ætas, Magnum Moscouiæ Ducem, inuasis Polonici regni limitibus, Smolenskam Vrbem Sigismundo primo eripuisse, nec hunc satis regie iniuriam illam vindicasse. Idem quoque Moscouita Liuoniam bello aggressus, quæ se sub patrocinium & clientelam eius dederat, pro lubito suo grassatus est, Polonis nullas copias Ruthenis opponentibus.

Contra hæc pugnare videtur exemplum Stephani Battorii. Hoc enim regnante, Polonia non solum ad sui ipsius defensionem sufficiens esse comperta est, & ad arcendas vires exterorum valida, verum etiam ad inferendum bellum vel potentissimis hostibus. Quia vero de Promtitudine, siue (vt loquitur auctor) Agilitate belli dicere occæpimus: causas illius deinceps persequemur.

Primam ac Principalem esse diximus Auctoritatem Principis, à quo velut primus motus & res nummaria ptoficiscitur, qua copias rectas conseruare potest. Vidimus enim validissimos exercitus tempus inutiliter consumsisse, si caput lentum ac remissum nacti fuissent. Vidimus etiam magnis quandoque ab hoste reportatis victoriis, nihil tamen effectum fuisse in defectu pecuniæ, quod miles pergere vlterius, victoriamque, nisi persolutis stipendiis, persequi recusaret.

Sed & multum in eo situm est, quales sint ipsi milites. Nemo enim opinor, negauerit pedites Italos Hispanosque agiliores esse Germanis ac Bohemis, non solum quod natura leuitate quadam sint corporum, sed & paucioribus in bello contenti ac frugaliores. Nec enim illi continuo deficiunt, si vino destituantur aut carnibus ad victum, cum multo melius ferant inopiam & cætera belli incommoda. Sed & equorum, quibus vnaquæque natio in bello vtitur, multum ad rem facit celeritas. Nam &

Flan-

Flandrici equi superãt Frisios, & Polonici Hungarici que celeriores sunt Germanicis. Hispanici prævalere creduntur Turcicis, & Numidici siue Africani vicissim illis. Neapolitani in cursus celeritate cedunt Hispanicnsibus, sed tolerantiores sunt laborum. Ostendit nobis ipsa experientia, equitatum Germanorum parum aptum esse ad persequendum hostem, vel etiam ad fugiendum. Sed ad statarium pugnæ genus, vbi firmitate & robore opus, nemo ante hos est. At Valachici, & Vngarici, & Polonici, & Turcici, & Africani fugitiuo hosti tanta pernicitate instant, vt difficilimum sit, euadere; rursum si ipsi fugiant, nemo facile eos assecutus fuerit. Ex disciplina enim quadam auita gentes hæ eadem celeritate fugientium appetere dorsum, & ipsi persequentium cuneis obuertere tergum solent.

In expeditionibus maritimis idem celeritati locus. Onerariæ enim naues parum habent agilitatis, quod destitutæ vento ne mouere se quidem possint; his autem triremes, celoces, Liburnicæ multo sunt agiliores: in his igitur plus ad victoriam momenti. Hinc vidimus classes Christianorum, quæ potissimum constabant nauibus onerariis sine remige, magnam quandoque æstatis partem sine vlla re bene gesta transegisse; contra Turcarum triremes celeriter fuisse expeditas.

Vix est autem quicquam, quod Turcarum magis copias expeditiores reddit nostris, quam eorum ratio viuendi paucis contenta. Vinum enim, & cupediæ cæteræque delitiæ plus negocii exhibent nostris exercitibus, quam vniuersus commeatus Turcis. Non est igitur mirandum, quod quoties Turcæ in militiam prodeunt, tam egregie ipsis prospectum sit de tormentis æneis, puluere pyrio, globis cæterisque belli instrumentis: quod his potius rebus onerent in militia terrestri quidem currus iumentaque sua, in marina naues; quam vino, cereuisia, carnibus, piscibus, eduliisque. Vis vno verbo dicam? Turcæ militaturi ad bellum pugnamque proficiscuntur, non ad comessationes, ebrietatem, popinas, aut lupanaria.

Sed omittamus hunc nostrorum exercituum fatalem morbum, cui velut desperato manum medicam adhibere vanum est: & ad Poloniam reuertamur. Attingunt hanc Sueci, qui partem Liuoniæ obtinent, necnon Marchionis Brandeburgici terræ, & Prouinciæ Imperatoris, quate-
21 nus is est rex Bohemiæ & Dux Sileſiæ. Constatque vix intra centesimum annum cum his Principibus Polono bellum fuisse, præterquam cum Sueco, à quo Polonus iam multis annis Paternum auitumque regnum Sueciæ repetit, sed parum efficaci postulatione.

Cum Imperatore Polono regi non solum alta pax, sed & fœdera ac affinitas, cum Polonus vxorem habeat Annam Austriacam. De Principibus Germanicis fere sic habet, partim affinitatibus, partim mutuo metu alteros ab alteris cohiberi ne bellum sibi inferant. Nec enim Germani Principes, qui Poloniam attingunt, metuunt, ne hi munimenta vrbium suarum expugnent nec Poloni confisi multitudine, illorum formi dant impetum, si æquo loco congrediendum sit.

Ab Oriente vicinum habent Poloni Magnum Moscouiæ Ducem, & alibi Tartaros Præcopenses atque Turcas. Et de Moscorum Ruthenorumque Principe suo loco dicemus. De Tartaris Præcopensibus, qui Tauricam Chersonesum cum vicinis regionibus inhabitant, constat eos in bellum emittere posse circiter quinquaginta equitum millia, vel etiam multo plure adiutos vicinorum Tartarorum auxiliis, vt f ctum nouimus anno A N.C. MDLXIX. cu sollicitante Turcarum principe hi populi co tra Moschos cum exercitu LXXX. millium pr gressi sunt: itemq; cum anno Domini M D LX ipsam magnam Moscouiam subiecto igne exu serunt. Sed hæ sunt subitaneæ impressiones, q non diu durant, quæque potius ad prædand prouincias & vastandas latrociniis suscipiu tur, quam ad iusti belli perseuerantiam, vn plus inde damni quam metus. Affligunt aute inprimis Scythicæ illæ gentes Podoliam Voll niamque. Deliberatum sæpius est ab Ordinibu qua potissimum ratione hæ immanium illaru gentium excursiones cohibendæ forent, visu que est optimum factu, si præsidio ac opere m nirentur Insulæ Borysthenis fluuii, quem ir pturi in Poloniam Tartari transire solent. V rum consilium hoc effectu caruit.

Grauis & molestus Polonorum vicinus Turcarum Princeps, postquam is Valachiam cupauit, quæ olim beneficii iure à regno Po nico dependebat, valore conuentionum in Alexandrum Valachiæ Palatinum & Ladislau Polonorum regem, quæ initæ sunt anno A C.M CCCC III. & post repetitæ anno Chr M CDXXXII. inter Eliam Palatinum & Lad laum III. Poterat hæc prouincia Polonis su mittere circiter quinquaginta millia equitu abundans omni frumenti & pecudum gene Nostra tempestate, cum magna ex parte dese & ad vastitatem redacta sit, magna cum diffic tate medium numerum equitum expedit. Q autem Polono à Turcis, & his vicissim ab metuendum sit, tunc explicabimus latius, de potentia Ottomannica dicere instituerim quo Lectorem remittimus.

Modus & Forma Reipublicæ Polonicæ.

In vniuersum consideranti modum guber tionis Polonicæ planum fiet, magis ad Aris craticam Reipublicæ formam, quam ad Mon chicam Regiamque accedere. Nobiles enim gni, quorum est ingens in Comitiis consiliis c auctoritas, eligunt regem, tantumque ei pern runt potestatis, quantum bonum visum fue crescitque potentia & vis nobilitatis propen dum in singulos annos, eoque magis cum in gendo rege neque legem vllam scriptam, nec consuetudinem à maioribus traditam obs uent, sed solum sequantur arbitrium. Istud d

ta

xat constat, interregni tempore potissimam
le Archiepiscopi Gnesnensis auctoritatem, qui
nuentus indicit, Senatui præsidet, & nouum
ectum, primus Regem consalutat: quem se-
untur Archiepiscopus Leopolitanus, cum v-
ique suffraganeis, numero tredecim: deinde
latini viginti octo, & Castellani præcipui qui
nt numero triginta, antequã Stephanus rex
uos constituisset Episcopos, Palatinos & Ca-
llanos in Liuonia. Præter hos pauci intersunt
ectioni Regis. Sunt & in hoc regno certi qui-
m homines cum auctoritate; quos ipsi appel-
t Nuncios Terrestres: nec non alii, qui ad-
t nomine certi alicuius numeri nobilium; qui
quasdam velut classes & districtus distincti
t, habitantes per certas prouincias. Hi inquã,
nes; velut agentes nobilitatis aut repræsen-
tes, indictis Comitiis regni conueniunt in
um quendam haud procul ab eo, in quo ha-
ur Senatus ordinum. Hic è suorum numero
nt duos Mareschallos, per quos sua deside-
xponunt Senatoribus. Acquisiuerunt autem
roximis his annis tantum auctoritatis, vt ha-
ntur veluti principes & capita publicarum
beration um regni: suntq; inter eos, qui ma-
esse Nuncii quam Senatores. Omnes hi ea-
n opera & velut condicto magis magisq; cõ-
gunt potentiam regum; quoties ad noui
cipis accedunt electionem. Etsi autem Dia-
a regni Poloniæ à libera nobilitatis electio-
ependet: nullum tamen apud auctores ex-
xemplum; quod prætérita sanguinis regii
essione ad aliam iuerint familiã, nisi semel,
neglecto Ladislao (qui tamen postea ad re-
n rediit) elegerunt Venceslaum Bohemũ;
no enim semper honore coluerunt sobolẽ
m, edito aliquando huius venerationis in-
specimine in Hedvviga, regali filia, quam
cum regno desponderunt Iagelloni Litua-
nostro tempore in Annam Mariã, quam col-
uerunt Stephano Regi. Notum est insuper,
mundum III. non alia potiore causa ad dia-
Poloniæ peruenisse, quam quod esset filius
inæ sororis Sigismundi Augusti regis.

si autem auctoritas regis in iis quæ ad elẽ-
em spectant, maxima ex parte ab aliis de-
et; in multis tamen rebus absoluta idem v-
potentia postquam electus est, cum ipse se-
natores regni conuocare, iisq; diem ac lo-
conueniendi dicere possit. Est & penes eum
, in numerum Consiliariorum sibi assume-
orquot placuerint, etiam ex Episcopis, qui
erint. In percipiendis regni prouentibus
ium nullius agnoscit, exercetque absolu-
n subiectos imperium, exceptis Baronibus
libusq;, exequiturq; nullius alius, sed sua
xat auctoritate, quæ in Comitiis decreta
In causis criminalib. supremus est iudex;
q; spontaneis beneficiis, nullius interue-
e auctoritate: quoscunque visum fuerit.
mo idem est modus illius potentiæ, qui
olertiæ, dexteritatis atq; prudentiæ.

unt autem nobiles per Poloniam in ma-
xima libertate & prope licentia, facientes quic-
quid in mentem iis venit, cum ipsi dicant, regis
reges atq; edicta non vltra tertium diem valere,
cuius se propemodum fratres atque æquales ar-
bitrantur. Et vt Rex eis qui potestati regiæ sub-
iecti sunt, absolute imperitat: ita ipsi quoque suis
cum absoluta quadam potestate dominantur;
quandoque etiam plus quam regium in eos ex-
ercentes dominium, quos seruorum numero
habent.

Sicut autẽ olim Romani vires suas supra mo-
dum auxerunt, communicato iure ciuium Ro-
manorum & Latii cum sociis & bello acquisitis
vrbibus prouinciisque, ita quoque studuerunt
Polonorum reges, salubri sane consilio, exten-
dere atque confirmare regnum suum, commu-
nicatis nobilitatis Polonicæ Priuilegiis immuni-
tatibusque cum prouinciis exteris, quas vel ar-
mis, vel fœderibus, vel alia ratione sibi coniunxe-
rant, vt nobiles in iis æquali cum Polonis gau-
derent libertate & in suos potestate. Hoc Pacto
Ladislaus rex adiunxit Poloniæ regno Russiam
Podoliamq;, & Sigismundus Primus Prussiam,
Sigismundus Augustus Lituaniam, & Stepha-
nus Liuoniam. Res plena prudentiæ maturique
iudicii, quod æqualitas honorum, priuilegiorũ
& commodorum homines inter se miris modis
deuinciat, & ad commune periculum propul-
sandum paratos reddat.

Vna res præcipue turbat hanc rempublicam,
nempe varietas religionum, quæ perpetuis ac
noxiis inimicitiis ciues huius regni inuoluit, nec
solum in prouinciis, vrbib. oppidisque obtinet,
sed & in priuatorum domos singulasque prope
familias penetrauit. Accedit & aliud malum. Cũ
enim regnum hoc penitus ab Electione depen-
deat, nonnunquam concipiunt spem & exteri
principes, dantque operam, vt sibi Polonos de-
uinctos reddant, variisq; modis de iis bene me-
reantur, cui rei occasionem præbent nobilium
iuuenum Polonorum frequentes peregrinatio-
nes, & prouincias exteras lustrandi studium vbi
comiter & benigne habiti, reuersi in patriam,
eorum fere Principum partibus student, à qui-
bus beneficiis affecti fuerunt. Hoc suum studiũ
melius declarare non possunt, quam in electio-
ne noui regis, vbi vnius suffragium tantum va-
let quantum alterius; vnde animorum aliena-
tiones, quæ quidem viuente rege in apertum nõ
erumpunt, cum gens hæc maxima fidelitate suos
colat Principes: illud tamen caueri non potest
quin occultis inter se laborent odiis, simultati-
bus & diffidentia.

Primi summique ordines in Poloniæ regno 23
hi sunt: Ordo Senatorius & Equestris. Ne inter
hos quidem satis conuenit. Etsi enim vtri-
que ad eundem collineant scopum conseruã-
dæ libertatis auitæ, quæ inter Nobiles æqualis
est: cum tamen necesse sit, quosdam ad prouin-
ciarum gubernacula & rectoras adsciscere, fa-
ctum est, vt ii, qui ad eos honores vocati fuerũt,
digniores se existimarint semper cæteris, vnde
æmulationes, deductis insuper officiis illis ad

duos gradus: quorum alii digniores dicuntur Palatini, alii Castellani. Sed & reges prisci Polonorum, cum potuissent omnia ad suum facere arbitrium, alios quidem afficiendo præmiis, alios pœnis: parum tamen cõsulte adhibuerunt nobiles istos, qui cum maiore dignitate erant, ad priuata consilia, neglectis cæteris, qua ratione discordiis ac æmulationi fenestram patefecerunt.

Posterioribus temporibus lege sancitum est, vt isti Nobilitatis Proceres vnum aliquod corpus Senatumque constituerent, sine quo regi fas non esset, in rebus ad regnum pertinentibus quicquam consultare aut decernere. Cæterorum nobilium prope nec finis est nec numerus, cum regnum sit longe amplissimum.

Cum autem in ferendis legibus aut proponendis edictis publicis vnusquisque nobilis intercedendi ius habeat, solet Palatinus quisque nobiles suæ prouinciæ in vrbem Palatinatus sui præcipuam conuocare, & mandata regis eis exponere. ibi postquam eorum intellexit sententias, secundum plura suffragia eliguntur ex omni numero quatuor vel sex, qui appellantur Nuncii terrestres, qui cum Legatis cæterarum prouinciarum ad locum Comitiis regni destinatum conueniunt, vocaturque totus ille conuentus siue corpus Nunciorum vno vocabulo ordo Equestris, dignitate quidem Senatorio inferior, auctoritate vero & potentia par: & hinc nata est illa contradicendi Senatoribus licentia. Discordiarum & contradictionum hæc potissima causa videtur: quod ordo Senatorius prope in omnibus studet placere regi, à quo maximis est affectus beneficiis, ne ingrati videantur: Contra Equites propositum habent bonum publicum, persuasumque habent, nisi ipsi sua auctoritate resistant, breui tempore collapsuram libertatem suam. Dant igitur operam, vt vel minimam Tyrannidis suspicionem in scintilla supprimant, vnde fit, vt Senatorio non satis hac in parte fidentes Ordini, assidue se ei opponant.

Sed nec cæteris prouinciis, Lituaniæ dico, Russiæ, Liuoniæ satis & per omnia cum Polonis conuenit, quod harum regionum Nobilitas parum æquo ferat animo, terras vrbesque suas Polonorum subesse dominationi, & in eas Polonos mitti gubernatores. Possent tamen multorum sententia his discordiis omnibus commoda afferri remedia, si exemplum Stephani regis obseruaretur, qui in communibus totius regni Comitiis causam Religionis inter dissidentes componere conatus, certam quandam formam futurę Electionis concipere aggressus est, vt vanæ irritæque fierent nobilium factiones, & cæteræ è medio auferrentur confusiones, quas illa discordia & affectuum varietas solet gignere.

Quod ad dissidium inter ordinem Senatoriũ & Equestrem, tentauit id sopire, quibuscunque poterat rationibus. Sustulit quidem ex parte dis sensiones Nobilitatis, æquabilem se omnibus præbens, & æqualiter ad Senatum aduocans distribuens inter eos, qui bene meriti erant de regno, dignitates & prouentus: seuere animad uertens in seditiosos & rebelles, bonos autem quietosq; ciues suo defendens patrocinio.

Prouinciarum quod attinet discordiam, ma gno artificio vsus est ad eam sepeliendam, eli gens sibi aulam siue regiam in ciuitate Grodna quæ est in finibus Lituaniæ & Poloniæ, vt ita v deretur ex æquo partiri affectus fauoremq; su inter vtramq; gentem: & vt vno verbo dicam studuit, quantum fieri potuit, omnibus satisfa cere.

Vt autem Statum & Gubernationem reg Polonici accuratius persequamur, sciendu est, ex duobus eam in rebus Politicis consta membris. Prius constituunt Principes Eccles stici, in primis duo Archiepiscopi. Prior est Gne nensis, primas regni Poloniæ, & Legatus Po tificis Maximi per Sarmatiam, penes quem auctoritas coronandi reges. Alter est Archiep scopus Leopolitanus per Russiam Meridion lem. Subsunt his complures Episcopi, qui & i adhoc prius membrum constituendum concu runt, omnes non multo infra principum opes potentiam, è quo numero sunt Cracouiensis p tens per superiorem Poloniam, Posnanien per inferiorem: Ploscouiensis per Masouia Chelmensis per Volhiniam: Primislienſis Russiam: Camenecensis per Podoliam; nec n Kiouiensis & alii.

Alterum membrum constat ex nobilibus riarum dignitatum: sunt enim Palatini, Cast lani, Mareschalli, Cancellarii, Vicecancella Capitanei, Duces Legionum & alii. Primum cum post Proceres Ecclesiasticos obtinet Cas lanus Cracouiensis, assidens proxime Regi eum sequitur Palatinus Cracouiensis: hunc V nensis. Ita primo permixti sunt Palatinis pr nominis Castellani, deinde sedent cæteri, quisque loco. Sunt autem Palatini totius re hi. Cracouiensis, Sandomirienſis, Lublinen Posnanienſis, Calisienſis, Sirardinus, Laneci sis Vladislauiensis, Brestanus, Polocienſis, M souiensis. Drobicensis est Palatinus Gener Russiæ, Belzensis Podoliæ, Volhinienſis Lit nię; post hos sunt Vilnensis, Trocẽsis, Minsci Kiouiẽsis, Misislauiẽsis, Vitebsciẽsis, Poloi sis. Postremi numerãtur q̃ sunt per Prussiã; C mensis & Mariæburgensis. Sunt insuper in t Poloniæ regno circiter Castellani L X. duo M reschalli in Polonia, totidem in Lituania, hab que Mareschalli, quorum æquus in vtraque p uincia est numerus, diuersa nomina, cum alii pellentur Terrestres, alii vero Aulici. Sun duo Cancellarii, & totidem Vicecancellarii, sigillum vtrumque custodiunt, & Mareschal ordine sequuntur. Summi duces exercitu duo sunt, totidemq; exercitus, quorum alter in Polonia, alter in Lituania. Præterea sunt in

fe

eriore Polonia Capitanei XL. in superiore XXX. in Masovia XII. quorum omnium electio est in arbitrio Regis.

RELIGIO PER POLONIAM.

Cum primum Hussitarum dogma Bohemiã occupasset, dissiparum etiam est per quasdam rouincias regno Polonico subiectas. Huic tamen Ladislaus rex auxilio procerum & Episcorum regni se firmiter opposuit. Cum enim Diadema Bohemicum repudiasset, quod ordies illius regni obtulerant, cauit pariter, ne doctrina illa in Polonia inueniret locum. Quin & ndictis Comitiis regni decretum fecit, vt quinque Iohannis Hussi placita amplecteretur, ut Hussitis faueret, sine cunctatione puniretur. Cum autem Lutherus iam crebet esset in anibus Germanorum, & adolescentes Poloni udiorum gratia Lipsiam & Wittebergam, aque Germaniæ celebres scholas adirent, parm etiam vt linguam addiscerent Germanicã, on tam litteris quam Lutherano dogmate imri domum redierunt, vel saltim minus bene fecti erga Catholicos. Huic rei vt obuiam iret gismundus rex, edicto vetuit, ne quis ciuis Ponus filium suum ad eas partes mitteret. Exius tamen huius interdicti fuit valor, partim iod Nobilium priuilegiis & libertati derogavidebatur, quam isti illibatam volebant, parn quod non possent vrbes Germanicas vitare, primis finitimas & quas vocant Hanseaticas, æ per mare Balticum negociantur; factumq; incepsest, vt non solum per regnum spargetur Lutheranismus, sed & quidam Ebionis & rii renouarent hæresin.

Primi qui Romano-Catholicam religionem seruerunt, fuere Prutheni, Germani ipsi, mercimoniis addictissimi, in qua regione Ecsiarum scholarumque ministri tam scriptis lis quam viua voce dogma illud longe lateque tserunt. Nam ciues Dantiscani (cuius vrbis xima est auctoritas) anno AN. C. MDXXV. gnitate deiecerunt Senatum, substituto nouo, uitatis amante, scriba insuper siue Notario nsule creato, erupitque eo vsque popularis or, vt templa profanaret, spoliaret quasdam ulentiorum domos, & Sacerdotes ac Monaos indignis modis haberet. Quanquam au rex eo celeriter profectus, tumultum aliquo do sedauit, Catholicorum tamẽ partes adeo oilitatæ sunt, vt spoliati templis ea recuperanunquam postea potuerint, sacerdotibus interMonachisq; foras migrare iussis: adeo vt in vasta vrbe Dantiscana vnus duntaxat superconuentus Monachorum è familia Dominicum vno Monialium virginum monasterio, ra muros, & alio extra eos. Proximis tamen annis datus est accessus Iesuitis in suburbio odam, qui conciones habent, & cætera perat religionis exercitia.

Multum autem hanc per Prussiam religionis mutationem iuuit Albertus Brandeburgicus, Dux Prussiæ, qui cum antea Magnus Magister Ordinis Teutonici & Catholicus fuisset, persuasus ab Henrico ac Georgio fratribus, Lutheranus factus est. Principis exemplum secutus populus, & ipse dogma Lutheri amplexus est, quod ex Prussia serpsit in vicinam Poloniam, sumsisset que longe maiores vires, nisi Episcoporum se illi cura opposuisset. Viget autem Lutherana doctrina, secundum Osiandri opinionem, potissimum in Regiomontana ciuitate, quæ caput est Ducalis Prussiæ & Studio vniuersali illustris.

De Liuonia sic habet. Imperante Friderico Primo Cæsare, quidam doctores Euangelii in hanc prouinciam profecti, non exiguos fecere progressus, inprimis quidam Meinardus Lubecensis, qui ea de causa in primum Liuoniæ Episcopum consecratus est ab Archiepiscopo Bremensi. Habuit Meinardus successorem Bertholdum Abbatem Cistertiensem, qui in prælio aduersus infideles cæsus occubuit. Hoc facto in Liuoniam introductus est Ordo Ensiferorum ex Germania, vt Christianis præsidio essent, sanctamque Fidem gladio defenderent. Hi cum infirmiores essent, vniuerunt se interuentu Pontificis cum Ordinis Teuthonici Equitibus cruciferis, sumseruntque ipsi abiecto signo gladii crucem, agnoscentes inposterum Magnum Prussiæ Magistrum superiorem suum: quod duravit vsque ad Albertum Brandeburgicum, qui accepta pecunia eos liberos à suo seruitio pronunciauit anno Salutis MDXXXI. Erant autem tunc quinque Episcopatus in Liuonia, Dorpetensis, Oeselienſis, Churlandiensis, Riuallienſis, & horum Archiepiscopus Rigensis.

Anno A N. C. MDXXVIII. Magister Ordinis cum suis Equitibus aperte amplexus est sententiam Lutheri, vnde sensim maximam partem Liuoniæ occupauit, vt superius de Prussia commemorauimus: Episcopi tamen aliquousq; firmiter in vestigio perstiterunt. At anno Salutis MDLVII. mouerunt Equites bellum Archiepiscopo Rigensi, qui erat è familia Brandeburgica, quod nollet eorum sequi sententiam, eumq; captum in vincula miserunt. Metuentes autem vim Sigismundi, regis Polonorum, qui pro liberando Episcopo arma arripuerat, restituerunt eum pristinæ dignitati; sed eo mortuo, vrbs Rigensis sub Polonorum deuenit potestatem. Paulo post desiit ordo cruciferorum per Liuoniam, mortuo Guilhelmo Fürstembergio. Antequam autem hic ordo expiraret, bellum fecerat Equitibus Magnus Dux Moscouiæ, eosque magna ditionis parte exuerat, vnde coacti fuere, ad regis Poloni confugere patrocinium, qui multum opis pollicitus, parum admodum præstitit. Progressus enim Moschus Dorpetam vrbem occupauit cum nonnullis aliis, deportatis alio colonis, & in eorum locum Moscouitis submissis. Altera ex parte Iohannes Sueciæ rex educto aduersus Moschos exercitu, Reualiam & Naruam oppida cepit, cum magna prouinciæ parte.

Postremo Magnus, Regis Daniæ frater, ne suam non ageret personam Oeseliam inuasit & Churlandiam, vbi est Episcopatus Vindensis. Ad extremum tamen Stephanus Poloniæ rex cum bellum fecisset Moscouitæ, coegit eum tota sibi decedere Liuonia, & malo cauere.

Inueniuntur autem in Liuonia sex hominum genera: Estii, Germani, Sueci, Dani, Moscouitæ & Poloni. Estii sunt natiui indigenæ, vtunturque peculiari lingua, & quanquam sæpe mutauerint dominos, nunc quidem Germanos Equites, alias vero Suecos, alias Moscouitas nacti, aliqua tamen priscæ religionis retinuerunt semina. Dici enim non potest, quanto honore prosequantur sacerdotes, exhibentes eis sub inde salem, candelas & nouas fruges, vt iis rebus benedicant. Habent in suis territoriis templa antiquissima, quæ magna deuotione frequentant, aquam benedictam plurimi facientes. Consuetere etiam singuli singulos sibi legere Apostolos, velut Patronos aut Protectores. Confitendi tamen ritus apud eos prope exoleuit, quod iam longo tempore caruerint sacerdotibus. Idem quoque de Sacramentis Romanæ Ecclesię dicendum est. Accidit autem paulatim, vt adeo obliti sint ceremonias Romanas, vt rari per pagos & villas inueniantur, qui signo crucis rite se munire nouerint, aut orationem Dominicam recitare: nec sane facile, iis hac in parte subuenire, cum lingua eorum tantopere à cæteris discrepet.

Ciuitates per Liuoniam prope omnes à Germanis habitantur, qui & eas fere ædificauerunt. Metropolis totius regionis est Riga: adeo autem hinc exulat Romano Catholicismus, vt in vno, qui solus superetat, Monialium Conuentu, non nisi duæ supereslent Vestales, anno nimirum Salutis MDLXXXVII. quarum prior annos nata erat centum, altera non multo infra hanc ætatem; donec Stephanus Rex Collegium Iesuitarum fundasset eodem anno: qui tamen paulo post impulsu Ministrorum eiecti fuere. Et dum de reducendis eis agitantur consilia, repentina mors Stephani regis totum euertit institutum. Anno tamē MDXCI. reducti fuere auctoritate Sigismundi regis & consensu ordinum prouinciæ.

Loca quæ Rex Danus & Suecus occupant, sequuntur religionem Principum suorum. In iis locis, quæ à Polonis habitantur, semper data fuit opera, vt ad Priscos ritus reducerentur incolæ, erecto in hunc finem Iesuitarum collegio in ciuitate Dorpetana, quæ non multum cedit Rigæ, sita in finib. Moscouiæ. Sed & ipse Sigismundus rex sub annum MDLXXXIX. proposito edicto vetuit, ne inposterum Lutherani per Liuoniam conciones haberent.

Accidit autem deinde, vt multæ sectæ, multique errores, quibus iam dudum explosę damnatæque ab Ecclesia priscæ hæreses ab Orco reuocabantur, cuius generis sunt Antitrinitarii, Arriani, Tritheitæ, Samosateniani, aliique, in Polonia suos inuenirent fautores magno nationis detrimento: neque Sigismundus Augustus rex multum se tam pernicioſæ segeti opponebat, cum destitueretur liberis hæredibus, nimium hac in parte indulgens nobilitati, sinens vnumquemque in sequendis erroribus suo satisfacere desiderio, vnde omnia confusione & nouitatibus repleta fuere: fuissetque res in singulos dies peior futura, nisi Sigismundus breui vitales deseruisset auras, cuius tamen successor (intermedio Henrico Gallo) Stephanus Batorius huic carcinomati capistrum imposuit, ne serperet latius. Primum igitur dedit operam, vt Episcopatus probatæ vitæ & doctrinæ hominibus committerentur. Idem fecit in legendis ad Electionem Senatoribus & Officiariis regni. Tertio erexit scholas, fundauit collegia, & reformauit Academiam Cracouiensem.

Quanquam autem in vtraque Polonia multi inueniantur hæretici, plures tamen sunt in inferiore quam superiore, inprimis circa Lublinum & in vicinis locis; quarto enim ab eo oppido milliari abest Leopatouia studio & schola celebris, quo mittunt ii, qui Romanos ritus deseruerunt, liberos suos.

Lituani olim Magno Moschorum Duci subiecti fuere. Battyus autem, Magnus Tartarorum Princeps cum prope contriuisset armis Ruthenos, Lituani cum Erziuillio Principe suo ab horum dominatione se subtraxerunt. Postea Mindocus Lituaniæ Princeps, cum Christianismum amplexus fuisset, Magni Ducis Titulum ab Innocentio III. Papa nactus est. Sed paulo post ad vomitum, id est, Idololatriam, reuersus est. Anno autem A N. C. MCCCLXXXVI. a. d. XIV Februarii mensis recepit fidem Christi Iagello Magnus Dux Lituaniæ, baptizatusque est, ductus in vxorem Hedyvige, filia & hærede Poloniæ regis, cuius exemplum secuti pleriq; Lituani baptismum susceperunt. Cum autem prouincia latissime pateret, nec satis vigilarent ii, quorum interexigebat officii ratio, factum est, vt è vicina Russia multi irreperent in Lituaniam atque Samogitiam errores, nonnullis ex his populis etiam veteris Idololatriæ reliquias conseruantibus.

Nam in quibusdam locis adorabant quendam Dæmona domesticum siue Larem familiarem, cui nomen indiderant *Dinstipant*, id est, Domino Fumi, vel Principi Camini, offerentes par pullorum gallinaceorum, & in honorem ius celebre festum agitantes. Aiunt autem in pago quodam Regio, quarta à Vilna vrbe milliari adhuc nostra ætate serpentes coli à quibusd Sed & Samogitii nutriebant in domibus su certos quosdam serpentes nigros, quos secu aliquando exire & redire domum conspiciebā magna quadam superstitione; quod si his hom nibus aliquid infortunii obortum fuisset, no satis hos Penates ab se cultos existimabant.

Eundem insuper honorem deferebant hi p puli, Igni, Fulmini, Soli, Lunæ, præaltis arbor bus aut vetustate conspicuis. In multis Lituaniæ loc

ocis sacrificabant Scrofam fœtam Deæ Tellu-
i, & varias præterea animantes cuidam Idolo
Cieminnio. Reperiuntur & hic multi Mahome-
stæ, postquam Vitoldus Lituaniæ Princeps
nno MCCCXCVI. Hordam Tartarorum in-
oduxit, iisq; agros super Vaccam fluuium assi-
nauit, duobus à Vilna milliaribus, facta licen-
a, viuendi secundum Mahometi leges. Fuit su-
erioribus annis celebre apud Vilnam Caluini-
arum Gymnasium, mittentibus eo studiorum
atia Lituanis liberis suis: sed Iesuitæ erecta ibi-
em schola ac collegio, multum illis detraxere
ctoritatis, adiuuante horum eximie partes fa-
ilia Radziuillia.

De Russia Meridionali sic habet. Nobilitas
axima ex parte sequitur Religionem Roma-
m, ac populus agnoscit Patriarcham Constan-
opolitanum, sequiturq; Græcorum dogma.
Nostro æuo per totam Russiam atque Litua-
am tantum numerantur quinq; Episcopi Ro-
ani siue Latini: Vilnensis, Samogitiensis, Kio-
ensis, Ianuuiensis, Lucoriensis, eorumque
chiepiscopus Leopolitanus, quem Germani
mburgensem vocant. Subsunt autem huic
æter iam dictos Episcopi Polosciensis, Vlado-
rensis, Premisliensis, Pinsciensis. Est & apud
opolim Patriarcha Armeniorum, vt & apud
menecam & aliis in locis, propter frequentia
rthenorum cum illa gente mercimonia.

Volhinia, quæ sub Russia comprehenditur,
& Podolia, domicilium præbet Duci Ostro-
iensi, qui vltra quatuor millia sub se habere
ditur feudatariorum: estque hic caput eo-
m qui Græcorum sequuntur ritus. Dicam au-
n breuiter. Prouinciæ regni Poloniæ, quæ in
re Balticum excurrunt, vti sunt Prussia & Li-
nia, vt & eæ, quæ Silesiam Morauiamq; con-
gunt, easdem fere sequuntur religiones, quæ
Germania in vsu sunt. Quæ in Orientem
Meridiem porriguntur, Græcam sectantur re-
ionem, ita vt vbique errores intercurrant. Vt
em hoc posterius caput consideremus pres-
s, sciendum, Luceoriam oppidum Volhiniæ
ntinere circiter mille domos siue familias: ex
centum & septem Catholicam, cæteræ Græ-
, nonnullæ etiam Armeniorum profiten-
religionem. In Vrbe Polocia, quam Stepha-
s rex Moscouitis ademit, Græci septem ha-
nt templa, Latini vnum, quod nec ipsum qui-
n suos habet sacerdotes. Etsi autem in Polo-
multi sint hæretici, multo tamen maior est
holicorum numerus, præsertim in inferio-
Masouia tamen præ omnibus Poloniæ pro-
inciis ea laude cluet, quod prope omnes
in ea sint Romano-Catho-
lici.

GENEALOGIA DVCVM ET REGVM Poloniæ.

PRimum qui Polonis imperauerit, Lechum fuisse aiunt: neque tamen tempus constituunt Historici, quo principatum obtinuerit. Id duntaxat constat, post mortem eius liberos nepotesque eius dominatos fuisse, seruata prærogatiua ætatis. Gesta eorum & tempus dominationis nemo Historicus annotauit. Extincta posteritate Lechi, conuenere Proceres Polonorum, deque assumendo sibi Principe deliberauerunt. Cum autem inter eos conuenire non posset, visum est eis, in libertate potius quam sub alterius dominatu viuere. Duodecim igitur elegere Wayuodas siue Palatinos, non quidem vt imperarent, sed vt vnicuiq; ius dicerent, & munia obirent publica.

Longo tempore post pertæsi Poloni gubernationis Palatinorum, cum viderent eos suis potius quam reipublicæ studere commodis, ad constituendum denuo principem animum adiecerunt. Elegerunt igitur Craccum, qui habitabat ad montes Sarmaticos, iuxta Vistulam amnem. Hic est ille Craccus, qui Craccouiam vrbem ædificauit.

Successit Craceo filius primogenitus, eiusdem cum patre nominis. Sunt qui scribant, hæc quadringentis annis ante Christum natum contigisse. Hic igitur Craccus secundus, cum possessionem regni apprehendisset, interfectus fuit à fratre, quo parricidio iste apud omnes se reddidit odiosum & detestabilem: deinde tactus pœnitentia facti mœrore obiit. Poloni igitur vtriusque sororem Vandam sibi assumserunt principē. Narrant hanc potitam ingenti victoria cōtra Theutones, vt gratam Diis suis offerret victimam, seipsam deuouisse, & de ponte in Vistulam præcipitasse.

Extincta posteritate Cracci, iterum conuenere ordines Poloniæ, aliosque duodecimuiros creauere, qui administrarent rempublicam. His autem inter se dissentientibus, hostes armata manu Poloniam ingressi, ingentia regioni intulere damna, duodecimuiris nihil resistentibus. Quo animaduerso populus strenuum & in bellis exercitatum sibi legit Principem nomine Primislaum, cui ob insignem vafritiem nomen Lesco imposuerunt. Fuit hic quintus reipublicæ Polonicæ Gubernator post Lechum.

Quem mortuum secutus est adolescens, cui nomen fuit Lesco Secundo. Reliquit hic successorem in regno filium suum, Lescum III. qui magna sapientia rem Polonicam administrauit, cū vnū duntaxat haberet filium legitimū, nomine Popielum, spurios autē viginti. Et Principatum quidem moriens, Popielo filio reliquit, cæteris prouincias minores distribuit. Numerantur autem filii huius eo, quem subiiciemus, ordine, nominibus quidem omnes Barbaricis siue Sclauicis, vt ipsius gentis Genius admittit.

LIBERI QVOS LESCVS TERTIVS genuit, hi recitantur.

Popielus legitimus.
Boleslaus.
Casimirus.
Vratislaus.
Vlatislaus.
Oddo.
Beruinus.
Pribislaus.
Premislaus.
Iaxa.
Semianus.
Semouitus.
Semouislaus.
Bogodalus.
Spizigurius.
Spitzimerus.
Spitigneus.
Sobeslaus.
Vissimirus.
Czessimirus.
Vieslaus.

Popielus potitus regno, perosus montes Sarmaticos, deserta Cracouia regiam suam Gnesnam transtulit, vrbem in campestribus sitam. Sed & huius deinde captus tædio, nouam sibi delegit habitationem, extructo inter lacus oppido Cruciniza, vbi posteros suos domicilium habere voluit. Hic est ille Popielus, quem ob fratrum cædem à murib. consumtum miro exemplo Historici referunt.

Mortuo Popielo congregati Poloni elegerunt sibi Ducem hominem agrestem, nomine Pyastum, qui mel sylvestre colligebat: statura quidem non procera, sed robustum supra modum: qui successorem in principatu habuit Semouitum filium, Polonis apprime vtilem, qui regni limites late protulit, morienſq; reliquit filium, puerum admodum, nomine Lescum, cum per Germaniam Arnolfus Imperaret, per Græciam autem Michael.

Successit huic Semouislaus filius, qui principatum reliquit decedens filio suo Mieszconi aggresso Polonorum dominium sub annum Salutis CMLXIII. Nonnulli hunc Mieslaum nominant, aiuntque Christianum factum persuasione Boleslai Bohemorum Principis, cum is filiam huius Dambrouicam vxorem duxisset.

Excepit hunc in Principatu Boleslaus filius, ducta anno Salutis CMLXXXV. in vxorem Iuditha filia Geysæ Hungariæ regis. Tribuit huic Otho tertius Romanorum Imperator gente Saxo, anno MI. Diadema regium, eumque primus Regem salutauit, cum antea tantum Duces fuissent, & qui Poloniæ præfuerant, non nisi Duces aut Gubernatores appellarentur. Obiit Boleslaus iste Primus rex anno Gratiæ MXIV. habuitque successorem.

Miezlaum filium, qui nihil nisi de consilio vxoris suę faciebat, deditus nulli non voluptatum generi. Spreta igitur mollitie hominis, populi, quos pater armis subegerat, ab eius defecere obedientia, inprimis Bohemi & Morani: Rutheni autem cum eandem meditarentur defectionem, ab eo in officio manere armis compulsi sunt.

Filius huius Casimirus, cum Monachus Cluniacensis factus fuisset, repetitus ab ordinibus regni & ad Diadema vocatus est, deserto de consensu Pontificis Monasterio, ea tamen lege, vt singula per vniuersum Poloniæ regnum capita, exceptis solis nobilibus, quotannis nummulum vnum Pontifici Romano penderet. Dimissus igitur suscepit Coronam Gnesnæ anno A N. C. MXLI. extinctus anno Salutis MLVIII.

Quo ipso anno Boleslaus filius eius natu maximus rex salutatus fuit: homo dissolutæ vitæ & voluptuarius. Cumq; reprehenderetur à Stanislao Episcopo Cracouiensi, & contemneret monita viri, ab eodem excommunicationis fulgure percussus est. At rex ingenti cũ excanduisset ira, hominem meliora monentem, gladio transuerberauit. Romanus Pontifex, cum hæc intellexisset, liberos omnes Polonos à regis obedientia pronunciauit, eumq; regno indignum dixit, qui furiis agitatus in Vngariam cum fugisset, mœrore interiit.

Anno igitur MLXXXII. Vladislaus frater eius successit: coronam tamen accipere non potuit, quamuis regis appellatione vteretur, metuentibus scilicet Episcopis, ne malam apud Pontificẽ Romanum inirent gratiam. Ad extremum cum se grauatum senio animaduerteret, diuisit regnum inter duos filios suos, data meliore regni parte Boleslao filio legitimo: Spitigneo vero notho assignata Masouia, Pomerania & Prussia. Ipse mortuus est anno AN.C.MCII.

Diuiso adhunc modum Poloniæ regno, Spitigneus Boleslao fratri bellum intulit. At hic cum facili momento fratrem vicisset, quicquid possederat Spitigneus, ei abstulit, vt coactus egestate miser, ad genua fratris se abiecerit, à quo impetrauit, vt in posterum Dux esset Masouiæ. Ad extremum tamen, cum Spitigneus fratrem vexare armis consiliisq; non desineret, iussu Boleslai cæsus, viuendi & rebellandi finem fecit. Ipse Boleslaus, cum optimè de regno meritus fuisset, postremo facto quodam prælio aduerso, tristitia mœstis diem suum obiisse creditur anno Salutis MCXXXIX.

Excepit patrem in regno filius maior Vladislaus, cui in diuisione præter regiam appellationem obuenerat ager Cracouiensis cum Stradia, Lancisia, Silesia, Pomerania. Huic testamento pater Diadema legauerat. Sed non contentus patrimonio suo, bellum fecit fratribus, sollicitatis eorum subiectis ad defectionem. At fratres ingressi cum exercitu Cracouiam, cum arcem insuper cepissent, coegerunt Vladislaum deserta Polonia in Germaniam fugere, ad Conradum Imperatorem.

Intel-

Intellecta huius fuga, consensere fratres & ordines regni, in Boleslaum Crispum, eique principatū detulere anno Gratiæ MCLX. Hic moriturus Testamento hæredem scripsit filium suum vnicum Miesconem, anno MCLXXIII.

Miesco ergo siue Mieslaus frater Casimiri adeptus fuit possessionem Maioris Poloniæ & Pomeraniæ, addito insuper territorio Cracouiensi cum tota illa prouincia. cum autem pro principe tyrannum ageret, coactus est in o dinem, substituto ei Casimiro fratre iuniore, qui subita nea morte obiit anno MCXCII. non sine suspitione propinati veneni.

Successit ergo patri Lescus filius maior, cognomine Flauus. At Mieslaus pulsus regno rem o perduxit, vt quamuis grandis ætate denuo arriperet sceptrum, & occuparet regiam sedem Cracouiensem: persuasa cum primis Helena, Lei matre. Profecto autem Mieslao in maiorem oloniam, Lescus denuo restitutus est, tradita iam arce Cracouiensi. At Mieslaus reuersus, im iterum profligasset Lescum, & principatu uisset, mortuus est anno salutis MCCXXVII. Lescum patrem secutus est Boleslaus Castus, i obiit anno Sal. MCCLXXIV. cum regnasset XXXVII. annis. Obseruandum tamen est, onradum, qui Tutor fuit liberorum Lesci, æfuisse rebus ab anno MCCXXVII. vsque ad CCXLIII.

Boleslao Casto successit Henricus Barbatus: ic Lescus niger, mortuus an. MCCLXXXIX. egerunt Poloni post Lescum Nigrum Boles- m Masouiæ Ducem: sed repudiato huic pauost successit Henricus cognomine Probus, rtuus anno MCCXC.

Sequutus est hunc Henricus, Boleslai filius, x Lignicensis Silesius, quo defuncto Princius diuisus est in duos Ducatus. Primislao e- n cessit Cracouiensis, at Vladislao Loctico catus Sandomiriensis. At Poloni pertæsi μοναρχίας, pro duobus vnum elegere Princi- n Primislaum II. qui rex salutatus & Diadete cinctus est in vrbe Gnesna mense Iunio an- MCCXCV. Sed postremo cum in Procerum ni inuidiam incurrisset, obtruncatus est æranno XXXVIII. cum solos menses VII. dies regnasset: Electo Vladislao Loctico Casimilio, qui tamen & ipse, quod regno parum vtiaberetur, submotus est à Gubernaculis, ansalutis MCCC. electo

Wenceslao Bohemiæ rege, qui coronatus Gnesnæ, mortuus an. MCCCV.

bi Locticus, cum Ducatum Cracouiensem otus esset, regnum denuo affectauit. At Porum Procerum nonnulli regem salutauere ricum Glogouiensem Silesium; & hi fuere oniæ maioris, & Calisiæ ordines cum Posnanienſibus. At vero Locticus, cum aliquoties vicisset Henricum competitorem suum, abuniuersis receptus est ordinibus fortunam secutis. Ad extremum ergo Locticus de consensu Pontificis sumsit Diadema in Templo Cracouiensi anno AN. C. MCCCXX. mortuus an. MCCCXXXIII.

Successit huic Casimirus filius, potitus regno per quadraginta annos, successorem ipse habens L. douicum Vngariæ regem, sorore Casimiri natum, & in Poloniæ regem electum atq; coronatum anno AN. C. MCCCLXX. præfuit Ludouicus regno Polonico per annos duodecim.

Reliquerat Ludouicus moriens filias duas. Harum minor Hedvviga cum regina salutata fuisset, desponsata est Iagelloni, Duci Lituaniæ, qui eo tempore adhuc Idololatra & à Christiana fide alienus erat, hac tamen lege, vt ipse Christianus fieret, & Ducatus eius cum regno Poloniæ vniretur. Iagello igitur p r hoc matrimonium Poloniæ rex factus, an. MCCCLXXXVI. susceptoBaptismate Vladislaus nominatus fuit: mortuus anno MCCCCXXXIV.

Excepit patrem Vladislaus filius, potitus regno per annos X. qui exiguo tempore vixit, anno vno & vigesimo ætatis mortuus.

Huius frater Casimirus, Magnus Lituaniæ Dux ad Diadema Polonicum vocatus est anno Gratiæ MCDXLV. mortuus anno MCDXCII.

Ioannes Albertus filius ei successit an. MDI. & huic Alexander frater mortuus Vilnæ in expeditione contra Tartaros cum annis XLV. vixisset.

Sigismundus ergo natu minimus liberorum Casimiri rex factus est anno MDXLIX. finemq; viuendi fecit anno MDLXXIII.

Ibi Poloni vocauere ad regnum Henricum Valesium, Gallum. Cuius frater Carolus IX. Francorum rex, cum diem suum obiisset, Henricus, contemta Polonia in Galliam rediit, regnaturus in patria, an. MDLXXIV.

Ad Stephanum igitur Batorium Transsyluanum itum est, qui rex factus diuturnum cum Moscouitis bellum gessit, aliisq;, mortuus anno MDLXXXVII.

Excepit hunc Sigismundus, Iohanne Sueciæ rege & Anna Polona genitus. Longo tempore hic reciprocauit seriam cum Carolo Sundermanniæ Duce, super Suecia, regno suo paterno: estque inter eos gestum bellum varia fortuna. Impediuit hoc bellum Polonos, ne Turcis Tartarisque arma inferrent. Cæterum cum hæc scriberemus, quod fuit anno MDCXXVII. tantum aberat, vt Poloni Sueciam repeterent, vt amissa magna parte Prussiæ, vix sua domi defenderent.

DESCRIPTIO REGNI DANIÆ, ADIVNCTA NORVEGIA ET ISLANDIA.

SVMMA CAPITA.

1. *Quæ Insulæ quæue regiones sub Regno Daniæ comprehendantur. Huius limites & partes principaliores. Iutia siue Iutlandia veterum Cimbrorum habitatio. huius ambitus, longitudo, latitudo.*

2. *Per ampli quatuor Episcopatus in Iutia, & quæ respublicæ, Insulæ, Ciuitates, Arces sub quouis Episcopatu censeantur.*

3. *Rupes quædam immanis magnitudinis. Angulus Iutlandiæ nautis formidabilis. Ducatus Slesuicensis & Holsatiæ, vterq; situs in Iutia Meridionali. Origo nominis vtriusq;, oppida, arces, castella.*

4. *Scandia prouincia olim in duos principatus diuisa. Huius administratio, oppida & arces. Admirandum Horologium in Londinesi ciuitate, in quo omnes astrorum sphærarumq; cælestium motus.*

5. *Selandia Insula: eius longitudo, latitudo, oppida, castella.*

6. *Fionia Insula, diuisa in XXIV. rectoras. eius situs & limites, oppida & castella præcipua, quot circum eam minores iaceant Insulæ.*

7. *Norvvegiæ regnum: huius fines, oppida, arces, modus gubernationis.*

8. *Situs Islandiæ Insulæ, quæ in quatuor partes diuiditur. Episcopatus in ea & Monasteria.*

9. *Bonitas aeris & fertilitas Prouinciarum Daniæ, quæ abundant pabulo præstantissimo & equorum armentis. Campi quidam, in quibus alternatim tribus annis meßis fit & piscatio. Metallifodinæ, in quibus aurum, argentum, æs, plumbum. Captura diues Merluciorum siue Asellorum piscium.*

10. *Fons quidam, cuius halitus in lapides transformat quicquid attingit.*

11. *Pisces venenati, & monstrosæ longitudinis.*

12. *Montes Islandiæ in summo æterna niue cooperti, inferius ignis flammas eiaculantes.*

13. *Origo Cimbrorum veterum: quando in Italiam irruperint.*

14. *Danorum bonum temperamentum, apta corporis mentisq; dispositio. Eorum ingenium, mores, modus viuendi atq; vestiendi.*

15. *Opes eorum potissimæ ex diuendito pecore, frumento, piscibus, equis, panno telæ rudioris, sulphure, butyro salito.*

16. *Diuitiæ regis Danorum, in quo potissimum consistant.*

17. *Quantam classem in mare armare & emittere possit.*

18. *Quot sint Gubernationes siue præcipuæ præfecturæ per Daniam. Ritus & ceremoniæ obseruari solitæ in coronatione regum Danorum.*

19. *Quinque ordines totius Daniæ: summæ dignitates & officia regni.*

20. *Modus gubernationis & Politiæ cuiusq; prouinciæ singularis.*

21. *Religio Romana quando primum per hoc regnũ mutata fuerit.*

22. *Catalogus regum, qui hactenus in Dania rerum potiti fuere.*

COmplectitur nostro æuo regnum Danorũ ingens terræ marisque spacium, cũ multis Insulis, in quibus Peninsula siue Chersonesus Cimbrica; Dithmarsia, Scandia, Hallandia, Selandia, cum omnibus Insulis sinus Codani inter Iutiam Scandiamque. Est & Norvegiæ regnum in Dani regis potestate, in quod fructuosissimæ à Danis instituuntur nauigationes. Huc quoq; pertinet Slesuicensis Ducatus & Islandia Insula famosissima.

Cohæret Daniæ regnum vicinæ Germaniæ, qua orientem & occidentem respicit, velut Isthmo quodam. Fines eius sunt, versus occasum Mare Germanicum: in ortum Balticum. A septentrione habet Norvegiam Sueciamque; a Meridie Holsatiam & obiectam in longum Pomeraniam. Est autem vniuersum Danorum regnum velut è pluribus partibus compositum è quibus potissimi nominis hæ sunt; Iutlandia, Fionia, Selandia & Scandia, cum suis insulis quibus quæque prouincia veluti cingitur.

Iutia, vulgo Iutlandia, ab aliis quoque Gothia nuncupata, antiqua est patria & habitatio Cimbrorum, vnde & nominatur Chersonesus Cimbrica à Geographis Historicisq;, diuiditurque in Meridionalem & Septentrionalem. Limes eius Australis est Eydora amnis, longitudo putatur esse mill. LXXX. ducta linea ab Alto fluuio versus Aquilonem. Vbi latissima est, milliaria constituit XX. Septentrionalis Iutlandia versus Norvegiam excurrit, desinitque iuxta caestrum Scagam, cum oppido apud nautas non ingnobili celebri, ob mercimonia & versuram argentariam. Latissima est hæc regio apud Alenburgum, vbi Sinus Limfordensis terram ingressus prope mediam diuidit interluitque, excepto exiguo spacio, vbi vtraque pars cohæret, quæ in occidentem vergit, cætera Iutiæ septentrionalis parte ad hunc modum Peninsula constituta.

Diuiditur autem vniuersa Iutia præter rationem situs in Episcopatus quatuor satis amplos nimirum Ripensem, Arhusinum, Alburiensem & Wiburgensem.

Ep

Episcopatus Ripensis complectitur rectu-as XXX. oppida VII. Castra siue Arces princi-ales X. Erexit in hoc Dorothea regina, Christi-rni III. regis vidua suis sumtibus vniuersale udium in oppido Koldinga. Diœcesis Arhusi-a continet rectoras XXXI. oppida VII. Ar-es V. Arhusium siue Arhusia oppidum est cele-re ob portum quem ingens illud Promonto-um Hellenis facit, quod ab arce regia Kalloë erditionem Molsensem vsque ad altissimum ontem Ellemansberg ad duo milliaria proten-tur. Sub hac Diœcesi Insulæ sunt, Samsoa, ielma, Tuena, Hiarnoa, Gerno, forte Hilge-es & aliæ plures. Diœcesis Vandalica, quæ & alburgensis & Burglauiensis dicitur, præfe-uras habet tredecim, ciuitates VI. par-s eius maxime illustres sunt Wendsysse, andhæret, Thyland & Morsoa. Wendsyssel ie Vensilia, idem est ac si dicas Vandalorum des, complectitur præfecturas VI. oppida III. cem vnam. In hoc Episcopatu est Albergus ons, in quo gigantum reliquiæ atque monu-enta conspiciuntur. adiacent insulæ hæ, G. ys-lm, Hertzholm, Tydesholm & aliæ. In ndhæret est rupes vilendæ altitudinis Scar-gklind dicta, & in oris eius Syrtes, quas ndores & Braccas vocant. Ei subsunt insulæ ,Oland & Oxeholm. Præfecturas habet qua-or, oppidum vnum nomine Thystadium, vbi ristiernus III. rex scholam in vsum iuuentu-primus condidit; & arcem vnam, Orumnam. ulæ quæ ei subiiciuntur hæ sunt: Hands-lm, Ostholm, Iegen, Sifland, Egholm, Bod-m & Morsea, quæ præfecturas habent tres, ci-item vnam, Nicopiam, cum arce itidem vna, ndeslot, cui insula Ageroa adiacet.

Wiburgensis Episcopatus complectitur fecturas sedecim, ciuitates tres, Arces totid-n. Ad Wensliam peniusulam, vbi in conum inens paulatim se ad ortum Solis æstiuum ectit, est ille Iutiæ angulus, ob pericula nau-deo formidabilis. Et tale quidem est omne æ littus occidentale, vt qui in Norvegiam, ex Oceano in orientem nauigare intendunt, go circuitu Iutiam euitare cogantur.

utia Meridionalis, quæ veteribus Nordalbin-dicta est, complectitur Ducatus duos: Slesi-ensem & Holsatiensem. Sortitur autē Slesi-ensis nomen suum ab oppido perantiquo, cipui nominis. Olim hic Principatus Duca-lutiæ nominabatur, quem VValdemarus, lis regis Daniæ Pronepos primus in Feudū pit ab Erico rege circa annum gratiæ MCC XX. Generalis horum ducatuum guberna-Regi Daniæ ac Holsatiæ Duci incumbit, & ices ab vno ad alium trāsfertur. Crantzius i Saxonum conscripsere historias oppidum vicense *Heidebam* nuncupant, quod id à iæ quadam regina, cui *Hetha* nomen fuerit, itus sit conditum. Est autem peropportu-d negotiationem situ, portum habens ad exercenda commercia commodissimum. Haud procul à Slesvvico sita est arx Gottorpia, vbi Telonium est tam quæstuosum, vt compertum fuerit, fertilibus annis quinquaginta millia boūm in Germaniam abacta vectigal soluisse. Est & in hoc ducatu aliud oppidum celebre, nomine Flensburgum, quod inter montes excelsos littori maris Orientalis adiacet, in quod eius portus se extendit, tāta commoditate, profunditate & securitate, vt singuli fere ciues ex domibus suis naues mercibus implere, & easdem rursus exonerare possint. Sunt & Hassenum ibi & Haderslebia oppida. Castra Magnatum atq; Nobilium hic sunt permulta & varia, hic non percensenda.

Holsatiam à Syluarum saltuumque frequentia sunt qui nomen accepisse dicant; *Holt* enim promiscue & Cimbri & Germani lignum appellant. Terminos habet ab ortu Bilenam fluuium, ab occidente Storam, ab Austro Albim, à septentrione Eydoram. Diuiditur autem in partes quatuor, nempe Dithmarsiam, Holsatiam, Stormariam, & VVagriam. Præcipuæ vrbes Holsatiæ hæ fere sunt. Segenberga in VVagria, quarto à Lubeca milliari: Itzohoa situ locique natura nauigationeque præstans: Stora, quæ cingitur piscoso & nauigabili fluuio: Chilonium vulgo *Kile* quod vetus est oppidum, portum habens capacem, in quem ex Germania, Liuonia, Dania, Suecia merces deferuntur. Sunt in eodem Holsatiæ tractu Crempa & Reinholdesburgū. In Dithmarsia vero Meldorpia, Heinckste, Tellinckste: & Stormariæ metropolis Hamburgum ad Albim.

Scania inter regni Daniæ prouincias magnitudine & opibus admodum insignis est regio, eademq; cum Suecia continens. Hanc alii Scandinauiam, pro Scondaniam, id est, amœnam Daniam, alii Scandiam appellant: postremo quidam Sconiam & Sconingiam vocant. vndique cingitur hæc Mari, præter vnum terræ brachiū, quod in Boream protenditur, ac inde recuruatur in orientem, vbi Sueciæ iungitur: ibi intercedunt profundi saltus asperrimæque rupes, per quas è Scania in Gothiam Suecici regni partem iter agitur tam difficile, vt fere leuius sit marino discrimine vitare terrestrem laborē. Hæc quondam in duos Ducatus, Hallandiam & Bleckingiam diuisa, nunc præfecturas viginti tres, & ciuitates quindecim complectitur. Caput totius regionis est Londa siue Londia vrbs, vbi regni Archiepiscopus sedem suam fixit; præterea & Malmogea, quæ Ellebogen à Germanis dicitur, insigne Emporium & præcipua totius regionis ciuitas, propter nundinas & frequentes negotiationes. In Hallandia est arx VVarburgum, altissimi montis iugis superstructa. Adiacent huic Regioni Insulæ, Landoa, Hannoa, Bornholm, Insula celebris, in quatuor præfecturas diuisa, tres ciuitates ac vnam arcem continens.

Goth-

Gothlandia, in qua antiquum Emporium Wisby, aliquando valde florens, nostro æuo mercatura destitutum. Helsingora ad fretum Sundæ arcem habet regiam Croneburgum, præsidium extremæ insulæ Selandicæ oræ. Est in vrbe Londa Horologium, in quo ars mira elucet. In hoc per certos eius rei indices, annus & mensis, ac septimana, dies quoque singuli ac horę liquidissime monstrantur. Item quis luminarium Solis ac Lunæ motus, quæque horum in Zodiaco loca atq; habitudines. His rebus iucundum additum est Parergon, vt quoties signum datur horæ elapsæ, supra tabulam duo concurrant equites cataphracti, qui tot sę ictibus petunt, quot signa dat malleus campanæ illius. Multa insuper huius generis Automata ibi visuntur. In medio velut Throno collocatum est simulacrum Beatæ Matris Virginis, sinu tenentis infantem. Ad hanc motu horologii accedunt tres Magi, & adorantes poplitibus flexis puerum, dona eidem offerunt. Sed qui singula hæc persequi velit, abunder ocio vel eodem aburatur oporter.

5 *Selandia*, quæ & *Sialandia*, inter reliquas Daniæ Insulas est maxima: longitudinem enim habet itineris bidui, latitudini fere æqualę. Quindecim ciuitatum, XII. arcium regiarum capax est. Inter vrbes altissime caput effert *Hafnia* siue *Copenhaga*, Metropolis totius Daniæ, magnitudine, opulentia & maxima portus commoditate insignis, quem valde secarum facit obiecta Insula quam Ammager vocant. Supra Hafniam est Helsingora, & prope eam Arx regia Croneburgum, de qua iam ante diximus. Huic ab altera parte vltra fretum similiter respōdet arx Helsinburgum cum oppido eiusdem nominis. Hoc in loco Selandia & Scania prominentibus vtrimque Promontoriis ita prope coeunt, vt vix parui milliaris inter se reliquant Maris spacium, quod spacium siue Fretum *Die Sund* vocatur. Adhunc locum omnes naues orientem versus cursum instituentes, velut ad centrum coire, & regi vectigal pendere coguntur: cumque in vtroque littore arx posita sit, Rex, quando id necessitas postulat, suis in medio collocatis nauib. ita has fauces occludere potest, vt quantumuis etiam numerosam classem, ab ingressu vel egressu prohibere queat. Huc sæpe vno die CC. aliquando CCC. naues ex variis Europę partibus conuenire contingit. Est & in Seelandia Roschildia vrbs olim Episcopalis, vbi multorum regum & ducū insignia monumenta conspiciuntur: nunc autem ad tenuitatem & infrequentiam deducta est. Habet Selandia sequentes sub se Insulas. Amigriam, Huenam siue Wenam, Moneslandiam, in qua ciuitas Stegoa, & plures alias.

6 *Fionia* primum locum inter sinus Codani insulas accipit, post Selandiam. Nomen habere putatur à pulchritudine, *Fin* enim Germanis & Danis pulchrum denotat. Est enim tam formæ quam situs amœnitate conspicua. Tam modico autem interfluente freto, quod incolis *Middelfar* dicitur, à continente Iutię auulsa est, vt cō hæsisse aliquando videri possit.

Hæc sicut ab occasu Iutiam, ita ab ortu Selandiam prospectat, vnde medium regni Daniæ obtinere putatur. Habet in longitudine milliaria XII. in latitudine IV. In eius meditullio fere est præcipuum oppidum Ottonium, vulgo *Ottensęh*. Diuiditur autem Fionia in præfecturas XXIV. habetque oppida XVI. arces regias VI. Reliquæ ciuitates circum Ottonium veluti centrum, æquali prope distantia, in maris littore ita sunt conditæ, vt portuum situsque opportunitate negociationes suas non solum in mari Balthico verum etiam per Sueciam, Norvegiā Russiam atque vtramque Germaniam longe lateque exercere possint. Inter eas sunt, Niburgum, Sienburgum, Faburgum, Assens, Bogense, Middelfar, Kettemynde. Inter Arces regias præcipua est Neoburgum, hanc sequuntur Hagenschovv, Hinsgagel, Escheburg & curia Rugardi. Pagi hic complures & domus multæ nobilium.

Sub Fionia continentur insulæ LXXXX. ad meridiem sitæ, pleręque habitabiles: quarum illustriores hæ sunt; Langelandia, Lavvlandia, Falstria, Aria, Alsa, Tosinga, Afoe. Langelandia extenditur ad VII. milliaria Germanica: visitur que in ea Ruquepinga oppidum & Tranekerarx, cum multis pagis, parochiis & procerum ædibus. Falstria longa est quatuor milliaria Germanica, continetque oppida, Stubencopen, Nicopen. Aria sequimilliari ab Elysia distans habet Parœcias tres, & quædam prædia nobilium cum arce & oppido Copingo. Pertinet huc cum Elysia ad Ducatum Slesvvicensem: quam Elysia siue Alsia quatuor milliaria in longitudinem duo in latitudinem patens, exiguo interuallo à Ducatu Slesvvicensi discreta est. Oppidum huius præcipuum est Sunderburgum, & iusdem nominis Castrum: deinde Norburg, Osterholm, Die Holle, & Gammelgarda. Habet Alsia Parœcias XIII. admodum populosas quibus tempore belli bonus legi possit militum numerus.

Tassinga siue Tosinga, inter multas alias insulas prope oppidum Fioniæ Suineburgum principua, milliare vnum in longitudine habet. In hac in oppido Ascens facto intio, in Iutiam est duorum milliarium: ex Niburgo vero in Selandiam quatuor milliarium per mare Balthicum traiectus, alioquin valde periculosus. Adcum traiectus in aditu ducatus Slesvvicensis sita, vbi in Fionia per Arsensem sinum ad oppidum Assens traiicitur: quatuor est distinctis habitata pagis. Numerantur insuper in illo tractu Insulæ Romso, Endelo, Ebelo, Fenno, Bocko, Brando, Afroe, Aggernis, Hellenis, Iordo, Birckolm & quædam. In Insula Huena castrum est Vraniburgum, plurimis elaboratissimisque Astrochinis Astronomicis plenum. Malmo

quidem non admodum magna est, sed bona val-
de atque fertilis : olim quatuor arcibus insignis
erat, quarum hæc erant nomina : Synderburg,
Norburg, Karhecidia, Hamera, harũ omnium
fundamenta adhuc, vix vlla rudera conspiciun-
tur.

Norvegia siue Nortvvegia, quæ nostro æuo
Danorum regi paret, respicit à meridie Daniam,
d occasum Oceanum, ad orientem Suecia, ad
Septentrionem Lappia siue Lapponia termina-
ur: à quibus duabus vltimis excelsis & aspe ri-
nis separatur montibus, perpetua niue adobru-
is. Fuit Norvegia regnum aliquando valde flo-
ens, imperiumque tenuit late per Daniam &
icinas maris Insulas, donec sub Danorum re-
um fuit redactum potestatem. Quinque in v-
iuersum in ea hoc tempore sunt arces regiæ,
præfecturæ autem septem, quarum prima &
rema versus meridiem est Bahusa. Ei subiecta
ppida sunt, Marstand in peninsula scopulosa
tum, & Halecum piscatura nobile: obscuriora
nt Koengees, Congel & Oddevvold. Secunda
x est Angerhusia, sub qua sunt Asloia, sedes E-
scopalis, deinde Koningsberg, Friderichsstad,
ltzburg, & Schin vel Schon, vbi fodinæ cupri
Ferri, item Hammaria maior & minor. Tertia
x est Bergerhusia sub qua sunt ciuitates Berga
Staffanger. Est autem Berga totius Norvegiæ
nporium celeberrimum, & velut horreum
oregis & Episcopi sedes. Portum habet opti-
ũ tu issimumq;. Quarta arx est Nidrosia, (Da-
s & Germanis Truntheim) Metropolis quon-
m totius Norvegiæ, nunc in vici formam re-
cta. Quinta & vltima versus Arctum Norve-
e & orbis Christiani arx est Wardhusia, paruę
ulæ Wardæ, ipsa quoq; parua & obsoleta hoc
mpore insistens.

Islandiam quidam voluerunt antiquorũ esse
hulen, de qua Virgilius, *Tibi seruiat vltima Thule*:
um his Saxo Grammaticus, Crantzius, Mi-
s, Iouius & Peucerus refragantur. Sita est non
Meridiano primo, vt quidam notauit, sed o-
no inde gradu. Longitudo eius est C. mill.
rman. quanquam vulgo his addant XLIV.
itudo mill. Germ. LX. Paret regi Danorum
iditurque in partes quatuor. Pars orientalis
itur Ostlẽdingfiordung: Occidẽtalis West-
ingfiordũg: Septẽtrionalis Nordlẽdingfior-
ng: Meridionalis Suydlendingfiordung. Vr-
atque oppida non habet, in quorum locum
nerat Montes. Habet hæc Insula Episcopatus
s: Holam, sub quo sunt Monasteria Pingora,
nsted, Modur & Munchenric. Alter Episco-
us est Scalholt cui subsunt Monasteria hæc:
ey, Pyrnebar, Kirckebar & Sckirda.

Qualitas & ingenium horum regnorum.

Gignit Iutia septentrionalis immanem vim
nenti, inprimis siliginis & hordei legumi-
nque. Abundat itidem multis in locis pa-
scuorum vbertate, vnde tantum nutrit boum
vaccarumq; numerum, vt vix ad fidem dici pos-
sit, quantum armentorum in exteras emittat
prouincias, cum constet, in vtramq; Germaniam
vltra centum & quinquaginta millia capitum
boum mitti. Alit & pulchros validosque equos,
qui in exteras ducuntur regiones, numero sane
magno. Mare quod Iutlandiam alluit, piscibus
scatet, inprimis vberem suppeditat halecum ca-
pturam. Vnum hoc mali habet regio ista, quod
incolæ variis morbis, inprimis rheumati, catar-
rhis, Synanchę, Pleuresi aliisq; id genus obnoxii
sint.

Meridionalis Iutia sic habet. Ducatus Slesvvi-
censis excellit in re pecuaria, Holsatiæ autẽ den-
sa nemora & sylvæ commendantur. Quercus
tamen in his grandes ac proceras non multas in-
uenies, fagos autem creberrimas, è quarum fru-
ctibus lucrosa porcorum obtingit sagina. Sunt
autem campi quidam, qui alternis trienniis va-
riata vice, iam quidẽ vberem messem, alias rur-
sum piscationem suppeditant. Postquam enim
tribus continuis annis ager cultus constitusq; est,
metitur frumentum: viciſſim totidem annis im-
mittitur aqua lacustris, vt pisces succrescentes
sponte herbas depascant, & ipsi agri illuuie, quã
aqua limosa inuehit, stercorentur. Oleas in hac
regione & vites frustra quęsieris: ferinæ autem
magna hic copia & equorum crebra armenta.
Multis hæc Iutiæ pars perluitur fluuiis, inter
quos agmen ducit Eydora amnis: cæteri enim
torrentes ac fluuioli magis appellandi veniunt.
Porro illa Ducatus Slesvvicensis & Holsatiensis
pars, quæ maris Baltici fluctibus pulsatur, con-
stituit sinus aliquot ac portus percõmodos mer-
catoribus, nec minus vberes piscatione vario-
rum piscium, inprimis Salmonum. Cætera ager
vber est, planus, nec montosus.

Scandia nulli prouinciarum Danicarum bo-
nitate aeris cedit, vt nec terræ bonitate
aut commoditate portuum, vnde diuitiæ
maritimæ, & piscatio frequens, tam in lacubus
quam fluuiis. Nec destituitur Scandia metalli
fodinis, è quibus aurum, argentum, æs & plum-
bum eruitur.

Gothiæ magna vbertas est in frumento, buty-
ro, caseo, & animalibus omnis generis. Abietes
hic admodum proceræ, & saxa ad ædificandum
aptissima. Selandia farris copia & ipsa laudem
meretur.

Fionię ager multarum bonarum rerum ferax
est, multum enim gignit siliginis, tritici & hor-
dei, nec opus habent agri stercoratione. Vnde
fit, vt magnus fætor sit circa ingressum oppido-
rum villarumque, quod fimus extra portas abi-
iciatur, nec in agros exportetur vt alibi. Dici vix
potest, quantum hic sit boum, vaccarum equo-
rumq;. Abundat insuper Insula syluis, in quibus
ingens copia caprearum, ceruorum, leporum &
vulpecularum. Mare autem vicinum ingentem
vim suppeditat piscium.

Quantum porro frumenti & auellanarũ La-

lan-

landia Insula ferat, incredibile memoratu est: vicina autem Falstria frumenti vbertate non suis tantum sufficit ciuibus, sed & exteris subuenit. Alcetia vero cum tota prope nemorosa sit, omni ferarum genere ad vberem venationem sufficit. Nec tamen in his vniuersæ eius opes, cum insuper siliginis & piscium affatim habeat, quos tam è mari quam fluuiis aquæ dulcis extrahit. Pascua hic lætissima, vnde magnus pecoris numerus. Nec Malmogia sterilis est aut ingrata colono, frumenti fructuumq; copia labores compensans, addita venatione damarum, leporum, cuniculorum, & aucupio perdicum, cum equarum armentis. Magna est huius Insulæ commoditas, præcipue ad Piscationem. Syluas hic coryloru̇m inuenies, nec facile fructus earum vermibus terebrari contingit. Quanquam autem Insula minime magna sit, fluuiolis tamen multis perluitur, & aquæ dulcis scaturiginibus irrigatur, estq; inter fontes vnus, qui nunquam congelasse visus est, quæ res inter rariores numerari solet in his locis.

Norvvegiæ regnum aere fruitur clemente, sicut est captus septentrionalium regionum, cũ mare ibi frigore non condensetur, neque niues tanto temporis spacio durent. Telluris fæcunditas magnopere prædicari nequit, cum ne suis quidem sufficiat indigenis. Pecudes multas alit, sed humiles, feras autem in syluis plutimas. Videas hic Vrsas albas, magnitudine inprimis conspicua, vt & Castores. Ad littus Norvvegiæ occidentale crebræ accedunt Balænæ, quarum furorem vt auertant nautæ, Castoreo vtuntur; cũ enim hoc in mare proiicitur, statim belluæ istæ fundũ petunt. Asellorũ siue Merluciorum, quos vulgo Germanico Idiomate prope vbiq; Stock-Fisch vocant, apud Norvvegiam incredibilis capitur vis, inprimis mense Ianuario, quod eo mẽse, cum frigus est intensissimum, optime exsiccentur.

Islandia frigidissima septentrionis regio, paucis locis culta est, inprimis qua in Aquilonem excurrit, quod tantus ibi sit impetus Boreæ, vt nihil sinat terra pullulare. Neq; sane ipsa humus apta est ad recipienda fouendaque semina, aut gignendas fruges: graminis tamen adeo atque pabuli ferax est, vt nisi inde arceantur greges, periculum sit ne crepent aut suffocentur. Equos & boues inter iumenta habet, nec tamen bubulo generi in vniuersum cornua, non item desunt arietibus. Catelli minuti generis hic frequentes, vt & Falcones albicantes, sed & corui albi, maximi agnorum & porcellorum hostes, quibus adhuc teneris multum exhibent molestiæ. Sed & albos vrsos hic inuenies, & lepores eiusdem coloris, nec non aquilarum genus cauda candicante, quæ à Plinio Pygargi dicuntur. Lignorum in tota Insula prope inopia, vbi vix quicquam præter Iuniperos reperire est. Est ibi fons quidam, eam exhalans vim, vt quicquid contigerit in lapidem conuertat. Sed & alius tanta necandi vi præditus hic reperitur, vt hauerientes non secus interimat, quàm si toxicum bibissent. Mare quod hanc Insulam alluit, adeò piscosum est, vt fidem narrantes haud facile inueniant: nec dubito, quin molestus futurus sim Lectori, si omnes piscium, qui hic capiuntur, enumerare species laborem: quosdam tamen eosque rariores persequar. *Naualùm* quendam vocant, cuius carnes comestæ hominem è vestigio perimunt. Prominet huic dens, & ante caput excurrit in monstrosam longitudinem. quidam eum vendidere pro cornu Monocerotis: nam & vi aduersus venena pollere creditur. Ipsum mõstrum quadraginta vlnas in longitudine habere affirmatur. Cete dentata hæc vocari à pluribus iudicantur. *Roderum* ad LXXX. vlnarum longitudinem excrescere arbitrantur, cuius caro in cibo non sit insipida, pinguedo autem ad varios vsus adhibeatur. Balæna Britannica triginta vlnas raro excedit, dentib. omnino caret, linguam habet prælongam, vt quæ ad VI. vlnas accedere dicatur. Narrant qui de his monstris marinis scripsere, inueniri in hoc Oceano Balænas tam grandes, vt procul non viua animalia, sed paruæ Insulæ existimentur: quanquam has videre prodigii instar sit. Sed in his percẽsendis, cum monstrosa ipsa videri possit narratio, satius erit, Lectorem ad Olaum Magnum, Archiepiscopum Vpsalensem, nec non Gesnerum, Aldrouandum alioſq; Ichthyographos remittere; penes quos narrationis sit fides.

Habet Islandia Insula montes tres præcipuæ altitudinis, quorum fastigia perpetua sunt coo perta niue, cum in radice ac interioribus ignem contineant. Primo monti nomen est Heclæ: secundus dicitur Crux: tertius Heilga, id est sanctus. Apud Heclam effodiuntur prægrandes sulphuris micæ. Fit nonnunquam vt hic mon non dubia cieat tonitrua, eiaculetur lapides in usitatæ magnitudinis, euomat sulphureos tor rentes, & ad decimum milliare omnia complea cineribus, vt terra laborari non possit. Fuerun qui studio quodam præposteró causas huius in cendii perscrutantes, cum inconsideratius in i locis versarentur, viui à cauernis & hiatibus c nere doloso coopertis hausti perierunt. Vocar imperiti hunc locum Purgatorium animarum impurarum. Accedit huic stoliditati alia causa quod glacies, quæ certis anni mensibus ad littu huius insulæ vi fluctuum appellitur, immane ciet strepitus & velut gemitus: vnde simpliciore aiunt, planctus hos esse atq; eiulatus animarum quæ in subterraneo illo igne cruciantur. Eade est natura Helgæ monti: etsi hic potius abyssu aut hiatus ingens videri possit, in quo varia pha tasmata apparent & illusiones Dæmonum.

Mores Priscorum Cimbrorum.

De his enim nobis à principio dicendum es cum Dania veterum Cimbrorum sedes fueri de qua gente hæc fere apud auctores scripta in uenimus.

Ann

Anno ante Natum Christū centesimo quinto Cimbri torrentis in modum infudere sese Italiæ. Non sustinuit primum horum impetum Silanus, sed nec Manlius secundum, nec Scipio tertium. Fusi fugatique omnes in summum Italiam coniecere periculum, fuissetque actum de ipsa Roma, nisi Caij Marij virtus se his peroportune opposuisset. Putantur vulgo Cimbri ortiá Cimeriis, qui cum multis annis ante Asiã ingressi fuissent, eiecti inde per Scythas, cum directo itinere in Occidentem perge. ēt, primo in Scandiam, deinde in Cimbricam Chersonesum venerint. Narrat Plutarchus in vita Marij, Cimbros, quoties arma vicinis mouerint, quod non semper, sed obseruata certa occasione factū est, eos, quos sub signis habuerint, vel etiam auxilia, tes copias, vno nomine Celtoscythas appellasse. Alij de his ita scripsere. Cimmerios, qui ab vltima memoria Græcis noti fuere, gentem fuisse minimè numerosam, sed agmen quoddam sediciosorum, quos Scythæ patria expulerint: eos igitur transgressos Maotidem paludē duce quodam Lygdamo in Europam ingressos fuisse, & alidius eorum agmen consedisse in littore mas, loco syluis nemoribusque coopertо, quorū anta fuerit amplitudo, vt ad saltum Hercynium errexerint. Festus ait vocabulum *Cimber*, Gallorum lingua Latronem significare.

Mores Danorum nostri temporis.

Sunt plerique Septentrionales populi, inprimis qui Iutiam incolunt, temperamenti frigidi & sicci, magno robustoque corpore, pulcra facie, colore bono: interim agrestes, suspicaces, vafri, & in rebus suis mire prouidi. Morbis corporis non admodum obnoxij, sed superbæ mentis, ultrum sibi suique tribuēres: crapulæ & ebrietati indulgentes, quam tamen bene digerunt, & id nihilo sunt breuioris vitæ. In moribus malam præ se ferunt seueritatem, quod magno dolore coreorum præditum sit, contemtores peculorum, queruli, peregrinationum auidi, vetatores, pertinaces in suis opinionibus: Iustitiæ omen amatores. Mira iis exoticas linguas addiscendi promptitudo, litterarum studiosi, & patrorum obseruantissimi. Pleræque familiæ abūdant liberis, quanquam vxores Danorum fere difficulter habeant in partu, cætera elegantes, doctæ ineruditæ, attētæ ad rem, & rei Oeconomicæ addictissimæ. Sunt qui scribant, in his partibus primum puluerem pyrium & tormenta bellica in vsu fuisse.

Norwegij sunt simplices, peregrinorum amātes, quos comiter & benigne pro captu suo accipiunt. Rarum est apud illos inueniri prædones, aut fures, aut Piratas: aut si qui tales sint, oppido quam pauci sunt, nec impune ferunt.

Islandi sub eodem cum bobus equisque suis habitant tecto. Simplex his victus, nihil desidentibus, quam quod natura suppeditat. Mons eis oppidorum vicem præstant, fontes vero uarum, delicias. Quanquam mercatores Angli gentem hāc in naturali paupertate ac quiete viuere non sinant, cum crebro in Islandiam nauigent, vt inde petant coria boum & pisces, inuehentes ipsi peregrina vicia. Vnicum apud eos Annalium genus est, maiorum suorum fortia facta cantilenis concepta memoriæ mandare: quamuis etiam aliqui per notas saxis ac rupibus incidant.

Victus iis potissimum è piscibus, quos vbi frigore & vento exsiccauere, in farinam comminuunt, inde panem pinsentes. quibus tamen lautior res familiaris suppetit, aduectitio vtuntur pane, verum biscocto. Potus priscis Islandis fuit aqua è fonte, ditioribus recēs lac: sed nostro æuo cereuisiam è frumento aliunde importato coquunt, & oderunt potū simplicis aquæ. Afferūt enim ad hos Lubecenses, Hamburgēses, Rostochienses aliique mercatores Germani, qui nauigiis hanc Insulā adeunt, frumentū, farinam, panes, cereuisiam, vinum, pannos Anglicanos, telam lineam, ferrum, aurum, argentum, materiam sericam, ligna ad ædificia & nauigia extruenda.

Opes ac Diuitiæ eorum.

Mittit Iutia septentrionalis in Germaniam non solum ingētem numerum boum sed & magnam vim butyri, casei, sæui, corij: adde & equorum quos non in Germaniam solum sed & alias diuendunt prouincias, quibus præcipua ob robur existimatio. Multum insuper argenti colligunt ex piscibus, inprimis halecibus, qui in hoc littore magna capiuntur copia. Holsatia abundat equis præstantibus, quos magno numero vicinis vendit. Qui Fioniam colūt Insulam rem faciunt ex piscibus & frumento, inprimis siligine & hordeo: præter equos & boues quos exteris submittunt. Scandia, cum abundet piscibus, argento, ære, plumbo, & Gothlandia frumento, caseo, butyro, pellibus, abietibus ad malos nauium, & calce viua, oportet vt vtraque prouincia non parum inde percipiat emolumenti.

Norwegia cum immani piscium captura omnem superet viciniam, magnam iis diuendendis exercet negociationem, in primis apud Bergam vrbem, commendantur que hi pisces præ aliis, & à mercatoribus in varias exportantur regiones. In hoc genere præcipui sunt Aselli siue Merlucij, quorum dici satis non potest, quanta vis hic capiatur. Vendunt Norwegij præter coria ac pelles animalium etiam permultum butyri, pinguedinis è Balenis, sæui bubuli, picis liquidæ, tigna abiegna, materiam quernam & asseres.

Nec minor Islandis opum accessio à mercatoribus, qui inde exportant magnam panni vim, telæ crassioris, quem ipsi Warman vulgato nomine vocant; nec non ingentes sulphuris micas, pisces induratos siue siccatos, butyrum, sæuum, lanam, coria, falcones albos, equos & alia. Tanta hic piscium copia, vt eorum ingentes subdio strues excitent, quo vento ac frigore duratos vendere possint. Butyri saliti hic tanta copia, vt

eo impleant ciſtas prægrandes, longas pedes quadraginta, altas quinque: præter minora dolia, quæ magno numero nauibus imponunt.

Apparet hinc, præcipuas Danorum regis diuitias conſiſtere in immenſo pecoris numero, & piſcibus ad Cherſoneſum & vicinas Inſulas captis, quorum quidem tanta eſt abundantia, vt ſolum id quod ex halecibus diuenditis acquiritur argentum, ad incredibilem ſummam accedere dicatur. cæterorum omnis generis per mare iſtud verminantium tanta eſt multitudo, vt quandoque per anguſtias illas inter Inſulas tam multas vix remis agi poſſint naues, adeo fæcunda & amica piſcibus ſunt hæc littora. Nec viliter æſtimandum eſt partim vectigal partim precium quod ex Aſellis piſcibus ſiue Merluciis conficitur.

Omnes tamen hos prouentus ſuperat quæſtuoſiſſimum illud fretum inter Helſinoram & Helſenburgum oppida, quod vſitato nomine *Sundum* vocant: cum mare hic ſit tam anguſtum, vt nulla nauis tranſire poſſit inuitis præſidiariis militibus, quos vtrimque rex conſtitutos habet. Neceſſarium igitur eſt, vt omnes naues, quæ per fretum iſtud vela faciunt, ingens Danorum regi perſoluant tribunal. Nec facile quis huius numerum vectigalis inuerit, niſi qui nouerit, quã incredibilis nauium multitudo ex Hollandia, Selandia, Gallia, Anglia, Scotia, Norvegia, Germania, Pruſſia, Liuonia, adeoque omni maris Baltici ora, indeſinenter per has fauces tranſeat. Nam omnes ſeptentrionales prouinciæ importato opus habent vino Rhenenſi, Gallicano, Hiſpanico, ſaccaro & aromatibus ab Luſitania, fructibus exoticis ab Andaluſia: cum hæc regna omnia viciſſim ab Aquilonaribus petant mel, ceram, pelles & coria, inprimis autem frumentum ex Pruſſia, Liuonia Moſcouiaque. Sunt tamen qui exiſtimant, ærarium Dani regis adeo abundare nõ poſſe, quod in regnis eius nullum præ cæteris ſit quæſtuoſum mercimoniorum genus, ſi piſces excipias: & quod vix vllum ſit celebrius Emporium, quod argentum exoticum attrahere ad ſe poſſit, & negotiationem conſeruare perpetuam. Supereſt igitur grande illud tã famoſi freti vectigal, cum eo quod ex equorum ac boum in Iutia percipitur, & ex re lignaria emolumento, addita negotiatione piſcium per Norvegiam vicinaſque Inſulas.

Oppidum Warthuſum in extremo verſus Aquilonem Norvegiæ angulo aliquid lucri regi huic affert, ex quo tempore Angli inter hoc regnum & Gronlandiam Inſulam nauigare cæperunt verſus Kylduinum Laponum & S. Nicolai fanum. Hic enim mercaturam exercent cum Ruthenis, à quibus accipiunt ſæuum bubulum, ceram, mel & linum. Scoti & Franci ad eundem modum negociantur. Eſt autem Warthuſum oppidum & Inſula in medio illo ſinu, opere & manu munitum auſpiciis Friderici ſecundi Danorum regis. Perſoluunt hic ij, quos diximus mercatores vectigal ſiue portorium, ab omnibus ſuis mercibus.

Vires & robur militare.

Ea quæ Dani contra vicinos ſuos Sueços geſſere bella, ſatis oſtenderunt quantum militum rex Daniæ vſitato modo poſſit cogere exercitũ, & quę ſit eorum ratio gerendi belli. Vt autem de terreſtri militia ſigillatim dicamus, nondum cõſtitit hactenus, ne ad hunc quidem diem, quas equitum peditumque poſſit cogere copias, cum bellum terra nullis hactenus intulerit præterquam Dithmarſis: qui cum ab rege Woldemaro ſubacti, pro libertate arma corripuiſſent, geſto cum iis varia fortuna bello, ab anno A N.C. M D. vſque ad annum MDLIV, poſtremo per Fridericum II. regem iterum victi & iugum ferre coacti fuere. Nec tamen paruo conſtitit Dano hæc victoria, victo prius exercitu Danico, & à Dithmaſis occiſo Iohanne Chriſtierni regis filio.

De viribus eius regis marinis iudicium fieri poteſt ex numero claſſium, quas aliquando emiſerunt. Chriſtiernus enim II. petente Henrico II. rege Francorum, contra Anglos in Scotiam miſit claſſem centum nauium, in quibus fuere decem millia militum. Neque dubium vllum eſt, cum in tam vaſta littora ſe diffundat regnum iſtud, cumque tot habeat portus per Daniam, Scandiam & Norvvegiam, cum ingenti Inſularum numero intra & extra mare Balticum, quin maximam conficere poſſit claſſem nauium inſtructiſſimarum, dum ſatis affluat pecuniarum: de qua re, quo pacto habeat, in ſuperioribus diximus.

Arces, munimenta & fortalicia non pauca ſunt in pleriſque regni partibus, quibus fit, vt vim externam timere non habeat neceſſum.

Modus gubernationis.

Diuiditur omne Danorum regnum in Gubernationes ſiue Præfecturas centum & octoginta quatuor, quibus totidem præfecti ſunt rectores, in legibus regni & ciuili ſcientia verſatiſſimi. Rex magis electione Ordinum ad regnum peruenit quam ſucceſſione hæreditaria. Cingũtur autem reges Diademate in Hafnia vrbe, cui rei dedicatum eſt Templum Matris-virginis. Huc deducitur nouus rex ante ſummum Altare à proceribus & Senatoribus regni, præeunte caduceatore cum gladio, & alio cum bulla aurea, tertio cum corona. Quibus hæc inſignia portandi honos contigit, ob meritum & virtutem leguntur, nec eſt alicui familiæ aut genti proprius. Ibi primum omnium iuramento re promittit, ſeruaturum ſe ſancte capita propoſita & regni conſuetudines, iura ac leges, inprimis autem defenſurum Fidem Chriſtianam. Poſte vngit eum Epiſcopus Roſchildenſis, & Senatores imponunt capiti eius Coronam, præſtante paulo poſt fidelitatis ſacramentum, niſi id factum fuerit ante coronationem. Peracta hac celebritate rex quoſdam ex nobilitate Equites creat, percuſſos leniter gladio circa humeros.

Fui

Fuit ſemper Senatoribus Ordinibuſque li-
bera eligendi regis poteſtas, eſtque etiamnum,
quanquam ferè ſemper filium primogenitū in
regale collocauerint ſolium, niſi cum grauiſſima
nterueniēs cauſa id impediuit. Nunquam paſſi
ūnt regnum inter plures diuidi, niſi cum id ad-
mittere bellis ciuilibus coacti ſunt.

Conſtat autem in vniuerſum res Danica è
uinque Ordinibus.

Primus Ordo eſt Regis & Familiæ regiæ.

Secundus eſt Nobilitatis. Notandum autem
ſt, vocabula Comitum & Baronum hic in vſu
on eſſe, ſed ſufficere ad Nobilitatem, ſi longa
rie generis ſui ab atauis poſſint deducere clari-
tem. Clypeos inter arma fere præferūt ſimpli-
es, derogati puritati nobilitatis ſuæ exiſtiman-
s, ſi eos varient aut pluribus diſtinguant colo-
bus, vel ſi quid iis addant.

Superſunt nonnullę Nobilium familiæ ex iis,
iorum progenitores interfuere pactionibus
ter Carolum Magnum Imperatorē, & Hem-
ingum Danorum regem: & in his ſunt Vrij
iique nonnulli. Obtinent hi peculiares terras
Toparchias, in quibus habent iuriſdictionem
eriorem & inferiorem, nec plebeiis fas eſt in
tum territorio venari, vt par eorum ſit condi-
Comitibus per Germaniam.

Quicquid defuncti bonorum relinquunt, tā
mobilibus quam immobilibus, ex æquo inter
eros maſculos diuidirur: quanquā autem &
ores eorū in partē hæreditatis peculiari pri-
egio veniāt: ita tamē admittuntur, vt quoties
tri duæ partes dantur, ſorori vna cedat: vtque
trorum arciumque poſſeſſio penes ſolos fra-
s ſit. Sic fit, vt primogenitus non plus accipiat
am quiuis ex fratribus.

ex Ordine Nobilium eliguntur Senatores re-
, qui raro numerum viginti octo ſupergre-
ntur. Ex reditibus regni his ſuppetit alimo-
poſſidetque quilibet eorum Arcem ſingula-
,donec in eo eſt officio. Ex aſſignatis prouē-
is regi nil quicquam pendit, niſi quodquiuis
tum equorum numerum nutrire neceſſe ha-
in vſus regis, vt ſemper parati ſint equites,
ties vel pacis vel belli ratio exigit.

Quando rex Legatos ſeu Oratores extra re-
i ablegat, curat, vt ſufficientes iis ex fiſco ſup-
litentur ſumtus, quibus ſuum Principiſque
conſeruare honorem poſſint. Sed & multi
inſuper nobiles regiis ſumtibus aluntur, ſiue
uantur aulam ſiue domi viuant. Sunt enim
Dania certæ quædam terræ ac poſſeſſiones,
s incolæ eodem cum Germanis vocabulo
ehningen, id eſt, Feuda ac Beneficia vocant,
rum vſum permittit illis, qui ita meruerunt,
s vel omnibus diebus vitæ, vel per certos
ſdam annos fruantur. Incumbit his, vt certū
ndam equitum numerum alant, & regi ali-
d de prouentibus pendant: ita tamen, vt po-
ma pars penes ipſos maneat.

ſt per Daniam lex quædam perantiqua, quæ
permittit regi, vt bona nobilium fixa ſiue
nobilia ipſe emat, ad vitandas ſeditiones &
diſcordiam inter regem & Ordines. Permuta-
re tamen bona ſua cum nobilium bonis rex non
prohibetur. Rurſum ipſi nobiles plebeiorum
vel ruſticorum, qui regi ſubſunt, bona emere
non poſſunt. quidam enim ex eorum numero
agros fundoſque habent hæreditarios, qui pro-
pe ab omni exactione ac oneribus ſunt immu-
nes.

Eſt in Daniæ regno Magnus Aulæ Magiſter,
cui prope par cum Gallicano auctoritas. Hic fe-
rè in Vrbe Hafnia commoratur, vt Legatus re-
gis. Sequitur eum dignitate Mareſchallus, qui
tam pacis quam belli tempore ea curat, quæ ad
militiam ſpectant. Admirallij partes ſunt, rem
curare marinam, expedire, ſi vſus ſit, claſſem, re-
ficere naues, portuum curam gerere. Subeſt
huic Admiralis inferior, qui magno illi Archi-
thalaſſo velut Legatus eſt: eſtque in vnaquaque
naue præfectus militum, ex equeſtri ordine.
Cancellario regni magna eſt auctoritas digni-
taſque; ad hunc enim ab omnibus omnium Pro-
uinciarum iudiciis datur prouocatio, & ab eo
ad Regem.

Sunt autem omnes Prouinciæ diuiſæ in cer-
tas recturas ſiue diœceſes, quarum vnaquæque
aliquot Parœcias continet. Litigantes primo in
ſuo foro diſceptant, ſuaſque ſequuntur leges: de-
inde licet appellare ad Iudicem Prouinciæ: & ab
hoc ad Cancellarium. Vltima prouocatio eſt ad
regem vel ad Senatores, qui ſententiam ferunt
definitiuam.

Habent Dani legem ſcriptam, auctore Wol-
demaro I. & Epiſcopis Senatoribuſque regni: vt
ſi primi iudices iniuſtam tulerint ſententiam,
multentur media parte bonorum ſuorum, cuius
multę dimidium rurſus cedit regi, altera media-
tas parti læſæ.

Sunt Cancellario, qui fere aulam regis ſequi-
tur, adiuncti VII. vel VIII. nobiles, velut à Secre-
tis, quanquam rex ipſe fere de cauſis cognoſcat,
ſi præſens ſit. Si quæ maioris momenti res in de-
liberationem veniat, rex, conuocatis ſenatori-
bus exquirit ſententias. Nouum tributum aut
vectigal priuata auctoritate imponere rex non
poteſt, in primis Nobilium ſubditis: poteſt ta-
men ſi Senatores & Ordines conſentiant.

Præfectus ſummus Fiſci regij vnus eſt, qui
omnes regios prouentus recipit, portoria inſu-
per & vectigalia ac ſubſidia; idem audit quæſto-
rum rationes, ſubducit calculos, inſpicit libros
rationales, & litteras Apocharum expedit. Ad-
ſiſtunt huic ex Equeſtri Ordine duo, ex plebeio
complures, quibus omnibus luculenta ſoluun-
tur ſtipendia.

Tertius Ordo eſt Eccleſiaſticorum, in quo
ſunt Epiſcopi ſeptem hi: Archiepiſcopus Lon-
denſis, Epiſcopi, Roſchildenſis, Ortenſius, Ri-
penſis, Wiburgenſis, Arthuſinus, Sleſuicenſis.
comprehenduntur autem in hoc Ordine etiam
Canonici. Cedunt his decimæ in regno, quæ ta-
men alibi atque alibi diuerſimodè diuiſæ ſunt.
Nam Epiſcopi dimidiam partem percipiunt, rex
reſiduum; ab vtroque tamen Canonici & Paſto-

res aliquid in suos vsus decerpunt. Fuit Episcoporum aliorumque procerum Ecclesiasticorum electio ab antiquissimis temporibus penes reges, vt patet ex responso Woldemari Primi, Danorum regis, qui Papæ hanc rem sibi arroganti ad hunc modum rescripsit: *Ego regnum ab Ordinibus meis accepi: vitam à parentibus: religionem ab Ecclesia Romana: hanc si repetis, ecce remitto eam tibi per præsentes litteras.* Christiernus III. legem tulit, ne Ecclesiastici bona sua vendant, nisi expresse rex ita iubeat.

Quartus Ordo est ciuium & mercatorum qui in vrbibus oppidisque habitant. Gaudent & hi peculiaribus quibusdam suis priuilegiis, habentque suos agros Syluas & latifundia, certis limitibus distincta. Ex horum numero fere & eorum liberis eliguntur Episcopi, Canonici, Pastores & Senatores in oppidis, sed & Secretarij in Archiuis, præfecti Castrorum, gubernatores & Capitanei nauium, nec non & quæstores, rationales ac procuratores fisci. Iudicant hi fere in causis minoribus, habentq; plerumque præsidem ex nobilitate.

Quinto loco sunt Agrestes, quorum duo genera sunt inter se valde diuersa. In primo censentur ij, qui *Freibundi* dicuntur, id est, liberi Laboratores. Possident hi fundos hæreditarios, ita tamen ut certum quodpiam quotannis pendãt tributum. Sed ne à mercatura quidem omnino abstinent, in piscatione vero frequentes sunt. Nullis seruitiis gratuitis obnoxij habentur, neque tributum aut subsidium extraordinarium conferunt, nisi de consensu Senatorum & Consiliariorum regni. Alterum Rusticorum genus agros proprios non possidet, sed rura ab Episcopis vel nobilibus Clericisque locatione permissa colunt, renenturque ad multa seruitia, prout pacti sunt cum domino fundi.

Cum autem omnes per totum regnum nobiles inter se æquales sint, nec Ducis, comitis aut Baronis inter eos audiatur vel nomen: fit, vt nemo inter eos tam opulentus aut potens sit, qui se familiæ regiæ opponere possit, cum semper mortuis patribus patrimonium minuatur, hæreditate inter filios filiasque distributa. Post regem tamen primo loco habentur, qui Equestri dignitate ornati coruscant, quam rex non facile cuiquam tribuit, nisi de se aut regno egregie sit meritus.

In ea quæ apud Wiburgum oppidum est Curia disceptantur causæ ciuiles continuis per totum prope annum litigiis: hic enim deciduntur controuersiæ circa terras, prædia & fundos, hæreditates, & id genus aliæ, ita tamen vt causæ criminales hic non excludantur.

Ducatus Slesuicensis oppida iisdem perfruũtur priuilegiis, quibus Danicæ vrbes, & earum incolæ eodem cum Danis vtuntur iure. Ciues enim grauati iudicio, à quouis Magistratu prouocare possunt ad Senatores, non vltra. Est autem Ordo Senatorius fere compositus ex XXIV. viris, Equestris Ordinis, quib. adiungitur Cancellarius generalis & duo Doctores iuris. Holsatorum Senatus constabat olim XLVIII viris, qui toti præerant prouinciæ, & ad hos fiebat prouocatio ab omnibus Parœciis. Postquã autem diuisus est principatus is, cuique parti duodecim præfecti sunt cum Gubernatore, qui fere Doctor est aut Licentiatus Iuris. Omnibus his liberalia persoluuntur à Principibus stipendia, quorum impensis adiungitur cuique Senatui Secretarius vnus & Præses ex Nobilitate Holsatica. Qui nomine regis præest, fere Præfectus simul est oppidi Steinbergi: at qui nomine Ducis, apud Gottorpium habitat. Licet tamen populo prouocare ad Supremum Senatum Ducatus Slesuicensis & Holsatici, & non vlterius. Habuerunt hæ gentes priscis seculis peculiare ius scriptum, quod cum veterem barbariem oleret, mutatum & iuri communi conforme redditum est.

Constat omnis populus Holsaticus quatuor Ordinibus: Nobilitate, Clericis, Ciuibus & Agricolis, qui itidem differunt inter se, vt in Dania. Nobiles exercent in suis ditionibus & terris ius summum, medium & infimum, & vt fere per Germaniam sibi solis potestatem venandi vendicant. Fundi & bona eorum potissima ex parte sunt allodialia & hæreditaria; quanquam & multi sint qui sua pro Feudis & Beneficiis recognoscunt.

Non sunt in hac regione vltra viginti quatuor familię nobiles originariæ, à quibus tamen singulis multæ aliæ descendunt, & velut stolones enascuntur. Nam gens Ranzouia sola vltra Centum quinquaginta arces possidet, & territoria amplissima. Alfeldensis familia & Pouischia vix illi cedit multitudine & opibus. Iudicantur autem causæ Nobilium per Summum Ducatus Senatum. Licet autem vel reo vel actori, si sufficientem interponat cautionem, Spiram prouocare ad Senatum Cameræ Imperialis. Ciues in oppidis peculiari vtuntur iure, secundum leges Romanas, vel etiam iura Lubecensia. Est autem appellatio hic multiplex: nam quisquis ciuis in oppido aliquo potest prouocare ad Ciuitates maiores, huic rei destinatas, & ab his rursum ad Senatum Holsatiæ: postremo ab hoc ad Cameră Imperij. Controuersiæ inter rusticos in aperto campo disceptantur per cuiusque partis Causidicos. Solent hic iudices sedere fere nobiles, illius loci domini, cum præfectis & assessoribus duobus, qui adsunt instar testium, & vbi causa vtrimque perorata est, dimittitur conuentus agrestium. Ibi iudices re matura deliberatione ventilata, reuocant partes litigantes, & vel pro reo vel pro actore pronunciant sententiam.

Habet Islãdia duos Episcopos, qui velut summi rectores ac præfecti sunt Insulæ, altero meridionalem partem, altero septẽtrionalẽ regente. Vtriusque domui contigua est schola, in qua perpetuo Episcopi sumtibus aluntur & instituuntur viginti quatuor pueri scholastici.

RELIGIO DANIÆ.

Cum Christiernus secundus Daniæ rex do-

gm

gma Lutheri in regno Suecię admisisset, in causa fuit, vt idem longe lateque per Daniam spargeretur. Cum enim ex Suecia in hoc regnum reuersus fuisset, magis magisque ostendit, doctrinam Lutheri se amplexum.

Quæ res tamen ipsi parum feliciter cessisse visa est. Captus enim à suis & regnó profligatus cum coniuge & tribus liberis, exulauit anno A N.C. MDXXIII. Postea diu hæsit in Germania Inferiore, sub patrocinio Caroli V. Affinis sui. Cum autem ad annum Salutis MDXXXII. Classem comparasset, inuasurus regnum suum, atrocí quassatus tempestate, quæ multas ex ipsius nauibus cũ hominibus profundo mersit Oceano, deinde ab hostibus prælio victus captusque, cũ in Christierni successoris manus deuenisset, vitam in carcere finiit. Christiernus igitur tertius inito cum Gustauo Sueciæ rege fœdere (erat autem vterque gener Iohannis Saxoniæ Ducis Electoris, qui Luthero mirificè fauebat) n religionis quoque mutationem consensit, vt Catholicismum vterque è regnis suis furcillaet. Nec facile hoc Dano fuit, cum Episcopos tois regni in vincula coniectos mærore & squaore carceris mori coegerit. Memoria autem dignum est, quòd nonnulli scribunt, nullum omino ex Episcopis Daniæ, Islandiæ, Norvegiæ & Gothiæ animum religionemque mutare voisse, neque promissorum adductum magnitudine, neque diuturnitate, & tædio carceris, maeque tractationis. Populus igitur Daniæ, Noregiæ, cæterarumque prouinciarum, cum vsitas destitueretur Episcopis, rege Lutheri doctriam sequente, facile consensit in Iohannis Buenhagij Pomerani aliorumque Ministrorum ntentiam. Christierno successit Fridericus ex, eandem cum antecessore sequutus relionem, sub quo rege Dani plus in recepta Luri doctrina confirmati sunt. Is qui nostra æta in his septentrionis partibus dominatur, à roximorum suorum antecessorum fide ac cemoniis non discedit.

Catalogus Regum Daniæ.

Aiunt quendam Danum, qui toti regnó noen dederit, in his Aquilonis partibus supreum dominatum gessisse, multis annis ante eum in carne manifestatum: cui filios duos buũt, Humbrum & Lotherum: & Humbrum idem patri successisse, verum postea à fratre gno pulsum fuisse.

Hunc excepisse filium Schiodum; postea anum regnasse, qui in prælio occubuerit cõ Suibdagerum Norvegiæ regem, qui capta vim Dani regis filia, eaque in vxorem ducta, orvegiam armis occupauerit.

Successit illi Froto. Frotoni Haraldus filius, i fratres suos occidit. Helgo, patruis cæsis, tos Daniæ rex factus est. Huius filius idemque cessor Rolfo cum trucidatus fuisset, peruenit gnum sub obædientiam Atislei Regis Suecię: stquem Hotherus Atislæi frater vtriusque reidominus euasit. Post hunc regnarunt

Rodericus, Atislæi filius. Wicletus, & huius filius Wermundus.

Wermundi filius Vso, Saxonas sibi fecit tributarios, factus ex homine stolido, ignauo & dissoluto, strenuus, & magnanimus Princeps. Successit Vsoni Danus filius. Huic Hucletus. Froto secundus.

Danus Tertius. Fridleuus.

Huius filius Froto tertius, circa tempus nati Christi regnasse putatur.

Hiarnus. Fridleuus. Froto IV. Ingelus. Olaus.

Haraldus primus. Froto V. Haldanus secundus.

Haraldus II. victus hic fuit ab Erico Suecorum Rege, qui ea victoria toto Danię regno potitus est. At Haraldus iterum superior factus nõ patrium regnum duntaxat, sed & totam occupauit Sueciam. Erat eo tempore Gothorum rex Vnguinus, quem Haraldus vtriusque regni post mortem suam Gubernatorem testamento constituit.

Vnguino successit Siualdus primus. huic Sigar.

Huic Sibaldus secundus; post Haldanus III.

Haraldus III septem continuis annis bello vexauit Suecos.

Olo Siuardi Norvvegiæ regis filius, Haraldi ex sorore nepos.

Edmundus. Sibaldus III. Buthus, huius frater. Iamericus Sibaldi filius.

Broderus Iamerici filius. Sibaldus quartus, cuius maiores qui fuerint incertum est, successorem habuit Biorem, Snionis filium.

Haraldus IV. Gormo eius filius.

Gotericus, siue Godefridus regnauit Carolo Magno Francorum regnum obtinente. vir deditus virtutibus, studiosus belli & munificus.

Olaus, huius filius. Hemmingus Olai filius. hic cum Carolo Magno tum Imperatore in pacta quædam conuenisse dicitur.

Siuardus filia Godefridi & Rege Norvegiæ genitus successorem habuit Regnerum filium, hominem plagosum & adulteriis deditum.

Sequutus eum est Siuardus, & hunc Ericus, qui Moguntiæ in Germania Baptismum suscepit cum Haraldo fratre suo.

Ericus Siuardi filius, Regneri Nepos. hic prope solus supererat ex sanguine regio: & quanquã adolescens Christianos atrociter persecutus fuerit, Christianus tamen ipse mortuus est, monitus ab Anscario Archiepiscopo Hamburgensi.

Huius filius Canutus regnauit post patrem, qui nullo Christianismi indicio edito, dubiæ fidei mortuus est.

Froto. Gormo. Haraldus. Hi tres fuere Christiani.

At Gormo tertius, Haraldi successor, Christianos & ipse persecutus est.

Reliquit tamen filium Haraldum Christianum.

Cuius filius & successor Suèno-Otto, cum Baptismum suscepisset annitente Ottone Imperatore, & cum patre aliquandiu regnauisset post. ea abiecit fidem Christianam. Profligatus vero ab Erico Sueciæ rege, & vniuerso regno exutus, cum ad frugem & Christianismum rediisset, regnum patrium recuperauit.

Canutus Suenottonis filius Magni cognomentum sortitus est, quod quinque regna suo imperio subiecta habuerit, Daniam, Sueciam, Norvegiam, Angliam, Normandiam. Huic imperator Henricus tertius desponsauit filiam suã Gunildam.

Canutus III, cum tantum duobus annis regnasset, mortuus est nullis post se relictis liberis.

Successit ei Magnus: Olai Norvegiæ regis filius.

Huic Sueno, Canuti Magni regis sorore genitus.

Haraldus Suenonis filius, cum non nisi duobus annis regnasset obiit.

Cuius frater Canutus interfectus est à suis in Iutia, cum in Templum & ad Sacra frustra confugisset. Causam fuisse perhibent, quod Danos cogere voluerit ad soluendas bonorum suorum decimas.

Olaus Canuti frater in Cypro Insula mortuus est, relicto hærede filio Haraldo, qui à Danis eiectus regno est, superbiam hominis ferre nolentibus.

In cuius locum subrogatus est Nicolaus Suenonis filius, qui tamen & ipse paulo post à suis interfectus occubuit.

Cuius successorem Ericum, compar ciuium perfidiâ fatum inuenit.

Supererat Ericus, Aquini filius, Erici Magni nepos. Verum hic cum sumto cucullo Monachus factus, regno excidisset, peruenit id ad Suenonem, & ipsum Erici Magni nepotem.

Woldemarus regnauit circa annum reparatæ Salutis MCLXI.

Cui successit Canutus filius, & huic Woldemarus II. mortuus Anno A N. C. MCCXLII, cum regnauisset annis XL. sæpe victor sæpe victus.

Ericus Woldemari filius, cum successisset patri in regno, interfectus est ab Abele fratre suo. Et hic Abel, non Cain, fuit Fratricida.

Abel igitur successit in regnum parricidio partum, ipse vicissim talionis iure à rusticis cæsus in Frisia, reliquit regnum

Christophoro fratri suo. Huic successit Ericus filius, qui interiit anno Gratiæ MCCLXXXVI, interfectus à domisticis suis.

Erico patri successit filius natu maximus eiusdem nominis: cumque regnauisset XXXV. annis, obiit anno A N. C. MCCCXXI

Christophorus Erici frater mortuus est anno Salutis MCCCXXXIII.

Excepit eum Woldemarus filius cuius varia fuit fortuna. Eiectus enim regno, post restitutus fuit. Hinc iterum profligatus, denuo reuocatus ad sceptra, postremo expirauit anno A N. C. MCCCLXXV.

Margarita filia vnica Woldemari, mulier masculi spiritus, cum nupsisset Aquino Norvegiæ regi, vtriusque regni Domina euasit, cumq; Sueci ad Diadema vocassent Albertum Ducem Megalo-Pyrgensem, Margarita eum acie victum regno expulit, & sic duabus coronis adiunxit tertiam, nempe Suecicam.

Ericus Pomeraniæ Dux, cum Margarita regina filium non haberet, ab eo adoptatus, & in Regem electus fuit anno Salutis MCDXI. sed is anno MCCCCXXXVIII. in Germaniam sponte rediit.

Electus fuit in eius locũ rex Danorum Christophorus, Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, quod contigit anno A N. C. MCDXXXIX. Obiit is sine liberis anno MCCCCXLVIII.

Successit ei Christianus (vel, vt Dani pronunciant, Christiernus) comes Oldenburgensis, electus in regem Daniæ & Norvvegiæ post mortem Christophori Palatini. Mortuus hic est in arce regia apud Hafniã an. A N. C. MCCCCLXXXI, cum regnasset annos XXXIV.

Successit ei in regno Iohannes filius.

Iohanni Christianus II. diuturnum hic aduersus Suecos bellum gessit, quod cum infeliciter ei cederet, postremo ab ipso Daniæ regno profligatus est, negantibus Ordinibus regni, se Tyrannidem & crudelitatem hominis vlterius ferre posse. Cumque vi conaretur recuperare regnum patrium, captus fuit à Christierno auunculo suo, & inclusus carceri in arce Holsatiæ Sundenburgo, ibi vitam finiit. Et hic à plerisque scriptoribus Christiernus appellatur.

Regnauit post eum Fridericus Holsatiæ Dux in Dania, & post Fridericum Christianus III (siue Christiernus) filius illius natu max.

Christianus IV nostra tempestate Daniæ & Norvvegiæ regnis potitur, qui cum hæc scribe remus, quod fuit ad annum MDCXXVII. grauc & vicinis Germaniæ prouinciis exitiale bellum gessit aduersus Ferdinandum II. Austriacum, Imperatorem.

DESCRIPTIO REGNI SVECIÆ.

SVMMA CAPITA.

Quam latè pateat Suecorum regnum; præcipuæ eius prouincia & limites.
Gothia descriptio, confinia, loca celebriora.
Finlandia: eius oppida.
Boddia siue Bothnia.
Lapponia: amplitudo eius & limites.
Alia diuisio regni Suetiæ in prouincias XI. totidem Ducatus & XII Comitatus.
Septem Episcopatus in eo regno, & quot quisque Episcopatus contineat Parœcias.
Abundat regnum Suecia melle, argento, ære plumbo, nucleo ferri, piscium variis generib. Suecia aspera & montosa in multis locis, aëre tamen gaudens temperato, puro atque salubri.
Particularis descriptio earum rerum, quib. vnaquæque prouincia abundat.
Veteres Suecia habitatores viri fortes & bello validi: horum leges & consuetudines, Idola, varia sacrificia, arma & ratio belligerandi.
Suecorum nostri aui corpora robusta, ingenia non mala: mores tamen simplicores. Varietas magna panis & cibariorum, quibus vescuntur, modus vestiendi, ædificandi & habitandi.
Opes eorum consistunt in abundantia alimoniæ, metallifodinis, argenti, æris, plumbi.
Prouentus regni quousque se quotannis extendant, ratione dun taxat fisci regij.
Militia Suecorum; quantum rex militum in quaque prouincia alat.
Nauales copiæ & classes, quantæ.
Munimenta regni, fœdera, hostilitates.
Vicecomites, Iudices & officia regni: Administratio Iustitiæ.
Leges contra vsuras, adulteria, homicidia.
Præfectura Fisci & Prouentuum regiorum.
Lutheri & Caluini doctrina quando & quomodo intra Sueciam recepta.
Catalogus regum, qui ad nostra vsque tempora regno potiti fuere.

DE Regno Suecię hæc nobis præfari suadet modestia.

——quis iustior induat arma
Scire nefas, magno se iudice quisque tuetur.

Neque enim nostrarum est virium, neque tes Historici, pronunciare, maiore ne iure neliore titulo possideat Sueciam Gustauus olfus, an possidere debeat Sigismundus: tri propositi est, descriptionem huius status narchici, ea qua superiores, persequi diligentia, vt satisfaciamus lectori: cætera vel Marti Themidi discutienda relinquere.

Igitur nostra ætate complectitur regnum Sueciæ Finlandiam, Gothiam, Bothniam, magnam Lapponiæ partem, Scricfinniam, cumque parte Coreliæ, Alandas Insulas cum nonnullis aliis, quarum minus est momentum. De Liuonia enim & Prussia, cuius vtriusque bonam partem Suecus occupauit armis, in rebus Polonicis diximus.

Facilis hinc fieri potest coniectura, sub quibus gradibus Eleuationis polaris hæ regiones amplissimæ vastissimæque sitæ sint, cum constet, ab vrbe Stockholmia, vbi sedes regis, quæ sub sexagesimogradu est, in extremos vsque Lapponum fines, ad mille numerari milliaria Italica. Rursum à finibus Daniæ Stockholmiam vsque, quæ medium regni Suecici obtinet, iter viginti dierum expedito patet: affirmantibus insuper iis, qui Sueciæ regni prouincias secundum longitudinem & latitudinem peragrauerunt, æquare illam terrarum amplitudine totam Italiam Galliamque simul, multo autem superare vtramque, si Finlandiæ Ducatus & Lapponum regio illi adiiciatur.

Sunt autem ipsius Sueciæ limites hi: ab occidente terminatur Norvvegia: ab Aquilone Lappia & Bothnia: ab Oriente Finlandiam habet magni Sinus Boddici intercursu separatam, & Liuoniam, à qua mari diuiditur: ab Austro respicit Gothiam. Sunt autem in hac Principatus & Dynastiæ complures: exempli gratia, Ducatus Angermanniæ in finibus Lapponum: deinde alij vt Middelpadensis, Iemtiensis, Dalecarlorum, Wermelandiæ, Daliensis, Helsingensis, Gestriciensis, Fieringensis, Cuperdaliensis & Vplandensis.

Caput & Metropolis totius regni est Holmia siue Stockholmia, quam Russi Stecolniam vocant, natura & opere munita: sita enim inter stagnantis maris paludes, aliquo modo Venetiarum vrbem repræsentat. Est in Gothia Vpsalensis ciuitas, in qua studium vniuersale: necnon Nicopiensis maritima.

Gothlandiam quidam Germanorum lingua a Bonam terram dici aiunt, nisi forte potius Gothorum terram. Finibus his cohercetur: ab Oriente Oceano: ab Occidente montibus Norvegicis, & parte regni Danici quæ Scandea nominatur: à septentrione habet Suediam; rursum mare ab Austro. Oppida Gothiæ meliora hæc sunt. Lodusia, bono portu celebris. Walburgum oppidum cum arce. Calmaria ciuitas frequens, portu cõmodissimo instructa, & nonnullæ aliæ, quarum quædã Ducali titulo gaudẽt.

Finnorum terra siue Finlandia pulsatur ab Oriẽte, Meridie & Occidẽte mari, separaturq; à

Moscouia Sinu Finnico & Polmo amne. Finis eius ad Aquilonem est Bothnia Occidentalis cum Corelia. Meliora huius tractus oppida censentur Abo, in finibus Vplandiæ, & Wiburgum in extrema regione situm.

14. Boddia siue Bothnia duplex est: Orientalis & Occidentalis, vt quidem Maginus diuidit: vt verò alij, Septentrionalis & Meridionalis.

5. Lapponia extenditur à finibus Sueciæ vsque ad Mare Aquilonare. ibi est palus Lulia, ad trecenta millia in longitudinem excurrens. Obseruandum tamen est in hac gente, eos qui Orientalia loca habitant, & *Dickiloppes*, id est Lappones feri ac syluestres appellantur, Magno Moschorum Duci tributa persoluere: Occidentaliores verò, qui & partem Soricfinniæ habitant, Suecorum regis agnoscunt imperium.

Corelia siue Carelia, si Iohannem Magnum scriptorem sequimur, est vltra sinum Finnicum extenditurque vsque ad Mare Glaciale: longissima ibi dies per æstatem horarum viginti & dimidiæ. Caput regionis est Kexholmia.

Liuoniæ magnam nostra tempestate partem, imò prope totam Suecorum regem possidere, in superioribus diximus, vt & Insulas illius maris.

6. Alij Sueciæ regnum in vndecim prouincias diuidunt, in quibus vndecim Ducatus, Comitatus numerant duodecim. Ducatuũ nomina hæc sunt. Vplandia, Gothia Occidentalis siue West-Gothia (veteres hos per errorem & ignorantiam Germanicæ linguæ Vestrogothos, & eos qui sequuntur Ostrogothos dixere) Gothia Orientalis siue Ostgothia, Smallãdia, Westmannia, Dalekarlia, Finlandia, & in hac Saragundia, Caralia, Tauastia. Comitatus putantur ab iis hi: Hesslinga, Angermannia, Gestricia, Middelpadia, Bothnia Orientalis & Occidentalis, Vlandia, Wermelandia, Nucia, Dalia, & Insularum Vlandicarum, quæ tamen Finlandiæ accensèri debent.

7. Diuiditur insuper Sueciæ regnum in Episcopatus suos, qui antiquitus fuere VII. si Archiepiscopus Vpsalensis his connumeretur. His nouissimè adiunctus est Episcopatus Viburgensis in Finnorum terra. Reliqui sunt Lincopiensis: Vetrosiensis qui & Aroscosius: Scariensis: Imperialis qui & Strigeniensis: Veximensis, & Aboënsis in Finlandia.

Numerantur vero in Diœcesi Vpsalensi Parœciæ CLXXI, quippe quæ longissimis terrarũ spaciis extendatur, vsque ad Lappones, complectaturque Finmarchiam, in qua octo amplissimę sunt Parœciæ. In Veximensi CCX. nec multo pauciores in Scariensi & Lincopiensi. Strigeniensis Parœcias habet Centum. Aboënsis quingentas, maxima ex parte populo frequentes: cũ in Finlandia sint, quæ mille familias constituant aliæ octingentas, nonnullæ quingentas: pleræq; pauciores. Et hic quidem est numerus Parœciarum, in quibus tamen multa oppida & alia loca non computata sunt, quæ tamen nõ sunt pauca.

Qualitas & ingenium Terræ Suecicæ.

8. Potest Suecia optimo iure numerari inter fertilissimas totius Septentrionis regiones, in primis ob vberrimum frugum prouentum. Præterquas multum habet mellis, argenti, æris, plumbi & ferri optimi. Salburgium oppidum est, vbi defæcatum eruitur argentum, nulli alij permixtũ metallo.

Piscium hic ingens varietas & abundãtia, qui tam è fluuiis & lacubus quam è mari extrahuntur. Non tamen est negandum, ipsam Sueciam multis in locis asperam esse & montosam; alibi vero humidam & paludibus fœdam: in quibus locis minus prouenire segetes quã alibi necesse est. Omnis ille tractus littoralis, qui Liuoniæ obuertitur, editis & præacutis horret rupibus, vnde terra illa nauibus inaccessa est. Transitur tamen pedibus mare istud, cum immẽso stat contrere frigore, vbi hoc incommodi sentiunt viatores: quod propemodũ cæci euadunt perpetuo niui ac glaciei intuitu, si vera est fama. Sunt tamen in partibus Sueciæ ingentes planicies, pinos, abietes ac quercus proferentes, cũ tamen quicquã inter arbores illas intercedit soli, aretur atq; seratur. Fluuiis hæc regio nõ destituitur, qui tamen non sunt nauigabiles, maxima dũtaxat ex parte quod frequentibus arborum truncis impediantur aut rupibus, aut quod minores riui eos ingredientes plerisq; anni mensib. congelati sint.

Aer, vt in commune loquamur, purus est & defæcatus, & per consequens salubris: errant illi, qui sibi persuadent, aërem horum locorum tam esse asperum, & frigus adeo durum & penetrabile, vt ferri non possit.

Non tamen negauerim in locis paludosis, ac vbi stagnantes lacunæ in magna sunt frequẽtia aërem exhalari densum, nebulis & vaporibus infectum. Occurrent tibi hic, præcipuè in locis montanis aut Aquilonis flatibus expositis, crebri homines, quorum ætas ad centesimum centesimum vsque vigesimum annum peruenit, nec dubium est quin diutius etiã victuri essent, nisi nimia crapula & ebrietate filum vitæ intorderent. Accedit, quod in ipsa regis aula non nisi duo inueniantur Medici & Pharmacopœa vnus, puto, quod hoc genere parum sibi opitulari esse putent. Capiuntur in Suecia Bubali, quorum longe maior est corporis moles quam Italicorum.

Gothia diues est frumento, pecoribus, equis, pilcib. marinis & fluuiatilibus; nec nõ ferro, plumbo, & alicubi argento. Pascuis magis abundat quam cæteræ regiones Aquilonares. Inuenitur apud Tragullum oppidum ferrum eximiæ bonitatis, & alibi plurimum Orichalci.

Finlandia amænior etiam est, quã propriè dicta Suecia (ipsum nomen Etymo Germanico id profitente) quam & supergreditur in bonitate & vbertate frumenti, vt quæ maxima sui parte plana sit, nec adeo montibus aspera, aut paludibus vliginosa. Bothniæ feracitas prædicari potest; vtraque tamen hæc prouincia non piscium solum est abundans, sed & animalibus, quorum pelles in magno sunt precio.

In Lapponia frumentũ nõ inuenies, sed vt alb

albicantes, & Mures ponticos magno numero, similesque bestiolas. Equos non habent, sed horum vicem Lappones vtuntur animali, quod ipsi Rangerum vocant, cui eadem cum mulo magnitudo, pilus qualis asino, cornua similia ceruinis, nisi quod breuiora sunt, & minus ramosa. Nullum hæc iumenta dorso ferunt onus, sed trahunt leues currus aut trahas per glaciem, tanta quidem pernicitate, vt viginti quatuor horarum spacio ad centum milliaria conficere credantur. Solstitij hyberni tempore, cum sol versatur in Tropico Capricorni & est in Hypogæo vel loco Augæ opposito, nox in his locis est triũ mensium, etsi pauculis quibusdam horis aliquid obscuræ lucis videatur interfulgere.

MORES ANTIQVI.

Celebratissimæ illæ in Historiis nationes Gothorum, quę è Suecia vicinisque regionibus magno numero egressæ, diuersis se Orbis partibus infuderunt, satis ostendunt, quodnam fuerit illarum gentium, quæ ingẽtem illam peninsulam, Scandinauiam veteribus dictam, incoluere, ingenium, robur & in bello virtus. Gothi enim nunquam vel soli docuere, non posse se torpere ocio & inertia, cum instar numerosissimorum examinum deserta patria, non cæteras duntaxat Europæ partes, sed ipsam Italiam, reginam gentium, inuaserunt, obtinuerunt, & longo tempore ibi dominati fuerunt. Crudeles eos fuisse fatendum est, non tamen adeo barbaros vt vulgo creduntur, vt apparet ex ratione & modo quem obseruauerunt in occupandis prouinciis, vt & ex cæteris eorum factis, inprimis ex Epistola Sidonij Apollinaris, vbi describit gesta & mores Theodorici regis. Leges eorum nos docent, fuisse eos ciuiles & politicos fuisse: & si quid conatum huic laudi à cæteris perscriptum fuerit, id potius amore suarum cõsuetudinum, & odio rectorum dominorumque ab iis factum fuisse, ni non aliter clades suas, quam victricis gentis superiis vlcisci potuerint.

Huius generis est istud, quod quidam scripserit, fuisse Gothis legem, ne quem possent eligere regem, nisi qui corpulentus, pinguis obesusque foret.

Coluerunt autem Gothi ab omni æuo Danos vicinos habitatores Chersonesi Cimbricæ, infensissimo odio. Putantur eorum scribendi Characteres, qui Gothici appellantur, antiquissimi esse, de quidam colligunt, gentem istam litterarũ gloriam cum rei bellicæ scientia coniunxisse.

In militia solebant Gothorum fœminæ simul in aciem prodire, & se pugnantium miscere cuneis, vt viri. Fortia maiorum suorum facta versibus concipere, eosque memoriæ mandatos conuentibus canere, Annalium apud eos genus erat.

Inter deos suos fictitios *Thorum* præcipue colebant, quem potentissimum omnium arbitrantur. huius caput corona cingebant, dextræ manũ sceptrum imponentes, & duodecim alias regiones circa eum. Sunt qui hunc ipsum Iouem fuisse arbitrentur, quod vox *Thorr* cõtracte Tonitru significet, & septẽtrionales populi pleriq; die Iouis festũ habuerint. Accedit alia coniectura, quod etiam nostro æuo Sueci fulgetra, tonitrua, fulmina & res similes, sonitum fremitumque *Thoroni* appellent.

Adstabant huic velut Duci alia duo Idola, *Othinus & Frigga* nuncupata. Othinus quidem Martẽ haud dubie referebat, quẽ Gothi in omnibus sibi adsistere bellis opinabantur, quanquã ei nõ tertiũ, sed quartũ siue medium septimanæ diẽ, qui alias Mercurij dicitur, consecrauerint. Huic Othino sacrificabant manubias, & si quid viui in bello cepissent, *Friggã* putabant esse Deã pulchritudinis, gratiarũ, amoris, quę nuptiis omnibusq; voluptatib. aliis præsideret. Et huic quidẽ diẽ Veneris dicauerãt, obtinetq; adhuc mos quidã apud Suecos agrestiores, vt astra quædam *Colũ ac Fusum Friggæ* antiqua superstitione vocitent. Præferebat hoc Idolũ arcũ & gladiũ, quod fœminæ essent in his oris Martiales, nec minus in hostẽ pugnare consueuissent quam viri. Hæc præcipua Gothorũ fuere Numina, nec tamẽ sola, cum & alia prodiis coluerint, inprimis *Methotim* quendã, qui magnæ famæ inter eos Magus fuerat, à quo velut à Numa quodã, multos sacrificiorũ ritus & Cæremonias addidicerant. Vpsalenses *Froũ* quendã diu pro Deorum coluere antesignano, cui immolare soliti sunt victimas nigras, & nocturna quotannis sacra celebrare. Sed *& Hollerũ* quidã venerabantur, nõ minus gloria belli quã Magicis artib. famosum, aiebantq; illũ esse quodã Characterib. perpicto vti solitũ pro nane, in traiiciendo mari ac fluminib. Huic succenturiabãt alios Magos, *Vagnostũ, Haddingum, & Rostiophũ de Finlandia*, Vaticinandi arte celebres. Hos sequebatur *Rostarus* quidã, tanta auiditate humani cruoris infamis, vt captiuorum ei deuouerint hostiũ vitam animasque. Minores Lares, quos magno prætetea numero habebãt, Magni illi Thoroni aut Othoni arbitrabãtur progeniẽ.

Solebant insuper Gothi in sacrificiis suis studiose obseruare numerũ nouenariũ, fortasse ex Pythagoræ placitis, quod impar ille numerus, qui ter trib. constaret, præferendus esset optimo iure cæteris omnib. Et sane potuerũt priscorum Gothorum Antistites hoc vel ex Zamolxi, vel ex alio aliquo Philosopho didicisse. Quanquã autẽ vix abibat vlla dies, quo non honoriẽ deferebant diis suis, singulis tamen mensib. nouemdiale sacrum illis agitabãt, maiore solennitate, singulis dieb. nouẽ diuersa animalia sacrificãtes, sed nec ab humanis quidẽ hostiis abstinẽtes. Homo qui diis sacrificandus erat, viuus in fontem propinquum demergebatur. qui si ibi mortuus fuisset, bonum id iudicabatur augurium: & sacerdotes extractum puteo cadauer suspẽdebant in sacrato nemore, credentes, illum, qui hoc pacto expirasset, inter Deos receptum indigetes.

Immortales esse animas humanas plane credebãt, quas corpore solutas in amæna vireta locosq; lętos migrare aiebant, vbi prędebat certa quidã Dæmon, Blexus nomine, ad quẽ mittebãt

naui-

naucula actuaria cum remis quinque legatum quendam, cum mandatis, vt peteret ab eo Dæmone res eas, quibus ipsi opus habebant. Adeo autem dij hi eis cordi erãt, vt si quem fremitum in aëre audiuissent, sagittas in auras eiacularentur, velut laborantibus diis suppetias laturi: quos non dubitabant, tunc ab aliis infestari. Vtebantur insuper malleis quibusdam vasisque æreis, quibus ingentem ciebant fremitum, imitaturi scilicet tonitrua.

Præter hæc ab antiquo adsueuerant prodituri in prælium immolare equos, & auulsa eorũ truncis capita ante exercitum præferre, adeptiq; victoriam, eadem diis suis consecrare, excitatis ignibus lætitiæ testibus.

Arma eorũ prætergladios erant arcus & fundæ. Et hæc sunt, quę de priscis Gothis cæterisque regni Suecici antiquis incolis dicere habuimus: quo etiam ea referri possunt, quæ de Herulorũ, Vandalorum, & Longobardorũ veterum moribus, qui populi è vicinis Baltici maris littoribus ac prouinciis prodiere, solent narrari. Ea tamen, quæ de Gothis & Suecis ex Iohannis Magni, Archiepiscopi Vpsalensis scriptis adduximus, hoc loco sufficiant.

Mores Suecorum nostri temporis.

Sunt Suecis naturæ quadam indulgentia valida & robusta corpora, vnde non exiguæ ipsis vires, tam equestri militia quam pedestri, vt & maritimo bello. Peregrinos aduenasque magna comitate excipere solent, permutantes cum iis inter mercimonia pisces aridos, pelles preciosas, coria cruda, butyrum, sæuum bubulum & metalla.

Paræciæ eorum sparsæ sunt per syluas & loca à tempestatibus defensa, vbi ędificandi commoditas & materia suppetit, ex præsenti lignorum copia. Hic habitant sub eodem cũ greg bus suis tecto, exercentes artificia sua necessaria ad acquirendum victum & rem vestiariam. Et hæc est causa, quod in Sueciæ regno tam ampla oppida & populosa non inueniantur, quam apud alias gentes.

Vtuntur autem omnes populi, quotquot Coronæ Suedicæ subsunt, duabus præcipuè linguis, multum inter se discrepantibus. Prior est Suedica, qua non ipsi Sueci saltim, sed & Gothi, Norvvegi & Dani vtuntur. Accedit autem hæc in multis proximè ad Saxonicum Idioma, haud secus ac Anglica ad Belgico-Germanicum. Altera est Finnorum lingua, quæ non solum in vsu est per ampliſſimum Finlandiæ Ducatum, (excepta vna eius prouincia, in qua Suecorum præualet Idiotismus) sed & per bonam Liuoniæ partem, circa Reualiam vrbem: vbi qui sunt paulo elegantiores, vtramque loquuntur, & hanc & Germanicam.

Ingenia Suecorum satis apta sunt ad addiscẽdum quasuis artes, manuarias, liberales & mercaturam. Sed & promte apprehendunt disciplinas, scientias linguasque, inprimis tamen qui sunt cum officiis aut dignitate, aut opibus amplioribus, dant operam, vt discant linguam Germanicam, aliqui etiam Latinam. Quod si qui cęteras quoque exoticorum populorũ percipiant non minore cum difficultate eas pronunciant, quam Germani Italicam Gallicamque.

Moribus communiter vtuntur simplicibus, qui illis conueniunt, qui res mundanas & elegantias exterorum non viderunt, vnde spiritus eorum formari acuique possent. Neque enim magni quippiam expetunt, sed ne honores quidem, contentis iis quæ naturæ necessitas exigit.

Hinc est, quod non plus ruris colant, quam quantum in ferendas vitæ necessarias fruges sufficere possit. Si enim cæsis inutilibus syluis runcare solum & noualia facere vellent, non est dubium, quin plurimum è terra culta frumenti extrahere possent: quod etiamsi Maio demum Mense seratur, Augusto tamen matureſcit, ob eximium solis calorem, qui per id tempus fere semper super eorum Horizonte versatur. Etsi autem prisca illa simplicitas in multis adhuc regnat locis: exterorum tamen, præcipuè mercatorum ac militum Germanorum, Anglorum, Scotorum accessione ac cohabitatione factum est, vt multũ ab illa natiua ruditate deposuerint: vnde non amplius in iis ea obseruatur credulitas, nec patent eorum hospita, vt olim, iis, qui vacuos nummis circumferunt loculos.

Hoc tamen ex antiquo, magno itinerantium bono, retinuerunt, vt Sueci vel nihil vel perparũ à viatoribus exigant pro diuersorio commodato, aut cibo potuue: qua liberalitate inprimis vtuntur erga hospites Ministri Ecclesiarum & Pastores, sine dubio monitu Pauli edocti, qui eos Philoxenos esse vult. Nulli olim hic erant latrones aut grassatores: nostra autem ętate, cum bella inter Danos ac Suecos gliscerent, militum extraneorum proteruia rapiendi quoque, vt alibi, inuexit licentiam. Balneis frequenter vtuntur, præcipuè in oppidis, nec sunt diuersa cuique sexui attributa loca lauandi, sed viri mixtim sedent cum mulieribus. Mulieres Suecorum modestæ admodum sunt & intelligentes ac sagaces, vt quæ penitus ab omni abstineant ebrietate. Panis eorum est ex frumento, quod est duorum generum. Vnum seritur mense Maio, alterum Nouembri. Augusto mense metunt siliginem, quod genus est vsitatissimum: hinc duplex conficitur panis; è grano puro & mixto. Hordei prouentus hic sat felix, vnde magnam eius partem insumunt in coquendam cereuisiam, quæ communissimus est eorum potus: quanquam opulentiores etiã vtãtur vino Rhenẽsi, Hispanico, Gallico, & Medone, siue Hydromelite, interdũ etiã vino siue aqua ardẽte per distillationẽ extracto.

Comperti sunt pauperes aliquando in summa annonę inopia victitasse pane, è corticibus arborum in farinam redactis cocto, inprimis è pino & abiete, cuius corticis naturam asserunt esse consolidam, & roborare stomachum: aiuntque miseros illos nõ tantum eo pane vitam toleraſſe, sed & robustos validosque inde euasisse.

Carnium apud Suecos maxima est abundãtia quarum

quarum magnam partem sale conditam seruãt, neque bubulam tantum & porcinam, sed & anserum aliorumque animalium. Vitulina raro vescuntur: piscibus vero creberrimè tam recentibus, quam salitis atque induratis. quos sale nõ condiunt, frigoris duritia exsiceãt. Auium quoque delicatiorum, vt perdicum carnes hic multo duriores sunt, quam in regionibus temperatis. possent & leguminum magnam habere copiam, si serendi ea constaret ipsis ratio: iam verò non vtuntur nisi cicere, & pisis albis rotundisque, cum pauculis fabis.

Butyrum caseumque eo dignantur honore, vt hinc auspicentur cænam, inde finiant. Fructuum arboreorum hîc non magna cura est, quanquam Pyrorum apud eos largus prouenit, vt & prunorum, cerasorum & fragorum. Et aurem olera herbæque bis aut ter in anno proueniant, nullius tamen adeo tanguntur desiderio, quàm caulis siue Brassicæ, quam sale & mura condiunt, inque futuras prælongas hyemes seruant.

Amictus plebeiæ multitudinis admodum simplex est, nec multum dissimilis vestitui rusticorum per Longobardiam, quod ad formam. Vtuntur tamẽ Pileolis & vestibus coriaceis pelliceisque, sed ruditer factis. Fœminæ Vrbanæ, primis Stockholmienses iniiciunt tunicis suis prælongum pallium è materia lanea nigra, densissimis plicis corrugata. Nobiles vtplurimum vestiuntur more Germanico: Aulici quidam Italorum aut Gallorum affectant amictum.

Cum peregre proficiscuntur rustici, arma ferunt quam clauam aut securim. Nobiles vero eorumque serui atrienses gladios gerunt, & tormenta minora manuaria.

Domus eorum, (exceptis Templis Aedibusque sacris, quæ sunt è lapide) fere è lignis conjectæ sunt, aliquanto tamen meliores & fabrefactæ durabiliore, quam Polonorum Campestriũ Mapalia. Inuenies tamen etiam oppida, quorum domus pleræque sunt è lapide structę. Stuuarum siue Hypocaustorum in his vsus non est tam frequens quam Caminorum, quorum est ea ratio, vt combustis & incandentes carbones redactis cinis, adducta lamina ferrea ab summo orificiũ concludi possit, iterumque cum lubitum est, aperiri, quod tamẽ non fit in paludosis regionibus. Proponum plerique statura breui sunt, sed mirum in modum agiles dextrique. Melius hi Suecis mittunt sagittas arcu: vestimento vtuntur stricto, hyberno tempore tegunt corpora pellibus vitulorum marinorum. aliquando pellibus vrsorum ursinis se cooperiunt, quas supra caput contractas aut nodo constringentes, aperturam oculis relinquunt, nisi qua faciem videndi gratia patere necesse est: qui habitus ferinus quibusdam occasionem præbuit, vt eos totos villosos scripserint. Mapalia inhabitant humilia addita tugurium, corticibus arborum tecta, aut arundine vel cespite viuo. Quidam memoriæ prodiderunt, eos per æstatem sub tentoriis viuere, more Tartarorum. Venationi & piscationi gens hæc vltra modum dedita est, vnde potissimum victum habent, sed & pisces suos vicinis populis impertiunt. Nauigiorum suorum tabulas nõ connectunt clauis ferreis, sed neruis ferarum vnciscque ligneis. Lingua vtuntur peculiari, quã peregrini perdifficulter assequuntur. Multi sunt inter eos venefici & incantatores, qui ventis, nubibus, tempestatibus se imperare posse asserunt. Carent pane atque sale, piscibus solis & ferina victitantes. Inclinant natura ad lasciuiam, suntque vagabundi, feri, suspicaces vt aduenientibus peregrinis se occultent. Potissimum mercimonij genus consistit in ferarũ pellibus, quanquam etiam consuetudine exterorũ mitescere incipiant.

Opes & diuitiæ Suecorum.

Hæ potissimum consistunt in alimoniæ abũdantia, quæ si vsquam alibi, hic copiosa est. habẽt enim Sueci plurimum frumenti diuersi generis, vt & carnium, piscium recentium, salsorum, siccatorum, vt vix vllus per hoc regnum inueniatur, victum suum mendicando quærens: fuitq; tempus, cum peregrinis regionem transeuntibus diuersorium cum rebus necessariis gratis præberetur; hodie minimum ab hospitib. exigitur. Præcipui tamen huius regni Thesauri proueniunt è vario metallorum genere, plumbo, ære, argento, & pauxillo auri. & priora quidem duo tanta copia montium visceribus eruuntur, vt nullum Europæ regnum Sueciam hac in parte superare existimetur. Vbique prope deteguntur vtriusque huius metalli venæ, quanquam eas rustici forte repertas, summo studio occulunt, ne labore in iis perfodiendis distineantur, aut conuehendis ad defecationem lignis fatigentur, ad quod quidem seruitiorum genus obligantur.

In Vestrosiensi prouincia extrahitur argentum defecatissimum, & nisi incolæ tantopere inuiderent extraneorum industriæ, possent ad maximas diuitias peruenire. Iam multum lignorum frustrà impendunt, quibus parcere possent, nec nouerunt fumum Mineralium colligere ad colores siue pigmenta: sed ne aperiri quidem venas metallicas æquo animo ferunt. Quod autem peregrinos tantopere fugiunt, non fit odio quodam in eos, sed quod se ab iis deceptum iri suspicentur, cum se fere simpliciores esse nouerint in moribus actionibusque suis, nec tententur valde crimine ambitionis aut auaritiæ, vt aliæ gentes.

De Prouentibus Regis sic accipiat Lector. Quatuor fere rebus constant redditus regis ordinarij, postquam Catholica religio inde migrauit. Primo, è Prouentibus bonorum Ecclesiasticorum: deinde è Metallifodinis; tertio è vectigalibus & tributis: postremo è decimis frumenti, alimoniæ omnis, pellium cæterarumque rerum, quo referuntur etiam portoria & donatiua.

Nam primo, ante mutatam Religionem Archiepiscopus Vpsalensis cæteriq; Episcopi, & cũ his tot Monasteria & Collegia, incredibiles ex tanto

tanto regno percepere fructus. Sed Ministri Lutherani mira quadam linguæ suauitate persuaserunt regi, vt ea bona ac prouentus sibi vendicata fisco addiceret, relicta aliqua eorũ, sed exigua parte Episcopis. Hinc à principio ingentes per interdictum collecti sunt Thesauri, qui cum in manus Erici regis peruenissent, gerentis tunc acre bellum, intra exiguum tempus dissipati euanuere. Eruitur terrâ argentum, vnde conflãtur nummi crassiores siue Thaleri Suedici, quorum ob puritatem metalli commendatur probitas. Cumque non multum auri reperiatur, pauci etiam cuduntur nummi aurei.

Inter argenteos nummos maioris precij præter Thaleros, cuduntur etiã alij, qui partim semithalerum, partim quartam eius partem constituunt: vt & alij, quorum in frequentissimo vsu sunt ij, qui triceni vel triceni bini vnum Thalerum conficiunt. Et quanquam Suecia ære Cyprio abundet, moneta tamen ex eo metallo non conflatur, nisi quod minoribus nummis argenteis aliquid æris permiscetur. Aiunt præterea superioribus annis graues salis micas terra extractas fuisse: sed ille salfossitius eiusq; vena exaruit, incuria eorum, vt putatur, quibus eius rei cura commendata fuit.

Percipit autem rex decimas ex omnibus metallifodinis, in quas ipse sumtus de suo nõ facit, hinc fit, vt aliquando ministris suis in stipendiorũ solutione cuprũ aut aliud metalli crudi genus largiatur: nec quisquam est qui dubitet, nisi rustici data opera venas metallicas, quæ se quotidie nouæ offerunt, occulerent, & si in iis quæ iã detectæ laborantur, industriorum ac prudentiũ adhiberetur dexteritas, quin regis populique multo maiores futuræ essent diuitiæ.

Redeunt insuper ad regem indictiones, vectigalia & decimæ per totum regnum, ex siligine, ordeo aliisque frumenti speciebus, itemque de butyro, piscibus, bobus, pellibus rebusque similibus; cuius fructus certus numerus iniri nõ potest, quanquam exactæ reddantur rationes cuiusque prouentus in Quæstura & Ærario regio. Tantum autem est, vt hinc alat non solum exercitus cum ductoribus & tribunis, qui tam terra quam mari militant: sed & comitiua aulæ & totius regni Ministeria.

Quoties regi bellum suscipiendum est ad defensionem patriæ, vel cum exercitus extra regnũ educendus: notum id facit prouinciarum rectoribus, qui rem frumentariam celeriter expediunt, & eum alimoniæ submittunt exercitui modum, qui facile sufficere possit. In qua tamen cõtributione hæc obseruatur differentia, quod neque nobiles neque eorum subditi vsitate contribuere quicquam consueuerunt. Cum autem Collatio omnium Ordinum adeoque nobilitatis consensu indicitur: tunc subiecti Nobilium simplum pendunt, cum ij, qui regi immediate subsunt, duplum persoluunt.

Solet & populus ex obligatione quadam, regiis filiabus, cum nuptum elocantur, dotem cõferre de suo. Est autem ea pars dotis, quam populus confert, ab antiquis temporibus æstimãta centies mille Thaleris, præter vasa argentea, preciosam supellectilem & cætera mobilia.

Prouentus ex animalium pellibus alias maior est aliquando minor, & hæc varietas dependet à magnitudine & duratione niuium. quo enim plus ningit, eo plures capiuntur bestiæ. Plurimum autem ex hac re lucri redit ad regem ab Lappia septentrionali, quæ gentes aliud tributum præter preciosas pelles non persoluunt. Solerque quotannis rex certos eo mittere fidosq; homines, qui tantam diligentiam adhibent, vt certus captarum bestiarum ineatur numerus nec rex decipi possit. Pelles vero quæ separatim in regios vsus sepositæ sunt, delatæ ad aulam, distribuuntur inter propinquos & amicos regis vel etiam dãtur mercatoribus, qui exoticas merces varij generis quotannis ad aulam regiam aduehunt. Neque vero calamitosi Lappones aliud tributum pendere possunt, semper occupati in bestiarum illarum venatione, quas pro aliis rebus necessariis permutant, quanquam & sint inter illos qui aculaborent, & alia elegantia opera manu conficiant, quibus ostendunt, ingenium sibi non omnino deesse. Precipuæ tamen impositiones, portoria, vectigalia in portubus maris sedem suam habent.

Sunt insuper in regno, qui regi non persoluti pro ratione & proportione bonorum suorum sed certum argenti modum, quidam thaleros quinque, quidam sex, quidam octo aut plures quotannis. Quod si rex benemerenti referre gratiam & singulare præstare beneficium velit, consueuit ei certum rusticorum attribuere numerũ, qui sint eius subiecti tributarij: huic quidem plures, illi pauciores, prout quisque meritus est, aut regi visum fuerit.

Obseruarũ est an. MDLXXVIII. illatas fuisse in Ærariũ regiũ, singulis annis, deductis sumptibus, nec simul computatis subsidiis extraordinariis & collationibus: inferri inquam solitas sex aut septem auri Tonnas, singulis Tonnis centenis millibus Thalerorum Germanicæ monetæ æstimatis: cum tamen cõstaret in Munitiones & præsidia apud vrbem Reualiam & Wipurgum quæ sunt in finib. regni Moscouitici, quotannis centena thalerorum millia insumta fuisse.

Arbitrantur autem multi, quorum non est inue aut futile iudicium, prouentus regios longe futuros vberiores, si eadem in Suecia esset ars cum virorumque ad publica commoda promouẽda solertium multitudo, quæ in aliis mortis regnis. Est enim hic magnus nauium numerus instructissimarum, quę procul à regno ad teras nationes negociandi gratia emitti possent exportato frumento, materia lignea ad fabricandas naues, aliisque mercimoniis: vicissim importato in reditu sale cæterisque rebus necessariis, quas si extranei mercatores afferant duplo vendunt precio, cum ipsi ea, quæ regnum Sueciæ suppeditat bona, vili coemant. Sed & ex Metallifodinis longè maius col-

luer

ctum posse arbitrantur, si ea res peregrinis
ommitteretur, qui maiore scientia metalla tra-
tarent, & ligno parcerent.

Quanta autem hic sit vbertas æris inde colli-
potest, quod ex duabus tribusve ærifodinis
læ decimæ regi persolui solitæ, anno MDLX
VIII. confecerint quingentos Squipones ar-
enti & vltra. Valet autem Squipo vnus trigin-
millia thalerorum. De decimis tantum lo-
iimur: nouem enim partes cedunt iis, qui sum-
s faciunt in effodiendum metallum. Quod si
ro iis rex alia ratione satisfacere velit, potest
tum sibi ratinere: cui fini supremus quidam
horus constitutus est, qui sit velut Procura-
r aut Commissarius generalis regius.

ROBVR MILITARE ET MV-nimenta Regni.

Habet vnaquæque regni Suedici prouincia
s certas & consuetas equitum peditumque
pias. Numerantur autem per Sueciam & Go-
iam triginta duo signa peditum, signo vno
ingentis militibus constante. Hi in omnes
lli casus & occasiones præsto sunt, vt quo vi-
n fuerit, duci confestim possint. Sunt autem
rique instructi musquetis, vt vocant, siue tor-
ntis longis manuariis: pauci inter eos hastati,
densas & frequentes syluas, quæ transeundæ
ltum impedimenti essent exhibituræ longis
s Sarissis. Et hæc eadem est causa, quod equi-
non ferant lanceas, sed sclopetos manuarios,
breuiores, alii longiores, ad modum Equi-
n Germanorum.

Milites in ipso regno nati, & vsitatæ victus
oni adsueti, facile tolerant frigus, neque cir-
delitias ambitiosi, neque circa ciborum va-
atem. Accedit quod quiuis eorum suos sibi
ficit calceos, vestimenta, & cæteras res ne-
arias. Reperias inter excubitores Arcis
ckholmensis, qui totas noctes intensissimo
ore peruigilent, maxima patientia, cum hy-
næ noctes ibi ad octodecim horarum longi-
inem & vltra accedant.

Habet vnumquodque signum peditum suum
itaneum, Legatum & Signiferum. Cum
um intra fines regni vel aduersum Moscoui-
vel regem Danum gerendum esset, ipsum
itaneum exiguo stipendio contentum esse
rtebat, puta veste vna per annum, & qua-
thaleris menstruis, cum exemptione ab o-
bus, tam pro se quam pro paucis quibus-
è suis. Soluebatur autem hoc qualecunque
ributo, quod regi singulis annis pendi soli-
erat. Militi exemptio non dabatur, nisi dum
um duraret, aut cum aliquod fore suspicio
, vt eo tempore in armis esse posset. Stipen-
n gregarii militis olim vsitatum erat thale-
nus menstruus cum quarta insuper parte.
Cum sparsim aut per signa progrediuntur,
buunt eis dissignatores in obuiis domibus
rsoria. At cum phalange facta aut structa a-
ngrediuntur, Rex iis præstat alimoniam,
iis eo nomine detrahit stipendium. Captos
ab hoste rex suo ære redimere solet, persoluto
lytro: & si quis inter præliandum equum perdat,
rex ei suppeditat alium.

Vnumquodque pariter signum Equitum
suum habet Magistrum, Legatum, Signiferum.
Fuit tempus, cum singulis equitibus non nisi vi-
ceni thaleri annui stipendii nomine soluerentur, cum veste vna, exemptione, & aliis immunitatibus. Capita tamen militiæ Equestris, & qui cum aliquo Imperio erant, obseruata proportione dignitatis, etiam pro seruis suis, qui dominos equo sequebantur, percipiebant vsitata stipendia.

Sunt autem perpetuo in Suecia atque Gothia vndecim signa equitum, & duo in Finlandia. Quod si rex in necessarios belli vsus maiorem cogere velit equitum numerum, facile quantumuis magnum conficere poterit, si tacto ærario argentum promat.

In Finlandia sunt equitum turmæ duæ; vna constat equitibus plebeii ordinis, altera Nobilibus. Quod autem tam pauci sint in tam ampla prouincia, ratio est, quod Finnis aliud onus incumbit instruendæ & conseruandæ classis, & alendorum militum classiariorum ac nautarum, quod ipsum etiam dici potest de aliis prouinciis magis in Aquilonem proiectis: quæ, vel quod nimis montosæ sunt, eoque steriles, qualis est Angermannia; vel quod destituantur equis, vt Dalecarlia, ad subsidia classis deputatæ sunt, vt nautas militesque subministrent.

In Smallandia, West-gothia & Ostgothia, sunt quædam signa nobilium equitum, abundat enim Westgothia Nobilibus præ aliis plerisque prouinciis: neque vllus potest esse Centurio vel Capitaneus, tam inter pedites quam equites, qui non sit nobili natus genere.

Equi eorum minores sunt Germanicis, sed robusti, adsueti labori & inediæ.

Iubent autem leges militares regni, singulis annis lustrare omnes equitum turmas & signa peditum, ita vt prouinciarum rectores prius de tempore & loco diribitorii moneantur. Quin & ipsi nobiles aulici regem ea conditione sequuntur, vt trecenti (tot enim fere sunt) in singula momenta parati sint, ad conscendendos equos & corripienda arma equestria: à quo seruitii regii genere Consiliarii soli cum paucis quibusdam aliis immunes sunt. His tamen ipsis equitibus, donec militant, pro numero seruorum, qui equo stipendia faciunt, datur aliquod menstruum stipendium, quinque vt plurimum thaleri in singulos menses.

De viribus marinis sic habet. Cum bellum non est, solet Rex perpetuo habere classem quinquaginta nauium militariter instructarum, sub ductu vnius Thalassiarchi siue Admiralii. Ex his nauibus erant sub annum A N.C.MD LXXVIII. septem maiores, quæ prætorianarum, siue, vt vocant, Galionum, vicem implere ob magnitudinem poterant: reliquæ fere singulæ ferebant quinquagena tormenta bellica ære fusa, quamquam non omnes essent

æquales. Constat autem regi optime ratio, vnde possit è vestigio habere sex nautarum millia, nec remiges solum aut seruitia, sed & Magisteria nauium: quin si velit, multo plures habere possit, cum totum Finlandiæ littus, quod ad quadringenta millia in longum excurrit, vt & ora maris Bothnici, quæ multo longior, cum littore regni Sueciæ & Insulis, innumeros subinde alliciant ad rei marinæ & nauigandi studium, cuius artis experientiam & audaciam inde acquirunt.

In eo bello quod Iohannes III. Sueciæ rex contra Danos gessit, ante pacificationem Stetinensem, ducebat Suecus septuaginta naues longas, vltra alias non contemnendas, quarum non exiguus erat numerus: & præter equitatum numerosum, qui terrestri itinere proficiscebatur.

Erant autem in illis nauibus decem millia militum, qui vbi vsus ferebat, egressi in terram præliabantur. Hyeme autem fere in his terris bellum terra geritur, quod concretis glacie fluuiis paludibusque, non milites solum pedem figere possint, sed & instrumenta bellica & commeatus exercitui subuehi. Æstate autem naualia geruntur bella.

Et si autem sine ingentibus sumtibus tam ingens nauticorum hominum multitudo ali non possit, hoc tamen habet commodi, quod ex tributis prouinciarum quæ regi penduntur, suppeditentur illis carnes, pisces, butyrum, siligo & hordeum.

Et hinc fit, vt Suecorum rex singulis annis armatam classem paruis impensis suis in mare emittere possit, cum nautis ac remigibus præter alimenta nihil soluatur, & hi tamen facile acquiescant, cum sint contenti rebus necessariis. Accedit lignorum præstantissimorum abundantia & metalli, ferri ac æris incredibilis copia: vt non iniuria Iohannes III. Suecorum rex dixisse perhibeatur, bellum, in quod Hispanorum rex integrum insumat auri millionem, sibi ne centum quidem millibus thalerorum constare.

Eadem metallorum copia facit, vt abundet regnum hoc supra modum tormentis siue machinis æneis: numerantur enim in sola arce regia Sockholmensi machinæ fusiles quadringentæ, in quibus multæ duplices, vt vocantur, plures colubrinæ, aliæ minores: vnde potest fieri iudicium, quantum tormentorum per vniuersum Sueciæ regnum sit.

Nauium omnium maximæ stationem habent in portu Stockholmensi vbi securæ stant, ne proiectis quidem nixæ Anchoris, quod ab alto mari vsque ad eam Vrbem nauigetur inter scopulos prope per decem milliaria Germanica. Numerantur in isto portu vtplurimum, cum glacies delicuit, & peregrinæ rates appellere possunt, circiter trecentæ naues omnis generis. Cæteræ naues sunt in diuersis regni Sueciæ portubus in statione, plurimæ tamen in Finlandia, vt caput obuertant Moscouitis, impediantque, ne quid à Germania aliisve regnis hu genti subuehatur, cuius ope Suecis noceri po sit.

Fuerunt olim in hoc regno multa loca mu nita: sed diuersis bellis tam extraneis quam ciu libus, accedente diffidentia & aliis causis, mult arces atque propugnacula corruerunt, quan uis in nouissimis bellis inter Sigismundum P loniæ & Carolum Sueciæ regem, nonnullæ ve ut è ruderibus iterum excitatæ fuerunt. Eaqu nostra memoria supersunt loca munitiora h fere sunt.

In littore maris Occidentem versus, im Elsburgum, quilocus proximus est Lacui Ver ris, Fortalitium est Elfelsburgense: nec lo ge ab eo duæ aliæ arces munitissimæ, quar alteri nomen est Goltburgo; alteri Croneb gæ. Versus mare Balticum, haud longe à S nia Danici regni prouincia est Calmaria, c pidum cum Arce: at in Ostgothia castrum W senense. In Insula Vlandia est Borcholmia, c inde Nicopia, Vicerbinum, Gryphsolmia, & A Vpsalensis. Inprimis autem sub hunc comp tum veniunt Arx Stokholmensis, & Vrbuen quarum hæc vndecim milliaribus ab illa ab Et hæc fere sunt munimenta atq; Arces firm res regni Sueciæ.

In Finlandia præcipuæ hæ sunt. Arx in Vi Aba, & alia in penitioribus prouinciæ, cui i men Elsingsfort. Apud Tauastiam rursum a quæ Tauasthausa dicitur, id est Domus Taua ensis. Hæc etiam Finnorum lingua Hislet d tur, id est Castrum nouum. Est & muniment Vipurgense in finibus Moscouitarum, & Re liense in Liuonia.

Vicini Principes regno Sueciæ hi sunt: Occidente Rex Danorum, ab Oriente Mag Dux Moscouiæ. Acceperunt olim Suedi parum detrimēti à Danis, cum inter alios C stianus II. Stockholmiam, caput regni, arcta sidione adeo vrsit, vt præsidiarii eam dedere acti fuerint, vbi magna crudelitate in ciues d uiit, totamque vrbem sanguine & cadauer mortuorum impleuit.

Odium inter has duas gentes inde orir tatur, quod Dani reges ad se pertinere Suec contendant. Quod autem Dani Suecis te molesti fuerunt, tribuendum est commod locorum & portuum, inprimis Gothlandia sulæ, quæ membrum est regni Gothici. H Sueci sui esse iuris affirmant, eamque à Dani petunt. Postquam autem Gustauus regnum ciæ recuperauit, & post eum Ericus, huiusqu lius Iohannes regnauere: quanquam bella i Danos & Gustauum fuerint non exigua, ma tamen Suecia peculiare regnum: & Vrbs In rialis Lubecensis, cuius est magna auctorit potentia per illas partes, cum modo vnius, do alterius sequeretur partes, ita contriuit vtriusque regis atque exæquauit, vt non pe serit alterum alteri nimis præualere, quod trum sibi vellet esse ob nimiam potentiam midabilem.

Ma

Maiore autem successu & prospe[ri]tate Moscouitis bellum fecere Sueci: Causa fuit putatur, quod Finlandia, cuius fines Rutenum attingunt, ob frequentes lacus & paludes, quibus plena est, difficulter & cum periculo intrari potest, acciditque non semel, vt exercitus Moschorum inter aquas illas & glaciem penitus interirent. Accedit, quod Suecorum rex perpetuo habet in Sinu Finnico classem expeditam.

Ibi est Munimentum Vipurgense, quo nihil his in locis firmius. Habet insuper Suecus in eo Moscorum confinio Naruam & Reualiam, de qua superius diximus, cum nonnullis aliis arcibus, quarum beneficio Russos velut iniecto freno cohercet. Et profecto hoc est optimum munimentorum genus; quæ in hostili agro extructa nostri tamen iuris sunt & dominii, quod non tantum nostra defendant, sed & aduersariis in suo ipsorum agro molestias faceſſant: quoque longius à nostro in hostico abesse putantur, tanto melius nostra domi defendunt.

Hoste enim circa illa velut vlcera laborante, nos non tantum domi pace frui possumus, sed & argenti & militum compendium facere, ea duntaxat lege, vt nostris procul absentibus necessaria submittantur subsidia.

Præterea, quo propiora hosti nostra sunt Munimenta, eo plus exhibent ei negocii. Quæ autem in nostra prouincia siue domi sunt Fortalitia, & si sua quidem defendant, magno tamen id constant suarum rerum cum dispendio. Quoties autem hæc hostis aggreditur, necesse est totam prouinciam detrimento affici, vnde varii rumores & terrores, cum insuper loca imbecilliora in prædam hostilibus copiis exposita sint.

Sed vt ad regem Sueciæ reuertamur, necesse est, tantum hunc Moschorum Duci præualere, quantum eum, qui pedestres & nauales copias simul in expedito habet, par est, præponderare ei, qui nullam classem in mari habeat, quod potius de Moschorum Principe verum est.

MODVS GVBERNATIONIS & forma reipublicæ.

Regnum Sueciæ, quod primitus fuerat Electiuum, tempore Gustaui regis factum est hæreditarium. Fert autem consuetudo huius regni, vt rex sibi assumat XII. Consiliarios, & plures alios ministros, quibus varia adsignat officia, cum totum Sueciæ non solum diuidatur, vt diximus, in Prouincias, Ducatus & Comitatus: sed quæuis prouincia rursus in sua Territoria, Districtus & Iurisdictiones, sub quibus aliquot Parœciæ continentur, aliquando plures aliquando pauciores, quarum Parœciarum vnaquæque habet suum *Landsmannum* siue Consulem. Præterea præest cuique territorio Vicecomes, cuius propemodum eæ sunt partes quæ *Potestatis*, vt vocant, per Italiam.

Supra Vicecomitem sunt alia quædam officia, velut Seneschalli per Galliam: Suedi *Lamanni* vocant, habentque pro iudicibus superioribus, datur enim prouocatio à Vicecomitibus ad Lamannos, & ab his ad Consilium regium: & à Consilio ad ipsum regem. Solent hi Lamanni quotannis visitare partem aliquam suæ iurisdictionis, donec totam per partes visitauerint prouinciam, ibi denuo incipiunt, vt melius defectus cognoscant reipublicæ & ij remedium afferre possint. Hæc res aliquid solatii & subleuationis ab oneribus præstat populo: cum ab ea duntaxat Parœcia, quam eo anno visitant, tributum exigant, cæteris missis factis.

Sunt insuper territoria ad hunc modum diuisa. Omnes familiæ, quæ extra Vrbes habitant, in Centenas diuiduntur. His assignatur quidam velut Centurio aut Iudex inferior, qui certo quodam anni tempore, quamuis inter eos non habitet, eo venit, vt ius dicat. Solet autem Rex nonnullis horum Iudicum, qui meruere præ cæteris, ducentas assignare familias. Et sane nemo ad hoc officium admittitur, nisi aut sit genere nobilis, aut ita meruerit, prudentiæ ac probitatis editis speciminibus.

Landsmannus siue Consul cuiusque Parœciæ desumitur ex ipsa agrestium communitate, & si opus sit, recurrere potest ad Vicecomitem.

Præterea incumbit ei, quoties rex Prouinciarum primores conuocat, ad Regiam venire, vbicunque ea sit, vt ibi mandata accipiat: & hoc fere singulis annis semel fit. Solet insuper curam gerere diuersoriorum publicorum, vt viatores recipiantur commodis hospitiis, vtque ipsis suppeditentur equi meritorii, aut cum nix est vel glacies, trahæ, quarum hyemis tempore ibi vsus est frequentissimus.

Vicecomitum conditio tenuis est, præter enim vestem vnam & quadraginta thaleros annuos nihil à regiis exactoribus stipendii nomine percipiunt: ab oneribus tamen omnibus exempti sunt, & munuscula quædam ac alias res tenuiores in quæstu suo numerant. Habet autem sola Smalandia, quæ vicina regno Daniæ, & prouincia satis est ampla, circiter quinquaginta Vicecomites, quod incolæ eius habeantur præ cæteris Suecis bellicosiores; cum enim aliquando rebellassent, circiter triginta millia conuenere hominum, qui apti erant ad arma ferenda.

Magistratus Vrbani apud Stockholmiam sic habent. Ipsum corpus ciuium eligere solet quatuor Consules, qui ius in Ciuitate dicunt: estque iis hæc dignitas perpetua donec viuant. Præsunt autem bini inter eos alternis annis: attamen cum de reipublicæ salute deliberandum est, conueniunt omnes, adscitis quibusdam è numero ciuium honoratioribus, velut Senatoribus. Singularia tamen quædam officia peculiariter quibusdam assignantur, vt ædilitium munus, iudicia, promulgatio nouarum legum, multæ, & id genus alia. Omnibus tamen rebus maioris momenti Legatus regius Arcis Stockholmensis interesse solet, cuius maior est quam Consulum potentia: & si de

salute vrbis consultatio sit, reuocant Consiliarii regii, qui sunt ad aulam, causæ cognitionem ad se. Sunt autem Senatores, qui quatuor assident Consulibus, omnino duodecim, qui donec viuunt, non mouentur Senatu, nisi ob delictum aliquod, aut causam aliquam manifestariam dignitate deiiciendi sint.

18 Leges, quibus Sueci communiter vtuntur, antiquæ sunt, quæ suam originem referunt ad S. Ericum regem, à cuius ætate vsque ad nostra tempora iartæ tectæ perstiterunt, exceptis legibus Ecclesiasticis, quibus olim Reimundus Cardinalis, cum hæc Septentrionis loca adisset, vnum adiecit articulum: vt liberi Sacerdotum vel Monachorum eodem haberentur loco, quo ii qui ex adulterio nati sunt.

Non faciunt Leges Sueciæ singularem vsuræ mentionem, quæ locum non habet, nisi cum debitor à multis creditoribus supra modum ad solutionem vrgeatur. Et si quis creditor debitori commodauerit pecuniam sub lege vsuræ aut fœnoris certi, non solum perdit sortem, quam repetere non potest, sed & à magistratu punitur pœna fœneratoribus constituta, nec ipse duntaxat, sed etiam qui talibus contractibus implicantur. Apud ciuitatem tamen Stockholmensem non semper gratuito commodantur pecuniæ, quia vicium vsurarium per mercatores extreneos in eam vrbem inuectum est.

Adulterium in hoc regno capitis supplicio punitur, nec huic crimini venia, si vxoratus cum maritata id committat: hæc enim eo casu mariti arbitrio deditur punienda. Si alter ex delinquentibus matrimonio solutus sit, prima vice in grandem multam pecuniariam damnatur.

Si autem secunda vice conuictus fuerit, caput ei gladio præciditur: & rara admodum extant exempla, huiusmodi homines eo casu euasisse.

Qui alterum perculit, quinque taleros multæ nomine soluit. Si exiguum aliquod membrum corporis abscindat, puta digitum vel auriculam, duplum soluit. Si membrum aliud inutile reddatur, ad plenariam tenetur satisfactionem. Si quis quem in capite aut pectore vulneret, & saucium ante decursum anni mori contingat, percussor homicidii reus habetur.

Si interfecto aliquo homicida præsto non sit, corpus mortuum non mandatur terræ, donec is qui eum iugulauit, supplicio affectus sit, quanquam non raro multæ septimanæ intercedant, antequam reus corripi & puniri queat.

Iudici, qui bis ad cognoscendam causam & ferendam sententiam definitiuam rogatus, id studio distulerit, multa irrogatur, quod Sueci nolint controuersiarum ampliationes fieri, litigantium periculo. Eodem facit, quod antiqua consuetudine partibus litigantibus, neque Aduocati neque procuratores dantur, sed quinis pro se causam agere necesse habet. Si vero in ius ambulet vel vidua, vel pupillus, vel mente captus, aut alioquin rudis ineptusque; agnatus suscepto eius patrocinio litem persequitur: quo si talis persona destituatur, datur ei Tutor auctoritate Senatus, hac lege, vt celeriter & sine mora negotium expediat. Si iusta aliqua causa subsit, cur iudex vel cognitione causæ sibi supersedendum esse, vel à sententiæ pronunciatione abstinendum dicat, à multa eximitur.

De Ministris Fisci, vel Ærarii, vel prouentuum regiorum ita habet. Est quidam, quem Primum Commissarium vocant, qui subscribit decretis de stipendiis eorum, qui eum aliquo sun officio.

Quanquam autem ipse pecunias non tra ctat, ne hæredes eius ad rationes & in ius voca possint: tamen neque stipendium vllum, aut s larium cuiquam persoluitur, nisi ipse subscripse rit signaueritque. Habet hic Commissarius g neralis Quæstorem, qui accipit argentum r gium, illud in Ærarium infert, & rationes de reddit. Hunc sequuntur decem Camerarii v Computorum Magistri, qui in Archiuis se uant indices omnium prouentuum regioru per totum regnum. Solent hi cum Quæsto deliberandi gratia conuenire, si vsus ferat a temporis ratio: in vniuersum tamen omnes tionem acceptorum expensorumque singu annis reddunt Commissario Generali, præsen bus quibusdam Consiliariis regiis. Habet in per quisque Quæstor in sua Prouincia diuer exactores, qui ad eum referunt argentum è v ctigalibus, decimis, cæterisque prouentibus giis, vt in Fiscum inferatur.

RELIGIONIS RATIO PER Sueciam.

Primus qui Lutheri doctrinam in Sueciæ gnum introduxit, fuit Gustauus, quem Ó nes repudiato ob crudelitatem Christierno hannis filio regem elegerant atque diadem cinxerant. Aiunt id factum quorundam sug stionibus, in primis cuiusdam Olai, Petri N cii, & Andreæ Archidiaconi, qui illum spe piscendorum opulentissimorum in regno fa doctorum, adeoque prouentuum Episcopali ad hanc Religionis mutationem pellexerint hoc non omnino vanum fuisse, ostendit ctum, quod is rex paulo post proposuit, in perscriptum erat, non licere Episcopis plus sidere bonorum, quam regi placuisset. Hinc gressus vlterius, præfecit Scholis Publicis pe gnum doctores Lutheranos, vetuitque gr bus constitutis pœnis, ne quis ciuis Suecus ros suos extra regnum studendi gratia abl ret, præterquam Witebergam vel ad alias maniæ Academias, quæ iam dudum Rom catholicam religionem abiecerant. Hinc im uit regnum libris Lutheranorũ, traductis S Bibliis in linguam vernaculam, nec non insti concionandi ad plebem vsitata per Saxo ratione, vt paulatim in regno Catholici abolitus, Lutheri vero dogmata sparsa prop taque fuerint. Quanquam Caluinismus p

tur

ir præualuisse in terris dominiisque subiectis
Carolo III. Gustaui regis filio, Duci Wermelandiæ, Sudermanniæ & Nericiæ. Ericus & ipse Gustaui filius, successorque, errata patris non correxit. Huius frater Iohannes, post Ericum rex, cum diligenter legisset scripta priscorum ecclesiæ doctorum, animum ipse quidem ad catholicismum denuo applicuit, metu tamen patris Caroli & ne seditio ciuilis oriretur, non ausus est publice quid de Religione sentiret, profiteri. Consuetudine tamen vxoris eius Catharinæ, quæ filia erat Sigismundi Poloniæ regis, multas cæremonias atque ritus Romanæ Ecclesiæ recepit: cum obseruaret tempus quadragesimale, diebus veneris abstineret à carnibus, Mysterium Vassenense in vigore suo conseruaret, cultum honoris deferret S. Brigittæ & ossibus Henrici Suecorum regis, quos ope Sacerdotum Catholicorum transtulit in templum Vpsalense. Idem solebat Ministris quandoque exprobrare ignorantiam & errores, cum destructas Ecclesias reædificasset & instaurasset Altare rideum, in quo puer viderat distribui Eucharistia n more Romano. Misit hic diuersos Oratores ad Pontifices Maximos, primum ad Pium deinde ad Gregorium XIII. permisitque Reginæ vxori liberum religionis suæ exercitium, que filium suum Sigismundum, qui nunc Rex Poloniæ, in Romana fide educaret. Obtinuit dem Regina quosdam doctores Iesuitas in os vsus, qui aliquando & populum non sine ctu docuerunt, duntaxat donec viueret Regina, quæ excessit è viuis anno A N.C. MDLXXXII. post cuius mortem è vestigio electi sunt è no Sueciæ, vt nostra memoria pauca ibi sufficient Catholicismi vestigia. Non desunt, qui rolum, Iohannis fratrem, Sigismundi Patrum; qui Sueciæ regnum Sigismundo debiti obtinuit, Caluini dogmata Lutheranismo tuliſſe dicant, perque regnum sparsisse vbique potuit, ita tamen vt vtraque per regnum tro tempore vigeat doctrina.

ENCHVS REGVM SVECIAE.

Longissimum regum Sueciæ Catalogum texohannes Olaus Magnus, quorum vel nomiudire tædiosum fuerit lectori. Nos à notioriincipiemus, facto initio (quod & alii ante obseruauerunt) à Sichtrugo, quem perhibent in Suecia regnasse, longo ante Christum um tempore, cæsumque fuisse à Grano Danum rege qui regnum istud in suam eo facto gerit potestatem, factus rex totius Aquilonis Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ.

Huius filius Hasmundus in regnis Sueciæ & uegiæ successit Patri, habuitque successoVffonem.

ost quem regnauit Hindinus; deinde Hungus.

ost Hundingum præfuit Suecis Regnerus, filius.

ub Hontbrodo Regneri filio Sueciæ reiterum venit sub potestatem Danorum.

Atisla & Hotherus, illius filii recuperauerunt regnum paternum, sub ea conditione, vt certum quotannis penderent tributum. Quod cum Atisla neglexisset, Rolfo Danorum rex, debellato eo Sueciam denuo sibi subiecit. Cæterum Hattuar, natus Suecus, cum in summa apud Rolfonem esset gratia, impetrauit ab eo potissimam Sueciæ partem sub titulo Ducatus, vt solueret & ipse tributum annuum: vtque Rolfo eo vteretur magis deuoto & fideli, iunxit ei sororem suam matrimonio. Postremo Hattuar nactus occasionem, obtruncauit Rolfonem, Dani autem vicissim trucidauerunt Hattuarum. Ibi Hotherus Atislæ frater arripuit possessionem Sueciæ: cumque insuper occupasset Daniæ regnum, eiectus inde fuit armis Balderi.

Hic nos velut interregnum constituemus, cum nihil memorabile à Suecis gestum narrent Annales gentis vsque ad tempora Octauii Augusti, quo imperante Abricum aiunt fuisse Suecorum regem.

Hunc successor Ericus iugulauit, temporibus Seruatoris nostri Iesu Christi.

Haldanus successit Erico patri, & ipse à suis interfectus.

Post quem (Haldanum) regnauit in Suecia Siuardus: quem defunctum excepit Ericus, Frotone Danorum rege & Siuardi filia genitus. Fuit hic Ericus cæsus in prælio quodam, habuitque successorem

Haldanum, qui abiecta liberorum procreandorum cura, hæredem scripsit

Vnguinum, qui moriens Siluado filio suo duo reliquit regna, Daniam & Sueciam.

Regnaldus successit Siluado: post Aluerius, lectus ex proceribus regni, qui Sueciam reliquit Iugoni filio suo natu maximo.

Ingelus, cum post Iugonem regnasset, successorem habuit Rugonem, qui cum puer admodum extinctus fuisset, reliquit regnum Gothario, cæso postmodum à Danis.

Iarmericus post Gotharium rex fuit Daniæ & Sueciæ, secundum quosdam circa Annum A N.C.CCCLXXX.

Hic oportet nos ingenti saltu plurimos transilire reges, quod destituamur bonis veriſque historicis, cum à Iarmerico ad Frotonem deueniendum sit, qui tenuit regnum Sueciæ cum Ludouicus Caroli Magni filius teneret Imperium. Hunc Frotonem à mulieribus cæsum fuisse perhibent in Norwegia.

Sequitur hunc Herotus siue Gerotus: & hunc Sortus; quem cum acie cecidisset Danorum rex Regnerus, dedit Sueciæ regnum Biorno filio suo; qui successorem habuit Wichsertum fratrem.

Regnauit post hunc Ericus, tertius Regneri filius, interfectus à successore suo Ostena. Verum Erici fratres, vlti mortem eius, eiecerunt Ostenam regno, quod deuolutum est ad Stubiornum, Biorni filium.

Ericus Olai filius, Regneri nepos, successorem habuit filium eiusdem nominis. Primum

hunc fuisse perhibent, qui fidem Christi in regno publice suscepit in Baptismatis fonte Iacobus appellatus. Factum id narrant anno Christi millesimo, Imperante Othone.

Esmundus frater spurius Iacobi illius, saltim nomine Christianus.

Stinkelus, rex bonus & Christianismo addictus, regnauit post Esmundum. sustulit hic Idolum, quod adhuc adorabatur in Vpsalensi oppido, mortuusque est anno Salutis MC.

Sequuti sunt hunc duo Erici, qui longo tempore pro Diademate inter se digladiati sunt, eo euentu, vt mutuis inter se corruerint cædibus.

Halstenus Stinkeli filius iis interfectis successit: sed paulo post profligatus est seditione populari, habuitque successorem

Magnum Nicolai Daniæ regis filium. Post quem regnauerunt

Suerco, eius filius Carolus: post hunc Ericus, mortuus anno MCCXLIX.

Birgerium excepit Waldemarus. Hic dum cum aliis Principibus Christianis Terram Sanctam petit, Magnus frater eius arripit regnum, retinuitque donec vixit, habuitque successorem

Birgerium, qui filium suum Magnum in regnum sibi assumsit socium. Hic cum multis à fratribus affectus fuisset molestiis, inuitatos eos ad epulum, satellitibus suis trucidandos obiecit. Quo parricidio ita contra se irritauit Proceres regni, vt eum cum vxore sua eiecerint regno, reuersumque capite truncauerint. post quem constituerunt regem

Magnum Erici filium, cui Erico Birgerius amputari caput iusserat. Hoc pacto coniunctum est Norvegiæ regnum cum Suecia. Obiit Magnus rex anno Salutis MCCCXXVI.

Successit patri Magno eiusdem nominis filius, quo deposito, regnauit

Albertus filius Ducis Megapolitani. Captus hic fuit vna cum filio Erico à Margarita Norvegiæ regina, vxore Hacquini, qui Magni fuerat filius, & detentus fuit in carcere per annos septem. Ad hunc modum mulier illa facta est Regina Norvegiæ, Sueciæ atque Daniæ.

Adoptauerat Margarita in filium Ericum Pomeraniæ Ducē, qui eo pacto factus est rex trium regnorum. Sed postremo hæc omnia deseruit, reuersus in Prussiam ad Germanos suos.

Eius tamen ex sorore nepos, Christophorus, Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux electus fuit rex trium regnorum, omnium Procerum consensu, quo sine liberis defuncto Sueci peculiarem volentes habere regem, qui in regno natus esset, elegerunt

Carolum Canutum, quanquam genere ortus esset non admodum nobili. Hic cum iam prope per septennium regnauisset, intellexit se ferme omnibus exosum esse. Collectis igitur regni thesauris, inq; loco securo depositis, conscendit nauim petensque Prussiam nauigauit Dantiscum. Ibi Ordines regni vocauerunt ad Diadema Christiernum. Erat iam ante Christiernus iste electus rex Daniæ & Norvegiæ: factumque ita est, vt denuo tria illa regna coalescerent. Huic Christiemo Sueci longum & difficile mouerunt bellum, quod non staret pactis, quæ pollicitus fuerat cum in regem reciperetur, gliscebatque bellum istud potissimum anno MCDLXIX. Postremo coactus est tota cedere Suecia, in qua duas duntaxat reliquas habebat arces. His ita inter se digladiantibus Carolum Canutum mori contigit.

At Iohannes Christierni filius, cum diuturno bello afflixisset Sueciam, denuo redegit id regnum in suam potestatem. Cum vero se id non posse retinere videret, discessit clanculum. Verum filius eius

Christiernus, princeps magni animi, continuauit bellum contra Suecos, ve ut id hæreditate à patre accepisset, conatus vi & armis re Sueciæ fieri. Cum autem videret eos valide ad modum suis resistere armis, omissa vi, astute c iis agendum censuit. Separandos igitur Procere Ordinesque, interque eos spargenda discordia rum semina videns, bona opera vsus est cuiu dam Gustaui, qui se vocabat Archiepiscopur Vpsalensem. Hic enim circa annum A N.C.MI XVII. cum plures in suas pertraxisset partes persuasit eis postremo, vt statuerent Christiern regnum in manus tradere. Tandem post aliquo annorum militiam Gustauus exutus est Archi episcopatu suo; at Christiernus, magno cum ex ercitu Sueciam ingressus, cum inferior fuisse aliquot præliis, pactus est cum Suecis inducia excessitque regno. Sed paulo post reuersus cu copiis, obsidione cinxit vrbem Stockholmen sem, regni caput: cumque ciues ad deditionem coegisset, admissus, crudeliter sæuiit in omne trucidato senatu vniuerso cum potissima par populi.

Euaserat fuga ex Dania Gustauus (diuersu ab isto Vpsalensi) quo eum cum cæteris obl dibus, quos à Stockholmensibus per vafritie impetrauerat, deduxerat Christiernus. Hic cu in Sueciam delatus fuisset, professus est, fore Protectorem patriæ: & post quadriennii be lum, sumto habitu pauperis & egeni homini circumiens per oppida, ostendit populo infel citatem suam. Postremo, cum Danos regu fortiter eiecisset, fuit coronatus rex Sueciæ.

Huic successit Ericus filius. Cumque pessim modis haberet Suecos, ob malam administr tionem regni à ciuibus captus, mortuus est custodia.

Post quem regnauit Iohannes frater, Pri ceps litteratus & valde ingeniosus.

Successorem hic habuit Sigismundum filiu quanquam regno diu frui non potuerit. Hu enim cum Poloni sibi regem postulassent, Car lus Patruus eius Suecos in absentem irritauit, omisso Sigismundo, quem ob Romano Cath licam Religionem cæteroquin non amaban Carolum Sudermanniæ & Wermelandiæ D cem regem eligerent, qui & ad finem vsque vi Diadema istud retinuit. Quæ res grauissima i ter Polonos & Suecos excitauit bella; quib

cu

cum vtrique exhausti defessique fuissent, conuenit inter eos, vt induciæ in aliquod tempus fierent. Quibus cum suus iam appropinquaret terminus conuenere tam Poloniæ regis quam Sueciæ Legati in confiniis Sueciæ & Liuoniæ, easque produxere ad vltimum vsque diem Martii anni A N. C. M DC XXV. his conditionibus.

I. Induciæ inter vtrosque reges pactæ vsque ad diem præfixum sancte seruantor, ab vtrisque populis.

II. His induciis finitis, si quis alteri bellum facere velit, illud duobus mensibus ante primum Iunii diem per Fecialem de more denuntiato.

III. Bellum, etiamsi prius & adhuc durantibus induciis indicatur, Inducias tamen pactas ante terminum constitutum neuter rumpito.

IV. Intra quod tempus, si bellum neuter denunciet, induciæ vsq; in primum diem sequentis anni MDCXXVI. extenduntor.

V. Quæ quisque possidet à primo inducias im die, retineto: omnia dum cessatur ab armis, in eo quo nunc sunt statu, permanento.

VI. Neuter durantibus inducis neque vi nec dolo aut clancularijs consilijs alterius possessionibus inhiato, aut alterius subditos in suum obsequium pertrahito, multo minus bello inuadito.

VII. Commercia & negociationes, viæ, itinera, Suecis omnibus libera sunto, per totam Poloniam, Lituaniam, Liuoniam, Curlandiam, tam mari quam terra, citra metum noxæ aut impedimenti.

VIII. Si quis aliquem ex Polonis siue Suecis iniuria affecerit, aut damnum dederit, nulli priuato se ipsum vindicandi aut vlciscendi fas esto, sed pars læsa conqueratur apud lædentis competentem iudicem, qui iustitiam administrato, seuera animaduersione.

IX. Captiui, qui adhuc ab vna & altera parte detinentur, vterque libertati restituito, sine lytro aut pretio vllo.

Carolo Regi mortuo successit filius Gustauus Adolfus. Hoc rege recruduit bellum inter Polonos atque Suecos, eo quidem euentu, vt Sueciæ rex non contentus vniuersam occupasse Liuoniam cum capite prouinciæ Rigâ, etiam Prussiam Regiam ac Episcopalem inuaserit, eiusque maiorem partem felici cum successu sibi subiecerit, cum hoc scriberemus, quod fuit ad annum à nato Seruatore nostro MDC XXVII.

DE PROVINCIIS MAGNI DVCIS, SIVE, VT VOCANT, IMPERATORIS MOSCOVIÆ.

SVMMA CAPITA.

Ambitus & limites Magni Ducatus Moscouiæ.

Sub quo Parallelo & Climate ingens hoc terræ spacium situm sit.

Descriptio prouinciarum eius. Moscua Caput Ducatus Moscouiæ.

De Ducatu Voldomirienſi.

De Ducatu inferioris Nouogardiæ.

De Prouincia Rhezam eiusque oppidis.

De prouincia & oppido Smolensko.

De regione Mosaiski, eius longitudo & latitudo, & quis eam Polonis ademerit.

De Ducatu Roschouienſi.

Regio Tuuerenſis, & vrbs Tuuerda magnæ celebritatis.

Prouincia Plescouienſis, quousque extendatur. Caput eius Plescouia Vrbs.

De Magna Nouogardia.

Regio Volsca & eius situs.

Prouincia Biolyserenſis, Vologdenſis, Iaroslauehenſis.

De Prouincia Duuinenſi.

Susdalia & Viatca Tartaris erepta.

Permiæ, Petzora, Iugatia, Obdora, aliæque regiones Moschis subiectæ.

Sterilitas regionis, si consideres ingentia terrarum spacia. Ingens in ea animalium numerus, Alces, boues, Vrsi, cerui, lupi, lepores, apes, cum abundantia mellis, lini, cannabis. Aer salubris.

19 *Celebriores huius prouinciæ fluuii & lacus. Fontes Borysthenis nostro æuo detecti, veteribus ignoti.*

20 *Particularis consideratio fertilitatis vel sterilitatis vniuscuiusque prouinciæ. Montes Riphæi siue Hyperborei admirandæ altitudinis.*

21 *Mirus mos veterum Moschorum in eligendis principibus suis: quomodo tractare soliti fuerint mulieres suas.*

22 *Corpora eorum temperamenti valde robusti, eorum saga & alia vestimentorum genera: arma: modus in ipsa fuga pugnandi. cibi & potus ratio vsitata: Barbaries, perfidia, vafrities gentis, Stupra apud Moscos frequentissima, Iustitia venalis.*

23 *Descriptio exactior morum atque consuetudinum cuiusque regionis.*

24 *Opes eorum præcipuæ in coriis Alcium, Ceruorum, Vrsorum, nec non pellibus luporum, viuerrarum, & muris Pontici: vt & in copia lini, cannabis, melle & cera.*

25 *Diuitiæ Principis, & qui sint potissimi eius prouentus.*

26 *Narratio digna notatu, quam magnifice habuerit Magnus Moscouiæ Dux Legatum Imperatoris Romani.*

27 *Potissima Moscouitarum castra atque propugnacula intra paludes & fluuios: Munimenta eorum è ligno incredibilis crassitiei, vnde difficulter expugnari possunt.*

28 *Magnus equitum in hoc regno numerus, vt putetur in bellum educere posse CCC. millia equitum.*

29 *Quosnam potentes hostes vicinos habeat: & primo quidem de Principe Tartarorum Pracopensium.*

30 *De duobus ei vicinis regibus, Polono & Sueco.*

31 *De summa & absoluta auctoritate & potestate Magni Ducis inter suos, & quibus potissimum mediis illam tueatur.*

32 *Quo tempore in has terras Christiana Religio introducta fuerit, & quibus vtantur ceremoniis in celebratione Missæ.*

33 *De circumcisione & cultus ratione mortuorum, qui viuunt secundum leges simplices naturæ.*

QVanquam hic Princeps, de cuius terris amplissimis potentiaque maxima dicturi sumus, diuisum habeat Imperium, cum partim in Europa partim in Asia longe lateque dominetur: inter Europæos tamen Monarchas eum computare voluimus, quia potissima pars potentiæ eius, ipsaque adeo proprie sic dicta Moscouia intra Europæ limites continetur, si diuisionem neotericorum sequimur, qui eam non tantum Tanai, sed versus septentrionem prægrandi fluuio Oby & prouincia Obdora terminant: & quia Principes isti cum plerisque suis populis iam à multis annis Christianam religionem profitentur, etsi nonnihil diuerso à cæteris Europæis ritu atque ratione.

Primum igitur, vt de nomine eius aliquid dicamus, nouimus eorum principum, quos communi modo loquendi DVCES appellamus, terras angustis plerumque limitibus circumscribi, quâuis tamen per Germaniam Italiamq; potentiores quosdam quam alibi sit inuenire. At hic Princeps, de quo dicere fert animus, etiamsi Dux, vel addito magnitudinis nomine vocetur, sciendum tamen est, illum non minus terrarum gentiumq; possidere, quam quemuis etiam maximorum regum. Quin imo non erimus absurdi, si dixerimus, huius potentiam, siue multitudinem populorum, siue amplitudinem vastitatemque prouinciarum spectes, multorum potentissimorum regum longe superare regna atq; imperia. Vnde ii, quibus satis perspecta est magnitudo terrarum quibus dominatur, ipsum non Ducem, sed Imperatorem, Cæsarem, vel sua lingua Czár appellant, eique tantum deferunt honoris & obsequii, quantum vix vlli regi in vniuerso terrarum orbe ab suis habetur. Neque profecto aliter est; si quis exactius considerare velit, quantum imperium eius terrarum complectatur, fatebitur longe augustius ipsi quam Ducis competere nomen atque titulum, quanquam nomen regium Moscouitis extreme exosum sit.

1 Sed nos his omissis, videamus iam, quibus dominatus eius comprehendatur limitibus, ex quibus patebit, sitne tam potens vti iam ante diximus.

Sciendum igitur, Imperium Moscouiticum nostro æuo totam occupare Russiam, excepta ea parte, quæ ad Poloniam Lituaniamque spectat, quæ tamen etiam appellatione Russiæ censetur. Siue igitur Russiam in Europa siue in Asia collocemus, habebit à septentrione Mare glaciale: ab Oriente Tartaros; à meridie Turcas & Lituanos; ab Occidente Liuoniam Sueciamque cum parte Finnorum. Deducunt autem omnes hæ regiones appellationem istam à regione quâdam in medio Russiæ Albæ, quæ in septentrionem & Orientem vergit, & sigillatim MOSCOVIA vocatur.

Notandum autem illam Russiæ partem, quæ Magno Duci Moscouiæ paret appellari Russiam Albam: eam vero quæ Regis Polonii agnoscit dominium, vocari Nigram, quamuis Polonus etiam partem aliquam Albæ Russiæ possideat. Situs est autem prægrandis hic principatus intra decimum nonum Parallelum, ad quinquaginta duos gradus latitudinis siue eleuationis Poli, & quadragesimum tertium Parallelum qui est ad sexagesimum sextum gradum ab Æquatore; vel, vt aliter sententiam nostram explicemus; est intra medium octaui climatis & medium vigesimi, comprehenditurque intra Tropicum Cancri & Circulum Arcticum: vnde si vt magna mutatio ibi obseruetur ratione longitudinis dierum per æstatem. Nam ad parallelum Meridionaliorem longissima dies est horarum xvi. cum dimidia; at iuxta Parallelum Septentrionaliorem eiusdem imperii longissima dies est viginti duarum horarum cum dimidia, quares satis ostendit ingens spacium, quod inter hos & illos limites intercedit. Si enim vnumquemque gradum computes per triginta Leucas Gallicas siue milliaria Germanica xv. inuenies ducta linea à finibus meridionalibus ad septemtrionales, Leucas CCCCXX. si vero ab occasu in ortum meridiei dimidio minus.

Si vero cum Italis loqui velimus, dicemus Status iste habet in longitudine ter mille milliaria, in latitudine mille quingenta.

Sola enim prouincia, quæ peculiariter Moscouia dicitur continet ab Ortu ad Occasum circiter sexcentas Leucas: estque in ea ciuitas regia siue caput huius imperii, quæ dicitur Moskua vel Moskel, ab amne qui non procul inde fluit. Arx siue regia Magni Ducis est in medio huius vastissimæ vrbis, inter amnes Moskam & Neglinnam, qui duo confluunt sub ipsius Arcis moenibus: cuius quidem Arcis tanta est amplitudo & capacitas, vt vel sola mediocris ciuitatis moenia mereri possit. Munita est turribus xvii. propugnaculis vero tribus. Solet hic potissimam partem commorari Magnus Dux, cum comitatu circiter viginti quinque millium hominum. Ipsa ciuitas neque fossa neque bono muro, vel aliis defensaculis tuta est, domus etiam priuatorum in ea prope omnes sunt ligneæ; area tamen est, & supra modum lutulenta. Putantur in ea esse habitationes quadragies septem mille & quingentæ. Sunt in ipsa vrbe interdum multæ ædes splendidiores, sed dispersæ atque raræ, velut insulæ in magnis areis atque

iosis campis. Longissima dies in hac est quasi oratum XVIII.

Ducatus Voldomiriensis, vel Vlodimirensis omen trahit à magna vrbe in eo, in qua carum amplum, sed è materia lignea. Distat hæc b Vrbe Moscua versus orientale latus circiter XXVI. milliaribus Polonicis.

Hunc sequitur Ducatus inferioris Nouogardiæ, vbi pariter visitur vrbs eiusdem nominis, & sa lignea, dissita à Moscua milliaribus Poloniis C.

Prouincia Rhezanensis sita est inter fluuios Oquam & Tanaim, quam Magnus Dux inter tilos suos adscribere solet. Haud longe abest Ducatus Voritinius & prouincia Seuerensis val. e spacioſa: multa hæc complectitur oppida, in uibus præcipui nominis sunt Starodub, Petiula, & Czerniga.

Prouincia Smolenskana extenditur iuxta Bosthenem fluuium, qui hodie Neper dicitur. Epuit hanc olim Polonis Basilius Magnus Dux Moscouiæ. Præcipua in ea ciuitas dicitur Smonska, ampla atq; spacioſa valde, distans ab Vre Moſqua circiter octoginta milliaribus Polocis.

Regio quæ Mosaiski vocatur in longitudine bet ad CCCL. milliaria Italica, & totidẽ prope latitudine. Et hanc ademit Iohannes Moscom Princeps Basilii in regno anteceſſor, Alendro Polonorum Regi. Bielskia similiter est rouincia magnæ Russiæ, habens oppidum Biedictum, cum castro eiusdem nominis supra uium Opskam. Abest hic locus à Moſqua seginta milliaribus Germanicis, & à Smolenska XXVI.

Ducatus Roscouiensis ab oppido eiusdem minis dicitur, in quo arx est lignea distans à osqua: qua versus Occidentem itur, milliaris XXIII. Ipsum oppidum situm est supra mi nominis fluuium, qui Volga dicitur.

Tueria siue Regio Tuerensis est ex manis prouinciis totius Russiæ. Vrbem habet ueram quæ amplitudine non multum cedit oſquæ, quam magnificentia superat, à qua abmilliaribus XXXVI.

Prouincia Plescouiensis extenditur ad CCC. illiaria Italica, estque tertia sui parte longior am latior. Caput regionis est Plescouia vrbs, gna potensque, muris cincta, quibus fere oes cæteræ per Moscouiam destituuntur.

Nouogardiæ magnæ Ducatus ampliſſimus totius Russiæ, adeptus nomen suum à vastiſa & opulentiſſima vrbe Nouogardia, quæ enctior est omnibus septentrionalibus, quam maxima pars ædium priuatarum in ea è lio sit. Distat à mari Baltico ad milliaria CC. à oſqua vero C. à Plescouia XXXVI, à Iohangrodo XL.

Volskia regio intra Occidentem & Septenonem sita, habet ad manum sinistram Castelm Iuannogrodum. Carelia distat à NouogarLX. milliaribus Polonicis, qua itur in Aquiem, extenditurque vsque ad mare Glaciale. Longissima ibi per æstatem dies est horarum XXII. cum dimidia, quo toto temporis spacio Sol lucet, vt tunc prope nox vel obscuritas nulla obseruetur.

Bielesiorensis prouincia ab Vrbe eiusdem nominis ita dicitur, traxitque appellationem istam ab Albo Lacu, in cuius sita est ripa. Est in ea castrum quod ratione situs iudicatur inexpugnabile. Solet in id Magnus Moscouiæ Dux suos velut in Asylum deponere Thesauros, quoties tempore belli ab hostibus premitur. Distat centum milliaribus Germanicis tam à Mosca, quam à Nouogardia Magna. Alia ab hac est prouincia Vologda, in qua arx est munitiſſima, in quam nonnunquam thesaurorum suorum partem transfert Magnus Dux, in necessitate cõstitutus. 14

Ducatus Iaroslauiensis cum vrbe & castro eiusdem nominis supra Volgam fluuium porrigitur. Distat Vrbs ista à Moſqua milliaribus XLVI. Ponitur etiam principatus Rostunensis post Nouogardiam à quibusdam.

Prouincia Duuinensis nomen accipit à fluuio quo perluitur, quanquam à iurisdictione Nouogardiensi dependeat. Porro ipse fluuius nomen accepit à confluxu duorum amnium, quorum alteri Iuchæ, alteri Suchauæ nomen est. Dvvina enim Ruthenorum lingua duo significat. Quanquam autem regio illa centum milliaria habet in latitudine, oppida tamen atq; arces non habet præter Castrum Comogorense & Pineguense, cum ipso oppido Duuina, quod fere vmbilicum prouinciæ obtinet. Villas pagosque multas habet, longis tamen terrarum spaciis ab inuicem dissitos, cuius rei causa est sterilitas terræ. Cum Sol Tropicum Cancri attigit, quod fit solstitio æstiuo, dies est horarum XXI. & dimidiæ, ita vt initium noctis mox Aurora excipiat. At circa Brumam siue solstitium hybernum dies est non nisi duarum horarum cum dimidia. 15

Huc etiam collocatur prouincia Suſdalensis cum oppido & arce eiusdem nominis, nempe inter Rostuniam & Volodimiriam. Habet oppidum Susdali sedem Episcopalem, fuitque aliquando elegans & populosum: sed nostro æuo prope desertum visitur, ob continuas Tartarorum incursiones. Prouincia Viatcana cis Cammum amnem distat à Moſqua Vrbe milliaribus quasi quinquaginta. Parebat hæc olim Tartaris, verum Basilius Magnus Dux armis occupatam Moscouiæ regno adiunxit. 16

Permia prouincia est ampliſſima, distans CC L. milliaribus à Moſqua, habetq; oppidum vnũ eiusdem nominis super Vistoram fluuium. Longissima hic per æstatem dies est horarum XVIII. Regio quæ Iugra dicitur siue Iuhra attingit littora Oceani septentrionalis, putanturque hinc orti Hungari, atque inde profecti in Pannoniam, quam de suo nomine Hungariam appellauere. Prouincia Petzorensis longiſſimo spacio versus Orientem excurrit & Septentrionem vsque ad mare glaciale. Qui eam incolunt, longissimum diem habent horarum XXII. 17

Habent Magni Moscouitarum Duces etiam sub

sub suo imperio Czeremisses, qui sunt infra Nouogardiam; nec minus Mordues populos iuxta Volgam fluuium infra Nouogardiam inferiorē: iuntq; præter omnes eas quas cōmemorauimus terras prouinciasque, adhuc aliæ versus Aquilonem, quæ huius Principis agnoscunt imperium, vt Obdora, Condora, Culomoria, Lappiæque pars, nec non quædam Hordæ Tartarorum, cuiusmodi est Horda Cassanensis, Hordæ Nahaicenses, Astracanensis, Citracanensis, aliæque.

Qualitas & ingenium terræ.

18 In vniuersum considerantes terram Russiam, dicemus eam esse palustrem, vliginosam, humidam, parumque fertilem: nam & aspera aeris ibi est temperies & campi fere sabulo obtecti, vnde agri fœcundi esse non possunt. Hinc fit vt fruges alicubi raro matureſcant, & necesse sit frumenti manipulos in hypocaustis exsiccare: sa is tamen habent incolæ siliginis atque graminis olerumque. Tota Moscouia neque vitem neque oleam neq; paulo suauioris pomi arborem frugiferam, præter cerasa & auellanas procreat, quę tamen ipsa gustus sunt acerbioris. Altiora regionis plena sunt frequentibus densisque nemoribus, quę putantur partes vel propagines esse magnæ illius syluæ Hercyniæ, in quibus sunt arbores admirandæ crassitiei & proceritatis.

Animalium ferarumque mira hic varietas & multitudo: nam inueniuntur Alces, Vri, Bisontes, cerui, lupi, & magna copia leporum. Oues in Russia multo sunt minores quam in Germania & Anglia. Armenta gregesq; hic maximam partem visuntur destituta cornibus. Melle adeo abundat, vt in vastis syluis, in specubus & excauatis arboribus aliquando ingentes mellis massæ reperiantur, & homines feraq; in illos mellis lacus improuide delapsi, ibi immersi tāquam muscæ in melle hæreant & periclitentur, quod ex narratione Pauli Iouii, quam apponemus, patebit. Is refert Demetrium quendam Romam Legatum narrare solitum cum multo omnium risu: Agricolam quendam quærendi mellis causa in prægrandem cauam arborem desiliisse, atque profundo mellis gurgite pectore tenus fuisse haustum, ac biduo vitam solo melle sustentasse, cum vox opem implorantis in ea syluarum solitudine ad viatorum aures penetrare nequiuisset. Ad extremum vero, desperata salute, admirabili casu ingentis Vrsæ beneficio inde extractum euasisse, cum forte eius belluæ ad edenda mella more humano se demittentis, pedes manibus firmiter apprehendisset, & eam subito timore exterritam ad resiliendum cum tractu ipso tum multo clamore coegisset.

Agricola ursæ beneficio ex profundo mellis gurgite cauæ arboris extractus?

Lini & Cannabis regio fertilissima est, quæ faciendis funibus materia aptissima in varias Europæ partes exportatur. Nulla Auri Argentive, vel ignobilioris Metalli, Ferro excepto, apud eos vena sectuaque reperitur. Herbis palcuisque hic omnia plena, vnde tanta armentorum gregumque abundantia, & summa carnium vilitas.

Aere porro Moscouia fruitur adeo puro & salubri, vt instar portenti sit, audire ibi aliquid de peste, etsi morbum haud dissimilem habeant, quem *Calorem* vocant, qui intestina & caput adeo infestat, vt paucis diebus pereant. Accidit quandoque, vt humus ibi rimas agat atque dehiscat immani vi frigoris, haud secus vt apud nos fit per æstatem, cum nimis diuturno Solis calore exsiccatur. Neque tamen putandum est quod nunquam ibi intense calescat, cum Sigismundus Herberstenius scriptum reliquerit, anno A.N.C.M.D.XXV. adeo torridam in iis locis fuisse æstatem, vt fruges in agris & arbores in syluis correpto igne sponte arserint.

Magnus insuper hic amnium fluuiorumqu numerus, inter quos multi satis celebres (nh tam ob amplitudinem quam commodum nau gandi & vberem capturam piscium. Præcipu qui partim in illis terris oriuntur, partim per ea labuntur hi sunt. Borysthenes, vulgo Nieper Nester, cuius Fons veteribus, inprimis Herodo to ignotus fuit, nobis vero probe cognitus, gn ris, quod non longe à Nieperca pago Moscou oriatur, & è nemore Vulconskio profluat. Cu rit hic fluuius versus meridiem, alluitque pri oppidum Smolenscam, deinde Kioviam cu nonnullis aliis oppidis, exhaustisque multis mnibus minoribus, tumidus aquis Pontum E xinum irrumpit. Sequitur hunc qui Ptolema Turuntus est, Baroni Herberstenio Rubo, inc lis Dvvina. Oritur hic ex lacu quodam non pr cul à fonte Borysthenis, in eadem sylua. Te tium locum sibi vendicat Rha, siue Volga, q & Edil, fluuius prægrandis, oritur ex lacu c gnomine, distante viginti quinque milliarib ab Vrbe Moscua, qua itur versus Lithuania Tanais, quem accolæ Don appellant, non pr silit è Riphæis montibus, vt quidam existima runt, sed ex magno lacu stagnantis aquæ, in de so nemore, haud procul à Tullo fluuio. Hic T nais egrediens Moscouia, confecto itinere n breui, flectitur in meridiem, facitque Mæo dem paludem, quæ hodie sub nomine Temer dæ notior est. Est autem amnis valde piscosus, pas habens amœnas, herbis & arboribus fruc feris vndique consitas, radices insuper præbo palato admodum gratas. Narrat Herberstein Baro, fluuium istum per autumnum adeo exc scere, vt sufficiat portandis etiam maximis nā bus onerariis. Occæ fluuii caput est in Prouin Miscenekensi. hic facit fertile ac lætum qu quid tetrarum aquis suis contingit, putatur plus alere piscium quam vllus per vniuer Russiam.

Lacus etiam multos magnosque habet M scouia. præter enim Volgam & Duinam lac vnde magna illa oriuntur flumina, spectatu gnus est lacus, quem Rutheni Ilmen nomin supra Nouogardiam magnam, cuius lacus l gitudinem metiuntur milliaribus German XII. latitudinem VIII.

Vt autem pressius exactiusque considerer singularum prouinciarum fœcunditatem sterilitatem: satis constat, prouinciam Volod

rien

rienſem tam lætum & fertile habere ſolum, vt vnus modius farris in agrum proiectus, ſæpe viginti gignat, aliquando etiam viginti quinque. Rhezanenſis tamen ager multo putatur fertilior, quam vllus per totum imperium Moſcouiticum, cum ſingula fere grana binas ſpicas ferant, aliquando tres vel plures: aiuntque culmos tam denſos ibi ſtare, vt difficile ſit equiti per eos expedite currere, quin & coturnices in ſegetes delatas non niſi magno conamine & difficultate ſurſum euolare poſſe. Melle, vt diximus, vniuerſa Ruſſia abundat, vt & piſcibus, auibus, ſimilibuſque cupediis. ſunt inſuper in hac prouincia fructus arborum meliores quam alibi per Moſcouiam; ſuppeditat præterea precioſas pelles Caſtorum muriumque Ponticorum.

Seueria Ducatus eſt ingens & rebus omnibus affluens, quanquam etiam vaſtos habeat & deſertos campos, cum ſylua iuxta Branquin, incompertæ longitudinis, in qua ingens vis illorum animalculorum, quorum pelles in ſumma ſunt æſtimatione, & vulgo Herminæ atque Zibellinæ appellantur.

In Ducatu Smolensko nemorum denſiſſimarumque ſyluarum prope non eſt numerus, quæ incredibilem vim precioſarum pellium suppeditant. Mirum eſt quod de prouincia Volsuenſi referunt. Narrant enim certa fide, omnia animalia, cuiuſcunque pili ſint ſiue coloris, ſi in eam importentur, & aliquandiu ibi nutriantur, mutare pelle alba. Prouincia Bieleſiorenſis tota plena eſt ſyluis ac nemoribus paludibusque ac ſtagnis. Vſtingenſis parum fert frumenti, plurium autem habet carnium & piſcium.

In omnibus his ingens eſt multitudo auium variorum, vnde neceſſe eſt pulcherrimarum pellium hic magnam inueniri copiam, ſi Moſchos Martes excipias, qui hic neque adeo pulchri ſunt, neque nimis frequentes.

Regio Roſtouenſis agros habet ſatis fertiles, undans inſuper ſale & piſcibus.

Duuinenſis fere ſterilis cum ſit, ingratitudinem ſoli vbertate piſcium compenſat, animalique terreſtrium. In locis maritimis huius regionis permulti ſubinde viſuntur Vrſi albi, qui ſum mare crebro ingrediuntur, diuturnasque moras trahunt, vt incolæ narrant. Viatca ſteriſ eſt & infinitis paludibus inuia, diues tamen ille, piſcibus, & feris omnis generis. Permia fruincia frumenti gignendi iners, ceruorum rumque animalium fœcunda mater, vnde ra ibi ferinæ vilitas.

Petzorenſis Principatus editiſſimis montibus ac prælatis rupibus aſperatur, quibus veteres Riphæorum montium nomen impoſuerunt ue Hyperboreorum, in quibus æternæ niues gia obtinent. Aiunt quoſdam eſſe tantæ altitudinis, vt quidam confecto x. dierum itinere ad montes tamen eniti non potuerint. Parum hic creſcit farris, armentorum vero gregumque felix paſtura & copia incredibilis.

MORES ANTIQVORVM MOſchorum.

Qui ante multos annos Moſquam Vrbem inhabitauerunt, mira vſi fuerunt conſuetudine, quam ſucceſſio Principum in vniuerſum abolevit. Stabat in medio foro ſaxum quadratũ, quod ſi quis conſcendiſſet, ea firmitate, vt deiici non poſſet, dominium Vrbis ſibi acquirebat. Multi ſunt, qui memoriæ prodiderunt, vxores Moſcouitarum plorare ac triſtitia affici ſolitas, deq; maritis conqueri, niſi ſæpius ab his percuterentur, id obſoleti veteris amoris ſignum interpretantes, quod eos non affici circum ſe Zelotypia arbitrarentur. Fecit hæc ſtoliditas, vt ii, quibus vxores præ cæteris cordi erant, vel inuiti cogerentur, vt eas bis terue ſingulis ſeptimanis verberarent, ne eas parum curare viderentur aut diligere. 21

Moſcouitarum mulieres amoris cauſa verberari cupiunt.

Ita res iſta, quæ apud alias gentes diſcordiarum ſemper, aliquando diuortii cauſa exiſtit, apud Moſchos amoris pignus eſt, firmiuſque ligat matrimonium.

Mores eorum noſtri temporis.

Sunt Moſcouitæ maxima ex parte corporibus validis & robuſtis, membris inſuper agilibus celeres. Statura quidem mediocri, lati tamen ab humeris, compactique. Solent nutrire barbam, geſtantque tunicas longiuſculas, ſimplices fere & ſine rugis, quas ad talos vſque demittunt, manicis inſtructas anguſtis, vt Hungarorum prope eſt veſtiendi ratio. Colore maxime delectantur vel albo vel cæruleo aut cyaneo. Ocreis fere calceantur rubris, quæ non adſcendunt vſque ad genua, ſolea ſub calcaneo eſt eleuatior, & inducto ferro munita velut vngula equina. Hoc ipſis laudi merito datur, quod quiſque veſtitur pro modo facultatum & ordinis conditionisq; ſuæ: habent enim leges veſtiarias, à Magno Duce latas, quas violare capitale eſt. 22

Arma eorum hæc fere ſunt. Pharetra plena ſagittas, arcus, ſecuris, haſtile, culter longior, gladius incuruus, cæſtus plumbo conſutus, cuiuſmodi veteres Græci in vſu habuerunt. Pedites in militia ferunt lanceas, muniti corpus thorace ferreo, ferentes etiam capitibus caſſides galeasve ferreas. Vtuntur equis fere caſtratis ſiue Cantheriis, paruis iis quidem & leuiter inſtratis. equitant fere vt Mauri & Arabes, euitantq; ictus corporis inclinatione, etiam cum fugiunt, mira agilitate. Vbi ſemel fugere cæperunt, non habent quicquam ſpei præterquam in fuga, deprehenſi autem ab inſequente hoſte, nullo modo ſe defendunt. Capti in bello, nunquam auditi ſunt vel precibus vel precio cum hoſte pro vita & libertate paciſci.

Communis eorum vita ſatis miſera eſt tenuisque, cum vſitatus eorum potus ſit aqua, aliquando cereuiſia aut Hydromeli, neque licet iis ad ebrietatem bibere, niſi bis terue in anno. Viuunt inſuper calamitoſam vitam planeque ſeruilem, oppreſſi duriſſima ſeruitute: quin ipſi Nobiles quoque & Illuſtribus nati familiis inſtar ſeruorum

uorum addicti sunt Magno Duci, qui eos non alio quam mancipiorum habet loco: rursum plebeii ad eundem modum habentur à Nobilibus. Mirum est gentis ingenium & velut naturæ morbus, quod ad dicenda inuicem conuicia toti procliues sunt, & ad litigia proni, vt se muto accusent, inque ius vocent, multoties ob res leuissimas nullìusque precii. Vtuntur & hac, nescio vafritie dicam an malitia, vt res suas secrero in alterius domum inferant, vt facta perquisitione, furti eum accusare possint, apud quem res amissa reperta fuit. Adeo vulgo sunt barbari & perfidi, vt frustra vllum mentis candorem aut ingenuitatem apud illos quæsiueris: ingenio insuper tam malo leuique, vt amicitiam nunquam vel sincere colant vel diu conseruent: neque vero maiore fide in pactis conuentisque agunt, aut vnquam promissa præstant, neque affinitatum aut consanguinitatis rationem vllam habent. Versipelles, astuti, deceptores maximi, præsertim in vendendo & emendo, vbi ridentes fallere fidem solent & circumuenire eos quibus cum vllo pacto contraxerunt. Est autem hoc animi vicium adeo frequens & velut natiuum inter eos, vt ipsi, quoties cum exteris negociantur, se non esse Moscouitas fingant. Iustitia apud eos venalis est, vincitque in iudicio is qui plurimum, velut in auctione, dedit pecuniæ: nec hoc clam fit, aut vllo cum rubore: nec vlla spes est pauperi, vt vnquam in conspectum Principis admittatur: magnæ difficultatis res est, ad Consiliarios impetrare aditum. Quid quod egenis ignotisque ne ad Nobiles quidem aut maioris auctoritatis viros datur, nisi difficilime accessus? Qui Illustribus Nobilibusque nati sunt familiis, raro prodeunt in publicum, ne conspecti crebrius à plebe, parum tueantur suam auctoritatem.

insignis malitia furti accusationis

Mulieres eorum fere exornantur margaritis & gemmis frequentibus, vt & pretiosos vniones ab auriculis dependentes gestent. Quæ defuncto marito ad secunda transiuit vota, in castitatis famæque periculum non incurrit. At si tertio nubat, impudica habetur: & eadem de viris quoque est opinio. Duobus præ cæteris viciis hæc gens dedita est, scortationi & ebrietati. Circa ægros inualidosque admodum sunt curiosi. Cum olim monetam ignorarent, nostro æuo argento auroque signato vtuntur. Lingua eorum Sclauonica est, ita tamen aliarum linguarum commixtione variato idiomate, vt à Dalmatis Illyriisque intelligi vix possit.

Non licet Moschis, edicto Magni Ducis prohibitis, extra imperii illius exire limites, vnde fit, vt vulgus ignarum quid alibi agatur, totum Orbem Moscouiæ finibus includi opinetur, nec vllum reperiri in mundo Principem, qui cum eorum Czar siue Knez opibus & potentia comparari possit: hinc fit vt non tantum feri sint barbarique, sed & arrogantes ac superbissimi. Eadem feritate ac rusticitate fit, vt nec Medicos habeant nec Pharmacopœos.

23 Vt autem de certarum quarundam Prouinciarum incolis aliquid magis speciatim enarremus: ii qui prouinciam Rhezanensem incolunt, iudicantur animosiores esse cæteris, & velut ad bella nati. Seueriani & ipsi in pugna magno ac præsenti sunt animo, exercitati insuper, ob continua cum vicinis Tartaris bella. Noupgardienses olim habiti sunt elegantes & commodis ciuilibusque moribus: sed nostro tempore frequenti cum Moscouitis conuersatione multum ab illis virtutibus deperdidere. Volsquenses peculiari vtuntur idiomate, quod fere idem est cum veterum Prutenorum lingua. Permienses in tanta frumenti inopia rarissime vtuntur pane, vescentes fere semper ferina & aliorum animalium carne.

Loquuntur hi aliam quam Rutheni linguam, aliisque in scribendo vtuntur characteribus. Scripserunt quidam, eos prægrandes canes atque ceruos loco equorum curribus trahisque iungere, ad vehenda oneratos animal istud existimamus esse, quo & Lappones ac Finni vtuntur, Rangiferumque vocant. Iugrenses siue Iuhrenses loquuntur lingua Hungarorum. Perzorienses vero homines sunt stolide simplices, qui proprio suo vtuntur idiomate, & vinouerunt vsum panis. Czeremissii in densis viuunt habitantque nemoribus, in quibus nullas sibi excitant domus. Lingua eorum abomnium cæterorum loquela discrepat: cæteri sunt celeres cursores & sagittarii optimi, quibus semper arcus in manibus, quem adeo amant, vt pueris ne cibum quidem præbeant, nisi prius destinatum scopum sagitta attigerint. Viuunt autem potissimum melle, & carnibus ferarum, rarissime vescentes pane, vestiunturque ferarum pellibus. Mordui in omnibus propemodum rebus similes sunt Czeremissiis, excepto, quod domos temere structas incolunt, & in lingua differunt.

Opes eorum & diuitiæ.

Plurima boum tergora, vt & Alcium, Ceruorum, Vrsorum, pelles luporum, vulpium, aliarum animantium, præcipuum est Moscouitarum genus mercimonii, cum in omnes propemodum Europę partes exportentur. Insuper nobile vendunt Linum & Cannabim in restes: mellis præterea ingentem vim, & massas ceræ ingentes. Habent portum quendam marinum, qui à Nicolao denominatur, in quo satis frequens & quæstuosa est negociatio. Huc enim veniunt mercatores Angli, fuitq; tempus, cum Londensis societas huc frequenter nauigaret, nec paruum inde perciperet luctum. Sed Magnus Dux eum non seruasset pacta quæ cum illis fecerat eosque insuper iniuriis afficeret, deseruerunt Angli cum portu ipsam negociationem.

Vt tamen communiter de tota Russia loquamur, nemo existimet eam valde esse aptam mercatoribus, quod ipsi Moscouitæ ac Rutheni non sint solertes ac industrii; & omnis regio, qua non florent artes, opificia, ingeniosæ inuention

ientiones; parum adeatur ab extraneis, quæ quidem vna causa est: altera, quòd Moschis pedem extra Magni Ducis imperium efferre non liceat, vnde vel paruam vel nullam habent rei maritimæ notitiam. Permutatione tamen vtuntur, dum ea quæ terra producit, cuiusmodi est pix, mel, cera, pelles, coria, panni & id genus alia, Armeniis dant pro exoticis aduectiisque mercibus, qui ea quæ à Ruthenis acceperunt, Astracanam vsq; deducunt ad Mare Hyrcanum siue Caspium, quanquam aliquando etiam Angli ad Portum Nicolai appellant.

Diuitias Magni Principis ipsosque prouentus eius annuos necesse est magnos esse, cum supremus sit & absolutus dominus omnium hominũ atque rerum per suum imperium, vtens non aliter rebus ac peculio subditorum suorum quam serui ac mancipia eius forent vniuersi. Ex pelibus, quas è venatione animalium colligunt, ipse pretiosiores ac pulcherrimas quasque seligit sibique retinet, inita cum suis Leonina partitione. Idem facit quoque in piscibus, quorum maximam partẽ siccari iubet ventis & in vsum præsidiariorum in arcibus limitaneis seruari. Nemo quicquam in nundinis locisque publicis mercatui destinatis vendere potest, antequam omnia inuendita fuerint, quæ Principis iussu venum exposita fuerunt. Emporia autem præcipua, ex quibus plurimum lucri trahit sunt hęc: Astracan oppidum situm ad mare Caspium, quo conuehuntur merces ex Persida & Armenia. Deinde Portus S. Nicolai in sinu Gramico, quo appellere solent naues ex Anglia & Hollandia, onerata cupro, stanno, aliisque mercibus, quæ inde deportantur Vologdam.

Si quando Oratores Magni Ducis ad exteros missi Principes domum reuertuntur, cogunt munera atq; donaria, quæ ab iis ad quos Legatione functi fuerunt, honoris ergo accepe-unt, vniuersa reddere Principi suo, quæ bonus de Czar siue Cæsar sibi retinet, Legatis in solatium iacturæ vel res quasdam exigui pretii vicissim largitur, vel omnino nihil. Vt vno verbo dicamus, quicquid in vniuerso suo regno habet pulchrum atque pretiosum, ad se attrahit sibiq; vendicat. Vnde non absque ratione putatur habere ingentes thesauros in syluis Moscouiæ, in albo Lacu, & apud Iaris lauiam. Constat enim Iohannem Moschorum Principem vniuersas fuces argenteas, calices, patinas, reliquiarum pixulas, adeoque omnem sacrum Ecclesiarum ornatum ex tota prope abstulisse Liuonia, suisque intulisse Gazis. Neque vero permissum est cuiquam argenti è Principatu isto exportare, nisi id fiat ad redimenda mancipia aut persoluendum tyron pro iis qui in bello ab hoste capti fuere. Quanquam negandum non sit, ab ipsa Liuonia, qua cessit magnus Dux Stephano Poloniæ regi circa annum AN. C. MDLXXXII. multum à prouentib. annuis decessisse Moscouitis, ademta non solum regione optima, sed & tributigalibus atq; mercimoniis Maris Balthici. Nec tamen ob hanc causam existimandæ sunt magni Ducis paruæ diuitiæ, cum præter superiores augendi fisci modos, quos commemorauimus, plena salis horrea in iis partibus regni, quæ in Liuoniam conuersæ sunt, habeat, è quibus quotannis non infra vnum auri millionem conficere putatur, non sine detrimento & præiudicio Gallorum, qui antiquis temporibus salem suum in has vendidere regiones. Defertur insuper plurimum è Moscouia frumenti in vicina regna Sueciam Daniamq;, aliaq; loca extranea, vt & ad littora Maris Caspii & Pontum Euxinũ. His ipsis populis submittunt Moschi ferrum, sęuum bubulum, cineres, cannabim, pelles atque coria, vnde non parum quotannis colligunt argenti.

Vt autem paradigma quoddam & velut specimen Magnificentiæ & opulentiæ huius Principis lectoris oculis obiiciamus, operæ pretium putamus subnectere paucis verbis ea quæ Philippus Bernsteinius Baro, qui Legatione ad Moschum functus est nomine Ferdinandi Imperatoris, de eo cõmemorat. Ait igitur eũ capite sustinuisse Diadema siue Coronam auream, tãti precii, vt triplicem illã Papæ, & coronã Imperatoriã, & Regis Francorũ, & Regis Hispanorũ superauerit, adeo vt magnitudo precii illius concipi animo, aut iniri ratio eius non potuerit. Togam eius ait non perpictam (parsamq; fuisse, sed obsitam penitus riguisse Adamantib. Pyropis, Smaragdis, aliisque gemmis, non vulgaribus illis, sed pretiosissimis, quarum nonnullæ ad auellanæ magnitudinem accesserint: vt oratorem Cæsaris subierit admiratio, quo pacto tam grande onus corpore sustinere potuerit. Filium eius prope ad eundem modum vestitum ornatumque fuisse refert. Cum cænam caperent, ait, centum viros Nobiles circumstetisse mensam, qui cibos totidem lancibus aureis intulerint, è quibus cum nemo amplius gustaret, eos, qui ministrarent mensæ, ablatas lances grandi repositorio imposuisse, aliam alii, velut struem quandã, quamuis plerasq; adhuc plenæ essent cibis. Legato Imperatoris ab aula sua discedẽti dono misit Magnus Dux CCCXX. preciosas pelles animalium, quarum vnaquæq; sigillatim Viennæ æstimata fuerit, ita, vt quadragenæ ducentarum librarum precio contra charæ esse iudicarentur. Addit his Philippus iste, cum ipse à Magno Duce mensæ adhibitus fuisset, tantum adfuisse vasorum ac supellectilis aureæ argenteæq;, vt triginta currus vectando illi thesauro vix suffecturos existimauerit, quanquam hæc nequaquam omnia fuerint eius vasa, verum ea duntaxat, quæ in arce illa, vbi cænabatur, asseruari erant solita. Pecunia insuper supra modum eum abundare necesse est, quod quidam ex numero Magnorum Ducũ expugnata & spoliata Horcograda narretur trecentos currus argento signato onustos inde in Moscouiam asportasse. Vt verbo rem finiam, infiniti suppetunt huic principi modi acquirendi, cum ipse solus tractet omnia mercimonia &

negociationes, vt & iam ante diximus, nihilque omnino ex thesaurus suis exponat, ne iis quidem qui negocia regni tractant, vt nec iis qui sibi militant, nisi quod cum in expeditionē itur, ductoribus ordinum pauxillum argenti in singulos impertit milites. Et hæc habuimus, quæ de opibus diuitiisq; Magni huius Principis, diceremus: videamus nunc potentiam eius & robur militare.

POTENTIA MAGNI DVCIS MOSCOVIÆ.

27 Negari non potest, ob continuas Tartarorum Precopensium & Norgaiorum excursiones, qui nunquam quieti sunt, nec vicinos suos longinqua tutaque pace lætari sinunt, sed populariter abductos homines, quos non in finibus duntaxat, sed & interioribus regionis inimicæ interceperunt, Turcis vendunt: Moscouiticum Imperium habitatoribus minus esse frequens. Accedit quod frequentes Magnorum Ducum expeditiones bellicæ, quas in longinquas regiones susceperunt valde diminuerunt numerum populorum per Moscouiam. Vix autem vlla res est, vnde melius eluceſcat prudentia alicuius Principis, quam si sedulo dispiciat, sitne conatus, quem intra animum suum concepit, vtilis terris dominiisque suis, an vero damnosus noxiusq;, ne cupiditate & desiderio ostentandæ nescio cuius magnitudinis abreptus, contractis sibi ac principatui suo variis periculis, à securitate in perpetuum metum ac vix euitandas noxas seque suosque præcipitet. Qui enim statum dominiumque suum reddit imbecillius, aut rei bene gerendæ priuat exuitque mediis, nihil aliud facit aut diuersum ab eo, qui fundamenta domus suæ ipse subruit, vt inde excitet nouos muros, aut ex ea materia tectum construat. Nam qui aliquid acquirit cum aperta diminutione virium potestatisque suæ, haud dubie impingit in leges ac regulas Principi viro cum primis obseruandas. Nam acquisitio externi dominii debet augere Statum Principis, non deteriorem reddere. Sicut hortulanus, qui facit insitiones, hunc sibi propositum habet scopum, vt vel mitescere doceat syluestrem aliquam arborem, aut stirpem infrugiferam reddat ex sterili fœcundam: ita cogitationes Principis eo conuertendæ sunt, vt commodum aliquod aut diuitias afferant: alioquin præter onus nihil habebunt aut molestiam, aptiores ad consumendum & perdendum quam creandum emolumentum. Huius generis sunt pleraque bella, quæ ad acquirendam aliquam prouinciam suscipiuntur, quæ nihil commune cum nostris habet terris, aut quæ nimis longe distat, aut supra nostras vires est, adeoque defendi conseruarique non potest. Certum enim est, omnia eius generis consilia tribus velut inniti debere fundamentis, quorum primum est Ius, quod prætendimus in eam quam bello acquirere volumus prouinciam.

Alterum vt eam facile occupare possimus. Tertium consistit in fructu victoriæ: vt omnem bellum quod sine ingēti spe certi prope fructus suscipitur, nihil nisi mera stultitia & temeritas existimetur.

Nemo sanus negabit, Magnos Moscouiæ Duces lōge lateq; protulisse limites dominationis suæ: nemo tamen proinde vere dicet, eos multum auxisse vires potentiamq; suam. Qui exactius rem considerabit, dicet nobiscum, nullum ex omnib. istis Principibus longiores suscepisse expeditiones, aut maiores impendisse sumtus quam Iohannem Magnum Ducem, qui occupauit regnum Cassanēse supra Volgam fluuium & Astracanum ad mare Caspium, qui & magnā sibi subiecit Liuoniæ partem. Hic ipse tamen de ci vix potest, quantum amiserit in istis expeditionibus hominum, qui partim longitudine viæ partim fame & frigore, partim oppugnationibus vrbium arciumq;, partim apertis prælijs, insidijs, morbo, aliisq; modis interiere. Hæc regio postquā occupauit, necesse habuit maximis cotinere militum præsidijs, & nouas deuotorū bi hominum eo mittere Coloni. s. Hinc factum est, vt infiniti mortales longissime à suis abducti laribus, vel ad acquirendum vel ad conseruandum extraneas prouincias, suas domi reliquerint vxores velut viduas, sine spe propagandi generis prolisq;. Eadem prope ratione, qua in corpore humano, cum nimium sanguinis spiritusque ad extātia mittit membra, ipsum pectore destitutum frigidumque deprehenditur. Minus igitur difficile postea fuit Stephano Poloniæ regi, occupare atq; obtinere Liuoniam aliaque loca, quæ maioribus eius per Moschum ademta fuerant, recuperare, ita vt postremo Moschus coactus fuerit, tota Polonis decedere Liuonia.

De ædificiis Moschorum ita habet. potissimum eorum pars constat è trabibus inuicem sibi iunctis, & in medio terra expletis. Habent & turres penitus ligneas, tantæ firmitatis, vt compages earum facile sustineant tormenta ænea militaria, cuiuscunque sint magnitudinis aut ponderis. Non desunt inter Architectos militares, qui quærant, vtra munimenta meliora sint: illa quæ cæmento & lapidibus sunt constructa, an ligno & terra fabricata? qui pro posteriori sententiam ferunt, hanc adducunt rationem quod citius & minore cum sumtu excitentur, quodque firmius repellant assilientium globorum ferreorum ictus: quod deiecta munimenta lignea facilius reficiantur: postremo quod iis facile quæuis propugnaculi forma indui possit. Nemo tamen his moueri debet, vt munimenta lignea lapidib. anteferat. Cum n. multimodi sint oppugnationis, tormenta machinæque æneæ, Cuniculi & suffossiones ignis: credibile est, muros lapideos minus valide resistere tormentorum ictibus, quibus postremo cedunt: sed in omnibus cæteris oppugnationum generibus multo meliores sunt aggeribus terreis ligneisque.

aut

lutem regio quæpiam difficulter inuadi occu-
parique possit, multæ possunt esse causæ. Primo
i sit multis inuia paludibus: deinde si magnis al-
uatur & irrigetur fluuiis : tertio si densis cir-
umdetur syluis : alias enim nunc tacemus. Huic
postremo fini intenti Moscouitæ extremitates
egionum quas ab hostibus acquisiuerunt, colo-
iis vacuas relinquunt, vt Syluescant (quod fa-
ile & cito fit ob solum humidum & sponte ar-
oiescens) vt densis illis nemoribus defendan-
ur, haud secus ac ciuitas quæpiam vallo atque
ossa. Et hæc res plurimum exhibuit molestiæ
olonis Moscouiam inuasuris, cum plurimum
nsumerent laboris nec minus perderet tempo-
is in cædendis densissimis nemoribus, & ape-
ienda sibi ad hostem via.

Inuenies tamen etiam quædam vrbium Ar-
umq; munimenta partim è lapide partim è ce-
ite structa, simpliciter tamen sine angulis &
roiecturis, sine scientia Architecturæ mili-
ris. Eius generis videbis apud vrbes Mos-
uam, Nouogardiam, Plescouiam, Poricouiam,
aricziam, Slobodam & Smolenskam. Quan-
uam muri castrorum locorumque munitiorũ
nt fere facti è prægrandibus trabibus, ad eum
mpactis modum, vt quod intercedit spacii,
rra expleatur, qua quidem re magna illis acce-
t firmitas. Relinquuntur autem in illis conti-
nationibus quædam foramina, pro explo-
dis maioribus minoribusque tormentis. Et hi
uidem muri lignei satis roboris habent ad elu-
ndos machinarum ictus, cæterum aduersus
ulcani vim sunt inualidi.

Seruiunt autem Rutheni ac Moscouitæ Prin-
pi suo in bello ita, vt satis ostendant, facere se
icium militum non magnitudine quadam a-
mi aut spe præmiorum, sed timore pœnarum
imissimarum, si sint ignaui. Hinc fit, vt ducto-
us tribunisque suis promtissime obediant, &
leuissimum oculi nictum adsint facturi impe-
a, insuperque magna patientia omnis generis
eferant incommoda, siue pluuia, siue frigus,
e fames sit toleranda, cum sponte quadam na-
æ minimo contenti esse didicerint.

Iohannes Magnus Moscouiæ Dux, cum vi-
et remissos suos & languidos in pugnis at-
e velitationibus, Polonos vero non tam au-
ia quadam quam temeritate irruere : dixit
s quidem opus habere calcaribus, hos vero
is.

Potissimæ vires militares Principis & in
bus plurimum momenti situm est, consi-
nt in equitatu, neq; tamen sciri potest, quan-
n hic equitum in bellum emittere possit. Di-
e nonnulli, posse ipsum educere si opus sit
C C. millia equitum, quod ego quidem cre-
e difficulter possum, cum terræ ipsius valde
ertæ sint, multisque locis incultæ. Neque e-
e vel vnicum interiacet oppidum inter Cas-
m & Astracanam, quanquam itinere bidui
ra ab altera distet. Patuit insuper id quod
diximus in bello quod Stephanus Poloniæ rex
fecit Moschouiæ, qui quamuis non vltra L X. ar-
matorum millia in exercitu suo haberet, Io-
hannes tamen Moschus tantum copiarum con-
trahere non potuit, vt iusta auderet cum illo
confligere acie, aut impedire, ne Poloni ca-
perent Polociam, Velicolucam, & alia oppida,
neue obsidione cingerent Plescouiam.

Annus numerabatur à nato Christo M D.
L X. cum Tartarorum Princeps habens in ex-
ercitu suo equitum millia L X X X. ad ipsum vs-
que cor Imperii Moscouitici penetrans, ipsam
vrbem Mosquam, domicilium & regiam Ma-
gni Ducis igne exussit. Sic igitur statuemus, eos
qui dicunt Moschorum Principem posse con-
ficere exercitum constantem C C C. millibus
equitum, Polonum vero regem C C. millibus,
equos potius numerare quam viros. Verum
vt demus immanem equorum esse numerum
per Moscouiam, satis tamen notum est, non om-
nes esse habiles aptosque bello, cum non om-
nibus qui equos alunt, supperant media, qui-
bus equites se præstare possint, aliis quidem de-
stitutis argento, aliis robore corporis animique.
Et dato, tot millia equorum virorumque repe-
riri in Moscouia, fieri tamen non potest, vt om-
nes simul in vnum aliquem locum contrahan-
tur, cum Princeps nunquam sit necessarios in
tantam rem suppeditaturus sumtus, neque tan-
tum possit conuehi alimoniæ rerumque neces-
sariarum, cum totidem oporteat equos habe-
re ad vehenda onera, commeatum, arma, instru-
menta & tormenta militaria, quot sunt in a-
cie equites. Taceo iam immanem numerum
mercatorum, artificum, tormentariorum, co-
quorum, caculatum, lixarum, calonum, puero-
ium seruorumque, qui pedites equestrem ex-
ercitum sequi nolent, & quos ex vniuerso impe-
rio Moscouitico in vnum aliquem locum con-
trahere necessarium foret. quibus omnibus quo
pacto alimonia, aut quomodo animalibus ef-
fecturum foret pabulum, equidem videre non
possum.

Sed (vt pergamus Philosophari) esto sane
posse hæc omnia fieri : quantum istud erit in-
commodi, omnes qui sunt ad defensionem fi-
nium in præsidiis, detractos abarcibus aditi-
busque regni alio auocare? hoc enim nihil fo-
ret aliud, quam amputare suffragines, incidere
neruos reipublicæ, spoliare oppida ciuibus Ma-
gistratibusque, agros viduare colonis. Conclu-
dunt ergo, Principi, qui possit ex omni Prin-
cipatu suo colligere centum quinquaginta mil-
lia equitum, satis esse, si tertiam huius equitatus
partem in aciem educat, quoties ab extero ali-
quo hoste bello petitur.

Et alii quidem, qui in æstimandis Magni
Ducis viribus contractiores sunt, aiunt eum
contrahere posse C L. equitum millia, si omni-
bus viribus aduersus potentem hostem sit de-
fendenda prouincia. Nam & Iohannem III.
Magnum Moscouiæ Ducem contentum fuisse,

in expeditionem Astracanensem educere XXVI. millia equitum peditum vero millia XX. Idem Iohannes, regnante in Polonia Alexandro, Liuoniam aggressus est cum tribus validissimis exercitibus, habens insuper quartum in finibus velut in procinctu.

Adiunxit idem Princeps equitatui suo aliquot peditum sclopetariorum millia, in quibus potissima pars constitit militibus extraneis, quorum egregia opera vsus est in defendendis oppidis suis aduersum hostes. Solent autem Moschorum Principes altero quoque anno instituta per vniuersum regnum lustratione, delectum habere eorum, qui sunt ad arma idonei, referunturq; in hunc censum etiam Nobilium filii, cum numero seruorum & equorum quos possunt militatum emittere. Equites qui sunt inter eos cum re lautiori, vtuntur Thoracibus Chalybeis & galeis è laminis factis, quas à Persis accipiunt, nec non hastis siue lanceis. Alii gestant amicula siue tunicas denso suffarctas gossypio, ita vt quosuis ictus facile respuant. qui procul pugnãt, partim vtuntur sclopetis bombardisque, partim arcu & sagittis. Vtitur insuper hic Princeps opera Germanorum in militia, sed in muniendis oppidis arcibusq; ingenio Italorum.

29 Vicinos Dux Moschus hos habet. Principem Tartarorum Precopensium, qui Tauricam habitant Chersonesum: dein Circassos, qui dicuntur quinque montium, habitantque longam octo dierum iter prouinciam, reguntur-que à septem velut capitibus: Tertio Tartaros Nogaieros: Quarto regem Sueciæ: Quinto Regem Poloniæ. Et à Precopensibus quidem multum damni accipiunt Moschi, de quibus se vindicare nullo modo possunt, cum sint Tartari illi Turcarum confœderati, à quibus accipiũt maiora minoraq; tormenta cum instrumentis necessariis. Habent insuper iidem Precopenses oppida & arces satis munitas, quibus Turcica ad defensionem sunt imposita præsidia, vt qui Chersonesum illam adoriri velit, rem audacis consilii aggrediatur. Facile prætereà est Precopensibus, excursiones facere in terras Magni Ducis Moscouiæ, exque iis prædas agere, quod ipsum & non semel in Regno Poloniæ fecerunt.

Quod autem Magnus Dux Casanenses & Astracanẽses Tartaros suo adiecit imperio, factũ id est beneficio rei tormentariæ, quæ penitus deerat Tartaris istis. Et aduersus Casanenses quidem variis vsus est machinis bellicis, interque eas his. Temonibus curruum alligauit densas tabulas ligneas, erectas eas quidem & perforatas, per quæ foramina milites explodebant bombardas suas siue tormenta manuaria in hostes, qui non vtebantur aliis missilibus nisi sagittis, quibus penetrare tabulas illas non poterant: & hoc quidem artificio Moschi Casanensibus plurimum damni intulerunt. At Precopitæ & ipsi sunt sclopetarii, suntque in fæde re & Patrocinio Turcarum, quiq;, vt aperiren sibi viam liberius excurrendi in Moscouian cæperunt his proximis annis fodere canalem & aquam è Tanai deducere vsque ad Volgam amnem: quæ quidem res videtur maioris in genii, quam est captus Tartarorum. Verum infeliciter cessit iis hic deriuandi fluuii conatu Tartari enim cæteri, cum non sine causa metu rent, ne sub iugum Turcicum & ipsi redigerentur, coniunctis cum Moscouitis armis a gressi eos, qui supra Tanaim in armis erant, d uictos eos penitus prostrauerunt, nec hoc duntaxat, sed & illum exercitum, qui in m dia erat regione, aggressi, etiam hunc viceru quanquam in eo essent LXXX. millia Tart rorum, XX. millia Turcarum, III. millia Ia zarorum. Circassi, vt diximus viuunt vitam m re Heluetiorum, parum solliciti, de occupa do agro alieno. Addicti autem diuersor principum stipendiis, nunc quidem milita Turcis, alias Persarum regi, aliquando Mosc uitis, nec vllam vim externam metuunt. M gis tamen his metuendi sunt Tartari Noga ri, quod celerrimas & instar furiosorum in M scouiæ Prouincias faciant excursiones qua quam tantum quantum Precopenses colligere virium non possint. Fuit superioribus annis Moscouiam magna vi inuasissent, vt placati p miis & promissis sponte domum reuersi quandiu quieuerint. Vtuntur autem eadem trocinandi grassandiq; insania qua Arabas M mades, vt expediat illos muneribus donisc quam armis sopire. Accedit quod res futura magni sumptus nullius fructus, si quis cone illis bellum inferre, cum neque oppida habe neque arces, quarum munimentis deuicti v ut freno quodam in officio contineri quea Hos tamen vt compescat magnus dux, non guum militum numerum, inprimis equit perpetuo alit apud oppida Citracanam, Ca nam & Viaticam: quod idem quoque facit su Tanaim amnem ob metum Precopensium.

In finibus Finlandiæ vicinum habet M scorum Princeps Regem Suecum. Amiser autem Sueci in diuturno & difficili adue Moscos bello munitissimum castrum Ser scam, cum maiore & minore Pernauia in uonia: nec finis fuisset iacturarum, nisi Step nus Polonorum Rex altrinsecus fuisset agg sus Moscos. Obtinet autem Rex Suecus in S Finnico fortissimum castrum Vipurgense, cu ope Moscis in illa quidem parte capistrum i cit. Idem Rex magnum nauium militariter structarum in illo Mari habere solet numer non solum vt traiectu prohibeat Ruthenos, & impediat, ne arma & instrumenta milit Moscis ex Germania supportari possint. Et ius quidem classis beneficio Suecorum Rex quoties superior euasit in bellis contra Mo uitas, in iis duntaxat locis, quo nau bus licui

bellere. Ita factum est, vt multa ademerit hosti
per Liuoniam parteſque vicinas. In locis vero
equis aut planitiæ vbi concurſum eſt plærum-
que Rutheni ſuperiores fuere Suecis, ob in-
gentem equitum numerum. Videtur autem eos
velut Natura diſpeſcuiſſe cum inter vtriuſque
ines aſperrimi intercedant montes, æterna gla-
ie & niue cooperti.

Nunc de Rege Poloniæ aliquid dicendum
ſt, cuius Regnum frequentius & ciuilioribus
ncolis habitatur, quanquam in tam vaſta ter-
arum ſpacia non diffundatur. Eſt inſuper inter
trumq; Principem hoc differentiæ, quod Mo-
couitæ maiore Ducem ſuum colant atque ve-
erentur obedientia, Poloni autem audaciores
nt & animi maioris. Illis plus virium ad reſi-
endum in acie, his maior impetus ad aſſilien-
um. Illi videntur nati ad defenſionem oppi-
orum cáſtrorumque: hi ad confligendum in a-
erto campo. Illi minus metuunt famem & cæ-
ra belli incommoda: hi minus formidant fer-
im & mortem. Vtrique tamen magis minuſ-
ue valent prout Princeps eorum, ſub cuius
ictu militant, animoſus eſt & rei bellicæ peti-
s. Nouimus enim Magnum Ducem Baſilium
ccupaſſe armis Smolencam & Polociam cum
agna parte Liuoniæ. Contra vero Stepha-
im Poloniæ Regem eripuiſſe Iohanni Baſilii
io Polociam cum aliis locis non parui mo-
enti.

MODVS GVBERNATIONIS.

Certum eſt Magnum Moſcouiæ Ducem
eno atque abſoluto citra vllius mortalis arbi-
um in ſubditos ſuos dominari imperio, & in
quidem vix parem habere inter omnes Prin-
es totius huius vniuerſi, vt ex iis quæ ſupe-
s diximus lectori planum erit. Habet enim
nnem poteſtatem atque ius in vitam & bona
rum, à quibus adeo metuitur vt mandatis e-
aduerſari, aut ſuper acerbitate eorum
iqueri nemo niſi quem vitæ tædium
erit audeat. Et hoc illud eſt, cur Mahometus
mus purpuratorum in aula Ottomanica di-
e ſolebat ſolos Moſcorum & Turcatũ Prin-
es abſolutos veroſque rerum ſuarum eſſe do-
nos: quæ cum is diceret parui fecit expeditio-
n Stephani Regis, quod minus haberet dicto
lientes Polonos ſuos.

Vtitur autem Magnus Moſcorum Prin-
s magna ſollicitudine & cura incredibili vt
c inter ſuos confirmet atque tueatur auctо-
tem. Neque enim vlli è ſubdictis eius pe-
n efferre extra limites permiſſum eſt: con-
ta capitis pœna, niſi impetrauerit licentiam.
nc fit vt nemo Moſcus nauigare audeat, aut
rinum ſuſcipere iter: ſed ne colloqui quidem
n Legato Principis exteri, vel in morbis pere-
no vti Medico, niſi prius impetrata venia.
Conatur inſuper omnibus modis pluſquam
regiam oſtentare Maieſtatem in Magnificentia
& ſplendore amictus: coniungit enim grauita-
tem prope Pontificiam cum dignitate regia, ge-
ſtans capite mitram incredibilis pretii & pul-
chritudinis exquiſitæ, gemmis atque vnionibus
rigentem: quam ſi capite non ſuſtineat præferri
manibus illuſtris cuiuſdam Moſci ante thro-
num ſuum Regium iubet, quam tamen non ha-
bet vnam ſed ſæpius mutat, graphicus oſtenta-
tor diuitiarum ſuarum. Siniſtra manu præfert
crucem auream gemmatam, indutus toga lon-
ga quaſi papali quoties in ſacellum Pontificale
digreditur. Dextera manu ſuſtinet imaguncu-
lam Chriſti ſeruatoris, in ſummo cathedræ eius
eminet ſtatua Mariæ Virginis. In cubiculo eius
atque veſtibulo videbis innumeros obertan-
tes, non purpuratos ſed coopertos tela aurea
abſumma ceruice ad talos vſque. Ne quis autem
doctior euadat ipſo, ſcholas alias in Regno non
habet, niſi humiles, in quibus docentur adole-
ſcentes legere & ſcribere litteras, & in quibus
nihil prælegitur aliud, quam hiſtoriæ Euange-
licæ cum vita alicuius ſancti, & homelia ali-
qua Chryſoſtomi, Baſilii aut alterius alicuius.
Quod ſi quis ad altiores videatur adſpirare ſci-
entias, non effugit ſuſpitionem affectatarum
rerum nouarum, & cum ſe non contineat intra
ruditatis ſubſellia indubias dat curioſitatis pœ-
nas. Hoc autem ideo Princeps obſeruari vult,
ne qũ ſex ſuis ipſo ſcientior euadat. Et hinc fit
quod neque princeps conſilii neque qui ſunt à
ſecretis quicquam aliud, reſpondent exterorum
Principum Oratoribus, quam quod ex ore Ma-
gni Ducis exceperunt. In rebus quæ cum exte-
ris tractantur nunquam faciunt Magni Ducis
mentionem, niſi cum manifeſto reuerentiæ ſi-
gno. Idem fit in menſa, ſi quem propinato pocu-
lo ad bibendum inuitet aut aliquid cibi è ſuo diſ-
co porrigi mandet.

Quin & pueris ſuis cum primulũ eos formare
verba docent, hanc inſtillant reuerentiã, vt de
Principe haud ſecus ac de Deo ipſo loquantur.
Nolit Deus (inquiunt) & Magnus Princeps me
vera loqui, quin & eo ſtoliditatis deueniunt, vt
cum omnia ſcire, ipſamque ſanitatem adeoque
quicquid vſpiam eſt boni ab eo proficiſci glo-
rientur. Ad hunc modum à puero inſtituti, vi-
dentes inſuper magnitudinem ſplendoris &
Maieſtatis, cum exterum Principem nullum vn-
quam conſpiciant, ita colunt atque veneranturſ
ſuum vt mancipia, aut ſi quid vilius fingi poteſt,
vitæ neciſque dominos. Non ſunt apud Moſcos
ambitioſi illuſtrium virorum tituli, nec vt apud
nos Ducum Comitum, & Baronum nomina.
ſiam ſi cui forte alicuius loci poſſeſſionem be-
neficii nomine largiatur, vix vnquam id ad po-
ſteros hereditate transmittitur. Et quanquam
eiuſmodi dominia velut Feuda purpuratis ſuis
conferat, plebs tamen agreſtis nihilominus ſol-
uit partem fructuum Principi, eique præſtat gra-
tuita ſeruitia. Vt verbo rem complectar, omnia
dependent à bona Magni Ducis voluntate, &

quo quis est ditior, eo magis est obligatus Principi. Solet autem hic quandoque integras familias suorum de loco in locum deportare aut quasi per honestam missionem in longinquas Prouincias velut in exilium mittere, ne quæ oriatur in regnum aut personam suam coniuratio.

RELIGIONIS CVLTVSQVE RATIO.

32 Susceperunt Rutheni & Moscouitæ Religionem Christianam à Græcis circa annum partæ Salutis DCCCCLXXXIX. vel vt aliis placet quadraginta trib. annis ante, cũ ante id tempus Idolorum cultribus addicti fuissent, quæ quidem tanto deseruere studio, vt nunquam post id tẽpus à fide Christi defecerint, quanquam successu temporis multis eam implicuerint superstitionibus. Aiunt insuper solos Græcos atque Ruthenos veros esse Christianos, Romanos autem cæterosque defectores, qui defecerint à primitiua Ecclesia. Lingua vtuntur Sclauonica siue Illyrica quæ ipsis cum Polonis & Lithuanis communis est, peraguntque Missæ sacrum reliquasque ceremonias in eadem lingua, quanquam aliquando Euangelium aut Epistolam Græcam interserant. Iudæos capitali prosequuntur odio, eosque minime in suis habitare sinunt prouinciis. Vitulum mactare aut eius vesci carnibus nefas putant. Narrat Berensteinius Legatus Cæsaris ad Magnum Ducem, animaduertisse se ingens in Moscouitis visendæ Romæ desiderium, qua in vrbe nouerint multos Sanctos Martyrio affectos & sepultos esse, inprimis autem spectandi templi Virginis Lauretanæ. Ex omnibus sanctis maximum deferunt honorem Nicolao, cuius corpus apud se depositum magna conseruant veneratione. In ceremoniis magis sunt circa religionem quam nostri homines ambitiosi: neque enim vllum prætereunt Monasterium Templumue, vel Crucem in biuio positam, quin deliant ab equo, si equitent, subsidentesque in genua ac facto signo crucis dicant sua lingua, *Miloy Hospodii, Miloy Hospodii*, quod est, Miserere nostri Domine, vel vt Græci efferunt, *Kyrie Eleison.* Ait idem Bernsteinius, eos, quibuscum velut comitibus vrbem perambulauerit, quoties ad Templum aliquod venerint, in quo celebrata fuerit Missa, adduci non potuisse, vt pergerent, antequam audiuissent Sacrum istud, sed demissos in genua terram locumue vicinum pulsasse fronte, inprimis in Eleuatione, aut cum portaretur Eucharistia. Memores se superiore nocte cum feminis rem habuisse, templum nullum ingrediuntur, sed ab omni loco sacro abstinent, donec lauarint corpus aqua. In peragenda re Diuina eodem prope modo vestiti sunt, quo nostri Sacerdotes: quamuis plus insumant temporis in vnam Missam quam nostri in duas. Durante Sacro duo vel tres Diaconi adsunt, continuo cantilantes, *Miloy Hospodii & Alleluia.* Hos velut præeuntes verba sequuntur cæteri, munientes se subinde signo Crucis. Finita Missa diuidit Sacerdos præsentibus quosdam minutos panes consecratos, quos cum singuli magna cum reuerentia acceperunt, deferunt secum domos suas, atque inde singulis domesticis suis exiguam impertiunt particulam. Vtuntur insuper candelis cereis, imaginibus, aqua item & sale benedicto, more Ecclesiæ Romanæ.

In monasteriis singulis diebus sub Auroram celebratur Missa, cui soli viri intersunt, inueniasque nonnullos, quibus tantus deuotionis feruor, vt per totam noctem in templis commorentur cum Clericis, qui per vices sibi succedentes, psalmis eam continuisque absumunt cantilenis. Sed & in communibus negotiis suis ostendunt se multum esse deditos ceremoniis: neque enim pedem domo efferunt aut ædes suas ingrediuntur, quin se ter inclinent ante crucifixi aut Virginis Matris imaginem, quarum alterutram habent in omnibus prope hypocaustis aut cubiculis suis, cum appenso lumine, vbi tamen non ipsum simulacrum, aut diuum quem piam adorant, sed hæc verba dicunt *Hospody Pomiloy, Domine miserere nostri.* Hoc facto demum colloquuntur cum iis, qui eos conuentos voluerunt, aut iis valedicunt. Idem faciunt in mensa, quoties cibum capere volunt.

Processiones Sacræ apud ipsos forte frequentes sunt, & quamuis aspera sæuiat hyems, tamen ad longinqua progrediuntur loca. Baptismum eodem quo nos peragunt modo, & pœnitentes publice de admissis delictis in medio erectant templo, vt noscitari queant, neque vquam considerent. Sanctis multum deferunt honoris, petentes ab iis, vt ad Deum pro se intercedant, inprimis autem vt patronum venerantur S. Nicolaum, vt ab initio diximus. Est statua eius Diui in vrbe Massouia, in qua iussu Magni Ducis singulis diebus mane in loco vbi imago est, offertur magna vis panis, carnium & aliarum rerum, quæ postea distribuuntur inter Ministros Ecclesiæ, qui assidui sunt in officio sacro dicentes Hymnos in laudem Dei, & orant pro Salute Principis. Idem suppeditat sumptu & alii Monasterio, quod S. Trinitatis vocant in quo perpetuo aluntur ducẽti religiosi, in cuius templo aiunt requiescere corpus S. Ignatii illeque clarere miraculis. Profitentur autem Monachi omnes per Moscouiam ordinem siue regulam S. Basilii, viuuntque vitam probam atque sobriam vt Eremitæ solent, suntque in quibusdam locis siue partibus Regionis eiusmodi Monasteria admodum frequentia. Sacerdotibus permissum est semel ducere vxorem, qua mortua oportet eos perpetuum obseruare cælibatum, nec licet iis ad secunda transire vota. Cum autem negent Ignem Purgatorium, in Missis tamen precibusque suis orant Deum pro fidelibus defunctis vt eos solutos cruciatibus in cœlestem transferat patriam.

V

Vertitur iisà plærisque vitio, quod nent vlli mortalium fas esse, de nouo cogere Cólia, cum omnes contentos esse deceat primis ptem: quæ cum ipsi constanter retineant obruentque, repudiant cætera omnia cuiuscunie sint generis. Hinc illis tanta cum Romana cclesia discordia.

Habent Rutheni Metropolitanum suum, quo totus per Russiam Clericatus omnesque lut à capite suo dependent Episcopi, cui tanm ordo Ecclesiasticus defert honoris, quanm alii Pontifici Romano. Etsi autem fateant hunc Metropolitanum agnoscere superiom suum Patriarcham Constantinopolitanum, rum tamèn alter alterum curat, quod Patriara iste inter Turcas habitet, quibus cum Mouitus est naturale & internecinum dissidium. elebrat hic Metropolita quotannis Synodũ, quam conueniunt omnes Episcopi & maiom gentium Proceres Ecclesiastici, quibus sinlis præfertur pedum pastorale siue lituus, vt gatis Pontificis crux. Episcopus autem nemo ri potest, nisi sit ex ordine religiosorum: hinc onachi in monasteriis plurimum student vitæ bitati vt digni inueniantur illo fastigio. In us magni momenti Princeps non statuit aut determinat quicquam, nisi prius eius rei conscium fecerit Metropolitanum.

Ieiunium quadragesimale strictissime obseruant, ab omnibus abstinentes coctis cibariis, nisi forte morbus aut imbecillitas diuersũ exigat, duratque ieiunium istud vna septimana amplius quam nostra. Idem faciunt quatuor septimanis ante festum Natiuitatis Dominicæ, per tempus aduentus, appellantes istud Ieiunium S. Philippi. Neque vero Princeps exemptum se putat ab obseruatione religionum atque ceremoniarum istarum omnium: quin cum tabulæ siue mensæ assidet, quoties mutatur discus aut leuat poculum ad bibendum, aliquot cruces digitis pingit, nec sibi indulget, cum ieiunandum est, pulsatque fronte humum deuotionis ergo non minus ac quisquam è plebe.

Mordui qui extrema Moscouiæ colunt vtuntur circumcisione velut Turcæ & Iudæi. Neque colunt Idola neque baptizantur, dicentes se viuere secundum leges naturæ. Dicunt se adorare Deum creatorem vniuersi, cui offerunt primitias omnium rerum, cibos aduersum cœlum iactantes, antequam quicquam edant bibantq;.

PRINCIPATVS AVSTRASIÆ SIVE DVCATVS LOTHARINGIÆ.

SVMMA CAPITA.

Lotharingia olim Austrasia dicta. Etymon & origo vocabuli LOTHARINGIA. *Limites eius & præcipui amnes, qui eam perluunt.*

Præcipua Lotharingiæ oppida, quorum caput est Nanceium. Sedes atque domicilium Principis.

Comitatus, Dynastiæ, Toparchiæ in ea.

Fertilis & abundans vino, thermis natiuis, salinis, metallis variis generis, Lasurio, pigmentis. Piscibus in quibus aliquando Carpiones tres pedes longi capiuntur. Officinæ poliendi lapidis Chalcedonii, qui hic mire grandes reperiuntur, & vitriaria.

Lotharingorum natura & ingenium, inter Gallorum & Germanorum indolem medium obtinens, vel ex vtrisque participans.

Opes atq; facultates incolarum, consistunt potissimum in negotiatione coloris cærulei, margaritarum, specularum vasorumque vitreorum, lapidis Chalcedonii, telarum & pannorum, argenti fodinis, salinis.

Prouentus redditusq; Ducis Lotharingiæ, annui quanti sint.

8. *Loca per Lotharingiam munitiora, quos habeat vicinos & fœderatos.*
9. *Catalogus Principum, qui Lotharingiam obtinuerunt.*
10. *Origo domus & familiæ Guisiæ.*
11. *Series principum vtriusq; generis ex domo Guisia.*
12. *Series & numerus principum vtriusque sexus ex domo Mania.*
13. *Principes vtriusque sexus ex domo Aumalia.*
14. *Series & ordo Principum ex familia Elbouia.*
15. *Principes vtriusque sexus ex domo Mercurina.*

EXcedens è viuis Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, Imperator, quatuor reliquit filios, qui cum bellum intulissent Patri, diuiserunt inter se Principatus, ita, vt Lotharius natu maximus esset Imperator, haberetq; Italiam & Galliã

Narbonensem, cum omnibus regionibus & prouinciis, quæ deinceps sub Lotharingiæ nomine comprehensæ fuerunt: Ludouicus haberet Germaniam: Carolus eam Galliæ partem, quæ pertendit vsque ad Oceanum, facto à Mosa fluuio initio: Pipinio cessit Aquitania. Fuit autem huic Lothario, præter Ludouicum filium, qui patri auoque successit in imperio, alius filius Lotharius qui se regē appellauit Lotharingię. Eā igitur, quā Lotharius hic Minor obtinebat prouinciā vocauerunt Germani suo idiomate *Lothari Ryck* siue, *Lothars Rych* diuisis vocabulis, quæ significāt *Lotharii Regnum*. Hæc duo deinde coaluerunt, vt ab ignorantibus linguæ Germanicæ effectum fuerit nomen *Lotharingiæ*. Ipsi indigenæ vocant *Lorraine*, concisō detortoque more Gallorum vocabulo. Extendit autem Lotharingia olim fines suos multo latius longiusque quam hodie, fuitque appellata *Austrasia*, continens, quicquid fuit terrarum inter Rhenum, Schaldim & Mosam amnes, diuisa in superiorem & inferiorem. Hæc nostro æuo diuersis appellatur nominibus, paretque pluribus Principibus; illa retinuit vetus vsitatumq; Lotharingiæ nomen.

Habet autem superior Lotharingia has confines prouincias. ab oriente Alsatiam eamque regionem, quam Germani Westrych (id est Occidentale regnum) appellant; à Meridie Burgundiam: ab occidente Campaniam Galliæ; à Septentrione Arduennam syluam, Lucenburgum & Archiepiscopatum Treuirensem, quæ duo olim sub Lotharingia comprehensa fuerunt. Percurrunt hunc Ducatum flumina celeberrima, Mosa, Mosella, Sarauus, Voloia, Mortana, Murta, Sella. Hida cum nonnullis aliis. Mosella quidem & Sarauus hic fluunt potiore parte: cæteri fere integri. Oritur *Mosella* in monte Vogeso haud procul Araris fontibus, paulo supra vicum qui vulgo *Bussan* dicitur, lapsusque ab Vulturno in Caurum ventum, perlustratis oppidis, quæ vernacule vocantur Estraic, Remiremont, Espinal, Charmes, & Baion, flexo ab oriente in occidentem cursu, recta Tullum petit, vnde in orientem resurgens Fruardum vsq; versus Aquilonem tendit, hinc iuxta Mediomatricum vrbem & Augustam Treuirorum præterlabens, variis curuaturis & anfractibus Rhenum petit; à quo paulatim accedit; & longo tractu, æquali quasi cursu comitatur, relicta inter vtrumque ad alueum exigua admodum terra, donec tandem paulo supra Condeiam Arcem, quæ à dextris in rupe est; facto cum Mosellæ alueo angulo acutissimo, eius aquis miscetur. Iungit se eidem apud Mediomatricum vrbem *Sella*.

Inter oppida Lotharingiæ primum locum sibi vendicat Nanceium, sedes & regia Ducum: non quidem amplitudine vasta, sed situ pulcherrimo & commodissimo, nec non Arce Ducali conspicua vrbs. Est in hac templum S. Georgii, in quo spectatur tumulus Caroli Pugnacis, Burgundiæ Ducis, qui hoc loco ab Heluetiis & Lotharingis in prælio occisus est anno AN. C. MCDLXXVII. Sunt in eodem antiqua quædam Ducum Lotharingiæ sepulchra, sed sine inscriptionibus. Sunt & in aliis templi facelliisque quorundam Ducum humata corpora, cum locus sepulturæ eorum certus destinatus non sit. Visuntur multa eorum monumenta in Templo Franciscano, quod est ad latus iuxta Palatium: inter quæ superbit sepulchrum Renati, cuius auspiciis victus est Burgundus. Sunt in eodem templo spectatu digna monumenta Antonii Principis, & filii eius Francisci nec non Claudiæ Valesiæ, vxoris Caroli, quæ filia fuit Henrici II. regis.

Alluit autem Murta fluuius muros Nanceii oppidi, haud longe ab eo loco, vbi cæsus fuit Carolus Burgundus, iuxta exiguum riuum quem transilire voluit. In huius rei signum erecta est ibi crux lapidea, cum inscriptione Gallica insculpta laminæ æreæ. Paulo superius, vbi commissum fuit prælium, Sacellum extructum est quod adhuc vocatur. *Ad Burgundos*, cum cœmeterio, & tabula ærea, in qua leguntur versus quidam Gallici testes tam acris conflictus.

Post Nanceium collocatur in ordine oppidorum Fanum Nicolai, quod populo satis frequens, ob reliquias S. Nicolai, quas ibi asseruari aiunt. Cumque aliquando vicus fuisset humilis, nostra ætate oppidum adeo copiosum factum est, vt inter optima Lotharingiæ recenseri possit; si cinctum esset mœnibus, adeoque elegantibus rectisque distinguitur plateis, & magnificis assurgit domibus, accedente memoniorum frequentia & opificum multitudine.

Ad Leucam vnam Gallicam ab Nanceio abest *Fruardum* oppidum: ad tertiam Commesium, hinc Baynum & Lunæuillæ. Vnum quartum milliare Pons Mussonius, Studium vniuersali celebris, & Gerbeuilla: hinc Chanesium, Castanoium, Vaucoloriū, patria Iohannæ Puellæ illius famosissimæ; per errorem Vulgo Aurelianensis dicitur. Cætera oppida hæc fere sunt: Moranges, Lexan sus Bresse, Dompaire, Deneure, Hoc

C

Chasteau, Ramberuiller, Raon, Bellemont, Ca-
trum-nouum, Mugstadium, Marchainuilla, E-
pinal, Bruyeres, Arney, Ormont, Walderfa-
us, Beaurains, Vaignus, Estraye. Preter hec oma
ia, in quibus vernacula appellatio retinenda
uit, sunt insuper in Lotharingia Charme, Si-
nie, Castellum supra Mosellam, Claremon-
um in Argonna, Gondrecurtum fortalitium,
stenæum, Marsacum fortalitium, Pfalszbur-
um, Lugeburgum minus, Fontenæum Hom-
onegum, fanum Analdi & alia.

Comitatus in Ducatu Lotharingico sunt
i. Validi montis, quod oppidum quinque Leu-
s abest ab Nanceio; Chalignium, ad dimidium
illiare ab eadem vrbe: Amencea, septem Leu-
s ab vrbe Metensi in Meridiem: & hic olim
it Cancellaria Lotharingiæ: Richecurtium,
xta Gardam Lacum, vnde profluit fluuiolus,
ui miscet se Murtæ intra S. Nicolai Fanum &
pidum Roseras. Remiremontium ad sini-
am Mosellæ, qui fluuius ibi constituit Insu-
m, in parte Lotharingiæ meridionaliori. Vl-
nus est Comitatus Mothensis, super fluuium
i & ipse miscetur Mosellæ. Baroniæ siue Dy-
stiæ per Lotharingiam sunt hæ. Marsalensis,
xta Linderum lacum, in quo est Insula cum
pido Techempsul. Remireuillensis ad ter-
m à Nanceio milliare. Bellemontana, Ram-
ruillana, Hombarçana, Mariemontana, San-
curia.

Postremo loco coniungenda est cum Lo-
ringia ditio Barrensis, quæ se extendit vsque
Castrum Nouum. Præcipuum eius oppidum
Barium Ducis, quod posterius additum est
differentiam aliorum oppidorum, quibus i-
n est nomen. Est enim Barium supra Sequa-
n, Barium supra Aubam. Cætera eius oppida
t La Motthe, Lignus, & Arq, quanquam &
minora sint, de quibus non est laborandũ.
niq; continet hic Ducatus inclusa simul Bar-
si regione quatuor dierum iter ab oppido
enæo ad Darnæum: rursumq; viam tridui à
io Ducis vsq; Bicham.

ID IVRIS PRAETENDANT DVCES *Lotharingici super regnum Hierosolymitanum.*

Obtinuit Ducatum Lotharingiæ nomine
ris suæ Violentæ, quæ filia fuit Renati Ducis
egauensis, Renatus Comes Validi montis,
us Renatus eius nominis II. Cumque de-
sset auus eius, Renatus primus, Dux An-
n, Comes Prouinciæ, Rex titulo tenus Nea-
& Aragoniæ ac Hierosolymorum: Rena-
I. eius nepos dixit se legitimũ aui sui hære-
, ad quem deberet peruenire successio Re-
primi. Fuit autem hic impeditus in iure, vt
rabatur, suo per Carolum II. Andegauen-
Comitem Mænium, filium Caroli, qui fra-
ter fuerat Renati Maioris. Cumque hic Caro-
lus esset Princeps sanguinis Francici, Andium
vero & Turonum principatus essent Fiduciæ
perpetuæ, dependentes à corona Francorum, in
quibus succedere fœminis per legem Salicam
non liceret, obtinuit post mortem patrui sui
Renati primi Andegauensem principatum at-
que Turonensem cum Comitatu Prouinciæ,
sumsitque sibi eosdem, quibus Renatus vsus
fuerat, titulos regios. Huic tamen Renatus II.
Lotharingiæ Dux aduersatus est quantum po-
tuit, nec tamen tantum habuit virium, vt bello
eum aggrederetur. Cumque Carolus Andega-
uensis non haberet liberos, adoptauit in filium
Ludouicum XI. Gallorum regem, cum adhuc
Delphinus esset. At Renatus, cum amplius nihil
posset, retinuit duntaxat titulum Regnorum
Neapolitani, Siculi, Arragonii & Hierosolymi-
tani, ausus etiam armis inuadere & auferre re-
gnum Neapolitanum hæredibus Alphonsi, &
Arragonicum successoribus Iohannis.

Nihil hic dicam de Gotefrido Bullionæo
& Baldewino fratribus, Ducibus Lotharingicis
& regibus Hierosolymitanis, cum liberos hi
non habuerint, & Gulielmus frater Gotefridi
& Balduini obtinuerit Ducatum Lotharingiæ,
ex cuius posteris est Renatus iste II. & succes-
sores eius Duces Lotharingiæ. Hic ergo Rena-
tus, cum ipse vteretur Armis regni Hierosoly-
mitani, reliquit ea omnib. suis hæredib. qui ad-
huc eadem ostentant, vti superius de Ducibus
Lotharingiæ diximus. Sed & Duces Guisii, orti
de stirpe Lotharingica transegerunt pro se at-
que successoribus suis cum Francorum regibus,
qui & ipsi vtebantur titulis regnorum Neapo-
litani & Hierosolymitani & Comitum Prouin-
ciæ, & pro compensatione huius Comitatus ac-
ceperunt Ducatum Barrensem, Guisium & Mæ-
nium: vnde planum est Duces Lotharingiæ &
Guisios non vti titulo regni Solymorum, quam
quod prætendant ius Neapolitanum.

Qualitas & Natura terræ Lotharingicæ.

Quanquam vniuersus prope iste ducatus
montosus est & nemorosus, non tamen mul-
tum indiget exterarum prouinciarum ope, sed
satis frumenti vinique profert ad incolarum a-
limoniam. Stagna insuper habet piscosa & La-
cus, inter quos memoratur ille cuius ambitus
est XIV. milliarium, in quo Carpiones insolitæ
magnitudinis, trium videlicet pedum, saporis
gratissimi capiuntur. Salmones, percæ, trutræ,
lucii, tinchæ & globii magna copia in Mosella.
Animalium terrestrium insuper hic nullum
nõ genus. Salubres vero cumprimus sunt Ther-
mæ Plumberianæ, in quibus curantur morbi
qui aliam medicinam respuunt, vnde ab omni-
bus partibus magnus huc ægrorum concursus.

Salem

Salem ex fontibus excoquũt insigniter bonum. Varia hic itidem terra erruuntur metalli genera, argentum, cuprum, ferrum, stannum, plumbum: neque margaritis siue vnionibus destituitur, qui reperiuntur ad radicem Vosagi montis. Multum insuper hic eruitur coloris cærulæi, quem vulgo Lasurium appellant. Multæ hic officinæ vitriariæ, in quibus fiunt infinita vasa vitrea & specula nitidi læuoris, cuiusmodi vix in aliis Europæ partibus datur inuenire. Nascuntur in Lotharingia lapides Chalcedonii dicti, solito maiores, vnde varii generis ornamenta conficiuntur. Gignit postremo hæc prouincia Equos optimos, inter quos reperias, qui cum Turcicis & Neapolitanis certare possint.

Mores & ingenia incolarum.

5 Quanquam videri possim, tunc cum de Natura & moribus Gallorum verba feci, simul Lotharingos inclusisse, non tamen absurdum erit, de his aliquid sigillatim dicere. Vtuntur autem Lotharingi moribus mixtis, vel, vt clarius dicam, sunt eorum mores & ratio viuendi, partim Gallici partim Germanici. Habent aliquid vrbanitatis & ciuilitatis Gallicanæ: minus tamen sunt quam Galli alacres & excitati, rudiores nonnihil in conuersatione, & habent nescio quid peculiare in moribus suis, quod inter Gallos locum non inuenit, inprimis in aula regis. Venit hoc, vt opinantur plerique, ex vicinitate Germaniæ, quæ gẽs natura est grauior seueriorque, quos & Lotharingi imitantur in comportando. Gignit Lotharingia milites satis bonos, qui vbi ad hostem ventum est viros se præstare nouerunt. Populus est liber & apertus, non adeo deditus fraudibus & calliditati, vt quædam aliæ gentes, neque spiritus adeo habent subtiles & ingenium acre; quanquam & hæc regula in multis patiatur exceptionem. Qui inter eos sunt ex Equestri Ordine, vere Nobiles dici possunt, aperti & generosi, inter quos quidam viuunt more nobilium Germanorum, alii affectant Gallicismum. Inprimis tota aula Lotharingica in imitanda aula Gallicana ambitiosa est: & sunt quidem in ea non pauci Galli, qui huius Ducis vltro addixerunt se seruitiis. De ipso Principe dicere superuacaneum est, cum per vniuersum orbem Christianum nota sit illustrissima familia Lotharingica, & horum Principum semper ea fuerit virtus & perfectio, vt præsentes quidem auctoritate, absentes vero celebritate nominis atq; fama in admirationem rapuerint, vt à nobis laudandi non sint, sed ipsi suapte sponte non omnem solum laudem, sed ipsam quoque inuidiam vicisse atq; exsuperasse iudicentur.

OPES ET DIVITIAE.

6 Qui Lotharingiam incolunt multum argenti colligunt exdiuendito Lasurio lapide coloris cærulei materia, & ex vnionibus, quos ad radicem Vosagi montis reperiunt. Neque contemnendum est lucrum, quod ex materia vitrea & factis inde operibus exquisitis, inprimis speculis, ad eos redit, vt & ex lapide Chalcedonio cuius tam grandes reperiuntur micæ, vt inde non crepundia solum & globi, sed & vasa aliaque opera elegantia conficiantur. Sed & ex E quariis, quos magno numero exteris venduntpecunia importatur Lotharingis, qui insupe quotannis magnam copiam telæ laneæ lineæc prouincia sua exportant, in vicinam Galliat Germaniamq; nam de argentifodinis vt multdicam nihil est opus.

Aiunt autem ipsum Lotharingiæ Duce exterris possessionibusque suis quotannis pecipere ad duodecies centena millia coronatorum, cuius auri magna pars colligatur ex salinquarum illi exploratus nec dubius est prouetus, cum sal iste miro artificio confectus, nper eam duntaxat diuendatur prouinciam, fe& per vicinas gentes: existimantque nonnulsi Princeps iste vellet omnibus reb. compar cstituere vectigal, vt Principes per Italiam soler posse eum triplex inde percipere emolumetum, ob ingentem multitudinem hominuquibus tota scatet verminatque prouincia, & tfertilitatem agrorum. Reliquum præter salin argenti conficitur ex syluis, agris decumanpensione frumentaria, agro compascuo, metafodinis & huius generis prouentibus principalibus. Populus non nimiis opprimitur exactinibus, vnde quiete & tolerabiliter viuit, diiscitq; magis magisq;.

Robur & vires militares.

Præcipuum totius Lotharingiæ munimetum est Nanceium oppidum, cui exquisita ligentia nouæ munitiones adiectæ fuerunt ca annum MDLXXXVII. quod Dux nõ scausa metueret, ne Germani, qui tunc inge collecto exercitu in Galliam proficiscebant magnumque exteris terrorem inferebant, suæq; prouinciæ detrimentum afferrent. Igisuburbia muris fuere cincta, ipsiusque vrbis abitus auctus, prolatis pomæriis, & vallo fossadiecta, vt ad sustinendam talem vim habereidonea. Qui secutus est Princeps eam operac munimentis deinceps ita auxit, vt inter nnitissima loca Europæ numerari mereatur.

Est intra oppidum Armamentarium plenomni armorum instrumentorumque bellirum genere, quale vix apud vllum Principelium sis inuenturus. In oppido Bario Ducis Aest satis firma, quæ inter superiorem & infeiorem partem ciuitatis medio loca sita est. Motta, cuius supra fecimus mentionratione situs & operum adiectorum capi pse non videtur. Cui non multum cedit

ste

trum de Iamais dictum, in finibus agri Luxemburgici, vt & Astenæum & Claromontium. Nã le minoribus locis, quantumuis firmis, nunc dicere supersedebimus. Multum autem potest Princeps hic sibi polliceri de populo suo, quem habet ad omnes nutus addictissimũ, & cui nec or nec animus deest, vt dubitandum non sit, propter ingentem plebis multitudinem, eum qui velit armis inuadere Lotharingiam, multum habiturum negotii & suscepturum periculi. Sed de hoc quidem Dux iste securus esse potest, cum principibus Germanis vicinis suis vtatur amicis, cum rege Hispano Galloque magnis iunctus necessitudinibus, nihil ab vtroque quam fauorem & beneuolentiam sperare possit.

CATALOGVS DVCVM LOTHARINGIÆ.

Habuit Lotharingia priscis temporibus reges suos, qui longe lateq; imperitauerunt vicinis prouinciis, quæ nostra tempestate non amplius agnoscunt hunc Principem. Ipsa Ducum successio multoties interrupta fuit.

Primus, qui Ducis appellatione vsus est, nominatur Carolus, secundus Otho, cuius tempore Lotharingia separata fuit ab Alsatia, & hæc peculiarem Principatum siue Landgrauiatum acta. Mortuus est hic Otho circa annum Salutis MXX. habuitq; successorem

Gotefridum filium, mortuum anno à n. C. MX. quem excepit Gotefridus Gibbosus interfectus anno AN. C. MLXXVI.

Tradidit tunc Henricus IV. Imperator Ducatum istum filio suo Conrado: Sed is postea deuolutus est ad familiam Gotefridi, videlicet nepotem eius ex sorore, qui & ipse Gotefridus dictus, Hierosolymorum primus rex.

Huius frater Baldouinus successit in regno & Comitatu, & post eum tertius frater, nomine Eustachius: quanquam non desunt qui dicant post Baldouinum Henricum Limburgensem occupasse armis Ducatum istum, & fuisse Septimum ordine Ducem circa annum Gratiæ MC

Postea dedit Henricus V. Imperator Principatum hunc Guilelmo Comiti Louanensi, qui successores habuit hos.

Theodoricum filiũ, & Theobaldum ex hoc Theodorico nepotem. Cui successit Fridericus, sub quo Brabantia à Ducatu Lotharingiæ ablata fuit.

Post Fridericum aiunt quendam Matthæum Ducatu potitum fuisse, qui reliquerit Simonem Ducem, itemq; alium nomine Fridericum, extinctum anno Salutis MCCXXXIX. Habuit hic successorem

Matthæum filium, quem secutus est filius, Fridericus, hunc rursus Theobaldus filius, qui obiit anno MCCCXI.

Fridericus Theobaldi filius filium habuit Rudolfum, qui obiit anno MCCCXLVI.

Iohannes Rudolfi filius duxit vxorem Sophiã filiam Eberardi Comitis Wirtembergensis, excessitq; è viuis anno A N. C. MCCCLXXXII. sepultusq; Nanceii, successorem habuit CAROLVM filium, cui vnica fuit filia, iuncta matrimonio *Renato* regi Siciliæ, filio Ludouici Ducis Andium. Adeptus est hic Ducatum nomine & iure vxoris, reliquitq; filium Iohannem & filiam Iolen, vxorem Friderici Comitis Validi montis, qui

IOHANNES successit Renato Patri, relicto

NICOLAO filio, sine liberis hæredib. extincto anno MCDLXIV.

Deuenit tunc Lotharingia in manus *Friderici* de Valido monte iure Ioles coniugis suæ, Renati Siculi filiæ. Ab hoc peruenit Ducatus in potẽtiã familiæ Bullioneæ, vnde tota domus & prosapia Principum Lotharingicorum ad nostra vsque profluxit tempora, cuius familiæ Genealogiam subiicere conabor.

Igitur RENATVS Dux Lotharingiæ, Comes Validi Montis, eiectus prouincia sua armis Caroli Pugnacis Ducis Burgundiæ, cum auxilia ab Heluetiis impetrasset, interfecit hostem suũ in prælio ad Nanceium Nonis Ianuarii anno A N. C. MCCCCLXXVII. Hic cum priorem vxorem repudiasset ob causam sterilitatis, duxit alteram, Philippam, filiam Adolfi Egmondani, Ducis Geldriæ & Comitis Zutphanensis, & Catharinæ Burboniæ Caroli Burbonii filiæ. Ex hoc matrimonio natus est

ANTONIVS Lotharingus, qui filium habuit *Franciscum*, Ducem Calabriæ, Lotharingiæ, Barri, & Geldriæ, mortuũ An. Salutis MDXLVI. cũ duxisset vxorem Christianam Daniæ regis filiã.

CAROLVS Dux Calabriæ, Lotharingiæ, &c. habuit in matrimonio Claudiam Valesiã, Henrici II. Gallorum regis filiam, vnde natus est

HENRICVS Calabriæ, Lotharingiæ, &c. Dux, & frater huius Carolus Cardinalis Lotharingię, Episcopus Metensis, quibus defunctis vita successit

CAROLVS Comes Validi Montis, cum haberet vxorem filiam Henrici Lotharingiæ Ducis defuncti, qui nunc per omnem dominatur Lotharingiam.

Origo Domus siue familiæ Guisiæ.

Claudius Lotharingus, Dux Guisius & Aumalius, Principum sui temporis belli gloria celeberrimus, duxit vxorem Antoniam Bourboniam, Filiam Francisci Ducis Vindocinensis & Mariæ Lucemburgicæ. Ex hoc matrimonio nati sunt liberi vndecim, filii quidem septem, & filiæ quatuor.

1. Franciscus Lotharingus, dictus Aumalius, postea Elbouius Dux.

2. Carolus Cardinalis Lotharingiæ, Archiepiscopus Rhemorum.

3. Claudius Lotharingicus, Aumaliæ Dux.

4. Ludouicus Lotharingicus, Cardinalis Guisius, Episcopus Albiacus.

5. Philippus Lotharingicus, mortuus in pueritia.

6. Fran-

6. Franciscus Lotharingicus, Magnus Prior Franciæ.

7. Renatus Lotharingicus, Marchio Elbouius.

Maria Lotharingica primo nupsit Ludouico Aurelienſi, Duci Longæuillæ: deinde Philippo Croyo, Duci Arschotano.

Renata Lotharinga, Abbatissa S. Petri in vrbe Rhemorum.

Antonietta Lotharingica Abbatissa in Monasterio Furiensi.

Ludouica Lotharingica, primo nupsit Renato Nassouio, Principi Vranienſi, ex quo nullam susceptit sobolem. Post quem iunxit se Philippo Crouiaco, vnde est Carolus, Marchio Haurensis, pater Alexandri Croii, qui habuit vxorem filiam Marchionis Vrfæi. Fuit hic proditorie interfectus, cum ageret Bruxellis in domo sua mense Nouembri, an. AN. C. MDCXXIV.

Ex Francisco Lotharingico, maximo natu Claudii Guisii Ducis filio, nati sunt, Henricus Guisius, Carolus Mænius, Claudius Aumalius, Renatus Elbouius.

Principes vtriusq; sexus ex Familia Guisia.

11 *Franciscus* Lotharingus Dux Guisius, interfectus fuit, cum obsideret Aureliã à Merano Poltroto anno Salutis MDLXIII. Nominabat hic se Principem Ioinuillium, Marchionem Mænium, Parem & Magnum Magistrum Franciæ. Vxor eius fuit Anna Estensis, filia Herculis Estensis Ferrariæ Ducis II. & Renatæ, quæ fuerat filia minor Ludouici XII. Gallorum regis. Suscepit is ex hac filios tres, filiam vnam, nempe Catharinam, secundam vxorem Ludouici Borbonii, Ducis Mompenserii, mortuam sine liberis.

Henricus Lotharingus, Dux Guisius, Par & Magnus Magister Franciæ, Gubernator & Legatus Regis in Comitatib. Campano & Brienſi, vxorem habuit Catharinam Cliuiam, secundam filiam Franciſci Cleuensis, Ducis Niuernensis & Margaritæ Burboniæ, ex qua suscepit plures liberos, interque alios filios IV. & totidem filias.

Carolus Lotharingicus, Dux Guisius, Ioieusius & Ioinuillius, Par Franciæ, Gubernator & Legatus regius per Prouinciã Galliã, Archithalassus Maris Mediterranei versus orientẽ, vxorẽ habuit Henricam Catharinam, filiam vnicam Henrici Ducis Ioieusii & Catharinæ de Valetta, quæ vidua fuerat Henrici Burbonii, Ducis Montpenserii, ex qua hi ei fuere nati liberi.

Franciscus Lotharingus, Princeps Ioinuillius.

Duo Gemelli in infantia mortui.

Henricus Lotharingicus, S. Dionysii in Gallia Abbas.

Carolus Ludouicus Lotharingicus, Princeps Ioieusius.

N. Lotharingicus, Eques S. Iohannis Hierosolymitanus.

Secundus filius Henrici Lotharingici & Catharinæ Cliuiæ fuit *Claudius* Lotharingicus, Dux Cheureusius, Magnus Galliæ regni Cubicularius, Legatus regius per Aruernos, habuit coniugem Amatam, filiam Herculis Rohanensis, Ducis Montbassonii, ex qua vnicam habuit filiam.

Tertius Henrici filius fuit *Ludouicus* Lotharingicus, Cardinalis Guisius, Rhemorum Archiepiscopus, Dux & Par Franciæ, Abbas Cluniacensis & ad S. Dionysium; mortuus est in anno Salutis MDCXXI. durante obsidione oppidi S. Iohannis Angelici.

Quartus fuit *Franciscus Parii* Lotharingicus, Eques Ordinis S. Iohannis Hierosolymitani, Legatus Regius per Prouinciam Galliam. Extinctus hic fuit in Prouincia fragore tonitrui tormento æneo emissi, a. d. 1. Iunii anno MDCXIV.

Ludouica Lotharingica, secunda vxor Francisci Burbonii, Principis Contiaci: ex his coniugibus non nisi vna nata est filiola, mortua in infantia.

Catharina Lotharingica excessit è viuis antequam nuberet.

Maria Lotharingica, Abbatissa ad S. Petri in Vrbe Rhemorum.

Iohanna Lotharingica, Abbatissa Iuatensis & Prulensis.

Principes vtriusq; sexus de Familia Mænia.

Carolus Lotharingicus, Franciſci Ducis Guisii & Annæ Estensis secundus filius, primo Marchio, deinde Dux Mænius, Par & Magnus Galliæ Cubicularius, Vxorem habuit Henricam Sabaudam, filiam Honorati Sabaudi, Marchionis Villarensis, Archithalassi Franciæ ex qua suscepit filios duos totidemq; filias. Nempe

Henricum Lotharingicum Ducem Mænium & Aguillonium, Parem & Præfectum Cubiculi Regii, Legatum regis cum potestate per Aquitaniam. Duxit hic vxorem Henricam, filiam Honorati Ludouici Gonzagæ, Ducis Neuerensis, & Henricæ Cliuiæ, quæ mortua est in puerperio, dum enitetur filiolum; qui è vestigio periit. Hic Princeps, cum aliquot annos in ciuitate transegisset, multaq; virtutum vatum specimina edidisset, traiectus fuit globo plumbeo cum obsideret Montem Albanum, mense Septembri anni MDCXXI.

Carolus Emmanuel, Comes Sommariuius, filius est in Italia adhuc cælebs.

Catharina Lotharingica, filia maior Caroli Ducis Mænii, nupsit Carolo Gonzagæ, Duci Niuernensi & Rethelensi, Principi Mantuano, Pari Franciæ, Legato regio cum potestate per Comitatum Campanum & Brienſem. Habuit hic liberos sex, filios tres & filias totidem. De filios recensebimus.

Primus fuit *Franciscus* Gonzaga, Dux Rethelensis, qui iuuenis excessit è vita mense Septembri anno AN. C. MDCXXII.

Carolus Gonzaga, Cliuius, Princeps

ani, & post mortem fratris maioris Dux Re-
helensis.

Ferdinandus Gonzaga Cliuius, Dux Mænius:

Renata Lotharingica, filia minor Caroli Lo-
haringici, Ducis Mænij, Marij, S. Flori Comitis
xor, qui filius fuit natu maior Ducis Sfortiæ in
ulia, ex quo matrimonio natus est filius vnus.

Series Principum vtriusque sexus ex familia Aumalia.

Claudius Lotharingicus, tertius Ducis Guisij &
ntoniæ Burboniæ filius, fuit Dux Aumalius;
r Franciæ, Produx regis nomine Burgundiæ,
sus fuit ante Rupellam oppidum anno Gratiæ
DLXXIII. Coniux eius fuit Ludouica, Ludo-
c Bressæi, Magni Senescalli Normandiæ,
ynastæ Aneti, & Dianæ Pictauiensis, Valenti-
nsium Principis, filia, nati sunt ex hoc coniu-
filij tres, filiæque totidem. Nomine

Carolus Lotharingicus, Dux Aumalius, Par
ncix, qui ex Maria Lotharingica, consangui-
a sua, filia Renati Marchionis Elbouij, sustu-
filios duos, filias totidem.

Carolus Lotharingicus, puer admodum
ot uus est.

Henricus Lotharingicus & ipse.

Margarita, viro nunquam nupsit.

Anna Lotharingica vxor fuit Henrici de Sa-
udia, Ducis Nemurcensis, Carnutum & Ge-
nensium, ex quo suscepit filios duos, nimirum
ncisum Paulum Sabaudum, Principem Ge-
nensem & N. Sabaudum, Ducem Aumalium.

Henricus Lotharingus, secundus filius Clau-
Aumaliæ Ducis & Ludouicæ Bressæ, Comes
alerij, in adolescentia extinctus est.

Claudius Lotharingicus, tertius illius Claudij
us, Eques Ordinis S. Iohannis, interfectus est
. Dionysij oppido, per Toparchiam Vicen-
, cui oppidi fuerat commendata custodia.

ohanna, vel secundum alios Catharina, ter-
uit coniux Nicolai Lotharingici Comitis
demontij ex qua sustulit

Henricum Lotharingum, Chalignij Comitē,
ticum, Episcopum Virodunensem. Henri-
habuit ex vxore sua Claudia Mouiaca filios
sque, quorum cum plerique adhuc sint su-
tites, ab eorum laudibus est abstinendum.

rolus factus est Episcopus Virodunēsis post
um patruum suum, qui vt se cum Iesuitis
næ degentibus coniungeret, resignauit Epi-
atum.

Henricus Lotharingus, Comes Chalignius,
Marchio Mouiæus.

rancicus Lotharingus, Episcopus Virodu-
is post fratrem suum Carolum.

ana Lotharingica fuit secunda filia Claudij
ualiæ Ducis, vxor Francisci Lucenburgici,
cipis Pinæi & Tingrij, Parisi Franciæ, ex quo
pit

enricum Lucenburgicum, Pinæi & Tin-
Principem. Natæ sunt huic ex Magdalena,
elmi Montmorancij, Thoræi Domini
duæ gnatæ, quarum prior nupsit Brantesij
Toparchæ, posterior iuniori Duci Ventadu-
rio.

Maria Lotharingica, Abbatissa Cellensis: Lu-
douica, Abbatissa in Monasterio Matris Virgi-
nis apud Suessiones.

Series Principum vtriusque sexus ex Familia Elbouia.

Renatus Lotharingicus, Marchio Elbouius, septimus filius Ducis Guisij, & Antoniæ Burbo-
niæ, vxorem duxit Ludouicam filiam Claudij Dynastæ Riuensis & Susannæ Montpensieriæ, ex quibus coniugibus nati sunt liberi: Maria Lo-
tharingica, vxor Caroli Ducis Aumalij.

Carolus Lotharingicus, Dux Elbouius, Par Franciæ, habuit in matrimonio Margaritam Chabotiam, Leonardi Chabotij, Magni Stabu-
lorum Regiorum per Galliam præfecti filiam, vnde nati fuerunt filij duo, filiæ tres:

Carolus Lotharingicus, Dux & Par Franciæ, Comes Harecurcius, qui duxit Catharinam Hē-
ricam, Legitimam Franciæ, ex qua habuit duos filios & filiam vnam; quorum nomina ad nos non peruenerunt.

Henricus Lotharingicus, filius minor Caroli, primi Ducis Elbouij Comes Brionius & nomi-
ne tenus Harcurcius.

Claudia Eleonora, vxor Ludouici Gofferij, Ducis Ruennensis & Marchionis Boissiaceni, plures marito peperit filios, inter quos primo-
genitus factus est Marchio Boissiacensis, duæ fi-
liæ ingressæ Monasteria, Moniales factæ sunt.

Maria Lotharingica filia maior Claudij Du-
cis Guisij & Antoniæ Burboniæ bis nupsit. Pri-
mo Ludouico Aurelienſi, Duci Longæuillano, ex quo suscepit duos filios, quorum Franciscus mortuus est, cum octauum annum ætatis age-
ret, anno A N. C. MDLI. cum esset sub tutela aui sui materni, Claudij Ducis Guisij.

Ludouicus Aurelienſis, natus a. d. IV. Augu-
sti anno M DXXXVII, puer admodum ex-
tinctus est, duobus post mortem patris sui men-
sibus.

Maria Lotharingica nupsit primo Duci Lon-
gæuillano; deinde Iacobo V. Regi Scotiæ, cui peperit filios duos, mortuos in infantia, & filiam vnam, Mariam Stuartam, Reginam Scotiæ. Hęc primo nupsit Francisco II. Gallorum regi, ex quo nullos habuit liberos: secundo conuenit in manus Henrici Arlæi, filij Ducis Lenoxij, vnde natus est filius, nempe

IACOBVS VI. Rex Magnæ Britanniæ & Iber-
niæ, Pater *Caroli*, qui nostra tempestate Britan-
nicarum Insularum rex est.

CAROLVS Magnæ Britanniæ, Franciæ & Iberniæ Rex vxorem duxit Henricam Mariam, Henrici IV. Gallorum regis filiam, Ludouici XIII. Sororem.

ELISABETHA Britannica nupsit Friderico V. Comiti Palatino Rheni, Electori Imperij, Bauariæ Duci, cui, cum hæc scriberemus, se-
ptem pepererat liberos, tam mares quam fœmi-
nas.

Series Principum vtriusque sexus ex familia Mercurina.

Nicolaus Lotharingus, Dux Mercurij oppidi in Aruernis, Comes Validi Montis, secundus fuit filius Antonij Lotharingici & Barrensis Ducis, cui tres fuerunt vxores.

Ex prima, quæ fuit Margarita Egmondana, sustulit Henricũ, Catharinam & Mariam, mortuos in pueritia, & vnam filiam superstitem, Ludouicam, vxorem Henrici III, regis Franciæ & Poloniæ.

Post hanc duxit Iohannam Sabaudam, Philippi Ducis Nemurcensis filiam, ex qua sustulit filios tres, filiam vnam. filij fuerunt hi:

Philippus Emmanuel, Dux Mercurij & Ponthicurrensis, cuius vxor fuit Maria Lucenburgica, filia Sebastiani Lucenburgici, Dynastæ Martiguij, ex quo matrimonio nati sunt hi liberi:

Philippus, qui infans decessit. Francisca, Ducissa Mercurij nupsit Cæsari Duci Vindocinensi, Gubernatori & Legato Regio per Britanniã Minorem & Aremoricos populos, peperitque filios duos, filiam vnam:

Ludouicum Vindocinum, Ducem Mercurij,

Franciscum Petrum, Martiguij Dominum,

Isabellam Vendomensem, siue Vindocinensem.

Carolus Lotharingicus, secundus filius Nicolai Validimontij, ex secũda vxore, fuit Cardinalis & Episcopus Tullensis.

Franciscus Lotharingicus Marchio Caussinensis, mortuus est nondum ducta vxore.

Tertio iunxit sib Nicolaus Lotharingicus, Comes Validimontis Iohannam Lotharingicam, filiam Claudij Ducis Aumalij, vnde natus est Henricus Lotharingicus, Comes Chalignius, qui mortuus est in Hungaria, relictis tribus liberis ex vxore sua Claudia Mouyæa, filia Caroli Marchionis Mouyæi.

DVCATVS SABAVDIÆ, QVÆ PARS EST VETERVM ALLOBROGVM, Cum Principatu Pedemontij.

SVMMA CAPITA.

1 *Quibus limitibus circumscribantur terræ & dominia Ducis Sabaudiæ, quæ diuiduntur in Sabaudiam & Pedemontium.*
2 *Descriptio exactior Ducatus Sabaudiæ, & qui sint in eo Comitatus atque Baroniæ.*
3 *Pedemontana regio, & quæ sint in ea præcipua oppida.*
4 *Taurinum Vrbs, caput vrbium Pedemontanarum. Celebratur ob sedem atque domicilium Principis & Studium vniuersale in ea, in quo omnis generis artes florent & scientiæ: accedente Viuario magnifico nuper instituto.*
5 *Marchionatus Salutiorum, eiusque oppida & Arces præcipuæ.*
6 *Vrbes & oppida præcipua Pedemontij, muris cincta, præter oppida Episcopalia.*
7 *Comitatus Nicæensis diuisus in quatuor Vicariatus, eius arces & oppida.*
8 *Fertilitas soliper Sabaudiam & Pedemontium, qui vtrimque lacus & fluuij celebriores.*
9 *Latomiæ, saxorum quadratorum & Marmorum nuper detectæ.*
10 *Quod sit ingenium & natura Sabaudorum, & Pedemontanorum.*
11 *Opes Pedemontij consistunt in metallifodinis auri, argenti, ferri; in negociatione: in pecudibus & panno Pinerollensi.*
12 *Computus & ratio prouentuum annuorum Ducis Sabaudiæ.*
13 *Potentia & vires huius Principis: loca in vtraque prouincia munitiora. quos habeat amicos & cõfœderatos Principes.*
14 *Quid iuris Dux iste prætendat super aliis regionibus & principatus.*
15 *Modus Gubernationis & administrandæ Iustitiæ tam per Sabaudiam quam Pedemontium.*
16 *Catalogus Ducum Sabaudiæ, qui vsque ad nostra tempora principatum in vtraque prouincia gesserunt.*

SI omnes terras atque regiones, quæ hac tempestate Sabaudiæ Ducis agnoscunt dominium simul comprehendamus, circumscribemus eas his limitibus. Ab Oriente Ducatu Mediolanensi & Monferratensi. Ab Occidente ea parte Galliæ, quæ Bressa & Frãcus Comitatus dicitur. A Meridie statuemus varios limites, Prouinciam Galliæ, Delphinatum, qui pars est Allobrogum & paulo inferius agrum Genuatem in Liguria: vbi vero est Comitatus Nicæensis Mare Mediterraneum: postremo ad Aquilonem Heluetios, Bernates & Friburgenses.

Vt autem hæc omnia dilucidiora fiant, dividemus vniuersum istum Principatum tantum in duas partes, secuti Naturæ ipsius ductum, quæ interiectu montium ipsas dirimit, nempe in Sabaudiam & Pedemontium.

Igitur Ducatus Sabaudiæ hos habet fines. Septentrione est Burgnndiæ Comitatus, tutioribus limitibus, & pars Heluetiæ, Lemano lacu interposito: ab Ortu Valesia & Pedemontium, finibus non multo certioribus, nisi quod montes interiacent editissimi: ad Meridiem Occasum Delphinatus se offert cum nonn

Rhoc

Rhodani portione, Sabaudos separantis ab Burgundiæ Ducatus incolis. Accensetur vulgo Comitatus Maurianensis & Marchionatus Susensis Sabaudiæ partibus, quamuis potius pertineat ad Pedemontium. Extenditur autem *Comitatus Maurianensis* vsque ad Archum fluuium, vbi S. Iohannes de Morienne oppidum non ignobile. Sepultus est in hoc Humbertus Primus, qui ab Henrico III. Imperatore accepit in Beneficium Comitatum Maurianensem cum ipsa Sabaudia. *Tarantasius* ager conclusus fere spectatur inter montes Alpinos, fluuiosque Archum & Aram. Præ ipsum huius regionis oppidū vocatur Monasterium in Tarantasia, vbi spectatur tumulus Humberti II. Comitis Maurianensis, qui agrum Tarantasium sibi acquisiuit.

Dynastia siue *Baronia Foßignienſis* Ripalliam habet, locum nō tantum ob amœnitatem commendatum, sed & eo celebrem, quod Amedeus VIII. Primus Sabaudiæ Dux, spoliatus omni ditione, vitam amplexus Monasticam, in eo oppido fuerit cum à Patribus in Concilio Basiliensi Pontifex Maximus creatus fuit, anno A N. C. M. CDXL. Sunt Præterea *Ducatus Cablasii* & Baronia Raudensis & Gazensis. Metropolis Sabaudiæ est. *Cameriacum*, Vulgo *Chamberi*, sita in conualli, & Montibus vndique cincta, præclaris ornata ædificiis. Reliquæ fere sunt, Nicium, S. Iohannis Maurianensis, Monasterium, Tononiū, Monsmelianus, Inciliæ, & quædam alia.

Pedemontium, in quo iam Comitatū Nicæensem non comprehendimus, porrigitur à fluuio Cæsio vsque ad Delphinatum, inter Alpes, inter agrum Mōferratensem, Mediolanensem & Genuatem: fines habens ab Oriente Padum, à Meridie Ligurum Alpes, qua Occidens est, Alpes Galliæ, qua Septentrio, Duriam Ripariam.

Caput Regionis est antiqua Ciuitas *Taurinū*, cætera oppida sunt, Vercellæ, Asta, Iurea, Osta, Mondeuium, Fossanum, Salutium, Carmanola. Asta, & Iurea fuerunt antiquæ Coloniæ Romanorum, vt & Taurinum. Astensi & Vercellensi oppidis ambitus spacioſior quam reliquis, ædicia exquisitiora, suntque qui Astam cum celerrimis Longobardiæ vrbibus conferunt, ob palatiorum in ea vrbe magnificentiam. *Vercellæ*, oppidum miræ antiquitatis, caput est populorum, qui inter Cæsiam & Duriam amnes habitant. Celebrauit hic aliquando Leo IX. Pont. Max. Concilium contra Berengarium. *Iurea*, quæ apud scriptoribus est *Eporedia*, metropolis est Salassiorum populorum Alpinorum, sita in valle Ostensi, super ripam Duriæ fluuij, loco adeo commodo, vt huius fiducia Berengarius & post eum Ardouinus Marchiones ausi fuerint ad totius adspirare regnum Italiæ.

Osta, rectius Augusta, ab Augusto Cæsare structa creditur, in faucibus Graiarum & Pœninarum Alpium, quæ nostro æuo appellantur maior & minor mons S. Bernardi. Transituri Helesiam, maiorem superare necesse habēt, qui Parentasiam, minorem. Est autem Augusta oppidum caput illius Vallis, quod inde nomen Ostensis accepit. Visuntur hic nonnulla Antiquitatis monumenta, inter quæ est Arcus pulcher admodum & integer.

Taurino Vrbi maxima hodie celebritas ob regiam & domicilium Principis, nec non ob Academiam in ea Clarissimi nominis. Fuit olim multo maior quam nunc est: Gallis, qui huius aliquando possessores fuerunt, eam arctioribus complexis spaciis, vt facilius defendi posset. Iacet ad ostium in Pado Duriæ, qui locus totius Italiæ maximi momenti est: quæ causa mouit Romanos, vt eo deducerent Coloniam, & Augustus eam auxit structa porta exquisiti operis, quæ adhuc hodie nominatur *Porta Palatij*, & Longobardi, cum omni potiti fuissent Insubria, vnum ex quatuor Ducibus regni sui huc collocauerunt. Fecit iuxta hanc Sabaudiæ Dux Theriotrophium siue viuarium, cuius ambitus quinque vel sex milliaria complectitur, quo loco haud scio an quicquam amœnius in tota Europa inueniri queat. Clauditur hoc viuarium Pado, Duria & Sura amnibus, intus plenum saltibus nemoribusque, paruis stagnis, fontibus & omnis generis feris, quæ alibi captæ hic ad voluptatem spectantium inclusæ sunt. Circa ipsam Vrbem Taurinam tantum est palatiorum, villarum, prædiorum, ædium ad delitias extructarum, vt alteram quandam vrbem constituere videantur. 4.

Mondeuium, quod oppidum quidam sub Conrado II. Imperatore structum existimant, in monte situm est, eius suburbiis circum circa sparsis, potissimum tamen ad ipsius monticuli radicem super Ellam amnem, qui duobus inde milliaribus in Tanarum influit. Populi hic maior frequentia, quam in vllo alio Pedemontij oppido. Vicense dicitur vnum ex suburbiis, vbi præcipua religione Diua Virgo Mater colitur, cui Princeps nouum Templum dedicauit, inque eo sacellum, in quo visuntur sepulcra quorundam Ducum Sabaudiæ.

Fossanum & ipsum in colle conspicitur, in media assurgente planicie, super Sturam fluuiolum. Superbit hoc oppidum arce siue castro pulcherrimo.

Salutiorum oppidum iuxta Alpes ędificatum, caput est Marchionatus, qui inde denominatur, in quo fons est Padi fluuij. Ambitus oppidi satis est spacioſus, in quo Castrum amplissimum, hybernis æstiuisque distinctum cœnaculis. Præter hoc sunt in hoc Marchionatu maioris momenti oppida *Dronera* & *Carmagnola*. Postea Rauelia, Dolianum, per quod deducuntur potissimæ merces ex Pedemōtio in Liguriam; hinc Versola, Mantea, Pagnium, & opulenta Abbatia Staffardensis.

Fuit hic Marchionatus cum quibusdam terris Prouinciæ cis alpes nostro tempore vnitus cum Pedemontio, deditque eum Dux Sabaudus facta permutatione Galliæ regi, ad quem omnia illa pertinebant, Bressa & circumuicinæ regiones, quæ longius multo latiusque patent, quam Marchionatus Salutiarum.

6. Sunt autem in Pedemontio præter Vrbes & oppida Episcopalia circiter CC.L. loca mœnibus cincta, inter quæ sunt, quæ vel cum frequentissimis oppidis certare possint, tam pulchritudine quam opulentia, cuiusmodi sunt, quæ patria lingua adscribemus: Biela, Quiers, Cuna, Susa, Auiliana, Riuola, Pinarolum, Moncalerium, Carignanum, Raconisium, Queyras, Beneum, Villa Franca, Vigonium, Pancalerium, Brusca, Barga, Iauena, Sauillanum & alia multa.

Est Oppidum *Biela* satis spacioſum, ædificiis cultum perpulchris, inter quæ caput alte effert Cœnobium S. Hieronymi, vt & SS. Dominici & Sebastiani. Pineroli arx est spectatu digna. Quieram eo honore dignatus est Barbarussa Imperator, vt eam Vrbem adpellaret, quo sane nomine indigna non est, si quis consideret egregia templa, monasteria & conuentus Religiosorum, domus publicas priuatasque, multitudine nobilium hominum, qui hic habitant, & mercatorum.

Susa olim fuit oppidum amplum & magni momenti. Sed Fridericus I. Imperator illud spoliauit exussitque, vnde nunquam potuit ad veterem assurgere splendorem. Loco situm est commodissimo, quod duæ hinc pateant viæ ad diuersa itinera: vna per Icilias ad Brianſonium, altera per Monſanenses Lugdunum Galliæ.

Auiliana bonum habetur oppidum, opulentũ, mercatoribus aptum: arcem habet, in ſummo monte ſtructam, cum ſcaturigine ſalientis aquę. *Riuola* potissima gloria, quod in eo oppido Dux Sabaudiæ, qui nunc rebus præest, primum hauserit vitales auras, qui hunc natalem ſibi locum præclaris cœpit exornare ædificiis.

Moncalerium amplitudo ambitus, *Carignanum* vero Arx munita commendat, cuius præsidio diuturnã aliquando sustinuit obsidionem. Multæ in hoc oppido sunt familiæ nobiles, quæ præter alia liberalitatis suæ monimenta fundauerũt Collegiũ Virginum Sacrarum, dicta lege, ne quę reciperetur, nisi quæ genere nobili nata foret.

Vt autem de cęteris taceamus *Sauillanum* ipsa loci elegantia & amœnitas extollit, accedente S. Benedicti Monasterio. Situs eius ratione loci naturalis talis est, vt Carolus V. Imperator, cum per has partes exercitum in Prouinciam Galliæ duceret, dixerit, vix vllum se vidisse alium locum commodiorem, vbi quantumuis magnus exercitus sisti melius atque retineri posset: Philibertus vero Emmanuel tantum huic loco tribuerit, vt hic habitare constituerit, & Sauillanum erigere in caput totius illius prouinciæ.

Cheua caput est parui Marchionatus, qui viginti sex loca habitata complectitur, interque ea quatuor Valles: Tanatensem, Banascam, Garessanam & Ormeensem. Hinc transitus est Mareamversus & Oneliam.

Digresso hinc occurret Mulasanum, locus in transitu Alpium situs, & paulo post Quiusa, vbi commodissima per æstatem habitatio, hinc Fanum Trinitatis, & Montea, & Granum, oppidum cum valle eiusdẽ nominis. Chentalium superiorib. temporib. munitum reddidit Mareschallus Bellogardius. Hinc inuenies Pollẽtiam antiquum oppidum, Gelolam, Caraium, Staffardam, Carsilianam & infinita alia, quæ omnia recensere, non video quid vtilitatis adferat. *Lucerna* oppidum est, vnde vallis Lucernensis denominatur, latis quidem ampla, vt viginti millia hominũ capere credatur. Diuersa hæc est à Valle Perusina, nec tamen abest longius. Transgresso Duriam amnem offerent se multæ arces & quædã oppida, inter quæ Stropianum, Fanum Germani, & Sancia, infeliciter quondam obsessa a Duce Albano. Candelia habitationes creditu complecti D C C. Adornia M C C C. Dioglia D C C. Gattinariam oppidum extruxerunt Dynastæ Arborenses, qui & inde denominari voluerunt, id que obtinuerunt aliquot seculis. Gerente autem bellum aduersus Pontifices Friderico Imperatore, dediderunt hi se in clientelam & obsequium Imperij, & ad hunc modum tandem per quieti vixerunt, donec metuentes sibi a vicinorum Principum Mediolanensium potẽtia, cõfugerunt sub Patrocinium Amedei primi Ducis Sabaudiæ. Sunt in comitatu Astensi plurimæ arces & oppida, quæ cum omnia percensere tædiosum futurum sit, nos ad Comitatũ Nicæensem nos conuertemus.

Est autem hic porrectus in longitudinem a vigesimum secundum milliare, habens vndecim in latitudine, intra Varum fluuium, cis quem tamen fines confunduntur, vt quædam loca spectent ad Delphinatum, quædam ad Pedemontium, postremo quædam ad agrum Genuensem.

Diuiditur autẽ *Comitatus Nicæensis* in vicariatus quatuor, qui denominantur à quatuor præcipuis oppidis, suntq; hæc: Nicæa, Pogetum, Barcellonetta & Sospella. His non male iungemus S. Stephani fanum cum sua valle: quamuis eius Vicarij dignitate non vtatur, numerantur tamen in ea ad triginta loca firmis muris cincta, præter pagos villasque.

Celeberrimum horum oppidorum est Villa franca, ob commoditatem Portus Marini, quem veteres vocauerunt Portum Herculis Monœci. Postea cernitur Æsa, & Zobia, natalis locus Pertinacis Imperatoris, vbi etiamnũ visuntur Trophæa Augusti. Cætera loca celebriora sunt: Polia, Saurga, cum firma arce, Briga, in qua domus prope CCCC. Lantuscæ caput propinquæ Vallis, vti S. Dalmatij oppidum caput est locorum campestrium. Boglia, Comitatus est peculiaris. Pogetum attingit Prouinciam: Barcolonetta patria est Hugonis Cardinalis, vbi frequens mercatura. Sospella ædificiis clara est, & Aquæductu elegantissimo.

Ipsa porro Vrbs *Nicæa* pulchra est elegansque populo frequẽs, rebus affluens: domus in ea fere ad quintam aut sextam contignationem adsurgunt, plateas habet rectissimas, inter quas pulcherrima est quæ pertingit à radice montis vsque ad Partam Eligij.

Iungitur Nicæensi *Comitatus Tendensis*, qui extenditur

tenditur vsque ad fines Cunæ. Patet autem quatuor locis via, transituris è Pedemontio in Comitatum Nicæensem. Primo per Coruum Mõtem, qui Tendam ducit; deinde per Fenestram (ita dictam) qua ad S. Martini Fanum itur: per Arnouiam, supra Valderam: postremo per Argenteriam versus Barcelonettam.

Natura & Qualitas harum regionum.

Gignit Sabaudia plurimum frumenti in suis vallibus, in decliuitate verò montium affatim pabuli: alicubi etiam præstans vinum, inprimis apud Montem Melianum & Mortenam. Nec destituitur lacubus piscosis, inter quos eminent Nicyensis, Burgetanus, & Geneuensis siue Lemannus. Montes excelsi in hac prouincia multi sunt, estque obseruatione dignum, quod qui per has regiones crebro iter faciunt, subinde aliquid noui inueniant, aliquando transitus discluſis montibus factos largiores, aliquando compressis faucibus factos angustiores, terra aliquando subsidente in vallem, aliquando se attollente in montem & collem. Præter hoc Naturæ opus nihil hic admodum est memorabile. Aer Sabaudiæ purus sanusque est: aquarum tamen quibusdam in locis ea natura, vt inflet hausta fauces œsophagumque, & tumere faciat ad instar strumæ.

Pedemontana regio omnis alluitur Pado, Tanaro, Stura, Duria maiorib. fluuiis, cum aliis circiter XXVIII minoribus amnibus canalibus ductis, vt gelidis sit vberrima vndis. Existimãt vulgo, vix vllam totius Italiæ regionem amæniorem esse, aut liberaliorem in generando tritico, vino, fructibus arboreis, ferina carne, pecudibus, caseis, castaneis, cannabe, lino, mineralibus. Niger circa Astam Vrbem irrigatur frequentibus fluuiis, inumbratur densis saltibus, attollitur amænis collibus, expanditur in campos floridissimos, gignit fructus suauissimos, inprimis pomones, quibus meliores inueniri negant. Vernalis panis in vsu est miri candoris, & comedũtur ibi capones maiores quam alibi.

Auctor est Plinius, inueniri circum Vercellas auri fodinas, cuius rei adhuc quædam extant vestigia, inprimis apud Ponderanum. Apud Eporedi. 9. plurimum nascitur cannabis. Vallis Augustana siue Ostana, quæ duorum dierum itinere longum porrigitur, hoc habet velut peculiare, quod tota à parte sinistra frumento consita est, ad dextram verò perpetuis vineis cooperta, quæ vinũ producunt laudatissimũ, inprimis circa Caloniam. Ad quartum à Taurino milliare ripa Padi fluuij mons est, sibi ipsi valde dissimilis, vt modo assurgat, alicubi subsidat, modo in se ipsum curuetur & recedat, vt prope omni parte aquis irrigari queat. gignit ergo frumenta varias, gramen copiosum pro pecudibus, fructus arboreos, & inprimis vinum generosum.

Ager circa *Mondeuium* longè lateque patet. In collibus crescit vinum nobile, in montibus sylua castanearum, in plano triticum. Sunt hic Latomiæ, è quibus marmoris grandia saxa effodiũtur, etiam genus quoddam albissimum, variis perspersum venulis, velut metalli alicuius.

Terra circa *Fossanum* abundat frumento omnis generis, cuius ea quidem hic colligitur vis, vt quinquaginta millia curruum eo quotannis onerentur, cumque multis hinc inde irrigetur aquis, plurimũ insuper gignit pabuli, vnde magna carnium & lactis abundantia.

Marchionatus Salutiarum aere fruitur temperato: *Doglianus* ager optimum gignit vinum, estq; circa *Pagnium & Pinarolum* tantum vinearum, vt si quis exterus eas videat, possit existimare, vel has solas toti prouinciæ in suppeditandum vinum sufficturas. Quanquam autẽ ager *Cuneensis* solum habeat leue & petrosum, tot tamen irrigatur aquis, vt exuta sterilitate, fæcundissimum se præstet. Abundat enim castaneis, inter quas seritur frumentum, vt duplex ex eodem solo prouentus ad colonos redeat: quamuis præterea neque vineis neque locis compascuis destituantur.

Susanum territorium multum vini habet, Auilianus verò ager distinctus in colles, valles, & planos campos, duos insuper lacus habet. Riuolensis incertus est, vtrum magis glorietur de salubritate aeris an bonitate terræ. Et vt verbo dicam, omnia vicina oppida eo fruuntur solo, vt videatur in eo Baccho ac Cereri certamen propositum, vter alteri eripere gloriam possit.

Marchionatus Cheua castanearum incredibilem habet vim, & armenta gregesque plurimos, colligiturque quotannis larga in quibusdam locis vindemia, inprimis apud Priera, vbi singularis Bromio laus. Valles Mareana & Oneliana tam exquisitè cultæ sunt, vt vnus perpetuusque hortus videri possint. Cumque omnis generis fructibus luxurient, olei tamen ex oliuis expressi hic tanta est bonitas & copia, vt huius beneficio totum Pedemontiũ, importato oleo nihil opus habeat. At apud Gattinariam eadem laus est Bacchо, quæ ibi Minervæ.

Non diffitemur, quin maxima pars *Comitatus Nicæensis* solum habeat asperum & montosum: dummodo sciamus, illud colonorum diligentia ita excultum esse, vt satis gignat rerum necessariarum, nisi quod Nicæa Vrbs alieno vti cogitur frumento. Irrigantur montana huius regionis circiter XII. fluuiis, qui omnes abundant Truttis piscibus.

Contesius ager ferax est olei & castanearum supra modum. *Pellicnsis* abundat vino, frumento, oleo, quod optimæ habetur notæ. *Briga* magnã habet vim albi vini, quod hic rarius, & tritici ac mellis plurimum. frequens insuper hic captura perdicum & Phasianorum. Colligitur insuper apud eosdem Manna, terebinthina, agaricum, & alia simplicia (vt vocant) Medica. Fluit per hanc vallem torrens, Leuantia dictus ab incolis, qui prodiens è fonte celeritur augetur, hinc rursus diminuitur, postremo deficit omnino.

Ager circa *Boliam* plurimum dat frumenti &

leguminum, vino tamen destituitur & oleo. Circa *Sospellam* autem hæc omnia eo maiore luxuria proueniunt, vbi & res pecuaria amplissima & syluæ castaneis densæ. *Nicæa* cum aliis rebus affluat, minus habet quam pro necessitate tritici atque carnium: vtitur igitur importatis, frumento quidem ex Prouincia Galliæ, carnibus vero ex Pedemontio.

Ingenium & mores incolarum.

10. Quanquam ingenium & mores Sabaudorũ non multum abire videri possint ab indole Delphinatium, aut Pedemontanorum vicinorum suorum: & rursus Pedemontanorum natura satis expressa in descriptione morum Italorum: nõ erit tamen absre, de vtrisq; aliquid exactius cõmemorare. Est Sabaudis hebetudo nidularia & domestica simplicitas adeo frequens & vsitata, vt etiamsi ex eo vicio, dũ inter exteros versantur, aliquid deponant, in lingua tamen & externis gestibus illam ineptitudinem adeo retineãt, vt quid differat inter Delphinatem & Sabaudũ, primo statim congressu deprehendi possit. Est autem vile inter eos vulgus adeo stolidum, vt credat, Ducem Sabaudiæ esse Primũ inter omnes Principes totius mundi, quæ stultitia & imperitia etiam maior ac intolerabilior fuit ante proxima ista bella. Nobiles autem viri, qui inter eos, sunt admodum iucundæ conuersationis, vt ciuilitate vicinis parum sanè cedant, dediti virtuti & equestribus exercitiis. Videas harum rerũ specimen in Vrbe Camberiana, quæ caput est Sabaudiæ, vbi nulla ex parte conceditur nobilitati Gallicanæ, in elegantia morum & polita vita. Populus nõ habetur bellicosus, compertumque est, multos sæpe à paucis exteris in fugam compulsos. At Nobilitati satis est animi, quanquam in equitandi peritia ad aliarum gentium solertiam non accedant.

Pedemontani ad belli & pacis artes idonei habentur, litterarum amatores, aperti rotundique, satis ciuiles & vrbani erga peregrinos. Vercellenses magnifice iactant nobilitatem suam, affectatores gloriæ apud vicinos suos. Taurinẽses verborum sunt parci, elati animo, iracundi, qui nunquam non maiorum facta & nobilitatẽ ostentant. Videntur adhuc in ea vrbe superesse scintillæ Guelphorum & Gibellinorum factionis, quæ tamẽ prope per totam Italiam extinctæ sunt. Bielenses putantur esse ingenio subtili atq; vehementi, ipsi attenti ad res suas, & quos non facile possis decipere. Quierenses & Cuneenses industrios se & cordatos ostenderunt in aliquot quas sustinuerunt obsidionib. Beneensium studium circa bonas litteras laudatur, cum armorum scientia coniunctum. Bagæi celebres sunt ob ingentem numerum molendinorum, & officinas ferrarias, vbi plurimum armorum fabricatur, quibus incolæ vtuntur cum opus est. Populus Nicæensis vafer est & callidus, ciuilis tamen & politus, aptus ad negociationes & tractanda arma.

Vt autem in vniuersum de Populo Sabaudico dicamus, constat, non paucos in ea gente bo nos esse milites, paucos autem qui se addicar artibus Mechanicis, quas parui faciunt, conter ti victu & amictu, imitantes in hac parte Nob litatem, vnde abstinent à mercatura, quamu Padus fluuius magnam illis præstet commod tatem negociandi in Ducatum Mediolanẽsen & exercendi mercimonia cum Venetis. Et hc quidem commodũm Pedemõtanorum est pro prium, quod amnis ille suppeditat: quo conten to, permittunt, vt exteri magnas percipiant d uitias ex eorũ telis, laneisq; pannis cannabe, se co: vt quis non absurde dicere possit, quicqu exteri mercatores ex his mercibus lucrantur, omne dono accipere à Pedemõtanis, qui & ip pariter rem facere possent, si velient. Verum r hil his adeo curæ est, quã suauiter & ex senten palati viuere, etiã opifices, qui lucrando proc gunt quicquid manibus meretur. Princeps qu dem hæc omnia nouit, ideoque non parum i dignatur negligentiæ & dissolutioni eorum, v demodum inuenit, vt eos ad agitanda mer monia excitaret, ostensa negotiationis facilit per varias rationes atque artificia.

Minus sunt Pedemõtani solertes, vt dixim & industrij, quem tamen defectũ supplent cu & obedientia erga Principem: in cæteris vita e rum est simplex, & de qua non multum po conqueri. Sunt enim fere mites & benigni, p tim instinctu naturæ, partim reuerentia iuris æqui, vt amicè vna viuant, nec multæ inter videantur digladiationes, pauciora vero eti homicidia.

Facultates & diuitiæ eorum.

Parum admodum aut nihil omnino arge accipiunt Sabaudi ab exteris: at Pedemont melioribus vsi commoditatibus, multa hab quę peregrinis impertire possunt, vnde larg ad ipsos redit quotannis pecunia. Apparuit tem, quam abundans sit hęc prouincia omni rerũ in bellis, quæ inter Gallos & Hispanos g fuerunt, quando vtriusq; partis exercitus in hæsere regione, annis continuis prope XX sine vllo tamen defectu alimoniæ. Opes aut Pedemontanorum quantæ sint, patuit in no simo hoc bello Gallico, vbi Diguierius Con stablius Galliæ exercitum duxit in hanc prou ciam: tunc enim Pedemontani contribuer Principi suo extra ordinem, pauculorum an rum spacio vndecim Coronatorum Millio quanquam etiam milites ac præsidia aluerin

Mittunt enim hi populi ad exteros frum tum, pecudes, multum Vini, Orizæ, incredi vim Sparti ac Cannabis, caseorum, chartæ, g sypij & materiæ bombycinæ crudæ.

Complectitur insuper Comitatus quinq ginta, Marchionatus quindecim, præter ing tem numerum Toparcharum, qui superior opum ratione non multum cedunt. Abbati ea numerantur XX opulentissimæ, præter beneficia Ecclesiastica innumera. Qui ante a insigniter abundant diuitiis, hic fere nullis

cum ita distributæ sint inter eos opes, vt quilibet suam possideat partem. Neque tamen hoc ita accipiendum est, quasi non sint inter eos potentiores, qui ad VIII. XII. XV. millia coronatorum ex prouentibus annuis percipiant.

Multum autem facit ad intelligendas huius prouinciæ diuitias, respõsum, quod dedit Eques quidam Pedemontanus nobili Veneto, interroganti, quidnam esset Pedemontium? respondit is, esse vnam vrbem quæ circiter CCC. milliaria haberet in ambitu suo, quo voluit innuere quã esset frequens populo, & omnibus locis habitata Pedemontana regio.

Sunt in valle Augustensi siue Ostensi fodinæ auri & argenti. In Salutiorum regione etiuitur ferrum, quod vt & pecora sua, vendunt Prouincialibus, nec pauci sunt in hoc Marchionatu diuites mercatores. Panni qui apud Pinarolũ oppidum conficiuntur sane quam boni, magna copia ad exteros perferuntur. Bargenses & Iauênenses lucrantur nummos ex armis quæ fabricant, vt & ex telis lineis & corio.

Comitatus Nicæensis submittit exteris oleũ, vinum, fructus varij generis, legumina, telas lineas, fila delicatiora, quæ Catalanis venduntur: præterea chartam, pannos crassiores, pisces salios cõditosque, mel optimum, abietes ad malos & antennas, aliamque materiam ligneam ad ædificandas triremes, quæ fluuiorum beneficio mon anis per conualles deuehitur vtq; ad mare, & Genuatibus magno precio venditur. Et vt em verbo complectamur, hic Comitatus ita ouit vti mercimoniis, vt inter Genuam & Massiliam nõ inueniatur oppidum, vbi frequentior t negotiatio, aut plus pecuniarum: estq; Nicæa eluti horreum & apotheca pannorum laneorũ, ui veniunt è Languedocia, & Serici quod dertur Genuam.

Quanquã vt verũ fateamur, ipsa terra inops, coloni multis in locis egeni sunt, quibus non pereſt, vnde lucrum facere possint, adeo vt si uando Curia Ducis non nisi per bimestre temsibi commoretur, statim animaduertatur nnium rerum difficultas: sed hanc soli inatitudinem incolæ, vt diximus, vincunt ingejacrimonia & mercaturę studio, vnde hæ ipsis es.

Fuerunt qui Prouentus annuos Ducis Sabauæ sub computũ & Calculum vocare voluerũt, ita subductaque ratione ad hunc modum.

Ex vectigali Salis percipit quotannis L. millia tatorum.

Ex vectigali Susano XXIV millia scu-

Ex contractu cum extraneis XVIII. millia tat.

Ex cæteris Teloniis, comprehenso simul vegali Villæfrancano, XXIII. millia scutat.

Taxæ ordinariæ per Pedemontium cum pertatione salis cis montes, omnia redacta ad positionem statam & perpetuam CCLXIII llia scutat.

Confiscationes bonorum, commendationes, auctiones vectigalium, Falcidia Principi debita, ab eorum bonis, qui citra consensum disponere de iis non possunt: Tributum Iudęorum, & eiusmodi res, quæ ferè arbitrariæ, L. millia scutatorum.

Horum computus si verus est, emergent non vltra D. millia Coronatorum siue Scutatorum, quæ quotannis ad Sabaudiæ Ducẽ redeunt. Sed ex iis quæ supra diximus de vndecim Millionibus extra ordinem à Pedemontanis tributim collatis, idque spacio paucorum annorum, manifestum fit, prouentus eius annuos vltra Millionem vnum adscendere, si imprimis ad ea quæ adduximus, redditus è Sabaudiæ Ducatu addãtur. Statuimus igitur, huic Principi non defuturum argentum, si illius quantumuis magnum numerum exigi velit, etiam rationabili exactione, & non exhaustis oppressisque ciuibus.

Robur prouinciarum & vires militares.

Sunt in Sabaudia quædam loca firma munitaque, inprimis Montmelianum, quod semper castrum inexpugnabile iudicatum fuit, donec ab Henrico IV. Gallorum rege captum est. Erat haud procul inde locus quidam editior, vnde videri poterat quicquid ab obsessis rerum gerebatur. Qui præerat arci, vehementer perterritus fuit, cũ videret mane se salutari tormentis æneis explosis, quæ in altiorem illum locum magna solertia subuecta fuerãt. Aiunt vero Sabaudum, postquam locum illum recepit, demolitum fuisse altitudinem illam, vt nihil deinceps inde sit periculi. Magni hoc oppidum est momẽti, cum sit in finibus atque aditu regionis. Sunt & alia loca munitiora, ad Conflantes, ad Carbonarios, Annunciada iuxta Romillium: sed qui rem propius considerant, negant in his multum esse præsidij. Fanum Catharinæ fuit satis munitum, sed anno A N. C. MDC. solo æquatum. 13.

Iam de Pedemontio dicendum. Est in vrbe Taurinorum Castrum Pentagonale, tam elegans, spacioſum & munitum, vt simile vix inueniri posse videatur. Vt autem iam nihil dicamus de immani vi armorum & instrumẽtorum bellicorum in eo, vnius tantum rei faciemus mentionem. Est in medio puteus aquæ, quo potum agi siue deduci possunt quingenti vel etiam plures equi, vt nullus alteri sit impedimento, neq; adscendendo neque descendendo. Sunt hic perpetuo in præsidio trecenti milites, quibus Princeps soluit stipendia. Præter hoc præsidium, alit Canaſſij milites L. Cunæ C. apud Villam-nouã XL, & alibi plures paucioresque, in locis quæ nõ sunt in regionis finibus neque limitanea: cuius generis sunt, Quieres, Fossanum, Bẽtium, Villafranca in Pedemontio, Suerna in valle Angronensi. Sed & alit nonnullos milites apud Cahortium & Susam oppida, prout vicinorum potentia id exigit.

Iurea siue Eporedia arcem habet, cui additæ sunt quatuor firmæ turres, ipsa arx situ est locata

optimo firmissimoque. Ostensis Vallis beneficio Naturæ munita est, cum perangusti ac difficiles sint ad eam aditus; quodque animosos habeat incolas, vt peregrini, etiamsi totam sibi subiicerent viciniã, hãc tamen nõ facile sint aggressuri.

Salutiis quoque bono castello cautũ est; Carmaniola verò expugnari posse vix videtur; est enim in arce ista sponte munitissima ingens vis armorum, alimoniæ, tormentorum aliorumque omnium instrumentorum bellicorum. Pinarolum ob firmitatem arcis, quã habet, omnibus vicinis vallibus imperitat.

Quæ Auilianæ est arx, sustinuit olim sub Duce Carolo obsidionem, quamuis grauiter concussa tormẽtis. Briquerense Castrũ situ optimo & ad defensionem aptissimo structum est, minus tamen quam pro necessitate munitum. Cętera vix meliora sunt, hic non commemoranda.

Comitatum Nicæum ipsa asperitas & montium frequẽtia fortem munitumque facit, cum multos angustos ac difficiles habeat aditus, in quibus decem homines quingẽtis negare trãsitum possint, cuiusmodi is est, quem vocant Passum Puellæ. Ad hanc naturalem firmitatem adiecerunt Principes castra quædam, quæ ratione situs nõ oppugnari nedum capi posse videntur: in quibus & Saurga numeratur. Pogetum est in finibus Prouinciæ, locus satis firmus, vbi Princeps habet præsidium militum. Villa-franca oppidum est humili loco situm, nec valde magnũ. Arx verò supra istud inter omniũ munitissimas cẽseri potest, quod super præcipitem rupem extructa, manu atque opere insuper exquisitè munita sit. Sunt hic perpetuo centum milites extranei in præsidio.

Quid autem de Nicæa Vrbe dicemus? id quidem non esse fortalitium, sed corpus quoddam ex fortalitiis munimentisque compositum. Nã primò, ipsa quidem Vrbs cincta est bonis fortibusque mœniis, additis propugnaculis optimis. Supra montem munimentum excitatum est, quod tertiam vnius milliaris partem habet in circuitu, crepidine & margine tam recto, vt ob præcipitium adscendi nõ possit. Et hoc quidem loco olim fuit nobilissima pars ciuitatis; Templum Cathedrale, domus Episcopi, Monasteriũ virginum cum exiguo quodam munimento. Aiunt Carolum Burbonium, cum ex Italia trãsiret in Hispaniam, considerata loci naturali opportunitate, submissa voce ad eos dixisse, qui pone adstiterint: Videte situm loci, cuius quantus vlus esse possit nemo agnoscit? Ibi Gubernatorem triremis in qua vehebatur Burbonius, excepta hæc verba Principi suo (erat enim ciuis Nicæensis) Carolo Sabaudiæ Duci retulisse, qui eo profectus, cum & ipse situm loci pressius considerasset, iusserit illum summa cura atq; diligentia muniri, quod quidem intra paucos annos perfectum, & oppidum ita munitum fuerit, vt cũ Ariadenus Barbarossa, Pirata Afer, illud circa annum Christi MDXLIII cum classe ducentûm velorum obsedisset, & vehementer tormentis concussisset, capere tamen nequaquam potuerit. Quod si munimentum istud tũnc quidem capi non potuit, quamuis nondum absolutum fuisset, quid de eo nunc censendum est, postquã ad naturale situs robur humanæ manus industria accessit? non igitur mentitus est, qui Nicæum primarium orbis Christiani Munimentum adeoq; ipsius Italiæ propugnaculũ dixit. Est inter alia ibi puteus, quẽ Mutius Iustinopolitanus, qui aliquandiu Nicææ vixit, mundi Miraculum nominare solebat: factus est autẽ in hunc, quem narrabo modum. Iudicabant omnes nihil deesse fortissimæ illi Arci siue Fortalitio, quam ne aliquando aqua destitueretur. Adfuit ibi Germanus quidã, homo ingeniosissimus, qui effecturũ se pollicitus est ne illi vnquã aqua deesset. Viderat hic ad radicẽ montis prosilire hinc inde fonticulos aquæ, inprimis vnũ largiorem, qui in vicinũ mare profluebat. Existimauit igitur perfodiendo montem atq; rupem, ad fontis illius scaturiginem se peruenturũ. Cũ igitur iam aliquot mensib. fodiendo laboriosissimè prope ad fundũ peruenisset, nec inueniret aquã, re desperata Venetias effugit miser. Id cũ intellexisset Carolus Dux, reuocatũ inde hominem comiter affatus, iussit propositum persequi, quod postremo ei successit felicissimè.

Paulo supra nouum munimentum occurrit vetus fortalitium, Donion appellatum, quod a cætero corpore muro separatum est, suntque vbiq; per totum spaciũ plura loca editiora velut tumuli, qui omnes fortificari possunt, non simul ac semel sed pedetentim. Ad fortificationem Caroli Ducis adiunxit Philibertus Emmanuel nouum munimentum, quod Citadellam appellant; quo munimento complexus est id spacij vnde Turcæ constitutis tormẽtis maioribus oppidum quassauerant. Habet hic Sabaudiæ Dux perpetuum præsidium quadringentorum militum, cum peritissimis rei tormentariæ præfectis & artificibus.

Inter Nicæam & Villam-francam est Fortalicium S. Albani, quod tantum prope ab vno eorum oppidorum distat, quantũ ab altero. Cumque loca satis etiam munita nihil prosint, nisi sufficiente virorum numero, velut corpora spiritu suo animentur: habet Dux hic in vtraque prouincia Sauoia & Pedemontio magnam vim rorum multitudinem, qui in armis instituuntur & exercentur, inprimis autem vtitur in hoc genere Pedemontanis, qui magis ad arma nati videntur.

Nunc videndum est, de quorum Principum amicitia dubitare, aut à quorum vi metuere possit Sabaudus Dux. Primum non videtur habere causam metuendi aliquid mali ab Ducatu Mediolanensi, ob arctum illud fœdus & necessitudinem, quæ ipsi cum rege Hispano intercedit. Et quamuis rex manifestis signis deprehendatur non ira in se affectum Ducem, vt olim solebat esse, cuius rei causæ melius tacentur quam exprimuntur, quodque illa pristini affectus refrigeratio eo ipso se ostendit, quod Sabaudus milites Hispanos è suis arcibus oppi

disqu

diſque exire iuſſit; accedente etiam, quod non puteretur amplius acceptur⁹ Penſionem annuã ab Rege: Non tamen eſt veriſimile, abruptum Hiſpanum omnino amicitiam cum Duce affino initam, cum ratio præcipua, cur Dux animum mutaſſe videri poſſit, hæc ſit, quod ei non præſtitum fuerit promiſſum ſuper Ducatu Mediolanenſi, cum duceret Sororem regis Hiſpani. Eſt & alia cauſa, quæ Hiſpanum ab inferẽdo Sabaudiæ bello auocare poſſit, nempe liber tranſitus militum Italicorum ad bellum in inferiori Germania perſequendum, quibus inuito Sabaudo via nunquam patere poſſit.

Cum Principibus Germanis colit amicitiam, quod ſciat hanc ſibi multis modis vtilem eſſe poſſe, inprimis bene illi conuenit cum Principibus Saxonicis, è quorum familia ſe genus ducere nouit.

Nec minus amicis vtitur Heluetiis, inprimis Catholicis, quibus multum è ſuis prouinciis ubmittit frumenti, quo hi inprimis indigent. ſt autem hæc cum Heluetiis amicitia atque patum Duci inprimis magni facienda, quod ex ebus præteritis facile de futuris iudicare poſſit: uamdiu enim auus eius Carolus in amicitia Heluetiorũ perſtitit, tamdiu ſaluus ei fuit Principatus. Poſtquam illam abrupit, nec promiſſas oluit perſiones annuas, innuens parui ſe facere lorum ſocietatem ſibi Franciſcus rex veniens um exercitu, dicto citius prope vniuerſam peſndedit Sabaudiam, nec adfuerunt Duci Heetij, ſed irriſo eo, dixerunt eum meritas perſolere pœnas, ſeque mox inſuper ad futuros & ntiquum repetituros debitum.

Poſſet quidem aliquid metuere ab Heluetiis eneuenſium nomine quorum eſt apertus & dicatus hoſtis. Sed non eſt putandum, gentem am facile leuaturam arma contra Ducem, vt paruit in aliquot expeditionibus, quibus hic eneuã non diſſimulãter aggreſſus eſt. Ipſa porciuitas longè eſt imbecillior, quã vt eius prociis inferre damnum poſſit, contenta ſi ſe ab ſius vi ac iniuriis defendere queat.

Dux Mantuæ hoc nomine ab ipſo non metui bere videtur, quod inter liberos horum Prinum matrimonium conciliatum, velut vinculum reciprocæ amicitiæ eſſe poſſit, non obſtanveteri litigio ſuper Marchionatu Monferraſi, quod ſublatum videtur iſto coniugio.

Quod ad regem Galliæ attinet, facta iam pertatione inter Marchionatum Salutiarum & eſſam terraſque vicinas, omnia pacifica dicũ & audiuntur, inprimis ex eo tempore, poſtam Dux ab Hiſpanis ſe alieniore animo oſtẽ. Arctius autem multo adductum eſt hoc cõdiæ inter principes iſtos vinculum, anno A C. MDCXX. quando Victor Amedeus Pemontij Princeps vxorem duxit Chriſtianam llicam, Ludouici XIII. regis ſororem, celetis nuptiis Lutetiæ Pariſiorum magna cum ebritate & magnificentia, vnde certa ſperatur ue diuturna animorum inter Regem atque cem coniunctio.

In quas regiones, prouincias, Vrbes ſe Ius habere prætendat Sabaudiæ Dux.

Cum huius notitiæ aliquis & forte non exiguus poſſit eſſe vſus, paucis verbis eas prætenſiones expediemus.

Primo an firmis iuſtiſque ſe rationibus repetere dominium Vrbis Geneuenſis, poſtquam illa ſe ab obedientia eius ſubtraxit anno ſalutis MDXXXV. Prima ratio eſt, quod declarationes Imperatorum in promtu ſint, in quibus perſcriptum ſit: quanquam Epiſcopi Geneuenſes fuerint domini in temporalibus & ſpiritualibus, & ſe nominauerint Principes Imperij, debere eos tamen Superiorem agnoſcere Ducem Sabaudiæ, eiuſque ſucceſſores, eique præſtare fidelitatis iuramentum, vt appareat ex iis quæ fecerint Epiſcopi vſque ad annum MDXXX, quo tempore adhuc cuſa fuerit moneta Geneuę cum nomine & imagine Ducis Sabaudiæ.

His additur, vſitatum fuiſſe vſque ad illud tempus, vt Duces Sabaudi poſſent gratiam facere atq; condonare crimina, quantumuis enormia, quibuſcumque viſum fuiſſet, neque Epiſcopos aut Ciuiles Magiſtratus potuiſſe vel pronunciare vel exſequi ſententiam, niſi prius oſtẽdiſſent Magiſtratui quem Dux conſtituiſſet, vt videret, iuſtumne eſſet quod decreuiſſent an ſecus. Anno A N. C. MDXIX Geneuenſes fœdus iniuerunt cum Friburgenſibus, cumque Dux intercederet, nec illud vellet habere ratum, dati ſunt ab vtraque parte arbitri, qui contra ciuitatem pronunciauerunt, & cæteri Heluetiorum pagi contradixerunt Friburgenſibus, qui fœderis illius rationem haberi volebant, quod hoc modo factum eſt irritum.

Ne autem plura in hanc rem adducamus reſtimonia, conſtat Carolum Ducem, Auũm eius qui nunc rerum potitur, ſæpe Geneuã veniſſe cũ Beatrice cõiuge, ciueſq; ei ſemper obtuliſſe claues portarum, aliaq; plura edidiſſe documenta, quib. ipſum ſupremum agnoſcere Dominũ teſtati ſunt. Sed & ea quæ ſequuntur videntur adſtruere eius, quod prætendit Dux in dominium Ciuitatis. Fuit prope perpetua lis Epiſcopis Geneuenſib. cum comitibus Sabaudię, ſuper dominio huius Vrbis, cumq; Humbertus Epiſcopus mortuus fuiſſet, ſucceſſor eius acceſſit Imperatorẽ Fridericum Primum, & impetrauit ab eo, vt ipſe ſolus eſſet Geneuẽſium Princeps, neue in rebus ciuilib. ab vllo quam Imperatore penderet, eſſetque liber atque immunis ab omnib. tributis. Reuerſum autẽ domum Epiſcopum exceperũt eadẽ litigia & moleſtiæ donec Guilielmus Comes proſcriptus fuiſſet ab Imperatore ob rebellionem, & eadem opera excidiſſet beneficio, quod ab Epiſcopo Geneuenſi obtinebat. Cum autem bellum diutius durauiſſet, exhauſta opibus ciuitas, vocauit in patrocinium Comitem Maurianenſem, qui poſtea factus eſt Comes Sabaudiæ. Sed ne ſic quidem à bellis ceſſatum eſt, vt Comes multa minora oppida

&

& castella Geneuensium occupauerit, ad ipsamque insuper ciuitatem accesserit, postulaueritq; à ciuibus restitutionem sumtuum, quos fecisset in istud bellum.

Respondente autem pro ciuibus Episcopo, debere Comitem contentum esse iis bonis, quæ iure beneficii ab Episcopatu teneret, nouæ ortæ sunt querelæ & lites, metuente populo, ne Comes iritatus cum communi hoste pacisceretur: consensit igitur, vt in vrbe omne id possideret, quæ Comites Geneuenses antea habuerant, iure ac nomine Hypothecæ. Ingressus autem ciuitatem Comes, cum crudeliter haberet ciues, quidam è Canonicis atq; ciuibus facta in eum conspiratione reuocauerunt Geneuensem Comitem, qui cum adduxisset ad vrbem copias, victus fuit à Sabaudis, qui obtinebant vrbem, qui & ingressi domos coniuratorum, captos quos poterant interfecerunt: durauitq; illud dissidium, donec defecit Comitum Geneuensium familia, & Principes Sabaudiæ, quicquid illi habuerant iuris, sibi vendicauerunt.

Ad extremum Amedeus Sabaudiæ Princeps iniquo ferens animo, infra Episcopum se constitutum conatus est ipso superior euadere, cumq; ab Imperatore Carolo IV. impetrasset, vt esset Vicarius Imperii in omnibus suis ditionibus, voluit, vt vigore huius dignitatis Episcopus cum omni sua iurisdictione sibi subiiceretur. Huius autem conatibus Episcopus summa vi restitit, vt suam conseruauerit sibi authoritatem, populo vero Geneuensi libertatem.

Durauit hoc vsque ad tempora Amedei VIII. nepotis superioris Amedei, qui primus factus est Dux Sabaudiæ, deinde Papa creatus & Felix appellatus. Obtinuit hic à Martino Pontifice iurisdictionem temporalem in Geneuenses, qua tamen frui non potuit, non magis quam successores eius. Ab eo tempore nunquam cessauerunt Sabaudiæ Duces prætendere ius supremi dominii super ciuitatem Geneuensem.

Idem Princeps Marchionatum Montisferratensem tribus rationibus ad se pertinere asserit. Primo quod cuidam Duci dotis nomine promissus fuerit, si contingeret familiam Palæologorum (quæ abstirpe periit) deficere. Deinde, quod in eodem matrimonio centum coronatorum millia promissa fuerint, quod aurum nondum est persolutum, cum tamen expresse cautum fuerit, si intra constitutum tempus illa pecunia non numeraretur, vt pro ea Marchionatus iste traderetur. Tertio, quod otto bello inter Marchionem Monferratensem & Ducem Mediolanensem, hic illum euerterit omni ditione sua. Dux vero Sabaudiæ sumtis pro Marchione armis, eum in prouinciam suam restituerit: vnde in signum gratitudinis Marchio se beneficiarium Ducis constituerit, eique obedientiam iurauerit.

Dum autem hæc causa coram Carolo V. Imperatore controuertitur, pronũciauit is irritam conditionem, de successione deficientibus Palæologis, neque vllam habuit rationem cæterarum prætensionum, cum vxor Ducis Mantuani, filia Marchionis Montisferratensis diceret, se quæ filia esset, etiam hęredem esse debere.

Ait insuper sibi deberi Principatum Achaiæ quod Philippus Sabaudus Thomæ III. filius vxorem habuerit Iamben, filiam Principis Achaiæ, cuius matrimonij nomine Sabaudus bellum fecit Despotæ Græciæ eiusq; occupauit prouinciam. Habuit hic filiũ Ianum, qui fuit Princeps Achaiæ: hic rursus genuit Amedeum, qui tertio loco successit: cumq; careret liberis, successor habuit Ludouicum fratrem, qui cum nec ipse haberet sobolem, voluit Regina Siciliæ succedere, quod diceret Principatum caduciratis iure ad se deuolutum, vnde eum tribuit Magistro Equitũ militiæ Rhodiæ. Tandem venit Turca & vtrumque abstulit, Achaiam & Rhodum.

Postremo vendicat Sabaudiæ Dux sibi ius regni Cyprij & Hierosolymitani. Et constat sane Cypri reges veros esse reges Hierosolymitanos, vnde si ius regni Cyprij ad Sabaudum pertinet, idem quoque iure petet regnum Hierosolymitanum. Nos autem id exactius considerabimus.

Appellant se Sabaudiæ Duces reges Cypri quatuor de causis. I. Hæreditatis iure, II. Adoptionis, III. Renunciationis, IV. Testamenti. I. primo sciendum est, Annam Lusinianam, filiam Iohannis regis Cypri, Hierosolymorum & Armeniæ, ex Carolotta Borbonia, vxorem fuisse Ludouici Ducis Sabaudiæ, ex quo matrimonio nati fuerunt XVI. liberi vtriusque sexus. Nos hic nihil dicemus de Amedeo II. Duce, primogenito illius Annæ, quod qui ex eo nati fuerint liberi mortui fuerint: sed tantũ de secundo filio Philippo, qui senex admodũ ad Ducatũ Sabaudiæ peruenit. Huic successit filius Philibertus frater Caroli Emanuelis, qui cum destituere liberis, peruenit principatus ad eũ quẽ diximus fratrem, Habuit hic successorem Emmanuelem Philibertũ, patrẽ illius Caroli Emmanuelis, qui nostro tempore dominatur. Tertius Ludouicus Ducis & Annæ Lusinianæ filius fuit Ludouicus Comes Geneuensis, qui iure vxoris suæ Carolottæ Lusinianæ habuit regnũ Cypri cum titulo Hierosolymorũ & Armeniæ; sed hic fuit priusquam regno nec habuit liberos. Iohannes Lusinianus rex fratrẽ habuit Iacobũ, mortuũ in ætate puerili, superstite sola Anna, vxore Ludouici Sabaudi sorore suâ, quæ sedecim peperit, vt diximus liberos Iohannes II. rex duas solũ habuit filias, nomẽ fuit Cleopatræ, quæ mortua est; alteri Carolottæ, quæ post mortẽ patris regnũ obtinuit fuitq; coronata cũ vidua esset Iohãnis Lusitani ex quo cũ nullos suscepisset liberos, nupsit iterum Ludouico Comiti Geneuensi, Annæ Lusinianæ filio, quæ soror fuerat Iohãnis II. sed nec ex hoc habuit prolẽ Hãc cũ marito eiecit regno Iacobus II. filius nothus Iohannis II. Carolotæ frater.

Hæc cũ sine liberis vita excessisset, debebat regnũ Annæ: quæ cũ mortua fuisset deuolutum est omne ius regni in Sabaudiæ Ducẽ Annalium. Cũ autẽ Iacob. Spurius illud iã obtinens solũ nomẽ & titulus reliquus fuit Sabaudo,

ùtum sibi ius retinuit, cum vlterius nihil posset. Et hinc factum est, vt post acquisitum ius istud maiores sibi sumserint Duces Sabaudię titulos, & seipsos Serenissimos scripserint.

Ad hunc ergo modum omnes Sabaudiæ Principes, qui ad Annam illam Lusinianam genus maternum referunt, aiunt se esse hæredes regnorum, Cyprij, Hierosolymitani, & Armenij.

Quod de iure adoptionis diximus ita habet. Pulsa Cypri regno Carolotta, cum liberos non haberet, ad quos possessionem regni transmitteret, adoptauit sibi in filium & hæredem Carolũ Ducem Sabaudiæ, Amedei Secundi filium, utque hæc adoptio Priuilegio confirmata, rata habita, & scripta in Archiuis Ducum Sabaudię, utque eius mentionem Philibertus Pingonus in libro De Genealogia Ducum Sabaudiæ, estq; huius adoptioni Iohannæ reginę Neapolitanę, quæ cognatum suum Carolum Dyrrhachinum adoptauit sibi in filium, qui & hæres factus est, post quem rursus adoptauit Ludouicum Ducẽ Andegauensem, qui tamen cum hæres scriptus non fuerit, non est adeptus regnum, sed is qui prior adoptatus fuerat. Et dicta adoptio Ducis Sabaudię facta fuit post mortem Ludouici regis Cyprij, Comitis Genuẽsis, Carolottæ adoptãs mariti, qui diẽ suũ obiit an. AN. C. MCCCCXXXI. a.d. vltimum Februarij mensis, cum annos XV. regnasset.

Quod prætendit de iure renunciationis, ita narratur à Philiberto Pingonio, Consiliario Ducis Sabaudiæ. Ait se anno Salutis MDXXV, cum Taurini versaretur, & in Archiuis Ducum Sabaudiæ antiqua litterarum monimenta ad perquirendam eorum Principum Genealogiam rimaretur, inuenisse, dictam reginam Carolottam Roma profectam fuisse, vt inuiseret Ludouicũ Ducem Maritum suum, quem inuenerit in Abbatia Ripallensi, degentem vitam solitariam & contemplatiuam. Ibi reginam Duci Sabaudiæ renũciasse totum regnũ Cypri cum omni quod eo habebat iure. Hæc ita se habere confirmat ab annum Christi MDLXXX Dominicus Ducis Sabaudiæ Secretarius, aliique boni viri, qui testantur se vidisse renũciationem illam scripto comprehensam, & aureis exaratam litteris. An vero hæc renunciatio sit eadem illa adoptio, de qua diximus, ego pol quidẽ scire haud possum.

De iure Testamenti quod prætendunt sic habet. Carolotta Regina Cypri cum Romæ esset, graui conflictaretur morbo, condidit Testamentum ad XXV. Februarij diem an. MCCCCXXXI, scripto hærede atq; successore suo Carolo I. Duce Sabaudiæ, orto ex Anna Lusinia, vxoris sorore Iohãnis regis, quæ Carolotta se portari fecit in Basilicam S. Petri, in illud sacellum, quod reges & reginæ recipi solent, præsente Papa Innocentio VIII, & plerisque Cardinalibus: cumque paucis dieb. postea mortua fuisset, sepulcrum inuenit in eodem Templo. Alij dicunt cadauer fuisse deportatum Assisium in Tẽplũ B. Francisci. Anno A N. C. MDXXXIII, cũ Carolus V. Imperatoria cingeretur corona, adfuit Carolus III. Sabaudiæ Dux, & ad tribunal eius repetiit ab Venetis, velut iniustis possessoribus regnum Cypri, vt narrauerunt Bononienses aliique, qui Coronationi illi interfuerunt: & tunc quidem Clementem VII. Pontificem & Carolum Cæsarem pronunciasse secundum Sabaudũ. Sed iidem aiunt, Venetos protestatos fuisse atque dixisse, habere se id regnum bona Ordinum regni volũtate, & ex dono Reginæ Cornariæ, quæ vxor fuerit Iacobi Spurij, qui Cypri regnum armis suum fecerat.

Post mortem huius reginæ, quæ decessit anno A N. C. MCDLXXXV, cum vixisset annos LV, repetierunt Duces Sabaudiæ regnum Cypri à Venetis, qui inter alia quæ responderunt, etiam hæc verba dixisse narrantur: *Cœli Cœlorum Domino, terram dedit filis hominum*, quo dicto sacro innuere voluerunt, regnum illud sibi diuinitus datum, neque se alios agnoscere hæredes quam seipsos.

Ad annum A N. C. MDLXX, decidit Turcarum Monarcha hanc controuersiam, cum armis sibi subiecisset totam Insulam, exclusis tam Venetis quam Principibus Sabaudis, & sic diuturnam finiuit litem.

CATALOGVS VITAE ET SVCcessionis comitum & Ducum Sabaudiæ, ab anno Christi millesimo vsque ad annum MDCXXIV.

I.

Beroaldus, siue vt ab aliis vocatur Geroldus III, filius Hugonis primi Ducis Saxoniæ, qui frater fuit Othonis III. Imperatoris, cũ duobus fratrib. suis, Friderico & Vldarico in aula patrui Imperatoris educatus fuit, cum admodum puer amisisset patrem suũ. Hic Beroaldus vigilantia & dexteritate sua effecit, vt valde gratus esset Imperatori, vt prope omnium consiliorum suorum Cæsar eum faceret participem. Hic cum deprehendisset Mariam Arragonicam Imperatoris coniugem prostituisse se suo Aulæ Magistro, iusto commotus dolore, cũ inuenisset eos in actu venereo, vtrumq; valido gladij ictu simul transuerberauit.

At consanguinei Mariæ cum tam Tragicum facinus vltum irent, concitauerunt ingens bellum aduersus fratres Saxones, quod postremo ea sopitum est conditione, vt Beroaldus per decennium exularet à Germania.

Paruit hic, atque discessit in Burgundiã circa annũ Salutis CMXCVIII, cumq; illã prouinciæ partẽ purgasset à latronibus, qui omnia itinera & vias reddiderant periculosas, venit Arelatem ad Bozonem Burgundiæ regem, à quo comiter & benigne exceptus, vtilis illi fuit in bello contra Genuenses & eorum confederatos. Bozoni mortuo successit Rudolfus frater, qui Beroaldum cõstituit Legatũ suum per territorium Viennen-

Viennense, cui prouinciæ summa cũ laude præfuit, felix insuper bello, vt qui tribus vel quatuor præliis vicerit Genuates & Pedemontanos, qui occupauerant Vallem Maurianensem. Hanc cũ Beroaldus recuperasset, reliquit eam illi Rudolfus deditque propriam. Huc venit ad eum coniux eius, ex qua sustulit filium nomine Humbertum Albimanum. Extincto igitur Rudolfo, cũ regnum eius caducitatis iure ad Imperatorem deuolutum fuisset, mansit Beroaldo suprema illius Præfectura, beneficio Patrui Imperatoris, donec hic quidem vixit. Cumque Dominium Maurianense per annos XXVIII obtinuisset, decessit Massiliæ, & sepultus est in Arelatensi vrbe, anno A N. C. MXXVII, cum Pontificatum Romanum gereret Iohannes XVI. Imperio præesset Occidentali Conradus II. Orientali Constantinus Porphyrogenitus, & in Gallia regnaret Robertus.

II.

Humbertus primus Beroaldi filius, defuncto patre, Conradi Imperatoris beneficio Burgundiæ recturam obtinuit, qui Conradus, cum territorium Maurianense in Comitatum erexisset, Humbertus primus fuit Comes. Erat huic ab initio bellum aduersus Marchionem Susæ, sed hoc finitum fuit factis inter vtrumque fœderibus. Habebat enim Marchio filiam vnicam, nomine Adelam, hanc elocauit in matrimonium Humberto Comiti, sicque factum est, vt Marchione mortuo, genet de iure filiæ eius, vxoris suæ, succederet in Marchionatu. Habuit hic ex Adela coniuge filium eundemque successorem nomine Amedeum. Præfuit autẽ toti illi regioni in summa pace & tranquillitate per ann. XX & amplius, mortuus anno vitæ L. Sepulcrum eius extat in templo S. Iohannis Maurianensis, quod luculentis auxit, donauitque redditibus annuis. Obiit autem anno MXXXXVIII.

III.

Amedeus primus huius nominis, Humberti filius, secundus Comes Maurianensis, partim indole paterna, partim institutione Adelæ matris princeps fuit mitis & pacificus. Iuuit hic Guilielmum Burgundiæ Comitem, Rinoldi Burgundi & Alicis Normandicę filium, in bello aduersus Lotharingos, cumque insignem victoriã à Godefrido Lotharingiæ Ducẽ obtinuisset, duxit Iohannam, dicti Comitis Burgundiæ filiam vxorem, ex qua genuit Humbertum filium cognomento Caudatum, cuius appellationis hæc fuit ratio. Cum proficisceretur in Italiam, vt saluaret Imperatorem Henricũ III. qui tunc erat Veronę, magnum post se traxit nobilium hominum comitatum. Iussit Imperator vt solus ingrederetur ad se. at ille, negauit se sine cauda, id est, comitatu ingredi posse. Risit Imperator, eumq; cum omni sua sequela admisit, & per iocum deinceps Caudatum appellauit. Reuersus à Verona domum, quiete vixit vsq; ad ann. MLXXVI. quo anno ab Imperatore adeptus est titulum Marchionis Italiæ, mortuusque conditus est in templo S. Iohannis Maurianensis, iuxta patris Humberti tumulum, quod templum vltra superiora, magnis & ipse ornauit donis atque priuilegiis. Huius tempore fuit in Ecclesia Schisma ob Berengarium Archidiaconum Andegauensem, qui de Sacramentis aliter scripsit, quam Romana sentiebat Ecclesia. Contra hunc tria fuerunt habita Consilia, postremumque Vercellis in Pedemontio, vbi eiurasse dicitur errorem suum, vt ex corpore Decretorũ Gratiani apparet.

IV.

Humbertus II. Amedei Primi filius, Comes Maurianensis tertius. Hic cum aliquando in venatione acrius persequeretur ferã, accidit vt in eum locum incideret, vbi degebat Comes Viennensis: qui audito venatorum clamore & latratu canum, conscenso equo profectus inuenit Humbertum Comitem eiusque totum comitatum, quem omni comitate & beneuolentia excepit, secumque aliquot diebus retinuit, quibus coaluit matrimonium inter Humbert & huius Comitis filiam Laurentiam, quæ putabatur virginum sui temporis esse formosissima. Celebratæ sunt nuptiæ in oppido Carpentoratensi, vnde natus est an. MLXXX Montemeliani filius nomine Amedeus. Fuit ei bellum aduersus Dynastam Briansonium, quem coegit ad æquitatem deinde subiecit sibi armis Valles Tarantasiam Iciliamque.

Huius Humberti temporibus conuocauit Vrbanus II. P.M. Concilium ad Claremontium in Aruernis; vbi concluſa est prima profectio vltramarina in Palæstinam; ad recuperandam Terram sanctam, ad preces & exhortationes cuiusdam viri nobilis Ambianensis, qui vitam viuebat solitariam atque sanctam: ipsi nomen erat Petro Eremitæ. Ad hanc expeditionem suscepe runt crucis notam circiter CCC. hominum milia, interque eos multi Principes & Illustres viri è quorum numero & hic Humbertus fuit; q non parum momenti attulit ad occupationem vrbis Hierosolymorum, vbi Godefridus Bullioneus rex creatus fuit. Rediit Humbertus domum ann. A N. C. MC. vbi multis grauibusque exagitatus morbis, mortuus est ann. MCIX. cum post annos XXXIII. prouinciæ suæ præfuisset, relicto successore Amedeo filio suo, & filia Adela, quæ facta est vxor Ludouici VI. cognomento Crassi, vnde natus est Ludouicus Iunior, Pater Philippi Augusti Adeodati.

Huius tempore Papa fuit Gregorius VII. antea Hildebrandus dictus, qui Pontifices Romanos exemit ab obligatione Imperatorum. Eo tempestate institutus fuit Ordo Carthusianorum in Delphinatu, per Patrem Brunonem Coloniensem Germanum. Mortuus autem est hic Humbertus in Palatio regali oppidi Monasterienſis in Tarantasiana valle, vbi & sepultus est.

V.

Amedeus secũdus, Comes Maurianensis quarti

uit vir bellicosus & armis deditus. Conuenerat iuo adhuc patre eius, vt duceret vxorem Cla-am Comitis Geneuensis filiam. Factus autem i iuris, omissa priore sponsa duxit aliam Cune-undam Comitis Albonensis filiam, quæ res ausa fuit grauissimarum inimicitiarum inter medeum & dictum Comitem Geneuensem.

Habuit is ex hac vxore plures liberos, interq; os Humbertum filium, qui patri successit. Hu-is tẽpestate in Germania Imperator electus fuit lenricus V. voluit hic intrare Galliam, vt acci-eret possessionem regni Arelatensis, quod asse-bat ad Imperium pertinere. Cum igitur recto inere Comitatũ Maurianensem petiisset, iussit, Amedeus se comitaretur in Italiam, ad recipi-ndum Diadema Imperatorium. Fecit id Ame-eus, vt Imperator, cum seipsum in possessionem gni Arelatensis misisset, profectus Romam oronatus fuerit ipso festo die Paschatis, cum m ante corona ferrea Mediolani de more cin-us fuisset. Hac solennitate peracta, petiit Ame-eus ab Imperatore licentiam redeundi domũ: c hanc solum dedit Imperator, sed vt Amedeũ terius sibi obligatum redderet, erexit terram baudicam in Comitatum, iussitq; eum præco-s voce primum Comitem Sabaudiæ salutari, q; Comitatus insignia solenniter contulit, hac ge, vt eum Comitatum ab Imperio Beneficii mine teneret, & inter titulos honoresq; suos imo loco scriberet: addito insuper ad instar natiui territorio Baugæo. Sic Amedeus impo-rum se appellauit *Comitem Sabaudiæ*. Reuersus mum resumsit bellum contra Geneuensem mitem, qui in eo periit, & Amedeus quietum posterum habuit Principatum. Nactus igitur ium, construxit Abbatiam & Monasterium S. lpicii, Ordinis Bernardini, itemq; aliud Ordi-s Cistertiensis, quod appellauit Tamisam. Fue-nt huic nonnullæ simultates cum Ludouico asso Galliæ rege, quæ durauerunt vsq; ad ne-tem eius Ludouicum Iuniorem: sed postremo mpositæ fuerunt per S. Abbatem Bernardũ, i insuper Amedeo persuasit, vt susceptà Cruce ficisceretur in Syriã, quod & fecit mẽse Maio ni MCXLVI. cũ simul eo proficiscerentur Cõ-lus III. Imperator & Ludouicus Iunior Gallo-m rex. Finito ex parte bello isto, cũ quisq; do-m repeteret, delatus Amedeus ad Cyprũ In-am, obiit ibi ex morbo anno A N.C.MCLIV. m præfuisset rebus annis prope XLV. Guido finianus Cypri Rex honorifice eum tumulari it in Abbatia S. Crucis in monte. Fuerat & hic atus Legatus Imperatoris per Italiam.

VI.

Defuncto Amedeo patri successit filius Hum-rtus III. Comes Sabaudiæ II. Duxit hic Ma-ldã, Theodorici Comitis Flandriæ & Sibyllæ degauensis filiam: quam cum florẽtem ætate pecie amisisset, tantum concepit mœroris, vt ecta secundarum nuptiarum cogitatione cõ-ixerit Monasterium & Abbatiam, quam Al-am vocauit, circa annum A N.C. MCXIII. ceptoque Monachi cucullo in illa more reli-gioni vixerit vltra annum. Videns autem vicinos principes per occasionem vitæ illius Monasti-cæ captare occasionem inuadendi Sabaudiam, deserta regula vxorem duxit Annam, filiam Co-mitis Salingensis in Germania.

Nata est ex hoc matrimonio filia Agnes, quã Pater iam desponsauerat Henrico II. Anglorum Regi. Dum autem de futuris nuptiis agitur, con-tigit filiam mori, paulo q; post Annam matrem ex quo geminato casu tantam concepit Princeps tristitiam, vt denuo proponeret sibi, deserta con-suetudine mundi vitam solitariam viuere & in-cludere se Monasterio, quod & fecit. Verum as-siduis populi atq; Ordinum Prouinciæ fatigatus precibus & prope extractus latibulo, tertiam du-xit vxorem Petronillam filiam Comitis Burgun-diæ, Ducis Austriæ viduam, ex qua vertente an-no sustulit filium nomine Thomam. Pro quo vt Deo condignas redderet grates, fundauit Mo-nasterium cum Prioratu, sub nomine S. Mauri-cii: extruxitque insuper elegans delubrum in magna Carthusianorum domo, cum Xenodo-chio pro egenis & peregrinis.

Anno A N.C. MCXVIII. proficiscenti in Sy-riam Philippo Augusto regi, comitem se iunxit Humbertus, vbi Christiani Ptolemaidem vrbem infidelibus eripuerunt. Reuersus domum Hum-bertus mox in morbum incidit, cuius violentia extinctus est anno Salutis MCCI. tumulatus in Monasterio quod ipse struxerat, cum annis pro-pe XLVII. præfuisset.

VII.

Successit patri Humberto in Comitatu Sab-audiæ Thomas filius, puer adhuc sub auunculi Burgundiæ Comitis constitutus tutela. Ad virilẽ ætatem vbi peruenit, nupsit ei Beatrix Comitis Geneuensis filia, cõtra tamen volũtatem Soceri, quẽ Thomas captum inclusumq; carceri, coegit approbare matrimoniũ filiæ, sibiq; iurare fidẽ & obedientiam, vt Beneficiarium atq; clientẽ Co-mitis Sabaudiæ facere par est. Post hæc profectus est in bellũ contra Albigenses siue Valdenses, q; iis inferebat Philippus Augustus Galliæ rex. Re-uersus inde multa occupauit per Pedemontiũ, q; principum Pedemontanorũ familia defiisset. Ce-pit ergo Pinarolũ & Vignoniũ, & arcibus muni-uit vtrumq;, deinde Carignanũ & Moncalleriũ, vnde sibi etiã tribuit titulũ Pedemontii. His o-mnibus cũ præfuisset annis XXXII. mortuus est anno MCCXXXIII. cũ ex vxore sua filios sustu-lisset octo, filias duas. Sepultus est in Abbatia S. Michaelis iuxta Aulianã in Marchionatu Susa-no, velut Testamẽto iusserat, cui monasterio iam ante donauerat oppida, Iauentiã & Fanũ S. Amb.

VIII.

Amedeus III. Thomæ filius, post mortẽ patris factus est quartus Sabaudiæ Comes, Maurianẽ-sis VII. Prima eius vxor fuit filia Comitis Albo-nẽsis, & Delphini Viennensis, q̃ mox mortua est non relictis liberis. Postquam duxit Ceciliam filiam Reimundi Comitis Prouinciæ, virginem nobilitate & pulchritudine conspicuam, quæ ei peperit Bonifacium filium, & filiam Constan-

tiam. Adiutus à fratre minore occupauit armis Cablasii regionem, & Augustam Vallem. Cum autem XIII. annis Principatum gessisset, extinctus est apud Montmelianum anno Gratiæ MC CXLVI. a.d. XXIV. Iunii, humatus in Monasterio Altæ Combæ.

IX.

Amedeo patri successit Bonifacius filius, quintus Sabaudiæ Comes, ob probitatem *Rolandus* cognominatus. Primum ei bellum fuit contra Marchionem Montisferrati, Astisanos & Taurinos, qui repetebant terras, quas ipse victor sibi subiecerat. Postea coniunxit socia arma cũ Carolo Comite Andium & Prouinciæ, ferenti auxilium Margaritæ Comiti Flandriæ. Ex eo bello redux Taurinorum Vrbem obsedit: cum vero ciues implorauissent opem Marchionis Monferratensis Astisanorumque, coactus est deserere obsidionem. Nec hoc solum, sed Bonifacius ipse, cumq; eo Salutiarum Marchio captus in Astam deductus est. Tulit captiuitatem adeo indigne Comes Sabaudus, vt præ mœrore exhalauerit animam anno A N. C. M CCLVI. cum quasi nouem annis præfuisset rebus suis. Corpus in S. Iohannis Maurianensis templum illatum tumulatumque est. Liberos non reliquit, cum nec vxorem habuerit, sed sororem Constantiam quę fratri in Comitatu Sabaudiæ succedere non potuit, cum sit Feudum siue Beneficium Imperiale, quod hæreditate ad filias non peruenit.

X.

Supererat Petrus Thomæ filius, ad quẽ morte Bonifacii Comitatus Sabaudiæ peruenit. Hic igitur cum possessionem adiuisset, exegit iuramentum fidelitatis à Nobilitate & populo Prouinciæ. Volens hic vlcisci captiuitatem Bonifacii antecessoris sui, & ipse obsedit vrbem Taurinorum, quæ post diuturnam obsidionem deditionem fecit. Miserat Imperator Legatum quendam suum, qui præesset prouinciæ Cablasiæ & Valli Augustanæ, quod vtraque pertineret ad Imperium, sed Petrus hunc armis victum cepit, & plura insuper occupauit.

In Angliam profectus est vt inuiseret Eleonoram reginam, filiam sororis suæ Beatricis, quę Comiti Prouinciæ nupserat. Per eius absentiam Comes Geneuensis, vt ei noceret, auctor fuit, vt subditi partis cuiusdam prouinciæ in eum rebellarent. Quo audito Comes Sabaudiæ celeriter rediit, trahens secum quatuor millia militum, quos ab Eduardo Angliæ rege acceperat: horum opera obsedit atq; cepit Castella Cleense & Rouense, cumq; iam in eo esset, vt cum Comite Geneuense acie confligeret, fuit inter eos constituta pax, auctoribus Burgundo & Matisconensi Comitibus.

Hinc in Germaniam profectus est, vt iuramẽtum præstaret super Comitatu Sabaudiæ & Maurianensi Richardo Anglo, qui Imperator Electus fuerat: quo facto petiit sibi conferri ius super Cablasiam, Vassensem & Ostanam vallem, quod & cito impetrauit. Reuersus domum, longo conflictatus morbo expirauit sine liberis maribus, instituto hærede dominiorum suorũ Philippo fratre: cũ filiæ Constantiæ, quæ Albonensi Comiti nupserat, multa & magna testamento legasset. Gessit hic Principatũ annis XII. defunctus an. salutis MCCLXVIII. sepultus in alta Cõba.

XI.

Philippus igitur successit fratri, ducta in vxorẽ Alice, Comitis Palatini Burgundiæ filia vnica & hærede ex asse Othonis patris sui, qui erat ex posteris Friderici I. Imperatoris. Huius matrimonii beneficio factus est Comes Burgundiæ. Paulo post defertur ad eum nuncius de morte Comitis Sabaudiæ fratris sui, vt Comitatus illius insuper hæres factus sit, cuius statim Philippus apprehendit possessionem, adactis in verba sua Ordinibus prouinciæ & populo. Dictus salutatusque hic fuit Comes Burgundiæ & Sabaudiæ, præfuitque regionibus illis quiete, vsus summa prudẽtia & experientia, quam acquisiuerat adolescens, educatus in negotiis Italiæ cum Thoma fratre suo. Hydropi tamen per totum decennium obnoxius fuit, cumq; spem prolis suscipiendæ ex vxore non haberet, vocauit ad se tres ex Thoma fratre suo nepotes, quibus testamẽto diuisit terras & dominia sua. Primo dedit Comitatũ Sabaudiæ cum Annulo S. Mauricii, cæteris alia. Pauperibus legauit preciosam suam supellectilem, partem etiam Monasterio Altæ Combæ, in quo conditus est anno A N. C. MCCLXXXV. cum XVI. annis dominatus fuisset.

XII.

Excepit Patruum Amedeus IV. in Comitatu, qui Magni cognomen inuenit, tã ob fortia bello facta, quam ob proceritatẽ corporis. Fuerat hic educatus in Italia ibique Eques creatus. Vxore fuit Sibylla, Baugæi & Bressæ domina, quæ earũ terrarum maritũ fecit dominum, eiusq; successores, Comites Sabaudiæ. Bellum ei fuit cũ Comite Geneuẽsi, subnixo auxiliis Hũberti Delphini Viennensis, in quo frater Amedei huius occubuit. Filios habuit duos, Eduardũ & Amedeum cum tribus filiis. Iurea oppidum vltro venit sub eius obedientiam. Geneuensi Comiti eripuit Fanum Germani & Amberium oppida.

Huius tẽpore Philippus Pulcher Galliæ Rex postremam expeditionẽ suscepit aduersus Flandros, cui militauit Eduardus Sabaudus Amedei filius. Henricus VII. Lucenburgicus, Imperator proficiscens Romam ad sumendum Diadema Amedeum Comitem habere voluit, sibiq; assistere in illa Coronationis solennitate. Idem Imperator creauit Amedeum hunc Comitẽ, S. Imperii Principem. Multum hic iuuit Equites S. Iohannis Hierosolymitanos, in occupatione Rhodi Insulæ, quæ causa est, vt in armis Sabaudiæ conspiciantur signa Religionis Hospitalariorum Hierosolymitanorum, accedentibus insuper his literis, F. E. R. T. quæ significant *Fortitudo Eius Rhodum Tenuit.* quæ verba sibi propria atque peculiaria habent Duces Sabaudi. Postremo cum Amedeus Auinionem ad Papam iuisset, vt impetraret ab eo auxilia pro Imperatore Constantinopolitano Genero su-

contr

ontra Turcas, mortuus est anno MCCCXXIII. um præfuisset rebus annis quasi octodecim.

XIII.

Eduardus filius successit Patri; corpore prolero & quadrato, nec minus tamen agili: dedisarmis, magnanimus, liberalis. Bellum gest contra Fusignium Toparcham, quem bis deicit, vt & Comitē Genevensem, postremo taen victus in prælio Vareio: quæ causa fuit, vt rofectus ad Ducem Burgundiæ & Britanniæ, rumque de auxiliis appellaret. Cumque Lutiam venisset, vt idem ageret apud Philippum alesium regem, incidit in morbum, cuius tanfuit vehementia, vt intra sextum diem moreur. Corpus eius aromatibus conditum & ad tam Combam deportatum, monumentis iorū illatum est anno A N. C. MCCCXXIX.

XIV.

Mortuo Eduardo, successit in Comitatu Sabdiæ Amedeus V. filia illius vnica Margarita, ore Ducis Minoris Britanniæ, exclusa per leImperii. Factus hic Princeps, receptoque S. uricii Annulo duxit vxorem Iolen, filiam rchionis Montisferratensis, quæ peperit ei edeum filium aliosque liberos. Fuit & huic lum cum Genuensi Comite, cui ademit Caum Montusium, victo ipso acie. Hinc extruduas arces, quarum alteri nomen fecit Marfiæ, alteri Mo tesiæ, ad defensionem Vrbis nberiacensis. Postremo auctoritate & intertione Philippi Valesii regis Galli pax facta nter duas illas familias, Delphinorum & mitum Sabaudiæ.

Nactus à bellis ocium Amedeus, extruxit plum Prædicatorum apud Montmelianum, crum Delubrum Camberiaci. Magnus huic omnem vitam à vicinis habitus est honos, insuper diligeretur à Nobilitate & omni lo Reliquit filium vnicum, Amedeum, cūtelam suscepit Ludouicus patruus eius: que præfuisset prouinciis suis annis XIII. uus est anno A N. C. MCCCXLII. tumuin Sacello Monasterii Altæ Combæ, quo tulerat collecta omnia ossa antecessorum im.

XV.

medeus VI. vndecimus Sabaudiæ Comes isi annos nouem natus erat, cum pater eius retur, traditus igitur est tutelæ Ludouici idi Dynastæ Vassensis, consanguinei, & Ai Genevensis Patrini, qui puero dederunt lum S. Mauricii, quem fere semper secum at. Cumq; in concursu hastatorū equitum mpodromo, primo die Maij mēsis, aliquanctor fuisset, adeo dilexit colorem viridem, n ipse duntaxat tali vteretur veste, sed & faium omne aulicum adeoque equos viridi et ornaretq; colore, vnde vulgo Comes vidictus fuit. Mortuo Roberto Neapoleos ars quædam Pedemontii vitro sub eius se it fidem & obedientiam.

scopus Sedunensis, deturbatus sede epe- per rebelles Valesios, ad hunc Amedeum confugit, ab eoq; auxilium & restitutionem petiui, quam & eius ope obtinuit. Fuit huic bellum contra Delphinum Viennensem, cui & quædam oppida pagosq; extorsit. Mouit hæc res Delphinum, vt cum liberis careret, Principatum suum traderet Gallorum regi, vt eum defenderet aduersus Sabaudum. Nec mora, emittit ex Delphinatum, & Humbertus cum sumsisset habitum Dominicanorum, factus est Monachus Lugduni, deinde Archiepiscopus Rhemorum; postremo Patriarcha Alexandrinus, mortuusq; est Lutetiæ anno Gratiæ MCCCLV. Delphinatus autem possessio cessit Carolo filio primogenito Iohannis regis: in emtione enim expresse cautum erat, vt primogeniti regum Galliæ appellarentur Delphini Viennenses, vtque arma Delphinatus iungerent in clypeo cum armis Galliæ.

Mouit hoc Sabaudiæ Comitem vt ambiret amicitiam Ioannis regis eiusq; filii primogeniti, neue imposterum bellorum nascerentur fomites, conuentum fuit, vt Amedeus Comes acciperet vxorem Bonam, sororem Ludouici Burbonii, diuisisq; finibus de nouo inter Delphinatum & Sabaudiam, constitutoque limite fluuiolo quodam Guiero.

Instituit hic Amedeus paucis post nuptias suas mensibus Ordinē Equestrem Annunciatæ deditq; Torquem aureum insigne Ordinis quatuordecim Equitibus, partim sorte partim electione, ipse qui decimus quintus erat, constituebat se Caput & Magistrum illius Militiæ. Insigne huius Ordinis est Torques siue Monile magnū aureum, in quo tres laquei siue nodi amoris, inque iis hæ litteræ FERT. ter repetitæ, quod est antiquum Symbolum Comitum Sabaudiæ, ab ima parte Torquis dependet Agalma Annunciationis factæ per Angelum Gabrielem ad Beatam Virginem Matrem. Idem auctor est Monasterii Carthusianorum in loco qui *Pierre Castel* vernacule appellatur, vt ibi assidue fundantur preces pro salute Equitum huius Ordinis. Commisit hic Amedeus magna prosperitate prælium cum rege Bulgarorum, qui captiuum detinebat Alexium Græcorum Imperatorem coegitq; eum, vt hunc remitteret Constantinopolin. Reuersus vero ab Oriente bellum habuit cum Vice-Comite Mediolanensi, qui illius absentis terras inuaserat. Cum Carolus IV. Imperator per Sabaudiam transiret, Amedeus illum magnificentissime excepit coluitque, instituto epulo sumptuosissimo: at Imperator vicissim eum creauit Principem Imperii, & Vicarium Imperatoris perpetuum, eique de nouo contulit omnes terras, dignitates atq; titulos. Postremo tulit opem Duci Andegauēsi in eo bello, quo repetebat regnum Neapolitanū, cū iam filio suo Amedeo, despondisset Bonam filiam Ducis Biturigum. In isto regno ceperunt aliquot oppida, interque ea Aquilam, Monteſalcidum, & S. Stephani Fanum, vbi grauis morbus corripuit Amedeum, ex quo mortuus est magno cum dolore Andegauensis omniumque militum in castris Gallorum. Habuit ex vxore sua Bona Burbonia duos filios,

Amedeum & Ludouicum. Vixit annis L. regnauit XL. mortuus Kalendis Martii anni A N.C. MCCCLXXXIII. quidam aiunt eum Capuæ discessisse è vita.

XVI.

Amedeus VII. cognomento Rufus, duodecimus Sabaudiæ Comes excepit patrem, cum annum ætatis ageret XXIII. Restituit hic in suam dignitatem Eduardum Sabaudum Philippi filium, Episcopum Sedunensem, qui à Valesiis deiectus fuerat: hos redegit sub eius obedientiam. Nicæenses ciues hunc receperunt vltro dominum, eique præstiterunt iuramentum, & sic Comitatus Nicæensis coniunctus fuit cum Sabaudia. Adeo hic amauit donec vixit, venationes, vt nimius in eo studio fuisse visus fuerit. Cum enim aliquando equo insidens, Aprum concitatissimo cursu sequeretur, excussus magno cum impetu è sella, humoq; allisus, vulnus accepit in femore, vnde nata inflammatio homini mortem attulit Kalendis Nouembribus anno Salutis M CCCXCI, cum annis octo præfuisset.

XVII.

Huic ad eum modum extincto, successit Amedeus Octauus filius, annos natus octo, sub tutela & cura matris suæ Bonæ Bituricensis, mulieris virtuosissimæ. Cum annum ætatis vigesimum attigisset, contraxit matrimonium cum filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ. Ingens hunc habuit ab ineunte adolescentia ædificandi studium, cumque sibi delegisset locum munitum simulque amœnissimum in ripa Lacus Lemanni, dimidio milliari à Thononio oppido, nomine Ripalliam, excitauit ibi ædificium miræ pulchritudinis, & ad solam factum delectationem, quod per totum vitæ suæ tempus postea amauit, ibique dies suos finiuit. Templariorum domum Cœlestinis dedit, mandauitque filio suo Ludouico, vt ex eo magnificum templum faceret. Iohanni Burgundiæ Duci, Affini suo auxilia misit ad bellum quod ille contra Leodienses gerebat.

Anno A N.C. MCDV. Lutetiam Parisiorum venit Sigismundus Imperator, Comitatus Amedeo isto, qui erat vnus ex quatuor Comitibus Imperii, anno vero MCDXVII. erexit idem Imperator Comitatum Sabaudiæ in Ducatum, salutato publice & solemniter Amedeo Primo Duce. Hic Dux pacem constituit inter Carolum VII. & Philippum Bonum Ducem Burgundiæ.

Anno à N.C. MCDXXX. instituit Parlamentum siue supremum Sabaudiæ Tribunal in Vrbe Camberiacensi: triennio vero post, despondit Ludouico filio suo Annam filiam vnicam Iohannis Lusiniani Regis Cyprii. Cum Amedeus annum ætatis attigisset LVI. statuit valedicere Mundo, & vitam ingredi religiosam, cumque anno salutis M CD XXXIX. filio suo omnes tradidisset terras ac principatus suos, abdidit se intra Ripalliam, vbi erat Prioratus Ordinis S. Mauricii: hic sumsit habitum Eremiticum cum non nisi decem famulis nobilibus & plebeiis. Paulo post electus fuit in Pontificem Maximũ à Patribus Concilii Basilensis, qui loco mouerant Eugenium IV. fuitq; Amedeo mutatum nomen in Felicis V. Hinc natum est Schisma, cum Italia & Gallia Eugenium nihilo minus Pontificem agnosceret, quod durauit annouem annos, & postremo auctoritate Regum Galliæ, Angliæ & Siciliæ ita compositum est, vt Felix cederet Nicolao V. qui post Eugenium Romæ Electus fuerat. factum hoc est anno M CDXLIX. Sic Amedeus mansit Cardinalis, Episcopus Sabinus, Legatus & Vicarius perpetuus Sedis Apostolicæ, reuersusque Ripalliam in Eremum suam vixit sibi atque Deo vsque ad annum M CD LII, quo mortuus est anno sexto Pontificatus Nicolai, cum vixisset annis LX. Sepultus Lausannæ in summo Templo. Rexit prouinciam suam annis XLVIII. vsque ad annum salutis MCCCCXXXIX. quo ad Papatum vocatus est.

XVIII.

Huius filius Ludouicus primo appellatus fuit Comes Geneuensis: patre autem Eremum ingresso Princeps Pedemontii: postremo eo Pontificem Max. electo proclamatus fuit Secundus Dux Sabaudiæ. Fuit hic Princeps mitis, bonus simplexque, heres patris non in possessione duntaxat Principatus, sed & lenitate, mansuetudine & vitæ sanctitate. Nati sunt ei ex vxore Anna Cypria complures liberi masculi & fœmellæ, inter quas maxima natu Carolotta nupta Delphino Franciæ, filio Caroli VII. regis, quæ postea & ipse rex factus, ac Ludouicus XI. nomine natus fuit. Data est in matrimonium Amedeo filio eius primogenito, Iolanta Caroli VII. Galliæ regis filia: minori vero Ludouico Carolottã, filia vnica & hæres regni Cyprii, sic per vxorem hic factus est Cypri Insulæ rex: verum cum ipsum vxor eius electi fuere regno per Iacobum Spurium, adiutum copiis Sultani Ægyptii. Excessit Ludouicus hic Supremum Tribunal in Vrbe Taurinorum, circa annum Christi MCDIX. Cum autem multis annis post portari Lugduni cauoluisset Lugdunum, vt conueniret Ludouico XI. Generum suum, extinctus est anno salutis MCDLXVI. cum viginti sex annis Dux fuisset. Cor eius sepultum fuit in Choro Templi Cœlestinorum Lugduni, quod iussu patris Amedei viuus struxerat, corpus vero deportatum Genuam, vbi conditum est iuxta vxorem Annam Lusinianam.

XIX.

Post mortem Ludouici patris factus est Sabaudiæ Dux tertius Amedeus filius eius, pariterque minime dispar in bonitate, simplicitate, innocentia & religionis amore. Fuit hic noxius morbo caduco siue Epileptico. Vxor eius, vt diximus, fuit Iolanta Gallica quam apud alios Isabellam appellari inuenio, hinc nati sunt Philibertus & Carolus, quorum vter

succ

ucceſſit in Principatu. Hic Amedeus, cum eſſet Aureliæ, mortuus eſt ex ſanguineo alui fluore nenſe Iunio anni à N.C. MCDLXXI. corpus e- as Vercellas delatum ibique humatum eſt. Re- ert Philippus Bergamenſis, iuxta huius Ducis epulcrum aliquot facta fuiſſe miracula. Fuit ſa- e largus beneficusque in pauperes, ſed non niſi uinque annis rebus præfuit.

XX.

Philibertus primus quartus fuit Dux Sabau- iæ, cum autem minor eſſet ætate, fuit ſub tute- matris ſuæ Iolantæ Francicæ, quæ rei publicæ udabiliter præfuit per decennium, adiuta ab piſcopo Geneuenſi conſanguineo ſuo: quan- iam non ſine magno labore. Capta enim à uce Burgundiæ, in libertatem aſſerta fuit per udouici unum vndecimum fratrem ſuum, qui eam Sabaudiam remiſit.

Habuit Philibertus vxorem Blancam Ma- am, Gabeacii Vicecomitis Mediolanenſis fi- am; hinc factum eſt, vt Galeacius iſte in ſuam ciperet tutelam atque patrocinium Philiber- m adoleſcentem, quem & defendit contra onſpirationem Epiſcopi Geneuenſis & alio- m, Epiſcopo apud Taurinos in carcerem con- cto. At Philibertus cum veniſſet Lugdunum rinctus eſt morbo anno A N.C.MCCCCLX XII.

XXI.

Ergo Carolus I. ſucceſſit Philiberto fratri, m hic ſine liberis mortuus fuiſſet. Iuncta fuit matrimonio Blanca, Guilielmi Marchionis onferratenſis filia ex Eliſabetha Sforcia, quæ vnicum peperit filium Carolum. Fuit hic Ca- lus Dux inter fortiſſimos & generoſiſſimos ſui i Principes. Interceſſit ei aliquid litis cum archione Salutiarum, ob recognitionem ſu- rioritatis. Cum enim Marchio præſtare iura- entum Duci nollet, eiectus fuit armis omni archionatu, quem poſſedit Carolus per to- m triennium vſque ad XIV. diem Martii anni CDXC. quo anno Carolus mortuus eſt Pina- i vix annos XXII. natus, cum annis octo Prin- atui præfuiſſet. Sepultus eſt Pinaroli apud neiſcanos.

XXII.

Octauo menſe ætatis ſuæ ſucceſſit Carolus undus patri ſuo Carolo primo in Ducatu audiæ, ſub adminiſtratione & tutela matris , Blancæ Montisferratenſis, quæ ipſa vici- vſa eſt conſilio Philippi Sabaudi, Comitis ſſenſis, propatrui pueri, Principis in magna matione, qui amplas poſſidebat in Gallia di- tates, cum eſſet Sacri Cubiculi Præfectus, gnus Franciæ Magiſter & Eques Ordinis S. chaelis, quem non ita pridem inſtituerat Lu- icus XI. Huius igitur Philippi ope Blanca ime rexit Principatum & feliciter. Carolum I. Gallorum regem proficiſcentem in Italiam ecuperandum regnum Neapolitanum exce- honorificentiſſime, cum tranſiret is Pede- ntium, cui & in vſus belli atq; ſumtus mun- dum ſuum muliebrem & preciosam ſupellectilem commodauit. At miſerrimus puer cito è viuis ſublatus eſt, vix ſeptem annos natus, à. d. xvi. Aprilis anno Chriſti nati MCD XCVI. quo toto tempore mater pro filio rexit Principatum.

XXIII.

Factus eſt igitur Dux Sabaudiæ Philippus II. Comes Breſſenſis, in ordine ſeptimus, Ludouici filius, Amedei VIII. nepos, Amedei IX. frater. Hic cum in Patrem inſurgeret, Ludouicus IX. Galliæ rex, qui ob Carolottam Sabaudam affinis Philippi erat, captum eum per biennium detinuit in caſtro Lociatum. Reſtitutus autem Libertati vxorem duxit Margaritam Burboniam. Succedente tempore ſecutus eſt partes Caroli Ducis Burgundiæ contra Ludouicum regem, qui inuenit rationem, vt moueret Philippum, decederet Burgundia, & pro eo iure amplas poſſeſſiones acciperet in Gallia: & ſane hic Philippus poſtea bonam vtilemque præſtitit operam Ludouico vndecimo, eiuſque filio Carolo VIII. regibus. Natus eſt ei ex vxore Margarita Burbonia Philibertus filius, qui patri ſucceſſit in Principatu. Filia eius fuit Ludouica Sabauda, nupta Carolo Inculiſmenſi, vnde natus eſt Franciſcus Primus eius nominis rex. Altera eius filia fuit Philiberta, vxor Laurentii de Medicis, qui frater fuit Leonis X. Pontif. Max. Ex ſecunda vxore Claudia Ponthierenſi, ex familia Ducum Britannia Minoris, filium habuit Carolum, qui ſucceſſit in Ducatu Philiberto fratri ſuo: itemque Philippum Ducem Nemurcenſem eundemq; Comitem Geneuenſem, patrem Ducum Nemurcenſium. Fuit ei inſuper filius naturalis, Renatus nomine, qui factus eſt Magnus Magiſter Franciæ, vnde ortum duxerunt Comites Tendenſes & Villarienſes.

Potitus eſt hic Philippus rerum per Sabaudiam non niſi anno vno, ſex menſibus, diebus XXI. cum viciſſet annis LIX. menſibus XI. diebus III. Mortuus eſt Camberiaci a. d. VII. Nouemb. anno MCDXCVII.

XXIIII.

Philiberto ſecundo cognomen Pulchro fuit, qui Philippo II. Duci Sabaudiæ in Principatu ſucceſſit, factus in ordine Dux octauus. Educatus hic fuit in Gallia cum Carolo Octauo Rege conſobrino ſuo, quem & proficiſcentem in Italiam ad recuperandum regnum Neapolitanum comitatus eſt. Cum autem Patet eius intellexiſſet, peſtiferam contagionem inuaſiſſe exercitum, reuocauit eum ex Italia ad ſe in Sabaudiam. Cum vero Ludouicus XII. rex Galliæ factus fuiſſet, iuuit eum idem Philibertus in bello Mediolanenſi. Iunxit hic ſibi matrimonio Margaritam Auſtriacam, Maximiliani Imperatoris filiam celebratis nuptiis anno A N. C. M D I. Verum ex hac nullos ſuſtulit liberos: cumque vix annum ætatis vigeſimum quintum attigiſſet, extinctus eſt Pleureſi anno Chriſti nati M DIV. menſe Septembri, cum ſeptem annis Ducatu gauiſus fuiſſet. Vidua eius cum reuocaret ſibi in memo-

riam, Philippum II. dicti Philiberti patrem voto se obstrinxisse, ad fundandum & ædificandum Monasterium haud procul à Foro Sebusianorum (Bourg en Bresse) ædificauit magnificam illam Abbatiam siue Monasterium Broueuse, quæ structura tantæ est pulchritudinis & firmitatis, vt cum superbissimis ædificiis atque elegantissimis per Europam certare valeat. Triginta quinque anni insumti sunt, donec amplissimæ illi moli Colophon imponeretur, estque in eo monasterio tumulatus Philibertus hic, cum matre & vxore. Qui sumtus huius ædificii subduxere calculo, dicunt ad XXVI. Coronatorum millia eos adscendere.

XXV.

Extincto sine liberis hæredibus Philiberto secundo peruenit Principatus Sabaudiæ ad Carolum III. cognomento Bonum, filium Philippi II. ex Claudia Ponthierensi, fratrem consanguineum defuncti Philiberti, qui nonus factus est in ordine Dux, receptusque mense Septembri anni A N.C. M D IV. exclusa Ludouica Sabauda, Francisci Primi Gallorum regis matre, sorore germana Philiberti. Vor eius fuit Beatrix Emmanuelis Lusitaniæ regis filia, mulier pulchritudinis & virtutis incredibilis, ex qua is habuit filios duos; Carolum, qui decessit in Hispania in aula Caroli V. Imperatoris: & Emanuelem Philibertum, qui post patrem Dux Sabaudiæ factus est. Cum ad Principatum peruenisset, rexit suæ populum commissum fidei in summa pace & tranquillitate vsque ad annum MD XVI. quo tempore Franciscus primus Gallorum rex cum exercitu in Insubriam venit, ad occupandum Ducatum Mediolanensem, vbi cruenta potitus est contra Heluetios victoria.

Quam adeptus, venit Camberiacum, vt deferret honorem Sudario Seruatoris nostri, quod ibi asseruari fama est. Aduenientem excepit Carolus Dux honoribus exquisitissimis & rege tanto dignis. Superuenerunt deinde bella & motus ciuiles ob mutationem religionis, per Lutherum introductæ, per quam occasionem Geneuenses se subtraxerunt ab obedientia sui Episcopi.

Ad extremum, cum Franciscus Primus rex multum iuris prætenderet in Subaudiam, quod Rex esset Galliæ, eiusque caput, & nomine matris suæ Ludouicæ, quæ soror Germana fuerat Philiberti II. Ducis: mouit ei bellum in Pedemontio anno A N.C. MDXXXVI. & sequentibus, vsq; ad annum M D LV. quo Carolus mortuus est Vercellis, cum vixisset annis prope LX VII. regnauisset L.

XXVI.

Successit optimo Principi Carolo III. patri suo filius Emanuel Philibertus, factus in ordine decimus Sabaudiæ Dux. Fuerat hic educatus in aula Caroli quinti Imperatoris, qui eum tanti fecit, vt constitueret præfectum equitum Turmæ Imperialis, quæ quatuor millibus equitum constabat. Defuncto hoc Imperatore, factus est Gubernator prouinciarum inferiorie Germaniæ, sub regno consobrini sui Philippi II. Hispanorum regis, qui eum summum Ducem constituit exercitus contra Gallos, qui victi sunt prælio atque magna strage concisi ipso die Laurentii anni A N.C. M D LVII. ante Fanum Quintini. Ad extremum facta est pax inter reges, Henricum II. Gallum, & Philippum II. Hispanum, interuenientibus, vt fieri solet, matrimoniis, Henrici II. filia natu maxima, nomine Isabella promissa Philippo Hispano regi: Margarita vero Bituricensi, Francisci I. regis filia, Henrici sorore vnica desponsata Emmanueli Philiberto Sabaudiæ Duci. Et hac transactione restitutus fuit Emmanueli Philiberto Principatus, cui postea quiete præfuit, latis nonnullis legibus, factisque salutaribus constitutionibus, institutaque præterea Academia siue Studio Vniuersali in Monte Regali, quæ postea in Taurinorum Vrbem translata fuit. Idem quoque auxit atque instaurauit Ordinem Equestrem Annunciationis, quem Amedeus VI. instituerat, adiuncto ad eum alio, quem S. Lazari appellauit, assignataque insuper Nicæa Vrbe Equitibus, vt perpetuum ibi haberent domicilium. Mortuus est Emmanuel Philibertus Taurini a. d. XXX. Augusti mensis anno M D LXXX. Princeps sui seculi inter prudentissimos & sagacissimos, relicto successore filio ac hærede vnico Carolo Emmanuele, qui Margarita Francisci I. regis filia, vt diximus, genitus fuit. Præfuit autem Principatui annis XXVI.

XXVII.

Vndecimus in Ordine Sabaudiæ Dux factus est Carolus Emmanuel succedens patri Emmanueli Philiberto, cum annos natus esset circiter octodecim: Princeps ingenii acris & excitati, optimæ memoriæ, facundus, versatissimus in scientiis & disciplinis Mathematicis, gnarus plurimarum Historiarum, postremo Dux belli peritissimus. Anno A N.C. MDLXXXV. iuncta est matrimonio Catharina Austriaca, filia Philippi II. Hispanorum regis, ex Isabella Gallicana Henrici II. Francorum regis filia. Ex hoc matrimonio nati sunt filii: Philippus Emmanuel: Victor Amedeus: Philibertus: Mauricius: & Thomas: filiæ vero quatuor: Margarita, Maria, Isabella, Catharina.

Omnes hi superstites fuerunt matri, quæ decessit è vita anno A N.C. M D XCVII. sub initium Nouembris mensis. Durantibus nouissimis tumultibus Gallicis, occupauit Marchionatum Salutiarum, vsus occasione, quæ res causam præbuit maximis bellis inter ipsum & vicinos inprimis inter Sabaudos & Valettam ac Dediguerium, Regios per Prouinciam Galliam & Delphinatum Præfectos siue Gubernatores.

Hæ tamen turbæ postea sedatæ fuerunt in tractatione pacis Veruinensi, vbi redierunt in gratiam Henricus IV. & Philippus II. reges, quod factum est anno M D XCVIII. cui compositioni inclusus quoque fuit Sabaudus, ita vt quicquid amplius inter eum & regem Gallum esset con-

trouer-

trouersiarum, Romani Pontificis arbitrio definiretur.

Venit aliquo tempore post Sabaudiæ Dux Lutetiam Parisiorum, vbi honorifice admodum à rege exceptus est, qui insuper promisit, redditurum se Duci intra primum diem Iunii mensis anni MDC. Marchionatum Salutiarum: vel recepturum et Sebusianorum agrum cum Pinarolo oppido & vicinis Vallibus, ita vt optio penes Ducem esset: fueruntque hæc promissa scripto concepta, sigillisque roborata.

Cum autem Dux reuersus in Sabaudiam tergiuersaretur, nec vellet stare pactis conuentisque, coactus fuit ab Henrico rege eodem anno.

Hic enim intra exiguum tempus omnem Europe occupauit Sabaudiam, captis locis aliquot munitissimis, & quæ vix expugnari posse videbantur. Tandem interponente auctoritatem suam Clemente VIII. Pontif. Max. pax facta fuit, confirmata Lugduni a. d. XVII. Ianuarii. Pacis illius conditiones hæ fuerunt, vt Dux haberet sibi Marchionatum Salutiensem: regi vicissim cederent hæ regiones: Sebusianorum territorium (la Bresse) Baugæum, Veromæum aliæque regiones atque Toparchiæ in compensationem pro Marchionatu Sabutiarum. Cæterum cum hæc scriberemus, quod fuit ad annum A N. C. M D CXXVI. ardebat bellum inter Ducem Sabaudiæ & Rempublicam Genuensem in Liguria, cum vtriusque partis incredibili damno, fouente Genuensium partes Hispano rege, Sabaudo vero Gallorum rege subministrante auxilia, quanquam vtrumque per summam fieret dissimulationem.

DE TERRIS AC DOMINIIS MAGNI DVCIS HETRVRIÆ.

SVMMA CAPITA.

Principatus Florentinus compositus è tribus rebus publicis reductis in vnum.

Descriptio Vrbium & oppidorum huius Principatus, & primum quidem vrbis Florentiæ. eius ambitus, capacitas & situs amœnissimus. palatia & superba ædificia in ea, & ædes captandæ voluptatis ergo exstructæ.

Pisa vrbs olim respublica. eius antiquitas & res memorabiliores.

Pistorium oppidum priscis temporibus valde afflictum à duabus factionibus, Nigra & Alba.

Senensis respublica & eius oppida.

Principatus Florentino præcipua laus à fino Trebiano, Meloponibus Pisanis, pascuis Pistorianis, latomiis Alabastri, fœnis Chalcanthi, lapidis Lazuli & aliorum mineralium, necnon à fontibus aquæ salsæ.

Florentini ingenio acuto & subtili, amatores libertatis. Senensis liberales, magnifici Vrbani. Pratenses sacrilegi: Pistorienses sanguinarii, cædis auidi.

Fertilitas insignis agri Senensis: opes Florentinorum ex negotiatione serici, lanæ, panni preciosi & tela aurea.

Clericorum per Hetruriam ingentes opes, cum ad quingenta millia Scutatorum prouentus eorum ascendant.

Quanti sint prouentus redditusq; annui Magni Ducis Florentini.

Potentia & robur eiusdem militare. fines Hetruriæ montibus frequentibus interiora munita præstant. arces firmissimæ intra vrbes Florentiam, Pisam & Senas.

Quantum Princeps iste alat numerum equitum.

Quantæ sint vires eius marinæ.

Ordo equitum S. Stephani à quo primum institutus.

Fœdera & amicitiæ Magni Ducis Hetruriæ cum vicinis Principibus.

Quæ sit ratio administrandæ Iustitiæ, & quo pacto præcipui Magistratus in hoc principatu eligi soleant.

Archiepiscopi & Episcopi per Tusciam.

Genealogia Ducum Florentinorum.

POstquam Duces Florentini tres coniunxere respublicas nimirũ Florentiã Pisam & Senas, possident ii nostro tempore longe maximã partẽ Tusciæ siue Hetruriæ, quæ amplissima, nobilissima & elegantissima pars est totius Italiæ. Nõ est hoc loco mei propositi, multũ perdere temporis in enarratione bellorum ciuilium, & quoties hę prouinciæ mutauerint dominos: cum nõ solum id longum futurum sit & tædiosum, sed & superfluum ac inutile recensere ea quæ vbertim perscripta sunt in historiis. Vnũ hoc dicã Principatui Florentino naturæ beneficio & liberalitate pleraſq; simul eas cõtigisse dotes, quib. alioquin singulis singulas solet ornare prouincias. Neq; enim voluit Hetruriam vlli cedere ratione situs, cũ sit in medio, adeoq; ipse vmbilicus Italiæ, cincta à tribus lateribus prealtis mõtibus, in quarto vero qua mare respicit & Latium defectũ naturę ars abunde suppleuit, cũ territoriũ Senense plenũ sit castris fortalitiis de quib. suo loco dicemus.

Numerantur autẽ in hoc Principatu vrbes siue oppida quindecim: octo in statu Florentino quæ sunt Florentia, Pisa, Pistorium, Volaterræ, Aretium, Burgum Sancti Sepulchri, Cortona & Mons Policianus. In territorio Senensi comprehenduntur septem: Senæ, Mons Alcinus, Rosetum, Pratũ, Pientia, Massa & Liburnum.

Florentia ambitum habet sex millium, supra nonaginta millia cõtinens incolarum. Sita est æquali loco iuxta Arnũ fluuium quo interſecatur quatuor eximiis coniuncta pontibus, quadrato silice strata latis ornata plateis, collibus cincta instar Theatri ab Oriente & Septentrione amœnissimis, splendore & elegantia summa, ante pleraſque etiam Italiæ Vrbes: vt prouerbio locum fecerit quo dicitur *Florentia Bella.*

Palatium Ducis quod in ea inter pulcherrima & superbissima totius Europæ ædificia referri meretur. Complectitur istud intra se vltra quinquaginta diuersoria, in ordine iuxta

Theatrum agendis comœdiis dedicatum extructa in quibus diuertere possunt atq; solent peregrini velut Legati & Oratores exterorum Principum.

Certat igitur hoc ædificium non solum cum plerorumq; Principum Italiæ Palatiis, sed & superat multorum per Europam Regum palatia & Regias, siue amplitudinem consideremus huius molis siue architecturam & excellens artificiū, siue deniq; ornatum & pulchritudinem hortorum, fontium, statuarum, cryptarum aliarumq; rerum.

Aiunt nobilem quendam Hetruscum nomine Lucam Pittyum hoc ædificium primū struere ausum. Sed cum multo plus pecuniæ exigeret, quam ipse animo conceperat, etiamsi anteriorem partem iam struxisset, impar ferendis deinceps sumptibus, coactus est vendere Cosmo Duci. Interfectus hic postmodum fuit, sic exigente, vt ferunt bono publico. Carolus Austriæ Archidux, cum transiret Florentiam, miratus eius pulchritudinem, dixit vrbem esse quæ diebus festis duntaxat ostendi deberet.

Præter hoc Magni Ducis palatium aliud assurgit ædificium spectatu dignum, quod Pratolinum appellatur, in quo plurimæ cameræ fornicatæ & cœnacula amplissima quorum quædam aquas vomunt, vt videre est apud Tybur.

Præter hæc duo magnificæ ædes & solis deliciis ac voluptatibus structæ visuntur extra vrbem. quarum prioribus Poggiis nomen est, posterioribus Castro. Est autem vtraq; hæc domus incredibilis pulchritudinis tam ratione situs quam ipsarum structurarum accedente amœnitate fontium & hortorum, vt nihil hic ad summam elegantiam desiderari posse videatur.

Volaterræ Vrbs difficili asperoq; iugo est imposita. Mœnia quadratis constant lapidibus longitudinis senum fere pedum; qui eleganter & affabre absque bitumine compositi. Quinis in vrbem portis aditus datur: pro singulis Fons eximius aquas eiaculatur purissimas. Antiquitatem eius arguunt muri quibus adhuc cingitur, Sepulcra, Epitaphia literis Etruscis posita, veterrimæ ex Marmore Statuæ, Lapides elaborati qui in dies hic eruuntur, & alia.

3 Pisam veteres inter Hetruriæ ciuitates maritimas recensuere, cuius tanta est antiquitas, vt est inter priscos Historię scriptores paucos sis inuenturus, qui eius mentionem non faciant. Sita est inter amnes Auserem & Arnū, vt Strabo Pliniusque notant. Hodie Arnus per eam fluit, tribus ornatus pontibus. Vrbs ipsa ampla satis atq; spaciosa, muris cingitur præaltis, ex marmore structis. Est in ea templum portas habens æreas, cum turre apposita structuræ artificiosissimæ. Si enim exterius spectes, pendere putabis ita, vt iamiam casuræ similis sit, interius vero si arbitreris oculis, rectissimam inuenies, & ad lineam perpendicularem structam. Baptisterium in eo Templo est operis exquisiti: Cœmiterium vero maioris etiam elegantiæ, cinctum vndique muris & Xystis porticibusque pulcherrimis. Terræ quæ in eo continetur spatio satis amplo, id est ingenium, vt intra vigesimam quartam horam consumat sepultum cadauer. Quatuor hæc ædificia intus & extus marmoribus exquisitis structa, sunt in eadem platea, non quidem contigua, neque tamen longius ab inuicem dissita. Fuit antiquis temporibus Pisanæ vrbis tanta potentia, vt bellum fecerit Venetis & Genuensibus. Ex horum enim cladibus, quas ab Saracenis pepessi fuerunt circa annum Salutis DCCCCXX XIII. mirum sumsit incrementum, cum multi ciues relicta Genua se Pisam conferrent, velut in locum tutiorem. postremo tamen vehemente debilitata fuit, cum Classis Pisana deuicta fuisse à Genuensium triremibus iuxta Insulam, cui Lilio nomen est. Neque enim post illam stragem tantum potuit colligere virium vt sua mole staret, & bello se aduersus exteros tutaretur, sed ea acta fuit submittere collum iugo Florentinorum: quod cum exeutere Pisani conati fuissent Carolo VIII. Gallorum Rege in Italiam aduentante, de nouo ab illis subacti sunt quindecennali exhausti bello: hinc factum est vt pene deserta manserit, ciuibus impatientibus dominationis Florentinæ; partim in Sardiniam, partim in Siciliam traiicientibus, aliis alia sibi ad habitandum loca deligentibus. Studuit quidem Cosmus Magnus Hetruriæ Dux eam populosiorem reddere, constituto ibi Studio Vniuersali, vocatoque eo Lutetia Parisiorum Iulio Cæsare Bulengero Doctore Theologo, cuius magna erat ob eloquentiam & doctrinam fama. Extruxit idem Magnus Dux in ea Palatium, quod domicilium esset Equitum S. Stephani, multaque alia insignia ciuibus largitus est priuilegia: nec tamen hæc omnia Ciuitatem habitatoribus satis frequentem efficere potuerunt.

Pistorium ad radices Apennini montis conspicitur. fuit hæc vrbs prope pessundata discordiis ciuilibus, quibus etiam ipsam Florentiam totamque prope Hetruriam implicuit.

Duo enim adolescentes Nobiles ex familia Cancellariorum, cum inter iurgandum ad manus venissent & alter leue vulnus accepisset, pater eius qui alterum vulnerauerat ne vlteriorbus querelis locus esset misit filiū suum ad eum qui saucius erat, vt cum eo rediret in gratiam. pater vulnerati mira vsus feritate corripi adolescentem iubet eique dexteram præcidi, addens verbis: iret, diceretque patri suo, vulnera non curari aut vindicari verbis sed ferro; hæc postea ciuili bello occasionem præbuit, cum de illæ cognatæ familiæ armis se appeterent in cem pertractisque in partes prope omnibus uibus, duæ exortæ sunt factiones, quarum alra volebat appellari Alba, altera Nigra, vr non parum ciuilis fusum fuit sanguinis.

At Florentini cum capita factionum illarum dedere morti deberent, pertraxerunt vtramque partem in suam ciuitatem, Pisanis hoc exilio rum quietem reddituri; cum enim Florentirum alii, inter quos præcipui fuere Donati gros sibi defendendos sumsissent, alii vero

bos

bos, factum est vt ipsa Florentia in similes vel potius easdem diuisa factiones, statum suum non parum labefactaret.

Aretium & ipsum longis ciuium dissensionibus afflictum debilitatumque vendidit Ludouicus Dux Andegauensis Florentinis quadraginta millibus aureorum: Cortonam vero paulo post iisdem Ladislaus Rex.

Sunt & præter eas quas superius commemorauimus Vrbes & oppida alia quoque non contemnenda, quæ Florentini Ducis agnoscunt imperium, vt Prescia, Miniatum, Empolis, Fanum Germani, Fquena, Petra Sancta, Barca in littore maris, Plumbinum cum aliis nonnullis.

Senarum Vrbs Roma distans DCCC. stadiis edito sita est loco, cis Arbiam, flexu sinuoso propter Montis dorsum, lateribus angustior & prolixior, tria habens quasi cornua; quorum quod Meridiem spectat, latius est iis quæ ad Ortum sunt & Occasum. Exarsit inter hanc vrbem & Florentiam exitiale bellum, duratuitque diu, donec Gibellinorum & Guelphorum factiones Italiam turbauere. Postremo cum ipsa libertate maximam populi partem amisit: quanquam adhuc circiter viginti millia capitum in ea reperiri credantur.

QVALITAS ET INGENIVM regionis.

Est ager Florentinus planus æquabilisque, cinctus montibus, intus paucis distinctus collibus. Tota terra Hetrusca spectatu iucundissima, qua mari propior, planior est intus monticulis amœnis attollitur: vniuersim pulchra, nobilis, nullique Italiæ Regioni sua beatitudine postponenda. Latos lætosque aperit Campos rerum omnium fertiles, amœnissimas valles, montes collesque, prædiis hortis arboribus præcipue malis Medicis Citreisque nitentes consitis. Colligitur ibi in exiguo agri spatio vinum, oleum, triticum, legumina & fructus arborei in magna copia abundantia. Vinetis abundat vina producentibus Generosissima, inprimis quod incolæ appellant Trebianum, quod suauitate & effectu non cedere perhibent Maluatico. Solum aliud diligentius cultum aut maiore consitum cura induciaque frustra per totam quæsieris Italiam.

Ager Pisanus frumento omnis generis gignendo mire aptus est, adeoque fertilis, vt creda. vel solus in alimoniam sufficere posse totiæ Hetruriæ: quanquam non est dissimulandum assa libertate ciuium colonorumque in agro merum valde esse imminutum. Vina ibi notæ admodum probæ. Fructus quos profert contemnendi non sint, Pepones tamen gignit optimos. Mare non longe inde distans Vrbem facit mercaturæ aptam. Aere vtitur crassio & noxio inprimis peregrinis: cuius impuritatem arbitrantur esse causam, quod non ea qua deberet habitetur frequentia.

Pistoriense territorium asperum est & montuosum, pascuis tamen vberrimum ad rem pecuariam. Ager Volaterranus magis gloriari potest de iis quæ in viscera terræ quam in eius crescunt superficie; eruitur enim ibi Alabastrum, Chalchantum quod & vitriolum vocant, Lazurium & alia Mineralia. Coquunt insuper incolæ magnam vim probissimi salis ex fontibus aquæ salsæ terra scatuientibus.

Fluuius qui agrum Aretinum perluit, turbidus est multumque limi vehit, vicinisq; noxius: quanquam colonorum potissima & prope vnica cura est vt deriuatis alio aquis exsiccent ac detergant fœdum paludibus solum. In pede Apennini montis ager est Mugellanus lætus amœnusq; aspectu & fructibus arboreis. Inter Arnum vero amnem & territorium Aretinum ager est Casentinus, dives frumento, vino, pecudibus.

Campi circa Senensem vrbem denso cooperti gramine magnam vim nutriunt boum bubalorum & ouium: quanquam non minus ferant tritici, vini, olei & fructuum.

MORES HETRVSCORVM.

Excellunt inter omnes Hetruriæ populos Florentini, ingenio præditi acri & subtili, attenti ad rem, apti dextrique ad res gerendas, diligentes & industrii ad percipiendas omnis generis artes, tam bello quam pace vtiles. Parci, rei familiaris & commodorum suorum perstudiosi, hostes prodigalitatis & desidiæ. Defenderunt hi longo tempore libertatem suam: verum ob nimis acres spiritus & ingenium inquietum in perpetuis viuentes discordiis, postremo pessum iuere. Adeo verum est quod Thucydides scriptum reliquit, homines ingenio crassiusculo aptiores esse ad gubernacula reipublicæ, quam nimis acres & subtiles. In exercenda mercatura incredibili sunt dexteritate, nec in extruendis ædificiis pares habere creduntur. Vestitu vulgo vtuntur modesto & graui, superantque cæteros Hetruscos in ciuilitate & eloquii suauitate. 7

At Senenses multum ab horum diuersi abeunt moribus. Florentini enim parci sunt nimisque attenti; contra Senenses liberales, & qui prolixe accipiunt peregrinos; illi curiosi in futurum non parum anguntur animo: hi faciles & viuentes in diem. Illi dissimulatores & vafri in captando lucro: hi simplices apertique, & quos vulgo aiunt cor in fronte gerere. Illorum omne studium versatur circa mercimonia & lucrum: hi contenti sunt prouentibus anni & fructibus, quos ex Fundis suis percipiunt.

Non videtur hic silentio prætereundum Italorum prouerbium, quo populos & vrbes huius Principatus notant perstringuntque. Florentinos enim appellant lentos, affectatores splendoris externi, inprimis erga peregrinos, parcos atq; tenaces, in mercimoniis vafros callidosque.

Senenses aiunt esse tardos in consiliis & deliberationibus, felices in bello: quanquam hoc quidem cognomentum, quo pacto nostro tuentur æuo, postquam libertatem amiserunt, viderint Itali, qui eos isto ornant elogio: magnifici tamen sunt erga exteros, magnanimi cupidiq;

sumendi

sumendi vindictã abiis à quibus offensi fuerũt.

Pratenses aiunt sacrilegiis deditos tunc cum bellum geritur.

Pistorienses auidos fundendi sanguinis humani, vt qui dolosas secum ferant ficas, & in euitandis declinandisque aduersariorum ictibus sint exercitatissimi.

Aretinos in contractibus esse simplices, parumque opipare habere hospites, amare autem gladios acutos & studiosos esse bonorum ferramentorum.

Pisanos ferunt leues esse & inconstantes in suis consiliis & deliberationibus.

De mulieribus hoc vulgi Italici est iudicium: fœminas Senenses esse pulchras, Florentinas delicatas, Pistorienses faciles, Aretinas tenaces & auaras.

OPES ET DIVITIÆ.

Etsi Principatus Florentinus abũdantissimus vino, carnibus, aliisque rebus necessariis, alicubi minus quam pro necessitate frumenti habet: ager tamen Senensis ob eximiam camporum fertilitatem, tantum gignit tritici vt nequaquam cedere perhibeatur Apulo Campanoque: cum non solum Florentinorum subleuet necessitatem, sed & multũ suppeditet Genuensibus, Lucensibus, aliisque vicinis populis. Respondet autem fœcunditati soli industria colonorum per illam prouinciam, vt multum ipsi submittant aliis, nihil vicissim ab illis accipientes. Facit hæc res vt dignæ sint opes priuatorum consideratione. Veniunt hæ vel ab eorum industria, vel ab prouentibus, quos oportet non esse exiguos, si solum sit pingue fœcundumque, vt multum inde fructuum percipi possit exiguo cum labore: vbi vero humus aridior non eam præstat abundantiam, videmus fere florere artes & mercimonia. Hinc Senenses & qui vicinum vrbi habitant agrum, diuites sunt ex prouentibus & beneficio soli, nec multum addicti mercaturæ: qui vero vrbem & agrũ Florentinum incolũt, diuitias suas industriæ ingenioque suo adscribere recte possunt. Hinc fit vt vrbs ea plena sit opificibus omnis generis, qui miro artificio & industria iis quas didicere incumbunt artibus, inprimis conficiendæ laneæ, sericæ, & aureæ telæ, qua quidem in re nihil cedunt Flandris. Magna tamen præ cæteris hic est eorum multitudo, qui occupantur circa sericum & lanificium, texentes pannos, quorum vsus ne à ditionibus quidem aut honoratioribus respuitur, non per Hetruriam solum, sed & cæteras Italiæ Europæque partes. Deportatur insuper hoc panni lanei genus vsque ad Noui seu aduersi Orbis incolas magno cum mercatorum emolumento, cum ferè dimidium eius, quod pro iis accipiunt, in lucro ponant. Apparuit autem quantæ sint ciuium Florentinorum opes, tum, cum adhuc libertate fruerentur, in bellis non paucis quæ suis gessere impensis. Testantur idem magnifica ædificia & operosa palatia, regalibus prope sumptibus excitata, non in vrbe duntaxat, sed multo magis extra illam, tar in locis planis quam vicinis montibus.

Sed & Clerici per Hetruriam perhibentur o pulentissimi, vt patet ex tot Episcopatibus, Ab batiis, Præpositu ris, Xenodochiis ditissimis, m gnoque insuper monasteriorum numero, obt nuntque consta ns fama eorum omnium pr uentus annuos conficere citciter quingenta sc tatorum millia.

Hæ diuitię priuatorum mirum in modum a gent ærarium Principis cum opes ciuium p tentur esse thesaurus illius qui dominatur ciu tati, distributus solum modo in plures loculo quibus cum necesse est in sua commod vti p test: nec hoc est ei difficile per varia tributa es cere, & exaction s, quæ in illa vrbe non sunt r ræ. Nam contractus matrimonii causa s uunt VIII. pro centum: contractus empti atq venditi in agris aut rebus immobilibus ide soluunt. Locationes domuum numerant dec mam partem. Qui litigant in foro causarum c tam numerare coguntur pecuniam, antequa fiat litis contestatio: & hæc pecunia vocat Sportula. Cedit & principi vectigal ab armen gregibusque qui Florentiam aguntur. In mace lo cum carnes ad bilancem appenduntur, singulis libris singuli penduntur nummuli: & verbo dicam, nihil importatur in vrbem neq effertur, de quo non aliquid soluatur Principi

Præterea facilem & expeditam habet Pri ceps rationem, qua vtitur pecuniis priuatorum quoties ipsi commodum aut necessarium e Cum vsus publicus exigit vt in expedito si centum vel ducenta millia coronatorum, co signantur nomina omnium eorum qui habe argentum in numerato, qui ministris principa bus apprime noti sunt. Inter hos diuiditur sum mailla, pro modo facultatum, assignaturque nicuique sua portio, quantum debeat soluer nec tamen vnquam vltra quinque ducatoru millia imperantur vni, etiam opulentissim Hac diuisione ad eum modum facta constitut que die, nemo est, qui vltra præfixum term num differat solutionem, ne vel incurrat po nam vel gratiam amittat Principis. Hæc pecun postquam collata est, vnicuique vicissim tantu dem assignatur ex prouentibus publicis, qua tum de suo præstitit, intra vigesimum octauu mensem recipiendum. Hac ratione potest Pri ceps prompta faciliq; ciuium suorum vti oper quoties necessitas reipublicæ exigit, nec adm dum illis graue dispendium creat si ad hu modum ei subueniant. Quanquam hæc versu aut mutuatio patrum æuo magis quam nost vsitata fuerit: nec enim Magnus Dux qui hod rerum potitur, ea vtitur: cuius prouentus pub ci ad vsq; Milionem vnum cum dimidio quo annis ascendere creduntur: quorum reditu hanc solent per computum inire rationem:

Iam primum constat, ex vectigalibus, trib tis, aliisque exactionibus in sola vrbe Floren na eum percipere sexcenta millia ducatoru annua.

Ab vrbe Senarũ centum quinquaginta millia.
Ex Telonio Liburnensi centũ triginta millia.
Ex molendinis per totum istum Ducatum, exceptis solis Senis, percipit CLX. millia Ducatorum.
Ex sale, metallifodinis argenti & ferri prope ntundem.
Ex versuris, cambio, vsuris, dici vix certo posit, quantum ad ipsum redeat: Vt nec, quantum nauibus mercatoriis aut triremibus, quibus m præfuit Nobilis Gallus, Belloregard.us, i non paruas, quoties in mare excurrit, præs egit, nec exiguum Domino suo conciliauit olumentum.

POTENTIA VIRES ATQVE robur.

Non sinistri fuit iudicii homo, qui Principan istum dixit ferreum: postquam is præter nalem situs rationem, qua tribus à lateribus, ut natiuo muro montibus cinctus est, in rtto magno fortissimorum castrorum numenunitur, quæ sunt in territorio Senensi. Nurantur enim in hoc oppida munita quinque, er quæ facile primum locum obtinet ipsa Seũ Vrbs, tam naturæ beneficio quã industria ius egregie munita. Idẽ dici potest de Monte ino, Quinsio, Roseto & Soana, quanquam tribus nouissimis multa deesse videntur ad fectam munitionem. Præter autem oppida et Ducatus iste Castra atq; Arces, ob munira magni momẽti, inprimis Radicofanum, ntem Falconium, Lucinianum, Monterisom, & alias, quibus tamẽ duo ad perfectã foriorũ constitutionem deesse videntur: primo, d nõ sunt ad hodiernæ Architecturæ militaormam absolutæ: deinde quod nimis angunec iustum capiunt defensorum numerum. Quæ in territorio Florentino sunt oppida, & atis firma munitaq; esse videntur, inprimis m ipsa Florentia: quæ licet nouis mœnibus ostro modo structis non per omnia cincta uobus tamen fortissimis castris superbit, um prius dicitur S. Miniati, structum super tem, qui vrbi imminet. Alterum appellatur ellum in Plano, quod ciues ædificauere, adhuc libertate sua fruerentur.

Quanquam autem & hæ & aliæ arces opere iq; firmatæ fuerunt, vt eorum ope velut fre. ppulus Hetruscus in officio cõtineri posset; tamen vsus non exiguus potest esse contra rh extraneum, quanquam, vt supetius dixiobsidentibus inde mulctũ detrimenti inferi possit, quod legitima forma destituantur, nis sint angusta. Habet Magnus Dux in arMiniati præsidium militum XL. in altero Castro, quod in Plano centum. Sunt insuterritorio Florentino & Pisano alia quoq; itia, vt Empolis, Pratum, Liburnũ, Castro- & Sassum: quæ omnia quamuis satis firma ntur, iisdem tamẽ viciis obnoxia sunt, quiperiores arces, inprimis q nimis sunt exiec sufficientẽ propugnatorum numerum possunt. Hæc vt per partes singula describam, nec tempus nec instituti nostri ratio patitur.

Porro quod ad milites attinet, inprimis eos quos Dux alit per suas prouincias, sciendum est, illum egregium & numerosum habere peditatum, in certa signa atque centurias descriptum, numero ad XXXVI. vel XXXVIII. millia, sunt autem pedites illi in armis probe exercitati, & apprime boni milites, quales Hetruriam gignere par est, quæ semper & ab antiquo bellicosa iudicata fuit prouincia. Instituuntur autem hi atque exercentur in armis assidue, velut gladiatores à Lanistis in Ludo, vt expediti fiant, præterquam quod quiuis sponte sua in feriendo scopo magna vtitur solertia, vel amore laudis, quam ex illa scientia captat, vel spe præmii destinata ferientibus à Principe propositi.

Colligitur autem omnis hic militum numerus non ex agro duntaxat, verum etiam ex vrbibus oppidisque, excepta tamen Florentia, quod Princeps parum ex vsu suo iudicet, armare eum populum, qui olim adeo pro libertate pugnauit. In cæteris locis nemo à populari illa militia exemptus habetur, nisi qui sunt ex Ordine Ecclesiasticorum aut Scholasticorum. Qui in horum militum numerum non est adscriptus, illi non licet arma ferre, neq; intra neq; extra oppida, constituta pœna.

Gaudent autem hi populares milites variis Priuilegiis exemptionibusque, inter quas non est postremum, quod nemo eos debiti nomine in carcerem rapere potest, vt non dicam de cæteris immunitatibus, quæ libertas facit, vt multi qui sunt ex professo milites, etiam Veterani ex Flandria, Gallia Germaniaque sua inter eos profiteantur nomina, & adscribi eorum numero optent. Ita non errauerit, qui dixerit, copias istas cæteris omnibus per Italiam præstare, non tantum propter numerum militum, sed etiam ob bonitatem eorundem. Dantur his arma à Principe, sed vt ipsi pro iis soluant precium, eaque conseruent proba atq; nitida in omnes vsus repentinos reipublicæ.

Hunc exercitum potest Magnus Dux ad subitaneos casus Florentiam conuocare intra VII. vel VIII. dierum spacium: quod ea vrbs veluti centrum obtineat totius ducatus, æquali ab extremis prouinciis dissita spacio, & quod apud hanc omnia recte atque ordine constitui atque expediri possint.

Habet is præter militares illas cohortes magnum numerum Fossorum, quos assidue in opere exercet, etiam cum alta pax floret, vt vel noua apud Castella erigant munimenta, vel agges tes iaciant, vel factis fossis aquarum inundationes deriuent, desiccandis agris.

De Equitatu huius Principis sic accipe. Habet ille perpetuo expeditos centum equites gra- 12
uis armaturæ, quibus singulis, extra belli tempus numerat septenos coronatos menstruos: militantibus autem largius soluit stipendium. Præter hos alit quadringentos equites leuis armaturæ, ternis coronatis menstruis, quibus & ipsis, cum bellum est, lautius & pro more

numerat stipendium. Et hic quidem est veluti Ordinarius Principatus illius equitatus, qui præter stipendium militare, vt diximus, gaudet multis ac insignibus priuilegiis ac immunitatibus, tam realibus, (vt loquuntur) quam personalibus. Quod si forte contingat, Piratas Numidas ab Argerio Africæ cum classe prædatoria Tusciæ littora inuadere, non satis præsidii esse videtur in turribus maritimis, quas magnus Dux bono numero in diuersis locis in cum finem excitauit, & quæ propositis sub aduentum hostium signis sibi inuicem respondere possunt: sed equitum euocantur turmæ, qui tuta ea aduersum prædones, communicata cum turribus opera, præstent littora.

Et hæ quidem sunt vires eius militares vsitatæ atque, vt vocant, ordinariæ. Sed si opus sit maioribus copiis, perfacile eas contrahere potest, cum tota prouincia sit populo frequentissima, accedente magno extraneorum militum numero, quos exiguo potest suis addicere stipendiis labore, more aliorum Principum.

Vt classe quoque valeret, omnem olim Magnus Dux impendit operam atque studium, cum non ignoraret, quanti sit ea res momenti atque vsus, & quod Princeps non possit vere appellari Magnus, qui non tantum mari quantum terra possit. His ergo motus rationibus, & quod vltro ad maiora aspiraret, obtinuit auctoritate potissimum Caroli V. Cæsaris, vt Plumbini Toparcha decederet sibi possessione Illuæ Insulæ, cum is eam aduersus Piratas Mauros, à quibus grauiter afflicta fuerat, ob imbecillitatem defendere vlterius non posset, simulque metueret, ne in Turcarum redacta potestatem, toti Italiæ præiudicium pareret. Reliquit tamen Hetruscus eidem Plumbini Dynastæ omnes illius prouentus, iussitque ipsum vt ante obtinere imperium in pagos & oppida, quæ munita non erant. Habet hæc Insula Portum, quem vulgo appellant, *Portoferrario*, tantæ amplitudinis, vt possit quantumuis magnam & potentem classem capere. Ergo huc appellunt omnis generis nauigia, qui vel Occidentem petunt, vel inde veniunt, indeque traiicientes Liburnum, deponunt suas merces, magno cum Principis huius emolumento. Est autem ea huius Insulæ ratio atque situs, vt si quis animosus, mediocri triremium instructus classe, cum proposito vicinos adoriendi eam obtineat, facile possit inde excursiones facere in littus Africæ, vel Prouinciæ Galliæ, vel Genuæ, vel denique Hetruriæ, totumque illud mare Piraticam faciendo infestum reddere nauigantibus.

Habet in ista Insula Magnus Dux exiguum oppidum, nomine Cosmopolim, à Cosmo Duce ita dictum. Ad custodiam Portus duo castella in duorum montium summitate extructa sunt, tam ratione situs quam artificii humani adeo munita, vt vix capi posse vi videantur. Multum est in iis rei tormentariæ & armorum instrumentorumque bellicorum.

Est in vrbe Pisa Armamentarium Nauticum Magni Ducis, quod vicinus ager abundet lignis, sparto atque Cannabi, cæteris que rebus necessariis ad instruendas naues, quarum rerum abundantia confisi olim Pisani, tam longe exten derunt dominatum suum. Nostro tamen æuc parum laboratur in ædificandis nauibus nouis sed omne studium ponitur in conseruandis ve teribus.

Habet hic Princeps & aliud Armamentariur Nauticum in Insula Illua, vbi triremes atqu biremes conseruantur, vt & naues grandiore & qui in eo ergastrio laborant homines, vel il & in hunc finem educati sunt, vel ob flagitiu aliquod ad hos labores damnati, vel deniqu mercede conducti. Sunt in eo portu trirem armatæ duodecim, biremes quinque, maior naues, quas Galliones vocant, duæ, quarum al ra prægrandis & multorum hominum cap est: altera minor, sed ob res sæpe bene gestas tis nota. Imponuntur his nauibus, remiges v rii, mancipia bello capta, damnati ob fl gitiu ad remum, aliquando mercenarii. Raro aute vtitur hominum liberorum opera, quod id rum sibi expedire arbitretur. Ad officia & imp ria nautica vtitur aliquando Gallis, sæpius Sic lis, Corsis, Græcis, frequentissime tamen na sub dominio Reipublicæ Venetæ. Scaphas si lembos nauibus suis plures adiungere sol quam Veneti, machinas tamen æneas impon pauciores. Apud Liburnum fiunt p nes biscо pro nautis, in quo oppido tantum est cibar rum, vt vno die quadragies mille eiusmodi p nes coqui possint. Seruatur ibidem magna anchorarum ferrearum, innumerique funes rudentes, cæteraque nautica supellex, vt app lentibus eo nauibus in promtu sint.

Vt autem huic militiæ marinæ plus robo conciliaret, & amplius huic suo conatui adstr ret auctoritatis Cosmus Magnus Hetruriæ D instituit Ordinem Equestrem, vocauitque e *S. Stephani*, obtinuitque à Pontificibus Pio & V. varia Priuilegia pro illis Equitibus, in quæ & hæc sunt: vt possint pensionem annu ducentorum coronatorum percipere ex bo Ecclesiasticis: vtque possint contrahere ma monium; vna sola obiecta est difficultas, ne ex iis possit esse capax vllius Commendatura si prius tribus continuis annis in triremi mi uisset. Vtque plus adderet huic nouello Or dignitatis, voluit ipse Dux illius summus M ster atque Caput esse.

Quod ad instrumenta militaria attinet, la ter hæc suppetunt huic Principi, cum con habere eum ad CL. machinas æneas car stres in Arce Florentina, & cæteris insupe cis hac in parte bene prospectum esse, inpr Illuæ Insulæ. Est in eadem Arce Florentina gna vis pulueris pyrii & globorum, nec nor copia alimoniæ puta farris, tritici, mili nis salitæ, aceti, casei, & aliarum rerum v rum.

Corporis sui stipatores habet centum, q cohortem Prætoriam dicere queas. In Sta

ſuis magnum alit equorum numerum, ad centum quinquaginta, quos maxima ex parte è proprijs habet Equarijs ſiue Armentis, etſi multi inter eos ſunt Apuli Calabrique, Aſturcones & alii.

Amicitiam cum Pontifice Romano ſerio colit conſeruatque, quod ſciat Ducatum ſuum ab nulla parte facilius inuadi offendiq; poſſe, quam à prouinciis Pontificijs, quod montes, qui totam prope cingunt Hetruriam, nulli ſint in ea parte, qua Principatus iſte dominij Eccleſiaſtici fines attingit. Habent autem montes iſti hoc ſuo Magno Duce commoditatis, quod per eos difficulter duci poſſit exercitus, inprimis autem tormenta maiora: & ſi vel maxime hoſtis inter eos ingrediatur prouinciam, alere tamē copias non queat, quod tota illa regio (excepta Pariſi) non minus habeat ſterilitatis quam difficultatis. Ergo ſi hoſtis veniat cum exiguis copijs, non poterit multum damni inferre Magni Ducis Prouinciis: ſin magnum trahat exercitū, non poterit eum alere, cum veteri per Hetruriam inſtituto commeatus atq; alimonia in loca muta, cuius generis ſunt arces & oppida, conueſa ſoleat, vt vix quicquam in agro relinquatur, præterquam quod in diurnos colonorum vſus ſufficere poſſit. Aſt à terris Pontificis, per quas planitiē latiſſimus patet in terras Magni Ducis, ſatis ſubuehi poteſt rerum neceſſariarum, vt & ab Longobardia per viam Bononiēſem adeo, vt certa conſtet experientia, vrbem Romā etiam nunquam maiori in periculo conſtitutam fuiſſe, quam cum à territorio Pontificio imminens peſtas venit, inprimis eo tempore, cum duo Pontifices è familia Medicea rerum potentes fuerunt, LEO & CLEMENS, qui poſterior peniſſime ſubiecit ſuæ familiæ florentiſſimā ante Florentiam. Viciſſim non ſemel Magni Duces exciti ſunt, quantum ſibi ſuoque Principatui proderat illa Sedis Apoſtolicæ amicitia, cui maximam potentiæ, opum & auctoritatis ſuæ debet ſuæ.

Hinc ſemper omni ope annixi ſunt Florentini Principes, ne quis Eligeretur Pontifex Maximus, qui non familiæ Mediceæ aliquo modo eſſet obligatus: hinc omnem dederunt operam, vt quam plurimos è Senatu Cardinalium in amicitiam ſuam pellectos, ſibi redderent obſequioſos, inprimis eos, qui cæteris plus poſſunt apud Pontificem. Quanquam amicitia iſta non minus putanda eſt è re & dignitate Romanæ Sedis, quam cum Principe tam potente & vicino colitum vtriuſque Principatus in tanta propinquitate propemodum coaleſcant, vt in altero alterius quoque contineri ſalutem ſit veriſimile.

Matrimonia quæ inter familiam Mediceam & Auſtriacam interceſſere, inprimis Franciſci Principis cum Hiſpana coniugium, ſuadent credere, eos non facile diſceſſuros à mutua amicitia confirmata per affinitatem Philippi tertij Hiſpanorum regis: accedente, quod Hiſpani in ſumma gratia ſunt apud Populum Florentinum.

Neque tamen ideo verendum eſt, vt multi viri cordati iudicant, ne amicitiam cum Gallorum regibus interrumpant, conſeruante eam duarum reginarum, Catharinaria & Maria Medicea, è quibus reges Francorum nati fuerunt, memoria, & accedentibus frequentibus officiis in teſtimonium amicitiæ. Niſi forte vxor Hiſpana eum qui nūc dominatur per Galliam, regem, transuerſum agat, accedentibus aliorum quoq; ſuggeſtionibus, qui minus beneuolo ſunt in Gallos animo. Iungatur his, ſi placet quod Galliæ regis prouinciæ ab Hetruria longe abſunt; rex vero Hiſpanus vicinus eſt ob Ducatum Mediolanenſem & Regnum Neapolitanum, vt propter multas cauſas penitus fœdus & amicitiā Hiſpanorum inclinare Florentini Principes poſſint. Hæc quidem omnia, ſi vel maxime ad eum habeant ſe modum, Francorum tamen rex ſuſq; deq; feret, cum ſibi à Florentinis Ducibus ſuoq; regno nihil imminere arbitretur periculi.

Genuenſibus quondam parum bene conuenit cum Franciſco Mediceo, cuius rei cauſa fuere Hiſpani. Sed vt res & affectus variant, Genuenſis Reſpublica nunc quidem eximie colit amicitiam Hiſpanicam, vnde dubium non eſt, quin bene affecta ſit eadem in Florentinum. Niſi forte Corſica Inſula, quam Hetruſci aſſerunt eſſe iuris Piſanorum, eam interpoſare poſſit amicitiam.

Quid autem de Allobrogum ſiue Sabaudiæ Principe dicemus? foris quidem nihil apparet, niſi officia amicitiæ reciproca, & ſummæ beneuolentiæ ſigna: certum tamen eſt, illum inuidere Florentino ob opes, potentiam & repentinam felicitatem: hunc viciſſim illi ob nobilitatem generis, auctoritatem, antiquitatem principatus & auitas diuitias. Nouimus autem, vbi æmulatio & inuidia inter duos regnat, neutrum alterius optare incrementum & felicitatem.

Cum Mantuano Principe ſatis conuenit Hetruſco ob ſanguinis neceſſitudinem, ſuntq; qui pro certo affirment, vtriuſque eundem ſcopum eſſe, conſeruationem ſui Status. Dubitant tamen nonnulli, annon fœdus cum Sabaudo poſſit reſtinguere in Mantuano affectum erga Florentinum. Cauſæ quas illi ipſi allegant, hic rectius tacentur quam proferuntur.

A Duce Vrbinenſi nihil ſibi metuunt Florentiæ Principes, quod inualidiores illi ſint, quā vt his multum nocere poſſint. Quamuis ſæpe inter eos oriantur rixæ & litigia de finibus & iuriſdictione.

Poſtremi omnium ſunt Lucenſes, ſiti atque ab omni parte incluſi in medio prope huius Ducatus. Ager eorum cum anguſtus ſit, nec tantum quantum iis opus eſt, gignat rerum neceſſariarum, oportet vt id quod deſit, ex Magni Ducis prouinciis petant. Hanc rempublicam exiguam ſane, cum citra gladii ictum in ſuam is redigere

possit potestatem, non tamen id facit, non magis quam antecessores eius, quod Lucensis Respublica sit sub Patrocinio Imperatoris, & supremum tribunal agnoscat Cameram Imperialem: maior igitur Hetrusco ex ea oppressa foret oritura inuidia & periculum, quam emolumentum, cum eam cæteroquin habeat ad omnia paratam officia. Contra si eam vi & per iniuriam oppressam sibi subiiciat, nihil fore certius nouit, quam Lucenses, amatores libertatis summos, auidissimos gloriæ, quorum præcipuæ opes consistunt in argento numerato & rebus mobilibus, non fundis, agris & possessionibus, deserturos esse muros, & alio abituros, vnde ipsi carendum foret, omnibus commodis, quæ ab iis ad eum vsq; diem percepit.

RATIO GVBERNATIONIS.

16 Monet nos instituti nostri ratio & series operis, aliquid de ratione administrandæ iustitiæ per hunc Principatum, & Magistratuum creandorum consuetudine dicere, quorum cura atq; vigilantia respublica intra virtutis & honestatis orbitas continetur.

Prima pars gubernationis, quæ consistit in tractandis rebus ad Principatum pertinentibus, quanquam omnia dependent à voluntate Principis adhibet is tamen in consilium eos, quos familiarius circum se habet, cum à temporibus Iohannis Medicei hactenus non fuerint Consiliarii Status: vnde dici vere non potest, sic censuisse vel statuisse Consilium aut Senatum, sed, ita voluisse Principem: accedente, quod ipsæ deliberationes, quo sunt secretiores, vt reuera occultæ sunt, eo sint securiores.

Altera pars administrationis publicæ consistit in iudiciis. Deciduntur autem hæ controuersiæ, siue sint ciuiles siue criminales, ab iisdem Magistratibus, à quibus solebant tunc, cum respublica adhuc esset libera. Causæ enim ciuiles iudicantur per certos quosdam Doctores de Rota, sicut Romæ fit & Bononiæ. Causæ vero criminales, vt priscis temporibus, nisi quod primæ in iudicando partes, quæ olim Confallonerii erant, hodie tribuuntur alii, quem Locumtenentem vocant. Est in vrbe Senatus vsitato more, sunt Octouiri, sunt alii Magistratus, quos Potestates appellant: Gubernatores tamen & rectores præcipuarum vrbium à Principe dantur, vt & præfecti Castrorum ac Munimentorum, quos olim Respublica siue Senatus Populusque Florentinus mittebat. Distinguitur autem vniuersus populus velut in tres Ordines, vt quondam Romæ, in Patricios, Equites, Plebem. Ex primo ordine siue censu leguntur Magistratus summi: ex secundo intermedii: ex tertio infimi, quanquam tamen hos omnes nobili genere natos esse oportet. Quoties legendus est aliquis ad Magistratum, quinque nominantur viri, & qui plurimorum ex Senatu designatur suffragiis, adipiscitur dignitatem. Instauratur autem illa ordinum in tres classes distributio quinto quoque anno, ita, vt qui in inferioribus fuerunt, ad supremam transferri possint. Accipit autem electio ista auctoritatem suam à Principe, qui & hanc & omnia alia suo calculo rata facere potest.

Non quidem solet impedire aut prohibere, ne creentur hi vel illi Magistratus: habet tamen quempiam à Secretis, quem vocant Criminalem, qui omnia litigia omnesque controuersias maioris momenti inspicit, & quid iudicatum sit ad Principem refert. Et hinc fit, vt Magistratus atque Iudices, gnari Principem omnium factorum & iudicatorum suorum esse conscium, non nisi e studeant iustitiæ, metu ignominiæ, formidine pœnæ: quanquam hoc potius eo fieri detur fine facere, vt se supremum dominum omnium rerum ostendat.

Conseruat autem hanc veterem exercendorum iudiciorum formam, vt hac quanquam [illegible] gua priscæ libertatis vmbra satisfaciat alicui modo ciuibus, qui occasione illorum honorum & officiorum publicorum aliquid emolumenti percipiunt.

Idem quoq; apud Senas obseruatur, & iisdem de causis: spectantur enim in ea vrbe adhuc [illegible] teres Magistratus Senatores, Authoritas Palatii penes quod olim summa potentia erat, vel [illegible] tius veterum Magistratuum nomina & vmbra quales fuerunt in libera Republica. Præest huic vrbi Rector siue Gubernator nomine Magni Ducis, quem immediate repræsentat. Intentum habet hic oculum in omnes res, nihil quod ipso inscio potest: quod si quid accidat in vrbe vel agro maioris momenti, continuo certiorem facit Principem. Et ad hunc modum regunt vrbes illæ, quæ nostro æuo non minus celebres sunt ob magnum hominum nobilium in iis numerum, quam olim propter libertatem.

Cum autem splendor & magnificentia omni vita Principis magis ostendat potentiam eius, & Maiestatem faciat illustriorem: scio dum est, aulam Magni Ducis considerationi adde etiam admirationem, minime indignam quæ talis est, vt superet splendorem Ducis aut Principis, non tamen accedat ad Magnificentiam regiam. Magnus est in ea virorum Nobilium numerus, qui in duos sunt distributi ordines, prioribus à Persona principis, posteriores à Domo eius nomen est: quibus accedit magnus ministrorum aliorumque aulæ Comitiuorum numerus. Habet insuper Princeps iste in suo Palatio sexaginta adolescentes, Illustrium Nobiliumque virorum filios, quos magna cura educari, & in omnibus nobilibus scientiis atq; equestri ordine dignis exercitiis curat erudiri.

ORIGO ET STIRPS PRINCIpum Florentinorum siue Magnorum Ducum Hetruriæ.

HIstoria Familiæ Mediceę non minus est memorabilis, quam prudentia illius & felicitas admirabilis. Hæc cum Francorum Regibus non vno modo mixta cum sit, & Franci reges his è familiæ illius floridissimę rosariis lilia deerpserint, è quibus propagarent genus & florem facerent Regium in Gallia genus: expedit, non minus Maternam Francorum Principum nosse stirpem quam Paternam. Hanc vt melius intelligamus, oportet nos recurrere ad Historiam Florentinam, adeoque secunda eius vrbis fundamenta, sub Carolo Magno Imperatore, postquam vrbs ea iam olim ab Ostrogothis deleta fuerat. Primam mentionem facit Guido Vellanus libro 1. suæ Historiæ contra Guicciardinum, clarissimi viri *Euerardi de Meditis*, Equitis Franci, qui militauit sub Carolo Magno, cum hic bellum facturus Desiderio Longobardorum regi exercitum duceret in Italiam, circa annum AN. DCCCI. quem aiunt iam tum ostendisse, quid de posteris eius sperandum esset, interfecto Mugello immanis roboris Gigante, qui totam illam regionem impleuerat cædibus & latrociniis. Dependebat tunc Florentia vrbs ab Imperio, gubernabaturque per Consules atque ea natum, quæ ratio gubernationis adhuc durat in vrbibus Imperialibus, præterquam quod Imperatori subiectæ sunt. Postquam vero Italia deturbata à Guelphis & Gibellinis in duas factiones diuisa fuit, & plerique per Europam Principes in partes abiuerunt; Florentina ciuitas, in qua magnus hominum numerus nouitatis auidorum & ad seditiones procliuium tumultuatur, ad eam reducta est conditionem, vt intra certatem & seruitutem se continere, siue inter confidentes partes mediam gerere non potuerit, pro conatus & potentiam vicinorum; vnde factum est, vt eodem prope momento & quiete se libertate spoliatam viderit, diuisa in factiones, & ex vna scissa in duas.

Sicut autem vna scintilla ignis sufficit ad excitandum immane incendium, & vna querela ad quam ciendam in foro litem: ita vnius hominis cædes toti vrbi exitium attulit. Erat in ciuitate homo nobilis, è familia Bondelmoniorum, hic interfectus est ipso die Paschatis intra vetera pontem & S. Stephani Fanum Florentiæ ab Amideis, quod cum ille cuidam puellæ ex Amideorum gente matrimonii fidem dedisset, deserta hac, duxisset aliam. Per hanc velut rimam in ianuam intrauit ciuilis furor in hanc Remp. cum duæ illæ familiæ vindictæ cupiditate flagrantes, priuata sua desideria atque odia, factionum publicarum mantello velarunt; Bondelmoniis quidem Papam sequentibus & Guelphorum nomen professis, Amideis vero Imperatoris amplectentibus partes atque Gibellinorum.

Nondum fuerat experta Respublica, quam facile possent immoderatæ cupiditates euertere statum & felicitatem vrbis; nondum senserat violentas illas conuulsiones, quibus contrahuntur atq; debilitantur nerui ciuitatis: aliquãtulum duntaxat mutauerat nouitas illa temperamentum ciuium. Perstabat enim adhuc vetus gubernationis ratio, fruebatur adhuc respublica pace & tranquillitate, vigebat adhuc auctoritas Consulum & Senatus, qui magna cura vigilabant pro bono publico. Verum postquam Fridericus Imperator cum magno Gibellinorum exercitu in Italiam irrupit; ibi quotquot in vrbe erant partium Cæsarianarum, aperte atque violenter arripere ciuitatis dominium ausi fuerunt, vt Guelphos cum suo robore tum auctoritate Imperatoris opprimerent.

Non quidem erat corruptio tanta in illa ciuitate, vt omnes illlustres familias, interque eas Mediceam contagione sua infecerit: quin potius multi erant, qui curare vulnus illud reipublicę serio optabant, vnde in id vnico incumbebãt studio, vt oppressa sceleratorum licentia Magistratibus suam auctoritatem, bonis ciuibus restituerent quietem. Verum id frustra fuit. Gibellini enim cum intellexissent, Conradum Friderici filium magnas cogere militum copias, vt patris bello petituri Guelphos persequeretur institutum, arrepta capillis, quod dici solet, occasione, consilium ceperunt inuadendi atque ex improuiso opprimendi aduersarios. Horũ motus fuit Guelphis instar tubæ aut classici, qui metuentes ne præuenirentur, vocauerunt ad vrbem Carolum Andegauensem, adeoque exterruerunt Gibellinos, vt à nemine coacti metu maioris infortunii vltro excederent ciuitate. Paulo post Clemens IV. Pontifex Romanus ornauit Carolum Andegauensem titulo Vicarii Imperialis per Hetruriam, odio liberorum Friderici Imperatoris.

At Nicolaus III. P. M. ex familia Vrsinorum, cum videret Italiam sero dolituram, quod se ad eum modum submisisset Conrado Principi exteo, statuit huius conturbare fortunam: cumq; rem eo adduxisset, vt Præfectura ciuitatis Florentinæ committeretur Cardinali Latino, Episcopo Ostiensi, reduxit hic in gratiam Guelphos cum Gibellinis, ita, vt vna conspirarent in restituendam pacem ciuitati, Gibellini, cum magnis se arbitrarentur moueri rationibus, propter quas inimicis suis fidere non possent, petierunt obsides è præcipuis Guelphorum familiis, vt tractatio pacis eo sanctius obseruaretur: quę tractatio, auctore Pontifice, hoc volebat, vt essent Gubernatores Vrbis XIV. septem è Guelphis, totidem è Gibellinis, quanquam singulis annis noui eligerentur ad placitum Papæ.

Durante hac concordia, occupauerunt Florentini Volaterras oppidum, idq; mœnibus nudauerunt: Pistorium vero, Aretium & Senas

coegerunt secum fœdus inire. Hæc tamen Malacia vix integro decennio durauit. Videntes enim Gibellini, Manfredum Friderici II. Imperatoris filium nothum per suos occupata Floretia, Magistratus ab officii fastigio deieciſſe, deleuiſſe omnia prope libertatis signa, expugnasse Neapolim, arma inferre Guelphis; ipsum insuper in vrbem suam vocatum admisserunt, sub nomine duntaxat Protectoris. At Manfredus se vrbis Dominum constituit, relicta post se ciuitatis administratione Iordano Comiti: qui, cum sic exigentibus rebus, Neapolim abiuisset, vt nescio quid officii præsta et Principi suo, constituit suo loco Guidonem Nouellum Comitem.

Videns autem Vrbanus IV. P.M. quanta ad res Gibellinorum facta fuisset accessio occupatione Vrbis Florentinæ, optimum putauit, vocare Carolum Andegauensem, qui tunc redibat victor à prælio Beneuentano. Huius Victoriæ nuncius recreauit Guelphos Florentiæ existentes, vt Gibellinos cum Comite eiicerent ciuitate. Videns ergo populus Florentinus, restitutam sibi libertatem, eosque profligatos, qui seruitutem vrbi minati fuerant, reuocauit exules vtriusque partis: qui vbi venere, consensit ciuitas, vt omnes coniuncta opera conseruarent libertatem reipublicæ, neue deinceps vel Pontificis sequerentur partes vel Cæsaris, sed illos inter se digladiari sinerent, salua sibi republica. Sed hoc mali habuit vrbs, vt ii, qui primo loco erant inter ciues, nimio factionum studio, vt fit, priuata sua commoda præferrent emolumento publico.

Conscenderat iam Solium Pontificale Martinus, natus in Turonibus, grandis Gallorum amicus. Hic restituit Carolo potentiam, per Hetruriam, quam ei anteceſſor eius prope omnem ademerat: quæ res occasionem præbuit, vt Gibellini excluderentur ab officiis publicis. Hinc noua inducta est reipublicæ forma, & Magistratus, qui antea penes duodecimuiros fuerat, reductus est ad tres, postea ad sex, hinc ad nouem, postremo iterum ad XII. quibus *Priorum* nomen impositum fuit, cautumque, ne potentia eorum vltra duos menses duraret.

Interea Gibellini, cum se tam graui tempestati frustra obluctari viderent, statuerunt ad tempus cedere Guelphis. Nam Carolus Andegauensis firmissima horum columna, cum Conradinum adolescentem acie victum securi percussisset (in quo deleta fuit Nobilissima Ducum Sueuiæ familia, quæ Imperium per CXV. annos possederat, Regnum autem Neapolitanum per annos LXXVI.) is inquam in ingentem spem erexerat Guelphorum animos. Sed post *Vesperas Siculas*, quibus Sueuis parentauerunt Galli, cum familia Arragonia occupasset vtrumque regnum, Neapoleos & Siciliæ, aperuerunt Florentini oculos, quanquam sero, cæperuntque se retrahere à fatalibus illis factionibus, quibus se toti vicinæ ludibrio exposuerant.

Sed mala ciuitatis Fortuna nouas induxit factiones, *Alborum* & *Nigrorum*: quæ res, velut impetuosus torrens nobiles & bonas aufert plantas, relictis sentib. & dumis: ita odiosam ad omnem posteritatem ciuitati reliquit memoriam, interfectis magno numero optimis quibusque è ciuibus, & exustis circiter mille septingentis in vrbe domibus: vnde vrbs adeo labefactata est, vt quid faceret, aut quo pacto tam graue sarciret damnum, non inueniret. Postremo dedidit se Carolo Valesio.

At Henricus VII. Imperator ingressus cum exercitu Italiam, cum obsedisset Florentiam, & proscripsisset Guelphos, erexit confirmauitque animos Gibellinorum. Verum hic, quo pacto è medio sublatus fuerit, notius est, quam vt nobis commemorari debeat. Implorauere Florentini patrocinium Regis Neapolitani, qui ei dedit Gubernatorem Adrianum Ducem: quem cum caleare libertatem suam viderent, eiecerunt ciuitate, vocato in eius locum Lando Dagobio, & posthunc Guidone Bentiuolo. Cum autem à Castruccio Lucensi acie victi ingens detrimentum accepissent, vocauerunt in auxilium Carolum Calabriæ Ducem, qui cum prius adeos misisset Athenarum Ducem, postea ipse ad vrbem venit.

At altera ex parte Exules Florentini attrahebant Ludouicum Bauarum Imperatorem, dum interim Athenarum Dux adeo suam in ciuitate confirmat auctoritatem, vt nihil ei ad summam potentiam nisi nomen Principis deesset. Hinc voluit experimentum capere, posserne vrbem quam oppresserat, in suo retinere obsequio verum id frustra fuit. Nam Medicea gens prudo consilio coegit hominem contentum esse Protectoris & amici nomine, & abiicere violentum domini & vsurpatoris titulum.

Nimis vere dixit ille: ciuitatem facilius posse triginta Tyrannos ferre quam vnum. Erat Respublica mirum in modum deformata optabantque omnes boni, vt tantæ confusioni medela adhiberetur: cum Syluester, Alemanni de Medicis filius ad dignitatem Confalonerii adscendit, quæ tanta fuit Florentiæ, quanta olim Dictatoris Romæ: nisi quod modus reformandi rempublicam penderet ab auctoritate iudiciorum. Non fugiebat Syluestrum, suaten pora acrem & expeditam medicinam non admittere, & periculosum esse, reuocare sublamam res præteritas. Ne tamen omnino manu abstineret à vulnere, publice præ se tulit, monri se officii sui ratione, applicare animum ad tagrauium errorum correctionem. At seditiosi non secus ac remiges addicti, cum semel remum è manibus dimiserunt, nimia licentiæ cupiditate ad arma concurrere, occupare Palatii subiicere ignem ædibus, mouere dignitate Magistratus: breuiter, instituere administrationem reipublicæ Cyclopicam. Quidam enim Carminator lanæ, cum arripuisset insignia Confallo-

neri

erii, nixus suffragio quatuor opificum ex infima plebe, nouum orsus est dominatum pro arbitrio seditiosæ multitudinis. Hæc tam detestanda consultio, quæ omnem Reipublicæ deraxit splendorem atq; pulchritudinem, durauit ab anno MCCCLXXVIII. vsq; ad annum MCCCLXXXI. donec nobiliores in ciuitate, memores officii & auitæ virtutis, ad restituendam salutem atq; dignitatem reipublicæ euigilarunt.

Ibi demum prodiit in conspectum familia Medicea, quæ hactenus latuerat, cum alii indulgentiore vterentur fortuna. Hæc domus quamuis ingratitudinem ciuium experta fuisset, non tamen omisit vllam occasionem benemerendi de republ. *Iuxta enim Mediceus*, cum dissidentes ciues concordiam reduxisset, restituit Senatui auctoritatem, populo libertatem: ipsi tanta accessit ad omnes dignatio, vt si plus habuisset ambitionis, quam in virum bonum cadere potest, potuerit facile supremum arripere dominatum, & delere libertatem patriæ. Agitabatur enim hæc omni quidem discordiis ciuilibus, foris autem bello & armis Vicecomitum Mediolanensium; qui exercitum sub signis habebant.

Satis erat *Iohanni Mediceo* prudentiæ ad corrigendam patriam. Exhauserant varia bella erarium Reipublicæ, in quæ tempore non admodum longo insumta fuerant è publico tres Millones & sexcenti Ducati: nec vllæ erant amplius bonorum facultates. Non pepercit hic theatris suis, quos habebat opulentissimos, cumq; interesset reipublicæ emolumentum priuatis cõmodis anteponendum, legem tulit, vt opulentiores non minus pro modo facultatum suarum conferrent ad belli sumtus, quam tenuiores, ne ditiores plus perciperent ex belli fructib. quã pauperes. Hac æquitate hominis permota plebs, principem eum ciuitatis constituit, qua dignitate maximo cum reipublicæ tum suo emolumento functus est ad annum. AN. C. MCCCLXXXIV. ad bellum contra Vicecomitem Mediolanensem. Vt autem magnam plebis sibi conciliauit beneuolentiam, ita magnorum aduersum se concitauit inuidiam, quod monstrum omnium primum appetit eos, qui versari in lumine soli, & virtutibus suis se illustres reddere studuerunt. At Iohannes iste Mediceus tanta securitate per spinas & aculeos inimicorum suorum incessus est, vt in administratione rerum publicarum neq; conscientiam suam neq; honorem vllam læserit. Etsi enim omnem auctoritatem Senatus in suis videret manibus, & quidam amicis ei consulerent, vt opprimeret eum ordinem, negauit se id facturum, qui non desideraret aliam in vrbe auctoritatem, quam per leges patrias obtinere posset: sic omnes repudiauit honores, quæ maiores erant, quam vt in ciues cadere possent, & vnde sibi inuidia nasceretur.

Eadem fuit *Cosmo de Medicis* sententia, idem filius, qui Iohanni patri. Princeps hic Senatus & Rector omnium negotiorum, cum sensum principis haberet, populariter tamen vixit. Nec alium volebat diuitiarum suarum esse vsum, quam vt iis ornaret virtutes suas, & pararet sibi amicos; solebat enim dicere, *satis amicorum habere neminem posse*. Foris gerebat se ciuem, domi regem, cum domus ipsius esset refugium pauperum, ara afflictorum, templum iustitiæ, receptus omnium per Italiam doctorum hominum. Cosmus vnus erat in vrbe, & sine Cosmo Florentia nihil erat.

Qui cum talis esset, non potuit tamen immunis esse ab inuidis & obtrectatoribus. Quidam enim inuidiæ œstro perciti, cum maligno & suspicace oculo omnes eius obseruassent actiones, palam dixerunt, affectare eum Tyrannidem in vrbe, eiusq; largitiones, liberalitatẽ atq; pietatem nihil aliud esse quam operimentum ambitionis. Erat iam eius auctoritas, magnificentia, gratia, dignitas, fauor populi, postremo omnia suspecta magnatibus, quibus obviam eundum statuerunt. Igitur Bernardus Guadagnus, Confalonerius, cum Cosmo imperasset, vt in summam veniret Curiam, abduci eum in carcerem iussit: quod factum est anno A N. C. MCCCCXXXIII. Erant in Senatu, quirogati sententiam, morte eum afficiendum censerent: qui mitiores erant, multandum exilio iudicabant. Aiunt autem Cosmum in Bernardo reperisse, quod Cæsar in Bruto inuenire non potuit. Guadagnus enim verbis Cosmi persuasus & delinitus liberalitate, dimisit eũ, qui profectus est Venetias. Tulit exilium eadem qua Metellus constantia, idque leuiter æstimauit, vt Rutilius, cum virtutes suæ eum vbique comitarentur. Offerebant ei præcipui per Italiam Illustres nobilesq; viri auxilium operamq; suam, vt vlcisceretur suas de ingrata patria iniurias. Sed his nihil opus erat. Non enim per integrum annum hoc viro Florentia carere potuit, sed reuocatum eum ab exilio, pristinis restituit honoribus.

Reuersum ergo domum vniuersa patria nouo ornauit titulo, vt *Patrem Patriæ* appellaret, quæ verba postmodum ipsius sepulchro inscripta fuere: tota vero Italia cognomentum Magni adiecit. Produxit autem familia Medicea tres Principes, quibus Magnis appellari communi consensu contigit: *Cosmo Prisco, Laurentio, & Cosmo* alteri, qui primus MAGNVS DVX salutatus fuit, quique ingentibus sumtibus extrui iussit Hierosolymis domum hospitalem pro peregrinis.

Hic, de quo loquimur, Cosmus, prima supremi dominatus in republica Florentina pro sua posteritate iecit fundamenta, viis rationibusq; iustis ac legitimis; in qua quidem re clarissime elucet diuinæ Prouidentiæ vis, quæ pietatem, iustitiam, religionem, cæteraque huius domus virtutes tam luculentis affecit præmiis, eamq; claram fecit per Europam Asiamq;.

Erant autem omnes Cosmi actiones regiæ, mode-

moderatæ tamen & cum ea coniunctæ modestia, vt præcipui ciuis captum non superarent: cumque principum Italiæ affinitatibus gaudere potuisset, prætulit tamen ciuium Florentinarum matrimonia. Nam filio suo Iohanni vxorem dedit Corneliam ab Alexandria, factis nuptiis sine strepitu & operosa pompa, ex quo matrimonio descenderunt posteri nobilissimi. Petro alteri filio coniugio iunxit Lucretiam Turnabonam, & hinc natus est Laurentius de Medicis, cognomento Magnus siue Magnificus: Cuius posteritas defecit in Catharina Francorum quondam Regina.

Iohannes Mediceus reliquit filium posthumum, patrem Cosmi Primi Magni Ducis. Mortuus est hic Iohannes cum globum ex tormento æneo in genu recepisset, dum Germanos Cæsari militantes prælio tentat. Luxit eum vniuersa Italia, quam haud dubie, si vixisset, ex Serua Reginam fecisset. Cum amputaretur ei tibia, quæ tota vi globi ferrei conquassata erat, dixit, maiorem se percipere dolorem ex recordatione sceleratorum hominum, quam ex sensu ferri & cauterii.

Spectabat sibi amputari crus, intrepido oculo, irridebat amico, qui ipsi condolebant, rogabatque, vt ad se vocarent Cosmum filium suum, quo coram arbitraretur oculis, quæ soleret Mars distribuere præmia fortiter pugnantibus. Iacturam enim brachiorum, manuum, crurum pedumq; esse torques & monilia bonorum centurionum. Factum id fuit Mantuæ in domo Ludouici Gonzagæ, Marchionis Mantuani, quo etiam visitandi ægri gratia venerat Vrbini Dux.

Solebat de eo dicere Franciscus I. Gallorum rex: nisi Fortuna vulnerauisset Iohannem, Franciscũ captiuũ facere non potuisset. Erant n. in eo omnia, quę ab summo duce militiæ requiri poterant, tolerantia in laboribus, magnanimitas in periculis, promtitudo in executione, prudentia in consiliis. Sequebantur eum milites eadem alacritate ad pugnam, qua ad lautam cænam, quos frequenter etiam in maximis periculis his verbis compellare solebat: *Sequimini me, non præcedite.* In eo felix fuit, postquam eum regnare in patria fas non fuit, quod cæleste Numen posteris eius dignitatem eam reseruauit.

Petrus de Medicis filius minor Cosmi Magni, cum paternarum virtutum æmulus esset, fructus tamen earum speratos in iuuentute sua percipere non potuit. Pauci fuerunt in vrbe Florentina, tam ex patriciis quam plebeis familiis, qui non opibus eius subleuati debitores eius fuerint. Iniuriam fecit Lycurgus auro, cum id materiam iniquitatis dixit. Fuit enim hoc peculiare familiæ Mediceæ, vt ingentibus diuitiis suis bonos sibi obligatos redderent, malos vero ad frugem inuitarent.

Neque tamen Petrus hac beneficentia sua cauere potuit, ne inimici in eius coniurarent vitam, quorum manus vix effugit cum rediens abcarregio, monitus de insidiis, à via regia deflexisset.

Huius vero filius *Laurentius Mediceus* multum splendoris ad maiorum suorum egregia facta attulit, cum haberetur in republica Florentina, qualis Scipio Æmilianus in Romana, isdem ornatus virtutibus, quas iuueni illi Romanæ historiæ tribuunt. Hic videns in magno se esse apud populum honore, subnixus insuper Ducis Mediolanensis amicitia, cæpit paulo altius loqui. Neque impediebat Senatus hoc tam ingẽ hominis incrementum, vel, ne ipsum prohibitũ irritaret, ultro ad maiora adspirare, vel quoc periculosam metueret mutationem. Videtu autem fatale fuisse, vt hęc familia imperaret Florentiæ, cum aliæ ad summam illam potestaten ne aspirare quidem ausæ fuissent.

Erat Laurentius in ea vrbe, quod Pericle Athenis. Etsi enim Respublica Attica videbatur Popularis, reipsa tamen erat Monarchia. Neque vero tam exigui momenti erat res Florentina, aut tam parua, vt non inueniret, qu eam procarentur, auctam accessione oppidorum, Aretii, Liburni, Cortonæ, Pisæ, Montispolitiani. Erat autem ea Laurentii in gerenda republica dexteritas, vt per annos prope viginti omnia eius consilia etiam à prudentissimis cuibus approbarentur, cum in omnibus summum præ se ferret iustitiæ studium. Frequens erat in lectione Librorum Platonis, quos ipsiu iussu Marsilius Ficinus è Græco in Italicum verterat sermonem, solebatque dicere, neminem aptum esse posse ad gerendam rempublican qui eorum librorum cognitionem nullam haberet.

Magni fecit Laurentii huius amicitia Ludouicus XI. Gallorum rex, cui & obtulit suppeditauit auxilia contra Ferdinandum Aragonium, ductore illarum copiarum Argentonio. Sed & Ægypti Sultanus missis regiis donac muneribus ipsius ambiuit amicitiam. Mathias Coruinus, Hungariæ rex in periculosis mis regni sui turbis ad Laurentii confugit prudentiam & consilium.

Innocentius vero VIII. Pont. Max. tan eum fecit, vt quo arctius eum sibi deuinret, Francisco Ciboni filio suo Magdalenam liam eius ambiuerit coniugem. Colebat eu totus populus Florentinus, neque inimici ius poterant obscurare lumẽ virtutis eius, qu ad claritatem tantam peruenerat. Inuidia virti comes est. Quidam enim illustriores ciues familia Pazzia, Saluiata & Bandina impatie tes tranquillitatis reipublicæ & illius formæ dominationis, constituerunt humi prosterne duas illas vrbis Columnas Laurentium & lianum Mediceos. Statuerunt autem exẽ illud facinus in ipso S. Reparati templo, cu Sacrum religiosissime celebraretur: propositio gno, cum Sacerdos hostiam (vt vocant) ele

et, tunc ſtringendas eſſe ſicas. Franciſcus P. z-
us, vt exploraret an Iulianus armatus eſſet, ten-
auit veſtes eius manu, dixitque, videri ſibi ha-
itiorem illum paulo factum eſſe poſt morbũ.
umque eum armis carere deprehendiſſet, im-
egit ei ſicam ſiue pugionem in ipſum cor. Re-
epto ferro Iulianus in terram prolapſus eſt, cui
anto perpetrandæ cædis irruit ſtudio Franci-
cus, vt ſe ipſum in crure vulneraret.

Iohanni Baptiſtæ de Monteſicco deman-
atæ erant partes iugulandi Laurentii. At is ſi-
e quod ante Miſſę Sacrum cum eo collocutus,
ntum deprehendiſſet in viro virtutis & ſuaui-
iis, vt in eius vita incluſam publicam ſalutem
rederet: ſiue diuinitus à tanto facinore abſter-
tus, tantiſper ab eo abſtinuit, vt in proximum
cellum effugere poſſet. Concurrente autem
opuli multitudine, deductus fuit Laurentius
Palatium ſuum; tota autem ciuitas conſterna-
,ad arma concurrit.

Erat in omnium ore atque corde nomen Me-
ceum: plebs ergo furens, cum coniuratos per-
iſiuiſſet, correptos eos, laqueis de feneſtris
ſpendit, non expectata alia iudicii forma, in-
r quos etiam fuit Archiepiſcopatus Saluiatus.
rat autem omnium tantus vindicandæ cædis
dor, vt Iacobi Pazzi corpus humatum terra
uerent, & eodem fune quo ſtrangulatus fue-
t, per vrbem traherent, poſtremo in Arnum
iicerent. Iis ſolũ vita conceſſa eſt, quib. Laurẽ-
is ignouit, & eos furori populi ſubduxit. Paz-
Bandini & Saluiati, cum ob cędẽ illam vrbe in
ilium erecti fuiſſent, confugere ſupplices ad
trocinium Sixti IV. Pontificis, qui iratus erat
orentinis quod ſuſpendio nec-ſſent Legatum
um, neque amabat Mediceos, cum ob eos e-
e fuiſſent Cardinali Piſano Legato eius, vt di-
nus, & quidẽ induto habitu Pontificali. Bre-
er res ad apertum bellum deuenit, colligẽtib.
ercitum Pontifice & Ferdinando Arragonen-
cuius ſummus Dux erat Alphonſus Calabriæ
ix. Belli cauſa dicebatur, non vt Florentini pe-
entur, ſed vna domus Medicea; neque enim
cem haberi poſſe niſi exauctorato Lauren-
. Qui cum videret proſperos ſucceſſus ſuos
ſam eſſe belli, conuocatis præcipuis in vrbe
ibus dixit; poſtquam ſe familiamque ſuam
leret prætextum belli, quod Papa atque Rex
rbem ſumſiſſent, non antepoſiturum ſe pri-
am ſuam ſalutem incolumitati Reipublicæ,
; recuſare, extinguere ignem illum ſuo ſan-
ne, & compar cum fratre ſubire fatum. Re-
ndit ciuitas, ſalutem publicam à ſalute Lau-
tii ſeparati non poſſe, quo non conſeruato
os ſe eſſe non poſſe.

Capto hoc conſilio, nihil ſupererat Ponti-
quam labor & moleſtia, qui, cum videret
dentia & dexteritate Laurentii tumultum
ſligari Italia, pacem reduci, in Comitiis in-
er Cremonæ habitis, quo ipſe miſerat Le-
um ſuum Cardinalem Mantuanum, quo et-
conuenerant Alphonſus Calabriæ Dux, Lu-
douicus Vicecomes Mediolani, Laurentius Me-
diceus, Hercules Eſtenſis Ferrariæ Dux, Ludo-
uicus Gonzaga, Marchio Mantuæ & alii per Ita-
liam Reguli, communibus ſuffragiis bellum
contra Florentinos & Venetos in tractationem
pacis conuerſum fuiſſe, quod ipſe geri volebat,
ægritudine mentis mortuus eſt.

Laurentius, cum ſe totum reipublicæ ne-
gotiis impendiſſet, confectus perpetuis pro e-
ius ſalute curis ac vigiliis, exhauſtus inſuper va-
riis aduerſitatibus, exceſſit vita anno ætatis
ſuæ quadrageſimo quarto: homo ad omnia ſum-
ma natus, cuius prudentia in ſummis conati-
bus, conſtantia in aduerſitatibus, perfectio in
ſcientiis, religio in pietate, ſplendor in omni-
bus actionibus, contemtus inuidiæ, magnani-
mitas in periculis adeoque inimicorum conſpi-
ratione, clariſſimum viro conciliauerat per om-
nem Europam nomen. Erat litteratis omnibus
apud eum receptus, quibus parebat vniuerſa
domus eius: miſerat Iohannem Laſcarin Con-
ſtantinopolitanum, vt conquireret ſibi præ-
ſtantiſſimos libros per Aſiam atque Græciam,
aucturus iis famoſiſſimam Bibliothecam ſuam,
quam pater eius inchoauerat. In hoc igitur Mu-
ſarum delubrum comportati ſunt libri non ſo-
lum optimi, ſed & rari atque vnici, qui alibi prę-
terquam in hoc theſauro non erant inuenien-
di: hanc tamen Bibliothecam amplificauerunt
poſtmodum Leo X. & Clemens VII. Pontif.
Max. Reliquit moriens virtutem in exiſtima-
tione & precio, populum in libertate. Nobilita-
tem in honore, vrbem in omnium rerum ab-
undantia. Suſtulit ex Claricea Vrſina Petrum
de Medicis, qui duxit vxorem Alphonſinam Vr-
ſinam, itemque Iohannem, qui poſtea Papa
factus & Leo X. appellatus eſt, poſtremo Iulia-
num. Ferdinandus rex, audita viri morte
ſatis eum ſibi viziſſe dixit, Italiæ vero pa-
rum.

Defuncto Laurentio, cæpit Fortuna obuer-
tere tergum familiæ Mediceæ, quando Caro-
lus VIII. Gallorum rex exercitum duxit in
Italiam, vt refloreſcere faceret Lilium,
quod Ludouicus IX. plantauerat in regno Nea-
politano.

Petrus de Medicis Laurentii filius, cum probe
noſſet, Florentinorum non eſſe eas vires, vt ad-
uentantem cum copiis Gallum tranſitu prohi-
bere poſſent, profectus regi obuiam, permiſit
poteſtati eius partem Hetruriæ, inprimis Vrbes
maritimas, Piſam & Liburnum. Fuit hoc tale fa-
cinus quod Pater eius ſemper improbauerat, vt
imprudens & iuuenili impetu ſuſceptum. Trăſ-
actio illa Petri cum Gallo in tantam eum apud
Senatum Populumq; Florentinum adduxit in-
uidiam, vt Plebiſcito ipſe & Iohannes frater eius
iudicati fuerint hoſtes patriæ, proſcripti-
que ſpoliatis direptiſque eorum domibus,
vbi perierunt ingentes diuitiæ tot annorum
cura & laboribus collectæ, cum res taræ atque
precioſæ facta auctione ſub haſta venirent,
ad lubitum vulgi, cuius iuſſu reſciſſa

fuerunt damnataque omnia eorum acta, quod contra libertatem reipublicæ esse viderentur.

At Carolus ingressus Florentiam, diuertit in Palatio Mediceorum. Ibi Alphonsina Petri vxor expoſuit regi calamitates mariti filiiq; ſui, adeoque totius familiæ. Impetrauit Rex à Senatu, vti liceret Petro redire in vrbem, ſuiſq; perfrui facultatib. Eo vero iam Venetias in exiliũ profecto, cum Rex digrederetur Florentia petiturus Romam, non fuit amplius de reſtituendo homine facta mentio. Afflixere hæ aduerſitates Petrũ toto decennio: qui cum imploraſſet patrocinium Pontificis Alexandri VI. deceptũ ſe ſenſit, cum hic aliter faceret quam loqueretur. Sed nec Imperatoris fauor ipſi quicquam profuit. Ad extremum ergo coactus confugit ad Carol. VIII. & Ludouicum XII. Gallorum reges, in cuius exercitu cum militaret, mortuus eſt apud Garillanum. Dum adhuc exul Venetiis ageret, cepit conſilium occupandæ vnius portæ vrbis Florentinæ, confiſus beneficio noctis & fauore amicorum quos in vrbe habebat. Sed cum non niſi mille paſſibus ab ea abeſſet, Aurora præcoci aduentu conatus eius detexit irritoſq; reddidit. Igitur ii, qui cæptis eius fauiſſe credebantur, capti & ſupplicii s affecti ſunt.

Ab eò tempore ſemper cum variis aduerſitatibus colluctata eſt domus Medicea, donec Põtificale Solium conſcendit Iulius II. homo ingenii terribilis & impetuoſi, vt Paulus Iouius loquitur, & qui vnice id agebat, vt excitaret motus per Italiam, & ſereret inimicitias inter Regẽ Gallum & Florentinos: qua de cauſa tantum defendendos ſibi ſumſit Mediceos, quantũ Sixtus IV. eos oppreſſum iuerat. Habebat Iulius in precio & honore Iohannem de Medicis Cardinalem, quẽ Legati Bononienſis honore auxit: cũq; conuentum principũ indixiſſet apud Mantuam, miſit hunc eo, vt ſuas ageret partes. Aderant inſuper Remundus Cordubenſis, Prorex Neapolitanus, Legatus Imperatoris, Venetorum & Heluetiorum. Primum caput, quod ad deliberandum propoſitum fuit, erat de reſtituenda familia Medicea in bona & honores ſuos, quos Florentiæ habuerant. Hanc rem ita vrſit Pontifex, vt facto Decreto copiæ à confederatis conſcriberentur, primumq; belli impetum Neapolitanus Prorex faceret in Hetruriam, obſeſſo validis cum copiis Prato oppido, vbi ex Florentinis cæſa fuerunt duo millia, captis complutib. qua clade perterrita ciuitas ipſa in factiones abiuit, prævalentibuſq; iis, quos habebat Medicea domus in vrbe ſibi fauentes, recepti ſunt in ciuitatem. Ergo *Iulianus Mediceus* more Principis Vrbem ingreſſus eſt. Enimuero ſequi ſolet populi fauor Fortunæ aſpirantis auram. Progreſſa eſt viro honoris ergo obuiam magna pars ciuitatis, eumq; lętis excepit acclamationib. Dominumq; appellauit, quod ille ſimulata modeſtia nomen tunc quidem repudiauit, nihili faciens ſterilem Laurum, vt Aurelianus Imperator dicere ſolebat, ſed florem quærens Florentiæ, qui ſuo tempore optatos ferret fructus. Hic eſt ille, qui arma Familiæ Mediceæ fecit æqualia Florentini quicquid maleuoli contra garriant, & de ſex P lulis Medicis nugẽtur. Cauſa multo eſt illuſtric antiquiorq;. Euerhardus enim Mediceus, vt beraret Hetruriam ab immani homine, Muge lo Gigante, deiectum eum in duello proſtrau ad pedes ſuos, cum iam Gigas vibraret magna in eum clauam ſuam. Texit ſe Eberardus Scut ſuo, cuius æquor erat aureum, quod recepit in preſſionem ſex globorum ferreorum, qui à cl ua dependebant, vnde ſex inſignibus ſuis int lit globos rubicundos, in aureo protuberant æquore. Sunt qui huius rei aliam adſtruere r tionem malint, totidem pilas luſorias eſſe int pretantes, eoſq;, qui primi iis vſi in armis fuer voluiſſe innuere diuerſas agitationes & vic fortunæ inter motus populares illius Reipub cæ, ſicut eſt natura Pilæ, vt alias quidem in tum ſubſiliat, alias verò in terra prouoluta h mi repere videatur. Hæc enim domus in vr Florentia modo floruit, capurque alte extul modo intra priuatam fortunam delituit, vt ea Fortunæ Pilam appellare recte poſſis, qu & Heluium Pertinacem aliquando feciſſe ac pimus. Erat autem numerus Pilarum iſtar incertus. Inueniẽs enim in quibuſdam clyp nouem, in aliis octo, rurſus ſeptem & ſex. M dicei Mediolanenſes non niſi vnam oſte dunt.

Vltimus Fortunæ in familiam Medicea inſultus, non afflixit eam, ſed virtutem Me ceam à Tyrannide vindicauit, eamque multo cit quam ante ſublimiorem & glorioſiorem. dentes Florentini, Caroli V. exercitum cep Romam, & Papam in Mole Adriani captiũ detineri: eiecerunt ciuitate Alexandrum & H polytum Mediceos, deiecerunt atq; ſolo affli runt eorum arma & inſignia, vbicunq; in vr vel picta vel ſculpta eſſent, confregerunt S tuas Leonis & Clementis Romanorum Pon ficum, quod facinus in eas redegit ciuitatem ſeruas, vt in alia re quam in ſeruitute felicitat ſperare poſſet nullam. Clemens enim, poſtqu cum Imperatore in gratiam rediit, effecit, vt F rentia obſeſſa Cæſaris armis, victoris leges ſcipere cogeretur. Lex ſuprema hęc erat, vt A xãder Mediceus, ducta in vxorẽ Margarita A ſtriaca, Caroli Cæſaris filia notha, eſſet Du Princeps Florentiæ, cumipſe tum liberi e poſterique, legitimi nati matrimonio, & his fitientibus agnati conſanguineique. Hunc men Alexandrum interfecit Laurentius de M dicis, propinquus atque neceſſarius eius, fact cæde Venetias profugit. Sic factum eſt, vt dem die, quanquam diuerſis annis, & cæp hæc potentia Principalis, & is, qui eam pri habuerat, interierit.

Succeſſit Alexandro *Coſmus Iohannes fi* in quo patuit, dari Imperia & Principatus à D & quod ſuprema potentia non fundetur ſuſtineatur humanis conſiliis: nihilque eo poſſe hominum ſtudia & conatus uerſus cæleſtia Senatusconſulta. Recep

ſe C

Cosmus hic post mortem Laurentii in Pala-
ium suum Mugellanum, agebatque ibi priua-
us, ne quid suspicionis afferret ad magnitudi-
em Alexandri. Eo quo hic obtruncatus est, die
ambulanti Cosmo per hortos suos, oblatum
st ostentum, cum conspiceret flores quosdam,
ræter anni tempestatem atque ordinem. Fuit
oc certum augurium noui Principatus in flo-
ntissima Italiæ Vrbe, cuius possessionem ter-
o ab inde die adeptus est, cum nihil tale spera-
et. Ostendit hic vir magnitudinem iudicii sui,
amorem iustitiæ in tam repentina occasione.
Quamuis enim sciret, cæde Laurentii quam A-
xandro intulerat, patefactam sibi ad Princi-
atum ianuam, passus tamen est ab eo exigi pœ-
as & vindictam publicam percussoribus Prin-
pum legibus constitutam. Debet semper Prin-
ps reuereri atque conseruare memoriam il-
os, cui successit in potentia. Sic Cæsar noluit
ici statuas Pompeii, vt suæ illarum loco eri-
rentur.

Florentini, qui iam didicerant, quantum in-
esset inter libertatem & seruitutem, adspira-
runt quidem ad priorem reipublicæ formam:
i quoties has animo voluebant cogitationes,
ies periculorum futurorum mole adobruti,
itauerunt studium libertatis in necessitatem
edientiæ. Populus enim, qui semel suscepit
um & dominatum vnius, difficulter illud
utere potest: & qui velut postliminio ex
bus ad libertatem adspirant, non laudan-
ob libertatis studium, sed puniuntur
nalæ frugis serui & equi recalcitrantes.
Successit ergo, vt diximus, Cosmus Alexan-
vi transactionis Florentinorum cum Cæsa-
electus insuper à Senatu. Vrbem ingressus
cum eo exercitu, quo compescere posset ad-
lantes sibi vsuro suo iure. Neque tamen ni-
rigide dominari volebat ciuibus suis, quasi
ncipiis, quod multi faciunt, sed temperabat
enti um suam modestia, suspensos habens a-
os hominum inter libertatem & seruitutem
lios, cum milites sibi deuinciret liberalitate,
ulum deliniret suauitate, Nobilitatē com-
nicatione officiorum & honorum, vniuer-
utem dulcedine pacis.

Stabiliuit hic deinceps principatum suum
a prudentia, vt Florentini propemodum
iarentur de iugo, quod ipsis imposuerat; sic-
neroſi Asturcones, qui velut ludentes lu-
spumantia mandunt, à quibus initio læsi
nt.

uxit Cosmus Ducatum suum accessione Pi-
Vrbis. Eidem dedit Hispanorum rex Senas
em cum territorio, etiam absens in inferio-
rmania. Beneficio hæc annexa fuit lex, vt
inque nouus Florentiæ Dux acciperet in
ficium Prouinciam Senensem, numeraret
anorum Regi duo millia coronatorum, in-
que teneretur Hispano in Italia bellum ge-
suis sumtibus alere atque submittere mili-
ille & quingentos. Volebat Cosmus, vt li-
sui ab illis oneribus liberati essent. Quæsi-
tum est, an in secunda inuestitura idem iuris es-
set præstandum? responderunt Iurisconsulti af-
firmate.

Pius V. Pont. Max. ornauit Cosmum hunc ti-
tulo nouo, cum ad appellationem Ducis, *Ma-
gni* cognomentum adiecisset, eumq; Romæ co-
rona cinxisset, cuius precium æstimatum fuit
CXX. coronatorum millibus. In ambitu illius
coronæ scripta legebantur hæc verba: Pius V.
Pont. Max. ob eximiam dilectionem, & Catho-
licæ Religionis zelum, præcipuumque Iustitiæ
studium donauit. factum hoc est anno A N. C.
MDLXIX.

Solebat Cosmus dicere Principem nullum
potentem æstimari debere, qui cum militia ter-
restri non posset coniungere vires marinas &
classem. Has cum nocte di queagitaret cogita-
tiones, & suapte sponte ad maiora adspiraret,
obtinuit auctoritate potissimum Caroli V. Cæ-
saris, vt possessione Illuæ Insulæ sibi cederet
Plumbini Dynasta, quæ insula magnum ad quie-
tem Italiæ potest afferre momentum, quod ad
eam fere appellant naues quæ ab occidente ve-
niunt. Extruxit in hac oppidum, quod de suo no-
mine Cosmopolin appellauit, portumque, quē
habet insula satis c: pacem, appositis duobus ca-
stel is firmum securumque effecit. Auctor hic
fuit Ordinis Equestris S. Stephani, quem ex bo-
nis prouentibusque Ecclesiasticis ducenos co-
ronatos annuos percipere, & matrimonium
contrahere posse, etiam superius recensuimus, ita
tamen vt hi Equites continuo triennio in tri-
remibus militent.

Cum iam satis firma potentiæ suæ sibi vide-
retur iecisse fundamenta, conuertit eo omne
suum studium, vt eam conseruaret, semperq; in
promtu haberet Neruos Reipublicæ. Nec hoc
ei fuit difficile, cum prouinciam haberet opulē-
tam atq; affluentem, non terræ tantum naturæ-
que bonis, sed & industriis artificibus & merca-
toribus, qui rem faciunt ex lanificio, ex serico
& panno aureo: quanta autem textorum sit co-
pia, vel hinc cognosci potest, quod in sola vrbe
Florentia quotannis aliquot millia, imo myria-
des telarum aurearum conficiantur. Etsi autem
plura sunt colligendorum thesaurorum atque
augendi fisci media & rationes, nullo tamen
vsus est præterquam subsidio consuero & impo-
sito omnibus in merces omnis generis, in
quo genere tam oculatos attentosque ha-
buit ministros, vt nihil neque Florentiam in-
ferri neq; exportari potuerit, vnde non aliquid
emolumenti rediret ad Principem. Hinc adeo
mirandum non est, si moriens reliquit in the-
sauris suis auri, vt loquuntur, Milliones decem:
tantum autem gemmarum atq; vniohum, vt ea-
rum precio duos Milliones constituere credere-
tur. Habent hoc pleriq; Principes in more posi-
tum, vt cum nouū ingrediuntur Principatū, am-
bitiosiores fere sint atq; cupidiores, quā ii, quo-
rum iam sunt confirmatæ opes & potentia. Sic
fit, vt assidue vicinorum terras & possessio-
nes non alio adspiciant oculo, quam adulteri

venu-

venustas aliorum coniuges. At Cosmus noster contentus firmam sibi Hetruriæ fecisse dominationem, non tamen satis eam tutam sibi fore credidit, nisi amicos sibi domi forisque compararet.

Nati sunt ei ex Eleonora Toletana, Proregis Neapolitani filia hi liberi. Franciscus, Ferdinandus, Petrus, Garcias, filii. Filiæ vero hæ, Isabella & Eleonora. Iunxit sibi *Franciscus* matrimonio Iohannam Austriacam, Ferdinandi Imperatoris filiam, factis nuptiis a.d. XVIII. Decemb. anni A N. C. MDLXV. Ferdinandus vero duxit Christianam Lotharingicam. Ex matrimonio Francisci cum Iohanna natæ sunt filiæ duæ: Eleonora & Maria. Illa nupsit Duci Mantuæ: hanc bona fortuna reseruauit sibi, vt faceret Reginam Gallorum, coniugem Henrici IV. gloriosissimæ memoriæ. Cuius morte, cum soluta matrimonii vinculo denuo nubere honeste posset, abiecit omnem secundarum nuptiarū cogitationē. Mortuus est Franciscus anno Sal. MDLXX VII.

Post hunc rexit rem Hetruscam *Ferdinand* frater, qui antea Cardinalis fuerat. Audita a tem morte fratris, deposito Galero purpure factus est Magnus Dux Hetruriæ nomine te tius. Vxor eius fuit vti diximus filia Caroli D cis Lotharingiæ. Mortuus hic est, cum non mu tis annis rei summæ præfuisset, relicto vni filio

Cosmo secundo huius nominis, Magno Duc qui cum & ipse non diu post patrem regnas præmatura morte obiit. Conjux eius fuit Ma dalena Austriaca, Ferdinandi II. Imperato filia, ex qua genuit filium auo materno cogn minem, *Ferdinandum* & ipsum Secundum, M gnum Ducem Hetruriæ, qui nostra memor rem Hetruscam suo imperio feli citer moderatur,

DVCATVS MANTVANVS

SVMMA CAPITA.

1. *Quantum hic Princeps terrarum per Italiam possideat.*
2. *Antiquitas vrbis Mantuæ, quæ ante Troiam ædificata creditur.*
3. *Varii eius domini, donec postremo sub Gonzagarum dominium peruenerit.*
4. *Ratio loci & situs Vrbis Mantuæ, superba eius ædificia inter quæ eminentissimum Palatium, quod Marmirolum dicitur.*
5. *Marchionatus Montisferratensis olim à Palæologis possessus. quando hic in Ducatum erectus fuerit.*
6. *Ager Monferratensis fertilissimus; Therma in eo natiuæ & Aquæ Medicatæ.*
7. *Mantuani amatores linguæ Hebraicæ ante pleraſque alias gentes: simplices in vestitu, ingenio audaci, fœminæ eorum ferociusculæ.*
8. *Prouentus annui Ducis Mantuæ, & de Gubernatione Marchionatus Montisferratensis.*
9. *Series & ordo Ducum Mantuanorum.*

1 NOn parum terrarum ac dominiorum possidet Dux Mantuanus per Italiā, vt optimo iure post Magnum Hetruriæ Ducem collocari à nobis possit, qui principes Italos descripturi sumus. Obtinet enim omne id, quod antiquitus Mantuani Principes possederunt, & præterea Marchionatum Montisferrati, qui etiam maior est quam ipse Principatus Mantuanus.

2 Ipsa Vrbs Mantua sita est in ea Italiæ parte, quæ à veteribus Germaniæ populis Longobardis nomen accepit, cis Padum fluuium, ta antiquitatis, vt non desint qui asserant, eam centis septuaginta annis antiquiorem esse ma, totisq; sexaginta annis ante ipsam Tro conditam. Fuit hæc ciuitas olim caput duc cim Coloniarum Hetruscarum, quanquam rior videatur esse sententia eorum, qui à fati Manto eam primo ædificatam fuisse trad quæ filia fuit Tiresiæ Vatis. Galli Cenoma cum in Italiam irrumperent, eam sibi subi runt, omnemq; veterem Hetruscorum glor calcauerunt.

Post hos Romani rerum ibi sunt potiti, c rum cum labesceret potentia, primo Gothi inde Longobardi eam sibi vendicauerunt, rum regno destructo Carolus Magnus eam sus Imperio Romano adiecit. Cū autem C huius posteri regna paterna miseris modis rarent, & in se ipsos mutuo sæuirent, fecit M tuana ciuitas, quod multæ aliæ per Ita Vrbes factitauerunt, quæ se ipsas in liberta asseruerunt. Mansit igitur Mantua iugi cipalis expers vsque ad tempora Othonis I peratoris, qui eam donauit Theobaldo C ti Canossano, in præmium fidei & obsec rum, quæ Imperatori is præstiterat. C posteritas cum defecisset, factum est Salutis M C C X X. vt Sordetus Vicec Goitensis arriperet illius dominatum, resistit crudelitati Ezelini, Tyranni Pa ni. Hinc dominati sunt in ea Bo

rocii, vel potius Tyrannidem exercuerunt, profligati anno AN. C. MCCCXIX. per Gonzagas. Anno vero MCCCXXVIII. cæpit in ea dominari Ludouicus Gonzaga, Guidonis Gonzagæ filius, quæ fuit nobilis & perantiqua familia, qu m eriam tunc claram fuisse asserunt, um primum Longobardi regnum in Italia fuerunt auspicati.

Ipsa porro Mantuana ciuitas satis ampla st, elegans, aspectu iucunda, plena pu ch rrimis domibus, in qua magnus habitat numeus nobilium atque elegantium hominum. Pota st in medio paludum, quas Mincius amis è lacu Benaco egressus, efficit, nec nisi pons ous, qui hic eximii sunt, adiri potest vrbs. Ise Mincius prog ressus vlterius, aquas suas in adum præcipitat. Ad quintum ab vrbe milliae, quæ via omnis arboribus ab vtroque latere ulcherrimæ consitis amœna est, attollitur Patium, quod *Marmirolum* vocant, ædificium gnificentiæ plane regiæ, ingentibus structum m ibus, satis capax ad recipiendum cum vniso suo comitatu quemuis magnum Princim; breuiter, qui structuram illam contempla- s fueri , non tam in admirationem quam porem rapiatur necesse est. S nt in eo fonsalientis aquæ, admirabili facti artificio, las siue stagna plena piscibus, ad ectis hortis moribusque omnis generis arboribus conis, vt nihil iucundius fingi possit. Sunt & alia in hoc Principatu, sed si Mantuam seponas æ restant oppida, eius sunt generis, vt in eon descriptione non sit laborandum.

Marchionatus Montisferrati inclusus est er Tanarum & Eridanum amnes, est ue vè septem Marchionatibus, quos erexit Otho perator, qui vnicuique ex filiis Alerani oniæ Ducis vnum dedit. Habuit hic olim dos Palæologos vsque ad annum MDXXX. quando Georgius postremus è gente Palæoorum obiit. Ibi Carolus V. Imperator Du Mantuanum legitimum Marchionatus ntisferratensis pronunciauit hæredem. Maianus II. Imperator fecit ex Marchiona- Duc tum anno Salutis MDLXXV. fuitque mus Dux Montisferrati appellatus Guiel- s III. Dux Mantuæ.

Possidet Dux Mantuæ in hoc terræ tractu vrbes insignes, quæ sunt *Casalis D. Euasii*, citis ius adepta ab Sixto IV. Pont. Max. anno . C. MCDLXXIV. populo satis freus, egregiisque culta ædificiis. Altera est , Plinio *Pompeia* cognominata, quæ amdine superat Casalen. Tertia dicitur ab acalentibus & medicatis *Aquæ*, non contemdum oppidum. Cætera sunt Villanoua, Bal- . Tri um, Palatium, Blanca, Liburna, & a-, quæ ad L X. esse perhibentur in vniuersum, nequaquam his incluso ingenti pagorum villarumque numero.

Natura & qualitas terræ.

Est ager Mantuanus egregie cultus, vnde omnis generis fruges fructusque abundanter profert. Amœnissimus autem est aspectuque longe iucundissimus tota illa via, qua Mantua itur ad Marmolinum. 6

Solum Monferratense collibus hinc inde attollitur, totum tamen amœnum & fructiferum, omniumque rerum ad vitam vtilium fertile, colonis frequentissimum. Incipit diurno fere itinere ab Alpibus, planicieque separatur, quæ inter hos colles & Alpes intercedit. Nihil hic inculti um quidquam propter eximiam soli bonitatem. Læuam Tanarus, dextram Padus alluit, neutriusque alueum regio egreditur.

Sunt & hic aquæ calidæ, quas terra venis suis percalefactas euomit, affirmantq; nonnulli, herbæ quoddam genus crescere in ipsa bullientis ac feruentis aquæ scaturigine.

Ager circa Casalen partim planus est, partim collibus asperatur mira tamen vbique fæcunditate luxurians, cum frumenti, vini, fructuum ir credibilem vim procreet. Aer vero circa Albam Pompeiam parum salubris habetur solum fertilitate ac pinguedine omnium rerum bonarum ferax, quod Tanarus fluuius humectat. Aquæ calidis & medicatis aquis claræ sunt, quod in ea ciuitate sint Thermæ publicæ cum mensis gradib. sq. lapideis.

Ingenium & mores Incolarum.

Sunt inter a opinione Itali, Mantuanos præ cæteris gentibus amatores esse Linguæ Hebraicæ singulari quodam instituto: haud secus ac dicunt, Calabros pari studio ferri in linguam Græcam. Aiunt eosdem Mantuanos vilis apparatu excipere hospites, vestitu vti, qui puerilem magis deceat ineptitudinem quam grauitatem virilem, insuperque peregrinis tam iniquos esse, vt eos deglubant, ipsamque medullam ex ossibus extrahant. De fæminis eorum dicunt, eas animosiores, & paulo ferociores esse. Montisferrati incolæ in moribus multum sunt similes Pedemontanis, quos cum tunc descripserim, cum de terris ac dominiis Ducis Sabaudiæ differui, non video causam, cur illa hoc loco reperere debeam. 7

Opes & diuitiæ eorum.

Satis bonum est territorium Mantuanum, gignitque tantum, quantum sufficit ad incolarum alimoniam largiter suppeditandam, non autem vt pecunias ab exteris prouinciis alliciant. Clarius dicam. Bene atque commode viuere possunt homines ex iis, quæ alma 8

alma mater Terra suggerit, non autem vtiis in exteras diuenditis prouincias, multum inde lucri acquirant, aut negotiatione vel mercimoniis diuites euadant.

Existimatur autem Dux Mantuæ quotannis ex prouentib. suis vltra quingenta millia coronatorum percipere, neque dubium est, quin multo plus sit habiturus, nisi tam moderato & clementi vteretur Imperio.

ROBVR ET POTENTIA.

9 Est vrbs Mantuana vna ex munitissimis firmissimisq; totius Italiæ non ratione situs duntaxat, sed & operum manufactorum. Naturæ enim prouidentia ita aquis cincta est, vt aditi ad eam nisi per pontes non possit, vnde non parua hosti eam armis inuadere volenti sit oboritura difficultas.

Casale oppidum muros habet firmissimos, quos prisci Marchiones Montisferratenses struxerunt, quibi frequenter habitauerunt, per quos etiam arx ibi est ædificata. Sed Vincentius Gonzaga, Mantuæ & Montis ferrati Dux adiecit nouum castrum, quod communi nomine Citadellam appellauit, tanti roboris, vt videatur viribus humanis capi non posse. Præter hæc S. Saluatoris arx fortalitii nomen non inimia meretur, & inter loca munitiora Ponstura referri potest. Cætera huc adducere longum futurum esset & tædiosum, cum non pauca sint. Habentur equites Mantuani in magna existimatione, quod in bello viros se præstent, nec facile aliis per Italiam cedant, si cætera constent quod de iis ipsorum Italorum est iudicium.

MODVS GVBERNATIONIS.

Habet Princeps iste supremum suum Senatum siue Consilium in vrbe Mantua, qui Senatus de omnibus rebus iudicat in causis concernentibus iustitiam, nec datur ab eo prouocatio. In Monferratensi principatu Gubernatorem habet cum summa potentia, cum Tribunali iustitiæ, vnde omnes ius petunt per totum illum Ducatum.

SERIES ET ORDO DVCVM MANTUANORUM.

Iohannes Franciscus Gonzaga successit patri suo Francisco, Domino Mantuanæ vrbis, estque per Imperatorem Sigismundum creatus Primus Marchio Mantuæ anno A N. C. MCD. XXXIII. qui & insignia Principatus ei dedit Aquilam nigram in campo argentato cum Cruce rubea. Mortuus est hic anno Sal. MCDXLIV. cum satis vixisset ad gloriam, & principatum inter liberos suos diuisisset.

Reliquit moriens Iohannes Franciscus Ludouico Gonzagæ filio suo Mantuam cum omni circumiecta prouincia, quam late ea se extendit Veronam vsq;. Fuit huic Ludouico diuturnum bellum cum Carolo fratre, à quo postremo reportauit victoriam, decessitque è vita anno A N. C. MCCCCLXXVIII.

Friderici III. Gonzagæ, Marchionis Mantuæ tanta prædicatur fuisse erga populũ sibi subiectum comitas & benignitas, vt petentibus egentibusque ipse pecunias mutuo dederit, quosdam ea vsus liberalitate, vt mutuatum non repetierit quidem, mortuus est anno Christi nati MCCCCLXXXIV.

Huius filius & successor Franciscus, primus fuit omnium Principum Italiæ, qui longam nutriuit barbam. Habitus fuit inter optimos belduces sui temporis, electus summus copiarum Ductor à Venetis, qui duas insignes sub eius ductu ab hoste reportauerunt victorias. Excessit Franciscus è vita anno AN. C. MDX. X.

Successit huic Fridericus V. Marchio Mantuæ, qui supremus Pontificii exercitus Dux electus fuit, eodem etiam affectus honore à Fortunis, quanquam iuuenis adhuc esset. Cum Carolus V. Imperator venisset Bononiam, vt à Clemente VII. Pontifice Maximo Imperatorio Diademate cingeretur, adfuit ei Fridericus, quem Cæsar eo honore dignum iudicauit, vt ex Marchione Ducem Mantuæ crearet. Anno MDXXI. vxorem duxit Margaritam filiam Guilielmi Palæologi Marchionis Monferratensis, à qua Marchionatum illum luculentissimum accepit in dotem. Obiit diem suum anno MDXL.

Hunc sequutus est in Ducatu Mantuæ & Marchionatu Montisferrati Franciscus II. filius, puer admodum, vt qui non nisi septem annos natus erat, sub auunculi sui Herculis Cardinalis constitutus tutela. Succedentibus annis duxit vxorem Catharinam, Ferdinandi I. Imperatoris filiam. Cum vero ex graui lapsu collisus in febrem incidisset, paulo post extinctus est, anno videcet Christi nati MDL.

Successit fratri Francisco Guilhelmus Gonzaga frater in vtroque Principatu, tam Mantuam quam Montisferrati, qui posterior nuper à Maximiliano II. Imperatore in Ducalem dignitatem euectus fuerat, quod accidit anno A N. MDLXXIII. Mortuus est Gulielmus anno DLXXXVII.

Post Guilielmum patrem factus est Dux Mantuæ & Montisferrati Vincentius Gonzaga.

Et post Vincentium Ferdinandus Gonzaga illius filius, qui antea Cardinalis fuerat Romanæ Ecclesiæ, qua dignitate se abdicauit, vt regeret Principatus & prouincias paternas. Graues intercesserunt inter hunc Ferdinandum & Sabaudiæ Ducem inimicitiæ, quæ postremo in apertum bellum eruperunt. Causa tam grauis dissidii fuit possessio Marchionatus Montisferratensis, quem vterque Dux sibi de iure debere exigebat. Nos de iure ac prætensionibus Ducum Sabaudiæ super hunc Marchionatum siue Ducatum prolixe egimus in superioribus, vbi varias Ducum Sabaudorum super diuersa regna principatus & vrbes prætensiones, ex literarum monimentis collectas persecuti fuimus, quo lectorem remittimus.

DVCATVS VRBINAS.

SVMMA CAPITA.

Amplitudo & limites Ducatus Vrbinatium, cum præcipuis in eo Vrbibus & oppidis, arcibus & castris.

Ager eius fœcundißimus, plurimum gignens frumenti, vini, olei, ficuum, aliorumque fructuum arboreorum: aere fruitur non admodum salubri, inprimis circa Pisaurum & Forum Sempronii.

Opes regionis potißimum consistunt in negotiatione, ex diuendito vino, quod circa Pisaurum probißima notæ, vt & ex caricis. Nec non quanti sint prouentus redditusque Principis.

Huius vires & potentia, robur militare, loca munitiora.

Catalogus Ducum Vrbinatium, qui vsque ad nostra hæc tempora rexerunt Principatum.

Ossidet hic Dux partim in Vmbria, partim in Piceno (hodie Marca Anconitana dicitur) tem Vrbes, castella vero atque arces amplius am ter centum.

Vrbes sunt hæ. *Vrbinum, Eugubium, Cagliam, um Sempronii*: & hæ quidem proprie pertinent ad Ducatum Vrb nensem.

Deinde *Fanum S. Leonis*, quod oppidum caput comitatus Monfeltrienſis: *Senogallia & Pisaurum*.

Complectitur hic principatus in longitudimilliaria Italica circiter L X. in latitudine ac ad triginta quinque.

Vicinum habet, vel potius includitur hic Dus vndique intra dominium Ecclesiæ Romæ, à qua pleraque sua accipit beneficii noe, quanquam etiam sit Feudatarius Ducis rentini, vnde in recognitionem Dominii Di- numerat quotannis bis mille ducentos draginta coronatos, tam Pontifici Romano m Magno Duci Hetruriæ.

st autem Vrbinum inter antiquissimas Ita- Vrbes, cuius Plinius quoque & Tacitus tionem faciunt. Sita est in monte, loco inali, lautissima sane, & satis splendide ædifi-; in qua domicilium est Principis.

empore Conradini, in quo nouissimo deantiquissima stirps Ducum Sueuiæ, subiufuit per Comites Feretrios, quorum succres atque posteri, cum latius protulissent inis sui pomœria, Eugubium etiam acquisiint.

Pisaurum Vrbs Episcopalis & celebre Italiæ Emporium, mercimoniis diues, splendidisque exornatum ædificiis, vt si quæ alia per Italiam ciuitas. Forum Sempronii & ipsum oppidum Episcopale, in quo quotidie magis magisq; plura venerandæ antiquitatis se offerunt vestigia atque monimenta.

QVALITAS REGIONIS.

1 Est ager circa Vrbinum supra modum bonus atque fertilis, solo pingui fructus tam bonos ferens, vt vix meliores inueniri possint. Aeris quidem circa Pisaurum, non est ea quæ alibi salubritas, ager tamen mire fœcundus, præsertim vber in fructibus arboreis, inter quos primas ferunt ficus præstantissimæ.

Vinum autem quod iuxta Forum Sempronii crescit, optimæ perhibetur esse notæ, quanquam idem aeri vicium quod iuxta Pisaurum. gignit insuper solum Forosempronienſe triticum, adeoque omne frumenti genus, oleum insuper fructusque optimos & gustus suauissimi: nam de vino iam ante diximus: & vt vno comprehendam verbo, potest Ducatus Vrbinas cum fertilissimis vberrimisque per Italiam certare regionibus.

Opes & diuitiæ.

2 Extendit se bona pars huius principatus secundum littus maris Adriatici, vnde consequens est, posse incolis ab omnibus partibus res varias nauibus subuehi, quæ commoditas non est leuiter æstimanda. Vinum enim Pisaurense deportatur Venetias, vnde coloni non parum argenti percipiunt, vt & ex caricis, quas magno numero vendunt Venetis atque Bononiensibus, aliisque extra Italiam gentibus.

Prouentus Principis, quas ex possessionibus, vectigalibus, tributis percipit, constituunt quotannis C. millia coronatorum; neq; tamen dubitandum est, si vellet vlterioribus populo molestus esse exactionibus, quin multo plus sit collecturus auri. Sed fuit hoc propemodum natiuum & peculiare Ducibus Vrbini, anteceſſoribus eius, vt vnice darent operam, vt amarentur à populo, illiusque vterentur beneuolentia: horum is qui nunc præest, sequitur mansuetudinem, nec grauiora, quam superiores principes imponit onera

multitudini, contentus ea quam ante diximus, pecunia.

Maximus vero prouentus, qui ad hunc Principem redit, emergit ex negotiatione frumentaria, in omnibus prope vrbibus oppidisque quæ possidet, cum non solum ingens frumenti vis ex Ducatu Vrbinate Senogalliam aduehatur, sed & ex terris ac dominiis Pontificis Romani, quod hic magno cum principis emolumento diuenditur. Et quamuis ex prouinciis Ecclesiæ exportare alimoniam non liceat, non desunt tamen, qui in hoc genere quæstuosum exercentes Propolium id faciant suo periculo & insciis præfectis Pontificiis.

ROBVR ET VIRES MILITARES.

4 Non leuiter æstimatur in Italia hic Princeps, non tantum quod ex prouincia sua aliquot millia optimorum militum & in armis exercitatorum conduci possint, qui magna animi promptitudine sint secuturi Principem si vsus exigeret: sed etiam, quod deuotum & ad omnia etiam grauissima pericula subeunda paratum habeat populum, qui nec bonis suis nec sanguini aut vitæ parsurus sit, dummodo Principi grata præstet officia: qui quidem affectus, an non amplissimis sit præferendus redditibus, haud scio.

De locis firmis munitisque ita habet. Vrbinum satis est munitum ad defendendum se contra hostes: Pisaurum tamen existimatur fortius, cum habeat arcem egregie munitam: quanquam & alia loca sint per hunc Principatum ad repellendam vim hostilem apta & idonea.

SERIES ET ORDO DVCVM Vrbinatium.

Guido Baldus Antonius Vrbini Dominus, cum vixisset pluribus annis sine liberis, cogitauit, neminem se melius habiturum hæredem successoremque in principatu suo, quam Fridericum de Monte Feretrio. Hunc ergo, quanquam adolescentem adhuc adoptauit in filium, scripsitque testamento hæredem. Fridericus cum non ignoraret, se successurum in principatu, omnibus modis studuit de Guidone bene mereri, quem cunctis coluit obsequiis officiisque, studens vnice se dignum tanto declarare beneficio: deinde annixus est, vt populi quoque acquireret beneuolentiam.

Natus est autem postea Guidoni Baldo in extrema constituto senectute filius, nomine Odo Antonius, vt omni spe lapsus Fridericus à successione iam prope certa exciderit. Nec tamen populi in eum fauor atque beneuolentia imminuta fuit, quam tot virtutibus sibi acquisiuerat. Mortuo Guidone Patre Odo Antonius filius nimis libere abusus dominatione, interfectus est à quibusdam coniuratis, adolescens admodum, nullisque relictis ex se liberis hæredibus: ita factum est, vt Fridericus de communi consensu vniuersi populi ad principatum vocatus fuerit, cui non solum Pontifex Max. Vrbini dominium in Feudum concessit, sed & eum primum Ducem creauit.

Reliquit Fridericus moriens hæredem Gu
donem Baldum filium suum, qui cum in adole
scentia nimis deditus fuisset exercitiis militar
bus, totus deinde factus est Podagricus, & qu
uis haberet coniugem, nullos tamen ex ea susti
lit liberos. Hic Princeps cum ob Articulare
morbum aliis animum oblectare rebus, aut e
ercere corpus non posset, studuit aulam vari g
neris & diuersarum professionum homin
implere, comem se atq; benignum præstans er
omnes qui liberali & excitato ingenio erant pr
diti, vt ad ipsum fuerit confluxus hominum, q
precium sibi in virtute constituebant, ad eu
quidem modū, vt alii Principes inde exemplu
aulæ veræ Principalis & probe atq; ordine co
stitutæ petere potuerint. Adoptauit sibi hic B
dus de consensu Pontificis Max. in Filium Fra
ciscum Mariam Rouerensem, sorore sua natu
Præfectum militum Romæ & dominum Sen
galliæ, nepotem Sixti Pontif. & fratrem Iuli

Totum autem se dedit Franciscus Maria
mis & exercitiis belli, in quibus tam indulge
vsus est Fortuna, vt appellatus fuerit lumen
splendor Italiæ. Contigere ei præcipui hono
in re militari. Nam & Veneti eum constituer
supremū caput suæ militiæ, & paucis ante mo
mensibus eundem ei honorem detulerunt P
lus III. Pont. Max. Carolus V. Imperator & R
publica Veneta, cū fœdus inter se percussisse

Possedit autem hic Franciscus Maria præ
Ducatum Vrbinensem & Comitatum Mon
Feretrii oppidum Senogalliam, quam à patre
relictam habebat: à Pontifice vero, qui ei Ecc
siæ Romanæ nomine grandem debebat pe
niam, nec non in compensationem bonæ ac
delis operæ, quam sanctæ sedi præstiterat, ac
pit vrbem Pisaurum, quam ante id tempus Sf
ciarum gens possederat.

Donec quidē Iulius II. Pontifex vixit, vsus
Franciscus Maria summa pace & tranquillit
nō vexans populum exactionibus, sed illius
magis magisque studens conciliare beneuol
tiam, quam quidē Princeps, qui sapit, tanti
rito facere debet, quanti opulentissimos the
ros.

Leone autem Iulio in Pontificatu subro
to, multis implicatus est molestiis. Nam Leo e
exiguo tempore omni priuauit P incipa
eumq; dedit Laurentio Mediceo, patri Cath
næ, quæ regina fuit Galliæ.

At Franciscus, qui cum ditione non amis
animi magnitudinem, neque valorem ne
scientiam rei militaris, ausus est cum quat
Hispanorum millibus, qui incitati virtute
sponte hominem secuti fuerant, destituti arg
to cæterisq; rebus necessariis; cum his, inqu
ausus fuit obuiam ire toti exercitui Pa
vt recuperaret per iniuriam sibi ablatum p
cipatum: eo quidem successu, vt trucid
quam plurimis ex hostili acie, omnia sua i
paucos dies victor recuperauerit, excepto
lo Pisauro oppido. Habuit hic ex Eleon
Gonzaga vxore sua duos liberos masculos, G
don

onem, Baldum, & alterum, qui Cardinalis fa-
us est. filiasque tres. Prima fuit vxor Ducis Ca-
briæ, primi in regno Neapolitano Principis:
cunda nupsit Alfonso Estensi; tertia Marchio-
i Massæ.

Guido igitur Baldus, filius eius, quartus Dux
rbini factus est. Etsi enim Laurentius Medi-
eus se aliquandiu appellauerit Ducem Vrbini:
ıia tamen non est ex hac familia inter Duces à
obis non numeratur. Habuit hic ex vxore se-
ında Victoria Farnesia nullos liberos: cumque
ultis affligeretur incommodis, abdicauit se
rincipatu, eumque reliquit filio.

Franciscus Maria II. vir viuidi ingenii & de-
tus exercitiis corporis, vxorem habuit Lu re
m Estensem, sororem Alfonsi Estensis postre-
i Ducis Ferrarienſis.

Mortuus est hic anno A N.C. MDCXXIIII. quo defuncto Papa sibi vendicabat Ducatum Vrbinatem, vt qui Feudum siue Beneficium esset Ecclesiæ. Idem tentabat Herruriæ Dux, qui vxorem haberet Vrbini Ducis filiam & hæredem. His ita litigantibus, reuocatus fuit ad Principatum Guido Baldus, qui se abdicauerat, & adhuc nostro æuo præest Ducatui, quanquam iam extrema senectute & morbis insuper exhaustus. Existimant eo defuncto Principatum caducitatis nomine ad Ecclesiam Romanam redituram, Consentiente Magno Duce Florentiæ. Non desunt tamen qui aliter sentiant, postquam Serenissimus Leopoldus Archidux Austriæ, Ferdinandi II. Imperatoris frater huius Ducis filiam superiore anno, qui fuit A N. C. MDCXXVI. sibi iunxit matrimonio.

DVCATVS FERRARIENSIS ET MVTINENSIS.

SVMMA CAPITA.

Quibus rationibus adstruant Pontifices, Ducatum Ferrarienſem esse peculium Sedis Romanæ.

Ferraria Pontif. Romano dedita per Cæsarem Estenſem. Quibus conditionibus res inter Ecclesiam Romanam & dictum Cæsarem Estenſem super Ducatu isto fuerit composita.

Mutinensis Principatus. Mutina olim sub dominio Romanorum. Euersa per Gothos, Hunnos, Longobardos: à quibus & quando instaurata.

Habuit ab illo tempore diuersos dominos & possessores.

Regium Lepidi quos habuerit Dominos antequam in Cæsaris Estensis potestatem veniret.

Ferraria antiquum Iudæorum Asylum. Horum reformatio per Papam. Conspirationes in diuersis eorum Synagogis contra Christianos.

Territorium Mutinense & Regiense quale. bono gaudet aere, abundans frumento fabis, vino.

Ciues Mutinenses & Regini ingenio subtili, amantes libertatis.

Quit Pontifex Romanus superioribus annis tam belle agere rem Ecclesiæ suę, contra arem Estensem: vt eum possessione Ducaerrarienſis euerterit, adductis pluribus rabus, quibus euincere conatus est, Ducaistum ad Ecclesiam Romanam pertinere. rimo enim ait, vel solam confessionem at. declarationem Senatus populique Ferraıs sufficere debere, qui semper Pontificem anum supremum suum agnouerint Doam. Deinde, quod omnes Principes, quotè domo Estensi fuerunt, idem confessi fue-

ertio infinitas extare Bullas, Indulta & Intutas Pontificum, iam inde ab Innocentio

Quarto, Pontifices aliquoties recuperasse sibiqu vendicasse Ferrariam, vel via iuris, vel armorum, è manibus diuersorum possessorum, vel eorum qui eam vsurpare voluerunt.

Quinto, extare Declarationes aliquot Imperatorum, quibus ostendant, Ferrariam deberi sedi Romanæ, qualis illa est Caroli, Nepotis Caroli Magni, qui vixit temporibus Paschalis I. qui confirmauit donationem Pipini, qui Ferrariam nominauerit Vrbem Sanctæ Sedis: Deinde Othonis primi, qui idem fecit in donatione facta Iohanni II. Id autem postea confirmatum fuisse in Concilio Lugdunensi.

Et de populo quidem Ferrarienſi quod dixit, ita deducit. Gregorium IX. conuocato populo ad sonitum campanæ constituisse Procuratorem nomine Boninum, cui Ferrarienses nomine Pontificis iurarent fidelitatem, & illi quidem Bonino certos assignatos fuisse prouentus. Eundem populum agnouisse imperium Pontificum Vrbani IV. Honorii IV. & Bonifacii VIII.

Postea etiam Clementis V. qui vixerit anno A N.C. M CCC I. quem quidem Pontificem etiam eo misisse Legatum suum, qui regeret Vrbem, factis statutis & ordinata republica, constitutis etiam præfectis & magistratibus: vnde innumeri extent actus, quibus ostenderit populus iste subiectionem suam. Sed & Dynastas Estenses, qui sub Pontificatu Gregorii IX. præesse Ferrariæ cœperint, semper nomine Pontificum præfuisse, eosque veros dominos vrbis agnouisse, idque adeo clarum esse, vt constet, primum, qui fuit Azo Estensis ibi Gubernatorem constitutum fuisse per Gregorium Pont. Rom.

Præterea post eiusdem Gregorii IX. tempora, nimirum anno Christi M CCC LXXII. primo

anno quo dedit Inuestituram dictis Estensibus, fuisse Ferrariæ Legatum Pontificis Petrum Cardinalem, qui inuestiuerit Nicolaum & Albertum Azonis filios, donec ipsi viuerent, cum censu quater mille Ducatorum: imperasse autem Pontificem Legato Petro expresse, ne illos inuestiret, nisi promisissent prius sub fide iuramenti, se reddituros vrbem postquam tempus inuesturæ expirauisset, vtque prius claris verbis profiterentur, vrbem esse S. Sedis Apostolicæ: quod quidem illi ita fecerint anno Salutis MCCCLXXII. a.d.xv. Maii mensis.

Eosdem Estenses semper obtinuisse nouas Inuestituras, procuso indulto à tempore Bonifacii IX. qui confirmauerit eam Inuestituram. Postremo Alexandrum VI. initis nouis pactis cum supra dictis Estensibus, confirmatisque Inuestituris facto initio à temporibus Sixti IV. de nouo iis permisisse Principatum istum, anno Salut. MDI. prorogato Beneficio vsque ad tertiam generationem, reducto que censu annuo ad mille coronatos, ob causam, quod multos fecisset Dux sumtus in amplificationem Vrbis.

Leonem X. Pont. Max. sub initium Pontificatus sui, restituisse Duci omnia quæ habuerat, antequam à Iulio II. priuatus fuerat. Eundem postea Leonem ob causam Mutinæ & Regii excommunicauisse Ducem illum, quem tamen Adrianus VI. restituerit, certis cum conditionibus, quæ semper obseruatæ fuerint, ne Duci liceret Salem conficere in Comachia, sed solis ministris Pontificiis.

Clementem insuper VII. excommunicauisse Ducem, quod vacante Sede Romana Regium ingressus fuisset, vocatis in auxilium Principibus Christianis ad recuperandam Ferrariam. Cum autem Dux honestissimis modis satisfecisset Pontifici, mutatum fuisse consilium.

Paulum quoque tertium P.M. inuestituram dedisse Duci, & post eum omnibus Alfonsi posteris super Ducatum Ferrariensem cum omnibus quæ inde dependent, cumque vectigalibus, quæ antecessores eius iusta ratione exegerunt: sed & contulisse eidem beneficii nomine omnia iura, quæ Sedes Romana prætendit in omnibus aliis terris quas Dux obtinebat, præsertim Mutinæ & Regii, addita conditione, vt in casu deuolutionis finitæ lineæ successores Ducis citarentur per contradictionem, nisi haberent Procuratorem Romæ. Et id quidem tunc ita accidisse. Cumque nonnulli dicerent, Inuestituram Pauli Tertii extendi descendente linea Alfonsina vsq; ad defunctum Ducem qui fuerit Alfonsi nepos, cuius dicebatur Cæsar esse filius: Respondit Papa, porrigi beneficium in naturales & legitimos simul: Cæsarem autem esse quidem naturalem, sed non legitimum: non igitur eo comprehendi. Hoc vt ostenderet clarius, proferri iussit stirpem siue Genealogiam factam per Hieronymum Foletum, impressamque ac dedicatam Duci Alfonso defuncto, in qua perscriptum erat Patrem Cæsaris Estensis, qui se nominauerat Alfonsum, esse natum ex Laura Eustochia & Alfonso Duce, mulieris quidem faciens mentionem, non tamen eam vxorem eius appellans; neque apparere, eum factum fuisse legitimum per subsequens matrimonium: quod si vel maxime factum fuisset, verba tamen Pauli III. de legitime natis capienda esse non Legitimatis.

Regerentibus nonnullis fuisse aliquando Ducem, qui legitimo thoro natus non fuerit, & ob hanc causam naturam Feudi transisse ad alios: responsum fuit, in tot annorum decursu non nisi semel factum; vnum autem actum consuetudinem introducere non posse: quin potius contrarium sequi, quod Naturalis iste, antequam ad capessendum P. incipatum admitteretur, habilis factus fuit per Pontificem expressim quo capax Beneficii esse non potuisset. præter hæc omnia extare Legem Papæ Pii quo inhabiles & incapaces beneficiorum Ecclesiæ pronunciantur, qui naturales tantum sunt. De eo, quod dicebatur, tot modis per Duces meliorem atque fructuosiorem factum esse principatum istum, vt aliquot milliones auri excedat: responderunt Pontificii: primo, Bulla Pii V. claris perscriptum esse verbis, melioratione (vt loquuntur) Ducatum ipsum detineri non debere. Secundo extare conuentionem & renunciationem factam per ipsos Duces, tempore Gregorii Pont. Max. q pollicit sunt, se finita linea redditurus Principatum, neque repetituros quicquam. Tertium in eam melioratione exactos fuisse ex vasallagiis & beneficiis Ducatus, vnde hac parte quicquam prætendi non possit; dentibus etiam pactis, quibus cautum est, possint Duces ædificare, nisi de voluntate Pontificum.

Quod Cæsar Estensis prætendebat, se communi consensu populi vocatum esse ad Principatum, ita illusum fuit, vt diceretur, nihil eris in hoc populum habere, vigore declaratio factæ tempore Clementis V. quin si populus liquid iuris habuisset, deletum tamen istud se tot Inuestituris factis per Pontifices.

Et quamuis extet in Inuestitura Gregorii quod Pontifex eum Ducem constituisset, q ita placere vidisset populo, non tamen ibi re, fuisse populo ius aliquod nominandi. Pomo Papa tot firmis innitens rationibus, autem firmiore instructus exercitu efficit Cæsar Estensis egrederetur vrbe, deserto Ducatu Ferrariensi esset Dux Mutinæ & R Capita autem in quæ tam à Pontifice quam ipso Cæsare conuentum fuit hæc sunt.

Cæsar Estensis decedet vrbe ac toto Principatu Ferrariensi, intra Ianuarium.

Idem renunciabit titulo Ducis Ferrariæ Comitatus Rouicensis.

Cæsar deserta semel Ferraria eiusque iurisdictione, Ferrariam Vrbem non ingredietur, eius limites.

Tormenta bellica omnia diuidentur Pontificem & Estensem, ita vt optio sit illum.

Co

Constituitur Estensi triennii spacium, intra quod omnia vendet, quæ vel in Vrbe vel Agro Ferrarien si possidet: si tempus diutius traxerit, Fisco pontificio addicta sunto.

Omnes dignitates, quas vel ipse Cæsar vel aliquis ex iis quibus familiariter vtitur, habent, agnoscent se à S. Sede Romana accepisse.

Mutina ciuitas multis est afflicta modis, donec fuit sub Romanis, inprimis eo tempore, cum Marcus Antonius obsedit in ea Decium Brutum. Etsi autem instaurata postea fuit, munimentis tamen caruit, ne seditiosi in eam haberent receptum. Iterum euersa per Gothos, Hunnos & Longobardos, ad eum reædificata est modum, vt hodie cernitur. Carolus enim Magnus, cum domuisset Longobardos, & Pipinum regem fecisset Italiæ, videntes Itali, restituam sibi Francorum ope libertatem, inprimis qui supererant è veterum ciuium Mutinensium posteris, in vicinis oppidis & vicis latitantes cepe runt consilium instaurandæ patriæ, facto struendi initio in ripa Panari fluuii, vbi adhuc hodie visitur: vtque structura maturius ad finem deduceretur, conuenit inter eos, vt quæque familia illustrior Mutinensis, ex iis quæ superarant, portam vnam ciuitatis suis strueret finitimis.

Prima porta, dicta Saliceta, ædificata fuit per Hosquetos. Portam S. Petri struxerunt Freddi; Cæsaraugustanam Gazzoni: Rodecocanam Gorzani. Bassuariam ædificauere Sazolii; Portam Ciuitatis Nouæ Sabiniani: Ganacetam Manfredii, Pedocci & Pandeui. Pici, Pii & Papazones Abretensem: Postremo Portam S. Iohannis struxerunt Rodeenses cum suis. Ad hunc modum reædificata fuit ciuitas, quamuis fundamentis paulo longius ab eo loco positis, vbi vetus vrbs steterat. Sed hoc multis annis post Caroli Magni Imperium accidisse refert Volaterranus.

Cum autem Mutinensis ciuitas sub protectione Imperatorum libertatem suam diu conseruasset, venit tandem sub dominium Opitii, Reginaldi Estensis filii, Marchionis Ferrarien sis, qui tradita fuit per Legatum Benedicti XI. Pont. Max. ita, vt nouus vrbis Dominus decem coronatorum millium tributum solueret Papæ, qui consensit in eam conditionem anno A N. M CCCIV. Henricus tamen septimus Imperator, qui non facile approbat quicquam eorum quæ Pontifices faciebant, cum alias quoque Sedis Romanæ terras occupasset, constituit Legatum suum Mutinæ Franciscum Picum Mirandulanum, sibi tamen, qui Imperator esset, supremo dominio reseruato.

Postea hic Picus eiectus fuit per Guelphos, Rossarinos, Butriones & Bonacolsios, qui eam obsederunt vsque ad annum M CCC XXVII. quo & ipsi profligati sunt, propria sua tyrannide citius quam viribus ciuium.

Rursum Manfredus & Guido ex Piorum familia ibi Gubernatores constituti sunt per Iohannem Bohemiæ regem, qui cum vix Italiæ tergum obuertisset, Pii restituerunt ciuitatem Opitio Marchioni Ferrarien si, qui deinde confirmatus fuit per Benedicti XII. Pontif. Max. Legatum, vt Vicarius Mutinensis perpetuus esset, fuitque Mutina in fide & obedientia Ferrarien sium vsque ad annum A N. C. MDX. quando Iulius II. eam iis ereptam dedit Maximiliano I. Imperatori, qui hanc rursus oppignorauit Leoni X. pro XL. millibus coronatorum. Capta autem postea à Cæsarianis Roma, & Clemente VII. in mole Adriani obsesso, Imperante Carolo V. Alfonsus Estensis, tertius Ferrariæ Dux, vsus tam eleganti occasione, armis recuperauit sua, adeptus denuo possessionem Mutinæ & Regii (quod à quibusdam colonia Lepidi vocatur) quod oppidum Regium, cum à Gothis, quos Stilico pessimo consilio irritauerat, euersum penitus fuisset, restitutum fuit nouisque cinctum mœnibus circa annum Christi nati MCCCXIV.

Arripuerant eius dominium anno A N. C. M CC LXXXVI. Comites Canossini, sed tertio anno post eiecti fuere per Bononienses, qui eam restituerunt Opitio Estensi, primo eius nominis Marchioni Ferrariæ. anno autem MCC CXXVI. tradiderunt se ciues Patrocinio Pontificum, qui suos cum imperio eo miserunt Legatos. At hi, cum insolentius se gererent, interfecti fuerunt à populo. Ad extremum Mastinus Scaliger, Veronæ Regulus emit eam à Folianis, qui eam occupauerant.

Prius autem, quam Scaliger vrbem ingrederetur, Ludouicus Gonzaga arrepta dominatione extruxit arcem haud procul à porta S. Nazarii.

Post hæc cum Gonzaga eam defendere non posset contra vim fratris sui, qui dominabatur Mantuæ, vendidit eam Barnabæ Vicecomiti Mediolanensi pro DC. millibus ducatorum, qui cum suis successoribus eam obtinuit vsque ad annum M CD II. cum multi per Italiam Reguli vel Tyranni potius hinc inde varias opprimerent ciuitates. Tunc enim Ottobonus constituit seipsum Principem Regii, interfectus paulo post à Sforcia Cotignolo, incitato per Nicolaum II. Estensem, Marchionem Ferrariæ, qui sibi vendicauit oppidi possessionem. Dominati sunt in eo posteri eius vsque ad annum M DXII. cum Iulius II. ereptam eam Ferrarien sibus adiunxit possessionibus Ecclesiasticis, vt manserit sub Pontificum obedientia, donec Alfonsus eam Papæ vicissim ademptam suis reliquit successoribus.

Anno A N. C. M D XCVIII. rediit Ferraria ad Patrimonium Pontificum, ingressusque est eam Clemens VIII. P. M. Aprili mense, qui & ibi mansit vsque ad finem anni. Nihil toto eo tempore, quo hic commoratus est, prius antiquiusq; habuit, quam vt ita constitueret res cum ciuitatis tum totius prouinciæ, ne populus querimoniarū haberet causam, neue conciperet desiderium Alfonsi Ducis, cum nihil æque sit euitandum nouo Principi, quam ne plebs suspiret

ad dominatum anteceſſoris eius. Ita autem ſolertia ſua compoſuit res ciuitatis, vt populus, qui in varia ſtudia ſciſſus fuerat, magno animorum conſenſu nouum amplecteretur imperium.

6 Fuit Ferraria ab omni prope antiquitate Aſylum & refugium Iudæorum, qui hic habitantes tanta Ducum gratia & fauore vſi ſunt, vt eos à ciuibus diſtinguere difficile fuerit. At Pontifex rationi non eſſe conſentaneum iudicans, vt iiſdem infideles cum Chriſtianis fruerentur priuilegiis, non magis quam Plato inquilinos cum ciuibus eodem dignitatis gradu conſiſtere voluit, conquiſitos eos iiſdem notis à cæteris diſtingui voluit, vti Romæ & in cæteris Italiæ Vrbibus. Cum autem inueterati abuſus tolerantia ſuperiorum in conſuetudinem conuerſi, lento pede corrigi debeant, contentus fuit, vt à regumento capitis flauum demitterent funiculum, quo agnoſcerentur. Fuerunt tunc quidam adeo contumaces, vt maluerint egredi ciuitate, quam notam illam admittere, inprimis autem Marrani (vocantur autem inter Iudæos *Marrani* illi, qui Nati quidem Iudæi non ſunt, ſed abiecto Chriſtianiſmo ſuſceperunt circumciſionem) qui omnium peruicaciſſimi fuere, exulceratis eorum animis etiam alia cauſa, quod generalis eorum conſpiratio, qua in Chriſtianos aliquo tempore ante conſpirauerant, non ſucceſſiſſet. Proditum enim fuerat in vulgus, ditiſſimos quoſque ex omnibus Synagogis totius Orbis contuliſſe ingentem vim auri, & ad quingenta millia coronatorum obtuliſſe Turcarum Monarchæ, vt deſtrueret Hieroſolyma cum Sancto Sepulchro Dominico, & deleret tam memorabile monimentum crudelitatis Iudaicæ. At Principes Chriſtiani, intellecta tam inſigni proditione, non diſſimulauere facinus, ſed Recutitos illos grauiſſimis pœnis, inprimis multa pecuniaria affecere.

Inter ea quæ acta ſunt Ferrariæ, donec Clemens Pontifex ibi hæſit, memoria digniſſima ſunt duo matrimonia, quæ conciliata fuerunt inter quatuor Principes eiuſdem ſtirpis, nominis, familiæ, armorum. Nam Philippus III. Auſtriacus, Hiſpanorum Rex vxorem duxit Margaritam Auſtriacam: & Iſabella Auſtriaca, Hæres Hiſpaniæ, nupſit Alberto Archiduci Auſtriæ. Conſenſit autem Pontifex, ratumque habuit vtrumque iſtud matrimonium, dum fuit, vt diximus, in Vrbe Ferrarienſi.

Qualitas agri Mutinenſis & Regini.

Abundat ager Mutinenſis frumento, fabis, aliisque rebus ad vitam humanam neceſſariis, inprimit autem gignit vinum optimæ notæ. Huic non cedit territorium Reginum, fœcundum in generando frumento omnis generis, vt & leguminibus. Vinum quod hic creſcit album, mirabonitatis eſt, poteſtque cum cæteris per Italiam de palma certare. Aer circa vtramque ciuitatem purus eſt & ſalubris, vt raro ibi dominentur morbi contagioſi.

Mores & ingenia incolarum.

Apparuit in ciuibus Mutinenſibus ſempe ingens libertatis deſiderium, quam vt defenderent, non ſemel facultates ſuas vitamque extremis periculis expoſuerunt: quod idem & Regini aliquoties fecisse. Prodierunt autem e ciuitate Mutinenſi non pauci, quos vel litterarum notitia & exquiſita eruditio, vel armorum ſcientia atque in bello felicitas per Orbem illuſtres fecit. Aiunt vulgo Itali, Mutinenſes eſſe ingenio acri & ſubtili, acutos in conſiliis, quid ſenſas quas intra ſe conceperunt, non facile eximis deponunt. Erga hoſpites vero comes officioſos.

Mulieres eorum perhibentur ſuaues in colloquio, minimeque agreſtes & feroces. Regienſ inprimis ſunt affabiles ingenio capaci & quidvis diſcendum apto. De amore libertatis diximus, qui apud vtramque gentem tantus fuit vt non niſi maximo Tyrannorum Regulorum labore ſubigi potuerint.

Opes & Gubernationis ratio.

Habet vtraque vrbs ciues ſatis opulentos quanquam certo dici non queat, quantum annuorannis inde ad nouum Principem redeat. Eſt vtraque inſuper ſatis munita, Regium vero men maioris firmitatis quam Mutina, ob eam arcem, conſeruatq; Cæſar Eſtenſis vtrumque agrum, Mutinenſem & Reginum cum a quo militum præſidio.

De gubernandi ratione, cum adhuc nouus principatus, multa dicere neque eſt noſtræ ſententiæ, neque præſentis inſtituti.

GERMANIA INFERIOR, QVÆ NOSTRO ÆVO SEPTENDECIM PROVINCIIS CONTINETVR:

ET PRIMO QVIDEM DE IIS PROVINCIIS QVÆ Hispano Regi parent, sub Gubernatione Isabell Claræ Eugeniæ, Philippi III. Hispani Regis sorore.

SVMMA CAPITA.

Origo nominis, & cur dicatur Germania inferior.
Situs eius & limites, ambitus, magnitudo.
Fluuii celebriores, eorum scaturigines & decursus.
Tota in XVII. prouincias diuisa. in his singulis quot oppida & pagi.
Quo pacto in vnum redacta corpus sub vnius regis Hispani dominium peruenerint.
Donatio Prouinciarum Belgicarum, quas Philippus II Hispanorum Rex dedit filiæ suæ Isabellæ Cl. E. in fauorem Matrimonii cum Alberto Archiduce Austriæ.
Quomodo Albertus Austriacus inferioris Germaniæ possessionem adiuerit.
Prouinciæ quæ nostro æuo Hispani Regis agnoscunt imperium. Vrbes in iis præcipuæ, facto initio à Flandria.
Artesia, quæ olim Atrebatum Ager, eius potiora oppida.
Cameracensis Vrbs & ager, quibus circumscribatur limitibus.
Hannoniæ Comitatus.
Comitatus Namurcensis.
Ducatus Lucenburgicus.
Brabantiæ Ducatus, cum potissimis in eo Vrbibus & oppidis.
Tota regio apta ad pasturam gregum armentorumque.
Mare quod eam alluit: eius commoda & incommoda.
Nemora & syluæ, inter quas præcipua est Arduenna.
Ingenium & Natura incolarum. Amatores libertatis maximi.
Pictores in ea excellentissimi, qui primi inuenerunt pigmentis siue coloribus miscere oleum.
Prouentus Principum ex his prouinciis quanti sint.
Robur harum prouinciarum, consistens in munitissimis oppidis & exercitu, qui semper ibi alitur in præsidiis.
Forma & modus Gubernationis harum prouinciarum.
Consiliarii Principis, quibus vtantur legibus scriptis.
Commissarii missi per prouincias. Modus conuocandi Status siue Ordines. Religionis ratio & cultus.
Archiepiscopi & Episcopi Inferioris Germaniæ.
Catalogus Dominorum & Comitum Flandriæ. Illustriores ductores copiarum in bellis Belgicis.
27 Postrema bella, nostra tempestate gesta inter Regem Hispaniæ & Hollandos, cum obsidione & deditione Bredæ oppidi.

ETsi res Belgicæ superioribus temporibus multis modis confusæ & intricatæ fuerunt, ob diuersos possessores, qui nunc has nunc illas, aliquando singulas aliquando vniuersas occupauere prouincias: confidimus tamen, nos quicquid ad earum notitiam pertinet, clare, ordine & citra obscuritatem explicaturos esse. Vbi enim generatim de omnium illarum regionum limitibus & ambitu disseruimus: quo pacto in XVII. diuisæ fuerint Prouincias, quo tempore in vnum redactæ corpus, sub vnius domini, & postremo Regis Hispani dominium peruenerint; veniemus postea ad specialiora, dicemusq; de iis prouinciis, quibus nuper admodum dominatus est Serenissimus Albertus Archidux Austriæ, cum coniuge, Isabella Clara Eugenia, Philippi III. Hispanorum regis sorore.

Ex altera parte exponere conabor, quæ sit ratio Prouinciarum Inferioris Germaniæ fœderatarum, & quodnam sit earum dominium.

Si forte non omnibus curiosis ingeniis satisfecero, solabitur me totius rei difficultas, & quod nulli studio ac labori pepercerim, qui res Belgicas partim inspexi ipse, partim ex aliorum narrationibus hausi.

Primum de ratione nominis aliquid dicendum erit. Nuncupatur nostro æuo communiter Germana Inferior. Et *Germania* quidem, quod lingua, moribus, legibus & vitæ institutis parum à cæteris Germanis, Alemannis, Teutonibus differant. *Inferior* vero, quod Mari propior sit, & superioris Germaniæ respectu campos agrosq; situ humiliores habeat. Ipsi Germani tam superiores quam inferiores totum illud terrarum spacium, vocant communi nomine *Niderland*. Appellatur etiam per vniuersam prope Europam (extra Germaniam) *Flandria* synecdochice, vel propter illius prouinciæ veterem potentiam & splendorem præ reliquis: vel propter prima & celeberrima ibi commercia & Nundinas Brugenses vetustissimas notissimaque Emporia: vel denique quod Galliæ, Angliæ, Hispaniæ & Italiæ finibus propior Flandria nota magis & diuulgata sit.

Sed omissis his curiositatibus, quæ parum ad rem faciunt, de finibus ac limitibus eius videamus. A Septentrione est Oceanus: à Meridie Lotharingia, Campania Gallica & Picardia: ab Ortu Rhenus & Mosa fluuii; ab Occasu rursus Mare cum parte Artesiæ Picardiæque.

2 Habet tota Germania inferior, quemadmodum Guicciardinus metitur, in circuitu mille milliaria Italica, vel CCCXL. milliaria Flandrica, subestque medio septimi totique octauo climati, inter Gradus longitudinis quidem XXII. cum semisse & XXX. Latitudinis autem inter XLVIII cum sem. & LIII. cum semisse. Maxima dies æstatis ad medium climatis VII. horarum est XVI. & ad initium noni hor. XVI. cum tribus quartis. Continet vero omnes Parallelos qui sunt inter XVI. & XXI.

3 Flumina Germaniæ inferioris præcipua sunt: Rhenus, Mosa, Scaldis, Amasis. Minora hæc: Mosella, Aa, Lisa, Demera, Rura, Scarpa & alia non pauca. De Rheno & Amasi diximus in Germania superiore. Mosa profluit ex Monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, haud longe ab Araris Matronæque fontibus, & in septentrionem procurrens S. Theobaldi fanum radit, vbi nauigabilis esse incipit. Inde Virodunum perlabitur, & ab eo in Cæciam vergens, Mosonem & Maseriacum pergit. Inde ad septentrionem se conuertens, Carolomontem, Bouiniacum, Dinantum & Namurcum lustrat, ibique Sabi auctus & tumidus aduentu Græcum se flectit, atque Hoyum contemplatus, & Leodium traiectumque Mosæ perlapsus, ad Stochemum, Ruremundam & Venloium labitur. Hinc ad Occidentem conuersus, Cuickam, Grauium, Rauesteinum & Megenam adluens, post apud Heruerdum pagum, recepta Rheni traditaque viciſſim sui parte cum Vahali commiscetur, & continuo seruatis nominibus suis iterum disiunguntur, & separatim Louensteinium ferunt, vbi Insulam Bomelianam includunt. Hinc rursum confluentes iunguntur, & pristino amisso Merouæ nomen accipiunt, atque ita Worcomium & Gorcomium præterlapsi, maximo sinu Dordrechtum perueniunt: ibique facta Insula Iselmonda, Mosa proprium nomen recipit, idemque retinens Roterodamum & Vlaerdingam præterlapsus nobili ostio circa Brielam Oceanum tam violenter ingreditur, vt longo spacio cursum retinens, aquas suas dulces conseruet.

Scaldis oritur in Veromanduis prope Abbatiam, vt vocant, D. Martini, quo inter Castelletum & Belliuorium duo Gallorum propugnacula placidior ingrediens Cameracum Vrbem adit. Hinc Annoniam petens, Valencenam vrbem nobilem suis aquis ditat, hinc nauigiis vehendis se commodum præbens, ac Hania amne recepto, Condatum præterfluit; deinde Scarpi auctus S. Amandum lustrat: ab eo in Septentrionem vergens Tornacum, Aldenardam, & Gandauum vrbem celeberrimam perlabitur, vbi flumina minora duo, Lisam & Liuiam alias q; aquas recipit. Sinuosis inde flexibus multis Mæandris Teneramundam pergit, ibique T nera amne recepto ad dextram fluens Rupe mundam petit, ibique Rupelam ac paulo pc Delam amnes suscipit. Hinc auctus & tumid mox Antverpiæ mœnia alluit, Emporioque hu Portum insignem & tutam nauium statione efficit: deinde paulo longius progressus, bipa tito cursu Brabantiam ac Flandriam à Zelanc discriminat; siquidem sinistra in Austrum co tortus ac deflexus, Flandriæ oras ac littora p sequitur, alioque nomine insignitus *de Hont* à tratu ac fremitu vocatur, quo per Suitbeuel diam & Walacriam in Oceanum Occiden lem patet aditus, ac rursus in has oras acces dextra vero, relictis Brabantiæ finubus, cor nuato cursu, seruatoque veteri alueo per Scal Insulæ littora violento vastoque gurgite in ceanum deuoluitur. Cæterum flumen hoc stum Oceani reciprocantis sentit Gandau vsque, ab ostio milliaribus (hisce tamen ad meratis eius anfractibus) plus quam XXX. hæc quidem de præcipuis fluminibus dicere luimus: cætera rectius ex Geographicis ch petuntur.

Continet autem Germania inferior in uersum Prouincias (vt vocant) XVII. Duc quidem quatuor, qui sunt hi: Brabantia, L burgum, Lucenburgum, Geldria. Comit vero octo; Hollandiam, Selandiam, Flandr Artesiam, Annoniam, Namurcum, Sut miam, & Marchionatum S. Imperii. Domini nique quinque: Machliniam, Vltraiectum, siam, Transisulanam, & Groningam. Ratio XVII. prouinciæ appellentur, hæc est, quod quæque seperatim veniat in Titulos princi qui eas possident.

Porro in conuentibus generalibus no mnes hę regiones conuocantur, neque etia ferendi suffragii habent, neque contrib subsidia hoc ordine. Marchionatus enim I rii inter has non numeratur, Ducatus vero burgensis cum Valckenburgo & Dalemi pendent à Ducatu Brabantino.

Tornacum cum agro suo, Insulæ, Duact Orchesium, quamuis inter XVII. illas pr cias non numerentur, contribuere tamen s ad modum prouinciarum. Anno MDL. co nere Germaniæ inferioris prouinciæ, vt I ratori Carolo V. ita exigenti persoluerent millia florenorum menstrua. Limburgum cenburgum, Geldria, Groninga nihil hue niæ conferunt, quod sint limitaneæ, & vi rum bello petitæ ad paupertatem redactæ persunt igitur XIII. prouinciæ quæ trib soluunt: Brabantia, Flandria, Artesia, Ann Valencinæ, Insulæ, Duacum & Orche Hollandia, Selandia, Namurcum, Torna Mechlinia, Vltraiectum. Et cæteræ quidem ab hoc tributo immunes sunt, nihilo tame nus à conuocationibus & generalibus co tibus non excluduntur.

Numerantur etiam in Germania inf

vltra CC. oppida cincta mœnibus, cum CL. aliis locis, quibus eadem est iurisdictio & priuilegia quæ oppidis vrbibusque, pagorum autem vltra sex millia.

Horum tamen numerus nouissimis his diuturnisque bellis valde imminutus est. Hæc omnia vt planiora sint subiiciemus oppidorum pagorumque in vnaquaque prouincia numerum, ex quo facile de omnibus ratio iniri poterit.

Habet igitur Ducatus { *Brabantiæ*, *Lucemburgi*, *Limburgensis*, *Geldria*, } *oppida* { *XXVI* *XXIII* *V.* *XXIV* } *pagos vero* { *DCC.* *MCLXIX.* *CXXIII.* *CCC.* }

At Comitatus { *Hollandiæ*, *Seelandiæ*, *Flandriæ*, *Atrebatum*, *Annoniæ*, *Namurcensis*, *Sutfanensis*, *Marchionatus Antuerpiensis.* } *oppida*, { *XXIII.* *X.* *XXXV.* *XII.* *XXIV.* *IV.* } *pagos vero* { *CCCC.* *CI.* *MCLXXVIII.* *DCCLIV.* *DCCCCL.* *CLXXXIV.* }

Sunt in Dominio { *Vltraiectensi*, *Frisiæ*, *Transisulano*, *Groningensi*, *Machlinensi* } *oppida* { *V.* *XI.* *XI.* *I.* *I.* } *Pagi autem* { *LXX.* *CCCXLV.* *CI.* *CXLV.* *IX.* }

Temporibus ante natum Christum Iulius Cæsar & Romani prope totum hoc terrarum pacium sub Galliæ Belgicæ appellatione comrehendebant, nomine, vt quibusdam videtur b audacia & pugnacitate tracto, quod summis iribus pro libertate, legibus priuilegiisque suis duersus hostes pugnauerint. Nam Gallorum mnium eos fortissimos vocat Cæsar, cui & diersis appellantur nominibus nunc quidem ermani, Batani, Frisii, alias Aduatici, Menapii, trebates, Neruii, Morini, &c. Et Germani quiem vt tunc, ita nunc quoque magna ex parte ocantur. Batani sunt Hollandi & ex parte Geli. Frisii antiquum nomen retinuerunt: Aduai qui circa Antuerpiam habitant: Menapii rtim Geldri, partim Cleuenses: Neruii Torcenses, Morini magna Flandrorum pars.

Cæterum septendecim hæ Prouinciæ, in as Germania Inferior diuiditur, aliquando minos sibi assumserunt, qui apud eas cum imrio fuerunt: ea tamen moderatione vti semper ierent, ne potestas ea in tyrannicum conuerretur dominatum, qui cum imminutione priegiorum & libertatis periculo coniunctus es. Hinc semper Belgæ Principes suos magis asse visi sunt, cum adhuc ætate tenera vel adoentes essent.

Extant horum populorum, cum adhuc sub gulis principibus viuentes certis tamen inter ieuincti essent fœderibus, egregia bello facira, olim quidem contra Romanos, posterious vero temporibus aduersus Saracenos & rcas, inter quæ primo loco numerari merecelebris illa Gotefridi Bullionæi aliorumque ncipum in Terram Sanctam expeditio. Cui n immerito accensetur Balduini Flandri vir, qui Græcorum Imperium arripuit occupata Constantinopoli, de quibus vt & aliis adeantur Historicorum libri, qui locuples dicent testimonium, hos populos semper fortes habitos exterisque formidabiles fuisse. De his enim velut compendio facto narrat Corn. Tacitus: Gallos solitos fuisse pugnare pro libertate: Germanos pro præda: Batauos pro gloria & honore. Scilicet hæc est causa, ob quam veteres Romanorum Principes custodes atque stipatores corporum ex his gentibus sibi legerint, quod fidem earum & virtutem bellicam præ omnibus populis laudarent & amplecterentur. Quin & nonnulli inferioris Germaniæ populi Socii Romanorum & Amici appellati fuerunt, inque primis Batani atque Frisii, vt idem Tacitus commemorat.

Quanquam autem superioribus temporibus singulæ propemodum Prouinciæ suos habuerint dominos Principesque, postremo tamen fere omnes redactæ fuerunt sub dominium Ducum Burgundiæ: ab his peruenerunt ad Archiduces Austriæ, & inprimis ad Carolum V. eiusque filium Philippũ, Hispanorum reges. Quod quo pacto factum sit, operæ precium fortasse erit cognoscere.

Ludouicus Malanus iure Paterno Comes & Dominus Flandriæ, Niuerniæ, Rostellæ, Salinarum, Antvverpiæ & Machliniæ: post mortis autẽ obitum Comes Burgundiæ & Artesiæ, vxorem duxit Margaritam filiam Iohannis Ducis Brabantiæ, quo coniugio ipse Dux Brabantiæ & Limburgi factus est. Ex hac vnicam genuit filiam Margaritam, ditionum paternarum hæredem, quæ anno MCCCLXIX. Gandaui nupsit *Philippo Valesio* Duci Burgundiæ, iuniori filio Iohannis Galliarum Regis, cui *Audaci* cognomen fuit. Vixit is annos LXX. Hinc natus est Iohannes intrepidus, Burgundiæ, Flandriæ,

Artesiæ

Arteſiæ Comes, aliarumque prouinciarum dominus. Duxit hic Iohannes anno A N. C. MCD. XV. vxorem Margaritam, filiam Comitis Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ Friſiæque: ipſe poſtea nefarie trucidatus fuit à Carolo Delphino anno Chriſti MCDXIX. apud Monterium Galliæ, cum vixiſſet annis XLVIII. præfuiſſet rebus ſuis annis XV. Huius filius vnicus nomine *Philippus Bonus* ſucceſſit patri annos natus XXIII. factus Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ, Marchio Antuerpiæ, Dominus Machliniæ & Salinarum. Hic obitu Theodorici Comitis Namurcenſis factus eſt eius Comitatus hæres: morte autem Philippi auctus eſt Ducatibus Brabantiæ, Lotharingiæ & Limburgi: obitu vero Iacobæ Comitatibus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ & Friſiæ. Huic eidem donauit Ducatum Lucenburgicum Eliſabetha Antonii Patrui eius Vidua, ad annum Salutis M CD XLIII. Hic eſt ille Philippus, qui primus inſtituit Ordinem aurei velleris Brugis in Flandria, cum perageret nuptias in ea vrbe cum Iſabella Luſitanica ſub annum Domini M CD L. Mortuus eſt Brugis Flandricis anno MCDLXVII. cum vixiſſet annis LXXII. regnaſſet vero XLVIII.

Reliquit hic hæredem ſucceſſoremque in omnibus ſuis terris atque Principatibus *Carolum Valeſium* filium, cognomento *Pugnacem*, qui Gubernacula rerum ſuſcepit annos natus XXXIV. Emit hic ab Arnoldo Egmondano Ducatum Geldriæ & Comitatum Zutphaniæ, qui Arnoldus venditionem illam moriens confirmauit, nominato ſucceſſore ſuo Carolo Burgundo, & excluſo Adolfo filio per teſtamentum. Adiuit Carolus poſſeſſionem Geldriæ anno Chriſti M CD LXXIII. Conatus eſt hic Carolus coniunctas omnes illas prouincias conſtituere regnum, ſeque appellare regem Burgundiæ, adducta ratione, quòd olim quoque Burgundia reges habuiſſet: quod vt à Friderico III. Imperatore facilius impetraret, pollicitus eſt, ſe filiam ſuam Maximiliano Friderici filio daturum in matrimonium.

Cum autem vnaquæque prouincia ſuam peculiarem haberet dominandi & parendi rationem, ſuisque ſigillatim vteretur priuilegiis, iuribus, prouentibus, pondere & menſura, & quæ nunquam abſolutum principibus ſuis, ſed limitatum permiſiſſent imperium, omiſſum fuit iſtud conſilium. Interfectus eſt magnus ille bellator Carolus ante Nanceium Lotharingiæ anno A N. C. MCDLXXVII a.d.v. Ianuarii menſis, proditus, vt ferunt per Comitem quendam Italum, cui nomen fuerat Campobaſſo, inſtigatione Ludouici XI. Gallorum regis, cum tribus præliis ab Heluetiis & Lotharingis victus fuiſſet. Agebat ætatis annum cum caderet XLIIII. relicta vnica filia *Maria Valeſia* annorũ XVIII. virgine, quæ anno M CD LXXVII. a.d. XVIII. Auguſti menſis nupſit *Maximiliano Auſtriaco Friderici* III. Imp. filio, qui Maximilianus recuperauit pleraque, quæ Rex Gallus vxori eius Caroli filiæ per vim eripuerat. Reſtituit hic idem vigori ſuo Ordinem Aurei Velleris, qui valde labefactatus fuerat. Nati ſunt ex hoc matrimonio *Philippus Auſtriacus* filius, & Margarita filia. Horum mater Maria Burgũda quinto matrimonii ſui anno delapſa equo, cum femur fregiſſet, mortua eſt ex eo caſu. Præfuit Inferioris Germaniæ prouinciis aliquandiu Maximilianus nomine filii ſui Philippi; ſed cum accuſaretur à nonnullis, quod Brabantiam, Hollandiam atque Friſiam à cæteris ſeparare & patri ſuo Friderico tradere vellet, multaque faceret, quæ libertati Prouinciarum aduerſarentur: dederunt populi Belgici fidem *Philippo* filio eius, Carol Nepoti anno Salutis MCDXCII. eumque Principem ſuum vniuerſi agnouere. Nupſit hui Philippo anno A N. C. M CD XCVI. Iohann Ferdinandi regis Aragonum filia, vnde natu eſt Carolus V. Imperator, Philippi II. Hiſpanorum Regis Pater.

Sic hæ Prouinciæ, quæ antea plures habue rant dominos, coniunctæ, in vnum quaſi co pus coaluerunt, redactæ ſub imperium Reg Hiſpanorum.

Vt autem horum populorum coniuncti maximum ad eorum felicitatem attulit mo mentum: ſic ſeparatio cauſa fuit crudeliſſimi longiſſimi belli ciuilis, quo tam hi quam il afflicti fuerunt, de cuius belli vel potius ſepara tionis cauſis alibi dicemus.

Qualitas & Natura ſoli Belgici.

Abundat *Ager Atrebatenſis* ſiue *Comitatus A teſiæ* frumento, cuius magnam vim ſubmin ſtrat vicinæ Flandriæ & Brabantiæ, vbi tantu non prouenit, vt plerique in his regionibus aduentitia ſiligine panes coquant. Vineis vi busque caret, quanquam id fieri plerique ce ſeant, non vitio ſoli ſed colonorum imperit Aer hic bonus & ſerenus.

Quo non peiore nec minus temperato po flatur *Hannonia*, accedente magna camporu vbertate, & in producendo frumento omnis g neris felicitate. Multum hic pratorum & p ſcuorum: nec deſunt horti arboribus fructi ris conſiti. Terræ viſceribus eruitur ferrum plumbum, prætereaque marmorea ſaxa, n non carbones foſſiles, quibus ſuccenden pauxillo ligni opus eſt. calent autem quam n xime.

Comitatus Namurcenſis aſper eſt & montoſ amœnus tamen & ſalubri fruens aere. Te colonis non ingrata, quantum opus eſt, prof frumenti, intus vero venas ferri & plumbi a vt & marmora, quorum grata nigredo color iaſpidis imitari velle videtur. Nuper etiam c perunt hic effodi Lithanthraces ad alend ignem. Fluuii qui hic ſunt, abundant piſcib campi ſalientibus aquis, ſyluæ alitibus & feris omnis generis.

Ager Lucenburgicus licet montoſus ſit & tuoſus, benignus tamen eſt & fertilis, pro rens alicubi multum frumenti, vini aliqu tum; qui hoc ſoli beneficio carent, ſarciunt il

damn

damnum larga venatione, & ferarum omnis generis mirifica abundantia. Ferrifodinæ sunt non procul ab oppido Manderscheid, in dominiis Keyla, Gronenberch & Sleyda, ad vallem cui nomen est Hellenthal.

Brabantiæ aer bonus & temperatus est, solum planum atque fertile, quod multum farris gignit, quamuis ea pars, quæ Campania nominatur sterilior sit, quia fabulosa magis; quamuis nec quidem omnino infelix aut sterilis iudicanda sit.

Flandria aerem reciprocat insigniter temperatum. Terræ hic fœcunditas non contemnenda, inprimis qua versus Oceanum tendit, & Zelliam contingit. Graminis & pabuli pro pecudibus hic ingens copia, quæ vel hinc colligitur, quod ex vicinis prouinciis magna equorum armenta huc agantur pastum. Abundat inprimis Flandria animalibus domesticis, inprimis vero feris syluestribusque, in quo genere excellunt cerui Aprique. Nec desunt hic varia auium genera, Ardeæ, Phasiani, Perdices, Pauones & Ciconiæ.

Mores veterum incolarum.

De Galliæ Belgicæ, hodie Germaniæ Inferioris populis Cæsar hæc habet: *Gallorum omnium fortissimi sunt Belgæ: propterea quod à cultu atque humanitate Prouinciæ longissime absunt, minimeque ad eos sæpe Mercatores commeant, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent important: proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt.* Horum quanta robur, quantumque libertatis defendendæ studium fuerit, ex eo cognosci potest, quod Germanorum imperium summa vi auertere, et ne C. Cæsaris tempore annixi sint. Neruiorum, qui hodie Tornacenses sunt, adeo fuit innata feritas, vt nunquam ad id temporis mercatores passi sint ad se vina aut alias res vehementes deferre. Quin & iam olim habitatores Flandriæ adeo dediti fuerunt armis, vt nunquam quieti viuere potuerint, sed arma sustinentes manibus in Syriam vsque & Palæstinam excurrerint. Nec prisco tempore minus gentes addictæ fuerunt mercaturæ, quam hodie admodum exercuerunt, accedente paulatim ævo laboriosa colonorum industria, qui multis eruncatis sentibus & dumetis, deterso limo paludibus melius fructuosiusque reddere docti fuerunt.

Mores Belgarum nostri temporis.

Omnes Germaniæ Inferioris incolæ fere procera corpore, quanquam antiquitus etiam maiores fuisse credantur: quam amplitudinem corporum C. Cæsar tribuit inprimis viuendi liberiori & ocio, quodque nihil faciant, quod nolint. In vniuersum putantur formosi, quieti, pacifici, cholerici, non multum ambitiosi, ciuiles, humani, blandi, ad omnia promti, laboriosi, ingeniosi, Baccho magis quam Veneri dediti, vt reliqui veteri Germani. Multi inter eos adeo morosi & molesti sunt, vt eorum vix ferri possit conuersatio, cumque facile credant, fit vt facile decipiantur. Suspicionibus multum indulgent, vrgentque propositum obstinatissime: garruli nimisque loquaces, & qui facile obliuiscuntur beneficiorum quæ acceperunt; nec tenaciori infigunt memoriæ offensas.

Extraneos parum amant, amore ipsi suo occupati, studentque semper nouarum rerum inuentionibus. In Musicis omne prope hi populi tulere punctum, cum in ea scientia vix vlli nationi sub sole cedant, ad quam naturæ quadam inclinatione feruntur.

Quod ad militiam attinet, meliores putantur esse pedites quam equites, habentque id prope peculiare, vt omnibus modis viteni prælia & conflictus cum hostibus, quantum fieri potest. Istud quidem certe fatendum est, in re marina eos pares in mundo non habere. Ad vnguem enim callent nauigandi rationem, nec vllus Orbis angulus est, in quem non excurrerint ac penetrauerint nauibus suis potissimum Hollandi.

Ad negociationes non facti sed nati videntur, cum varii generis merces, partim domi apud ipsos, partim alibi factas, cuiusmodi sunt telæ lineæ, panni lanei, inprimis aulæa & tapetia, non in Europam duntaxat, sed & Asiam, Africam & vtramque Indiam exportent.

Pane vulgo vescuntur Secalitio: Potus fere est Cereuisia, quæ conficitur ex farre triticeo vel hordeaceo mola fracto, adiecto lupo salictario. Opulentiores vinum bibunt, quod ex superiore Germania vel Gallia aduehitur. Vestitu vtuntur communiter bono & honesto. Domos nitidas absterſasque conseruant, ab omni supellectile, & quidem commodissime instructas, vt nihil desiderari possit. Est autem munda ibi & ad aspectum iucunda ac bene ordinata supellex, qua in re fortasse omnes totius Mundi nationes superant. Domos in ciuitatibus prope omnes ad eandem architecturæ rationem & normam extruunt, vt ignari multas ad vnum spectare dominum arbitrari possint.

Mulieres Belgicæ formosæ sunt, neque tamen adeo vel omnes, vel pleræque, aut numerosæ, vt imperiti clamitant. Est tamen hoc earum formositati vicium, vt flos ille pulchritudinis nequaquam sit diuturnus, sed plerisque marcescat vel defluat, cum annum ætatis trigesimum attigerunt, post quod tempus euadunt deformes & rugosæ. Promptæ sunt & audaces, loquunturque ac versantur libenter in publico cum viris.

Vertitur his à Gallis aliisque vicio, quod vino valde sint deditæ, vt quis etiam matutinis horis non frustra ad bibendum sit inuitaturus puellam, certus eam haud dubie responsuram. Quibus nec facultas est nec consuetudo bibendi vinum, cereuisiam hauriunt tanta auiditate & copia, vt inde debilitentur. Ingresso peregrino in domum, occurrit filia familias, plerumque adolescentula nec deformis, cyathum cere-

cereuisia plenum manu præferens, eumque ad bibendum inuitat, ita vt propinato calice prior ipsa bibat: cui nisi respondeas, & quidem prompte, non effugies notam ruditatis & inciuilitatis. Non me fugit, hunc morem, multorum opinione, esse vel videri posse incitamentum ad effectus amoris: Sed profecto minus est in his regionibus stuprorum adulteriorumque, quam in plerisque regnis, vbi ebrietatis vicium inter atrociſſima computatur.

Cæterum omnes hi errores siue vicia (si modo ita appellanda sunt, cum his mulieres à primis prope cunabulis adsuescerint) peruertere eas atque impedire non possunt, vt non optime & rectissime curent rem familiarem, & aliquando tractent negocia virilia, mercimonia & alia quæ summam requirunt prudentiam, vigilantiam & sobrietatem. Amant eædem splendidum ac sumtuosum ornatum in vestitu, nec tantummodo solæ peragrant ciuitatem, sed etiam exiguo comitatu in vicina oppida commeant, sine vlla criminis suspicione. Ergo cum viri iis non raro omnium rerum procurationem permittant, perumque nimis imperiosæ, imo superbæ & molestæ euadunt.

Moris est tam apud Principes quam inferioris sortis homines, primogenitis parentum, licet adhuc viuentium & ætate vigentium, indere nomina: & Nobiles, Dynastarum more, plus semper filiæ natu maximæ tribuunt, quam reliquis minoribus, licet parem omnes dotem habeant: ita vt reliquas alicui sæpe despondeant, cui illam denegarent, meliori conditioni aut marito maximam reseruantes. Hoc peculiare videntur habere, quod facile cum exteris matrimonia contrahant, si id occasio postulet, quod has affinitates patriæ vtiles esse arbitrentur. Indecens & absurdum iudicant, Adolescentem Vetulam, Senem contraducere puellam, ignobilem nobili, Dominam seruo iungi matrimonio.

In Picturæ artificio nulla æque natio excellit. Iohannes Eickius primus fuit, qui oleo miscere colores docuit. Solent Belgæ Festis præcipuis, inprimis nomine ipsorum indigitatis, itemque Bacchanalibus conuiuia instruere, parentes, consanguineos & amicos inuitare, & cum iis pollucibiliter comessari: natura enim amant epulas & conuiuia.

Opes eorum & diuitiæ.

Non sunt exiguæ populorum inferioris Germaniæ, inprimis maritimorum diuitiæ, cum mercimoniis exercendis vicinum mare pulcherrimas suppeditet occasiones: hinc enim multiplex percipiunt emolumentum, nec dici satis potest, quantum ex diuenditis pannis laneis sericisque, nec non aulæis & stragula veste conficiant pecuniæ, cum hæc omnia ob bonitatem & elegantiam ab exteris supra modum expetantur.

Accedit & aliud lucri genus, quod percipiunt ex conditis salitisque piscibus, quorum non vnum genus est, excellentibus tamen inprimis Salmonibus Halecibusque, quos maxima copia Germanis superioribus, Gallis, Hispanis, Italisque suppeditant: vnde quantum ad eos redeat pecuniæ, difficile est ad fidem dicere.

ROBVR PROVINCIÆ ET VIres militares.

Sunt in prouinciis Belgicis, quæ Alberto Archiduci Austriæ parent, loca non pauca exquisite munita, apta non solum ad defensionem & ferendam longam obsidionem, sed & propemodum inexpugnabilia. Quid enim munitius firmiusque fingi potest *Castello* siue munimento *Antverpiensi*? quod tanti roboris est atque firmitatis, vt inter præstantissima fortalitia totius Europæ iure referatur.

Buscoducum ob munimentorum firmitate capi hactenus non potuit.

Grauelinga oppidum Flandriæ maritimum duobus à Caleto distans milliaribus, cum perfit munitissimum, magna vi tormentorum & instrumentorum bellicorum superbit: quę omnium *Dunkercka* pariter habeat, ciuibus insuper etiam gloriatur animosis. Quanta vero fuerit firmitas & robur *Ostendæ*, facile intelliget is, qui scierit, tribus illud oppidum annis & sex mensibus obsessum oppugnatumque, postremo ægre in Archiducis manus venisse.

In Atrebatibus siue Comitatu Artesiæ est *Atrebatum*, vulgo *Arras* ciuitas ingens, propugnaculis fossisque munitissima: hanc sequitur *Tuanna*, *Hesdinum* in finibus Galliæ. *Montes*, oppidum Hannoniæ, amplitudine & vallatis moenibus inclytum, vt & *Valencena*, in quo oppido Armamentarium ad belli vsus instructissimum *Philippeuilla* & *Mariaburgum*, vtrumque munitissimum in finibus regni Galliæ.

Est & in Namurco ciuitate arx munita & structissima ad belli vsus, adque sustinendam vim hostilem valida. Et ne singula persequamur, sunt in his prouinciis, quæ Hispanis regis subsunt dominio, hinc inde multa fortalitia & oppida ac arces munitissimæ, vt qui vero nam ex iis bello sit petiturus, rem sit aggressurus plenam laboris & periculi.

Etsi autem Vrbes ac oppida plena sint bus cordatis & bellandi peritis, quique nomel ostenderunt, quid in armis possint: Remen perpetuo in iis alit exercitum, constans ex Germanis, Hispanis, Italis & Belgis: quercitus ante pactas inducias per hyemem dem in vicinis oppidis se continebat, primtem vere in campum progrediebatur, addendam aliquam arcem vel ciuitatem, vel tatione inferendum hosti detrimentum. Dde durantibus inducijs, multis exercitus duribus dimissis, milites exauctorati fuerunt: bus finitis omnia denuo ad belli cogitaticonuersa sunt, occupata Breda, vt paulo pocemus.

Ratio & Forma Gubernationis.

Hæc vel est Vniuersalis, quam in vniuobseruat Princeps, harū Prouinciarū dom

vel particularis, quæ in vnaquaque prouincia sigillatim in vsu est, secundum cuiusque priuilegia & consuetudines.

Consilium Principis triplici est in differentia: dicitur enim primum quidem Consilium Statuum: alterum, Consilium Priuatum; tertium Consilium Finantiarum, siue Fisci, siue Aerarij Principalis.

Consilium Statuum, vt vocant, constat Præside vno, & incerto Consiliariorum numero: arbitrio enim Principis negociorum necessitate plures vel pauciores adhibentur. Cum hoc Consilio deliberat Belgij summus Præses super rebus principalibus & publicis, puta de bello & pace: de fœderibus cum vicinis Principibus; de legatis exterorum: de rebus domi forisque gerendis: de mittendis Oratoribus ad reges aliosue principes; denique quicquid ad salutem & conseruationem reipub: pertinet. Huc etiam referuntur ex cæteris Consiliis magis ardua negocia.

Consilium Priuatum seu Secretum constat iuxta more XII. Consiliariis, à Rege vel eius immo Præfecto electis. In hoc deciditur quicquid ad iustitiam, politiam & ius pertinet, estque magna huius eminentia super cætera tribunalia. Huius itaque est concedere Priuilegia, impertire consensum, gratiam, veniam, remissiones. Item condere leges, ordinationes, Statuta, Edicta. Eiusdem Consilij est cognoscere de limitibus finibusque Prouinciarum, deque principalibus dominij. Hoc res magis arduas cum Consilio Statuum communicat, vt & versa vice Consilium Statuum illa quę Politiam ac Iustitiam aliquo modo concernunt; cum Priuato conferat.

Tertio Consilio, quod vocant Finantiarum, præmunitet præfecti fuere tres illustres ac magni ob prudentiam nominis viri, in Patria clarissimi. Primus appellatur Intendens Finantiarum: secundus Thesaurarius: tertius Receptor Generalis, adiunctis quibusdam Commissariis aliisque minoribus officiis. Hoc Consilium curam habet bonorum patrimonialium & redituum principis, subsidiorum pecuniariorum, cameræ rationalis. In eodem fiunt taxationes, assignantur rationes soluendi, quicquid vel pacem concernit vel bellum. Cameræ autem rationali præest Præses vnus, & VII. Magistri rationum, cum quibusdam inferioribus ministris. Redditur huic rationem administrationis pecuniariæ regiarum omnes Thesaurarij & Receptores Brabantiæ & adiunctarum ditionum, vt Comitatus Lucenburgici. Quanquam verò & aliæ cameræ rationales hinc inde per Prouincias sint, omnes tamen huic consilio Financiarum subsunt rationes, quod Bruxellis est, & quod caput summum suspiciunt atque venerantur tribunal.

Est & aliud Consilium in singulis fere Prouinciis, quod Parlamentum regium vulgo nominant quale est Mechliniæ & alibi in locis: quod Bruxellis in Brabantia est, Cancellariam vocant. Præsunt huic communiter secundum diuersa loca vel XII. vel XVI. vel XVIII consiliarij cum Præside vno siue Cancellario. Adsistunt pariter Aduocatus & Procurator Fisci, Secretarij & Scribæ, quibus omnibus à Principe numerantur stipendia. Hoc Magistratus summa pollet auctoritate cunctarum ciuilium & criminalium causarum. Huc vocantur in ius non solum omnes regij officiarij & Ministri prouinciales, sed & ipse Princeps, si quis sit, qui eum de iure in hoc tribunali conueniat. Ad hoc tribunal cunctæ deuoluuntur appellationes inferiorum cuiusque prouinciæ iudiciorum, & in tribus huiusmodi Tribunalibus, nempe Brabantiæ, Hannoniæ & Machliniensi iudicatur definitiue. Iudicatur in omnibus hisce summis Curiis secundum ius commune, saluis tamen legibus municipalibus, singulorumque locorum constitutionibus, Decretisque Principum.

Præterea dicta deputat etiam Regis nomine Præses certos singulis annis legatos per singulas fere Prouincias, qui rationes prouentuum seu reddituum aliaque patriam concernentia cognoscant; & specialiter in Brabantia, vbi Princeps singularem habet in loca sacra auctoritatem, priuilegio speciali Pontificis: quapropter mandat etiam, vt animaduertant in rationes Ecclesiarum, Monasteriorum & Hospitalium siue collegiorum.

Princeps petiturus quid, vel nouum tributum nouasue leges impositurus, conuocat per litteras Status siue Ordines, iisque mandat, vt certo tempore conueniant Bruxellas, hic enim est locus solennis Conuentuum. Nouerunt autem in omnibus Prouinciis, Comitatibus, Ciuitatibus, qui ad Conuentuum venire debeant, & quot numero, quibus id singularis priuilegii nomine competit. Cæterum Ordinum generalium tres sunt Status. I. Ecclesiasticus Ordo, II. Nobilitas, III. Præcipuæ Ciuitates.

Hoc modo coacto Consilio in Præsentia vel Principis vel suprémi Præfecti, Præses vel quis Statuum Consiliarius, Principis nomine petitionem eiusdem Ordinibus humanissimis verbis exponit. Si Princeps non pro voto accipiat responsum, Orator eius multis conatur argumentis, & rationibus Ordines ad suam permouere sententiam: neque enim hic locum habet illud: *Sic volo, sic iubeo.* Si propter votorũ diuersitatem Princeps non obtineat quod vult (oportet enim vt ad vnum omnes consentiant) patienter acquiescendum est pró tempore, & meliores expectandæ conditiones. Quanquam enim summum Imperium & substantiale dominium sit penes Principem, Vrbes tamen fere principales habent singularem administrationem, magnaque fruuntur libertate, sua habentes iura, leges atque priuilegia.

Multum autem hæc iura, leges, consuetudines inter se differunt, cuius rei putatur esse causa diuersitas Principum, qui diuersis temporibus aliis atque aliis dominati sunt regionibus. Quin & ipsæ prouinciæ multoties capitalibus inter se

sunt digladiatæ inimicitiis, vnde tanta etiã ponderum, mensurarum, morumque dissimilitudo. Accedit maxima linguarum differentia, quæ res in causa fuit, vt Carolo V. Imperatori sæpe multumque deliberanti, quo pacto has prouincias ad vnum corpus redactas in regni formam reduceret, id impossibile factu visum fuerit. In tanta nihilo minus diuersitate omnes tamen iunctim velut membra vnum corpus constituunt, ita saltim, quod ab vno regantur capite, etsi in priuata gubernatione non parum est discriminis.

Constat autem cuiusque Vrbis præcipuæ gubernatio membris quatuor. Primo loco numeramus eos qui in officiis siue Magistratibus maioribus & minoribus constituti, iisdem funguntur. Secundo eos, qui Magistratibus maioribus functi fuerunt. Tertio loco est corpus Ciuium siue ipsa Ciuitas, in tot diuisa decuriones siue decurias, quot habet præcipuas plateas. Quartum membrum complectitur decanos opificũ, qui & ipsi varij sunt, pro modo ac captu ciuitatum. Et ex his quatuor membris constat Gubernatio particularis. Huius exquisitum peti potest exemplum ab Vrbe Antuerpiensi, à qua cæteræ non multum differunt, nisi in numero, quod vnum oppidum maius sit altero.

Vt autem ea quæ de vrbe Antuerpiensi diximus melius capi possint, sic accipe Lector. Primum membrum gubernationis Antuerpiensis constat nouem viris nobilibus, & aliis nouem, qui nominati sunt per Præfectos platearum siue Vicomagistros, vnde emergit numerus XVIII. His iunguntur alij XVIII. qui sunt in præcipua auctoritate, vt ita totum corpus eorum qui ad futuros Magistratus adspirant, sit virorum XXXVI. Horum omnium nomina mittuntur ad Principem, qui inde XVIII. eligit, qui sic designati, deinceps Senatores vocantur, habentes ius & auctoritatem, eligendi rursum duos Magistros Ciuium siue Consules. Horum vnus cũ cæteris ordinibus eodem in loco in Consilio Principis de republica tractat; alter in vrbe manens, res curat ciuitatis, dicitque ius tam ciuibus quam extraneis. Hinc constat Magistratum Vrbanum Antuerpiensem consistere in XVIII. Senatoribus, & Magistro Ciuium vno, quibus omnibus plena est auctoritas tam in rebus Ciuilibus quam Criminalibus. Cæterum quoad executionem iustitiæ duo adsunt Legati Principis. Prior cuius officium versatur circa criminalia appellatur Sculterus: posterior, qui in ciuilibus causis occupatur, [illegible]tur Ammanus. Sculteti officium est, vt iubeat comprehendi delinquentes, eosdem sistat iudicio, & petat à Iudicibus, vt sententiam in eos ferant, quam ipse mox exsequitur.

Ammanus proponit Magistratui causas ciuiles, rogatque, vt auditis litigantibus ius dicant, sententiamque pronuncient sumtu litigantium impensisque. Eligit autem summus hicce Magistratus non interueniente auctoritate Principis vel Commissariorum eius nonnullos Magistratus Inferiores, interque eos Thesaurarios duos, de nominatione populi, itemque Receptorem vnum ad nominationem nobilium, vt hi exigant & distribuant argentum publicum, obseruantes iussa & leges superioris Magistratus, qui præter illos etiam creat Consiliarios populares, qui Antuerpiæ sunt numero XII. omnes lecti ex Decanis opificum, cuiusmodi sunt nautæ, pistores, hortulani, fullones & eius generis alij.

Machliniæ Magistratus Vrbanus diuisus est æquali portione. Ex numero enim Senatorum, qui sunt XII. Sex sunt genere nobili, totidem plebeio nati, ex Decanis opificum, inter quos honoratiore loco sunt piscatores, lanij, pistores, hortulani & coctores cereuisiarij. Intersunt h Consiliarij populares Senatui non minus ac primi nominis Senatores, audiunt querelas supplicantium, non libere tantum dicentes sententiam, sed & aliquando seditiose, cum de exigẽda à ciuibus pecunia agitur, cum notum sit, quanta hi homines plebei vrantur insolentia, post quam ad hunc honoris gradum cõscenderunt accedente perpetuo odio, quo hi in nobilitatem omni tempore flagrauerunt, vnde & frequentibus in hac vrbe laboratum est seditionibus, magno cum ciuitatis detrimento.

Inter has ciuitates primarias non paucę sunt quæ egregiis prouentibus publicis annuis fruũtur, cum constet, solam Ciuitatem Antuerpiensem in redditib. singulis annuis percipere CC millia Scutatorum. Hæc tamen ipsa graui æ alieno oppressa fuerat circa annum MDLV nec est dubium, quin etiam plus debeat nostr æno ob perpetua bella & exactiones, accedent defectu opificum & Mercatorum ac proinc cessante negociatione, quæ præcipuum Fu damentum est diuitiarum in vrbibus inferi ris Germaniæ: quo labefactato vel euer bellis continuis, facilis est coniectura, quan tum in singulos annos detrimenti patiatur An uerpia.

Authoritas eorum Nobilium, qui habe Arces, dominia aliasque possessiones & iur dictiones, per est exigua, vt non possint suis v sallis clientibusque aliquid imponere oner vel etiam donatiua ab illis vltro oblata accip re, nisi de consensu Principis: sed necesse habe eiusmodi Toparchæ, vt populo suo relinqua gubernationem, pro legibus eius & consuet dinibus, iisque magna imperent modestia. Qu quam negandum non est, esse nonnullos D nastas, qui particulares quasdam habeant ri risdictiones ita meras & absolutas, vt iis præter Deum superiorem a gnoscant nem nem.

Magna autem est Ordinis Ecclesiastici pote tia, ingentes diuitiæ per omnes has prouinci vt necesse habuerit Carolus V. Imperator, modum constituere, ne in immensum cres rent. Legem igitur tulit, ne quis Clericus fu dos aut domum emere posset, aut vlla bo imm

mmobilia, sine expresso Principis consensu. In subsidiis pecuniariis Clerici sigillatim suã soluũt portionem, suntque eædem fere conuentiones inter harum Prouinciarum Principes & Pontificem Maximum, quæ inter hũc & Regem Galorum, Principe nominante Prælatos & Papa confirmante; neque vllum rescriptum Pontificis mandatur executioni sine bona Principis voluntate, neque quisquam ciuis harum Prouinciarum vel commissione Pontificis potest ad peregrinum citare tribunal, sed necesse est, vt mittantur certi Commissarij, vt causa in suo loco intra prouinciam disceptetur. In titulos quibus Princeps harum Prouinciarum vtitur, venit & hic, quod se appellat Vicarium perpetuum Imperij per totam Frisiam, vsque ad Dietmarsorum regionem, in confinio Daniæ, quam Præeminentiam Maximilianus I. obtinuit à patre suo Friderico III. tam pro se quam pro suis successoribus.

Religionis cultusque Diuini ratio.

Quam longe patet Hispani regis per inferiorem Germaniam dominium, alia Religio quam Romano-Catholica in publico vsu non est: neque tamen proinde putandum est, non esse perplures, qui vel Lutheri vel Caluini sequuntur dogma, cum paucæ sint ciuitates, interque eas excipue, quæ aliquando Hispanis negauerunt obedientiam, in quibus non inueniatur hoc genus hominum. Sed non profitentur id quod sentiunt publicè, formidine pœnæ, quam vix aliqui effugituri, si noscantur. Qui ex Belgis verè, & non per simulationem amplectuntur Catholicam fidem, adeo ei addicti sunt, vt inde auelli non posse videantur: adeo Lutheranorum & Caluinistarum vicinia & consuetudo reddit plerosque ardentiores in Zelo & propositi tenaciores.

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI *per Inferiorem Germaniam.*

Constat omnis Ordo Ecclesiasticus per has Prouincias è tribus Archiepiscopis & quindecim Episcopis.

Archiepiscopi sunt hi. Cameracensis: cui suffragantur Episcopi Atrebatensis, Tornacensis, Audomari & Namurcensis.

Archiepiscopo Machliniensi subsunt Episcopi Antuerpiensis, Gandauẽsis, Brugẽsis, Boscoducensis, Iperensis, Ruremondanus.

Archiepiscopus Traiectensis sub se habet Episcopos Harlemensem, Dauentriensem, Middelburgensem, Leuardiensem & Groninensem.

Fuit erectus Cameraci Archiepiscopatus per Iulium IV. Papam, anno M.DLXII, cum antea non nisi Episcopatus ibi fuisset. Primo eius vrbis Episcopo nomen fuit Diogeni, nationi Græcus, qui consecratus perhibetur in Atrebatensi vrbe per Remorum Archiepiscopum anno Gratiæ CCCXC, fueruntque deinceps coniuncti hi duo Episcopatus vsque ad annum Christi MXCIV, quando separati sunt, obtinente Cameracensi iurisdictionem in hæc oppida: Cameracum, Montes, Condæam, Atheam, Quesnæũ, Landresium, Auenes cum aliis multis per vniuersam prope Hannoniam & partem agri Atrebatensis, cũ oppidis Tornaca & Valencenis. Cũ Clerici Atrebatenses diu petissent à Pontifice separationem sui Episcopatus à Cameracensi, postremo impetrauerunt eam; datusque est iis peculiaris Episcopus per Vrbanum II. anno Salutis MXCIV. Subsunt Episcopatus illius Iurisdictioni hæc oppida: Atrebatum, Duacum, Bethuna, Bapama, Lensium, Armenterij, Buchanum, Bassea cum aliis oppidis viciſque minoribus.

Episcopatus Tornacensis primordia incidũt in annum Gratiæ CCCCLXXX. Hic deinde coniunctus fuit cum Episcopatu Nouiodunensi, manseruntque hi duo vniti prope totis DC. annis. Circa annum verò MCXXIII. consensit Episcopus Nouiodunensis in separationem, omisso Tornaco; qua quidem in re obtinenda non parum apud Pontificem laborasse aiunt S. Bernardum. S. Audomari Episcopatus erectus est tunc, cum Terrouanna diruta fuit per Carolum V. Imperatorem, anno Gratiæ MDLIII. Fuerunt autem prouentus Episcopatus Terrouanensis in tres partes diuisi: vna fuit assignata Episcopatui Bononiensi Morinorum pro Gallia: altera Audomarensi, pro Artesia: tertia Iperensi pro Flandria. Sic igitur Ecclesia Fani S. Audomari collegiata erecta fuit in Cathedralem anno MDLIX. habetque sub sua iurisdictione hæc loca. Audomari Fanum, Aeram, Hasdinum, Graueliugam oppida cũ multis pagis per Artesiam Flandriamque.

Anno A N.C.MDLIX Templum Collegiale S. Ramboldi Machliniæ sublimatum est, vt fieret Metropolitanum, fueruntque ei præter Episcopatus suffragãtes assignata oppida XVII, Machlinia, Louanium, Bruxellæ, Tillemontiũ, Landæum, Diesta, Arescotum & alia cum in finitis villis porrectis in longitudinem LX. in Latitudinem XXX milliaribus.

S. Iohannis Templum Gandaui factum est Cathedale anno Salutis MDLIX, continens in sua Diœcesi oppida quatuor, inter quæ Gandauum & Audenarda, cum multis pagis per Flandriam.

Templo Collegiali B. Matris Virginis accessit honor circa eadem tempora, vt esset Episcopale additis oppidis VII, in quibus Antuerpia, Liera, Bergæ & alia, cum magno pagorum numero.

Boscoducense templum eodem honore auctum fuit anno MDLIX. quando mutatum fuit in Cathedrale, adiunctis oppidis VI. Buscoducali, Helmontio, Bomelia aliisque, & pagis permultis.

S. Donati Templum in Vrbe Brugensi eodem anno Cathedrale factum est, adiunctis oppidis nouem, inter quæ Brugæ, Cluſa, Ar-

denburgum cum VI. aliis & pagis permultis.

Ex Monasterio Canonicorum Regularium in Æde S. Martini apud Iperam factum est Templum Cathedrale eodem anno MDLIX, continens sub sua iurisdictione Episcopali oppida X, in quibus Ipera, Duinkercka, Furni & alia, cum multis minoribus oppidulis & villis.

Ruremundę oppido is honor obtigit eodem anno, mutato S. Spiritus in eo templo in Episcopale, extensa iurisdictione super oppida X. in quibus est Ruremonda, Neomagus, Sutfania, Venloium cum permultis oppidulis pagis atque villis.

Vltraiectinus Episcopatus multo est antiquior, erectus anno Gratiæ DCLXXXX per Sergium Pontificem. Accessit ei honor Metropolitani anno Salutis MDLXI, subiectique sunt ij, quos supra commemorauimus Episcopi. Patet huius iurisdictio per totum territorium Vltraiectense, partemque Hollandiæ atque Geldriæ, perque Baronias, Burensem, Culemburgensem & Vianensem, in quibus terris continẽtur circiter XXX vrbes & oppida cum immani pagorum villarumque numero.

Harlemi templum est S. Bauonis insigne. hoc anno Christi MDLIX nouo honore auctum, Cathedrale factum est, extensa eius iurisdictione in XII oppida Hollandiæ & multos pagos atque villas.

S. Leuini ædes in Vrbe Dauentria eodem anno facta est Episcopalis subiectis iurisdictioni eius oppidis XXV cum pagis villisque plurimis.

S. Petri templo Middelburgi in Seelandia idem honor contigit eodem anno, prolata eius iurisdictione in decem oppida & pagos permultos.

Apud Leuardiam Frisiæ S. Viti Aedes est. Hęc Episcopalis honoris eodem anno capax facta fuit, cum iurisdictione in oppida X, & pagos non paucos.

Templum Parochiale S. Martino dedicatum in vrbe Groninga Cathedrale factum est anno Christi MDLIX, complectens sub sua iurisdictione totum territorium siue agrum Groningensem, qui non est exiguus; cum Insulis quibusdam vicinis in littore Frisio.

Nostra ætate, postquam Ordines confederatarum prouinciarum occupauerunt Episcopatum Vltraiectinum, cum omnibus sequentibus, introducta diuersa à Romana Religione, abrogatisque Episcopis, in vniuersum aboleuerunt ordinem istum Hierarchicum, quem Pontifex non ita pridem instituerat.

Catalogus Dominorum & Comitum Flandriæ.

Lydericus cognomento Hircus primus fuit Saltuarius siue Custos Nemorum Syluarumque per Flandriam, anno A N. C. DCXXI, constitutus à Dagoberto Francorum rege, cum iure in hæredes transferendo. præfuit hic regioni per annos LII. mortuus anno ætatis XCII.

Huic successit Antonius filius anno Salutis DCXCII, gubernator constitutus Flandriæ: cuius temporibus Gothi, Wandali, Hunni, aliique barbari populi factis irruptionibus omnem vastauere Flandriam, fugiente Antonio Saltuario cum suis in penitiora Galliæ.

Bochartus filius Lyderici III. Cui & ipsi cognomen Hirci fuit, post mortem Antonij fratris sui magna parte Flandriæ priuatus fuit, relicta ei duntaxat per Theodoricum Francorum regem ditione Halebecensi. Ibi rursus Hunni, Gothi Wandalique ingressi Flandriam eam ita afflixere, vt prope vniuersa desolata caruerit habitatoribus circa annos centum.

Post mortem Patris Estoredus factus est Princeps Louanienſis & Halebecensis, & Saltuarius partis Flandriæ, mortuus anno Christi DCCXCII.

Lydericus Estoredi filius, cum duxisset nobilem mulierem ex Germania nomine Flandrinã, toti prouinciæ nomen ab vxore creditur imposuisse. Hunc Magni Saltuarij nomine honestauit Carolus Magnus, vt nomine regis purgaret syluas atque vias regias à grassatoribus & latronibus, quod magna virtute is præstitit. Huius meriti gratia primus creatus fuit Comes Halebecensis, præfuitque cum iure & dignitate Principis Flandriæ per annos XLIV. sub Francorum Regibus, Carolo Magno, Ludouico Pio, mortuus anno Christi nati DCCCXXXVI, cũ fidẽ Christi amplex⁹ fuisset. Vocauit hic in Flandriã multos Episcopos, Pastores, Sacerdotes aliosque viros doctos, vt conuerterent Gentiles, qui magno numero adhuc ibi restabant.

Ingeramus Lyderici II. filius secundus post patrem accepit gubernacula Flãdrię & Comitatus Halebecensis anno A N. C. DCCCXXXVI, regnantibus in Gallia Ludouico Pio & Carolo Caluo, quibus & iurauit fidelitatem de terri dominiisque suis. Restituit hic multa oppida arces, aliaque ædificia à barbaris gentibus destructa, mortuus vigesimo quarto Principatu sui anno.

Cuius filius *Odoacer* siue *Oedacker* Flandrian regere cæpit anno A N. C. DCCCLII, præfuitque rebus per annos XI. Et hic collapsa restitui oppida & castella, cinxitque Gandauum vrbem primis mœnibus, mortuus an. DCCCLXIII.

Balduinus, cui cognomen *Brachio ferreo* fuit o robur & animi magnitudinẽ, Odoacrũ patrẽ, rectura Flandriæ sequutus est. Vxorem hic habuit Iuditham, Eduardi Anglorum regis viduã Caroli Calui Imperatoris & Francorum reg filiam, viraptam ob formæ elegantiam. Hin multis annis bona Imperatoris gratia vti no potuit: qui postremò delinitus à Genero prim eum creauit Comitem Flandriæ, data in dote omnia prouincia, reseruato tamẽ sibi suisq; su cessoribus supremo siue directo dominio. Mo tuus hic est in Ciuitate Atrebatensi, cum pra fuisset Flandriæ nomine Magni Saltuarij ann XXV, nomine verò Comitis & domini ann XV. anno Christi DCCCLXXVIII.

Sequutu

Sequūtus est hunc *Balduinus Caluus* filius, secundus Flandriæ Comes, qui multas retulit victorias à Danis & Normannis. cumque ob isset anno A N. C. DCCCCXIX, sepultus est Gandaui in Aede S. Petri.

Arnoldus Priscus, cognomento *Magnus*, filius Balduini Calui, tertius factus est Flandriæ Comes, eodem quo pater obiit anno. Ingens huic fuit bellum cum familia Normānica, cum Guilielmum, qui à longo gladio cognomen habuit, interfecisset; decessit Arnoldus anno Christi nati DCCCCLXIV. sepultus & ipse Gandaui iuxta Patrem.

Excepit hunc *Balduinus Iunior* siue III. Comes Flandriæ quartus, cum pater ei vltro principatu cessisset, filio quippe vnico, qui cum tantum annis tribus rexisset prouinciam, defunctus est vita anno CMLXVII.

Arnoldus Minor Balduini Iunioris filius, Comes Flandriæ quintus factus est anno CMLXVIII, quem febris maligna sustulit Gandaui a. d. XIII. Maij anno CMLXVIIII, sepultum postea in eadem vrbe iuxta auum.

Successit huic filius *Balduinus* ab elegantia barbæ cognomen sortitus, Flandriæ Comitum Sextus. Fuit huic sub initium Principatus sui bellum aduersus Henricum II. Imperatorem. Facta vtem pace, Imperator, expertus hominis virtutem in bello, donauit ei Walachriam Insulam Zelandiæ, vt eam perpetuo iure possideret, quę usa fuit longi ac difficilis belli inter Flandros & Hollandos. Hic cum rexisset Prouinciam annos XLVI obiit, ad annum Dominicæ Incarnationis MXXXV, tumulatus Gandaui iuxta patrem.

Balduino V. cognomen fuit *Bono*, qui patri in Comitatu Flandriæ successit. Et huic bellum fuit cum Henrico III. Imperatore, cumque præfuisset Comitatui annis XXXIII mortuus est anno MLXVII, sepultus Gandaui.

Pacifici cognomento ornatus fuit *Balduinus* VI. Octauus Flandriæ Comes, eo quod toto donatus sui tempore hastam gladiumue non tulit, perpetua vsus tranquillitate; mors eius incidit in annum A N. C. MLXX.

Hunc excepit in Principatu filius natu maximus, *Arnoldus Simplex*, huius nominis tertius, Comes Flandriæ nonus, interpellatus in iure à Patruo, Roberto Frisio: qui sub prætextu ætatis, quam sibi arrogabat in fratris filios, eos prorio euertit principatu. Arnoldus cū his præcipuis cum Patruo confligere ausus fuisset, in postrema cæsus occubuit, anno A N. C. MLXXII.

Sic igitur Comitatum arripuit *Robertus Frisonus* huius nominis, factusq; est Comes Flandriæ decimus, qui filius erat natu minor Balduini V. Cæso enim in acie, vt diximus, Arnoldo, & Balduino, Arnoldi fratre cum Richilda matre Hannoniam fugato, totam sine labore occupauit Flandriam, mortuus anno Salutis MLXVII.

Cui eodem anno successit, *Robertus Friso Iunior*, cognomento Hierosolymitanus, vndecimus comes Flandriæ. Hic sumsit signum Crucis, sub eo pugnaturus aduersus infideles. Profectus in Galliam interfuit Coronationi Ludouici Regis, cumque apud Melodunum Pontem Nellæ transiret, collapsus sub eo equus ita afflixit hominē, vt tertio post casum die moreretur, quod accidit anno A N. C. MCXI, sepulcrum eius cōspicitur in Aede D. Vedasti apud Atrebates.

Balduino VII, qui Roberto successit, Securis cognomen dedit, Comes hic fuit Flandriæ XII. æquitatis & iustitiæ amator, mortuus an. A N. C. MCXIX. scripserat hic mortiuicinus testamento hæredem Carolum, Canuti Danorum regis filium. Monimentum eius est Bertinij.

Huius, vt diximus, ex testamento hæres *Carolus* I, Comes Flandriæ XIII. Boni appellationem meruit, assumsitque gubernacula prouinciæ an. A N. C. MCXIX. Bonus autē dictus fuit ob virtutes egregias & vitæ sanctitatem. Hic Iudæos ab aula Flandrica proscripsit exegitque, defunctus sine hæredibus anno Salutis MCXXI, sepultus in Aede Christophori Brugis.

Igitur *Guilielmus Normandus* Comes Flandriæ XIV, vnicus Normanniæ hæres, qua prouincia per Henricum Angliæ regem priuatus fuerat, creatus est Comes anno MCXXVIII per Ludouicum Crassum Gallorum regem. Hic sub initio dominatus sui magnam præ se tulit lenitatē & modestiam. Confirmatum se autem videns in potestate, ex principe tyrannus euasit, quę morū mutatio interitū homini attulit. Ordines enim & Nobiles Flandriæ repudiato eo elegerū Dietericum Alsatiæ Comitem, filiū Dietherici Landgrauij Alsatiæ ex Gertruda Flādrica, filia Roberti Frisonis primi. Guilielmus armis hoc impedire volens, cæsus est ab aduersario, cum Aloſtam Vrbem obsidione cinxisset, quod accidit anno A N. C. MCXXIX. sepultus Bertinii.

Hic igitur *Theodoricus siue Dietericus Alsatius* à cūctis Ordinibus, Prælatis, Nobilitate & Populo in Comitem Flandriæ receptus, ostendit se Principem supra modum ingeniosum & prudentem, nec minus fortē ac bellicosum. quater enim in Palæstinam profectus, cum quinto ire eo constituisset, filio suo Philippo tradidit Principatum, quem & redux eidē reliquit, ipse Monasterium Vatenense, quod suis struxerat sumtibus, ingressus. Annos natus LXIX, mortuus est, qui fuit annus à natiuitate Domini MCLXVIII, sepultus in eo quod diximus Monasterio.

Cessione Patris adeptus Principatum *Philippus Alsatius* Cognomento *Magnus*, factus est Flandriæ Comes XVI, Princeps qui cum prudentia fortitudinem coniunxit, quique bis in Syriam profectus est, vt opem ferret consanguineo suo, regi Hierosolymitano. Mortuus procurāte vxore sua sepultus est in Templo summo Clareuallensi, nullis ex se relictis liberis, cum præfuisset Flandriæ annis XXII.

Decimus septim⁹ Comes Flandriæ fuit *Balduinus* VIII, Comes Hannonię & Namurcensis, qui, anno MCXCII successit affini suo Philippo Alsatio,

latio, quod Margaritam Sororem eius haberet in matrimonio : quanquam ipse quoque recta linea descenderit à Balduino Pacifico, cuius filius Arnoldus pulsus fuerat per Robertum Frisonem. Bellum huic fuit contra Dietericum Comitem Alostanum, contra Henricum Comitem Namurcensem, vt & aduersus Comitem Niuernensem. Excessit è viuis anno A N.C. M XCV. sepultus Montibus Hannoniæ.

Hunc secutus fuit *Balduinus* IX dictus *Constãtinopolitanus*, adeptus possessionem Hannoniæ & Flãdriæ anno Salutis MCXCIV, in quo Comitatus Flãdriæ rediit ad verũ iustumq; hæredẽ ac dominũ suum, qui fuerat iniuste possessus à Roberto Frisio suisque successoribus ab anno Christi MLXXII. cæso Arnoldo vero Comite Flandriæ in prælio Casselensi, profligatoque fratre eius Balduino, qui postea factus est Comes Hannoniæ. Fuit hic malo suo fato electus in Imperatorem Constantinopolitanum anno MCCV, captus paulo post à Bulgarorum rege & in Turciam missus. Sepultus est in Græcia.

Ferdinando, Sanctij Lusitaniæ regis filio, decimo nono Flandriæ Comiti nupserat Iohanna, filia maior Balduini noni, hæres & domina Flãdriæ, cui Ferdinando atrox conflatum est bellũ aduersus Philippum Augustum Gallię regem, in quo Ferdinandus captus est, deductusque in Arcem Parisiensem, in quo carcere fuit totis annis XII. Postremo liber factus paulo post expirauit anno A N.C. MCCXXXII.

Post hũc *Thomas*, filius minor Thomæ Sabaudiæ Comitis aliquãdiu præfuit Flandriæ iure ac nomine vxoris suę Iohãnę, mortuus sine liberis.

Iohanna autem fuit filia maior Balduini Constantinopolitani, nata domina Hannoniæ & Flandriæ, quæ anno MCXCV annum ætatis agebat septimum, fuitque sub tutela auunculi sui Philippi Namurcensis, donec nupsit Ferdinando Lusitano. Defuncta est hæc Iohãna anno Christi MCCXLIII. sepulta apud Margiettes iuxta priorem maritum.

Sorori Iohannæ mortuæ successit *Margarita* filia minor Balduini IX. Imperatoris Constantinopolitani, facta domina Flandriæ & Hannoniæ, post mortẽ prioris Mariti, qui fuit Bochardus Auenensis, prognatus ex antiqua & nobili comitum Hannoniæ familia. Hic cum Margaritæ propinquus & Tutor esset, captus pulchritudine & amore pupillæ, non obstante Ordine Ecclesiastico (erat enim Præpositus & Canonicus apud Insulas Flandriæ) imprægnauit puellã, quæ ex eo duos mares liberos peperit. Deinde nupsit Gulielmo Burbonio, Dampetræ & S. Desiderij dynastæ, ex quo suscepit filios tres vnamque filiam, quos mater prætulit duobus prioribus in successione Principatus, quod eos non legitimè procreatos diceret, vnde multæ mulieri obiectæ sunt difficultates & molestiæ. Constitutis autem Dampetræ filiis hæredibus mortua est anno A N.C. MCCLXXIX.

Post mortem matris Margaritæ *Guilielmus Dampetra*, facta transactione cum Iohanne Auenensi, fratre suo spurio, successit in Comitatu Flandriæ, factus Comes in ordine XXI. Hic susceptа Cruce cum Ludouico Rege in Syriam profectus, captus fuit à Turcis siue Saracenis, à quibus se ingenti persoluto lytro redemit. Dum autem domum repetit, moritur anno Christi MCCLI. sepultus in patria.

Huius frater *Guido Dampetra*, secundus Guilielmi Burbonij & Margaritæ Flandricæ filius princeps fuit magnæ virtutis & prudentiæ : sed in eo errauit, quod nimis se credidit iis, quos suos putabat esse amicos. Mortuus est in Carcere apud Compendium Vrbem, annum ætatis supergressus octogesimum, cum præfuisset rebus LIV.

Robertus III cognomento *Bethunensis*, Comes Flandriæ XXIII, princeps magnanimus & fortis, permisit Gallorum regi oppida Insulas & Duacum. Postea profectus in Siciliam cum Carolo Andegauensi Vitrico suo aduersus Manfredum, quem commisso prælio ipse sua manu interfecit. Hic idem occidit Iolantam Burgundã secundam suam vxorem, impacto magna vi in caput illius equi sui freno, quod porrecto veneno interemisset Carolum filium suum è priore matrimonio. Excessit è viuis ann. MCCCXXI in vrbe Iperensi, cum vixisset annos LXXXII sepultus in eadem vrbe in Aede D. Martini.

Successori huius *Ludouico Niuernensi* cognomen fuit Cressiaco, propterea quod occisus fuit in prælio Cressiaceno contra Anglos. Fuit autem filius Ludouici, Niuernensis & Retelensis Comitis, cui mortuo in vtroque dominio successit vt & in Comitatu Flandriæ Roberto Bethunẽsi auo suo paterno, non obstante, quod Robertus Castellanus patruus eius affectasset dominium Flandriæ. cum igitur Ludouicus anno MCCC XXII Roberto successisset, mortuus est anno Salutis MCCCXLVI.

Ludouicus Malanus à loco natiuitatis suæ ita dictus, filius vnicus Ludouici Cressiaci, adeptus est morte patris possessionem Comitatuum Flãdrici, Retelensis & Niuernensis anno MCCC XLVI, factus etiam post mortem proauisui matetni Comes Atrebatensis & Burgundiæ, vir bellicosus & inuicti animi, nimis tamen vindictæ cupidus. Hic cum præfuisset rebus anni XXXVIII, occisus est à Duce Biturigum, ob ne scio quas controuersias super Comitatu Bononiensi. Obiit diem suum anno A N.C. MCCC LXXXIV. sepultus Insulis Flandriæ.

Philippus Francicus cognomento Audax, filius fuit Iohannis Valesij, Gallorum regis, quartus in ordine, idemque Caroli V. regis frater: quorum dono factus est Dux Burgundiæ. Ducta autem in vxorem Margareta filia vnica & hæred ex asse patris sui Ludouici Malani, acquisiuit ei ea Flandriam, Brabantiam, Artesiam, Machliniam aliaque dominia. Magna fuit huius auctoritas per Galliam ob famam sapientiæ: Mortuus est anno A N.C. MCCCCIV, sepultus Diuione in Burgundis.

Successit huic *Iohannes* filius natu maximus ex

ex Margarita Flandrica, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ & Arteſiæ, Dynaſta Salynarum & Machliniæ, anno Salutis MCCCCIV. Vir ſtatura quidem breui, animo vero magno, qui Leodienſes grauiter afflixit: ipſe viciſſim cæſus dum tranſit pontem fluuii iuxta Montereum, quod accidit anno MCCCCXIX. cũ prouinciis illis præfuiſſet annis XV. Sepultus fuit apud Carthuſianos iuxta Diuionem in Burgundia.

Reliquit Iohannes moriens filium vnicum *Philippum*, qui ob admirabiles virtutes Boni cognomentum inuenit, factus Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ, Palatinus Burgundiæ, Dynaſta Salinarum & Machliniæ.

Hic vt mortem patris vlciſceretur, fœdus percuſſit cum Anglis, quæ res magnorum per Galliam bellorum cauſa fuit. Senſere huius vim caſtigati Gandauenſes & Leodienſes, vt & Dinantum ſolo æquatum. Adiecit ad ſuperiores, quos habebat Principatus Ducatus hos: Brabantiam, Lucenburgum, Limburgum, cum Comitatibus Hollandiæ, Seelandiæ, Hannoniæ & Namurci. Fuit eo tempore Burgundia in ſupremo honorum & opum faſtigio, cui illuſtrandæ vlterius inſtituit Philippus Ordinem Aurei Velleris, circa annum Dominicæ Incarnationis MCCCCXXIX. Deſiit viuere natus annos LX. XII. id eſt A N. C. M CD LXXVII. in Vrbe Brugenſi, ſepultus Diuione.

Huius filius *Carolus*, vnicus & legitimus Philippi Boni Hæres, omnium ſuperiorum prouinciarum factus eſt Dominus, Princeps potentiſſimus & bellicoſiſſimus, qui viuente patre auſus eſt exercitum ipſi Lutetiæ Pariſiorum admouere. Leodienſes, cum Epiſcopum ſuum eieciſſent, acri caſtigatione imperata facere coegit. Cum iam multos annos feliciter regnaſſet, & non vnum bellum ex ſententia confeciſſet, redacto etiam in ordinem Francorum rege, ad extremum tria prælia aduerſa fecit. Primum ad Morat um in Heluetiis; alterum ad Grangium itidem in Heluetiis: tertium apud Nanceium Lotharingiæ, vbi ipſe quoque trucidatus fuit: anno A N. C. MCDXLVI. ſepultus Brugis in Baſilica Beatæ Virginis.

Huius filia vnica & hæres, *Maria Burgunda*, nupſit Maximiliano Auſtriaco, Friderici III. Imperatoris filio, contemto Ludouico vndecimo Gallorum Rege. Hunc Maximilianum poſtea cepere Flandri Brugis, eumque per nouem menſes captiuum detinuerunt. Cum autem Pater eius Fridericus Imperator grandem colleſſet ad liberandum filium exercitum, vim eius metuentes Brugenſes, Maximilianum dimiſerunt, qui longo tempore poſt mortuus eſt in Germania anno nempe Chriſti nati M D XIX. ſepultus Neoſtadii in Auſtria.

Huius Maximiliani, qui Imperator & primus fuit eius nominis, filius *Philippus* ex Maria Burgũda adeptus eſt plenã poſſeſſionẽ omniũ Prouinciarũ quas auus Carolus & mater Maria obtinuerant, anno Chriſti MCDLXXXII, puer adhuc ſub tutela conſtitutus patris ſui, quo tẽpore Flandria multas perpeſſa eſt aduerſitates. Etſi autem hic princeps adoleſcens admodum erat, ante annos tamen mentemque animumque oſtendebat virilem, mortuus in Hiſpania non ſine ſuſpicione porrecti veneni anno A N. C. MDV, viuo adhuc patre, tumulatus apud Granatam.

Philippi huius filius maior fuit *Carolus*, Dux Burgundiæ Belgarum Princeps, hic ſucceſſit patri in omnibus Principatibus & dominiis, poſtea etiam Imperator factus. Huius facta commemorare non eſt præſentis inſtituti.

Mortuus eſt *Carolus* V. in Hiſpania anno MD LVIII. ſepultus Granatæ.

Reliquit Carolus vnicum filium *Philippum*, natum a. d. XXI. Maij menſis anno A N. C. M D XXVII. Tradidit huic Pater viuus etiam, omnes in vniuerſum Germaniæ Inferioris Prouincias, cum annum ætatis ageret XXII. id eſt anno Chriſti MDXLIX. Hic poſt mortem patris ſui varios miſit in has Prouincias Gubernatores, qui cum diuerſiſsime tractarent populos iſtos, nata ſunt per vniuerſum Belgium exitioſa bella, partim ob Religionem, partim ob imminuta Ordinum Priuilegia: eo quidem euentu, vt pars prouinciarum ſe ab illius ſubtraxerit obedientia, inito inter ſe ad defenſionem fœdere. Philippus Rex declinante iam ætate circa annũ Salutis MDXCVIII. tradidit in dotem filiæ ſuæ maiori Iſabellæ Claræ Eugeniæ, omnes Inferioris Germaniæ prouincias cum Comitatu Burgundiæ, cum illa nuberet Alberto Archiduci Auſtriæ: ipſe defunctus eſt vita a. d. XIII. Septembris an. A N. C. MDXCVIII. cum annos vixiſſet LXXII.

Igitur *Albertus Archidux Auſtriæ* eiuſque coniux *Iſabella Clara Eugenia*, vi ceſſionis ſiue traditionis, quam poſtea inſeremus, apprehenderunt poſſeſſionem Prouinciarum Belgicarum, quæ quidem ſub imperio Philippi fuerant, conſentiente Philippo III. Hiſpaniarum rege; conati omniũ primo rationibus pacis ſeparatas à reliquo corpore rurſum ad officium reducere Prouincias, vt hoc Archiducis teſtantur litteræ. Quod cum minus ſuccederet, ventum eſt ad vim & arma. Poſt longum nouem annorum bellum, intercedentibus Gallo & Anglo regibus, induciæ factæ ſunt in annos XII. quæ exſpirauerunt anno A N. C. MDCXXI.

DE PROVINCIIS INFERIORIS GERMANIÆ CONFOEDERATIS.

SVMMA CAPITA.

1 *Quas terras quasue regiones vnitarum Germaniæ Inferioris Prouinciarum Ordines nostra tempestate obtineant.*

2 *Situs Seelandicarum Insularum & aliarum in vicinia, earum limites, magnitudo, Ambitus.*

3 *Hollandia, eius præcipua oppida; inter quæ primo loco Amsterodamum.*

4 *Ducatus Geldriæ & eius oppida.*

5 *Regio Transisulana.*

6 *Prouincia Vltraiectensis.*

7 *Frisia vtraque Orientalis & Occidentalis.*

8 *Ager & Vrbs Groningensis.*

9 *Aër Seelandiæ & Hollandiæ qualis. Præstantia pabuli in his prouinciis: frequentes terræmotus in Hollandia. Quod sit ingenium, qui mores horum populorum, & vicinorum. Hollandi plerique quadrati & vasto corpore.*

10 *Ingentes diuitiæ prouinciarum harum ex mercimoniis quæ mari exercent, vt & ex re pecuaria & pistatione. Commendatur frumentum Seelandicum & Equi Frisci.*

11 *Fortalitia atque munimenta, qua nostro euo confœderatæ prouintiæ in Belgio obtinent.*

12 *Quæsit ratio Gubernationis & Politiæ in hac Republica, tam in iis quæ rem marinam quam terrestrem concernunt. Modus conuocandi Status siue Ordines: de rebus in medium propositis quæ haberi soleat deliberatio. Consilium Status harum prouinciarum. quibus constiterit Senatoribus & aliis Magistratibus anno A N. C. MDC XX.*

13 *Ordines Hollandiæ qui. ratio conueniendi, quibus Vrbibus oppidisque locus sit in Comitiis. Causæ ob quas Ordines conuocari possint. Consilium Magnum: Camera computorum: moneta Hollandica.*

14 *Ordines Seelandiæ, quæ in eorum numerum veniat oppida.*

15 *Prouincia Vltraiectensis & quæ sint eius membra.*

16 *Dominium Frisiæ in quatuor partes diuisum. Vbi conuenire soleant.*

17 *Prouincia Transisulana constans tribus Iurisdictionibus.*

18 *Ratio Politiæ ciuitatis Groningensis: Ommelandia Insula & iurisdictiones Campestres distributæ in tres partes.*

19 *Religionem quam sequantur confœderata prouincia; quando abiecta Romana Religione Caluini dogmata sequi caperint.*

20 *Quibus conditionibus induciæ factæ fuerint anno A N.C. MDCIX inter Albertum Archiducem Austriæ, & Ordines Confœderatarum Prouinciarum inferioris Germaniæ.*

21 *Genealogia Comitum Hollandiæ, Seelandiæ, & Dominorum Occidentalis Frisiæ.*

CVm omne id, quod hoc tempore confœderatarum inferioris Germaniæ Prouinciarum nomine comprehenditur, quandam Rempublicam constituat: cumq; tam Rex Hispani quam Albertus Archidux cum iis egerint atque pacti sint, vt cum absolutis dominis; visum est eum in his regionib. describedis obseruare atque sequi Ordinē, qui in Republica obseruari solet. Initio igitur facto ab enumeratione regionum quas illi obtinent, deinceps progrediemur ad singularum descriptionem.

Possident igitur Ordines isti nostra tempestate totam Seelandiam, Hollandiam, Vltraiectinum Episcopatum, Agrum & vrbem Groningensem, Transisulanam regionem, Comitatum Sutfaniensem & tres quadrates Ducatus Geldriæ, cum nonnullis particulis Brabantiæ Flandriæque: quæ regiones omnes pecunias suppeditant ad præsens bellum.

Insulæ quidem *Seelandicæ* cum circumiectæ sitæ sunt intra ostia fluuiorum, Mosæ & Scaldi quæ circumscribuntur his finibus: ab Aquilone Hollandia, ab oriente Brabantia: à Meridie habent Flandriam; ab Occidente Mare Germanicum.

Insulæ Seelandicæ numerantur VII, ex quibus tres sunt vltra ostium fluminis Scaldis versus Brabantiam & Orientem, quæ ob eam causam nominantur Orientales, & appellantur his nominibus: Scaldia, Duuelandia & Tolenia. Quatuor cis Scaldim Occidentem versus, nempe Walachria, Suitbeuelandia, Norbeuelandia & Wolferdycka.

Insularum vltra Scaldim maxima & prima est Scaldia, quam indigenæ vocant, *Land Van Schouen*, cuius ambitus nunc est VII. mill. olim tamen maior fuit, distinguiturque exiguo freto à Noorbeuerlandia. Præcipua eius oppida sunt *Zirizea & Brauershauia*. creditur autem Zirizea omniu Seelandicarum vrbium antiquissima, quæ extructa fuit circa Annum Domini MCCXLIX, per quendam *Siringum*. Nobilis hæc di fuit mercatu omnium rerum, propter celebre portum frequentiamque aduenarum. At nun obstructo arena Portu, multum de antiqua gl ria amisit. *Brauershauiam* piscatores incolunt, q mari victitant.

Duuelandia à columbarum frequentia Ger manico Idiomate sic appellatur. patet eius cir cuitus millibus passuum quatuor. In ha nulla oppida sed multi pagi sunt & vic

Hæ

Hæc anno A N. C. MDXXX. Oceani fluctibus obruta fuit, cum magna mortalium iactura; sed aggeribus confirmatis excluſoque mari, haud multo poſt damnum illud compenſatum fuit. *Tolenia* Brabantiæ contermina eſt, exiguo freto ab ea diſtincta. Vetuſtum eſt in hac oppidulum, eiuſdem cum Inſula nominis, à quo non longe abeſt locus peramænus, Agger Martini dictus.

Cis Scaldim ad Occidentem primaria Inſula eſt *Walachria*, obuerſa ab ortu Brabantiæ, à Meridie Flandriæ, ab Aquilone Batauiæ, ab Occaſu Britanniæ. Hæc omnium Selandicarum Inſularum caput, decem in ambitu milliaria complectitur. Vrbes in ea ſunt, *Middelburgum, Fliſſinga, Arnemuda, Veria*: pagorum autem hic numerus negens. *Middelburgum* vrbs eſt ampla & elegans, publicis priuatiſque ædibus exculta, inprimis Curia ſiue domo Senatoria, quam ciues quotidie ferme reddunt elegantiorem. Plateæ in ea ſunt rectę & compita adſpectu amæna. Byrſa, ſiue locus in quo ſingulis diebus mane Mercatores conueniunt, miræ pulcritudinis eſt: Portum habet ſecurum atque commodum: & vt vno verbo dicam, eſt omnium Selandicarum vrbium prima, atque emporium negociatorum frequẽtiſſimum celeberrimum.

Fliſſinga oppidum eſt non antiquum, ſed firmum ac potens in mari, quod primum ſe offert nauigantibus à Caleto ſiue portu Iccio. Hoc item cum vicino oppido Briela Ordines pro certa quadam pecuniæ ſumma pignori dederunt Reginæ Angliæ Eliſabethæ: tenuitque rex Anglorum hactenus eam vrbem conſtituto ibi Gubernatore, cum præſidio militum.

Arnemuda portum habet non incommodum, oppidum tamen oppidum inops eſt & exiguum. Quinque anni ſunt, cum omnes, qui in Hollandiam nauigare voluerunt, iuſſi ſunt Arnemudæ naues aſcendere, vt ea viatorum frequentia aliquis quaſi ſplendor redderetur, quẽ olim habuiſſe putatur.

Veria ſiue *Campoueria* nomen habet à traiectu, muro cincta eſt anno MCCCLVII. ex quo cœpit eſſe Scoticarum mercium Emporium.

Walachriam ſequitur *Suitbeuelandia*, quæ latiſſimo verſus Brabantiæ oras tractu portenditur, tametſi paucis ab hinc annis maximam partem paſſa, dimidio ſit anguſtior. Ab hac vi. olim auulſa ciuitas non ignobilis *Romersvvalda*, quam nullis excultam agris, nullis exornatã ædificiis Oceanus vndiq; alluit, vnica ſalis negotiatione ſubſiſtentem. In hac Vrbe Selandiæ Comites ſolenne iuramentum præſtare ſolent. Huius Inſulæ parte Occidentali ſita eſt *Goeſa* ciuitas ad oſtium vnum Scaldis, quod *Scengam* dicunt: oppidum non tam amplum quam amœnum, vnicumque in ea Inſula.

Northbeuerlandia oppidum habet *Cortgenam*, paſſim permultos. Tota hæc Cataclyſmo anno MDXXXII. periit, nunc tamen paulatim reſtituitur. *Wolferdycka* parua eſt, & in qua duntaxat pagi ſunt. Decem igitur ſunt Seelandiæ vrbes, & pagi centum vel etiam plures.

Hic Comitatus Seelandiæ multum bellis pertulit calamitatis, pleriſque oppidis vel armis vel fame perdomitis: poſtremis tamen annis denuo emerſit caputque exrulit, aucta negotiatione, populo, nauibus, quod ſignificat vſitato ſuo Lemmate. *Luctor & Emergo*.

Hollandiam à Plaga Mundi Occidua Mare Britannicum, à Septentrione Cimbricum ambit & littora pulſat: ab ortu Solis Fretum amplum Friſiam procul aperit, ad Euronotum Tranſiſulana & Velauia, ad Auſtrum Traiectina ditio obtenditur. Ambitus eius ad LX. milliaria extenditur, latitudo perexigua eſt, quandoquidem à meditullio eius creditur viatori patere aditus ad extremos fines in latum trium horarum ſpacio: vel etiam hinc ad Oceanum, illinc ad maris ſinum latitudo vix æquat Milliare vnum. Vrbes præcipuæ ſunt: *Dordracum, Harlemum, Delfi, Lugdunum ſiue Leyda, Amſterodamum, Gouda, Naerdenũ, Muda, Weſopum, Edamum, Monachodamum, Purmerenda, Alemaria, Armeria, Enckhuſa, Horna* & aliæ nonnullæ. *Dordracum* totius Hollandiæ vrbs primaria eſt, facies eius oblonga magis quam lata, plateas primarias longas habens duas, præter minores tranſuerſas, quæ omnes ſunt elegantiſſimæ. Templum eſt in ea vrbe perelegans, & domus Hoſpitalis pro læſis truncatiſque bello militibus, vbi eorum, vt & cæterorum ægrorum habetur ratio exquiſitiſſima. *Harlemum* amplitudine & ædificiorum cultu atque amænitate ſitus nobile eſt. Aedes Sacra in eo totius Hollandiæ pulcherrima, foro imminens. *Leyda* ſiue *Lugdunum Batauorum*, vt Plinius & Ptolemæus appellant, vrbs eſt ſita ad medium Rheni Oſtium. *Amſterodamum* nobiliſſimum hodie totius Orbis Emporium, cuius domus prope omnes palis humo infixis inædificatæ ſunt, vt in Venetiarum vrbe. Hanc ante annos CCXC circiter Giſelbertus Amſtelius communiri propugnaculis, portis ac turribus fecit: quę vbi vicinorum inuidia omnia conflagrauerunt, muro cingi cæpit anno Chriſti MCCCCLXXXII. In hac vrbe ſtabulantur non ſolum Germani, Itali, Hiſpani, Luſitani, Britanni, Scoti, Galli, Sarmatæ, Cimbri, Sueci, Norvvegij, Liuones, verum etiam Indi Orientales & Occidentales, Mauri, Perſæ ac Æthiopes. *Gouda* ſita ad Iſulam, vrbs copioſa & omnibus rebus affluens. 3.

Inter Municipia primo loco dicenda venit *Haga Comitis*, in quo Sanctiori Principis & ordinum Conſilio locus eſt. Fuit autem Hollandia initio belli Belgici grauius afflicta quam vlla alia Prouincia: oppida enim fuere obſeſſa, partim capta, exuſta, homines ab Hiſpanis excarnificati, poſtremo infinito numero trucidati. Vbi autem ſuperatis propulſiſq; tantis malis quieuẽ à bello ſibi peperit, valde creuit proſperitate & diuitiis, & oppida proferre pomœria cæperunt, aucto in immenſum populo, & multiplicato nauium numero, vt huic prouinciam ſimilem in vniuerſo

orbe

orbe frustra sis quæsiturus. Totum enim mundum nauibus suis perlustrant, florent mercimoniorum frequentia Hollandi, vt documento sunt oppida, Amsterodamum, Roterodamum, Enchusa & pleraque alia.

4. *Geldria* à Septentrione Frisiam & Sinum Maris Germanici, vulgo *die Zuyderſee*: ab Ortu Cliuiæ Ducatum: à Meridie Iuliacum attingit: Brabantia & Hollandia eam ab Occidente adspiciunt. Ducatus hic Vrbes complectitur XXII, inter quas primi ordinis sunt *Nouiomagum, Ruremonda, Sutfania & Arenacum. Nouiomagus* siue *Neomagum* vrbs est antiqua, sit ad sinistram Vahalis ripam, cuius eo loco profundissimus est alueus: qua agrum Cleuensem respicit, in arduum collē assurgit, Cętera plana sunt. *Ruremonda* ad Ostium Ruræ amnis, qua se is in Mosam exonerat, vrbs est amœna, diues potensque. *Sutfania* ad dextrā Isulæ ripam Comitatus titulo insignis. *Arenacum* Taciti hodie *Arenhaimium* dicitur ad dextrum Rheni ostium sita est.

Cęteræ vrbes atque oppida, etsi contemnenda nequaquam sunt, minoris tamen videntur considerationis; cuiusmodi sunt Hattenum, Elburgum, Harderwicum, Wageninga, Tiela, Bomelium, Bronchorstum, Dotecomum & alia nonnulla. Et hæc prouincia multum infortunij sustinuit; plęraque enim oppida, quæ maioris momenti sunt, obsessa, capta, dispoliata fuere, vnde non eadem potest esse huius quæ cęterarum Prouinciarum fælicitas. Possidet autem in Geldria quædam Hispanus.

5. *Transisulana* regio habet à Septentrione Frisiam Occidentalem; à Meridie Geldriam, ab Oriente Westphaliam, ab occidente Sinum amplissimum (*Zuyderſee*) & Isalam fluuium. Vrbes in ea potissimæ sunt hæ, *Dauentria, Campena, Suolla, Steinwvickum, Vollenhouen, Hassela, Outmarsia & Oldensiela. Dauentria* primaria est & maxima, Vrbs rerum omnium copia circumfluens, ad dextram Isalæ ripam sita. De reliquis pro dignitate dicere, institutа breuitas non patitur.

6. Prouincia Vltraiectensis adeo longè lateque non patet, vrbis tamen Traiectensis pulchritudine gloriari potest. Habet ager Vltraiectinus à Septentrione Hollandiam, ab occidente Geldriam. Ciuitates principales habet V. *Vltraiectum, Amersfortum, Rhenam, Montemfortem & Durstadium.* Est ciuitas Vltraiectina, caput huius regionis vrbs ampla, & supra modum elegans, in qua magna pars Nobilitatis Batauicæ commorari solet. Sustinuit hæc Prouincia ab Albæ Duce & Hispanis maiores calamitates quam vlla alia, labefactata insuper intestinis discordiis: postquam autem cum reliquis se fœdere coniunxit, recepit paulatim pristinum vigorem atque decus, creuitque felicitate beneficio mercimoniorum.

7. *Frisiam Occidentalem* à Septentrione & occidente Oceanus ambit & littora pulsat: à Meridie Sinu amplissimo, vulgo Zuyderſee, & Transisulana prouincia terminatur: ab Ortu Solis Amasi fluuio à Westphalis discriminatur. Vrbes Frisiæ præcipuę sunt *Leouarda & Groninga*: quamuis huius ager peculiaris prouinciæ nomine censeatur. Orientalis Frisia non est huius loci, nisi quod *Embdana* ciuitas cum Ordinibus Batauis infœdere est. Habent in Frisia Hispani quædam exigua oppida, *Lingam & Oldensielam*, quæ tamen munita satis sunt, & præsidiis custodiuntur.

Groninga cum agro vicino multum etiam belli afflicta fuit, ipsa vrbe obsidione capta & tota vicinia deuastata. Nunc vero beata fruitur quiete, nisi quod exactionibus bellicis exhauriuntur ciues, agro continuo infestato & ad contribuendum argentum coacto à præsidiariis Hispanorum in Lingen & Oldensiel, vt agrestes recuperare pristinas vires nondum possint.

Etsi autem cum Frisia tum cęteræ prouinciæ confœderatæ maximis tam diuturno bello quassatæ sunt claudibus, meliore tamen loco res eorum est, quam earum quæ Hispani subsunt dominio, quod mare habeant liberum & apertum, magno vtantur nauium numero, in toto quę septentrionali Oceano & mari Balthico dominentur: quod insuper abundent populo, qui ex aliis seruituti subiectis locis totis agminibus eo confluit, partim vt ibi laborent manibus aut negocientur, partim vt libertate religionis citra metum fruantur. Plerosque etiam allicit nauigandi inde in omnes Orbis partes commoditas, vt ignaros rei in admirationem rapere possit rei nouitas, possitne fieri, vt bellorum occasione prouinciæ, quarum alioquin atrocissimus Mars hostis est, ad summum potentiæ & felicitatis culmen conscendere queant, quo tamen in his regionibus clarissimè perspicimus, non ex hominum duntaxat diuitiis, sed & amplificatione vrbium, splendore ædificiorum, multitudine munimentorum & fortalitiorum.

Natura & proprietas harum regionum.

Aëre Seelandia fruitur non admodum bono nec tam salubri vt vicinæ regiones, præsertim cum Sol æstate calet, quod multi ibi sint lacus & aquæ stagnantes, in quibus in putredinem conuersus aër in halitus & vapores noxios degenerat, accedente etiam alia causa, quod Zelandi paucas habeat arbores: in hac tamē aëris inclemētia hoc boni habet, quod raro ibi laboretur pestilentia aliisque morbis contagiosis. Solū hic pingue est & valde fœcundum, vbi & maiori ponderis triticum & ampliore prouenit copia quam in vicinis partibus. Lauros hic videre et valde proceras & herbarum innumera genera non ad pabulum pecori sufficiendum duntaxat sed & ad medicinā vtiles, & culinam. Vberrimi hic saginando pecori pascua, non solum intra ex porrectos aggeres ac ambitus, sed & in ipsi Oceani crepidine, in quib. oberrant pecudū aliquot myriades. Fructus arborei hic magna lætitia non proueniunt solum sed & miteſcunt, præterea sola

solas vuas, quæ raro ad maturitatem perueniũt. Neque vero hic sunt vites, nisi in fornicatis hortulanorum artificio cameris, vbi botri citius putrescunt quam matureſcunt.

Hollandici soli ea est natura, vt non raro tremat sub impulsu curruum equorumue, quod indicio est, terram cauam penitus atque subtus cauenosam esse, accedente exemplo, quo aiunt, Vaccam in specũ subterraneam delapsam, post triduum in mari mortuam repertam fuisse. Sed & pars quædam Hollandiæ Germanico idiomate dicitur *Waterlandia*, id est terra intra aquas sita. Distinguitur autem humus permultis canalibus artificioſe de loco in locum deductis, vt & non paucis stagnis lacubusque: cumque dicatur olim syluis nemoribusque plena fuisse, hodie paucas habet arbores, ob nimios sine dubio humores.

Aëre perflatur tenui & salubri, cuius bonitatem humiditas tollere non potest, ob ventos, qui ibi fere flant quotidie, & ingentem hominum numerum. Terra Hollandica adeo humilis est & depressa, vt multis locis aqua videatur assurgere altius, qua de causa ab omni parte aggeribus firmissimis littora muniuntur.

Frumentum profert fructusque arboreos, pauciora tamen omnia, quam vt tantę multitudini hominum sufficere possint. Lini multis locis ferax est, in primis vero prope vbique pabulum, vnde ingentem vim pecudum alunt, inque primis boum & equorum.

Regio *Transisulana* gaudet plerisque in locis solo fertili, vnde præter res cæteras egregium profert triticũ. Eadem vel maior etiam pinguitudo soli est in *Geldria*, vt huc mittantur macilenti boues, quo pinguescãt, præsertim è Dania, cuius terra aridior est. In agro *Vltraiectino* qua Vianam versus & Arenacum, nihil nisi triste ac fabulosum occurrit, in aliis tamen partibus satis prouenies solum: in aliis tamen partibus satis prouenit rerum necessariarum, quod melius colatur & seratur, nec sit adeo depressa terra aut humida vt in Hollandia.

Frisia regio est abundans, crebris vda paludibus, in pratis tamen quæ innumera habet, plurimum alit pecoris. Vtũtur hic terræ quadam specie, vel potius cespite fossitio, quo sole & ventis siccato vtuntur ad nutriendum ignem quo lignorum inopiam largiter farciunt. Parum hic nascitur frumenti, quod terra nimis depressa, inprimis qua in mare excurrit, ab initio Auctumni vsque dum ver incipiat, prope tota lateat sub aquis: quæ etiam causa est, quod oppida & villæ non nisi in tumulis aut locis editioribus structa visantur, bonisque circummunita aggeribus. Ex lacte tamen & ingenti pecudum numero tantum conficiunt Frisij argenti, vt inde frumentũ, vestes & ligna emere ab extraneis possint. Gignit hæc boues præstantissimos, quosque hic communiter maiores inuenies, quam in tota Europa: nec non equos, robusto & quadrato corpore, quos magno precio vendunt exteris. At *Frisia Occidentalis*, præterquam quod Occidentali in nullo cedit, ne in generandis equis quidem nobilibus, producit solo insuper plurimum frumenti, leguminum atque salis, abundantibus syluis magno ferarum numero ad venationem.

Mores harum gentium.

Perhibentur *Selandi* ingenio esse bono, prouidi & solertes; statura vulgo sunt mediocri, quanquam Belgarum Annales referãt, Guilielmum Hollandiæ Comitem ad nuptias Caroli Pulchri Gallorum regis misisse mulierẽ Seelandicam tam immanis proceritatis, vt cæteri homines ad eam collati nani vel pygmæi videri potuerint: cui mulieri insuper tantum fuisse roboris aiunt, vt singulis manibus singulas cereuisiæ tonnas portare potuerit, & prægrandem leuare è terra atque humeris ferre trabem, cui ceruicib. subeundæ vix octo baiuli sufficerint. Expertissimi sunt Selandi in arte nauigandi, & in re œconomica munditiei mirè studiosi. Ad rem insuper attenti, quos non facile deceperis in exercenda mercatura. In ratione cibi & potus nihil differunt à cæteris Germanis inferioribus.

Vulgus Hollandorum fere maiori corpore conspicitur, quam cæteri per Europam mortales; mulieres vt plurimum forma non contemnenda, quanquam flos ille elegantiæ nõ diu duret, nec tam sit illecebrosus, quam mulierum Anglicanarum. Si ebrietatem excipias, cui gens ista more omnium Germanorum nimis fauet, satis ciuiles in conuersatione reperientur Hollandi. Vrbes optimis regũtur legib. & consuetudinib. Seruant adhuc Batani veterẽ animositatẽ & ferociam, celeres ad cõserendam manum, vt qui prouinciam incolãt opulentã, nullius seruitutis timentes, potentes terra marique.

Geldri & Sutphanienses postremi fuerũt, qui sub Romani Imperij iugum colla submiserunt: iidemque primi, qui declinante Imperio colla seruituti subtraxerunt.

In *Vltraiectina* Ciuitate magnum nobilium hominum inuenies numerum, qui præ cæteris vrbaniores sunt. Nobiles fæminæ vestitũ æmulantur mulierum Gallicanarum, nisi quod longo velo nigro non totum duntaxat corpus, sed & faciem operiunt. Politissimi autem omnium Hollandorum sunt Vltraiectenses & Hagienses.

Frisiorum terra hominibus plurimum abundat, animosis illis quidem & robustis, vt multorum est sententia. quanquam nõ desint, qui maiorem in iis desiderent pugnandi ardorem, cum ad manum ventum est. Abhorrent autem nescio quomodo à præliis & conflictibus apertis. Fastus eorum & superbia exteris vix ferenda odiũ genti conciliat. Sunt in his non pauci mercatores, satis industrij. Oderunt extremè crimen Adulterij, amatores Libertatis maximi.

Opes horum populorum & diuitiæ.

Oportet sanè harum Prouinciarum non exiguas esse facultates, ob ingentes ac varias negociationes, quas mari exercent, in omnibus 10.

prope

prope totius Orbis littoribus. Vt enim de priuatorum commodis, quæ inde percipiunt incredibilia, nihil dicamus: constat, nihil mercium in Hollandiam inferri posse, quod non graue persoluat tributum & vectigal; in quemcunque tãdem Portum appellant naues. Cæterã Hollandorum opes consistunt in bonitate pascuorum, in quibus alunt ingentem numerum equorum, boum vaccarumque, quæ tantum fundunt lactis, vt fama sit, ex Butyro & Caseo Hollandos quotannis percipere Millionem auri. Præterquam enim id, quod in tam populosa prouincia absumitur, plurimum exportatur in superiorem Germaniam, Angliam, Galliam & Hispaniam. Multum insuper lucri percipiunt ex Rubea Tinctoria, quam ipsi vocant *Medecrappen*, quæ necessaria in tingendis pannis, vt colorem penitus combibant. Quantum ex captura piscium percipiant argenti, dici vix potest. Sed de emolumẽto, quod ex nauigationibus longinquis hauriũt, præstat tacere quam loqui, cum omnem fidem superet, quantum hic sit nauium omnis generis, tam mercatoriarum quam militariter instructarum. Et nauigationibus quidem tribuendum est, quod Hollandi, in qua non sunt vites, nec crescit linum neque sunt syluæ, tamen abundent vino, telis lineis & lignis adstructuras nauium & ædificiorum. Minora mercimoniorum genera, quæ soleis artificum manus fabricat, omitto: ex equis vero ac bobus diuenditis quod percipiunt lucrum non est exiguum.

Gignit & Seelandia *Medecrappen* siue rubeam tinctoriam, eamque variis Europæ gẽtibus submittit, magnamque insuper vim Coriandri. Pecorum hic ob pabuli vbertatem tanta vis, vt ex iis diuenditis ingentes opes colligant, magno pecuariorum emolumento. Hæc enim armenta non maiora duntaxat sunt quam alibi, sed & carnes eorum suauiores, ob nescio quam herbã occultam ad nutriendum saginandumque vim. Potissimæ tamen Seelandis affluunt diuitiæ à mercimoniis, quæ sunt apud Middelburgum vrbem frequentissima; reipublicæ vero opes consistunt in tributis atque vectigalibus, quæ ab omnibus mercibus nauibusq; exiguntur, quotquot Portus marinos intrant.

Nouerunt hæ gentes singulare excoquendi salis nigri artificium, quem coniectum in prægrandes lebetes tantisper excoquunt, vt niuis candorem profiteatur. Super salem enim crassum atque rudem, qui ex Hispania vel Britannia minore ad eos affertur, infundunt aquam marinam, atque ita ex centum libris Salis Hispaniensis conficiunt libras CXLV. Salis albissimi purissimique, quem vendũt in Angliam, Daniam, aliasque Orbis Christiani prouincias. Quin & negotiationi Frumentariæ hic suus est locus, cum Seelandia ferat Triticum, quo nusquam gentium candidius aut magis ponderosum inuenitur.

Frisij equos suos per totam vendunt Europã, qui ob robur corporis apti sunt ad ferendos Cataphractos siue Hoplomachos, & ad trahendã ingentia onera. In cæteris eadem fruuntur sorte & sali beneficentia, qua cæteræ prouinciæ, de quibus cum insuperioribus dixerimus, superuacaneum est hic multa repetere. Istud duntaxat monebo, ex eorum oppidis satis colligi posse, quod nulla destituantur commoditate, accedentibus diuturnis, quæ contra validissimum hostem gesserunt, bellis, quæ de eorum potentia loquentes dicunt testimonium, quamquam & exterorum Principum, inprimis Reginæ Angliæ & Principum Germanorum vsi fuerint opportunis auxiliis.

Robur Prouinciarum Militare.

Difficile est iis persuadere, qui non corã oculis rem sunt arbitrati, quam munitæ & aduersus omnem vim naturæ beneficio & artificum industri custoditæ sint confœderatæ hæ prouinciæ. Nam primum Selandia ex omnibus partibus mari cincta est, cuius litrorum ea est natura, vt impossibile sit appellere nauibus, si nolint incolæ. Et *Flißinga* quidem oppidum tribus partibus Oceano pulsatur, in cuius mænib. ea est vis tormẽtorum bellicorũ, vt quamuis magnã classem inde arcere possint. Et hoc quidem oppidum omnium primum fuit, quod Hispano regi negauit obædientiam, cuius exemplum secuti cæteri conclamato ad libertatem, arma corripuerunt excusso exterorum dominio: ea quidem prosperitate & euentu, vt harum Prouinciarum Ordines egerint atque pacti sint cum Rege & Archiduce, vt absolutos à superioris dominio agere par est, qui & pro talibus in postremis inducijs habiti agnitique fuerunt.

Mittelburgum munitum est satis: at Castrum *Ramekens* inter firmissima numerari meretur quę vspiam occurrunt. In *Hollandiâ* videbis *Dordracum* quod oppidum vndique maris fluctibus alluitur. *Roterodamum* munimenta satis defendunt, nec minus cõsideratione dignum videtur *Gortomium*. *Vltraiectum* firmius sit an elegantius dubitare possis.

Geldria *Neomagum* iactat, vrbem natura & manu munitissimam: cui non multum cedit *Arenacum*. *Sutfania* munitiones etsi contemnendæ non sunt, ad priorum firmitatem tamen non accedunt. In Transisulana regione *Dauentria* caput extollit, quamuis longam grauemque obsidionem sustinere potis. Idem quoque de *Groninga* Frisiæ dici potest.

Non video quem sim narrandi inuenturus finẽ, si omnes, quotquot sunt in his prouinciis persequi vellem munitas vrbes & arces: non tamen omittendum est ingens illud *Munimentum Schentzki*, quod expugnari non posse iudicatur, incluſum intra Vahalim & Isalam fluuios, vt & fortalitium *S. Andreæ*. Hoc nobis dixisse sufficiat in vniuersum Prouinciis istis ita munitionibus prospectum esse, vt vel maximæ validissimæque copiæ eas occupare conatæ, non multũ sint effecturæ, etiamsi quam plurimũ libertatem per-

rdantque temporis. Nec parum ad firtatem earum facit, quod totas possint inunre prouincias, perfossis aggeribus, quibus mai fluctus cohercentur, præsertim in Hollan-, si ad extremam tegulam, vt aiunt, deuenn fuisset.

De copiis militarib. constat ordines semper gnos in procinctu habuisse exercitus, si belngereretur, nec parua in finib. militum præa, inq; ipsarum regionum meditullio. Quid em de viribus marinis dicemus, cum nulla io orbis terræ plus classe valeat, & maiora deauerit in mari facinora quam hæ? Sed non ra verba à nobis exiget, qui considerauerit, m longum & difficile bellum hæ gentes cõporetissimum Hispanorum regem hactenus erint, qui videns ingentes se facere pe pe argenti & militum iacturas, nolens volens iis ad pacis media condescendit, coactus per in quam plurima eorum consentire pota.

DVS ET RATIO GVBERNATIONIS.

Omnia confœderatarum Inferioris Germa-Prouinciarum negocia, siue de pace siue de ō, tam terrestri quam marino, deliberandū el de legationibus mittendis, aut ineundis exteris Principibus fœderibus, & quicquid muniter ad salutem Reipublicæ facit, delintur atq; expediuntur per ordines, siue vt o appellantur, STATVS GENERALES Proiarum. Sunt autem hi ordines siue status ānihil, quam congregatio præcipuorum ex ilitate, Magistratib. & Primorib. ciuitatum, aquaq; prouincia siue districtu. Sortiuntur lines particulares cuiusq; Prouinciæ inter guntq; eum numerum virorum, qui necess videtur, quib. dant potestatem & auctorin plenariam, vt possint cum cæteris sententerre atq; decernere in omnib. rebus, quæ liberationem veniunt, inprimis de Salute ublicæ. In hac ordinum Generalium conrione proponuntur negotia, feruntur suf, fiunt decreta, non secundum numerum orum, sed pro modo prouinciarum. Sunt n nostra tempestate Prouinciæ VII. I. Gelum Comitatu Sutfaniæ, II. Hollandia. III. ndia. IV. Vltraiectinus ager. V. Frisia. VI. sisulana: VII. Groninga cum Ommelan-

n hoc ordinum Generalium Consilio è sucis prouinciis, proponitur negotium, & guntur viritim sententiæ, habentq; Consipotentiam ab ordinibus Generalib. super one & præsentatione, quam vnaquæque ncia pro se facit, accedente iuramento fitis ex legibus & formula præscripta. Erat n hęc Generalis congregatio statuum anno C. M D C. composita ex omnium Prouinm Gubernatoribus.

idericus Henricus, Comes Nassouię, Prin-Vraniæ.

orgius Gilpinus, Orator Regis Magnæ nniæ.

Pro Ducatu Geldriæ: Oyenus & Bryenenus Dynastæ.

Nomine Nobilitatis; Mateneſſæ Dominus, Beurenius Dordracenus.

Nomine Hollandiæ, Bulanius Amsterodamensis.

Nomine Seelandiæ, Ferdinandus Alemannus.

Nomine Vltraiectensium, Foquius & Camingus.

Nomine Frisonum, Ianssonius.

Pro regione Transisulana, Iterssomius.

Nomine Groningensium & Ommelandiorum, Rengersius.

Secretarii erant Huigenius & Zuylius.

Retinent autem Ordines vniuscuiusq; Prouinciæ sigillatim, ea quæ ab antiquo habuerunt atq; possederunt iura, priuilegia atq; consuetudines, administrantes negocia Prouinciæ tam suo quam collegarum nomine, qui constituuntur, vt tractent etiam res grauissimas, & quæ à Salute Reipublicæ dependent, vt bella & pacē, res fisci, Iustitiæ & cæterarum; obseruato optimo ordine.

Exemplo res erit clarior. In Hollandia & 15
Westfrisia ordines siue Status semper repræsentati fuerunt per Barones, Equites, Nobilitatem & primi nominis in vrbibus senatores, neque viri Ecclesiastici aut clerici vnquā pro mēbris prouinciæ habiti agnitiq; fuerunt. Vocabātur autem Barones illi atq; Nobiles ad Conuentum, non tantum, vt ibi consuleretur in mediū de iis quæ proposita fuerant, capitibus, sed & de omnibus rebus quæ ad bonum, quietem & securitatem reipublicæ pertinere videbantur. Hi igitur, vbi conuenerunt proponunt dicuntque, quæ singulorum sit sententia, deinde fit Decretum, accedente auctoritate Aduocati Prouinciæ, qui primum locum in congregatione occupat, qui colligit suffragia, & ea aperte recitat.

Vrbes autem atque oppida, quæ ad conuentum ordinum Hollandię de more conuocari solent, hæc sunt. Dordracum, Harlemum, Delfi, Lugdunum, Amsterodamum, Guda, Roterodamum, Gorcomium, Schiedamum, Schonhouium, Briela, Alcmaria, Hoorna, Enchuisa, Edamum, Monachodamum, Medenblicum, & Purmerenda. Quod si negocium maioris momenti oboriatur, verbi gratia, si nouus sit recipiendus Princeps, aut si de pace publica deliberandum, etiam cæteræ Hollandiæ ad Comitia vocantur ciuitates, quæ sunt Voorda, Vdevvattera, Gertrudis Mons, Heusdena, Nardena, Vespa & Mudainec præter has vllæ aliæ, quod vel peculiaribus suis pareant Toparchis, vel quod non ad vrbium formam atq; facultates accedant. Possunt autem hæ vrbes mittere deputatos suos numero sufficiente, iisdem cum mandatis, vt de nobilibus diximus.

Ipsa porro ordinum Hollandiæ conuocatio, vt & capita deliberationis, ob quæ cōuocati fuerunt, diriguntur per Aduocatū Prouinciæ, per q; consiliarios, quib. id officium ab Ordinib. com-

missum est. Aduocatus facta propositione colligit vota & sententias Baronum & Nobiliũ, quas vbi in consuetam formam redactas litteris consignauit, recitat eas explicatque, additis nouis rationibus. Hoc facto, rogat sententias eos, qui oppidorum vrbiumque nomine adsunt. quod si diuersa atque contraria ferantur suffragia, conatur Aduocatus dissidentes conciliare, fitq; Decretum, vt in eam pedib. eatur sententiam, quam plures censuerunt.

Sunt autem præcipua capita, de quibus in huiusmodi Conuentibus fere deliberatur, hæc: Bellum terra mariq; gerendum: exactiones pecuniarum: correctio abusuum qui paci fere superuenire solent: conseruanda concordia inter Prouincias & ciuitates huius reipublicæ: & generatim quidem quicquid contingit pacem & tranquillitatem, Religionem, Iustitiam, Politiã, media exigendi tributi ab extraneis; de bonis Ecclesiasticorum, & quicquid ad augmentum ærarii publici & incrementum Fisci pertinere potest. Cõuenitur autem vsitato more apud Hagam Comitis, qui locus apertus est nec cinctus mœnibus, idque quinquies vel sexies in anno, nisi necessitas repentina aut alia causa prægnans alium conueniendi locum eligere iubeat. Vt autem ea, quæ hic concordibus suffragiis decreta fuere, in executionem mittantur, nominantur ad eam rem quidam è Nobilibus, Aduocatus, & è qualibet ciuitate præcipua vnus ciuis, quibus eæ executorum partes incumbunt.

Consistit autem consiliariorum officium non solum in eo vt custodiant seruentq; decreta facta in Senatu ordinum, sed extenditur insuper ad omne id, quod quietem & bonum prouinciæ, inprimis concordiam membrorum eiusdem cõcernit: cum exacta omnium rerum polleant scientia, & indicatura quæstionum, itemq; diuersarum contributionum, confiscationum tempore belli: nec non de omnibus turbis, tumultibus, seditionibus, perturbatorib. quietis publicæ, adulterata moneta, proditionibus: de quibus omnibus iudicant citra exceptionem aut appellationem.

In Foro iustitiæ, vbi ius dicitur tam ciuibus prouinciæ quam exteris, præses & Senatores Magni Consilii supremorum iudicum funguntur auctoritate, à quorum sententia pronocatio non datur, nisi ostendatur, commissum esse aliquem errorem: tunc locus est, vt loquuntur Reuisioni, cui rei constitutus est præses & Consiliarii certi, comperente numero.

Quod ad Administrationem Fisci siue Peculii dictæ Prouinciæ attinet, est ei rei constituta peculiaris Camera, in qua sunt Magistri Computorum, Auditores & Scribæ rationales.

Quanquam à Haga Comitis locus est omnibus patens, minimeq; cinctus mœnibus, distans duob. passuum millib. à Mari Aquilonari; amœnissimus tamen putatur omnium, qui in XVII. prouinciis Belgicis visuntur, cum multas easq; præstantes vrbes vincat ciuium opulentia, ædificiorum magnificentia, platearum elegãtia, hortorum amœnitate, & nobilium hominum [illegible] mero. Sunt hic plus quam bis mille domus, [illegible] finis est ædificandi nouas, cum etiam integri vi[illegible] & plateæ adiiciantur. Hic est aula Principis si[illegible] Gubernatoris Hollandiæ, Selandiæ & Fris[illegible] Occiduę, qui nuper admodum fuit Illustrissim[illegible] Mauritius Nassouius Princeps Aurasionens[illegible] Hic habitant Ordines Prouinciarum Gener[illegible] les, hic conuenitur solenniter. Hic sigillatim c[illegible] morantur ordines Prouinciæ Hollandiæ, e[illegible] rum Consiliarii: Præses & Senatores Mag[illegible] Consilii: Consilium Prouinciale, & Ministri C[illegible] putorum siue Rationum.

Præter hæc omnia est hic etiam Curia B[illegible] bantica, pro oppidis pagisq; quæ sunt Iuris B[illegible] bantici, constituta tamen sub dominatione C[illegible] dinum fœderatorum. Hic ius dicitur secund[illegible] leges & Consuetudines Ducatus Brabantiæ, quisque suis vti fruiq; possit iuribus priuileg[illegible] que.

Porro vrbes atque oppida vnitarum prou[illegible] ciarum, inprimis Hollandiæ & Frisiæ Occid[illegible] gubernantur atq; reguntur secundum anti[illegible] eorum iura, priuilegia, consuetudines, est quo[illegible] singulis fere Balliuus vel Scultetus, velut mi[illegible] ster repræsentans auctoritatem ordinum p[illegible] uinciæ. Sunt in iisdem oppidis Burgomagi[illegible] Scabini, Thesaurarii, Ædiles, Magistri Orpha[illegible] rum, & Collegia siue trib. ciuiũ cũ suis tribu[illegible]

Burgomagistri & Scabini quotannis mut[illegible] tur, creatis nouis per tribunos, qui & ipsi elig[illegible] tur per Gubernatorem Prouinciæ aut eius [illegible] gatum & Consilium Prouinciale: quanquã q[illegible] dam vrbes absolutam habeant eligendi Bu[illegible] magistri electionem. Horum a. numerus va[illegible] pro consuetudine oppidorum: exempli gra[illegible] Dordraci vnus, alibi quatuor, quibus comm[illegible] est cura rerum Vrbanarum in vniuersum.

Scabini fere septeni sunt in oppidis qui iu[illegible] cant tam in causis ciuilibus quam criminalib[illegible] Quæstores siue Thesaurarii, Ædiles siue Arc[illegible] tecti, & Magistri Orphanorum quotannis[illegible] guntur per Consules siue Burgomagistros. Q[illegible] stores prouentus ciuitatis recipiunt, deq; iis[illegible] tiones reddunt. Ædilibus incumbit cura æc[illegible] ciorum siue fabricarum publicarum. Mag[illegible] Orphanorum dant operam, vt bona pupill[illegible] conseruentur. Tribuni creantur è notabilio[illegible] ciuium, iuramento addicti Consilio ad perpe[illegible] seruitia: creantur autem per Burgomagist[illegible] cum quibus coniuncti repræsentant totum [illegible] pus ciuitatis. Monetæ quæ cuditur in inferi[illegible] Germaniæ Prouinciis præfecti Generales [illegible] sunt, qui ad mandatum Ordinum Generali[illegible] in eo quo iussi loco comparent, & cusarum [illegible] netarum rationem reddunt. Sunt autem in H[illegible] landia & Westfrisia duo genera Monetæ. pr[illegible] quod maioribus ornatum est priuilegiis, a[illegible] quiusq;, cuditur Dordraci pro Hollandia: a[illegible] rum in Horna oppido pro VVestfrisia.

Ordines Seelandiæ constant è Nobilib. & [illegible] pidis Insularum, VValachriæ, Scaldiæ, Sut[illegible] uerlandiæ, Toleniæ, Nortbeuelãdiæ, Duuel[illegible]

æ, Wolfartsdyckę. Solent hi conuenire Middlburgi, vbi fere semper residet Collegium consiliariorum, qui prope quotidie cõueniunt, despiciant de reb. salutem publicam continentibus. Vindicauit autem Comitatus Seelandiæ sibi Cameram Computorum, & reddituum pensationes publicorum, quæ olim cum Hollandica & Westfrisica fuerat Hagæ Comitis. Hinc autem istud tribunal Fisci & rationum est ad Curiam Middelburgensem. Ibidem est officina cudendæ monetæ per Seelandiam, cui præfecti sunt viri cordati. Potest autem à sententiis iudicum in ciuilibus causis per Selandiã prouocari ad consilium Prouinciale, quod est apud Hagam Com. vel ad euitandam frustrationem ad ipsum summum Consilium. Res vero criminales appellationem non patiuntur, sed remittuntur in executionem per superiores Iustitiarios, in sua vnaquæq; Iurisdictione.

Ordines Episcopatus Traiectensis constant hoc nostro æuo è trib. membris: E Canonicis quinque Collegiorum Ecclesiasticorum, ex Nobilibus, postremo ex vrbibus. Ecclesiastici sunt hi: Canonici S. Martini, S. Saluatoris, S. Iohannis, Mariæ. In secundo membro est Nobilitas: in tertio Consules siue Burgomagistri Ciuitatum. Habetur & hic prouinciale consilium, à quo nõ datur prouocatio nisi in causis reuisionis, cum appellatur ad Status Prouinciæ, penes quos etiam est Camera Computorum. Habet Prouincia Traiectensis peculiarem suam Monetam, vt omnes quoque, in quam est animaduersio præfecti rei monetariæ Generalibus. Ordo Politiæ & ratio Religionis hic est eadem quæ in cæteris membris confœderatarum Prouinciarum. Habet olim Episcopatus Vltraiectensis quatuor Archidiaconos, qui etiam nostro æuo conseruantur in suo quisq; territorio.

Dominium Frisiæ diuiditur in tres partes, quas ipsi sua lingua Gouen appellant: nempe Ostergoam, Westergoam & septem syluas. Et sic eadem olim: at nostro tempore ciuitates quatuor membrũ constituunt. Ostergoa consistit in 11 præfecturis siue Nomarchiis XI. at Westergoa in X. Decẽ præfecturas cõplectuntur VII. Syluę. Oppida, quæ quartum membrum Frisiæ constituunt sunt octo, munita mœnib. Leuardia, Boltum, Doccum, Franekera, Harlingia, Stauerna, Slota. Præter hęc sunt tria, quæ etiamsi muris inclusa non sint, ius tamen & priuilegium ciuitatum antiquitus habent, suntque: Worcum, Ista, & Hindelopa: in his iunctim consistit tota Frisia. Fuerunt antiquitus ordines Frisiæ repræsentati per viros Illustres Nobilesque tam oppidis quam agro possessiones habentes. Hinc vero habito discrimine, quidam ex iis à gubernatore Prouinciæ vocantur ad Conuentus Generales, vt & certi quidam ex oppidis ciuibus, vt communibus interfint deliberationib. Conueniunt autẽ Ordines Frisiæ vsitato more in vrbe Leuardia, quæ caput est totius prouinciæ, in huius veluti centro posita, idque faciunt quotannis semel vel bis, nisi repentinus casus extra ordinem conueniẽdi necessitatem imponat. Consultant hi de omnib. rebus ad salutem Prouinciæ pertinentibus, de bonis Ecclesiasticis, de aggeribus & operibus publicis, de rebus belli ac pacis. Camera Computorum componitur è viris quatuor, è singulis prouinciæ membris singulis desumtis: coram his reddunt rationem Quæstores atque Receptores pecuniæ publicæ. Habent Frisii peculiarem monetam, cuius cognitio est penes cognitores Generales.

Iudicant Præfecti in suis Iurisdictionibus, & Burgomagistri cum Scabinis in oppidis, tantum in causis ciuilibus, à quorum iudicio potest prouocari ad Curiam Prouincialem, non autem ad Collegium deputatorum ab ordinibus. Constat autem Curia Prouincialis Gubernatore, Præside & Consiliariis, ad quos solos pertinet cognitio & iudicium rerum ciuilium pariter atq; criminalium. Erexerunt ordines huius Prouinciæ non ante multos annos Academiam siue studiũ vniuersale in oppido Franeckera. In Religione nihil differunt Frisii à cæteris Prouinciis vnitis.

Regio Transisulana siue Transisalana ita dicitur, quod tota sita sit trans vel vltra Isalam fluuium. Diuiditur tota in tres pulcherrimas iurisdictiones: Isalandiam, Tuuentam, & Drentam, siue secundum alios, Vollenhouam. Isalandia complures vrbes & oppida complectitur, nempe Dauentriam, Campenam, Suollam & alia quædam. Tuuenta habet Oldensielam, Othmarsiam, & alia. Castrum quod fuit apud Vollenhouiam oppidum eiusdem nominis euersum est superioribus bellis, quanquam olim fuerit aula & habitatio Episcopi Vltraiectensis, qui & Dominus fuit huius prouinciæ, donec anno M. DXXVIII. hortatu Henrici Palatini Episcopi Vltraiectensis sese Carolo V. eiusq; successoribus submisit, hac tamen lege, vti salua sibi conseruarentur Priuilegia. Cum autem sibi hoc non seruari quererentur Transisulani, subtraxerunt se cum aliis ab obedientia Philippi II. regis. Nũquam agnouit hæc prouincia plura quam duo membra, nempe Nobilitatẽ & tres vrbes Imperiales: Dauentriam, Campenam, Suollam; ab his duobus velut præcipuis prouinciæ membris iudicatæ atq; decisæ fuerunt omnes controuersię, sopitæq; difficultates, adeo, vt quicquid ad hunc modum secundum leges patrias decretum fuerat, firmum statumq; maneret. Primus in consessu locus est Nobilitati, alter ciuitatum, hoc ordine, vt Dauentria primas, Campena secundas, Suolla tertias sibi vendicet. Ferunt hæ sententiam definitiuam, communiterq; eodem vtuntur iure cudendæ monetæ. Conueniunt autem status huius prouinciæ diuersimode, obseruantes veteres suas consuetudines, modo hic modo alibi, mutatis etiam subinde senatoribus. De huius religione idẽ quod superiorũ iudiciũ. 17

Groninga vrbs cum Insula Ommelandia vnũ constituunt dominium siue Prouinciam vnã ex XVII. Belgicis, cuius loca pleraq; plana sunt & Campestria, quæ indifferenter reguntur cõmuni vtriusq; partis lege. Ordines huius prouinciæ 18

omne ius habent, quod olim Dominus vrbis & agri vicini possedit, tam in vrbe Groninga quam extra eam, solentq; suos instituere conuentus in ea. Regitur autem vrbs à Magistratu oppidano, puta, quatuor Consulibus, Senatoribus XII. qui definitiue iudicãt tam in causis ciuilibus quam criminalibus: exceptis controuersiis, quæ priuilegia ciuitatis & bonum publicum concernunt; tunc enim defertur causa ad Magistratũ de Porta & viginti quatuor iuratos. Dependent autem à Iurisdictione Vrbana duæ veteres Præfecturæ, & Gorrechtana, quibus Senatus Groningensis præficit Drossartos siue Balliuos, vt vocant, id est præfectos, à quorum iudicio datur prouocatio ad Consilium Vrbanum, vnde porro appellari non licet.

Senatores siue Consiliarii non sunt perpetui, sed quotannis media eorum pars mutatur, substitutis aliis, vt & idem fit de Iuratis. Nominat autem Gubernator quinque viros è XXIV. Iuratis, & hi quinque eligunt ex omni numero Ciuium octo Senatores. Hi octo communicato cũ totidem veteribus consilio eligunt quatuor cõsules. Idem Gubernator denominat extra numerum XXIV. Iuratorum alios quinque, qui eligunt ex toto corpore ciuitatis duodecim, qui in locum iuratorum XII. qui ab officio dimissi sunt, sufficiuntur. Gaudet autem Vrbs Groningensis multis ac præclaris priuilegiis, prima enim sententiam dicit inter ordines huius Prouinciæ, & habet ius cudendæ Monetæ.

Ommelandię diuiduntur in quatuor quadrãtes, quibus singulis sua sunt iura literarum monumentis consignata, habentq; totidem tribunalia siue Iurisdictiones.

RELIGIONIS RATIO.

19 Non ferunt ordines confœderatarum Belgii Prouinciarum vspiam Romano-Catholicæ Religionis exercitium, cum omnia templa sibi vẽdicauerint illi, qui noua spargunt dogmata, concionantes, precantes, & cænam Domini suo more administrantes. Quod si quis deprehensus fuerit, qui Missam audiat, etiamsi intra priuatos id fiat parietes, continuo ad grandem multam pecuniariam cõdemnatur: quod Vltraiecti quotidie fit, vbi magna pars ciuium Catholicam sequitur colendi Dei rationem; nec desunt qui affirmant, singulis prope dieb. in plusquam quinquaginta priuatis domibus celebrari Missas, secreto duntaxat. In omnibus cæteris vrbibus oppidisq; longe præualent illi, qui diuersum à Romano amplectuntur dogma. Quod si quis scire desiderat, quo pacto & quando illa Religionis diuersitas in has Prouincias irrepserit, eam rem ego ei breuitur exponam.

Initia huius mutationis incidunt in tempora bellorum, quæ inter reges Galliæ & Hispaniæ gesta fuere. Patuit autem clarius post confirmatam inter Philippum II. & Henricum II. reges pacem. Anno enim Salutis MDLXVI. veritus Philippus Hispanorum rex, ne hæreses nescio quæ inferiorem Germaniam occuparent, iussit Edicto, vt omnes Concilii Tridentini Decreta sequerentur, & obseruarent Mandata, quæ pãter eius Carolus quintus iam ante contra Hæreticos proposuerat. Ibi multi è Belgis crediderũt id agere Philippum, vt Inquisitionis Hispanicæ iugum Prouinciarum ceruicib. imponeret, quã profecto inuetio est infelicis conatus & magnæ crudelitatis, qualis vix à Tyrannis Siculis excogitata fuit, cum constet, multos homines innocuos & Catholicissimos diuturnitate ac squalore Carceris consumi ac putrescere. Hi igitur cum vel nomen Inquisitionis horrerent, initio clam inter se fœdere venerunt Bruxellas, porrexeruntque Margaritæ Austriacæ, quæ tunc Prouincias Belgicas Philippi nomine regebat, libellum supplicem, quo rogabant, vti sibi permitteret liceret viuere cum libertate conscientiæ. Hoc fuit velut illicium, quod cæteros inescaret ad similе quid vel atrocius audendum. Continuo enim ingressi Antuerpiam permulti homines in Catholicam Religionem male affecti, vastauerunt sacras ædes, profanauerunt Aras, affecerunt iniuriis viros Ecclesiasticos, & quicquid Romanæ Religionis contemtum machinari potuerunt. Idem factum est quasi compromisso apud Bolcoducũ, Valencenas, Gandauum, Audenardam, Bruxellas, Vltraiectum. Delfis Monachi Franciscani ciuitate eiecti fuere, Amstrodami vero Carthusiani. Interea petebant Bruxellenses, vti liceret sibi audire Ministrum Euangelii concionantem: & iam ante quidem audiebantur illi passim, non impetrata licentia vrbibus; Brugis, Ipręe, Gandaui, Audenard. Antuerpia iam facta fuerat Asylum atque receptaculum eorum qui Lutheri & Caluini sequuntur dogmata. Valencennis Hannoniæ non recepti duntaxat sunt Ministri Caluinistæ, sed & vrbs illa maiore (vt aiebant) conscientiæ vtetur libertate, excussit aperte obedientiam Philippi regis. Idem fecerunt Tornacenses. Apud Neomagum ciues correptis armis, aliud in niæ genus exercuerunt. Cum enim Minister quidam (vt appellant) ibi concionem habuisset, ecsternatus populus, quinque è senatoribus, qui de noua religione suspectos habebat, officio dignitate deiecit, subrogatis totidem Catholicis: insuper & exacto ciuitate Concionatore eiusdem ecclesiæ tulerunt Cathedram, de qua ille verba ad suos fecerat.

Eo qui secutus est anno, proposuit Margareta Austriaca Edictum, quo omnibus exercitium nouæ (vt vocabat) religionis interdixit: dum interim Comes Arenbergicus Frisios compescit. Nigrocarmius autem Tornacum & Valencenas ad officium reducit, Megius vero Vltraiectinos. Antuerpiã nouorum dogmatum ministri exulare iussi sunt, occlusis templis in quibus docebant. Interea venit ab Hispania Dux Albæ cum exercitu, vt præesset toti inferiori Germaniæ. Hic sub ipsa Gubernationis suæ initia coniicit in carcerem Egmondanum & Hornanum Comites, multos insuper alios, quibus de seditione accusatis amputari iubet capita. Guilielmus Nassouius, cum & ipse tale quid metueret, re-

ìit ſe in ſuperiorem Germaniam, vbi grandem collegit exercitum, certus de Flandrorum in ſe ffectu, quos facile ad rebellionem perpelli poſ- è cogitabat. Cæterum Albanus, etſi multo mi- ores haberet copias, coegit eum Belgio exce- lere, vtiq; poſtquam frater eius Ludouicus Naſ- ouius in Friſia primo victor, deinde victus fue- at. Videbantur iam omnia pacata, cum Alba- us, qui Egmondani & Hornani ſupplicio ca- itali nobilitatis Belgicæ animos vehementer ffenderat, circa annum MDLXXI. etiam vige- mum & centeſimum denarium ab vniuerſis xegit, quo facto etiam plebem à ſe alieniorem ecit, qui ad ſeditionem compulſus, ſequentib. ellis ciuilib. tunc fecit initium. Quarundam n. rbium ciues, cum Principem Vranienſem cum opiis aduocaſſent, occupauerunt ex improuiſo liſſingam, Brielam, & totam prope Selandiam, xcepto Middelburgo: itemq; multo maximã Iollandiæ partem, præter Amſterodamum, cũ ux Albæ belli naualis ignarus, parui faceret lo- illa maritima, mediterranea conſeruare ſtu- ens. Iidem alibi ſui iuris fecerunt Montes Han- oniæ, Ruremondam, Machliniam, Amorsfor- m, Suollam, Campenam, Sutfaniam, aliaque ca magni momenti. Facti adhunc modum ii ui nouam ſequebantur religionem in locis iis periores, male acceperunt Catholicos, inpri- is ſacerdotes omnemq; ordinem Eccleſiaſti- m.

Non abiecit ideo Albanus animum, ſed cum riſſet copias, recuperauit Montes, Sutfaniam achliniamq;. Hic dum anno MDLXXIII ob- det Harlemum, quam & poſt longam obſidio- em ad deditionẽ coegit, pars aduerſa obſidet iddelburgum in Seelandia. Anno MDLX- III. ſucceſſit Albano in Gubernatione Belgii douicus Requeſentius, qui omnem operam dit, vt inſtructa claſſe ſuccurreret Middelbur- nſibus, ne omni vſu maris penitus excluden- tur. Verum id fruſtra fuit: vrbs enim deſtituta ppetiis aperire hoſti portas coacta eſt. Con- a Mondragonius Hiſpanus Zirizeam cum ob- diſſet, ad deditionem eam coegit, anno MD XXVII. Erat in magnas Aurengiæ Princeps dactus anguſtias, cum amiſſa Zirizæa, Fliſſin- quoque & Middelburgum obſidione cinge- tur: cum peropportune ei accidit, vt Hiſpani, ibus XXX. menſium ſtipendia debebantur, ſperata ſolutione tranſirent in continentem, i excitata graui ſeditione oppidum Aloſtã in andria occupauerunt, qua quidem re Hiſpani gis negociis graue obiectũ eſt impedimẽtum. orũ enim rebellione cognita, ordines publice llum contra Hiſpanos decreuerunt. Huic co- tui cum Erneſtus Mansfeldius & Barlemon- s obluctarent, coniecti ſunt à ſeditioſis in car- rem, cum nonnullis aliis Conſiliariis. Plebs m Arcem Gandauenſem & Vltraiectinam ſediſſet, cepit vtramque vocato in auxilium urengienſi, cuius aduentu Catholici cum roteſtãtibus percuſſere fœdus, atq; coniunxe- arma, mirabili viciſſitudine. Coiuere ad hũc modũ LIII. millia peditũ, XVI. equitũ, audiebãturque in iiſdem caſtris Miſſa Pontificia & Conciones Euangelicorum. Igitur Proteſtãtes aucti animis Antuerpiam redierunt, & quædam occupauerunt templa. Sed Hiſpani & Antuerpiam & Traiectum Moſæ ceperunt, atque vtramque vrbem ſpoliauerunt.

Venit circa id tempus in Belgium Iohannes Auſtriacus ex Hiſpania. Hic ſeruiendum neceſſitati videns, inducias fecit: deinde cum argento pariter & milite deſtitueretur, videns hoſtes mira vti fortunæ indulgentia pactus eſt cum Aurengienſi, magno cum Proteſtantium emolumento, & ſic Hiſpani Germania inferiore exceſſerunt. Ab eo tempore ſemper in peius ruere res Catholicorum, Aurengiẽſi arma etiam poſt compoſitionem retinente, & proteſtantium religionem confirmante, ita quidem, vt Iohannes Auſtriacus minus minuſque fidens Ordinibus, cogeretur ſe Namurcum recipere. Seruiuit hic Principis diſceſſus ordinibus ad excitandos nouos motus, qui vocato Bruxellas Aurengienſi, noua cum eo ſunt pacti fœdera, qui ſequenti anno diuiſis copiis Ruremondam obſedit & Namurcum, vbi Iohannes cogebat militum manus. At Proteſtantes, cum deſeruiſſent Ruremondam, & apud Namurcum victi fuiſſent, amiſerunt Louanium, Dieſtam, Areſcotum & alia quædam loca non contemnenda. Rurſum Aurengius, cũ diu obſediſſet Amſterodamum, eam cepit: & Ordines ſalutauerunt Proregem inferioris Germaniæ primo quidem Matthiam Archiducem Auſtriæ, Rudolfi Imperatoris fratrem: deinde Ducem Alenconium è Gallia, vocato inſuper è Germania Iohanne Caſimiro, Palatino, qui magnas in Belgium adduxit copias. Factum eſt ibi decretum, vti omnes, etiam Ordinis Eccleſiaſtici homines iurarent, habituros ſe hoſtis loco Iohannem Auſtriacum: quod cum Ieſuitæ & Cordigeri facere nollent, eiecti ſunt Antuerpia aliiſq; nonnullis oppidis. Duacenſes, cũ & ipſi Ieſuitas eieciſſẽt, paulo poſt reuocauerunt eoſdem. Audomari Fanum, & Grauelinga manſerunt in fide regis Hiſpani.

At Caſimirus Palatinus Bruxellis & Gandaui ſtabiliuit nouam religionem, cuius militibus Gandauenſes perſoluere ſtipendia ex ornamentis templorum. Atrebates vero & Hannones, videntes Caluini dogma in cæteris prouinciis magna facere incrementa, vbi ſeditioſi eiecere locis ſacris ſtatuas, ſpoliauere templa, iniuriis affecere ſacerdotes: ne quid ipſi detrimenti caperent, animum applicauere. Aurengius neſcio quid mali metuens, miſit Gandauum Aldegundæ Toparcham, vt tria in ea vrbe Catholicis reſtitueret templa, vt eo pacto ſatisfaceret Atrebatibus Hannonibuſque, quibus non omnino probabantur, quæ ipſe faciebat. At Gandauenſes omnino dediti nouis dogmatibus, Aldegundum talia faciẽtem prohibuerunt: qua quidem obſtinatione Atrebates Hannoneſque, cumq; his Duacenſes, Inſulani, Orchienſes exacerbati, cum Duce Parmenſi rediuerunt in gratiam, qui

iam in summa Belgii præfectura Iohanni Austriaco succesſerat. Idem quoque fecit Buſcoducum. At in Friſia cum Rennebergius Toparcha Groningam occupaſſet, ſtabiliuit ibi religionem Proteſtantium. Pariter Vltraiectini vniti fœdere Hollandis & Seelandis, per vrbem & agrum vniuerſum eiecere Catholiciſmum. Alibi Parmenſis Traiectum ad Moſam vi cepit, & Rennebergius mutata mente, reduxit Groningam ſub Hiſpani Regis obedientiam.

Interea Ordines vnitarum Prouinciarum, Geldriæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Sutfaniæ, Friſiæ, Tranſiſulanæ, Groningæ propoſito edicto abſoluere omnes harum prouinciarum ſubditos à fide & iuramento, quo Philippo II. Auſtriaco, Hiſpanorum regi obligabantur, quem excidiſſe harum regionum principatu aſſerebant, quod more Tyranni imperitaſſet, libertatem Belgarum opprimere, priuilegia delere, conſcientiis vim afferre conatus fuiſſet, ſuoſq; ad nouum præſtandum iuramentum adegere, defenſuros ſe libertatem ſalutem que patriæ, quod factum eſt anno AN. C. MDLXXXI. Vocato in Patrocinium ſui è Galliis Alenconio, cui eo tempore non ſatis conueniebat cũ fratre ſuo, Henrico III. rege. Aſſenſit Alenconius, venitque in Belgium, vt coniunctas regeret prouincias. Dũ hic eſt, actum eſt de matrimonio inter eum & Eliſabetham Angliæ reginam, & iam concepta erant quædam illius rei capita. Sed inuidia Hiſpanorum & res Galliæ eum domum proficiſci coegerunt, vbi paulo poſt mortuus eſt.

Miſerunt anno à N.C. MDCVI. Albertus Archidux & Iſabella vxor Hagam Comitis Hortium & Geuardum, vt cum Ordinibus confœderatis inducias paciſcerentur vel pacem inirẽt, qui magna ſedulitate rem egerunt, collocuti in ſecreto cum quibuſdam proceribus. Cum autem neſcio quid Ordines in litteris à Principibus miſſis deſideraſſent, reuerſi Bruxellas Oratores, nouas attulerunt Hagam a. d. X. Ianuarii menſis. Collocuti cum Mauritio Principe, & ad Senatum Ordinum vocati auditique dixerunt: Debere ordines etiam atque etiam conſiderare inſtabilitatem fortunæ, quæ nunquam minus conſtans eſſet quam in bello, ideoque vel ad Pacem vel ad Inducias ſua conuertere conſilia, vt reſpirare à bello ciuili poſſent Prouinciæ Belgicæ & in eundem reduci ſtatum, in quo ante calamitoſum illud bellum fuiſſent.

Reſponderunt a. d. XXVII. Ianuarii in hunc modum ordines: Animaduertere ſe, Archiduces perſiſtere in neſcio quo male fundato iure, quod in confœderatas prouincias prætenderẽt, quod quidem ipſi ordines pernegarent. Neque ſe vllius admiſſuros dominium, niſi vi & armis cogantur. Contra vero Decreti Vltraiectini vigore licere ſibi, qui iam dudum excuſſa regis Hiſpani dominatione in libertatem ſe vindicauerint, ea quæ vi & armis cepere, retinere, & quidem iam dudum eam ſe aſſecutos libertatem, vt abſoluta ab vnius dominatione reipublicæ forma vtantur. Ab illo decreto, quod ante annos XXV. factum fuerit, ſaluo honore ſuo diſcedere ſe non poſſe, quod vnanimi omnium conſenſu laudatum, approbatum confirmatumque fuerit. Hoc accepto reſponſo Legati domum reuerſi Archiducibus, quid eſſet ordinibus animi retulerunt. At Albertus & Iſabella, cum paci incredibili tenerentur ſtudio, denuo ſcripſere ad ordines: non eſſe ſuæ mentis, aliquid ſibi vindicare dominii in confœderatas prouincias, ſed relicturos ſe eas in eo ſtatu, in quo tum verſarentur. Quod ſi ordines pacem eſſent amplexuri aut inducias, id principibus gratiſſimum fore.

Snb finem Februarii menſis Generalis Franciſcanorum Iohannes Neius, Martini Neii, qui Mauritio Principi probe notus fuerat, filius Hagam iuit, cum plena poteſtate tractandi de pace cum Principibus. Subſtitit hic aliquandiu quietus in villa exigua haud longe ab Haga diſtante. Intellecta cauſa aduentus eius, cum diceret ſe habere de quibus corã cum Mauritio colloqueretur, venit Hagam, vbi à pluribus primariis viris conuentus ſalutatuſq; eſt. Iuſſus dicere, negauit conſtitutum eſſe Archiducibus, conditionem ordinum vel meliorem vel deteriorem reddere illa pacis tractatione vel Inducias aut vllo pacto mutare formam reipublicæ illorum. Reſponſum fuit, fruſtra eſſe, vel auſpicatractationem & compoſitionem, niſi Archiduces confœderatas prouincias liberam agnoſcerent atque pronunciarent Rempublicam. Sille Haga diſceſſit a. d. IX. Martii vectus nauigpeculiari Mauritii Principis Antuerpiam vſqvnde profectus eſt Bruxellas, reuerſus a. d. XIHagam: litterarum quas ſecum ferebat, hocerargumentum. Vt melius commodiuſq; de paaliquid conſtitui poſſet, offerre Archiduces odinibus inducias & ceſſationem ab armis inocto menſes, quibus neutri in alteros quicquahoſtile perpetrarent, ſed ab omni vi, occupatione, vrbium obſeſſione, munimentorum extructione, & id genus aliis abſtinerent.

Lectis litteris auditoque Neio reſponderuordines. Grata eſſe, quæ Archiduces de Pace oferrent: ſcripturos ſe eo nomine ad omnes, quorum id ſcire intereſſet. Inducias octo menſiuaccipere ſe, probatis etiam conditionib. à Principibus propoſitis, vti ſcilicet inducię illæ a. IV. Maii Menſis inciperentur; intra quem die& Kalendas Septembreis tractationem Pachinchoandam eſſe. Sic approbatis Octimeſtribinduciis litteræ ſuper ea re confectæ ſunt, inqiis perſcriptum, daturos Archiduces operavt illas Rex Hiſpanorum intra tertium menſeratas haberet: impetraturos inſuper ab eodrege diploma, quo omni iuri atque prætenſioin prouincias confœderatas ille penitus renuciaret.

Miſerant Ordines Theodorum Douſam munimentum Lilloanum, vt litteras regias Neio acciperet: in quibus cum Douſa neſciquid deſideraſſet, Neius magna eas diligenBruxellas remiſit, vt dubium illud tolleretu

obi

btinuitque, vt continuo aliæ expedirentur ex
ntentia & arbitrio ordinum. Hæ vbi venerunt,
mul missa est catena aurea, quam Neius Theo-
oro dono obtulit nomine Archiducis.

Factis his ordines per omnes Prouincias vi-
itas publice nunciari iusserunt, Dei benignita-
rem eo deductam esse, vt obtulerint Archi-
uces vltro, tractaturos se cum ordinibus, vt
im liberis gentibus & absoluta à dominatio-
e vllius mortalis republica, in quam ipsi Prin-
pes nihil sibi iuris esse fateantur; siue pax fieri
ossit, siue Induciæ. Interim conuenisse inter
rincipes & Ordines, vt octo proximis mensi-
ra vi & armis vtrique abstinerent, quo per il-
d tempus cum regibus Galliæ, Angliæ & Da-
æ, nec non cum Principibus Germaniæ con-
ri consilia possent; quibuscum Ordi-
bus intercederet fœdus vel amicitia. Æquum
itur esse, vt factis per omnes Prouincias ad
ēpla supplicationib. gratiæ supremo Numini
ātur: cui rei constituere Ordines nonum Maii
ensis diem, quo ieiuniis precibusque solenni-
is Diuinum imploretur auxilium.

Tanta autem fuit Iohannis Neii dexteritas
que diligentia, vt quamuis nonnulli ex ordi-
bus nescio quid dubii super litteris illis moue-
nt, omnem tamen iis scrupulum & ambigui-
em ademerit, adiunctis ad inducias à bello
ra non gerendo, etiam marinis, vt in Oceano
oque Alcyonia constituerentur, & vtriusque
rtis classes à pradis faciendis & pugnis nauali-
s abstinerent.

Acceptis Ordinum litteris de Pace & Indu-
s Galliæ rex misit continuo ad eos Præsidem
ninum, adiunctis eis Rossiæo & Busenuallio
is Nobilibus, qui cum ad XXVIII. diem Maii
gam venissent, admissus Ianninus in Senatum
it: Nosse Ordines, qua beneuolentia eos Rex
eum diem complexus fuerit, & quot modis
icum se præstiterit. Vnde eos parum elegan-
feciſse videri, qui se, Rege tam amico inscio
nconsulto, in tractatione pacis cum Hispano
vsque progressi fuerint. Quæ, qualiacunque
dem sint, petere se, vt certis quibusdam ex
dinum numero dent negocium, quibus-
n Legati Gallicani de re præsenti agere pos-
t:

Ad regem Angliæ miserant Ordines super
lem negotio Iohannem Berquiam, Syndi-
n Dordracenum & Iacobū de Maldera. Rex
ō vicissim ad ordines ablegauit Richartum
nserum, Equitem & Rudolfum Vinuadum,
interesslent tractationi pacis. Venerunt Le-
Anglicani Hagam sub initium mensis Iulii.
nixi fuerant Principes Austriaci omni stu-
; vt consensum & approbationem ab rege
pano impetrarent; vt in conuentione indu-
um polliciti fuerant. A. d. igitur XXIV. Iulii
nsis mane venit Hagam Ludouicus Verrei-
s, afferens litteras, quibus perscriptum erat;
llexisse Hispanum Regem, quo pacto Al-
tus & Isabella, supremi & Proprietarii (vt lo-
ntur) inferioris Germaniæ Prouinciarum
domini, cum ordinibus in octo menses pacti
fuerint inducias: cum autem iidem petierint,
mitti idoneos homines, qui tractationi pacis v-
niuersalis aut prorogationi induciarū interfint,
Regem istud fecisse, simulque approbare atque
rata habere, quæ Archiduces fecissent, quasi ipse
præsens omnia illa egerit. Polliceri igitur se non
contrauenturum.

Non placuit Ordinibus approbatio talis ob
multas causas. Primo, quod verba illa non erant
inscripta membranæ vel Pergamenæ, vt moris
est, sed simplici Papyro. Deinde, quod non erat
subscriptum regis nomen, sed hæc duntaxat ver-
ba: *Yo el Rey*. Tertio, quod non magno sed paruo
sigillo essent munitæ literæ. Quarto, Quod
Archiduces in iis nominarētur Supremi & Pro-
prietarii Domini Belgicarum Prouinciarum.
Quinto, quod præcipua causa in iis omissa esset,
vt nimirum Ordines Prouinciarum ipsæq; Pro-
uinciæ liberæ & ab omni dominatus prætensio-
ne solutæ agnoscerentur. His de causis litteræ il-
læ regis imperfectæ pronunciatæ sunt; in qui-
bus essent omissa multa, nec cætera ea forma ac
solennitate perscripta, qua oportebat. Conatus
est Verreikius omni studio persuadere Ordini-
bus, vt illas litteras ratas haberent, culpam erra-
torum in negligentiam scribæ transferens; sed
nihil obtinuit. Petiit igitur sibi sex dierum tem-
pus dari, quo de voluntate Principum suorum
cognoscere posset, quid in illis faciundum esset
difficultatibus. A. d. II. Augusti mensis ostendit
Verreikius ordinibus responsum Prin. ipum
suorum, quo pollicebantur, satisfacturos se po-
stulatis ordinum, missurosque ad regem Hispa-
num, à quo breui tempore sint accepturi aliud
diploma. deinde petebant ab ordinibus, vti re-
uocarent naues suas militares à littoribus Hispa-
nicis.

Responsi loco datæ sunt Verreikio tres Sche-
dulæ; tribus linguis scriptæ, Latina, Belgoger-
manica & Gallica, quib. denuo vrgebant appro-
bationem. De nauibus promittebant, se eas auo-
caturos, nisi paruissent, hostes atq; Piratas iudi-
caturos: sed & operam daturos, vt si quis è suis,
Hispano homini post XXIV. Iulii diem aliquid
per vim ereptum esset, id restitueret citra fraudem.
Cæterum in tractatione pacis aut prorogandа-
rum Inductarum progredi se non posse, antequā
sufficiens ab Hispano rege, fuisset allata appro-
batio. Adiunxit his Barnefeldius Aduocatus
iussu Mauritii Principis, parum placere ordini-
bus facta Neii, qui ministris ordinum, quorum
hi in eo negotio vterentur opera, grandia largi-
retur donatiua, nec videri ipsum hæc talia inius-
su Principum suorum facere; cum ipse Mona-
chus sit & argento careat. Quod si deinceps ta-
lia facere pergeret, ordines quidem eos, qui mu-
nera accepisse convicti fuissent, proditorum lo-
co habituros; penitusque ab omni tractatione
cessaturos.

Super hac Belgicæ pacis tractatione varii e-
rant per totam Europam hominum sermones,
pleriſque, quibus potentia Hispanica nota erat;

negantibus vnquam futurum, vt rex iſte promiſſam ab Archiducibus Approbationem expediat. Aliis ſecus videbatur, qui non ignorabant, Hiſpanum ad CXX. auri milliones in id bellum inſumſiſſe, multumque amiſiſſe militum, parum tamen effeciſſe: daturum eum igitur Diploma arbitrabantur, quale poſtulatum fuerat. Cauſas præter ſuperiores has adducebant. Milites parum à ſeditione & defectione abeſſe: Mercatoribus immane æs alienum deberi; ipſa Hiſpaniæ littora ab Hollandorum pulſari armatis nauib. nauigationes in Indiam impediri: requiri incredibiles ſumtus, ad muniendos præſidiis Portus marinos & littora; Hollandos in vtramq; excurrere Indiam, nec ſolum in prædam vertere naues regias, ſed & vectigalia reddere deteriora, & mercibus orientis plurimum damni inferre: Nouam coiuiſſe inter eos ſocietatem, triginta ſex annis duraturam, quæ Americam ſiue Aduerſum orbem ſit infeſtatura, quæ res creditoribus Hiſpani regis magnam incutiat formidinẽ. Si enim claſſis Hiſpanica auro argentoque onuſta ſemel intercipiatur, actum fore de omni credito. Vltimum hoc erat; Ordines ad extremam redactos neceſſitatem potius ſe Gallo regi in patrocinium traditurōs quam Hiſpano.

Qui videbantur præ cæteris ingenio acuto eſſe, negabant credere ſe poſſe, ordinibus pacem cordi eſſe, quod non viderent, quo pacto durãte pace poſſint liberas & incolumes ſuas conſeruare prouincias. Quietis enim facile ſuperuenire poſſe diuiſionem, quod careant ſupremo capite. Præterea neceſſe fore, vt exactionibus tributorum ſubſidiorumq; finem imponerent, vtique ſi idem Archiduces in ſuis facerent prouinciis. Neq; vero eoſdem maris dominium conſeruaturos, ceſſante argento quod à mercatoribus accipiunt, quibus nauibus ſuis militaribus præſidio ſunt. Periculum inſuper eſſe, ne forte negotiatio transferatur Antuerpiam, cum mercatores ibi minus vectigalium pendere ſoleãt quã alibi. Iam non eſſe dubium, ſi omnes dimittant copias, Religionem eorum à multis vexatum iri. Ciuitates porro, guſtata ſemel dulcedine pacis, difficulter capturas arma, ſi neceſſe ſit. Addebant tertii: ne facile quidem iis fore aut poſſibile, eos quos regendis terris oppidiſque præfeciſſent, conſeruare illibatos à donis atque corruptelis.

His rurſum contradicebant alii, qui putabant, ordines ad bellum non ita, vt putabantur, procliues eſſe, quod proximis annis Martem parum habuiſſent propitium: quæ cauſa fuiſſet, quod in octimeſtres Inducias tam facile condeſcendiſſent. Et hæc quidem ac talia volitabant paſſim per ora virum. Sed nos ad Hiſtoriam redeamus.

A. D. XV. Octobris menſis ſcripſit Ambroſius Spinola ordinibus, approbationem ab Hiſpania veniſſe: igitur petiit ab iis litteras ſalui cõmeatus pro Neio & Verreikio: has cum hi accepiſſent, venerunt a. d. XXIV. eius menſis Hagã, poſteroq; die Diploma regium, quod a. d. VIII. Septembris Mantuæ Carpetanorum exaratum fuerat, oſtenderunt. Erat autem inſcriptum ſimplici Papyro, Lingua Hiſpanica, cum eadem qua prius ſubſcriptione, *Yo el Rey*, ſigillo non alio munitum, quando ſubſignari ſolent Edicta regia per Hiſpaniam. Litterarum regiarum hoc erat argumentum.

Poſtquam in tractatione illa Archiduces promiſerunt, obtenturos ſe à nobis alias litteras noſtri conſenſus, approbationis & ratificationis cum clauſula generali & particulari Renunciationis & obligationis: Igitur nos præuia matura deliberatione, ſcientes & volentes, ex plenitudine poteſtatis regiæ profitemur, nos contentos eſſe & acquieſcere penitus, vt dicti Archiduces ſatisfaciant promiſſis ſuis, & procurent dictam tractationem pacis ſiue induciarum, vel noſtri vel eorum nomine cum ordinibus Confœderatis, quos eorumque prouincias agnoſcimus pro habemus Ordines, Regiones atque Prouincias liberas, in quas nihil iuris prætendimus. Accipimus igitur & recognoſcimus omne quod continetur indicta declaratione Archiducum, atque laudamus probamuſq; verbis & fide Regia, volumuſq; id valere, quaſi ab initio promiſiſſemus conſenſiſſemus, ratumque habuiſſemus, nunquam paſſuri, vt quis contra faciat. Obligamus nos inſuper verbis noſtris Regiis ad Generales & particulares renunciationes & obligationes quam primũ vel pax vel longiores induciæ fuerint concluſæ. Præterea ſine mora expediemus quicquid ad conſeruationem illius vel pacis vel induciarum fuerit neceſſarium, in optima forma, mittemuſque id ordinibus, vt iis ſatisfiat. Quod ſi neque fiat pax, neque procudantur induciæ, litteræ hæ nullius ſunto valoris, ſed perinde ac ſi nunquã ſcriptæ vel expeditæ fuiſſent, neque vllo pacto eas ordines pro ſe allegare poſſeterunt, ſed omnia in priſtino ſtatu manento.

Exhibitis litteris illis, Neius in laudes Hiſpani regis digreſſus, candidum apertumq; eius animum magnifice deprædicauit, qui longe abeſſet ab omni ſimulatione, vt qui nihil vnquam promitteret, quod non vellet præſtare. Succinit huic Verreikius, idem de Archiducibus dicens, qui pacem ſerio quærerent atq; bona fide, vt facilè potuerint animaduertere ordines ex omnibus quæ hactenus acta fuerint.

Acceptis lectiſq; litteris regiis Ordines quæſti ſunt de vicio tam formæ, quam eorum quæ iis continebantur. Et de forma quidem cauebantur, eas fragili papyro inſcriptas, non permenæ, neq; ſubſcriptum eſſe nomen regis. Inſuper multa eſſe omiſſa, quædam interpolata quæ æquiuocationem gignere poſſent, non obſeruari ordinem, breuiter male atque oſcitanter eſſe ſcriptas. Has igitur cũ oſtendiſſent Ordines oratorib. regum, Galli atq; Angli, ſciſcitati ſunt ex Verreikio, an non alias poſſet ab aula Hiſpanica obtinere litteras? qui reſpondit, rem eſſe fore maximæ difficultatis.

Cum res relata fuiſſet ad conſilium, cui aderant Legati, Gallus & Anglus, dixerunt Neium

érreikius, ex litteris illis satis manifestum fieri, egem Hispanorum & Archiduces habere Proncias Vnitas pro libera Republica, in quam utri quicquã iuris prætenderent. His addidit, tis esse ordinibus potentiæ; qui tot regum, incipum, rerumq; publicarum niterentur fœre & societate, vt se in libertate conseruarent, nter ipsos & Regem Hispanum atq; Archidus de Pace in vniuersum aut longioribus indus non conuenisset.

Cum diu deliberatum fuisset, vocato in Setum Mauritio Principe & exterorum Princim Legatis, responsum est Neio & Verreikio: rteras regias imperfectas esse non solũ in for- & materia, sed quod extremam clausulam aliquis interpretari possit, vt omnia quæ prosa fuerunt, nulla atque vana fieri possint. ũanquam autem non immerito dubitari pos- an non ob imperfectionem illam diplomatis a Pacis tractatio omitti debeat: tamen vt tam go ac difficili bello finis imponatur, & à cæbus ac rapinis respirare possint afflictę prouin-, missuros ordines, qui in omnibus Vrbibus pidisque Prouinciarum vnitarum exponant loma illud regis iis, quib. ostendi id ius fatq; , & intra sextam septimanam relaturos ad nsiliarios Archiducales, velintne pergere in ctatione pacis an secus; cum annexa necessaProtestatione.

Igitur Neius celeribus vsus iumentis, Bruxelprofectus, vt Principibus suis referret respõ ordinum, a.d. XIV. Nouembris Hagam re- admissus in Senatum, mandatum sibi ait, vt eras ipsas regias in Autographo (dubitatum m antea fuerat) ordinibus exhiberet, sed ea e, vt sibi traderent scriptam confessionem, bus fatererentur accepisse se eas litteras. Cauafferebat, Archiduces satis fecisse promissis s, æquum igitur esse vt ordines, si de pace nieffectum foret, Diploma redderent. Extrem quod ordines dedere responsum hoc fuit: ideret Autographon, non accepta syngrapha eddendo: neq; enim se videre posse, quo paArchiduces satis fecerint promissis suis, qui d eum quidem diem obtinuerint scriptum Hispano rege, quale oportebat, & quale poli fuerint. Autographa enim illa esse prope la, nec debere reddi si ea semel accepissent. eriter igitur Neius Bruxellas profectus, cum XIX. diem Nouembris rediisset, tradidit ographa sine conditione aut clausula. Ipse lo post cũ Verreikio Bruxellas reuersus est, i expectaret responsum ordinum, vellentne actatione pacis progredi longius an non.

Quos ordines ad Prouincias miserant, vt de omate approbatorio regis Hispani cum inoribus ordinibus communicarent consilia, ersi sunt ad constitutum diem, ferentes scricomprehensa, quę acceperãt responsa. Pleumq; sententia fuerat, vt non obstante litera- regiarum ineptitudine pergeretur in tra- ione, ita tamen vt ante omnia libertas patriæ seruaretur.

A. d. XXIV. Decembris scripserunt Ordines ad Archiduces in hanc sententiam. Repetitis præcedentibus protestationibus & declarationibus contentis in responso, quod a. d. 11. Nouembris dedimus, à quo latum vnguem discedere non constituimus: nostri propositi est, de Pace cum Serenissimorum Archiducum Deputatis tractare, quos in eum finem Hagam mitti velimus. Et cum inducię octimestres ad quartum Ianuarii diem desiturę sint, in arbitrio eorundem Archiducum ponimus, velintne eas ad mensem vnum vel alterum extendere.

Hæc sunt, Lector, quæ anno MDCVI. in Belgio contigerunt, tam ratione inductarum per octo illos menses, quam approbatione regis Hispanorum, vbi potissimum istud desiderauerunt ordines, vt tam ab ipso rege quam ab Archiducibus agnoscerentur haberenturq; liberi & ab omni dominio soluti, ipsæque Prouinciæ libera Respublica. Nunc deinceps de ipsa tractatione pacis dicemus.

Rudolphus Imperator, cum intellexisset, constituisse ordines de pace cum Hispano rege agere, scripsit ad eos a.d. IX. Octobris mensis tales litteras. Nosse ipsos quantum laboris & molestiæ sustinuerit pater suus, Maximilianus II. Imperator, vt sublato bello intestino inferiori Germaniæ restitueret pacem. Se quoq; vestigia patris secutum, idem continuasse studium, vt appareret ex tot legationibus, quas eo nomine misisset, cæterisq; actis. Mirari igitur se non parum, quod se inscio rem tanti momenti suscipere ausi fuerint; illud vero etiam multo magis, quod conentur ex confœderatis prouinciis liberam facere rempublicam: cum ipsi ordines probe sciant, Prouincias illas esse Feuda siue beneficia, quæ ab Imperio dependeant; vt id pateat ex Archiuis, Inuestituris, permissis Priuilegiis, aliisque documentis apud Cameram S. Imperii. Debere ordines considerare, in Beneficio tanti momenti, quod membrum sit S. Imperii, nihil mutari posse inscia Imperatoria Maiestate, quod Cæsar sit supremum caput & dominus directus Feudi, citra cuius consensum natura illius Feudi mutari non possit. Quod si quid contra fiat, subsistere id non posse, sed ipsis legibus atq; statutis euerti. Velle se igitur scire, quid agerent, vel quo vsque progressi fuissent, quod quidem necessarium sit, vt tam sibi quam Sacro Imperio ius suũ conseruetur. Ad has litteras responderunt quidem ordines, sed ita, vt de postremo capite, quod erat de Beneficio Imperii prorsus tacerent. Neque sane verisimile est, eos, qui ab Hispani regis dominio se in libertatem asseruerant, Imperatoris vasallos esse voluisse.

Interea Verreikius sæpe Bruxellis veniebat Hagam, offerens Mauritio Principi & ordinibus tractationem in multorum annorum inducias nomine Principum suorum, qui cũ Prouinciis non aliter essent acturi, quam cum libera Republica: secutus Propositionem scripto comprehensam ab oratoribus Regum Galliæ & Angliæ. Mauritius & Consiliarii ordinum probe per-

perpendebant propositiones Verreiquii, in quibus deprehendebant, quod Hispani molirentur ruinam & subuersionem vnitarum prouinciarum, inprimis cum Verreiquius non faceret mentionem Regis Hispani, cui ita placeret, ex formula quam Ordines requisiuerant. Missis igitur hic inde litteris ad vrbes & oppida vnita, mandauerunt, vt certos fidosque homines Hagam mitterent, cum plenis mandatis, vt impedirentur eorum consilia atq; machinationes, qui patriam in perpetuam præcipitare niterentur seruitutem.

Conuenerunt euocati Hagam, inter quos variatum est sententiis super tractandis tam longis induciis, cum quidam sic, alii aliter vellent. Postremo idem illi, qui lecti fuerant ab Ordinib. vt tractarent de Pace, mutatis sententiis de longis Induciis pacisci animum induxerunt, qua de causa apud Bredam oppidum conuenerunt.

Altera ex parte Spinola cum sociis nomine Archiducum Antuerpiam venit, vbi labore & vigilantia Legatorum Gallicorum & Anglicorum Induciæ factæ sunt a. d. IX. Aprilis mensis, quarum hæc fuere capita.

I.

Albertus & Isabella, Archiduces Austriæ, Principes Burgundię profitentur tam suo quam Hispani regis nomine, tractaturos se cum Ordinibus Generalibus confœderatarum Prouinciarum ita, vt eos agnoscant habeantq; Prouincias & ordines omni superiore ac domino solutos, liberamq; rempublicam, in quam ipsi nihil iuris prætendant: eoque nomine pacturos se cum iis inducias, vt cum liberis populis, & facere tenore præsentium, conditionibus ac legibus quæ sequuntur.

II.

Induciæ illæ erunt bonæ, firmæ, legitimæ, inuiolabiles, durabuntq; totis XII. annis, quo omni tempore cessabunt vtriq;, tam Rex & Archidux quam ordines fœderati ab omni vi hostili, terra mariq;, per omnia regna, principatus, dominia, nullis exceptis hominibus locisq;.

III.

Vtraq; pars fruatur quiete terris, oppidis, possessionibus, locisq; aliis, quæ hoc tempore obtinet, cessantib. omnib. litibus & actionib. donec sunt induciæ, comprehensis simul pagis villis & vniuerso agro.

IV.

Incolæ & habitatores harum Prouinciarum, tam ii qui regi & Archiducibus parent, quam qui ordinibus durantibus induciis, amicitiam inter se colent, neque studebunt vindicare damna aut iniurias, quas alteri ab alteris acceperũt antea, sed vtrisque integrum esto, per vtriusque partis terras ac oppida iter facere ac ibi negociari, tam mari quam terra. Hoc tamen Rex Hispanus ita accipi vult, vt liceat ordinibus exercere mercimonia in regnis atq; Prouinciis, quas dictus rex possidet per Europam, & alibi, vbi subditis cõfœderatorum vel amicorum Regum & Principum negociari integrum est. Extra hos limites, ordines eorumque subditi non poterunt negociari, nisi impetrato consensu regis vel Ministrorum eius.

V.

Cum autem necessarium sit, eos qui extra eos limites sunt, monere, ad quam quidem rem non exiguum tempus requiritur, vt ab omni hostilitate desistant: bonum factum visum est, vt induciarum initium nõ sumatur ab hoc die, sed euoluto demum anno: vbi obseruandum, si inducia in loca illa longinqua citius nunciari possint, v omnis hostilitas continuo cesset; Si vero elapso anno alteri alteris damnum dent, vti tunc plen fiat restitutio.

VI.

Regis, Archiducis, & ordinum subditi, si i alterius partis terris & oppidis negocient ur, gra uius Telonium & vectigal non pendent, quat ipsi ciues indigenæ, aut aliorum Principum qui in fœdere ac amicitia sunt, mercatores.

VII.

Belgæ qui ordinibus subsunt, eadem fruat tur securitate & libertate, qua fruuntur Ang Scotiq;, ex fœdere, quod Regis Magnæ Britan niæ Legati fecere cum Connestablio Cast liæ.

VIII.

Mercatores, Nauium Magistri, Nautæ, Rem ges, eorum naues, merces, supellex & alia bo na per Arrestum aut Interdictum à proficisce do à nemine detinebuntur, quacunque tande de causa fiat, ne quidem si id fiat necessitatis a defendendæ pacis ergo. Quod tamen non i capiendum est, vt legitimum interdictum, quo bono iure nititur, locum habere non debe puta ob debitum vel æs alienum, obligatione & contractum rationalem, in quibus vniusc iusq; prouinciæ obseruabuntur leges atq; co suetudines.

IX.

Quod ad Commercia per Belgium, si vec galia & exactiones à mercibus videbuntur e nimia, & quæ alteri parti no ceant: certis hon nibus demandabitur, vt de vtriusque partis se tentia ea onera moderentur. Neq; tamen rur pantur Induciæ, etiamsi inter ipsos conueni non possit.

X.

Si iudices sententiam tulerint inter litigant diuersarum partium destitutos patrocinio, si sit in causa ciuili siue criminali: sententia illa executionem aduersus condemnatos non m tatur durantib. induciis.

XI. D

XI.

Detentionibus reciprocis, siue, vt vocant, re-
preſſalibus, locus non erit toto inducíarum tem-
pore, niſi cognita cauſa, & in iis caſibus, in quib.
licet per leges atque conſtitutiones Imperiales.

XII.

Neutri alterius partis littora, ſinus, portus eo
numero nauium ingrediantur, aut hominum
multitudine ea, quæ ſuſpicionem mouere poſ-
ſet, ſine licentia ac permiſſione eorum, ad quos
littora illa atq; portus de iure ſpectant: niſi forte
vi tempeſtatis aut alia neceſſitate eo compellan-
tur, vt vitent periculum maris.

XIII.

Quorum bona belli geſti tempore interdicto
ubiecta vel Fiſco addicta fuere, ii vel ęt eorum
ęredes ac propinqui poterunt iis frui, durantib.
nduciis, ſumentq; ſibi ius iſtud priuata aucto-
tate, vi præſentis tractationis, nec imponetur
s neceſſitas, ad iudicum trib. malia litigandi,
tiamſi bona ea iam Fiſco addicta, pignori data,
ermutata, alteri dono data, aut quicquam aliud
ctum fuerit, quod ad excludẽdos priores poſ-
ſores facere poſſe videatur: hac tamen lege, vt
ona illa minuere aut deteriora facere dum iis
eneficio induciarum fruuntur, nequaquam
æſumant, niſi de voluntate & conſenſu Archi-
acum vel ordinum.

XIV.

Hoc etiam peculiariter valebit in perceptio-
e fructuum, qui hæredibus defuncti Principis
rauſionenſis debentur, inprimis quo ad ius Sa-
arum in Comitatu Burgundiæ, quæ iis reſti-
entur cum Syluis inde dependentibus. Quod
litem ſuper Caſtello Belino, quam dictus
inceps, cum adhuc viueret, mouit Procurato-
regis Hiſpani in ſumma Curia Machlinienſi:
llicentur Archiduces bona fide, daturos ſe o-
ram, vt lis illa decidatur & feratur ſententia
te decurſum anni huius, ſecundum iura, leges
iuſtitiam.

XV.

Si bona Fiſco addicta fuerint diuendita, de-
ntii, ad quos vigore huius tractationis bona
redire debebant, contenti eſſe, ſi iis per in-
ciarum tempus vſura legitima atq; vſitata ſin-
lis annis ſoluatur, quæ de ſumma illa pecuniæ
llulat: qua quidem in re magna vtentur ii,
bona iſta poſſident, diligentia: qui ſi fuerint
nora, liceat poſſeſſoribus capeſſere fundos
; bona vendita.

XVI.

Si venditio illorum bonorum facta fuerit iu-
& legitima de cauſa, quod ii, ad quos bona il-
ertinuerant ante confiſcationem, non ſolue-
debitum: tunc licebit prioribus poſſeſſori-
vel eorum hæredibus bona ea redimere, ita
tamen, vt precium ante decurſum vnius anni re-
ſtituant, eo enim elapſo, pecunia non recipietur.
Si vero intra dictum diem ea bona redimant, de
iis facere poterunt quicquid viſum fuerit, nec o-
pus habebunt impetrata permiſſione ſuperiorũ.

XVII.

Quod tamen non eſt accipiendum de domi-
bus in vrbibus oppidiſq;, quæ ob talem cauſam
venditæ fuerunt, quod res ea plurimum habeat
incommodi, nec minus damni afferat iis qui e-
merũt, ob mutationes & reparationes domuum
frequentes, vt expenſorum reddere rationem ſit
futurum perdifficile, & longi temporis.

XVIII.

In cæteris fundis boniſque venditis, quorum
redemtio permiſſa eſt, ſi ea fuerint quocunque
modo facta meliora: iudex diligenter de cauſa
cognoſcat, eiſque ei, qui ſe fundum fructuoſio-
rem feciſſe probauerit, ius Hypothecæ in bona
ea neq; tamen eidem ius fas eſto, detinere bona
iſta, iiſq; vti donec ſibi plene ſatisfactum fuerit.

XIX.

Si in iis locis, quorum reſtitutio beneficio hu-
ius tractationis facta eſt, vel munimentum vel a-
liud opus publicum, auctoritate ſuperiorum fa-
ctum fuit, debet contentus eſſe Proprietarius ę-
ſtimatione facta per legitimos iudices, qui æſti-
mabunt cum ipſa loca tum iuriſdictionem, ſi
quam habent, niſi forte res amica tranſactione
componatur.

XX.

Quod ad bona Eccleſiaſtica, Collegia & alia
loca pietati conſecrata, quæ ordines obtinent,
dependentia velut membra à corpore ab Eccle-
ſiis Collegiis beneficiiſq; conſtitutis ſub domi-
nio Archiducum, hæc obſeruabitur ratio. Si ea
non fuerunt venditia ante Kalendas Ianuarii an-
ni MDCVII, reddentur atq; reſtituentur priſcis
poſſeſſoribus, qui vt eorum poſſeſſionem ad-
ant, non opus habebunt auxilio iudicum aut Magi-
ſtratus, ita tamen vt nihil mutent minuantue.
Quæ vero ante eum venditia fuerunt diem, aut
ab vnius vel alterius Prouinciæ Ordinibus in
ſolutionem data, ſoluetur proprietariis vſitatũ
fænus per eos, qui vendiderunt vel abalienaue-
runt. Idem fiet ex parte Archiducum.

XXI.

Ii, quibus bona Fiſco addicta reſtitui debent,
non cogentur ſoluere fænus ſecundarium, aut
præſtare prouentus ſeruitiaque, quæ ſuper bona
illa aſſignata fuerunt, eo tempore, cum ipſi non
fruerentur iis: ſi quis talib. litem de eo moueat,
iudex eos abſolutos indemnes præſtabit.

XXII.

Sententiæ iudicum latæ in cauſis circa bona
& iura Fiſco addicta inter partes, quæ iudi-

ces

ces legitimos agnouerunt, suoq; vsæ sunt patrocinio, firmę ratæq; sunto, nec audiantur victi nisi legitima via iuris.

XXIII.

Constituent tam Archiduces quam Ordines, Magistratus & Iudices administros iustitiæ & custodes honestatis in oppidis locisque munitis quæ debent restitui prioribus possessoribus, vt iis fruantur per inducias.

XXIV.

Bona mobilia confiscata, & fructus percepti ante conclusionem præsentis tractationis restitutioni non erunt subiecta.

XXV.

Actiones rerum mobilium, quæ per Archiduces & Ordines hinc inde debitorib. ante Kalendas Ianuar. anni MDCVII. remissæ fuerunt, extinctæ abolitæq; sunto.

XXVI.

Anni currentes toto illo tempore quo bellum gestum est, ab anno MDLXVII. vsq; in præsentem diem, non computabuntur ad inducēdam præscriptionem inter eos, qui diuersarum sunt partium.

XXVII.

Qui durante bello in exteras, & quæ vocantur Neutrales se recepere regiones, & ipsi fruantur harum induciarum beneficio, vt liberum iis sit, vel ibi manere, vel ad pristina sua reuerti domicilia: vbi citra vllam molestiam habitabunt, si obseruent leges pacis, immunes à metu, ne vel ipsi vel bona eorum interdicto subiiciātur, aut vsu eorum priuentur.

XXVIII.

Noua Fortalitia & Munitiones per annos induciarum neutri excitabunt.

XXIX.

Familia Nassouica per totum induciarum tēpus à nemine turbabitur aut molestia afficietur, siue in causa debitorum contractorum per Guielmum Principē ab anno MDLXVII. vsq; ad ipsius excessū è vita: siue nomine fœnoris, quod excreuit durante interdicto, cui bona eius subiecta fuerunt.

XXX.

Si quis priuatus contra huius tractationis & induciarum leges quid designauerit, iniussu regis, Archiducum vel ordinum, sarcietur damnū eodem in loco vbi datum fuit, siquidem in eo deprehensus fuerit, vel sane in suo domicilio: alibi eum persequi fas non erit, aut corpori bonisq; eius vllo pacto noxam inferre. Neq; n. ideo ad arma venire licebit, aut rumpere inducias: sed si offensæ parti negetur iustitia, tunc fas erit, clarigatione vti, vel, vt vocant, repressalibus.

XXXI.

Omnes exhæredationes & dispositiones testamentales quæ factę sunt in odium belli, nullæ erunt ac pro non factis.

XXXII.

Succedent sibi inuicem tam Archiducum subditi quam ordinum, in bonis, siue id fiat per testamentum siue ab intestato, secundum consuetudines & leges vniuscuiusq; loci.

XXXIII.

Vtriusque partis captiui dimittentur liberi, non persoluto lytro.

XXXIV.

Vt hæ inducię melius obseruentur, promittit Rex, Archiduces & Ordines, suo quemque loco daturum operam, omnibusq; annixurum viribus, vt viæ ac itinera terrestria, nec minus ratio nauigandi mare & flumina sint libera & secura, sublatis è medio grassatoribus, latronibus, piratis, qui omnes deprehensi grauissimis afficientur suppliciis.

XXXV.

Pollicentur insuper iidem, nihil se admissuros, quod induciis his præiudicium afferre possit, neq; directe neq; indirecte: & si quid tale fiat statim correcturos, sine difficultate aut mora, v omnia, quæ his pactis conuentisq; comprehenduntur, sancte obseruentur: quo fine vltro renuncient cunctis legibus, consuetudinibus, au prætextibus contrariis.

XXXVI.

Confirmabitur atq; rata habebitur hæc tractatio per Regem, Archiduces & Ordines confectis ea de re geminis litteris in solenni & conueniente forma, quas alteri alteris exhibebunt intra quartum diem. Promittunt etiam Archduces, se intra tertium mensem confirmationem ab Hispano rege impetraturos, ita quidem scripto cōceptā, vt illi ordines eorūq; subiecti fidere, & induciarū beneficio securi frui possin

XXXVII.

Publicabitur hæc tractatio induciarum omnibus locis, vbi id fieri expedit, simul ac p dictos Archiduces atque ordines confirmata rata facta fuerit: ita tamen vt ab hoc ipso mento vtriq; ab omni in alteros cessent hostil tatis genere.

Hæc conuentionis & induciarum capita cu Antuerpiæ publicata fuissent, quod factum a. d. XIV. Aprilis mensis, ingēs apud vniuersu populum obortum est gaudium, multis ad ter pla confluentibus, vt Deo gratias agerent, al vero campanas in signum lætitiæ impellenti inter quas vna fuit tantæ vastitatis, vt XXIV. v ri eam mouere ac pulsare vix possent, cui boatus per aliquot circa vrbem milliaria exa

d

liri poteſt. Ibant Vrbani Magiſtratus per Ciui-
atem, præeuntibus quatuordecim tubicinibus,
nibus clangentibus in compitis & quadriuiis
rbis confluebat populus, ad audienda capita
ouæ pacis. Præco his fere verbis multitudinem
loquebatur.

Notum eſſe debere omnibus, ad honorem
ei Op. Max. ad ſalutem totius Orbis Chriſtia-
i, inprimis autem ad reſtituendam quietem to-
Inferiori Germaniæ, factas eſſe Inducias fir-
as inuiolabileſque in annos XII inter Regem
liſpanum & Archiduces ab vna parte, & Or-
ines confœderatarum prouinciarum ex altera,
uæ obſeruari debeant terra marique, ita vt ea-
m inductarum beneficio fruatur pariter om-
es vtriuſque partis ciues atque ſubditi, qui-
nque ij ſint.

Primum igitur libera fore per annos illos
II. commercia ac negociationes inter vtroſ-
ue, tam mari quam terra, in omnibus vtrorum-
ue prouinciis. Deinde licere vnicuique ſuas
dire poſſeſſiones & hæreditates, quas quis ante
ellum habuiſſet, ſeruatis legibus inductis com-
rehenſis.

Tertio imperare Regem & Archiduces, nec
on Ordines omnibus ſuis ciuibus incoliſque,
e quis inducias illas frangere conetur, niſi ea
otet affici pœna, quę pacis publicæ perturbato-
bus debetur.

Hæc vbi Præco publice proclamauit, quic-
uid machinarum æneatum non ſolum in Arce
Vrbis mœnibus fuit, ſed & in nauibus explo-
m fuit, Tota vrbs communi perfuſa erat lætiti-
a, paſſim agitabantur conuiuia, appetente au-
m nocte tam multi ignes hilaritatis publicæ
dices excitati ſunt, vt arderet tota ciuitas viſa
ierit: quod ipſum quoque in pleriſque vrbibus
oppidis Prouinciarũ Belgicarum factitatum
t.

His factis Legati regis Galli & Angli Hagam
uerſi ſunt. Habebat Legatus Gallicus à rege
o in mandatis, vt moneret Ordines, vt Catho-
cis permitterent liberum religionis Romanæ
ercitium: cumque vel ante inducias vel inter
ctandum de iis, tempus commodum non in-
eniſſet, dilata re in ſuum reditum, eleganti eos
fatus eſt Oratione: neque tamen quod voluit
otinere potuit. Iſtud duntaxat impetrauit,
i mitius haberentur Catholici, nec tanto
riculo pro ſe ac familia ſua priuato exer-
tio intra domorum parietes darent ope-
m.

Cum igitur eorum regum Legati de nouo
ſtauraſſent atque cõfirmaſſent nomine prin-
pum ſuorum cum Ordinibus fœdera, excepit
rumque Mauritius Princeps conuiuio ma-
nificentiſſimo, Ordines vero eos precioſiſſi-
is donis affecerunt. A. d. igitur XII. Iulij Ora-
res regij domum reuerſi ſunt, vt refer-
nt regibus, quid ipſi effeciſſent tam lon-
Legatione, cuius tamen felix fuerat euen-
s.

Intellexerat Henricus IV. Gallorum rex ex Præſide Ianninõ omnia, quæ in Belgio ſuper tractatione pacis agebantur; eum igitur confeſtim Hagam remiſerat, vt ibi omnem moueret lapidem, quo Ordines, vſus auctoritate regis ſui, perſuaderet, vt ad multorum annorum inducias condeſcenderent. Et Petrus Tholetanus, cũ diu fuiſſet Lutetiæ Pariſiorum, comiter à Gallo rege & benigne habitus, reuerſus eſt in Hiſpaniam.

Ianninus redux magnificè ab Ordinibus exceptus fuit, qui cum communicaſſet conſilia ſua ſuper multorum annorum Induciis, conſcripſit ſuaſionem ſuam, qua ordines in ſuam ſententiã perducere nitebatur, accedente auctoritate Legati Angli, tradiditque eam Ordinibus ſub finem Decembris menſis, in hanc fere ſententiam.

Poſtquam Legati regum, qui adſunt Ordinibus Vnitis in tractatione præſenti, viderunt, pacem conciliari non poſſe, ideoque multorum annorum inducias ſuaſerunt, id ſui officij eſſe crediderunt, concipere ſcripto rationes conſilij ſui, & Ordinibus exhibere.

Cauſam eſſe, quod intellexerint, multos eſſe in prouinciis fœderatis, non ex vulgo duntaxat, ſed & primi ordinis hominibus, qui Inducias improbent reliciantque, quaſi cauſam ruinæ interituſque ſui, idque non tantum faciant quotidianis ſermonibus, ſed & ſparſis in vulgus libellis ſcriptiſque variis. Vt igitur videant Ordines, quibus fuerint adducti rationibus Reges amici eorumque Oratores, quodque nihil ſibi in illa tota actione propoſitum habeant quam ſalutem Prouinciarum, voluimus vobis oſtendere (inquiunt Legati) quantum abſit noſtrum iudicium ab eorũ ſententia qui damnant inducias.

Primum dicunt, libertatem videri non ſatis eſſe in tuto collocatam. Sed his reſpondemus, Libertatem non eſſe reſtrictam ſiue limitatã ad tempus inductarum, ſed exprimi verbis generalibus & indefinitis, eſſeque perinde, ac ſi vocabulum (*omnino*) adſcriptum fuiſſet, cum ſit actus talis, qui neque recipit tempus neque conditionem, niſi hæc expreſſe addantur. Deinde illud vobis conſiderandũ eſt, quod non ſit de permiſſione & indulgentia principum, vt fruamini veſtra libertate. Vos enim hactenus ſemper aſſeruiſtis, vos eſſe liberos, veſtramq; libertatẽ optimis niti rationibus: vnde vobis licitum fuerit arma capere, & quod vos nemo vllo vnquam tempore cõuincere potuerit, eſſe rebelles ſubditos: quod tamẽ futurum eſſet, ſi neceſſe eſſet, ab illis impetrare non ſimplicem duntaxat confeſſionẽ & declarationẽ, quod vos fateantur agnoſcantque liberos, ſed etiam integrum & abſolutum titulum veſtræ libertatis, qui tunc demum ſua habiturus eſſet initia à primo die factæ vobis conceſſionis.

Vos ne petere quidem aut poſtulare debetis ab illis, vt vobis aliquid de ſuo cedãt & remittãt, cũ Principes nõ ſint niſi ſimplices Adminiſtratores ſuorum Prinaipatuum, quibus non licet

eos minuere in præiudicium successorum suorum, cum ipsis adimi iura sua non possint nisi vi & armis. Sic quicunq; iis aliquid eripit, siue subditus sit siue extraneus, debet etiam atq; etiam videre, vt vires habeat perpetuas, quib. id quicquid est, occupauit, vt id conseruare queat, vel eo vsque saltim, donec omnem fugiens memorim possessio, cum obliuione & imbecillitate hostis coniuncta eum constituat dominū haud dubiæ possessionis.

Nihil igitur oportet vos ab iis postulare, nisi vt vos recognoscant tales quales reuera estis, vel nolentibus illis, id est, Liberi, quod nisi ipsi fateantur, vos neque cum illis tractaturos fuisse, neq; cum alio vllo Principe aut Domino, quicunq; ille sit.

Iam autem verba illa, quæ in primis induciis, adeoque nostro scripto comprehensa sunt, tam clare hæc loquuntur, vt dubitandi causam nemo sit habiturus: accedentibus etiā his ad cōfessionem vestræ libertatis, quod aiunt, se nihil in vos iuris prætendere: quę verba sufficiunt ad excludendam omnem superioritatem & omnia iura alia, quam quidem declarationem attulimus tunc, cum de eo ipso capite supremi dominatus tractatum fuit, vbi diximus, satis ad vos in libertate conseruandos in præiudicium Archiducū, esse virium in primis illis induciis, quod & ipsum de Hispano rege dici posset, si vel ipse talem fecisset declarationem vel eam quam Archiduces fecerunt, confirmasset ratamq; habuisset.

Sed sunt qui nobis obiiciunt: si verba illa in dicto scripto comprehensa sufficere possunt ad astruendam vestram libertatem, cur ergo Legati Archidúcum tergiuersantur adiungere explicationem tantopere à vobis requisitam? His illi respondent, ad nihil vlterius se obligari: in eo enim omnia esse quæ regis Hispani nomine promissa fuerint, & quæ non nisi magna cum difficultate ab eo impetrari potuerint, cum eius consilia potius eo tendant, vt abrumpat tractationem illam ob conditiones à vobis expetitas, quam vt aliquid certi concludatur ipsius opera, contentos igitur vos esse oportere, neq; se cogere vltra quam possit aut obligetur: cum vobis reuera satisfactum sit, & id quod adiungi vultis potius ad offensionem quam securitatem & confirmationem libertatis vestræ faciat.

Nos igitur sic censemus. Melius vos & prudentius facturos, si eo quod iam impetrastis, cōtenti sitis, quam si conemini obtinere quod non est necessarium, quod dum facietis, perdetis tempus conficiendi inducias, quæ vobis bonam securamque quietem sunt allaturæ: accedente insuper spe perfectæ pacis, si moderatis vtamini consiliis.

Quod si vos hæ rationes parum mouent, cogitate sultis, quibus persuadere conemini vos esse liberos. an non ii sunt Principes amici vestri, quorum multum interest vestram conseruari libertatem? Atqui illi vos tales declarant, per nos qui sumus eorum ministri, aiuntque vobis nostro ore, se de vestra libertate esse persuasissimos.

Deinde certissimum est, Principes quibus cum iam tractatis inducias, non litigaturos vobiscum super intellectu huius articuli, sed finitis induciis illaturos bellum, si iis ita videatur, nor allata causa, an id inferatur rebellibus subiectis an verò iustis hostibus. Idem non respondebunt vobis de iure suo, si victores euaserint non magis quam vos illis, si Marte vtamini propitio: sed vtraque pars faciet quod poterit & placebit. In solis igitur armis consistit omne arbitrium & supremum huius controuersiæ iudicium, non in verbis huius tractationis, quæ semper interpretabitur Victor in detrimentum inferioris, quanquam de eorum sensu & intellectu dubitari nō posse videatur: quæ & ipsa nunquam poterunt præiudicare Victori, qui ius & glossam in armis habet.

Aiunt alij regem per tempus illarum inducíarum habiturum occasionem colligendorum Thesaurorum, vt finitis iis bellum vobis faciat maioribus viribus quam nunc potest, cum æratium eius exhaustum est diuturno bello. Sed hoc raro fit, vt reges iuuenes tantæ potentiæ vt est Hispanus, intenti sint coacernando auro cum naturæ quadam inclinatione magis propendeant ad prodigalitatem & superfluos sumptus, quam tenacitatem atque parsimoniam. Accedit, eum si vos non amplius habiturus est hostes, alibi quæsiturum bellorum materiem vbi non minus insumpturus est nummorum quam in hoc ipso bello: imperitat enim nationi efferæ, ambitiosæ & impatienti quieris. Contra vos, quibus non est propositum crescere, sed sua duntaxat tueri, magnas colligetis opes. Nam liberati sumtibus belli, cum non nisi mediocrem militum manum hinc inde habituri sitis in præsidiis, ad conseruationem munimentorum vestrorum, immunes eritis ab omnibus expensis superfluis, vt non solum dissoluere queatis æs alienum, sed etiam multum coacernare pecuniæ in futuras necessitates: non tantum quod in præcedentibus bellis didiceritis quid facto opus sit, sed & quod Rebus publicis in more positum sit, prouentus suos annuos bene collocare atque fructuosiores facere.

His omnibus nonnulli adiungūt, habiturum regem illum per occasionem inducíarum media, quibus nonnullos è vobis corrumpat, & dissensiones excitet, vt vos in diuersa studia scissos sensim sibi subiiciat. Et iam ante discordiarum sparsa esse per prouincias & Vrbes semina, cum quibusdam parū cum cæteris cōueniat, quæ dissensiones haud dubie per ocium à bello, captum sint incrementum: cū contrà gliscente bello periculū ab hoste vnumquemq; in officio & limitib. contineat. Nos vero fatemur, hoc malū euenire posse, & eos qui talia metuāt nequaquā desperare: interim id tanti momenti esse negamus, vt ad euitandum istud, perpetuum æternumque sit gerendum bellum; quod quidem vobis suaderi videri

videntur, qui inducias reiiciunt. Neque enim bellum vnquam finietur vestro commodo, parta vna atque altera victoria, cum potentissimum nacti sitis aduersarium. Siue enim Pax aliquando fiat siue induciæ, quandocunque id fiat, idem vobis erit metus: & quidem, vt videtur multo magis si Pax sit quam induciæ, cum constet, pacem firmam perpetemque fere gignere securitatem, vnde oritur negligentia, vt nos exponamus insidiis periculisque. Contra metus ille, quod exactis induciis habituri sitis certum bellum coget vos attentos esse ad conseruationem Status vestri, & arctius adducendum vnionis & concordiæ vinculum. Idem metus vos reddet vigilantiores & magis industrios, facietque ne nimis fidatis exteris Principibus, qui aliquando hostes vestri fieri possunt.

Hinc nimirum est, quod multi sunt inter vos, Ordines, qui sagaci vsi consilio medium inter pacem & bellum eligunt probantque, nempe inducias, quod hæc via tutior sit, quam violenta illa mutatio ab vno extremo ad alterum.

Præterea, si quis vestræ Reipublicæ formam consideret exactius, deprehendet, vanam esse omnem istam formidinem atque metum corruptionis. corrumpere enim paucos quosdam è vestris, res prope nullius est momenti, ob frequentes Magistratuum mutationes, quæ fiunt, ne insidiator plures simul aggredi possit, cum breuior sit Præfectorum potestas, quam vt longam ad perniciem reipublicæ exordiri tem possint. Iungite his si vultis, Libertatis amorem, animis hominum vestrorum tam profunde impressum, cum pauci supersint, qui durante æteri subiectione nati fuerunt, quiq; non educati sint in illa tam diuturna libertate, vt vel solum seruitutis nomen horreant: gnaris omnibus, quam graue is sit subiturus supplicium, proditoribus incendiariisque patriæ debitum, qui vel vno verbulo de recipiendo Hispanico iugo loqui ausus fuisset.

Et vt de periculo clandestinarum machinationum & corruptionis dicere pergamus, putamus istud non minus metuendum, cum bellum geritur, si quid aduersi vobis contingat, quod magnam in republica vestra causari mutationē possit, vnde populi mentes in momento mutari possent, multo magis, quam omnes insidiatores multis mensibus: tunc enim vnusquisque se extra noxam damnumque constitutum optat, angentibus omnibus, sed nimis tarde, & de Magistratibus suis querentibus, nullo autem inter locum consilio, rationi iudicioque, quid è salute reipublicæ. Ibi futuri sunt non pauci, qui dicent, potuisse vos prouinciis pacem & tranquillitatem restituere, sed id facere noluisse.

Aiunt alij, nec sane sine ratione, Inducias illas tas securasque esse non posse, nisi magnus mitum alatur numerus ad conseruationem mumentorum finiumque, quibus necessario sint nponenda præsidia: populum autem, cum non amplius apertum futurum sit bellum, ægrè & maligne collaturum pecunias ad eorum militū soluenda stipēdia: notum autem esse, quid à milite, cui non satisfit, expectandum sit periculi. Verum huic malo obuiam eundum est statim sub initium Inductarum, vt certus præsidiis constituatur modus, & adigantur solenni iuramento Prouinciæ, ad contribuendam suam virilē portionem, donec durabunt induciæ: quod quidem vtrumque facilius factu erit, si habituri estis inducias quam pacem.

Sed, aiunt iidem, si tam numerosis opus habebimus præsidiis, non minuentur sumtus belli, & nihil nobis proderunt induciæ. His respondemus, etiamsi magna habituri sitis præsidia, tamen vos dimidiæ partis sumtuum bellicorum facturos compendium, euitatis insuper periculis & noxis belli, quibus carituri non estis, nisi grādibus vicinorum principum subnixi auxiliis, de quibus oratores vestri sæpe reges nostros adiuerunt, de iis non parum sollicitos dicentes Ordines, cum non satis sit depellere vim hostilem, non autem inferre, quæ species quædam est formidinis animique pusilli: quo quidem, si redacti fueritis, nō video quid expectare possitis, quam interitum vestræ reipublicæ, quæ breui esset ruitura.

Adducunt quidam monitum Iusti Lipsij, ex quadam illius Epistola, quę iam in omnium versatur manibus, aiuntque illum virum prudentē suadere Regi Hispano, cui penitus addictus fuit, vt si vos in ruinam præcipitare velit, vobis cum pangat inducias. Sed ille quidem de induciis in breue tempus loquitur, & quæ seruiant ad præparationem vestræ subiectionis. Neque enim tunc verbum fiebat de libertate vestra & exemptione à pristina seruitute. Neque vero Lipsius tunc cogitauit, arma vestra vnquam fore tam felicia, vt in tantum respublica vestra assurgat potentiæ, accedentibus duorum potentissimorum regum aliorumque vicinorum principum fœderibus & amicitia, qui & ipsi dabunt operam, vt induciæ sacræ sint & inuiolabiles: quæ si scriptor ille vel sciuisset, vel fieri posse cogitasset, sine dubio stylum animumque mutaturus fuisset.

Exemplis, quæ adducit ad roborandam suam opinionem facile opponi possunt contraria, vt hæc sententia, pro regula infallibili habeti non debeat. Recordamini quoque, Ordines, tractationis Gandauensis factæ anno A N. C. M D LXXVI, quæ quamuis male obseruata fuerit, adeo tamen vtilis fuit Hollandis, vt spacio quinque vel sex annorum, quos à bello vacuos lucrati sunt, potuerint formam aliquam Reipublicæ inter se constituere, dissoluere æs alienum, & sibi prospicere in sumtus ferendo bello pares, si Flandria & Brabantia sub iugum redactæ fuissent: quod quidem fieri nō potuisset, nisi hostes occupati his subigendis prouinciis, quæ velut murus aut vallum prætendebantur Batauiæ, supersedissent aliquandiu ab inuadendis oppugnandisque oppidis Hollandorum.

Heluetiorum exemplum seruire poterit ad firmandum consil.ũ, quod vobis suggerimus de acceptãdis induciis. Hic cũ iugũ suorũ superiorũ eadem prope de causa qua vos, excussissent, & diuturnum ac periculosum bellũ vario euẽtu gessissent, statuerant postremo illi finem imponere per inducias, quæ illis oblatæ fuerant: quãquam minime tam luculentis inuitarẽtur quam vos conditionibus. Durantibus illis induciis in tam bonam redegerunt suam Rempublicam formam, vt nemo post hac eos bello petere ausus fuerit, expertique sunt quod vulgo dicitur: *Inducias post diuturnum bellum, conuerti in perpetuam pacem solere, etiam sine vlteriori tractatione*: quod Principes, qui aliquando coguntur pati iacturã earum rerum quas conseruare non potuerunt, magis admittant eiusmodi tacitas à bello cessationes, quam ignobilem pacem, quod ad eum modum in animis hominum relinquant opinionem, fore, vt ipsi aliquando sua repetant. Eãdem & vos potestis sperare felicitatem, si sapitis. Nam Heluetiis quidem multæ erant commoditates, quæ impedimento erant hostibus, ne denuo illis inferrent bellum: abundabant enim incredibili optimorum militũ numero, nec opus habebant exterorum auxiliis, claudebantur ex omni parte altissimis ac inuiis montibus, erant pauperes, terram colebant magna ex parte sterilem, quæ omnia talia erant, vt nõ inuitarent hostem ad captandum exiguum commodum cum tanto coniunctũ periculo. At vobis nõ pauciora fauent naturæ beneficia. Nam & Oceanus & grandia vos ab omnibus partibus cingunt flumina, abundatis insuper maximo numero nauium, peritissimis item Gubernatoribus, Nauarchis, Remigibus, omnique vulgo nautico, quibus quidem meliores milites in pugna classiaria frustra quis quæsiuerit, & quorum non semel Christianus Orbis est expertus fortia facinora. Nec mirum, cum ad vigotem militarem accedat nauigandi industria, diuturna acquisita consuetudine & profectionibus marinis in longissimè dissitas regiones. Et vos quidem inprimis huiusmodi militibus opus habetis, ob rationem situs vestrarum prouinciarum.

Quod si opus vobis est exterorum auxiliis, scitis vnde ea possitis habere. Nec desunt vobis luculenti prouentus annui, nec ærarium locuples, quod quidem vobis abũde suffeciet, si pauliſper respirare à sumtibus poteritis. Postremo certa vobis est magnorum regum principumq; beneuolentia, quibus libertatis vestræ studium maximæ curæ cordique est.

Hæc nos respondere atque opponere voluimus ineptæ obiectioni quæ passim hominum animos & ora obtinet, vos ab accipiendis induciis deterrere volentium, quod periculum sit, ne finitis illis amici vestri non eodem in vos sint animo, quo prius, fortassis etiam non poterunt, vt nunc, auxilium opemque ferre: accedẽte alio periculo, vos nẽ ipsos quidem tunc habituros ad defensionem reipublicæ vestræ satis roboris atque virium.

Et *Futurarum quidem rerũ euentus soli DEO cogniti sunt*: si tamen locus est coniecturis apud homines non imprudentes: dicemus, easdem rationes quæ hactenus mouerunt Principes istos, vt vobis assisterent, ita comparatas esse, vt finir non possint debeantque: quibus durantibus durabit etiam eorum in vos beneuolentia. Nihil est cuius maiorem principes soleant haberationem, quam vt securè ac tuto suis imperent in cuius partem venit conseruatio amicorum qui iis vtiles esse possunt: cui quidem considerationi qui plus tribuit, quam omnibus pactis, fœderibus, obligationibus, nobis iudicibus nequaquam errat.

Quod ad vestram rempublicam attinet, fie non potest, quin magnum captura sit felicitat incrementum, si vos eam bene gesseritis: & prc fectò firmissima omnes spes tenet, vos, qui tar tum impendistis, laborastis, sustinuistis pericu lorum ad conficiendam vobis cum libertat tantam existimationem, pari vsuros cura, pru dentia, fide & concordia inter vos, ad tam pr cioſi boni conseruationem: nec quisquam co datus est qui credat, fore vt vos ipsos odio, in micitiis, ambitione scindatis primo, deinde p nitus pessumdetis.

Neque vobis sint obstaculo libelli illi, qui a infamandas futuras inducias passim in vulg sparsi sunt. In Senatu atque Comitiis vestris talibus rebus agi oportet, vbi tractatur negoc reipublicæ, & liberæ sunt suadentium voces suffragia. Extra hunc locum quę fiunt, ad mou dam seditionem in populo, & exacerbandas pl bis in Magistratus mentes sunt composita, no ad bonum publicum.

Alij voluerunt vobis persuadere, consiliu faciundarum induciarum ab hostium vestr rum malis artibus astutiaque proficisci. Nequa quam, Ordines, Reges nostri sunt, qui talia su dent, quibus conseruatio Reipublicæ vestræ quauis est antiquior, & qui perpetua circa con moda vestra anguntur sollicitudine. Non pa tur eorum sapientia, vt quis eos circumscrib facile, aut malis pro bonis animos eorum inuc uat consiliis.

Cæterum hoc nostrum scriptum non ita a cipi velimus ordines, quasi male sentiamus eorum Zelo & intentione, qui diuersum à nob censuerunt. Sunt enim quidam inter eos, qu rum præclara fides & affectus in patriam ad perspecta est, vt de iis dubitari non debeat. S non est rarum aut insolens, etiam inter vir bonos ac prudentes, vt varient sententiis, cu tamen eodem modo in Rempublicam affec sint omnes, vt prosint patriæ. Nos eos vicissi rogamus, & idem de nobis sentiant. Vestri ei Ordines, muneris, vt in amplissimo vestro S natu vtriusque partis sententiam probe pond retis, & eam amplectamini, quæ melioribus n videbitur argumentis atq; rationibus, nos qu dem præiudicare nemini volumus.

Huic nostro consilio extremo loco subiung mus, si quid damni aut aduersitatis secum veh

induci

nduciæ illæ, quod sine dubio fiet, vt cogitetis, as quas bellum infert multis modis maiores es- è, certiores & velut præsentes: cum tamen prio- ibus illis vestra prudentia occurrere, & medi- inam afferre possit: in vestra enim manu est re- nedium, cum contra belli pericula sint ineuita- ilia, nec sit in nostra semper potestate, vt hosti- us euadamus superiores. Istud enim vere ac roprie vestrum est, in quod habetis integram c absolutam potestatem. Cogitate hæc latis, Ordines, & ad animum admittite: neque enim emere posterioribus temporibus tot ac tanta ommoda simul ac semel se vobis offerent, vt unc fit.

Constat Archiduces quietis studio serio & ona fide teneri, qui haud dubie sanctè ac since- è præstabunt quæ pollicentur. Induxere iidem Hispanũ regem precibus, vt consenserit in con- itiones vobis adeo vtiles, quod per se nũquam cturus fuisset. Fauent vobis mira animi prom- titudine magni reges atque principes, quo- i auctoritas omnia reddet faciliora. Solet sub- quens tempus gignere varia accidentia & mu- tiones in rebus & hominũ voluntatibus, quæ ossunt producere effectus illis omnino con- arios.

Legati Regum,
Ianninus, Spenserus, Winuadus.

Nostro tempore cũ ordines Generales Pro- nciarum cõfœderatarum constituant pecũ- re corpus Reipublicæ, postquam excusso Hi- ani regis iugo seperauerunt se à cæteris pro- nciis Belgicis, quibus cũ olim sub vnius Prin- pis imperio fuerunt: non alienum ab instituto stro esse arbitramur, vt quemadmodum post escriptionem earum Prouinciarũ, quæ Hispa- parêt regi, catalogum subiecimus Comitum andriæ: ita quoque nunc texamus seriem Do- inorum & Principum, qui præcipuis vnita- m prouinciarum imperitauerunt, nempe omitum Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæ. Ex m enumeratione clarum fiet, quæ fuerit gu- ernationis ratio, antequam Reipublicæ for- am acquirerent, & quod hæ Prouinciæ ab nni antiquitate peculiares Principes Domi- osque habuerint, separatæ à cæteris, vsque ad ilippum I. Burgundum, qui eas vi occupauit cum reliquis coniunxit.

ERIES COMITVM HOLLANDIÆ ET *Seelandiæ & Domin. Frisiæ.*

Fuit Hollandia primum Comitatus titulo & nore decorata à Carolo Caluo Imperatore Rege Francorum, præfecto ei ob virtutem *ieterico* ex Aquitania, anno A N. C. DCCC XIII. Huic Dieterico dedit Caluus Hollan- am cum parte Frisiæ possidendam. Eidem do- auit anno Christi DCCCLXVIII Seelandiam udouicus Germaniæ rex, exoratus vt id faceret Imma regina coniuge.

Patri Dieterico succeſſit *Dietericus* (quem im- periti Germanicæ linguæ Theodorũ siue Theo- dericum vt & cæteros appellant) filius factus secundus Hollandiæ & Seelandiæ Comes, Dy- nasta Frisiæ.

Quem excepit anno DCCCCLXXXVIII, *Arnoldus*, Dieterici II. filius, adeptus earundem prouinciarum dominium. Obtinuit hic Arnol- dus ab Ottone III. Imperatore, vti Comitatus Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæ, Feudi & Beneficij nomine ab Imperio acciperet, nõ amplius à Re- gno Francorum, vt anteceſſores eius fecerant. Occubuit Arnoldus cæsus in prælio à Frisiis a. d. XVIII. Octob. is anno A N. C. CMXCIII.

Dietericus III. interempto Arnoldo patre fa- ctus est quartus Hollandiæ & Seelandiæ Comes ac Dynasta Frisiæ.

Cui succeſſit *Dietericus* IV. filius, Quintus Hol- landiæ & Seelandiæ Comes, & Dynasta Frisiæ. Mortuus est hic expers Matrimonij a. d. XIII. Maij, anno Salutis MXLVIII, cum prouinciis illis per annos IX præfuisset.

Fuerat antea Orientalis Frisiæ Comes *Floren- tius* I. qui morte Dieterici IV. fratris sui sextus fa- ctus est Hollandorum & Seelandorum Comes & Frisiorum Dominus, qui cum annis XIV. prouincias illas rexisset, occisus fuit in prælio apud Heusdam cum bis mille sexcentis suorum. Post mortem igitur eius, Gertrudis vidua, no- mine Tutricis Florentij filij, præfuit Principatui non nisi per annum vnum.

Robertus enim *Friso*, cum Gertrudin illam du- xisset vxorem, factus est non dominus, sed tutor Dieterici, Florentij filij, de consensu totius no- bilitatis & Ordinum Hollandiæ ac Seelan- diæ.

Godefridus cognomento *Gibbosus*, Lotharin- giæ Dux, fuit nonus Hollandiæ, & Seelandiæ Comes, ac Dominator Frisiæ, sed per Vsurpa- tionem.

Nam verus hæres, *Dietericus* V. huius nominis, post mortem Gibbosi recepit Patrimoniales Prouincias suas, factus decimus Comes Hollan- diæ, & Seelandiæ ac Dynasta Frisiæ, succeſſorque Florentij I. patris, exceptus magna lætitia & affe- ctu vniuersi populi: qui obiit ex morbo a. d. XV. Iulij anno A N. C. MXCII. Numerantur à qui- busdam ab excessu patris eius Florentij vsque ad huius Dieterici mortem anni XXX, hoc mo- do. Defuncto Florentio I. vxor eius Gertru- dis vidua rexit prouincias annis prope II. Robertus Frisius Vitricus VIII. ipse Dieteri- cus cum Episcopo Vltraiectino præfuit annis XV.

Dieterico V. patri succeſſit filius *Florentius* II. cognomento Obesus, vndecimus Hollandiæ & Seelandiæ Comes ac Dominus Frisiæ, qui cum in ocio & tranquillitate per annos XXXI. præ- fuisset suis prouinciis, obiit a. d. VI. Martij men- sis, anno MCXXXIII.

Reliquit hic hæredem Prouinciarum illa- rum *Dietericum* VI. filium, qui cum præfuisset Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæ per annos XL. mortuus est anno Christi nati MCLXXIII.

Multa hic bella gessit contra Orientales Frisios alioſque vicinos ſuos.

Florentius III. poſt mortem Dieterici VI. patris ſui fuit Comes Hollandiæ, Seelandiæ, Dynaſtà Friſiæ in ordine decimus tertius. Multum huic fuit obiectum negociorum & moleſtiarum. Poſtremo mortuus eſt in itinere, cum communi errore illius temporis Palæſtinam peteret, poſtquam prouinciis ſuis præfuiſſet annis XXVII.

Succeſſorem habuit Florentius filium *Dietericum*, huius nominis VII. Comitem Hollandię, Seelandiæ, Friſiæ, decimum quartum, qui continuis annis XIII. quibus præfuit Prouinciis iſtis, funeſta bella geſſit, mortuus anno MCCIII.

Ada filia vnica Theodori ſiue Dieterici VII. cum patri ſucceſſiſſet: non niſi anno vno rexit prouincias, mortuaque eſt nullis relictis liberis.

Guilielmus huius nominis primus, decimus ſextus verò Comes Hollandiæ, Seelandiæ & Friſiæ, cum Orientalis Friſiæ Comes iam antea eſſet, vocatus fuit ab Ordinibus Prouinciarum, iurauitque ei fidelitatem tota Hollandia & Seelandia, quas cum rexiſſet per annos XIX, mortuus eſt anno MCCXXIII.

Reliquit prouincias iſtas Guilielmus filio *Florentio* huius nominis IV. Comiti decimo ſeptimo: qui cum eas optime rexiſſet annis XII. mortuus eſt Claromontij relicto filio vnico *Guilelmo*, ſex annos nato.

Hic factus eſt poſt mortem patris Hollandiæ & Seelandiæ Comes XVIII. Ottone Epiſcopo Vltraiectino ob pueritiam eius tutelam gerente. Hic eſt ille *Wilhelmus*, qui poſt mortem Friderici II. Rex Romanorum electus fuit, & per Innocentium Papam publicè proclamatus Imperator Lugduni, quarto poſt electionem ſuam anno. Periit hic in Friſia anno A N. C. MCCLV cum rexiſſet prouincias ſuas annis XXI, Imperio autem præfuiſſet annis VII.

Florentius V. huius nominis ſextum menſem agebat, cum Wilhelmus pater eius moreretur, qui obiit cum Hollandiæ Seelandiæ Friſiæque tam ſub tutoribus conſtitutus, quam propria auctoritate præfuiſſet annis XLII.

Iohannes I. Vigeſimus Hollandiæ & Seelandię Comes ſucceſſit patri, mortuus ſine liberis a.d. IV. Nouembris anno A N. C. MCCC, in quo defecit linea generis Theodori ſiue Dieterici I. Aquitani, quæ duraſſet annis CCCCXXX VII, cuius morte Comitatus iſti velut hæreditate deuoluti ſunt ad Comites Hannoniæ, qui Maternum genus referebant ad Comites Hollandiæ, & ſic factus eſt

Iohannes II. Comes Hannoniæ, etiam Comes Hollandiæ & Seelandiæ, in ordine vigeſimus primus. Fuit hic filius Iohannis Auenenſis ex Alice ſorore Guilhelmi Romani regis, Comitis Hollandiæ.

Cui mortuo ſucceſſit *Wilhelmus* III. Comes Hollandiæ, Seelandiæ & Friſiæ XXII, adiuncto ad hos inſuper Comitatu Hannoniæ. Acquiſiuit hic ob vitæ probitatem & ſimplicitatem cognomen Boni, mortuus a.d. IX Iunij menſis anno MCCCXXXVII. cum Prouincias ſuas in ſumma pace rexiſſet ſpacio annorum XXXIII.

Huius filius *Wilhelmus* IV. Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Dynaſta Friſiæ, occiſus eſt à Friſiis in velitatione, a. d. XXIV. menſis Septembris, anni A N. C. MCCCXLVI. nullis relictis liberis.

Igitur *Margarita Imperatrix*, Ludouici Bauari Imperatoris coniux, ſoror Wilhelmi IV. eodem quo frater obierat anno, honorifice ab Hollandis, Seelandis aliiſque excepta, & Domina omnium illarum prouinciarum ſalutata fuit: cumq; iuramenti fidem à Prouinciis exegiſſet, plurimis viciſſim eas auxit ornauitque priuilegiis & immunitatibus.

Guilielmus Bauarus Ludouici Imperatoris et Margarita Bataua filius natu maximus, factus eſt XXV Hollandiæ, Seelandiæ, Hannoniæ Comes, Dynaſta Friſiæ.

Wilhelmus Bauarus, mortuo patre ſuo factus eſt Hollandiæ, Seelandiæ, Hannoniæ Comes Dynaſta Friſiæ vigeſimus ſeptimus, eius vero nominis ſextus.

Cuius filia vnica *Iacobina* facta eſt hæres omnium paternarum ditionum, cum iam annum ageret XVII. Hęc recepta atque Domina ſalutata eſt anno A N. C. MCCCCXVII, adiitque poſſeſſionem Hollandiæ Seelandiæ atque Friſiæ, cum iam ante id in Hannonia feciſſet.

Neque tamen minus *Iohannes Bauarus* in præiudicium Iacobinæ ſe Tutorem & Adminiſtratorem Hollandiæ appellauit, qui & poſtea obtinuit à Sigiſmundo Imperatore Comitatus Hollandiæ & Seelandiæ in Feudum & Beneficium quod diceret Sigiſmundus, eos morte Wilhelmi caducos factos, ad Imperium deuolutos fuiſſe, quod Wilhelmus ille, Iacobinæ pater nullo hæredes maſculos reliquiſſet. Mortuus eſt Iohannes Hagæ Comitis in Hollandia a.d. VI. Ianuarij anno Chriſti MCDXXIX. cum præfuiſſet Hollandiæ, Seelandiæ, Friſiæ annis VI. quibus perpetuo bello fuerunt implicatæ prouinciæ, donec is cum Iacobina pacem fecit, quod factum eſt a.d. XIX. Iulij. Sic recuperauit Iacobina morte Iohannis omnia Dominia & Comitatus Patrimoniales. Nupſit hæc mulier quatuor maritis, quæ poſtremo coacta eſt armis, omnes ſuas prouincias cedere Philippo Duci Burgundię, qui ſe Tutorem atque Aduocatum Hollandię vocabat, eo quod Iacobina liberos non haberet. Hoc facto mortua eſt ipſa, vera Domina & hæres Comitatuum Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ & Friſiæ, multis exagitata moleſtiis & aduerſitatibus ab ambitioſiſſimo Burgundiæ Duce, totis annis XIX. cum annos nata fuiſſet XXXVI, ſepulta Hagæ.

Philippus I. Iohannis Ducis Burgundiæ filius, factus eſt per reſignationem Iacobinæ, vltimæ

Hollan-

Hollandiæ Dominæ ex familia Bauarica, Comes Hollandiæ, Seelandiæ & Dynastа Frisiæ, cuius mulieris se hæredem dicebat non tantum vi transactionis, sed & iure agnationis paternæ & maternæ. Et sic factus est hic Philippus Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ Minoris, Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Namurcensis: Dominus Frisiæ, Salinarum, Machliniæ, S. Imperij Marchio Antuerpiensis. Emit hic paulo post etiam ius Ducatus Lucenburgici; cum ipsum Principatum iam ante armis occupasset. Natus est hic Philippus a. d. XXIX Iunij an. A N. C. MCCCLIX Mater eius fuit Margarita Bauara, soror Wilhelmi Comitis, qui pater fuit Iacobinæ: cuius Iacobinæ mater fuerat Margarita Burgunda, Iohannis Ducis Burgundiæ soror, vnde apparet, Philippum tam iure paterno quam materno adeptum ius successionis in prouinciis defunctæ Iacobinæ. Fuit hic Philippus vir magni animi, fortis & audax, magnaque hostium suorum formido: statura corporis eminenti, facie pulcher, pronus ad iracundiam, nec tamen minus amator pacis, vnde cognomentum boni inuenit. Datur ei vitio ingens dilatandæ potentiæ cupido, quod Iacobinam cōsanguineam etiamnum viuam tot modis exagitauerit afflixeritque. Fecit viuendi finem a. d. V. Iunij anno A N. C. MCCCCLXVII, cum vixisset annis LXXIII. cum Hollandiæ, Seelandiæ Frisiæque præfuisset, partim Tutorio nomine, partim vt Comes & Dominus annis quadraginta.

Huius Philippi filius *Carolus*, cognomento *Pugnax* natus est Diuione, successitque patri in omnibus prouinciis, factus Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Lucenburgi, Comes Burgundiæ, Artesiæ, Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Namurci, Dynasta Frisiæ, Salinarum, Machliniæ, Marchio Antuerpiensis. Emit insuper ab Sigismundo Archiduce Austriæ Comitatum Ferretensem in Alsatia, in finibus Heluetiorum. Contendit hic aliquoties ab Imperatore Friderico III. vt coniunctas illas Prouincias regni titulo ornaret, seque salutaret Regem Burgundiæ, sed obtinere id non potuit. Cæsus est ab Heluetiis in prælio ante Nanceium anno A N. C. MCCCCLXVII.

Reliquit Moriens Carolus filiam vnicam, *Mariam*, quę patri successit in dominio omnium earum, quas supra commemorauimus, prouinciarum, cum annum ageret XVIII. contuta sub tutela Ducis Cluij & fratris eius Episcopi Rauensteinij. Hanc duxit vxorem

MAXIMILIANVS *Austriacus*, Friderici III. Imperatoris filius, annos natus viginti: qui Maximilianus per vxorem factus est Dux Burgundiæ, Comes Hollandiæ, Seelandiæ &c. quibus prouinciis ipse præfuit annis circiter XII; defunctus vita an. A N. C. MDXIX. sepultus apud Neostadium in Austria.

Huius Maximiliani Imperatoris filius ex Maria Burgundorum Belgarumque Domina; *Philippus* II. *Austriacus*, natus est Brugis in Flandria a. d. XX. Iunij anno A N. C. MCCCCLXXVIII, agebat autem annum ætatis quartum, cum mater eius extingueretur, rexitque ab eo tempore Maximilianus pater eius prouincias Belgicas Tutoris nomine, multis vexatus turbis atque molestiis, vsque ad annum MCDXCIV, quo Maximilianus post mortem patris sui Friderici factus est Imperator. Agebat tūc filius eius Philippus ætatis annum XVI, vtebaturque hoc titulo: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotaringiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Limburgi, Lucenburgi & Geldriæ, Comes Habspurgi, Burgundiæ, Flandriæ, Artesiæ, Ferretę, Kyburgi, Hānoniæ, Tyrolis, Hollandiæ, Seelandiæ, Namurci, Sutfaniæ. Lantgrauius Alsatiæ, Marchio Antuerpiensis & Burgouiæ, Dominus Frisiæ, Carniæ, Portus Naonis, Salinarum & Machliniæ. Mortuus est Philippus hic in Hispania, iuuenis adhuc, viuo patre suo Imperatore, anno A N. C. MDV, sepultus Granatæ in Bætica.

Carolus Philippi filius post mortem patris omnium illarum prouinciarum factus Dominus, & sic Hollandiæ Seelandiæque Comes XXXV. natus est in Vrbe Flandriæ Gandauo a. d. XXIV. Februarij mensis anno A N. C. MD. Præfuit hic Carolus V. Imperator omnib. Prouinciis Belgicis annis prope XL. quas omnes tradidit Philippo filio, ipse mortuus in Hispania anno Christi MDLVIII, sepultusque Granatæ.

Philippus Austriacus, trigesimus sextus Hollandiæ Seelandiæque Comes, Dynasta Frisiæ, Caroli V. Imperatoris filius vnicus, à patre viuo ex Hispania in Inferiorem Germaniam vocatus fuit, vt si posset id obtineri, fieret successor patris in Imperio Romano non minus, quam in regnis hæreditariis, Hispania, Neapoli, Sicilia aliisque, quorum patrem satietas ceperat. Adiuit hic Philippus II. Prouinciarū Belgicarum possessionem, adactis iuramento in fidem suam Nobilitate & Populo præcipuarum Vrbium. Ibi Margarita Austriaca, Caroli V. Imperatoris filia notha, Octauij Farnesij, Parmæ & Placentiæ Ducis vidua, sic suadente Cardinali Granuellano, prælata fuit omnibus aliis Principibus, inprimis Nassouio & Egmondano Comitibus, vt per absentiam Regis gubernaret Prouincias Belgicas. Post hanc varij per Belgicam fuere constituti proreges siue Gubernatores, sub quibus ingentes tumultus præcipuè ob causam Religionis orti sunt, qui ne crudelissimis quidem suppliciis & atrocissimis bellis finiri potuerunt: qua de causa Ordines Hollandiæ, Seelandiæ, aliarumque vicinarum Prouinciarum anno Salutis MDLXXXI, inito arctissimo fœdere, ab Hispanorum Dominio colla subtraxerunt, & postea nouam liberamque Reipublicæ formam constituerunt, veluti superius latius commemorauimus.

Finitis Inductis recrudescit bellum Belgicum.

Peruenerant iam ad finem duodecennales Indu-

ducię. Igitur Ambrosius Spinola primo vere anni A N. C. MDCXXI obsidione cepit Castrum munitissimum Iuliacense, & Dux Neoburgicus munimentum, quod Hollandi fecerant in Insula Rheni intra Bonnam & Coloniam Vrbes, quod postea appellatum fuit *Fortalitium S. Elizabethæ.*

Maio Mense anni sequentis Hollandi, facta irruptione in Brabantiam, crudelissimis modis deprædari sunt prouinciam istam. Henricus enim Nassouius assumtis I V. millibus peditum ſcloperariorum, II. millibus equitum, & CCCC curribus omnia in prædam ac rapinam vertit, eo quidem impetu, vt ad ipsas Bruxellensis Vrbis portas homines caperet abduceretque. Exussere hæ Hollandorum copiæ pagos XXII ingenti potitæ præda, abductis insuper CC. rusticis captiuis, quod non soluissent contributionem post elapsas inducias debitam, cũ equis DCCC, cum ipsi Hollandi non omnino CC. ex omnibus illis copiis amisissent, inter quos fuit Filius Naturalis Principis Vranensis, qui cęsus fuit in fossa apud Herentalium oppidum. Cumque Arescotum ad soluendam magnam pecuniæ vim coegissent, receperunt se onusti spoliis Bredam, quod Louanienses aquarum quidem Cataractas leuassent, Machlinienses autem demisissent, vnde tumefactis aquis, potuisset inundari totus ille ager, & Hollandis militibus exitium creari, nisi se celeriter recepissent. Non adfuit satis tempori Henricus Bergensis Comes, cum copiis, quas ex præsidiis collegerat, vt inhiberet Hollandorum vim & impetum; sic igitur cunctatione illa factum est, vt prædatores illi cum omnibus quæ rapuerant, salui atque opulenti in oppidum Bredam euaserint.

Habuerant hi in mandatis vt se cum ipso Principe Maurito coniungerent, qui profectus erat cum CC. circiter Pontonibus, plenis militibus, commeatu & armis instrumentisque bellicis, quæ sufficerent ad obsidionem aliquam. Plerique existimabãt Hulstam oppidum tentatum iri. Sed Henricus Nassouius cum se recepisset, transiuit Rhenum.

Erat interea Spinola Brussellis, cui penitissimum pectus pungebat hæc Hollandorum insolentia, vnde plenus irarum testatus est, se eam nõ relicturum inultam. Bergam igitur super Somã fluuium obsidere cæpit sub medium mensis Iulij, duobus mensibus postquam Hollandi Brabantiæ eam intulissent cladem.

Occupauerant autem Hollandi oppidum Bergam ad Somam anno Christi MDLXXVII, ea occasione quam nunc breuiter exponemus.

Cum simulasset Iohannes Austriacus, se quiete & pacificè ingressurum Hollandiam, vocatis Ordinibus exposuit, ea quæ facta fuissent, defendendi sui capitis vitæque causa facta fuisse: sed paulo post proposuit illis conditiones duras & intolerabiles, quæque planè aduersarentur præteritæ pacificationi, quasi illos iam sub pedibus suis calcatos haberet.

Interea Trelonius, qui cum Germanis militibus ad Vrbem Antuerpiam venerat, vt eos ibi in præsidio collocaret, proposuit Præsidiariis in Arce Antuerpiana nouam iuramenti formam, quæ plane contraria erat ei, qua iurauerant Ordinibus, cumque præsidiarij intellexissent, intercepras fuisse litteras, Trelonius apud eos in sinistram opinionem & odium incurrit, vt omnes præsidiarij arcis male de eo sentirẽt, saluo signo suo prætorio. Scripsit igitur ad Pontum Noiellę Toparcham, Tribunum vnius signi peditum præsidiariorum, qui iurare nolebant ex sententia Trelonij. At Pontus cum suæ partis fecisset plerosque ordinum ductores & milites qui in Arce erant, arripuit contra Trelonium arma. Videns se Trelonius imbecilliorem, quam vt Arcem expugnare posset, in suum se recepit hospitium, quem assecutus Pontus, profligatis militibus qui circum eum erant, arreptum collo ipsum tradidit Ordinibus, & paulo post etiam Arcem, qui Ordines suos illi imposuerunt.

At Germani, qui sub Fuchero & Fronsbergio merebant stipendia, cum tumultuari præsidiarios in Arce intellexissent, corripuerũt arma, & circa medium noctis occupauerunt Nouam Ciuitatem, qui locus munitior erat cæteris intra Antuerpiam.

Interea Iohannes Austriacus scribit ad Fucherum, grauiterque conqueritur quod hostes potiti fuissent Antuerpia, vocatque eum ad se Namurcum, vt in vnum conduceret omnes Germanorum Legiones, cum Fronsbergius morbo occupatus adesse non posset. At milites Fucheri, cum ea quæ Antuerpiæ facta fuerant, parum probarent, excitata contra Ducem suum seditione, coegerunt eum recipere se Bergam ad Somam, ipsumq; secuti, tradiderunt hominem Ordinibus cum ipso oppido Berga. Hic non postremus fuit errorum Iohannis Austriaci, quod Arcem Antuerpiensem non tantum non recepit, sed etiam Bergam amisit, culpa suorum ducum, qui male rem gerebant, cum Hollandi non hanc tantum, sed & alia munita loca circa id tẽpus occuparent.

Octauo anno post, qui fuit post millesimum octogesimus sextus, statuit Parmæ Dux Bergam recuperare, quod nosset esse locum maximi momenti: eam igitur obsedit valido cum exercitu, terra marique. Cum autem aliquot ibi hæsisset mensibus, coactus aliis causis vrgentioribus leuauit obsidionem & discessit. Post quod tempus Hollandi eam adiectis nouis muntmentis firmissimam effecerũt, vt cuiuis clarum est.

Nec leues ij habuere causas cur ita facerent, cum ei qui hoc oppidum obtinet; liber pateat excursus in Campestria Brabantiæ: cõtra si eam Hispani cepissent, multum fuissent incommodi allaturi Seelandiæ, quæ vno duntaxat intercedente brachio maris cum Hollandia cohæret. Igitur qua Antuerpiam respicit, nouum excitauerunt munimentum ex eo genere, quæ à cornuta

huta lũna nomen acceperunt, cohærens cum ipsis oppidi mœnibus, cum munimentis secundariis ad receptum satis amplis, super quibus collocauerunt multa tormenta militaria varij generis. Ad sinistrũ latus huius dimidiatæ Lunæ, qua ad aliud Fortalitium itur, quatuor sunt reductæ, vt vocantur, ipsumque fortalitium probè instructum machinis igniuomis. A Berga oppido porrigitur canalis siue meatus aquæ satis largus, per quem subuehi possunt obsessis auxilia militum & alimonia, etiamsi arcta premantur obsidione, quod quidem ab obsidentibus impediri non potest. Ad custodiam enim huius Canalis ab ipso oppido vsque ad mare sunt extructa vndecim munimenta, non instructa duntaxat multis tormentis æneis, sed & præacutis palis siue sudibus horrentia, per omne iggeris vicini spacium vsque ad mare.

Qua Berga itur ad oppidum Steenbergen, prope eodem modo sunt aliquot excitata munimenta, cum multis reductis & vallo secundario. Facit insuper fluuius Soma, qui oppidum illud lluit vnam agri partem omnino paludibus rdam, quod aquæ illius frequenter extra ripas umefactæ egrediantur, terramque inundent. Habuerunt in eo Batani semper validum præsidium, non minus duobus tribusue milibus, præter ciues suopte ingenio bellicosos.

Finitis igitur induciis, capta arce Iuliacensi, bello Germanico ex parte sopito, Marchio pinola in eam vrbem conuertit cogitationes as, de cuius tamen obsidione diu multumque ogitauit, antequam eam aggrederetur. Postremò cum eo sub finem Iulij mensis adduxisset opias, auspicatus est obsidionem, eo quidem rdine ac modo, vt ingens hominum multitudo ab Antuerpia & Bruxellis conflueret ad spectaculum.

Cum enim oppidum Steenbergam cepisset, t exercitui suo alimonia tuto subuehi posset, astra metatus est ibi, occupato monte, qui à Cuniculorum in eo multitudine nomen habet, aud procul à vico Alterensi, eo ab oppido Berensi spatio, vt duobus sclopeti ictibus tangi osset. Hic cæpit fodiendi initium facere, cæpto allo à pede montis illius vsque ad oppidum, uo in opere incredibili vsus est diligentia. Hic onstitutis duobus in locis tormentis æneis, inperque in ipso monte, è regione illorum colocatis aliis, cæpit vehementissime tribus in los quatere oppidum. Altera in parte dicti mons in loco qui dicitur Raderenberg, castra pore iussit partem exercitus, quæ constabat Ita & Wallonibus, quibus primum Præfectus it Comes Salazarius, deinde Consaluus Corubensis.

Igitur Spinola, cum oppidum Steenbergam d. XVI. mensis Iulij deditione cepisset, propius epit obsidere vrbem.

Primum adorsus est munimentum Dimidiæ unæ: cum autem id validissime defenderetur, s vehemẽtissimè oppugnatũ postremo cæpit, cum vtriusque partis militum interitu. Sed paucis diebus post obsessi, cum magna vi profligassent Italos, illud iterum occupauerunt, trucidatis ex iis circiter XXX. At Itali, vt hanc à se amolirentur ignominiam, repulsis denuo Hollandis, munimentum istud rursum ceperunt, nec potuerunt eos Hollandi secundo expellere, obstante aggere, quem obsidentes iecerant vsque ad ipsam fossam munimenti. Igitur obsessi confugerunt ad cuniculos & suffossiones, quarum quis fuerit effectus, postea dicemus.

Habebat per id tempus Mauritius Nassouius exercitum apud Reezum oppidum iuxta Rhenum, qui intellecta Bergæ obsidione, statim misit eo supplementa militum cum annona necessaria.

At obsessi de nocte miserunt aliquam militũ manum ex oppido, ad custodiã propinqui collis, cuius amissio multum erat oppidanis allatura detrimenti.

Ad d. XIX Iulij mensis egressi sunt LX equites ex oppido, vt specularentur, quid rerum in Spinolæ castris gereretur, sed cum conspecti fuissent, receperunt se celeriter in oppidum.

A. d. XX & XXI dicti mensis ingressæ sunt Bergam Legiones, & cohortes quædam sub ductu Loquerenij Famasij & Hindersonij, vt omnis præsidiariorum multitudo adscenderet ad V. millia & aliquot centurias. cum his militibus venerunt quidam Architecturæ militaris peritissimi viri, inque iis Danid Aurelienses, nec non Raphius & Dexter Angli. qui vocato in consilium Rihouio Præfecto oppidi, extra id noua aliquot excitauere munimenta atque aggeres, summa diligentia, fulminantibus interea horrendum in modum machinis igniuomis in hostes Hispanos, ne fossores in opere impedire possent.

A. d. XXII. obsessi eruptionem fecere in eam castrorum partem, vbi tendebat Ludouicus de Velasco. cum autem quatuor signa equitum in armis offendissent, & ipsi longius à suis abessent, non ausi fuerunt cum equitibus pugnæ aleam subire. Reuertentes autem viginti quinque è suis amiserunt, in quibus fuit Sitonius Centurio.

Interea obsessi nihil ad summam diligentiam reliqui faciebant, sed dies noctesque fodiendo varia excitabant atque ingeniosissima munimẽta, quibus obsidentium vim frangere possent, quorum non minor erat industria. Cumque hi loco quodam fodiendo celeriter progressi fuissent, obsessi ex aduerso fossam vallumque duxerunt longum sexaginta perticas.

A. d. XXIII. Iulij grauiter fulminauerunt obsessores versus portum & meatum aquæ, vt non solum domos quasdam & naues percellerẽt, sed etiam fulcra pontis deiicerent, ipsumque pontem euerterent, vt obsessi conspecta ingenti tormentorum, quibus sine fine quatiebantur, multitudine, coacti fuerint, geminato labore vti ad struendas moles terreas quas ictuum illorum vehe-

vehementiæ opponerent. Sequenti nocte aliquot Hollandi equites, duobus locis extra munimenta oppidi egressi sunt, vt specularentur quid hostis faceret. Cum autem eos excubitores animaduertissent, receperunt se.

Per hos dies submissa est obsessoribus ab Antuerpia magna vis fasciculorum ligni, multi asseres, trabes, & alia materia lignea, nec non puluis tormentarius, plumbum, pilæ ferreæ, funiculi ad incendium apti, & eiusmodi vtensilia bellica: qui nihilo secius perrexerunt in operibus aduersus oppidum, qua diligentia tam prope ad obsessos accesserunt, vt alteri alteros emissis globis è sclopetis contingere potuerint: quod & sequentibus aliquot diebus fecerunt.

A. d. I. Augusti mensis exiuerunt oppido LXXX equites, tentantes inter munimenta & montes perrumpere, vt castra Hispanorum panico terrore implerent, commissa est ibi pugna satis acriter, vt ex octoginta vix XL. in oppidum salui redierint.

Sequenti die obsessi magna vi è machinis æneis in hostem detonuerunt, & sub secundam noctis horam emiserunt XL. sclopetarios pedites, qui turbatis hostium excubitoribus castra terrore nocturno implerent.

Die sexto globus ferreus ab obsessoribus in oppidum contortus, vtrumque crus abstulit præfecto vigilum in ciuitate. Nono vero egressi quidam equites ex oppido quosdam milites demetendo frumento occupatos occiderunt.

A. d. X. Augusti audiuerunt obsessi ingentem clamorem in castris hostium, vnde non dubitauerunt, quin id signum esset instantis oppugnationis: sed paulo post intellexerunt, eum fuisse clamorem lætitiæ, quem milites gaudio perfusi sustulerant, cum magna vis alimoniæ castris illata fuisset.

Vndecimo eius mensis die obsessi fecerunt eruptionem, sed infelici cum successu, amiserunt enim multos milites cum vno & altero centurione.

A. d. XV. perfecerunt oppidani aliam nouam Lunam siue Munimentum semicirculare. Ad hoc accesserunt postero die Hispani, rati se ex improuiso oppressuros excubitores, qui desperati vocantur. At hi, cum signum hostilis aduentus dedissent, celeriter se receperunt in munimentum. Hispani illud acriter oppugnantes, ab Anglis masculè repulsi sunt, quorum Dux erat Hinderstonius cum capitaneis Raphio & Dextro. Septies oppugnantibus Hispanis submissa sunt noua supplementa; cum verò idem ab oppidanis factum, & qui pro vallo stabant, auxilia nacti fuissent, postremo repulsi Hispani cesserunt. Fuit hæc acris oppugnatio, in qua vtrimq; multi perierunt, durante conflictu à decima hora noctis ad quintam matutinam. Male hic accepti sunt Hispani, qui multos amisere Centuriones, Tribunos & Signiferos præter gregarios milites. Nec fuit id impune obsessis, qui ibi desiderauerunt centuriones duos & Ducem Legionis Anglicanæ, Hinderstonium, qui globum plumbeum in femur receperat. Dum ad hunc modum confligitur, dispositi erant Hispani plurimos ardentes funiculos in multis locis, vt pedestris aciei speciem referrent, in quos ignes obsessi circiter trecentos maiores globos emiserunt, frustra quidem omnes, cū nulli ibi essent homines.

Finita acri illa pugna circa meridiem vtrimque vnius horæ postulatæ & datæ sunt induciæ, ad sepelienda cadauera eorum qui ceciderant. Cum autem Hispani iis abuterentur, & pergerent strenuè fodiendo, emisere oppidani in eos globos maiores minoresque.

A. d. XIX. ingressi sunt Bergam quidam Heluetij & Galli milites.

Vigesimo primo die Augusti Hispani gloriæ auidi secundo aggressi sunt nouum munimentū semilunare, cumque id summa vi adorti, multos interfecissent, plures autem amisissent, postremo nihil effecerunt.

Die vigesimo primo in oppidum venerunt sex signa peditum recentium, fuitque tota illa dies consumta reciprocis tonitruis è machinis bellicis. Idem factum est tribus sequentibus diebus, quibus duo signiferi Angli tacti occubuerunt. ad diem vero XXIV. duo signa equitum nauibus imposita, & sexaginta alij equites terrestri itinere profecti ingressi sunt oppidum. circa id tempus omnia fortalitia, quæ obsessi auspicati fuerant, perfecta sunt, nec quicquam restabat, præter transuersæ quædam lineæ.

A. d. XXVI & XXVII. venerunt obsessis auxilio septem signa peditum Germanorum, ductoribus iuniore Lantgranio Hassię & Wilhelmo Nassouio: initusque est tunc numerus militum præsidiariorum, qui non pauciores X. millibus fuisse iudicati sunt.

Vigesimo nono die Augusti coaceruarunt Hispani ingentem vim fasciculorum è virgultis ramisque arborum, recta ex aduerso noui aggeris, cui à Cornu nomen erat, inuasuri illud: sed cum eruptionem fecissent præsidiarij, repulsi fuerūt. At Hispani, cum eā ipsa hora viginti duo signa peditū iis auxilio venissent sub Duce Inaco de Broscado, adorti sunt munimentum semicirculare, cui Centurio Hollandus, Famasius nomine, præsidio erat: cumque id expugnare non possent, ingens est edita hominum strages: quæ non obstante, Hispani ad munimentum quoddam secundarium iuxta illud semicirculare perduaserūt. Occisi sunt in hoc cōflictu vltra CCC. milites ex vtraque parte, plures tamen Hispani, inter quos fuit & vir illustris Inacus de Portugallia.

A. d. IV. Septembris iussit Spinola suos aliud munimentum Lunare aggredi, quod in Septētrionem obuersum erat, vbi Hispani ter repulsi, quarto assultu id ceperunt. At oppidani magna vi victoribus irruentes, eos profligauerunt & munimentum receperunt, etiam

cum

cum suorum iactura & vnius Centurionis cæde.

Eiusdem mensis die septimo, cum animad-nertissent obsessi, Spinolã egisse cuniculos sub-er munimentum Aquilonare, & ipsi contrarios gerunt, vt illos eluderẽt. Cum autem errassent, Cuniculus Spinolæ prior subiecto igne incen-is, crepuit, tanta quidem vi, vt ruptis aggeribus mnes illius loci labores fecerit irritos, multis è præsidiariis partim ambustis, partim viuis sepul-is.

A.d. VIII. Septembris venerunt in castra Spi-olę LVII. signa peditum & equitum, cum non-ullis machinis æneis: erant autem hę cohortes Consalui Cordubensis.

Decimus tertius dies cum sequenti consum-is est fulminando è tormentis immanibus in uitatem, vnde permultæ domus cum nonnul-s turribus perculsæ ac deiectæ fuerunt, audi-sque est clamor ac eiulatus mulierum, puero-m ac inermis multitudinis, præ metu vocife-ntium.

Decimo sexto die, alius Hispanorum sub quilonari munimento succensus est Cunicu-s, qui multos milites partim in aërem sustulit, rtim ambussit & interfecit. eodem die Ber-m ingressi sunt LX equites ab Breda.

Postero die misit Spinola caduceatorem ad ppidanos, qui eos moneret, ablegarent mulie-s cum pueris & inermem multitudinem extra ppidum, quibus ipse salui conductus daturus et literas, adiunctursque præsidium. Con-tuisse enim se, omnibus quas habebat copiis oppugnare oppidum, vt vel ad posteros cla-esset futura memoria. Sed his minis adeo n terruit oppidanos, vt cohortes, quæ n nisi quaternis diebus extra oppidum iertere solebant, inposterum octonis abes-it.

Sequentibus diebus perrectum est in sub-endaterra & fodiendis cuniculis ab vtraque rte, tam Hollandis quam Hispanis ignem ppicientibus; & quanquam Obsessores feli-ores fuerint in rumpendo ex vna parte muni-nto semilunari, illud tamen occupare non tuerunt. Hoc certamen cuniculos agendi & cendendi propè quotidianum fuit.

Ad vigesimum Septembris diem iussit Mar-o Spinola grauius quati oppidum tormentis am vnquam factum fuerat antea, vnde inges ium tum sacrarum tum priuatarum facta est na, cum maximo incolarum terrore, qui id tabant fieri vindictæ cupiditate, quod con-bat, Præfectum Isendicensem cum duobus llibus militum & DCCC. nautis irruptione Flandriam fecisse, transitoque Leyra amne endiis rapinisque in pagos & agrestes desæ-se, ad Gandaui Vrbis vsque mœnia, quod Co-i non soluissent Contributionem. Contra spani minabantur hostibus, aduenturos mox Imperio Barbaros & feroces homines, Cossa-atque Polonos Croatasque.

Per eosdem dies interfectus est ab oppidanis Princeps quidam Hispanus, nomine Garzias, ex illustri Pimentellorum natus familia, vir rei bel-licæ peritissimus, cuius mors Spinolæ causa fuit magnæ tristitiæ.

A.d. XXI. Septembris indictum est in Berga oppido ieiunium solemne, habitæque sunt pre-ces maiore quam alias solebat fieri celebritate & assiduitate, vnde collegerunt plerique, eos ali-quid magni agitare animis. Sed & in Seelãdiam scripserunt obsessi, petentes sexdecim tormenta ænea cum instrumento, quod iis vti vellent ali-bi, Spinola circa portum occupato. Mirandum autem cum primis est, tot fulminibus & toni-truis tormentorum ciuitatem tantillam non sursum deorsum versam fuisse, & quamuis nihil prope relinqueretur integrum, nemoque aude-ret, vel posset turo extra suam versari domum, coacti tamen sunt oppidani pilas ferreas plum-beasque, quæ passim in plateis iacebant, collige-re, & vehiculis trulatilibus in Armamentarium publicum devehere, quæ res quanti fuerit perí-culi, planum est.

A. d. XXVIII Septembris obsessi succendé-runt cuniculum subterraneum, ea in parte vbi Italorum castra erant, cuius cuniculi is fuit effe-ctus, vt inter alios opprimeret filium Ducis Be-neuentani, cum nouem militibus Hispanis. Occubuerat paulo ante ex parte obsessorum Il-lustris quidam Gallus, Arnoldi filius, qui Reli-gionem profitebatur reformatam, qui & in Hol-landiam se receperat cum Candalio Comite, Ducis Espernonij filio primogenito, vt opem ferrent Ordinibus contra Hispanos.

Facto mane sequentis diei, oppidani alium incenderunt cuniculum, vbi Wallones castra habebant, eodemque momento vehementi facta irruptione interfecerunt Oignij Domi-num, Gubernatorem Bapamensem, Ducem Legionis, quæ constabat bis mille quingen-tis militibus, veteranis omnibus, quos præ-sidiis vrbium is exciuerat iussu Spinolæ, ex his tunc quoque non pauci perierunt.

Sic minuebatur exercitus Spinolæ ante Ber-gam in singulos dies, partim vi hostium, à qui-bus quotidianis præliis multi cædebantur, par-tim morbo asperrimo, qui castra inuaserat, par-tim etiam perfidia militum, quorum multi ad hostem transibant, quod neque sibi solui sti-pendia debita, neque præstari alimoniam dice-rent.

A.d. XXX Septembris gratus obsessis allatus est nuncius, Principem Arausionensem iunxisse sibi exercitum Mansfeldicum, eumque armis cæteriisque rebus necessariis instructum venisse ad Gertrudenbergam, vt omnibus copiis coge-ret Hispanos soluere obsidionem. Sed & eodem die nunciatum fuit in oppido, Henricum Nas-souium cum magna parte equitatus venturum Ronsendaliam, quem Mauritius frater esset se-quuturus cum vniuersis copiis, quarum instar esset ad peditum millia XXVI. equitum vero VIII.

Hoc intellecto Spinola tentare statuit, an posset

posset aliquid comminisci, quo vires Mauritij diuideret. igitur mandauit Henrico Bergensi Comiti, qui ad Rhenum erat cum copiis, vt assumtis MCC militibus irrumperet in Frisiam, impleretque terrore ac tumultu prouinciam, vt cogeretur Arausionensis Princeps partem exercitus sui eo mittere ad defensionem eius regionis. Sed hoc quidem consilium effectu caruit. Qui enim in Frisiam se infuderant, pararos ad arma & conflictum inuenerunt incolas, qui & tanta pugnandi auiditate irruentibus iuerunt obuiam, vt interfectis circiter LXXX militibus Hispanis, fugatisque cæteris, sexcentos in Cæmeterium quoddam iuxta templum compulerint, coëgerintque eos, positis armis, deditionem pro arbitrio Frisiorum facere, qui spoliatos omnibus impedimentis & vestibus prope nudos dimiserunt, solam largitivitam.

Erat iam certus animi Mauricius, soluere obsidionem Bergensem, tantum expectabat copias Mansfeldij, qui pollicitus fuerat, se breui adfuturum. Multi per Galliam ignorabant causam aduentus Mansfeldiorum, cum eos fugerent consilia soluendæ obsidionis: quanquam & alia accedebant. Incommoda enim quæ in Palatinatu acceperat exercitus eius, vt & per Treuirorum agrum Alsatiam que, in extremas difficultates eum adduxerant. Instabant tres validi exercitus, Leopoldi Archiducis Austriæ, Consalui Cordubensis & Tillij. Amissus erat totus Palatinatus, duobus tribusve oppidis exceptis. In futura reconciliatione cum Imperatore & Hispanorum rege nihil erat Spei. His ille adductus necessitatibus, maluit omnia sua in extremum conferre iactum, & rem audere, in speciem difficillimam, sed si successisset, multum habituram fructus & gloriæ.

Huc insuper eum inuitabant duæ opportunitates. Prior, quod Christianus Brunsuicensis, Episcopus Halberstatensis cum copiis suis equestribus pedestribusque se cum Mansfeldio coniunxisset, in quibus erant equitum signa LXXII, peditum millia VI. Altera, quod ipsum Bullioneus aliquoties inuitauerat, vt in Galliam veniret, vbi se nemo ei esset oppositurus, quin inuenturum eum X millia peditum, II. equitum, quos expediturі essent Tremulius, Suzæus, Russiæus aliique cum sufficiente commeatu & argento, quo soluere posset militibus suis stipendia, quam primum Mosam flumen attigisset. Insuper vel ipsum, vel filium suum Sedanensem ei præsto futurum atque porro deducturum.

His motus considerationibus, accedente spe, fore vt rex Galliæ eius vteretur opera, Soluit obsidionem Tabernarum Alsaticarum, cumque pecuniæ modum satis magnum ab illo oppido extorsisset, recta Lotharingiam petiit. Misso igitur Tubicine petiit liberum sibi dari transitum, quem si sponte permitteret Princeps, recte habiturum, si recusaret, habere se claues quibus aperiret sibi portas regionis, & mox vi transiturum.

Constabat exercitus eius peditum millibus XII. equitum VII. tormenta militaria habebat secum omnino XIIII, maiora & minora. Instrumenta bellica & materia tormentaria portabãtur curribus LX. impedimenta vero bis mille. Fæminarum, lixarum, calonum numerus ad VI. millia capitum adscendere putabatur. Crediderat Lotharingiæ Dux nimis leuiter promissis Mansfeldij, exauctoraueratque paulo ante omnes quas in armis habuerat, copias, quæ constiterant V. millibus peditum, duobus equitum, vnde cum non videret, quo pacto illum tantum exercitum impediret aut remoraretur, coactus est dare transeundi facultatem, ita tamen vt id facerent sine maleficio, contra Lotharingus suppeditaret copiis alimoniam, equis pabulum, per dies duntaxat quatuor: nec enim diuitius se ibi commoraturum dixerat Mansfeldius. Interim non cessabat Dux Lotharingiæ monere Nobilitatem per vniuersam prouinciam, & quibus ob Beneficia incumbebat arma capere, vt essent expediti ad defensionem patriæ, si necesse foret.

Ingressi Lotharingiam Mansfeldiei, magna vsi fuere insolentia, non tantum spoliando regionem, sed & stupris, rapinis, incendiis omnia implendo, vt miseri Lotharingi, quos Mansfeldici, vt aiebant, amice tractabant, quererentur, ab nullo vnquam hoste maiores se pertulisse iniurias & calamitates, cum exercitus ille non quatuor, sed quatuordecim diebus infelicem ad eum modum deprædaretur atque vastaret regionem, inspectante ipso Principe coram desolationem istam Prouinciæ suæ, nec audente Vaudemontio, qui celeriter IV. millia peditum & MD equites coegerat, contra ire aut confligere cum prædonibus istis. Direpta Lotharingia effudit se nubes ista in Episcoporum Metensis & Virodunensis agrum, vbi pariter incendii, rapinisque grassati sunt, quamuis ij duo essent Imperij Principes. Ardebant passim pagi atque villæ, cum nescij quid facerent Fromagerius & Montignius, Præfecti Mediomatricum, videntes tempestatem illam iam ipsi Vrbi immi nere, haud dubiam metuebant ciuitatis obsidionem, ad quam se omnibus parabant viribus. Inprimis Virodunenses emerunt celeriter magnam vim frumenti, quo paulo ante priuari fuerant astu Bullionæi, qui id omne, quod habuerant, emerat, appenso auro non probæ notæ. Idem & à Lotharingiæ Duce adeptus fuerat frumenti modiũm multa millia, persoluto nõ meliori monetæ auro.

In hac vicinæ Galliæ necessitate aberat rex Lutetia Parisiorum milliaribus Gallicis circiter CC. occupatus negotiis maximi momenti, qui ipsum tam procul ab Vrbe abstraxerant. Variatum hic fuit consiliis. Quibusdem videbatur expedire, vt quicquid est in finibus regni pagorũ villarum, prædiorum, vsque ad mandra & horrea cremaretur igne, adeoque omnia perderentur, ad duodecimum vsque milliare in latitudinem, quæ aduentantibus Germanis vsui esse

possent

oſſent: quod ſatius putaretur, vrere atque ſeca-
e partem regni, vt reliquum corpus conſerua-
erur. Hoc conſilium, quanquam & ante locum
nueniſſet, & à viris rei Gallicanæ perſtudioſis
roponeretur, Niuernenſis Dux probare ta-
nen non potuit, qui negauit ferre ſe poſſe, vt
ntis affligeretur calamitatibus populus iſte,
uem rex ſuæ commiſerat fidei. Aiebat enim,
idere ſe non poſſe, quid illa res adeo eſſet alla-
ta detrimenti exercitui iſti adſueto ma-
, inediæ & miſeriis belli, qui facile vnius
iei ſpacio vaſtatam poſſet tranſire regionem,
ſe effundere in eam quæ conſeruata fue-
t.

Aliis placebat, aduocare copias Hiſpanorum,
æ erant in Alſatia ſubductu Conſalui Cordu-
enſis, qui ſupremus Dux erat exercitus Hiſpa-
ci per Palatinatum. Tertij ſuadebant vocare
ohortes Bauaricas, quæ erant trans Rhenum,
ductu Anholtini Baronis, ſeparatæ à cæteris
llij copiis. Vtrumque hoc conſilium videba-
r expedire ad opprimendos Mansfeldicos,
d non iudicabatur eſſe è re Galliæ, quod habi-
i eſſent Galli vtriuſque partis exercitus in
o ſuo, qui conſtituebant non pauciores ſexa-
ta militum millibus: qui, quam cladem at-
e vaſtitatem eſſent illaturi regno, neminem
iebat. Accedebat, quod turpe futurum eſſet
iuerſæ Gallorum nationi, ſi ad exiguum tem-
s non poſſet reſiſtere hoſtibus, ſine peregri-
rum auxilio.

Cum Regina, quæ tunc Lutetiæ erat, & ſu-
mus regni Senatus ex Niuernenſi periculi
gnitudinem intellexiſſent, habitus eſt per
nm regnum delectus militum, & conſcripti
gna celeritate tam pedites quam equites.
mus qui hic obtulit operam ſuam, fuit Dux
uliſmenſis, dixitq; ſe futurum Ducem Equi-
n leuis armaturæ, teſtatus ſe militaturũ citra
bitionem ſub auſpiciis Niuernenſis, cui ille
virum nobilem nunciari iuſſit, conſcriptu-
n ſe aliquot turmas equitum, quod & alij fe-
unt per Galliam principes, inter quos fuere,
quatuor millia militum ſuo ære ſuiſque ſti-
diis ſe adducturos ſunt polliciti. Præci-
qui de patria bene mereri ſtuduerunt, fue-
Mombaſſonius, Sancti Pauli Comes, Fron-
ıs.

Bellogardius paratus erat cum pluſquam
C. nobilibus Gallis ipſe in bellum iſtud pro-
ci. Longæuillanus habebat in promtu præ-
cæteras copias ad DCCC. ex nobilitate, vo-
tarios quidẽ omnes. Ita certatim vnuſquiſq;
lebat ſuperare alios in ſtudio & affectu erga
em & Patriam Galliam.

Cum autem conſcribi tantæ copiæ in ea ce-
tate non poſſent, occupati ſunt omnes à
nsfeldio, qui iam, vt diximus erat in Lotha-
gia, vbi Dux ſuppeditabat militibus eius ali-
niam, dariſque cum ipſi tum Ducibus Lega-
que eius muneribus, vehemẽter apud eos in-
bat, vt in Campaniam Galliæ facerẽt impetũ,
ſine, vt Lotharingia celerius hoc tanto onere
leuaretur. Erat Niuernenſis Cabilloni per eos
dies, ducentos ſolos ſecum habens equites, qui
cenſuit artificio diſtinendũ hoſtem, & iniiciẽ-
dam moræ cauſam, donec copiæ Regiæ, quæ tũc
cõſcribebantur, aduenirẽt. Mansfeldio, qui me-
tuebat ne res & tumultus per Germaniam com-
ponerentur, nulla vita niſi in armis ſuauis erat.
Ne igitur neceſſe haberet, exauctorare militem,
in quo ſuas fortunas omnes conſiſtere arbitra-
batur, quærebat vbique locorum belli materiẽ,
vt vti copiis ſuis poſſet. Inprimis obtulerat ope-
ram ſuam Hollandis, quos vel omni ſuo exerci-
tu, vel parte eius vſuros non ambigebat. Egerat
ſuper eodem negocio diu cum Gallorum rege,
vſus interprete ac nuncio quodam Guiccardo.
Miſerat hũc rex in Germaniam, quam cũ tranſi-
ret, collocutus cum Mansfeldio, nunciauit re-
gi, quid is ageret conſilij.

Nec extra metum erant Hiſpani, qui vide-
bant tantum illum exercitum facile per Archie-
piſcopatus Treuirenſem & Colonenſem, vbi
neminem habiturus eſſet hoſtem, perrumpere,
& cum Hollandorum copiis ſe coniungere poſ-
ſe, nihil obſtante viæ longitudine. Iſabella vero
Belgarum Domina quantum rebus ſuis metue-
rit hinc patet, quod poſt multos quos ad Mãsfel-
dium fruſtra miſerat, poſtremo Bornouillium
Ducem ad eum ablegauerit, qui cum eum apud
Pontem Amazonium in Lotharingia offen-
diſſet, propoſuit homini conditiones luculentiſ-
ſimas, quas ipſe Mansfeldius poſtea multis oſtẽ-
dit, nempe ducenta millia Coronatorum, ſi re-
gi Hiſpano militare vellet, quod aurum is repu-
diauit, maluitque operam ſuam addicere Hol-
landis.

Aduentante Mansfeldio, Dux Bullioneus ex
omni parte ſollicitabat, quos habebat amicos,
eoſque obſecrabat vt accingerent ſe, commo-
diſſimum hoc eſſe tempus impediendi regem,
qui iam religionis ſocios per Bearniã prope op-
preſſerat, vſus prętextu, arrepta fuiſſe arma con-
tra rebelles. Regem Bohemiæ ipſum iam Sedani
eſſe, Halberſtadium ſe cum Mansfeldio coniun-
xiſſe, rem tam ancipitem aut nũc aut nunquam
fine bono terminari poſſe, vel felici bello, aut
bona atque luculenta pace.

Quidam ex ſociis Religionis eius, qui proxi-
me aderant, vt deſiderij eius ſatisfacerent, cona-
ti fuerunt occupare quædam munita loca: ſed id
paruo cum ſucceſſu. Quod de coacerua ndo ar-
gẽto excogitauerat melius ſucceſſit. Miſſis qui-
buſdam certis fidiſque hominibus ad Illuſtres
Nobileſque viros in vicinia, ſuaſit iis vt ſi vellẽt
ſalui eſſe à vi & impetu Germanorum, numera-
rent pecunias, & ſe ab iniuriis, ſe quidem arbi-
tro, redimerent. Pauci ex Nobilibus & Ciuitati-
bus fuere, qui non dederint argentum, quod
ſperarent eo pacto ſe extra periculum fore.

Inter omnes, quibus tempeſtas illa Mansfel-
dica erat formidabilis, maximam metuẽdi cau-
ſam habebat Magni Prati Comes, Præfectus
Muſonij oppidi. Habebat hic ſecum nõ vltra L.
equites, & ducentos pedites è Legione Vaube-

curtij, neque vllas videbat in Campania Galliæ copias, quarum vti posset auxilio: nec oppidum satis munitum erat aut instructum rebus necessariis. Accedebant veteres inimicitiæ inter eum & Bullionæum, cui priuati quid consilij cum peregrinis intercedere, Musonius non dubitabat. Datis igitur celeriter ad Niuernensem litteris, maximo eum orauit opere, vti sibi ad oppidum aliquot mitteret cohortes militum. Interim ipse lustrare oppidum, instaurare collapsa mœnia, munire suburbium, iacere vallum cum fossa, cogere militum manum per Cadenetum signiferum suum.

Niuernensis, qui ad primum exercitus Mansfeldici rumorem aduolauerat, cum prudenti consilio iudicaret, tantum sibi non esse virium, vt eas Germanis opponere posset, misit ad eum Dynastam Montereensem, si posset ei persuadere, vti Regi Gallo suam addiceret operam, vel si id obtinere non posset, vt diem ex die ducens, tantisper eum frustraretur, donec exercitus conueniret constans XII. millibus peditum, M D. equitibus, quem erat obiecturus conatibus Bullionæi, Mansfeldij & Brunsuicensis.

Videns autem iam in eo esse oppidum Musonium, vt obsidione cingeretur, iussit nobiles quosdam Gallos cum CCC. equitibus istud ingredi, quibus in suburbio assignata sunt diuersoria. His paulo post adiunxit quadringentos pedites, ex vicino agro collectos. Horum bonam partem extra mœnia oppidi tendere iussit, relicto vrbi præsidio signo suo Prætorio, quod constabat CC. veteranis, CC. è Legione Vaubecurtij cum ipsis ciuibus, qui erant circiter DCCC. qui arma ferre poterant.

Mansfeldius interim, cum videret tractationem cum Rege, quam Niuernensis orsus fuerat, lento pede procedere, perræsus moræ, statuit adoriri Musonium, si modo Bullioneus, qui eum ad hoc prope importunius vrgebat satisfeciisset promissis suis.

Igitur a.d. VIII Augusti mensis Mansfeldius omnem suum equitatum ad oppidum adequitare cum iussisset, ipse cum peditibus & tormentis militaribus Mosam amnem transiuit, posuitque castra ad Stangium, quod nomen est pagi vna ab oppido Musonio distantis Leuca.

Sub primum equitum Mansfeldicorum aduentum, Dampetræ Marchio, iuuenis animosus & audax, qui oppidum ingressus fuerat auiditate pugnæ, cum centum circiter equitibus, subitam fecit eruptionem, iusso Cadenero cũ quinquaginta aliis sibi opem ferre, si vsus exigeret. Inuectus ergo palantibus Damperius, qui iustum obseruabat ordinem, ea prosperitate conflixit, vt circiter LXX. ex hostibus trucidaret atque vulneraret, equos viginti, & duos ab hoste captos currus in oppidum referret, cum ipse tres tantum quatuorue è suis amisisset. Idem fecerunt pedites, qui in oppido erant: cum enim erupissent in impedimenta Mansfeldicorum, occiderunt ad XL. homines, & aliquot captiuos cum sarcinis in oppidum retulerunt. Huiusmodi velitationes quotidie acciderunt, variante fortuna, dum inter Niuernensem, & Mansfeldium variè tractatur. Erat exercitus, qui oppidum obsidebat, ex variis gentibus Germanicis compositus, confluges hominum, qui viuebant sine ordine, sine disciplina, sine obedientia, & sine solutione stipendiorum, igitur inter eos satis conuenire non poterat, cum ipsi Duces in diuersa abirent studia. Brunsuicensis enim volebat Bullionæo addicere operam suam, qui ei pollicitus fuerat coronatorum LX. millia. Contra Mansfeldius offerebat vitam exercitumque suum Gallorum regi, si certis quibusdam conditionibus inter eos conuenisset. Non recusauit Niuernensis pacta, dummodo Rex ea rata haberet, ad quem is postulata Mansfeldij perscripserat. Brunsuicensi Sedanum profecto, copiæ eius circiter XX pagos pulcherrimos exussẽrũt, partim in præfectura Musonensi sitos, partim extra illam. Dissidentibus his ad eum modum, tertia oborta est factio. Nam circiter III. millia equitum, qui nullum habebant ducem, coniurauerant, aut coacturos se Mansfeldium, vt tot mensium sibi debita solueret stipendia, aut inuasuros se tormenta eius ænea, pignorisque loco ea habituros donec sibi satis factum esset. Mansfeldius eos ita à se amolitus est, vt neutrum daret, neque pecuniam neque tormenta. Irati igitur ab eo ad Brunsuicensem defecerunt, grassatique incendiis, homicidiis, rapinis ac vastatione agrorum, milliari vno à Sedanensi oppido consederunt. Mansfeldius, videns se infirmiorem factum discessu Brunsuicensis & defectione equitum suorum, nec ignorans, regem grata habiturum officia sua, veluti id per Niuernensem intellexerat, vt sibi caueret à seditione statuit se ipsum in oppidum Musonium recipere, & tormenta quidem in minori suburbio, milites vero in maiori collocare. Igitur a.d. XIII huius mensis misit Turnonium ductorem legionis ad Magni Prati Comitem, vt ad se veniret & coram colloqueretur. Paruit Comes, & ad portam suburbij adfuit, vbi inter eos conuenit, vt Mansfeldius posterò die tormenta sua in suburbium deueheret, reseruatis sibi tantum sex minoribus, ex eo genere quæ campestria vocantur. Sic die XV. octo tormenta maiora deducta fuerunt in suburbium, & duo domus attributæ sunt, vna pro Præfecto summo rei tormentariæ, altera pro Commissario, cum præsidio quingentorum hominum.

Regina Galliæ, cũ ab omnibus partibus nunciaretur aduẽtus Mansfeldij, qui putabatur recta inuasurus Galliam, iusserat celeriter cõscribi milites, nominatis inter alios his ducibus; Nauernensi, Vaudemontio, Cheuresio, Inculismẽsi, Dandeloto aliisque. cum autem videret, tempus longum requiri, nec posse oppida, quæ ille obsedisset, subitis leuari auxiliis: inito cũ suis consilio, misserat ad Consaluum Cordubensem, qui summus erat Dux Hispanorum &

But

urgundorum, vt persequeretur Mãsfeldium, eius cæderet copias vbicunque posset. Cordubensis, cum id placere regi suo intellexisset, duxit exercitum in agrum Lucenburgicum, fuitque castra apud Ivoium, vno duntaxat Musonio milliari. Hinc misso nobili viro cum teris ad Magni Prati Comitem, petiit ab eo, i sibi nunciaret, quantas haberet Mansfeldius opias: se quidem paratum esse, pro rege Gallo cere quidvis, siue pugnandum foret, siue alia rione impediendus hostis: in eum enim finem bere se sub signis X. millia peditum V. equim. At Pratensis, qui non ignorabat, constitisse Regem suum Mansfeldij vti opera, quie non solum tormenta eius in sua habebat teſtate, sed & iuniorem Principem Vimanensem, è familia Ducum Saxonũ, quem Mansdius in oppidum miserat, maioris fidei & sectitatis ergo: de industria moras traxit, nee certi aut absoluti quippiam respondit, sed ordubensem ab Regina vel Niuernensi reonsum petere iussit. Interim ei gratias egit, auitque, ne paucorum dierum moram ægrè rret.

At Mansfeldius cum non satis fideret iis, quę er Gallos Hispanosque intercedebant pactis, stquam cum Brunsuicensi rediisset in gratiã, nuocato celeriter omni equitatu & peditatu, ictisque ægris ac mutilis, iussit exuri CC. rrus, vt equos illos lucraretur, quibus impos pedites ad Equum transcriberet, vt ad eum odum circiter octo millia equitum conficelpse vocatus à Mauritio Principe, qui leuare rgam ad Somam obsidione statuerat, magna eritate profectus est, vtique cum se in Gallia anco suspendi naso animaduerteret, coëuntis subinde maioribus copiis Gallorum, quæ viginti millia futuræ dicebantur, constituto ibitorio in finibus Campaniæ Gallicæ.

Horum ille aduentum expectare nolebat, sed nsito raptim Tirassorum & Guisiorum agro, iuncto sibi Brunsuicensi cum suis copiis, hante secum machinas quasdam bellicas, quas latinus ei Sedani impetrauerat à Bullionæo, nnoniam ingressus est, vbi milites eius indiis, rapinis, cædibusque horrendum in modum desæuierunt, trucidatis aliquot millibus estium, qui cæsis arboribus obiectisque saxis pediuerant itinera.

Hoc animaduerso Cordubensis, qui Lucenrgi erat, habens secum X. millia peditum spanorum, V. equitum, profectus est cum s, omnẽ impendens diligentiam, vt Mansfelviam occuparet. Cum autem non haberet is virium, vt tantum Mansfeldij equitam lacessere ad pugnam posset, coactus est uenienti cedere, & liberum hosti permitetransitum. Commissa enim pugna equestri, ctus inferior, multos è suis desiderauit, intere eos ductores quosdam ordinum Hispas primi nominis, amissis insuper omnibus pedimentis, quæ tamen secundo prælio reperauit.

Cum autem Consaluus noua militum auxilia accepisset, quæ ei Spinola submiserat duce Gaucherio Præfecto Veteranorum, statuit adhuc semel prælij aleam subire. Ventum iam erat à Mansfeldicis ad Fleurium oppidum, vbi conflictus multo asperior commissus est quam antea. Mansfeldij equites maxima ex parte detrectabant pugnam, non persoluta causantes stipendia, & erant sane à longo itinere admodum defatigati. In solos igitur Brunsuicenses equites omne prælij onus incubuit. Brunsuicensis cum & Ducis & Militis strenuissimi partes gnauiter obiret, vulnus malignum recepit dextro brachio, quod ei amputatum est, grangræna correptum, vbi Bredam venit. Et equestris quidem pugnæ is fuit euentus, vt neutri victi, neutri victores dici possent. Pedites vero Mansfeldici, cum equitum celeritatem assequi non possent, concisi propemodum omnes sunt. Sed profecto hoc non fuit difficile Hispanis, cum Mansfeldici confecto tot milliarium pedestri itinere exhausti viribus, debilitati inedia, ægri ac prope inermes vix repugnarent, non ægrè ferentes miseriarum suarum adesse finem. Impedimenta, quæ exigua erant, & tormenta in Consalui potestatem venerunt. Signa XXIX. pedestria fere, Bruxellas relata, & in primario templo illius Vrbis suspensa fuerunt. Quidam Dux Saxoniæ & alij illustres viri Germani imbecilles ex vulneribus in eandem Vrbem captiui deducti, & ab Isabella Belgarum Domina humaniter habiti curatique, persoluto lytro dimissi fuerunt.

Finito prælio, Mansfeldius & Brunsuicensis cum equitatu nocturnis diurnisque progressi itineribus, tandem Bredam venerunt, cum VII. fere equitum millibus, quibus omnibus data sunt hospitia partim in vrbe partim in agro, vbi quieuerunt & se ab immensis laboribus refecerunt.

Interea Berga obsidebatur & oppugnabatur, Hispanis ad omnem diligentiam nihil facientibus reliqui, vt oppidum caperent. A.d. XXVI. Septembris mensis, Morganus ductor Legionis obsidentes tali decepit Stratagemate. Magnum pileorum numerum perticis baculisve imposuit, vt hominum speciem exhiberent procul adspicientibus. In hos cum hostes multos globos artificioso igne confectos coniecissent, expectantes sollicitè effectum eorum, Morganus lectos ex omni sua legione audacissimos, bi utorum instar ad hostes adrepere iussit, nihil tale, conuerso in pileos istos vultu animoque, expectantes, qui repente consurgentes Hispanos omnes trucidauerunt.

A.d. XXIX. Septembris facta eruptione oppidani vallum hostium inuaserunt, emissisque sclopetis nonnullos interfecerũt, traiecto Vigilũ Præfecto ex Legione Wallonũ, & Marchione quodam Hispano; quo accepto detrimento Spinola iussit augeri numerũ excubitorum. Eodem die XL. transfugæ è castris Hispanorum

in oppidum venerunt, ferentes gratum obsessis nuncium, venisse Mauritium principem cum potissima parte exercitus sui ad Gertrudebergam. Postero die triginta alij in oppidum fugientes idem nunciauere. Venerant etiam litteræ ad Præfectum oppidi, quibus perscriptum erat Henricum Nassouium eodem die circa vesperam cum parte equitatus Rosendaliam venturum, ipsum vero Mauritium postero die eum sequuturum cum reliquo exercitu, constante XXVI. millibus peditum, VIII. equitum.

Vulgauerant Hispani Antuerpię & Bruxellis vanum rumorem, adempta fuisse oppidanis omnia munimenta atque aggeres extra mænia, & ipsum Spinolam iam in fossam ciuitatis peruenisse, sed & egisse cuniculos, ipsumque oppidi templum primarium subruisse, nec subiecturum ignem, nisi cum Bergenses frequentes conuenissent. Portum insuper adeo ab Hispanis teneri, vt nauis nulla ingredi aut obsessis quicquam subuehi posset. Oppidanos, quicquid habuissent pretiosioris supellectilis, iam dudum ciuitate exportasse, nec dubium esse, quin intra octauum diem oppidum sit futurum in potestate Hispanorum. Alij adiungebant, nominatum iam esse nouum Gubernatorem, Spinolam vero in vicinam Seelandiam ducturum exercitum, Ludouicum Velascum Clusas Flandriæ, Henricum Bergensem & Anholtinum cum cohortibus Bauaricis ituros in Frisiam, Cordubensem vero obseruaturum, quid tentaturus esset Mauritius, & ita breui debellatum iri.

Et hæc quidem atque talia vulgo narrabantur Antuerpiæ & alibi. At interim Mansfeldius & Brunsuicensis coniunxerunt exercitum suum cum copiis Mauritij, quæ præcipua fuit causa solutæ obsidionis Bergensis, cuius quidem iam d inceps considerabimus seriem.

A. d. 1. Octobris obsessi conspicati sunt, Hispanos transtulisse tormenta ænea ad latus oppidi septentrionale, vt ea in vicina planitie sentibus & ericis obsita constituerent, sine dubio ad excipiendum Mauritium, qui ad leuandos obsidione Bergenses cum vniuersis copiis aduentare nunciabatur, in qua re, quanta Princeps iste sit vsus solertia, non pigebit narrare.

Primum ex omnibus oppidis, quibus nihil ab hoste erat periculi, deduxit præsidia, commissa ciuibus custodia murorum. Deinde ademit Arminianæ factioni, quæ aliquot tumultus concitauerat, arma, diligenter excussis eorum domibus, vsque ad cultellum scriptorium. Candalæ Comitem aliosque centuriones, qui aptiores erant ad confligendum in aperto campo, quam ad defendendum vallum, ex oppido ad se in Castra vocauit. Germanis equitibus, quos Mansfeldius & Brunsuicensis adduxerant, vestes dedit & arma, pedites vero nauibus impositos Bredam deuehi iussit, quos ipse secutus est, recta ducturus in Hispanos obsidentes Bergam.

Nihil horum latebat Spinolam, qui celeriter emissis nunciis ad Anholtinum, Fridericum Saxonem & Ducem Holsteinium, iussit eos properare cum cohortibus suis Germanicis, & castra ponere inter Antuerpiam & Bredam. Henrico vero Bergensi imperauit, qui circiter XII. millia armatorum circa Neomagum in que agro Cliuensi habebat, vt se sine mora cum Germanis coniungeret, aduentum Mauritij expectaret, & cum eo committeret prælium, aut saltim viam impediret, ne Breda Bergam ducere exercitum posset. Nec caruit graui ratione hoc consilium. Si enim Bergensis cum Legionibus illis Germanorum se tempestiue coniunxisset, potuisset conficere exercitum XXII. millium hominum, qui quidem satis validus fuisset ad confligendū acie cum Mauritianis. Cum autem id Bergensis præstare non potuerit, coactus est Spinola deserere obsidionem oppidi, accedentibus etiam aliis causis: quod parum feliciter successissent tot oppugnationes: quod morbus Epidemius inuasisset castra: quod milites Itali seditiones excitassent & minarentur defectionem.

At Mauritius, cui longe alia mens erat, quam Spinola arbitrabatur, & qui non constituerat, terrestri itinere Bergam ire, cum simulasset, se Breda Bergam profecturum, imposuit omnes quas habebat copias nauibus, & a. d. XXVIII Septembris nocte eas altero à Berga milliari in terram exposuit, in conspectu Hispanorum, contra opinionem eorum, qui viam inter Antuerpiam & Bredam insederāt. Hinc silentio noctis vsus, misit ex militum millia in oppidū, non solum vt præsidiarios leuarent diuturno labore & vigiliis, sed & vt iis vteretur ad exequendum quod animo agitabat, consilium, inuadendi ab omnibus partibus castra Hispanorum, qui sine dubio oppressi fuissent omnes, nisi Spinola magna vsus prudentia se subduxisset.

Intellexerat enim quosdam è suis Centurionibus conuenisse cum Hollandis de prodendis castris ea in parte, vbi Legiones Italicæ tendebant, quæ periculo erant proximæ. Hic volebāt proditores in excubiis collocare non alios quā qui erant è numero coniuratorū: quibus tacentibus egressi ad decies mille Hollandi oppido, potuissent inuadere castra, & trucidare omnes sopitos & inermes, nec quicquam metuentes periculi. Interim ab alia parte Mauritius cū vniuersis copiis erat inualturus Hispanorum castra, vbi ipse Spinola erat cum robore exercitus, quo quidē facto sine dubio vniuersi concisi fuissent, & Hollandi potiti castris hostium. Hæc igitur cum intellexisset Spinola, censuit satius esse recipere se cum incolumi exercitu, quam expectare donec vi coactus fugisse diceretur.

Igitur a. d. II. Octobris mensis circa horam sextam vespertinam iussit ignem subiici castris suis, & exuri mapalia atque tabernacula militū: idem quoque fecit Consaluus Cordubensis in castris Italorum. Hoc facto misit tormenta maiora & omnia instrumenta bellica Antuerpiam, præuentis hoc modo hostibus, ipsequ

cum

cum exercitu secutus est, leui cum iactura, quod hostes longius abessent. Statim ergo exauctorauit maximam partem militum Italicorum, cum iis aliquot mensium stipendia persoluisset, iussitque eos domum proficisci, & sub vernum tempus reuerti, quod frigus inferioris Germaniæ & asperas hyemes, vt ipsi quidem causabantur, ferre non possent.

Altero die, cum iam soluta esset obsidio, venit Antuerpiam Henricus Comes Bergensis, qui parum abfuit, quin mærore moreretur atque indignatione, cum non deessent, qui tantæ turpitudinis causam ipsi soli transcriberent, quod tardius collegisset Germanorum copias. Alij dicebant, eum studio cunctatum fuisse, vt ratificaretur Arausionensi Principi consanguineo suo. Sed ab hoc is quidem crimine immunis fuit, nec potuit maiore vti in tanta temporis breuitate, diligentia & celeritate.

Hic fuit euentus Obsidionis oppidi Bergæ ad Somam amnem, quam Hispani deserere coacti sunt, postquam ad decem millia hominum ante id oppidum amiserunt, qui partim occisi, partim morbo sublati sunt, præter duo millia, qui miseriarum tædio ad obsessos transierunt.

Ex oppidanis periere omnino sexcenti, nec paruus fuit vulneratorum numerus. Eiaculafuere obsessi in hostes è maioribus tormentis globis ferreis ducenties mille, toto obsidionis tempore, ad quam soluendam multum momenti attulit Mansfeldij & Brunuicensis aduentus, nec enim ante Maurit⟨ius⟩ in hostem iuit, quam horum equites refecti, & nouis armis atque vestibus instructi fuerunt.

A. d. IV. Octobris venit Bergam Mauritius comitante Mansfeldio, cum triginta signis equitum, fueruntque ab oppidanis excepti magna lætitia & splendido apparatu. Eodem die cum Mauritius, Mansfeldius & præcipui comitum præfecti obiuerunt omnia munimenta & aggeres, lustrantes noua opera quæ oppidani excitauerant, cumque quædam refecta fuissent, quædam, quæ nullius vsus iudicabantur, solo aequata, discessit inde Arausionensis Princeps petiturus vicina oppida.

A. d. V. Octobris venit Bergam Henricus & Ernestus Nassouij, cum multis illustribus nobilibusque viris. Mauritius autem Legiones tres ad Rosendalio misit, vt caperent oppidum Steinbergen. Compellati ad faciendam deditionem obsessi, negauerunt, donec concusso oppido tormentis aperuere portas. collocauit in eo Princeps vndecim signa peditum, in quo quatuor millia modiorum farinæ siligineæ reperta fuere, gratus pro præsidiariis apparatus.

A deserta obsidione Bergensi bellum in Inferiore Germania gestum non est eo anno, nisi quis ea, quæ in Westfalia acta fuere, huc referre velit, à Legatis Imperatoris, Regis Hispani, & Ducis Bauariæ contra Hollandos, Mansfeldiũ & Brunsuicensem iuniorem.

Sub finem anni A N. C. MDCXXIII, Henricus Comes Bergensis, summus equitum militiæ Hispanicæ per Belgium Magister per concretos glacie amnes & paludes duxit copias in Velauiam, quæ pars est Geldriæ Batauicæ, vbi deprædatus est agrestes, magnam vim pecoris abegit, ductis etiam secum captiuis aliquot rusticis. Cum autem ob vim immanem frigoris diutius in illis locis hærere non posset, recepit se nulla re memorabili gesta, nisi quod multũ terroris intulit colonis, & ad arma exciuit totam Hollandiam, mittente Mauritio Principe noua militum supplementa, qui præsidio essent oppidis omnibus per prouinciam Vltraiectinam. Multos ex suis amisit Bergensis, cum intolerabile obortum fuisset gelu, accedente insuper defectu alimoniæ. Non igitur respondit expectationi hæc expeditio.

In Westfalia, quæ prouincia est Germaniæ, cæsus fuit maximus exercitus Brunsuicensis à copiis Ligæ Germanicæ, quibus præerat Tillius: & Hollandi eiecti fuere propemodum tota illa prouincia, capta Lupia Vrbe ab Embdano Comite. Mansfeldius coactus est in Orientalem se recipere Frisiam, & Brunsuicensis iterum victus est à Cæsarianis, captis præcipuis eius ductoribus & ad Cæsarem in Austriam missis, qui plerisque omnibus delictorum fecit gratiam.

Annus agebatur A N. C. MDCXXIV, Cum Ambrosius Spinola impetrato consensu regis Hispani, iussit fabricari ingentem numerum Pontonum, quibus quantumuis magnus exercitus celeriter per fluuios traiici posset, quæ res Hollandis non absque causa suspicionem mouit, moliri illum aliquid magni. Igitur Ordines confœderati cumque iis Mauritius Princeps intentis animis in cõseruationem reipublicæ suæ, nouas adiecere aliquot oppidis munimenta, cõuexere ingentem vim frumenti & aliarum rerũ ad bellum necessariarum, inprimis autem conscriptis aliquot signis peditum equitumque, roborauere præsidia oppidorum, cum Henricus Bergẽsis quidem ad Rhenum excursiones faceret, Hispani vero ad Mosam fluuium.

Quicquid supererat anni impendit Spinola delectibus agendis, vt prodigiosam hominum multitudinem coëgerit, eo potissimum fine, vt euocatis ex oppidis & arcibus Veteranis, nouitios istos siue Tyrones eorum loco in præsidiis collocaret. Venerunt & ab Italia octo millia peditum cum nonnullis equitibus, qui totis sex mensibus ante Mediolano profecti fuerant, iussi in Comitatu Burgundiæ & Ducatu Lucenburgico commorari, donec vocarentur.

Rursum Hollãdi, prẽuidẽtes nouã sibi ingruere tempestatẽ, missis Oratoribus sollicitabant animos cõfœderatorũ amicorumque suorũ, vt sibi aduersũ pernicioſas Hispanorũ adessent machinationes; inprimis autẽ Galliæ regem orabãt, vt

continuaret fœdus amicitiamque, quæ cum patre eius Henrico IV. Ordinibus interceſſerat: reſpondente rege, daturum ſe operam, ne inferior eſſet Patre in affectu erga Ordines, ſed vt intelligerent, ſibi curæ eſſe libertatem Prouinciarum. Eadem & maiora his pollicitus eſt Magnæ Britanniæ Rex, totius Angliæ robur atque vires ſe impenſurum promittens pro ſalute Ordinum, non ſecus ac Eliſabetha Regina feciſſet. Miſerunt ijdem & ad regem Daniæ, & ad Rempublicam Venetam, qui partim pecuniam & arma militeſque in futurum bellum, partim frumentum & alia neceſſaria peterent.

Interea profectus è Gallia in Angliam Mansfeldius, non diu ibi commoratus rediit, adeptus promiſſionem ſummæ Præfecturæ apud exercitum: qui ad recuperandum Palatinatum conſcribendus foret: ita enim decretum fecerant cum ipſo Rege Ordines regni, qui tum conuenerant in Parlamento, vt vocatur, tractaturi ſuper matrimonio futuro inter Carolum Iacobi regis filium, Walliæ Principem & Henricam Mariam Henrici IV. Galliæ regis filiam, Ludouici XIII. ſororem: quod matrimonium poſtea per vtriuſque regis Legatos concluſum eſt, magno cum gaudio & ſolennitate, tam Lutetiæ quam Londini.

Reuerſus ab Anglia Mansfeldius in Hollandiam venit, vbi vidit magnis viribus parari bellum contra Hiſpanos, qui in eo erant, vt obſidione cingerent Bredam Vrbem, vti paulo poſt dicemus. Videns autem ſe nullius vſus eſſe apud Batauos, vt vrgeret Decretum Ordinum Angliæ, Londinum reuerſus eſt. Ibi repetitæ ſunt promiſſiones, fore vt propediem expedirentur nummi & milites, ad inſtaurandum bellum in Palatinatu, ſperantibus Anglis, Proteſtantes Principes correpturos ex templo arma, ſi vidiſſent miſſum exercitum ab Anglo rege. Et ſane Principes plerique Proteſtantes putantur non admodum obedientes eſſe Cæſari, niſi vi & armis cogantur: ſed hi tunc quidem quieſcebant, vim & arma victoris metuentes. Sed nos ad res Inferioris Germaniæ redeamus. Primum omnium occurrit nobis obſidio & occupatio Bredæ oppidi, cui primum nomine regis Hiſpani omnem Spinola intercluſit commeatum, deinde ingenti cinxit exercitu, poſtremo fame ad deditionem coëgit, hoc modo atque ordine.

Igitur Ambroſius Spinola ſupremus belli per Belgicam Dux, cum conſtituiſſet hoc capere oppidum, poſtquam militum quam maximas conduxiſſet copias, luſtrauit totum exercitum apud Balladorum, quod nomen eſt Vico vnius milliaris ſpacio ab Lira oppido diſtanti, in quod iam magnam vim tormentorum bellicorum deduxerat, vt inde ad futuros vſus in promtu ea haberet. Hoc modo cum omnia ad longam difficilemque obſidionem adornaſſet, Turnhoutum & Hogſtratam vicina oppida adiuit, quæ nouis adiectis aggeribus muniuit, vt ibi coqueret cereuiſiam pinſeretque panes pro exercitu, cui rei magnum numerum furnorum & lebetum æneorum parari iuſſerat. Hinc profectus Iohannem Naſſouium Gubernatorem Dieſtanum verſus Grauam vrbem miſit, cum non cõtemnenda equitum peditumque multitudine, partim nauibus partim curribus eo deuecta, ipſe ſimulauit ſe cum reliquis copiis paulo poſt ſecuturum, an hac fraude Iuſtinum Naſſouium mouere poſſet, vt partem militum, quos habebat Bredæ, Grauam mitteret, & eo pacto præſidium intra Bredam redderet imbecillius. Sed Spinola hic quidem non illum ſed ſe ipſum decepit. Iohannes enim Naſſouius, cum oppidum Grauam operibus munitum & præſidio militum optime inſtructum offendiſſet, ratus ſe id fruſtra tentaturum, reuerſus eſt cum ſuis copiis & omni inſtrumento militari. Videns Spinola hac quidem ipſe ſe decidiſſe, ſubſtitit per aliquot ſeptimanas quietus, quaſi nihil minus cogitaret quam obſidionem Bredæ, ſinens Hollandos ingredi & egredi ſine vllo impedimento, emere atque vendere, quanquam Mauritius prohibuiſſet edicto, ne coqueretur in ea vrbe Cereuiſia præſtantior, quam duplicem vocant, neue vllus frumenti modius, aut cætera ad alimoniam neceſſaria exportarentur.

Vſus ad tempus ea diſſimulatione, cum videret nihil efferri ciuitate ſed potius inferri quotidie, detracta perſona duxit copias vſque ad pagum Ginnecam, qui dimidio milliari à Breda abeſt, in quo pago Præfectus Bredanus pleraſq; domos cremari iuſſerat, excepto vno Molendino, quod Marchioni Spinolæ magno vſui futurum erat, niſi ei Anglus quidem ignem ſubiecciſſet.

Primum agmen Hiſpanorum ducebat Franciſcus de Medina, qui cum ſuis ad eum locum venit nocte, quæ XXVII Auguſti diem præcedebat: quem ſequutus eſt eo die mane Spinola cum omni reliquo exercitu, quem in tres partes diuiſit. Primam tribuerat Paulo Balioneo, qua caſtris ponendis ſortitor fuerat ſpacium terræ a Boſcoducenſi oppido vſque ad Mercam fluuiũ. Alteram aciem ducebat Iohannes Comes Naſſouius caſtra metari iuſſus apud Pagum nomine Hagam.

Tertiam partem ſecum retinuit apud Ginnecam, cum Salazario Comite: ipſe Spinola diuerſorium ſumſit in domo, quam Iuſtinus Naſſouius delitiarum & amœnitatis ergo extruxerat.

A. d. XXVIII. Auguſti miſerat præfectus Seuenbergenſis Bredam verſus aliquot naues. Has, cum circa Galderam veniſſent, milites Balionei adorti acriter oppugnauerunt. Qui in prima nauli erant, quæ Præfecti Seuembergici erat, maſculè adeo repugnabant, vt reliquæ lucrarentur ſpaciũ, recipiendi ſe in oppidũ vnde exierãt: ea quæ pugnauerat, poſtremò in auerſam Mercę fluuij ripam cum euaſiſſet, & ipſa Seuenbergam fuga euaſit.

At

At Spinola, cum alias quasdam nauiculas atque scaphas nactus fuisset, duobus pontibus amnem strauit, ne quid nauigiis euehi vrbe aut in eam importari posset, adiecto ad singulos pontes munimento duplici, custodiæ ergo.

Trigesimo huius mensis die iussit Spinola duobus in locis inter Ginnecam pagũ & ipsum oppidum statui tormenta: quo vbi oppidani acriter in fossores detonuerunt; cum autem spacium longius inter vtrosque intercederet, parum effecerunt: domos tamen in hortis oppido vicinis & alia quædam ædificia suburbana incenderunt. Vltimo verò Augusti die in Hispanorum castra venerunt plura tormenta ænea, cum instrumento & magna vi nitrati pulueris. Constituerant quidam Galli equites vrbem clam ingredi, vt ibi Ordinibus militarent: sed cum nocte accessissent, conspecti ab Hispanis sunt, qui celeriter iis inuecti tres cepere viuos, cæteris fuga elapsis. Nemo enim iam poterat vrbe exire aut ingredi, nisi cum præsentissimo vitæ periculo; quod hostes diligentissimè omnes aditus intercluisissent, appositis militibus excubitoribusque.

Videns Arausionensis Princeps, hostem cinxisse non tantum cũ exercitu validissimo XXX. millium militum Vrbem, sed & vallo ab omni parte atque munimentis incluisse, omnem impendit diligentiam, vt vnum aliquem sibi liberum seruaret aditum, vt obsessis alimonia aliæque res necessariæ subuehi possent: sed hoc quidem frustra fuit. tam arcta enim pressa erat obsidione ciuitas, vt ingrediendi aut exeundi nulli portalium liceret saluo viuoque: accedente hac ratione, quod militum numero Mauritius multo erat inferior, & veteri quodam instituto non consultum putaret, mactationi certissimæ obijcere tot pugnatores, quorum ope conseruabatur patria. Hinc in eam potissimum curam incumbebat Mauritius, vt eam quam habebat militum manum conseruaret, cum plerique veterani essent atque Euocati, ex oppidorum ciumque exciti præsidiis. Constabat enim omnis Mauritij exercitus vix VIII. aut IX. millibus equitum peditumque, non Tyronibus iis quidem, sed veteranis omnibusque in armis excitatissimis, quos tã immani hominum multitudini obiicere parum boni ducis esse putabat. Prouocauerat eum bis terue Spinola ad pugnandam pugnæ aleam: sed surdis hæc accidebat Mauritius auribus, subinde Hispanos ad vexationes & leuia prælia prolicere studens, vt pari aut non multum dissimili pugnantium numero appareret, vtri bello essent meliores: quorum Henricus Bergensis, Magister Equitum Frisiolæ cum ingenti turma quatuor aut quinque millium equitum per campum oberrans, prohibebat Hollandos, ne consilia sua exsequi possent, nolente confligere acie Arausionensi. Qui desperata prospere agendi occasione, id effecit, vt impediret itinera, ne quid hostili exercitui ex Flandria Brabantiaque subuehi posset. Sed huic quoque rei Spinola iam anteuerterat; quoties enim currus onusti ab illis partibus veniebant, adiungebat iis non pauciores tribus quatuorue millibus equitum, cum duce quodam primario, vt Hollandi eos nisi cum præsentissimo detrimento & cruenta pugna adoriri non potuerint.

Interea consumebatur in oppido alimonia, nec multum iam superat obsessis, cum Arausionensis, videns se nihil in vrbem importare posse, lapsus spe, desertisque superioribus consiliis, omnes suas copias conuenire in vnum locum iussit, tamque prope accessit ad Hispanorum munimenta, vt non nisi dimidiæ Leucæ spacio ab illis abesset, ibique castra poneret. In tanta vtriusque Ducis propinquitate misit Spinola ad Mauritium, an vellet secum prælio confligere. Respondit hic, non licere id sibi per Ordinum decretum, neque videri è Reipublicæ vsu. Et sanè, actum fuisset non de oppido duntaxat quod obsidebatur, sed & de libera e prouinciarum, si Hollandi aduersum prælium fecissent.

Intellecto Mauritij responso, Spinola, cum videret eum carpendo hostiles copias quotidie, & leuiora committendo prælia, obsessoribus damna inferre, & id vnice moliri, vt commeatum & milites in oppidum importaret; quanquam hoc non videbatur possibile, quod id arctissime clausum & operosissimis ad stuporem operibus cinctum erat; ferendum tamen in tanta propinquitate hostem non esse ratus, statuit eum cum suis loco illo deiicere, quod & postremo fecit, demissis Cataractis, vt impedito aquarum decursu, totus ille ager inundaretur, vsque ad ipsa Castrorum Spinolæ munimenta.

Suis se peti videns Arausionensis artibus, celeriter abduxit exercitum, desertis vallo, & aggeribus, quos iacere cæperat ad vitandas aquas, vt ibi consistere & hostem perpetuis molestiis afficere posset.

Omnia igitur sua consilia ab Hispanis euersa videns, nec quicquam obsessis prodesse se posse, reuersus est in Hollandiam, cumque lustrasset exercitum, statuit intra Antuerpiam & Machliniam Vrbes considere, vt impediret commeatus venientes ab illis locis pro obsidentibus. Sed non maiore cum successu id fuit, cum non satis validas haberet copias equestres, & quoties necessaria Hispanicis castris supportabantur, circiter tria millia equitum aduehentibus præsidio essent, exceptis peditibus, qui magno numero ex iis vrbibus sequebantur.

Dum Bredenses arcta obsidione premuntur, detectum fuit audax & maximi momenti Consilium, quod Mauritius animo agitauerat, nec prius deprehensum fuit, quam impeditum. Nouerat præsidium in munitissima Arce Antuerpiensi valde imminutum, quod nemo ab Hollandis quicquam sibi metueret, occupatissimis in soluendos ab obsidione Bredanos, ad quam prope omnis Brabantia concurrerat. Venit ergo

cum parte equitatus ad Fortalitium Lilloanum, quod Antuerpiensi Ciuitati velut vnguis in vlcere est. Hucad se vocauit partem præsidiariorum ab Berga supra Somam amnem: cumque circiter tria millia militum collegisset, quod eas copias sufficere ad exequendum suum cõsilium arbitraretur, misit eas, vt pontones latos in fossam aqua plenam deponerent, iisque innitentes muris applicarent scalas, atque ita vallum deinde arcem ascensione caperẽt. Vtebatur ad hanc rem Arausionensis artificibus ingeniosissimis & architectis incredibilis vafritiei, qui talia confecerant ad eam rem instrumenta, vt paria ab vlla hominum memoria visa non fuerint. Mensis erat October, & elegerant insidiatores illi noctem tempestate, ventis vehementibus imbribusque fœdam atque violentam, quæ quanquam non parum incommodi afferebat iis, hoc tamen præstabat boni, quod sonitu illo tempestatis impediti vigiles, audire tumultuantium Hollandorum strepitum non possent.

Erant in arce non omnino centum milites præsidiarij sub tribuno, qui per eampse noctem morbo sontico concutiebatur: quicquid præter hos militum ibi fuerat, profectum erat in castra, vt alimoniam eo comitaretur.

Interea dum Artifices illi cõminiscuntur exequi quæ in mandatis habebant, ad occupandam scalis arcem, & rumpendas portas, profectus ipse Arausionensis cum tribus equitum peditumque millibus, captoque inter Antuerpiam & Fortalitium Lilloanum loco, expectabat sollicite, quem machinationes illæ essent habituræ successum, iussis copiis suis intento esse animo, vt proficiscerentur simul ac primum signum audiuissent. Sequebatur hos milites magnus numerus curruum onustorum alimonia & instrumentis militaribus, quæ omnia inferri debuissent, si Arx ista capta fuisset. Currus omnes tecti erant pannis albis, qui ingentes Cruces Burgũdicas præferebant, vt eo pacto decepti Hispani, si qui forte in eos incidissent, ab suis venire arbitrarentur.

Architecti Mauritiani tanta sedulitate & celeritate vsi sunt, vt dicto citius ruperint primam Arcis portam, & iam sibi ad secundam ipsumque murum Castri sibi facerent viam, ad applicandas scalas, & demiserant iam pontones in aquam fossa plenam, nec eos quisquam ex omni excubitorum numero exaudiuit, præter vnum gregarium militem Hispanum, quanquam aliquot stabant in vallo atque muro Arcis. Venti enim & tempestatis vehementia plerosque veluti surdos fecerat, quæ eadem ventorum violentia Hollandis causa fuit penitissimæ frustrationis. Euersa enim scala quædam, cum in asseres substrati pontis collapsa magnum edidisset sonitum, vigil ille Hispanus eo audito, ex disciplina militari ter percontatus est, *Quis hic hominum?* cumque nemo responderet, explosotormento suo manuario signum dedit adesse hostes. Audito eo interiores vigiliæ consurrexere, alij excitauerunt Tribunum, & sic ab omni parte concursum est ad defensionem valli & murorum. Hollandi se deprehensos videntes, quanta potuerunt, receperunt se festinatione, emittentibus in terga fugientium præsidiariis frequentes globos, quibus nonnulli vulnerati sunt, & partim in Fortalitium Lilloanum partim Bergam tanta celeritate euaserunt, vt multos ibi currus machinasque ac scalas deseruerint.

Paulo post excitatis ciuibus, præsidiarij cum magna ciuitatis parte egressi ad persequendos hostes, paucos inuenerunt, qui circa currus & iumenta occupabantur: quæ omnia præsidiarij secum in Vrbem detulerunt, inprimis pontes, scalas, aliasque admirabilis structuræ machinas, & impostorum maiore diligentia suas obiuere vigilias.

Miles ille Hispanus, cuius vigilantia fregerat ingeniosissimorum hostium conatus, & seruauerat munitissimum Europæ castrum, à Senatoribus ex arce in curiam vocatus, regalique luxu exceptus, vestem à Ciuitate dono excepit splendidissimam, qua indutus missus est Bruxellas ad Isabellam Dominam Burgundionum Belgarumque, quæ illi amplissima munera cum dedisset, pollicita fuit insuper primi nominis dignitates ac honores militares.

Eluso hoc Hollandorum astu & consilio tota ciuitas Antverpiensis delibuta gaudio, hilaria agitauit, confluentibus viris mulieribusque ad templa, & Deo consuetos pro gratiarum actione cantantibus Hymnos: ipsi vero arci adhuc trecenti milites præsidio impositi sunt, auctonumero tormentorum machinarumve æ nearum, ne impostorum tale quid accideret amissa Arce, qualem vix habuit totus Orbi Christianus præstantiorem. Hac enim si poti ti fuissent Hollandi, non solum coactus fuisse Spinola deserere obsidionem Bredæ Vrbis, se & ipsa Antuerpia atque Bruxellæ vrbes cum to ta Brabantia sine dubio in Ordinum confœde ratorum venissent potestatem.

Et Mauritius quidem ad exercitum se rece pit, magna affectus tristitia, quod tanti conatu tam infeliciter cessissent; Architecti vero & art fices plurimum sunt indignati, tot annorum i genioſas machinationes, laborem & industria vnius militis vigilantia in nihilum redacta fui se. Spinolæ vero gratissimus fuit eius rei nuncii qui scripsit obsessis, se posthac asperius mul quam hactenus cum iis acturum, qui quide obsessi, intellecto exitu infelici machinationu illarum, prope abiecto fuere animo, quod p occupationem illius Arcis certam sperauera obsidionis solutionem.

Ingressi fuerant vrbem ad primam obsidi nis famam quidam adolescentes Galli, nobil bus plerique procreati familiis, vt venirent partem gloriæ si locum tanti momenti defe diſſent, vtque pugnando in Hispanos, quos as

du

duis oppugnationibus tentaturos putabant oppidum, animi sui magnitudinem ostentarent, pro more gentis. Hos vehementer decepit spes sua, cum viderent Spinolam ducere in longum tempus obsidionem decreuisse, neque oppugnationibus sed fame vrbem ad deditionem compellere statuisse, quam longissimo ac prope incredibili spatio cinxerat vallis, fossis, aggeribusque, cum XXXVIII. munimentis, & omnino omni aditu exituque excluserat, abstinens ab omni oppugnatione & concussione tormentis facta, quamuis vltra centum machinas æneas in castris haberet. Hi igitur Galli, desperata quæ comminus fit pugna, & occasione fortiter faciendi, magna ex parte exiuere oppido, tædio diuturnæ obsidionis. Sed ab Hispanis excepti omnes, & in castra Spinolæ deducti fuere: qui eos comiter acceptos liberaliter habuit, commodato etiã argento quo opus habebant. Neque tamen permisit iis, vt vel in Hollandiam irent, vel in Castra Mauritij, sed pollicitus est, se eos ad Regni Galliæ fines vsque deducturum, diuncta vna atque altera equitum suorum ala præsidij loco, quod sciret, eos non alia de causa veredam intrasse, quam vt artes belli & tolerantiæ obsidionis rationem ab Hollandis discerent. Dimissos igitur ab se litteris sua manu obsignatis instruxit, nec vllo comitatus & benuolentiæ genere sibi deuinxit. Præter hos multi alij coacti egestate & inopia qua premebantur obsessi, in fossas aqua plenas se demiserunt, & deceptis Hispanorum excubitoribus ad castra Principis Arausionensis euaserunt.

Qui postquam omnia fecit, quæ excogitari poterant ad importandam in oppidum alimoniam & milites, nec quicquam consiliorum suorum succedere videret, statuerunt Ordines ad exterorum regum Principumque auxilia animum & spem conuertere: accedente cum prioris morte Iustini Nassouij, qui frater fuerat naturalis Mauritij Principis, & Præfectus Bredani oppidi, correptus maligna febre, cuius tanta erat violentia, vt exhaustum viribus, rebus humanis exemerit, durante obsidione. Cadauer regnis honoribus atque ceremoniis tumulatum est. Huius morte creuit Hispanis animus, quod nossent eum fuisse virum magni consilij, nimi imperterriti: præsidiarijs autem ciuibusque ingentis luctus causa fuit obitus tam prædicti ducis. Defuncto enim hoc milites, quos ipse magna seueritate compescuerat, insolentiores facti sunt, contemta disciplina militari, crescente fame & inopia, quæ nihil moderati habere solet.

Misso igitur Oratore ad Magnæ Britanniæ regem Ordines, reuocauerunt ei in mentem suorum temporum promissa, quod pollicitus fuisset consentientibus vniuersæ Angliæ Ordinibus, se opportuna & robusta laturum Hollandis auxilia, si eos ab hostibus premi contigisset: videri acriter Bredanam vrbem, quam quidem facile seruare posset, misso eo Anglorum exercitu. Quod si ipse fecisset, & hac tam graui sarcina Batauos liberasset, se profecturos vna cum Anglis in Germaniam superiorem, omnibusque viribus daturos operam, vt Palatinatum iniustis possessoribus ereptum Genero ac Nepotibus eius restituerent, idque facturos primo vere sequentis anni.

Iidem miserunt ad regem Galliæ, petentes, vt memor pristini fœderis & inueteratæ amicitiæ, Gallorum cohortes aliquot in Hollandiam mitteret, quibus ipsi adiuti hosti pares esse possent. Ab hoc vero nihil aliud obtinuerunt, nisi quod Centurionibus quibusdam Batauorum facta est copia conscribendi in Gallia milites voluntarios, suisque addicere stipendiis. Sed & Daniæ Regem de auxiliis appellauerunt, & principes quosdam Germaniæ è Protestantium numero, à quibus tamen omnibus nihil opis impetrauerunt, adeo, vt omnis spes in subsidio Anglicano consisteret, conscribente in Britannia copias Mansfeldio.

Videntes Regis Hispani Consiliarij apud Bruxellas, Hollandos vndique conquirere exterorum auxilia, vt exercitum conficerent satis validum ad depellendos ab obsidione Hispanos, proposito edicto delectus haberi iusserunt per omnes Inferioris Germaniæ Prouincias, quæ Regis Hispani agnoscunt imperium, vt peditum quidem conscriberentur millia XV. equitum vero III, vtque Veteranis deductis à præsidiis, ciuibus vel Tyronibus committeretur Vrbium & castrorũ custodia. Has copias voluerunt in omnes occasiones intentas esse, vt ad primam hostis irruptionem correptis armis obuiam irent, & à populatione eum arcerent. Tanta autem fuit eorum qui delectus habebant, sedulitas, & populorum in dandis nominibus promptitudo, vt breui tempore XXX. millia coiuerint peditum, equitum vero VIII. quibus in agro oppidisque data sunt diuersoria, vt ad primum signum præsto essent. Præter has copias venerunt Hispanis auxilio ab Germania peditum millia VI. equitum II. quos è castris Tillij euocatos Bauariæ Dux in agrum Lucenburgicũ miserat: quo tanto apparatu bellico in suspicionem venerunt vicini principes, vt & ipsi suos vigilare iuberent, & intentis in Hispanos esse animis, quorsum tanta vis armatorum tenderet: sed hic quidem metus vanus fuit, deductis copiis diuisisque & in hyberna collocatis.

Durante obsidione Bredana venit Bruxellas Sigismundus Poloniæ Regis filius natu maximus, comitatus quadraginta Polonis, nobilissimis per totum istud regnum prognatis familiis, cum magna insuper sequela curruum ac impedimentorum. Hunc aduentare vbi intellexit Isabella Austriaca, imperauit Spinolæ, vt ex omni copia sua equestri legeret tria millia, florem totius equitatus, & venienti Principi Polono mitteret obuiam. Paruit hic, misitque equites, qui eum exceperunt apud Mosæ Traiectum & Bruxellas vsque deduxerunt. Exceptus hic est exqui-

exquisitis honoribus, quibus excipere par erat filium & hæredem potentissimi regis, qui spacio quatuor annorum admirabili successu in acie deleuerat ad CCCC. millia Tartarorum & Turcarum, quos Solymannus in Podoliam miserat: quibus partim cæsis partim profligatis, Poloni equites ad LX. millia penetrauerant vsque ad ipsa Ottomanni castra, qui ea celeritate territus fuerat, vt se Constantinopolim fugienti similis receperit.

Ingrediente Vrbem Principe Polono, armati stetere ciues Bruxellenses, & tonuerunt horrendum in modum tormenta ænea, quibus honor habitus est Principi, qui in Spinolæ ædes deductus ibique hospitari iussus est, Fisco regio sumtus opulentissimè suppeditante. Confluxerant ad hanc Vrbem præcipui viri Principes, illustribusque prognati familiis, desertis castris ante Bredam, vt ei haberent honorem, quos omnes excepit humanissime, cum præter Polonicam linguam loqueretur Latinam Italicamque: fuitque multum temporis insumtum in conuiuia, ludos, festiuitates, decursus equestres & alia lætitiæ publicæ genera.

Præcipua causa aduentus eius fuerat, vt videret castra Hispanica, quibus cingebatur Bredanum oppidum, operosissima illa quidem & monstrosæ amplitudinis.

Bruxellis igitur profectus cum ingenti comitatu virorum Principum nobiliumque, in castra cum venisset, magnificè exceptus est à Marchione Spinola, qui cum VI. millibus equitam in occursum eius progressus fuerat cum omnibus prope maiorum gentium ductoribus militaribus. Obstupuit Princeps Polonus viso tam operoso castrorum ac munimentorum apparatu, quæ quinque milliaria complectebantur, accedente militum numero ad XL. millia, tormentis circiter centum constitutis ad concutiendum oppidum: id autem cum primis miratus est, in tanta variarum gentium confluge omnia recte atque Ordine fieri, seruari disciplinam militarem, præstari summam obedientiam.

In castris cum aliquandiu fuisset, hospitatus apud Spinolam in domo deliciarum Nassouij, Bruxellas rediit, iisdem prope comitantibus eum, qui proficiscentem ab vrbe in castra deduxerant.

Interea obsessi facta eruptione proxima munimenta adorti sunt, capto etiam humiliore vallo & occisis propugnatoribus. At Spinola cum celeriter eo misisset maiores copias, fugere denuo Hollandi coacti sunt, quo in cõflictu vtrimque multi cecidere, plures tamen ex oppidanis, quorum multi imbre plumbeo perspersi in Vrbem redire non potuerunt.

At Princeps Polonus cum valde laudasset rationem & institutum bellicum Spinolæ, magnasque Isabellæ Austriacæ pro præstitis sibi honoribus egisset gratias, discessit Bruxellis, splendidisque ornatus muneribus per Germaniam in Italiam profectus est.

At in Hispania Princeps Neoburgicus cum Madritum venisset, exceptus est ab eo Rege totaque aula Hispanica iis honoribus, quibus maiores nunquam viderat. Pares vel etiam maiores exhibiti sunt Carolo Archiduci Austriæ, Ferdinãdi Imperatoris fratri, Ordinis Equestris Teutonici magno magistro: qui tamen subitanea morte in ea vrbe extinctus, toti aulæ ipsique regi ingentem luctus ac tristitiæ materiam suppeditauit.

Sed nos à rebus exteris ad obsidionem Bredanam reuertamur: quam antequam finiamus, lustremus propius ipsa Hispanica castra, vbi quisque ducum metatus fuerit, deinde cætera dispiciemus.

Igitur *Paulus Balioneus Italus* cum VI. millibus peditum & mille equitibus, elegit sibi planiciẽ, quam Belgæ *Ter Heyden* vocant, vbi castra posuit; eaque vallo cinxit atque fossa, adeptus possessionem Cataractarum nonnullarum, quibus aquas impedire poterat & inundare regionem, si opus foret. *Iohannes Comes Nassouius* ex aduerso consedit cum suis Legionibus, iuxta Pagum *Tetterimgum*, vbi quædam munimenta excitauit. *Baro Balantsonius* ipsum Pagum, quem diximus, occupauit: *Brabansonius* iuxta eum consedit, occupato Delubro quodam. Sic factum est, vt quicquid intercedit spacij inter pagum *Ginnecam* & Ter *Heyden*, totum occupatum fuerit vallo perpetuo intercedentibus variis munimentis quadratis, fossis, aggeribus, paludibus, vt ne vnus quidem currus ingredi potuerit, multo minus aliqua militum manus, nisi ruptis aggeribus & pulsis propugnatoribus valli.

Marchio Campolaterræ vallum produxit à *Ginneca* ad *Hagam* Pagum, atque inde ad riuulum qui à *Sunderto* Pago ad Bredam labitur, vbi *Comes Isenburgicus* tetendit, perfectis exquisitis munitionibus, excitatoque nouo fortalitio inter *Hagam* & *Bredam*, perductoque vallo vsque dum coniungeret cum Balionæo, qui ponte strauerat fluuium, qui à muris oppidi vicinum mare petit.

Franciscus de Medina Castrorum Præfectus nocte prægressus exercitum occupauerat mo aquariam inter *Ginnecam* & *Bredam* qua par poterant obsessi facilime eruptionem facere castra Spinolæ, eamque vallo ac fossa muniuerat. Erant autem hinc inde in castris structi fuini, ad coquendos panes, & officinæ cereuisiæ, quæ sufficerent toti exercitui.

Cæterum Isabella Austriaca cũ intellexisset Principes quosdam exteros, & Respublicas constituisse, totos exercitus in eas inferioris Germaniæ prouincias mittere, quæ regi Hispaniæ parent, venturumque certo Mansfeldium cum Anglis, vt vastata Flandria vel Brabantia cogeret Spinolam discedere ab obsidione: repetito Edictũ, quod Carolus V. Imperator sanciuerat vt vniuscuiusq; Prouinciæ pagi atq; villæ singulæ quaternos mitterent in bellum pedites, suritibus communitatis: singula autem oppida cetum pro modo facultatum armarent equitum

num

ſumerum; ipſi verò ciues arma caperent ad defenſionem murorum. Paruerunt mandato omnes earum Prouinciarum incolæ, & agreſtes quę habebant in vrbes comportauerunt, vt nihil in agro relictum fuerit, quod deprædari exteri poſſent, ablato etiam frumento atque alimonia: tantibus inſuper in procinctu viginti quinque rmatorum millibus, qui venientibus hoſtibus orpora ſua erant oppoſituri: eratque inprimis Mansfeldij nomen aliis quidem terrori aliis ero odio ob rapinas, quas exercitus eius pauis annis ante per prouincias Galliæ Belgicæ feerat.

Interea multum incommodi accipiebant Hiſpani in caſtris, ob anni tempus pluuiis freuentibus madens, ſolo inſuper ſua ſponte humili atque paludoſo; vt milites atque in primis xcubitores vſque ad genua in aquis ſtare coerentur; accedēte ob nimium madorem morbo, quo vltra decem millia eorum perierunt: uibus neceſſitatib. ad commiſerationem moIſabella Auſtriaca, ſuis ſumtibus fieri iuſſit ſecies mille paria ocrearum, quibus munire pes atq; crura milites poſſent, qui iam prope in quis natabant, parum proficientibus pontibus gneis aſſeribuſque, quibus humum ſterni iuſrat Spinola. Eadem miſit in caſtra ingentem m omnis generis commeatus & alimoniæ, inrimis cereuiſiæ, ab vrbibus, Antuerpia, Bruxels, Machlinia, Louanio, Buſcoduco; additis XII. illibus militum, qui omnia deducerent in cara; ne ab Hollandis rapi aut intercipi poſnt.

Per hoſce Dies Mauritius videns promiſſa uxilia, præſertim quæ ab Anglia expectabantur, imis cunctari, ſtatuit extremum remedium agredi, & tentare, an ſublatis Cataractis immiſſaue aqua marina vniuerſa Hiſpanorum caſtra quis obruere atque inundare poſſet, cui rei deinauerat vltimum Ianuarij diem; quo nouilium futurum erat. Sed & id conſilium effectu ruit, cum aquæ tam altè aſcendere non poſnt, ſolo non adeo humili depreſſoque; vt eſt ollandicum.

Obſeſſi interim quotidie ad maiorem redebantur inopiam, deficiente inprimis vino, ceuiſia, ſale; vt præfectus oppidi ſtatuerit, ſuos uos habebat milites non diutius affligere & niumere fame; ſed ex temporis difficultate pere conſilium, ſi non mature ſolueretur obdio: quæres quam difficilis factu fuerit, ſatis ôbis ſupra oſtenſum eſt. Sic tam obſeſſi quam ſidentes ad perpetienda omnia obſtinauerent animos; nec his deſerere nec illis dedere ppidum volentibus, vt obſtinatione maiori vix nquam vllum oppidum obſeſſum deferſumq; erit.

Poſtremo tot malis defatigati obſeſſi aduerſæ rtunæ manus dare coacti ſunt, cum ab Arauonenſi Principe Præfectus oppidi litteras acceſſet, quibus perſcriptū erat, fruſtra eſſe, quod eret, depelli Hiſpanos ab obſidione poſſe: caerat igitur conſilium ex præſenti neceſſitate, & dederet potius oppidum honeſtiſſimis quibus poſſet conditionibus, quam ſineret inedia conſumi cum ciuibus fideliſſimis fortiſſimos milites.

Igitur A. D. V. Iunij menſis anno A N. C. MDCXXV Præfectus oppidi, quem vulgo Gubernatorem vocant, egreſſus eſt cum omni præſidiariorum numero, qui erat, peditum quidem ſigna XLV. equitum verò II. contra Spinola Marchio ipſe cum præcipuis Ordinum ductoribus intrauit oppidum; milites tamen ingredi paſſus non eſt, conſtitutis ad portas excubitoribus, & hoc pacto Breda oppidum velut poſtliminio in Hiſpani regis venit poteſtatem.

Situm eſt autem iſtud oppidum in ea Brabantiæ parte, quæ Campania, vulgo *Kempen* vocatur, diſtatque ab Antuerpia Leucis VIII. ab oppido Berga ſupra Somam fluuium VI. à Monte Gertrudis II. Ager circa id abundat frumento, pratis paſcuiſque; multis intercedentibus dumetis & teſquis.

Alluunt id duo fluuij, quorum maiori nomen eſt *Merca*. Ipſum oppidum elegans eſt & amænum, in quo multæ ſunt domus nobilium, Templum inſuper amplum & ornatum valde, quod Naſſouij Comites adiunctis ædificiis nonnullis auxerunt; præſertim Sacello, vbi ſpectatur ſepulchrum magnificum Renati principis Cabilonenſis. Sub eo crypta eſt ſubterranea, in qua conditi ſunt Priſcipi domini ſiue Barones Bredani. Altius autem inter omnia ædificia caput extollit Palatium, quod Henricus Naſſouius ſtruxit, Guilielmi Naſſouij, Principis Arauſionenſis patruus. Palatium hoc Caſtellum ſiue Arcem nominare poſſis, quod vallo cingatur & duplici foſſa plena aquis. Eſt in eo Armamentarium inſtructiſſimum omni armorum & machinarum bellicarum genere: foris autem durante obſidione plurima noua excitata ſunt munimenta; quibus ipſa vrbs multo firmior quam ante facta eſt, vt inter munitiſſimas totius Orbis Chriſtiani referri mereatur. Denominatur ab hoc oppido vicinus ager, vt appelletur *Baronia Bredana*, quæ ſatis latè pātet, complectiturque hæc oppida; *Steenbergam*, *Roſendalium*, & *Oſterhudam*.

Anno A.N.C. MDXC. egit Philippus Naſſouiæ Comes nomine Mauritij Principis cum quodam nobili viro Carolo Heraguerio, Cameracēſe ſuper deditione & occupatione illius vrbis; quam meditabatur Arauſionenſis Princeps, ope nauarum; qui ceſpitem foſſitium & carbones in eam conuehere ſolebant. Heraguerius, cum in ſe ſuſcepiſſet prouinciam illam, vſus eſt opera cuiuſdam Adriani Bergenſis, qui conſueuerat ceſpites alendo igni inferre Arci. Igitur cum impoſuiſſent naui ſigillatim in eos vſus adornatæ LXX milites audaciſſimos, eoſque ab omni parte ceſpite texiſſent, adegerunt eam a. d. III. Maij ad Vrbem, cumque leuatæ eſſent Cataractæ, penetrauerunt in ipſam vſque arcem. Vndecima hora noctis Heraguerius iuſſit ſuos egredi è naui, & auxilio centurionum

Lamberti

Lamberti & Ferneſij occupauit arcē, fruſtra repugnantibus acerrime præſidiariis. Certior hac de re factus Arauſionenſis in veſtigio adfuit, & ſine difficultate oppidum quoque ſibi ſubiecit.

Anno A N.C. MCDIX Grobedonquius Præfectus Buſcoducenſis cepit conſilium occupandi oppidi Bredani, egitque cum Rupenſi, vt acceptis II. millibus Coronatorum ſibi traderet Vrbem. Simulauit Rupenſis ſe traditurum eam, iuſſitque Grobedonquium ad certum diem adeſſe. Adfuit hic ad condictum cum IV. millibus peditum & XI. ſignis equitum ante portam. At oppidani facta eruptione in Hiſpanos, emiſiſque in eos tormentis eluſere conſilium Grobedonquij, qui coactus nulla re effecta ſe recipere diſceſſit, cum oppidani pontem penſilem ſubito adduxiſſent.

RESPVBLICA HELVETIORVM
SIVE DE PAGIS HELVETIORVM FÆDERATIS.

SVMMA CAPITA.

1 *Deſcriptio Heluetiæ.*
2 *De Rhetia, & ipſius limitibus.*
3 *De Valleſanis.*
4 *Diuiſio Heluetiorum in XIII Pagos.*
5 *De Pago Vrienſi, qui Taurus dictus tempore Cæſaris, & vnde hoc ipſi nomen.*
6 *Vria pagus, diuiſus in decem ciuitates, ac primum de Suitſia.*
7 *De Vndervvaldia.*
8 *De Lucerna, & locis iuriſdictioni ipſius ſubiectis.*
9 *De Tiguro.*
10 *De Tugio.*
11 *De territorio Glarona.*
12 *De Berna, quando fuerit condita, de eiuſdem municipiis & annexis.*
13 *De Pago Friburgenſi.*
14 *De territorio Schaphuſiano: & vnde nomen acceperit.*
15 *De territorio Abbatis-cellæ, & quare ita appelletur, ipſiuſque in duodecim partes diuiſione.*
16 *De Valleſanis, qui in ſuperiores & inferiores diuidantur, & eorundem conuentibus.*
17 *De Rhetis, in tres populos fœderatos diuiſis.*
18 *Quæ ſit fertilitas Heluetiæ, & quibus abundet. Item quis ſit prouentus agri Tigurini aliorumque pagorum, & quid illi proferant.*
19 *De ingenio & moribus veterum Heluetiorum, & de eorundem fortitudine bellica tempore Cæſaris.*
20 *De ingenio Heluetiorum huius ætatis, eorumque procliuitate ad arma & temulentiam.*
21 *Sterilitas territorii Heluetiorum, exceptis paſcuis.*
22 *Situs Heluetiæ natura loci munita, propter Alpes, quæ ſunt ipſis loco valli & propugnacul.*
23 *Reſpublica Heluetiorum, tribus partibus conſtans, & quot pagos vnaquæque contineat.*
24 *Quando & quomodo Heluetij fœdere ſe ſociauerint, & Rempub. ſuam inſtituerint.*
25 *De fœdere trium Pagorum Badena percuſſo, anno MCCCXXV. & illius capita.*
26 *De alio fœdere Lucernæ, Vriæ, &c. & quid illud contineat.*
27 *Conuentus Sangalli quatuor ſupradictorum pagorum, vim habens legis & fœderis.*
28 *Fœdus Tigurinorum cum Pagis, & illius articuli.*
29 *Fœdus Tugienſium cum quinque Pagis.*
30 *Fœdus Glaronenſium.*
31 *Fœdus hæreditarium inter Imperatorem Maximilianum, Carolum archiducem Auſtriæ & Heluetios.*
32 *Coniunctio trium populorum fœderatorum Rheti cum Pagis Heluetiorum.*
33 *Concluſio & articuli ex iure Canonico cum dominis & incolis Valleſiæ.*
34 *Fœdus Sangallenſe, & illius forma.*
35 *Poſtrema pax cum Tigurinis facta, die S. Octauiani anno MDXXXI.*
36 *Pax Bernenſis, anno MDXXXVII. & illius articuli.*
37 *Qua ratione Reſpublicæ celebriores, tam veteres quam recentes, ſuum imperium auxerint & propagarint.*
38 *De duplici Senatu Tiguri & Baſileæ, & quot Senatoribus conſtet.*
39 *De generalibus Heluetiorum comitiis.*
40 *De miſtura & diuerſitate religionis, Heluetiorum & de turbis in Rhetia & Valle Tellina propterea ortis.*
41 *De ipſorum fœderibus cum Regibus & Rebuſpublicis in Europa, & quæ officia pro ſtipendiis, quæ accipiunt, præſtent.*

SErmonem nunc inſtituimus de pluribus Rebuspublicis, quæ fœdere inter ſe iunctæ, conſiliorum & auxiliorum communicatione longo iam tempore incolumes perſtiterunt: adeo vt nullus eas ſit auſus aggredi, quin re infecta diſceſſerit, & cum damno repulſus fuerit. Etenim Heluetij tam arcto nexu hodieque inter ſe deuincti ſunt, vt Princeps, qui fœdus ipſorum diſſoluere conetur, quamuis omnes artes adhiberet, oleum & operam perditurus ſit. Vt igitur ad rem veniamus, & ordinem propoſitum perſequamur, Heluetia prouincia eſt Germaniæ quæ ad Ortum Rhetia, Conſtantia & parte Sueuiæ; ab Occaſu Valleſia & Comitatu Burgundiæ; à meridie Ducatu Mediolanenſi prope Comum; à Septentrione parte Alſatiæ terminatur

quam

uandoquidem Basilea Heluetię annumeratur, nter tredecim Pagos refertur, tametsi in Alia sit sita. Sunt præterea tres populi fœderati hetiæ, quæ olim superior Sueuia dicta fuit: deide Abbatia & vrbs S. Galli, Mulhusium, & otuilla: qui fœdus cum Heluetiis iunxe-

Rhetiæ limites sunt, ab Oriente, Comitatus Tiroletis: ab Occidente, Heluetii: à Meridie, ucatus Mediolanensis, & territorium Bergoense: à Septentrione ditio Regis Romanorũ, iæ iurisdictioni ipsorum intermixta est.

His annumerantur septem decuriæ Vallesaorum, qui olim Sedunenses dicti fuerunt, & hodanum accolunt. Hi ab Oriente conterminos habent Heluetios: ab Occidente, Sabaudiã: Meridie, Lacum Maiorem, & Pedemontium: Aquilone, Lacum Lemanum, & partem Heltiæ. Omnis autem fœderatorum regio diuidi in partes tres, in Heluetiam, Rhetiam & Vallsiam.

Heluetii subdiuiduntur (vt antiquiores diuiones in Ergouiam, Turgouiam, Vchtoniam & as similes prouincias omittamus) in tredecim gos, Vriam, Suitsium, Vndervvaldiam, Lucerm, Tigurum, Tugium, Glaronam, Bernam, sileam, Friburgum, Solodurũ, Schafhusium, Abbatis-cellam.

Primus pagus, qui est Vria, nullam vrbem hat: præcipua illius sedes & aliarum caput est torfium, qui locus est apertus, & Lucerna mil. circiter Italico distat. Eius iurisdictio mon- S. Gothardi transcendit. Nonnulli perhiunt, eum tempore Iulii Cæsaris Taurum dium fuisse, & nomen illud inde ortum, quoniã priuallenses hodie Tauros appellant Vros. Ie pagus etiamnum caput Tauri in area viridi suis insignibus gerit. Incolæ aiunt, se à gente adam ethnica ortos, quæ nomen Gotorum Vrorum habuerit, posteaque ad religionem hristianam conuersa fuerit. Post multas impeorum mutationes, hæc pars vltimo loco à Geanis auulsa, ad Tigurinos rediit, eo tempore, o Rom. Imperium translatum fuit ad Geanos, & omnes prouinciæ, quę olim Rom. Imrio subiectæ fuerant, libertatem recuperant, forma Reipub. inter se constituta, nullum periorem agnoscentes, præterquam Rom. Imrium: vt apparet ex priuilegiis, quæ ipsis à Rolpho Habspurgensi, Rege Romanorum, aliisque Imperatoribus concessa fuerunt: neque vlam domui Austriacæ, vt nonnulli volunt, paerunt: quoniam cum Imperator ex illa familia electus esset, Imperatorem quidem domium suum agnoscebant, non autem familiæ iius hæredes.

Hic pagus Vria in decem partes seu ciuitates uiditur, quas Gnosammannias appellant.

Suitsia oppidum est ad ripam lacus Lucernensitum, à dextra, qua Altorfio Lucernam itur, nomen suum omnibus Heluetiis impertit. loc oppidum conditum fuit ab iis, qui ex reno Sueciæ exierant, vt nouas sedes quærerent. Eius nomen toti regioni tributum fuit, vel quia Heluetii primum in Suitsensium territorio pro libertate patriæ pugnarunt: vel quia Suitsenses primi expositi fuerunt inuasioni Austriacorum, & trium pagorum, qui fœdus initio percussérũt, potentissimi fuerunt: ita vt nomen ipsorum postea ad omnes fœderatos transierit.

Suitsiæ Vndervvaldia versus Ortum subiacet, & in superiorem atq; inferiorem diuiditur, quã silua Kernovvaldia mediam dissecat: nihilominus totus hic pagus Vndervvaldia, seu silua inferior vocatur. 7

Lucerna nomen accepit à loco, in quo sita est, qui olim Lucerna nominabatur à turre, in qua noctu lumen accendebatur. Frequentari cœpit propter monasterium illic ædificatum à quodam Vincardo, anno DCCCXL. Iuxta illud & illius potissimum causa condita fuit. 8

Per vrbem fluuius labitur, qui Russius dicitur, & prodit ex magno lacu huius vrbis, quem admodum Rhenus ex lacu vrbis Constantiæ, & Lindmarius ex lacu Tigurino profilit. Per hunc lacum ad tres pagos Vriam, Suitsiam & Vndervvaldiam itur, ad radicem altissimi montis, qui mons fractus & Mons Pilati appellatur, & originem huic vrbi dedit.

Loca iurisdictioni Lucernatum subiecta sunt Vkenia, Sempachium, Willisouia, Vallis Entlibuchiana, Rotenburgum, Habspurgum, Berona, Chelamtium, Merisciuãdia, Ebicona, Horba & Krientum.

Tigurum vrbs est antiqua, amœno loco sita, ad extremitatem magni lacus, qui illic desinit, in quem fluuius Limagus prope Glaronam se infundit. Hic lacus vrbem in duas partes diuidit, quarum vna magna, altera parua vrbs appellatur: vna tamen cum altera tribus pontibus admodum incundis iungitur. Hæc vrbs habet sub se præfecturam Kyburgensem, Grinouiensem, Audelfingensem, Grifenensem, Eglisunensem, Regensperg̃sem, Vadisluillanam, Wadischouillanam, Lupodunensem, Vintertur ensem & Steinensem: quæ duo postrema loca sunt oppida Tigurinorum imperio subiecta. 9

Tugium vrbs est, à qua paruus quidam tractus nomen accipit, Suitsii territorio versus Aquilonem conterminus. Vrbs sita est in margine parui lacus, & sub suo imperio habet oppidũ Campium, pagum Andreæ, Hunelberegium, Ouachenillam, Steinhusium, S. Wolfgangum. 10

Glarona vallis est prope Limagum fluuium. Non admodum magna est: in longitudinem tria tantum milliaria Germanica patet, & nomen sortitur à præcipuo huius pagi loco, qui Glarisium seu Glarona appellatur. Tribus locis cingitur altissimis montibus, & à Meridie atque Ortu Rhetis; ab Occidente Vrienslibus & Suitsensibus confinis est. Huic pago tribuitur Comitatus Hamburensis, & Baronia Humbergensis & Ringenbergensis. Vrbs Glarona imperium tenet in Comitatum Verdenbergensem, quem magistratus pro Repub. emit anno MDXVII. 11

Berna condita fuit à Bertoldo IV. Duce Zeringiæ 12

ringæ,& Comite Vchtlandiæ, qui capto vrso in venatione nomen Bernæ ipsi impositum, quia *Bern* Germanis vrsum denotat. Hæc vrbs est instar peninsulæ, quam efficit fluuius Arula, qui ad tria latera eam alluit. In illius extremitate pons est lapideus ea parte, qua vrbs Meridiem respicit. Hic fluuius humili loco ab occidente in orientem labitur, deinde redit, & iactu tormenti in occidentem tendit. Solum huius vrbis continentem tangit, & si isthmus perfoderetur, Berna esset insula.

Versus Meridiem & Septentrionem cliuus est præaltus vsq; ad fluuium, qui ad ipsius radices labitur: & versus orientem facilis est ascensus, quo ad summitatem vrbis peruenitur.

Berna sub sua potestate habet vrbem Lausannam, cuius situs est admirabilis: nam duos colles oppositos & vallem interiectã occupat. Habet præterea Berna sub se vallem Haselanã, Vnderseyven oppidum, superiorem & inferiorem vallem Simiam, Frutingam, Sanam, Ælenam, Thunium, Lupodunum, Signauiam, Drachsewaldiam, Brandisium, Sicomisvvaldiam, Burgdorffium, Bireneckam, Landshutum, Arebergam, Nidouiam, Erlachium, Wangenam, Arvvangenam, Arburgum, Biberstenium, Schenckenbergam, Lentzburgum: tum ciuitates liberas, Zoffingam, Arauiam, Bruckiam.

13 Friburgum monti impositum est, qui duabus rupibus erectis fulcitur: ab altero latere in valle iacet, montib. non nimium arduis cincta, quorum vnum fluuius mediocris magnitudinis ad infimam partem vrbis præterlabitur.

Tribunal in rupe pendente situm est. Montes sustinent mœnia: quanquam versus Orientem nulla sunt ædificia, præter turres & munitiones: quaqua versus per vrbem itur, ascendendum aut descendendum est.

14 Solodurum, quod olim tantum arx erat, ad eam tandem potentiam peruenit, qua nunc pollere cernitur. Vrbs est non contemnenda, quæ sub se agros & homines habet. Vrbs est sita in planitie: atq; hoc loco S. Vrsus ex legione Thebanorum martyrium subiit, cum LXVI. sociis.

15 Territorium Schaffhusianum situm est in Germania, ad Rhenum & siluam Hercyniam. Illud nomen accipit à metropoli, cuius mœnia versus Meridiem Rhenus alluit: è regione versus Aquilonem est monticulus: in vrbe complures sunt fontes egregii. Non longe ab ea conspicitur vrbs Badena.

16 Abbatis-cella nomen est pagi, qui diuiditur in duodecim partes, quas Heluetii *Roden* appellant.

Sex ciuitates sunt sub ditione Abbatis: aliæ sex suam peculiarem iurisdictionem habent.

Numerantur autem in hoc tractu octo paræciæ: nempe, Abbatis-cella, Gays, Vrneschen, Trogen, Tuffen, Herisgovv, Hunduil, & paræcia Fossæ. Ciuitates extra ditionẽ Abbatis sunt, Herisgovv, Hunduil, Trogen, Vrneschen, Gays. & Tuffen: in ea sunt Abbatis-cella, Schvvendy, Brusisovv, Gontes, Winxelbach, & Haslem.

Vallesani in superiores & inferiores diuidũntur. Hi habitant Cablesii, prope S. Mauritium: illi in valle, quæ incipit à monte Furcæ, & versus Rhodanum ab Oriente in Occidentem tridui itinere vsq; ad S. Mauritium extenditur, cum dinersis minoribus vallib. ab vtroq; latere. Claditur vndique altis montibus, quinquies mille passuum spatio, & amplius. Quibusdam locis tam arcta est, vt vix transitum Rhodano concedat: quemadmodum videre est ad S. Mauritium vbi montes adeo vicini sunt, vt per pontem vnius arcus ab vno ad alterum transire liceat.

Præterea Vallesani diuiduntur & distinguuntur in liberos & subiectos. Liberi subdiuiduntur in septem ciuitates, nempe Sedunum, Sierram, Euquiam, Baroniam, Vespachium, Briquã Gomesam. Subiecti diuiduntur in duas præfecturas, S. Mauritii, & Montis Olonis. Fluuius Morsia hos ab illis separat.

Sedunum, vrbs primaria Vallesiæ, super gemino monte sita est. Rhodanus, qui eam præterlabitur, oritur ad radicem Montis Furcæ, propè montem S. Gothardi, & per supradictam vallem fertur, donec in lacum Lemanum influit, qui Cablesio Geneuam vsq; octo milliarium spatio porrigitur. Cablesium agro Fossignano confinis est.

Rheti habitant in meridionali parte Heluetiæ inter Legarum, Aduam, Comitatum Tirolensem & Athesim. Diuiduntur in tres populos fœderatos, quorum primi Rheti dicuntur: alteri à domo Dei, tertii à iurisdictione seu communitate nomen habent.

Rheti tenent vallem Mesoleam & Calanquinam, nec non agrum Rogoretanum & Muscensem, cum septem aliis vallibus trans Alpes per quas Rhenus & Glenerus labitur.

Domus Dei possidet vrbem Curiam, quæ situs elegans est, quamque Lascaris fluuius præterfluit. Agri vicini huic quoq; Pago subiecti sunt cum prius ad Episcopum & Ecclesiam Curiensem pertinerent: adhæc possidet vallem Agnedinam supra & infra, & Bregalliam, quæ sex XXV. communitates complectitur. Tertia pars Rhetiæ Comitatui Tirolensi contermina est. Rhetiæ Vallis Tellina includitur, quæ multas habet arces & sedes commodas, in quibus certum hominum millia degunt. Loca præcipua ea sunt Bormia, Sondria, Tiranum, Posclauum, Morbegna. Vallis Tellina finitima est valli Clauennæ, in qua est Puirum. Hæ duæ valles Vicecomitibus, Ducibus Mediolanensibus, à Rhetis ereptæ fuerunt: quemadmodum Heluetii multas alias valles cum agro Brisacensi, Locarnensi, Bellinzonæ, & Lugnami occuparunt. De his mox vberius agemus, quia hic sedem beneficii intelligimus esse inter Galliæ & Hispaniæ Reges, propter inuasionem Vallis Tellinæ, quæ facta est anno MDCXX.

hr

QVALITAS.

Regio Heluetiorum multos montes & val- continet ; ex quibus hæ vtcunque sunt ferti- & quamuis illi sint asperi, tamen eorum ca- nina non minus virent & iucunda sunt, quã œrnissimi campi. Quapropter incolæ pecus gno numero alunt. Abundat autem hæc re- cum animalibus mansuetis, tum feris, atque ni genere carnium. Ob hanc causam multa a lacticinia, & magna butyri & caseorum co- reperitur. Aer est bonus & salubris: Solum incolis ita excultum est, vt non tantum res ad manæ vitæ vsum necessarias, sed etiam deli- sipsis suppediter. Frumentum magna copia fert: tametsi in multis locis semen frustra ræ mandaretur, nisi ea prius cõbureretur: sed or & industria hominum huic incommodo detur. Multis locis tam generosum vinum scit, vt Rhenanum cum gustu tum præstantia ge superet. His addenda sunt amœna prata, quibus greges magno numero pascunt. Alit oque hæc regio multos vrsos, ceruos, damas, reas, lynces, apros, & alia similia animantia, æ incolæ venantur: quibus etiam varia volu- m genera non desunt.

Verum vt aliquid in specie de hac regione re- amus, solum circa Tigurum vber admodum & vini ac frumenti feracissimum. Vinum ra- n plerunque asperum est, nec omnino ma- escere potest, propter vicinitatem Alpium. c tamen vinum maturescit, aut saltem mite- , si aliquot annos seruetur. Lacus Tigurinus numerabilem piscium multitudinem alit.

Nec minus fertile est solum circa Basileam, od optimum vinum & magnam frumenti co- m gignit: ita vt incolæ vicinis penuria labo- tibus alimenta suppeditare possint. In hoc ctu sunt læta & pinguia pascua.

Territorium Bernense vini & frugum satis fe- est: Friburgense omnia necessaria producit, eter vinum, quod aliunde aduehitur.

Qui lacum Lemanum accolunt, æstate nimio u, hyeme nimio gelu se vri queruntur. Nihi- minus lacus & Rhodanus raro glacie adstrin- ur, neque æstas illic tam ardens est, vt in Gal- vicina.

Solum facile & aptum est ad cultum, & ad- dum fœcundum. Nam vinum, frumentum, ne genus leguminum, fœnum, auenam & rdeum large profert. Fructus ordinarii sunt ces, poma, pira, diuersorum generum, cerasa quitanica, dulcia, acida, mora candida & ni- , castaneæ, amygdalæ: ficus sunt rariores. A- malia volatilia non magis desunt quam pisces t feræ.

Lucernenses plus fere commodi ex lacu vici- no, quam solo percipiunt: tametsi florida prata & opima pascua habeant, pecori alendo apta. Hæc ora minus aspera est, quam cæteræ.

Solum Vriæ, Suitsiæ & Vnderwaldiæ tantum profert, quantum alendis incolis sufficit. Glarona lacticiniis & pecore abundat. Illic inter montium angustias nec serendis agris nec plantandis vineis locus est. Pulchra inibi viridaria, pomis referta, & amœna prata cernuntur. Vinum & frumentum aliunde illuc infertur. Lacus pisces, montes carnem ferinam suppeditant: volucrum etiam magna copia illic reperitur.

In tractu Vallesano cacumina montium vbique sunt candida, sedima & valles suauiter virent. Solum tam felix est, modo aliqua cura adhibeatur, vt granata, ficus & mala aurea ferat. Abundat præterea frugibus, vino, croco & lacticiniis. In montibus varia animalia nascuntur, inter alia hircus syluestris, qui magnitudine ceruum, pedibus capram, cornibus, qui quotannis ipsi in nodum crescunt, hircum refert. Vbicunque pedem figere potest, eo ascendit. Mira agilitate ab vno præcipitio in aliud desilit. In altissimis montium iugis degit, vbi glacies est frigidissima: & deficiente frigore visum amittit. Inter montes valleculæ reperiuntur plenæ glacie, longo tempore indurata, ita vt à crystallo discerni nequeat: & illa quibusdam locis adeo profunda est, vt aliquando incredibili fragore rumpatur, & hiatum trecentorum pedum, atque amplius, pandat. Illic venatores suas carnes ferinas suspendunt, vt frigore rigentes tanto diutius durent. Inter hæc præcipitia sunt venæ argenti, quædam etiam plumbi, æris, crystalli & agarici. In territorio Sionis repertus fuit anno MDXLIV. fons salis. Sunt etiã illic thermæ diuersorum generum, & balnea admodum salubria. Insuper quidam lapides hic inueniuntur, qui igni admoti ardent.

Rhetia, quamuis magna ex parte sit montosa, tamen plurimas habet valles admodum gratas, quæ multa ad hominum vitam necessaria proferunt.

MORES ANTIQVI.

Heluetii omni tempore militari virtute excelluerunt, vt liquet ex C. Cæsarii commentariis, cui multum negotii facessiuerunt. Nam cũ transitum petissent, vt per prouinciã Romanorum in Xantonum oram proficiscerentur, & illic sedes figerent, ille ipsos metuens murum exstruxit, quo conatum eorum prohiberet, cum meminisset, L. Cassium Cos. ab ipsis quondam superatum, & exercitum Romanum sub iugum missum fuisse. In colendis agris parum operæ ponebant, neque satis alimenti in suo territorio inueniebant, non illius vitio, quod iam fere vbique fertile & vsibus humanis aptum reddiderunt, sed quod illud tunc non excolerent.

Certũ quoq; est, ipsos tempore Cæsaris in pagos fuisse distributos, sicut hodie: sed tunc temporis non nisi quatuor erant, inter quos Tigurinus principatum obtinebat. Heluetii primi fuerunt, qui victoriam de Romanis reportarunt, & vicissim ab illis bello domiti fuerunt. Audaciaipsorum & fiducia, quam in suis armis habebant, ex eo cognoscitur, quod domos suas incenderunt, & solum incultum reliquerunt, cum in animum induxissent, nouas sedes quærere. Nihilominus in hoc facto magna imprudẽtia & barbaries elucet. Ingenio non admodum polito erant: attamen tempore Cæsaris repertæ fuerunt inter ipsos litteræ Græce scriptæ, & tabulæ eadem lingua exaratæ, quibus continebatur catalogus eorum, qui sedibus suis egressi, & armis ferendis idonei erant: nec obliti erant numeri vxorum & puerorum, qui trecenta sexaginta octo millia hominum complectebatur. Hinc colligitur, eos non vsq; adeo barbaros fuisse, sicut habiti fuerunt, sed litteris Græcis deditos, non minus quam Galli. Vernaculam linguam multi viri docti existimant ipsis peculiarem fuisse, non Germanicam: quæ postea corrupta fuerit, quãdo peregrini ex diuersis locis in Galliam se infuderunt. Si rationes in vtramque partem allegare vellem, tam Lectori quam mihi fastidium parerem. Satis erit curiosos ad eos remisisse, qui integros tractatus de hac quæstione ediderunt, & cum accurate pro & contra disputassent, tantundẽ profecerunt, ac si nihil hac de re scripsissent: quemadmodum omnibus illis accidit, qui apices argumentorum consectantur, vt coniecturas suas stabiliant.

Non dubium est, quin hi populi magna ex parte Gallorum mores imitati sint, quibus longo tempore annumerati fuerunt. Postea vero hæc regio magna multitudine Cimbrorum repleta fuit, qui patriam deserere coacti propter maris inundationem, Germaniam peruagati sunt, & partem Belgicæ occuparunt: quæ cum tantæ multitudini non sufficeret, ad Rhodanum progressi sunt, vbi à Romanis terras, quas colerent, petiuerunt: quæ cum ipsis denegatæ fuissent, pars eorum in Italiam transcendit, vbi à Romanis cæsi fuerũt: pars, quæ cis montes mansit, in Heluetia, vbi nunc Suitsia & Vria est, consederunt.

Alii scribunt, tẽpore Sigisberti regis Suecię hos populos Septentrionales numero ita abũdasse, vt pars eorũ nouas sedes quærere coacta fuerit. Hi, transmisso Rheno, Gallos fuderunt: itaque aliæ gentes attonitæ legatos ad ipsos miserunt, à quibus nihil aliud petierunt, quam vt sibi viuere & terram colere sine aliorum damno liceret. Quapropter Heluetii ipsis permiserunt, vt partem interiorem suæ regionis habitarent, quæ montibus & lacubus plena est. Eam illi cultura fertilem reddiderunt.

Deinde memorant historiæ, ad Oceanum Germanicum tres populos habitasse, Saxones, Anglos, & Vietes.

Anglos cum parte Vietum traiecisse in maiorem Britanniæ eam partem, quæ hodie Anglia dicitur, & illic consedisse.

Alteram partem Vietum in Heluetiam migrasse, & illic mansisse, qui postea dicti sint Suithes.

Tandem omnes hæ gentes in vnam, moribus permixtis, coaluerunt, de qua non nisi ægre & per coniecturas vana subtilitate multisque scrupulis inuolutas aliquid referre licet.

MORES HODIERNI.

Heluetii homines sunt militares, & ad quæuis incommoda perferenda idonei, quoniam in aspera regione nati sunt. Armis dediti sunt, & in bello egregium ordinem obseruant. Thorace ferreo, sarissa, xiphomachæra & pugione delectantur, nec ignari sunt vsus scloppetorum. Mediocris sunt staturæ, sed robusti.

Quoniam regio ipsorum non vsque adeo frugibus exuberat, illius defectum sua industria sarciunt. In vestes parum insumunt, nec multum pecuniæ pro alimento erogant, excepto pane & vino: cæteris enim, quæ habent, acquiescunt, nec appetunt exotica: carne & lacticiniis affatim vescuntur.

Satis ipsis est, si hypocaustum habeant, in quo frigus à corpore defendant: in ædibus ipsorum non magnam supellectilem inuenias: in conuersatione sunt inciuiles, duri, agrestes & moribus impolitis.

Cæterum supra modum bibaces sunt, & integros dies ac noctes potando consumunt: quorum furor & fæditas vsque adeo apud ipsos inualuit, vt nihil cum eis agere nec amicitiam contrahere possis, nisi largiter bibendo, & qui craterem strenue exhauriunt, ac vino se ingurgitant, pro viris integris habentur, & iis præferuntur, quos crapulam corpori & animo noxiam auersantur. Neque hic furor ipsorum consistit, sicut in Flandria, & toto Belgio: sed si quis recuset, vino se mergere, ei pugionem statim iugulo admouebunt, & quod in ipso laudem merebatur, ruinæ argumentum suppeditat. Interim fatendum est, ipsos esse prudentes & circumspectos, quoniam libertatem suam tanto tempore tueri, & pacem inter se colere potuerunt, tametsi religione discrepent. Præterea ita se gerunt, vt summi Principes Europæ fœdus cum ipsis percutere studeant, & quotannis magnam ipsis pecuniæ summam numerent.

Quod ad litteras attinet; quamuis celebres habeant Academias, tamen non tanto studio, quanto alii, illis incumbunt: nam arma magis appetunt. Equidem non nego, fuisse inter ipsos & adhuc esse viros doctrina præstantes: sed horum numerus exiguus est, & de plerorumque moribus & consuetudine nunc verba facio. Ingenium quoque ipsorum non valde subtile est, & aliquid crassitiei ex montium asperitate trahit, sed quando in aliquam rem sunt intenti, eam

ptim

ime capiunt, tametsi labor & studium ipsis ad-
bendum sit. Pauci sunt, qui solum mutant,
ibus non aliquid ex patriis moribus adhære-
: imo generis suæ consuetudinem in vestibus &
is rebus affectare videntur. Qui vero ex ipsis
egrinati, & in exteris regionibus versati sunt,
os calliditate superant, & difficilius decipi
ssunt, quam quisquam cæterarum nationum,
æ astutissimæ habentur.

OPES.

In Heluetia non sunt quærendæ opes Baby-
niæ, nec Arabum diuitiæ: has enim regionis
is & qualitas negat, quæ eiusmodi est, vt mul-
n præstet, quod incolas suos alat. Quod si is
us inter ipsos esset, quemadmodum apud a-
gentes, mox extremâ inopia & paupertate
ffligerentur. Sed magnum ipsis vectigal est
ymonia: & argentum, quod à vicinis Princi-
ibus accipiunt, facit, vt in re sint lautiori, quam
edera ipsorum non tam care emerentur. Fa-
r quidem, magnas sæpe summas ipsis deberi:
ilominus illæ tandem ipsis penduntur: atq;
pueri, qui ignari sunt eius, quod ipsis datur,
exteris Principibus stipendium accipiunt:
n Principes summa ope nituntur, vt hanc
item sibi obnoxiam reddant atq; retineant:
l vt aliquid dicam de eo, ex quo commodum
ere possunt, quoniam de qualitate regionis
ra obiter tantum aliquid dixi, rem sæpe fa-
nt ex pecore, quod alunt, & ex pascuis, quæ
ent. Tiguri tanta frumenti copia venditur,
es pæne fidem superet. Basilea à mercatori-
multum frequentatur, & Rhenus eam al-
is magnas ipsi commoditates & grande e-
lumentum affert. Multi libri in hac vrbe ex-
per totam Europam distrahuntur, vnde ad
blas quæstus redit vberrimus. Lucernæ de-
untur merces, quæ ex Comitatu Burgundiæ,
egionibus vicinis in Italiam, & ex Italia in a-
regiones transuehuntur. Nam illac iter est
aliam per montem S. Gothardi: & merces,
veniunt ex Italia, per lacum & fluuium
sum in Rhenum, atque inde in mare deue-
tur. Tantæ tamen ipsorum opes non sunt,
agni faciendæ videantur: quapropter illis
ctis, potentiam ipsorum considerabi-
;

POTENTIA.

Heluetia Alpibus vndique ita clauditur,
icolæ in tuenda libertate tam animosi atque
inati sunt, & qui eos inuaserunt, il-
tam infeliciter res cessit, vt nullus
Princeps in Europa, qui bellum ipsis in-
e, & loca, in quibus habitant, adoriri & op-
nare ausit. Ac licet regio illa occuparetur,
um emolumenti victori afferret: adeo vt ex
o contra ipsos suscepto plus damni quam
commodi exspectandum sit. Adhæc tam arcto inter se vinculo coniuncti & colligati sunt, vt difficulter subigi, & integra de ipsis victoria reportari possit. Habent etiam vrbes quasdam & loca munita, quibus non deest apparatus ad bellum necessarius. Ad diuturnam obsidionem sustinendam, & quæuis incommoda perferenda apti sunt: sed ad oppugnandum & in ruinam prono capite eniteudum non valent.

Si quis ipsos in eorum regione aggrederetur, exercitum quamprimum colligerent, & pugnã, si possent committerent: quemadmodum sæpe fecerunt cum suo commodo. Nec spes vlla est illos debellandi, quoniam si ab initio, & cum nondum omnes fœdere iuncti essent, exigua eorum manus numerosos exercitus fudit: quis hodie integram gentem non reformidaret, quę nescit fugere, & ignauiam magis auersatur quàm mortem.

REGIMEN.

Peruenimus iam ad præcipuam Status Rei-
pub. Heluetiorum partem, quæ est ipsorum re- 233
gimen. Illud igitur speciatim considerabimus, & particulatim enucleabimus. Heluetia diuiditur in quatuor partes, quas ipsi Germanico vocabulo *gouias*, hoc est, territoria appellant. Hæ quatuor partes sunt, Territorium Tigurinum, Auentici, Argouiæ & Turgouiæ. Respub. autem tribus partibus constat. In prima sunt tredecim pagi, qui à Germanis tredecim loca vocantur. Hi soli inter omnes fœderatos potestatem habent de omnibus rebus ad Rempub. pertinentibus in publicis conuentibus deliberandi, & sua suffragia ferunt, omniumque commodorum & incommodorum fœderis sunt participes. In secunda numerantur Abbas & vrbs S. Galli, Vallesani, Rotuilla, Mulhusium & Biela. Ad tertiam referuntur loca, quæ in potestatem huius Reipub. seu sponte, seu vi armorum venerunt: vt Turgouia, quæ fuit redacta sub imperium Heluetiorum, anno MCCCCLX. Badena (quæ alia est ab ea, quam Marchiones Badenses tenent) subacta anno MCCCCXV: quæ octo primis pagis paret: Rheguſtum, captum anno MDXIII. quod tredecim pagis subest: Sarungana, vendita anno MCCCCL-XXXIII. à Comite Georgio Wirtembergico, septem primis pagis, qui illud tenent: Liberæ prouinciæ occupatæ anno MCCCCXV. auctoritatem septem primorum pagorum agnoscunt: Luganum, Locarnum, Mendresiũ, Vallis Madia, liberalitate Maximiliani Francisci Sforciæ, Ducis Mediolanensis, Heluetiis donata fuerunt, anno MDXIII. Hæc loca omnibus pagis sunt subiecta, excepta Abbatiscella. Bilitonum & Bellizona sunt in fide & clientela trium primorum pagorum.

Sed vt sciamus, quo pacto Heluetii fœdus inter se iniuerint, & in vnam Rempub. tam

formidabilem coaluerint, tenendum est, quod post varias dominii mutationes, Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses tandem in libertatem se vindicarint, adeo vt nullum superiorem agnoscerent, prærerquam Rom. Imperium: sicut apparet ex priuilegiis, quæ Rodolphus Habspurgensis, Rex Romanorum, qui regnauit anno MCCXCI. & alii Imperatores, qui eum sequuti sunt, ipsis concesserunt. Atque hi populi nunquam fuerunt subiecti domui Austriacæ, sicut nonnulli existimant: sed cum Austriaci Imperium tenerent, Imperatori electo, non autem successoribus domus Austriacæ parebant.

Itaque cum eam libertatem haberent, Imperatores præfectos Germanos ipsis miserunt, qui regimine & administratione Reipub. ipsis relicta, ius tantum dicere debebant. Horum nonnulli propter insolentiam pulsi, alii occisi fuerunt, quoniam multa sæpe turpiter & nequiter patrabant: quemadmodum vnus ex præfectis Vndervvaldiæ, qui cum vellet, vt vnus ex incolis iugo boum alligaretur, & ille iugum istud subire nollet, mandauit, vt vi iugo subderetur. Illo autem aufugiente, præfectus, iratus, patrem ipsius exoculandum curauit.

In eadem valle alio tempore accidit, vt præfectus mulierem, absente marito, iuberet sibi calidum balneum parare, & illud secum ingredi: quæ cum istud facere distuliset vsque ad reditum mariti, ille excandescens, ictu securis eam necauit.

Præterea præfectus Suitiæ & Vriæ, amenti petulantia motus, baculum erexit, cui pileum imposuit, iussitque, vt omnes, qui illac transirent, pileo suo honorem exhiberent. Quod cum Wilhelmus quidam Tellius facere detrectaret, præfectus ipsum accersitum iussit, vt ictu arcubalistæ pomum ex capite filii decuteret. Cum hoc quoque compluribus diebus facere recusasset, tandem importunis præfecti mandatis adactus paruit, & diuina fauente gratia, pomum capiti filii sui impositum emissa sagitta tetigit, filio illæso. Præfectus videns, ipsum dixisse sagittas attuliſſe, quæsiuit ex ipso, quorsum alteram sagittam assumsisset: cui Tellius respondit, si primo ictu aberrasset, & filium læsisset, se alteram sagittam in ipsum præfectum missurum fuisse. Præfectus, his auditis, eum comprehendi iussit: cumque eum cymbæ imposuisset, vt eum in quoddam suum palatium inter Vriam & Brucham duceret, ille ex cymba euasit, & per montes, qui sunt circum lacum vagatus est, vindictam animo meditans.

Populi harum trium vallium nequitiam istam & alias similes indigne ferentes, præfectum suum abegerunt, & se in libertatem asseruerunt, ita vt Imperatores postea iudices tantum ciuiles ipsis mitterent, quos non aliunde, quam ex ipsorum territorio eligebant.

Anno MDXIV. Imperio factionibus scisso, quoniam pars Electorum Ludouicum Bauarum, alii Fridericum Archiducem Austriæ delegerant, qui duo de Imperio contendebant: hæ valles noluerunt Imperatorem agnoscere Fridericum, propterea quod pauciora habuisset suffragia. Quapropter ille bellum ipsis intulit, misso Leopoldo, filio suo, vt territorium Suitsense inuaderet, cum certo statueret, Ludouicum ipsis opem ferre non posse.

Leopoldus igitur cum numeroso exercitu in territorium Suitsense ingressus, quod vndique aquis & montibus cingitur, cum Margutenam venisset, à tribus pagis, Suitsensi, Vriensi & Vndervvaldensi cæsus fuit, plurimum ipsis opitulante regionis angustia, & anni tempestate, quia omnes viæ glacie obtectæ erant, ita vt equitatus in illa pugna inutilis esset: cumque Heluetii solummodo lapides ex montib. in equites conijcerent, illi metu attoniti vltro in lacum se præcipitabant.

Eodem tempore Comes Stamburgius, qui Veldanæ versus Vndervvaldiã habitabat, iussu Friderici, hos tres pagos inuasit: verum illi fauces occlusis eum transitu prohibuerunt: atque hoc modo hostes suos, nullis viribus externis adiuti, repulerunt.

Cum hoc bellum duobus integris annis sustinuissent, tandem ad maiorem securitatem & tranquillitatem, societatem coire atque icto fœdere confirmare decreuerunt, quod fuit appellatum fœdus trium pagorum. Illius hæc fuerunt capita.

In nomine Dei, &c. Cum memoria hominum fluxa sit & debilis, ac res præteritas facile oblitioni tradat: vtile admodum & necessarium est, vt quæ pacem, quietem, commodum & honorem afferunt, litteris consignentur.

Ob eam causam nos populares Vriense Suitsenses & Vndervvaldenses notum facimus omnibus, qui has legent, aut legi audient, quod vt difficultatibus & aduersitatibus temporum mederemur, & pacem atque concordiam inter nos melius colere, vitamque & fortunas nostras facilius tueri ac defendere possemus, stabilis & perpetui iuramenti vinculo nos obstrinximus, ac mutuo fidem dedimus, nos nobis corpore, facultatibus, propriis sumptibus, in & extra nostrum territorium, opem & auxilium laturos, contra omnes, qui alicui nostrum iniuriam in corpore aut facultatibus inferent, aut inferre volent, ita vt aliquis nostrum damnum inde accipiat: cui pro virili succurremus, & iniuriam & damnum quacunq; ratione ipsi factum endum curabimus.

Deinde hoc fœdere inter nos conuenit nullum ex nostris territoriis aut pagis, multominus vllum ex nobis priuatim dominium acquod sibi vindicaturum, aut dominum recepturum, sine voluntate & consilio aliorum: sed numquemque (siue sit mas aut fœmina) vel suo domino aut Senatui in iis, quæ ipsi præsta-

ten

netur, quæque honesta sunt, obsequentem
ore: non autem iis dominis, qui aliquod ex no-
is territoriis armata manu occupare, nosque
l res iniustas adigere volent: quandoquidem
illum ipsis officium præstandum est, quamdiu
imicitiæ, & dissensiones illis cum dominis no-
is intercedunt.

Cautum etiam fuit, ne vllus ex nostris Pagis
t nobiscum fœderatis peregrino, cæteris
gis & fœderatis inconsultis, auxilium ferat.
Nullus fœderatorum cum peregrinis tracta-
t, aliis insciis & non consentientibus, quam-
u Pagi non erunt externo dominio subiecti.
quis vllum ex pagis prodat, & in potestatem
erius tradat, aut aliquid eorum, quæ suprascri-
a sunt, non obseruet, pro proditore & nullius
ci homine habebitur, eoque pagis tradito bo-
ipsius fisco addicentur.

Adhæc pacti sumus, ne quis ex nobis ferat aut
i sumat vllum iudicem, qui emit argento
icia, aut alia bona, nisi sit ex popularis-
s.

Si quod dissidium aut bellum inter fœderatos
iatur, meliores & sapientiores illud sopient,
amice component. Si vna ex partibus contra-
cat, reliqui fœderati alteram sumptibus con-
dicentium iuuabunt. Si quis ex fœderatis al-
um occidat, capite plectetur, nisi possit pro-
re (quod ipsi facere inhibebit) cædem à se fa-
m, vt se defenderet. Si homicida aufugiat, is,
i eum hospitio excipiet aut defendet in hac
gione, proscriberetur, neque ipsi in hanc
gionem redire licebit, nisi communi omnium
gorum consensu.

Si quis ex fœderatis iniiciat ignem ædibus al-
ius, nunquam ipsi in hanc regionem redire li-
bit: & qui ipsum hospitio excipiet, aut tue bi-
, damnum parti offensæ & querelam institu-
i sarcire tenebitur.

Alter ab altero pignus non capiet, nisi certi-
linis causa, & permittente Iudice. Vnusquisq;
Iudici obtemperabit, & se ipsi sistet, quando
is erit.

Si quis se opponat Iudici, nec ipsi morem ge-
, aut sua inobedientia alicui ex fœderatis no-
t, fœderati eum compellent, vt damnum sar-
t.

Vt autem hoc fœdus & capitulario omnesque
us clausulæ perpetuo firmæ maneant & ob-
ientur, nos populares Vrienses, Suitsenses &
dervvaldenses nostra his sigilla apposuimus.
tum Badenæ, anno MCCCXXV. primo die
rtis post festum S. Nicolai. Eodem anno om-
priuilegia ipsis confirmata fuerunt à supra-
to Imperatore Ludouico.

Dissidio in Imperio composito, quidam alii
i læuitia suorum præsidum moti, & dulcedi-
libertatis illecti, in societatem fœderis cum
ous supradictis venire voluerunt. Lucerna pri-
huic fœderi adscripta fuit, anno MCCCXX
I. deinde Tigurum, anno MCCCLI. & se-
quenti anno Tugium, Glarona atque alii. Pactum fœderis quatuor pagorum (omissis illis, quæ supra narrauimus) tale fuit.

Fœdus quatuor pagorum, Lucernæ, Vriæ, Suitsiæ & Vndervvaldiæ.

Nos Senatus, Consiliarii & ciues vrbis Lucernæ, nosq; populares Vriæ, Suitsiæ & Vndervvaldiæ, notum facimus omnibus, qui has legent aut legi audient, quod vt vitam nostram tanto facilius defenderemus, inuicem nobis promisimus, nos nobis mutuo auxilium laturos & consulturos in omnibus rebus infra scriptis, & aliis honestati & æquitati consentaneis. Nos Lucernates, Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses nobis reseruauimus Imperatorem, Dominum nostrum, & Imperium Romanum, quęque ipsi præstare tenemur: sicut ab omni æuo facere consueuimus. Præterea nos Lucernates reseruauimus vrbem nostram, Senatores & omnes ipsorum dignitates, ac laudabiles consuetudines inter ciues & peregrinos: sicut factum est à nostris maioribus. 24

Nos supradicti nobis præterea particulare ius reseruamus in nostris finibus & limitibus, secundum nostra statuta & legitimo vsu receptam consuetudinem, prout nostri maiores antehac fecerunt.

Nos ciues Lucernates acquiescemus istis iuribus erga tres pagos, sicut supra est commemoratum.

Nos supradicti ciues Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses Lucernatibus satisfaciemus, vt supra dictum est: sed si accideret (quod Deus prohibeat) vt vllus nostrum intra aut extra ius in alium vsurpare, & ei iniuriam aut damnum inferre vellet: tunc pars offensa bona fide considerabit, an iniuria hoc damnum ipsi illatum fuerit, & alteram eius certiorem faciet: atq; ambæ cum vrbe Lucerna contra eos, à quibus orta est iniuria, & contra quoscunq; corpore & facultatibus sibi mutuo opem ferent.

Nos ciues nostris sumptibus auxilium feremus supradictis pagis, contraq; nos supradicti pagi auxilium feremus nostris sumptibus ciuibus Lucernatibus, idque bona & integra fide, absq; contradictione.

Si casu aliquo sinistro dissidium inter nos supradictos oriatur, ex melioribus & sapientioribus quidam eligentur, qui dissidium illud amice componat: cui compositioni si vna pars reluctetur, cæteri fœderati alteram sumptibus contumacis iuuabunt.

Si dissensiones inter tres pagos nascantur, & duo inter se consentiant, nos supradicti ciues Lucernates operam dabimus, vt tertius in pristinam concordiam cum duobus reducatur, & ille voluntati eorum se accommodet, si nos modo dicti ciues Lu-

cernates id duobus pagis expedire comperiemus.

Præterea inter nos conuenit, vt supradicti ciues pro supradictis popularibus Vrienſibus, Suitſenſibus & Vndervvaldenſibus, atque hi viciſſim pro ciuibus Lucernatibus fideiubere poſſint, & vt nullus noſtrum fœdus ineat aut paciſcatur cum alio quoquam, intra aut extra hanc prouinciam, niſi conſciis & conſentientibus cæteris omnibus fœderatis.

Nullus pignus ab altero capiet, niſi propter conductionem aut locationem: neque hoc fiet, niſi legitima ſententia interueniat.

Qui ex ſupradictis fœderatis contra iudicium conteſtabitur, aut contumacem ſe præbebit, ſi hæc contumacia aliquid detrimenti vni ex fœderatis afferat, is damnum ſarcire tenebitur.

Si quis fœderatorum crimen admittat, propter quod ex ſuo territorio proſcribatur, & hæc proſcriptio litteris publicis & ſigillo illius loci, ex quo proſcriptus eſt, aut vrbis Lucernæ, aliis fœderatis ſignificetur, idem ex aliis quoque territoriis eodem modo proſcribetur: & ſi quis ipſum foueat, & cibum ac potum ſubminiſtret, eo cognito, ille eandem pœnam, quam alter incurret: nequaquam tamen capitali ſupplicio afficietur.

Inſuper vnanimi conſenſu decreuimus, vt quicunque ex fœderatis omnia, quæ ſupra dicta ſunt, imo ſingula quæque & particularia, quæ his continentur, non obſeruabit, pro homine vano & nullius fidei habeatur. Atq; vt hæc omnia, quemadmodum inter nos conuenta, & expreſſis verbis conſignata fuerunt, à nobis omnibus & ſingulis ſancte atque inuiolate obſeruentur: nos ſupradictus Senatus, Conſilium & ciues Lucernates his præſentibus ſigillum noſtrum commune & ſpeciale vniuſcuiuſque pagi apponi curauimus, in fidem omnium ſupraſcriptorum, quæ facta & tranſacta ſunt prima die Sabbati ante Martinalia, anno MCCCXXXII.

CONVENTVS HABITVS SANTGALLI inter quatuor pagos, vim habens Legis & Fœderis.

25 NOs Senatus, & Centumuiri, qui magnus Senatus appellatur, vrbis Lucernæ: & nos Prætores, Senatus, populares & omnes communitates trium pagorum, Vriæ, Suitſiæ & Vndervvaldiæ, ſupra & infra Siluam, hiſce declaramus, quod inter nos tres pagos & alteram partem controuerſia orta eſt, quoniam ſecundum tenorem articuli noſtri fœderis, qui loquitur de voluntate & conſenſu, ſiue de iure, actione & ſententia lata, quocunque modo id factum aut tractum fuerit, poſtulatur, vt quot homines nos Lucernates præſidio alicui imponemus, aut ad negotium aliquod adhibebimus, totidem ſinguli tres pagi ſubminiſtrare teneantur.

Quod nobis Lucernatibus viſum fuit iniquum, indecorum & iniuſtum: cum q; hæc verba non plenius explicata fuiſſent in fœdere perpetuo, quoniam horum auxiliorum nobis in mentem non venerat: propterea in hoc conuentu communi conſenſu & maturo conſilio inter nos conuenit, vt quoad hunc articulum nos Lucernates tot homines adhibeamus, quot nos ſupradicti pagi, Vrienſes, Suitſenſes & Vndervvaldenſes: & omnes tres ſimul omnem litem & cauſam, quæ incider, decidamus, & vtriuſque partis par ſit poteſtas & auctoritas. Tum ſi quædam diſſenſiones inter nos tres pagos exiſterent, & opus eſſet, vt tenor huius Fœderis proponeretur & explicaretur, propter hæc verba, voluntas, conſenſus, ius: omnis hæc controuerſia partibus auxiliis, vt dictum eſt, terminabitur.

Et ſi huiuſmodi diſſidia & controuerſiæ inter nos Lucernates & aliquem ex pagis interuenirent, quotieſcunque de officio duarum partium agetur, illa æquali auxilio, vt ſupra dictum eſt, dirimentur.

Atque vt hæc, quæ ſupra commemorata ſunt perpetuo durent, iureiurando ea firmauimus, & nos noſtroſque ſucceſſores ad ea inuiolabiliter obſeruanda obſtrinximus. Quapropter illa obſignauimus ſigillo tam Lucernæ, quam triu pagorum, & noſtri territorii: & quatuor exemplaria prorſus conformia & cum iiſdem ſigilli expediri curauimus: ex quibus nos Vrienſes vnum, Suitſenſes alterum, & Vndervvaldenſe tertium accepimus, omnia vnius eiuſdemqu formæ. Actum prima die Mercurii ante Domi nicam Palmarum, an. MCCCCLXXXI.

Tigurini fœdus pacti ſunt cum quatuor pagis, anno MCCCLI.

FOEDVS TIGVRINORVM CVM QVA tuor Pagis.

Nos Conſules, Senatus & communes ciue Tiguri, Lucernæ, Vriæ, Suitſiæ & Vndervva diæ, notum facimus omnibus, &c. quod bon conſilio & matura deliberatione, propter fi mam pacem & defenſionem noſtratium facu tatum & perſonarum, omniumque noſtratiu ciuitatum ac totius noſtri territorii, & propte commune bonum atque emolumentum, con uentu habito, approbauimus & ſancte iurau mus coram Deo & ipſius Sanctis, tam pro no bis, quam pro noſtris ſucceſſoribus, quos in pe petuum volumus comprehendi noſtro fœder præcipue vt habeamus & obſeruemus perpe tuam fœderationem, quæ olim fuit & deincep erit ſine macula, bona, firma, ſtabili & perpetu fide.

Et quoniam res humanæ obnoxiæ ſunt obli uioni, & curſus huius mundi voluitur & tranſi omniaque mutantur: propterea nos ſupradicti ciuitates & communitates nobis mutuo dant hanc fidē perpetuā, & hoc clarū teſtimoniū, li teri

ris & scriptis: ita vt parati esse debeamus ad o-
em nobis mutuo ferendam sine vlla contradi-
ione, quantum in nobis & facultatibus no-
ris situm erit, contra omnes, qui vitam no-
am, fortunas & honorem lædere, nobis vim
ferre, & sine causa nos inuadere, aut quen-
am eorum, qui priuilegiis gaudent, molestia
icere vellent, qui nimirum hoc fœdere nunc
mprehenduntur, aut deinceps in illud recipi-
tur, intra limites infra scriptos:

Primo vbi Arola nascitur, qui locus appella-
r Grialel, & inde inferius versus Bernam,
que vbi Arola in Rhenum labitur: inde vbi
ignus oritur, & ab hoc ponte per Rhetiam
que ad castellum Reingemburgum: inde
ns montem S. Gothardi vsque ad montem
tierum, & inde vsque ad Torselum, rursusq;
que ad Crineselam, vbi Arola suam scaturigi-
m habet.

Sed si intra hos limites aliquis hoc fœdere
mprehensus damno quocunque afficeretur,
e in bonis, siue in sua persona: tunc Senatus &
mmunitas ciuitatis aut territorii, cui damnũ
tum fuerit, sub sua fide cognoscet de damno
nque Senatus & ista communitas, aut maxi-
pars ciuitatis aut territorii, quod damnum
epit, iudicauerit, quo auxilio opus sit, istius
gotii causa, de eo cęteras ciuitates & commu-
ates hoc fœdere comprehensas certiores fa-
t.

Quo facto, per Cursorem aut per litteras Se-
us aut illius ciuitatis seu territorii Senatori-
trium pagorum absque mora significabitur,
em ad ciuitates deferant, quæ illico sub sua fi-
aratæ esse debebunt cum omni eo, quo o-
erit ad auxilium ferendum iis, qui damno
int affecti.

Neque vllus nostrum ex supradictis pagis
n quoquam hoc fœdere comprehenso ager,
ue verbo aut facto quidquam molietur, quo
auxilium possit impediri, tardari aut aman-
.

Præterea vnaquæque ciuitas aut territorium
auxilium suis sumptibus absq; hæsitatione
ministrabit.

i quis hoc fœdere comprehensus damno af-
erur, ita vt quamprimum opus esset auxilio,
rum erit prompte ex omnib. locis ipsi suc-
ere, ita vt damnum absque mora sarciatur
indicetur.

ed si negotium tanti momenti sit, vt con-
um indicere oporteat, & interea accideret,
a ex ciuitatibus hoc fœdere comprehensis
lio indigeret: confestim habendus erit con-
us in domo Dei Abbatiæ S. Mariæ, & deli-
ndum, quid facto opus sit, vt auxilium iis,
llud petiuerunt, prompte submittatur.

qua ciuitas obsidione cingatur, stipendium
dum erit iis, qui illi opem tulerunt, aut quos
lii causa receperunt: & hi sumptus fient pro-
obsidionem illius ciuitatis.

quis sine causa alteri hoc fœdere compre-
o, etiamsi extra supradictos limites domici-
lium habeat, damnum inferat, querela de eo,
qui damnum intulit: aut pignoratione vsus est,
delata, si ille in manus fœderatorum veniat, tum
ipse tum ii, qui eum iuuabunt, & eorum bona
pignoris loco capientur, & sequestro dabuntur,
ac damnum quamprimum sarcire cogentur.

Si eueniat, vt nobis Tigurinis aliqua controuersia sit cum fœderatis nostris Lucernatibus, Vrienſibus, Suitsensibus, & Vndervvaldensibus, aut aliquo priuato (quod Deus prohibeat) ob eam causam ad comitia in domo Dei veniemus, & vrbs Lucerna ac tres pagi simul, aut priuatus, cui controuersia cum nobis Tigurinis intercederet, duos viros probos eligent, & nos duos alios eligemus: & hi quatuor iurabunt coram Deo & sanctis ipsius, se hanc causam quamprimum vel per amicam compositionem vel per iudicium expedituros: & quod ab his quatuor, aut maiori eorum parte statuetur, sine cunctatione aut tergiuersatione ab vtraq; parte obseruabitur.

Sed si quatuor isti, qui huius controuersiæ dirimendæ causa electi fuerunt, pari sententiarum numero diuidantur, aut illi inter se dissideant, tũc sub ea fide, quã iurarunt, vnũ ex fœderatis eligẽt, & sibi adsciscent, quem constabit medium in hac causa, nec magis vni quam alteri parti addictum esse. Quem autem elegerint, ei ab hac vrbe aut hoc territorio mandabitur, vt huic negotio vna cum quatuor aliis incumbat, & per fidem suam, quantum in ipso est, operam det, vt controuersia illa cito dirimatur. De pecunia, quæ debetur, vnusquisque aget, & ius suum persequetur in ea vrbe aut territorio, vbi reus habitat, & illic sub fide negotium illud prompte decidetur atq; expedietur.

Nullus eorum, qui hoc fœdere comprehenduntur, alterius bonis manum iniiciet, aut ea sequestrabit, nisi creditori non satis idonee cautum fuerit: à nullo etiam fœderatorum propter alium quacunque de causa pignus capietur.

Si quis hoc fœdere comprehensus committat delictum, cuius causa ex suo territorio proscribatur, & hæc proscriptio appensis sigillis alteri territorio significetur: is, qui proscriptum hospitio excipiet, aut ei cibum & potum præbebit, si id palam fiat, eandem pœnam incurret, nequaquam tamen de vita periclitabitur.

Præterea cauimus pro nobis omnibus simul, aut pro aliqua nostrarum ciuitatum & ditionum particularium, qui fœdus cum aliquo Principe aut ciuitate percutere volent, ne id ipsis liceat: sed hoc fœdus inter vtramque partem erit perpetuum, stabile & firmum, & omnia his literis contenta & declarata seruare tenebimur.

Insuper expresse decretum & declaratum fuit, si quis Dominum Rodolphum, Bruirenum Equitem, qui iam Consulem agit, & Senatores huius vrbis, hoc fœdere comprehensos, in ipsorum iudiciis & legibus

bus turbare, aut ipsis molestiam exhibere vellet: quando nos supradicti Lucernates, Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses de ea re per Cõsulem aut Senatorem Tigurinum certiores facti erimus, tunc per nostram fidem parati erimus ipsis opem ferre, ita vt Consuli, Senatoribus & Tribunis ipsorum potestas, leges & iudicia salua maneant.

Nos supradicti Tigurini, Lucernates, Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses nobis in hoc fœdere reseruauimus Dominum nostrum Regem, & S. Imperium, & id, ad quod ab omni antiquitate & bona consuetudine obstricti sumus.

Præterea nos Tigurini nobis reseruauimus nostras considerationes, fœderationes & approbationes ante hoc fœdus à nobis factas.

Nos supradicti Lucernates, Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses nobis reseruauimus fœdera & pacta inter nos inita, quibus hoc fœdere nihil derogatum volumus.

Inprimis autem sciendum est, nos clare sanxisse, vt ii, qui sunt in hoc fœdere, suam libertatem, iura & bonas consuetudines sicut hactenus, retineant: ita tamen vt alter alteri nullam molestiam aut impedimentum afferat.

Adhæc specialiter decretum fuit, quo fœdus hoc tanto firmius & certius omni tempore permaneat, vt decem ab hinc annis, circa mensem Maium, prius aut post, infallibiliter, sicut tres supradictæ ciuitates constituerunt, aut si vna ciuitas hoc ab altera peteret, operam demus, vt hoc fœdus & vnio cum illius verbis, scripturis & iuramentis explicetur, & vt omnia, quæ necessitas postulabit, fiant, & omnes, qui decimũ annum egressi erunt, iurent, se hoc fœdus cum omnibus ipsius capitibus hoc scripto contentis, sine contradictione obseruaturos.

Sed si contingeret, vt non omnia præcise hoc termino conficerentur, & ille propter aliquod negotium protrahatur, istud nullum præiudicium huic fœderi afferet, quoniam diserte conclusum est, vt illud perpetuo stabile & firmum cum omnibus his capitibus & articulis maneat.

Denique bona & matura deliberatione reseruauimus, si opus esset, vt propter nostrum commodum & emolumentum communi consensu, vt decet, siue iam, siue in futurum, aliquid in iis, quę in fœdere hoc ineundo dicta & scripta fuerunt, mutaremus, id nobis coniunctim facere liceat: quandoquidem nos, qui in hoc fœdus coiuimus, vnanimiter semper consultabimus, & id, quod magis expedire videbitur, haud cunctanter decernemus.

Atque vt omnia, quæ à nobis modo perscripta sunt, aut deinceps perscribentur, nostro & successorum nomine, vera & stabilia in perpetuum maneant, nos supradictæ ciuitates & territoria, Tigurum, Lucerna, Vria, Suitsia, & Vndervvaldia, sigilla nostra his appendi curauimus, Tiguri, die S. Walburgi, Calend. Maii, anno MCCCLI.

Tugium fœdere se iunxit cũ supradictis pagis, anno MCCCLII. quemadmodum ex sequenti diplomate liquet.

FOEDVS TVGII CVM QVINQVE Pagis.

Nos Consules, Senatores, ciues & communitates vrbis Tiguri, Senatores, ciues & communitates Lucernæ, Prætores, Senatus & communes ciues Tugii, & omnes, qui illic officium gerunt: Prætores, Senatores, populares trium pagorum, Vriæ, Suitsiæ & Vndervvaldiæ, notum facimus omnibus, &c.

Verba præcedentia congruunt cum suprapositis in fœdere Tigurinorum cum quatuor pagis, vbi eadem singula designantur, vt videre est ab initio secundi capitis.

Porro si quis esset, &c. *Legatur articulus sequens qui incipit:* sed si intra hos limites, &c. *initio secundi capitis, quod prorsus cum hoc consentit.*

Et si vlla supradictarum vrbium, &c. *Secundum caput cum hoc quadrat.*

Nos etiam vrbs & territorium, &c. *Summa hoc fœdus idem est cum priori, nisi quod nomen Tugii hic insertum est.* Datum Lucernæ, anno MCCCLI prima die Mercurii post festum S. Ioannis.

Glarona cum aliis fœderatis se sociauit, anno MCCCLVII. quemadmodum in ipsius fœdere videre est.

FOEDVS GLARONAE.

Nos Consules, Senatores, & communes ciues Tiguri, Prætores & communes populares Vriæ, Suitsiæ, Vndervvaldiæ & Glaronæ notum facimus, &c. *sicut præcedentia.*

Et nos supradicti Tigurini, Vrienses, Suitsenses & Vndervvaldenses, propter bonam & inmanam amicitiam permittimus Glaronensibus, cum nostris fœderatis Bernensibus, Lucernatibus, Tugiensib. aut cum quibusdã horũ in speciali lege, vt hoc fœdus alteri præpolleat, & sit perpetuum: & nos Glaronenses nullum fœdus cum quoquam Principe aut alio sine permissu & voluntate supradictorum nostrorum fœderatorum, Tigurinorum, Vriensium, Suitsensium, Vndervvaldensium percutiemus.

In quorum fidem, &c. *sicut in prioribus litteris apposito nomine Glaronæ.* Datum die Lunæ, c finit septimanam Pentecostes, anno MCC VII.

FOEDVS BERNATVM CVM TRIB Pagis.

Nos Senatus, Consiliarii & ducentici communes vrbis Bernæ in Nuchtlandia, & Prætores ac communes populares Vriæ, Sui & Vndervvaldiæ notum facimus, &c.

Continet hoc fœdus eadem capita & verba, qua gurinorum cum quatuor pagis: sed locus conuentus Remboltum:

Nos ſupradicti Bernates poſſumus auxilio
uocare trés ſupradictos pagos contra eos, qui
s, noſtros ciues, & eos, qui ſunt in noſtra cli-
tela & proprie ad nos pertinent, damno affi-
re vellent, non autem pro aliis: & illi tenebun-
nobis opem ferre: inprimis nos tres pagi co-
s auxiliares illis mittemus per Brunicum vſq;
Vnderſuuenum: & Bernates vnicuique no-
otum, quos ipſis armatos mittemus, quotidie,
amdiu eorum opera ſuis ſumptibus vtentur,
endium dabunt: & illud nobis ſatisfaciet,
nec noſtri ab eorum militia Vnderſuuenum
leant, neque vlterius. Et quando nos Berna-
auxilia tribus pagis ſupradictis, aut vni ex il-
ubmittemus, eadem lex obſeruabitur vſque
Vnderſuuenum. Sin accidat, vt omnes tres
ſimul obſidione premantur, nos Bernates
tris ſumptibus illis ſuccurremus.

Si bellum aliquod omnibus inferatur, & nos
nates aut nos tres pagi contra hoſtes ſigna
ueamus, eoſque damno aliquo afficiamus,
ocunque loco id accidat, nullus eorum, qui
fœdere comprehenditur, ſumptus ab alte-
epoſcet.

nos Bernates inuaderemus & occuparemus
itorium ſuperius noſtrorum vicinorũ, tunc
pagi tenebuntur hoſtes inuadere, ac, quan-
poſſunt, infeſtare: nec propterea vllus ab al-
ſumptus repetet: contra ſi nos tres pagi in-
erem us, eadem lex obſeruabitur.

los ſupradicti Bernates nos obſtrinximus, ſi
rini & Lucernates opus haberent auxilio,
lud à tribus pagis cum ipſis fœderatis pete-
, & à trib. pagis de auxilio interpellaremur,
illud prompte ſumptibus noſtris ſubmiſſu-
& noſtros aliorum caſtra ſequuturos.

Si Lucernates & Tigurini ſua auxilia cum
uæ tres pagi ſubminiſtrabunt, non coninn-
, vt nobis Bernatibus opem ferant, nos Ti-
nis & Lucernatibus nullum ſtipendium
mus. Si quando accidat, vt nos Bernates &
res pagi auxiliares copias nobis mutuo ſub-
amus, conuenit, vt ſi vna pars hoſtes damno
iat, &c. *quemadmodum in ſecundo capite.*

Si quis hoc fœdere comprehenſus querelam
ctionem contra alterum habeat, rem ad co-
deferet, vt ſupra dictum eſt.

elector eliget ex ſuo territorio aut ciuitate
inem neutri parti addictum, & qui ab ipſius
bus erunt, eum rogabunt, vt hoc negotium
iam fidem in ſe recipiat: poſtea partes, tam
quam reus, duos alios ſibi ſingulæ adſci-
: & hi quinque negotium per ſuam fi-
prompte diriment, ſiue compoſi-
, ſiue iudicio, abſque vlla contradictione.
a cum aliis congruunt.

Si quis hoc fœdere comprehenſus aliquid
deat, nemo abſque cauſa eum poſſeſſione
a exuet, ſed vnuſquiſque ipſi, prout ius
faſque erit, ſupperias
ferat.

FOEDVS HAEREDITARIVM INTER Imp. Maximilianum & Carolum Archiducem Auſtriæ, atque Heluetios initum.

NOs Maximilianus, Dei gratia Rom. Impe- 30
rator, ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Comes Palatinus, &c, noſtro nomine, & tanquam protector ac nomine Illuſtriſſimi Principis, Caroli Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, Principis Hiſpaniæ, Comitis Flandriæ & Tiroli, &c. ab vna parte: & nos fœderati Heluetii, nempe Tigurum, Berna, Lucerna, Vria, Suitſia, Vndervvaldia ſupra & infra Siluam, Tugium cum officio externo, Glarona, Baſilea, Friburgum, cum Abbatia & vrbe S. Galli & territorio Abbatis-cellæ, ab altera parte, his præſentibus palam teſtamur & notum facimus: quemadmodum nos Maximilianus, electus Imperator Romanorũm, ſpeciali noſtra bonitate & benignitate atq; ex officio noſtro parati ſumus, prout decet, omnes noſtros & S. Imperii, inprimis noſtros hæreditarios & fideles ſubditos, cuiuſcunque gradus, ordinis & conditionis ſint, in bona pace, tranquillitate & concordia gubernare, ad conſeruandas & augendas ipſorum facultates, & damnum ipſorum prohibendum, habita ratione emolumenti illuſtriſſimarum noſtrarum familiarum, Auſtriæ & Burgundiæ, quarum ditiones finitimæ ſunt dictis Heluetiis fœderatis, qui vtilem ipſis operam nauare poſſunt, etſi illud iam factum fuerit à noſtro patruo, Sigiſmundo, Archiduce Auſtriæ, qui perpetuo fœdere cum dilecto noſtro fratre, Ludouico rege Galliæ, ſuo & ſupradictorum Heluetiorum nomine iunctus fuit, litteris datis Mechliniæ, X. Iun. anno MCCCCLXXI V. iuxta ſequentem formam fœderationis hæreditariæ, quæ fuit facta Tiguri, die Lunæ ante feſtum S. Galli, anno MCCCG LXXVII. qua cõuenit, vt Heluetii eſſent ſubditi, & ſe præberent fideles ac voluntarios exequutores & bonos vicinos ſupradicti Imperatoris Romanorum, prout nobis & ſupradictis familiis Auſtriæ & Burgundiæ conuenit, idq; in honorem Dei omnipotentis: Nos Imp. Maximilianus, tanquam Archidux Auſtriæ, ratione ditionum, quæ per mortem ſupradicti noſtri patrui Sigiſmundi ad nos deuolutæ ſunt, & quæ iis adhærent, tũ velut protector dilecti & nobis perchari Caroli, Principis Hiſpaniæ, ratione Comitatus Burgundiæ, maturo conſilio, ex certa ſcientia & plena conſideratione, fœdus perpetuum cum Rege Ludouico, arq; hæc, quæ ſequuntur, fœdera hæreditaria pepigimus.

Principio nos ſupradictæ partes, omneſque noſtri ſucceſſores & hæredes, ſubditi & populares, & omnes, qui ex nobis naſcentur, poſſumus & debemus in futurũ atq; in perpetuũ fœderis illius participes eſſe, ita vt pars vna alteram

defen-

defendat, & sibi mutuo fidem det, quod illis in omnibus nostris Principatibus, Comitatibus, dominiis, vrbibus, territoriis & limitibus adiumentum dabitur, ipsisque licebit tuto & libere commercia exercere, nec vllum ipsis aut bonis eorum periculum creabitur, & poterunt vbiq; tractare ac negotiari, sine impedimento, onere & innouatione nostrorum statutorum, quocunque modo id fiat, absque omni fraude & damno.

Similiter nos Imperator & Carolus supradicti vetamus, ne quis nostrorum subditorum & successorum quidquam contra hoc vniuersale fœdus, siue in genere siue in specie, cõmittat, nec quemquam fœderatorum offendat, vnde bellum aliquod possit oriri.

Eadem modo nos fœderati Heluetii cauemus, nostro & successorum nostrorum, & qui vel iam sunt, aut in posterum erunt sub nostra iurisdictione, fide & clientela, aut vllo modo ad nos pertinebunt, siue sint homines, siue vrbes & arces, omnium denique nostrorum populorum nomine, ne quis benignissimum nostrum Imperatorem, & Carolum Archiducem, ipsius hæredes, successores & subditos, hoc fœdere comprehensos, aut alios, qui ipsis in genere aut in specie adhærebunt, offendat, vllamue belli occasionem præbeat.

Atq; vt hæc laudabilis conuentio & fœderatio inter supradictas partes, & nostros successores, subditos & adhærentes tanto firmior sit, declarauimus, si quando contingeret, vt aliquis nos Imperatorem nostrasq; ditiones hoc fœdere comprehensas, aut nos Carolum Archiducem, & nostrum Comitatum Burgundiæ, aut nostros hæredes & successores inuaderet, nos supradictos Heluetios sedulo operam daturos, ne Imperatori aut suis vis atq; iniuria fiat.

Atque vt pax & concordia tanto melius stabiliatur, nos Imperator Maximilianus & Carolus Archidux nostro & nostratum ditionum ac subditorum hoc fœdere perpetuo comprehensorum, omniumq;, qui ei postea adiungentur, nomine promittimus, nos nihil facturos, quod bellum mouere possit: idem nos quoq; Heluetii promittimus.

Qui in specie aut in genere, nunc aut deinceps, opus habebunt protectione & defensione, quique ad nos Archiducem Austriæ, nostros Principatus, vrbes & territoria hoc fœdere comprehensa pertinent, aut in futurum, eadem forma, in genere aut specie, eidem adiungentur, item qui sub nostra Heluetiorum potestate sunt constituti, & habebunt aliquam querelam, processum, actionem & prætensionem, si controuersia amice componi possit, actor partem aduersam rogabit, vt rationi se submittat, ac tandem pars rogata coram episcopis Constantiensi & Basilieni, præsentibus & futuris, absq; mora se sistet, nisi forma legum aliud postulet & causa illa intra tres menses, ex quo agi cæpta est, decidetur, & si vna pars se non sistat, nec obtemperet, quod iudicatum erit, exequutioni mandabitur, sine appellatione aut exceptione, nisi qu docere possit, se graui & necessaria de causa fui se impeditum, quo minus iudicio se sisteret.

Controuersiæ de feudis hæreditariis, bon immobilibus, vi, minoribus nominibus & sim libus causis hoc modo disceptabuntur. De h iusmodi feudis agetur coram domino feudi, secundum ius hæreditatum: causæ de bonis & vi disceptabuntur in iudicio eorum locorum, bi bona sunt sita, aut vbi vis facta est, nisi is, vim fecit, ex illo loco discesserit, & fugam me tetur: tunc vnusquisque causam suam vlteri contra fugitiuum persequetur. Cæteræ ca actitabuntur coram iudicibus ordinariis lo rum, in quibus rei habitant: & quod rationi c sentaneum iudicabitur, ab omnibus parti absque mora, appellatione aut exceptione seruabitur.

Vt autem in futurum vis & iniuria prohib tur, conuenit, vt antequam partes iudicio c tendant, secundum fori consuetudinem & sum, vt vna & altera pars si causa cadat, de mno sarciendo caueat.

Partes litigantes scripto iudicibus ad can decidendam electis se obstringent, quod p pter sententiam latam nullum eorum odio bituri, aut iniuria affecturi sint: quemadmod à Ludouico, Christianissimo Rege Galliæ, in petuo fœdere sancitum fuit: nec non in fœ hæreditatio à patruo nostro Sigismundo Ar duce, felicis recordationis, icto, quo octo p nempe Tigurum, Berna, Lucerna, Vria, Su Vndervvaldia, Tugium & Glarona com henduntur.

At nos vrbs Basilea, Fiburgum & Schaff sium postmodum cum octo pagis fœderatis nos Abbas cum Abbatia & vrbe S. Galli & t torio Abbatis-cellæ, eiusdem que oppido, bus & locis ad eam pertinentibus haud ita dem in perpetuam societatem iuris & ciu cum duodecim pagis coaluimus.

Et nos Imp. Maximilianus, Carolus Ar dux, &c. in perpetuum fœdus, vt supra dic est, recipimus Basileam, Fiburgum Sol rum, Schaff husium, Abbatiam & opp du Galli, non minus quam supradictos pagos.

Atque vt in modo dictis locis omnia dis rum semina tollantur, conuenit, vt vtraque factis & dictis contumeliosis abstineat: qui faxit, secundum formam verborum, abiq gratia, damnetur.

Præterea vtraque pars quouis decennio præsens fœdus sibi recitari curabit, vt lingu ctius intelligant, quid obseruandum sit.

Adhæc nos dictæ partes in hoc fœdere uauimus S. Sedem, S. Imperium, & omnes, bus sumus deuincti.

Insuper reseruauimus, vt fœdus, vnio & filiorum communicatio, ius ciuile, & ius tium, atque hæc nostra hæreditaria vnio, d ratio, renouatio, cum emendationibus in g re & in specie, à nobis dictis partibus, & r hæredibus, successoribus, subditis, &c. in

lim inuiolabiliter & sine fraude obseruetur at-
ue exequutioni mandetur.

His pactis nos Imperator ex gratia speciali
c ad augendam mutuam beneuolentiam, no-
ro nomine, & tanquam protector Caroli Ar-
hiducis, promisimus, nos quotannis supradi-
is Heluetiis, nempe singulis pagis honorarii
oco in vrbe Tigurina, die S. Crucis, mense Ma-
persoluturos ducentos florenos Rhenanos:
bbati vero sancti Galli, itemque oppido & Ab-
atis cellanis, singulis centenos, quousq; Caro-
s tutela exemtus ditionum suarum impe-
um suscipiat: qui tunc fœdus hoc iureiurando
onfirmabit.

In quorum fidem nos Imperator & Carolus
rchidux has sigillo nostro obsignari cura-
mus, quibus nos & vtriusque hæredes ac suc-
ssores obstringimus ad omnia huius fœde-
s capita inuiolabiliter obseruanda, & exequu-
oni mandanda: & propterea sigilla nostra his
pendimus, & iurauimus, nos obseruaturos,
c.

Datum Budæ in Hungaria, die VII. Febr. M-
XVII. anno nostri Imperii XV. & nostri regni
Hungaria XXI.

Fœdus trium populorum fœderatorum in Rhetia cum pagis Helueticis.

Nos Consul, Senatus, Prætores, Consiliarii,
opulares & communitates Tiguri, Lucernæ,
itliæ, Vndervvaldiæ supra & infra Siluam,
igium & ipsius officiales, Glarona, & se-
em pagi, ab vna parte: & nos Prætores &
mmunitates Rifestris, Fioghsii, & commu-
as Lugresii, Prætores & communitas Iordi,
in Ioppe, Prætores & communitas Vbersa-
, Prætores & communitas Itrisii, Prætores &
mmunitas Scorii, Prætores & communi-
Rhegemburgi, cum Toscana & Retzia,
ætores & communitas Chiriualdiæ, Præto-
& communitas Musocoi & Rogereti, to-
que vallis Atrisoii, Prætores & communitas
eluti, Prætores & communitas Scoppoui-
mi, Prætores & communitas Fiuzii, omnes in
iuersum, qui sunt in fœdere Rhetico, ab altera
rte, fœdus perpetuum ac fidum percussimus,
c. Vt vnus alterum honoret, nullus molestia
ficiatur, vna pars alteri opem ferat, & illæ se
atuo defendant, &c.

Si qua controuersia inter nos oriatur, &c.
llestadii eundum erit, vbi illa decidetur.

Si inter priuatos lites oriantur, causa eo loco
itabitur, vbi reus habitat. Si illicius ipsi non
ddatur, alibi legibus experietur.

Si in futurum fœdus cum aliis ineatur, non
eiudicabit huic præsenti, quod inter omnia a-
stabit ac firmum manebit.

Si vtraque pars cum alio quopiam bellum
rat, vna pars pacem non faciet, nisi altera quo-
e pars ea comprehendatur.

In quorum fidem, &c. Datum die Mercurii
te festum S. Ioannis, MCCCXCIII.

Fœdus Vallesanorum cum Heluetiis.

Vt veniamus ad Vallesanos, anno MCCCC- 32
XVII. hæ quinq; decuriæ, Sedunum, Sidresium,
Visium, Brigium, & Gembsium fœdus iunxe-
runt cũ Lucerna, Suitsia, Vndervvaldia & Vria.

Hoc fœdus postea fuit renouatum anno M-
DXXVIII. ab Episcopo, ipsius Capitulo & se-
ptem decuriis totius territorii Vallesani cum V-
ria, Suitsia, Ondervvaldia, Lucerna, Tiguro, Fri-
burgo & Solodur. Iam ante, nempe anno MC-
CCC LXXV. fœdus iniuerant cum Bernatibus.

Conclusio & articuli iuris communis cum Dominis & territorio Vallesanorum.

Primo nos N. N. fœdus iniuimus iure com-
muni, & quo maiores nostri vsi sunt, &c.

Quod nobis mutuo amicam opem fere-
mus, &c.

Et quoniam complures vrbes variis de cau-
sis ab antiqua fide Christiana desciuerunt, si illæ
nos ab ea abstrahere velint, nos nobis mutuo
nostris sumptibus opitulabimur.

De homicidiis cognoscetur & iudicabitur eo
loco, vbi commissa fuerint: neq; vllus pignus ca-
piet. &c. *vt supra.*

Neutra pars subditis alterius oneri, vectigalia
aut similia imponet, sed eadem erit reipubl. ad-
ministratio, quæ prius, &c.

Si accidat, &c. vt vna vel altera pars se inter-
ponat.

Nos ambo nobis reseruamus antiquam li-
bertatem, & viuendi rationem, quam hactenus
sequuti sumus.

Nos nobis reseruamus antiquiora fœdera,
excepto solummodo capite de fide Christiana,
pro cuius defensione cuicunque antiquo fœde-
ri obsistendum est.

Ad hoc fœdus præterea accesserunt Episco-
pus & Capitulum Sursianum, & duæ decuriæ
Susæ & Reuenæ, quæ sibi reseruant antiquiora
fœdera.

In fidem, &c. Datum die S. Catharinæ, MD-
XXVIII.

FOEDVS S. GALLI.

Abbas atq; oppidani S. Galli perpetuum fœ- 33
dus pacti sunt cum pagis, Tiguro, Lucerna, Suit-
sia & Glarona, anno MCCCCLIV. quamuis es-
sent beneficiarii Imperii. Illud tale fuit:

Nos Consul, &c. Tiguri, Bernæ, Lucernæ, Su-
itsiæ, Tugii & Glaronæ: nos Consul, Senato-
res & ciues oppidi S. Galli, perpetuum fœdus in-
iuimus.

Secundo, vna pars alteram defendet, &c. &
neutra pars bellum mouebit, aut pacem faciet
sine consensu alterius, aut plerorumque.

In nostris controuersiis obtemperabimus fi-
deli consilio eorum, qui illis non sunt impliciti,
& vel amice inter nos transigemus, vel rationi
cedemus.

Si inter nos fœderatos, &c. *vt supra.*

Si quis homicidium perpetraret, aut aliud
delictum & noxiam admitteret, iudicabitur &

punietur secundum legem iurisdictionis, in qua deliquit.

Nos nobis mutuo reseruauimus, &c. *vt supra.*

Si quæ controuersiæ oriantur, vt expediantur, &c.

In quorum fidem, &c. Datum die Iouis post Pentecosten, anno MCCCCLVIII.

Mulhusium fœdus pepigit cum cæteris, anno MDXV. & illud continet eadem capita, quæ priora, quemadmodum etiam fœdus Rotuilianum, confirmatum anno MDXIX.

Vltima pax facta cum Tigurinis, die S. Octauiani, anno MDXXXI.

34 Nos Capitanei, Vexilliferi, Consiliarii belli & pacis, & communitates quinq; pagorum, Lucernæ, Vriæ, Suitsiæ, Vndervvaldiæ & Tugii, ab vna parte: & nos, &c. Tiguri, Bernæ, Basileæ, Schafthusii, ab altera: omnibus omissis veram & fraternam pacem sanciuimus, &c. Hæc pax continet quædam capita de religione, & nonnulla alia particularia, &c.

Primo, vt Quinquepagici cum sociis antiquam religionem Christianam retineant.

Tigurini, &c. nouæ religioni adhærebunt.

Ne vna pars alteram contemnat propter religionem.

Vt nihil aliis fœderibus derogetur.

Vt captiui, tolerabili lytro persoluto, vtrinq; dimittantur.

Vt omnes controuersiæ hoc bello & antehac inter nos ortæ aboleantur.

In quorum fidem, &c. Datum die S. Octauiani, anno MDXXXI.

Pax Bernensis, anno MDXXXVII.

35 Hæc pax facta est interuentu Regis Galliæ, & bellum tunc gerebatur à Quinquepagicis & aliis, propter religionem, quoniam Ecclesiæ Romanæ addicti sunt: Conuenit autem inter vtramq; partem, vt religio neutri fraudi esset, & vt liceret relicta noua fide, priscam amplecti: qui vero eam, quam profiteretur, religionem retinere vellet, id ipsi ius fasque esset.

Brengardus, Maligierus, Frimonus & vnusquisque amicos & socios sibi reseruat.

Propter religionem vna pars alteram non despiciet.

Vtraq; pars ad formam fœderis iureiurando sanciti redibit.

Bernenses Quinquepagicis quinque millia coronatorum persoluent pro damnis, quæ plurimis templis intulerunt.

Captiui pro victu satisfacient.

Hac pace omnes controuersiæ, quæ prius ortæ erant, abolebuntur, neq; earum memoria vnquam renouabitur.

In cuius rei fidem, &c. Datum pridie festi S. Catharinæ, anno MDXXXVII.

Hæc sunt pacta & fœdera inter hos populos inita, ex quibus Lector plene intelligit, quale sit ipsorum regimen.

Omnes hi populi diuiduntur in nouendecim membra, ex quibus componitur vnum corpus bene compactum, & firmo vinculo connexum. Membra illa sunt tredecim pagi, Rheti, Vallesani, Abbas & oppidum S. Galli, Mulhusium, Rotvilla. Vbi obseruandum, Respublicas, quarum aliqua memoria extat, triplicem viam fuisse sequutas, qua se amplificarent, & fines suos ... latarent.

Prima fuit illa, quam instituerunt Spartani, Athenienses, qui vrbibus occupatis illas sibi su... iiciebant, & cum impares essent tanto oneri ... rundo, se in exitium præcipites dederunt. Dif... cile enim est, ciuitates libertati assuetas via... gere, vt iugum subeant: itaque hæc via min... commoda est, quam aliarum vlla.

Alteram viam tenuerunt Etrusci, ante i... tium Romani Imperii, qui habebant duodec... vrbes, inter quas erant Fesulæ, Aretium, Vo... terræ. Inter eas fœdus erat plurium Rerum p... blicarum, inter quas nullum erat discrimen a... thoritatis, & terras, quas occupabant, suæ p... tentiæ consortes reddebant.

Tertiam sequuti sunt Romani, qui comp... res Respublicas societate sibi iunxerunt, ita vt ... mnes iisdem legibus vterentur, & Romani i... perium tantum & aggrediendi potestatem ... reseruarent.

Hæc ratio inter omnes alias palmam tu... quæ etiam ipsis effectis & fructibus compro... ta fuit. Secundus ab hac locus Etruscorum in... tuto tribui potest, quo imperium Etruriæ ... magnam partem Galliæ Cisalpinæ tenueru... & diu suam libertatem ac pacem conseruaru... donec vis maior ipsos oppressit.

Formam reipub. Etruscæ Heluetii & fœde... ti ipsorum hodie retinent, qui omnes vn... Rempubl. conficiunt in plures diuisam, in... quas nulla est gradus aut dignitatis distinct... quoniam omnes dynastas, qui iurisdiction... in ipsorum territorio habebant, expulerunt, ... vllos superiores præterquam suos Magistra... agnoscunt.

Cæteri omnes sunt æquales, tametsi quid... inter ipsos sint, qui ab aliis magni fiant prop... ipsorum prudentiam.

In magno pretio etiam apud ipsos est No... litas, sicut & Argentinæ, vbi nullus ad offi... Magistratus & supremam vrbis dignitatem ... mittitur, nisi nobile suum genus vsque ab ara... deducere possit.

Verum vt in specie aliquid de ipsorum re... mine addamus, sciendum est, ex vnaquaq; soc... tate æqualem numerum virorum eligi, quan... Senatus est habendus.

Tiguri & Basileæ, quarum vrbium maior ... auctoritas, geminus est Senatus, nempe mai... quando complures nomine totius populi co... ueniunt, qui tantum in grauioribus & maxi... momenti negotiis cogitur: & minor, qui quo... die Remp. gubernat, & de ciuium controuer... cognoscit. Tiguri maior Senatus ducentis vi... Basileæ ducentis quadraginta quatuor cons... Numerus Senatorum Tiguri in minori est qu... quaginta; Basileæ sexaginta quatuor. Nam ... fi...

ileæ duodecim ex vnaquaq; societate in maiorē
en tum alleguntur: sed Tiguri octodecim ex
obilibus eliguntur. Tigurini tres ex vnaquaq;
ribu in minorem Senatum cooptant, Basilien-
es quatuor. His addunt duos Consules, qui
int principes Senatus in vnaquaque vrbe.

Præter hos Basileæ sunt duo Tribuni, qui v-
a cum Consulibus Senatui præsunt. Adhæc Ti-
uri nobilium societas sex ex suo numero; reli-
uæ societates tres tantum minori Senatui sup-
editant: deinde alii sex ex aliqua societate vel
ribu pro arbitrio Magistratus eliguntur. Minor
enatus diuiditur in veterem & nouum.

Veteres Senatores appellantur, qui munus
lud dimidii anni spatio gesserunt. Quamuis au-
em hi in Senatum quoque veniant: tamen non
mper in eum vocantur, & quædam sunt negot-
a, quæ à nouo tantum Senatu tractantur. Basi-
æ eadem est Senatus diuisio. Minor autem Se-
atus plerunque ter aut quater singulis hebdo-
adis conuenit.

Vterq; Senatus caput habet Consulem, quem
a lingua *Burgermeister* appellant, quasi ciuium
agistrum dicas. Hic à maiori Senatu eligitur.
ribuni post Consules maximam potestatem
abent, quos Tigurini *Oberistemeister*, id est, Su-
remos magistros; Basilienses *Zunfftmeister*, id
t, Tribuum magistros vocant. Horum tres sunt
iguri, Basileæ duo. Si quis plura de his cogno-
ere cupiat, legat Iosiam Simlerum, qui hæc fuse
rlequutus est.

Veniamus nunc ad caput, quod maiori consi-
eratione dignū est. Omnes hi pagi forma Rei-
bl. gubernantur, cum omnes sint vnum cor-
is, cuius membra sunt, si seorsim cōsiderentur:
iāuis vnusquisq; pagus suum peculiare caput
beat, ex primaria sua vrbe aut vico lectum. Nā
iisq; suos peculiares conuentus agit: sed si ne-
otium magni momenti tractetur, comitia in a-
qua vrbe ab ipsis constituta celebrantur, ad
æ quatuor aut quinq; præcipuæ auctoritatis
ros ex vnaquaque vrbe aut vico mittunt. In
liberationibus, quas habent, magna est vo-
ntatum consensio, tametsi vna vrbs in alteram
perium non habeat. Si bellum pro omnibus
gis suscipiatur, vnusquisque pro rato confert
antum ad illud gerendum requiritur, & quod
o acquiritur, omnibus commune est. Si vero
o aut tres pagi aliquid armis sibi comparent,
num partum quæsitumque non est omnium,
l tantum eorum, qui socia arma iunxerunt. Et
amuis antehac cæteris videretur, se quoq; in
rtem prædæ venire debere: tamen quæstio illa
m à Rege Galliæ decisa fuit, qui arbiter ab i-
s in hac controuersia electus, censuit, particu-
ium quorundam pagorū spolia ad alios non
rtinere. Quamobrem quando vnus ex pagis
llum pro se solo gerere instituit, milites in so-
ipsius territorio conscribuntur. Sed si exerci-
s (exēpli causa pro Rege Galliæ) viginti quin-
e millium peditum conscribendus sit, tympa-
m pulsatur, & omnes pagi milites, quos vo-
nt suppeditant; duces autem ex triginta quin-
que aut quadraginta millibus viginti quinque
millia eligunt, cæteris domum remissis: & vnus-
quisq; pagus suum habet prætorianum vexillum.

Valletani Principem ac Dominum cum in
temporalibus tum spiritualibus habent Episco-
pum Sedunensem, Caroli Magni beneficio, quod
ab aliis Imperatoribus confirmatum fuit: & hic
Episcopus eligitur à Canonicis Sedunensibus,
& quibusdam delegatis ab omnibus septem de-
curiis. Huic Principi postea Iudex in causis ciui-
libus attribuitur, qui vocatur Capitaneus: & v-
noquoq; biennio feriis Natalitiis delegati ab E-
piscopo & decuriis eligunt nouum Capitaneum.
Quæuis decuria habet suos Iudices & Præfe-
ctos: quemadmodum sex conuentus, qui *Panner*,
id est, signa militaria appellantur, suos habent
Gubernatores & Iudices.

Rhetorum Respub. est democratica, qui sin-
gulis biennijs sua comitia Curiæ peragunt, vbi
creant præfectos & leges promulgant.

RELIGIO.

Ex tredecim pagis quidam sunt pure Catholi- 36
ci, quidam mixti, quidam prorsus hæretici.

Catholici sunt Suitsia, Vria, Vndervvaldia,
Lucerna, Tugium: qui sunt contermini. Fribur-
gum & Solodurum à quinq; pagis & inter se di-
uisi sunt. Solodurum maxima ex parte Catholi-
cis; Friburgum hæreticis constat, quemadmo-
dum Tigurum, Berna, Basilea & Schaffhusium.

Mixti sunt Glarona & Abbatiscella. Nam
cum medii sint inter pagos Catholicos & hære-
ticos, vtrisq; participant. Quanquam primarii
Abbatiscellenses & maxima pars populi sunt
Catholici.

Primus pagus, quem hæresis inuasit, est Tigu-
rum. Occasio fuit indignatio ex eo concepta,
quod incolis stipendia, quæ sibi à Papa Iulio II.
deberi asserebant, nō fuissent numerata, Zvvin-
glio faces iratis subdente. Itaque anno MDXX-
VI. Missam per totum suum territorium abole-
uerunt, in cuius locum Cœnam substituerunt.
Eadem secta Friburgum & Basileam occupauit.
Anno M D XXVIII. XXVI. Ianuar. Bernæ post
longam disputationem imagines Sanctorum
deturbatæ, & Missa antiquata fuit.

Rheti fœderati maiori ex parte sunt Catholi-
ci, cæteri fere omnes hæretici, Zvvinglii doctri-
næ addicti, qui errorem Berengarii Sacramenta-
rii olim damnatum renouauit. Nihilominus S.
Officium Curiæ, Fustembergæ, vbi Episcopus
per dimidium annum commorari tenetur, &
Rossuni, quod est feudum Archiducum Austriæ,
more Romano celebratur.

In vallibus Agnadina & Bregalina, quæ ad
Fœdus domus Dei pertinent, & in multis locis
octo communitatum quidam sunt vici, in qui-
bus Missa à multo tempore non fuit audita. Pe-
sclauium, locus Fœderis domus Dei, diuiditur
in hæreticos & Catholicos: sed illi semper ha-
bent Ministrum, cum cæteri aliquot annis sacer-
dote caruerint.

Liberum est vnicuiq; in Rhetia pro arbitrio
viuere, & religionem, quā vult amplecti; nihilo-

minus illi, qui nouæ opinioni sunt addicti, Catholicis in eo vim faciunt, dum Ministris diuersarum nationum vtantur, neq; volunt permittere, vt Catholici presbyteros peregrinos habeant: indigenæ autem, qui hoc officio funguntur, mille probris ab ipsis afficiuntur. Quæ ex parte causa fuit anno MDCXX. cædis Rhetorum Protestantium à Catholicis Vallis Tellinæ patratæ, qui ab illis defecerunt: vnde factum, vt tota hæc Vallis amitteretur, & à Rege Hispaniæ contra omne ius occuparetur: quo nomine arma hodie in Italia, Sabaudia, Heluetia & Rhetia sumuntur, vt Vallis illa in pristinum statum restituatur.

COMMENTARIVS DE TVRBIS ET motibus in Rhetia.

Die Iouis, IX. Dec. stilo antiquo, anno MDLXXX. vir nobilis, Antonius Calmonsius, Secretarius ordinarius & legatus Ducis Mediolanensis, obtulit litteras fiduciarias Caroli, Principis Arragoniæ, Ducis de terra noua, Domini Castelli Lontiani, Præsidis Ducatus Mediolanensis, primi militum ducis in Italia.

Honoratis & prudentibus Dominis Consulibus & Senatoribus vrbis Curiæ, nunciata primo loco salute à Sua Celsit. tribus Fœderibus in genere & propositione facta, ad Suam Celsit. allatum esse, quòsdam Commissarios trium Fœderum aliquid noui tentasse contra subditos Vallis Tellinæ in causa ad religionem pertinente, dum nolint concedere exercitium religionis Catholicæ, & duo aggressi sint.

Vnum, quod Sondrii nouum collegium seu seminarium instituerint, ad propagandam nouam religionem, in magnum & singulare præiudicium ac detrimentum religionis Catholicæ:

Alterum, quod interdixerint, ne presbyteri extranei admitterentur: quo fiat, vt Catholici Vallis Tellinæ, qui presbyteris indigenis destituantur, exercitio suæ religionis frui nequeant:

Quoniam vero tertiæ, ditiones ac subditi Regis Catholici confines sunt subditis trium Fœderum Rheticorum in Valle Tellina, ita vt nullum sit inter vtrosq; interuallum: Sua autem Regia Maiestas omnino decreuit, religionem Catholicam in suis ditionibus cõseruare ac tueri, ac proinde mature omni occasioni occurrere, qua illæ huiusmodi contagio inficiposs int, & Sua Maiestas cogatur illud vi armorum & cædibus extirpare, sicut hodie etiamnum fiat in Belgio, & spatio viginti annorum factum est: etsi quoad cætera Sua Maiestas & ipsius præfecti ac ministri, qui illis sunt vicini, nihil aliud desiderent, quam ius vicinitatis & firmam amicitiam cum tribus Fœderibus colere: tamen quia per huiusmodi mutationem religionis in Valle Tellina magnum periculum ditionibus & subditis Suæ Maiestatis creari possit, illam huiusmodi nouationes nullo modo ferre aut permittere constituisse. Quapropter Suam Celsit. nomine Regis Catholici tria Fœdera in genere peramanter rogare, vt seminarium illud ex Valle Tellina remoueant, aut si eo carere nolint, illud longius à finibus Ducatus Mediolanensis transferant: deinde nõ posse cõcedere, vt Catholicis presbyteri, quibus opus habent & acquiescere possint, denegentur. Quantum ad auxiliares milites, quos Mediolano submittere debent, attinet, neminem cogendum, vt illuc eat, sed quivltrò nomen militiæ dare & eo proficisci velit, eum non detinendum sed illi potestatem abeundi sine contradictione dandam, modo ipsi non opus habeant suis militibus: quo casu ille tãdiu domi manere & patri militare debeat, quoad ipsi illi operæ indigebũ

Nihil tamen hac in parte faciendum absq; cõsilio & consensu Dominorũ triũ Fœderum, qui intra spatium decem dierũ, ex quo auxilia petita fuerint, aliquid certi cõstituent. Item, vt Domini fœderati præsidium trecentorum militum pro Ducatu Mediolanensi Regi submministrent, quando illis opus habebit, & eos petet, & vt illis cum suo duce ordinario Mediolanũ proficisci liceat.

Quando Rex & Præses Ducatus Mediolanensis opus habebunt, vt milites & apparatum bellicum ex Germania in Italiam pro Ducatu illo & ditionibus, quas Rex in Italia habet, tuendo traducat, copiæ illæ tam equestres quam pedestres liberum & tutum transitum absque impedimento per territorium trium fœderum habeant, modo disiunctis ordinibus incedant, ne plures quam quinquaginta vna vice transeant & pro victu satisfaciant, ac modeste se gerant. Nihilominus huiusmodi transitiones absq; venia & consensu Dominorum trium Fœderum non fiant, quo illi annonam necessariam procurare possint. Rex Catholicus idem tribus Fœderibus Rheticis & iis, qui iurisdictioni ipsorum sunt subiecti, vicissim offert, tam quoad auxilium, quam quoad transitum & defensionem territorii ipsorum, iisdem, quæ modo dicta sunt, conditionibus.

Adhæc fœderati Rheti & eorum subditi libere ac tuto poterunt iter facere, peregrinari, ire, redire & negotiari absq; vlla inquisitione molestia, cum quoad corpora, tum quoad bona ipsorum, per omnes vrbes, agros & dominia modo dicti Ducatus, hac lege, vt à disputationibus abstineant, nec libros prohibitos in Ducatum inferant: qui vero contraueniet, ab iis, qui ea rem erunt constituti, punientur. Idem iuserit omnibus incolis & subditis Ducatus & ciuitatis Mediolanensis.

Præterea Rex Catholicus & Præses Mediolanensis annuunt & permittunt tribus Fœderibus, cis & trans montes, vt omnis generis merces & bona mobilia emant, excepto frumento, ligine, oriza & aliis leguminibus: quorum tamen certa copia tribus Fœderibus pro ipsorum vsibus concedetur. Atque vt omni abusui, qui vtrinq; committi posset, occurratur, modo merces sint visæ, factæ & elaboratæ in vrbe & ditione Mediolanensi, libere poterunt eas ex modo dicto Ducatu & vrbe in suas ditiones & territoria conuehere, sine vectigalibus, portoriis aut tributis, quæ Cameræ Mediolanensi aut aliis priuatis beneficiariis & communitatibus pendũtur.

Sic etiam vetera priuilegia & immunitates
n Ducatu Mediolanensi tribus Fœderibus &
eorum subditis, cuiuscunque sint conditionis,
editibus aut equitibus, renouabuntur & con-
rmabuntur: qui poterunt ire, transire, redire,
ommorari & negotiari cum suis bonis & mer-
ibus, ita vt nullum tributum, subsidium, vecti-
al, portorium, collationem aut indictionem
oluant: & tempore pestis in eundem Ducatum
ecipientur, modo documentum exhibeant sa-
itatis.

Si controuersia & dissidium oriatur inter Re-
em Catholicum, Præsidem aut legatum Duca-
is Mediolanensis & tria Fœdera, causa Clauen-
æ aut Morbegni coram iudicibus & arbitris
trinque delectis decidetur, quorum sententiæ
traque pars acquiescet.

Atque vt Domini trium Fœderum beneuo-
nitam, amorem & liberalitatem Regis erga i-
os perspiciant, deinceps, quamdiu hoc fœdus
rabit, vnicuique Fœderi 000. aureos Hispa-
cos quotannis persoluet, qui ex Mediolanensi
ria rationum sumentur, & Clauennæ in æra-
m absque vlla difficultate & sumptu trium
ederum inferentur.

Cæterum tria Fœdera sibi diserte reseruarunt
mnia & singula alia ipsorum fœdera, & vete-
s tabulas ac sigilla ab ipsis accepta aut data iu-
iurando firmarunt, ita vt hæc capitulatio nul-
m illis præiudicium afferat, neque quidquam
ntra illas ab vno aut altero committatur, sed
firmiter atque inuiolabiliter obseruen-
r.

Hoc autem sincerum fœdus erit firmum, o-
niaque ipsius capita inuiolabiliter seruabun-
r, quamdiu Rex Catholicus & filius ipsius
rdinandus, Princeps Hispaniæ & Dux Me-
olanensis, vita fruentur, ac decem insuper an-
s post ipsorum excessum, continuato fœdere
o ipsorum successoribus, qui titulum gerent
ucum Mediolanensium, vsque ad finem decem
orum annorum.

ISSIDIVM INTER EPISCOPVM CV-
*rienſem & Rhetos, ex quo orta ſunt turbæ pro-
pter Religionem.*

Episcopis Curiensibus ante centum annos
aues controuersiæ cum Rhetis, quorum sunt
omini in spiritualibus, interceſſerunt, quæ sæ-
renouatæ fuerunt: inprimis cum Fœdere
ddensi, quod trium Fœderum Rheticorum
aximum est, cuius Episcopi erant domini et-
m in temporalibus: vnde nomen Caddi gerit,
asi dicas Fœdus domus Dei, quoniam erat
potestate Episcopi.

Sed maximum dissidium, vt facile coniicere
et, natum est tempore mutationis religionis,
æ tunc accidit, cum Heluerii à prisca religio-
desciscerent. Tunc episcopatum tenebat
ulus, qui variis hostibus & molestiis oppres-
s, Fœderi Caddensi hos sex articulos concede-
coactus est:

I. Vt toti regioni hodiernæ religionis exer-
citium permitteret.

II. Ne Episcopatum alteri resignaret insciò aut non consentiente vniuerso Capitulo Caddensi.

III. Ne quid ex bonis proprietariis Episcopatus sine consensu modo dicti Capituli Caddensis oppigneraret aut alienaret.

IV. Vt Capitulo & Caddensibus rationem redderet de rebus ad Episcopatum pertinentibus, quãdo id ab ipso peteretur.

V. Vt quæ Caddenses ex bonis proprietariis Episcopatus eo tempore, quo ipse Episcopus fuisset, vẽdidissent, rata haberet.

VI. Vt semper Caddenses ad officia Episcopatus promoueret, qualia sunt officium Architriclini, Præfecti Sustuantii, Capitanei Furstamberii & Rami.

Notandum autem est, præcipuam occasionem huius tumultus & maleuolentiæ Caddensium contra Paulum episcopum fuisse, quod cum esset peregrinus & Secretarius Imp. Maximiliani, Episcopatum nactus est per resignationem & compositionẽ cum priori Episcopo, qui cum inuisus esset Rhetis, in aulam modo dicti Imperatoris se receperat: cumque in illud ipsum tempus mutatio religionis in Germania & Heluetia incidisset, dissidium, quod erat inter Episcopum & Rhetos, procul dubio ipsos impulit, vt & illi religionem mutarent: istud vtique certum est, quod coactus fuerit ad aliquam saltem quietem obtinendam, vt in supradictos articulos consentiret: etsi nihilominus totis illis XXXVIII. annis, quibus Episcopatum tenuit, variis modis exagitatus fuerit.

Inter Paulum illum, quem modo diximus, & Beatum, qui hodie est Episcopus Curiensis, duo interceſſerunt, quorum posterior, Thomas dictus, fuit ex familia Plantarum.

Hoc mortuo, anno M D LXV. magna exorta est æmulatio & contentio inter duas familias, de Planta & de Salicibus, quæ mutuis odiis inter se flagrant, & sunt præcipuæ in illa gente, quarum vtraque Episcopatum illum ambiebat. Plantæ suffulti magna auctoritate Rothmusii (quæ forte præcipua fuit causa cædis ipsius in hoc tumultu) in electione Beati vno suffragio præualuerunt, qui Episcopatum filio Rothmusii, Decano Curiæ, adhuc iuueni seruare debebat. Sed Salices cæterorum Capitularium suffragiis & fauore Caddensium subnixi, vnum ex suis vi in Episcopatum illum intruserunt: qui illum aliquandiu tenuit, dum vna & altera pars Romam commearet. Tandem, exactis aliquot mensibus interuentu Bellieuræi, legati Regis Christianissimi in illis oris, & Heluetiis se interponentibus, Beatus, tanquam legitime electus, fuit receptus & in Episcopatum introductus: & verisimile est, Generalem Fœderis illius Caddensis inter alias causas, propter quas tam enixe fauit Salicibus, qui illis locis magna pollent auctoritate, & quorum familia pro antiquissima habetur, estq; opibus & numero subditorũ in Rhetorũ communitatibus habitantium

potentissima, hac inprimis fuisse motum, vt exploraret, an ipse etiam aliqua suffragia in illa electione esset habiturus: ob quam causam etiam Episcopus Paulus fidem dare coactus fuerat, ne Episcopatum vlli alii resignaret, nisi conscio & consentiente Capitulo Caddensi.

Dum illa controuersia agitaretur, magni ab vtraque parte conuentus habiti, multa conuiuia instituta, magni sumptus facti & multum æris alieni contractum fuit, partim à Fœdere in genere, partim à Salicibus in specie, quorum syngraphæ & particulæ viginti & viginti quinque millia florenorum continent.

Ad dissoluendum istud æs alienum Fœdus modo dictum & Salices diu litigarunt cum Episcopo, vt sumptus illos ex vectigalibus Episcopatus refunderet, quorum partem occuparunt, atque etiamnum in sequestro detinent.

Adhæc nouæ cõditiones quæruntur in iuramento, quod nonnullæ communitates Episcopo, cui sunt subiectæ, præstare tenentur: præter alias molestias, quæ ab hominibus istis licentiosis Episcopo exhibentur, qui fere omnes maiorum sacra eierarunt, & à sui ministris, oleum camino addentibus, cum incendium potius restinguere deberent, stimulantur.

Episcopus, vt ab illis vexationibus se redimeret, ad pagos Heluetiorum confugit, qui ad tria Rhetorum Fœdera litteras dederunt, & diuersis vicibus, tanquam lecti arbitri, sententiam tulerunt: cui cum Rheti non parerent, Heluetii legatos miserunt, qui rationes quasdam componendi dissidii scripto consignatas proposuerunt. Cum hic quoque labor irritus fuisset, & noui semper tumultus orirentur, Heluetii denuò septem legatos nomine XIII. pagorum eo miserunt, qui mense Nouembri M D LXIX. arbitrio ad se delato, sententiam pronunciarunt, qua rationes componendi dissidii à prioribus Heluetiorum legatis propositas, & sententiam à tribus Rhetorum Fœderibus anno M D LXVI. Ilianti latam comprobarunt. Capita autem quæ illa sententia continentur, à nemine hactenus videri aut cognosci potuerunt, cum solus Episcopus illa habeat, & Fustembergæ in Comitatu Tirolensi, vbi fixum domicilium habet, quoniam Curiensibus non fidit, custodiat.

Interim constat, partes antequam se arbitrio septem illorum legatorum submitterent, protestationes quasdam vtrinque interposuisse. Caddenses inter alia cauebant, ne arbitrium istud suæ libertati fraudi esset, & volebant, vt ære alieno, quod propter controuersiam Episcoporum conflassent, leuarentur. Episcopus vicissim hac conditione se arbitrorum sententia stare velle dicebat, ne cogeretur sumptus, qui decernerentur, refundere, nisi prius iuramentum ab iis, qui suæ iurisdictioni subiecti essent, præstitum fuisset, & sequestrum, quo sua vectigalia constricta tenerentur, laxaretur. Legati tamen, non habita ratione illarum protestationum & conditionum, statuerunt, vt Episcopus mille octingentos florenos suppeditaret, quibus pars illorum sumptuum & debitorum pro ipsius arbitrio dispungeretur. Quæ sententia cum admodum ambigua esset, materia renouandæ litis partibus non defuit.

Ab eo tempore Episcopus perpetuo Fustembergæ commoratus, nec Curiæ conspectus fuit, præterquam his Martinalibus, quibus eo venit post duorum Helueticorum legatorum, quos eo mittendos curauerat, aduentum: quibus digressis, ille confestim etiam abiit: quæ causa est, quod cum Fustemberga in Heluetiam & ad alios scriberet, caput causæ, quæ inter ipsos disceptatur, in hunc vsque diem cognosci non potuerit.

Nihilominus Episcopus Deo aliquando rationem reddere tenebitur, quod propter ipsius contumaciam & negligentiam in curando & pascendo suo grege paucæ communitates in illo Fœdere Caddensi, quæ adhuc religionem Catholicam retinent, (nam ex vndecim tantum Surserzensis supereſt, cum aliqua parte duarum aut trium aliarum) in eo sunt, vt prisca religione relicta ad Protestantes transeant, quorum doctrinam reliqua omnia fœdera amplectuntur: quod vt tanto citius faciant, duæ satis speciosæ causæ illos facile impellere poterunt: vna, vt vectigalibus, quæ Episcopus ab illis exigit, exonerentur, quæ adhuc debent ab eo tempore, quo ad Episcopatum fuit euectus. Priusquam autem illa soluant, Episcopo & religioni Catholicæ nuntium remittent. Altera, quod cum maximam partem temporis à suo Episcopatu absit nec quisquam paræcias pro more obeat ac visitet (qua de re Capitulum ipsius grauiter conqueritur) Catholici sunt instar ouium sine Pastore, qui interea à Ministris alterius religioni solicitantur, vt ab Ecclesia Rom. deficiant, & sui cœtibus se aggregent.

Interea factio Salicum, quæ à suis consiliis & machinationibus non desistebat, fauore Rhetorum Protestantium & Fœderis Caddensis animata, Plantas, inimicos suos, persequuta est. Hi vero, adiunctis sibi quibusdam suæ factionis hominibus, & ab illis adiuti, consiliis cum Imperatore & Præside Mediolanensi communicatis, in caput Rhetorum Protestantium, qui cum Catholicis in Valle Tellina domicilium habebant conspirarunt, & præcipuos ex iis, partim domi partim cum in concione essent, per totam illam Vallem, sub hoc prætextu obtruncarunt, quod religionem Catholicam opprimerent, & multis iniuriis se affecissent. Præcipui auctores harum cædium fuerunt Plantæ supradicti, & Robustellus, qui omnes Catholicorum communitates ad has cædes perperrandas instigarũt: quam vis non leuis suspicio esset, exterorum quoque consilia & hortatus accessisse.

Cũ igitur Catholici in Valle Tellina præfectos Rhetorum hæreticos, mense Iulio, anno M DC XX. immaniter trucidassent, & metuerent, ne breui à magno & potente exercitu Protestantium, quem Fœdera vndique colligebant vt tam indignum facinus & necem tot populorum in illa expeditione nefarie interemtorum vlciſce-

iscerentur, nec se viribus hostium pares esse
rent, qui in Heluetia, Hollandia & aliis locis,
ertim Bernæ ac Tiguri copias cogebant,
idem Mediolanensem (qui huic occasioni
de inhiabat) tanquam vicinum & Catholicis
entem, adierunt, eumq; supplices rogarunt,
le in suam fidem & tutelam acciperet, & au-
ium, quanto opus esset ad Vallem Tellinam
tra exercitum Rhetorum defendendam,
mpre sibi submitteret.

Præses Mediolanensis, explorata Regis Hi-
niæ, domini sui, voluntate, non solum auxi-
es equitum peditumque copias magno nu-
ro Catholicis in Valle Tellina subministra-
quarum ope vim Rhetorum propulsarunt,
exercitum ipsorum fuderunt: sed etiam o-
es arces & propugnacula in Valle Tellina
upauit, & noua, quorum vndecim fuerunt,
truxit, ac Clauennam, Sondrium & Curiam
muit, atque ita totam Vallem in suam pote-
em redegit.

Tunc cognitum est, Hispanum tandem sui
i compotem esse factum, quod iam ante du-
tos annos meditabatur, vt Gallis iter in Ita-
m præcluderet, & auxilia, quæ Veneti aliique
astæ in Italia ab amicis & fœderatis exteris
su necessitatis sperare possent, transitu pro-
eret: atque hanc opportunitatem ab Hispa-
ab omni tempore fuisse expetitam, vt copias
talia in Germaniam & Belgium facile tradu-
t. Itaque Rex Gallæ, Dux Sabaudiæ, Vene-
Heluetii & magna pars Italiæ, qui hanc inua-
em sibi detrimentosam sentiebant, grauiter
a conquesti, bellum suscipiendum decreue-
; vt omnia in pristinum statum restitueren-

Dum hæc agerentur, Rex Christianissimus
cem Bassompetram, legatum extraordina-
, in Hispaniam misit, vt de Valle Tellina
Rege Catholico transigeret, & turbæ inter
holicos & Rhetos ortæ componerentur:
cum Mantuæ Carpetanorum esset, habita
beratione in Consilio Castiliæ, in hos arti-
s conuentum fuit:

I. Vt Vallis Tellina in pristinum statum re-
stitueretur.

II. Vt memoria eorum, quæ Catholici con-
tra Rhetos patrassent, obliteraretur, &
Rheti Catholicis ea condonarent.

III. Vt munitiones & propugnacula à mense
Iulio MDCXX. exstructa diruerentur,
& præsidia Mediolanensium atque ex-
terorum dimitterentur.

Quoniam vero Rheti veniæ Catholicis in
e Tellina à Regibus concessæ subscribere
bant, Catholici nullo modo consentire vo-
nt, vt Vallis Rhetis restitueretur, cum vere-
ur, ne in eorum potestatem redacti capitali
licio afficerentur. Cum autem Rex Chri-
issimus & alii Principes atque Ordines fœ-
ti instarent, vt Catholici in Valle Tellina
factionem Mantuæ Carpetanorum inter
s Reges factam amplecterentur, & Vallem
Rhetis redderent, sub protectione vtriusq; Co-
ronæ, & munitionibus dirutis eam pristinæ li-
bertati restituerent, ac præsidia Mediolanen-
sium, quæ accersiuissent, dimitterent: quod nisi
sponte facerent, futurum, vt armis eo adigeren-
tur: incolæ Vallis Tellinæ, Ecclesiastici & cæteri
Catholici, prolixum scriptum ad Regem Chri-
stianissimum miserunt, quod ipsi anno MDC-
XXII. in arce ipsius regia Fontebellaqueo à
duobus Religiosis, qui à Catholicis in Valle Tel-
lina ad suam Maiest. missi fuerant, exhibitum
fuit, qui Regi causas exposuerunt, propter quas
assentiri non possent, vt Vallis Tellina Rhetis
hæreticis restitueretur. Oratio ipsorum, ad eo-
rum, qui eam retinere cupiebant, nutum com-
posita, ex lingua Italica in Latinam traducta, hu-
iusmodi fuit:

Domine, Nos ecclesiastici & incolæ Catholi-
ci Vallis Tellinæ ingenue fatemur, nos nimium
cunctatos, antequam veniremus, vt nos ad pe-
des Vestræ Maiestatis Christianissimæ, nec non
Regis Catholici, abiiceremus, & vobis puram
& simplicem veritatem eorum, quæ in Valle
Tellina acciderunt, referremus, miserum & la-
mentabilem ac commiseratione dignum sta-
tum, in quo nos cæteri versamur, & extremam
necessitatem, ad quam redacti sumus, vobis ob
oculos poneremus, humillime rogantes, vt sa-
cratissima Vestra Maiestas nobis benigne opem
ferat.

Causa illius moræ ex parte fuit, quod nullus
nostrum libere auderet aulam Tuæ Maiestatis
accedere, in qua Rheti, hostes nostri capitales,
commorantur, à quibus non nisi iniuriam & a-
cerba quæque exspectare poteramus.

Altera causa nostræ cunctationis fuit ingens
pauor & consternatio, quæ mentes nostras è sua
sede dimouit, amissa spe remediorum malis no-
stris adhibendorum, & nos in belluas pigras,
torpidas & marcentes transmutauit, cum vide-
remus, nos in hac nostra extrema miseria ab o-
mnibus Regibus & Principibus derelictos esse,
& fauorabilem aurem Tuæ Maiestatis & Regis
Catholici nobis occlusam esse, quo minus æqui-
tatem causæ nostræ vobis declarare possemus.

Cum autem Deo nunc placuerit radiis diui-
næ suæ lucis mentes & animos Heluetiorum Ca-
tholicorum illustrare, qui perspexerunt, quanto
præiudicio fides Catholica & æquitas nostræ
causæ fauciaretur, & quod exitium atque interi-
tus vitæ, bonorum, fidei & religionis Catholicæ
plus quam centum viginti millibus animarum
in hac valle habitantium impenderet: cumque
vidissent tractatum Mantuæ Carpetanorum
XXV. April. MDCXXI. inter Tuam Maiesta-
tem & Regem Catholicum initum, & multum
temporis in eo fuisse consumtum, quod causa
esset magni momenti, decreto publico consti-
tuerunt, in restitutionem Vallis Tellinæ, qua il-
la in potestatem Rhetorum redeat, non consen-
tire: quibus etiam fœderati Vestræ Maiestatis &
pagus mixtus Abbatis-cellæ accesserunt, qui li-
quido animaduerterunt, quanto in discrimine

fides Catholica & vita omnium noſtrum verſaretur.

Tunc cæpimus reſpirare & animus nobis rediit, vt conſilium caperemus, ad Tuam Maieſtatem & Regem Catholicum aduolandi, nosque ad pedes veſtros humillime abiiciendi, quo præſens ſcriptum vobis exhiberemus, quod veram narrationem & ſummam eorum, quæ his poſtremis tu bis in Valle Tellina euenerunt, complectitur. Pollicemur nobis de regia bonitate Tuæ Maieſtatis, quam ſcimus tanto zelo erga fidem Catholicam, & odio aduerſus hæreſin flagrare, imo tanto ſtudio iuſtitiæ deditam, vt merito Iuſti cognomen gerat, eam ponderata cauſæ noſtræ æquitate, & habita religionis Catholicæ ratione, non modo non allaboraturam, vt ſupradictus tractatus exequutioni mandetur, & Vallis Tellina Rhetis reſtituatur, ſed etiam miſeras Catholicorum familias, ab omnibus derelictas, in ſuam regiam protectionem recepturam, & religionis Catholicæ in illa Valle conſeruationem, de qua potiſſimum agitur, curæ cordique habituram. Ex hoc autem ſcripto Tua Maieſtas plenam totius facti cognitionem hauriet, duobus his capitibus conſideratis.

Prius eſt, neminem, quicunque ſit, poſſe vrgere, vt tractatus ille obſeruetur, & executioni mandetur, vtque Vallis Tellina Rhetis reſtituatur, niſi iuſtitiam violet, religionem Catholicam & ſanctos Canones oppugnet, & in pœnas Bullæ, *In cœna Domini*, ſancitas incurrat.

Alterum, non ſatis eſſe, Tuam Maieſtatem exequutionem ſupradicti tractatus & reſtitutionem Vallis Tellinæ non vrgere, ſed eandem, cognito extremo periculo, quod nos circumſtat, ea tempora attigiſſe, quibus lex charitatis eam inuitat, imo obligat, vt proximo in ſumma ipſius neceſſitate opem ferat.

Quod ad prius attinet, multi anni effluxerunt, ex quo pacta conuenta ſunt inter Vallis Tellinæ incolas & Rhetos. Liquet etiam, eo tempore, quo Vallis Tellina Rhetis loco ſtipendii à Rege Galliæ, qui tunc Dux Mediolanenſis erat, data fuit, incolas illius non fuiſſe Rhetorum vaſallos aut clientes, ſed fœderatos & ſocios: ſicut apparet ex contractibus & tractatibus authenticis, qui in noſtris Archiuis diligenter aſſeruantur: atque hoc nomine iuramento fidelitatis nunquam ſe illis obſtrinxerunt. Sed poſteaquam populi illi hæreſi imbuti fuerunt, animis efferatis, Rheti, qui nobis potentiores erant, cum & præcipui in noſtra Valle ſectæ & hæreſi ipſorum addicti eſſent, cœperunt paullatim nos tractare non tanquam ſocios & fœderatos, ſed tanquam mancipia & vaſallos, atque hoc modo dominatum tyrannicum vſurparunt non tantum in vitam & facultates, ſed etiam libertatem noſtrarum conſcientiarum & religionem noſtram, quam cum vellent nos abnegare, & miſerabiles ſectas Zvvinglii & Caluini inter nos inuehere conarentur, maiores noſtri animoſe reſtiterunt, & minati ſunt, ſe Principes vicinos Catholicos auxilio aduocaturos, & in eorum fidem ac clientelam ſe traditurōs. Itaque negotium compoſitum, & concordia ſarcita fuit, per quam exercitium religionis Catholicæ & fidei libertas ſalua manſit: vt liquet ex conuentionibus inactа publica Vallis Tellinæ relatis. Verum ſucceſſu temporis, aucto Hugenotorum Caluiniſtarum numero, tam ex indigenis quam exteris, qui ex diuerſis Catholicorum ditionibus & prouinciis in hanc vallem, tanquam in azylum, ſub protectione Rhetorum, magno numero confluebant, tyrannis ipſorum vſque adeo inualuit vt violatis pactis conuentis pro libertate religionis Catholicæ, omnia pro arbitrio & affectibus Rhetorum gererentur, qui malitioſo furore Miniſtrorum, Chriſtiani orbis incendiariorum, incitati, imperium ſibi in noſtra corpora & conſcientias vendicarunt.

Breuitatis cauſa hoc loco prætermittimus barbaram immanitatem, qua onus monſtroſ & iniquæ auaritiæ ſubire coacti fuimus, cum aduerſus Catholicos contra omnem formam æquitatis & iuſtitiæ ageretur, bonis illos ſpoliando, & tot iniuriis afficiendo, vt nullus eorum de cauſa, quam in iudicio obtinuerat, & ſententi ſecundum ipſum pronunciatis, certus eſſe poſſet: imo longo tempore interiecto, Præſide magiſtratu abeunte, & alio in ipſius locum ſuccedente, omnes ſententiæ & iudicia renouabantur, & nouæ, pecunia data, impetrandæ erant qua deficiente, priores ſententiæ inducebantu & lacerabantur, imo pro pecunia parti aduerſ reddebantur: Denique cogebamur ab illis fere quidquid perfidi & improbi homines, q nullum alium Deum & felicitatem, quam arge tum & ebrietatem habent, ſibi imaginabantu qui vitio laudem virtutis tribuebant, & quib certum deliberatumque erat, nulli fidem, pr miſſum aut iuſiurandum ſeruare, ita vt non m tius ab illis haberemur, quam ſi ſub imperio poteſtate Scytharum & Tartarorum fuiſſemu

Hoc tantum addemus, ipſis non ſatis fuiſſ quod infractis omnibus conuentionibus n biſcum initis, libertatem noſtræ Religionis i terdixerunt, ſed eos etiam bona & facultates n ſtras nobis eripuiſſe, exercitium noſtræ religi nis & omnem cultum atque officium eccleſi ſticum ſuſtuliſſe, bona & reditus Eccleſiæ oc paſſe, legata ad pias cauſas, quæ Eccleſiis à fide bus morientibus deſtinata erant, vt Miſſaru & precum ab illis poſt ſuam mortem factaru participes eſſent, inuaſiſſe, & ad ſeminaria i uentutis Hugenoticæ ac ſtipendia magiſtrorū & præceptorum eiuſdem ſectæ, quos Geneua hanc Vallem accerſiuerant, applicaſſe. Præter Catholicos ad alendos Miniſtros Huguenot obſtrinxerunt, templa illis ademerunt, quæ ſynagogas Satanæ transformarunt: atque iis l cis, vbi vnum tantum erat templum Catholic illud ſibi & Catholicis commune eſſe voluer ita vt eodem loco, in quo laudes Dei caneba tur, & S. Miſſa celebrabatur, idololatræ Baal taribus adolerent coram arca Dei: in eadem cathedra, in qua veritas Catholica & verbum D

annū

nnunciabatur, Ministri hæretici blasphemias
abominationes suas contra illud ipsum Dei
erbum eructarent. Insuper interdictum erat
atholicis, ne nouum templum conderent, &
dulgentias aut Iubilæum publicarent: Episco-
im Neocomensem (ad cuius diœcesin Vallis
ellina pertinet) omni sua iurisdictione priua-
nt, nec permittere voluerunt, vt suas visitatio-
s ordinarias obiret, & Ecclesiasticos delin-
ientes, qui sub ipsius inspectione erant, punir.
Quodam tempore cum ipso conuenerunt,
illi fas esset suos inuisere, modo quingentos
eos ipsis numeraret: verum accepta illa pecu-
, cum ille visitationem suam in Valle inchoas-
, quibusdam negotium dederunt, vt eum
mprehenderent: qui quod ipsis mandatum
rat, exequuti fuissent, nisi ille fuga sibi consu-
sset. Nam illi sibi potestatem arrogabant ca-
gandi & puniendi ecclesiasticos, disponendi
officiis & beneficiis ecclesiasticis, & iudican-
de causis ecclesiasticis, beneficialibus & ma-
monialibus, ac seuere in eos animaduerte-
nt, qui errata hæresi, religioni Catholicæ no-
n dederant, quique eos receperant, cum hæ-
i renunciarent, & operam suam ad illos con-
tendos accommodarant, pœnas à presbyte-
& curionibus reposcentes, cum innumeris a-
indignis facinoribus, quæ molestum esset
mmemorare.

Neque his contenti, vt sola religio Hugeno-
a in Valle obineret, Catholica exterminata;
itati fuerunt à suis Ministris, qui plenum im-
ium in corda & conscientias eorum habent,
præcipuos Ecclesiasticorum & alios Catholi-
zelo religionis flagrantes, à quibus non abs-
e ratione sibi metuebant, ne pernicioſis ipso-
n conatibus se opponerent, de medio tolle-
t: quo decreto facto, persequutionem à Ni-
ao Rusca, archipresbytero vrbis Sondrii, vi-
anctitate vitæ & doctrinæ præstantia eximio,
no religionis Catholicæ columine, exorsi
t, quem extraordinariis tormentis excruciа-
n martyrio affecerunt, anno MDCXVIII. cu-
vita & martyrium à tribus diuersis auctori-
descriptum & typis euulgatum fuit, vt de eo
imonium posteritati redderent. Eodem mo-
præcipuos quosdam Catholicos in Valle Tel.
morte mulctarunt, vt ita omnes Ecclesiasti-
& totam Nobilitatem extirparent, & infe-
is conditionis Catholicos metu consterna-
miserabili suæ sectæ adhærere cogerent.

taque Capitaneus & legatus ipsius in Valle
lina, qui ambo Hugenoti erant, sæpe in ore
ebant, non abiturum annum, quin omnes
a Valle vnius religionis futuri essent. Secun-
n hæc conspiratio fuit detecta, quam Mini-
& Rheti in oppido Ianto, quod ad Fœdus
eticum pertinet, machinati erant, quamque
in Tuæ Maiestati notam esse cupimus, qua
im Clerum & Nobilitatem aliosque zelo in
gionem Catholicam feruidos interimere
reuerant, forma & die, qua exequutio fieri
ebat, constituta. Quod decretum nostrorum
inimicorum nos ad extrema adegit, ita vt de vita
desperantes conuentum instituerimus, in quo
clam capita contulimus, quo pacto crudelem
mortem, quam hostes nobis intentabant, euita-
re, & Vallem Tellinam ab hæresi, quæ abolita
religione Catholica totam Vallem breui perua-
sura videretur, & cuius causa hæc conspiratio
contra nos inita fuerat, purgaremus. Cum diu
multumque deliberassemus de ratione expedi-
endæ salutis, non alia commodior in hac neces-
sitate occurrit, quam vt armis sumtis hostes no-
stros anteuerteremus, & quod contra nos & re-
ligionem nostram machinati erant, in caput i-
psorum retorqueremus. Hoc consilio capto ar-
ma pro vitæ & altarium nostrorum defensione
corripuimus, & omnes præfectos Rhetorum at-
que incolas Hugenotos Vallis Tellinæ, quot-
quot in manus nostras venerunt, neci dedimus.
Quo peracto, confestim Religiosos diuersorum
Ordinum vocauimus, vt verbum Domini nobis
annunciarent, confessiones nostras audirent,
Calendarium Gregorianum, Bullam *In cœna Do-
mini* & sacrosanctum Concilium Tridentinum
in Vallem introducerent: Episcopo accersito S.
Inquisitio fuit constituta, omnibus decretis,
quæ contra religionem Catholicam facta erant,
abrogatis. Atque ita breui tempore religio Ca-
tholica per totam Vallem fuit stabilita: quæ a-
ctio tam facile & prospere successit, vt manife-
stum esset, Dei manum nobis adfuisse, & tam iu-
stum ac necessarium opus ad exitum perduxisse:
& nos soli, auxiliante Deo, absque vllius Princi-
pis subsidio, libertatem nostram fortiter vindi-
cauimus: prout etiam satis virium nobis esse pu-
tamus, quibus Rhetis resistere possimus, si suos
vlcisci velint: sed cum postea intellexissemus, i-
psos collecto ex Bernensi & Tigurino pagis nu-
meroso exercitu nos aggredi velle, viribus no-
stris diffisi, ad Præsidem Mediolanensem, nobis
vicinum & Catholicis fauentem, confugimus;
eumque supplices rogauimus, vt nobis contra
vim hostium nostrorum suppetias ferret. Quod
fecit, postquam aliquandiu reluctatus esset, nos-
que cœlesti fauore & subsidio Mediolanensi adi-
uti, viribus coniunctis & animis confirmatis,
hostes paullo ferocius excepimus, quam opinati
erant, & exercitum illorum deleuimus. Sic Deus
execrabilem ipsorum audaciam denuo coercere
voluit, quam Bormii & in aliis locis regionis
paucis ante diebus exercuerant, vbi sanctissi-
mum & summe reuerendum Eucharistiæ Sacra-
mentum prophanauerant, altaria & imagines
Sanctorum confregerant: inprimis autem vene-
randam admodum B. Virginis imaginem, quam
populus Catholicus in Valle Tellina religiose
colebat, sclopetorum ictibus prætrebrarant;
præterea vasa sacra polluerant, calices, patinas &
alia sacra Ecclesiæ vtensilia sufurarati erant: quo-
rum nonnulla in ipsorum sarcinis, quædam sub
armis occisorum reperta fuerunt: quibus ratis
& miraculosis spectaculis vindicta diuina, vt te-
stari possunt, qui coram illa viderunt, suam po-
tentiam demonstrare voluit, qua iustitiam &

cauſam Catholicorum protegit. Iam igitur Vallis Tellina ſe in libertatem aſſeruit, quam mucrone gladii ſibi peperit, adhibitis iuſtis armis pro iuſta ſuæ vitæ & religionis Catholicæ defenſione: ita vt nunc libera, pura & ab omni genere hæreſeos & ſectarum contrariarum repurgata ſit.

Exinde intelleximus, quoſdam articulos ob hanc mutationem Mantuæ Carpetanorum inter Tuam Maieſtatem Chriſtianiſſimam & Regem Catholicum fuiſſe conſignatos, vt Vallis Tellina reſtitueretur. Ad quod hoc ſolum reſpondemus, in cauſa Religionis & vbi agitur de rebus ad Rempubl. noſtram pertinentibus nullos articulos condi, nec Vallem Tellinam Rhetis reſtitui, nec nos iugo ipſorum tyrannico ſubiici poſſe, niſi aſſenſum præbeamus, & iuſtæ noſtræ querelæ ac rationes à Tua Maieſtate Chriſtianiſſima & Rege Catholico prius auditæ fuerint.

Nos enim libertatem noſtram recuperauimus, & iugum tyrannicum Rhetorum optimo iure excuſſimus: primo, quia tractatus & pacta nobiſcum conuenta fregerunt, & libertatem noſtræ Religionis interdixerunt: quamobrem *frangenti fidem non danda fides*: deinde propter defenſionem noſtræ Religionis, quæ tot annis ab ipſis oppreſſa, funditus extirpata fuiſſet, ſi res ipſis ex voto ceſſiſſet: tertio, propter noſtram defenſionem, fecimus, quod ſupra dictum eſt, cum prius omnes alias vias & remedia tentaſſemus: neque aliud certius nobis in mentem venit, ad vitam noſtram, eccleſiaſticorum & omnium Catholicorum innocentum conſeruandam, quam ſi eos de medio tolleremus, qui ſanguinem noſtrum ſitiebant, & manus ſuas eo polluere volebant. Quæ rationes ſatis ſuperque oſtendunt, noſtri officii fuiſſe, vt hac actione intollerandum iugum Rhetorum exueremus, & libertatem noſtram cũ priſco dominatu, quem abſque omni dubitatione, ipſa naturali ratione ſuffragante, obtinuimus, recuperaremus. Quo iure noſtra libertate, & iuſto dominatu, quem in Valle poſſidemus, priuaremur? cum nullum alium in terris dominum agnoſcamus, quam Imperatorem, qui directe dominus eſt regionis, ſicut fructus ad nos pertinent. Nec dubitamus, quin Tua Maieſtas nunc agnoſcat, hoc omni iuſtitiæ repugnare, vt Vallem Rhetis reſtituamus, & vltro iugum, quod à ceruicibus noſtris repulimus, rurſum ſubeamus, omniq; iniuriæ, quam ab iniquis illis dominis ferre cogemur, nos exponamus, & enormibus peccatis nos obſtringamus, quæ priusquam remittantur, par eſt, vt iis, qui damno affecti fuerunt, ſatisfiat.

Quod ſi ſecundum articulos Mantuæ Carpetanorum conditos omnia in Valle Tellina in priſtinum ſtatum ſunt reſtituenda, hæreſis quoque reſtituenda erit: ex quo hoc infallibiliter cõſequetur, vt religio Catholica in illa non modo infirmetur, ſed etiam prorſus extirpetur. Nam licet omnes nouitates ab anno M DC XVII. in Vallem Tellinam & Comitatum Bormii ac Clauennæ inuectæ tollantur & aboleantur, quem- admodum tertio articulo cautum fuit: tamen o- mnia ſtatuta, ſcita & decreta contra Religionen Catholicam ante initium anni modo dicti M DC XVII. facta hoc tertio articulo confirma buntur & approbabuntur.

Certum namque eſt, quod *exceptio firmat re gulas in contrarium in caſibus non exceptis*. Itaque Ca tholici non habebunt, quod conquerantur, ſtatuta & decreta illa à Rhetis in vſum reuocen tur & exequutioni mandentur: quandoquidem nouitates & alia contra fidem Catholicam ant Calen. Ianuar. anni M DC XVII. facta, deince aboleri non poterunt, ſicut nunc poſſent, obſe uatis pactis & conuentionibus ſupra allegatis.

Cum autem omnia, quæ paullo ante comm morata, & à Rhetis contra Catholicos perp trata fuerunt, non comprehenſo martyrio A chi presbyteri, & omnia decreta, exilia & pr ſcriptiones religioſorum, aliaque ſtatuta in pra iudicium Religionis Catholicæ ſancita, cum mni violentiæ & iniuſtitiæ genere, quæ iam vſum & conſuetudinem abierunt, facta ſint te initium anni M DC XVII, prout conſtat, & ipſis decretis liquet, neceſſario ſequitur, fut rum, vt omnia adminicula & argumenta Cath licis eripiantur, quibus antiquas ſuas conue tiones contra illa decreta & ſtatuta, quæ ſunt r centiora, defendere poſſint. Nam Rheti proc dubio pro ſtabiliendis illis ſuis decretis & ſtat tis iudicium & ſententiam duorum Regum, G liæ & Hiſpaniæ, obtendent, atque ob eandem mnes nouitates in religione poſt illum annu contra ipſorum hæreſin inuectas abolebu Nam anno demum M DC XX. S. inquiſitio à n bis introducta: auctoritas Eccleſiæ reſtituta: C lendarium Gregorianum receptum: S. Con lium Tridentinum admiſſum: legata ad pios ſus relicta, ad eoſdem adhibita: bona eccleſiaſ ca, ab Hugenotis rapta, Eccleſiis reſtituta: ſem narium hæreticum abolitum: Miniſtri & hu magiſtri Hugenoti pulſi: tota Vallis Tellina hæreſi purgata: libertas Hugenotorum doct nam amplectendi, quæ antea conceſſa fuerat, t uocata: decretum factum, vt nullus apoſtat Religione Catholica in Vallem Tellinam ſe piatur: denique omnia ſigna & veſtigia hæreti prauitatis ſublata fuerunt. Itaque certum e Rhetos omnia antiquaturos, quæ faciunt conſeruationem noſtræ religionis, tanquam r cens inuecta contra ipſorũ ſtatuta ante initiu anni M DC XVII. facta: quod ipſis iuxta artic lum ſupradictum licebit: & religione Catholi in eum ſtatum reſtituta, in quo ante illum a num erat, hæreſis & omnia, quæ paullo ante c memorata ſunt, inſtaurabuntur & refloreſcet & quia abſolutum imperium in Valle Telli penes ipſos erit, nemo ipſis audebit dicere, *Qu re ſic facis?* nec vllus Principum malefactis ip rum intercedere volet.

Maneat igitur verum ac certum, quidquid nobis contra Rhetos patratum fuit, ſolumm do pro defenſione religionis Catholicæ, &

ios ab oppressionibus eorum liberaremus, vitã
ecclesiasticorum & Catholicorum tueremur, &
iudelem ipsorum machinationem & conspira-
ionem de omnibus Ecclesiasticis & præcipuis
rq; insigni zelo erga fidem incensis Catholicis
nactandis anteuerteremus, susceptum fuisse.
Quod autem in hoc consilio capiendo non vsi
mus opera quorũdam Principum qui sui com-
nodi causa, & vt fines suos prolatarent, nos ad
oc facinus audendum exstimularint, ex ipsa no.
rorum inimicorum cõfessione patet, qui Mar-
rologium composuerunt, in quo omnes, qui à
obis morte affecti fuerunt, martyrum elogio
mant, annotatis ipsorum nominibus & cogno.
inibus: atq; huius postremi actus hanc ratio-
em afferunt, quod cum vellent Ecclesiam Eu-
gelicam, vt appellant, in Bulcia, regione ad
mmunitatem Telienſem pertinente, consti-
ere, in qua Catholici vnum ex suis Ministris a-
e tenerentur, Catholici vi armata restiterunt:
quo tumultu Minister Brusus fuste vsque ad
ortem cæsus, & iuuenis Hugenotus ex Tria-
interfectus fuit. Atque hi sunt, quos primitias
artyrum appellant: reticent autem, quod
ius vero martyrio affecerant Blasium Piatrum,
trem Curionis Tellienſis, virum nobilem &
noratum, qui solum modo dixerat, se cupere
re, an Ministrum in Bulcia constituere, & Ca-
olicis suum templum atque vsum religionis
tholicæ adimere vellent. Titulus libri est: *Ve-
harratio cædis Euangelicorum à Pontificiis rebellibus
naiori parte Vallis Tellinæ anno MDCXX. die IX. Iul.
equentibus, stylo vetere, patratæ: edita in lucem, ne-
uriæ informationis & admonitionis loco ad omnes
ras Respublicas, & vt omnes veri Christiani exem-
m perseuerantiæ in pura professione S. Euangelii in-
apiant. Matth. 5. 10. Beati, qui persequutionem pati-
ur iustitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cælo-
n.* Hæc est inscriptio libri & catalogi occisorũ,
os pleno ore Martyres appellant, qui tantum
pter fidem Euangelicam interemti fuerint.
ramen illi ipsi sunt, quos lucis vsura priuaui-
s, vt Vallem supradictam ab hæresi purgare-
s, & vitam nostram periculo mortis, quod
is imminebat, eriperemus: ex quo clare per-
itur, nos ad hanc eadem nullo alio stimulo,
m Religionis Catholicæ conseruandæ stu-
incitatos & extrema necessitate adductos
se, vt hoc pacto fidem Catholicam defende-
us: cumque hostes nostros præoccupaueri-
s, cauimus, ne postremam suam conspiratio-
n contra nostrã vitam hoc saltem cõsilio ini-
& texram, vt religionẽ Catholicam in Valle
linaprorsus extirparent, exequerẽtur. Ne igi-
politici & qui huic negotio impliciti sunt, si-
naginentur, nos vlla alia causa ad hoc facinus
perrandũ inductos fuisse. Nihil aliud respe-
us, quam religionem: cætera enim vtcunq;
erabantur: & nos confisi auxilio, quod nobis
promissum ad vim ipsorum repellendam,
ram aliquam in extremo illo consilio capi-
o interposuimus, ita vt parum abfuerit, quin
nes interiremus. Cæterum Tua Maiestas au-
rem non præbeat iis, qui parum sunt soliciti de
salute animarum & de fide Catholica, sed solum
modo rationes status politici attendunt.

Quod bellum in Italia metuendum est? quor-
sum tot minæ à militibus iactatæ? Si Tuæ Maie-
stati placeret, in rei veritatem inquirere, sicut
eam credimus insigni erga fidem Catholicam
zelo flagrare, & iuris atq; æquitatis imprimis stu-
diosam esse, adeo vt vbi hæc vel illa periclitatur,
nullum locum habeant axiomata politica, nec
vllus Regum aut Principum conatus zeli ipsius
& æquitatis soliditatem labefactare possit: ita
nobis certo persuademus, futurum, vt Tua Ma-
iestas oculos suæ misericordiæ in nostram mi-
seriam & afflictionem conuertat, & reiectis
Rhetis hæreticis, quos constat homines esse sine
fide diuina & humana, nos miseros Catholicos,
à toto mundo derelictos, in regiam & paternam
suam protectionem recipiat.

Quis credat, Tuam Maiestatem, omisso bel-
lo, quod tanta felicitate cum Hugenotis gerit, vt
eos ex Gallia expellat, suos exercitus in Italiam
missuram, vt nos miseros Catholicos opprimat,
& hæreticos defendat? Quis hanc opinionem de
Ludouico Iusto, qui tanto ardore fidei Catholicę
addictus est, concipiat? Qui Tuæ Maiestati per-
suadere conantur, nisi id faciat, bellum in Italia
oriturum, laudes ipsius, quę toto orbe celebran-
tur, & quæ sunt præcipuum ac pretiosissimum
tui diadematis ornamentum, te nimirum esse
Regem Christianissimum, religionis Catholicæ
amore flagrantissimum, & potentissimum hæ-
reticorum atq; hæreseos, quocunq; te vertis fla-
gellum, offuscare, contraque insignem infamiæ
notam ipsi inurere conantur. Alia, Rex sacratis-
sime, suppetunt media, quibus pax & quies in I-
talia conseruari possit, vt non necesse sit, Vallem
Tellinam Rhetis restitui. Si quorundam Prin-
cipum & Rerumpublicarum in Italia conditio
& securitas postulat, vt Tua Maiestas huius ne-
gotii curam suscipiat, cur nos non æque ac Rhe-
ti ab ipsius partibus staremus? An minorem fi-
dem tribues Catholicis, quam Hugenotis, qui
sibi laudi ducunt, nullam fidem seruare, & pro-
missa ac pacta violare? Quod Præsidem Media-
lanensem in subsidium aduocauimus, ideo sal-
tem factum est, quod Catholicus esset & nobis
vicinus, quodque propter loci opportunitatem
auxiliũ, quo maxime indigebamus, nobis prom-
pte subministrare posset. Nam subito ad nos al-
latum est, magnum exercitum à Rhetis in Ber-
nensium & Tigurinorũ pagis ad nos opprimen-
dos & trucidãdos cogi. Eodẽ tempore petiimus,
vt quædam munitiones in locis maxime neces-
sariis & opportunis ad nostram defensionem ex-
citarentur non autem dominium in nostrã Val-
lem cuiquam cessimus: nam omnino liberi esse
cupimus: sed Mediolanensibus illas munitiones
credidimus, donec negotiũ componeretur. Nã
si Tuæ Maiestati placeat, nos sua auctoritate &
potentia contra Rhetos, Bernenses & Tiguri-
nos protegere, ne nobis negotium facessant, nos
soli munitiones illas, quas ad nostri conserua-

tionem

tionem absolute necessarias esse iudicamus, Tuæ Maiestatis regia protectione atque auxilio freti, custodiemus. Si cæteri Principes arbitrantur, se aliquid à nobis & Rhetis sperare posse, & de eo aliqua transactio fiat, omnia à nostra parte maiori fide præstabuntur, quam à Rhetis. Nam Tua Maiestas non ignorat, satius esse, nobis fidere, qui sumus Catholici, & veram fidem profitemur, quam perfidis Hugenotis, qui non solum tanquam hæretici, sed etiam tanquam Rheti, nullam fidei datæ & promissorum suorum rationem habent: cuius rei Tuæ Maiestatis legati amplissimum testimonium reddere poterunt. Rheti ingenio sunt feroci, proteruo & superbo, qui cum beneficia & fauorem T.M. grato animo agnoscere & prædicare deberent, palam iactitant, eam propter antiquum fœdus Regum Galliæ, tuorum maiorum, cum Rhetis obstrictam esse, vt illos protegat, & in pristinum statum restituat. Nam si Tua Maiestas dignabitur, rationum, quas supra attulimus, memoriam repetere, agnoscet, se non solum non teneri, illos protegere, siquidem nullum est pactum aut fœdus, quod obliget, quando legi Dei, quæ omnibus contractibus præferenda est, repugnat: sed contra obstrictam esse, vt eos deserat, tanquam hostes Dei, S. Ecclesiæ Catholicæ, & omnium Principum vere Catholicorum: simulque brachia suæ protectionis nobis pandet, & miseris Catholicis, ab omnibus derelictis, fauebit, qui sunt humillimi ipsius serui, & sanguinem pro ipsa vsque ad extremam guttam profundere parati: cum nunquam Rhetis obligata fuerit, atque eo minus teneatur ipsis opem ferre, quod ipsimet capitulationem in Hispania factam infregerunt, neque vnquam nostri impunitatem & præteritorum obliuionem in capitulatione illa præscriptam iurare & promittere voluerunt: atque ita Tuam Maiestatem omni vinculo soluerunt, & iniusta ac crudeli illa recusatione se illius protectione indignos reddiderunt.

Quid boni Tua Maiestas in Rhetis reperit, quod illis tam impense faueat, & eos tam benigno oculo intueatur ac tanta beneuolentia complectatur? Si fidem illorum respiciat, omnes sunt hæretici, perfidi, improbi, templorum expilatores, bonorum ecclesiasticorum vsurpatores, & hostes Catholicorum. Si ingenium & mores, homines sunt vilis & abiectæ conditionis, qui nullum aliud numen reuerētur & colunt, quam aurum & argentum, cuius accumulatio & conseruatio inter ipsos habetur *ius naturale & diuinum*: denique sunt homines, inter quos fidem dare, crimen est: fidem seruare, probrum.

Ac sane nihil est, quod Tuam Maiestatem magis instigare debeat ad Rhetos deserēdos & nos protegendos, quam cōsideratio sui ipsius, si perpendat, se esse LVDOVICVM XIII. cognomento IVSTVM, filium primogenitum S. Ecclesiæ, defensorem Fidei, & hostem hæreticorum, qui cum lacte hausit immortale odium hæreseos, qui iustitiæ est amantissimus, qui omnem rationem politicam gloriæ & cultui Dei præfert. Quapropter confidimus, Tuam Maiestatem, vbi cognouerit, hanc restitutionem Vallis Tellinæ, quam Rheti vrgent, esse contra omnem iustitiam, & insigne præiudicium afferre Fidei Catholicæ, mutaturam sententiam, neq; permissuram, vt plus quam centum viginti millia animarum Catholicarum immani furori hostium nostrorum iuratorum exponantur.

Quod ad alterum caput attinet, Tuam Maiestatem præcepto charitatis obligatam esse, nobis in extrema nostra necessitate succurrat illud ex præcedentibus satis manifestum est. Nam nunquam in animum inducere poterimus, vt iugo tyrannico Rhetorum nos dent submittamus, cum propter multas graues causas fidem ipsorum verbis & promissis habere nequeamus. Nos autem vi adigere, vt illud faciamus, nihil aliud esset, quam centies vicies mille homines innocentes rabidis lupis laniandos dare, quorum furore insatiabili statim deuorarentur, & Vallem cædibus assiduis repleret. Nam si ipsis fideremus, magna esset demētia: primum quia Rheti natura sunt perfidi, et nesciunt, quid sit fidem seruare, & stare promissis etiam iureiurando firmatis: quemadmodum Tua Maiestas intelliget ex Domino Vico, qui multis annis legatum nomine Regum Galliæ apud ipsos egit. Idipsum omnes alii Principes & Respublicæ, imo etiam priuati homines, quibus negotium cum illis fuit farebuntur, nemo in omni contractuum & tractatuum genere fidem nunquam à Rhetis fuisse seruatam. Atq; vt recentem exemplum proferamus, dicat Dux Feria, præses Mediolanensis, an Rheti fœderati pacta & conuentiones postrema hac hyeme secum inita seruarint. Constat enim in contrarium, multas communitates, postquam pacta illa iureiurando & manuum subscriptione firmassent, alia pacta in præiudicium priorum fecisse, & in ea iurasse. Dicat legatus Tuæ Maiestatis, quales expertus sit Rhetos, & quam indigne ab ipsis habitus fuerit: nec inficiabitur Respublica Venetus hunc populum semper infidelem fuisse. Quæ cum ita sint, tota Maiestatis tuæ, imo totius mundi potentia non sufficiet, vt ingenium Rhetorum mutet, quod Heluetii probe cognitum & perspectum habent, sicut & variam & incertam Reipu. ipsorum formam, quæ tanta cōstans in leuitate sua est: ob quam causam prudenti iudicio nunquam pro ipsis cauere, audem suã interponere voluerunt. Adhæc omnes cautiones & promissiones Tuæ Maiestatis, Principum ac Rerumpublicarum totius mundi vitæ & fortunis nostris atq; adeo fidei Catholicæ Apostolicæ & Romanæ securitatem præstare poterunt: & Rheti, si rerum denuo inter nos potiantur, Remp. pro arbitrio administrare volent & mille prætextus inuenient, vt primum suum consilium exequantur, quodque prius inauditum erant, vt nos vno ictu & vna vice obtruncarent, paullatim exequentur, & nos lente consument. Quis tunc Principum veniet, vt vic

iid in noſtra Valle geratur ? & quis inter nos
ſeros veteri iugo ſubditos audebit ad magnũ
quem Principem confugere, quin protinus
nam rebellionis incurrat. Atque vt maxime
ſtrum tuæ Maieſtatis nos coniicere velimus,
is nobis ſpondebit, noſtras ædes, antequam
xiſſum nobis ſubminiſtretur, non fore ab imis
ndamentis dirutas, & in cineres redactas: ſi-
fidem in ea ipſa Valle ſub Rhetorum domina-
præſides ſeuere in eos animaduertebant, qui
illis conquerebantur, & ad ſupremum ipſo-
n tribunal confugiebant, vt illius fidem at-
e opem contra iniuriam ſibi factam implo-
ent. Nobis de medio ſublatis quid proderit
æ Maieſtatis protectio, aut pœna, quam ſum-
s a nimis de hoſtibus noſtris exiget ? Præterea
ntiæ Carpetanorum in tertio articulo cau-
eligionis agitata, & hoc vnum à Rhetis peti-
n fuit, vt nobis veniam darent, & impunitati
ndo articulo nobis conceſſæ ſubſcriberent.
rimæ ex ipſorum communitatibus refragarẽ
t, neque vnquam huic articulo ſubſcribere &
m obſtringere voluerunt: & quamuis non-
læ aſſentirentur, tamen tot proteſtationes &
ditiones admiſcebant, vt nulla in earum
miſſis certitudo eſſet: quod ideo fecerunt,
a arma Tigurinorum & aliarum potentio-
n communitatum reformidabãt. Quidquid
o Guffierus, Tuæ Maieſtatis apud illos le-
is, moneret & ſollicitaret, promiſſionem il-
ab ipſis extorquere non potuit. Quomodo
ar ſecure ſub ipſorum dominatu viuemus,
n nec fidem nec promiſſa vnquam ſeruent:
cui penſi non habent, quid promittant: ita,
d promiſerunt, ſeruare illis curæ non eſt?
ta vis eſt affectuum, quibus à recta via trans-
iabripiuntur: tanta odii, quod contra nos
int, acerbitas, vt virus, quo pectora ipſorum
ta ſunt, & vindictę cupiditatem, qua ardent,
ltare non potuerint, & maluerint, capitu-
nem abrumpere, quam quicquam in no-
m commodum & ſecuritatem promittere,
ue adeo necis noſtræ auidi ſunt, & ſanguini-
noſtrum ſitiunt. Quapropter Tua Maie-
tractatu illo Mantuano non amplius tene-
nec obſtricta eſt, vt illos protegat: quoniam
apite præcipui momenti officio defuerunt:
d Tua Maieſtas, ſi placet, attendat. Inſuper,
iuſquam nos neceſſitate adacti, vt vitam no-
n & fidem Catholicam defenderemus, fa-
s iſtud aggreſſi ſumus, vt omnes ipſorum
ectos & Hugenotos, qui in Valle erant, &
s comprehendere potuimus, trucidaremus,
tam inhumaniter tractabant; & nos inter-
one occidere conſtituerant, quantumuis
a vicinorum Catholicorum reformidarent:
nunc facient, cum ſpe victoriæ de nobis re-
andæ, & fauore Tuæ Maieſtatis ac Princi-
Italiæ freti inſolentiores ſunt, quam vn-
n fuerunt ? præſertim ſi munitiones in ma-
ipſorum conſignentur, quas proculdubio
enter cuſtodient, vt nos imperio ſuo ſubie-
teneant, & pro lubitu tractent. Certum eſt,
tauros illos efferatos memoria ſanguinis ſui à
nobis effuſi rabiem ſuam noſtro nunquam ex-
pleturos, & nõ contentos fore, vt eo ſe ingurgi-
tent, ſed etiam manus ſuas, vt palam iactitant, eo
ablaturos. Iſtud apprime obſeruauit Montho-
lonus, extraordinarius Tuæ Maieſtatis legatus,
qui noſtris Lucernam miſſis dixit, ſe ſatis anim-
aduertere, fieri non poſſe, vt reſtituta Valle
Tellina, vita noſtra & fides Catholica, quidquid
Rheti promittant, ſalua maneat: ſed omnia mi-
ſerandæ ruinæ periculum ſubitura: interim ra-
tiones politicas non permittere, vt munitiones
in eorum manibus, qui eas nunc tenerent, re-
linquerentur. Nos autem non poſſumus nobis
perſuadere, Tuam Maieſtatem pluris facturam
rationes politicas, quam honorem Dei, iuſti-
tiam, fidem Catholicam, Apoſtolicam & Ro-
manam, imo propriam ſalutem: & qui ita affe-
ctus eſſet, ſatis indicaret, ſe male ſentire de fide,
aut prorſus eſſe politicum ſiue Atheum. Etſi au-
tem omnino neceſſe ſit, propter noſtram defen-
ſionem & ſecuritatem, vt munitiones in eo, in
quo nunc ſunt, ſtatu maneant, nec vllo pacto
deſtruantur: non tamen propterea cupimus, vt
ab iis, qui eas nunc occupant, retineantur. Alia
namque via inueniri poterit, qua ſecuritati no-
ſtræ & publicæ quieti conſulatur, quam vt vita
noſtra & religio in apertum exitium præcipite-
tur. Præſidia, quæ nunc in illis ſunt, deducemus:
& Tuæ Maieſtatis conſilio ac bona voluntate a-
lia imponentur. Atque hic charitas Tuæ Maie-
ſtatis erga populum in Valle Tellina ſe exerere
debet. Niſi enim nobis ſubueniat, ab omnibus
mortalibus ſumus derelicti, quandoquidem
Rex Catholicus ſe obſtrictum ſentit, vt reſtitu-
tionem Vallis Tellinæ in tractatu illo promiſ-
ſam exequatur: ita vt magis ſit, quod inde me-
tuamus, quam quod ſperemus. Itaque in Tuam
Maieſtatem omnis ſpes noſtra poſt Deum re-
cumbit: illa ſola nos poteſt iuuare: neque de i-
pſius ſtudio & beneuolentia dubitamus. Nam
certi ſumus, eam non commiſſuram, vt ſuam
conſcientiam oneret, & ſuam animam tot homi-
num innocentum cæde, imo tot animarum, ex-
ercitio fidei Catholicæ priuatarum, exitio pol-
luat, ac permittat, vt homines perfidi & infide-
les, qui nullo pacto adduci poterunt, vt quæ no-
bis promiſerunt, ſeruent, nobis & regioni no-
ſtræ imperent. Quis animam ſuam tanti ponde-
ris onere grauaret, & ſe obligaret, vt Deo ſan-
guinis & animarum tot miſerorum Catholico-
rum rationem redderet ? Non tua certe Ma-
ieſtas, quæ firmiter credat, fruſtra omnem cu-
ram, laborem & operam inſumi, vt nobis per-
ſuadeatur, vitam noſtram, fidem Catholicam &
facultates noſtras, reſtituta Rhetis Valle Telli-
na, in tuto fore. Nam nunquam ſtabunt promiſ-
ſis, neque ipſis fidere poterimus, quidquid Prin-
cipes proteſtentur, quodcunque auxilium, tute-
lam & protectionem polliceantur. Nam ob
cauſas ſupradictas & multas alias nihil niſi aſſi-
duæ cædes & perpetuum ſanguinis diluuium in
hac Valle conſpiceretur: atque iccirco æque pe-

riculosum est Rhetis, vt Vallem in suam potestatem redigant, quam nobis vt sub ipsorũ potestate redigamur. *Difficillimum enim est imperare nolentibus.* Itaque Tuæ Maiestati placeat, de aliis rationibus stabiliendi publicam Italiæ quietem cogitare, quam quæ hactenus proposita & probata fuit. Deus, vt confidimus, aliam ipsi suggeret: atq; hoc pacto semper parati erimus ipsi seruire ac pro virili satisfacere. Si aliud aliquid in nostrum detrimentum tractetur, ratio & conscientia postulat, vt prius audiamur, quam aliquid concludatur, & ne restitutio Vallis, quæ nostra est, sine nostro cõsensu decernatur. Quare si Tuæ Maiestati placeret, legatum mittere, eò loco, vbi à Rhetorum, inimicorum nostrorum, insidiis tuti esse possemus, & illi mandata dare, vt de aptioribus & æquioribus mediis Vallem nostram pacandi ageret, semper in nobis animum fidum & ipsi obsequendi cupidum inueniet. Nihil aliud spectamus & vouemus, quam conseruationem nostræ libertatis & fidei Catholicæ: in cæteris omnibus nos accommodabimus, & Tuæ Maiestati luculentiora animi ipsi addictissimi & omnis generis officiorum documenta exhibebimus, quam si ipsius subditi aut clientes essemus. Tuam igitur Maiestatem supplices rogamus, vt nos sua protectione dignari velit: quoniam sub vmbram liliorum nos recepimus, & ab ea vitam atque incolumitatem speramus. Stat sententia, tyrannidem Rhetorum non amplius tolerare, & millies mori, quam in ipsorum potestatem rursum concedere. Quamobrem ad Tuæ Maiestatis pedes prostrati, eam humillime obtestamur & adiuramus per sanguinem, quem filius Dei pro tot animis hominum effudit, vt in hac actione zelum suum admirabilem erga fidem Catholicam in lucem aspectumque proferat, vt suam potentiam in debellandis monstris infernalibus, quę contra nos insurrexerunt, demonstret, vt suam magnanimitatem in miseris hominibus subleuandis, qui in ipsius misericordia & bonitate omnem suam fiduciam collocarunt, ostendat: denique vt consideret, se absq; insigni contra iustitiam & fidem Catholicam præuaricatione non posse auctorem esse, vt Vallis Tellina Rhetis restituatur, & charitatem Christianam ipsam obligare, vt nobis in extrema nostra miseria succurrat. *Ne trades bestiis animas confitentes Deo, & animas pauperum ne obliuiscaris in finem.* Hac fiducia manebimus humillimi & deinctissimi T.M. serui, cui omni occasione parati erimus quæuis officia præstare, & Deum omnipotentem assiduis precib. interpellabimus, vt glorioſis Tuæ Maiestatis conatibus prosperos ac felices successus largiatur.

Rex Christianissimus, qui integram & sinceram cum suis vicinis amicitiam colit, non potuit ferre, vt sui amici & veteri fœdere secum iuncti à suis popularib. opprimerentur, sed illis opem ferre decreuit, cum prius omnes æquas & legitimas vias tentasset, quibus Rhetos pacaret, & religionis Catholicæ exercitium conseruaret, Protestantibus sua libertate relicta, vt ita omnes tanquam communis patriæ societate deuinct tranquillam inter se vitam, absq; turbis & æmu latione, sub protectione & amicitia Principu fœderatorum, agerent. Videamus igitur, qua prudenter Rex in hoc negotio de Valle Telli se gesserit, & quæ fuerit inter Heluetios con liorum ac voluntarum cõsensio. Rex, qui de e rum salute semper sollicitus fuit, Marchione Cæurum, legatum suum apud Pontificem, R ma accersiuit, vt eodem officio apud Heluet fungeretur, & studium ac sinceram voluntate Regis pro commodo & quiete Reipub. ipsoru testatam faceret. Aliquanto post tempore su commendator Sillerius, legatus Regis apud s sanctitatem, reuocatus fuisset, Bethunęus quo Consiliarius regius, vir in huiusmodi negot admodũ exercitatus, qui apud maximos ort Christiani Principes & Respublicas varias leg tiones obierat, vt candidum Regis, tanqua magni arbitri controuersiarum, quæ inter Chr stianos oriuntur, animum illis declararet, in a lam redit. Rex, perspecta ipsius fide & longa e perientia, eum Romam misit, vt Pontifici grau causas exponeret, quibus Rex moueretur, vt r stitutionem Rhetorum in Vallem Tellinam c tra Hispanorum machinationes vrgeret: cui controuersiæ diiudicatio, vt æquis conditioni componeretur, arbitrio Pontificis commissa fu rat. Eodem venit Dux Pastranæ, legatus Reg Hispaniæ, vt hanc vsurpationem supradictę V lis defenderet, per quam Rex, dominus ipsius, berum transitum ex Italia in Germaniam sibi c cedi postulabat: quem Bethunæus nomine R gis, domini sui, recusabat, & contra propositi nem legati Hispanici varias causas in medium ferebat, propter quas Rex, dominus suus tran tum illum Regi Hispaniæ non posset concede cum esset protector Rhetorum fœdere sibi iu ctorum: illum autem nihil aliud cupere, qua vt tractatus Mantuanus de restitutione Val Tellinæ & Rhetorũ exequutioni mandaret Hæc controuersia anxium habebat Pontifice quod duos hos magnos reges sententiis disti ctos in concordiam redigere non posset, qui eo erant, vt bellum sibi mutuo inferrent. Itaq hoc negotium in hunc vsq; diẽ indecisum ma sit: interea magnæ copiæ vtrinq; coactæ, vt R Hispaniæ si non vltro, saltem vi armorum co actus, Vallem Tellinam missam faceret. Quod Heluetios attinet, Marchio Cęurius, cum Ba næ in ipsorum conuentu esset, omne artificiu boni Oratoris adhibuit, vt vnionem, pacem concordiam inter Heluetiorum pagos, tam C tholicos quam Protestantes, conseruaret, & b num ac fidele consiliũ Regis Christianissimi p salute & quiete Reipub. Helueticæ ipsis notu faceret: sicut videre est ex hac celebri oratio quam ad ipsos habuit: Magnifici Domini. Re meus dominus, vester intimus amicus & vob cum fœderatus, cum in omnibus causis grau ribus, quæ se in his locis obtulerunt, satis dec rasset, quantam pro commodis vestris curã g reret, in eadẽ voluntate & studio erga Rempũ

eſtram perſeuerans, me extra ordinem miſit, vt hoc generali conuentu vos de eo certos redderet, vobiſq; ſignificaret, quanti veſtram amicitiam faceret, quæ ipſum impulit, vt in Reipub. veſtræ commodum atq; emolumentum vobis ante oculos poneret, quod poſtquam Deo placuit, ſuis laboribus & curis in generali negotiorum ſuorum adminiſtratione benedicere, & rem perducere, vt omnes populi ipſi ſubiecti dulci & certa quiete fruatur, & in plena ac fideli erga ſe obedientia conſpirent, oculos & cogitationes ſuas confeſtim ad exteros conuertit, eodem ſtudio ac deſiderio flagrans, vt bene de omnibus meritereretur, omnemq; vſurpationem ſiſteret ac prohiberet, & amicis ſecum fœderatis bonum illud, quod tanto ſtudio domi quæſiuit & ſtabilit, nempe felicitatem bonæ pacis atq; concordiæ, procuraret.

Quemadmodum igitur ſingularem veſtri cultum gerit, cum propter naturalem inclinationem, tum propter antiquam fœderationem: ita ſua officia & conſilia vobis libenter impertitur, & vos hortatur, vt eo animo, quo vobis offeruntur, amplectamini, quandoquidem non alio tendant, quam vt in hoc generali cõuentu, omnibus controuerſiis cõpoſitis, firma & ſtabilis concordia inter vos ſarciatur, quæ non poſſit labefactari ab iis, qui nullum alium ſcopum ſibi propoſitum habent, quam totalem diminutionem & iacturam veſtræ libertatis: quod prouida prudentia vobis attente cõſiderandum eſt, num facilius ſit, malis præuertere, quam ea ſanare. De hoc argumento multa poſſem verba facere, & oculis animiſq; veſtris ſubiicere, quanto ſcelere hæc diſſenſio vobis nocere, & potentiæ ac gloriæ veſtræ magnitudinem imminuere poſſit, ſi Rex iam ante vos ſæpe monuiſſet, res veſtras nunquam proſperos ſucceſſus habituras, & nullos Principes potentes amicitiam veſtram expeturos, aut vires veſtras formidabiles fore, quãdiu ſolidæ & perfectæ amicitiæ vinculo non eſtis colligati, cuius defectus communes amicos fœdere vobiſcũ iunctos magnis malis & calamitatib. inuoluit. Nullum a. dubium eſt, quin malum latius ſerpant, ſiue vi, ſiue artificio & corruptelis, & idem periculum, imo totale exitium ſalutem, veſtræ impendeat, niſi illa diſſenſionum ſemina inter vos extinguãtur: cum certum ſit, quemadmodum corpora naturalia, ita & politias per eaſdem cauſas viuere & conſeruari, ex quibus initio compoſitæ & conſtitutæ fuerunt, per contrarias cauſas deſtrui atq; euerti. Vestrum igitur eſt, Magnifici domini, in hoc periculo vos ipſos colligere, & animos ſumere, vt in eodem ſtatu, quem à generoſis veſtris maioribus recepiſtis, perduretis, & poſteritas cognoſcat, vos nõ minori ſtudio, quam ipſos, reipub. veſtræ ſemper fuiſſe inflammatos, & vos eorum exemplo incitatos, vt hæreditatem ſudore & ſanguine ipſorum partam conſeruetis, & eadem gloria ac pace, qua illam vobis reliquerunt, ad poſteros tranſmittatis. Hæc igitur eſt prima cura Regis, domini mei, cuius animus miſerabili ſtatu & conditione, in quam Rheti, communes veſtri amici ac fœderati, redacti ſunt, excruciatur: qui nõ minus illorum miſeriis & calamitatib. quam ſi proprii ſui ſubditi eſſent, afficitur: tametſi nimis verum ſit, eos proptereа in hanc calamitatẽ incidiſſe, quod ſeria & ſalutaria ipſius conſilia neglexerint. Nec vos fugit, Magnifici domini, qua cura & ſolicitudine Rex reſtitutionem Vallis Tellinæ vrſerit, & meminiſſe poteſtis, quid exequutionem tractatus Mantuani impediuerit, nempe quod quidam ex pagis veſtris à Rhetis ſe diſiunxerint: cuius diſſidii pernicioſos fructus iam perſpicitis, qui ipſis nunc imputantur: ſiue induſtria & artificium aliorum hoc incommodum præuiderit, ſiue alio ſiniſtro caſu acciderit. Rex vero qui dudum hæc mala & pericula, quæ mora & cunctatio huic negotio allatura eſſent, ominabatur, iam ante biennium conſtituerat, omiſſa negotiatione, armis rem gerere, niſi veſtra conſilia & preces obſtitiſſent, quib. factum eſt, vt poſt primam negotiationem noua Romæ octo menſium ſpatio agitaretur, quæ varios articulos produxit, quorum cum nonnullos Rex Catholicus repudiaſſet, Rex Chriſtianiſſimus cæteris propter multas graniſſimas rationes, quæ publicum bonum, veſtri conſeruationem & ſuum honorem ac dignitatem attingunt, acquieſcere nec potuit nec debuit. Maximus ſcrupulus, ſuæ Maieſtati obiectus, fuit petitio tranſitus per Vallem Tellinam, quem Hiſpani ſibi concedi poſtulabant: in quo quantum momenti ſit poſitũ, ipſi ſatis intelligitis, vt non neceſſe ſit, me rationes, quæ Regem ad eum denegandum impulerunt, fuſius explicem: vnam tantum in medium afferam, quæ ſatis valida eſt ad eum diſſuadendum, quod arma domus Auſtriacæ liberum aditũ ad veſtras oras & ditiones habitura eſſent, quod non poteſt non eſſe ſummæ periculoſum & detrimentoſum. Itaq; Rex Bethunæum, legato ſuo, quem Romam miſit, mandata dedit, vt expoſitis cauſis, propter quas in illum tranſitum conſentire non poſſet, reſtitutionem Vallis Tellinæ iis conditionibus, de quibus Mantuæ Carpetanorum conuenit, cum debita & neceſſaria Religionis Catholicæ ſecuritate, apud Pontificem vrgeret. In hoc ſtudio & officio perſeuerabit, quam diu ſpes erit ſatisfactionis pro Rhetis, qualem iuſtitia & ratio poſtulat: & libenter viam amicæ tranſactionis & compoſitionis rigori præferet: nihilominus veſtrã hac de re ſententiam & conſilium audire cupit, & optat, vt in hoc tanti momenti negotio concordibus animis decernatis, quod ex veſtro & fœderatorum vſu eſſe putabitis, ſperatque futurum, vt præclaro & ſincero ſuo inſtituto ſuffragemini.

Inſuper Rex mihi in mandatis dedit, vt de ſolutione penſionum, quæ vobis debentur, vobis ſignificarem, quamdiu negotia ſua regni permiſerunt, eum regiam ſuam beneficentiam vobis exhibuiſſe, & eandem pecuniæ ſummam vobis miſiſſe, quam tempore Henrici Magni, patris ſui, glorioſiſſimæ memoriæ, accipere ſolebatis. Exinde motus & grauia regni negotia obſtiterunt,

quo minus tantam ſummam vobis ſuppeditare poſſet. Iã vero pace in regno reſtituta, & re quæſtoria digne ac ſedulo adminiſtrata, anno ſuperiori ſubſidium ſexcenties mille librarum vobis miſit: quam ſummam hoc anno non tantum cõtinuare, ſed etiam augere voluit. Eandem in poſterum quoq; ampliabit: idq; eo libẽtius faciet, quando cognoſcet, vos officiis veſtris erga ſuum regnum & erga patriam veſtram liberalitate iſta vos dignos præſtare. Eadem, in quam, cura & deſiderium vobis benefaciendi ipſum ſemper tenebit. Quod perficere vult, vt ſal ex Gallia in pagos veſtros inuehatur, eo ſolummodo ſpectat, vt fructum & emolumentum inde capiatis: cum vſus ſalis Gallici ſalubrior ſit, & vilioris pretii, quam eius, quem aliunde vobis comparare poſſetis: quemadmodum Valleſani & Neocomenſes viginti annorum ſpatio experti ſunt, qui ſciunt, quanta ſit inter vnum atq; alterum differẽtia. Rex igitur mihi in mandatis dedit, vt illud vobis offerrem, ſicut omnia alia, quib. regni ſui prouinciæ abundant, & quorum indigetis: cum ipſi pergratum futurũ ſit, vt vos, ipſius amici & fœderati, commercia cum ſuis ſubditis exerceatis, & arcta ſit inter vos & illos conſuetudo ac familiaritas: vnde ſui bonos mores attrahent, & virtutem ex vobis diſcent: quod etiam vtroſque in ſtudio & propenſione animi erga hanc coronam confirmabit. Sed quemadmodum Rex tot indiciis ac documẽtis ſui fauoris teſtatum facit, quantopere cupiat, exemplo ſuorum maiorum vos ſibi fœdere & amicitia deuincire: ita etiam mutuam à vobis beneuolentiam & officia, quæ ipſi debetis, exſpectat, & ne quicquam in veteribus tractatibus inter vos & reges Galliæ factis mutetur aut innouetur, quocunq; prætextu id fieri poſſet: & ſi quid in ſuum præiudicium tentaretur, id euitetis & reparetis, omnibus in priſtinum ſuum ſtatum reſtitutis. Iſtud etiam pro veſtra prudentia conſiderabitis, quod ex quo fœdus cum Gallia pepigiſtis, veſtra amicitia à quibuſdã veſtris vicinis expetita & in pretio habita fuit, qui prius audacter & aperte, quod hodie clã tantum & tecte faciunt, veſtræ libertati inſidiabantur. Nimis prolixus eſſem, ſi eximios fructus & commoda, quæ ex fœdere cum Regibus noſtris inito percepiſtis, commemorare & ſigillatim recenſere vellem: & qua ſinceritate atq; integritate cum à Rege, domino meo, tũ ab ipſius maiorib. illud ſeruatum fuerit. Sicut autem præclare nouit, firmamẽtum Reipub. veſtræ, quam vnice conſeruatam cupit, eſſe concordiam, qua libertas veſtra fulcitur: ita non poteſt, quin eam vobis ſuadeat, & ad illam vos hortetur. Ne igitur charitas & pietas erga patriam in vobis langueſcat: omnes ſimultates & ſuſpiciones deponite: vinculum amicitiæ & fœderis cum Rege firmate: exemplo malorum, quæ vicini veſtri patiuntur, edocti, ea quæ vobis euenire poſſent, auertite, & vnamini ſententia fida & ſalutaria conſilia, quæ vobis ſuggeruntur, amplectimini, vt non tantũ quiete & felicitate, quam Rex, meus dominus, vobis optat, fruamini, ſed etiã coniunctis ſtudiis in id incumbatis, vt Rheti, communes veſtri mici & fœderati, eiuſdem ſint participes, & non minus gaudeant, quam tunc, cum ſolum dus Gallicum inter eos floreret, gauiſi ſunt. F ſtat, Magnifici Domini, vt de me hoc adda quod quemadmodũ ſummo honori duco; I gem dignari, qualicunque mea opera in ſuis gotiis vti, ita maxime læter, & in potiſſima f citatis meæ parte deputem, quod legatio ad ſtram Rempub. mihi demandata fuit, propte quod generoſam veſtram gentem & illius f heroica plurimi ſemper feci: quod adhuc dentius cognoſcetis, quotieſcunq; mihi o fio dabitur aliquod officium, ſiue publice, priuatim, vobis præſtandi. Zelum vtiq; & dorem in mandatis ſuę Maieſtatis exequend me deſiderari non patiar: nec dubito, vos p facturos in omnibus veſtris actionib. & de tis ſuper propoſitiones Regis nomine facta veſtrum affectum animiq; ſinceritatem, q vos & maiores veſtri hactenus ſemper dem ſtraſtis, ſuæ Maieſtati deinceps quoq; prob ros. Hæc fuit oratio Marchionis Cæurii, le extraordinarii Regis in Heluetia, in Comiti pſorum Badenæ celebratis. Poſtea idem M chio, acceptis quibuſdam copiis à Ladiguieri M. & adiutus à Vaubecurtio cum aliquot fi legionis ipſius, ac quibuſdam equitum turm liiſq; auxiliis ab Heluetiis ſubminiſtratis, tra tum quendam magni momenti, quem Steg appellant, intercepit, vt archiducem Leopo aditu in Vallem Tellinam prohiberet: q tranſitum tormentis, annona, & valido mili præſidio muniuit. Deinde accedentib. qui dam Rhetorum cohortibus, Curiam, quam ſtes tenebant, occupauit, Epiſcopo, homin ditioſo, & aliis, qui Hiſpanorum partibus a cti erant, profligatis, ſperans, ſe nouis copiis cto exercitu maiores progreſſus facturum.

Aemulatio Hiſpanorum aduerſus Gallos, propter f cum Heluetiis, ex hiſtoria pacis à Petro Matth hiſtoriographo deſcripta.

Iamdiu eſt, quod Rex Hiſpaniæ ſuam ri tatem prodidit, propter fœdus generale Reg Galliæ cum tredecim Heluetiorum pagis, au operam dedit, vt illos paulatim ad ſuas pa traduceret. Noſtri autem Reges ipſius cona ſemper obſtiterunt: neq; ille in fœdus eorum cipi potuit, tanquam Rex Hiſpaniæ quamui tione domus Auſtriacæ fœdere ipſis iunctu

Cum regnante Carolo IX. Rex Hiſpaniæ dus cum Heluetiis inire vellet, Bellieuræus, gis Galliæ legatus, videns, Heluetios Cath cos eo iam inclinare, vt nouam amicitiam ve præferrent, ipſis ob oculos poſuit magna aux & beneficia, quæ à Regibus Galliæ ad ſtabili dam ipſorum libertatem accepiſſent, quam c tra Auſtriaci omnibus ſemper viribus conati ſent peſſundare. Heluetios bellum geſſiſſe c Leopoldo, Archiduce Auſtriæ, qui in pug Sempachiana cæſus fuerit, & cum Alberto Maximiliano Imperatoribus, octo præliis c

noc postremo diuersis locis commissis. Neigitur fiderent fœderi cum familia, quam tam graiter offenderint, & in qua vulnus, quod ex mortetrium Principum ab ipsis cæterorum, accepisset, etiamnum sanguinem stillaret.

Non dubium esse, quin Rex Hispaniæ, ex familia Austriaca prognatus, odio hæreditario pestem ac perniciem ipsis machinetur: quapropter ius potentiam & felicitatem ipsis suspectam esse debere.

Quæ commonefactio tantam vim habuit, vt legati Regis Hispaniæ, re infecta, domum redierunt.

Sed postea cum Rex propter bella ciuilia tot negotiis in suo regno implicitus esset, vt exterorum curam gerere non posset, Rex Hispaniæ exoptatam rei gerendæ apud Heluetios, & victoriam obtinendi, cum nemo esset, qui ipsi aduerteretur, occasionem nactus, quandoquidem amicitiæ mercenariorum, deficiente pecunia, euanescunt, auro Gallico non amplius in Heluetia lucente, tot ducatones siue argenteos inter minores pagos dispersit, vt priora illorum semina præfocarent, & in Gallia Heluetii contra Heluetios in acie stantes conspicerentur, quorum illi, tanquam fœderati, Regi debita officia præstabant: hi, tanquam stipendiarii Regis Hispaniæ, infesta in Gallium arma intulerant.

Cum igitur hi viderent, pensiones à Rege sibi debitas non solui, & ducibus ac tribunis suis stipendia non numerari, quinque minores pagi priori vinculo cum Rege Hispaniæ se coniunxerunt, & Phifferus, Chiliarcha, qui magna apud ipsos auctoritate pollebat, ipsis auctor fuit, Solem in Indiis orientem respicerent, & veterum amicorum obliuiscerentur. Potentiores vero constantes in amicitia cum Rege Galliæ perstiterunt.

Hac aduersa tempestate, Bruslardi, qui postea factus est Galliæ Cancellarius, prudentia exiit. Nam bellis intestinis maxime seuientibus, cum Rex nullum aliud sceptrum haberet, quam hastam, nullam Luparam, quam tentorium, nullum thesaurum aut ærarium, quam spem & ius legitimi regis Heluetios præter omnem spem in officio retinuit. Certe in hac legatione optime de Gallia meritus est: & sapientissimi quique admirati sunt, quomodo horum populorum animos cohibere potuerit, cum verbis tantum ipsius prudentiæ pascerentur, & quomodo desperatis Galliæ rebus spem tamdiu interipsos aluerit.

Rex fecerat, quod potuerat, vt aliquid pecuniæ ipsis suppeditaret: Curia Senatus aliquot edicta promulgauerat, per quæ argentum ipsis dandum conficeretur: qualia fuerunt, de officiis Scribarum dominio suo rursum adunandis, de nota cudis imprimenda, de magisterio opificum.

Dum duces & tribuni militem conscribebant, legatus cæteros verbis deliniebat, & aureos montes ipsis pollicebatur. Adhæc Regis consilia, quomodo res suas stabilire, & ipsis satisfacere vellet, ipsis communicauit. Tandem Rex ipsis pecuniam misit, XIX. Iun. MDXCVII. sub præsidio Gubernatoris Lugdunensis: sed cum illa exspectationi ipsorum non respondaret, & maxima pars illis assignata fuisset, qui in extremo periculo fidelem operam Regi nauauerant, animi eorum exasperati potius, quam satiati, & clamores aucti fuerunt, ita vt sub initium anni MDXCVIII. Morfontanus, legatus Regis, munus suum desereret, & in Galliam rediret. Qui ex hoc discessu compendium aliquod captabat, rumorem distulerunt, quasi vi expulsus atque eiectus fuisset: verum ipse vltro in viam se dederat, quod id rebus Regis expedire putaret, quandoquidem ad hoc iter suscipiendum & postulata ipsorum Regi significanda se obtulerat, vt amplam legationem, quam ad ipsum mittere volebant, inhiberet, cum qua tam commode tractari non potuisset, quam inter ipsos: nec diu cunctati sunt Heluetii, quin reditum ipsius flagitarent, post quem mox obiit, & Soloduri magnifice ac splendide sepultus fuit.

RESPVBLICA VENETA.

SVMMA CAPITA.

Quam late pateat dominium huius Reipublicæ: quæ regiones, Insulæ, Vrbes, Oppida, Arces & Castella Venetorum agnoscant dominium.

Quo pacto Magistratus apud Venetos creentur.

De magnificentissimo S. Marci apud Venetos Templo.

Numerus Ciuium & incolarum Vrbis Venetæ.

Primi Venetiarum habitatores an piscatores fuerint? Negatur.

Descriptio magnæ Areæ S. Marci Venetiarum.

Bibliotheca Veneta.

Muranum oppidum officinis vitriariis celebre.

Insula S. Gregorii, Monasterium in ea pulcherrimum.

Numerus Templorum & Aedium sacrarum in Vrbe Veneta.

Domus Mercatoria Germanorum in Vrbe Venetiarum.

Qualitas agri Taruisini, aer per flatus salubri, abundat rebus omnibus.

Mores antiqui Venetorum.

Mores Venetorum nostri temporis.

Opes & diuitiæ Reipublicæ Venetæ, & modi exigendæ pecuniæ.

16. *Vires Venetorum in militia terrestri.*
17. *Vires Venetorum in militia nauali, vbi agitur de Magno Armamentario Veneto, quod vulgo Arsenale vocatur.*
18. *Modus administrandæ Reipublicæ apud Venetos.*
19. *Quid nonnulli desiderent in administratione Reipublicæ Venetæ.*
20. *Vrbes & Fortalitia quæ Venetorum agnoscunt imperium, inprimis per Italiæ continentem: & primum de Brixia vrbe.*
21. *Verona.*
22. *Bergamum.*
23. *Crema.*
24. *Vicentia.*
25. *Forum Iulii & eius oppida.*
26. *Aquileia Vrbs, eius Antiquitas, ager siue territorium.*
27. *Istria.*
28. *Marca Tarusina, & quæ in ea oppida.*
29. *Tarusii Vrbis descriptio.*
30. *Oppida minora per eam Italiæ partem, quæ Venetorum subest Imperio.*

1 POssident nostra tempestate Veneti per Insubriam siue Longobardiam & Marcam Tarusinam septem vrbes florentissimas, opulentas, amplasque, præter minora oppida & magnum numerum Arcium Castrorumq;.

Vrbes sunt hæ, Bergamum, Crema, Brixia, Verona, Vicentia, Patauium, Taruisium. Cætera oppida sunt Bassanum, Castellum Francum in Marca, & alia multa, quæ omnia enumerare nimis longum foret.

Vbi te in Aquilonem conuerteris, videbis eos possidere prope totam regionem Foroiuliensem, cum Istria, quæ est extrema Italia prouincia ab ea parte. Dominantur insuper Veneti ferme toti littori insulisq; Dalmaticis, cum oppidis Zara, Spalato, Cataro, & aliis.

In faucibus sinus Adriatici obtinent iidem Corcyram Insulam (hodie Corfu) extraque eas Cephaleniam, Zacynthum, Cythera aliasq; minores, de quibus post agemus: inprimis autem celebratissimam illam Cretam siue Candiam.

2 De ipsa Venetiarum vrbe hoc dicere possumus, omnes exteros, qui curiosius per Italiam peregrinantur & maiori omnia perlustrant diligentia, conspecta huius vrbis pulchritudine, eam non solum elegantissimam iudicare omnium ciuitatum Italicarum, verum etiam inter admiranda orbis referre, ob ingentem superbissimorum palatiorum numerũ, quorum magnificentia priuatorum aut mediocris fortunæ hominum captum superare videtur, & ob ædes sacras fabricæ exquisitissimæ. Cõsistit a. fere magnificentia & splendor Palatiorum istorum in eo, quod intus nullus occurrat murus vel paries, qui non luceat vel marmore, vel iaspide aut alabastro, aut lapide porphyretico, nitentibus fornicibus super columnas diuersi marmoris, intercedentibus variis statuis, simulacris picturisque, quibus omnibus spectatorem in admirationem rapi necesse est.

Cum autem ingens sit sumtuosissimorum ædificiorum, Palatiorum, in quibus viri Illustres Nobilesq; & pleriq; Senatores habitant, numerus, nec minor Basilicarum, Templorum, ædiq; que publicarum, vnde toti Italiæ non leuis accedit gloria, quæ vel sola diuitiarum Venetarũ sufficiens esse posset ostentatio: nos de præcipuis quibusdam tantum dicemus.

Occurrit ergo primum omnium amplum studio & antiquum Palatium Patriarchæ Aquilejensis, quod est inter operosissima Veneticorum. Intus enim videbis ingentem numerum statuarum & imaginum, quę suis dispositæ locis & cordinibus repræsentant multos Romanorum Ducces & Imperatores antiquos, ex marmore, æ vel metallo mixto fusas atque effigiatos. Accedunt ad has aliæ statuę atque simulacra Deastrorum gentilium, Iouis, Bacchi, Mercurii, Iunonis, Palladis, Veneris, eiusdem artificii & materiæ cum superioribus. Præterea visuntur ibi ære Corinthio simulacra Fortunæ, Boni Geni & Cupidinis; quæ omnia Marinus Grimani Cardinalis in eo studio Auum secutus, miroantiquitatis amore è diuersis Græciæ Italiæque locis Venetias comportari fecit, non sine immensis sumptibus, vt operosum istud Palatium redderet illustrius. Multa autem spectantur hic venerandæ antiquitatis specimina, quæ Veneti translata fuere post ruinam florentissimę quondam Vrbis Aquileiæ, quæ antiqua Romanorum Colonia funditus euersa fuit per Attilam Hunnorum regem, quo crudelius monstrum nunquam euomuit Orcus. Visuntur in eodem Palatio locis quibusdam penitiorib. parui quidam lecti, quos veteres in Adytis templorum suorum constituebant, ibique lectisternia faciebant, signati variis litteris atque characteribus cum paruis quibusdam altaribus. Inscripta cernuntur his vota, quę prisci faciebant Deo suo Telari atque gentilitio Belino, quem peculiariter colebant Aquileienses, vt narrant veteres scriptores, Herodianus & Iulius Capitolinus, q prior recitat, cum aliquando Aquileia Vrbs Maximino Imperatore frustra obsessa & oppugnata fuisset, Legatos eus siue Feciales intra vbem nequaquam admissos fuisse, qui & libr VIII. suæ historiæ mentionem facit inscriptionis cuiusdam super tabulam marmoream, mir antiquitatis, quam tabulam affirmat Grimanu Patriarcha inter cætera antiqua moniméta Venetias se transtulisse, inque Palatio illo constituisse.

Hoc sequitur Palatium Ducis Venetiarum cuius iacta sunt fundamenta sub annum Incarnationis Dominicæ DCCCIX. per Angelũ Patriciatium, Ducem Venetum: quanquam autem Palatium hoc quinquies tristissimo casu incendio consumtum fuerit, toties tamẽ instauratum & elegantius reædificatum fuit quam antea fuerat. Forma est ei quadrata, nec tamen exacta, cui paulo sit longius quã latius. Versus septentrionem spectat stupendũ illud S. Marci Templum à Meridie offert se ei mare, aditur autem à ciui-

tate

tatē per præcipuam Plateam Vrbis, qua in Occi-
dentem porrigitur. A prima Palatii Porta vsque
ad Armamentarium magnū Vrbis angulus ex-
currit, à quo vsq; ad alterum iuxta pontem Pa-
ensem ab latere Meridionali spectantur forni-
es ingentis structuræ, XXXVI. super totidem
olumnis quiescentes. Sunt in eodem Palatio
rontispicia duo pulcherrima, è marmore secto
tque in quadras partim albas partim rubras di-
iso.

Narrant Annales Venetorum ędificium hoc
ecto coopertum fuisse plumbeo, cum primum
ructum; cum autem toties arsisset, deinceps æ-
e intectū fuit, adiunctis insuper quatuor Fron-
spiciis aliis ad quatuor principales eius portas;
uarum prima propinqua est S. Marci Templo,
ra facta è marmore, ornata quatuor ingenti-
us pulcherrimisq; statuis è marmore cęsis can-
dissimo. Intus area est satis capax, vestibuli in-
r, in cuius medio sunt duo putei ornati variis
aginibus & simulacris, æreis plerisque inter-
dentibus ramis vitium cum clauiculis suis &
otris plena maturitate conspicuis. In fine hu-
s areæ est alia porta, qua itur ad vicinum ma-
Ingressis ipsum Palatium statim occurrit lon-
series columnarum, quibus aliæ super alias
ot impositæ porticus & deambulacra, quibus
rotum Palatium circuiri potest.

Exteriora sumtuosissimi huius ædificii Fron-
picia interioribus nō sunt dissimilia, nisi quod
lumnas totidem fornicesque non habent, sed
rum loco ingens in medio complectantur
cium.

Qua parte ædificium hoc Orientem Solem
ctat, supra modum magnifice structum est.
rnices enim minores habet XXVI. cum to-
em subiectis columnis marmoreis, quib. in-
itur Xystus siue deambulacrum, quod tegi-
rursum fornicibus LIV. & totidem colum-
Omnia sunt ibi exornatissima, pulcherrimis
estris, coronis, ramis arborum viridantibus
s operibus incisis.

Vbi per principalem portam introitur versus
entrionem, scala elaboratissima consurgit
hleata, quæ ducit ad cœnaculum & Came-
Ducis Veneti: ad pedem scalæ illius duæ vi-
ur ingentes columnæ marmoreæ, quarum
nnititur simulacrum Martis, huic Neptu-
cum aliis insuper duab. quarum vna imagi-
Adami primi hominis, altera Euæ exhibet,
quibus singularis elucet ars statuario-
.

Est præterea in isto Palatio Xystus & deam-
crum pulcherrimum, vnde despectus est in
ectum Canalem, à cuius Xysti vtraque ex-
itate adsconditur ad alia deambulacra pau-
iora, de quibus iam ante diximus; in vnius
rum dictarum summitate scriptum est Eu-
m Henrici III. Galliæ & Poloniæ Regis, lit-
aureis in tabula marmorea. Definit autem
mbulatorium istud ædificium in paruū hor-
loco aperto consitum, in quo est exiguum
lum, ea facie qua fuerunt veterum Lararia,
quæ priuatim sibi in domibus quisq; suis habue-
runt. Hic potissimum solet Dux Venetus preces
suas priuatas ad Deum fundere. Visuntur insu-
per in eodem loco aperto, quamuis non magno,
plurima sedilia non magna, ad modum tribuna-
lium: at qua à Meridie in Orietem itur tres pul-
cherrimæ adscendunt scalæ satis capaces, qui-
bus partim itur ad Cameras Principis, partim ad
Collegia. Et vt vno dicamus verbo, quacunque
ingressus aliquis in hoc ædificium coniiciat ocu-
los, nihil ei occurret præter columnas varii ge-
neris, tholos ac fornices vmbonibus deauratis,
statuas atq; simulacra partim marmorea partim
ænea, aliaq; opera incredibilis magnificentiæ &
artificii.

Collegium situm est ab Oriente huius Pala-
tii, sustineturq; supra contignationem ingentiū
trabium, exterius ornatum magnifice, deauratis
tignorum interstitiis, & variis perpictum histo-
riis ac emblematis. Hic solet vsitato more resi-
dere Princeps: in medio est Thronus Ducalis, v-
bi considere solet cum consiliariis suis, quoties
de reb. ad emolumentum Reipublicæ spectan-
tibus consultandum est. Eodem in loco audiun-
tur legati exterorum principum plerique, vt &ii
qui mittuntur à regionibus & vrbibus, quæ de-
pendent à Republica Veneta. Est in eodem col-
legio Sala (vt vocant) spaciosissima, in qua depi-
ctæ sunt artificiosissime omnes regiones, insulæ,
vrbes, oppida, arces, castella, tam mediterranea
quam maritima, quotquot à Republica Veneta
reguntur. Spectantur ibidem XI. statuæ Impera-
torum maximi ob artem precii, factæ pleræque
ex mixta metalli specie, more antiquo pereleganter. Solet autem hic frequens conuenire Se-
natus, siue vt loquuntur, corpus Reipublicæ,
cum de aliquo graui deliberandum est negocio,
in quo vertitur Salus Reipublicæ, & prouincia-
rum incrementum.

Digressus ab hoc ędificio paulum versus Me-
ridiem, qua ad mare itur, videbis Tribunalia De-
cemuirorum siue Præfectorum Vrbi, vbi omnia quæ occurrunt oculis magnifica sunt atque mirabilia. Sunt hic Xysti, areæ, deambulato-
ria, vbi ciues frequenter conuenire solent, si de re aliqua consulendus est Senatus, aut noui le-
gendi Magistratus, qui creantur ad hunc fere modum.

Quo pacto magistratus apud Venetos creentur.

Primum considunt Patricii, decemuiri & Gu-
bernatores Ciuitatis suo quisq; loco atq; ordi-
ne. Obseruandum autem est, in hanc congrega-
tionem neminem admitti, nisi sit natus genere
Patricio, & vigesimum quintum attigerit an-
num. Vbi consederunt ad hunc modum, vel bū
nemo proloquitur, fit electio siue sortitio verius
per paruos globulos argenteos, qui distribuun-
tur per certos quosdam homines viritim cir-
cumeuntes. quo facto circumeunt duo Col-
lectores, qui in vrnam siue vas ligneum recolli-
gunt globulos illos, cuius vrnæ orificium est

anguſtum, vt vix manus per id inſeri poſſit. Infra vas iſtud ſunt duæ arculæ in quas diuiſim decidunt dicti globuli, qui ita à ſuffragantibus mittuntur, vt Collectores ipſi ſcire non poſſint, in vtram ex duabus arculis delabantur, in dextramne an ſiniſtram, illinc enim coniectæ ſortes addicunt magiſtratum, hinc negant adimuntque.

Cum autem non pauci ſint inter primi quoq; nominis ſcriptores, qui ea quæ apud hanc Rempublicam pulchra, conſpicua, obſeruatione digna ſunt, præſertim de variis apud eam Magiſtratibus eorumq; officiis perſcripſerunt, ne actum agere videar, manum ab iis abſtinebo, cũ ſcriptorum illorum vbiuis poſſit haberi copia: iam vnde digreſſi ſumus, eo reuertemur.

Ait Hieronymus Capugnanus Monachus Dominicanus Bononienſis, habere locum illum in quo magnus Senatus, ſiue vt loquuntur, Grande conſilium conuenire ſolet, in latitudine pedes LXXIII. in longitudine CL. fuiſſe autem ædificatum anno AN. C. MCCCIX. Viſuntur in eo depictæ manibus celebertimorum pictorum per totam Italiam omnes conflictus, prælia, Victoriæ Venetorum, quas à diuerſis reportauerunt hoſtibus: prætereaque longo ordine omnes Duces, Principes Senatus, Senatores, viri Conſulares & Illuſtres, itemque alii, quorum clara fuit nominis celebritas non apud Venetos tantum, ſed & per cæteras Italiæ partes, quique armis vel litteris ſcientiiſq; præ aliis claruerunt. Magna tamẽ horum monimentorum pars fortuito igne periit, quo conflagrauit elegantiſſimũ iſtud ædificium anno Chriſti MDLXXVII. inſtauratum denuo anno Salutis MDLXXXIII.

Viſuntur adhuc hodie tres eximiæ artis picturæ, tres hiſtorias exprimentes. Prima eſt Friderici I. Imperatoris, Secunda Alexandri III. Pontificis. Tertia Conſtantinopolim exhibet, aliquando ſub Venetorum poteſtatem redactam.

Porrigitur hinc illuſtris porticus vſq; ad Arſenale ſiue Armamentariũ Palatii Ducalis, quod non oſtenditur niſi viris magni nominis, qui ab exteris prouinciis eo potiſſimum Venetias venerunt fine, vt quid ibi rarum ſit atq; ſingulare contemplentur.

DE MAGNIFICENTISSIMO S. MARCI apud Venetos Templo.

3 Poſt magnam illam Curiam Publicam ſiue Domum Senatoriam ſequitur famoſa illa Area Venetiarum, quæ etiam Area S. Marci dicitur, quod in ea extructum ſit Auguſtiſſimum illud, ſanctiſſimum celeberrimumque S. Marci Templum, admirabilis artificii, ſtupendæ pulchritudinis, cui vix ſimile in toto Orbe Chriſtiano inueniri poſſe putatur, quod interius politiſſimo ſtructum eſt marmore leuigato, habens pauimẽtum ex Porphyrite & Topaſio, parietes atq; fornices ex Ophite aliiſque lapidibus preciofis, vbi omnia lucent elegantiſſimis picturis, emblematis, ænigmatibus, rebuſque ingenioſis ſimilibus: inter quæ multa ſunt inuenta & excogitata ingenio Ioachimi Calabri Abbatis Sanfloriani, cuius magna fuiſſe putatur in prænoſcendis rebus futuris faculras & ſolertia, cum diu ante prædixerit clades & mutationes Italiæ.

Inter alia ænigmata hæc ſunt inprimis notatu digna; ſpectantur duo galli gallinacei, qui roſtris prælongis fodicant atque vulnerant vulpeculam, quo ſignificatur victoria duorum Galliæ regum de Sfortiis Mediolanenſibus.

Leo macilentus humi repit ferens ſignum S. Marci Veneti; quo innuere voluit Abbas, Venetos negociatione & pugnis maritimis fore victores, opulentos & beatos; terreſtribus vero prælijs nõ pariter felices, quib. niſi abſtineãt, diminutũ iri eorũ Imperiũ. Sunt & alia his ſimilia.

Muri Templi lapidei intus omnes incruſtati ſunt tabulis marmoreis politis, eo artificio, vt iuncturæ vix appareant. Ad dextrum parietem viſuntur duo marmora, ex eodẽ ſaxo cæſa, quorum nigræ lineæ candorem interſecantes ita artificioſe iunctæ ſunt, vt ad viuum repræſentet exteriora lineamenta ſiue deſcriptionem hominis, vt infiniti homines id naturæ imitamenti ſpicati exiſtimauerint, non ſponte ita luſiſſe magnam matrem in deſcribendis illis lineis, ſed hominis artificio illas factas. Alberto Magno placuit hæc tabula, vt eam inter miracula Naturæ retulerit.

Fornix ſiue Camera templi exornata eſt primis iiſq; excellentiſſimis picturis diuerſiſq; hiſtoriis, ſuſtineturque columnis ex marmore Phrygio XXXVI. quarum craſſitiei diameter duorum pedum geometricorum. Ambitus huius Templi continet hemiſphæria quinq; plumbo tecta.

Portale (vt vocant) quod reſpicit Magnam Aream publicam, habet quinque prægrandes valuas æreas, per quas patet introitus, eſtq; totum ab ſummo ad imum factum opere Graecanico, exornatum emblematibus & dictis obſeruatione dignis, nec non infinitis ſtatuis marmoreis ſanctorum ordine ſuo collocatis. Supra veſtigium portæ principalis, ſpectantur quadrigæ fuſæ ex ære Cyprio & Corinthio, quæ triumphantem de ſuis hoſtibus oſtentant Principem. Fuerunt hæ quadrigæ Romæ translatæ Conſtantinopolim, poſthac à Venetis deuictæ, Venetias deportatæ atque in aditu templi collocatæ, ornabant redderent Auguſtius magnificentiuſq;

Ita profecto eſt, quicunq; Templum hoc ingreditur, non poteſt non obſtupeſcere viſo incredibili numero imaginum ſtatuarumq; marmorearum & æneatum, vt vel hoc nomine inter mirabilia mundi referri mereatur. Eſtque tem conſtans fama, Templum iſtud, cum tale tantum ſit, intra vigeſimum tamen annum ex ptum perfectumque fuiſſe.

Ingreſſus ipſam ædem ſacram, vix leuabis oculos, cũ ſe tibi offeret admiranda ſtatua S. Marci Euangeliſtæ facta opere Moſaico, extendens alterum brachium & cælum reſpiciens. hoc per certos gradus lapideos intratur Adytum ſiue Chorum, vbi oculos

ſer

se rapit portentosæ tabulæ fabricæ, super Altari, quæ Constantinopoli Venetias deportata ibiq; collocata fuit. Est autem tabula illa facta ex auro & argento puro, insculptis metallo figuris multis variisque, exornata tanta vnionum, gemmarum & preciosorum lapillorum multitudine, vt ad diuitias illas non possit non obstupere spectator.

Totum hoc Altare tegitur laqueari fornicato elegantissime in crucis modũ, ex marmore perfectissimo, quod laquear sustinetur quatuor pulcherrimis columnis, itidem è marmore factis, quarum interstitia repræsentant varias historias tam Veteris quam Noui Testamenti.

Post hoc altare visitur paruum Sacellum, in quo reconditum est Eucharistiæ Sacramentum, ornatum quatuor columellis ex Alabastro emaculatissimæ puritatis, adeoque splendente, vt è vitro aut crystallo factæ videri possint. Cum item plurimæ hic ostendantur sanctorum hominum reliquiæ, inter omnes tamen eminet *corpus S. Marci Euangelistæ, & Historia eius Euangelij, quam ipse sua manu scripsisse putatur.* Cæterarum rum sacrarum infinita est multitudo, quę ideo ctius hoc loco à nobis silentio prætereuntur.

Est & in eodem Templo Sacellum interius, od vulgus Thesaurarium vocat, in quod patintroitus ad dextram conuersis per ianuam pidibus accuratissime iunctis structam. Valua nea tota laminis aureis tecta est: interius spentur cum aliæ picturæ, tum imagines Domici Calagurritani & Francisci Assisiatis; hos vis per Ioachimum Abbatem ibi repræsentatos lgus opinatur, diu antequam mortui fuissent. portet autẽ obmutescere & extra se rapi, quinq; immensas diuitias, quæ in isto Thesauraſunt, considerauerit attentius. Nam primum ltæ ibi sunt imagines siue simulacra Sanctom & magna vis coronarum, omnia è purissiauro: præterea non pauca capita, pariter ex o obryzo, insertis plurimis gemmis exorna- Gemmarum enim hic est incredibilis vis, cũ visentur inusitatæ magnitudinis Pyropi, Anantes, Topasii Æthiopici, Chrysolithi, Hyathi, aliiq; lapilli valoris atq; precii inæstima- Taceo iam vasa preciosa varii generis & ula ex Onyche, Iaspide, & Gagathe lapide a. Ostenduntur etiam in eo dona atque mua, quæ exteri Reges & Monarchæ miserunt ipublicæ Venetæ, interque alia duo Cornua nocerotis, maius vnum, alterum minus. Tũ opus preciosissimus, illatus & donatus illi o per Dominicum Grimanum Cardinalem. terea Vrna tecta, infinitis ac preciosissimis rnata atq; obsita gemmis, quam Vsuncassa- Persarum Rex dono misit Senatui Veneto. nique hic reseruatur solennis illa mitra, quæ i Ducis imponitur capiti, cum Princeps Reiblicæ creatur, quamque gestare vertice solet n è Palatio suo habitu Ducis prodit, præcipue ous festis atq; solemnibus. Est hæc mitra exnæ pulchritudinis, tota fimbriata auro atq; niscata, operta gemmis immanis precii: in fronte eminet Pyropus incredibilis & vix æstimandi valoris. Et quis posset omnia fando percensere, cum non Vrbis sed Orbis hic videantur asseruari Thesauri? quis numeret tot aureos argenteosque calices, vasa, thuribula, candelabra, pelues, pollubra, vestes Dalmaticas aliaque quæ ad peragenda sacra adhibentur?

Cæptum autem fuit extrui hoc templum anno A. N. C. DCCCXXIX. allatis ad eius fabricam lapidibus permultis & columnis marmoreis ab Athenis & cæteris Græciæ vrbibus aliisque locis, ad exornandum tantum quantum Senatus Venetus animo conceperat ædificium. Planta eius est cruciformis, complectiturq; toto suo ambitu, foris & intus, pilas atq; columnas circiter quingentas. A quacunque venies parte, ingredieris per vestibulum pulchre fornicatum, cuius pauimentum stratum est lapidib. versicoloribus quadratis & subtilissima iunctis commissura. Post hoc S. Marci Templũ assurgit Turris incredibilis pulchritudinis, structa tota è saxo quadrato, quadrata & ipsa, cuius vnumquodque latus pedes continet Geometricos XL. Non est hæc turris continua Templo, sed distat ab eo pedibus prope LXXX. Fundamenta eius sunt extreme profunda; fastigium tectum est tegulis ex ære Cyprio factis atq; deauratis, quæ acceptis Solis radiis mirum splẽdorem reddunt, eorumque feriunt oculos, qui ab Istria Venetias nauigant & Liburnia. Adscenditur in summa huius turris per scalas cochleatas vsque ad supremum tabulatum, vnde quis potest magna voluptate contemplarii omnes Vrbis partes, compositas ex multis paruis Insulis, cohærentibus inter se iunctura infinitorum pontium. Hinc facile quis diuidet à se inuicẽ sex Vrbis Regiones, plateas, compita & loca publica. Hic incurrent in oculos pleraq; Templa, Monasteria, Basilicæ, Palatia & alia præ cæteris eminentia ædificia. Conspiciũtur insuper ab hac Turri & alię extra Vrbẽ Insulæ, numero ad LX. omnes decoratæ elegantibus templis, Monasteriis aliisq; magnificis ædificiis, nec nõ hortis viridariisq; amœnissimis. In quibusdam sunt parua oppida & vici, antiquę Coloniæ Aquileiensium, Vincentinorum, Opiterginorum, Concordiensium, Atestinorum aliorumq; populorum Veneris vicinorum: qui affligentibus Hunnis Italiam & Attila multas Vrbes euertente, receperunt se securitatis ergo in paruas iste haud longe à continenti dissitas Insulas. Prætexitur autem ipsi Venetiarum Vrbi incurruum littus, in arcus balistarii formam, quod magno naturæ beneficio claudit Mare Adriaticum, & furentis eius cohibet iracundiam, extenditurq; ad milliaria XXXV. factis etiam aliquot insulis. Habet autem littus hoc siue repagulum naturale quinque incisuras velut ostia, per quæ aquæ marinæ ingrediuntur, stagnantesque circum vrbem alunt atque viuificant lacus: cumq; per duo ostia nauigãtib. ad vrbem pateat aditus, velut per portas duas, quarum vna vocatur Clodiana, altera Medoacẽsis: extructa sunt ad ea duo fortalitia munitissima, instructa omni

appa-

apparatu & instrumento ad gerendum bellum, vt quantumuis nauium numerum ab introitu arcere possint.

Possunt insuper ab eadem Turri spectari Alpes Carnicæ & Promontorium Istriæ, ipseque pater Apenninus, qui mediam per longitudinẽ secat Italiam: quin & summæ Alpes Cisalpinæ Gallię. Produnt se deniq; spectantibus ostia fluuiorum nobilissimorum, Athesis, & Eridani siue Padi, quià diuersis populis venientes, ille à Germania, hic ab Italia, aquas suas hic in sinum Adriatici maris euomunt. Aiunt fundamenta huius Turris iacta fuisse anno A N. C. DCCC. LXXXVIII. eamq; incendio corruptam, instauratam paulo post refectamq; fuisse, multisq; in locis, vt apparet, deauratam. Fastigio eius anno Salutis MDXVII. imposita fuit statua Angeli lignea, tecta ære Cyprio inaurato, quæ ita facta est, vt videatur porrecta dextera bene precari populo, cumque vento vehementiore agitatur, vertit se in omnes partes. Altitudo huius turris hæc est. A pede siue fundamento vsque ad medium tabulatum numerantur pedes Geometrici CLXIV. Hinc vsq; ad Angelum deauratum pedes CLII. Gradus quibus ad summum vsque adscenditur, singulari artificio ita facti sunt, vt non magna difficultate scandantur. Ipsa Turris ab summa parte variis exornata est columnis & repræsentationibus Leonum æneorum & aliarum figurarum marmoreorum. Ambitus eius constituit pedes CLXIV. Post Turrim istam, versus Portam Palatii offert se porticus superbissima, exquisita industria facta opere Corinthio, inscripta variis sententiis, emblematibus, figuris hieroglyphicis & ænigmaticis. In hac, cum in Curia Senatus haberi solet, conueniunt Aduocati & Procuratores causarum. Numerantur in Vrbe Venetiarum pontes lapidei, quibus insulę cõiunguntur vltra CCCCL. præter VIII. millia scapharum, quæ semper prẽsto sunt, vt iis vti volentes per omnes vehant ciuitatis partes. Cumque canales plures sunt, vnus tamen præ cæteris dicitur Canalis Magnus siue Grandis quod pedes XL. latus sit, longus autem MCCC. Inter pontes caput attollit ille qui Magno Rialto superstructus est, singulari structuræ magnificentia, in quam multa millia coronatorum insumta fuere. Adscenditur in eam trib. scalis operosissimis, quarum illa quæ in Austrum versa est, gradus habet LXVI. at reliquæ duæ altiores sunt, habentq; singulæ gradus CXLV.

4 Cum describeretur numerus habitatorum huius vrbis, deprehensi sunt CXC. mille, DCC. XIV. capita, in quorum alimoniam requiruntur quotannis sexagies nouies mille, quingenti & octoginta frumenti septarii. Totus autem ambitus ciuitatis est exacte VI. millium.

5 Nequis autem prudens & cordatus homo fidem tribuat imperitiæ & stoliditati eorum, qui scripserunt & credi sibi volunt, Magnificentissimam Venetiarum Vrbem à nescio quibus piscatoribus primo fundatam: operæ precium est audire Cassiodorum Rauennatem, Senatorem Romanum, qui vbi de Theodorico Gothorum rege loquitur, ita scribit ad Venetos. *Vos qui numerosa nauigia in eius confinio posßideti's, & Veneti plena Nobilibus.* Scripsit autem hæc circa annum Seruatoris nostri CCCCXCV. id est à prima Vrbis Venetæ fundatione anno octogesimo vel nonagesimo. Vnde cuiuis facile est coniicere an piscatores tam breui temporis spacio tãtas potuerint acquirere Nobilitatis & Potentiæ quam ostendit epistola illa, magni Regis Italiæ nomine scripta, faciens mentionem plurimarum nauium, quas quidem parare ac possidere non potuerunt, nisi diuitiis magnis à maioribus acceptis.

Descriptio Magnæ Areæ S. Marci in vrbe Venetiarum.

Ampla hæc & supra modum pulchra Area S. Marci exornatur cingiturq; ab omnibus partibus elegantissimis superbissimisq; ædificiis, in primis qua spectat Templa S. Marci & Geminum, vbi assurgunt Palatia operosa & magnifica, ornata porticibus & deambulacris miræ pulchritudinis, nec non tabernis perguliisque variorum artificum. Solent huc confluere infiniti mortales ex omnibus non Europæ duntaxat partibus sed & Asiæ atq; Africæ: hic audiuntur diuersi sermæ linguę, spectantur varii ignoti; vulgo habitus & vestiendi modi, breuiter, tanta huc hominum confluges est, vt Venetiæ nõ Vrbis sed Orbis instar habere videantur. In ea huius Areæ parte, quæ littori maris proxima est, attollunt duæ prægrandes columnæ, è marmore Phrygio, solidæ, quæ à Constantinopoli Venetias delportatæ fuere. Apparent hæ è longinquo nauigantibus ad vrbem; in altera harum sunt arma ciuitatis siue insignia deaurata. Vna sustinet Lignum S. Marci, Leonem alatum: altera S. Theodori statuam. E regione harũ columnarum supplicio afficiuntur ii, qui capitis damnati fuere. Sunt & aliæ multæ columnæ Venetias delatæ per Sebastianum Cianum, tres tamen conspicuæ magnitudinis: quarum duæ quidem illa in Marci Area, vt diximus erectæ constituræ sunt tertia, cum iam in portum & ad ipsam Vrbem aduecta extrahi è naui deberet, nimio pondere extrahi, quod nimis alte in fundo mari subsedisset. Laudatur industria excellentissimi Sculptoris Nicolai Neratii, qui duas illas magno ingenio nauibus extraxit, rectaque constituit pro quo labore illum aiunt non aliud à Republica Veneta petiisse præmium, quam vt liceret sibi dionibus, mensas lusorias ibi constituere, & luderis propositis ad ludẽdũ alios inuitare. Quod an ita sit nec ne, cum nullo velim ego recipro re ferram: certe populus Venetus in ea est persuasione. Nec male respondet opinioni ficum nunquam non ibi inueniantur alteratores, circulatores, histriones, & id genus inuti ia tæ pondera, quibus omnis vita in ocio & u pore.

Vi

Videtur autem magna illa Area vna & simlex esse, cum ramẽ diuidatur in partes quatuor. rima est iuxta Palatium, Secunda, intra Palatiũ r Bibliothecam, à dictis columnis vsq; ad Hologium. Tertia est post S. Marci Templum vsue ad ædem Geminiani, in cuius parte ad maum dextram assurgunt sumtuosissimæ illę Porcus, tribus ordinibus columnarum sibi alteratim impositis, obseruata exactissime proporne, omnes è solido marmore. Quarta pars Aæ est à dicto S. Marci Templo vsq; ad domos anonicorum illius Sacræ Ædis, quæ sola pars reę continet in longitudine pedes CDLXX. in itudine CXX. Ab altera huius Areæ parte vintur pulcherrima quædam ædificia, magna ra structa. Recta ex aduerso Templi S. Marci suntur tres tabulæ æreæ, pendentes de tribus æcessis arboribus siue stirpibus pineis, in quis inscriptæ sunt quædam figuræ Hieroglyphi-, indices Libertatis Venetæ.

Secundam partem Magnæ huius Areæ dixiis initium capere à supradictis columnis, & tiri finem ad portam Horologii, per quam i- ab Area magna ad forum rerum venalium. autem porta ista structa è purissimo marmosustinetque decantatissimum illud ciuitatis rologium, in quo repræsentantur cum alii culi cælestes, tum vel in primis Zodiacus, cuomnia signa deaurata Sol & Luna intrant stavicibus, & ita menses anni distinguunt. Inueuntur insuper ibi complures statuæ æneæ, arMathematica compositæ: & ab eo latere Pai est Ærarium Vrbis, tam solide & curiose ctis marmoribus, vt ne minima quidem pars us commissuræ appareat.

Bibliotheca Veneta incipit à supellectile liria Francisci Petrarchæ, qui moriens Senan Venetum scripsit hæredem, aucta hæc postdum fuit accessione Bibliothecæ Bessarionis, xandri & Grimani Cardinalium. Omnia quę in oculos incurrunt, elegantissima sunt, & irandi artificii. Frontispicium huius ædificii rnatur pulcherrimis columnis, vt hic locus cum præstantissimis totius Europæ fabricis ferri possit, quod verbum nobis esto instar bosæ descriptionis. Sunt præter cętera huius ficii ornamenta in eo statuæ XXV. nitidissi-, omnes ad iustam hominis altitudinem asgentes, Doricæ & Ionicæ, antiquo modo fa-. Omnem tamen superat pulchritudinem, oosq; penitus ad se rapit, illa huius ædificii pars e Magnam spectat Aream, quæque omnes nium veterum artificum inuentiones supee videtur: quod opus incredile continuatur ie ad Templum Geminiani, porrigiturque e vsque ad Turrim Horarum.

Oportet hic me multa præterire silentio, quæ en notatu sunt dignissima, spectanturque in Ærario atque Bibliotheca, ne molestus sim ori. Imitabor igitur Franciscum Petrarchã, *Libro quarto Senilium suarum* de hac S. Marci gna Area scribit, nihil se tale aut simile per vniuersum Orbem Christianũ inuenire potuisse.

Milliari vno à Venetiarum vrbe abest Insula quædam, in qua sunt excellentes tabernæ & pergulæ artificum, inprimis vitriarię, quod vitri genus claritatis ergo crystalli nomine appellarur. Aiunt hanc insulam, vexantibus Hunnis & Attila Italiam, occupatam à certis familiis, Altinis & Opitãgiis. Ea nostro æuo est redacta in formam parui oppidi, populoque abundat valde ciuili, in quo sunt quædam Ædes sacræ, aliaque ædificia pulcherrima, habentque ciues tam in hacipsa quam in vicinis Insulis hortos amœnissimos, vt nil iucundius vspiam extare putem. Eminet inter Templa huius Insulæ Monasterium Petri Martyris, vbi Cõuentus est Monachorum Dominicanorum, cuius Monasterii templum celebre est ob exquisitissimas picturas. Est in eo Cõuentu Bibliotheca pulcherrima, instructa infinitis raris bonisque exemplaribus, cui cohærent horti non pauci, in quibus scaturientes dulcis aquæ fontes, crescentes plantas atque arbores humectant spectaculo supra modum iucundo.

Licet hic peregrinis ingredi officinas vitriarias, & videre quo pacto conflentur celebratissima illa per Orbem vasa vitrea Veneta, quæ res non potest non afferre pariter admirationem & delectationem, ob artificium. Et sane ciues huius oppidi iure dici possunt superare omnes artifices totius vniuersi in arte vitriaria, ad quam laudem multum iuuat materiæ, qua vtuntur, bonitas, vnde nostræ prouinciæ tantopere mirantur, quæ inde ad nos apportantur vasa vitrea, tam clara, polita, pellucida, vt natiuæ crystallo nequaquam cedere debeant, eaque de causa vulgo vasa crystallina appellentur. Sunt autem artifices hi vitriarii incredibili dexteritate & solertia, non in conflandis vasis duntaxat, sed & diuersissimis coloribus tingendis, insuperque auraris argento isque lineis depingendis, variis figuris hieroglyphicis incidendis: nec solum pocula faciunt ex ea materia, sed & patinas discosq; & vasa ad varios vsus: vt si Plinio in superas oras redire liceat, miraturum illum arbitrer, melioreq; iure dicturum, si fragilitas huic generi demi posset, nec aurum nec argentum contra earum futurum.

9. Quingentis circiter passibus ab Vrbe, ad latus Regionis S. Marci alia occurrit Insula, quæ à S. Gregorio nomen habet, in quo est Monasteriũ sumtuosissimum, habẽs templum marmoreum incredibili structum industria. Viuuntur in hoc tabulæ sacræ & statuæ magnificæ, quæ ibi factæ sunt, nec non diuersa monumenta & sepulturæ Principum siue Ducum Venetorum. Nihil amænius fingi potest hoc Monasterio, in quo omnia pulcherrima sunt, cœnacula, porticus, dormitorium, cameræ, conclauia, Bibliotheca bonis libris instructissima: accedente hortorum illecebrosa pulchritudine, quæ omnia inuitant cum ipsum Principem tum Senatores cæterosque Proceres Venetos, vt sæpe huc animi gratia scaphis vecti aduenianț.

Est

10 Est in Venetiarum vrbe Templorum Ædi-
umque sacrarum ingens numerus, quæ diuersis
sanctis hominibus dedicatæ, ædificiorum splen-
dore spectatores in admirationem rapiunt:
in quorum numero sunt, quæ vocantur Paro-
chiæ LXVI. XXVI. seruiunt vsibus sanctorum
& deuotorum hominum, & LIV. sunt domus
Religiosorum diuersorum. Hospitales domus
in ea sunt XVII. Sunt insuper in ea vrbe XVIII.
Sacella siue stationes pro totidem magnis So-
cietatibus, quas ipsi Confraternitates vocant,
inter quas S. Rochi maxima est, cui magnus po-
puli numerus nomen dedit.

Inter cæteras autem ædes sacras dignum est
admiratione Templum Dominicanorum, ædi-
ficium superbissimæ structuræ, decoratum plu-
rimis statuis marmoreis & picturis excellenti-
simis. Nec minoris splendoris & magnificentiæ
est Templum D. Zachariæ dicatum.

Quid iam de reliquis magnificentissimis o-
perosissimisq; ædificiis dicemus, quæ omnia or-
nata sunt exquisitissime, statuis cũ primis mar-
moreis æneisque, tam pedestribus quam eque-
stribus, in quibus erigendis ornandisque nobi-
lissimi ciues atque Senatores inter se certasse vi-
dentur. Spectatur inter alias statua equestris
prope Colossea, Bartholomæi Coleonis, homi-
nis nobilissimi, quam ei posuit S. P. Q. Venetus
ob virtutem & fidelitatem in Patriam, ingentia-
que in Rempublicam merita.

Sunt præter superiora omnia Venetiis Tri-
bunalia LVI. vbi peraguntur causæ & ius dici-
tur litigantibus. Sunt decem portæ æneæ: Ho-
rologia publica XXVII. Porticus publicæ siue
xysti CXXIV. Compita LIII. Turres in quibus
campanæ CXIV. Equi æneidiuersis in locis e-
recti collocatiq; publice X. Putei in vsus publi-
cos CLV. Horti deliciarum CLXXXV. Palatia
CXLI. præter ædes ampliss imas C. quæ ob struc-
turam nobilissimam Palatia iure dici possent:
quibus omnibus, quænam per Italiam vrbs, vel
etiam per totam Europam comparari queat?

11 Est & spectatu cum primis digna Domus
Mercatoria Germanorum, quæ immanis stru-
turæ ambitu suo complectitur pedes DXII. in-
tus vbique perpicta elegantissime, ornata pul-
cherrimis porticibus & deambulatoriis sibi in-
uicem ordine respondentibus. Sunt in ea domo
conclauia CC. in quibus hospitari possunt
mercatores eius Nationis, qui hic frequentes. Si
quis velit statuas, tabulas pictas, signa, aliaque
Antiquitatis monimenta, quæ sunt in hac Ve-
netiarum Vrbe, oratione persequi, is se pariter
atque alios fatigauerit, cum numerari non posse
videantur.

Inueniuntur in hac ciuitate per omnia prope
anni tempora ad CC. fructuum genera, præter
olera & pisces, alioq; cibos delicatissimos, quib.
Illustres ac Patricii viri & alii opulentiores ci-
ues perpetim onerant mensas suas. Est autem
in ea vrbe ingens nobilium hominum nume-
rus, vt antiquitus in ea numerati fuerint ad LV-
III. Principes & Gubernatores.

Qualitas agri Tarui sini.

Perflatur hic aere satis bono atque temper-
to; qua cultus est, magnam vim tritici omnisqt
adeo generis frumenti profert, vt & fructus a
boreos: præcipua tamen eius gloria in gigne
do vino optimo. Res pecuaria hic frequens
quæstuosa: nec destituitur solum alicubi subte
raneis metalli venis. Fluuii huius tractus in
gniores sunt, Plauis, Brenta, Bachilio, Athes
Ticinus, Addua, cum paucis minoribus.

Vallis Camonica abundat ferrifodinis. Sed
Veronensis aer bonus est & salubris, qua
quam ager in multis locis sit sterilis, nec in vi
uersum copiosum ibi proueniat triticum. O
tamen atque vini feracissimus, vt & fructu
arboreorũ omnis generis. Lana hic reperitur
ptima, & quidem magna copia. Lacus Bena
abundat piscibus omnis generis. Haud pro
ab vrbe mons est satis editus, in quo crescunt
tantum vulgares, sed & med catæ herbæ. Ag
Bergamensis asper est & salebrosus, & ab late
septentrionali prope omnino sterilis, ob vi
nos montes, sed alibi fertilis, in quo nihil de
deratur eorum, quæ ad vitæ humanæ vsus n
cessarios requiruntur: nisi quod prouentus vi
hic rarior, ob constitutionem aeris frigidiusc
lam. Cæterum in vicinis vallibus, quæ Vrb
Bergamensis dominium agnoscunt, permu
tum colligitur olei, alicubi etiam vinum optim
notæ, sed non in copia. Circa Cremam vero l
xuriant agri frumento, vino, fructibus, dulcib
aquis, in quibus multitudo piscium. Solum cir
Taruisium est amœnum, pingue atque fe
tile.

Foroiulienſis ager optimi vini magnam g
nerat quantitatem, minus tamen quam proi
colarum necessitate tritici, ordei aliarum q
rerum. Vehementer hæc regio exposita est m
tationibus aeris & ventorum. Istria monto
est, nec tamen horrida aut aspera, abundateni
vino, oleo, tritico & pascuis. Mons ibi est, q
Mator vulgo, benignus Herbarum medicaru
(vulgo simplicia vocant) quas auide exter
quæsitum huc properant Medici. In huius mo
tis summo cacumine fons est saliẽtis aquę. C
quunt & Istri Salem marinum.

Mores antiqui.

Ducunt Veneti originem suam à maiorib
suis, qui circa annum à Christo nato trecente
mum vixerunt, fueruntque Aquileienses, Pat
uini, Opitergini, Heracleenses, Aquilini, Gr
denses, Capreolenses, circa tempora Attilæ, q
anno AN. C. CCCCLVI. Italiam vastabat. Hi
verisimile est, ex tã multis locis conuenas, suo
quosque mores atque consuetudines retinu
se. Ab his populis ortum traxit nobilissima V
netiarum ciuitas, non autem à piscatoribus,
multi nugantur. In eo tamen semper conuen
runt omnes, quod fuerunt viri graues, augend
pote

ɔlentiæ auidi, libertatis verò ante omnes po-
ulos propugnatores acerrimi.

Cætera per Longobardiam & Marcam Tar-
iſinam oppida & populi, qui Venetis parent, vt
Foroiulienſes, fere ſecuti ſunt mores atque
onſuetudines eorum, à quibus deuicti ſubacti-
ue fuerunt: regnauerunt enim & hic frequen-
er factiones ac ſeditiones ciuiles, quod per o-
nnem prope Italiam factum eſt.

Mores Venetorum noſtri temporis.

Magnam præ ſe ferunt Veneti in omnibus
iis actionibus grauitatem atque continentiam,
deo vt ſeueritatis legitimos videantur egredi li-
ites, in omnibus prope, vbi dominantur, locis,
d menſam diſcumbentes verborum perquam
arci ſunt. Equites imperiti, qui Vrbem inco-
nt, totam mari immerſam, vbi exercitio eque-
i aut nullus aut exiguus locus eſt.

Hinc Nobilitas Veneta marinis fere ac naua-
ou pugnis exercendæ virtuti locum quærit.
genia eorum non videntur communiter eſſe
viuida & acria, vti cæterarum quarundam
ntium Italicarum: iudicio tamen maturo o-
nia faciunt, quæ cauſa eſt, vt pleraque iis felici-
r cedant.

Eſt in Venetiarum Vrbe magna copia præ-
ntiſſimorum artificum in omnibus artibus
ientiisque. Viuunt hic Græci atque Iudæi ſuo
iſque more ac religione, nec interpellatur
iſquam.

Aiunt vulgo per Italiam, Venetos eſſe ma-
ificos, verſipelles, raptores alieni: Veronen-
ſtudioſos & fideles: Patauinos leues ac mo-
es: Vicẽtinos vindictæ cupidos. Rurſum: Ve-
tos ad bellum afferre argentum: Taruiſinos
dios: Brixienſes vallum facere & munire ca-
. Itemque: Venetos armare claſſem; Pataui-
s tractare equos: Bergamẽſes latere in inſidiis.
De fœminis alio vruntur prouerbio. Gremẽ-
eſſe fraudulentas: Vicentinas conſtantes: Ve-
tas ſuperbas & inſolentes: Veronenſes gratio.
Brixienſes diligentes; Taruiſinas Zelotypas;
rgamenſes aſtutas: Aliud, Bergamenſes habe-
multos maledicos: Patauii eſſe bonos milites:
centiæ multos Comites; Brixienſes eſſe im-
tes erga pauperes.

Opes & Diuitiæ.

Percipit Reſpublica Veneta ex omnibus qui-
s imperat prouinciis, terris oppidisq; ſingulis
is, cum alta pax eſt, duos auri Milliones, hoc
odo.

Ex vrbibus oppidisq; quas habet per Italiam,
CCC. coronatorum millia, Brixienſibus atq;
rgamenſibus ſolis vltra CCC. millia perſol-
atibus.

Ex ipſa Venetiarum Vrbe DCC. millia, quod
rum è variis vectigalibus portoriisq; colligi-
, cum conſtet ſolum Vini vectigal facere CX-
. millia coronatorum.

Colligitur autem magna inſuper pecuniæ vis
diuerſis decimis & taxis, quæ tam Nobilibus
am plebi Vrbanæ imponuntur, itemq; ex ſale,
i in littoribus diuerſis maris Adriatici exco-
quitur, nec non ex teloniis, vectigalibus & ſubſi-
diis pecuniariis, quæ ciuitates maritimæ perſol-
uunt Reipublicæ, ex quibus omnibus vltra quin-
quies centena coronatorum millia annuatim
ſubſultant. Totidem quoq; olim dicitur colle-
giſſe ex Inſula Cypro: verum ea iam eſt in mani-
bus Turcarum.

Patitur autem idem hæc Reſpublica, quod &
pleriq; alii Principatus & regna Orbis Chriſtia-
ni, quod prope omne hoc argentum, quantum
eſt, conſumitur in expenſis Ordinariis: puta in
conſeruationem copiarum militarium, in ador-
nandas inſtruendasq; claſſes, in munitiones vr-
bium arciumq;, quæ ſunt neceſſariæ, in ſtipendia
Magiſtratuum & Miniſteriorum publicorum,
vnde ſunt, qui exiſtiment, tam grandes theſauros
Rempublicam Venetam nõ habere: quod quic-
quid ſupereſt ab expenſis illis, ſoleant conuertere
in diſſolutionem debitorum, quæ ſuperioribus
temporibus contraxerunt.

Neque tamen propterea quis opinari debet,
Rempublicam illam non eſſe valde potentem,
quod ii Principes ſiue Respublicæ, quib. plures
ſuppetunt rationes attrahendæ pecuniæ, haberi
debeant potentiores. His rationibus ſiue mediis
Veneti abundant, accedente etiam quod mino-
re metu & periculo illis mediis vti poteſt Reſpu-
blica hæc, quam alii Principes Chriſtiani. Quo-
ties enim bellum gerendum eſt, aut apparatus
bellicus faciendus, etiamſi aperte bellum non
immineat, vt ſi Turcæ ingentes copias contra-
hant: recurrunt Veneti ad media extraordinaria:
quæ quamuis multiplicia ſint & varia, omnia ta-
men ad tria genera reuocari poſſunt.

Primum eſt, vt creſcere faciant decimas, quæ
iam antea ſoluere conſueuerunt Nobiles & Ci-
ues in oppidis, qui habent agros fundosque, &
prouentus ex iis percipiũt, quod ſi fiat, multum
hæc auctio importat pecuniæ. Puta, ſi quis ſemel
tantum antea per annum ſoluit, tunc ita volente
Senatu, bis aut ter per annum ſoluere cogitur.
Idem fit cum duplicantur Taxæ, quas pendunt
mercatores pro valore & præſtantia mercimo-
niorum ſuorum, quæ Taxæ prope decimam par-
tem conficiunt fructus atq; lucri, neq; ab his vlli
immunes ſunt, ſed pariter Nobiles plebeiiq; ſol-
uunt. Fit & nonnunquam exactio à plebe, in pri-
mis cum gerendum eſt bellum, tunc enim noue-
runt omnes, quot militibus debeant perſoluere
ſtipendia in vſum Reipublicæ.

Primum hoc exigendæ monetę medium non
eſt difficile aut impeditum, quod prope omnes
libere atq; voluntarie conferant, quodq; ita exi-
gat ſalus Reipublicæ. Si tamen hoc non ſufficiat,
ad ſecundum recurritur, quod eſt, vt Magiſtra-
tus & qui ſunt cum officiis publicis per aliquod
tempus ſuis careant ſtipendiis ſalariisque: de-
inde, vt primi in Republica honores, qui
viris nobilibus ob egregia merita gratis con-
ferri ſolent, vendantur, non vt eos perpetuo ha-
beant gerantque, neque velut in auctione
pluris licitantibus, ſed qui inter emto-
res digni videntur, ſitque nonnunquam

vt is qui minus obtulit, auferat præ alio, qui plus pollicitus est; digniorum enim habetur ratio. Hac ratione, cum in fœdere Cameracensi fœdus fecissent aduersum Venetos plerique reges Christiani, acquisiuerunt vltra D. millia Coronatorum.

Est & alia ratio emungendi pecuniam apud hanc Rempublicam vsitata, quam appellant Depositum Consilii: cum nimirum Patriciorum filios minorennes, acceptapecunia, declarant idoneos, qui in Senatum veniant, vt sic consequenter obtineant officia.

Tertius modus acquirendi argenti est cum Respublica in magnis constituta necessitatibus cogitur mutuo sumerepecuniam à priuatis: quã, si bona eorum voluntate habere non possit vi vtitur, venditq; bona ciuium, siue ea sint mobilia siue immobilia. Quod etiamsi fiat, non tamen propterea oritur tumultus aut seditio, vt apud alias fieret gentes, quod certa accedat moderatio. Exempli gratia. Si Senatus decreuerit, vt tertia pars omnium ciuium, qui priuati viuunt, vendatur, & ex iis bonis diuenditis fiat massa argenti; tunc profitetur Respublica se debitricem priuatorum illorum, obstringitque fidem suam, restituturam se bona fide, aliquando post certum annorum numerum, aliquando finito bello: interim constituitur vsura, quam percipere debet is, qui pecuniam credidit seruato discrimine inter vetera & noua debita, vt de his plus soluatur fœnori quam de illis.

Solet etiam Senatus aliquando vti Cambio, & vorsuram facere: & quis velit omnes corradendæ pecuniæ modos, in casu necessitatis duntaxat receptos apud hanc Rempublicam recensere, cum Veneti in his rebus sint omnium mortalium exercitatissimi: nec quicquam magis mirandum est exteris, quam quod omnia ea fiant sine tumultu, acquiescentibus non nobilibus duntaxat, sed & ciuibus, adeoque infima plebe, sequentibus in eo omnibus exemplum Principis siue Ducis, adeo, vt non pauci ex Nobilitate & ciuibus conferre soleant sponte ac libera voluntate, cum in necessitate vident constitutam Rempublicam. Reperti etiam sunt, qui vxorum suorum mundum, gemmas, monilia, & alia ornamenta muliebria vendiderunt, & pecuniam in vsus Reipublicæ conuerterunt. Neque vero singuli duntaxat aut priuati laboranti Reipublicæ pecuniis subuenire solent, sed etiam vrbes, Venetis subiectæ, quæ pro modo facultatum publicarum & priuatarum argentum conferunt, præter vectigalia & exactiones, quas soluere iussi fuerunt. Omnes enim amant mite & moderatum dominandi genus, & exactam iustitiæ obseruationem, vbi ius dicitur non minus egeno inopique quam ditissimo cuique. Optimo igitur iure de Venetiis dici potest, nihil referre, an Respublica multum an parum habeat pecuniæ, cum priuati sint satis opulenti, quorum diuitiis Respublica citra omnem difficultatem vti potest, quoties necessum est.

Hinc denique consectarium est, difficulte sciri posse, quantum thesaurorum sit in Ærari Veneto. Et de diuitiis quidem huius Illustriss mæ Reipublicæ diximus, quæ dicere habuimus nunc de viribus eiusdem & robore bellico v deamus.

ROBVR PROVINCIAE ET vires militares.

Præcipuus ac prope vnicus huius Reipub cæ scopus est, dare operam, ne quid à quoqua extero detrimenti patiatur, ita vt non habe vnde sibi iure metuere possit debeatve. Sive de Fortalitiis munimentisque (vt de iis in co mune loquamur) iudicium erit, dicemus sa vix vllum Principem Christianum habere r liora, munitiora, ampliora, quam videmus V netos possidere.

Testimonium dicent *Taruisium*, *Lignanum* (*lim Forum Licinii*) & *Crema*. Quibusdam vrbib ipsius peripheriæ amplitudo præsidio est, q tanta, vt nisi ab immani exercitu obsidione ci gi non possint; cuius generis sunt *Patauium Verona*. Reliquæ suas habent arces siue mu menta intra se, quibus satis tutæ præstantur omni vi externa, vt videmus *Brixiæ*, *Bergami*, & ipsa *Verona*, in cuius medio duæ sunt arces, v supra alteram ædificata.

Arces Marcæ Taruisinæ, quæ fortalitiis numerari possunt, hæ sunt: *Orcinoua*, *Assola B sana*, *Pesqueria* & *Lignanum*, cuius paulo a mentionem fecimus. Omnium tamen in conuertit oculos *Noua Palma* Endecagonos est, vndecim propugnaculis munita, cuius pr cipuæ plateæ rectissimæ sunt, omnesque de nunt ad castrum, quod vmbilicum ciuita obtinet, tanti roboris, vt vi capi non posse deatur. Habent iidem Veneti alia quoque m nita loca per Longobardiam, quæ natura & n nu ita facta sunt, vt ad defensionem sibi ip sufficiant. In agro Foroiulienſi vix est vllum strum maioris momenti præter *Martanense*, tum inter paludes haud procul à mari, vnde a iri non potest, cum prope separatum à terra ma natare videatur.

Vnum habet aditum, qui tamen à pauci p sidiariis aduersus multos facile defendi pot Castrum *Osopiense* supet altum montem sit est, firmum inprimis, & quod proficiscen cum exercitu in Italiam ab iis partibus rem rari possit, ne per eam viam transire copiæ, maiora tormenta secum trahere queant.

Ciuitas *Vtinensis* firma non est, quod te glareosa atque sabulosa in aggeres cogi den rique non possit. Nec scio an vllus locus mu tus sit in Istria, præter *Iustinopolim*, quæ nos æuo *Caput Istriæ* dicitur.

In littore Dalmatiæ Sclauoniæque sunt qu dam oppida munita iuris Venetici, cui modi est *Zara* & *Catarum*. Verum Oppi Dalmatiæ non egent munimentis, quod te restri itinere ob montes aditi non possint, n

par

âfuâ cum manu, viis non solum ob conniuen-
am montium angustis, verũ etiam asperrimis.
Igitur ad defensionem terrarum, vrbium ar-
iumque suarum Respublica vtitur opera fideli
oforum incolarum, suntque in Longobardia le-
ta ex colonis & ciuibus minorum oppidorum
ircitèr XXV. millia, qui homines quotidie ex-
rcentur in armis, vt in cæteris quoque Vene-
orum prouinciis, pedites omnes. Sed si verum
teri volumus, cum plerique ex agro lecti sint,
arum videntur apti ad seruandos Ordines &
atarium pugnæ genus. Cum autem iustis co-
iis bellum gerendum est, solet Magistratus
onscribere militem ex oppidis suæ potestati
biectis, adiunctis auxiliis mercenariorum è
ermanis aliisque nationibus.

Habentur autem pedites Itali animosi, agi-
s & ad velitarias pugnas subitaneasque im-
ressiones admodum apti, vt & ad oppugnatio-
es oppidorum: neq; tamen in seruandis ordi-
ibus & sustinenda impressione hostili cũ Ger-
anis conferri possunt, qui in hoc genere omni.
n optimi putantur, qua de causa Respublica
eneta, cum aliquando quindecim millia in ar-
is habuerit, constitit is exercitus magna ex par.
militibus exteris.

Solent quoque Veneti perpetuo stipendio si-
addictos habere quosdam Heluetiorum Pa-
os & partem Rhætorum, vt iis vtantur militi-
is, cum opus est, qua ratione fit, vt possint col-
gere exercitum XXX. vel XXXV. millium ho-
inum, si necessitas exigat. Quod superest, ita
stribuitur, vt pars oppidis & arcibus impona-
r præsidio, pars vero nauibus ad vsus marinos.
stratum stipendium peditis est in militia, vt
es scutatos accipiat menstruos; si vero pericu-
m ab hoste immineat, quatuor vel quinque.

De Equitatu Venetorum ita habet. Alunt
rtim ad defensionem prouinciarum partim
strũendę auctoritatis ergo DC. equites grauis
maturæ, qui singuli solebant olim habere ter-
os equos: sed nostra tempestate non nisi duos
unt, optimæ tamen notæ, nec reiectitios. Nu-
erantur autem singulis quotannis viceni seni
ucati, suntq; maxima ex parte lecti è nobilitate
r Lombardiam, quatenus ea Venetis pareti
anquam autem Hippotrophia per agrum Ve-
tum non sint, possunt tamen cogere, si opus
;M. vel MD. equites armatos.

Solebat olim hæc Respublica in Lombardiæ
a parte, cui ipsa imperitat, alere mille equites
iis armaturæ: sed nostro æuo sustulit super-
ios & inutiles illos sumtus: quod ad omnes re-
entinos casus conscribere possit eundem equi-
m numerum, præter equites, quos ex Dalma-
& Epiro habere potest in copia, quiq; Stratio-
vulgo appellantur & Capellati, nati ad subita-
as incursiones, & vt postremum agmen clau-
nt. In eo tamen consistit præcipua ipsorum sci-
tia bellica, quod ab equitibus grauis armaturę
ostium pressi atque profligati, celeriter se vnire
integrare turmam nouerint. Ex Dalmatia igi-
r & vicinis Peloponneso quibusdam Insu-

lis Græcis possunt Veneti huius generis milí-
tum ad bellum habere III. millia, nec multo
pauciores ex continente Italiæ.

Cum bellũ terrestre gerendum est, solet hæc
Respublica plerumq; omnibus copiis summum
Ducem præficere, nõ apud eos natum, sed extra-
neum, constatq; multoties eos hanc dignitatem
detulisse Principi cuidã absoluto, puta Marchio-
ni vel Duci, eumque amplissimis eo nomine or-
nasse muneribus. Huic summo belli duci adiun-
gunt velut socios duos Patricios ex Ordine Se-
natorio, viros de Republica præclare meritos,
quos ornant titulo *Prouisorum Generalium*, sine
quorum consensũ & approbatione non licet
summo illi militiæ capiti committere prælium,
aut quicquam facere maioris momenti, in quo
Respublica vel commodum sentire possit vel
detrimentum.

Descriptio magni illius Armamentarii Veneti, quod vulgo ARSENALE vocatur. 17

Cum ordo exigat, vt etiam de Militia Marina
dicamus, in qua potissimæ Venetorũ consistunt
vires, dicendum est primo de Magno illo Arma-
mentario, in quo parãtur classes, quibus tantum
valet illa Respublica. Est igitur hoc Arsenale nõ
solum amplum magnumq; sed & supra modum
elegans, instructũ copiosissime rebus omnibus,
quæ in vllo Armamentario totius orbis inueniri
possunt. Situm est in extremitate quadam Vrbis,
in ipsius maris crepidine, à quo non videtur esse
diuisum, sed continuum ac cohærens, quæ res
hoc Armamentarium facit admirabilius apud
rerum harum peritos. Muris cingitur optimis,
sine tamẽ propugnaculis vel proiecturis, cũ non
egeat iis, vt quod tormentis æneis concuti non
possit. In insula constitutũ esse, dicere quidẽ non
possumus, quod prope cingatur canali, non ipso
mari, qui tamẽ canalis nauigabilis est. Numerã-
tur aliquando hic in statione circiter CC. Trire-
mes, præter eas quæ semper in mari habentur
numero XL. inter quas sunt XX. maiores, quæ si
cũ minoribus cõferantur, possunt dici Cataphra-
ctæ vel Naues grauis armaturæ, quod tam leues
agilesq; non sint, neq; tam celeri vtantur remi-
gio, vt cæteræ, sed multo grauiori ferantur im-
petu: breuiter, tales sunt, vt si secundo ferantur
vento in prælio nauali, possint adoriri atq; op-
pugnare classem centũ partiarũ nauium, & ma-
ximum ad victoriam adferre momentum, habe-
anturq; multo meliores bello, quã naues milita-
riter instructæ sine remis, quod Venetæ nõ velis
tantum ferantur, sed & remigio impellantur.

Tantum autem est in hoc Arsenali armorum,
ad instruendum quantumuis magnum exercitũ,
vt spectatores visa tanta copia obstupescere ne-
cesse sit; tantum tormentorum æneorum omnis
generis, vt non tantum instruendis tot nauibus,
sed & gerendo bello terrestri obsidendisque vr-
bibus abunde sufficiant. In hoc è lino, ferro, ære,
ligno, cannabi, omne nauticì apparatus genus:
anchoræ insuper, catenæ, spiræ, harpagones,
rudentes, vela quotidie ac sine intermissione

conficiuntur. Inprimis autem materiæ ligneæ ad fabricandas naues hic ingens copia, quod quercus ac robora aliæq; arbores huc facile conuehi possint beneficio fluuiorum, qui Sinum Adriaticum irrumpunt.

Vt autem de isto Armamentario paucis verbis multa dicamus, certum est, in toto terrarum Orbe non inueniri vllũ, in quo tantus sit fabrorum omnis generis numerus, expertissimorum quidem in sua arte, cum vltra CCC. assiduè laborent, tanta diligẽtia & peritia, vt vix credi possit: vnde constat, aliquãdo spacio X. dierum perfectas instructasq; fuisse XXX. Triremes, ita, vt ad committẽdum prælium nauale statim emitti potuerint, vnde de reliquis quoque, quæ de hoc genere dici possunt, facilis fiet cõiectura. Remigib. nõ destituuntur, cũ omnia oppida maritima, ipsæq; adeo Venetiæ horũ affatim suppeditent, vt & militũ ex agris lectorum, quantum opus est.

Præfecti atque Capitanei nauium maxima ex parte leguntur è Patriciis vel Nobilibus Venetis, quorum ingens est numerus, vt singulæ Triremes præter Comitem (vt vocant) duos vehat Nobiles Venetos, volentes eo pacto exerceri in militia nauali. Nullus rei illis contingere potest inopia, præterquam panis biscocti, cum annonæ est difficultas: quanquam & huic malo mederi nouerunt, cum horrea ac granaria habeant plena omnis generis frumento, è quo facile panes confici possunt.

Ad conseruationem & securitatem Portus & Insularum Ionici Maris perpetuo habent in mari expeditã classem XXXV. vel XL. triremium, cum Prouisore, quem vocant, & Præfecto portus siue Sinus Adriatici: in quam classem ipsi quotannis impendunt L. millia coronatorum, computata simul alimonia & pane biscocto. Hæ autem triremes non solum præstant totum istud mare tutum à Piratis, sed etiam præbent occasionem Nobilitati, exercendi se in re classiaria, quanquam hic quidem multa prælia naualia non committantur, magnopere tamen faciunt ad conseruationem dignitatis Reipublicæ.

Quoties armari Turcas nunciatur, duplicatur harum Triremium numerus, & tunc creatur supremus dux naualium copiarum, cuius nomen ita terrori est Turcis, vt propius ad Sinum istum accedere non audeant: tantum abest, vt ad ipsam Venetiarum Vrbem appropinquent.

Etsi autẽ harum triremium vires satis magnæ sunt, non sufficiunt tamen ad præstandam securitatem omnibus quæ per hunc Sinũ nauigant, triremibus, cum minores naues, quæ nõ longius à littore discedere audent, multoties diripiantur à certo quodam genere Piratarum, quos *Vscochos* vocant, qui circa Segnam & Fleuam oppida Dalmatiæ incolunt, in terris Archiduci Austriæ subiectis. Hi enim Vscochi prosilientes ex insidiis cum nauigiis suis armato milite plenis, admodum molesti sunt minoribus triremibus biremibusque, vt necesse habeat Respublica, quinq; Liburnicis littora ista oberrare, quarum vnicum officium est, vt tutos præstent ab hoc periculo nauigantes: quæ quidem res, quanquam sit magni sumtus exigui prouentus: e dignitate tamen nominis Veneti est, castigare prædones istos.

Non est autem difficile iudicare, quantam Respublica ista possit emittere classem, cũ nullare ad eam necessaria destituatur: non lignis, non armis, non hominibus, non pecuniis; vnde tantam quantam Veneti velint, citra controuersiam instruere possunt nauium multitudinem. Etsi autem à longo tempore vltra centum triremes simul habuisse comperti non fuerint; cum paucis nauibus sine remis: is tamen, qui rem propius considerauerit, facile deprehendet, eò ante annos CC. & CCC, cum nondum ad istum opum & potentiæ fastigium peruenissent, ad reuperandam terram sanctam CC. triremes armatas mittere potuisse, & totidem ad occupandam Constantinopolim, cũ suas cum Gallis coniunxissent vires. Quis igitur dubitabit, eosdem nostra tempestate, vbi longe sunt opulentiores potentiores, instructiores ab omnibus rebus, necesse sit, eundem vel etiam ampliorem armamposse nauium numerum, quanquam hoc non faciant ne simul ac semel de omni sua potentmarina periclitentur. Etsi autem Turcis cedunumero, viribus tamen non cedunt; adeò, vt cetum sit, si à Turcica classe triremes Venetæ lacerentur prælio, has illi nequaquam cessuras: seab hoc Turcæ quidem hactenus superiederun

Modus administrandæ Reipublicæ apud Venetos.

Nunc deinceps videndum est, quo ordine aque ratione administrationis Respublica ihactenus gubernata fuerit, vt perstiterit lõgiuquam vlla alia, quæ quidem ad notitiam nostraperuenit. Nam consideratione dignum est, quapacto fiat, vt sua mole ster firma & inconcussa iter tot bella & furores hostium, vt subditi eiusi cum aliis conferantur, aureum seculum habre possint dici, cum viuant in ocio & tranquillate, crescantque prosperitate & diuitiis singulprope diebus.

Et primo quidem omne id tribuendum esnouimus gratiæ & bonitati diuinæ, cum videtur Deus singillatim fauere huic reipublicæ. Dinde multum sibi vendicat optima administrtionis siue gubernationis ratio, instituta primtus ab hominibus prudentissimis, qui si prisc Græcorum vixissent seculis, bono iure inter prstantissimos Philosophos & Legislatores referpotuissent. Etsi autem hanc Rempublicã Aristcratiam potius ac rectius quam Democratiaappellaueris; dici tamen certo non potest, an dominatio multorum an paucorum: neq; quodominetur vnus aliquis, quamuis suum habeDucem siue Principem. Sic igitur statuunt Polatices periti: constare hanc rempublicam è tribusillis formis vsitatis notisque, vnde composita velut quarta quædam species perfectissima.

Iam primum Maiestatem Imperii repræsentat vnus, qui DVX dicitur, grauitate, splendovestis, dignitate nihil non regium præ se feren

ui videtur in eum finem creatus, vt cæteri in eo
itueantur habitum, vultum omniaq; exteriora
Principis absoluti. Creatur enim electione per
ipsos Patricios & ex corpore Patritiorum, quan-
uam non plus habeat auctoritatis quàm quiuis
lius è primo Nobilitatis ordine. Nam cum Se-
atus habetur, non nisi vnius suffragii ius ha-
et in ferenda sententia, vt & cæteri, nisi quod
eculiariter ipsi incumbit, respondere Legatis
xterorum Principum nomine Senatus.

Nihil ei iniussu Senatus nec pace agere nec
ello licet: ipse Senatum consulit, Senatus Au-
tor decernit, quamuis Decreta Principis no-
ine promulgantur. Licitum est ei, in omnes
ngredi Curias, & ad omnia tribunalia, suamq;
oi dicere sententiam, ita tamen vt cuiuis è Se-
atoribus contradicere sententiæ eius liceat.

Apparet deinde forma Aristocratica siue gu-
ernatio paucorum, non ditissimorum, neque
otentissimorum, verum sapientissimorum, &
ui optime sunt de Republica meriti. Primo lo-
o est Consilium siue Collegium Decemuirale:
uod coniunctum cum aliis quindecim Sena-
oribus & VI. Consiliariis, Præside Duce siue
rincipe, potestatem habet deliberandi atq; de-
rnendi, neq; ea Decreta reuocari possunt.

Tertio multa hic occurrunt, quæ possunt re-
æsentare Democratiam siue Dominationem
ultorum. Nec mihi propositum est, singula illa
eurate persequi: istud duntaxat dicam, Demo-
atiam dici non posse, quamuis multi sint, qui
nstituunt vnum aliquod Consilii Corpus, pu-
CCXXV. qui vere ac proprie appellantur SE-
ATVS: Venetiis vocantur Rogati, *Li Pregadi*, sic-
olim Romæ *Patres Conscripti*. Ratio nominis
, quod primis Reipublicæ temporibus, roga-
ntur sapientiores è ciuibus, vt venirent ad fe-
nda suffragia, & consulerent super necessitati-
us Reipublicæ.

Legitur autem hic Senatus ex alio quodam
iuium corpore, multo maiore atque numero-
re, vnde euocantur prudentiores, & quibus
aior est rerum vsus, cùm per hos decidi opor-
at maioris momenti controuersias, vt res belli
cisve: itemq; cum munienda est Vrbs aliqua
l castrum, cum creandi sunt ductores copia-
m, & Legationes mittendæ ad Principes exte-
s. Perleguntur in hoc Senatu omnes epistolæ,
æ mittuntur ad Rempublicam, & vt vno
rbo dicam, quicquid amplioris est conside-
tionis aut in consequentiam trahi potest, hic
rtractatur.

Videtur autem hic Senatus constituere Rem-
blicam, quanquam reuera aliter sit, quod non
grediantur eum nisi Patricii vel nobilibus
ocreati familiis, quorum conscripta sunt in
mero Senatorũ nomina, neque quisquam in-
re in Senatum potest, nisi ostenderit vige-
simũ
nintum ætatis annum se supergressum: quan-
iam aliquando is habitus sit nonnullis honor,
ante id tempus, id est, anno vigesimo, vel vige-
no primo ingrederentur: verum hoc raro con-
git.

Est autem omnium Patritiorum siue Nobi-
lium, qui in Senatum venire possunt, numerus
MMD. Cum autem magna pars horum extra
Vrbem gerant Magistratus & Officia, aut aliis
auocentur Reipublicæ negotiis, fit fere, vt nun-
quam supra MDC. conueniant, cum frequentis-
simi sunt.

Conueniunt autem hi singulis septimanis se-
mel, die Dominico mane, vt & aliis Festis solen-
nioribus: hic creantur Magistratus, hic distribu-
untur officia publica, omnia quidem ordine
pulcherrimo. Hic eliguntur ex omni numero,
latis viritim suffragiis, qui debeant recipi in Col-
legium eorum qui Rogati vocantur: quique in
sanctius Consilium siue Collegium Decemui-
rale, vbi semper potissima ratio habetur sapien-
tiæ. Et quanquam multum Fortuna posse vide-
atur in obtinendis dignitatibus, hic tamen sola
valent merita: vt nemo candidatus, quem am-
bit, adipisci possit Magistratum, nisi media pars
Senatus ita censuerit.

Possem hoc loco copiosè ostendere, quo v-
tantur Veneti in creandis magistratibus ordine,
quam commode, pacate, suauiter omnia fiant:
sed danda est opera, ne nimia prolixitas Lectori
tædium afferat: ad alia igitur properandum atq;
dicendum est, quo pacto in cæteris quoq; rebus
Senatores Veneti administrent Rempublicam.

Admittunt ergo nonnunquam iuniores ad
deliberationes in causis Vrbanis, quæ res mul-
tum facit, ad inuitandam iuuentutem, vt omissis
ludicris ad res graues & Reipublicæ vtiles ma-
ture conuertant animum, suoque velut iuuenili
feruore senum frigidiora calefaciant consilia &
sententias.

Postremo mira & laude digna hic inter o-
mnes animaduertitur æqualitas, non habita ra-
tione diuitiarum aut paupertatis, quod & fit in
distribuendis officiis cuiusmodi sunt præfectu-
ræ extra Vrbem, in arcibus, oppidisque, & simi-
libus, vnde emolumentum potest percipi. Hinc
fit, vt populus optimo sit in Nobiliores animo,
seque libenter his submittant, eos obseruent co-
lantque; contra Nobiles suscepto Plebis patroci-
nio, eidem placere studeant, plebeiosq; aliquan-
do ad eadem officia honoresq; promouent, qui-
bus ipsi fungi solent.

Habet autem Senatus Venetus magnam ra-
tionem paupertatis publicæ, cui omnibus mo-
dis occurrere nititur. Nam dat omnem operam
per Agoranomos, vt tolerabili precio vendatur
cum panis tum cætera, quæ ad alimoniam ho-
minis necessaria sunt: vnde mirandum non est,
plebem æquo animo & prope sine contradictio-
ne subire omnia à Senatu imposita onera. Sed &
cæterarum vrbium ciues huic Reip. sunt admo-
dum fideles, quod Gubernatores earum, qui iis
Senatus nomine præsunt, iuris æquiq; maximam
habeant rationem, & Vrbium salutem omnibus
modis promoueant: qui si bene præfuerint, de-
cedentes Magistratu domum reuertuntur cum
certa spe, adipiscendæ maioris dignitatis: qui
male gesserunt rem, acriter puniuntur.

Altera ratio, ob quam populus amat Venetorum rationem administrandæ Reipublicæ hæc esse videtur: quod non exhauriuntur nimiis exactionibus, vt fit in plerisq; vrbibus Tyrannorũ iugo oppressis. Ex his igitur, quæ diximus satis apparet, quænam sit forma Reipublicæ Venetæ; qui plura de ea scire desiderat, is legat librum Contareni, vbi satisfaciet curiositati suæ.

Porro si hanc institutam comparatione cum aliis Rebuspublicis cõferre voluerimus, quæ ante eam fuerunt, non quidẽ ratione magnitudinis & potentiæ, sed quod ad internam gubernationem, formam & rationem, adeoq; bonas leges attinet: deprehendemus, hanc cæteris omnibus multum præstare, quod dici non possit, administrari Rempublicam Venetã ab hominibus prædæ & sanguinis humani auidis, quod de illis vere perscriptum est: Sed quod ab ipso Creatore rerum omnium fundata, & à sapientissimis hominibus ornata atque instituta sit, ad eam, in qua persistit perfectionem. Optime nos quidem hic vtemur exemplo Reipu. Romanæ. Hi enim, etsi totum prope terrarum Orbem sibi subiecerint, libertatem tamen suam non vltra DCC. annos tueri potuerunt. At Veneti, cincti vndiquaque potentissimis hostibus, qui huius Reipublicę interitum omni quæsiuerunt conamine, cum vix vllo vicino Principe amico vterentur, per mille ducentos annos liberam integramq; potuerunt conseruare suam Rempublicam, vt hæcaliquando sola restiterit immani potentiæ Turcicæ, aliquando pluribus Regibus Principibusq; fœdere iũctis. Neq; profecto vel hoc æuo videre possum, quænã vires satis validæ esse possint, ad eam vincendam ac pessundandam, nisi Discordia, fatale malum Rebuspublicis eam inuaserit. Quod ne fiat, potissima pars Patrum magna vigilantia cauet. Et quamuis non desint, qui existiment, ob ingentia scelera & flagitia, quæ quotidie Venetiis committuntur, eam diu duraturam non esse, sed tempestiue rituram: opponunt tamen alii, Magistratuum diligentiam in iis opprimendis, & multorum piorum hominum preces & religionem.

19 Nunc, cum vix vllum corpus tam perfectum reperiatur, quod non aliquem næuum habeat, videamus quid nonnulli in ea republica desiderent.

Primo aiũt prouincias, vrbes & oppida, quas Veneti obtinent, adeo abundare populo, vt ad alendam tantam multitudinem opus habeant, ab aliis locis peritam inuehere alimoniam, vt nisi commoditate maris vterentur, cuius beneficio ingens tritici farrisque vis Venetias aduehitur; perpetua cum fame conflictandum foret, qua quidem re nulla populo potest accidere acerbior. Et hæc præcipua ratio est, quæ illos mouet, vt pacem cum Turca factam, tanto studio seruent colantque, cum ex eius regnis ac prouinciis plurimum frumenti conuehatur Venetias. Eandem ob causam maximi faciunt amicitiam Regis Hispani, qui eis multoties permittit frumentum ex Sicilia Apuliaque.

Deinde aiunt eos in hoc peccare, quod in bellis potissimum vtantur peditatu Italico, cum tamen hic multum de pristina gloria sua perdiderit, ob magnam diuersitatem inter antiquum & modernum pugnandi genus: vt nequaquam præstent eam in pugnando constantiam, & in seruandis ordinibus peritiam, quam Heluetii cæterique Germani: vnde putant multo rectius facturos Venetos, si peditatu ex Heluetiis Germanisque conscripto vterentur.

Tertio id crimini dant, quod non eligant summum copiarum Ducem ex seipsis aut ciuibus suis, sed extraneum, quod est se ipsum alterius arbitrio permittere: quod ve nimium a genti insumant in Fortalitia atque munimenta quod subinde à bellicosis hominibus nouæ inuentiones oppida inuadendi excogitentur, vna muniendi ratio subinde mutanda est: quo quidem exhauritur Fiscus, & diminuuntur vires Reipub.

Verum his malis omnibus potest facile affer remedium, cum ipsi Senatores alium scopum non habeant, quam conseruandæ Reipublicæ in pace & libertate. Neque vero multæ sunt inter eos turbæ ac rixæ, cum offensiones non nant in apertas excrescere inimicitias, sed multates illas è vestigio sopiant, vel amica compositione, vel auctoritate Collegii Decemviralis. Accedit quod nemo Patricius Nobilis præ cæteris ad tantas ascendit diuitias, aut potentiam, vt Tyrannidem sperare aut desidere possit: sed student vniuersi paci & concordi.

RELIGIO VENETORVM.

Habentur Veneti firmi bonique Catholici cum ipsi tum eorum subiecti per Italiam. Q vero Corcyram & Zacynthum Insulas inc lunt, Græcorum sequuntur ritus cultusque tionem. Nec his ideo molesti sunt Veneti, causam habeant seditionis, & Latinorum dom nium excutiant, quanquam luparum Corcyr sibus iniectum sit per arcem munitissimam I sulæ & præsidium in ea. Idem de Creta Insula cendum est, vbi quamuis non pauci sint Roma næ Religioni addicti, cæteri tamen omnes Gra cos cultus obseruant.

De Vrbibus & Fortalitiis, quæ Venetorum agnoscun imperium, per Italiæ continentem.

Brixia Vrbs est Longobardiæ, sub Reipubl cæ Venetæ dominio constituta, satis elegans & celebris, non tam ob ambitum murorum & multitudinem populi, cum in vniuersum vix L millia capitum in ea inueniantur, sed obiuri dictionis suæ amplitudinem, quæ multas com plectitur valles populosas & oppida aliquot ne quaquam contemnenda, quibus Brixia domi natur, inter quæ primi nominis habentur Asol & Salum, in ripa Lacus Benaci, qui Germani *Gard-see* dicitur: inter valles autem eminet Ca monicana, quæ in longitudine habere dicitu

L, mil

L. millia pass. plena habitatoribus. In eiusdem
urisdictione etiam comprehenduntur Lacus
lsæus & Hydrinus.

Alluit Vrbem Brixiam paruus fluuius, nomi-
ne Garcia, ab aliis Mela dictus, qui ei non mul-
um præstat commoditatis. Ipsa Vrbs vetustissi-
ma est, quæ semper antiquum suum nomen reti-
uit, olim caput Cenomannorum populorum,
stque adhuc hodie satis culta, plena mercatori-
us opulentissimis, validis munita muris, arce
perbiens munitissima: quodque maximam ei
elebritatem affert, est, quod cines habeat lau-
s, nobiles, solertisque ingenii, inter quos qui-
am gaudent titulo & honore Patriciorum Ve-
etorum.

Quanquam autem, vt & superius diximus, rá-
one amplitudinis & cinctus murorum spacio-
simis maximisq; Italiæ ciuitatibus adnumera-
non possit, secundum tamen locum obtinet
er Ciuitates Longobardicas, ob dominii &
rritorii amplitudinẽ, cui Vrbs ipsa dominatur.
anquam Magnus Geographus de multitudi-
incolarum longe aliter sentiat, qui eam mul-
populosiorem facit, quam supra perscriptũ est.
Patet Territorium Brixiense in longitudinem
ll. C. à Limone Benaci Lacus vico ad Vrcea-
m oppidum. Latitudo est milliarium L. à Mo-
sq; ad Dialengem. Situs est hic ager inter Be-
cum Sibinumq; Lacus, abundatque populo,
m multa in eo sint minora oppida, vici atque
gi, pleni agricolis & pecuariis optimis: Fertilis
ra modum & vber omnibus ad vitæ neces-
os vsus vtilibus, tritico, reliquisque frumen-
eneribus, vino, oleo, milio aliisque legumi-
us, vt & fructibus diuersarum specierum, ne-
e carens ferri ærisque fœcunditate, vnde co-
is pariter ciuibusque in vrbe non exiguum
silit lucrum. Est in eodem Brixiensi agro Vr-
num oppidum, quod Veneti munitissimum
erunt ornatum sede Episcopali, instructum
e, in qua præsidium militum. Situm hoc est in
bus Ducatus Mediolanensis.

VERONA VRBS.

Est Verona Vrbs magna & pulchra, ornata
gnifico & admirandæ structuræ Amphithea-
in qua mille antiquitatis ostenduntur mo-
enta, quæ veterem vrbis testantur gloriam.
tur continere vltra LXXX. millia habitato-
. Non est ingens differentia inter Veronam
atauium, quod ad magnitudinem vtriusq;
is & ambitum murorum attinet: Verona ta-
multo populosior est, vt fere dimidia ci-
parte superet Patauium.
æc causa est, cur Veneti multum impen-
in Vniuersale studium Patauinum, vt vr-
habitatiorem efficiant.

ERGAMVM, VICENTIA, CREMA.

rgamum nomen est Vrbis antiquissimæ, quæ
a est in edito monte, vt per declive pendere
videatur, suburbiis iuxta pedem montis cum ea
cohærentibus & eam velut ambientibus. Nihil
hic videre est, quam varii generis magnificas do-
mus & superba ædificia. Populus est auidus glo-
riæ & honorum, quamuis linguam sonent pin-
guiorem & rusticanam, nec ad Latii aut Hetru-
riæ puritatem accedant. Ingenio sunt præditi a-
cuto & subtili, apti ad percipiendas litteras & o-
mnis generis artes, vt in hoc genere ne Florenti-
nis quidem cedere credantur. Ait Leander Al-
bertus, Territorium Bergamense fertilissimum
esse, omnibusq; rebus bonis abundare, præter-
quam qua in Aquilonem vergit, vbi ob asperitatẽ
montium & scrupos frequẽtes prope sterile est.

Sunt autem per totum illum agrum multæ
valles, interq; alias hæ: Seriana, Brembana, Val-
lis S. Martini, Mancana & aliæ quædam, quarum
nonnullæ gignunt vinum & oleum suauissimũ,
aliæ omnino steriles sunt, nisi quod venas ferri
habent. Quæ vini tritici q; impatientes sunt, pa-
bulum gignunt, ouium gregibus alendis, quo-
rum lana cum tenuis sit, per totam diuenditur
Italiam. Est autem ipsa Vrbs Bergamensis muni-
ta satis, cincta mœnibus optimis, & arce firmata
non contemnenda.

Crema Vrbs est nobilis, amœna & perpulchra, 23
sita in planitie, spacium complectens amplum,
muris circumdata firmis, abundans diuitiis, o-
mnibusque rebus ad vitam vtilibus, habitata
populo, qui sibi ipsi multum tribuit, satis nume-
roso. Ager eius optimus est & fœcundissimus, ri-
uis amnibusque aliquot irriguus. Vinum quod
hic crescit, in prima gloria est, fructus arborum
abundantes & suauissimi. Fluuii qui hunc per-
currunt non oculos tantum liquiditate sua de-
lectant, sed multo magis piscium suauitate pa-
latum, qui in iis optimi, præcipue Lampetræ &
quos accolæ vocant porcellos marinos, quo-
rum gustus omnis cibi suauitatem superat. Non
admodum late patet ager Cremensis, sufficit ta-
men in alimoniam habitatoribus suis.

Vicentia non multum differt à Bergamo & 24
Crema, ratione amplitudinis & numero habita-
torum, potestque certare cum Mutina, quan-
quam hæc habeat peculiarem Principem. Est a-
ger Vicentinus longus amplusque, abundans o-
mnibus rebus ad vitæ sustentationem vtilibus.

FORVM IVLII ET EIVS Oppida.

Fines *Foroiulienſi regioni* hi sunt: ab Ortu Istria: 25
ab Aquilone Montes Iapidei: qua Occasus est,
Alpes Vindelicæ Noricæque terminant: qua
Auster, Sinus Adriaticus. Gaudet autem hæc
regio Ducatus titulo, adiuncta regione Car-
norum populorum, quos olim Liburnos voca-
tos fuisse Blondus affirmat. Forum Iulii dici qui-
dam autumant ab Iulio Cæsare, qui aliquot Le-
giones hac aduersus Germanos duxerit. Blon-
dus autem id nomen ei tribuit ab oppido primi
nominis, Foroiulio, quod penitus destructum
est à Cancano rege Bauarorum. Est autem

hæc proprie atque vere Regio Aquileiensis, nomine accepto ab Aquileia Metropoli, quæ quam ampla potensq; olim fuerit, adhuc hodie testantur eius rudera. Manet ei adhuc vetus nomen, quanquam id vulgus Italicum corruperit, & pro Froroiulio Friulum dicat.

Diuiditur ad Ortum Solis Forumiulii ab Istria intercursu Lisontionis amnis, vel vt aliis placet, Formionis, vel vt tertiis videtur, Albę fluuii, iuxta cuius ostium situm est celebre oppidum Iustinopolis, vulgo Caput Istriæ. Versus septentrionem aspicit Alpes Iulias, & ad Occidentem Rhæticas Helueticasque, & ab eo latere separatur à Marca Tarusina per Liquentiam amnem. Situm eius Leander ita describit, vt dicat incipere à planitie iuxta mare, deinde sensim attolli, & primo quidem cōsurgere in colles, deinde paullatim in montes altissimos, qui eam regionem vndiquaque cingunt, vt ad hunc modum velut corona montium redimita, aliquam Theatri speciem referat, in quod per aliquot angustias patet transitus, sicuti & per Lisontionis amnis ostium adscenditur in Marchiam Tarusinam. Ab omnibus cæteris partibus cingitur Alpibus Iuliis, Carnicis, Noricis, quas transcendere necesse est hac transire volentibus, vel mari nauigiis aduehi.

Inhabitarunt primum hanc regionem Euganei: inde successu temporis Veneti: mox Galli: postea sub Populi Romani fuit imperio, cuius maiestate labascente, in Longobardorum venit potestatem, habuitq; XIV. Duces è sanguine regum Longobardorum, & Duos è Francis, vsq; ad tempora Caroli Magni, sub cuius posterorumq; eius imperio permansit, vsq; ad Ludouicum III. Francorum regem. Ab hoc ad Berengarios deuolutus est Principatus, quos cum deuicisset & cepisset Otho Imperator, donauit bonam eius partem Ecclesiæ Aquileiensi. Huic donationi adiunxit postea Conradus Imperator, reliquam partem Ducatus huius cum Marchionatu Istriæ, estq; horum Imperatorum Germanicorum liberalitate Patriarcha Aquileiensis adeptus dominium totius illius regionis, donec eam postremo Veneti sui iuris fecerunt, quod accidit anno A N.C.M CD XX. qui hodieq; ea potiuntur: licet multa Comitibus Dominisque subsint peculiaribus, qui tamen & ipsi superiores agnoscunt Venetos: adscripti in numerum Patritiorum illius Reipub.

Beant hanc Regionem cœlum temperatum, aer salubris, campi lati, irrigui, fructuumque omnis generis ferriles, exceptis locis quæ Alpibus propiora sunt: alibi prata nitidissima, vites vina generantes optima: Syluæ hic tam materia cædenda quam venationibus munificæ; pascua nutriendis gregibus & armentis læta; Montes Metallorum Marmorumq; variorum, nec non preciosorum lapidum, Berylli, Chalcedonii Crystallique feraces.

Est in hac regione elegans fluuius Idria siue Hydra nomine, vbi sunt argentifodinæ: nec procul inde locus Mons Falconis dictus, vbi scaturiunt aquæ calidæ, vi medica præstantes, quarum & Plinius facit mentionem, easq; appellat *Baln. Montis Falconis*. Alius ibi fluuius est, Tiliauentus nauigabilis, à Montis Mauri radice profiliens haud longe Phorniæo oppido, vbi fons est mirabili vi præditus. Si quis enim lignum in eum coniicit, continuo tota eius substantia mutata in lapidem.

Metropolis huius regionis est Vtinum, V ampla & magnifica, rebus omnibus necessa affluens, non ædificata per Hunnos, vt quid putant, aut per Principes Austriæ, cum vrbis sit antiquior, nec desint, qui eius mentionem pud Plinium fieri credant. Fuit in hac vrbe se Patriarchæ postquam Aquileia per Hunnos ruta fuit, & mater hominum ingeniosorum quorum etiamnum labores doctorum terum manibus. Solent huc Veneti mittere Præsid cum potestate, quem Legatum appellant, vt ciuitatis administret. Ambitus murorum milliarium est quinque, ciuium vero in ea merus XVI. millium.

AQVILEIA VRBS PERANTIQVA eius ager siue territorium.

Sunt in regione Foroiuliensi antiqua rud & reliquiæ Vrbis Aquileiæ, sedis quondam triarchalis Italiæ, quæ olim fuit Vrbs ampla, piosa, mœnibus firmissima, templis, magni Theatro, aliisque operibus publicis & priu supra modum ornata, aliquando etiam dom lium & commoratio Imperatorum. In hac gustus Cæsar audiit controuersiam inter dæos & Herodem Regem, tulitq; sententi vt refert Iosephus Historicus. Hic commor est Tiberius Cæsar cum Iulia vxore sua, qua quileiæ effudit intempestiuum partum. Ho infrequens est colonis, & ad solitudinem pro modum perducta. Ab Attila Hunnorum R totum obsessa triennium, tandem capta, val in cineres redacta est, trucidatis horribili c ad XXXV. hominum millibus, cæteris Gra insulam elapsis. Et profecto nisi hæc Vrbs fir constantia sua Hunnorum conatibus obstiti barbaræ hæ gentes vniuersam percurrissent liam, vt maiorum nostrorum ætate Turcæ A Græciamque. Est ergo nostro tempore Aqu pagus verius quam Vrbs aut oppidum; cer uat tamen adhuc dignitatem suam Patriar tus, illustrata memoria S. Marci, & Sede V rum Patriarcharum.

Est in his finibus Liuentia amnis, cuius fo rigo cum sit ex Alpibus mari nimis propinq ipse fluuius celeriter se condit ipso mari, q cursu rapido ingreditur. In huius fluuii rip castrum Conteanum, itemque Sacile & M oppida. Super Lemonem amnem est Con dia, & Portus Gruarius. Supra Tiliauentum tisarum & Spilimbergum: & non longe ind soppum & S. Danielis Fanum. Supra Natiso est Ciuitas Austriaca, oppidum bonum & c lentum. Ad Lisontionem, Gortia & Grad

iæ omnia parent Principibus Austriacis. Haud rocul ab ostio Timaui conspicitur Tergeste, ppidum validum, vnde totus ille Sinus Terge- inus dicitur.

Sed vt ad Aquileiam reuertamur: hæc post- uam euersa atque pessundata fuit, translata est edes Patriarchalis, Grados, vicinum oppidum, b Gelasio Pontific. Cum autem Veneti multis nis postea obtinuissent Episcopum, fuit digni- s ista ab Ecclesia Gradensi transportata Vene- as, sub Nicolao V. Pontif. Maxim. ita tamen, vt on Venetus, sed retento veteri nomine Aqui- iensis Patriarcha diceretur. Sedes quoque Præ- dis siue Præfecti Foroiulienſis, cum tribunali iudiciis migrauit Vtinum: de qua Vrbe in su- erioribus latius egimus.

ISTRIA.

Huius initium sumitur ab Risano, vel vt aliis icet, Formione amne, extenditur quevsque ad Viti oppidum. Arsiam fluuium habet ab Ortu, id spacii quod inter fines hos intercedit CC. illum instar conficere credatur.

Præcipuæ huius Peninsulæ oppida sunt Iusti- opolis & Rouinium, vtrumque in insula situm ponte annexum continenti; deinde Vinacum, anum, Piranum, Ciuitas Noua, Parentia, Vr- ium, Pola, quæ tempore Strabonis limes erat liæ. Hanc desolatam Veneti replere Colonis pientes, omnibus qui in eam habitatum con- unt, certum agri modum assignant, vnde vi- nt, additis singularibus priuilegiis & immuni- ibus. Interiora oppida, cum sint minoris mo- enti, nobis ne recitanda quidem putauimus.

MARCA TARVISINA, ET QVÆ in ea sint oppida.

Horum primum occurrit *Tridentum*, elegan- ante cætera huius tractus, celebritate vero minis super multa ac pleraq; vicina: vbi cõmo- i fuere multi viri Principes, Cardinales, Pa- rchæ, Legati ab Latere, Archiepiscopi, Epi- pi, Abbates, Oratores & Legati Regum, ma- orumq; Principum totius prope Orbis Chri- ni, præsertim iis annis, quibus Concilium ce- ratum fuit in hac Vrbe Vniuersale & Oecu- nicum, non tantum vt crescentibus hæresi- s fretur obuiam, sed & vt mali ac pernicioſi rigerentur mores, qui apud plerosque Chri- ni nominis professores altas egerant radices, præiudicium & impedimentum Religionis. fert Hieronymus Capugnanus sua Italiæ To- graphia, Synodum illam Generalem conuo- m fuisse ad Templum Magnificum Matris ginis in vrbe Tridentina, in quo templo fer- quiescere corpus infantis Magni illius Iu- orum Sacerdotis Simeonis, qui olim à Iu- s trucidatus fuit. In hoc ipso fuit sepultũ auer Hieronymi Cardinalis Scripani, qui rtuus fuerat durante Synodo, homo de Ec- ia bene meritus, versatus probe in omni ge- escientiarum, clarus ob vitæ innocentiam. Habent autem Canonici huius Ædis Sacræ, qui plerique omnes Illustribus aut Nobilibus sunt nati familiis, ius ex seipsis creandi Episcopi, qui Dominus est Vrbis tam in sacris quam pro- fanis, vel, vt loquuntur, tam in Temporalibus quam Spiritualibus, & simul S. Imperii Princeps, quam dignitatem successiue habuerunt Chri- stophorus & Ludouicus Madruccii fratres, & postea Hildebrandus eorum Nepos. Habent ta- men & Veneti ius quoddam in ciuitatem, & to- tum agrum vicinum, quod minime negligunt. Cingitur Vrbs mænibus satis validis, nec non vallo atque fossa, nuperque adeo præsidium mi- litum ei impositum est, ob motus Rhæticos & bellum in Valle Tellina: quod idem Veneti quo- que fecerunt in omnibus Arcibus & Fortalitiis, quotquot in continente Italiæ possident.

Descriptio Taruisii Vrbis. 29

Est Taruisium ex antiquissimis Reipublicæ Venetę vrbibus, quippe quam exttuctam ferunt ab Osyride tertio Argiuorum rege, quem decem annis in Italia regnasse aiunt, adoptatum deinde à Dionysio in filium & hæredem totius Ægypti. Cumque post eius mortem certus quidam bos Ægyptiis apparuisset, rati Ægyptii eum Osyri- dem fuisse, diuinos honores boui decreuerunt, eumque Apin vocauerunt, vnde aiunt Tarui- sium Vrbem primo Apin appellatam, quod haud dubie ab Osyride ædificata fuisset. Et sane visuntur hinc inde per Vrbem multæ peranti- quæ picturæ, inter quas apparet figura Bouis siue Apis, quam rem Taruisini firmiter tenent me- moria, & peregrinis ostentant, vt eo pacto anti- quitatem suæ Vrbis adstruant.

Alii originem vrbis ad socios Antenoris Tro- iani referunt: quod quidam de Troianis faten- tur, de Antenore negant, sed aiunt, Troianos quosdam è Paphlagonia in Italiam nauigasse, cumque sibi sedes quærerent, illic Taruisium vrbem extruxisse.

Perbelle omnia, atque eleganter. Quis enim non videt cuncta ista de repetitione tam longi temporis ab Osyride & Troianis fabulosa esse? Nos igitur nugis istis valere iussis, libenter fate- mur, Taruisium multis annis ante manifesta- tum in carne Deum structum fuisse. Cæterum ipsa Vrbs, amplitudine & dignitate non multum cedit Patauio; & quanquam insula ipsa videri possit, quod ab omnibus partibus circundetur aquis vt vel harum patrocinio capi non posse per vim videatur: habet tamen muros validos at- que crassos, inq; iis constitutas machinas æneas non paucas, quibus longe propellere atque ar- cere possunt vim hostilem, vt hac ratione satis munita esse videatur.

Fuit priscis temporibus, cum Vrbi huic Tu- rioni nomen esset, testantibus etiam id armis si- ue insignibus Vrbis, vbi in æquore albo pingun- tur tres turres cum pinnis muralibus in fastigio. Elegerant autem sibi in nobilissima hac ciuitate, quæ cæteras omnes huius Marchionatus splen- dore superat, Lombardici Marchiones sedem atque domicilium, vnde fluxit denominatio, vt

posteri

posteri eorum aliquot seculis se appellauerint Marchiones Tarusinos: Erantque in hoc Marchionatu antiquitus sex oppida florentia, quæ tamen nostra ætate ad quatuor redacta sunt, cum paucis quibusdam arcibus, quæ tamen olim magno fuerunt numero.

Porrigitur hæc regio ab Oriente in Occidentem per quadraginta millia passuum, à Meridie vero in Aquilonem ad millia quinquaginta. Fuit hæc primum sub dominio Hunnorum, deinde Longobardorum: deinde adepta est peculiares Regulos, qui ei aliquandiu imperitauerunt. Hi tamen postea profligati fuerunt per Scaligeros & Carrarios, quorum Tyrannidem Marca Treuisana satis diu perpessa est, donec anno A N.C. M CCC LXXX. omnia oppida, vici, arces, pagi, sponte se dediderunt in fidem & clientelam Reipublicæ Venetæ, in qua hactenus constanter permanserunt, nec dominos mutare voluerunt. Amplexi Religionem Christianam Tarusini ædificauerunt egregium Templum in Vrbe sua, dedicantes id Petro Apostolo, insuperque arma ciuitatis suæ mutauerunt, deletis tribus nigris turribus pinnatis in æquore albo, & substituta cruce alba, quæ clypeum rubeum quadrifariam interlecat, additis duabus stellis. Anno à nato Seruatore nostro M CCC XVIII. fundata est in hac Vrbe Academia siue studium Vniuersale, prope eodem tempore, quo etiam Vniuersitas Patauina erecta fuit. Alluit Vrbem Silis fluuius, eo deductus ob claritatem & pulchritudinem aquarum fontanarum, ab altis montibus per certos quosdam aquæ ductus & Canales subterraneos.

Ab Oriente lambit eam egregius fluuius Anax, nauigabilis quidem, per quem multæ bonæque merces in Vrbem inuehuntur, cum magno numero alimoniæ, inprimis frumenti.

Abundat autem omnis hic ager mirum in modum non solum rebus necessariis, sed & quæ habet, optima habet: inprimis vitulis & Cuniculis Tarusinis tribuitur caro quam alibi suauior atque delicatior, vnde à diuitum tantum mensis appetitur: de rebus terra nascentibus, superius diximus.

Ædificia apud Tarusium multa sunt excellentia & magnifica, Nobilitas quoque tam frequens, vt olim in ea numerati fuerint CCC. Nobiles viri, partim Domini partim Præfecti vicinarum arcium & oppidorum, qui tamen vel habitare Tarusii voluerunt, vel eo liberos suos miserunt, vt exercerentur, vel in litteris, vel in armis, vel in vtrisque. Est enim ager vrbi proximus incredibili amœnitate, nec puto quicquam ad vitæ suauiter agendæ & in deliciis complementum optari posse, quod non vel in vrbe vel in agro, tota Marca Tarusiana inueniatur: vt adeo non absre à quibusdam appelletur Delitiæ Italiæ.

Quarto à Venetiis milliari, qua interiora continentis Italiæ petuntur, occurrit paruum oppidum, nomine *Almita*, quod ædificatum fuit per Antonium Thiorenum, postea vero destructum per Attilam Hunnorum Regem. Inter Veneria autem & Patauium est vicus satis elegans & copiosus, cui *Nouale* nomen est, cuius incolæ ceteris habiti sunt opulentiores cæteris.

Hinc si te in septentrionem conuerteris, v debis antiquum vicum *Asasonium* situm supe exiguum montem. Fuit hic olim colonia Romanorum, habuitque posterioribus temporibu eum in delitiis Regina Cypri, cum Veneti commoraretur: quæ & ad quartum lapidis i ctum ab eo, loco pulcherrimo, extruxit caste lum, in quo sunt salientes fontes pulcherrim cum piscinis non paucis, estque loco illi prae pua amœnitas. Ab latere enim septentriona vsque ad Alpes attollitur humus multis coll bus, è quibus fonticuli scaturiunt prope sine n mero, quorum decursus totum eum terræ tr ctum supra modum feracem reddit tam vi quam frumenti.

Inter fluuios Anacem & Elinantiam versi Orientem occurrit aliud oppidum, modicu istud quidem, quod partim in colle situm e partim in plano, Nomine *Colleglanum*, cuius æd ficia vel cum magnis vrbibus de pulchritudi certare possunt. Cœlo vtitur supra modum du ci & clemente, vt raro ibi dominentur mor contagiosi, quæ causa est, vt populo sit affluent simum, confluentibus etiam eo crebris merc toribus, inprimis Germanis, cum præter cæte oppidum illud fontes habeat limpidissimos. S lebant olim Veneti in hoc oppido eligere P mum Magistratum in Continente, vnde app ret, id non leuiter æstimari ab ea Republica.

Trans fluuium Elinantiam, qua in Oriente te vertes, descendendo versus Mare Adria cum, occurrunt multa parua oppidula, cuiusm di sunt *Collate*, *Nemesia*, *Castellum S. Saluatoris*, cu nonnullis aliis, quibus origo est à Nobilissim familiis Comitum Collatinorum & Opiterg rum. Haud procul etiam est *Motta* oppidum, p tria Alexandri Cardinalis, cuius natalis il- lam celebrem reddidit: quanquam auctor eius sit incer- tus.

DE INSVLIS MARIS MEDITERRANEI, ADRIATICI ET IONICI, QVÆ SVNT SVB DOMINIO VENETORVM.

SVMMA CAPITA.

Creta siue (vt hodie vocatur) Candia Insula: eius longitudo, latitudo, ambitus, situs, limites.
Corcyra Insula, quæ hodie Corfu dicitur: huius ratio situs, limites, longitudo, latitudo, quando sub imperium Venetorum redacta. Abundat melle & cera, fertilis oleo, pomis aurantiis & citriis, nec non vino. Natura Caldarii fontis. Incolæ sequuntur Græcorum Religionem.
Cephalenia Insula, eius amplitudo & ambitus.
Zacynthus Insula, huius situs, magnitudo, circuitus.
Sinus Veneticus, & error quorundam circa eum.

CRETA SIVE CANDIA INSVLA.

SIt hæc ex famosissimis Insulis totius Maris Mediterranei, situ adeo pulchro & comodo, vt facta à Natura ipsa videatur, ad obtidum imperium Maris Mediterranei & vicium vrbium littoralium Europæ, Asiæ & Aæ. Nam versus Austrum distat ab Ægypto, pars est Africæ, milliaribus CCCCL. Versseptentrionem Archipelagus Insularum carum obiicitur; qua Sol occidit vicinam et Cyprum, quingentis millibus inde ditem; suntque ex Cypro in Syriam non nisi miliia.

ongitudo eius putatur esse CCLXX. mill. itudo L. Ambitus DLXXXVIII. quanquam ac dimensione Geographi varient. Situs eius paulo Orientalior quam Peloponnesi, cum sit inter Atticam regiunculam Græciæ, & enen Africæ, possitque via bidui vel in illam n hanc è Creta nauigari. Regio omnis aspet, montibus vbique horrens, crebra in Mare ttens Promontoria inter quæ præcipua sunt, nostro tempore nouis appellantur nomini: *Caput Salomonis: Caput Spadæ siue gladii: Caput hannis:* & hæc duo quidem sunt velut extremi es Insulæ, alterum versus Orientem, alteversus Occidentem.

Pars Meridionalis asperior est & montosior, ecta Austri flatibus parum salubribus, vnde ida maioris momenti in ea non sunt. Moneius nobiliores sunt tres: *Ida*, qui *Psiloriti* acs vocatur: deinde Montes *Leuci*, qui Plinio *ssi*, à Cretibus modernis *De Madara* dicunpostremo *Dicta*, qui hodie *Sethia* appellatur. montibus tota secundum longitudinem incatur Insula, inprimis Dicta, cui magna ascriptores celebritas, non solum ob prouen. Dictamni, sed & aliarum herbarum medirum.

Narrat Bellonius in suis obseruationibus, non nisi tres vrbes celebriores in hac nostro æuo reperiri, cum olim centum habuerit, ea de causa Hecatompolis à Poetis Græcis nominata. Vrbium nomina hæc sunt: *Candia*, olim Matiú, totius Insulæ primaria, quæ & inde nomen accepit: *Canea*, olim Cydon: & *Retimo*, antiquis Rhetymna dicta. Tantum mutatur ab Illa. Portus Rhetymnensis paulo incommodior est: at Canea & Candia commodissimos habent.

Fluuii hic nulli sunt nauigabiles, magni tamen riui, inprimis in septentrionali parte, vbi fluunt Melipotamus, Scatinus, Cladilis, Epicidomus, Giffo, Diuotro. Versus Occidentem est Nopuliar, & versus meridiem Limens.

Diuitiæ Insulanorum consistunt in pascuis conuallium, vbi plurima nutriunt armenta: sed & è diuendito vino Cretensi plurimum argenti percipiunt, quod vinum propter exquisitam bonitatem toti prope terrarum Orbi notum est.

De imperio huius Insulæ ita habet. Balduinus Comes Flandriæ idemque Imperator Constantinopolitanus dedit eam Marchioni Montisferrati, à quo vendita est Veneris anno MCXCIV. immani auri precio, quorum dominium adhuc agnoscit. Videtur autem hæc Insula facta, vt dominari possit toti Græciæ, quod non longe dissita sit à Peloponneso, totique mari Græco imperitare queat. Quâ de causa mittunt Veneti non solum tertio quoque anno Gubernatorem in hanc Insulam siue Præfectum cum Proregis potestate, è numero Patriciorum, sed & ductores copiarum ac milites præsidiarios, quibus non arces solum & littora Insulæ muniuntur, sed & naues instruuntur. Habent enim præsidia numerosa & ad resistendum sufficientia, quod in perpetua sint diffidentia ob Turcam & Hispanum; nec hæc solum, sed & armamentaria instructa satis ad Portus maris & Fortalitia, quibus non desunt tormenta maiora & cætera necessaria.

Etsi autem montosa est, valles tamen habet fertilissimas, cum irrigentur innumeris riuulis, qui de montibus iucundo murmure præcipitantur, & campos pererrant. Vinum hic ex incolarum sententia prouenit, quod ipsi Maluaticum vocant. Lactis hic abundantia, vt & carnis, vt non iniuria ab antiquis *Insula Felix* appellata fuerit. Cupressi hic felicius proueniunt, quam vspiam alibi, vt & aliæ arbores ad fabricandas triremes, quæ res Senatui Veneto apprime vtilis est. Insula omnis Lupum, Vulpem, Serpentem aut omnino animal noxium, præter Phalangium natura non habet, quanquam ne hi quidem in Creta tam exitiosi sint quam in Apulia

aut

aut alibi. Abundat Capreis, Damis, Ibicibus & Capricornis, qui magnitudine quidem capram non vincunt, carnis tamen pulposæ tantum habent, quantum mediocris ceruus; pilum habet toto corpore fuluum, barbam nigrescentem. Capitur hic aliquando, cum tener est & paruus, vt nutriatur inter caprarum greges, fiatque admissarius, vt inde procreentur pulchriores & gustu suauiores hædi. Adultus capi difficulter potest, cum nimia agilitate pedum & ceruos & canes cursu superet, ad centesimum enim passum odoratur insequentes se venatores.

Vt igitur hunc capiant, deligant ad aditum aliquem montis capram domesticam: huius odore allectus Capricornus accedit, & à latentibus venatoribus sagitta verberatur: quæ nisi mortalem ictum afferat, etiamsi veneno tincta sit, nihil tamen damni vitæ eius affert, nouit enim curare plagam Dictamno herba, quæ adeo aduersatur venenis, vt serpentes aliaque virosa animalia necare potis sit.

Sunt Cretenses ad quoduis maleficii genus natura proni, & iam olim vetustissimo prouerbio mendacitatis nomine notati: fraudulenti insuper, rapaces, auari, laboris fugientes, nullasque artes exquisite discentes.

Et tales quidem olim: hodie naturæ impulsu & ab ipsa pueritia Scythico arcu se exercere solent, vt etiam Turcas ipsos sagittandi peritia superent: quinetiam dextri, agiles & strenui in pugnis marinis sunt, sicut olim.

Porro ipsa Vrbs Candia, vnde nouitium nomen Insula sortita est, sicut & Canea, munitissimæ sunt, tam naturalis situs beneficio, quam arte humana: Rhetymna vero & Sitia fortes dici non possunt, nisi solo situ. Est apud Candiam Armamentarium fabricandis nauibus, omnibus rebus instructissimum.

Fuit olim tanta Cretæ Insulæ potentia, vt velut iniecto freno totam compescere Reges Cretenses potuerint Græciam: nam Cretenses putabantur esse optimi sagittarii totius mundi. Regnante apud eos Cydone, inuentas apud eas tradunt saltationes Pyrrhicas, quas adolescentes armati magno cum sudore desultabant.

Fuit autem huius consuetudinis tanta pertinacia, vt etiamnum duret apud agrestes Candiotas, vt iuuenes rustici festis diebus publice choreas agitent, saltantes Pyrrhicam, armati, ipso meridie, cum Sol intensissime feruet, nihili facientes vmbram, sustinentes dorso pharetram plenam sagittis, altera manu præferentes arcum, altera nudatum gladium.

Qui inter Græcos olim fuere populi præstantissimi, leges suas à Cretensibus acceperunt, teste Platone & post eum Plinio, quas omnium optime obseruauerunt Lacedæmonii. Habebant inter alia Legem quæ iubebat infantes in publico ali, vt pauperes, videntes liberos suos eodem modo ali quo diuitum, minus causæ haberent iis inuidendi. Accedit & alia causa, vt duro educationis genere pueri adsuescerent patientiæ armorum & inopiæ, vt discerent, cum vsus ferret, tolerare æstum, frigus, famem, sitim & vigilias, vtque adsuefierent à tenerisad arcum, gladium & omnia belli exercitia.

CORCYRA INSVLA, HODIE *Corfu*.

Fuit *Corcyra* Insula, quæ hodie *Corfu*, olim n bilis, bello & nauibus inprimis potens. Sita in mari Ionico, respicitque Italiam ab eo lat vbi Calabri habitant, vicinam habens ab S ptentrione Epirum siue Albaniam, à qua n nisi vno milliari Italico distat, vbi respectat E throtum vetus oppidum: cum tamen ab H drunto Italiæ, oppositio Corcyræ LX. mill. sit. Fuit hæc Insula olim velut pila & ludibri eorum, qui alii post alios maris imperium ob nuerunt, vsque ad annum A N.C.M CCCL XXII. cum Corcyrenses, videntes se expos omnium iniurias, dediderunt se in fidem & entelam Venetorum, qui eam strenue adu sus Turcarum rabiem defenderunt, eamq; n nimentis nouis adeo firmam effecerunt, vt pugnari capiq; vi posse non videatur. Longi do eius multo vincit latitudinem, constituit velut semicirculum, aut nascentis cornua Lu habens duas extremitates ceu promonto quorum id, quod occidentem respicit, voca *Caput Leucinum*, à quo non multum distat in dem sinu *Caput Blancum siue Album*.

Alterum Aquilonem respicit, nomen hens à *S. Catharina*, vbi est Portus Cassopen Tertium Acron mediam Insulam obtinet, b ipsum oppidum *Corfu* situm est, vnde excurrit tus in apicem quendam, à S. Nicolao deno natum, recta ex aduerso Insulæ D. Viti & Can loniſſæ, complectiturq; totum illud spaciu Puncto Leucino vsque ad Portum Cassopen veram totius Insulæ longitudinem, quæ co tuit LIV. milliaria Italica. Latitudo autem, fa initio à Castro S. Angeli, est quasi milliarium licorum XIV. Ambitus ergo eius faciet circi milliaria LXXX; quanquam sint, qui nescio q modo mensi, ei CCC. tribuerunt. Diuiditur quatuor Præfecturas, quarum prima quæ in rientem vergit, appellatur Leucina: quæ Oc dentem respicit, Laguirana: tertia est Præfec ra media; & quarta vocatur Lorocana.

Corfu oppidum caput est totius Insulæ & al rum oppidorum castrorumque, quibus om bus Veneti sine exceptione dominantur. Alte huius Insulæ oppidum dicitur *Pagiopolis*, p *Palæopolis*. Portus oppidi Corfu satis est ampl & capax quantumuis multarum nauium. Su & alia loca, quibus ad litrus adnauigari pote quos & portus appellare queas: veluti Cassope sis, Siderensis, Timonæus, Guniæus, Spilen & Euripensis, sed vel angustiores sunt recepta dis multis nauibus, vel periculosi ingressuris, primis Siderensis & Timonæus. Hæc est illa c cantata in Odyssea Homeri Insula Phæacum, v regnauit Alcinous cum Nausicaa filia, qui ce

bi

es illos hortos possederunt, vt norunt qui
etas l. gerunt.

Est autem Corcyra qua Austrũ spectat mon-
sa, & densis vepretibus scabra, vincunt tamen
peritatem riuuli campos pererrantes, quales
nt Pinitius, Mesongius, Euripus & Potamus.
ersus Aquilonem plana est & campestris, exce-
o vno monte, qui in mare excurrit, in cuius
mmitate est extructum Castellum, quod
ouum appellatur.

Haud procul à Palæopoli fons est, nomine
Machius, qui tam vbere è terræ visceribus pro-
t vena, vt eius aquis non solum oppidi Corfu
colæ aquentur, cum aqua oppidi sit crassa &
culenta, & ob eam causam minus salubris, vn-
ciues hanc vrnis doliisque plenis in vrbem
portant; sed etiam ingentes naues onerariæ &
remes hinc sibi de limpidissima ac saluberri-
aqua prospicere queãt. Nec procul inde ab-
t salinæ, quibus nobiliores non habet tota
inia, soluuntq; Cretenses beneficio salis hu-
potissima Reipublicæ Venetæ vectigalia.
eterum in freto, quod inter Promontorium
æopolitanum & Necrothalassum intercedit,
uus est sinus, quem iure Ichthyotropheion
imorum piscium nominare possis, quotquot
nari mediterraneo capiuntur. Accedit quod
per hyemem sit statio fulicis mergisque gra-
ma, vnde non infrequens harum auium ca-
ra: Porro Cæli in hac insula mira clementia,
fit, vt ipsa Nemora ex Citris, Medicis, atque
enus arboribus constent.

Ager circa Corfu oppidum multum gignit
llis & ceræ, vt & vini magnam copiam, præ-
ia tamen laus est oleo, quod vix vspiam inue-
it melius. Frumenti genus omne gignit hæc
la, nec patitur aut alit lupos, vrsos, aut vl-
animal gregibus noxium, quorum loco
tas suppeditat feras, quas venatores perse-
ntur, quod carnes earum sint esui. Est in hac
Insula Corcyra haud longe à Corfu oppido
talitium præstantissimum, quod non sine ra-
e clauis portus siue sinus illius appellatur;
firmum vt qui id cum mediocri militum
idiatiorum numero obtineat, facile ab in-
su arcere possit quantamuis magnam hosti-
classem.

CEPHALENIA INSVLA.

In Cephalenia Insula neque fluuius, neque
s, sed ne fons quidem est aquæ dulcis, vt a-
alia, quæ domestica non sunt, necab homi-
is importata potantur aqua, quoties siti
quentur, tam vesperi quam mane aperto
stillantis roris guttas excipiant.

ZACYNTHVS INSVLA.

Inter Cephaleniam & Achaiam collocatur
à Plinio. Ager Insulæ frumentum profert
gna copia, inprimis Vuas passas, vt & vinum
Oleumque. Narrat de hac Herodotus, esse in
illa fontes, qui vna cum aquis euomant picem
liquidam magna abundantia: magna hic pascuo-
rum copia & syluarum, vnde Poetæ Latino dici-
tur *Nemorosa Zacynthus.*

DE SINV VENETICO SIVE VENETO, & Erroribus quorundam circa eum.

De Sinu Veneto, quem quidam eundem fa- §
ciunt cum Adriatico Mari, ne quis se ipsum de-
cipiat, sciendum est, eos qui in Orientem naui-
gant, totum Mediterraneum mare diuidere in
tres Sinus Principales. Primus dicitur Sinus
Leoninus, per quem intelligitur tota illa pars
Maris Occidentalis, ab Insula Sardinia, vsque ad
fretum Herculeum siue Gaditanum.

Altera pars Mediterranei Maris est verus pro-
priusque Sinus Venetus, complectiturque quic-
quid est spacii inter Maltam Insulam & Pro-
montorium Creticum S. Iohannis, habens pro
limitibus ab Aquilone Cephaleniam & Za-
cynthum Insulas cum Peloponneso, & ab Au-
stro Africam.

Tertius qui & periculosissimus est Sinus, di-
citur Setelensis, incipitque à Rhodo Insula, &
definit apud Promontorium S. Iohannis in Cre-
ta, cinctus his regionibus, Caramannia, Syria,
Ægypto, ipsaque Insula Creta. Archipelagus
Insularum Græcarum, si veterum sequimur de-
scriptionem incipit ab Insula Cithera (hodie
Cerigo) vsque ad fretum Hellespontiacum, &
hæc est longitudo. Latitudo est à Græcia vsque
in Minorem Asiam. In his duobus postremis si-
nubus multa fiunt, tã à Christianis quam à Tur-
cis naufragia.

Dignum autem est obseruatione spectacu-
lum, videre, quoties Turcæ vel Mauritani se in
vitæ constitutos esse periculo animaduertunt, vt
metu vindictæ diuinæ confugiant ad ea remedia, quæ lex Mahometana miseris suppeditat. Abiectis enim omnibus vestibus penitus nudi in puppi nauis lauant corpus, ab summo vertice ad plantam pedis: & sic loti recitant preculas suas: persuasi ex traditionibus Mahometis, si ad hunc modum abluant se totos, nihil in eis remanere peccati, sed eorum animas penitus, vt corpora, mundas, apud Deum esse in gratia.

QVI RITVS ATQVE CEREMONIAE obseruentur in Electione noui Ducis Venetiarum.

Constituto ad Electionem noui Ducis siue Principis Reipublicæ Venetæ die, conueniunt in Palatium omnes Patritii & Nobiles Veneti, qui trigesimum ætatis annum attigerunt, vbi clausis ianuis apponitur vrna, in qua tot sunt pilulæ seu globi quot adsunt viri Patritii, sed globi

illi versicolores sunt, triginta enim sunt deaurati, cæteri albi. Hinc eximit quisque ex nobilibus globum vnum: porro qui albos extraxerunt, in eodem loco manet: qui vero auratos nacti sunt, in aliud ducuntur conclaue. Ibi rursus constituitur vrna, in quam triginta globi coniiciuntur inter quos sunt nouem deaurati cæteri albi. Qui nouem deauratos arripuerunt, nominant quadraginta viros, qui dicuntur Electores primæ Electionis. Rursum hi quadraginta coniiciunt in aliud vas XL. globos, ex quibus XII. aurati sunt, quos qui extraxerunt, dicuntur Electores secundæ Electionis, hi enim denominant alios XXV. Hi viginti quinque extrahunt totidem globos ex alia vrna, inter quos nouem sunt inaurati, & postquam sortiti sunt, qui inauratos adepti fuerunt, appellantur Electores tertiæ Electionis. Hi enim nominant XLI. viros, penes quos est creare Ducem siue Principem Reipublicæ. Et hi XLI. Eligunt eum in hunc modum.

Vbi conuenerunt in loco, vbi frequens Senatus haberi solet, eligunt ex se ipsis tres præ cæteris venerabiliores, quos vocant priores congregationis & duos Secretarios. Restant XXXVI. qui in suffragia veniunt hoc modo. Tres priores (sic dicti) considunt in totidem sedilibus eminentioribus, ibi secretarii vocant XXXVI. illos ordine, vt in scrinium mittant præsentibus prioribus schidia complicata, in quibus quisq; scripsit nomen illius, quem futurum Ducem eligere constituit.

Digresso vnoquoque in suum locum, legunt Secretarii scedulas coram prioribus, deinde faciunt alias schedulas, quot in prioribus nominati fuerunt Duces, nec refert, etiamsi vnus aliquis plura suffragia nactus fuerit: has omnes promiscue coniiciunt in pileum, vnde extrahuntur & ordine collocantur in tabula. Antequam autem extremæ hæ sortes extrahantur, cuius nomen primo exiit, si is est in numero XLI. Electorum, iubetur discedere in vicinum conclaue, tunc priores cæteros percunctantur, si quis quid habeat quod electioni eius opponat. Si quid ei obiicitur, vocatur vt respondeat ad obiecta, quod nisi facere possit, excluditur vt Dux fieri non possit. Si satis commode respondit, iubetur iterum discedere. Et sic de cæteris. Extremus actus hic est. Super scamno eodem constituuntur duæ vrnæ, vna dicitur consensus, altera reprobationis. Mittuntur ergo sortes tam diu, donec XXV. calculi vnum aliquem consensu designent futurum Ducem siue Principem Reipublicæ.

CATALOGVS DVCVM S

VE PRINCIPVM REIPVBLICAE VEN

te, cum breui annotatione rerum quas quisque gesſit durante Magiſtratu.

I. Narrant Annales Venetorum, primu
Populi Principem fuisse *Paulutium Anafestum*,
lectum in vrbe Heraclea anno A N. C. DCX
VII. virum iustitiæ studiosissimum. Præstitit
iuramentum in manus Christophori Patri
chæ Gradensis, se sancte obseruaturum leges
omnia posthabiturum bono publico. Comp
fuit hic, quas habebat controuersias cum Lu
prando Rege Longobardorum, fecitq; ami
tiam cum Ariperto Rege. Equilinos, qui à f
defecerant, partim auctoritate partim armis
obedientiam & officium reduxit, auctoque d
minio Veneto mortuus est, cum præfuisset R
publicæ annis XX. mensibus VI. diebus VIII.

II. Secundus, qui & ipse Heraclex elect
fuit, nominatur *Marcellus Tegalianus*; laudatur r
mine pietatis in Deum, comitatis & modest
ad diligentiam tamen antecessoris sui in gub
natione reipublicæ non accessit. Huius tempo
Luitprandus transtulit Sedem Patriarcha
ex oppido Grado Aquileiam, multum inter
cõcertantibus Episcopis, quorum digladiatio
Marcellus se immiscere noluit, mortuus et
Dux fuisset annis IX. diebus XXI.

III. *Horteus Hypatus* cognomine *Vrsus*, No
lis Heracleensis egregiis factis illustre sibi n
men acquisiuit. Victis à Luitprando Longob
dõ Græcis & Rauenna obsidione cincta, ec
fugit ad hunc Paulus Exarchus, nec frustra
patus enim iterum occupata Rauenna cap
uum fecit Nepotem Regis, occisoque Duce
centino restituit Exarchum. Aquileienses t
bantes pacem publicam repressit, exercuitq
iuuentutem in armis, ipse occisus in sedition
Ieſulanis concitata, Principatus sui anno vnd
cimo mense quinto.

*Anno A N. C. DCCXXXVII. mortuo Hyp
conuenere Patres, & fecerunt decretum, ne eligeretur
lius Princeps, sed vt constitueretur Tribunus milit
cum Principali potestate, cuius magistratus non vl
annum vnum duraret: sed hoc non nisi per quinqu
nium obseruatum est. Anno enim A N. C. DCCXL
rursus ad electionem Ducis progressi Veneti, sem
postea Principes sibi creauere vsque ad nostra tempo
Tribuni autem militares cum potestate Consulari
istud quinquennium fuerunt hi. 1. Dominicus L
2. Felix Cornicula. 3. Theodatus Vrsi filius, actu
exilium, sed reuocatus, continuato etiam in futuri
annum magistratu, quem tamen adire non potuit, m
bo sublatus. 4. Iulianus Ceparcus, Theodati succes
5. Cianus Fabritiatius, quem cum oculis priuassent,
gnitate deposuerunt.*

IV. Quinto post patris sui Vrsi obitum D
fuit creatus *Theodatus Hypatus*, quo quinquenn
Tribuni Militares præfuerunt populo. Hic d
serta Heraclea Malamocum concessit, vbi
p

imum creatus fuerat, ibi conuenit inter eum Aistulphum Longobardorum regem de vtri. q; regni finibus. Postremo iugulatus est per endam Gallam Malamocensem Ciuem anno incipatus sui decimo tertio.

V. Igitur *Galla Malamocensis*, homo nefarius seditiosus, cum pollicitus fuisset fore se defen. rem libertatis publicæ, Theodato subrogatus t. Cognita a. hominis peruersitate, quod affe. ret Tyrannidem, qua de causa & interfecerat eodatum, populus in eũ facto impetu, eruit ulos homini, eodemq; anno potestate deie. qua eam vsurpauerat.

VI. Subrogatus Gallæ Malamocensi fuit *Do. nicus Monegarius*. Huic, ne abuteretur potentia icali, adiunxit populos duos Tribunos. quod mis impatienter ferret, nihilq; de superbia & ogantia remitteret, & ei pariter vt antecesso. uo eruti sunt oculi, quinto principatus no.

VII. *Mauritius Galbaius*, Heracleensis electus famam sapientiæ & iustitiæ, opum insuper, ciuit sibi in Magistratu filium, vt simul duo eessent. Cum eius tempore turbat turEccle. Gradensis, misit Mauritius Legatos ad Ste. anum Papam, vt componeret dissensiones, & nouus Episcopatus S. Petri Oliuolensis ere. s est. Mortuus est hic cum præfuisset Reipu. cæ annis XXIII.

VIII. Postquam *Iohannes Galbaius* cum patre simul præfuisset, gubernauit postea Rem. blicam solus per annos IX. Fecit & hic con. em imperi Mauritium filium suum. Cum o vterque scelerate viuerent & arroganter minarentur, occiso etiam Iohanne Patriarcha idensi, quem à præalta turri præcipitem de. ant, factum est opera Fortunati Patriarchæ, Iohanni successerat, vt populus in eius per. em coniuraret: quod cum resciuissent, pater git in Galliam, filius vero Mantuam, cum ncipatu præfuissent annis XVI.

X. Prævalente ergo factione Fortunati, *O. ius* princeps creatus est. Assumsit hic sibi so. m *Beatum* fratrem, & paulo post alterũ quoq; rem Valentinum. Notandum est, non Obe. um sed Beatum fratrem eius, in numerum cum à Venetis referri, quod ille Pipinum gem Italię irritauerit, vt inferret bellum Rei. blicæ quam Beatus quinque annis, quibus fuit, præstitit incolumem.

X. Cum *Angelus Patritiatius* rem bene gessis. in bello contra Pipinum electus fuit Prin. s de voluntate populi. Vocauit hic ad se fra. m ab vrbe Constantinopoli, vt in societatem estatis veniret. Hic est ille qui primus extru. Venetiis Palatium Ducale. Facta diuisione perii in Orientale & Occidentale, Venetis it in medio relictis, sua mansit libertas. Tunc num fuit diuisa ciuitas in certas partes, con. uti Patres Rogati, & Iudices criminales. Præ. hic annis XVIII.

XI. Fuerat Patris Angeli in Principatu so. cius *Iustinianus Patritiatius*, post cuius mortem confirmatus est à populo. Et hic ab Constantinopoli vocauit Iohannem fratrem suum, eum. que participem fecit dignitatis. Sub hoc creuit auctoritas populi, cumque à Saracenis premere. tur Michael Imperator Græcorum, tulit ei o. pem Iustinianus. Huius tempore S. Marci cor. pus ab Alexandria Venetias perlatum est, qui Diuus postea factus est Tutelaris ciuitatis, ei. que nobilissimum illud dedicatum in Vrbe tem. plum. Fuit hic Venetorum Princeps per annos tantum duos.

XII *Iohannes Patritiatius* Iustiniani frater de. functo hoc permansit in principali dignitate. Auxit hic S. Marci Templum mirifice, additis nouis cleri ci. & constituto Primicerio. Iussit truncari capite Obelerium, quem obsessum ce. perat in Insula Corsica. Euertit oppidum Mala. mocum, quod populus Obelerii partes secutus rebellauerat: deinde Nerantinis bellum intu. lit, eosque deuicit. Postremo cum inimici eius in eum conspirassent, dum S. Petri templum pe. tit, interfuturus sacro officio, correptus ab iis omnibus ornamentis & dignitatibus Principa. libus spoliatur, inque Monasterium detruditur, vbi Monachus factus extinctus est.

XIII. Succes. huic *Petrus Gradonicus Polanus*, meritus hanc dignitatem quod fortiter fecisset in bello contra Pipinum. Admisit hic fi. ium suum ad Magistratus societatem, iuuitque bel. lo Imperatorem Constantinopolitanum, qui Venetorum opem per Theodosium Legatum implorauerat, submissis sexaginta triremibus militariter instructus. At Imperator Græcus pro talibus meritis illum Protospatarium imperii sui fecit. Ludouicus II. Imperator Rom. multis eum ornauit priuilegiis: Occubuit Petrus occi. sus in seditione populi cum annos XXVII. rebus præfuisset.

XIV. *Vrsus Partitiatius*, cum tumultum ciuiũ sedauisset, factus est Dux. Huius Principatu Tur. cæ vastauere Dalmatiam vsque ad gradum vr. bem. At Vrsus commisso cum iis prælio, victo. riam reportauit, ope Iohannis filii sui, quem sibi in principatu iunxerat. Basilius Imperator ma. gnum ob id factum viro honorem habuit, eum. que Protospatarium Imperii sui salutauit. Gu. bernauit Vrsus Rempublicam per annos XVII.

XV. Huius Vrsi filius *Iohannes*, confirmatus in dignitate patria cepit Comachiam, cumque se vlciscereturde Comite Comachiensi, qui in. terfecerat Badoarium Iohannis filium, vastauit omnem agrũ Rauennatem. Cum a. tenuissima esset valetudine, extruxit suo sumptu Malamoci duas ædes sacras, SS. Cornelii & Cypriani, cum. que præfuisset rebus annis V. mensib. sex, vltro se abdicauit magistratu.

XVI. Quo abeunte Ducalem Thronum in. sedit *Petrus Candianus*, homo in armis exerci.

tatissimus, nec tamen minus Pius in Deum. Profectus est ipse cum decem triremibus contra Narentinos, qui Piraticam in Adriatico mari exercentes multum damni dabant Venetis. Hos aliquot præliis nauali bus deuicit, mortuusque est, cum iam nouum animo agitaret bellum. Numeratur à quibusdam inter Duces, & Candiano sufficitur *Dominicus Tribunus*: quem tamen alii, non minus diligentes in euoluendis historiis omittunt, quod non nisi tribus mensibus diebus XIII. Ducis titulo vsus fuerit. Nihil memorabile ab eo gestum inuenitur.

XVII. Huius filius *Petrus Tribunus* Dux factus, obtinuit à Guidone Rege Italiæ confirmationem antiquorum Priuilegiorum. Huius Principatu Barbarissimi Hunni, cum in Italiam irrupissent, euerterunt atque exusserunt Heracleam & alia quædam Venetorum ditionis oppida. Hos adortus Petrus ingenti strage concidit, fuitque hoc tertium bellum, quo Barbari Reipublicæ Venetæ terras & dominia inuaserunt. Rexit Petrus rem Venetam annis XXIV.

XVIII. *Vrsus Badoarius* primus fuit, qui nomen suum mutauit, diciq; Patritius voluit. Misit hic Petrum filium suum Constantinopolim, quem Imperator creauit Protospatarium. Sub annum CMXX. obtinuit à Rudolfo Rege Italiæ confirmationem priuilegiorum & antiquæ potentiæ Venetorum, vt ius haberent cudendæ peculiaris monetæ. Cum vero totus cultui diuino deditus esset, abdicauit se Magistratu, quo per annos XX. functus fuerat, vixitq; postea vitam Monasticam.

XIX. *Petrus Candianus* II. Vir bellicosus, intulit bellum Lanterio Marchioni Istriæ, qui Venetorum negociationes interturbabat. Hunc is vicit, totamq; oram littoralem Istriæ Venetorum adiunxit dominio. Vicit & Albertum filium Berengarii, qui se pro Imperatore gerebat, & occupata Rauenna, Venetorum nauibus molestus erat. Hoc Duce filiæ nubiles raptæ fuerunt à Tergestanis, sed à suis vi repetitæ. Præfuit Candianus Reipublicæ annis VII.

XX. *Petrum Batoarium* Sclaui siue Dalmatæ ceperant: hunc Vrsus pater armis vindicatum libertati restituit. Præfuit hic rei Venetæ solo biennio, alta pace vsus, cuius semper fuit studiosissimus. Berengarius, qui per Italiam titulum vsurpabat Imperatoris, multum huic Petro fauisse perhibetur.

XXI. *Petrus Candianus* III. Candiani II. filius assumsit sibi dignitatis socium filium cognominem, armauitque XXXIII. triremes & naues alias aduersus Naretanos. Secundo bello fecit cũ iis pacem. Cum hic corripuisset filium ob vitæ morumque peruersitatem, insurrexit filius in patrem ipsamq; Rempublicam. Veneti ergo cũ eum ad necem quærerent, profectus sponte in exilium, coniunxit se cum Guidone Berengarii filio, nec patrem saltem, sed & totam rem Venetam multis affecit damnis atque molestiis. quo non obstante

XXII. Hic ipse *Petrus Candianus IV.* huius nominis, quanquam populus iurasset de eo in patriam non admittendo, reuocatus tamen fuit ab exilio, & Princeps creatus post mortem patris applaudente vniuerso populo. Impetrauit hic à Iohanne XII. Pontif. Max. vt Ecclesia Gradensis esset Patriarchalis & Metropolitana totius dominii Veneti & Marchionatus Istriæ. Adeptus est idem ab Othone Imperatore varios honores & noua Priuilegia: interfectus postremo in seditione populari cum filio, postquam annis XX. præfuisset.

XXIII. Addictissimus Diuino cultui *Petrus Vrseolus*, nolens à populo Princeps salutatus fuit. Solebat hic sumto plebeio habitu, ne noscetur, visere pauperes, & eos qui alebantur in Nosocomiis: cumque pacis esset studiosus, redux in gratiam Istros atque Venetos, vt illi his tributum soluerent. Hic cum Beato Romualdo Ravennensi religiosum vitæ genus amplexus est, cum rei Venetæ annos II. menses II. dies XX. præfuisset.

XXIV. *Vitalis Candianus* Petri III. filius fadus percussit cum Othone Rom. Imperatore. Cum primum exequi Ducis munia cæpit, gravi morbo arreptus, nuncupauit votum, futurum se Monachum, si sanitati restitueretur. Vbi convaluit, præstitit quod promiserat, ingressus Monasterium, cum vix anno vno præfuisset.

XXV. *Tribunum Memium* ingentes opes commendauerunt, quo Rempublicam gerente pernicioſæ dissensiones ortæ fuerunt inter Morosinorum & Calaprinorũ familias, vnde non paucæ cædes vtrimque perpetratæ fuerunt. At Memius Morosinis fauebat, quare aduersarii Venetiam se receperunt ad Othonem Imperatorem. Donauit S. Georgii Insulam Abbati Morosino: cumq; rem Venetam rexisset annis XI. factus est Monachus.

XXVI. Secutus est hunc *Petrus Vrseolus II.* homo miræ dexteritatis, qui tam commode egit cum Basilio & Alexio Impp. Græcis, vt Venetis omnibus vectigalibus & Portoriis eximeretur. Cum huic natus esset filius, dignatus est Otho Imperator eo honore, vt puerum Sacro leuaret Fonte. Primus hic transtulit fines dominii Veneti trans mare, occupatis aliquot locis per Istriam Dalmatiamque, cumque perfecisset Templum & Palatium, obiit diem suum, XVI. principatus sui anno.

XXVII. Præfuit Reipublicæ aliquandiu cum patre *Otho Vrseolus*, confirmatus in dignitate eum annum ageret XVIII. Tanta autem fuit huius viri existimatio, vt Geysa Hungariæ rex sororem suam ei daret in vxorem. Istros qui rebellauerant deuicit, profectusq; ipse est cum copiis in Dalmatiam aduersus Oreimurium. Postremo cum quidam, qui gloriæ viri inuidebant, in eum conspirassent, miserunt eum abrasa ignominiæ causa barba exulatũ in Gratiam. Successit huic Petrus Cantranicus sive Barbolanus: sed cum non posset componere dissensiones inter ciues & vicinos, coactus est renunciare dignitati, & indue-

cucu

icullum. Post hunc voluit Dominicus Vrse-
lus arripere Ducalem titulum, sed profligatus à
opulo mortuus est Rauennæ.

XXIX. Electus ergo fuit *Dominicus Flaueni-*
s à factione eorum, qui Dominicum Vrseolum
rofligauerant. Hoc administrante rem Vene-
m, habitum est concilium nationale, ad tol-
ndos abusus in rebus Ecclesiasticis, quod fuit
d annum A N. C. M XL. Conatus hic fuit o-
mnibus modis, non solum suspectam reddere
ud populum, sed omnino proculcare atque
primere familiam Vrseolorum. Præfuit Ma-
tratui annis X. mensib. IV. diebus XII.

XXX. Vix fuit vllus princeps gratior apud
pulum quam *Dominicus Contarenus.* Restituit
Dalmatiæ pacem, quæ valde afflicta fuerat
bellione Zarensium. Adfuit hic Normandis
ntra Robertum Regem Apuliæ. Idem sopiuit
ntrouersiam, quæ erat inter Rempublicam &
ponem, Patriarcham Aquileiensem. Gessit
principatum annis XXVIII.

XXXI. Cum antecessoris sui funus comita-
ur *Dominicus Syluius*, populus inter eundum
a voce magnisque acclamationibus eum Du-
n consalutauit. Tanta autem fuit huius viri
ctoritas, vt Nicephorus Imperator Græcus
et ei sororem suam in Matrimonium. Huius
lieris suasu Syluius bellum intulit Roberto
gi, à quo primo prælio egregiam retulit vi-
riam, capto Dyrrhachio oppido. Posteriore
flictu superatus, magnam accepit stragem &
ominiam. Incrustauit hic primus Ædem S.
rci tabulis marmoreis, & exornauit eam o-
e Mosaico, defunctus decimotertio Princi-
is sui anno.

XXXII. Simul ac *Vitalis Valerius* Dux crea-
fuit, obtinuit ab Alexio Imperatore Græco
remam potestatem in Dalmatiam Liburni-
que. Henricus Imperator Rom. prolixe ei fa-
cumq; aliquando Venetias venisset, vt visi-
corpus S. Marci, suscepit ex sacro Fonte Vi-
filiam. Pe rexit hic in ædificanda & exor-
da S. Marci Æde, functus Magistratu XII.
s.

XXXIII. At *Vitalis Michael* longe lateq; pro-
uit dominium Venetum. Persuasus ab Vr-
o II. Pontifice, profectus est in Palæstinam,
multis Christianis Principibus, ad recupe-
um S. Sepulchrum Domini. Amisere eo bel-
fideles Smyrnam & Hierosolyma Vrbes,
tota prope Syria. Mortuus est Michael cum
s VI. rem Venetam rexisset.

XXXIV. Habuit Vitalis filium eundemque
ssorem *Ordelasium Valerium*, qui Baldu no
adfuit contra infideles in recuperanda ter-
cta, quo cum mirabili potitus successu to-
prope regnum Iudaicum partitus est. An-
inciparus eius VIII. Malamocum oppidum
e totum in cineres redactum confedit, quæ
fuit, vt Sedes Episcopalis transferretur in
dum Chiozam. Profectus hic ipse est cum
s naualibus aduersus Zaram, quæ iugum
sserat, potitusque victoria mortuus est in
ipso belli secundi apparatu cum per XV. annos
Principem egisset.

XXXV. Quem excepit in Ducis dignitate
Dominicus Michael, vir de republica optime meri-
tus, ideoq; magnæ auctoritatis. Et hic persuasus
à Calliſto Papa in Palæstinam profectus est
cum CC. nauibus, ad cuius classis aduentum so-
luta est obsidio Ioppensis, quam vrbem infide-
les valde premebant. Tyrum Vrbem cum cepis-
set, tradidit eam Varmundo Patriarchæ Hiero-
solymitano. Fecit huic bellum Emanuel Imp.
Græcus, cui Michael eripuit Chium, Rhodum,
Samum, Mitylenen Insulas, & alia. Cumque
annis tredecim potitus fuisset dignitate ista, de-
posuit eam sponte volensque.

XXXVI. Huius generum *Petrum Polanum*
commendauit Patribus sapientiæ fama, quæ tan-
ta fuit, vt lectus fuerit arbiter controuersiarum
inter vtrumque Imperatorem Conradum & E-
manuelem. Bellum intulit Pisanis & Patauinis,
vicitque vtrosque. Idem iuuit dictum Emanue-
lem aduersus Apuliæ Ducem, cui eripuit mul-
ta, quæ is iam ante Imperio Græcorum per vim
ademerat. Quidam tamen aiunt, bella ista fi-
lium confecisse, quod pater morbo detineretur, quo extinctus est cum XVIII. annis præ-
fuisset.

XXXVII. Reddiderant Piratæ quidam An-
conitani infestum Sinum Adriaticum, quos *Do-*
minicus Morosinus profligauit, ducemque eorum
Guiscardum suspendio interemit. Obsedit hic
Polam, eamque cepit cum Parentia Vrbe, (vtra-
que enim rebellauerat) adeoque tota ferme I-
stria. Fœdus fuit huic cum Guillelmo Rege Sici-
liæ, à quo multas impetrauit exemptiones in fa-
uorem mercatorum. Huius opera Zara facta
est Metropolitana, Dominico Petri filio, creato
illius Vrbis Comite.

XXXVIII. *Vitalis Michael* II. huius nominis,
subegit Tarentinos, qui iam tertium rebellaue-
rant. Idem cepit ac carceri mancipauit, Vlricum
Patriarcham Aquileiensem cum duodecim Ca-
nonicis. Expediuit hic spacio C. dierum C. trire-
mes, easque emisit in mare aduersus Emanue-
lem Imperatorem Græcum. Defecerat tota Iu-
stiniani familia vsque ad vnum, qui erat Mona-
chus. Huic de consensu Roma. Pontificis è Mo-
nasterio extracto coniunxit Vitalis filiam suam
matrimonio. Inuasit sub eius gubernatione hor-
ribilis pestis Vrbem, cuius culpam cum in eum
coniecisset populus, à quibusdam furentibus
ita læsus fuit, vt ex vulnere obierit, cum rebus
præfuisset annis XVII. diebus XXVII.

XXXIX. Primus qui per decem Electores
creatus est, fuit *Sebastianus Cianus*, cuius tempore
ingentes fuere discordiæ inter Fridericum Bar-
barussam, Imperatorem, & Alexandrum III.
Pontificem, Octauiano quodam facto Antipa-
pa: vnde Alexander coactus est, deserta Roma
Venetias profugere. Vbi cum diu latuisset in
Monasterio Charitatis, postremo agnitus &
honorifice exceptus fuit à Principe & toto Se-
natu. His auditis Fridericus Venetis bellum in-

tulit; cuius filius Otho cum à Venetis per astum captus fuisset, causa extitit atque medium reconciliationis, vt Fridericus ipse venerit Venetias. Obtinuit hic Cianus multa priuilegia à Pontifice, mortuusque est anno V. Principatus sui.

XL. Ciano mortuo, per XL. patres electus est *Auria Maripetrus*. Adiuncti fuere huic VI. Consiliarii; maioris auctoritatis ergo. Defecerat oppidum Zara iam quarta vice. Misit hic auxilia Christianis Principibus in Syria aduersus Saracenos pugnantibus, octogesimo octauo anno post quam Terra Sancta à Christianis liberata fuerat; capta ibi fuit Ptolemais, & Andronicus Emanuelis Imperatoris Græci successor plurimos mercatores Venetos libertati restituit. Abdicauit se hic sponte Principatu quem per annos XIIII. gesserat, ingressus Monasterium.

XLI. Huic successit *Henricus Dandulus*, qui Zarenses quietis impatientes denuo vicit. Huius tempore ab Europæis victa atque capta est Constantinopolis cum toto Orientis Imperio, Henrico Gallis Flandrisque submittente auxilia, qui & supremus copiarum exercitus Europæi Dux fuit, mortuus cum XIII. annis Rempublicam administrasset.

XLII. Non è vestigio post Danduli mortem, sed aliquanto tempore post electus fuit *Petrus Cianus* Sebastiani filius, quod tunc Correctores instituerentur. Venerunt ad hunc Oratores Athenienſium & Achæorum, vt implorarent patrocinium Reipublicæ. Eodem auctore miserunt Veneti Coloniam nobilium Venetorum in Cretam Insulam. Vxor Petri fuit Constantia, Tancredi Regis Siciliæ filia. Postremo abdicauit se Magistratu, cui XXIIII. annis præfuerat.

XLIII. Excepit hunc in Principatu *Iacobus Tepulus*, quanquam Reinerio Candolo totidem fuissent Calculi suffragiorum. Ab hoc seditiosi Cretenses, cum res nouas molirentur, grauiter castigati fuerunt, & Zara, quæ iugum excusserat, iterum subacta est. Bellum huic fuit cum Ferrarienſibus, vt & cum Ezelino Regulo Patauinorum. Postremo deposuit Magistratum, quo non nisi quatuor annis fuit functus.

XLIV. Igitur XL. Patres Electores creauerunt Ducem *Martinum Morosinum*, qui iterum Senatui auctor fuit, mittendæ Coloniæ in Cretam Insulam, à quibus postea Canea oppidum extructum fuit. Et huic bellum fuit cum Ezelino Tyranno obsidente per id tempus Mantuam: qui Ezelinus, cum rem infeliciter gessisset, actus in furorem iussit in frusta concidi aliquot millia Patauinorum, quæ in suo exercitu habebat. Obiit hic anno quarto sui Principatus.

XLV. Successit huic *Reinerius Zenus*, cum Præfectus Firmi oppidi fuisset, quem vt adducerent, miserunt Patres IV. triremes. Sub huius ductu & auspiciis Veneti egregiam reportauere à Genuensibus victoriam, qua tamen diu lætari non potuerunt. Michael enim Palæologus elecit Gallos Venetosque Constantinopoli Vrbe, adiutus copiis Genuensium, LVII. annis postquam ea occupata fuisset. Sed Genuates Reinerius etiam secundo prælio vicit, mortuus, cum annis XVI. rexisset Rempub. Venetam.

XLVI. Memores Patres, quam strenuam Reipublicæ operam nauasset in prælio contra Genuenses apud Tyrum *Laurentius Tepulus*, Ducem eum creauerunt. Iunxit hic filiis suis duas puellas nobilissimas, sed extraneas, quæ res causam præbuit legi, ne id deinceps fieret. Sub hoc Principe Ceruia Vrbs venit sub imperium Reipublicæ, & Bononienses victi fuerunt. Pra fuit rebus Laurentius annis VII. diebus XXV.

XLVII. Octogesimum agebat annum *Iacobus Contarenus*, cum ex Procuratore S. Marci Dux factus est. Hoc suadente Lex apud Venetos lata est, contra illegitime natos, ne ad vllos administerentur honores aut officia publica. Cœpera noua agitare consilia Istri, & Genuates hostiquid meditabantur, sed sopitæ sunt controuersiæ. Cum autem nimis grauaretur senii molestiis, deposuit Magistratum, consentiente Senatu, cui annis IV. præfuerat.

XLVIII. *Dandulo* fauit Fortuna, vt quamuis ablens Dux crearetur. Afflixit hoc administrate Rempublicam grauis terræ motus & inundatio aquarum ciuitatem Veneram. Bellum huic fuit in Istria aduersus Patriarcham Aquileiensem & Comitem Goritiæ, cumque id ab petiisset Nicolaus Pontifex, tulit opem Archiepiscopo Tripolitano; submissis triremibus XV. ipse mortuus cum annis octo mensibus VI Principem egisset.

XLIX. A duobus magnis malis liberat ciuitatem *Petrus Gradonicus*, vir magni animi. Primo quod erexit ciuitatem, quæ consternata fuerat aduerso prælio contra Genuates facto; deide quod oppressit coniurationem Baiamonetiam, cæsis coniurationis sociis in ipsa S. Marea Area. Lege lata iussit, vt administratio publi penes solos Patritios esset, instituitque Concilium Decemuirale: cumque Principatum gessisset annis XXII. mensib. IX. mortuus est.

L. Tanta fuit bonitas *Marini Georgii*, vt Sancti cognomine ornatus fuerit. Cum Veneti occupauissent Ferrariam, Anathemati atque di subiecta fuit ciuitas toto Principatus illius tempore. Rebellauerat iam sextum Zara oppidum multumque fuit huic Principi obiectum labo ris, vt eam sub iugum reduceret. Monasterium S. Dominici fundauit Georgius annos natus LXXXI. mortuusque est, cum præfuisset ann X. diebus totidem.

LI. Quod *Iohannes Surentius* Zaram & al loca quæ defecerant, armis recepit, Principatum ei attulit. Postea Euboeam siue Nigropontum Insulam occupauit, intulitq; bellum Genuatibus. Cum Franciscus Dandulis supplex, sed pedes Pontificis abiecisset, catenam ferream col

collo gestans, impetrauit vt Anathemati eximeretur ciuitas. Sub hoc Iohanne creuit numerus Procuratorum S. Marci, vt VI. essent. Praefuit hic rebus annis XVI. mensibus VI.

LII. Extrema *Francisci Danduli* humilitas, quam pro salure Patriæ non subterfugit, supremum viro concilauit honorem. Huic Duci creato submisere se Polani & Vallesani, vnde natum est bellum inter Rempublicam & Patriarcham Aquileiensem. Coeperat Albertus Scaliger Patauium, Taruisium vero cum Comitatu ianssit Venetis. Fecit Franciscus cum aliis Principibus Christianis fœdus aduersum Turcas, acditque, vt LX. Legati vno tempore essent Venetiis, quam Vrbem rexit annis X. mensibus IX.

LIII. Septuagesimum septimum agebat annum, eratque Procurator S. Marci *Bartholomæus Gradonicus*, cum Dux creatus est. Huius tempore cidit mirabile illud ostentum, quo sancti homines, Marcus, Georgius & Nicolaus visi sunt horribili inundatione liberasse Ciuitatem. Cretenses cœperant rebellare, sed castigati acri quieuere. Cum grauis annonæ caritas premeret Ciuitatem, incurrit Princeps in odium populi, qui quarto anno postquam ad gubernacula Reipub. venisset, mortuus est.

LIV. Hanc annonæ difficultatem leuauit *Andreas Dandulus*, Gradonici successor, qui aliquot triremes plenas tritico ex Sicilia aduexit. Obtinuit idem à Rege Babyloniorum, vt libera esset Venetis nauigatio in Ægyptum. Rebellarat iam septimum Zara, sed iniecto acri Lupacohercita fuit. Fuit Venetis bellum cum Genensibus, afflictaq; fuit ciuitas à duobus malis; terræ motu & morbo Pestifero. Praefuit Andreas Reipublicæ annis quasi XII.

LV. Romæ Legatum apud Pontificem agebat *Marinus Phalereus*, cum ad Principatum fuit vocatus. Affectus iniuriis à quibusdam, cum quam volebat, ab iis exigere non posset, iratus statuit se Dominum Reipublicæ facere, cum iam octogesimũ ageret annum. De qua autem coniuratione per Nicolaum Leonem, amputatum est ei caput in ipso Palatio, adfixa etiam ad imaginem eius ignominiosa inscriptione. Principatu gauisus est per X. menses.

LVI. Nasoni cognomentum fuit *Iohanni Gradonico*, homini ingenio eleganti, facie turpi. Ob hoc recruduit bellum cum Genuensibus, quod tandem in pacem exiit: Cum Rege tamen Vngariæ bellum gestum est ob Dalmatiam. Pestilentia per hoc tempus obsessum fuit, praeter ipso Principe. totum tempus gubernationis eius fuit annus I. menses tres, dies V.

LVII. Erat in oppido Taruisio, ab Hungaris hoc obsesso *Iohannes Delphinus*, cũ à Senatu Dux vocatus fuit. Pro hoc misit Senatus ad hostes, vt liberum darent nouo Principi ex vrbe exitum: quo negato, Delphinus assumtis equitibus vrbe exiuit, vel inuitis obsessoribus, peruenitque Mariglieram, quo Patres venerunt, Paulo post imposuit huic bello finẽ, recuperatis oppidis, Coniliano, Setaualio & Asolo, cũ Hungaris ita pactus est, vt superiorem Dalmatiæ dominium maneret Venetis, mortuusq; est annos natus XLV. cum gubernacula tenuisset per annos IV. menses II. dies XI.

LVIII. *Laurentio Celso* ralsus nuncius victoriæ à Genuensibus partę Principatum peperit, concurrentibus cum eo Petro Gradonico, Leonardo Daudulo & Marco Cornario. Sub hoc defecerunt à fide Cretenses fuitque magni laboris res recuperare Insulam: qua causa, solennes preces factæ sunt per templa in ciuitate. Praefuit hic annis IV. diebus II.

LIX. Misit *Marcus Cornarius*, homo qui cum sapientia litterarum notitiam coniunxerat, in Cretam Insulam exercitum, quæ fidem Reipublicæ debitam abiecerat, vbi commissum est atrox prælium, Pontifice insuper omnium delictorum gratiam faciente iis, qui in Cretenses militarent. Punitis autem magna seueritate seditionis auctoribus, donauit Respublica Vrbano V. Ponti. Max. aliquot triremes pro praestita opera. Tenuit Marcus gubernacula annis II. mensibus V. diebus XXIV.

LX. Fugerat *Andreas Contarenus* Patauium, quod vereretur, ne à Patribus in Principem eligeretur, quasi praesagiret animo futuras Reipublicæ calamitates. Fuerunt huic diuersa bella; primum contra Tergestinos, deinde aduersus Carrarios, propter fines Patauinorum, quo quidem bello capto oppido Chioza, in maximum discrimen fuit adducta ciuitas. Obiit Andreas, cum praefuisset rebus annis XV. mensibus IV. diebus XV.

LXI. *Michaeli Morosino* doctrinæ atque sapientiæ fama Principatum attulit. Aiunt huius temporibus Tenedon Insulam captam fuisse, non Principatu Contareni, antecessoris eius. Leges hic varias pertulit, interque eas vnam, vt homicidæ, qui hactenus laqueo suffocati fuerant, inposterum gladio siue securi percuterentur. Fuit non nisi IV mensibus & diebus quinque Princeps Reipublicæ, mortuus LXXIV. ætatis anno.

LXII. Fuit *Antonius Venerius* rigidus obseruator Iustitiæ, vt qui filium suum exulare coegerit, quod nobilem quandam mulierem iniuria affecisset. Cum Galeatio Vicecomite percussit Fœdus aduersus Carrarios, quibus tunc erepta fuit Patauina Vrbs. Emanueli Imperatori auxilia misit aduersus Turcam, vt & Sigismundo Vngariæ regi. Huius æuo Templum S. Marci elegantissime exornatum fuit. Mortuus est Venerius cum annis XVIII. mense vno, diebus III. praefuisset.

LXIII. *Michaeli Steno* Procuratori S. Marci Principalis dignitas obtigit, cum commisso prælio victoriam à Genuatibus retulisset. Vicit hic & Carrarium vltimo conflictu, eique Patauium & Veronam eripuit. Vicentini autem pertæsi Tyrannidem hominis, vltro venerunt in fidem & clientelam Reipublicæ. Sed & Ladislaus Vngariæ Rex Zaram, quam occupauerat, desereruit.

ruit. Obiit Stenus anno tertio decimo, die tertio Principatus sui.

LXIV. Erat *Thomas Mocenicus* Præfectus Sinus Adriatici cum ad gubernacula Reipublicæ vocatus est. Pacis hic studio & amore flagrauit, vti ciues negociationibus rectius vacare possent. Hoc Principe Vtinum sub Venetorum venit obedientiam, cum parte Foroiulienſis regionis, fauore Sauorgnanorum Dynastarum, qui ob eam rem inter Patritios Venetos adscripti fuere. Præstitit hic opem Florentinis in bello aduersus Ducem Mediolanensem, mortuus anno decimo mense tertio Principatus sui.

LXV. *Franciscus Foscarenus* repressit ducem Mediolanensem magna vi, qui pacem Italiæ turbabat. Eo tempore adepti sunt Veneti Brixiam, Bergamum, aliasque Longobardicas ciuitates, vt & Laudem Pompeii, Parmam & Rauennam. Iidem prospera vsi sunt fortuna in Peloponneso. Senatus eo tempore misit auxilia Palæologo Imperatori Græco aduersus Turcas, qui Constantinopolim obsederant circa annum A N.C.MCCCCLIII. Dux Mediolani hunc Franciscum arbitrum nominauit in controuersiis, quæ ei intercedebant cum vicinis Italiæ Principibus. Sed & Dacorum Princeps per id tempus factus est Patritius Venetus. Ipse Foscarenus grandis ætate, tenuis valetudine abiit Magistratu, cui annis XXXIV. præfuerat.

LXVI. In cuius locum suffectus est *Paschalis Malipetrus*, cum Procurator S. Marci fuisset, altero post Foscareni cessionem die. Auctor hic fuit Legis, ne Princeps Venetus imposterum Magistratu deponi posset. Huius Principatu Venetias venit Imperatoris coniux, & Armamentarium mirum in modum creuit, Venetis alta pace fruentibus. ipse mortuus est, cum annis IV. mensibus VI. diebus V. præfuisset.

LXVII. Huius successor *Christophorus Moresius* & ipse S. Marci Procurator fuerat. Studuit hic populo conseruare pacem, donec Turca secundo gubernationis eius anno, elatiore ob captam Constantinopolim factus animo, Venetis denunciauit bellum. Ergo inito fœdere cum Pio II. Pontifice & Philippo Duce Burgundiæ, accinxerunt se Patres ad id bellum. Pio autem mortuo, deserti Veneti, soli per annos XX. sustinuerunt illius belli molem. Excessit è viuis Moresius cum præfuisset rebus annis IX. mensibus VI.

LXVIII. Fauit Fortuna *Nicolao Trono*, vt Respublica feliciter sub eius principatu bellum gereret aduersus Turcas. Petrus enim Mocenicus summus in Archipelago classis præfectus, coniunctis cum Pontificis, Regis Neapolitani & Rhodiorum nauibus, suis triremibus, cum classem confecisset LXXXV. nauium, cepit cum alia, tum Sataliam Pamphiliæ Vrbem. Quin & fœdus percussit cum Persarum Rege contra Turcas. Per id tempus venit Venetias Iacobus Cypri Rex, duxitque vxorem Catha[rinam] Cornariam. Præfuit rebus Nicolaus an[nis] vno, mensibus VIII. diebus V.

LXIX. Et *Nicolaus Marcellus* ex S. Marci Pr[ocuratore] curatore factus est Dux, cum Correctores a[d] te leges quasdam tulissent. Fuit per hoc te[m]pus derecta coniuratio quorundam, qui C[ypr]um Insulam Ferdinando Regi Neapole[os] prodere conati fuerant. Verum Petrus Moc[enicus] nicus profectus eo cum magno exercitu fac[ile] omnia composuit, magna seueritate punitis ditionis auctoribus. Scodram Albaniæ Vrb[em] obsidebat Turca, quam valide defendebat A[n]tonius Lauretanus. Tenuit hic Princeps gub[er]nacula per annum vnum, menses IV. d[ies] XVII.

LXX. At *Petrum Mocenicum* egregiorum Rempublicam meritorum recordatio Patri[ci]os commendauit, vt eum crearent Principem. C[ui] federant Naupactum (vulgo Lepantum voca[n]t Turcæ magnis viribus, strenue defende[n]t Vrbem Antonio Lauretano, qui & ipse v[ir] tute atque consilio suo in causa fuit, ne iid[em] Barbari Lemnum Insulam occuparent. V[e]nit hoc Principe Venetias Ferdinandi Re[gis] filia cum fratre suo Cardinale, fuitque vterq[ue] regali exceptus apparatu. Cudit Mocenicus [no]nus Monetæ, quod à nomine suo appellari v[o]luit, obiitque cum anno vno, mensibus II. di[e]bus IX. præfuisset.

LXXI. Non eadem quæ in Petrum For[tu]næ fuit indulgentia in *Andream Vindramin[um]*. Exercitus enim Veneti bis à Turcis cæsi pro[fli]gatique fuerunt: Primo haud procul Croia V[r]be Albaniæ: deinde in Foro Iulii. Ipse ti[a]do hoc inter fortunæ bona numerandum est, [qu]ciſſim hoc habuit boni à Natura, vt cum ipse esset homo admodum Pulcher, vxo[rem] haberet formosissimam, liberosque elegan[tis]simos, inprimis filias, quas nobilissimis Vene[tis] rum elocauit. Rexit rem Venetam anno v[no] mensibus octo.

LXXII. *Iohannes Mocenicus* Petri frater, c[um] diu bellum aduersus Turcas continuauisset, p[ro]stremo fecit cum iis pacem, his conditionib[us] vt libera essent Venetis commercia tam Scod[rae] & alibi per Epirum Albaniamque, quam in [I]p[si] Constantinopoli. Ortum est huius tempore b[el]lum aduersus Ferdinandum Neapolitanum R[e]gem, instigante Sixto IV. Pontif. Maxim. quæ [de]inde causam præbuit Bello Sociali, quod pacem exiuit Venetorum commodo, qui eo p[ac]cto adepti sunt Rodigum & Polesanum oppi[da]. Deformata fuit ciuitas incendio & Peste, q[ue] ipse quoque Princeps obiit gubernationis [an]no VII. mense VI.

LXXIII. Quæ postquam grassari desiit, [re]staurauit *Marcus Barbadicus* Palatii eam partem quæ igne consumta fuerat. Habuit hic peculi[a]re quiddam & separatum ab omnium fere Pri[n]cipum consuetudine, vt facile condonaret, obliuisceretur quoq; iniurias, quibus ipse sig[ni]latim affectus fuerat: quæ vero in Reipub[li]ca

am admitterentur, puniret seueriſſime. Cum ic Dux c eatus fuiſſet, miſit ad eum Ottoman-us Oratores, qui de noua dignitate viro gratu-rentur: quanquam poſtea nouem ſolis menſi-us præfuerit.

LXXIV. Impediuit multum ſucceſſus fe-ees Caroli VIII. Gallorum regis *Auguſtinus Bar-dicius*, cum is rex Aragonis bellum faceret no-ine regni Neapolitani. Circa huius tempora ipuit Turca Venetis Naupactum, Coronen & ſethonen. Viciſſim regnum Cypri venit ſub tu-lam & patrocinium Reipublicæ, deducta Ca-arina regina Venetias. Afflixit & Peſtis ciuita-m, quæ Auguſtinum ſuſtulit cum præfuiſſet bus annis XV. diebus XXI.

LXXV. Sub *Leonardo Lauretano* Principe ſu-nuit Reſpublica Veneta acerbiſſimũ bellum, pugnata à præcipuis Orbis Chriſtiani Princi-bus, cum Cameracenſi fœdere iunxiſſent ſe laximilianus Imperator, Rex Gallorum, Rex eapoleos, & Duces, Sabaudiæ, Ferrariæ, Man-æ, quos omnes in Venetos concitauerat Iu-s II. Pontifex. Amiſere eo bello Veneti om-a, quæ habuerant in continente Italiæ, exce-a Tarui ſio: ſed paulo poſt omnia recuperaue-nt. Vixit Leonardus in Principatu annis XIX. enſibus VIII. diebus XX.

LXXVI. Fecerat *Antonius Grimanus* aduerſum ælium, amiſſis prope omnibus copiis, quarum premus Dux fuerat: deiectus igitur à Procura-ra S. Marci certo quodam loco ſe continere ſſus eſt, nec egredi, niſi de voluntate Senatus. is contemto mandato Patrum Romam ſe ntulit ad filium, qui erat Cardinalis, vbi tam obe functus eſt officio ſuo, vt non ſolum in iſtinam reſtitueretur dignitatem, ſed & ad incipatum Reipublicæ vocaretur, cum iam num ageret ſecũdum & octuageſimum. Præ-it autem vno ſolo anno cum X. menſibus, die-s duobus.

LXXVII. Magnum attulerat *Andreas Grittus* recuperationem Patauii momentum, quod m gratum fecit Patribus. Fuerat hic captus à ge Gallorum, quo cum tam dextre ac ſolerter ere nouit, vt rex fœdus faceret cum Venetis, od fœdus in cauſa fuit, vt Veneti Veronam Brixiam receperint. Nouit hic ſingulari mo-ſe medium gerere inter Carolum V. Impera-rem, Franciſcum I. Galliæ regem, & Soliman-m Turcam, qui tunc mutuis inter ſe ſæuie-nt bellis. Functus eſt hoc Magiſtratu annis VII. menſibus VII. diebus VIII.

LXXVIII. Perrexit *Petrus Landus* in defen-nda Republica aduerſus Turcarum rabiem, m quibus poſtremo pacem fecit, magno ſuo no, digladiantibus adhuc inter ſe Carolo V. Franciſco I. præfuit annis VI. diebus VIII.

LXXIX. Vſus beneficio pacis *Franciſcus Do-ris* ornauit ciuitatem multis elegantiſſimiſq; lificiis, inprimis Palatio Nouo. Miſit hic co-as auxiliares in Germaniam ad Cæſarem, qui r id tempus bellum faciebat quibuſdam Prin-cipibus Germanis. Cum Venetias veniſſent Guiſiani Principes honorifice ibi ab Senatu ex-cepti habitiq; ſunt. Gubernauit rempub. annis VII. menſib. VI.

LXXX. Singularis fuit pietas in Deum *Marci Antonii Treuiſani*, qui nihil antiquius habuit, quam vt reſpublica abundaret omnibus bonis, commodiſque vteretur moribus, cum ipſe ſuo exemplo oſtenderet, vicijs non eſſe intra nos dandum locum, quod fere in diuturna pace fie-ri ſolet. Rexit rem Venetam non omnino per annum vnum.

LXXXI. Singularis fuit prudentia *Franciſci Viuerii*, qui ita rebus præeſſe nouit, vt quamuis Turca bellum gereret in Apulia, & Rex Gallus in Hetruria, nihil tamen Reſpublica acciperet detrimenti. Venit eo tempore Venetias Regi-na Poloniæ, exquiſitis ab Senatu excepta hono-ribus. Tenuit Franciſcus gubernacula annis II. menſe I. diebus XX.

LXXXII. Sollicitauerat Pontif. Max. *Lau-rentium Priolum*, vt bellum inferret Imperatori. Cum autem is eſſet amicus Reipublicæ, noluit eum Laurentius laceſſere, ſed potius controuer-ſias componere, ita, vt eo obtinente Principa-tum, pax inter reges Galliæ & Hiſpaniæ facta fuerit. Præfuit Reipublicæ annis III. menſibus XI. diebus VIII.

LXXXIII. Huius frater *Hieronymus Priolus* particeps factus eſt maximorum honorum, qui-bus Pius IV. Pontif. Max. Rempublicam affe-cit, vt Legati Venetorum Romæ audirentur in Palatio Regum. Huius temporibus finem ha-buit concilium Tridentinum, ad quod Hiero-nymus Princeps Legatos miſerat Nicolaum de Ponte & Matthæum Dandulum. Hoc tempore Reſpublica Veneta fide iuſſit in ſacro Baptiſmo filii Ducis Allobrogum, quem is ſuſceperat ex Margarita Francica. Obiit cum præfuiſſet annis VIII. menſib. II. dieb. IV.

LXXXIV. Contigit *Petro Lauredano*, vt Dux fieret, præter ſuam aliorumque exiſtimationem, cum duo alii multitudine ſuffragiorum ipſi pa-res eſſent. Arſit eo Duce Armamentarium illud magnum, fuitque rerum omnium ingens pre-cium. Nactus Solimannus leuem occaſionem, rupit pacem quam cum Venetis habebat, repe-tiitq; ab illis Cyprum Inſulam, vnde natum eſt bellum. rexit gubernacula per annos IV. menſes V. dies VIII.

LXXXV. Secutus eſt hunc *Ludouicus Moceni-cus* cum iam arderet bellum Turcicum. Amiſere eo Veneti Cyprum inſulam, cum Nicoſia expu-gnata, Famaguſta deditionem feciſſet. Fecere hoc tempore Veneti fœdus cum Pio V. Pontifice, & Philippo II. rege Hiſpano, qui cum claſſes ſuas cum Venetis coniunxiſſent, reportauerunt inſignem ab Turcis victoriam anno A N. C. MDLXXI. Paulo poſt venit Venetias Henricus III. Francorum rex, regali magnificentia excep-tus ab Senatu. Mortuus eſt Ludouicus cum VII. annis Principatum tenuiſſet.

LXXXVI.

LXXXVI. Fuit tanto consensu & applausu omnium Princeps salutatus *Sebastianus Venerius*, vt & Turcæ, qui per id tempus in vrbe erant, accurrerent, & ei oscularentur pedes. Creati fuere tunc quinque Correctores, qui secundum leges tractarent negotia Palatii. Cessauit & dira Pestilentia, quæ diu afflixerat Vrbem, cum Sebastianus Princeps votum fecisset, extructurum se ædem Redemptoris. Arsit Palatium, repentino correptum incendio, cuius bona pars fede exusta est. Non omnino annum prefuit hic rebus.

LXXXVII. Creatus ergo fuit *Nicolaus de Ponte*, vir in omni scientiarum genere versatissimus, adeo vt etiam eas Venetiis publice professus fuerit. Adscendit hic ad culmen istud per omnes honorum gradus, ad quos ciui Veneto datur adscensus. Instituit hic litterarum amore Seminarium S. Marci. Venerunt & Principes quidam Venetias ex remotissima à nostro Orbe Insula Iaponia, quos Senatus omni humanitatis genere complexus est. Struxit Nicolaus etiam Pontem Canareggium, mortuusque est, cum Magistratum obtinuisset annis VIII. mensibus IX. dieb. XIII.

LXXXVIII. *Paschalis Ciconius*, cum S. Marci Procurator esset, Dux electus fuit dum in Templo sacris vacat ceremoniis. Magna fuere huius tempore bella, inter Imperatorem Rom. & Turcam, nec non inter Gallos & Hispanos, super Pedemontana regione. Huius auspiciis extructa est munitissima illa ciuitas, Noua Palma, in finibus Fori Iulii, & nouum Fortalitium in Cephalenia Insula. Fuit idem author admirabilis Pontis in Riuo alto, quem postquam perfecit magno honore mortuus est, functus Magistratu annis X. & paulo amplius.

LXXXIX. Tanta animorum promptitudine & gaudio populi Dux creatus est *Marinus Grimanus*, S. Marci antea Procurator, vt aliquot dies hilares ageret delibuta lætitia ciuitas. Altero Principatus sui anno voluit coronam Ducalem imponi capiti vxoris suæ, cui Clemens VIII. Pontifex dono misit Rosam auream. Magna huius tempore fuit per Italiam lætitia, quod pax coaluisset inter Gallum & Hispanum reges. Cum Pontifex Ferrariam venisset, qui Principatus iure caducitatis ad Ecclesiam deuolutus fuerat, & Aldobrandinus cum aliis Cardinalibus ob eam causam Venetias transiret, exceptus est ab Senatu honorificentissime. Quinto Principatus eius anno tanta fuit aquarum inundatio, vt scaphæ & nauigia actuaria agerentur in Magna S. Marci Area, haud secus ac in ipso mari. Luxit huius mortem vniuersa ciuitas, quæ ei obtigit, cum annis X. mensibus totidem moderatus fuisset Rempublicam.

XC. Meritorum magnitudo in Rempublicam, singularis prudentia inque tractandis rebus dexteritas, per omnes honorum gradus vsque ad Principalem dignitatem extulerunt *Leonardum Donatum* a. d. X. Ianuarii mensis anno N. C. MDCVI. Fuerat hic ante missus Orator Constantinopolim, vt Mahometo, qui Turcica Monarchiæ nuper compos factus fuerat, gratularetur, & solita præstaret officia. Fuit huius tanta in omnibus rebus dexteritas & solertia, & e memoriæ felicitas, cum pietatis studio coniuncta, vt Senatus ei plus detulerit quam vlli ante cessorum eius.

Huius Leonardi Principatu excommunicat fuit ciuitas per Paulum V. Pontificem Maximū quod quædam Ecclesiæ bona vsurparet Respublica. Contra quod fulmen immobilis stetit ipsa, haud secus ac Marpesia rupes aduersus assilientis aquæ fluctus. Cumque duæ Christian Orbis columnæ minarentur ruinam, Henricus IV. Galliæ Rex complexus vtramque, sustinuit donec per Oratores eius sopirentur tam pernicioſæ controuersiæ: meritus eo facto Arcum Triumphalem, ad immortalem sui memoriam.

RESPV

RESPVBLICA GENVENSIS IN LIGVRIA.

SVMMA CAPITA.

1. *Liguriæ fines: ea duplex; Cispadana & Transpadana.*
2. *Ager Genuensis, eius præcipua oppida.*
2. *Situs & ambitus vrbis Genuensis. Olim magnæ vis in mari potentiæ.*
3. *Aliquoties mutauit dominos; paruit primo Comitibus, deinde Ducibus.*
4. *Sauona vrbs qualis olim & qualis nunc.*
5. *Corsica Insula. Eius amplitudo, ambitus, commoditas, partes, oppida & arces.*
6. *Ager Genuensis adeoque omnis Liguria montosa & plena præcipitiis, abundans tamen oleo, pomis citriis rantissq;* 7. *Corsica diues melle, cera, vuis, oleo, ubus, buxo, alumine, coraliis.* 8. *Thermæ Petrolanæ; habentes aquas sulfureas vi medicatas præditas.* . *Pulli Syluestres Insulæ Gallinariæ.* 10. *Liures olim Piraticam strenue exercuerunt: Corsi vero itu quam hominibus similiores. At nostro æuo Ligures, primis Genuates viuido ac subtili sunt ingenio, elati factiosi.* 11. *Corsi etiamnum procliues in vindim, crudelitatem & feritatem.* 12. *Prouentus & itia Reipublicæ Genuensis, in quibus rebus consistant.* *Loca munitiora, & numerus triremium, quas in ri habent Genuates.* 14. *Forma Reipublicæ & s administratio. Senatus CCCC. ciuium, & consiliũ tum Nobilium.*
15. *Electio Ducis, qui caput est Reipublicæ, eius vestis, auctoritas.*
16. *Gubernatores qui, & quod eorum officium.*
17. *Potestas Præfecti extraneorum, & quæ sit eius sdictio.*
18. *De supremis Syndicis, & quantum possint polque.*
19. *Consilium Rotæ, vbi pertractantur materiæ & trouersiæ ciuiles.*
20. *Auctoritas & officium Consulum.*
21. *Origo officii S. Georgii, quam splendidis vtatur ilegiis.*
22. *Protectores officii S. Georgii. quomodo hi eligan-*
23. *Officium quadraginta quatuor virorum, quam usam creentur.*
24. *Archiepiscopus Genuensis, eiusque suffraganei copi.*

ta est Liguria intra Varum & Macram amnes, habetq; hos fines. Ab occasu Alpes, Gal- Narbonensem ab Italia diuidentes: ab Or- Hetruriam, Macra interfluente: qua Meri- est, Mari pulsatur Ligustico: qua Septentrio; ennino monte clauditur. Nominatur hæc , de qua acturi sumus, Liguria Transpadana, differentiam Cispadanæ, quæ est Ducatus ntisferratensis. Illa siue nostra Liguria vocatur vsitato nomine *Riuiera de Genoa* siue Ager Genuensis, à præcipua eius vrbe, diuiditurq; in orientalem & occidentalem, ita vt Genua, quæ est Metropolis, in medio sit constituta. Pars orientalis incipit à Portu Lunæ, pergitq; Genuam vsq;: occidentalis extenditur ab illa vrbe vsque Monœcum.

Oppida maioris momenti præter Villam Francam & Nicæam, quæ Ducis Sabaudiæ agnoscunt imperium, & Monœcum, quod Hispano regi paret, qui illud ante aliquot annos emit à loci domino, pro cẽtum coronatorum millibus, vt existimant nonnulli, hæc sunt. *Vintimilia, Arbenga siue Albingaunum, Curea, Finarium*, ob aeris salubritatem celebre, *Naulum* cũ portu nõ contemnendo, *Sauona*, & alia. Iuxta hanc postremam incipit assurgere Apenninus mons, vbi se extendit secundum littus marinum vsq; ad Bobium oppidum, ibi curuatus in Aquilonem, findit Italiam per medium vsq; ad oppidum Asculũ Apuliæ. Hic se diuidit Mons iste in duo velut cornua: vnum desinit apud montem Garganum, alterum rursus in duo brachia finditur, quorum illud Batium agrum intersecat, hoc Calabriam.

Vt autem ad Mare Ligusticum reuertamur, in littore eius occurrit nobis *Genua*, caput & Metropolis totius Liguriæ, quæ non tantum dominatur illi parti continentis, sed & propinquis Insulis, Gallinariæ atq; Corsicæ. Portũ habet pulchrum, & magnificum, ad Austrum & Africum patentem, ipsa amplissime circa littus consurgens, dorso Septentrioni obuerso, leniter in planiciem descendit, Montium innixa radicibus, quorum à tergo contra sæuum Aquilonis afflatum vallo munitur, non tota montosa, nec tota plana, sed mixta specie. Putatur habere in ambitu suo VI. millia, magnumq; complectitur habitatorum numerum, ædificia insuper sumptuosa & Palatia magnifica, quę inprimis secundum littus porriguntur, vt vix quicquam amænius aut ornatius in oculos incurrere possit: vnde non sine ratione vulgato apud Italos prouerbio appellatur GENVA SVPERBA. Hæc situs commoditas fecit, vt vrbs ista semper inter Principes totius Italiæ computata fuerit, accedente potentia marina, quæ olim quanta fuerit, testantur eorum res gestæ. Constat n. Genuates multas illustres in mari obtinuisse victorias, suæq; dominationis limites extendisse vsque in Pontum Euxinum, vbi Tanais Europæ limes aquas suas in Mœotidem Paludem effundit. Hic enim occupauerunt Theodosiam vrbem, quæ hodie Capha dicitur in Chersoneso Taurica:

vtiam nõ dicam de Insulis Cypro, Lesbo, Chio, ipsaque adeo Pera oppido è regione Constantinopoleos.

3 Paruerunt Ligures ab initio Romanis vsque ad annum Gratiæ DC. tunc enim Rotaris Longobardorum Rex expugnauit spoliauitque Vrbem Genuam. Cũa. posteris annis se iterũ collegisset, Carolus Magnus eiusq; filius Pipinus, Italiæ Rex, & horum successores, Francorũ Reges, dominati sunt in ea per centũ prope annos, constitutis ibi Gubernatorib. quos appellabant Comites. Cumque Saraceni sibi subiecissent Corsicam Insulam, Ademarus Comes, instructis aliquot triremibus eam inuasit, profligatisque Barbaris eam Genuensium subiecit dominio. Fuit autem per id tempus imagna huius ciuitatis potentia, quæ tantum valuit classe, vt Piratas diu repressierit, ne pro lubitu exercere in mari latrocinia possent.

Post Caroli Magni & posterorum eius dominationem, arripuerunt nunc hi nunc illi ex potentioribus ciuibus tyrannidem, valideq; afflixerunt ciuitatem, vt non semel coacta fuerit exterorum Principũ se subdere dominio: quodque pernicios ius fuit, factum est ciuilibus istis dissensionibus, vt prope omne maris imperium amiserint. Nam anno AN. C. MCCLVIII. grauis orta est discordia inter Genuates & Venetos, ob Tyrum & Ptolemaidem Vrbes; in quibus duarum illarum Rerumpublicarum ciues negociabantur. Cum vero magnam Genuates à Venetis accepissent cladem, vlturi iniurias vocauerunt in auxilium Michaelem Palæologum, Græcorum Imperatorem, cuius adiuti copiis captam Gazam vrbem expoliauere, quæ Venetorum erat, progressique longius vsque ad ostia Tanais multa oppida & insulas sibi subiecerunt.

Anno AN. C. MCCCXXXVII. elegerunt sibi Ducem exemplo Venetorum, quem cum classe miserunt in Cyprum, eo euentu, vt capto Rege ac Regina, inque carcerem misso, totam sui iuris fecerint Insulam. Postea tamen pacti cũ Rege Cypri de tributo annuo, remiserunt eum in regnum, retenta sibi duntaxat Famagusta ciuitate. Fecit præterea primus ille Genuatium Dux bellum Venetis, sed cum victus fuisset prælio, deiectus dignitate & in carcerem coniectus est, substituto alio: qui magno animo aggressus Venetos, plurimis eos affecit detrimentis, sed hic postremo in bello occubuit.

Iterum ergo alium sibi creauere Genuates Ducem, qui profectus Constantinopolin, tam bonam illi Imperatori in bello præstitit operam, vt adeptus fuerit ab eo Mitylenen Insulam, quã retinuerunt Genuates vsque ad annũ AN. C. M. CCCLIV. Postremum creauerunt sibi Principem anno Salutis M C C C L XXXI. postquem tradiderunt se Patrocinio Caroli VII. Francorum regis, qui eo misit Legatum suum. Pertæsi autem cito dominationis Gallicæ, iunxerunt se Duci Mediolanensi, quo vsi sunt protectore, vsque ad annum MCDXXXV. ibi repudiato Philippo Vicecomite siue Duce Mediolani, prius sibi creauerunt Ducem. Non placuit hoc vniuersis ciuibus, cum multi è nobilioribus sequerentur Francorum, nec pauciores Mediolanensis Principis factionem.

Ad extremum venerunt sub Gallorum dominationem, quibus paruerunt donec Andrea Aurea sublatis seditiosis contentionibus inter Adurnios & Fregosos, quorum illi nobilitatẽ h plebẽ fouebãt, ciuitati libertatẽ conciliauit, qu etiam nostra memoria vtitur. Spectantur auten in agro circum vrbem ædificia multa superbi sima, quæ nihil cedunt Palatiis Vrbanis, cuiu modi visuntur apud Albanum, Bisagnum, Marasinum, Misagnum, aliisq; locis pluribus.

Sauona Liguriæ ciuitas est antiquissima, qu nonnulli olim Sabatiam dictam autumant. Ambitus eius complectitur M D. passus, ipsa ornat ædificiis magnificis. Et hæc aliquoties mutau dominos, constituta sub imperio Genuensium Vicecomitum, Sfortiarum, Gallorum, aliquando etiam libera suique iuris. Nunc vero Genuenses cogitur ferre dominos. Dedit Sauona tre Pontifices Maximos: Gregorium VII. Iulium I & Sixtum IV. In Oriẽtali Genuatis agri parte i ueniemus retro Caput de Monte Portum pul chrum, Clauerium, Sestrum de Leuanto, loc non cõtemnenda. Occurrit deinde paruus qu dam Sinus, qui constituit Portum veterem, po quem sunt Specia, & Lericia oppida. Possider insuper Genuates Heresanum, locum valde mu nitum in finibus Florentinorum, à quo loco de pendent cum oppido Vintemillia, multæ arce castella, pagi atq; villæ.

Inter tres Insulas, quæ non longe distant a Italia, *Corsica* minima est, cedens amplitudine S ciliæ & Sardiniæ. Græci eam appellant *Cyrnu* à filio quodam Herculis illius nominis, exist mantque nonnulli eam ab Ouidio *Teraphnen* d ci. Ab Occidente & Septentrione respicit Ma Ligusticũ: ab Ortu Tyrrhenum: à Meridie Sa diniam. Habet enim à latere Aquilonari Capu Corsum, qua spectat Portum Veneris in Ligu ria, à quo L X. millibus tantum abest. Abell a Sardinia, si Straboni credimus L X. stadiis, a non nisi vno milliari Germanico distare tradũ quod conficit iter duarum horarum. Idem S ra bo tribuit huic Insulæ longitudinem CLX. mi lium, cum tamen non habeat nisi CXX. mil. Pl nius latam facit mill. LX. Strabo LXX. quod ve rius est, vt ex dimensione constat. Ambitus pra cise habet mill. C C C X X V. Sita est in quint Climate, occupatq; XII. & XIII. Parallelum, v longissima eius dies sit per æstatem horarum XIV. vel XV. Obtinuerunt hanc Insulam prisc temporibus primum Tyrrheni, deinde Carthaginenses, quibus eam Romani ademerunt, qu ea sunt potiti, donec à Saracenis fuerunt expul si. Hi rursum eiecti sunt per Genuenses quos vi cissim profligauere Pisani. Inde venit sub domi nium Pontificum: ad extremum eam stabili im perio sibi subiecere Genuates, qui & nostra me moria obtinent. Nunc bifariam II. partes eam

distin-

ſtinguunt. Plagam quæ Orientem Solem ſpicit, latus interius : partem huic obuer-
m, Latus exterius vocant. Pars quæ Italiæ
opior eſt, Ciſmontana; & quæ verſus Sardi-
am excurrit, Vltramontana dicitur. Nume-
uit olim in ea Plinius vrbes XXXIII. quod
iam ex eo notauit Martianus Capella : quan-
iam Straboni non tam Ciuitates quam Ca-
lla fuiſſe videantur, qui ſuo tempore tantum
atuor in ea vrbes numerat. Romani duas in
m deduxere Colonias : Marianam vnam, &
eriam alteram, à Cornelio Sylla eo miſſam.
æcipuum ac prope vnicum in ea noſtro æuo
oppidum, Baſtia, non ſane amplum, haud
ocul à mari, in quo tribunal & ſedes Præfecti.
In extrema Inſula, qua Sardiniam ſpectat, Ca-
um eſt Bonifacii, olim Portus Syracuſanus,
rtum habens percommodum. Miſerunt Ge-
enſes ante aliquot annos Coloniam Ligu-
n, vt eo pacto habitatiorem efficerent Inſu-
n, qui noui Coloni extruxerunt haud procul
onifacii Caſtro paruum oppidum, quod Por-
n Veterem dixerunt. Aleria diſtat quaſi tri-
s milliaribus Germanicis à Baſtia, ſed hoc
npore in ruderibus iacet, nec quiſquam ibi
itat præter paſtores gregum. Epiſcopi ſe-
, quæ olim hic fuit, Baſtiam translata eſt. A-
iam in aliquo numero habent Corſi, ſed re-
a exigui momenti eſt. Cum Galli hanc In-
m aliquot annis poſſediſſent, facta poſtre-
inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ pace, quod
tigit anno A N.C. M D LIX. reſtituta fuit
iuatibus.

Qualitas & ingenium terræ.

Eſt Liguriæ ſolum magna ex parte aſperum,
nontoſum, attolliturque ab omni prope
re rupibus atque præcipitiis, per quæ te-
s ad mare patent aditus, vnde Strabo ni pe-
s ſterile iudicatut, & quod nihil memora-
lignum habeat; præter vaſtas ſyluas, & ex-
ſitæ magnitudinis arbores, fabricandis naui-
aptas, quibus nauigant etiam extra fretum
litanum. Noſtro tamen æuo melius cultum,
,olei, ac variorum fructuũ prouentu colonos
. Ager enim iuxta caſtellum Tabiam vinum
ir, quod nullo modo bonitate cedit Vino
uatico Cretenſi, nominaturque Apianum.
fert Liguria etiam maximam vim olei, vt ali-
i aliquot millia vrnarum ſiue Barilarum red-
. At ager iuxta D. Remi oppidulum Palmis,
is Medicis, Citris, Limonibus aliisque fru-
us arboreis mirum in modum luxuriat.
les circa Andoriam cooperti ſunt vitibus,
s in vniuerſum omnis ager Genuenſis amœ-
mus, frugiferis arboribus vbique conſitus,
rcedentibus vineis atque oliueris. Videtur
m quicquid gratiæ, quidquid ſuauitatis &
æuitatis tota Liguria habet, Natura in vnum
nque exiguum locum compegiſſe, qui haud
cul ab vrbe Genua diſtans, ab incolis Nerui
llatur. Hic enim locus aere perflatur opti-
& temperatiſſimo, quo ſuauior ne optari
dem poſſit, vnde fere ſemper floret humus,
& arbores pomis aliisque fructibus oneratæ
ſunt, vt non iniuria Paradiſus terreſtris nuncu-
pari queat, cum aliud anni tempus ignoret præ-
ter Vernum & Auctumnale, intenſi frigoris &
æſtus inſcius. Frumenti tamen in Liguria non
adeo multum generatur, nec copiam habet can-
nis : quicquid autẽ gignit, perfectæ bonitatis eſt.

Interiora Corſicæ magna ex parte montoſa 7
ſunt, nec agere ad culturam ſatis aptus, vnde nec
frumenti nec leguminum magnus prouentus,
præterquam paucis in locis, vbi ſe terra aperit,
fluminibusq; irrigata feraciſſima redditur. No-
biles tamen atque dulces fructus profert, & vi-
na præſtantiſſimæ nobilitatis. Abundat Inſula
melle, cera, vuis, oleo & ficubus. Cæterum mella
Corſicana amara eſſe notauere nonnulli, ob Ta-
xi copiam, è qua apes mel legere putantur.

Equi hic naſcuntur inprimis feroces, & canes
venatici ſpectatæ magnitudinis. *Muſmo* animal
hic reperitur, Plinio arietis genus, quod Corſi
Muffoli vocant, quod nuſpiam alibi per Europam,
præterquam in hac Inſula & Sardinia viſitur.
Corium habet & pilos inſtar Cerui, non lanam
vt ouillum genus. Reperitur & Alumen, & erui-
tur è terra ferrum in Comitatu Nebienſi. Sunt
& Salinæ, vulgo dictæ *della Roia*, haud procul à
Portu S. Florentii. Sunt alicubi profundæ valles,
æternis coopertæ nuibus, ſub quibus plurimum Cryſtalli inueniri tradunt. Intra Corſicam
& Sardiniam iuxta S. Bonifacii Caſtrum littus
Coraliorum apprime ferax eſt.

Scaturiunt in eadem Inſula Thermæ natiuæ, 8
ſulfuratæ, quas vulgo vocant *Balnea de Petra Pola*,
quæ tollunt ſcabiem, & laxant neruos reſtrictos,
conducuntque plurimis morbis inprimis à frigida cauſa ortis. Præcipui fluuii Inſulæ ſunt Ge-
lo, Tauignanus, Sagona.

Eſt in *Inſula Gallinaria* ingens vis pullorum 9
Gallinaceorum, qui noſtris non multum ſunt
diſſimiles, tanta tamen neſcio vnde iis eſt fe-
ritas, vt in domibus ac habitationibus huma-
nis nec oua ponant nec pullos exeludant, ſed o-
mnino in ſyluis denſiſque nemoribus.

Mores antiqui Ligurum & Corſorum.

Eſt perantiqua Ligurum veterum apud Hi- 10
ſtoricos Laus, quod in arte exercendi Piraticam
ante alias ſemper fuerint Gentes, coacti domeſ-
tica inopia, foris latrocinando quærere ea, qui-
bus domi opus habebant.

Neq; tamen ſemper latrocinabantur, ſed ali-
quando abietes ac robora ſua permutabant, à
mercatoribus pro iis accipientes oleum, vinum,
aliasque res neceſſarias. Plurimum autem viue-
bant lacte, aut carne ouium arietumq;, bibentes
factitium quoddam potus genus ex hordeo & a-
qua. Fuerunt quidam inter priſcos auctores, qui
exiſtimauerunt, hanc nationẽ à Græcis deſcen-
diſſe, inter quos eſt Strabo. Sed Thucydides eos
à Siculis deriuat. Meminit Florus quorundam
Ligurum, qui in ſpeluncis & cauernis Subterra-
neis Montium degere ſoliti fuerint, cæteta fero-
ces & bellicoſi.

De Corſis Strab. narrat, quoties Romani duces

facta in illam Insulam expeditione, numerum aliquem captiuorum secum Romam adduxerint, miratos fuisse vehementer Romanos, illorum hominum barbariem & feritatem, qui brutis quam hominibus similiores viderentur. Nam vel eos vltro mortem appetiuisse quibus possent modis, vel dominis, qui eos emerant, impatientia & stoliditate sua tantum exhibuisse molestiæ, vt eos emisse pœnituerit, quanquam paruo admodum præstinauerint.

Mores harum gentium nostri temporis.

At nostro æuo Ligures omnes, inprimis Genuates, deposita omni illa brutalitate & ferocia magnam ostendunt in rebus suis industriam, quodque sint ingenio viuido & subtili, inprimis in mercatura, quam ea dexteritate tractare nouerunt, vt multas inde sibi acquirant opes. Nullum est periculum, quod non subeant lucri gratia, vtunturque nauibus prægrandibus, nec vllis gentibus cedunt, quæ Mare Mediterraneum accolunt. Magno studio ea curant, quæ ad salutem Reipubl. faciunt, quanquam sint mobiles & factiosi præ cæteris, auidique rerum nouarum. Memorabile est quod Galliæ Rex respondit cuidam nuncianti, Genuates se velle ipsius subdere patrocinio, iussit eos in magnam malam crucem abire, in quorum consiliis nihil esset constantiæ. Statura corporis plerumque proceri sunt, & facie non ineleganti. Domi viuunt tenuiter & parce, cum autem in splendorem externum aliquid insumendum est, nullis parcunt impensis.

Sunt inter eos multi boni fortesque milites, & Duces copiarum optimi, vt apparet in familia Aurearum siue Doriarum, & Spinolarum, quibus omni laude fuit partim, partim etiamnum est maior scientia bellica. In præliis autem marinis sunt valde præstantes, in commerciis vero atque negociatione cauti ac prudentes.

Corsi plerique omnes nondum ad eam ciuilitatem & morum elegantiam peruenerunt, quam in plerisque videmus Italiæ populis. Nam feri sunt & crudeles supra modum, studentque in hac re vetus seruare Encomium, quod & Cæsar iis tribuit. Bello autem se fortes viros præstant, & pugnant satis animose, quod non vno docuerunt edito specimine. Postremo vindictæ gens hæc adeo auida est, vt Itali vsitato iactent prouerbio: Homini Corso nec viuo fidendum esse, nec mortuo; quod simul ac aliquis interfectus est, continuo omnes agnati consanguineique interfecti conueniunt, & homicidam ad mortem petunt, quem si adipisci possunt, sine dubitatione necant. Quamuis autem res transactione componatur, nemo tamen alteri quicquam fidit; quod vtrique alteris insidias struant, vt optimum factu sit, cauere sibi à reconciliatis, nec arctiorem cum illis inire amicitiam.

Cum Corsi apud exteros versantur, mutuâ sibi pro viribus inuicem præstant officia, iactantque generis Nobilitatem, quanquam plerique cum primum ab Insula ad nos veniunt, laceris sunt deformes vestibus. At reliqui omni ope conantur, vt eos rursus instruant, vestimento, que decenti adornent, cum in publicum prodeundum est. Videbis tamen inter eos, qui alii nationibus in ciuilitate & commoditate morum nequaquam cessuri sint, at hi quidem sunt in exiguo numero. Litteras atque artes meliores cum ipsi neque ament, neque discere expetant; in aliis tamen laudant atque osculantur. Antequam autem hunc de Ligurum moribus antiquis sermonem finiam, sciendum est vetus scomma, quo Genuates à cæteris Italis notantur, vt dicantur ignorantes in materia consilii. Hospites satis tenuiter excipere feruntur, ne valde hilaribus auribus eorum accipiunt aduentum, quod fere victitent lactucis & conuenienter eorum habitui corporis: at in Mercimoniis pertractandis, patienter omnia ferunt, cum ipsi sint Piratices nomine famosi, tenacontenti sorte, domesticæ rei attenti, inuidi rursus infames. Mulieres Genuensium vulgo dicuntur petulantes esse & lasciuæ.

Opes & diuitiæ harum gentium.

Ex agro Genuensium quotannis magna vi pomorum citriorum, aurantiorum, limoniorum, vt & olei plurimum in septentrionalia loexportatur, magno cum incolarum emolumento.

Virium quod in Corsica crescit, etiam Rœmæ, quo magna copia deportatur, in summa existimatione. Sunt præterea Genuates facienda versura & cambio præ cæteris versatissimi: quod quidem lucri genus ad priuatos duntaxat redit, non ad vsum Reipubcæ. Prouentus enim annuus ciuitatis non perat triginta millia coronatorum, quod arum velut censum viritim à ciuibus colgunt.

Cæterum opes Reipublicæ consistunt in vectigalibus & portoriis, quæ pleraque impenduntur in sumtus Palatii, quod cæteræ tetræ possessiones Reipublicæ suis sufficiant Præsidus præfectisque. Estque hic redditus, qad CCCC. millia Coronatorum constitu Hypothecæ nomine assignatus Societati Motis sancti Georgii, quæ eos prouentus detre ac prudenter disponere nouit, vt vtilsint Reipublicæ. Ex Hispania tantum aquirunt lucri, vt vix vlla ciuitas Italiæ quæ priuatim ciues habeat opulentiores. Suenim inter eos, qui quotannis certum amodum percipiunt, vt quoties opus est, apnotos Mercatores tantum pecuniæ conficiaquantum Regi Hispaniæ opus est. Debet autis Rex Genuatibus incredibilem pecunvim, quod vel hinc colligere licet, quod anGratiæ M DC. mercatores publice inita ratio

con

ompererint, regem Hispanum debere sibi ad VIII. auri Milliones. Hinc facile est coniectura equi, quantum id æs alienum ad hæc vsque mpora excreuerit, si modo Genuenses, vti ctenus soliti fuerunt, numerare perrexe-nt.

De ipsius Reipublicæ prouentibus, nemo est, i certam iniuerit rationem, quantum ex con-nentis Italiæ terris ipsa quotannis percipiatur-tranturque complures, illam publice diui-m admodum non esse: quodque necesse sit turum, si quod negocium grauis momenti iiceretur, priuatorum vti Thesauris, quod rtum sit, scrinia arculasque Genuensium non eo turgere posse, vt Venetorum. Quod au-n in tam exiguis Thesauris eos animosos & nfidentes facit, est, quod in Rege Hispa-magnum habeant præsidium, qui, parum est, quin eorum sit non tam Patronus quam ominus. Ex Corsica Insula Respublica Genu-sis vel perparum vel omnino nihil percipit, m omne id æs in præsidia militum, aliosque is Insulæ necessarios insumatur.

Robur regionis & potentia militaris.

Non habet Respublica Genuensis, quod glo-tur de munitis locis atque fortalitiis per Ita-m: & ipsa quidem Vrbs, quanquam muros beat optimos, & ingentem tormentorum llicorum numerum, magis tamen fidit in Re-Hispani præsidio, quam suis viribus. In rsica Insula cæteris munitiora sunt Bastia idum, & Aiacia, & Castellum Bonifacii, bet autem vsitato more Respublica in ipsâ e Genuensi aliquot Corsorum militum si-, quæ præsidio sunt ciuitati; vti vicissim in In-a Genuenses in firmioribus locis in præsidio locantur. Præter hos consueuit Respublica quot signa equitum alere, quorum id est offi-m, vt littus maris cursim obequitantes, Tur-Piratas prohibeant, ne in littus exscendere fint, & rapinis cædibusque infestare mari-a loca, cum constet, latrones istos multo-rapuisse homines, inque Africam vendi-se.

In vniuersum reputanti planum fiet de Ge-tium robore aut viribus magnifice senti-dum non esse, excepto mari, vbi adhuc satis t potentes; accedente firmo Hispani regis entaculo, quod Reipublicæ nunquam de-urum est, nisi ipsi regi graue nascatur bellum, quod conficiendum omnibus suis viribus o-sit habiturus.

Habet præterea Respublica Genuensis per-uo quatuor triremes, quæ nauigando cir-n littora Liguriæ, tuta ea præstant à Pirata-n excursionibus. In Armamentario Genu-i, ex lege veteri debent esse perpetim trire-s militares XXV. vt instrui armarique pos-; quoties repentinus vsus exigit.

Modus Gubernationis.

Anno A N. C. M D XXVI. instituerunt Ge-nuates aliam ac diuersam à superiore guberna-tionis Reipublicæ formam, qua in hunc vsque diem vtuntur, estque talis. Describuntur omnes familiæ opulentiores, tam Nobiles quam Ple-beiæ, quæ quidem habeant sex domicilia aperta intra vrbem, atque ita subducta ratione depre-henduntur XXVIII. ad hunc modum. Omnes cæteræ familiæ, quæ totidem domicilia aperta non habent, quanquam satis splendidæ sint & opulentæ, adiunguntur tamen illis viginti octo, ita vt gubernatio publica sit maneatque penes illas familias (quas & tribus appellare possis) viginti octo, cum titulo Patriciorum siue Nobi-lium, exclusa populo, nec tamen prohibitis Nobilibus illis, si velint suo numero adiunge-re decem plebeias familias, quæ vel opibus vel virtute ad nobilitatem accedere possunt, idque singulis annis. Ex omnibus his tribubus fami-liisve legitur Senatus quadringentorum homi-num quotannis, qui vna cum Duce & Guber-natore capessunt Rempublicam. Hi CCCC. viri eligunt Ducem, suntque Gubernatores o-cto cum Magistratu per biennium. Hic porro Senatus tractat omnia maioris momenti negocia, inprimis incrementum & incolumitatem Reipublicæ, repræsentantque adeo ipsi cum Du-ce Rempublicam ipsam.

Quod si quæ res minoris momenti in delibe-rationem veniat, vtitur magnus ille Senatus mi-nore consilio, quod constat centum Nobilibus, qui missis per Senatores maioris consilii calculis eliguntur ex corpore CCCC. virorum.

Totius Reipublicæ atque Senatus caput est 15
Dux, ornaturque conuenientibus titulis & ho-noribus. Est hæc dignitas perantiqua in Ciuita-te, duratq; per biennium, quo tempore habitat in Palatio Publico, stipatus præsidio quingento-rum militum Germanorum, velut Prætoriano-rum, vt ita absolutum aliquem Principem re-præsentare videatur. Cum primum in Ducem e-lectus est, gestat per duos dies habitum Duca-lem, deinde alio vtitur vestitu splendido quidē atq; precioso, ex holoserico purpurei vel viola-cei coloris. Auctoritas eius magna valde est, cum ipsi soli liceat proponere Senatui quicquid visum fuerit, quod alii Senatori nequaquam permis-sum est. Et hæc causa est, vt si quis quid habeat, quod ad Reipublicæ emolumentum pertinere arbitretur, necesse sit, vt prius de eo cum Duce agat, qui deinde proponit Senatui.

Est autem modus eligendi Ducis talis. A. D. III. Ianuarii mensis conuenit Senatus cum con-silio minore in certo loco, excluso tamen Duce, qui elapso Principatus sui termino primo il-lius mensis die in suam migrat domum, manet-que ibi priuatus cum titulo Procuratoris Rei-publicæ. Ergo Senatus cum Minore Consilio eligit viginti octo viros Nobiles, ex qualibet tribu vnum, qui statim vbi electi sunt, vocantur ad Palatium, includunturque in locum separa-tum cum Senatoribus, qui vel per ætatem vel per contumaciam familiæ sunt inhabiles ad ca-pessendum Principatum. Hi rursus eligunt alios

XVIII. qui vna cum superioribus XXVIII. proponunt Magno Senatui, quos ipsi dignos iudicent Principali dignitate. Dignum autem est obseruatione, quod fas nõ sit, Senatui plures quam quatuor proponere siue nominare, quodq; necesse sit, vt in electione eorũ duæ tertiæ partes ex vigintioctoviris consentiant cũ illa Senatus parte, quibuscum cõtulere consilia, & eos quatuor quidem oportet omnino esse è Senatorũ numero. Hoc facto Senatus vterque conuenit, & ibi proponuntur nomina quatuor illorum, quos Electores Principatu dignos iudicauerunt, mittunturque ab Vniuerso Senatu calculi, & qui vincit numero suffragiorum cæteros, è vestigio salutatur Dux & Princeps Reipublicæ.

16 Sunt præterea Gubernatores VIII. qui assidet Duci velut eius Consiliarii, quorum officũ expirat biennio exacto, qui cum Principe præsunt Reipublicæ, nec tamen Decretum facere possunt soli in causis magni momenti, vel quæ salutem Reipubl. concernunt, sed remittunt omnia ad Maius Consilium. Eliguntur autem hi Gubernatores bini in hunc modum.

Conueniente Magno Senatu & Consilio Minore cũ ipso Duce eliguntur XXVIII. viri, ex singulis tribubus singuli, qui cũ Senatu & Principe nominant aliquando XII. aliquãdo XIV. ex quibus senatus missis calculis vnum eo quidem die eligit. Altero die eodẽ obseruato ordine secũdus eligitur. Et sic elapsis sex mensibus eadem repetitur electio. Cum quis Gubernatorum istorum elapso biennio decedit Magistratu, manet S. Georgii Procurator per annos duos, vt semper in Collegio Procuratorum sint octo, qui fuerunt Gubernatores Reipublicæ, qui cum Duce, Maiore Consilio, & Nouis Gubernatoribus in Senatum veniunt, & de causis grauioris momenti deliberant. Incumbunt autem his Gubernatoribus potissima Reipubl. negocia, habitantibus duobus cum Duce in Palatio, cæteris in suis ædibus, ita tamen, vt alternatim tertio quoque mense alii duo in Palatium concedant.

Funguntur autem quidam ista Procuratoria dignitate per omnes vitæ suæ dies, & hi sunt qui aliquando Duces fuerunt: cæteri, qui tantum Gubernatores fuere, exacto biennio decedunt Magistratu. Vna tamen tractant negotia publica, inprimis prouentus, vectigalia, ærarium Reipublicæ, quo fit vt in magna sint auctoritate, maximique fiant à populo.

17 Occupantur autẽ omnes hi Magistratus duntaxat circa administrationem Reip. Nã quod ad Iudicia attinet, inprimis in causis Criminalibus, est ibi summus quidã Iudex, peregrinus fere atq; Doctor Legum, cui Senatus honestũ soluit Salarium, assignaturq; ei Palatium vicinum ei, in quo Dux ipse habitat. Cognoscit hic atq; fert sententiam de omnibus criminibus, quæ si sit capitalis, mittere eam in executionem non potest, nisi de consensu Senatus. Adiunguntur autẽ huic summo Iudici duo quidã alii Doctores Iuris, & ipsi peregrini, quorum vnus appellatur Iudex Maleficiorum, alter Præfectus Fisci, quorum ope Primus ille vtitur in ferenda sententia capitis alii que causis criminalibus. In causis ciuilibus Pri marius ille Iudex vtitur Legato suo, qui ius dicit

Est & aliud officium Septemvirale, quod ex traordinarium vocant; cuius tanta habetur au ctoritas, vt fere ipsum Principem repræsente quod in solis causis salutem Reipublicæ concer nentibus occupetur. Possunt autem Septemvi illi vel prolongare vel contrahere causarum a ctiones, constituere pupillis tutores, & si agna inter se litigent, aut si pauperi sit controuersia c diuite, dant hi Septemviri iudicem qui fer sententiam inter litigantes. Durat autem hoc o ficium mensibus VI. estque magnæ auctoritati

Magistratus alius dicitur Quinquevirali constans quinque supremis Syndicis, qui po sunt pro auctoritate rationem vitæ ac gestoru reposcere, tam à Duce, quam à Gubernatoribu cum expirauit tempus dignitatis eorum. In ca sis Reipublicæ idem facere solent; quod cæte Magistratus possunt q; multam irrogare Duci Gubernatoribus, si quid præter officium feci comperti sunt: Abeuntibus autem Magistra Duce & Gubernatoribus, mãdante Senatu Pra co magna voce proclamat: si quis quid habe contra Ducem aut Gubernatores; vt veniat Syndicos, & conqueratur. Hac de causa perro octiduum commorantur Gubernatores cu Duce in loco Syndicis assignato, quibus dieb finitis, vel puniuntur, si in noxa fuerint; vel a soluuntur si extra eam; ornati etiam testimon publico Senatus, quod recte fecerint officiu sine quo ad Procuratoriam dignitatem admi non possunt. Est & ad hos Syndicos prouoc tio ab aliis Magistratibus; constatque vel ex quanta sit huius officii dignitas, quod in Sen tum veniunt, & intersunt deliberationibus Republica, & assident Duci in ipso Palatio, vn mirandum adeo non est, quod Patres ad Sum mi Syndici dignitatem elegerint Andream Aurea.

Nunc deinceps etiam aliquid dicendum de causis ciuilibus. Igitur in his constituti su quinque Iurisconsulti, Peregrini quidem, vt si guli annis binis præsint: & istud quidem Iur consultorum corpus vocatur Consilium Rot Cognoscunt hi Doctores de causis ciuilibu commorantur q; in Palatio Ducis, iudicant q controuersias ex iure ciuili Cæsareo, aguntur causæ ex more iudiciorum consueto ciuitatis, ab antiquis temporibus.

Quod ad collegia mercatorum & opificu sunt certi quidam Censores, qui dant operam venditores rerum, aut qui negotiantur, iustis tantur ponderibus & mensuris, ex legibus Ciu tatis, vtentes ad eam rem artificum Præfect quos nominant vulgo Consules. Valet autem quisque Consul in sui artificii hominem magn auctoritate, inprimis is, qui iis præfectus est, q fericum tractant, plus cæteris potest polletqu vt possit eos ignominia notare, proscribere è p tria, remo ad tempus addicere, vel aliis pro del cti magnitudine afficere pœnis.

Sun

Sunt in vrbe Genua XL. Tribuni militares si-
e Centuriones, è Nobilitate lecti, qui singulis
inis mutantur. Habet autem quisq; sub se vi-
os centum è populo, vt in vniuersum euadant
Millia, quibus vtitur Respub. in omnibus re-
entiis casibus, vt si in rebus dubiis custodien-
r est Ciuitas, vel Princeps atque Senatores
egre proficiscuntur, tunc XL. illi Centurio-
es comitantur eos, ornati vestibus holosericis,
o dignitate Reipublicæ. Præter hæc IV. lecto-
m ciuium millia, omnes mares, tam in ipsa Vr-
e quam suburbiis, ab anno ætatis vicesimo vs-
e ad sexagesimum, iubentur profiteri nomina
ud certos suos Centuriones, qui eos in nume-
o habent, erudiuntque, vt quoties ita facere
si fuerint, adsint armati.

Denique habet Respublica Genuensis per-
tuo summum aliquem copiarum ducem,
em Generalem vocant, cui & armorum cura
que inspectio demandata est, vt quoties iis o-
s est, armari ciuitas recte queat.

Officium & Magistratus S. Georgii, quod in-
cætera nobilissimum est in tota Ciuitate, in-
utum fuit anno A N. C. M CCCC VII. Hu-
beneficio Respublica longo tempore conser-
á fuit; quæ cum ob soli asperitatem & multis
locis sterilitatem, terra diuitias extrahere non
llet, habuit tamen semper viros acuto inge-
magnique iudicii, ad excogitandas rationes
piscendarum opum, quibus Respub. in ne-
itatibus constituta vti posset. Hinc factum
vt superioribus temporibus il, qui tractabant
goria publica, à priuatis colligerent pecunias,
voluntarias vel coactas. Ne autem ciues ad
nc modum pecuniis emuncti causas habe-
t conquerendi, soluit iis Magistratus vsuram,
entum coronatos septem, octo, vel etiam a-
uando decem, pro ratione & diuersitate tem-
rum; vtque inposterum nummatiores ciues
iori promtitudine darent mutuum, pignoris
o ipsis assignati fuere prouentus publici, ex-
pli gratia vectigalia vrbis, aut alia quædam
a, iurisdictiones frumentariæ, vinariæ, confe-
s super ea re litteris publicis. Et qui ad hunc
odum fruebantur pignoribus & Hypothecis
s, dicebantur ea Emisse vel Comparasse sibi:
contractus omnes, cum in immensum cre-
rent, & multum gignerent confusionis, po-
emo omnes ad Officium S. Georgii redacti
t, vnde hoc natum est nomen.

Cumque manifeste cognosceretur huius of-
i dexteritas, quod res illas, de quibus dixi
s, magna gereret prudentia & iustitia, quod-
multum vsui esset Reipublicæ, creuit eorum
metus, qui illi præerant singulis prope die-
, vt postremo huic Officio multas subiece-
t terras, dominia & possessiones. Accesserunt
nde multa Priuilegia, quæ illi Officio data
t primo quidem ab ipsa Republica, deinde
m à Pontificibus, Imperatoribus, aliisque
ncipibus, qui Genuæ dominati fuerunt. Sic
ur habet: quamuis Officium Georgianum à
publica dependeat, & ab illis qui gubernant
palatium, Magistratibus tamen & Gubernato-
ribus Ciuitatis subiectum non est, sed contra o-
mnes, qui ad Magistratus & Gubernationem
Reipublicæ admittuntur, iuramento se obstrin-
gunt, conseruaturos se iura atque Priuilegia Of-
ficii Georgiani. Vt autem pleraque huiusmodi à
tenuibus originem trahunt initiis, post vero ado-
lescunt & ad maturitatem quamdam suam per-
ueniunt: ita Magistratus iste Georgianus multo
commodioribus nunc, quam olim, regitur legi-
bus. Acquisiuit sibi insuper hoc officium quæ-
dam dominia cum luculentis redditibus, quæ ab
initio omnia non habuit: breuiter multo iam
plus potest polletque tam in expeditione causa-
rum, quam pœna delinquentium, & rectura sub-
iecti populi, quam olim.

Qui ergo res Ciuitatis Genuensis exactius
considerabit, videbit, contineri in illa velut duo
quædam corpora aut Communitates, vnam Ma-
iorem, alteram Minorem. Maior regitur à Pala-
tio, complectiturque totam Ciuitatem. Minor
dependet ab officio Georgiano, in iis duntaxat
rebus, de quibus supra diximus, comprehendit-
que omnes Præturas. Maior mutationibus ob-
noxia est, & sæpe perpessa dominos violentiores
cæteris: Minor semper fuit libera firma, suisque
constans ciuibus.

Habet etiam hoc Officium Georgianum o- 22
cto Gubernatores, quos vulgo appellant Prote-
ctores. Durat iis hæc dignitas non vltra annum,
leguntur que singulis senis mensibus quaterni
simul ex omni Prætorum Collegio, creditori-
bus regionis & extraneis, certo tamen singuli
numero, hoc pacto.

Eliguntur ex omni Creditorum numero viri
LXXX. qui cum conuenerunt, & ex vrna nomi-
na quædam extraxerunt, denuo coniiciunt in
eam LXXX. sortes, è quibus extrahuntur nomi-
na XXXIV. & hi includuntur certo conclaui, è
quo eis egredi fas non est, nisi prius octo elege-
rint protectores.

Præterea anno A N. C. M CCCC XLIV. 23
creatum fuit aliud officium Octouirale, quod
ab anno quadragesimo quarto supra millesi-
mum quadringentesimum appellationem tra-
xit, vt Quadraginta quatuor virorum etiam ap-
pellatum fuerit. Causa fuit, quod Officio supe-
riore vehementer aucto spatio triginta septem
annorum, Protectores non potuerint expedire
vno anno negocia, quæ oblata fuerunt; vnde
nouis opus fuit quasi inferioribus Magistrati-
bus: habet autem hoc Octouirale Officium sub
se cum Insula Corsica plura oppida aliaque loca
non parui momenti, quorum prouentus in vsus
Reipublicæ conuertuntur. Mittitur autem sin-
gulis annis in eam Insulam Præfectus Genera-
lis, qui residere solet in Bastia Ciuitate, vt & sum-
mum tribunal Iustitiæ, quod Genuenses ibi
constituerunt, cuius profecto magnus rigor est
& seueritas in miseros Corsos, vt vix fe-
rendi sint tam acerbi exactiq;
iudices.

DE RELIGIONE ET REBVS Ecclesiasticis.

24 Profitentur omnes Genuenses & Corsi Catholicam fidem. Est & Genuæ Archiepiscopus, sub quo sunt hi Episcopi: Sarzanensis, Bobiensis, Brumacensis, Metenensis siue Maranensis, Acoiensis, Naulensis, Albingaunus, & in Corsica Insula Nebiensis.

Episcopi Corsicæ sunt hi præter Nebiensem; Aiacensis, Aleriensis, Sagonensis, Ciuitatensis; & hi quidem sunt suffraganei Archiepiscopi Pisani.

RESPVBLICA LVCENSIS.

SVMMA CAPITA.

1 *Origo nominis Vrbis Lucæ.*
2 *Eius situs, ambitus murorum, ager, fines.*
3 *Crux aurea immanis precii, quæ conspicitur in Templo Vrbis Lucæ, olim à Pisanis oppignorata Lucanis.*
4 *Luca Vrbs olim sub potestate Gothorum, deinde Imperatorum Græcorum. Habuit varios dominos.*
5 *Ager Lucanus fertilissimus, aere fruitur salubérrimo.*
6 *Lucenses ingenio præditi subtili & acri, vrbani, amatores libertatis, Idioma eorum iucundum & purum.*
7 *Opes eorum consistunt in præsenti pecunia & negociatione Serici.*
8 *Respublica Lucensis per se imbecilla, nec eius potentia, vt hostilem vim à se propulsare suis viribus possit.*
9 *Senatus Lucensis è triplici hominum genere compositus. Caput Reipubl. Confallonerius; quomodo is crectur Commandator Ciuitatis, & quæ sit eius potentia & auctoritas.*
10 *Secretarii tres, quod sit eorum officium, quæ iurisdictio.*
11 *Consilium Colloquii compositum ex octodecim ciuibus.*
12 *Sex viri Præfecti ærario.*
13 *Consilium Rotæ compositum ex tribus Doctoribus Iuris peregrinis.*
14 *Curia Mercatorum constans nouem viris. Officium Abundantiæ.*
15 *Commissarii militares qui.*
16 *Consilium Discolorum quale.*
17 *Consilium Diuersoriorum, compositum ex octo viris, quibus incumbit vt curam habeant exterorum atque hospitum.*
18 *De Custodia Palatii.*

1 LVca Vrbs est elegans & ampla, nomen sortita, vt vulgo putatur, à Lucumone Rege Hetruscorum: ipsa quoque sita in Hetruria siue Tuscia. Ait Strabo Lucam Vrbem propinquam esse Montibus Lunæ. Ne autem perquiramus, quanta olim fuerit, constat, eam nostra ætate habere tria millia in circuitu.

2 Sita est in planitie, non procul à montibus supra Ceruiam amnem. Cingitur muris optimis, ornaturque multis ædificiis publicis priuatisq; splendidissimis. A Septentrione contingit vallem Carfagnanam, quæ ferax est omnium rerum bonarum, & plena populo bellicoso, ac ad militiam promto. A cæteris partibus omnibus cingitur Magno Ducatu Hetruriæ siue Florentiæ.

Præcipuum in ea Templum S. Cruci dedicatum est. Spectatur in ea Crux aurea magni precii vt quæ XV. millibus coronatorum æstimetur, quam Pisani aliquando oppignorauerunt Lucanis, ea conditione, vt redimere possent, quod tamen hactenus factum non est.

Sæpius hæc Vrbs mutauit dominos. Primo enim fuit sub dominio Gothorum, deinde paruit Imperatoribus Constantinopolitanis; post hos Phaseolis, Castruciis, Spinolis, Scalanis, Florentinis, postremo Pisanis. Sed & Carolus Bohemiæ Rex eam aliquando possedit, constituto ibi Præfecto Cardinali quodam, qui accepti XXV. millibus Scutatorum, Vrbem liberam fecit. Fuit hæc prima Vrbs Hetruriæ, quæ fidem Christi amplexa est.

Qualitas agri Lucani.

Quamuis non late pateat territorium Lucanum, optimum tamen est & fertilissimum, quod abunde compensat colonorum laborem. Aere perflatur bono & salubri, vt raro compertum sit, contagiosos morbos ibi sæuiisse.

Mores & consuetudines.

Habentur communiter Lucani affabiles, humani modestiq;, benigni erga quosuis, qui multum candoris atq; libertatis ostendant in omnibus suis actionibus. Ingenio fere sunt acri viuideque, apprehenduntque facile omnes artes, ad quas applicant animum. Libertatis amatores sunt maximi, qui ad eius conseruationem nec sanguini nec vitæ parcunt. Ciuium pleriq; sunt addicti mercaturæ & negociationi. Dicunt de Lucensibus Itali, eos ante alias artes amare scientiam Sacrarum litterarum, esse benevolos ac liberales in excipiendis hospitibus, faciles ad ignoscendum, qui in negotiis contractibusque maximam habeant bonæ fidei rationem, ipsi inter se quoq; boni ac recti obseruantes & à fraudibus alieni: Mulieres earum studere præ aliis fœminis Italicis pudicitiæ. Vt autem inter Italica Idiomata Hetruscum habetur optimum, sic in ipsa Hetruria Lingua Lucensium commendatur ob suauitatem & puritatem: neque enim inceptis accentibus odiosa est, vt cæterarum Tuscarum ciuitatum.

Ope

Opes & Diuitiæ.

Sunt communiter ciues Lucenses cum re
auta & opulenti, ob frequentia mercimonia
quæ tractant, exercentes negotiationes suas
er totum prope Orbem Christianum, in quo
amen genere primas sibi vendicat mercatura
ericæ materiæ, cuius nomine clari sunt & ce-
ebres per totam Europam. Cum Castruccius
Castracanus Tyrannidem Vrbis arripuisset,
ulti è ciuibus odio seruitutis alio migraue-
unt, detuleruntque secum non solum magnas
diuersa Italiæ oppida diuitias, sed & artem
randi serici, Florentinos vero etiam docue-
unt rationem conficiendi pannos è filis aura-
, in quo artificio excellere creduntur Lucen-
. Ipsa respublica valde diues esse non po-
st, vt cuius iurisdictio non late pateat: ha-
t tamen singulares rationes atq; modos con-
iendæ pecuniæ, qua nequaquam destituia
r.

Robur & vires militares.

Ipsa Vrbs Lucensis fortis habetur ratione si-
s, accedentibus firmissimis muris, instructa
rmentis machinisque bellicis, creditur que
tra sua pomœria comprehendere XXIV. mil-
hominum. His autem omnibus non obstan-
us, & quod Gothi in ea sex mensium obsi-
onem pertulerunt, obsidente Vrbem Narsete,
stiniani Imperatoris duce belli: creditur ta-
n non earum esse virium, vt diu resistere pos-
Magno Duci, si illam armis aggredi vellet, si-
que subiicere, nisi ab aliis adiuuaretur. Est
men communis sententia, eum plus inde
mmoditatis & vtilitatis percipere, quam si
libera seruam faceret, sibique mancipa-
.

MODVS GVBERNATIONIS.

Vt aliarum Rerumpublicarum ita quoq; Lu-
nsis fundamentum est Senatus, quod ab hoc
dependeat, & inde nascantur omnes Magi-
tus reliqui, qui velut certa quædam & inten-
ntia sunt huius corporis membra.

Igitur Senatus omnes causas & negocia pu-
ca tractat, estque adeo Respublica ipsa. Con-
autem è tribus hominum generibus. Primi
t, qui Ordinarii dicuntur, & hi manent in ea
nitate per annum vnum. Secundi non sunt
dinarii, sed quasi voluntarii, cum nulli certo
pori sint alligati. Tertii subrogantur in lo-
demortuorum. In vniuersum autem con-
Senatus CLX. ciuibus, quanquam fere vltra
X. non sint.

Diuiditur autem Luca ciuitas in tres partes
Tertias: Vna dicitur sancti Saluatoris, se-
da sancti Paulini, tertia S. Martini. Ex his eli-
Senatus Consilium Nouemuirale, ex vna-
que ciuitatis parte tres, qui iunctim nouem
stituunt, penes quos est summa potestas.
Præter hos creat Senatus Caput quoddam
publicæ, quod ipsi Confallonerium vocant,
& hic quidem eligitur nunc ex ha, nunc ex a-
lia ciuitatis Tertia, puta è Tertiariis Saluatoris,
deinde Paulini, postremo Martini, obseruato
hoc ordine in successione. Hic additur No-
uemuiris, vt ita decem sint qui regunt Rempu-
blicam, quorum magistratus finit exacto trien-
nio, vocanturque omnes, excepto Confallone-
rio, Seniores.

Electio autem fit hoc modo. Primo creantur
tres, quos ipsi sortitores vocant, ex vnaquaque
regione ciuitatis vnus. Penes hos est numerare
calculos siue sortes eorum qui eliguntur, è qui-
bus cum Senatus elegit quos voluit, iidem cre-
ant Confallonerium, assumpto ad hoc officium
eo, qui videtur aptissimus, dignissimusque. Dum
autem hæc electio fit, morantur dicti Sortitores
in loco separato, numerantque calculos, donec
eos sufficiente habeant numero: oportet autem
vt omnino sint CXXIV. sufficitque id solos nos-
se Sortitores, nec est necesse, vt significent Sena-
tui. Ne quæ autem fraus aut dolus ab ipsis Sor-
titoribus committatur, assident eis duo Mo-
nachi, vnus è familia Franciscana, alter è Domi-
nicana.

Habent præterea hi Sortitores potestatem,
iis, qui ad capessendos Magistratus electi sunt,
certum constituere tempus, quam diu illo fun-
gi quisque debeat: omnia autem fiunt in secreto
& sub fide silentii.

Creatis ergo Sortitoribus, creantur Nouem-
uiri, qui Magistratuum omnium primi sunt: pe-
nes hos est administratio Iustitiæ, largitiones,
& cognitio libellorum supplicum. His non li-
cet efferre pedem Palatio, sed semper in eo ma-
nent, constituta pœna capitis: His Senatus præ-
bet alimoniam.

Ex decem igitur illis Magistratibus, adnume-
rato Confallonerio, eligitur vnus aliquis cum
Titulo Commandatoris, quod alternatim fit, e-
lapsis tribus diebus, quibus diebus pro authori-
tate potest mandare omnibus collegis suis, et
etiam ipsi Confallonerio: decernere tamen ali-
quid in negotiis publicis solus non potest, quan-
quam si libellus supplex offeratur Commanda-
tori, in sua habeat potestate eum vel exhibere
collegis vel non: qui si exhibeatur, proponit eum
Confallonerius Senatui.

Officium Secretariorum, qui numero tres 12
sunt, maximi momenti est. Nam penes hos solos
est auctoritas, tractandi ea negocia, quæ concer-
nunt Maiestatem Reipublicæ, quæ res facit, vt
absoluta vtantur potentia, & sint supra Confal-
lonerium. Antequam autem quicquam conclu-
dant, decernantque, oportet, vt eius rationem
reddant Senatui, quanquam aliquando sic exi-
gente casu tunc demum reddant rationem, cum
res facta est, & promptam requirit expeditio-
nem, vt non possit citra periculum expectari do-
nec conueniat Senatus.

Consilium Colloquii (quod ita vocatur) cō- 13
ponitur ex XVIII. ciuibus, qui eliguntur per Se-
natum. Horum officium est, si forte Decemuiri
siue summi Magistratus dubii sint in ferenda sen-

tentiâ alicuius controuersiæ, nec satis iis liqueat, vt ipsi rem in deliberationem vocent, communicatoque cum Decemuiris consilio, si ita videatur, Senatui proponant.

12 Sex virorum officium est, curam habere expensorum & prouentuum publicorum, suntq; instar Quæstorum & Præfectorum Ærarii Reipublicæ; qui inter eos dicitur Camerarius, ea in executionem mittit, quæ in deliberatione decreta sunt: eliguntur que hi omnes à frequenti Senatu.

13 Rotæ Iudicium Lucensibus commune est cum multis Italiæ Vrbibus, constat autem tribus Iureconsultis Peregrinis, quos quinquagesimo ab Vrbe Luca natos esse necesse est milliari. Mutatur horum dignitas singulis senis mensibus alternatim, vt vnus sit cum Potestate, alter Iudex causarum capitalium, tertius ciuilium: & hi hoc pacto sibi inuicem succedunt, vt qui hoc semestri fuerit cum Potestate, sequenti fiat Iudex criminalis, tertio ciuilis, succedentibus cæteris. Si primus inter eos, quem Potestatem vocant, damnet aliquem ex ciuibus ob noxam capitalem, exhibet Senatui sententiam suam scripto comprehensam, quam pœnam reus meritus fuisse videatur. Senatus vel probat vel reiicit illius sententiam, qui tamen eadem de causa ipse ingreditur in Senatum. Si vero peregrinum habeat sub manibus, qui ciuis non sit, exequitur sententiam suam absolute nemine contradicente. Vno verbo, per tres istos exercentur iudicia & tractantur omnes controuersiæ ciuiles.

14 Sunt & præfecti rei Frumentariæ, qui operam dant, vt semper præsto sit annona in totum sufficiens triennium. Sunt hi frequentes in granariis & repositoriis frumenti, dantq; operam, ne quid detrimenti ab gurgulionibus capiat, sed & sufficiunt de nouo, quantum absumtum fuit.

15 Cumque apud Rempublicam Lucensem certi conuentus sint eorum, qui se exercent in armis ad capessendum, si ita vsus ferat bellum; constituti sunt sex Commissarii, quibus imperium est in illos conuentus militares, qui omnia quæ in hoc genere decernuntur, pro suo constituunt arbitrio. Præter hos sunt tres viri è Senatu lecti, quibus incumbit dare operam, vt sanitas in ciuitate conseruetur, profligatis morbis contagiosis. Curant igitur, vt salubria vendantur alimenta, vt sordes ac quisquiliæ exportentur Vrbe, vt semper Alexiteria præsto sint aduersus pestem aliosque epidemios morbos, qui subinde solent affligere magnas Vrbes.

16 Cumq; in omnibus prope ciuitatibus reperiantur errones & ocio ac desidiæ dediti nebulones, qui vitam vel mendicitate vel malis artibus transigunt, & ciuibus molesti sunt; est apud Lucenses institutum Consilium, quod Discolorum Græca voce dicitur, id est vagabundorum & lurconum. Conueniunt hi certis temporibus per annum, suumque quasi quendam habent Senatum, licetque in eum ingredi omnibus. Stat ibi cistula lignea, in quam cuiuis fas est conijcere schedulam inscriptam nomine perditi & luxuriosi alicuius. Quod si exemtis sortibus vnius alicuius nomen in pluribus inueniatur scriptum schedulis, habetur pro Discolo, deferturque ad Senatum, incuius damnationem si missis suffragiis duæ tertiæ Senatus conueniant, proscribitur atque ciuitate eiicitur.

Damnatus proscriptusque ad hunc modum iubetur per triennium exulare, & ad quinquagesimum milliare abesse non ab Vrbe duntaxat sed & ab omni Iurisdictione Vrbana: intra quod tempus, si domum reuerti ausus fuerit, actum est de eius vita. Damnatus autem sufficiente suffragiorum numero, antequam Senatus dimittatur, publicatur voce præconis in quatuor Fori partibus Discolus & inutilis ciuitati, iubeturque e adhuc vespera exire ciuitate atq; vertere solum. Exacto triennio, cum in Vrbem reuersus est, ne corrigit profligatam vitam, denuo eiicitur i exilium eodem modo atque ordine. Multur autem habet simile hæc proscriptio cum Ostracismo Atheniensium, nisi quod Athenienses eos duntaxat Ostracismo ad decennium damnabant, quorum suspecta esset populo potentia, qui viderentur ob opum magnitudinem adspirare ad Tyrannidem.

Sunt & Lucæ octo Magistri Diuersoriorum qui attento sunt animo, quomodo se gerant peregrini qui Lucam veniunt: eaque de causa solent Pandochei in diuersoriis omnium qui peregr aduenient, conscripta nomina his Magistri tradere. Quod si quem mentiri contingat & aliud pro suo fingere nomen, subiicitur Quæstionibus ad eruendam veritatem. Si vero quis alcuius ciuis se habere dicat notitiam, inquisitu exacta diligentia in eum, si suspectus sit. Si v bonus deprehensus fuerit, nemo ei amplius molestus est.

Alit Respublica Lucensis centum milit peregrinos, quos quinquagesimo ab Vrbe mi liari natos esse oportet, qui velut Prætoriani e stodiant Palatium. Capitale his est, si quis de n cte ad muros accedere ausus fuerit, vel solus v cum aliis, cum solius palatii custodiæ destina sint. Muri enim ciuitatis per ipsos ciues custod untur, qui vigilias in iis obeunt, habentes i intra Vrbem pignora sua, id est vxores atque beros. Ad portas pariter excubant oppidani, h betque vnaquæque Porta duos è numero uium Præfectos, quorum vnus manet ad po tam, cum ea mane aperitur, vsque ad tempus prandii, alter à prandio vsque ad crepusculum, cum porta clauditur.

RESP

RESPVBLICA GENEVENSIS.

SVMMA CAPITA.

Ciuitas Geneuensis antiquissima, eius situs pulcher amœnusq;.

Quibus rebus abundet ager Geneuensis: qui hic potissimum crescant fructus; quali tota regio perfletur aere.

Geneuenses natura pinguioris ingenii, parum comes & benenoli in hospites atque peregrinos.

Eius Vrbis diuitiæ, in quibus rebus consistant.

Geneua Vrbs firma & probe munita: eius Armamentarium: munimenta quæ sint in illo territorio.

Fortalitium S. Catharinæ & alia, destructa per Henricum IV. regem.

Antiqui Comites Geneuensium. Quibus rationibus & argumentis Duces Sabaudiæ sibi vindicent possessionis ius in eam vrbem. Quando iidem dictorum Comitum iurisdictionem apprehenderint.

Suprema Curia Geneuensis constans Senatoribus XXV. Quibus Legibus Statutisq; vtatur illa Respublica.

Religio Geneuensium qualis.

Mores Geneuensium.

Opes & diuitiæ.

Robur & vires militares.

Ager Geneuensis qualis.

Geneua Vrbs, quæ vulgo accensetur Sabaudiæ, antiquissima est, vt cuius Cæsar mentionem faciat libro primo De bello Gallico, vbi fuisse ibi ponte iunctas Rhodani ripas, qui is tunc fuerit in potestate Heluetiorum.

Sita est Geneua loco admodum amœno: ab ea parte qua Rhodanus amnis è Lemanno Lacu effluitur, humilior est at alibi sensim assurgit in eminentiam, cui magna ex parte incumbit. Est autem Geneua velut in duas diuisa Vrbes, interfluente lacuno, ponte vtramque ciuitatem connectente. Maior in Meridiem vergit, Minor in Septentrionem. Germani hanc Vrbem abbreuiato nomine appellant Genff.

Solum circa Geneuam fertile est, minimeq; ingratum colonis, cum gignat frumentum, vinum, rapa, melopepones, hordeum, auenam, legumina omnis generis & fœnum. Fructus arborei potissimi hi sunt: poma & pyra varii generis, Cydonia mala, cerasa, mora alba & sanguinea, iuglandes, & cum amygdalis castaneæ nuces. Ficuum prouentus rarior. Aer huius regionis bonus est & salubris: Hyemes hic non tam graues, vt sunt in Germania, nec æstates tam immoderatæ vt in multis locis per Delphinatum. Pisces qui magno numero in Lacu Lemanno capiuntur, exquisitę sunt bonitatis, inprimis Trutæ Auratæ, aliique, qui Lugdunum deportantur magnoque ob gustus suauitatem venduntur pretio.

Sunt hi vulgo crassiores, moribus rudiusculis, ingenio tamen non inepto, vt qui apprime nouerunt suis studere commodis. Peregrinorum in vrbe sua præsentiam non amant, præsertim si suspicio sit, eos esse Catholicos, quos in hospitiis diuersoriisq; publicis omni, si possint, emungunt pecunia. Cœnenit iam multo melius Geneuensibus cum Gallis, quam antea, ex quo tempore fuit Rex cum exercitu in Sabaudia, sumque ius armata manu repetiit, & eadem opera eos magna malorum mole leuauit, inprimis à periculo quod à S. Catharinæ Fortalitio iis imminebat, quod cum Geneuensibus vnguis in vlcere esset, iussu regis solo æquatum fuit. 3

Tanta mulieres Geneuenses pollent castitatis atque pudicitiæ laude, quanta vix vllæ per Europam, quamquam etiam putentur esse, quæ furtiuis amoribus operam dent. Grauitatis atq; continentiæ hic studium singulare.

Lingua Francica apud elegantiores hic est in vsu, non ea tamen puritate qua alibi: vulgus Sabaudice loquitur. In vestitu mediocritatis vel modestiæ limites non excedunt, neque impudicos in more positum est, vt splendidioris amictus ostentatione superbiant. Et profecto si hoc facerent, dubium non est, eos exacto anno exiguos habituros prouentus.

Certum est, Rempublicam Geneuensem abundare diuitiis non posse, cum eleganter secum agi existiment, si se ipsos multo labore & molestia in honesta consequuntur libertate. Quod nisi libri omnis generis hic imprimerentur, & tanta vis pararetur vestis sericæ, & ad exteros exportaretur, dubium non est, quin Respublica cito caritura esset sumtibus. Vtuntur insuper magna parsimonia, quanquam dissimulanter, inuentis subinde nouis corrogandæ pecuniæ rationibus; in quo quidem magnam reddituum eorum collocant partem. Mittunt insuper ad exteros, præsentique pecunia vendunt, bonos Caseos, & Capones siue Gallinaceos exsectos, & fila deaurata, in quibus præter artificii pulchritudinem precium ipsum commendatur. 4

Optime munita est Geneua & firma ad quamuis hostilem vim depellendam, instructa insuper plurimis tormentis militaribus & instrumentis bellicis. Magna hic in custodiendis mœnibus & seruandis excubiis diligentia, & quoties extraneus aliquis in vrbem venit, accurate inquis- 5

inquiritur in omnia eius dicta atq; facta. Si quis circumiens ciuitatem eius curiosius consideret mœnia atque munimenta, præterquam quod hæc res ei non diu permittitur, est in periculo vitæ ac fortunarum. Est in Vrbe Armamentarium instructum omni armorum genere, omnibusque rebus, quæ ad sustinendam longissimam obsidionem sufficere possint.

6 Fuerunt superioribus annis multa in agro Geneuensi munimẽta, inprimis Fortalitium S. Catharinæ, ex quo non tantum Sabaudiæ Dux multa inferebat Geneuensibus incommoda, sed & ipsam vrbem tormentorũ æneorum ictibus verberare poterat, quod cum Henricus IV. Galliæ Rex ad annum MDC. cepisset, iussit solo æquari. Sed & aliud, quod recta ex aduerso vrbis constructum fuerat, ad inquietandos ciues, eodem iubente disiectum complanatumq; est, vt expeditior esset cõficiendæ pacis ratio. Tertium munimentum, cui Ripalliæ nomen erat, venit in potestatem Geneuensium iuuantibus inprimis Gallis anno A N.C.MDLXXXIX. cum id per solum quatriduum obtinuissent ciues, euerterunt penitus. Sunt & Turres quædam, interque eas vna quæ Magistra dicitur, quæ vrbem defendit ab ea parte qua Lacus est, & fines Sabaudiæ: nec non alia, quæ dicitur Turris Insulæ, siue Cæsaris, sita in summa Insula Rhodani ad defendendum Pontem, qui olim fuit in potestate Heluetiorum. Cum autem de munimentis fortalitiisque dixerimus, quæ Sabaudiæ Dux ad occupandam facilius Vrbem excitauerat: non abs re erit simul dicere, quibus argumentis Geneuam ad se pertinere adstruant Sabaudiæ Duces.

7 Sciendum igitur, antiquum Litigium fuisse Episcopis cum Comitibus Geneuensibus, vtri dominarentur Vrbi. Mortuo igitur Humberto quodam Episcopo, successor eius profectus ad Fridericum I. Imperatorem obtinuit ab eo, vt ipse solus esset Princeps Geneuæ, neue in rebus Politicis vlli præterquam Imperatori subiectus esset, vtq; ab omni tributo immunis esset. Reuersus tamen Geneuam Episcopus, iisdem subinde quibus ante affectus fuit molestiis, donec quidam Comes Geneuensis ob rebellionẽ in Imperatorem non solũ proscriptus est, sed & omnibus beneficiis, quę ab Episcopo habebat, excidit.

Cum autem bellum super hac re natum duraret longius, viribus ciuitatis & Episcopi valde imminutis, Geneuenses in Patrocinium sui aduocauerunt quendam Moriennæ Comitem, qui postea Sabaudiæ Comes factus est. Sed & inter hos belligeratum fuit, ita vt Comes multa oppida & arces occuparet, quæ ditionis fuerant Geneuensium, copiasque suas ipsi Vrbi propius admoueret. Nec contentus iis quæ occupauerat, petiit insuper sumtus in id bellum factos sibi restitui. Respondente autem Episcopo, debere Comitem contentum esse iis, quæ nomine Feudi obtineret ab Episcopatu, nouæ querelæ & litigia exorta fuerunt, cumque populus metueret, ne irritatus Sabaudiæ Comes acerbiora mala inferret ciuitati, pactus est cum eo magno suo incommodo, vt possideret ipse tantum iuris in vrbe, quantum ante Comites Geneuenses possederant, idque nomine ac titulo Hypothecæ. Ingressus autem vrbem Comes, Tyrannum in ciues egit: vt Canonici quidam facta cum ciuibus conspiratione, Geneuensem Comitem velut postliminio reuocauerint, qui cum venisset cum aliquo exercitu, victus est à Sabaudis, qui obtinebant ciuitatem. Hi ergo Victores facti, ingressi domos ciuium, extractos è latibulis coniuratos interfecerunt. Durauit autẽ infelix hoc bellum, donec Comitum Geneuensium prosapia ab stirpe interiit, vbi Sabaudiæ Comes occupauit huius Comitatus possessionem.

Tandem Amedeus Sabaudiæ Princeps, cum moleste admodum ferret, prælatum sibi Episcopum, studeretque omnibus modis supra illum assurgere, impetrauit à Carolo IV. Imperatore vt Vicarius Imperii esset in suis prouinciis, ratu huius tituli magnitudine Episcopum infra constitutum iri. Episcopatus autem cum se valide opponeret Comiti, obtinuit, vti salua sibi maneret auctoritas, & populo libertas, vsque ad tempora Amedei VIII. qui Nepos fuit illius Amedei, qui primus è Comite Dux factus fuerat Sabaudiæ, postea dictus Felix Papa. Hic à Martino Papa obtinuit Iurisdictionem in temporalibus vrbis Geneuensis. Sed ne hic quidem perfrui potuit iis quæ tanto labore impetrauerat non magis, quam antecessores eius.

MODVS GVBERNATIONIS.

Est in vrbe Geneua Curia, in qua conueniunt singulis diebus viginti quinque Senatores, consulant super negotiis Reipublicæ. Hoc men obseruatum est à multis, eos in iudiciis nimium fauere ciuibus suis, litigantibus cum aliquo extraneo, vt peregrini, qui ciues Geneuenses in ius vocant, discedentes conquerantur non obseruatam fuisse in ferenda sententia definitiua iustitiam.

DE RELIGIONE GENEVENSIVM.

Nullum est in vrbe hac Religionis Romanæ Catholicæ exercitium, sequentibus omnibus Geneuensibus noua, siue vt ipsi vocant, Reformata dogmata. Et est sane Geneua velut officina quædam, vnde in varias orbis partes emigrauerunt multi Ministri & Concionatores Euangelici. Notum est, hanc ciuitatem, quæ olim sedes fuit tot Episcoporum, recepisse ad se Iohannem Caluinum circa annum MDXXXIX. cumque hunc Antistitem Ecclesiæ suæ constituisset, amplexa est eius doctrinam, eamque tanta firmitate hactenus retinuit, vt eripi vel ex eorum animis, vel ex vrbe tolli, nullis humanis mediis posse videatur, nisi simul omnes ciues atq; habitatores è medio tollantur.

Sed vt prius impossibile, ita posterius hoc tristis crudele videtur.

Expectanda igitur sunt huius rei remedia ipso Deo, qui non semel res magis admirand perfecit.

RESP

RESPVBLICA RAGVSINA QVÆ OLIM EPIDAVRIA.

SVMMA CAPITA.

Ragusium Vrbs olim appellata Epidaurus. Quot sint fuerintq; huius nominis oppida, & in quo cultus AEsculapius.

Origo vocabuli Sclauoniæ: quousque extendatur, eius longitudo, latitudo, sub quo climate sita: principalia eius oppida.

Ragusium Vrbs Sclauoniæ, pendit Tributum Turcis: situs eius ratio, & vicinæ Insulæ.

Ager Ragusinus felix gignendo oleo, vino, fructibus, piscibus abundans, vbi & arbores onerate ostreis, qua tertio quoque anno colliguntur.

Grauosa Insula plena hortis pomariisque, è quibus leguntur mala granata, citria & aurantia. Langosta alia Insula vicina, abundans oliuis, vuis, celebris ob capturam piscium Sardinarum.

Ragusii vel potius Epidaurii veteres natura crudeles & barbari, sapientes originem Scythicam, à qua gente ortum traxerunt.

Mos Ragusiensium, qui in radendis capitibus contrarium diuersumque ab Hungaris sequuntur modum. Amatores æqualitatis. Ratio eorum vestiendi; quibus potissimum coloribus delectentur.

Eorum matrimonia, quibus modus constitutus est, quanta debeat esse dos mulieris.

Qua vtantur lingua, qua ratione instituendi in litteris diuinis & humanis.

Diuitiæ Ragusinorum consistunt in mercatura.

Viribus militaribus sunt perexiguis.

Ratio administrationis Reipublicæ Ragusinorum compar cum Venetis. Et primo quidem de Magno Senatu.

De Patribus Conscriptis siue Rogatis, Magistratibus annuis, & quam late pateat eorum iurisdictio.

Senatus Minor, quod huius officium & quam diu duret.

Electio Rectoris qui caput est vtriusque Consilii.

Quinque Prouisores, & quod eorum officium seu munus.

Sex Consules instituti ad cognoscendas causas ciuiles in prima Instantia.

Quinque Iudices causarum capitalium siue criminalium.

Prafecti lanificio & negociationi Lanariæ.

Collegium XXX. virorum, quibus sunt commissæ causæ Appellationum.

De quinqueviris curandæ sanitati, eorumque auctoritate.

De prafectis vectigalium.

De Camerariis siue Cubicularijs.

Prafecti AErarii tres, quibus concrediti Thesauri publici, bona pupillorum, & depositæ.

Prafecti Armamentarij.

AEdiles, qui precia constituunt frumento & vino curantque vias publicas.

Prafecti excubiarum nocturnarum sex.

De Notario & Secretario.

De Cancellarijs.

Capitanei & Comites, quibus locorum gubernatio concreditur extra Ragusium.

Tres Procuratores Ecclesiæ Cathedralis Ragusiensis.

DEscripturi Rempublicam Ragusinam, operæ precium existimamus, Lectori dubitationem atque scrupulum, qui hic oriri posset, ante omnia eximere. Cum enim *Ragusium* olim dictum fuerit *Epidaurus*, & vero tria fuerint eius nominis oppida; sciendum est, de quo nos loquamur, ne vnum pro altero sumatur, & eo pacto gignatur confusio. Sciendum igitur est, quod à Venetiarum Vrbe, secundum littus maris vsque trans Isthmum Corinthiacum tria sint oppida, quibus olim nomen fuit Epidaurus.

Primum est in Sinu Adriatico, à nobis hodie appellatum *Ragusium*.

Alterum est in Laconica regiuncula, in *Sinu Nauplienſi* (quem hodie perperam Neapolitanum vocant) *Piguiada* dictum.

Tertium est in recessu *Sinus Saronici*, *Maluasiá* dicta, & hoc loco olim magna religione cultus fuit Æsculapius.

Sed omissis cæteris, nostra Epidaurus siue 2
Ragusium est Vrbs Sclauoniæ, siue vt cum priscis loquamur, Dalmatiæ, quæ regio nouissimum hoc nomen adepta est à Slauis populis, qui temporibus Iustiniani Imperatoris venientes ab Sarmatia, transiuere Danubium, diuisoque bifariam agmine, pars in Macedoniam irrupit, altera in Thraciam: qui & ipsi Imperantibus Mauritio & Phoca Dalmatiam subegerunt.

Extenditur autem hoc æuo Sclauoniæ nomen longe lateque, nempe ab *Arsa* amne vsque ad *Drinum* fluuium, quod spatium inter duos amnes conficere creditur circiter CCCCLXXX. millia, latitudo vero à montibus Croatiæ siue Luburnicis vsque ad Mare habet mill. circiter centum.

Sita est intra medium quinti Climatis, post XIII. Parallelum vsque ad medium XVI. vbi longissima per æstatem dies est quindecim horarum cum dimidia. Meridianus eius Orientalior transit gradum XLVI. occidentalior vero XXXVI. Mare quod inter Itali & Sclauoniam intercedit, dicitur *Sinus Adriaticus*, extenditurq; in la-

in latum per ſpacium DC. millium; vbi latiſſimum eſt, CC. millia non ſuperans: vbi anguſtiſſime in fauces coit, habet LX. Quod Albaniam Macedoniamq; alluit, appellatur *Mare Ionicum*. Huius regionis, puta Slauoniæ Dalmaticæ, pars paret Venetis, pars Imperatori; quod ſupereſt, Turcarum Monarchæ. Vrbes in ea ſunt, *Flamona, Senia, Iadera, Zara,* (olim Sebennicum) ſuper qua Hungari & Veneti prope perpetuum
3 bellum geſſerunt: *Sicum & Spalatum*. Præcipuo tamen loco eſt in tota illa ora *Raguſium*, quæ vrbs ſuam ita tuetur libertatem, vt Turcarum Principi, quotannis XIV. millia ducatorum pendere cogatur, & prope tantundem in donatiua inſumere, cum Barbara illa gens contenta non ſit annuo tributo, niſi duplum addatur, quod partim ipſi Tyranno partim eius Conſiliariis aulicisque donetur.

Non multum terrarum poſſidet hæc Reſpublica incontinente, ſed in mari obtinet quaſdam paruas Inſulas valde bonas, intra *Curſolum* oppidum & Sinum *Catarenſem*. Antiqua Epidaurus fuit in eo ipſo loco, in quo etiamnum viſuntur rudera, quæ vulgo appellantur Antiquum Raguſium. Gothi enim cum omni prope potiti Italia, maximam inſuper Illyrici & Dalmatiæ partem ſibi ſubegiſſent, euerterunt Epidaurum atque ſolo æquauerunt. Igitur ciues qui ſupererant, cum loco ad habitandum commodo deſtituerentur, cœperunt ex ruina veteris Epidauri nouam extruere, quam Raguſium nos appellamus. Ipſa vrbs frequenter habitatur, loco ſita amœniſſimo, haud procul à Mari. Plena eſt fontibus ſalientis aquæ dulcis, deductis riuulis è proximis montibus in vrbem, cum totius agri vtilitate, qui inde fertilior redditur. Munimentum paruum habet manu factum, ſatis commodum & firmum, ab altera parte aſſurgit mons altus & præceps, ad cuius pedem eſt extructa Vrbs. Ager, quem Raguſini extra mœnia poſſident, anguſtus eſt, verum in mari habent aliquot Inſulas mitæ fertilitatis, inter quas Langoſta theatri ſpeciem curuatura ſua repræſentat.

Qualitas agri Raguſini & Inſularum eius.

4 Eſt ſane ager Raguſinus ſua natura prope ſterilis, ſed incolæ magno labore & aſſidua cultura eum vincunt, eiuſque duritiem ſubigunt, vt inde percipiant non oleum duntaxat & vinum, ſed & fructus arboreos egregios.

Eſt ibi quædam vallis, in quam per hyemem tantum colligitur aquarum, vt inde lacus fiat, in quo qui nutriuntur piſces, adeo pingueſcunt, vt frigantur ſiue coquantur ſuo ſibi adipe, nulla alia ad dita pinguedine.

Circa tempus vernum, exſiccata aqua, ſeritur eodem loco triticum vel aliud frumentum quod tanta vbertate & celeritate ad maturitatem peruenit, vt eodem anno in eodem campo & piſcatio ſit & meſſis. Vtuntur & alia induſtria extrahendi fructus ex mari, qua faciunt vt arbores oſtrea ferant. Inclinatos enim depreſſosque arborum ramos alligatis grandibus lapidibus in mare demergunt, ad quos intra biennii ſpacium tanta vis adhæret oſtreorum, vt incredibile dictu ſit tertio vero anno ita matureſcunt, vt iucundum cibum præſtent.

Eſt haud procul in mari *Grauoſa* Inſula, amœniſſima aſpectu, plena hortis pulcherrimis arboribusque, è quibus poma Citria, Granata & Aurantia magna copia leguntur.

Langoſta vero ſiue *Angoſta* Inſula vndique altis montibus cingitur, intra quos Raguſini ſuas habent villas atque prædia: nam in medio horum montium eſt egregia planities, in qua vitium & oliuarum prouentus lætiſſimus. Capiuntur iuxta hanc piſces expetiti ab liguritoribus, quibus Sardinis nomen eſt. Duobus præcipuis abluitur tota Slauonia fluuiis, magnis illi quidem, *Sauo & Drauo* qui vtrique in Danubium corruunt.

Mores veterum Slauorum.

Fuerunt hi olim barbari & crudeles, quibus vnicum vitæ negocium, latrocinari terra, & mari piraticam exercere. Scribit Florus de Illyriis Primo bello Punico eos populationibus non contentos, licentiæ ſcelus addidiſſe, Legato Pop. Romani iure agentes, non gladio, ſed vt victimas ſecuribus interemiſſe: Præfectos nauium igne combuſſiſſe, idque quod indignius foret, muliere imperante, quam ille *Teutam* vocatam ſcribit. Procopius vero de iis narrat, Sclauos ſiue Slauos, gentem Scythicam ingreſſam Illyricum, imperante Iuſtiniano, ibique conſedíſſe, atque ita factum eſſe, vt priſci habitatores transirent ex parte in conſuetudines & mores nouorum hoſpitum.

Titus Liuius eos appellat nationem feram deditam latrociniis & Piraticæ. Sed & Romanis neceſſe fuit, ſemper in his partibus habere Legiones, ad refrenandam atque cohercendam horum populorum ferociam.

Mores Raguſinorum noſtri temporis.

Alunt Raguſini capillos capitis à media parte ſurſum, cætera parte raſa contra Hungarorum morem, qui ea parte, quam Raguſini caluam habent, comam nutriunt, abraſis alibi capillis. Sed ne mulieres quidem Raguſienſes promittunt capillos, ſed breuiores habent, eosque ſingulari artificio, non flauitie ſed nigredine tingunt.

Viuunt plerique æqualiter, ſine operoſis ceremoniis, cum alteri alteris honorem non habeant, vt apud nos ſit, aperto capite, ſed ſimpliciter ſalutat alter alterum, vel expreſſo verbo vel nutu atque geſtu, è quo colligi poſſit, quid ipſe velit. Adeo autem amant ſortis æqualitatem, vt Legem habeant, quæ vetat, ne quis ciuis Raguſanus fiat in vrbe Epiſcopus, non ob dignitatem illam cæteris omnibus præeminet

ninere possit ; aut altiore consistere gradu, uam per leges liceat.

Vestiuntur diuersimode: Iuniores enim Heusco more siue Florentino amicti sunt ; mediæ atis homines gestant pallia ; senes vero tunis manicatas, sicut Patricii Veneti. Vestem secam gestare nulli fas est, excepto Rectore Reiblicæ, cumq; eo Doctoribus & Equestris Ornis viris. Æstatis tempore, cum maxime caler, estant multitia aut vestes tenuiores. Eadem ugalitas in vestitu est vsitata fœminis, quibus r totam vitam non permittitur alius amictus iam laneus, præterquam cum puella nubit, lium est gestare vestem sericam, sed per vnum ntaxat mensem. Distinguuntur re quapiam inferioris sortis fœminis mulieres honoraores. Hæ enim diebus Dominicis siue Festis nsueuerunt portare calyptram rubeam, colo- lantalini, faciuntq; id, postquam nupserunt. eterum placet illis color castaneus siue bæti- ; rubeus & cæruleus, cæteros contemnere dentur.

In Matrimoniis conciliandis hunc obseruat dinem, vt non temere vel promiscue ducant bantque, sed quisque eiusdem ordinis atque neris legat coniugem. Neque enim Patricius nobilis plebeiam ducere potest ; sed nec exneam quidem, quod existiment hoc pacto erosum contaminati sanguinem, & antiquã rumpi Nobilitatem. Hinc autem factum est, amiliæ Nobiles valde sint diminutæ, vt vix III. vel XXIV. sint, quibus ad Magistratus Gubernationem Reipublicæ patet aditus. cesse enim est, si nobili viro non licet ducere rem filiam ciuis, vel alibi quam domi natam, domus illę postremo deducantur ad exiguum nerum. Quod si quis Nobili genere natus ra quadam adductus ratione aliam quam Rainam ducere velit ; potest id quidem facere, nmodo sit Dalmatici generis, & quidem in egionis parte ; quæ est intra Zaram & Catai, nata, non alibi. Quod si quis extraneam fęam (talem quidem vt diximus) ducat, necesst, vt ad eum afferat dotis nomine mille duosaureos, non pauciores. Sunt enim limitatrimonia certis legibus ad mille ducatos eos, quãquam hoc parum obseruetur, & Pareperiantur, qui filiabus suis IV. V. vel sex lia ducatorum dotis nomine dent.

Numeratur autem argentum dotale futuarito antequam videat eam quam habituest vxorem ; cum autem contractus scripto prehensus est ; & omnia facta ; tunc abit in um sponsæ, eamq; inuisit: Non enim solent basiare aut amplexari mulierem ; nisi despõm, qua quidem in re sequuntur leges Roma. Ecclesiæ.

Omnes iuniores Ragusienses, vel saltim plee, sciunt lingua Italica loqui, quam per erem Francam vocant : vulgo autem inter se is alio Idiomate quam Dalmatico siue Slauoi non vtuntur.

Multi inter eos applicant animum ad bonas litteras ; cui rei Senatus magnis atq; opulentis stipendiis alit in vrbe Lectorem ad instituendã iuuentutem in artibus & scientiis, cum tribus quatuorue Repetitoribus. Vocant etiam singulis annis celebrem aliquem & disertum ab Italia Concionatorem, qui ad solos viros conciones habet, quod mulieres linguæ Italicę ignaræ, eum intelligere non possint.

Præter Ordinis Ecclesiastici Viros & Sacerdores ; quos animarum Medicos appellare possis, alit etiam Respublica duos Doctores Medicinæ cum totidem Chirurgis, constantis ætatis, quib. laura soluuntur salaria. His incumbit omnes sine discrimine inuisere ægrotos ; tam pauperes quam diuites, iisque mederi: sed & in vniuersum operam dare, vt conseruata ciuium bona valetudine ; vrbs à morbis contagiosis præseruetur.

Opes & diuitiæ.

Has ex agro suo Ragusinas non posse percipere clarum est, qui eleganter secum agi putant, si nec ſariam inde percipiant alimoniam: quãquam hæc gens vltra pleraſq; alias parce & frugaliter viuat. Quicquid habent opum atque facultatum, id omne negociationi acceptum ferant oportet, cum mercatores sint solertissimi, habeantque multas naues, quibus varias Europæ Regiones adeunt, vnde plurimum ad eos redit lucri. Maximo autem eorum commodo fit, quod beneficio XIV. millium Ducatorum, quos Magno Turcæ persoluunt, libere negociantur per omnes Otomannici Imperii Prouincias & regna ; & quidem sine vectigalibus atq; portoriis. Sed nec tamẽ hinc cõcludi potest, esse hanc Rempublicam valde opulẽtam. Nisi enim Turcico niteretur patrocinio, iam dudum aliis in prædam cessisset, inprimis Venetis ; neq; enim posset tantum conficere auri argentique, vt iustum exercitum terrestrem marinumque in aliquot annos suis alere posset stipendiis. 10

Robur & potentia militaris.

Cum Respublica destituatur magnis commoditatibus, apparet, vires eius militares magnas esse non posse : quod autem subsistunt, suamq; hactenus tuentur libertatem, est, vt diximus, alii transcribendum. Est quidem Vrbs Ragusina satis munita : sed præterquam quod sita est ad radicem montis, qui ei imminet atque minatur: certum est, eam magnam, violentam atq; diuturnam obsidionem sustinere non posse. De copiis militaribus sciendum est, Ragusinos nullos alere milites præsidiarios, præter cẽtum Hungaros cum suo Centurione: quibus tamen & ipsis Respublica magis vtitur, ad exequendum quidquid necessarium, quam ad alias occasiones. Non enim solet hæc gens quenquã respicere, sed indifferenter ea facere, quæ imperata fuerunt, idque magna fide & promptitudine, sicut Heluetii ; qui ob fidelitatem leguntur 11

ad magnorum Principum custodiam. Habent & Ragusini extra vrbem Castellum S. Laurentii, quod satis est validum, nouumq; insuper Fortalitium è regione portæ, quæ in orientem vergit. Sed vt verum fateamur, omnia hæc multo sunt imbecilliora, quam vt potentiæ hostili, si quis omnibus viribus ciuitatem aggredi atque oppugnare vellet, resistere possent.

Modus administrationis Reipublicæ.

12 Fuit Ragusium non semper peculiaris Respublica, cum diuersis temporibus diuersos habuerit dominos, & nunc quidem paruerit Græcis, nunc rursus Albanensibus. Cæterum postquam hunc viuendi modũ atq; Reipublicæ formam amplexi sunt ciues, conseruauerunt hactenus libertatem, non sine laude prudentiæ.

Cum enim constituissent, liberam conseruare Rempublicã, proposuerunt sibi optimo consilio exemplum Venetorum, eorumq; ordinem in Republica. Primum igitur magnum instituerunt Senatum, gnari, hunc esse fundamentum Reipublicæ & velut columnam atq; fulcrum ciuitatis. Ad hunc admittuntur omnes Patricii nobilesq; in vrbe, qui quidem vigesimum annũ supergressi sunt, & docere possunt, se Nobiles esse, & Nobilibus prognatos parentibus. In hoc magno Cõsilio siue Senatu creantur omnes cæteri Magistratus Vrbani, quos iam recensere in animũ induximus. Primi omniũ occurrũt, quos Itali Patres Rogatos vocant, quorũ numerus fere multo minor est, quã esse debet, cum ex veteri consuetudine LX. esse debeant, redactis ad paucitatem, vt supra diximus nobilib. familiis. His incumbunt onera Reipublicæ, iidemq; iudicãt causas ciuiles in casu appellationis, si controuersia sit vltra CCC. ducatos. Sed & in causis capitalibus sententiam ferunt, si reus sit vel Patritius vel Equestris Ordinis, quem constet iure de admisso graui crimine accusatum. Fungũtur ii hoc Magistratu per annum vnum, ita tamen vt non omnes simul abeant ab officio, sed alii nunc alii post, vt non simul ad dignitatem hanc vocati fuerunt. admittuntur autem iidem postea ad idem hoc officium.

13 Consilium minus, quod ita vocatur respectu magni Senatus, est id cuius caput Rector dicitur. Constat a. viris XI. omnibus ex diuersis lectis familiis, qui adsunt Rectori velut membra capiti Reipublicæ. Audiunt hi querelas, & petẽtes sibi ius dici tam exteros quam ciues. Ab his audiuntur Legati exterorum, perlegũtur Epistolæ peregre allatæ, suntq; velut manus, per quã magno Senatui offeruntur, quæcunq; in deliberationẽ venire debent. Igitur pro diuersitate causarum, vel ipsi eas decidunt sententiamq; ferunt: vel remittunt ad Patres Rogatos. Hi post exactum annum vnum omnes abeunt magistratu, simul ac semel, succedentib. aliis vndecim ad d. 1. Ianuarii cum nouo Rectore.

14 Eligitur a. Rector hic, qui Princeps & caput est omnium Consiliorum, in magno Senatu, triplici genere electionis, vt & in cæteris fit Magistratibus: quarum electionum vna fit per Scr
tinium, (de quo & quid sit, in creatione sum
Pontificis diximus) cæterę fiunt per sortem. M
autem extenditur hæc Rectoris dignitas vl
mensem vnũ, quo durante oportet eum se cor
nere in Palatio. Gestat is interim habitum Du
id est longam tunicam cum apertis manicis,
quo à cęteris differt, auctoritatis ergo. Per hu
mensem non nisi quinq; Ducatos è publico
cipit: quãquam, si est in Patrum Rogatorum
mero, quoties in causa appellationis sed &
tribunali accipit in diem singulos ducatos.

Conuenit a. Rector iste cum consiliariis
à prandio, omnibus diebus profestis, quand
etiam festis, si res magni momenti oborta fue
Antemeridianum tempus fere tribuit Roga
vel venit in magnum Senatum, prout vsus fe
necessitas. Quod si Rector præsto non sit,
maximus natu est inter Senatores, eius v
subit, neq; tamen quicquã decernitur ipso
præsente. Datur etiam huic Rectori Legatu
causis ciuilibus duntaxat, non aliis: neq; po
quisquam ex Consiliariis in Rectorem elig
anno dum in Magistratu est.

Sunt præterea quinq; Prouisores, quos
gulos quinquagesimum annum supergresso
ex diuersis familiis natos esse oportet, penes
est approbare expeditiones factas per quem
Magistratum, quicunq; ille sit, suntq; præse
cum Senatus habetur; hi possunt creari Rec
res antequam Magistratum adeant, suntq; v
principes ciuitatis, qui magna valent auctor
te, suntq; fere simul è numero Consiliarior

Præter hos sunt VI. Consules, qui audi
controuersias ciuiles in prima instantia, qua
cunque pecuniæ summa in litem veniat.
sunt homines magnæ auctoritatis, quiq; in
diuntur in Senatum Rogatorum, staturq;
toties eorum iudicio. Non licet hic partibus
gantib. multis vti allegationibus, vt alibi fier
let, sed consules, cognita causa, deliberant, vt
quod Iustitia requirit, detrahuntur q; è sing
ducatorum centuriis, quæ in controuersiã v
unt, ducati bini. Intra duos annos Rectores
non possunt, ne impediantur expeditiones
sarum ciuilium, sed litigantes cito vel damn
tur vel absoluantur, cum ii his iudiciis perpe
vacent.

Hos sequuntur quinq; Iudices Criminali
causarum, quorum iudicio plerumq; statur.
biles tamen ab hoc iudicio excepti sunt, cui
causis criminalibus iudicentur à Senatu Patr
Rogatorum: ii vero, qui in officio aliquo co
turi, stipendium à Republica accipiunt, resp
dent coram consilio minore. Sunt & aliæ q
dam causæ, in quibus quinq; illi iudices non
runt sententiam, quod ita videatur Patribus
gatis, vt ipsi de causa cognoscant. Hi ipsi iudic
quod non nimium occupentur, possunt
Rectores vel Prouisores.

Sunt & tres Præfecti, qui expediunt cont
uersias, quæ super negotiatione lanaria, aut
nificio oriuntur inter homines huic mercatu

ùtrò ficio deditos, & hi quoq; veniunt in nu-
nerum rogatorum, & possunt quoq; creari Re-
tores.

In Collegium trigintauirorum admittuntur
lures ex eadem familia nati, penes quos est co-
nitio in causis appellationum, vsq; ad summam
CC. ducatorum; percipiunt a. hi singuli non
isi ternos ducatos annuos, quod quidem per-
iguum est, sed ideo gerunt hoc officium, vt à
eteris oneribus ciuitatis sint immunes. Nil fa-
unt triginta hi viri, quam vt vacent prouoca-
onibus, soletq; ex iis suppleri numerus Roga-
orũ, si quos defecisse contingat, vt & Prouisorũ.

Sunt insuper quinq; præfecti sanitatis (vt ita
ppellemus) quorum officium est, vt ciuitas sa-
a conseruetur, & ob hanc causam vocãtur vul-
o Prouisores Sanitatis. Non leuis est horum
uctoritas, quod eos qui in hoc genere deliquer-
nt, punire possunt, suntq; in multis rebus simi-
s Prouisoribus Sanitatis in Venetiarum Vrbe.
ossunt autem hi, durante officio suo, creari Re-
tores.

Præfecti vectigalium Portoriorumque sunt
uatuor, qui curant ea quæ huc pertinent, faci-
ntq; omnia quæ in hoc genere fieri solent.

Camerarii hic duo sunt, & Thesaurarii tres,
omines magnæ auctoritatis tã ob diuitias quã
tæ probitatem. Et hi quidem habent sub ma-
bus suis Thesauros publicos, prætereaq; pe-
nias orphanorum, & deposita, quæ omnia ipsi
stodiunt. Manet autem iis hoc officium per
iinquennium, possuntq; fieri Rectores: sed &
iorquot fiunt Rectores, fere antea Præfecti æ-
rio fuerunt. Nec desunt, qui studio Iustitiæ in
vnice incumbunt, vt res ad victum necessariæ
gitimo modo habeant, vtque iusta pondera &
ensuræ in vsu sint, ne quę fraus ab institoribus
t mercatoribus admittatur, sed vt recte atque
dine omnia fiant.

Cumq; Vrbs habeat Armamentarium, pro
odo potentiæ suæ & opum, est præfectus qui-
m Armamentarii illius, qui subse habet fabros
custodes armorum. Hi dant operam, vt Ar-
amentarium saluum sit, vtque præsto sint om-
a, quæ ad militiam tam terrestrem quam naua-
n requirũtur. Sunt autem hi fere iuuenes, qui
os velut habent Ephoros maioris experientię,
uibus illi magis magisque discunt rationem
nseruandi Armamentarii.

Aduehitur a. quotannis magna vis frumẽti
aliis locis Ragusium, idq; impensis ex ærario
blico. Huic rei duo quidam præfecti sunt, vt
l emant vel vendant frumentum, si id ex vsu
eipublicæ esse arbitrentur. Prouentus Ragu-
nsiũ consistunt maxima ex parte in vino: huic
itur constituti sunt tres ephori, qui cum alia
hoc negocio curent, tum vel inprimis ope-
m dent, ne prohibita vina in ciuitatem infe-
ntur, quod & lex prohibet, sub grauis pœnæ
mminatione.

Et Ædiles quidã sunt apud Ragusenses, qui-
is velut curatoribus viarum publicarum in-
mbit, vt pateas, triuia & compita reficiant:
cumq; hoc officium non sit magnæ sollicitudi-
nis aut laboris, iunioribus ciuibus plerumq; de-
mandatur.

Habet ciuitas sex Præfectos vigilum noctur- 28
nos, qui alternatim de nocte excubias obeunt
cum Hungaris, quos centum esse diximus cum
suo centurione, qui præsto sunt atque parent iis,
qui aperiendis claudendisq; portis vrbis præfe-
cti sunt. Hi per duos menses illo munere fungũ-
tur, obseruaturque is ordo, vt si, qui sub initium
noctis portas claudunt, easdem mane nequa-
quam aperiant, cum circa mediam noctem alii
succedant.

Est & quidam Senatui Magno à Secretis, quẽ 29
ipsi Notarium vocant, cui omnia secretiora atq;
sanctiora committuntur. Est & alius, cui idem
impertitur titulus; cæterum secreta Reipublicæ
maioris momenti ei non creduntur, vt superio-
ri. Et hi quidem duo Secretarii seruiunt in om-
nibus occasionibus, quoties scribendæ sunt lit-
teræ, faciuntq; officium Notariorum, quando ita
vsus exigit. Sunt præter hos tres Cancellarii,
qui præsto sunt Consulibus, plurimum in causis
ciuilibus, hi faciunt instrumenta publica, estque
vnus inter eos, cuius officium se extendit ad cau-
sas capitales. Singulis diebus, quoties aduespera-
scit, mittitur quidam cum potestate centurionis
in Castellum S. Laurentii, quod extra Vrbem est,
nec habet hic eo nomine stipendium, sed cogi-
tur id facere. Alium itidem mittunt in nouum
munimentum: leguntur q; ad vtrumq; hoc of-
ficium iuniores ciues: qui enim quadragesimũ
annum attigit ab eo onere immunis habetur.

Qui Præfecti, Capitanei vel Comites, vt ap- 30
pellant, extra vrbem mittuntur ad gubernanda
oppida, vel Insulas, vel terras ad hanc Rempu.
blicam spectãtes, omnes creantur per magnum
consilium, duratq; nonnullis eorum ea dignitas
per septem menses, aliis prorogatur in duodeci-
mum vsq; mensem.

Religio Ragusiensium.

Populus hic vniuersus profitetur Religionẽ 31
Romano-Catholicam. Habet vrbs Ragusiensis
peculiarem suum Episcopum, qui in ea habitat.
Sunt & tres Procuratores magni tẽpli Cathedra-
lis, qui non tantum ipsius sacræ Ædis, sed & Re-
liquiarum cũtam gerunt, quantum ibi ingens es-
se perhibetur numerus, quæq; auro, argento,
gemmisq; preciosissimis vel inclusæ vel exorna-
tæ sunt. Manet his Procuratoria dignitas per to-
tum vitæ eorum tempus, possuntq; interim fieri
Rectores, vel Consiliarii, vel Præfecti ærarii
publici, vel denique quosuis a-
lios adire Magistra-
tus.

FINIS RERVMPVBLICARVM
per orbem Christianum.

POTENTIA OTTOMANNICA SIVE IMPERIVM TVRCICVM PER EVROPAM.

SVMMA CAPITA.

1 Magnitudo & vastitas Imperii Turcici latissime patens. Infinita loca cum possideat per Europam, Asiam, Africam, præcipua regna & Prouincæ nominantur.

2 Quæ regna, quas terras prouincias q; Turca nostro ævo in Europa obtineat.

3 Topographia Particularis Thraciæ, quam hodie Romaniam vocant, in qua sita est ipsa Constantinopolis, Imperii Turcici caput.

4 Descriptio accuratior vrbis Constantinopolitanæ, & quæ præ cæteris in ea spectatu digna.

5 Descriptio generalis Seralii siue Aulæ Monarchæ Turcici.

6 De Coronatione Magni Turcæ, de titulis quibus ipse vtitur; quibus vtatur vestibus & exercitiis vsitatis.

7 Ratio cœnandi & prandendi, & quibus vtatur cibis.

8 Magnitudo & grauitas huius Principis, eius fœdera cum exteris: quo pacto soleat excipere Oratores Regum exterorum: solet nonnunquam se oblectare artificiis manuariis eius Amores.

9 Vxores & concubinæ eius: quomodo viuant & habitent. harum filiæ quo pacto elocentur. Liberi masculi quo modo educentur, & ceremoniæ in circumcisione eorum adhiberi solitæ.

10 De donatiuis & muneribus, quæ Turcarum Principi exhiberi mos est, & quæ ipse vicissim aliis præstare soleat.

11 AErarium huius Principis, & quanti eius prouentus annui.

12 Quam magnifico apparatu soleat ingredi & egredi Constantinopoli vrbe.

13 Diuanum locus in Regia Turcica publicus, vbi expediuntur omnia negocia publica maioris momenti.

14 Pueri qui Tributi nomine penduntur, Eunuchi albi, alii.

15 Ministri Aulici Magni Turcæ, & de cura alimoniæ pro familia Aulica.

16 Comitiua aulæ Turcicæ, quæ sequuntur Principem.

17 Amplissima Bassarum Turcicorum dignitas.

18 Carceres apud Turcas frequentes, & de turpibus eorum flagitiis.

19 Amores furtiui mulierum in aula Turcica, quæ se ipsas mutuo depereunt.

20 Quatuor Præcipui nominis Bassæ ad Portam, quibus præcipue faueat Princeps.

21 Eius arma, insignia, Sigillum.

22 Mors, Luctus, exequiæ & sepultura Principum Turcarum.

23 Antiqui Thraces feri & rudes, quibus vsi fuerint consuetudinibus. Thrausi & quæ sit eorum Religio.

24 Mores Thracum nostri temporis. Ratio viuendi quam Turcæ vtuntur per Thraciam, & inprimis in vrbe Constantinopoli.

25 Græcia eiusque Prouinciæ: Attica, Macedonia, Epirus, Peloponnesus, aliæ.

26 Antiquæ vrbes Macedoniæ.

27 Epirus Albaniæ pars.

28 Achaia.

29 Locri & Opuntii, Phocis, in qua Delphi, Boeotia tractus Megarensis.

30 Peloponnesus hodie Morea dicitur. Arcadia, Agei Corinthiacus, Argi, Lacedæmon, Messenii, Elienses, Achaia proprie sic dicta, Arcadia, Scion Vrbs.

31 Quod sit harum regionum omnium ingenium & qualitas.

32 Macedonia temperatior quam vlla alia totius Europæ regio.

33 Albania fertilis, amœna, in ea species quædam inco gnita auri reperta tempore Aristotelis.

34 Thessalia Macedoniæ pars optima, amœna, optimorum equorum nutrix.

35 Olympus mons celebris ob laureta. Mons Athospoe tis decantatissimus, ab summo perpetuis nubi tectus. Abundat arboribus fructiferis, vineis, oli uis: Tempe, locus amœnissimus, multum habet sa lis mineralis.

36 Epirus & Attica multis in locis sterilis.

37 Peloponnesi fertilitas & asperitas Arcadiæ, vbi vi num reperitur, quod mulieres fœcundas facit, vi ros vero in rabiem agit. Nascitur hic Taxus ar bor, cuius fructus venenati comedentes interfici unt; sed & vmbra eius noxia est & pestilens.

38 Ingenia & mores antiquorum Græcorum. Mace dones prisci bellicosi, nec tamen minus diditi sci entiis & epulis. Quibus Thessali præ cæteris fue rint obnoxii viciis. Qui Thessala Tempe incolue runt, Religionibus Deum & sacrificiis festis q; ad dicti.

39 Oraculum Dodonæum, & eius sylua. Dores & Pe lasgi Græcorum antiquissimi. AEoles robusti, Pho censes agrestes.

40 Athenienses ingenio acutissimo: multos coluer Deos, variis operam dantes sacrificiis, festis mysti riisque.

41 Lacedamonii cordati & Magnanimi. Ce remoni

Vehicula eorum in contrahendis Matrimoniis, aliaque consuetudines.

2 *Barbaries quæ nostro æuo tecam obtinet Græciam. Lingua qua hodie isti homines vtuntur, propius accedit ad veterum Græcorum linguam, quam Italorum Idioma ad Latinam. Quibus vtantur ritibus dum bibunt cibumq; capiunt: eorum vestimenta & supellex.*

3 *Antiqua Respublica Athenienſium, quomodo fuerit administrata. Eorum Origo, Leges inprimis Solonis. Origo Tributorum, Electio Magistratuum, Areopagita acrimonia in iudiciis. Nomotheta & Nomophylaces, in quibus differant. Iurisdictio quinqueuirorum in Causis Ciuilibus. Varia nomina Magistratuum, quæ apud Priscos Athenienſes in vsu fuerunt.*

4 *Vetus Respublica Spartanorum, quo pacto gubernata fuerit per leges Lycurgi. Matrimonia eorum, natiuitas liberorum. hi in furtis educati. Mores eorum reliqui: administratio iustitiæ.*

5 *Religio Græcorum nostri temporis.*

6 *Insulæ Archipelagi, quibus hodie dominatur Turca, vt & ex parte in Sclauonia. Earum situs, ambitus, præcipua oppida, fertilitas, res rariores: mores antiqui & recentes.*

7 *Cyprus Insula, quomodo diuidatur. Situs eius, longitudo, latitudo, regiones proximæ. Ingenium Cypriorum, Mores, Politia, Religio.*

8 *Rhodus Insula, eius situs & circuitus. Colossus æreus olim Soli erectus, altus quinquaginta cubitos.*

9 *Bosnia, Bulgaria, Seruia, Rascia, & quantum Turca possideat in Hungaria. Quæ in his oppida præcipua. Mores & consuetudines eorum populorum.*

'Vit potentissimus hic & vere sic dictus Monarcha iam à multis non dico annis sed secutoti orbi Christiano formidabilis, cum semnos inualerit, & occupatis Christianorum nis, prouinciis, vrbibus, eos subinde auguribus circumscripserit limitibus, vsque ad stra tempora, quibus non tantum domestiuorum seditionibus, & defectionibus Prælorum agitatus, sed & Persarum validis ars grauiter concussus, nobis interquiescendedit spacium. Et sane, cum tantos possit exumeris quas obtinet prouinciis colligere rcitus, oportet eos, qui vim ac impetum enon metuunt, aut omni cerebro iudicioque ere, aut suam deplorare stoliditatem, qui disint, vt opprimantur ab iis, quos vel nullo pessimo consilio contemserunt, nec de auerda tam grauis validique hostis violentia male cogitauerunt.

Vt autem omnibus pateat, quantum ille possat regnorum & prouinciarum, & quanta eius ab omnibus partibus potentia, cuius ones terræ atque dominationes inter se conctæ sunt: aggrediar primum ostendere atque umerare regna, principatus & dominia eius: inde singula carptim atque ordine, quantum ri potest, considerabo.

Sumemus autem initium Imperii Turcici à Sinu Adriatico siue Veneto, vbi extenditur à finibus Ragusiensium, complectiturque totum Archipelagum & Propontidem, cum magna parte Ponti Euxini, vsq; ad vrbem Capham siue Theodosiam, in Chersoneso Taurica, vbi hodie Tartari Precopenses. Si vero interiora lustrare velimus, deprehendemus id porrigi à Buda Hungariæ vsque Constantinopolim, quo spatio maior meliorq; superioris Hungariæ pars comprehenditur, præterea Thracia, hodie Romania, cum Græcia, Macedonia, Epiro siue Albania, Achaia, Peloponneso, omnibusque Insulis Maris Ægei, pauculis exceptis, quæ Venetorum agnoscunt imperium in Mari Ionico, cum parte Illyrici & Dalmatiæ, omniq; Bosnia, Seruia, Mæsia, Bulgariaque.

Habet igitur Imperium Turcicum in Europa hos fines: ab Oriente Mare Ægeum, Propontidem & Pontum Euxinum. A Meridie Mare Creticum & Mediterraneum; ab Occidente Adriaticum: à Septentrione Hungariam, Transsyluaniam, Moldauiam. Ambitus littoralis harum prouinciarum creditur constituere X. millia & D. milliarium Italicorum. Si metiaris superficiem & reducas omnia ad mille quadratos, inuenies circiter CCC. & XII. millia CLIX. insuper milliaria Italica.

In Africa possidet Turca totum littus & regionem maritimam ab oppido Velez de Gomera vsq; ad Mare Erythræum, exceptis quibusdam locis, in quibus Hispanorum Rex dominatur. Comprehenduntur autem in isto spacio regnum Argerianum, Tuneranum, Tripolitanum cum tota Barbaria, quæ olim fuit Numidia & Mauritania, tota insuper Ægyptus ab Alexandria vsq; ad Sienen, cum parte Arabiæ Troglodyticæ, ab initio Sinus Arabici vsq; ad vrbem Suaquenam. Totum hoc littus Africæ, cui dominatur Magnus Turcarũ Monarcha constituit M D CCL. millia, superficies autem esse potest milliarium CCCLVI. mille, CLX. Cum autem istæ regiones in plurimis locis non habitentur, sed desertæ sint & arenosæ, alicubi etiam non agnoscant Turcicum imperium, dicemus eum in Africa dimidio minus possidere.

In Asia tribuemus imperio eius quicquid Ptolemæus collocat in prima Asiæ tabula, nimirum Pontũ, Bithyniam, Asiamq; proprie sic dictam, vt & Asiam Minorem siue Natoliam, Phrygiam, Bebryciam, Lyciam, Paphlagoniam, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Armeniam Minorem, Ciliciam, quæ prouinciæ omnes nostra memoria alia acceperunt nomina, & comprehenduntur sub generali Natoliæ nomine. Ambitus huius ingentis Peninsulæ sumitur ab littore Syriaco vsque ad Trapezuntem, constituitque circiter II. millia & CC. milliaria.

Possidet idem Turca bonam partem earum terrarum, quas Ptolemæus in tertia Asiæ Tabula collocat: reliquum enim obtinent Tartari & Persæ. Est autem Armenia Maior quam Turcæ vocant Turcomaniam.

Dominatur insuper prope omnibus terris,

quas Ptolemæus quartæ Asiæ Tabulæ assignat: nempe Cyprum Insulam, Syriam, Palæstinam cum Iudæa, totum littus Syriacum circiter CCCCXXX. milliaria. Sed & Arabiam Petræam, Mesopotamiam, Arabiam desertam, Babylonem cum Chaldæa, dicitur autem illa hodie Bagadet.

Occupat idem Turcarum dominium quicquid Ptolemæus quinta Tabula Asiæ complectitur: nempe Amasiam, atq; inde pergendo Trapezuntem, versus septentrionem vsq; ad fretum siue Bosphorum Cimmerium, quod fretũ confine est Chersoneso Tauricæ, & hinc ad Hermanassam Ptolemæi, quæ via est secundum littus, milliarium CCCCL. proficiscendo autem ab vrbe Sues, quam Ptolemæus sub nomine *Clisma Præsidum* comprehendere videtur, & circumeundo Arabiam felicem vsque ad ostium Tygris fluuii, erunt Milliaria III M.DCCL. Ita si omnia velimus exacte metiri & ad calculum vocare, quæ Turcarum Monarcha possidet in sola Asia, emerget incredibilis milliarium numerus, perturbando potius quam erudiendo lectori aptus. Accedit, quod hæc mensuratio certo constare non potest, cum multa in his tam vastis regionibus inculta sint nec habitentur, multa insuper loca Turcæ dominium non agnoscant, vt fit in Arabia felici & alibi. Igitur omne terrarum spacium, quod Turca possidet in Asia, terminatur ab Oriente sinu Persico, Tygri fluuio, & parte littoris Maris Hyrcani siue Caspii: ab Occidente Sinu Arabico siue Mari Erythræo, Archipelago, Bosphoro Thracio, Ponto Euxino. A septentrione eodem Ponto Euxino, Mæotide Palude, & parte Sarmatiæ Asiaticæ. A Meridie Oceano Meridionali siue Indico & Mari Mediterraneo. Sed nos de his, quæ Turcæ possident in Asia & Africa, amplius agemus in sequenti Archontologiæ nostræ libro: nunc Europam tantum, qua Ottomannico Imperio subest videamus.

THRACIA SIVE ROMANIA.

3 Cum prima ac præcipua Ottomannici Imperii vrbs sita sit in Thracia, quã hodie Romaniam vocant: visum est ab ea initium sumere.

Dicitur autem Romania propter vrbem Constantinopolin, quæ aliquando Noua Roma appellata est. Fuerunt & alia antiquitus Thraciæ nomina Odrysia, Hæmonia, Crestonia; Iosephus auctor est, eam ab Hebræis Thyras appellari. Habitatores eius dicebantur Strymonii, Bardi, Dolongi, Sithimii. Fines eius sunt ab Oriente Pontus Euxinus, vbi est Fretum Constantinopolitanum, Propontis & Hellespontus, qui hodie dicitur Fretum siue Strictum Callipolitanum. A Septentrione clauditur Hæmo monte, quem Itali nominant Catenam Mundi & Montem Argenteum, Turcæ Balkan, Slaui vero Cumonizen. Ab Occidente est Mysia superior, & pars Macedoniæ; à Meridie Archipelagus. Incipit autem à Strymone amne, vel secundum Bellonium, Marmara, extenditurque vsque ad Pontum Euxinum. Habet in longitudine vigin dierum iter; in latitudine VII. nempe ab Ha mo monte vsque ad Bosphorum Thracium. S ta est Thracia intra XLII. gradum eleuation Poli, vsque ad XLIV. vbi longissima dies est p æstatem horarum XV. cum quarta horæ part Longitudo est à gradu XVII. vsque ad XX VI.

Vrbes & oppida huius regionis præcip sunt hæc: *Abdera*, Democriti Patria, quam h die Polystilon dici multi autumant. *Nicopolis* Hæmum montem, & *Philippopolis* in monte e tructa, cuius ruinæ admirabiles ostendun quanta olim vrbs fuerit. Est enim ibi Amph theatrum, quod prope integrum permansit, que ad hæc tempora, potuisset que durare mul longius, nisi Turcæ gradus, qui sunt ex marm re omnes, abstulissent.

Figura ei est Sphærica oblonga. Sunt & h alia antiquitatis monimenta: vt quatuor col mnæ prealtæ & crassæ, quæ adhuc supersun Templo Claudiano, cum nonnullis statuis ma moreis. *Hadrianopolim* Turcæ *Endrem* vocar quæ maior multo est Philippopoli, sed n cincta satis firmis mœnibus, nec vallo aut fo sa valde munita. Quæ cum talis sit, proximu tamen locum obtinet post Constantinopoli inter ciuitates Thraciæ, fuitque olim domi lium atque regia Turcicorum Principum, cu constet Hadrianopoli habitauisse AMVR THEN primum, sub annum A N.C.MCCC XIII. *Traianopolis* adhuc nostro æuo populo fi quens est. *Selymbria* sita in littore Propon dos, Portum habet pro excipiendis minorib nauigiis, maiores enim in Sinubus subsistu *Perinthus* hodie nominatur Heraclea, vt illa qu sita est ad Sinum Maleacensem. Habet Peri thus portum commodum ad excipiendas nau mercatorias & triremes. Fuit hic olim Amph theatrum Marmorium maximi precii. Præt has est *Apollonia*.

Sed nos omissis his omnibus, ipsum prouin ciæ caput *Constantinopolin* videamus, quanc strui cœpta fuerit & vnde denominata.

Cum Græci aliquando penderent anim quonam potissimum Thraciæ loco ciuitate extruerent, neque inter eos satis conuenire po set: Consuluisse dicuntur Oraculum Apollin responsum tulerunt, vt nouæ vrbis fundame ta molirentur in Thracia, recta ex aduerso c corum: sic enim Chalcidenses appellabantu quod cum primi in eam terram pedem posu sent, non applicuissent animum ad considera dam fertilitatem terræ, sed profecti in adue sum littus, condidissent oppidum in loco asp ro, sterili ac prope deserto.

Igitur Pausanias Spartanorum Princeps, i tellecto Oraculi sensu, statuit ædificare vrbe in eo ipso loco, quem Apollo designauera quam Byzas præfectus classis Megarensium c suo nomine appellauit *Byzantium*. Retinuit n ua vrbs hoc nomen multis annis, floruitqu inter cæteras Græciæ Thraciæque vrbes, inpr

nis ob agri fertilitatem, constituta sub Spartanorum dominio, anno Mundi III M.DXXXVI ante natum Christum DC LXX. Constantinus vero Imperator, vt dicemus, nomen ei mutauit, cum iam ante semper fuisset Porta Europæ, & velut Pons quidem, ex hac traiiciendi in Asiam.

Cum enim sibi proposuisset Constantinus, relinquere post se immortale pietatis suæ in Deum specimen, relicta Pontifici Romano vrbe Roma cum tota Italia, ipse Orientem versus profectus, Byzantium adiuit, ductis eo secum illustrioribus Italis, qui pacem Pontificis & quietem turbare poterant. Ædificiis autem innumeris ad Byzantium vrbem additis, vt æternati consecraret nomen suum, voluit eam deinceps nomine appellari Constantinopolim. Ædificatus est autem hic Princeps Antiquam Romam, congestis in eam omnibus rebus, quæ ad ornatum vrbis facere poterant, & quicquid in toto Oriente pulchrum fuit atque pretiosum, vt extant firmissimi muri, Palatia superbissima, ædificia pulcherrima, columnarum miranda magnitudo & species, omnia facta ex marmore, porphyrite vel Ialpide lapide, vt nihil non hic visu fuerit stupore dignum.

Fuit hæc vrbs deinceps domicilium & regia Imperatorum Orientis, post desertam Romam, & diuisum inter filios Constantini Imperium. Postremo autem cum anno A N.C.M CD LIII. porta fuisset à Mahomete II. facta est habitatio tyrannorum Turcicorum. Hinc factum est vt Constantinopolis etiam nostro æuo supra modum abundet diuitiis, populoq; ad miraculum frequens, & velut centrum omnium nauigationum commerciorumque Imperii Turcici.

Est in ea vrbe Magnificentissimum Templum S. Sophiæ, quod Iustiniani Imp. pietas à fundamentis extruxit & Diuinæ Sapientiæ dedicauit, cuius structura talis erat & diuitiæ tantæ, vt videatur is princeps aliquo modo æmulatus voluisse gloriam Salomonis & perfectionem templi Hierosolymitani. Erat ibi candelabrum totum ex lychniis curiosissime fabricatum, alimento semetipsum sponte ad conseruationem præbente, ita, vt si ignis vnius myxi extingueretur, simul omnes morerentur. Structum perfectumque fuit hoc ædificium anno Salutis CCC XXXIII. Hæc eadem vrbs, quam iure originem Orbis terrarum dicere possis, vidit annos post Instauratorem suum gloriose triumphantem de Persis, recepto in sinum suum copiosissimo totius Christianitatis Thesauro, inprimis parte Crucis Dominicæ, quam pia curiositate inuenerat Matronarum Regina, S. Helena Constantini Mater; fuitque tantum huius vrbis decus, splendor, magnificentia, dignitas, vt nihil ad gloriam eius accedere posse iudicatum fuerit. Habitauerunt hic diuturna successione potentissimi Principes Orbis Terrarum. Sed vt omnia nata intereunt, & mutationibus sunt obnoxia, ita quoque non perpetua fuit vrbis huius gloria atque eminentia.

Anno enim A N.C.MCCCCLIII. die Martis post festum Pentecostes, expugnata fuit Constantinopolis, facta in prædam Barbaris & crudelitatis Turcicæ experimentum, cuius quidem extremæ infelicitatis à nonnullis, qui non satis expendunt, aliquando ipsam Romam, inprimis nostra memoria anno Salutis M D XXVII. eodem mense Maio idem prope passam fuisse ab exercitu Caroli V. Cæsaris, hæc asseritur: quod, ritus atque ceremonias à Romana Ecclesia alienas sequerentur Græci, quos illi propterea Schismaticos appellare elegans putabant.

Sic autem habet. Turbauerat longo tempore dissidium inter Pontifices Ecclesias Occidentis: quo extincto, cum iam omnia pacata crederentur, non tamen conquieuit schisma inter Ecclesias Occidentales & Orientales, quod tam multis annis durauerat. Fuerat Orientis Imperium iam valde labefactatum, ab anno MCCCXCVI. desertumque ab Occidentis Principibus ob continua L. annorum bella inter Gallos & Anglos, variis obnoxium erat mutationibus. Conati fuerant multis annis ante nostri Reges atque Principes, quanquam frustra, recuperare Iudæam & extorquere Sanctam Vrbem è Saracenorum manibus. Perditum ibi est tantum hominum & nummorum, vt mens horreat dicere, cum tamen nihil efficeretur.

Consistebat tunc totum Orientis Imperium in his prouinciis: Græcia, Macedonia, Thessalia, Illyrici parte, Mæsia, parte Daciæ, Seruia, Bulgaria, accedente parte Minoris Asiæ & regno Trapezuntis. In hac infirmitate tanta tamen fuit Principum Orientis soliditas, vt hoc qualecumque Imperium subdiuiderent & velut lacerarent in multas particulas & prouincias minores, præfectis variis Regulis atque Despotis, vt vix quisquam ex omnibus solidi quid haberet. Hac confusione & multorum dominatu mirum in modum creuerunt res Turcicæ, simulque blasphemia Mahometana, magno Christianorum per Orientem detrimento & interitu. Non est meæ mentis sigillatim percensere historias, sufficerit mihi notare, quo pacto successu temporis Imperium hoc Orientis paulatim pessum ierit.

Profligatis Gallis ex Imperio illo Orientali, quod sibi imaginati fuerant, Palæologi rerum potiti per Græciam, miris modis eam rexerunt. Nam Michael, Andronicus, Iohannes Manuelque varias exagitaueruntinter se turbas atque tumultus, erecto Constantinopoli velut Theatro, in quo spectaret Orbis eorum Tragœdias atque Lanienas, non sine magna nominis Christiani ignominia. Postremus fuit Constantinus Palæologus, qui omni decedere possessione coactus à Turca, regnandi pariter & viuendi finem fecit.

Testantur Annales Vngarorum, quam horribilem irruptionem fecerint Turcæ in Vngariam sub Rege suo Baiazethe, vbi cæsis inter-

necione Gallis captus fuit Iohannes Burgundiæ Dux. Hac victoria parta, videbatur nihil restare, quam vt Baiazethes recta reuersus Constantinopolim, quam obsidebat, expugnaret. Sed Deo aliter visum est, qui vt Christianis nonnihil largiretur temporis, & velut daret inducias, quibus flagitiosam emendarent vitam, repressit hunc Tyrannum per alium Tyrannum. Baiazethes enim acie victus atque captus à Tamberlano Tartarorum Principe, pœnas dedit crudelitatis suæ, relicta occupatione Constantinopoleos successoribus suis, qui eam quinquagesimo octauo anno post, sic volentibus fatis, exsequerentur. Prælium enim, in quo Baiazethes potitus victoria de Christianis, vicissim à Tartaris victus captus est, commissum fuit anno AN.C. M CCC XCV. Constantinopolis autem capta fuit anno M CCCC LIII. a.d. XXIX. Maij mensis, per Mahomethem II. Nepotem Baiazethis, verum instrumentum iræ Diuinæ, ad castigandam impietatem, crudelitatem summamque dissolutionem vitæ Christianorum, inprimis eorum, qui in supremi Magistratus constituti fastigio, alios cohercere debebant.

Fuit autem Mahometus iste Amuratis filius, natus matre Christiana, filia Despotæ Seruiæ, institutus primum à matre in fundamentis Christianæ fidei, vt aptior esset ad castigandum Christianos, qui Deum ore confitentes, factis & vita negabant. Vnde Tyrannus iste, qui acceperat quendam gustum veræ Religionis, cum eum denuo vomuisset, & abiecisset penitus omnem pietatem, commodissimum præbuit iræ diuinæ ad castigandos Pseudochristianos flagellum. Dedit autem hic Mahomethus illustre specimen crudelitatis suæ, cum vix dum vigesimum annum ageret. Primus enim cum esset inter Amuratis filios, ne haberet regni socium, duos fratres suos, Tursinum & Calepinum è medio sustulit, illo quidem in labro aquis pleno submerso, huic vero elisis fune faucibus. Sublatis ad hunc modum fratribus, negauit Bassas illos, qui homicidia illa commiserant, dignos esse, qui regiis filiis essent superstites: iussit igitur interfectores suo sanguine parentare interfectis, eosque sequi ad Orcum. Hæc fuerunt initia imperii eius, quibus pro fundamento iactis, omnes cogitationes in perniciem Christianorum conuertit. Aggressus igitur Imperii Orientalis terras, egregiam proferendi dominatus sui nactus est occasionem aduocatus ab ipsis Christianis, vt arbiter esset inter litigantes: ibi susceptio imbecillioris aduersus potentiorem patrocinio, homo ingeniosus, promptus & audax, magna in partem aduersam vsus est seueritate.

Adeptus ad hunc modum partem quandam Græciæ, cum Christianorum res conturbasset, & discordiæ pernicioſam arborem in eorum animis plantasset, non multo labore opus habuit ad obsidionem Constantinopoleos, securus à viribus Græcorum & impetu. Nullos enim habebant capitaliores hostes Christiani quam ipsos Christianos. Confugerant Palæologi cum Ecclesiis Orientalibus ad Papam & Imperatorem Romanum, ad Regem Francorum: delatis querelis ad Concilia, Pisanum, Constantiense, Basilienſe, sed pro auxilio retulerant nuda verba, exprobrationes, ludibria. Securus a hunc modum Mahomethus, qui nulla ab Occidente ventura auxilia nouerat, obsedit Constantinopolim, quæ nihil erat quam Larua quadam vel vmbra Imperii, & ingens strues lapidum, ostendens non quanta iam esset, sed quanta fuisset potentia Orientalium Imperatorum.

Nulla habebat Constantinus Palæologus a exteris auxilia, præter cohortes quasdam ab Venetis & Genuatibus submissas, cum Mahomete haberet CCL. triremes militariter instructa cum militibus ducenties mille, inter quos it gens erat multitudo Græcorum agrestium, q fidem Christianam profitebantur. Obsessi a extrema se deductos animaduertentes, id vn ce agebant, vt quam maximo precio vend rent sanguinem interitumque suum obsessor bus. Sed quid facerent miseri? deiecerant ia Turcæ magnam partem murorum horribili i petu tormentorum bellicorum; portus occupa batur incredibili nauium Turcicarum numer ipsis oppidanis iam vehementer afflictis imm nutisque.

Cum igitur Turcæ vrbem validissime & sin intermissione oppugnauissent, capta fuit postr mo, deficientibus propugnatoribus. Constant nus Palæologus cum comitatus agmine suoru per portam liberam fugere conaretur, miseru vitæ finem inuenit. Turcis enim, qui iam po vrbe fuerant, fugientes magna vi insequent bus, Imperator in ipsa porta vi pressantis mult tudinis elisus petiit cum plurimis aliis. Turc memores, quantum in obsidione illius vrbis f dissent sanguinis, ad summam crudelitatem n hil fecerunt reliqui, trucidatis habitatorib promiscue, nec obseruata sexus, ætatis aut c gnitatis differentia: fuitq; tam lamentabilis r rum facies, vt scribi legique sine lacrymis v possit. Viri vel gladio amiserunt vitam, vel s tute mutauerunt libertatem; matronæ virgine que, cum iis satis fuissent ad explendam libic nem abusi Turcæ, postremo crudeliter mact tæ interierunt. Ad hunc modum elegantissi illa totius Orientis regio, vrbs quæ caput fu rat Imperii, in qua audita fuit vox Euangelii ore tot sanctissimorum & præstantissimoru Doctorum Ecclesiæ, qui magno cum fruc suis temporibus Deo seruierunt, illa inqua Ciuitas facta est abyssus impietatis, officina rorum, schola barbariei & iniquitatis, in q Mahometus, filius perditionis, collocauit thr num suum super multos Reges & Princip terræ.

Sunt qui dicant, Mahometum in capta vr tantam crudelitatem exercuisse in Græcos, vindicaret clades Troianorum, quas ante m

annorum centurias capta Troia Phrygiæ in-
lerant, à quibus Turcæ traxisse originem cre-
ntur. Sed hoc ineptum est & prope puer-
e.

Vsitatum est genti illi in hunc modum sæuire
debellatos hostes, neque profecto nostri ho-
nes inter sui generis originisq; clementiores
istunt, si in quam vrbem aut oppidum non ad-
ssi, ferro atq; vi aditum sibi facere coguntur,
exempla docent horum annorum, inprimis
ro anni MDCXXII. & sequentium. Et ita sane
eruerant Græci, quibus leuis castigatio suffi-
re non poterat.

Primus igitur Mahometus, hic ex Ottoman-
a familia Constantinopoli collocauit Solium
m, posterorumq; eam esse voluit domicilium,
i Turcæ corrupto, suo more, vocabulo Stam-
im vel Stamboli vocant, additis epithetis Ma-
e, Regalis, Abundantis. Celebriora in ea loca
ue ædificia eandem subiuere mutationem,
barisque nostra tempestate appellantur no-
ibus. Sita est ipsa vrbs iuxta Eu ipum, vbi
Propontidem influit Pontus Euxinus, quem
am Prisci Geographi nominant Bosphorum
acium. Ambitus eius putatur habere XIII.
secundum alios XVI. millia passuum: Inco-
m numerus excedit DCC. millia. Diuidi-
& veluti inciditur in tres partes, intercursu
arum marinarum. A latere septentrionali
brachium siue sinum maris, quem Cornu
ellant, quem Bosphorus efficit, ibi in Euro-
littus ingrediens, ab Oriente habet extre-
n Euripum: & à Meridie fluctus Proponti-
. Ab Occidente firma solidaque est, habens
limite ipsam Terram Thraciam. Forma e-
longa magis quam lata, propemodum trian-
tis est: muri eius sunt incredibilis altitudi-
complectentes ambitu suo septem colles.
nus est apud Palatium siue Domum Imperia.
, iuxta quem ea superbissime exædificata est.
mus respicit extremum vrbis angulum huic
ositum, qua terrestri itinere via ducit Adria-
olim. Inter tertiũ & quartũ extenditur vallis,
appellatur Magna, vbi spectatur Aquæduc-
raræ & exquisitæ structuræ, opus Constanti-
lagni, qui per eum aquas in vrbem deriuauit
primo milliari. Solymannus vero II. per duo
iaulterius progressus auxit aquas mirifico ac-
, quæ tanta currunt abundantia, vt per DC-
L. tubos publice saliant, non connumeratis
qui aquas vomunt in lauacra, quæ seruiunt
im deliciis partim superstitionibus Tur-
m.

d extremum septem collium vsitur antiqua
ctura arcis, cum septem turribus: Turcæ vo-
Giediculam, hoc est Castrũ septem Turrium,
io ædificio tanta fuit Architecti ars & soler-
t ea quæ dicuntur in vna turri, intelligantur
liquis omnibus, non quidem simul, sed sue-
ue atque ordine. Sunt hic in præsidio CCC.
tes sub centurione, qui eius curam gerit,
licet cuiquam Præsidiariorum hinc pe-
efferre, nisi de consensu primi Purpurato-
rum, exceptis duobus anni diebus, cum illi præ-
cipua duo festa celebrant.

Solebant autem primi Turcarum Imperato-
res, postquam Constantinopolin occupauere,
Thesauros suos in illis turribus deponere ad
hunc modum. Prima continebat massas auri in-
fecti, vt & monetam auream: duæ sequentes ha-
bebant massas argenti & monetam argenteam.
In quarta seruabantur diuersa arma & orna-
menta pro militibus, nec non proequis, preciosa
pleraq; & auro variegata, gemmis insuper lapil-
lisque exornata. In quinta custodiebantur arma
vetusta, imagines & alia antiquitatis monumen-
ta preciosiora. In sexta erant Machinæ belli-
cæ. In septima asseruabatur Archiuum Princi-
pis & litterarum documenta, vbi porticus est
perelegans, in qua suspensa fuerunt spolia, quæ
Selimus primus ab Tauris vrbe Armeniæ se-
cum eo detulit, cum triumpharet de Persis. O-
mnes hi Thesauri ibi custoditi fuerunt, vsque
ad tempus Imperii Selymi secundi. Verum i-
dem multoties accidit in regnis atque principa-
tibus, quod in priuatorum familiis, vt ea, quæ
priores magno collegerunt labore & pruden-
tia, posteris cedant in prodigalitatis materiam.
Is enim Selimus, cum dissolutus esset & effœmi-
natus, vt multis videretur natus ad ruinam re-
gni Turcici, si Christianis fuisset animus præcla-
rus vtendi occasionibus; is inquam magnam
partem thesaurorum suorum insumpsit in expe-
diendam classem, quæ tamen postea ad Naupa-
ctum victa in Christianorum manus peruenit.
Conuerterat autem idem Selymus bonam ho-
rum thesaurorum partem in bellum Cyprium:
quod superfuit, dilapidauit distribuitque inter
concubinas & alia libidinis suæ obsequia. Amu-
rathes igitur Selymi filius mutato ærarii loco,
Gazam Imperii in Regia custodiri voluit: voluit
autem, quod nihil carius haberet auro, vnde id
ab se nolebat abesse longius. Hoc pacto mutatus
est vsus turrium illarum, vt quæ antea destinatæ
fuerant seruandis thesauris regni, postea factæ
fuerint custodiæ ac carceres Regum Principum-
que ab Turcis in bello captorum. Cum enim
magna loci sit capacitas, satis amplum in eo ca-
ptiui habent spacium, qui non includuntur in
Turrim Maris Nigri, quæ turris nouissimis his
annis destinata est custodiæ magnorum homi-
num illustriumque. In hac enim captiuus de-
tentus fuit anno Christi MDCXVII. Coresquius
Moldauiæ Princeps: in eandem incluserunt re-
belles Ianitsari anno Salutis MDCXXII. Sulta-
num Osmannum, cui postea fauces laqueo eli-
serunt.

Complectuntur autem intra sese muri Vrbis
Cõstantinopolis vltra duo millia Templorũ Æ-
diumve sacrarũ Turcicarũ, quas diuersi Monar-
chæ Turcici extruxerunt: de cæteris enim, quæ in
hac Vrbe Imperiali spectatu digna sũt, potest ad-
iri Antiquitatũ liber P. Gillii, qui hæc largius est
persecutus. Inter omnia autem Templa antiqua
longe excellentissimum est S. Sophiæ, Opus
Iustiniani Imperatoris, quod Turcæ etiam-
num

num vocant *Aiasophian*. Muri eius, qui è latere cocto structi sunt, vestiuntur intus & foris marmore candido, porphyrite, aliisq; preciosis lapidibus. Porticus templum cingunt apertæ sex portis, ingenti artificio structæ. Ipsum templum eiusq; interiora adeuntur portis quatuor. Tectum plumbeum & laquear fornicatum præaltum ostentant magnificentiam operis, quod sedecim operosæ columnæ sustinent, quarum quatuor sunt ex marmore Iaspidato ex Insula Cypro: quatuor ex marmore candidissimo: totidem ex Porphyrite: & rursum quatuor ex alio preciosi lapidis genere. Est ibi Petra quædam marmorea, supra quam opinantur Turcæ Matrem Domini nostri lauisse linteamina filii sui, qua de causa multum habent lapidi illi honoris, quod Turcæ Christum magnum Prophetam fuisse arbitrentur. Ad eiusdem ingentis Machinæ sustentationem seruiunt insuper XLVIII. aliæ columnæ, minores quidem, sed ex eadem materia: minus autem laquear sustinetur columnis XXIV. ex porphyrite lapide & marmore. Statuæ & simulacra diuorum, quibus olim ædes illa exornata fuit, iam non amplius visuntur. Vna duntaxat imago, deiectis cæteris, salua mansit, Genitricis Dei, cum infantulo in præsepi, in medio laquearis. Huic prætenderunt Turcæ velum, ne conspici posset, quo tamen Christiani prohiberi non possunt, quin admotis scalis adscendant, & eam contemplentur imaginem, cum iis licitum sit certis horis ingredi Mosqueam Turcicam, & ita hoc quoq; Templum, quod olim multo maius fuit quam nunc est, cũ longo spacio cum ipsum Templum tum adiuncta ædificia porrecta fuerint, in eum vsq; locum, vbi nunc est Regia. Verum Turcæ potiti Vrbe, demoliti cætera, nihil reliquerunt integrum, præter Chorum Ædis, vt sibi præstaret vsum templi Mahometici.

Longitudo & Latitudo huius ædis optime potest colligi ex eius altitudine, quæ tanta est, vt emisso è sclopeto manuario globo eius summa contingi possint. Quæ subter ipsum Templum sunt, omnia sunt fornicibus & laquearibus suspensa, vbi plures sunt aræ & diuersæ sepulturæ, quæ causa fuit Turcis, vt portas quæ eo ducunt muris obstruxerint. Loco quodam haud procul inde dissito, visuntur decem dolia satis capacia, plena oleo inde à temporibus vsque Constantini, quod oleum in hoc vsque tempus durauit incorruptum, nisi quod album instar lactis colorem traxit. Vtuntur eo medici duntaxat & Chirurgi, ad paranda vnguenta atque pharmaca pro Magno Turcarum Imperatore eiusque aula.

Digressus inde incides in cryptas quasdam subterraneas, fornicatas, admodum paruorum lacellorum, structas è marmore, cum impositis paruis ædiculis: in illis cryptis sepulchra sunt filiorum Magni Turcæ. Per eadem loca camerata descenditur in alias duas Cryptas siue Antra, quæ extenduntur subter pauimento vrbis: vnum Antrum ducit recta ad Regiam, alterum subter ædificia vrbis longo tractu porrigitur. Nullus harum cryptarum hodie est vsus, præter quam quod posterior per quasdam fenestras sine rimas, quas temporis diuturnitas fecit, lucem dubiam admittit, vnde seruit iis qui seri cam lanam parant, quo nomine exiguum vecti gal paucorum Ducatorum quotannis præfec æratii, quod à parsimonia nomen habet, sol uunt. Omnes tamen perelegantes & antiqu Fabricæ, quæ olim ambitum Templi decora bant, iussu Principum Turcarum abolitæ sun præter pauca quædam habitacula, quę vsum h bitationũ præstant Religiosis Mahometanæ su perstitionis. Præter hanc tam admiranda stru cturæ S. Sophiæ ædem, visuntur adhuc quatuo Templa Mahometana, clarissima & perpetua in dicia Magnificentiæ Turcicæ. Primum extru xit Mahometus II. cum Triumphũ egisset de c pta Constantinopoli. Hoc auspicatus est ad e emplum S. Sophię tẽpli, sed multo humilius gustiusq;. Assignauit huic LX. millium Ducat rum prouentus, extructis circa id centum egr giis cubiculis, in forma cubica, plumbo coope tis, tam vt in iis habitarent Sacerdotes, aliqu qui rem diuinam faciunt: quam vt ibi recipere tur peregrini, cuiuscunq; ii sint Religionis v Nationis: omnibus enim hic datur diuerten locus per triduum. Extra hoc velut Claustru ædificata sunt quinquaginta alia cubicula, pi aliis pauperibus.

Secundam Mosqueam siue templum stru Baiazetes secundus, huius Mahometi filius. T tium Selymus primus, Baiazetis filius. Qua tum Solimannus, alter Selymi filius. Tres p strem hi Principes sepulti sunt; quisque in Pr nao Templi à se extructi, in monimentis supe bæ structuræ, superpendentibus innumeris la padibus ardentibus, & sacerdotibus sine inte missione suas recitantes preculas pro salute ea marum illorum Monarcharum.

Eminet autem inter quatuor illa templa i lud, quod Solimannus II. ædificauit, vt nihil d beat largiri aut cedere ipsi Sophiæ templo, marmora aut alterius materiæ præstantiam c sideres: quanquam in Architecturæ perfecti ne illud huic multo sit inferius, quæ tanta est, nemo mortalis eam hactenus assequi potuer

Selymus II. fundauit sibi Templum in ciuit te Adrianopoli. Acomates, qui ante aliquot a nos mortuus est ingentem auri vim contulit fabricam Mosqueæ, quam proximis his ann extruxit in vrbe Constantini. Cæteri Græcor Principes nulla extruxerunt templa, quod nc amplificauerint Imperium maiorum suorum a cessione nouorum regnorum & Principatuu

Leges enim tam regni quam Religi nis prohibent, ne quis Princeps Turca ædificet Templum, nisi protulerit pomœria r gni Turcici, acquisitis sibique subiectis Chr stianorum terris, in quibus stabiliant doctr nam Alcorani. quod si quis Princeps co temtis legibus, id facere ausit, huic se fo titer opponet Pontifex Turcarum siue M

i, qui negaturus sit, fecisse Principem aliquid, iod saluti eius prodesse queat.

Græci qui Christianam profitentur Religio- em, habent in vrbe Constantinopoli XL. empla & Sacella, in quibus Deum suo ritu co- nt. Armeniis permissa sunt quatuor. Latini si- Romano Catholici, quibus hic minus licet m cæteris, in Suburbio Constantinopolis, ta Peram siue Gallatam nominare fas est, o- ra Henrici IV. Gallorum Regis obtinuerunt ol egium Iesuitarum, qui hic rem Diuinam ragunt. Est autem Pera è regione Constan- opoleos, inter cedente brachio maris, quem nalem vocant, confinis Hortis Principis, qui ntigui sunt Regiæ, habentq; in ea Christiani tini quatuor templa, in quibus peragunt sa- Mysteria.

Iudæis multum in Vrbe Constantini permis- n est, in qua nouem vicos inhabitant, Syna- gas habentes XXXVIII.

Muri Constantinopoleos permanserunt ope integri: suntque duplices, qua terram e continentem spectat vrbs, excepto eo tan- n loco, vbi est Porta Sancta, sic dicta ob mul- itudinem corporum Sanctorum, quæ dicun- requiescere in quodam Sacello haud procul illa porta. Per hanc Mahometus ciuitatem gressus est, vt contaminaret loci sanctitatem. bet autem Vrbs portas omnino XIX. qui- s partim via est in terram firmam, partim ad re. Extant vbique multa antiquitatis moni- nta, Pyramides mirandæ altitudinis, inter as vna sublimius assurgit cæteris omnibus, e tamen æquat altitudinem Obelisci de Po- o Romæ. Visuntur insuper hic tres serpen- marmorei, (alii dicunt æneos esse) ad duo- n hominum altitudinem adscendentes, sibi tuis nexibus implicati. De his Turcæ ita fa- antur: infestos fuisse aliquando serpentes ci- ti, ibi populum fusis ad Deum precibus hos serpentes erexisse, eorumque beneficio ab ommodo illo liberatos fuisse: puto ipsos ali- d de Mosis æneo serpente in deserto inaudi- e, & huc traxisse. De vulnere, quod vnus ser- tum illorum in collo habet, ita narrant. Ma- nerem II. ingredientem captam ab se vr- n, & serpentes illos conspicatum, credidisse, opus alicuius Magi aut Venefici. Concita- gitur equo, infecta hasta in serpentem il- incurrisse, eumque hoc modo vulne- e.

tat in eadem area Columna perelegans, o- e (vt vocatur) Rustico, marmoribus quibus stat, sine calce & cæmento adunatis, habens nedio scalam turbinatam, per quam ad sum- m adscenditur. Hic sese exercent in cursu e- stri Nobiliores inter Turcas, singulis die- Veneris, & cum solenne festum celebratur, d ipsi *Berlan* nominant. Forum rerum vena- n habetur tribus per septimanam die- , Mercurii, Iouis & Veneris. Spectantur um hæc loca vltra bis mille officinæ Inter- polatoriæ, in vsum eorum, qui vili sumtu velint laceras reficere vestes, neque vectigal tam vi- lium rerum tam est exiguum quin ærario Prin- cipis inferat XL. millia Cequinorum, vel XL. millia librarum; nouerunt enim vel ex re mini- ma Turcæ tributum exigere.

Tabernæ mercatorum vel institorum in hac vrbe tam multæ sunt, vt numerum XL. millium excedere credantur. Distinguuntur autem in certa loca, secundum diuersitatem mercium quæ prostant, habetque vnumquodque opificii genus, suam sibi assignatam plateam, semper habita ratione commodi publici. Aurifices, gemmarii & qui telas venduntaureas, in pecu- liari loco suas habent officinas atque tabernas, qui locus sigillatim dicitur à Turcis *Baystan*: cæ- tera loca appellantur *Bazares*. Est autem locus i- ste, in quo tam preciosæ res venduntur, cinctus firmis muris, sex pedes latis, habetque quatuor portas duplices, per quas patet ingressus velut in exiguum quoddam, sed probe munitum op- pidum. Est in foro hoc opulentissimo porticus, habens XXIV. columnas quæ fornicem sustinent, in qua sunt plurimæ tabernæ minores, vnaquæq; sex pedes longa, lata quatuor: hic pro- stant preciosæ illæ merces expositæ omnium obtutui in paruis mensis siue abacis, & perstrin- gunt splendore suo spectantium oculos.

Oportet autem negociatores hos non leuè lucrum ex hoc loco percipere, cum cõster quos- dam Principi quotannis D. ducatos aut duo mil- lia Francorum soluere, vt merces illas hic venum exponere licear. NB.

In alia quadam platea assurgit columna è Porphyretico lapide, multis locis circulis incin- cta ferreis: à latere cuius vbi paulum digressus fueris, alia attollitur columna, Historialis appel- lata, prælta, insculptis multis figuris hominum eleuatis, vt illa quæ Romæ conspicitur iuxta Templum Petri & Pauli. In medio eius scala est, quæ pertingit vsque ad summum, sed rupta & si- ne dubio ruitura, nisi vinculis ligata esset fer- reis.

Post hæc omnia spectatu dignum occurrit antiquum Palatium Constantini, cuius non est tanta elegantia: hoc habet quod eo loco situm est, vbi præcipua est aeris salubritas. Supersunt etiam in vrbe duo Templa Christiana, quorum alterum dedicatum est D. Nicolao, alterum Virgini, Matri, cognomento Constantinopolitanæ, quod etsi paruum est, integrum tamen adhuc subsistit.

Præter Forum istud Aurificum, quod à Tur- cis *Baystan* vocari diximus, est aliud minus, cin- ctum & ipsum muris, qui XVI. sustinentur for- nicibus. in hoc venduntur telæ sericæ: sed extra illud est detestabilis ille locus, vbi vẽduntur ho- mines, viri & fœminæ, obseruato tamẽ certo dis- crimine. Alibi n. prostãt ea mancipia, quæ iã ser- uire didicerunt, & aliquid opificii exercere no- uerunt; alibi ea, quæ nihil horum sciunt. In

hoc

hoc loco multo manifestius quam in superioribus apparet formidabilis Turcarum Tyrannis, qua in detestabilem seruitutem addicuntur ij quos Dominator Mundi creauit liberos. Adsunt Mercatores, & excutiunt merces illas, ita vt nuda prostantium inspiciant corpora, cuiuscunque sint generis aut sexus, satisne omnia sint sana, ita vt non parcant curiose intueri eas partes; quas naturalis verecundia vult occultari. Mulieres & puellæ, quæ præ cæteris elegantiores sunt; fere maiori venduntur precio, aliquando vt succumbat horrido & deformi alicui Æthiopi. Quę sunt deformiores, paruo emuntur, vt ad res turpes & obscænas & impura præstanda seruitia adhibeantur, vt illustrib. aut alioquin opulentis mulieribus Turcicis præsto sint, quoties ad deponendum ventris onus loca secretiora petunt. De miseriis quas cæteri miseri homines, qui ad hunc modum emptitiam seruire coguntur seruitutem, sustinent, malim alios scribere, cum hæc sit tristissima pars totius huius materiæ. Quis enim sine lacrymis videat atq; gemitibus tantum Christianorum numerum, qui omnes in catenis & compedibus ferreis expectant quauis morte acerbiorem seruitutem? Alio loco venduntur nutrices siue lactates mulieres, quas Turcæ emunt ad nutritionem liberorum suorum: estq; in vniuersum tantus huius negotiationis fructus vt Mangones & Plagiarii isti soluant quotannis Magno Principi vectigalis nomine XVI. milia Zequinorum, qui constituunt LXIV. mil. libr.

Sunt & multa alia loca publica, ex quibus loculos suos implent Quæstores & Publicani Turcici. Caupones n. atq; Oenopolæ, qui Christianis & Iudæis publice vinum vendunt (aliquando & Turcis, sed insecreto) quorum numerus accedit ad MD. pendunt quotannis XXXVI. onera Monetæ, valet autem quodq; onus Monetæ mille sexcentis triginta trib. zequinis. Qui littus maris accolunt Piscatores, vectigal è piscibus persoluunt, quod singulis annis XVIII. onera monetæ conficit.

Forum Frumentarium, vbi & legumina & farina venditur, infert quotannis in ærarium XIV. onera monetæ.

Mercatores qui ab Cairo Ægypti Constantinopoli suas vendunt merces inferunt in ærarium Principis Onera monetæ XXIV.

Magnum Portorium, quod exigitur ab omnis generis nauibus onustis peregrinis mercibus ab Arce Callipolitana, vsque ad Arcem Maris nigri, conficit CLXXX. onera monetæ.

Magnum Macellum, quod est extra vrbem, vbi mactantur oues & maiores pecudes, quæ deinde mactatæ & mundatæ in ciuitatem munditiei gratia importantur, soluit XXXII. onera monetæ.

Seruiunt hic CC. Lanii quos Turcæ *Capsaplleros* vocant, quorum Præfectus & Magister *Capsabassa* dictus, operam dat, vt recentes carnes præsto sint semper: neminique permissum est sine eius consensu bouem vel arietem mactare, nisi sacrificii gratia. Quin & Iudæi coguntur hoc ipso emere licentiam mactandi pecudes sritu. Quod si Capsabassa iste conuictus fuerit, uaritia sua maius carnibus constituisse precio quam per leges licet, si furtum istud ad cogniti nem Magni Turcæ peruenerit, nemo eum gr delissimæ morti sua intercessione subtrahe potest. Viuus enim in quatuor lecatur parti que in macelli aditu locis publicis suffigun vt exemplo sint cæteris. Hic tantæ scelerum merus hoc genus in officio continet facitque publicum bonum priuato emolumento p nant.

Vectigal quod Octobri & Nouembri mer bus ex ingenti boum numero, qui ex Hunga Constantinopolim venales aguntur, solut ob magnitudinem suam suppurari facile n potest. Durantib. enim illis mensibus & inag foro boario, in quo populo duntaxat, non v lanionibus emere licet, videntur nonnunqu vno die boum quidem XXV. millia, vetuer vero XL.

Dici præterea non potest, quantum ærarii principis accipiat ex venditione domuum; uium, scapharum maiorum minorumq; siue la habeant sine non, vbi centeni nummi bi persoluunt Quæstoribus; quod idem faci omnes merces mari aduectæ; vnde dici non p test, quantum quotannis redeat argenti:

Vectigal quod ij pendunt, qui nauigare lunt, contemnendum non est.

Si enim Turca sit qui nauim conscendit; uit asperum nummum vnum; si Christianus Iudæus, duos.

Tributum, quod soli Iudæi, qui Constantinopoli degunt, pendunt, constituit quotannis millia, CCC. zequinos. Soluit autem vnusquisque Iudæus mas quotannis Zequinum vnu quanquam multi in hac gente à tributo illo beri & immunes sint. Præter hoc tributum Iudæi donatiuum annuum Principi offerunt millium Zequinorum, pro confirmatione p legiorum suorum, vtque illis l ceat Rabinum ue caput Synagogæ habere, CC. vero Z qui pro sepultura mortuorum.

Græci Christiani, qui ad vnam Leucam ci Constantinopolim habitant, idem quod Iu soluere coguntur Tributum; in singula ca masculà singulos Zequinos: qui conficiunt v XXXVIII. millia annua. Pendunt iidem G. XXV. milia Zequinorum quotannis, vt i habere liceat Patriarcham, vtq; conseruetur merus Templorum quæ ipsi passim habent. & ius sepeliendi mortuos, constat iis vltra Zequinorum millia.

Sed & vectigal Puellare dictum seruit rep dis Magni Turcæ loculis, quod à puellis ex tur; quæ nubere volunt, quarum omnium e ctus habetur catalogus. Si virgo nupturiens Turcici generis, soluit duas tertias partes vn Zequini: si Iudaica, Zequinum integrum Christiana, Zequinum vnum cum dimidio.

Si

Sunt autem Christiani Latini magna ex par- exempti à violentia & oppressionibus iniu- rum exactionum; dicunt enim se esse ex fami- aut clientela alicuius Legati siue Oratoris, egis vel Principis exteri : Albanenses autem guſini & Genuates ab omnibus oneribus hu- smodi liberi & immunes sunt.

Cum autem tam grauibus & numerosis Tri- tis populi opprimantur per hunc Orientaliũ egionum Tyrannum, necesse est vt omnis ge- ris moneta cudatur. Sic apud Constantino- lim in magna siue Imperiali monetaria, sine ermissione laboratur in fundenda feriendа- e moneta, ad quod tam preciosum artificium mo admittitur nisi sit homo Græcus, singula- riuilegio Principis : qui hoc ornauit eam na- nem munere , quod fodinæ argenti & auri t sub Græcorum Dominio. Laborant autem ea officina monetaria perpetuo C C C C. ho- ines : incumbitq; Præfecto siue primo Magi- o huius officinæ, omnibus Calendis singulo- m mensium totius anni in Regiam inferre de- m millia Zequinorum in moneta aurea, & vi- nti millia in moneta argentea , ita vt omnes mmi recenter cusi sint : sic volente Magno incipe, vt semper abundet Regia nouis num- s argenteis aureisque. Habet idem Præfectus moneta iæ potestatem denunciandi omni- s voce præconis, vt si quis monetam peregri- m penes se habeat, eam intra tertium diem ad fferat, sub pœna confiscationis. Postremo li- t ei ex massa tantum sumere argenti auriue, antum ipsi opus est ad instruẽdam officinam. etallifodinæ autem , è quibus aurum vel ar- ntum eruitur , in Europa præcipuæ quinque t. Prima est in Macedonia, ad radicem Mon- cuiusdam, quem Montem sanctum vocant: & hac eruitur aurum. Secunda quæ idem Metal- m fundit, est in Bulgaria, qua attingit ea fines acedoniæ. Tertia, quarta & quinta, quæ ar- ato sunt opulentissimæ , reperiuntur in Græ- . Ex his præcipuis aliisq;.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Vt autem ad magnam nostram Constantino- lim reuertamur, fecit magnificentia quorun- m Principum , & nonnullorum Bassarum ulentia in ea ædificari vltra CGC. *Caruaſſe- as*, id est amplissima & capacissima loca ad ex- iendos peregrinos. Domus Hospitales pro enis & morbidis sunt ad XC. inter quæ sunt præcipuæ. Iunxerunt autem has domos siue osodochia Imperatores Turcici Templis siue osqueis, quas ipsi viui extruxerunt , additis ouentibus, vt perpetua essent pietatis & be- ficentiæ documenta.

Numerantur præter hæc omnia quinque llegia, in quibus instituitur iuuentus Turci- alunturque Scholastici , qui eorum lingua *hi* , id est Studiosi Sapientiæ vocantur, cum iera nihil minus sint, quam quod dicuntur. cuique peculiare suum cubiculum, ad habi- tationem eius, in quo lecti duo, stragulum pro mensa , quatuor panes diurni , potus horde aceus, cum candelabro : dantur insuper singulis quotannis binæ vestes, & his eos oportet con- tentos esse primo anno. Secundo additur in sin- gulos dies Asper nummus , qui valet solidum vnum : tertio duo , quarto tres : & sic deinceps pro numero annorum, quibus in Collegio fue- runt. Magistris & præceptoribus soluuntur sa- laria ex prouentibus collegij.

Cæterum tam exiguo ære studiosi illi nullas possent sibi facere delitias, nisi aliunde maiores haberent prouentus. Præcipuum eorum lucrũ est, quod libros describunt (Turcæ enim Typo- graphia non vtuntur) vnde tantum accipiunt pecuniæ, vt non modo alere se, sed & gulæ ope- ram dare possint. Obeunt præterea opulentio- rum domos, vt eorum priuatim instituant libe- ros. Nulli autem euadunt perditiores in omni iuuentute Turcica , quam Scholastici: nullum enim genus est petulantiæ aut malitiæ , quod non impune committant , abutentes Pri- uilegiis, quibus eos diuersi Principes ornaue- runt, & ad omnem proiecti audaciam.

Non negauerim quidem cos Constantino- poli modestiores esse ob reuerentiam præsen- tiæ Magni Principis debitam : Cæterum Vrbes Caramaniæ & Anatoliæ sentiunt eorum im- portunitatem. Voluit aliquando Amurathes Princeps scire numerum horum iuuenum, de- prehenditque inita ratione eos adscendere vl- tra nouem millia, tam in Græcia quam Asia mi- nore: in quibus computati non fuerunt, qui per Syriam, Ægyptum & Arabiam, atque aliis in lo- cis studuerunt.

Est & alius locus in Vrbe qui ei speciem & decus conciliat, cui nomen est apud Turcas *Se- rayana*, id est Domus Ephippiaria, vbi fiunt præ- stantissima Ephippia siue Sellæ equestres, cum omni alio ornatu, quo equi instrui commenda- rique oculis solent. Est & hic locus cinctus mu- ris suis, firmisque occlusus portis. Non potest gratius spectaculum occurrere iis , quibus res equestris voluptati est , quam videre quatuor millia operariorum , qui perpetuo in officinis suis occupantur , solummodo in conficiendis sellis aliisque equorum ornamentis. Hic vnus aliquis conspergit magnis vnionibus ephippiũ, pro equo Arabici generis in stabulo primi Pur- puratorum : alius aptat frenum ex auro puriſſi- mo ad habenas è præcioso corio Ruthenico, rubri coloris ; alij alium apparatum equestrem pingunt opere Phrygio, aut gemmis lapilliſque ab extremo vsque Oriente petitis, aucto in im- mensum precio, operiunt; alius alia agit: breui- ter tantus ibi apparatus equestris , tanti precii gemmæ, vniones, omnia aurea , non possunt non perstringere spectatorum oculos, & in ad- mirationem rapere animos, cum in hoc genere Turcæ longo omnes alias nationes post se re- linquant interuallo.

In medio huius Ephippiarii (vt ita dicam) Templum est in quo pietatis officia faciunt ope-

rarij, nec longe inde fons scaturiens, aquas multis tubis mira vomens amænitate & vtilitate.

Sunt & duo alia loca in Vrbe, cincta mænibus peculiaribus, quæ non sine ratione *Castra Prætoria* appellare possis, quod in iis stationes suas habeant Ianitzari, qui non tantum sunt Prętoriani atque stipatores corporis Magni Principis, sed & optima pars peditatus Turcici. Alteri loco nomen Barbarum est *Esciodalar*, quod interpretari possis veterem habitationem. Forma huic quadrata, diuiditurque in plura habitaeula, in quibus Decuriones commorantur, quos Turcæ vocant Ababassos, id est Capita gloriæ. Huius officij siue potestatis compotes sunt CL. imperitantque singuli ducenis Ianizaris, qui è castris prætoriis pedem non audent efferre sine permissu huius Abobassi, cui & de nocte clausis portis, traduntur claues.

Est Armamentarium Constantinopolitanum inter res totius Vrbis spectatu dignissimas, extructum in littore maris, continens CLXXX Arcus, ita vt sub singulis sint elegantes Porticus & deambulationes. Operarum numerus in eo ergastulo laborantium ingens est, vt à nonnullis XLVI. millia numerata fuerint. Continet hoc tam vastum hominum corpus nihil magis quã exquisitus ordo, qui religiosissime obseruatur. Sunt enim certi quidam mercatores, quibus ita cum Præfectis magni Principis conuenit, vt semper in promptu habeant octoginta triremes, instructas omnibus rebus, quæ ad expediendam classem sunt necessariæ. Puluis tormentarius conseruatur in pluribus circum vrbis mænia turribus, inprimis qua Pera obiicitur. Affertur autem puluis iste fere ab Cairo Aegypti vrbe, vbi de iussu Principis maxima conficitur copia.

Granaria siue receptacula frumenti, in quibus ingens tritici & hordei asseruatur copia, constructa sunt in angulo quodam Vrbis, versus Peram vbi muri omnium sunt fortissimi, & valuæ portarum ferreæ. Etsi autem hic in multos annos frumentum reconditum sit, solet id tamen singulis trienniis nouari, ita vt dempto veteri, nouum substituatur. Aiunt regnante Amurathe Tertio ibi incredibilem vim milij repertam fuisse, quod milium saluum integrumque eo loco permanserit spacio octoginta annorum.

Non potest autem tam vasta ciuitas, & quidem Imperij sedes regi atque in officio contineri sine administratione iustitiæ, quæ est anima Mundi. Caput huius est Supremus Iudex, quem Turcæ appellant *Stambolcadisin*, id est Iudicem Constantinopolitanum. Est penes hunc cognitio tam causarum Ciuilium quam Criminalium, nemoque ad mortem duci potest nisi per hunc condemnatus fuerit. Habet hic quatuor Legatos cum potestate, per quatuor Vrbis partes præcipuas, qui sub eius auspiciis ius dicunt, ita tamen, vt ab iis adhunc detur prouo-
tio.

Præter hunc est quidam Capitaneus Iustit-
quem *Subassam* vocant, cuius potissima pars o-
cij versatur circa carceres, vt audiat causas
ptiuorum, & deinde referat ad primum Viz-
rum. Et hic habet quatuor Legatos sub se, se-
raros pro ratione præcipuæ diuisionis ciuita-
in quatuor regiones, quibus ad manum sunt
opificum vulgo magno numero alij inferior
qui illis ad imperata præsto sunt.

In Carcere Constantinopolitano visun-
duo ergastulorum genera; media pars amæni-
tis quid habet. (Si modo in vllo carcere an-
num quid esse potest) ob solũ gramine coop-
tum, quod saliens è fonte aqua irrigat. Don-
ipsa est tabulatorum duorum: in inferiori lo-
custodiæ assignatus est reis capitalibus. Qui
ciuile delictum accusati sunt, in superiori
asseruantur. In superiore quidem contigua
ne Turcæ, Iudæi & Christiani captiui pecu-
riter custodiuntur: at in inferiore ergastulo c-
nes promiscue volutantur, quos sublato gen-
discrimine flagitium capitale omnes p-
facit.

Porro, vt de beneficentia Turcarum alic-
dicamus, oportet vt fateamur nos Christi-
quanquam non sine rubore, Eleemosyna-
opera charitatis, quæ Turcæ exercent pa-
diebus, superare nostrorum hominum be-
centiam aliquot annorum: vt non videantu-
rare qui dicunt, ob hanc causam Deum ha-
nus id Imperium conseruasse, quamuis impi-
blasphemumque sit. Etsane vt mala puniun-
acriter apud Turcas, ita virtutes & vitæ i-
gritas non carent suis apud eosdem præ-
Accedit quod ipsi Turcarum Principes
tis cum in aliis rebus tum in ea ostend-
animum suum ad misericordiam pron-
quod multoties magnum captiuorum
merum suis redimunt pecuniis prouentil-
que, vt eos postea manu missos libertati-
tuant.

Et hæc quidem sunt, quæ in ipsa Vrbe C-
stantinopoli commemoratione digna visa
runt; nunc vocat nos instituti ratio ad sub-
bia, priusquam describamus omnino Au-
Ottomannicam, eiusque loca vicina, a-
quam describamus operosam illam Regiam
quæ in ea spectatu ac commemoratione di-
sunt.

Primo in extremo quodam Vrbis ang-
haud procul à portu iuxta aquas occurrit M-
quea siue Templum Sultani Aiug, in qua T-
carum principes, cum primo ad Imperium
ueniunt, gladium accipiunt. Ab altera part-
Stabulum regium cum adiunctis hortis, M-
longe inde, nempe in crepidine maris su-
Portum est Armamentarium nauale, in
sunt circiter CL. Triremes, sine instrument-
sicco expositæ, & LX conuenienter instru-
intra aquas, expeditæ ad quos vis repenti
vsus. In loco vicino, cui *Topana* nomen est, ia-
mag

gnus numerus tormentorum æneorum ſine
ribus, ex quibus nonnulla in ipſum Portum
nuerſa ſunt.

Non poſſumus quin velut in tranſcurſum mẽ-
nem faciamus paruæ cuiuſdam Inſulæ, quæ
in extremo maris brachio ſiue Canali, ad duo
llia paſſ. in Mari Nigro, deſerta quidem ob
rpetuas rupes, ſed ſpectatu digna ob columnã
am marmoream, quam in ſumma rupe erexit
, Pompeius Magnus, cum deuiciſſet Ponti re-
m Mithridatem.

Hinc vbi ab illo Trophæo Conſtantinopo-
reuerſus fueris, inuenies ſupra Canalẽ eiuſ-
m Maris duas Turres, quibus fauces illæ ſiue
itus cuſtodiuntur: in has turres includuntur
ut in carcerem Equites Melitenſes, vel alij
riſtiani nobilii genere nati, poſtquam in bello
ti ſunt. Hac parte vltra Vrbem ad octo millia
ſſuum, videntur plurimæ domus ad voluptа-
n & delicias extructæ cum maximo numero
ganti ſſimorum hortorum: recta vero è re-
ne Vrbis eſt Pera ſiue Gallata, ſita inter Na-
ia & aream Topana, habitaturque maxima ex
re à Chriſtianis Latinis Græciſque, quorum
n hi quam illi non paruum habent templo-
n numerum, inter quæ Monachorum Fran-
canorum excellit. Aliæ aliis Diuis nuncupatæ
t: D. Mariæ, Iohanni, Antonio, Benedicto,
tro & aliis, in quibus more Romano cultus
agitur.

Circum hoc oppidum viſuntur mu'tæ domus
ticæ & prædia ſuburbana miræ amænitatis,
quibus nonnunquam commorantur Legati
erorum Principum, Regum Galliæ, Angliæ,
netorum aliorumque.

Longius ab hinc in eo ipſo latere occurrit in-
s pagus, cui nomen eſt Scuraro, cuius poſſeſ-
olim ſpectauit ad Matrem Mahometis Prin-
is, qui ibi extruxit Templum amplum & ele-
s, additis prouentibus, vt quicunque ea iter
iunt, cuiuſcunque nationis ſint, hic per tri-
um, ſi velint, habeant hoſpitium & alimen-
i. Turcæ hunc locum ſiue Xenodochium
ant *Caruaſeratum*.

Poſtea videbis Cherſoneſum Thraciam, Vul.
rachium S. Georgij, in quo eſt *Callipolis* op-
um quatuor dierum itinere à Conſtantino-
li. Primus hic fuit locus quem Amurathes in
ropa occupauit anno MCCCLXIII. Mæni-
s non cingitur, nec portus capax eſt maiorum
iium: ſinus tamen proximus eas capere po-
t. Habitatur Callipolis à Græcis, Turcis &
dæis, eſtque hic frequentiſſimus tranſitus ex
ropa in Aſiam. Omne autem iſtud Fretum à
llipoli, vbi finit Propontis, Archipelago te-
s nominatur Helleſpontus, inter duo Caſtel-
non latior quarta vnius milliaris parte. Hæ
t duæ illæ Arces tam claræ in Poëtarum mo-
mentis ob Leandri & Herûs amores, cumq;
m dicerentur *Seſtus & Abydus*, hodie illis no-
n eſt duobus *Dardanellis*, Seſtus eſt in Cherſo-
ſo Thraciæ, pendens à decliuitate collis, for-
Trifolij; Abydus eſt in Anatolia.

Propontis dicitur illud mare, quod inter vtrumque fretum incluſum eſt, puta Thracium Boſphorum ſiue Conſtantinopolitanum, & Callipolitanum. Propontidi nomen eſt hodie *Mare de Marmora*.

Deſcriptio Generalis Seralij ſiue Aulæ Magni Turcarum Principis.

Sunt in Vrbe Conſtantinopoli tres Aulæ ſiue Regiæ, Prima dicitur Turcarum lingua *Eſchy Seraray*, Vetus Seralium ſiue Aula, quæ prima fuit domus Regia in vrbe extructa, poſtquam ea Turcæ potiti ſunt. Obtinet autem hæc domus fere Vmbilicum Ciuitatis, formam habens quadratam. Ambitus eius complectitur tria milliaria Italica, ſiue Leucam vnam Gallicam maiorem, cuiuſmodi ſunt in Langedocia vel Prouincia. Seruit hæc in habitationem Illuſtribus mulieribus, puta vxoribus defunctorum Principum, eorum ſororibus, ſi ſint innuptæ, & nutricibus liberorum regiorum. nulla harum poteſt exire ex hac domo ſiue Gynæconitide, niſi nubat. Quæ inter eas ætate, prudentia vel meritis excellit, & cæterarum veluti Magiſtra eſt, dicitur vocabulo Turcico *Cheira Cadun* id eſt Magna Domina. Solent autem Magni Principes in hunc locum ſæpe ſe recipere, vt ibi percipiant voluptatem quam alibi non inueniunt. 5.

Secunda Aula ſiue Regia minoris eſt capacitatis, ſita iuxta Hippodromum, ſeruitque hodie ad ludorum ſolemnitates & pompas. Eſt & in eo Academia CCCC. nobilium puerorum, qui Magno Principi ſunt à ſeruitiis: inſtituuntur ij hoc in loco in litteris Turcicis Arabicisue, in arte ſagittandi, aliiſque equeſtribus exercitiis. Suppeditatur his alimonia & veſtitus ex ærario principis, neque iis licet inde velut è ludo gladiatorio exire, niſi vſum armorum comparauerint. Dicitur hæc domus Aula Abrahami Baſſæ, qui gener fuit Solimanni Secundi Turcarum Principis, qui eam ſuis extruxit ſumtibus.

Tertia Aula dicitur *Bryuch Saray*, id eſt Aula Magna: & hæc eſt vera Regia atque habitatio Imperatoris Turcarum, de qua nos deinceps dicemus. Sita eſt ampliſſima hæc domus loco peramæno & commodo, vbi olim fuit vetus Byzantium, in lacinia quadam terræ, quæ excurrit in Oſtium Ponti: forma eius eſt Triangularis: duo latera pulſantur fluctibus Maris Aegæi: tertium cohæret vrbi. Cingitur ab omni parte præaltis firmiſſimiſque muris, intercedentibus frequentibus turribus, quibus omne id ſpacium cuſtoditur atque defenditur. In Ambitu habet quinque millia paſſuum, quæ conſtituunt duas Leucas Gallicanas cum dimidia. Ingreſſus patet per portas multas, tam à terra quam mari: quarum quæ præcipua eſt, reſpicitque Templum S. Sophiæ, ſemper patet; cæteræ non aperiuntur, niſi ita videatur Principi. Cuſtoditur hæc porta diebus atque noctibus magno numero *Capigorum* id eſt

Ostiariorum, qui per vices excubant. Nocte accedunt aliquot manipuli Ianitsarorum, quibus extra portam diuersoria sunt assignata in paruis domunculis ligneis : hi præstant vigilias castrensi more, & si opus est, dant signum Capigis. In turribus, quibus distinguuntur mænia Magnæ huius Aulæ excubant *Azamoglani*, qui sunt pueri Tributi nomine ad aulam missi : hi intentis sunt oculis in mare, an aliquis nauigio accedat ad Regiam, tunc enim dant signum explosо tormento æneo, quæ in istum vsum præsto sunt.

Cameræ & Cænacula habitationis regiæ distributa sunt secundum diuersa anni tempora. Hyberna enim sunt sita locis æquis planisque, ac depressioribus : Aestiua ad vitandum importunum solis calorem, in collibus vel locis editioribus. A quibusdam patet prospectus in mare fluctibus agitatum, hæc loca vocant Turcæ *Chioschi* id est caueas & cameras pulchri prospectus. Huc nonnunquam ad se vocant dominas suas, ibique nullum non genus voluptatis cum iis exercent.

Haud procul ab amæno isto loco est Auditorium Magni Principis, in quo audit Oratores exterorum Principum, eosdemque, postquam sua expediuerunt negotia, domum dimittit. Locus hic est in parua quadam insula, perpicta elegantissimis floribus, quamque multi tubi aquarum salientium perspergunt. In medio est *Sopha*, id est Thronus coopertus, vndique tectus Aulæis atque peristromatis Attalicis, intercurrentibus stragulis purpureis, quorum fimbriæ auro & margaritis perpictæ sunt. Appellatur autem hic Thronus exterior, ad differentiam eius, qui est intus in Camera Magni Principis. In illo exteriore consedit Osmannus secundus, nõ ita pridem à Ianitsaris trucidatus, cum alterũ interiorẽ possidere non posset, quod ibi inclusus esset Mustapha anno A N. C. MDCXVII. Muri & parietes huius cameræ incrustati sunt tabulis lapideis versiculoribus, specie supra modum iucunda. Cænaculum huic vicinum splẽdidius etiam est, parietes enim sunt incrustati laminis argenteis alicubi inauratis : pauimentum instratum aulæis variegatis auro & serico, opere Persico. Recessus vbi asseruantur mulieres & puellæ Libidini Magni Principis dicatæ, est instar spacioſi alicuius Monasterij Virginum sacrarum : nisi quod hic neque vouetur neque præstatur castitas. Sunt huic peculiaria sua balnea, dormitoria, refectoria, porticus, Xysti, horti deliciarum, salientes fonticuli magno numero, vt etiam per ipsa deambulacra riuuli fluitent. Est & cubiculis aulicorum suus splendor & iucunditas.

Haud procul ab hoc ædificio spacioſa se aperit area, in qua est Stadium ad currendum in equo, Gymnasium ad luctam exercendam & iaculandum. Breuiter tot Templa, Scholæ, Thermæ siue balnea, culinæ, & eiusmodi singularia ædificia augent mirabiliter magnificentiam huius Aulæ ; de quibus cum iam ante generatim quædam dixerimus, ordo exigit, vt nunc ad pa ticularem descriptionem deueniamus, quatent quidem hactenus loca illa oculis arbitrari licui Interiora enim huius Regiæ ingredi nulli ext ro fas est, nisi Magnus Princeps peregre abs quo tamen ipso tempore difficilimum id fac est, nisi quis peculiari fauore alicuius cubicula rij vel magni Purpurati nitatur. Putant enim Turcæ profanari Maiestatem Principis, si qu extraneus in penitiora illa admittatur.

Primus Seralij murus proximus est præcipu S. Sophiæ Ædi sacræ, intercedente superba il porta Magni Palatij, cuius hyperthyron exo natum visitur litteris aureis, foliis hæderæ ac v tibus phrygio modo : Custodiunt hanc qui quaginta ianitores cum armis suis, sclope manuariis, arcubus, sagittis, securibus. Per ha patet introitus in amplissimum atrium quadr tum, octauam Leucæ partem in longitudine h bens, tantundem in latitudine, in quo ad m num dextram est Nosodochium Aulæ, cui pr fectus est Eunuchus, habens sub se magnum h minum numerum, qui præstant seruitium æg Palatij comitiuis. ab altera parte videtur inge vis lignorum, quæ plurimis paruis curribus d uehuntur ad focos diuersorum locorum in R gia. Superius ædificata est Hypæthra bene lo ga, in qua asseruantur antiqua arma, Cassides Galeæ, Manicæ ferreæ, Loricæ, Assagaiæ sclopeta minora, quibus armantur operæ in N ualibus vel Armamentario, vt & aliquando ues, vt præsto sint vel Magno Principi, vel p mario alicui inter purpuratos, cum ingredit vrbem. Vtitur hac porticu velut paruo qu dam Armamentario, ad defensionem Reg suæ. Super hanc est aliud Ambulacrum plurim feneſtris vndique perforatum, puto LX v LXX. vbi distribuuntur officia à Magno Pri cipe.

In hanc vsque Aream fas est Bassis aliisq Turcarum proceribus, equo vectis ingredi rum vbi huc deuenerunt, oportet eos equo d scendere, & pedites ingredi aliud Atrium n nus, sed pulchrius, & parietibus ornatum m moreis, in quo spacioſa assurgunt ædificia. Po per quam in hoc intratur, pari modo custodi à Capigis armatis, vt prior illa. Per hoc atriu intratur in tertium, quod etiam secundo h minus est, structum in formam Clausтri Mo chalis. Nihil hic non factum ad delicias : fon vberrima fluentes aqua, porticus & Ambula ad lineæ rectitudinem ducta, tecta desuper c pressis arboribus, ab vtraque parte planta sunt & puluilli herbidi floridique ad summ oculorum delectationem. Hanc Aream ne eques ingreditur, nisi qui pœnam capitis sub vult, excepto Imperatore, qui ad tertiam den siue vltimam portam descendit. Ab omni pa sunt elegantissimæ porticus, plumbo intec quæ sustinentur pilis marmoreis, extra quas c sistunt longo ordine Ianitsari bene vestiti arm tique, quoties aliquis Orator peregrinus ingr surus est ad Imperatorem, suaque functur

leg

gatione. Hic etiam solet Magnus Turca amtare capita per spiculatores suos purpuratis, nos in crimine deprehendit, vel si illis aliam ob usam irascitur.

Sunt insuper in hac ipsa area ad dextram struæ culinæ aulicæ, numero nouem, separatis dificiis à se inuicem diuisæ, cum ministris offis suis peculiaribus. Prima est Culina Princis: secunda Sultanæ, quam in tanto vxorum & ncubinarum numero vel ob morum elegam, vel pulchritudinem corporis, vel denique cunditatem omnium maxime amat. Tertia pro cæteris Sultani vxoribus. Quarta pro *Caga*, id est, Magno Magistro Aulæ. Quinta, pro uano, vbi ius dicitur nomine Principis, xta, pro familiaribus Sultani, qui magna parte Eunuchi sunt. Septima pro ministris erioribus. Octaua pro mulieribus quæ r à seruitio Sultarum. Nona pro iis qui sernt in Diuano, cuiusmodi sunt Apparies, custodes, ostiarij aliique similes.

Ad sinistram sunt Hippotrophia Magni Prinis, in quibus non vltra XXV. aut XXX, equintur, ad vsum Principis & familiarium eius, nes tamen exquisitæ pulchritudinis. In suiore illius ædificij parte sunt complures caræ siue conclauia, in quibus seruantur ippia, frena & alia equorum ornamenta, nia gemmis, vnionibus & auro fulgida, vt um precium æstimari non possit. Inueniunibi duæ habenæ cum postilena, quarum cium aiunt excedere valorem vnius millio librarum; fiat iam coniectura, quanti dert esse sella cum cætero ornatu equestri. Ad us Canalis qui alluit muros Seralij visunlongo ordine structa septendecim staa equestria, in quibus habet Magnus nceps ingentem numerum equorum prætissimorum, quos secum ducit, cum bellum proficiscendum est, aut cum exsita pompa Vrbem ingreditur, ad perstrindos alicuius Legati exteri fulgore suo ocu-

Paulo vlterius est Diuanum, in quo Primus cierus, Legatus generalis Imperij Turcici n magno iudicum & senatorum numero it litigantes & ius dicit, quatuor per septinam diebus. Iuxta hoc est ærarium, siue vt ellant, Thesaurarium Magnum, in quod inntur prouentus omnium prouinciarum, & e numerantur iis qui aliquo funguntur offi, stipendia. Pro his est peculiaris Camera, quid supereſt, in Fiscum Principis infertur, es quem solum sunt claues.

n eodem Atrio ad manum sinistram ostene magna porta domus, in qua habitant Sulid est vxores Principis. Custoditur hęc per ipulum Eunuchorum horridorum & nium, quibus audacter muliebris custodia credi potest. Sicut autem in interioribus itant innumeræ fœminæ, pulcherrimæ quia, & quas tot Gratias dicere possis: ita exterius aditum ad eas seruant monstra, plena terroris & odij, haud secus ac Triceps Cerberus introitum in campos Elysios.

Vltima pars huius elegantissimæ Areæ præstat accessum ad Magnum Principem, à quo omnes sine discrimine arcentur mortales, præter mancipia quæ ei sunt à seruitiis. Quod si quis è Purpuratis ob vrgentem aliquam causam ingredi cupiat, oportet eum primo per ministros ab ipso Principe intrandi impetrare licentiam. Ingressos recta via ducit ad Auditoriũ, in quod se infert Sultanus, auditurus alicuius Principis exteri Oratorem. Obruuntur oculi spectantium multitudine elegantiarum in eo, ita omnia lucent marmore & fontib. elegantissimis. Magnus hic conclauium cubiculorumque numerus, in quibus vsitato more prandet Cænatque Princeps: conuenit enim hic locus huic rei mirificè, ob multitudinem lauacrorum, quibus Turcæ pransi cænatique impense delectantur. Sunt & ibi, quanquam in aduerso latere Aestiua Principis, in quibus æstiuis mensibus & anno calidissimo commoratur, quod prospectus in aquam, marinam reciprocent auram, vel in hortos amæniſſimos conuersæ sint fenestræ, in quibus ingẽs vis salientis aquæ & viuorũ fontium cum aquæductibus excellentissimis, aëris simul feruorem mitigant, simul ad deambulandum in vmbra inuitant, accedente alia voluptate, quam capit ex lusu Eunuchorum & morionum, qui miros gestus in aquis ciere nouerunt. Est autem Conclaue Imperatoris non solum magnificentissimum omnium, quæ in ea Aula sunt, sed & quæ vllus Rex aut Princeps sub sole isto habet. Pro pictis enim Aulæis variegatisque Peristromatis, quibus nostri reges vestiunt sua cubicula, omnes ibi parietes facti sunt ex Ligno Hebeno maximi precij, intercurrentibus suis locis gemmis, vnionibus & infinito auro. Lectus Magni Principis est ex villosa serica veste, siue heteromalla, purpurei coloris. Sponda cum columellis suis est ex solido argento inaurato. Ceruical, Tomentum, Lodices, Laciniæ, omnia fimbriata auro & margaritis. Pauimentum cubiculi tectum est peristromatis Babylonicis exquisiti artificij & precij. Candelabra hîc non alia quam ex Crystallo, aureis circulis cincta & gemmis exornata. Frequens ac prope quotidiana est eius delectatio, circum se habere moriones, qui mille causas ridendi ciere norunt, quibus & multum donat auri.

Aiunt vulgo Turcas odia habere libros & artem Typographicam: de quo posteriore, vt non negauerim, ita videre non possum, quomodo prius illud locum habere possit: cum haud longe à Cubiculo Magni Principis Cænaculum amplum sit, in quo seruatur Bibliotheca, variis & curiosis libris instructissima, qui omnes eleganter ligati compactique sunt, & hæc sigillatim appellatur Bibliotheca Principis. Est enim etiam alia in vsum nobilium puerorum & Ministrorum Aulæ, plena voluminibus omnium artium & linguarum. Supereſt autem & ibi

antiqua Bibliotheca Constantini Magni Imperatoris, in qua sunt libri Manuscripti, membranis tam nitide & concinne paratis, vt potius materia serica videantur quam pelles. In his etiam sunt Libri Veteris & Noui Testamenti, tecti omnino argento deaurato, modo antiquo, ornatique lapillis preciosis. Debetur autem horum conseruatio pulchritudini & precio eorum, cum infinita alia exemplaria rupta, scissa, deperdita fuerint, multa etiam igne cremata, tunc cum Turcæ Constantinopoli vi & armis potiti sunt. Qui autem superstites manserunt, prope sancti habentur, vt eos nemo tangere audeat.

Sunt omnino in Seralio Mosqueæ siue Templa duo. Vnum seruit sigillatim vsibus Imperatoris & familiarium eius: alterum est pro Reginis, Concubinis, Eunuchis Mancipiisque.

Postremo vt de hortis etiam aliquid dicamus, quorum amœnitas & incredibiles delitiæ hanc aulam magis reddunt admirabilem, numerantur in vniuersum XX. Octodecim sunt super littus adeoque ipsam crepidinem Maris, in quibus magna vis arborum exoticarum, quæ fructus ferunt aromaticos, odoratos, raros nostrisque partibus incognitos, accedente pulchritudine ad vtilitatem. Tres horti principales custodiuntur in vsum ipsius Imperatoris, cæteri fere seruiunt Reginis & concubinis adeo toti Gynæceio.

Et hæc est Aulæ Imperatoriæ Constantinopolitanæ nostro æuo magnificentia, magna ex parte desumpta descriptione ex Commentariis Antonij, Theueti Cosmographi Galli, & ex libro, quem super eadem materia scripsit Bauderius, è quorum monumentis libenter ea mutuatus sum, quod videantur veriora cæteris scripsisse, quorum & imposterum nos non pigebit vti lucubrationibus, vbi de Magno illo Principe, eiusque gubernatione aulica & quotidiana viuendi consuetudine dicturi sumus.

6. DE IPSO MAGNO TVRCARVM MONARCHA.

Dicturi sigillatim de iis, quæ Personam Magni Turcarum Principis concernunt, initium faciemus à prima actione, qua ipsum adit Principatum, capessitque sceptra tam absolutæ & formidabilis Monarchiæ, qua sine exceptione imperitat omnibus, qui agnoscunt magnitudinem Regni Ottomannici. Primus igitur actus Regalis siue Imperialis est, quando consecratur & Diademate cingitur. Quam primum enim Turcarũ Imperator functus est vita, Filius eius vel quicunq; tandem hæres, qui defuncto successurus est, vocatur ex Vrbe vel Prouincia, cui Proregis nomine præest (neq; enim vnquã persuaseris Magno Principi vt successorem suum secum habitare sinat) vt veniat Constantinopolim. Venit hic fere maritimo itinere, nauigio vectus, vt ignotus aliquis, excipiturque à Magno Imperialis Aulæ Magistro, qui ei honoris grati cum triremibus aliquot proficiscitur obuiam Egressus naui, ingreditur in Seralium, ibiqu collocatur in Throno Imperiali, quo confluun omnes Purpurati & qui præcipuis per Imperi & Aulam funguntur officiis, vt ipsum adorẽt, & extrema eius deosculentur vestimenta, qui ho nos Imperatorib. Turcarum haberi solet. Hin prodit in publicum, vt à multitudine cognosc salutari que possit, præeunte præcone cum tubi cinibus, ac proclamante his verbis: *Vt anima d functi Sultani aterna fruatur gloria & immortalitat vtque nouus Imperator N. perpetuo floreat, perpetuaq vtatur felicitate plurimis annis.* Hoc autẽ non tant auditur per Constantinopolim, verum etiã p omnes regiones atque Vrbes præcipuas, quas late patet Imperium Ottomannicum. Hinc co ueniunt frequentes in Diuanum omnes, q consueuere in senatum Imperialem ingredi, V zieri, Bassæ, Præfecti Prouinciarum, & qui cu Magistratu sunt: fit autem hic conuentus a sente Imperatore: quo finito consurgũt omne euntque vt salutent Nouum Imperatorem, nu lis adhibitis operosis ceremoniis. Hoc fac discedit, vbi in longo Cænaculo paratum solenne epulum.

Finito prandio conuocantur in Regiam mnes Aulæ Proceres, cum vniuersa Nobilit Principis, qui tunc conscendit equum quem bet inter omnes pulcherrimum, exornatum mis atque vnionibus superbissime. Hoc vect Triumphantis in modum egreditur Regia, quentibus purpuratis & qui sunt cum præcip dignitate & officio, cum omni Nobilitate & patoribus corporis: hac se pompa infert per cipuos vicos & plateas ciuitatis, vt ab omni populo plenius cognoscatur, qui positis in te genibus acclamat lætis vocibus, *Viuat regnet diutißime Sultanus* N. Postquam se ita Imperat rem esse ostendit, antequam redeat in Regia deducitur in Magnum S. Sophiæ Templu vbi solennes concipiuntur preces, vt felix eius ad Nouum Imperium accessus. Dein recitantur aliquot Orationes & Sermon Panegyrici in honorem & laudem noui Prin pis: tertio accedit summus Pontifex, quem Musti vocant, vt ei bene precetur, eumque cingat gladio Imperiali, vicissimque ab eo exi sacramentum, daturum operam vt amplifice augeaturque Imperium, victurumque secu dum leges & statuta Alcorani: quod is se fac rum præstito iuramento promittit. Cumque manum Pontificis iurauit, bene precaturis no Principi de more septem vicibus, adhibitis v tatis ceremoniis, respondente atque succine populo. Finito consecrationis actu. Prince in Aulam se recipit, & cæteri in suũ quisq; lo

Primus quẽ sequentib. diebus suscipit, lab est, vt inspiciat triremes cæteraq; naues, cogn scatq;, quot sint numero, & quã bene instruc Hinc ingreditur Armamẽtariũ, lustratq; arma tormenta militaria, cæteraq; instrumẽta belli exigitque à præfectis copiarum rationes, qu

nt sub signis legiones & turmæ, tam ad vrbem
uam in aliis Imperii Regionibus. Titulis vtun-
ur Turcarum Principes nimis superbis arro-
antibusque, dum se Reges Regum & Principes
rincipum appellant, quæ Sacræ literæ soli Deo,
reatori & Conseruatori huius vniuersi tribu-
ut. Et ad hunc quidem modum salutari voluit
elimus Ottomannus. Sed vanitas hæc melius
parebit, vbi recitauero articulos Acomati Pri-
i, quos ratos habuit in gratiam Henrici IV.
allorum Regis bono totius Reipublicæ Chri-
anæ.

De habitu vestituque eius diuersimode iudi-
ndum est. Aut enim vtitur eo amictu, cui nul-
us principis per orbem terrarum ornatus com-
rari potest: aut rursum viliori, qui non multũ
perat precium & bonitatem Procerum, qui il-
s frequentant Aulam. Igitur in solemnib. acti-
is, cum gloriam & magnificentiam suam ostẽ-
re cupit, aut cum admittit Oratores exterorũ
incipum, togam sumit è filo aureo, vndique
nsperſam vnionibus & gemmis, inprimis A-
mantibus, quibus perstringit spectatorum o-
los. Cum vsitato more vestitus est, amictus e-
s est longior, quam Procerum Aulæ, à quibus
iam diuersimode calceatur.

Tabula siue mensa, qua vtitur magnus Prin-
ps vt plurimum, sustinetur quatuor columel-
sed humilibus, nec omnino tres pedes altis:
ntq; tam fulcra quam id quod sustinetur è so-
loargento elaboratissimo. Capit in hac mensa
ɔum omnibus diebus, sæpius æstate, cum dies
nt longiores, quam hyeme, quando sunt con-
ctiores. Panis est ex farina purissima subacta
m lacte caprino, cuius magna est in Aula co-
. Solet autem aliquid cibi sumere, loco jenta-
li, cum primum sol oritur, postquam iam vix è
atis surrexit. Patinæ, quibus ei cibaria offe-
ntur, omnes sunt duplices, ex auro purissimo,
vt altera alteri imposita sit. harum non pau-
ores vno missu imponuntur mensæ quã XXV
t XXX. cum totidem ferculis vel ciborum
neribus, seruiente ad mensam Magistro Aulæ,
m pincernis carptoribusque, aliisque culinæ
nistris, qui omnes dum ministrant, insident
nibus, summum ei habentes honorem. Cibi
is non sunt conditi aromatibus aut aceto, aut
nique aliis gulæ irritamentis. Nemo verbum
n proloqui audet eo prandente vel cænan-
: signis tantum & nutu alter alteri suos sen-
explicat, ita tamen, ne is videat: morioni-
s duntaxat Aulæ & qui ciendi risus gratia
sunt, permissum est nugari & ineptire to-
prandii tempore. Potus eius est succus è
mis citriis limoniisque mixtus ad suauem
quam dulcedinem, accedentibus aliis her-
salubribus expressis: Vinum enim nequa-
am infertur mensis Principis Procerumque,
i superstitiosiores multo sunt in seruanda lege
homeris quam populus. Obseruandum au-
n est, quod toto tempore solennis Ieiunii,
od triginta diebus durat, quocunq; tempore
ii illud Musti denunciet, nulla abaco impo-
nuntur vasa ex auro vel argento, vel nuce Indi-
ca, neque cænante Magno Principe, neque Pro-
ceribus aut Purpuratis, qui illius æmulantur ex-
emplum: tantum ibi videre est discos & pocula
fictilia vel Porcellana, vti vocantur, vel etiam li-
gnea: neque autem sternitur mensa, aut cibus vl-
lus capitur per totum illius ieiunii tempus, nisi
stellæ in cœlo appareant.

Iam vt de eius quiete nocturna aliquid dica-
mus, non videtur in cubiculo eius alius lectus,
quam ille qui ad ostẽtionem paratus est, de quo
iam ante diximus, in quo ipse dormire non solet.
In eo autem cubiculo, vbi dormiturus est, lectus
non sternitur nisi cum eum somnus incessit; tũc
paratur ei lectus non supra grabatum aut spon-
dam, sed in pauimento, quod cubicularii inster-
nunt crebris densisque taperibus Turcicis, in
quibus explicant culcitas ex gossypio delicatis-
simo. Lectus hic tam humilis circumdatur cor-
tina ex serico, auro & purpura variegata; & in
hoc lecto solet Magnus Turcarum princeps v-
sitato more somnum capere. Circumstant dor-
mientem lucernæ ac candelabra cum cereis, qui
per totam noctem ardent: ante fores cubiculi
excubiæ sunt, intus vero pueri qui à cubiculo
per vices vigilant.

Mirum est & prope incredibile memoratu,
quod de enormia rogantia huius principis nar-
rant, nulli licere illum alloqui: quod quidem fe-
rendum esset, nisi etiam intueri in illum rectis
oculis foret prohibitum, sub crimine læsæ Maie-
statis: nec de minorum gentium hoc capias au-
licis, ipsis Bassis par constituta est pœna. Duobus
tantum fas est ad eum accedere & colloqui: Ma-
gno Pontifici siue Mufti, & Primo Veziero: qui
tamen ipsi, quoties eum accedunt, supplicum ri-
tu id faciunt, manibus complicatis & oculis in
terram deflexis. Vbi propius accessere, proci-
dunt in genua, oculos vero nequaquam in fa-
ciem eius conuertere audent, sed ita adorant sa-
lutantque non visum.

Cum per vrbem ingreditur, accurrunt ab o-
mni parte pauperes & plebeii homines, quibus à
Magistratibus ius suum negatum est, hi libellos
supplices virgis longioribus vel perticis alliga-
tos ei porrigunt, eo quod inclinati in terram, ne-
que ipsius faciem intuentes, de manu in manum
porrigere minime audeant. Sed ne illi quidem
qui familiarissimi sunt, aliter quam per signa &
nutus inter se colloquuntur, cum altum sit circa
eum silentium, vt & per totam regiam, vbi nulla
prope auditur vox, sed omnia nutibus & mica-
tionibus digitorum peraguntur, velut inter sur-
dos & mutos. Nec hoc mirandum adeo est, cum
ipse Imperator verborum sit parcissimus, prohi-
bentibus legibus, ne cum suis colloquatur. Sed
ne vxores quidem licentiam sibi sumunt cum
eo colloquendi, sed per pueros seruos, & eos
quidem mutos, qui signis pro verbis vtuntur,
quæ volunt, expediunt.

Idem prope narrat Bauderius de Magno
Principe Abissinorum, Aforum Aethiopumq;
rege, ex libro rerum Aethiopicarum Francisci

Aluaresii: qui capite LIV. mira refert de incredibili superbia & fastu non tolerando, quo is Aser coli vult, non tantum à suis quibus ipse imperitat, sed & ab exteris: cuius rei exemplum profert Aluaresius ille, vbi describit legationem, quam Lusitaniæ Rex ad Abissinorum illum Monarcham miserat, vbi Aluaresius Oratori Lusitano, cum primum admitteretur ad conspectum illius principis, præsens adstitit, & omnia arbitratus est oculis auribusque. Sic ergo ait Franciscus.

A.d. 1. Nouembris, qui erat Mercurii dies anno A N.C. M.D.XX. misit Præte-Ianus Abissinorum Monarcha nobilem puerum, qui nos ad se vocaret. Audito Imperio Principis accinximus nos è vestigio, vt obediremus mandatis. Deducti igitur circum locum palis munitum, ad portam peruenimus, vbi inuenimus stationem janitorum, qui nos vlterius progredi prohibitos, per integram horam ibi detinuerunt, vbi nobis frigus admodum molestum erat, ob ventum tenuem & siccum, qui illa loca perflabat. Vidimus ibi complures, qui funales cereos accensos manibus præferebant. At nos, cum ita præter necessitatem molesta detineremur mora, duos sclopetos ex maiori genere explosimus. Ibi Princeps iussit ex nobis quæri, cur non plures adduxissemus? Respondit Legatus, nos non eo veniisse, vt gereremus bellum, sed quia conciliandæ pacis ergo aduenissemus, ideo nos eiusmodi baculos igniuomos non nisi duos tresue attulisse, oblectationis nostræ gratia. Hic igitur dum præstolamur, quinque è præcipuis Aulæ Aethiopicæ Proceribus ad nos veniunt, inter quos erat quidam nomine Adrugas, apud quem nobis fuerat assignatum hospitium, cum primum eo venissemus. Hi igitur Regis nomine nobis locuturi, continuo vsi sunt consuetis ceremoniis, quos & nos pari celeritate imitati sumus. Post progressi quinque vel sex passibus, constitimus iuxta eos, comitati à ductoribus nostris, qui à latere nostro non discedebant, sed nos velut manu deducebant, quocunque iremus. Aderant duo viri, ardentes cereos manibus ferentes, qui alta voce pronunciabant hæc verba alternatim: *Hunca hiale huchia abeton*: quod est: adduco tibi, Rex, eos, quos me adducere iussisti. Hunc clamorem illi continuo repetebant, donec venimus ad locum quendam, vbi audiuimus plures vna sermocinantes dicentesque: *Cafacinelet*, quod est ingredimini. Nos progressi paulum, substitimus, vbi iterum repetita sunt verba quæ superius recitauimus, donec rursus ingredi iussi fuimus, eodem vocabulo, quod videtur aliquid mysterii habere, quod ab ipso rege profectum videatur. Duces nostri inclinabant capita vsque ad terram positis etiam in pauimento manibus, quos nos quoque imitati fuimus. Vbi per secundam portam ingressi fuimus, ductores alia verba & velut aliam cantilenam ordiebãtur in hunc modum: *Caphan hyam, Gaynha Alfranguesabeton.* quod nostra lingua sonat. Domine, adducimus tibi liberos istos homines sicut imperasti, quæ verba subinde repetebant, donec progressi ad interiora, audirent responsum ab iis qui interius erant, quod quidem idem erat cum superiori. Sic per vnam alteramque stationem peruenimus ad *Mastabam*, id est, lectum principis, in quo somnum capere solet, ante quem erant accensi multi cerei funales, qui tamen erant iidem, quos videramus ad primum nostrum aduentum: & circiter LXXX numeraueramus, bono disposito ordine. Erat autem Mastaba illa siue lectus principis ad ingressum magnę domus, supra vnum tabulatum sustinebaturque grandibus columnis è cupressi arbore, superius intectis asseribus pulcherrime depictis, qui vsque ad terram demittebantur. Culmen intectum erat herbis, quas terra gignit, quas indigenæ nobis persuadere volebant per vnum seculum durare posse. In ipso domus aditu erant ante lectum prætensæ cortinæ quinque: media erat è panno aureo, cæteræ è tela sericea purissima. antehas vsebatur peristroma ingens pictum, postea telæ duæ è Gossypio, cætera tecta erant storea variegata, vt pauimentum siue tabulatum omnino non appareret. Omnia ibi à calce, quod dicunt, ad carcerem plena erant, ardentibus cereis, eo quem diximus modo & ordine collocatis. In hoc loco cum aliquamdiu commorati fuissemus, accidit vt audiremus post cortinas illas ipsum Regem loquentem, qui nullo vsus exordio, sed nec iis affectibus moribusque, quibus oratores in dicendo persuadere se posse putant, nobis respondit.

Habes lector, stultam ambitionem & insperbiendo insaniam, quam ostentant hi reges quos instar Alexandri Philippi filii non capere posse videtur orbis terræ, qui tamen, vbi primo eis personam detraxit, quinque vel sex pedum fouea contenti sunt.

Nunc deinceps aliquid dicendum est, qui pacto Legatos siue Oratores exterorum Principum admittat audiatque. Sunt autem duum generum Legati qui mittuntur ad Portam Ottomannicam: Magni, qui à grandibus Monarchis Regibusque mittuntur, cuiusmodi sunt Imperator Germanorum, Rex Persarum, Gallorum, Anglorum: & Minores: vt Venetorum, Ragusensium, Florentini Genuates, Marocani, Argeriani. Cum quæstio est de admittendo Legato alicuius Monarchæ, cum primum Constantinopolim venit, accedit Purputato omnesque qui in præcipua dignitate constituti sunt. Horũ fibi ante omnia conaturis concilia fauorem, & fit quandoq;, vt eorum nutu & intercessione mittatur à Rege vel Principe suo. Paucis dieb. post, cũ Magnus Princeps intellexit de aduentu Legati, nunciari ei iuber, esse sibi commodum eũ admittere ad osculũ vestimẽti sui. Post quã cõstitutus dies adest, qui fere obseruatur vel finitur vel incipit haberi magnus Senatus in regia, ita volẽte vel ipso Principe vel primo Purputatorũ; vt peregrinis ostẽtetur amplitudo Maiestatis. Turcicæ; cõstituũtur oẽs Prętoriani milites

armat

mati ante Regiam duplici ordine, à prima siue incipali porta Seralii vsque ad ipsum locum quo habetur Senatus, & rursum hinc vsq; ad ditorium, vbi respondere solet Imperator Leris. Deinde mittitur Oratori, qui audiendus , vestis longa Turcica, è panno aureo, fimbria. egregie auro & filo serico: sed & præcipui Letionis socii vestiuntur ad eundem modũ haentes pileos nigros holosericos in capite: quãq; etiam mittuntur eis equi præstantissimi è abulo regio, quibus vecti ad Aulam accedãt. obiles, qui sunt ad Regiam, prodeunt Oratori uiam, magno numero & magnificentia, quam entant non solum auro argentoque ac gemsin vestibus, sed & in ephippiis, habenis atq; stilenis equorum. Sic orator ingreditur meis inter duos Bassas, qui ab eius latere non dislunt, donec eum deduxerint ad primum Verum, qui eum deducit secum manu prehen. in locum consilii, jubetque sibi assidere in a, sigillatim in eos vsus parata, instrata peri-mate Turcico, vbi expectandus est aduen-Principis in Diuanum.

Antequam autem fungatur sua Legatione, uiuium instituitur, cui ad sunt pleriq; omnes mi nominis proceres Aulici, & Legatum ad aritatẽ inuitant. Epulo breuiter finito, ingreit Princeps, Attalico amictus splendore, fulntibus vestibus eius vndique Adamantibus, ropis aliisque gemmis, à pileo capitis vsque corrigias calceamenti, expectatque in conto auditorio peregrini Oratoris aduentum. rgo Magnus Ceremoniarum Aulæ Ottomaæ Magister, cũq; eo Primus Vezierus deduit eũ medium in Auditorium Imperiale, vn-; fulgens prεciosissimo apparatu. Sequuntur lti Eunuchi Cubiculariι Principis, duo vero ni ex ostiariis apprehensum brachiis porro ducunt sistuntq; Imperatori, coram quo toto linato corpore osculatur vestimentum eius: m faciunt quos adduxit Legationis socios, & biles, qui eũ officii causa secuti sũt. His perprofert litteras Imperatoris sui vel Regis fiiatias, easq; magna humilitate exhibet Maprincipi, qui tunc quidẽ ipse nihil respon-, sed nescio quid cũ primo Veziero loquitur, rursum paucis verbis affatur Oratorem, qui issus in peculiare suum se confert cubiculũ. inorum Principum, siue Rerumpublicarum gatis non idem habetur honos, neq; tam oose excipiuntur. Mittitur quidem iis vestis rcica, qua induti ingrediuntur Regiã, sed nõ ipiuntur epulo, neq; deducuntur per Bassas. orma autem iuramenti, quod præstat Mas Turcarum Princeps, quoties fœdus facit n aliquo extero Rege aut Principe, talis esse ibetur.

ro & promitto per Magnum Deum, qui creauit cœ- & terram, nec non per animas septuaginta Proarum, per meam ipsius & parentum ac proauorum rum animas, seruaturum me sancte fœdus, quod cũ pepigi in omnibus punctis articulisue, testorque, me discessurum ab eius amicitia, sed omnes fœderis conditiones habiturum sacras inuiolatileſque, sicut declarata & signo meo confirmata sunt.

Sed pergamus jam ad alia, quæ magnum istũ Monarcham sigillatim concernunt. Nouimus quam imperiosus sit affectus Amor, & quanta impudentia proteruus ille Veneris puer Regum soleat sibi mancipare pectora. Sed mehercule vix videas vllos per orbem Reges magnosque Principes ad eum modum agitari veneris ac lasciuiæ imperiis, quam Imperatores Turcarum. Sic pleriq; Prouinciarum in hoc Imperio Præfecti non absque ratione possunt vocari Venatores, qui venantur atque compellunt in tetia amoris, vbicunque nancisci possunt, elegantes puellas, quas dignas iudicant cõsuetudine tam Magni Principis. Vel enim emunt eas à matribus consanguineisque suis, vel vi rapiunt è domibus parentum, aut bello captas eas à cætera præda seligunt, instruuntque in morum suauitate, vt simul discant canere, psallere, saltare, loqui ad placitum: quæ postquã ad hunc modum institutæ sunt, donantur Magno Principi, qui eos à quibus tam grata donatiua accepit, vicissim amplissimis prosequitur muneribus. Hæ tã elegantes puellæ deductæ in Regiam, expositæ sunt cupiditati Principis, qui multas simul ex earum numero in vnum conuenire iubet, ibique saltando aut aliis artibus se exercere, vt ex iis eligat vnã, quacum sequente nocte dormiat. Hanc nactus qualem vult, altero die magnis cumulat diuitiis, assignatis splendidis prouentibus annuis, & bono Eunuchorum seruorumque numero, à quibus colitur vt Sultana & Domina in eadem Regia, donec placeat Imperatori, eam alicui ex Proceribus aulæ nuptum elocare. Prima ex his mulieribus, quibus cum consueuit Imperator, si puerum parit in Aula, futurum Imperio successorem, salutatur Regina, & coronatur diademate è gemmis & vnionibus, trahitque post se comitatũ Regina vel Imperatrice dignũ. Nullam autem ex omnibus illis fœminis legitimam ducit vxorem, cum eas omnes habeat pro concubinis, nisi forte coactus amoris magnitudine illi, quæ prima ei filium peperit, fidem det matrimonii, quod tamen legibus patriis aduersatur, quæ nolunt, vt Imperatores vxores ducant.

Sunt a. fœminæ Magni Turcarum Monarchę 9 in duplici differẽtia. Quædã dicuntur Mulieres, quæ iã consuetudinem Veneris cum eo expertæ sunt: aliæ a. quæ non concubuerunt, dicuntur filiæ siue Puellæ, vt & reuera sunt. Mulieres habitant seperatim in Gynæconitide Magni Principis, viuentes in summa libertate & ocio, quibus & multa seruitia præsto sunt. Puellæ alibi diuertunt, viuuntque vna, prandentes in eodem cœnaculo, quanquam singularia habeant cubicula, quo se recipiunt cũ Matronis, à quib. reguntur atq; informãtur. habent a. denæ puellæ Matronã siue Magistrã morũ vnã. In veteri Seralio habitant Sorores Magni Principis, quib. peculiaria à cõcubinis regiis sunt assignata habitacula. Abundãt hæ vehementer gẽmis, cimeliis, omniq; mundo

mundo muliebri, vt par est, nec aliis nubunt, quam præcipui nominis Bassis per Imperium. Cæteræ, quæ magnum Principem cognitione sanguinis attingunt, viuunt in eodem Gynæceio. Sed & Mater Principis hic habitat, magna vtens libertate vt facere possit quæ vult, & eat quocunque fert animus. Filiæ Regię nutriuntur apud hanc magna sollicitudine, nulliſque fere nubunt, nisi christianis renegatis.

Liberi masculi, cum primum nati fuerunt, si plures sint ex vna matre geniti, omnes iunctim educantur: si ex diuersis, in diuersis locis.

Decimotertio fere ætatis anno circũciditur iuuenis Princeps, qui actus est inter maxime solẽnes omniũ, qui peraguntur in Imperio Turcico.

Tota autem Scena instruitur in Hippodromo, qui est constantinopoli, habẽs in longitudine LXXX. Orgyias, in latitudine XL. extructis multis fornicibus atq; colũnis, magno artificio.

Postquam præstitutus dies adest, venit eo Imperator equo vectus; ad cuius latus adequitat filius, auro ac gemmis rutilante ornatus vestitu. Huc etiam conueniunt Primus Vezierus, Beglerbegi, id est Summi præfecti Europæ & Asiæ, nec non plerique, qui sunt ad Regiam, Bassæ atque Purpurati. Hos sequuntur Ianitsari omniſque custodia Aulica. Hi omnes cum Hippodromum ingressi sunt, salutantur à tibicinibus, aulædis, tympanistis, & omni Musicorum grege, acclamante populo magna voce: *Viuat Magnus Sultanus, viuatque eius filius.* Præferuntur his duobus Principibus aliquot accensi cerei, triginta ferè pedes alti, gemmis & variis floribus exornati.

Inde cum ab equis descensum est, suum quisque locum occupat. Pater quidem Tabernaculum peculiare ingreditur, Arabico artificio structum, vnde in omnes partes patet prospectus. Post hoc aliud erectum est Tentorium Vxorum siue Reginarum. A latere eius est locus Regalis filij, in quo sella constituta est, quam insidet. Circum hæc sunt diuersoria Purpuratorum, & Legatorum exterorum, tam Christianorum; quam Mahometistarum.

Ceremoniarum initium facit Mufti, siue Sũmus Turcarum Pontifex, quem ingredientem sequitur Camelus dorso ferens tabernaculum; ipse librum tenet manu, quem sine intermissione voluit legitque. Circumstat Pontificem ingens sacerdotum & Monachorum Turcicorum numerus, & ipsi è libris admurmurantes. Postea egressus è suo Tabernaculo Mufti us ingreditur conclaue Principalis filij, eique dono offert aliquot libros, in quibus Lex Mahometis perscripta est: deinde se recipit cum suo Clericatu. Adsunt ibidem duo Christianorum Patriarchæ, Græcus & Armenius, cum omni numero Ecclesiasticorum, vestiti cucullis nigris. Hos sequuntur Mercatores omnis generis, offeruntque iuueni Principi donaria, quisq; pro modo & ratione mercium suarum: idem faciũt opificũ collegia.

Extremus actus consistit in multitudine ignium, qui hilaritatis publicæ testes multis in locis accenduntur, nec non ignes artificiales varij generis, ad delectationem nocturnam affabre facti. Postremo concludit precibus Pontifex, & sic finis est ceremoniarum.

Cæterum quia de donis & muneribus, quæ Magno huic Principi offerri solent, aliquid diximus, sciendum est, illorum neque numerum neque modum esse.

I. Primo enim omnes Purpurati, Bassæ, Præfecti Prouinciarum, & qui cum singulari aliqua in Imperio dignitate sunt, offerunt certo anni tempore donatiuum Principi, prætereaque in circumcisione filiorum, & cum deposita Præfectura sua Constantinopolim reuertuntur.

II. Præfecti Exercituum & Ductores copiarum, adepti victoriam aliquam ab hostibus, donatiuum è manubiis offerre tenentur.

III. Bassæ redeuntes à gubernatione Alexandriæ & Cayri, non minus donum exhibent principi, quam quod ad quatuor aut quinque librarum milliones accedat.

IV. Idem faciunt Christiani, quorum Patriarcha Sultano nuper Diademate cincto egregium munus offerre cogitur.

V. Cubiculariis & Eunuchis Magni Principis, Turcæ ipsi obligati sunt, qui eos multis variisque muneribus demulcent, vt cum opus est eorum fruantur apud Principem intercessione & fauore.

Sed & ipse Turcarum Imperator quotannis immensam auri vim prodigit in munera atque donatiua, quæ variis præstare solet.

I. Reginis, quas tot muneribus prædiuites facit.

II. Magno Pontifici Muftio, quem Præceptoris loco colit.

III. Bassis siue Purpuratis, quibus non leues mittit Xenia, sed gemmas, loculos auro argentoque signato plenos, vestes è tela aurea & serica lana, plumas siue cristas præciosas & alia.

IV. Magnus Imperij Turcici Thesaurarius dicitur quotannis ex Aerario regio impendere quatuor librarum Milliones, in pannos aureos conficiendis togis, quas diuersis Magnus Princeps donare solet. Verum omnia hæc donatiua redeunt ad donantem. Reginis enim mortuis omnis earum mundus & apparatus reuoluitur ad Principem: idem quoties Bassa aliquis moritur, totam arripit hæreditatem; sicut dominus serui sui peculium: vt potius videatur sibi donare quam aliis.

Est autem Aerarium Principale duplex, vnum exterius, alterum interius; in exterius inferuntur prouentus totius Imperij Turcici, tam certi atque certi, quam qui colliguntur extra ordinem, cuius claues sunt in potestate primi Visirij & Magni Thesaurarij. Interius Aerarium ha longe abest ab ipsa commoratione Magni Principis, &, vt nonnulli volunt, sub ipso eius culculo, in quo dormire solet. Præfectus Fisci, Eunuchus esse solet, vnam clauem ad referendum hoc ærarium habet, ipse vero Imperator alteram.

Tertiu

Tertium ærarium est in Gynæconitidæ siue
vt vocatur) Seralio Sultanarum, vt inde sum-
is promantur pro Regina. Portæ huius sunt
rreæ, cæteri aditus toties muro obstruuntur,
uoties massa aliqua argentaria infertur. Qui
ferunt, mutos esse oportet, vt meliore silen-
i fide occultent visa. Seruatur autem istud ar-
entum prægrandibus saccis siue culleis coria-
eis, quibus reconditum demittitur in cryptas
brerraneas, quæ in eum vsum factæ sunt. Sic
, vt pecunia, quæ cum timore seruatur, cum
bore colligitur, cum dolore postremo amit-
ur.

Porro, quando de prouentibus annuis dice-
nos instituti nostri ratio monet, sciendum est,
s diuidi in certos atque statos, & qui sunt ex-
ordinem. Certi fixique superant quotannis
ginti Milliones auri: Qui sunt extra ordinem.
si minores nequaquam sunt, minus tamen
rti sunt, consistuntque fere in bonis fiducia-
s, quæ caduca fiunt, & casibus fortuitis, vel
ando aliquis è Procerum numero moritur,
ne princeps hæres est ex asse. Accedit, quod
e primus sit & solus Oeconomus totius sui
perii. Si enim quis leget Testamento aliquid
erdotibus, Princeps inita ratione, tantum
mittit iis, quantum ad eorum vsus sufficit,
od supereſt, sibi retinet: Et sic fiet, vt is qui
ctiorem velit inire rationem prouentuum
gni Turcarum Principis, deprehensurus sit,
od tam fortuiti quam certi statique superа-
i sint in singulos annos XL. auri Millio-
s.

Quam autem graphicus sit ostentator pom-
& magnificentiæ suæ, ostendit, quoties ter-
tri itinere Aula sua egreditur, aut redux Vr-
n ingreditur: nec non cum instructa classe
ficiscitur.

Si libido ipsum incessit, ostentandi peregrinis
atis splendorem amplitudinis suæ, eligit
diem Veneris, qui apud Turcas sacer est,
emadmodum apud nos dies Dominicus: ibi
ficiscitur ad Templum, non tam vt rebus di-
is operetur, quam vt se ostentet populo.
editur autem Regia per Portam Magnam,
o vectus, vestitu non splendidiore, quam
ni vti solet. Caput habet tectum pileo exi-
o ob leuitatem, sequuntur eum Purpurati &
aulæ Comitiua. Anteit Principem Præfe-
s Vigilum, quem Subassam vocant, quinqua-
a stipatus sagittariis, vt expeditam faciat vi-
Principi. Sequuntur Eunuchi, Cubicularii,
ri à seruitiis: qui ei præsto semper esse solent.
latus adequitant Præfectus nobilium iuue-
n, & Magister Ostiariorum, qui accipiunt li-
os supplices & exactiones, quæ ei exhiben-
Et ad hunc quidem modum proficiscitur ab
a, vt obeat eques Ciuitatem. Cum autem ex-
Vrbem in agrum vel peregre profectus est,
iens operam dat, vt perstringat & in admira-
nem rapiat oculos Legatorum exterorum,
rimis id studio agit, vt in castellum aliquod
d longe ab Vrbe positum diuertat, vnde si-
gnificari iubet, ingressurum se sequenti die Vr-
bem cum gloria & magnificentia: dent igitur ii,
qui ad ciuitatem sunt, operam, vt omnia paren-
tur, quæ ad excipiendum eum requirantur. Er-
go Viatores in id incumbunt, vt plateæ noua a-
rena operiantur, vtque idem fiat toto illo viæ
spacio, quo Princeps ingressurus est. Purpurati
omnes & proceres cum cunctis Palatii comiti-
uis id agunt, vt aduentanti Principi præsto sint.
Ibi videre est pedites leuis armaturæ primum in-
gredi, quos sequitur Legio Ianitsarorum, splen-
dide exornata. post hos eunt iudices Constanti-
nopolitani, adeoque totum iustitiæ corpus: hinc
sacerdotes, Monachi & Interpretes Legis Ma-
hometanæ. Sequuntur cum primo Veziero cæ-
teri eius collegæ, cum Præfectis & Gubernato-
ribus Prouinciarum: hinc Aulici Ministri & Pa-
latii comitiua, cum insignibus magni Principis;
ingrediuntur autem hoc ordine. Præcedunt X.
pedites, qui totidem equos regio luxu exorna-
tos capistris cõprehensos manu ducũt. Sequun-
tur L. Ianitsari pedites, post LX. sagittarii cum
arcu & pharetra. Medius inter hos ingreditur
Magnus Princeps, indutus togam preciosissi-
mam, auro, Vnionibus, margaritis vel in tene-
bris splendentem. In pileo gerit cristam factã
è pennis Herodii auis: Cingulum est Adaman-
tibus obsitum. Ad hunc exornatus modum e-
quum conscendit, Imperatoria magnificentia
non indignum, cuius seruitiis circiter CCCC. e-
quites præsto sunt.

Inde sequuntur Hippocomiorum Præfecti
cum stratoribus & equisonibus post quos it
totus Musicorum & Aulædorum chorus, qui
canticorum suauitate deuincire sibi obuios, in-
primis Proceres studet. Vltimum agmen clau-
dunt nobiles pueri qui sunt Sultano à serui-
tiis: habet autem quisque Falconem Auem ma-
nui suæ insidentem, inter quos sunt multi
Eunuchi & ianitores triginta, quinquaginta
aucupes, ingens numerus puerorum, qui
Tributi nomine ad Regiam missi sunt. Et sic
est finis totius Pompæ Imperialis, quæ non
paucioribus constat quam XV. hominum millі-
bus.

Cum ei placet marino itinere proficisci, egre-
ditur per vnam ex iis portis quæ sunt in horto
regio, qua is littus maris respicit, ibi conscendit
Myoparonem habentem XVI. vel XX. transtra.
Locum ipse capit in puppi, præciosis stragulis
intecta. ante ipsum stant familiares serui & Eu-
nuchi, eique ad mandata præsto sunt. Pueri Tri-
butari remigio funguntur, ducuntque nauem
mira dexteritate & celeritate per vndas. Sequũ-
tur Principem aliæ naues actuariæ & catasco-
pia, dantque operam, ne nauigaturi illac per
Canalem transeant, nauigante illic Principe, ne
ei sint impedimento. Gubernaculum nauigii te-
net Præfectus hortorum regiorum, cui soli per-
missum est loqui cum Principe. Postquam ad
hunc modum suo satisfecit desiderio, reuertitur
eadem via in Regiam.

Nunc deinceps dicendum est de Diuano siue
Magno

Magno Consilio huius Monarchæ, vbi senatus habetur quotseptimanis quater, in secunda Seralii Curia, loco eleganter exornato. Hic conueniunt omnes, quibus iustitiæ cura demandata est, qui omnibus æqualiter ius dicunt. Coguntur autem litigantes ipsi pro se causam dicere, nec locus hic est Aduocato aut Procuratori, quod hominum genus ob petacitatem Turcæ oderunt. Ducit autem Actor Reum manu vel veste comprehensum ad Diuanum, vbi necesse habet ipse ad obiecta respondere, cumque duorum testimoniorum fides accessit, è vestigio reus vel absoluitur vel condemnatur.

Primi huius Consilii Proceres sunt, Magnus Vizierus, velut Præses, duo Beglerbegi, Romaniæ & Anatoliæ, Bassa Diuani, duo primi iudices, quos Turca appellant *Cadileſgeros*, Præfecti Aerarii Generales, à barbaris *Tefdartati* dicti: hinc Cancellarius, Secretarius Publicus, *Notangi* vocatus, Secretarii Bassarum, cum non exiguo numero Notariorum & Præfecto curiorum Turcicorum. Sedent hi omnes in iudicio, suo quisque loco & ordine in Diuano, habeturque Senatus à prima Aurora vsque ad Meridiem. Postquam pransum est, omnes abeunt ad Regiam, vt apud Principem reddant rationem eorum quæ in iudicio peracta fuere. Et hic est modus ac ratio exercendæ Iustitiæ apud Aulam Turcicam.

14. Præter ingentem ministeriorum Aulicorum numerem, quibus sua certa sunt delegata officia, sunt etiam *AZamoglani*, qui sunt Christianorum liberi tributi loco dati, vilis quidem conditionis, qui tamen exiguntur per Bassas & Capigos Imperatoris, leguntque quibus videtur natura plus largita præ aliis, fitque id tertio quoque anno. & hos quidem exigunt nomine tributi Magno Principi debiti à Parentibus Christianis: cumque horum numerum satis magnum collegerunt, ducunt eos ad Aulam, vbi vestiuntur more Turcico, iis quibus videtur Principi, coloribus, ita tamen, vt perpetuo ferant pileum flaui coloris. Ex his legit Primus Purpuratorum ad bellum, qui aptissimi ad id videntur. Circumciduntur autem omnes, & demandatur cura eorum primo hortorum Præfecto, qui eorum vtitur opera, cum necesse est, deinde instituuntur in armis, lucta, pugilatu, alij in re nautica: quidam applicantur ad artes & opificia manuaria: nonnulli traduntur Bassis & Proceribus Aulicis, qui iis ad fœda & turpia dictu abutuntur seruitia. Omnibus autem in vniuersum suppeditatur alimonia ex sumptibus Principis. Qui autē inter hos pueros Tributarios (vt ita vocemus, bono loco inter Christianos nati sunt, separatim à cæteris in Regia habentur, vbi honeste educantur, & in rebus libero homine dignis exercentur, eruditurque etiam in Lege Mahometis, & tractatione armorum, vnde fit, vt quāquam conditione quidem sint serui, tamen non solum liberi euadant, sed etiam ipsis Turcis ingenuis imperitent atque dominentur, adeo vt Præfecturæ Regnorum atque Prouinciarum ipsis committantur. Iungit his quandoque P fectus cubiculi Regij pueros Turcis parentil natos, in quibus maior alacritas & ingenij pro ptitudo apparet, verum id facere non audet, impetrata eius rei licentia.

Sed age, persequamur cætera quoque A Turcicæ ministeria siue officia.

Primi ante omnes nobis occurrunt Eunu quatuor, quos Albos vocant, qui in pueriti tributariis Christianorum liberis eliguntur. horum maxima auctoritas post ipsum Magn Principem, suntque velut Aulæ capita.

Primus dicitur *Capi Aga*, summus sacri ci culi Præfectus, qui plurimum potest pollet in vniuersa Regia, cum ei soli integrum sit c Imperatore colloqui, quoties ita visum fu Secundus est *Chasnadar Bassa*, id est, Præfe Secretioris Thesauri Principalis, qui vnar Gazam clauem habet, Principe ipso habent teram. Tertio nomen est *Chilergi Basse*, ic Magno Capsario siue Præfecto rei Vestia qui vestes Principis, & omnia quæ eius co penitius concernunt, in sua habet potes Quartus est *Seruiagasi*, quasi dicas Cap neum Seralij, qui curam gerit ædificioru Regia, vnde solet frequenter obire omnia nacula & conclauia, & operam dare, ne quic trimenti capiat domus Imperatoria.

II. Præter quatuor hosce Eunuchos et alij sunt, qui ipsius Principis curam ger cuiusmodi sunt cubicularij, atrienses, & ali gnitate eminentiores, qui ferè triceni sing officiis præficiuntur, aliis quidem vestes re interiores, alias togas & chlamydes mu conseruantibus, aliis eius vtensilia, arma, Imperialia, ornamenta, gemmas, & sup ctilem auream argenteamque curantibus.

III. Tertium genus est eorum, qui seru Magno Principi in iis quæ ad mensam p nent, quibus præfecti sunt quatuor velut si ctores, *Argibasi* dicti, qui curant vt vnus que officium suum recte faciat. Post Argib est *Mimutus*, qui profert nummos in expe singulorum dierum. Tertius dicitur *Checoa* est quasi scriba rationarius Regiæ, proximu ctoritate Magistro Aulæ. Quartus est A nuensis.

His omnibus minores sunt auctoritate sequuntur, & quos iis, quæ apud Turcas nent, appellabimus nominibus. *Baltagij* di tur, qui pabuli & lignorum ad focum curat bent, suntque vltra CC. *Bostangi* sunt hortu vltra DCCC. Pullarij D. Palafrenarij siue i ctores equorum D C C C, aliique plurimi omnis ministeriorum aulicorum, qui tan Imperatori, quam Reginis atque Domin sunt à seruitiis, numerus accedat ad XIV. n capitum, & hi quidem omnes cibum in aula cipiunt.

Quoties Turcarum Monarchæ placet a gia proficisci in aliquam Prouinciam longi Vrbe dissitam, trahit post se tam immane ag hominum, vt nihil tale de vllo Orbis terr

incipe legatur vel audiatur. Nam pro ſtipato-
us corporis habet XXXVI. Ianitſarorum mil.
Spahorum, qui ſunt equites leuis armaturæ
llia XLIV. Capigos bis mille, II. millia Sola-
orum, qui velut ſunt interiores cuſtodes cor-
ris regij, qui ſemper eum circumſtant. Curſo-
m ſiue Tabellariorum millia IV. quibus vti-
, vt eos mittat ad Principes exteros, & ad ex-
endam iuſtitiam. Præter hos adſunt ei mini-
ntque D. nobili genere nati, qui cibos è culi-
petitos ferunt vſque ad ianuam Cænaculi
gi, vbi præſto ſunt alij, qui eos portant, men-
ue regiæ imponunt. Præter hos ad hunc ingẽs
ſeruitiorum numerus. Stratores & equiſo-
ad ter mille: Incitatores canum in venatione
idem: eorum qui ligna cæduntad vſum culi-
VI. millia; Coqui & ſtructores ferculorum,
Veſtiarij aulici MMD. Piſtores DC.

Si iter ſuſcipit in bellum profecturus, nume-
eorum quibus cura rei tormentariæ delega-
ſt, accedit ad XLVI. millia. Fabri armorum &
rumentorum numerantur quaterdecies mil.
Magiſtri tormentorum minorum ſiue ſclo-
orum VII. mill. vt iam nihil dicamus de mi-
ibus ſeruitiis, quorum incredibilis multitu-
Imperatorem ſequitur. Iumenta omnis ge-
is pauciora non ſunt XX. millibus, præter
os. Videbis enim fere X. Camelorum mil-
totidem mulorum. Quid iam dicemus de
edimentis, quæ Purpurati atque Baſſæ in
editionem proficiſcentes poſt ſe trahunt, &
rum numerus pariter eſt ingens? In vniuer-
ſupputanti planum fiet, Sequi Imperato.
iter facientem ingentem hominum nu-
rum, vltra centies mille mortales, &
quidem cum alta pax eſt. Cum autem
bellum proficiſcitur, propemodum du-
catur numerus, etiamſi in eo non com-
hendamus milites, tam equites quam pe-
s.

Conſiderabimus iam, ſi placet, amplitudinẽ
larum ſiue Purpuratorum in hoc Imperio.
gna eſt horum auctoritas, diuitiæ grandes,
eſtas ingens, præſertim in Prouinciis regniſ-
, quibus à Magno Principe præfecti ſunt,
nonnunquam magna vtuntur inſolentia.
que enim hi homines tam diuites tamq; po-
s exiguo cum comitatu incedunt per vias &
era, in primis cum apprehendunt poſſeſſio-
n commiſſæ prouinciæ. Equitatus enim qui
s præit, & numerus Nobilium domeſtico-
que, qui eos comitantur, ſuperat ſplendorẽ
ltorum magnorum Europæ Principum, vt
dies vnus ſuffecturus ſit ſpectatori, pompam
n conſiderare volenti, cum ciuitatem ingre-
ntur, vbi cum imperio ſiue magiſtratu futu-
nt. Sæpe neceſſe eſt, diurna luce deficiente,
eos accendere & lumen præſtare vltimis in-
dientibus. Omne enim horum hominum
lium in eo occupatur, vt ſuperbi atque ma-
appareant coram populo, nec vllis par-
t ſumtibus, dummodo magnum numerum
uorum comitumque contrahant. Ante
omnia adhibent diligentiam, vt ſtabula equo-
rum habeant ornatiſſima, inque iis equos pul-
cherrimos, quibus ſtratores & equiſones ad-
dunt prope ſine numero: videbis enim alicubi
Hippocomias tam inſtructas, vt inde totæ alæ,
& aliquot equitum ſigna depromi poſſint, cum
mille ducentis mulis ad ferenda impedimenta,
nec paucioribus Camelis. Habent inſuper mul-
tas ſecum aluntque fæminas & concubinas,
quarum cuſtodiæ præficiunt Eunuchos Aethio-
pas pice nigriores, in quam vnam rem ingentes
quandoque Theſauros inſumunt. Domicilia
eorum tot ſunt Palatia regia, incredibili ſumtu
ſtructa: quæ tamen omnia ferenda ſunt, ſi cum
inſano luxu conferantur, cui in omni vita dedi-
ti ſunt, & cum ornamentis, quibus interiora do-
mus, Cænacula, conclauia & cubicula ad oſten-
tationem exornant.

Eſt autem Aula Ottomannica graphicum In- 18.
uidiæ ac Liuoris regnum. Purpurati enim per-
petuis ſe inſectantur odiis æmulationibuſque,
inuidente altero alteri ob proſperitatem: cumq;
ſibi inuicem nocere non facile poſſint, nullum
genus machinationis occultæ intermittunt, vt
aduerſarium quiſque ſuum perdat vel elidat, ne
à veneno quidem aut magicis rebus abſtinen-
tes, dummodo deſideriis & animo vindictæ cu-
pido ſatisfaciant.

Porro ſunt in Aula Ottomannica inter cæte- 19.
ros quatuor Baſſæ eminentiores, qui cum ipſo
Magno Principe regnant tam grandis Imperij
Machinam, ſuntque hi. Primus Vizierus, ſiue
Princeps Senatus. II. Archithalaſſus. III. Aga
Ianitſarorum ſiue Præfectus Prætorianorum.
IV. Præfectus Vrbis Conſtantinopolitanæ. Pe-
nes hos ſunt prima in Imperio officia, hos be-
neuolentia ſua complectitur Sultanus, cæteri
vero omnes colunt & obſeruant eos. Eſt autem
Primus Vizierus Legatus Generalis per totum
Imperium, Dux ſummus Copiarum, Magnus
Cancellarius, & Princeps Senatus. Architha-
laſſus ſiue Admiralius eſt Princeps rei marinæ
& ſupremus Præfectus claſſium, tam bello
quam pace. Aga Ianitſarorum non tantum
Prætoriano militi ſed & vniuerſo peditatui in exercitu Turcico dominatur. Præfectus Vrbis res vrbanas curat, ſine ſocio. Etſi autem officiorum ratione hi quatuor inter ſe ſunt diuerſiſſimi, pares tamen ſunt auctoritate & potentia, quæ tanta eſt, vt ſi iis ita expedire videatur, poſſint Principem de ſolio deiicere, translato Imperio in alterum.

Antequam omnino Seralium abſoluamus, 20.
dicenda ſunt quædam de inſatiabili fæminarum in Aula Turcica libidine, impudicitia & turpitudinibus. Quædam enim, cum lauatum ad balneas eunt, quod frequenter faciunt, omnem lapidem mouent, vt videant eos, quorum amore captæ ſunt. Aliæ quibus domi ſunt lauacra, ne ad lauandum exire domo neceſſe habeãt, quod fere eſt in ædibus magnatum, aliis vtuntur modis, quibus impudicitiæ ſuæ ſatisfaciant,

mutuantes habitum mancipiorum suorum, & ita penetrantes ad eos, quorum furtiuis operam dant amoribus. Si hoc genus artificij non succedat, ad dona & munera confugiunt, quibus deliniunt tam mulieres quam viros, quibus Dominæ custodia commissa est, vt ad optatum perueniant finem. Pessimum est omnium, quod cum se mancipauerunt libidini alicuius exteri, vbi sentiunt eum vel moliri discessum, vel lassum Venere segniorem esse, quam earum exigant turpia desideria, quod eum vel per sicarios, vel per venenum è medio tollere nituntur, quasi grauissime ab illo læsæ fuissent. Vtuntur autem emissariis suis, qui per totam vrbem conquirunt robustos adolescentes, qui sint explendæ Dominæ libidini.

21. Sed omissis his tam turpibus rebus videamus, quæ sint propria Arma, id est, Insignia Imperatorum Turcicorum, quibus etiam in sigillo suo vtuntur. Non habent autem hi peculiaria Arma siue insignia, neque legimus vspiam, familiam Ottomannicam iis vsam fuisse. Extinxerũt enim penitus omnem Palæologorum familiam, qui postremi Græcorum Imperatores fuerunt. Si quæ habent signa Turcæ, sunt ea potius notæ Tyrannidis & crudelis dominationis, quam generis aut familiæ. Sic pingunt globum terrestrem, & super eum crescentis cornua Lunæ: hoc vnum est signum, quod conspicitur in omnibus prope vexillis & labaris militaribus: hoc ostentant in summitate turrium: hoc secum ferunt reduces ij, qui Religionis ergo Mecham Arabiæ adiuerunt. Sigillum autem huius Monarchæ nihil continet præter Characteres Arabicos, quibus tam ipsius quã Patris eius nomen exprimitur, & verba quædam iactantia præsentem felicitatem.

22. Venimus ad extremum actum, de eius morte, luctu, iustis exequiisque. Sed oportet prius de eius morbo videre. Cum primum eum ægrotare contingit, adest Primus medicorum cum multis aliis, conferuntque consilia de restituenda homini valetudine. Verum, vt

Stat sua cuique dies & ineluctabile Fatum.

Ita cum Magno illi Monarchæ decursa viæ meta nouissima est, cogitur colligere sarcinas, & Orci subire galeam. Quo mortuo, qui ei in Imperio successurus est, sumit lugubrem habitum ad paucos dies simulans magnam vultu tristitiam, vt occultet quam toto pectore concepit lætitiam. Si dum bellum est, eum mori contingat, omnes Bassæ sumunt pileolum minutum, in signum luctus: Signa atque vexilla militaria omnia inuertuntur, cuspidibus in terram defixis, donec nouus Sultanus, deposita lugubri veste Paludamentum sumat Imperatorium. Corpus defuncti reconditur in sarcophago, intecto linteo purissimo, pileus eius in summo sarcophago collocatur. præeunt Sacerdotes & Monachi Mahometani funus, ferentes manibus candelas & cereos ardentes, suoque mod cantillantes. Sequitur quidam qui Turbanu siue Pileum defuncti præfert lanceæ milita impositum, cum cauda equina subtus affix Postea eunt Prætoriani milites atque stipat res corporis, Ianitsari, Spahi, Spahoglani, qu sequitur omnis Aulicorum natio, suo qu que loco & ordine, ductore Magno Aulæ M gistro. Præfectus Stabuli regij præfert arm mortui, & magnum vexillum, non erectu illud portans, sed explicatum humo traher Omnes Purpurati atque Proceres vltimum præstant officium, circumstantes vestitu lug bri. Ita sepelitur corpus Imperatoris in Ter plo siue Mosquea, quam ipse viuus extrux in sacello interiore, sarcophago semper intec panno holoserico nigro. Si in belli expediti ne mortuus fuit, imponitur pileus eius tumul sin secus, affigitur parieti; proxime iuxta sepu crum, ornatus pennis Erodij alitis. Ad pede tumuli stant duo candelabra deaurata, cu totidem ardentibus cereis, suntque certi q dam sacerdotes, in eum finem conducti, sine intermissione pro defuncti orent atq cantillent ex Alcorano anima. Singulis dieb Veneris integuntur Tymbi Imperiales nou Vmbellis, & operiuntur floribus, orantq omnes, qui iis diebus Templum ingrediunt pro anima defunctorum, plorantes gement que super tumulos, aliquidque florum secu inde auferentes. Et hæc sunt ea, Lector, q generatim dicere habuimus, tam de Vrbe Co stantinopoli, quam Magnificentia Seralij si Regiæ, deque gloria, potentia, diuitiis, superl atque fastu Principis Turcarum. Iam, vti pr missimus, ad descriptionem particularẽ Regn rum Prouinciarumque plerarumque in eo I perio nos accingemus.

Natura & Qualitas Terræ Thraciæ.

Quamuis Tracia magna ex parte frigoribus sit obnoxia, hominibus tamen abundat qua maxime. Visuntur hic egregiæ planicies, in qu bus plurimum colligitur farris & leguminu qua vero ad mare itur, non ignobiles reperiu tur vites. Sed & Plinius ipse Thraciam laud ob fertilitatem, commendans frumentum po dere, vinum autem bonitate & robore. Frigidi tamen est, quo longius à mari abit, vnde & s lum est tritico atque frumento generando in quius. Arboribus prope in vniuersum destitu tur: planicies enim non syluis aut nemoribu sed nudis collibus distinguitur. Iuxta pagu *Chapsyllar*, qui olim oppidum fuit nomine *Cyp lus*, alumen eruitur.

Montes huius regionis præcipui sunt *Hæmu Rhodope*, qui asperrimi sunt & perpetuis tec nimibus: item *Orbelus* & *Pangæus* fœcundi a gentifodinis, quæ cum hic sunt tum aliis in lo cis, nec non *Messapus*, asperrimis rupib. in altu consurgens.

Fluuiorum præcipuus est *Hebrus*: post hun habe

et minores *Neſſum*, qui hodie *Charaſon* dici-
ſecundum Bellonium, *Melanem, Strymonem,*
limes eſt Thraciæ & Macedoniæ: *Arſum, Tea-*
alioſque. Vehit autem *Hebrus* quem Merca-
noſtro æuo *Muriſam*, Nicolaus Nicolai *Vali-*
appellari tradit, ſabulo ſuo ramenta auri,
que tam lentus, vt in quam partem moueat
diſtinguere vix poſſis. Aquæ eius turbidæ
, verum potu ſuaues, vt vel media æſtate
iei frigus æmulentur. Hyemis tempore au-
raquis pluuialibus & niualibus, vnde intu-
ens rapidius aliquando fertur, inundatque
ntem planitiem paſcuis obſitam, quæ no-
atur *Doriſca*, in qua nulla viſuntur ædificia,
lurima equorum armenta, & quædam Vir-
, cum viridariis non omnino ſterilibus.
ipit autem Hebrus Tearum amnem, cuius
e ſunt ſalubriores cæteris fluuiis omnibus,
nt enim ſcabiem & impetiginem tam ho-
quam equorũ. Oritur Tearus XXXVIII.
bus, partim gelidis partim Natura calidis,
ub eadem petra ſcaturiunt. Darius Perſa-
Rex, cum valde probaſſet guſtum huius
,erexit in littore amnis columnam, eius
m Græcis inſcribens litteris.

ſſus ab Hæmo monte deſcendens, & ipſe
flumine pergit, aliquanto minor Strymo-
multum tamen vehens arenæ. Haud pro-
de fluit *Biſton* fluuius, hodie *Buron* dictus,
nis plenus piſcibus. Boſphorus Thracius
t XXX bonos portus, partim in littore
pæ, partim Aſiæ, plures tamen illic quam
Mutat autem curſum ſuum, qui in ſeptem
obſeruatione dignis multo rapidior eſt
alibi; nempe vbi promontoria quædam
proiecturæ telluris à continente in ipſum
m excurrunt: ibi mare vehementer
ur, vnde in quibuſdam locis difficillime
s Mare nigrum nauigari poteſt, niſi naues
us trahantur ſecundum longitudinem
is, aut tranſuerſim dirigantur ac per amba-
uigia.

perante Conſtantino Copronymo totus
norus Thracius cum parte Ponti Euxini
conſtrictus fuit: glacie viginti cubitos craſ-
mque nix copioſiſſima cecidiſſet ſuper iſtã
em, factum eſt vt adhuc ad XXV. cubitos
nderet, vt tam homines quam iumenta
pede tranſirent ex Europa in Aſiam, paten-
toribus itinere veluti terreſtri, ab Vrbe
ſtantinopoli vſque ad oſtia Danubij fluuij.
autem ſub finem Februarij Menſis glacies
fuiſſet, fluctuabant ingentia glaciei fruſta
paruæ Inſulæ in Mari, in quibus viſeban-
imalia multa ac varia, partim viua partim
ua. Illa poſtmodum glaciei fragmenta,
magna vi ventorum ad Conſtantino-
appulſa fuiſſet, multum ciuitati damni
erunt, deiectis proximis littori ædifi-

eque vero vllus ſinus eſt aut fretum totius
Mediterranei, quod ita abundet piſcibus
Boſphorus. Per hunc enim ſub initium
Hyemis ingens vis piſcium tranſit in Propon-
tidem: appetente autem vere remigrant in Pon-
tum Euxinum, quod Pontus multo per hye-
mem Propontide ſit frigidior ob magnam flu-
uiorum multitudinem, qui aquas ſuas in id ma-
re deponunt. Accedit, quod cum Pontus hu-
milior ſit, etiam magnis agitetur hybernis tem-
peſtatibus. Hinc fit, vt piſces fugientes frigus &
procellarum importunitatem, ſub Hyemis
initium Propontidem petant: ſub tempus au-
tem Vernum ad Boſphorum redeant, ipſumque
Pontum Euxinum, cuius aquæ non adeo amaræ
ſunt, ob multitudinem fluuiorum, quibus edul-
cantur. Sic incredibile memoratu eſt, quantum
in illo freto capiatur piſcium, dum populariter
migrant, præſertim apud Conſtantinopolim,
vbi etiam mulieres, cum ab aliis laboribus
ociantur, piſces capiunt, proiecto à feneſtris
domuum ſuarum hamo: inprimis capiuntur
hic multi Thynni minores, quos Græci Pelo-
midas vocant.

MORES THRACVM ANTIQVORVM.

Fuerunt Thraces ab omni tempore habiti fe- 23.
roces & immites, fuitque tantus iſtorum barba-
rorum numerus, vt Herodotus dicat, ſi ſub vnius
Principis fuiſſent imperio, aut inter ſe coluiſſent
concordiam, vinci ab alia gente eas nõ potuiſſe,
quod omnium mortalium fuerint validiſſimi.
Diuiſi autem inter ſe imbecilles effecti ſunt. Etſi
autem non per omnia Conſenſerint, magna ta-
men fuit inter eos morum cõformitas, exceptis
Getis Thrauſiſque, iiſque qui Chreſtonem ha-
bitauerunt. Getis perſuaſum erat, eos non mori,
ſed migrare ad Deum ſuum Zamolxin. Fuit au-
tem Zamolxis iſte diſcipulus Pythagoræ: qui
cum domum reuerſus vidiſſet Thraces barbare
admodum viuere, & prope brutorum more,
præſcripſit iis leges, erudiitque agreſte genus,
perſuadens, eos qui moriuntur, ex hac vita diſ-
cedere in meliorem, vbi ſummis perfruerentur gaudiis. Cum ad hunc modum aliquam diuinitatis opinionem inter Thraces ſibi comparauiſſet, repente ſubduxit ſe ab iis, vt nemo ſcire potuerit, quo gentium abreptus fuiſſet, magno ſui ciuibus relicto deſiderio. Mittere igitur ſolebant quendam ſorte lectum cum quinqueremi, qui cum peruectigaret, ſuorumque ciuium ei exponeret neceſſitates, ſiquidem eum offendiſſet. Quidam inter eos tenebant tria tela, cæteri apprehendebant hominem, ligatiſque manibus ac pedibus eius, proiiciebant in altum, vt incideret in tela illa, ſeque iis indueret. Quod ſi moreretur è veſtigio, arbitrabantur Deum ſibi fore propicium; ſi ſuperſtes maneret, accuſabant eum malitiæ, nequam Legatum eſſe pronuncian-tes. Hoc igitur abdicato mittebant alium, qui parifacto apud Orcum conueniret Zamol-xin, eiuſque pro ciuibus ſuis imploret opem.

Quoties tonitrua audiebãtur & fulgura vide-
bãtur, iaculabãtur Thraces ſagittas verſus cælũ,

minantes Deo, quem non putabant esse alium quam suum. Idem faciebant Thrausi: in natiuitate tamen vel obitu alicuius hominis singularem hunc obseruabant morem. Nato infante, parentes ac consanguinei eius circumstabant puerum, deplorantes cum lacrymis ingressum eius in mundum, recitantes omnia mala & miserias, quæ ei forent perferendæ, accusantes cõditionem hominum velut omnino malam.

Si quis autem mortuus fuisset, sepeliebant eum ridentes, gratulantes sepulto, quod tot miseriis ac calamitatibus vitæ exemptus fuisset. Quidam inter eos habebãt plures vxores, quod si virum mori contigisset, maxima lis oriebatur inter coniuges eius, asserente vnaquaque se marito chariorem fuisse cæteris. Conuenit ergo populus, & auditis vniuscuiusque rationib. fert sententiam, sic quæ vicit causa, deducitur supra tumulum mariti, acceditque defuncti proximus agnatus, & mulieri præcidit ceruices, quæ velut succedanea victima mactata eius Manibus, cum ipso sepelitur. At quæ supersunt, infelices se existimant, plorantes, quod ipsæ damnatæ iudicum sententia, honore isto indignæ habitæ fuerint, quasi omne vitæ tempus ignominia notatæ.

Alia quædam Thracum gens solebant liberos suos vendere, antiquæ id esse dicentes consuetudinis, neque Patres aut Matres filias suas, quas habebant nubiles, cum cura custodiebant, sed sinebant illas amori operam dare cum quib. ipsę voluissent. Vxorum tamen castitas illis curę cordique erat, quas magno mercari solebant. Habebant autem quoddam signum à natura frontibus eorum impressum, quod si qui ostendere nõ possent, iudicabantur plebeio & vili genere nati.

Vendebantur filiæ mulieresq; apud illos, velut auctione facta, illi qui plus obtulisset precij. Pulchræ primum venum exponebantur, pro quibus fere numerabatur precium, quanti erãt æstimatæ. Deformiores ipsæ emebant viros quibus nuberent. Nuptiæ ita peragebantur, vt tam viri quam fœminæ indulgerent genio assidentes adignem, coniicientes in prunas quoddam seminis genus, cuius odor siue fumus præsentes aliquo modo stupefaciebat, ita pro summa lætitia æstimabant, si hebetatis sensibus viderentur ebrij. Honestissimum erat apud eos, vitam ocio transigere, alere se suosque latrocinio, vel furto: vt contra ignominiosum & miserum putabant agtum colere.

Colebãt vulgo hi Thraces Martem, Bacchũ, Dianam, & Mercurium, per cuius numen etiam iurare solebãt, quod se ab illo genus ducere opinarentur. Omnium Thracum domus erant admodum humiles, victus conueniebat simplicitati habitationis, vinearum neque cultum neq; vsum nouerant.

Cum nouus Rex eligendus erat, non habebatur Nobilitatis aut Prosapiæ ratio, sed qui pluriũ suffragiis destinabatur, fiebat Rex. Populus enim eligebat talem, cuius integritas vitæ ac morũ cũ clementia coniuncta nota erat, quique iam quousque ætate progressus erat. Sed oporte eum destitutum esse liberis, quos si haberet, la spes erat adipiscendi regni, quamuis cæt omnia constarent. Quod si post sumtum Dia maliberos gigneret, cogebatur se abdicare gistratu, adeo cauebant Thraces, ne regnũ a eos fieret hereditarium. Quamuis autem se æquum bonumq; omnibus exhiberet, nole tamen Thraces ei nimium licere: adiungebar enim ei quadraginta viri, qui ei in consiliis a sent, ne ipse solus iudex esset in causis capita Si vero ipse in crimine vel noxa deprehensus isset, condemnabatur sine cunctatione ad m tem: is tamẽ ei habebatur honos, vt nullus m talium ei inferret manus, sed vt omnibus ne fariis ad vitam destitutus, postremo coger morii inedia.

Magnatibus inter eos hoc modo exsequiæ bebantur. Deferebatur corpus in locũ publ vbi continuo triduo fiebant sacrificia, mac diuersis animalibus; quia derant, agitabant uiuiũ ad hilaritatẽ se inuitãtes. Deinde cum tũ eius modice defleuissent, defodiebant id vel cremabant igne, cineres subter humum fodientes. Hinc in honorem defuncti depu bant inter se apud tumulum, inprimis au vsitatum erat duellum inter duos.

Quibus armis vsi fuerint in expeditione rij, refert Herodotus, dum ait eos galeas ve tius cudones capite gestasse è pellibus vulpi Camisias insuper & saga non vnius generis mora illos muniuisse Caligis è corio capreat porro arma quibus in hostem pugnarent, fuisse; spicula missilia bina, Clypeum vnum pugione. Celebrantur Traces ob exquisita gittandi peritiam, quam artem etiam ab se i tam tradunt. Lingua eadem iis erat, quę Scy narrat que Plinius, Vniuersam Thraciam ali do diuisam fuisse in L. conuentus. Et hæc sunt, quæ de priscis Thraciæ populis ant perscripserunt, videamus nunc recentiores

Mores horum populorum nostri temporis.

Qui nostro æuo Thracium habitant, ve ferociæ multum retinent, furiosi, crudeles busti, in compotandi consuetudine nulli g sub isto sole cedentes, vt inter eos vider qui semper ebrij titubent: & nisi Lex M metis Turcis vsum vini interdiceret, non bium est, quin alia dissolutionis specimina q tidie ederentur. Cum autem non vnius ge homines sint in Thracia, & præcipue in V Constantinopoli, vbi mixtim habitant Tu Iudæi & Christiani, vt de eorum mori coniunctim dici non possit, cum mul alij ab aliis differant: optimum factu erit, v tribus istis nationibus seperatim verba fa mus, quid in vnaquaque obseruatione digr sit.

Et primo quidẽ nõ ea est Turcis morũ ciuil quæ plerisque per Europã populis, cũ & hab

ie vestitus eorum habeat nescio quid absurdi, iod nos citra indignationem & fastidium vix rueri possumus, cum extremitas vestis non te- at linteam, & omnis amictus tam ruditer fa- is sit, quasi non peritus vestiarius, sed ineptus disque consarcinator fecisset. Cibum inter s nemo capit insidens scamno aut sedili, sed nnes humi considunt, in quincuncem com- sitis cruribus, vt sartores solent in officinis s. Tabula eorum, ita enim sane appellemus, plurimum est è corio bubulo aut ceruino, ido quidem nec præparato, cum adhuc pi- habeat, in rotundam formam adunato, cum orum pedum & dimidij latitudine, additis tulis ferreis annulisque, vt loro contrahi col- arique possit, instar crumenæ aut marsupij, commodius circumferri possit. Hanc men- coriaceam insternunt linteo, positis iuxta ntilibus ad extergendas manus. Solent etiam in domibus quam in Templis, vbi pa- nentum humilius est vel immundius, istud egere stragulis crassioribus, vel operimen- è iuncis contexto, alicubi etiam humum in- nere tabulato ligneo. Aeris Campani siue larum vsum ipsi penitus non ferunt, neque unt vt Christiani qui inter illos habitant, iis ntur.

Tam virorum quam fœminarum vestes sunt lixiores, latisque laxæ, ab summo ad imum rtæ, vt inferiores partes operiant, & tegere um corpus possint, cum ad naturæ neces- a abeunt, ne quid turpe appareat. Quin & it operam, vt tunc dorsum versus meridiem uertant, quia & eo conuertuntur cum pre- tur: ferunt autem iniquissimo animo, si in opere ab aliis deprehendantur, quod sedulo ent, ne ea in conspectum veniant, quæ na- a occultari volt.

Potissimus Turcarum cibus est caro hæ- um castratorum, qua magis delectantur am vlla alia, vnde fit, vt tanta vis corij Cor- bensis, (vt vulgo vocant) è Turcia ad nos eratur. Post hanc est iis in vsu ouilla & ver- ina, & agnina, & capreolorum. Bouinæ n magnus est vsus, & quicquid parant car- m, assatas quam elixas credunt esse suaui- s. Has igitur carnes ad cibum paratas omnes ponunt prægrandi patinæ, vel potius Sca- o culinario, mixtim & sine ordine, cum os multos varioque non habeant, vt nos, o possint singula fercula singulis imponere inis. A Porcina omnino abstinent, con- unt tamen quoddam intinctus vel embam- is genus ex cæpis & allio, quod in tanta est d eos æstimatione, vt etiam magnatum ncipumque mensis inferatur. Panis eorum, o vulgo vtuntur, satis ater est, quod frumento ina quædam admisceant, quibus fit vt recte mentari excoquique non possit.

Vt autem reliquum eorum viuendi morem sequamur, vix est vlla gens sub Sole arro- tior, aut quæ sibi plus tribuat, aliasque na- tiones ita præ se contemnat, quam Turcæ. Cau- sa huius feritatis & insolentiæ adscribi potest crebris victoriis, quas barbari isti ab omnibus prope nationibus reportauerunt, quibus & tam amplum Principes eorum sibi acquisiuerunt Imperium. Scortationi omnisque generis libi- dinibus deditissimi sunt, vt & Sodomiæ scelus propemodum publice inter eos exerceatur, præsertim in triremibus, vbi non minor est huic flagitio licentia, quam capiendi cibi potusque. Fides dictorum factorumque apud eos nulla, cum pro nihilo habeant, negligere promissa, quæ eorum fraus & infidelitas simplicioribus è Christianis multoties exitium attulit, cum ni- mis fiderēt eorum verbis: sæpe enim accepta sti- pulatione vitæ & securitatis, à perfidis illis præ- ter ius mactati aut in seruitutem abducti fue- runt. Nemo sibi persuaderi sinat, Legatos siue Oratores exteros apud Turcas in precio aut honore esse, vel iis Ius Gentium seruari, vt apud nos fit: quin si Thurcarum Imperator Legatum aliquem suspectum habeat, leuiter æstimat illum dedere neci, quanquam causæ non sint magni momenti. Sed & Purpurati Au- lici que, nisi abunde colantur muneribus & ob- sequiis ab Legatis Christianis, ludibrio eos ha- bent, nulloque non iniuriarum genere exagi- tant.

Nulla gens minus videbitur ad litteras nata quam Turcica: sed solum ad arma facta, in qui- bus tamen plus eis præstat multitudo, summa obedientia, & certa spes Paradisi Mahometa- ni, quam animi magnitudo & virilitas. Habent tamen inter se & libros & doctores non qui humaniores doceant litteras aut Philoso- phiam, sed tantum doctrinam Mahometi, su- per qua & multa conscripsere volumina, & varias in medium proposuere quæstio- nes.

Christianos tanto prosequuntur odio, vt eos alio nomine non appellent quam Canes. Et quamuis eos in conuersatione ciuili videantur satis comiter habere, eosque iis afficere honori- bus, quos captus huius nationis permittit, ca- uere tamen non possunt, quin quoties de iis verba faciunt, toties eos Canes appellent, ver- bis satis prodentibus, quo pacto intus erga nos affe- cti sint.

Sed & Auaritiæ supra modum dediti, rem quamuis in lucrum suum vertere nouerunt. Vi- dentur autem huius rei causas aliquas habere, quod Magnus eorum Princeps terras quidem & latifundia Ministris suis tradat, sed ita vt iis duntaxat fruantur donec viuant: qua ratione fit, vt nihil ad liberos hæredesque suos trans- mittere possint, præter peculium, id est, Thesauros quos corraserunt, vt inde vi- uant. Nec tamen negauerim, si Patres be- ne ac fideliter seruiuerunt, & filij ostendant aliquam indolis generositatem, Principis beneficio possessiones Patris sæpe in filios deriuari, quin &, si postea mereantur, maio-

ribus augeri prouentibus. Quin & hoc bono iure dicam : Turcas non passuros fuisse, tot Christianorum millia, qui inter ipsos habitant, cum ingenti Ecclesiasticorum hominum numero, nisi allecti fuissent & emolliti magnitudine Tributi annui, quod hi illis persoluunt: Quin ipsum sepulchrum Dominicum, quod adhuc satis integrum visitur in Vrbe Hierosolymorum, iam dudum frustillatim confractum abolitumque fuisset, nisi scirent, Christianos sanctitate loci allectos eo peregrinari, multumque secum argenti afferre. Vnde videmus, qua de causa & Christianos & sepulchrum Dominicum patiantur inter se nempe, vt inde lucrum percipiant.

Mulieres Turcicæ vestitu vtuntur satis honesto, sunt que in omnibus rebus gnauæ & solertes, quod optimæ institutioni tribuendum est. Capitis tegumentum est acutum, operiunturque corpus velo tã appositè ac Concinne facto, vt quamuis ex parte pendeat, cito tamen illud, si in conspectum virorum veniant, attrahere, & operire faciem possint, solis apertis oculis. Cæteris autem vestibus superiniiciunt linteum candidissimum, quo omnia teguntur, ita, vt ne viri quidem vxores suas cognoscere possint, si inter turbam cum cæteris versentur. Sed & raro veniunt in ea loca vbi viri versari solent, nihilque receptæ consuetudini magis aduersatur, quam videre virum alienam mulierem in publico alloquentem. Quod si fiat, aut si quis cum aliena fœmina extra Vrbem deambulet, res peregrina & monstro similis videbitur.

Qui inter eos vxorati sunt, præsentibus aliis nec verbo nec facto alludunt coniugibus suis, sed ne colloquuntur quidem illis, quod eo fit, vt visitata erga vxorem vtatur vir grauitate & seueritate, & hæc ipsum vicissim colat & suspiciat. Qui inter Turcas illustri genere sunt, aut cum Magistratu, eo quod vxoribus suis adesse non semper possint, relinquunt eas sub arcta Eunuchorum custodia, vt ad eas præter maritum, vir alius ingredi nullo modo possit, aut alienæ coniugi vicium afferre. Etsi autem hæ vel maximè amatores admittere velint (nec enim desunt hæc iis desideria) solertissima tamen Eunuchorum cura earum affectus reddit irritos. Ipsi tamen serui & mancipia, de quibus adeo magna sollicitudo non est, quod domesticis distineantur laboribus, sæpius Curucas faciunt dominos suos, quam peregrini. Quod si in facto deprehensi, aut rationibus conuicti fuerint, adulterasse heras, tantis excruciantur tormentis, quæ tibi sine horrore ne imaginari quidem possis, postea trucidantur.

Sed & de ludis exercitiisque Turcarum aliquid dicendum est. In Vrbe Constantinopoli festum quotannis per aliquot dies agitatur, quod ipsi *Beelan* vocant. Hisce diebus festis conueniunt equites in Hippodromum, perticas manibus ferentes, velut spicula missilia, diuisi in certas turmas siue alas, ibi concurrentes, mittunt alij in alios illa hastilia, belli simulacra cientes. Alibi celeriter equitant feruntur circa longurionem, mittentes sagitt ab arcu ad globum quendam in apice long rionis suffixum, quis eum præ cæteris certi feriat.

Plaustrorum curruumque vsu in tota vr nullus est: baiulorum enim & helotarum vice præstant Armenij, qui omnia onera per Vrbe ferunt. Sunt autem miseri isti Armenij, prof sione Christiani, in cultus ratione non multu à Græcis abeuntes.

Videas aliquando Turcas ebrios per plate Vrbis incedere tanta insolentia, vt nihilari gantius in toto orbe Christiano tibi occurr possit.

Si enim gressu titubantes, Christiano hor ni veniunt obuiam, continuo irruunt in eu eique mille modis molesti sunt, quodque de rius est, nulla est ratio, qua de eo tot iniuriar exigere vltionem possis, nisi velis certam n gnamque incurrere pœnam; tanti faciunt si Turcæ, vt nec improbos quidem affines culpæ lædi velint aut patiantur, contra cog exteros etiam innoxios iniuriis succumbe dumque studeant suam auctoritatem adstr re, nihil pensi habent ipsam proculcare Iu tiam.

Vnum hoc in hac gente laude dignum quod liberales sint & multum erogent el mosynarum in pauperes. Sed hoc faciunt s ratione & discrimine, quod non minus erog pecuniæ in alimoniam canum aliorumque a malium, quam ipsorum hominum. Et tale q dem est eorum in exercenda misericordia iu cium.

Christiani qui inter Turcas habitant, eor fere viuendi sequuntur modum, ex diutu consuetudine. Qui autem ab aliis prouin regnisque hac venerunt, suo quisque more vi atque instituto, nisi quod prope omnes Tur rum modo vestiti incedunt, solo capitis teg mento faciente differentiam. Loquor autem illis, qui non sunt orti è terris aut prouin Turcarum, sed qui veniunt ex iis regionib vbi ratio ista vestiendi non est in vsu.

Iudæorum, qui inter Turcas Versantur, v cum studium est lucrari, quare inprimis ac cti sunt mercaturæ, in qua exercenda infin vtuntur fraudibus & malis artibus, vt vide tur abiecta omni conscientiæ & honest ratione, vnum id agere, vt diteſcant. P ci sunt inter eos, qui Medicinam faciu in qua quidem ita feliciter versantur, Purpurati atque Bassæ, adeoque ipse T carum Monarcha eorum vtatur opera.

GRAECIA.

Inuenitur nomen Græciæ diuersimode su tum ab Auctoribus. Nam proprie atque s re nominant Græciam, quam Prolemæ aliq

iique appellant Atticam, cuius caput erat cla-
ſſima illa Athenarum vrbs. Deinde extendunt
oc nomẽ multo latius, complectentes in Græ-
a præter Atticam quatuor celeberrimas Re-
ones: Macedoniam, Epirum, Achaiam & Pe-
ponneſum: ſub quibus, cum aliæ prouinciæ
inores comprehenduntur, tum etiam Inſulæ
nici & Aegæi maris. Et hac latiore ſignifica-
one noſtro etiam æuo ſumitur Vox Græciæ.
reſt autem & amplius extendi, vt ſimul inclu-
tur Thracia, & bona pars Minoris Aſiæ ſiue
natoliæ, quas partes veteres Græci poſſede-
nt, & in eas miſerunt Colonias. Sed & pars
ædam Italiæ, vbi hodie Calabria & Apuliæ
ædam loca, olim Magna Græcia appellata
t.

Cæterum ſi communiore ſignificatione ſu-
tur, tria maria eam alluunt: Ionicum ab Oc-
lente: Libycum à meridie: Aegæum ab Orien.
ad ſeptentrionem vero montibus à Thracia,
ha ſuperiore & Dalmatia ſeparatur. Sub hoc
æciæ nomine comprehenditur etiam Creta
ula, de qua locuti ſumus, cum de Republica
nera diſſeruimus. Quicquid autem terrarum
iſto Græciæ nomine comprehenditur, in-
ditur intra gradum altitudinis ab Aequatore
XIV. & XLIII. eleuationis Poli, intra quod
cium longiſſima dies eſt ab horis XIV. cum
re quarta, vſque ad XV. cum quarta parte, vt
a diuerſitas longiſſimæ diei ſit vnius horæ.
Quod ad longitudinem attinet, eſt Græcia
a Meridianum XLII. & LIII. & paullo am-
s. Obtinent in hoc terrarum ſpacio Veneti
ædam, ſed ea ſunt tam exigui momenti, vt ne
omputum quidem venire debeant: omnia
ur Imperio Turcico adſcribenda ſunt, ſicut
fricæ deſcriptione omnes Prouincias, quas
loco perſecuti ſumus, Regi Marrocano ad-
emus, quamuis in iis non pauca ab Luſita-
poſſideantur. Sed ad particularia deuenien-
n eſt, & perluſtrandæ partes Græciæ.

Prima nobis ſe offert *Macedonia*, antiquitus
thia dicta, vt Plinius habet, & *Pæonia*, poſt *Ae-*
a, vt Liuius auctor eſt. Gerbelius & Niger
a ſunt ſententia, vt *Albaniam* hodie dici exi-
ent. Verior tamen eſt Magini ſententia, qui
duntaxat Macedoniæ partem ita appellari
quæ Mare Ionium reſpicit. Ea enim pars quę
rientem vergit, inter Sinum Strymonicum
Theſſalonicenſem barbaro vocabulo *Iamboli*
tur. Quicquid inter has medium eſt, vetus
nen Macedoniæ retinet. In medio duorum
ium, Ionii ab occaſu, & Aegei ab Oriente ſi-
t: ab Aquilone Dalmatiæ partem & Myſiam
riorem; à Meridie Epirum & Achaiam at-
it. à parte Thraciæ Drinone & Strymone a-
bus ſeparatur.

Numerat Gerbelius ſex Macedoniæ Prouin-
ab ea parte qua Græciam ſpectat; Emathi-
Pieriam, Pelaſgiam, Eſtiotam, Theſſaliam
thiotas, inter quas Theſſalia (Turcis hodie
elonitaris dicta, vt caſtaldo placet) cęteris bo-
re præſtat. Collocatur à nonnullis hic O-
lympus Mons, hodie *Lacha* dictus, vt Caſtaldus pu-
tat, tantæ altitudinis, vt decem numerentur ad e-
ius faſtigium ſtadia, ſecundum Plinium. Si igi-
tur ſumamus VIII. ſtadia pro vno milliari, altior
erit quarta parte, quam vnum milliare; hinc fit,
vt accolæ ſummum eius iugum cœlum nuncu-
pent, quod ibi flare venti nunquam deprehenſi
fuerint. Videbis & *Pelion* ibi, quem monte non-
nulli volunt hodie *Petras* dici, cuius altitudo tã-
ta eſt, vt Dicæarchus, quem Plinius eum men-
ſum fuiſſe affirmat, deprehenderit M. CCL. paſ-
ſus. Sunt & inter alios celebriores *Oſſa & Pindus*,
ab cuius radice prodit amæniſſimus fluuius Pe-
neus. Omnium autem hoc quidem tempore ce-
leberrimus eſt *Athos* qui noſtro æuo *Mons Sanctus*
appellatur, à Græcis ἅγιον ὄρος, qui ex parte eum
incolunt. Forma ei eſt qualis Cherſoneſo, an-
nexo continenti per Iſthmum M. D. paſſuum:
ambitus eius complectitur LXXV. millia, por-
rigitur que in longitudinem via tridui, cum in
latitudine medii diei iter habeat. qui mare iſtud
nauigant, vident faſtigium eius ab trigeſimo
milliari.

Hic eſt ille Athos mons, quem Architectus
quidam ſe in hominis figuram effigiaturum A-
lexandro Magno pollicitus eſt, qui conatum i-
ſtum non admiſit ad animum. Eſt iam olim hic
Mons attributus Calohieris Monachis Græ-
cis, Ordinis S. Baſilii, qui peculiari quodam nixi
priuilegio illum incolunt, eſtque tanta loci Re-
ligio, vt nec Græcus aliquis ne Turca ibi habitet
niſi ſit ex Calohierorum Ordine. Sic fit, vt circi-
ter ſex millia Monachorum montem eum in di-
uerſis locis inhabitent, extractis in eo XXIV. ſa-
tis amplis & perantiquis Monaſteriis, cinctis
bonis muris, inter quæ duo ſunt eminentiora.

Interſecatur Macedoniæ littus, quæ Mari
Aegæo alluitur, quatuor præcipuis Sinubus:
Strymonico, Syngetico, Toroniaco & Theſſa-
lonicenſi, quibus omnibus noſtro æuo alia atq;
barbara nomina ſunt; à quibuſdam annumera-
tur his Sinus Pelaſgicus, qui hodie dicitur *Golfus*
Armirenſis.

Flumina Macedoniæ ſunt præter *Strymonem*
qui eſt in finibus Thraciæ, *Axius*, à Turcis *Varda-*
rus dictus, pulchrior cæteris; & aquis ſuauior
limpidiſſimis, qui à monte Scando proſiliens,
longo curſu ſinum Theſſalonicenſem ingredi-
tur. Scriptum reliquerunt antiqui, oues, qnæ ex
ea bibere ſolitæ fuiſſent, lanam albam in nigram
mutauiſſe. Hunc ſequitur *Erigonius* hodie *Viſtri-*
cius dictus, ſi Sophiano credimus, ſi vero Mer-
catori, *Deuodus* oritur hic in montibus Illyricis,
peragrataque Pæonia, cum alluiſſet vrbes He-
racleam & Edeſſam, cum Axio ſe coniungit.

Aliacmon, qui olim fuit, noſtro æuo *Pelecas* So-
phiani eſt, quanquam eum Platamonem dici
exiſtimer. Ex Montibus Pæoniæ hic prodit, lit-
tus habens difficile ac tædioſum: aiuntque Græ-
ci, ſi quis velit oues albo vellere habere, vt iis ex
hoc fluuio potum præbeat.

Peneus amnis, quo pacto hodie dicatur, inter
Geographos, Sophianam, Theuetum & Mer-

catorem non conuenit: istud constat, eum receptis aliis fluuiis quatuor tumidum, Sinum Thessalonicensem irrumpere.

Sunt in Thessalia amæniſſima illa & tot scriptoribus Græcis celebratiſſima *Thessala Tempe*, qui locus habet sexies mille passus in longitudinem, & prope quinque passuum millia in latitudinem, estque vallis pulcherrima inter duos montes celeberrimos, Ossam & Olympum, quam medius perluit cryſtallinis vndis *Peneus* amnis, si is *Azababa* est.

26. Vrbes Macedoniæ celebriores olim fuere hæ: *Thessalonica, Pella, Stagyra, Apollonia, Dyrrachiũ, Aulon*, & aliæ, quæ prope omnes etiam nostro æuo habitantur. Fuit autem *Thessalonica* temporibus Augusti Cæsaris florentiſſima, totiusq; Macedoniæ Caput, populo habitata frequentiſſimo, ob situs opportunitatem inter *Chabrum & Echedoram* amnes.

Hodie appellatur *Salonica*, estque adhuc vrbs ampla, celebris ob mercimoniorum frequentiam, vt cum Neapoli Italiæ cõponi possit; inprimis autem multi hic habitant Mercatores, qui mercibus Indicis negotiantur. Fuit hæc aliquando dominii Venetorum: Verum Amurates, Mahometi filius eam Reipublicæ ereptam sibi subiecit. *Syderocapsa* ingens pagus est, vt oppidum videri possit, referente Bellonio. *Pella*, quæ hodie *Ieniza* dicitur, siue *Zuchria* (contendunt enim inter se Sophianus & Niger) eo nomine clariſſima est, quod nutrix fuit primum Philippi Regis, deinde Alexandri filii eius, *Stagyra* Patria Aristotelis, haud procul Atho monte abest, cuius etiam supersunt non pauca rudera. Putat Niger, eam hodie *Stelar* dici, Sophianus *Libanouam*, *Nicetas Macram*. *Apollonia* olim nomen fuit celebre, quod in ea Augustus Cæsar Græcas literas didicerit: sita est supra Echedorum amnem, diciturque hodie *Piergus*. *Dyrrhachium*, cui quondam *Epidauro* nomen fuit, dicitur nostro æuo *Durazo* oppidum est in littore quod Italiæ obiicitur. Non habitatur frequenter ob insalubritatem aeris, qui per paludes stagnantium aquarum viciatur. Eripuit id oppidum Baiazether Venetis anno A N. C. M. CCCC. XLIX, Distat à Brundusio oppido Apuliæ C. millibus pass. *Aulonem* vrbem celebrem facit Portus Maris Ionici, ipsum oppidum transpositis primis litteris, hodie dicitur *Valona*. Castrum munitum satis est, cætera mœnibus destituuntur. Abest autem ab Italiæ extremæ oppido Hydrante mill. sexaginta. Numerat Bellonius inter Vrbes Macedonicas etiam *Cauallam*, quam falso credit veterem esse *Bucephaliam*. Hæc nostro æuo satis frequenter habitatur (quanquam olim prope destituta fuerit habitatoribus) ob copiam fontanarum aquarum, quas Abrahamus Bassa in vrbem introduxit, simulque eam mœnibus cinxit, excitato in ea Xenodochio, ad excipiendos nutriendosque peregrinos & viatores. *Croyam* quoque huc referunt, ciuitatem mediterraneam, haud longe ab Lisano amne. Sophianus putat esse Anrigoniam antiquorum, sed putatur in eo errare, quod Antigoniam cõstet fuisse Epiri oppidu
super fluuium *Celidam*, vt magis credendum
Epicariam esse, ob situm quem ei Ptolemæus t
buit. Fuit olim hæc vrbs acerrime obsessa à Ti
cis, cum eam teneret Georgius Castriotus,
ctus Scanderbegus: cumque mille modis af
cta mille miserias sustinuisset, postremo in T
carum manus venit.

Epiri pars est *Albania*, reliquum comprehen
tur sub Macedonia, qua ea spectat Mare Io
cum. Putat Castaldus eam esse, quæ hodie *Ia*
dicitur: sed ipse loci situs satis ostendit, Prou
ciam Iannam, quæ ita dicitur ab oppido e
dem nominis, esse vltra Pindum Thessaliæ M
tem. Richerius & Aeneas Syluius vocant e
Lariam: sed constat hanc tantum esse Epiri p
tem. Terminatur hæc regio ab ortu Ache
fluuio, à Meridie Atriatico Mari, ab Occide
Ionio vsque ad Celydnum seu Pepylychnur
mnem: à septentrione habet Macedoniam.
tenditur versus Mare Mediterraneum ad
millia pass. inter Celydnum & Acheloum
uios. Diuisa fuit aliquando Epirus in *Chaon*
(quæ proprie Epirus est) & *Acarnaniam*, qu
hodie despotatum siue paruam Græciam
cant: & hæc quidem pars in Orientem So
porrigitur vsque ad Acheloum amnem.
guntur his prouinciis ab aliis *Thesprotia, Ampl*
chia, Ambracia, Cassiopea, Dolopia, quæ omnes
regiunculæ inter Chaoniam & Acarnani
Mercator Epirum diuidit in veterem & nou
Veterem vocat eam, quæ & olim hoc nor
habuit: Nouam eam Macedoniæ partem f
quæ hodie *Albania* vocatur. Portuum mar
rum nomina hæc sunt: Panormus, Onchesi
Cassiopius, Buthrotius: quos tamen omnes
nitate superat Sinus Ambracienſis. Fuit au
olim *Ambracia* caput totius regionis, & don
lium Regum Epiri, quæ nostra tempestate
nomen habet, à vicino fluuio eiusdem nom
Fuit & *Nicopolis* aliquando bonum & freq
oppidum, ab Augusto Cæsare conditum,
Victoriam à Marco Antonio, nauali præli
cto reportauisset. *Actium*, Augusti & ipsam
loniam inter Acarnaniæ vrbes refert Ge
lius: nouæ tabulæ ei nomen dant *Capo Figalo*

Achaia, quam Ptolemæus Helladem appe
in Nouis Tabulis *Leuandia* signatur. Term
tur à septentrione Thessalia iuxta amnem S
chium, sinum Maliacum & Oetam Mon
Ab occasu Acheloo amne, vltra quem mox
ri tractus incipit. Qua Oriens est, nonnihil i
ptentrionem reflectendo, Aegeo Mari &
too pulsatur, vsque ad Sunium Promontor
nunc *Capio delle colonne*, quod ibi extent ru
quædam & columnæ Templi Neptuni.
Meridies est, Peloponnesum habet obie
Isthmo coniunctam. Achaiæ regiones apuc
tores has inuenio: Doridem, Helladem, A
liam, Locros, Opuntios, Phocidem, Boed
Atticam, Megaridem. *Doris* iuxta Parnassun
vnde lingua dicitur Dorica, inter cæteros
ciæ idiotismos suauis. *Helladem* Gerbeliu

ngi cæteris prouinciis , nempe ab Aquilone
hthiotide, à Meridie Phocide, ab Oriente At-
ca & Bocotia, ab Occidente Poride.

Aetolia sita est inter Callidromum montem &
Mare Ionicum. Multas hæc olim habuit vr-
es, inter quas primi nominis fuit *Calidon*, quæ
odie cum cæteris in ruinis jacet. *Euenus* amnis
mpidissimus hanc perluit.

Locrorum & Opuntiorum regio *Amphissam* ha-
iit, vrbem maximam & nobilissimam, cuius
iidem nomen ponitur in tabulis, quanquam
iger dicat *Lampinum* hodie dici. Est & in hac
aupactus, quam alii in Aetolia locant. Ipsi oppi-
Naupacto hodie nomen est *Lepanto*, vnde &
ius ille Lepantinus dicitur. Abstulit hanc vr-
m Venetis Turca eodem tempore, cum &
rrhachium, & Methonen & Coronen suæ
biecit potestati. *Phocis* iuxta Parnassum mon-
n est, primi nominis oppidum habens *Delphos*,
quondam Templum Apollinis sumptuosis-
num & Oraculum, quo tota solebat concur-
re Græcia & conferre munera.

Boeotia inter Montes sita est, rigaturque Isme-
& Asopo fluuiis, cuius clarissima Vrbs The-
in ruderibus jacet, locus siue ruinæ dicuntur
die *Stibes* siue *Thiua*. Attica tota maritima est,
enditurque secundum littus à Promontorio
nio siue Columnarum, vsque ad Cynosuram.
ius regionis caput, *Athenarum* Vrbs, longe
rior est, quam vt indicari debeat. Hodie im-
ne quantum ab illa mutata, dicitur *Setine* est-
e vicus cum Arce, quæ olim putatur fuisse
mplum Mineruæ.

Megaris à Megara vrbe nomen habet, iuxta Ist-
um posita.

Montes Achaiæ celebriores sunt Parnassus,
licon, Cytheron, Hymettus.

Parnassus biceps est, Mons Phœbo Bromioq;
r, totus ab summo tectus nemoribus. *Cythe-*
ltior, asperior, contiguusque Montibus Me-
ensibus & Atticis. Hymetto apum multitu-
& faui præstantia nomen peperit.

Fluuii præcipui hi: *Ismenus*, Straboni *Cnopus*
us: deinde *Asopus & Euenus*.

Sinus Portusque habet Achaia satis commo-
celebriores tamen sunt, qui in Meridiem
ersi, Peloponnesum obiectum habent, sunt.
Sinus ad *Naupactum & Corinthiacus*. Versus
e Ægæum sunt *Pelasgicus & Maliacus*, quo-
ille hodie dicitur *Armirensis*, hic *Sironius*.

eloponneso apud antiquos varia fuere nomi-
licta enim fuit *Aegialia, Apia & Pelasgia*. No-
æuo communiter vocatur *Morea*. Situs eius
nter Mare Aegæum & Ionium, neque vlla
rte coniungitur Achaiæ, præterquam Ist-
perangusto, adeo firmo solidoque, vt per-
nunquam potuerit. Conati quidem id fue-
incipes nonnulli, inter quos Demetrius,
æsar, Caligula, Nero & alii, vt ita Peloponn
in Insulam redacta ex Mari Adriatico in
æum breuior esset minusque periculosa na-
io, simulque Peloponneso ab incursionib.
æcia reliqua maior esset securitas. Eadem
quopue de causa murum ducere placuit, ab vna
extremitate ad alteram, quem *Hexamilium* vo-
cauerunt.

Eum Amurathes Turca deiecit, totamque
prope Peninsulam in prædam vertit. Veneti au-
tem eum anno AN. C. M. CCCC. LIII. spacio
XV. dierum restituerunt. Sed Turcæ iterum
eum postea solo æquauerunt. Dicitur autem
Isthmus hic Corinthiacus, quod Corinthus
Vrbs antiquissima ab eo haud longe absit, & est
sane Isthmus hic omnium celeberrimus per Eu-
ropam.

Respicit autem Peloponnesus ad Ortum Ma-
re Creticum, ad occasum Ionium siue Adriati-
cum, ad Aquilonem Corinthiacum sinum, quē
Strabo appellat Mare Cryssæum, & Alcyonium:
prætereaque Sinum Saronicum, quem recen-
tiores *Golphum de Engea* vocant: Et inter hos Si-
nus Isthmus positus est. A Meridie habet Pelo-
ponnesus Mare Mediterraneum.

Longitudo eius ab Isthmo vsque ad Metho-
nen est CLXXV. mill. pass. Peridromus vero
DC. mill. Platani folio, vt scribit Mela, simillima,
pari prope longitudine & latitudine. Habi-
tauerunt hanc antiquissimis seculis Arcades, Cy
nurii, Dryques, Lemnii & Corinthii. Est autem
Peninsula hæc veluti caput & Arx totius Græ-
ciæ, vt Plinius ait, estque adeo nostro æuo in illa
quoque barbarie magis habitata quam reliqua
Græcia. Magna eius olim fuit celebritas propter
Respublicas & Principatus Mycenarum, Argi-
uorum, Lacedæmoniorum, Sycioniorum, Elie-
sium, Arcadum, Pyliorum & Messeniorum. Ho-
die omnia hæc sunt sub Imperio Turcarum, vt
omnis Græcia, quanquam longo tempore acri-
ter defensa fuerit Peloponnesus, partim per
Despotas Græciæ, partim etiam per Venetos. A-
mnes celebriores sunt *Asopus*, nunc *Arbon* The-
ueto, *Pineius*, hodie *Igliacus* dictus, *Alpheus*, qui ac-
colis *Rophæa*, quem Italici generis Nautæ *Or-
pheam* vocant. In hunc fluuium dicuntur CXL.
parui riuuli influere. *Panisus*, *Stromio* nunc Nigro,
sed *Pirnaza* in tabulis Castadi & Mercatoris.
Eurotas, hodie *Balisopotamus*, Sophiano, Mercato-
ri & aliis, sed Nigro *Iris*; postremo *Inachus*, qui
plerisque hodie est *Planiʒza*.

Corinthia in Isthmo sita est: nomen ei à primā-
ria Vrbe, quæ primum *Ephyre* dicta fuit, habuit-
que vndecim mill. pass. in circuitu. Arx in hac
fuit super montem, ex qua prospectus patebat,
hinc in Ionicum illinc in Aegæum mare. Agrū
Corinthiacum sequitur *Argia*, versus Orientem
qua Peloponnesus Mari Cretico alluitur. Putat
Ortelius hodie *Romaniam* dici. *Inachus* amnis per
hanc fluit, petitque Sinum Argolicum, iuxta
Naupaliam vrbem, quæ hodie corrupte Nea-
polis dicitur. *Argos* olim celeberrimum huius
prouinciæ oppidum fuisse constat, quod & no-
stro æuo vetus nomen retinet, situm loco amœ-
nissimo iuxta Inachum amnem.

Epidauro celebritatem peperit famosissimum
illud Aesculapii fanum, in quo infiniti homines
sanitatem recuperauerunt. *Laconicæ* regionis
Metro-

Metropolis fuit *Sparta*, estque hic tractus longe amæniſſimus, excurritque in Promontorium Maleæ & Tænarum, quorum illud hodie dicitur *Capo Malio*, hoc *Capo Metaphan*. Habet hoc littus multos perpulchros Sinus, quorum ille capaciſſimus eſt, qui dicitur *Laconicus*, hodie *Colochinius*.

Perluit Laconicam Eurotas fluuius, hodie Baſilopotamus, deponitque aquas ſuas in Sinum Laconicum. Caput regionis fuit, vt diximus, Sparta, quæ & Lacedæmon: hodie *Miſithra*, dicitur. Eſt & *Epidaurus* tertia in Sinu Argolico, quæ hodie *Maluaſia* dicitur, diuerſa ab ea quæ eſt ad Sinum Saronicum. *Meſſeniorum* regio includitur intra Sinum Meſſenium, hodie Coronenſem dictum, & Mare Ionicum, extenditurque verſus Meridiem & Mare Libycum: Primaria eius vrbs fuit *Meſſene*, quam Caſtaldus *Mattagiam* dici ait, alii *Moſenicam* eſſe putant. Eſt & hic *Methone*, hodie *Madon* dicta, inſignis quondam ciuitas, & nunc Sangiaci Turcici ſedes, nec non *Corone*, quas duas Vrbes Turcæ ademerunt Venetis. *Pylus*, patria Homerici Neſtoris, hodie *Nauarine* dicitur. *Elis* in occidentem vertitur eſtq; velut media inter Meſſeniam, Achaiam & Arcadiam. Vrbs Elidos primaria eſt *Elis*, per quam mediam Peneus amnis fluit, vt & Alpheus, quã nonnulli hodie *Beluedere* appellari tradunt, coniectura parum firma. *Olympia*, quæ celebris fuit à Ludis Græcorum, hodie *Lareganico* dicitur. Poſtremo *Piſa*. Eſt & alia Peloponneſi regio, quæ dicitur *Achaia propria*, ad differentiam illius, quæ eſt in continenti Græciæ, ſiue Hellade, qua de jam ante diximus, extenditurque ab Araxo Promontorio vſque ad Sicyonios, inter Stymphalum montem & Sinum Corinthiacum: præcipua vrbs fuit *Egira*, ſuper aſperum collem extructa, nunc vero in ruderibus iacens. *Aegium* Vrbs, recentioribus Voſtiza dicta, à Turcis diruta eſt.

Habet hæc Minor Achaia etiam *Patras* vrbem olim inſignem, quæ nomen adhuc retinet. *Dyme* hodie *Clarentia* dicitur, imponitque nomen illud vicino Promontorio, quod ante *Araxium* dictum fuit. Viſuntur ibidem duo alia Promontoria, *Rhium & Antirrhium*, quibus includitur Sinus Corinthiacus, nominaturque Fretum iſtud noſtro æuo *Strictum Caſtellorum Lepanti*, vulgo etiam *Dardanelli*. *Sicyonius* ager anguſtus eſt, inter Achaiam proprie ſic dictam, & Aſopum fluuium. Vrbs prima eſt *Sicyon* antiquiſſima omnium Græcarum, quam hodie *Baſilicon* dici autumant. Mercator tamen in tabulis hanc Sicyone diſtinguit. *Arcadia* medium propemodum Peloponneſi obtinet. Præcipua eius quondam Vrbs, *Megalopolis*, hodie *Leontaris* dicitur, ſi Sophiano aliiſque credimus. Montes Arcadiæ celebriores ſunt *Cyllenius*, *Pholoe*, *Lyceus*, *Manalus*, *Parthenius*.

31. *Qualitas & ingenium terræ Græciæ.*

Exacta deſcriptione plerarumque Regionum Græciæ, iam de fertilitate & ſterilitate, commodis incommodiſque earum breuiter dicendum eſt, ne prolixitas Lectori tædium afferat.

Præſtabat autem olim hæc regio reliquis Europæ Prouinciis cœli benignitate & temperie aeris: frugum inſuper omnium fertilitate, gregum armentorumque omnis generis copia, etiamnum. Vicinum mare & fluuii infinitos pisces ſuppeditabant, eratque quoddam velut compiæ Cornu. Nauigatio de loco in locum hic facilis ob plurimos Sinus & Portus Marinos, fluuios nauigabiles. Sed nobis incumbit, non conſiderare, quales olim fuerint hæ prouinciæ ſed quales nunc ſint, vt videamus, quantum priſca facie mutata fuerit Græcia.

Macedonia igitur ab omni parte fertilis e quanquam altis cingatur montibus. qua Ion um mare reſpicit, plana eſt, nemoroſa tamen.

Albania longe lateque patens regio eſt, vbi tamen ferax & amæna. Gignit terra hæc etia aurum & argentum, annotauitque Ariſtotel olim repertum fuiſſe auri genus alibi incogn tum. Iuxta Apolloniam & Aulonem Vrbes v næ inueniuntur Aſphalti ſiue Bituminis.

Theſſalia, hodie *Comenolitaris*, totius Maced niæ regio eſt optima, eſt enim ingens quæda planities, cincta altis, nec tamen minus ferti bus montibus, quibus nihil adſpectu iucundi Equi qui hic naſcuntur, cæteris Græcanicis b nitate præſtant, magnique æſtimantur.

Olympi Montis celebre eſt nomen. cooperit hic buxetis & lauretis, creduntur que nulli in h monte verſari Lupi. *Oſſa* Mons niuibus perp tuis denſiſque ſyluis tectus eſt. Pinus arbor h in tanta copia, vt flante vento rami murm quoddam non abſimile tonitruo edant. N minoribus niuibus teguntur ſumma *Pindi*. A Mons perpetua niue ab ſummo candeſcit, ni nunquam colliqueſcente. Herbarum in eo mnis generis mira abundantia, nec minor v riarum plantarum & arborum fructiferaru Multæ hic vineæ & oleæ, arboreſque perpet virent, oleaſtri puto, myrti & laurus.

Theſſala Tempe, Vallis eſt amænitate omnib prope Orbis locis prælucens. *Cherſoneſi* Patale ſis olim tanta fuit fæcunditas, vt ſeptem vrb in ea fuerint: noſtro autem æuo ſyluis coope eſt, & vix quicquam vtile ad vitam gignit. Iux *Aulonem* ſiue *Valonam* ſal minerale terra eruit gignuntque colles tam præſtans vinum, vt m lius vix illo in loco Europæ bibatur.

Epirus noſtra ætate infrequenter habitatur ger eius multis in locis ſterilis eſt, alibi ſyluis c miſque obſitus, qua tamen in mare Ionium c currit, feracior eſt. Quadrupedum omnis ge ris corpora hic quam alibi grandiora, puta b um, equorum, arietum, adde etiam canum: hi enim ſunt Moloſſi. Aſini tamen hic nulli gnuntur. Montes Acroceraunii frequentib fulminis ictibus cælitus petuntur, eoque non ne ſunt formidabiles nauigantibus. Si enim exiguæ nubeculæ in illorum montium faſtig conſpiciantur, haud dubie ſequitur magna te peſtas.

Attica terræ ſolum noſtro tempore ſiccum a-
lumque eſt. Olim tamen incolarum induſtria
fectus iſte reparatus fuit, vt ſatis bonarum re-
m genuerit ad neceſſarios vſus vitæ. Aeris hic
ira clementia & ſalubritas, vt vix alius habita-
ni locus aptior eligi poſſit.

Boeotia tellus humida eſt & paludoſa, pinguis
nen & fertilis, ſita inter medios montes, vnde
ſcendunt multi riui, qui lacus paludeſque ef-
iunt. Aer huius regionis craſſus valde eſt.

Multo melior & temperatior eſt aer *Dorica*
uinciæ, gignitque terra affatim frugum, ſi ex
ciplina ruſtica coleretur. Cum vero Turcæ
rerum potiantur, intermiſſa cultura agri ar-
reſcunt & ſterileſcunt.

Megarenſis prouincia aſpera eſt & horrida.
naſſus in ſummo niuib. tectus eſt, cætera ſyluę
inent. *Cytheronem* crebra buxeta perpetuo vi-
e faciunt: agri vero circa *Hymettum* Montem
imi omniumque rerum feraciſſimi ſunt; in-
nis eſt in eo monte florum incredibilis co-
, vnde Apiculæ mel colligunt, laudatiſſimæ
itatis.

Omnibus vero rebus ad vitam neceſſariis, ad-
tiam ad delitias, abundat Peloponneſus.
ities enim hic frequentiſſimæ, interceden-
s collibus, in quibus magna frumenti quot-
is ſeges: vnde hæc Peninſula magis abundat
tempore populo, quam reliqua omnis
cia.

Totius autem Peloponneſi regio pulcherri-
ſt *Laconica*, in qua ingentes campi & arua fe-
ſima, quamuis difficulter colantur, ob in-
urrentes colles, & aſperitates quaſdam. Ait
ius, frequentes hic fieri terræ motus, quod
it terram eſſe cauernoſam *Promõtorium Ma-*
m olim nautis formidabile fuit, quod flu-
ibi perpetuis ventis agitentur, vnde naui-
es coguntur longo circuitu procul tenere
es, niſi velint cum Neptuno partiri mer-

Arcadia aſperior eſt quam vlla Peloponneſi
incia, eſtque frigidior & nebulis vaporio-
ue obnoxia. ait Plinius hic creſcere vinum,
i mulieres fœcundas faciat, viros vero in ra-
agat: idem dicit Smilacis arboris tantum
enenum, vt ſi quis ſub eius vmbra dormiat,
atur.

Mores Antiquorum Græcorum.

m in ſuperioribus deſcriptionibus primas
rimus Macedoniæ, de *Macedonum* priſcorũ
bus & conſuetudinibus primo dicemus. I-
hi populi gloria militari ſemper excelluе-
vt apparet ex rebus geſtis Philippi Regis e-
e filii Alexandri: cum qua tamen laude
a etiam bonas litteras ſcientiaſque con-
runt, vnde factum eſt, vt docti per Græ-
inprimis Poetæ non alibi magis quam per
doniam Muſis habitationes & ſeceſſus aſ-
uerint. Vocant enim eas Pimpleides, à Pim
onte, & Libetrides, à Libetro oppido in
monte Olympo ſito. Sed & Ariſtoteles, homo omnium mortalium doctiſſimus & ingenioſiſſimus, Stagyræ, quod oppidum Macedoniæ eſt, vitales adſpexit auras.

Fuerunt autem Macedones ſumptuoſi in cõuiuiis epuliſque vt apparet ex Athenæo, vbi loquitur de nuptiis Carani Primi Regis Macedonum, in quibus ſingulis peregrinis hoſpitibuſque ſingula vaſa argentea donata fuerunt, quæ quidem res magnifica fuit pro captu illorum temporum, vbi maior fuit quam ſequenti æuo, frugalitas.

Theſſalos, qui ſunt pars Macedonum, notauit antiquitas, quod ſint fraudulenti, nihili facientes promiſſorum fidem. Sed & judicati fuerunt vitæ diſſolutioris inter cæteros Græcos, non tã in veſtitu luxorioſi, quam conuiuationibus & guloſitate, vnde primi receperunt Perſas in ſuã regionem, quos imitabantur in deliciis, conati eos etiam reliquæ Græciæ obtrudere. Voraces putati ſunt adeo, vt vix ſatiari poſſe putarentur: inſuperque ſtupris adulteriiſque deditiſſimi, cuius flagitii nomine ab omnibus prope ſcriptoribus accuſantur. Hæc tamen tot tantaque vicia non impediuerunt eos, quo minus fuerint viri fortes, vt quorum arma non ſemel ſenſit reliqua Græcia, vt experti fuerint Theſſalorum inimici, animos neruoſque eorum luxu non ita emollitos exhauſtoſque, vt non poſſent fortiter pugnare, & extorquere victoriam abſtinentiſſimis. Senſerunt hoc Peloponneſii, quibus pro Athenienſibus militantes intulere bellum. Hoc tamen habuerunt mali, quod non potuerint excutere naturalem inconſtantiam, ſed prodiderunt ſæpe amicos ſuos, fueruntque in cauſa, vt Athenienſes magna clade deuincerentur à Lacedæmoniis, non ſine ignominia Theſſalici equitatus, qui putabatur per totam Græciam optimus.

Qui incolebant Tempe, deliciarum illum vallem, quique habitabant ad ripas Penei fluuii, ſæpe conueniebant, ad offerenda Diis ſuis ſacrificia, quibus peractis vino epuliſque vniuerſi operam dabant. Cumque ſemper aliqui eſſent, qui Diis ſuis perlitabant, factum eſt, vt qui illac iter facerent, iucundum odorem naribus haurirent, vnde is honor loco habitus eſt, vt diceretur Diis ſacer eſſe.

In Dio vrbe, vt Polybius ait, erant ſcholæ ludique litterarii, vnde colligitur, illos circa litteras & artes non incurioſos fuiſſe. Colebatur hic præ cæteris Idolum Adonidis, vnde clarum eſt, quanti ciues fecerint delicias, cum Adonis aliud nihil ſit quam voluptas.

Coluerunt iidem poſt hunc Aeſculapium, cuius extabat magnificum Templum, plenum anathematis & tabulis, in quibus perſcripta erant nomina eorum qui à morbis conualuerant: permittente Deo, vt Diabolus mira operaretur in ſuo regno, id eſt inter eos, qui ei fidem habebant.

Chaonos Epiri populos à Thracibus ortum traxiſſe perhibent, quos Græci inter barbaros retule-

retulerunt. Putant quidam Chaonios dictos fuisse ὡς δὲ τὸ χάινειν, quod semper velut hiantes os semiapertum haberent.

Acarnanes comam promittere solebant, nec vllo modo sibi desecari patiebantur. Aurigandi arte cæteris hi præstabant & cursu, inprimis in Olympiis aliisque ludis, vt ex Pausania colligere licet, qui ait Acarnanem quendam, nomine Polyden victorem extitisse, non in cursu tantum Olympico, sed & in Pythiis, Nemeis Isthmiisq;. Fundatores etiam optimi fuerunt Acarnanes; nec tamen minus prudentes & industrii, qui prudenter rexerunt suam Rempublicam, vt sint qui dicant, Aristotelem bene multos libros scripsisse de legibus & gubernatione publica huius gentis. Sed ii quidem libri interciderunt. Fuit in Epiro oraculum Dodonæum, ad quod consulendi gratia ab omnibus partibus confluebant homines. Narrat Herodotus, solitos Sacerdotes Dodonæos recitare, aduenisse olim duas columbas nigras Aegypto, quarum vna quidem Africam volatu petiuerit, altera Epirum, & hanc posteriorem super Fagum arborem consedisse, locutamque voce humana dixisse, fore ibi posthac Oraculum, & Responsa daturos Deos, idq; postea ita accidisse. His subiungit idem, mulieres ibi fuisse, quæ Dodonensibus responsa dederint. Dedit autem Sylua Dodonæa locum verbo, quo dicitur, priscos mortales glandibus victitasse, quod Pelasgi ea inhabitantes loca, nondum scirent agriculturæ rationem, sed viuerent è pomis & fructibus arborum.

Ambracienſibus tribuitur, eos Leænam pro Dea coluisse: quod quidem ita habet. Periander Corinthiorum Tyrannus, cum hanc quoque vrbem suo subiecisset imperio, occisus fuit à muliere quadam, cui nomen erat Leænæ: cumque hac ratione à Tyrannide liberati fuissent Ambraciotæ, habuerunt mulieri eum honorem. Fuerunt & rerum pulchrarum studiosi, teste Plinio, qui ait Fuluium Flaccum Consulem Romanum capta Ambracia Romam secum detulisse effigies nouem Musarum, quas in ea vrbe inuenerit, pictas manu Zeuxidis excellentissimi suo æuo pictoris.

Nunc porro nobis *Achaia* adeunda est. In hac primi nobis occurrunt *Dores*, qui post Pelasgos omnium Græcorum putantur antiquissimi: adeo vt audeat Plinius cæteros Græcos barbaros appellare, præter Iones, Dores & Aetolos. Dores enim & Iones, celebriores fuerunt cæteris Græciæ populis, pluresque emiserunt Colonias non in Græciam solum, sed & Asiam Siciliamque. Dores enim partem ciuium suarum miserunt Chalcedonem, Vrbem structam super angustas fauces Ponti Euxini, fuerunt homines bellicosi, & audaces præ cæteris, gerentes cristas in galeis è setis equinis, quas moto capite concutiebant, ad inferendum hostibus terrorem in prælio.

De Locris Opuntiisque narrat Pausanias, priscos illius regionis incolas ignaros rei vestiariæ muniisse corpus aduersus frigora crudis animalium pellibus, versis pilis interius ad calefaci
dam cutem; quod & adhuc de quibusdam
ptentrionalibus populis narratur. Colebant
crenses Mineruam Zosteriam præ aliis Diis
abusque, ob Zonam siue cingulum, quod ge
bant ad similitudinem Mineruæ, demitten
latam Zonam ab humero dextro subter
chium sinistrum, oblique, & illi appende
gladium, vt adhuc appareat in statuis militari
tam Græcorum quam Romanorum. Fuer
autem hi populi celebres ob robur & virtu
bellicam, quodque optime tractarent arma
ste Pausania, qui ait, bello Persico Locros gr
bus armis vsos fortiter fecisse. Ait idem Ho
rum de iis narrare, eos ad bellum Troian
fundas & arcus attulisse cum sagittis.

Eadem virtutis militaris opinio contigi
tolis, de quibus Pausanias recitat, quod Aeto
mnium primi restiterint irrumpentibus
Brenno in Græciam Gallis. Sed & idem eos
tissimos omnium Græcorum ait, quorun
uentus florentissima fuerit & alacerrima te
Græciæ. Vtebantur & hi fundain bello, &
dem melius quam arcu & sagittis, vt Eustat
super Homerum annotauit. In bellum pro
scentes, crus dextrum operiebant caliga,
strum nudum habentes.

De *Phocensibus* ait Strabo secutus Ephor
quanquam in eorum regione collocetur
con Mons, secessus & habitatio Musarum,
quis existimare possit, eos bonis artibus
tiisque deditos fuisse, nihil tamen minus
sed homines rudes crassosque, qui abhorre
litteris. Hinc factum est vt laudem ac magi
dinem potentiæ, quam ipsis Epaminonda
perierat, conseruare non potuerint, cum p
bellum nulli rei studuerint. Vt autem h
atque Boeotorum ingenium melius nosc
narratur de iis idem quod de habitatoribu
sularum Balearicarum legimus, quod soliti
rint seminudi ingredi prælium ferentes fe
tres fundas, vnam ab collo dependentem,
ram oblique ab humero, tertiam manu
nentes, quodque incredibili fuerint peri
culandi lapides. Boeoti crassi ingenioque
do iudicati sunt: nam si quis inter eos æs
num statodie non dissoluisset, ducebatur i
rum plenum populo, vbi iussus consider
cultabatur sub Calatho vimineo, præbeba
cæteris ludibrium, quæ res debitoribus i
perpetuam vergebat ignominiam. Nequ
men putandum est, inter Phocenses & Boe
nullos fuisse acri præditos ingenio, cum hi
pulis debeatur Amphion Poeta Lyricus
quissimus, nec non Amphiaraus celeber
inter sui temporis Vates; postremo Pind
cuius viri quod fuerit ingenium, quæ ars,
vetustas, miratur posteritas.

Attici habiti fuerunt rei nauticæ & m
moniorum peritissimi. Nullibi plures viri
atque litterati per vniuersum Orbem vno
fuerunt quam hic, qui deinde Athenis eg
totam Græciam exteraſque nationes docti
min

ínibus impleuerunt. Hinc dicitur Minerua roducta è terra olea arbore, nomen suum A-enarum Vrbi impertiuisse, quod abundantia dulcedo fructus arboris multum simile ha-eat fluidæ eloquentiæ & suauitati artium atque ientiarum. Athenienses primi perhibentur uentores lanificii, quique cæteros Græcos do-erint rationem serendi tritici & colendæ vitis, m prisci agriculturæ faciendæque sementis scii, arborum fructibus ante victitassent. Ce-opem Athenienssium Regem primum fuisse rhibent, legitimi matrimonii inter marem & eminam auctorem: hinc ei duas facies attri-iit antiquitas.

Erant apud Athenienses in Templo Miner-e virgines velatæ, illique Deæ consecratæ, quæ stodiebant perpetuum ignem, iuxta statuam ineruæ, quam cælitus delapsam aiebant. Ha-bat autem statua illa formam proceræ & ele-ntis mulieris, vestitaq; erat pallalõga vsque ad os, capite ferebat galeam cristatam, super quã t monstrosa Sphynx, & Gryphi sculpti ab v-que parte cassidis. Pectus munitum erat lori-dextra præferebat lanceam, in clypeo viseba-Gorgoneum Meduse caput. Ad pedes eius ebat Draco, & noctua assidebat super clype-, quod ea auis peculiariter dicata est Palladi. nc Demosthenes iturus in exilium, excla-uit, mirari se, quod Minerua tribus turpissi-s bestiis delectaretur; Dracone, Noctua, Po-lo.

Tribuerunt inuentionem olei Athenienssibus eres, quod in tota Græcia nullibi plura es-t oliueta quam in agro Attico. Quod au-n Athenienses rei bellicæ periti fuerint, ne-negabit, qui nouerit, quot & quam ndia bella terra marique gesserint ac confe-int.

Culta autem præcipue fuit Ceres ab Athe-nsibus & Eleusiniis, cuius festum dicebatur *esmophoria*. Hoc cum solenniter esset cele-ndum, ait Plutarchus mulieres ab omni ci-abstinuisse, ad imitationem sacrificorum Æ-tiorum, apparetque ex Ouidio, eos per no-n dies ab omni virorum consortio abstinuis-Testatur Aelianus, mulieres per eos dies fe-s Hagnen herbam lectis suis imposuisse, n solum quod arceret serpentes, sed etiam ex-guerer desiderium rei Venereæ, vt castiores acra Cereris accederent.

Alia autem erant Thesmophoria à Myste-Eleusiniis: hæc enim sub pœna capitis pro-re nulli licebat, cui rei, cum Alcibiades ntium non præstitisset, iussus est ire in e-um, qui si tunc Athenis fuisset, dedisset gra-imas garrulitatis pœnas. Iam absens da-atus est communi omnium Sacerdotum icio, quæ res eum commouit, vt Athenien-s bellum inferret. Sicut autem Sacra hæc excellentiam Mysteria dicta fuere, ita Sa-dotes Mystæ sunt appellati. Erant autem My-ia duplicia: parua & magna. Hæc multis or-nata erant Priuilegiis, eratque constitutum legibus Eumolpi, ne quis reciperetur extra-neus, adeo, vt nec Hercules quidem, cum sacris istis initiari cuperet, recipi potuerit, nisi prius factus ciuis Atticus, adoptatus à quodam A-thenienssi, nomine Pylio. Erant autem Sacri-ficia illa plena rerum execrandarum, vt Dia-bolus, qui facile videret, ea abolitum iri, si in vulgus efferrentur, omni studio conatus fuerit ea tegere, vnde variis ac horrendis vi-sionibus prohibuit sacerdotibus ne ea litteris describerent. Quin ipse Pausanias, etsi mysteria illa toti mundo propalaret, non tamen nega-uit, à Cerere sibi id interdictum fuisse. Vt au-tem propius spectemus Græcas nugas, iuuat audire Clementem Alexandrinum in Oratio-ne ad Gentes hæc percensẽtem vbi ait Bauben, Triptolemum & Eumolpum habitasse Eleusi-dem. Et Triptolemum quidem aratorem fu-isse, Eumolpum vero pastorem, à quo descen-derunt Eumolpidæ, qnibus incumbebat an-nunciare festum cereris. Cumque Baube ho-spitio excepisset Deam: obtulit ei ad bi-bendum quandam potionem, tosta polenta coctam. At Ceres plena mæstitiæ & fastidii ob amissam filiam noluit bibere. Ibi dedignata a-nus, cum existimaret vilem esse fœminam, quæ oblatum respuerat, sublatis per contemptum vestibus, ostendit Cereri partes pudendas. Pla-cuit Deæ ista vrbanitas, acceptamque ab ea pa-teram inseruit cophino suo: ita omnes illius festi ceremoniæ consistebant in repræsentatio-ne ineptiarum istarum muliebrium, erantque symbolæ ac tesseræ peruigilantium hæc verba: Ieiunaui, bibi potionem, accepi craterem, recõ-didi in cophinum meum. Ferebantur a. à mulie-ribus fiscellæ ac calathi varii generis, alii qui-dem pleni erant floribus, alii spicis triticeis (qui-bus duobus significabantur veris & æstatis tem-pora) præterea ostentabatur, non vt in Priapeiis grandis Muto, sed simulacrum fœminei genita-lis, quo monebant, stultam illam Bauben osten-disse Deæ Verenda sua. Cumque vellent repræ-sentare, quanto studio Ceres perquisiuisset fi-liam Proserpinam à Dite raptam, incendebant ingentem uumerum cereorum & funalium, im-ponentes currui in fiscellis res varias, colum cum fusis & lana parata ad nendum, paruas pla-centas, pugillum salis, figuram Draconis Baccho dedicati, poma granata, hederas, & papauera. Celebrabantur autem Maiora Mysteria mense Iunio, Minora vero Nouembri.

Opuntii plurimum venerabantur Hercu-lem, in cuius honorem agitabant singulis annis festum, in quo illi immolabant hircum, arietem & sex tauros. Habebant iidem & aliud genus sacrificii non cruenti, de quo Plutarchus men-tionem facit, vbi quærit, quisnam ille sit, quem Opuntii Crithologum appellauerint? respon-detque, esse eum, qui colligat hordeum: hoc e-nim frumẽti genere antiquissimos Græcorũ vsos fuisse suis peruetustis sacrificiis, singulis ciuibus

primitias spicarum hordei offerentibus, vnde sacerdoti, qui illas acciperet atque colligeret, nomen fuisse Crithologo. Erant autem apud Opuntios sacrifici in duplici differentia: quidam enim sacrificabant Diis: quidam Dæmonibus & Geniis. Obseruandum autem, priscos Græcos, adeoque multos Romanorum in sacris suis detestatos fuisse effusionem sanguinis, quæ eadem mens fuit Opuntiis, contentis offerre Diis suis placentas simplices ordeaceas modico sale perspersas. Megarenses Tereo sacrificantes, loco panum ordeaceorum offerebant exiguos lapillos, quasi Heros iste tam insipidus esset, vt inter panes & lapides discernere non posset. Sacerdotes autem cereris Eleusiniæ, quæ seruiebant in Propylæo negabant fas esse alias offerre Deæ placentas, quam quæ ex ordeo in earum agro nato confectæ fuissent.

Iuxta Calydonem Vrbem visebatur Templum Apollinis, in ipsa vero vrbe Fanum Dianæ, cui ad hunc modum sacrificia peragebãtur. Circum Aram, in qua sacrificia comburenda erant, plurimum coaceruabatur lignorũ viridiũ: in ipsa vero ara reposita erant ligna sicca & ad concipiendum celeriter ignem apta. Appetente festo parabantur gradus è terra & cespite, quib. ad ipsam aram adscendi posset. Die autem solemni sacrificio destinato, populus longo ordine & splendida Pompa ad templum ibat: extremũ agmen sequebatur Sacerdos, quam oportebat Virginem esse, insidens currum à duobus ceruis tracto. Alterò die peragebatur festum Venatricis Dianæ, impositis in aram variis auium generib. quæ in cibum venire solent, nec non omnis generis victimis, apris, capreis, ceruis, capreolisque. His iungebant nonnulli lupos, vrsorum catulos, vel etiam bestias maiores & ferociores, additis fructibus arborum pomiferarum. Hinc subiecto igne omnia simul cremabantur: quod si quæ bestia ruptis vinculis effugisset, eam reduci oportebat, alioquin non putabantur se rite defunctos sacrificio.

Apud Naupactum colebatur Neptunus cum Diana & Venere, non in Templis Delubrisque, sed in Cryptis siue cauernis subterraneis.

Orchomenii qui pars erant Phocensium, gloria militari celebres erant, vt etiam Thebanos aliquandiu tributarios habuerint, donec hos Hercules è seruitute exemit. Erat autem apud eos Ædes Gratiarum.

Nulla res magis Lebadios claros fecit quam superstitio: quanquam eundem prope omnes Græci errauerint errorem, putantes, nulla re se expeditius immortalitatem nominis adipisci posse, quam inuentione nouarum ceremoniarũ.

Inprimis memorabile fuit Antrum Trophonii, in quod nemo poterat descendere, nisi prius aliquãdiu fuisset in Æde Genii & Bonæ Fortunæ, quę erat in Vestibulo Trophonii. Donec a. ibi versabatur, oportebat illũ caste atque sobrie viuere, & corpus subinde abluere, vt & tunc, cũ sacrificium offerebat ipsi Trophonio, eiusq; liberis, nec nõ Ioui regi, Apollini, Saturno & C
reri Europææ, quæ dicebatur ipsum nutriui
Trophonium. Necesse a. erat, vt sacerdos pre
esset sacrificanti, vtq; diligenter inspiceret ex
victimarum, exq; iis coniecturam faceret, pr
pitiumne habiturus is esset Trophonium, c
consulturus erat oraculum. Eav. nocte qua q
ingressurus erat cauernam subterraneam, op
tebat eum immolare arietem supra specum,
vocato subinde nomine Agamedis: quod si e
ta arietis respondissent extis priorum sacrifi
orum, aut etiam lætiora fuissent, magna spe
tera peragebantur. Deducebatur autem desc
surus prius ad Hercynnam fluuium, vbi eũ
cerdotes inungebant oleo, postea abluebatu
duobus pueris tredecim annorum aqua fluui
qui pueri filii erant cuiusdam ciuis Lebadien
vocabanturque Mercurii. Neque tamen pto
de statim ad Oraculum deducebatur, sed ad fo
tem illius fluuii, vbi iubebatur bibere aquã C
liuionis (ita. n. appellabant) vt omnium præt
tarum curarum obliuisceretur. Deinde ge
bat de altera aqua, quæ dicebatur Aqua men
riæ, vt firmiter retinere posset, quæ vidisset
audiuisset in Antro Oraculi. Erat ibi statua, qu
nefas erat conspici præterquam ab eo, qui it
nitiatus in specum descenderat: coram hoc l
lo suas fundebat preces, deinde consulebat
raculum vestitus stola linea, cinctusque tæn
crepidas in pedibus habens, quas ibi induere
sciplina exigebat. Præferebat a. manu placen
mellitas, commoratusque paululum, sentie
se velut ab impetuoso flumine abripi, qui e
ad interiora ducebat, & cooperiebat. Hinc
sus eiiciebatur per eundem aditum, per qu
ingressus fuerat, pedibus primo loco exeu
tibus. Aderant sacerdotes, eumque conti
exceptum in sella collocabant, quam appe
bant Memoriæ, haud longe ab ingressu a
percontabanturque ex eo, quidnam in adyti
lis vidisset & audiuisset. Hoc facto, commen
bant eum iis, quorum iussu & impensis hæc
mnia fiebant, vt ipsius curam gererent, do
sibi ipsi restitueretur. Hi deducebant eum in
spitium Genii & Bonæ Fortunæ, stupentem
huc & attonitum, vt nec se nec eos nosset, à
bus ducebatur.

Vltimus actus erat, vt qui ingressus
rat antrum, relinqueret ibi tabulam, in qua
scripta erant omnia, quæ vidisset vel audiui
vt inseruiret vsibus posterorum.

Cherronenses ante omnes Deos Gentil
venerabantur Sceptrum Regium, dicentes
canum istud fabricasse, vt eo Iuppiter vt
tur. Hunc vero id Mercurio dedisse, qui ru
id Pelopi donauerit. Ab hoc illud ad Atre
peruenisse, ab Atreo ad Thyesten, ab
postremo ad Agamemnonem. Nullum tan
huic ædificabant Templum: solummodo Sa
dos ridiculum illum Deum domi suæ serua
offerens ei singulis diebus aliquid sacrificii,
ta carnes vel alia edulia, quasi ipsum conui
exciperet. Apud Chæroneam vrbem, quæ c

natalibus Plutarchi, scriptoris sine pari, solent è variis odoribus & permixtione florum, arum, liliorum, Ireos, hyacinthi vnguentum æparare, cui non solum tribuebant vim sendi dolores iuncturarum, sed etiam, quod sta is ligneas conseruaret à carie & teredinibus. lem Chæronenses solebant sacrificare Leutheæ siue Auroræ vel Matutinę Deæ, stãte My. ante portam Templi cum scutica in manu & clamante, ne quis seruus vel serua, Ætolus vel tola, auderet ingredi locum sanctum, donec ractum esset sacrificium.

Plateenses potiti victoria à Persis, in perpem memoriam instituerunt festum Liberatio-, constituta in loco prælii Iouis Eleutherii sta-, ad quam tota Græcia quotannis cõfluebat, ercebanturq; homines in cursu armati, ad reendam memoriam conseruatoris sui: victori abebatur honor, vt coronatus certis insuper ceretur præmiis.

Apud Oropenses præ cæteris erat in venerane Amphiaraus Thebanus, quem terra viuũ glutiuerat, cumq; Oropenses huic templum ificassent, cæteri Græci omnes diuinis affecent eum vatem honoribus, cui & Ludi solens & certamina instituta, & ab ipsius nomine ominata sunt.

Megarenses præter Idolum Iouis, quod coant, extruxerant Nocti Templum, quam coant vt Deam. Honorabant iidem Iouem Pululentum, cuius delubrum tecto carebat, sic-Romæ id quod Deo Termino dedicatum rat.

m vt de Peloponneso dicamus, satis notum Corinthios in armis potẽtes validosq; fuisse, nmisq; virib. suam defendisse libertatem. Coatur apud hos inprimis Venus, & Simulacrũ lis in vicino nemore. Sed & Cyclopibus haant Corinthii diuinos honores, extruxerãte iis Templum cum Ara, in qua offerebant rificia. Erat apud eosdem sacer quidam locus terraneus, Palæmoni dicatus, qui ibi occusse se dicebatur. Hic præstabantur iuramenta rebus dubiis, & quicunq; hic peierasset, perii pœnam nequaquam effugiebat, vt Pausasait, siue Corinthius is fuisset, siue peregris. Sed vt ad Venerem reuertamur, permissum t in templo eius scortari omnibus sine metu, rei constitutæ ibi erant circiter mille merees, quæ nulli vsum sui negabant, cuicunque libuisset Etsi autem Corinthii militari gloria s essent celebres, adeo tamen deliciis dediti runt, vt conspecta eorum mollitie Lacedæ. nii legem tulerint, ne quis Spartanus exteris nis consuesceret, quod nossent, Corinthios nuersatione cum peregrinis ita emollitos ruptosque fuisse moribus.

pud Trœzenios nemus erat, inque eo Tem. m Hippolyto sacrum, cui in eo sacra fiebant. clex erat, vt puellæ nubiles, antequam in ma. m sponsi conuenirent, deponerent capillos, q; Hippolyto sacrarent: idem Lucianus de aescentibus refert, quos primam lanuginem malarum desectam in ea æde deponere moris fuisse affirmat.

Lacedæmonios viros fortes strenuosq; fuisse, & gloria militari ante pleroſq; alios, ostẽdit Imperium, quod in cæteros Græcos prope oês tempore satis longo obtinuerunt. Fugiebant. n. magno studio quidquid ad effæminandos animos eorum facere poterat, vt ostendemus Vberius, cũm de ratione administrandæ reipubl. dicturi sumus. Erat apud eos festum Gymnopædiorum, solenne præ cæteris, in quo iuuenes nudi choreas exercebant in honorem Apollinis. Colebãt iidem & Parcas quibus dedicauerant templum loco vrbis spectatissimo. Ephebeum locus erat Spartæ, vbi adolescentes intenti essent huic sacrificio, committebant inter se apros, quos mãsuefactos adduxerant, cumque ipsi quoq; inter se ludicram pugnam exercerent, sæpe fiebat, vt ille, cuius aper cæteros vicisset, ipse quoque in pugna sociis superior euaderet. Erat autem Gymnasium illud vndique cinctum aquis, instar Insulæ, adibaturque duobus pontibus, in vno erectum erat simulacrum Herculis, in altero statua Lycurgi. Veniebant autem eo in certa agmina diuisi adolescentes, alii quidem ad inferendã pugnam, alii ad sustinendam: pugnabantq; manibus ac pedibus se mutuo percutientes, nec oculis nec faciei parcentes, vsque ad sanguinem, quandoque vnguibus etiam ac dentibus in aduersarios sæuientes.

Erat in vrbe Sparta statua Martis, cuius crura catenis ferreis alligata erant, ne bellicosus iste fugere ab vrbe aut ad hostes transire posset. Litteras non multum amabant: & quamuis haberent Templum Musarum, in eum tamen inseruiebat vsum, vt ibi addisceretur Musica, cum solerent ad tibiæ cantum in aciem prodire. Matrimonia ineundi præcipua illis cura erat, vt tollerent liberos, & de futuris ciuibus prospicerent patriæ. quæ ratio erat, vt præcipuos vxoribus suis deferrent honores.

Sed & virgines filiasque suas solebant exercere in cursu, gladiatoria, lucta, disco, missilibus aliisque armis, vt exuta velut sexus imbecillitate & mollitie, robustiores euaderent, & facilius vincerent partus labores. Exercebantur autem saltando luctandoque, prorsus nudæ, vt adolescentes, inspectantibus viris ac iuuenibus, neque tamen quicquam ibi lasciui animaduertebatur. Hinc scilicet orta est illa Lacænarum magnitudo animi, promptitudo & alacritas, & in sustinendis laboribus patientia, qua omnes Græcas mulieres longe vicerunt.

Filiæ viripotentes rapiebantur ab iis, quibus nuptuæ erant, ducebaturque noua nupta in cubiculum sponsi, vbi desecabantur ei crines, post veniens sponsus, soluebat ei Zonam virginalem, totamque noctem solus cum sola in eodem exigebat cubiculo.

Senibus ad procreandos liberos ineptis licitum erat, vxores quas habebant, bonæ spei aut

frugi iuuenibus ſubſternere, vt inde virtuoſam prolem tollerent, & quamuis mulier ex altero v. terum ferret, liberi tamen eius putabantur, cuius ipſa vxor erat: nec res hæc vlli omnino dedecori erat aut ignominiæ. Ridebant enim aliarum gentium morem, apud quas conſuetudo erat, iumentorum canumque fœmellas, quam præſtantiſſimis ſupponere maribus, vt generoſa ſurgeret proles, idque quandoque argento & ære acquiſitis, & tamen vxores ſuas in arcta aſſeruarent cuſtodia. Nouos partus mulieres non abluebant aqua, ſed vino, quod aqua neruos molliores reddere iudicabatur. Infantes linteis non inuoluebant, neque cunis imponebant, ſed tenebris & ſolitudini aſſuefaciebant: hinc multi exteri liberis ſuis Spartanas adhibuere nutrices, quod optimam noſſent educandi infantes rationem.

Erat autem omnis Lacedæmoniorum populus in tres diſtributus ordines, vtebaturq; quiſq; ordo ſua peculiari in publicis conuentibus cantilena. Senes .n. cantabant: Nos fuimus robuſti validique. At viri & iuuenes ætate perfecta dicebant: At nos ſumus tales, qui dubitat, experimẽtum capiat. Ibi puerorum agmen ſuccinebat. Et nos tales futuri ſumus, adeoque vobis ambobus meliores. Narrat Plutarchus, ſuo etiamnum æuo ſolitos Spartanos ad ſonum tibiæ in aciem prodire, quod etiam Germanos hoc ipſo tempore facere videmus. Videtur autem non id vtrisque præſtare vel præſtitiſſe tibiæ cantus, vt animoſiores inde fiant, ſed vt paſſu æquali, ſeruatiſque ordinibus velut ad harmoniam ingrediantur. Amabant Spartæ ſupra modum ſermonis conciſam breuitatem, vt brachylogia omnis inde nomen inuenerit, cum dicimus Laconiſmum & Laconice loqui.

Sed nos, qui ſatis in ſuperioribus verboſi fuiſſe videmur, omiſſis priſcis, videamus quo pacto ii viuant, qui noſtro æuo Græciam incolunt.

Mores noſtri Temporis.

42. Opprimuntur Græci noſtra tempeſtate miſerabili ſeruitute, paucis exceptis, qui ſub dominio Venetorum viuunt. Turcæ enim vniuerſã propemodum obtinent Græciam, tam quæ in continenti eſt quam Inſulis præcipuis. Quæ enim Veneti poſſident, fere Inſulæ ſunt. Corcyra, Zacynthus, Cephalenia, Creta & quædam aliæ parui momenti. Hi tamen omnes, quotquot Venetis parent, multo tolerabilius viuunt, ob religionem Chriſtianam, vt Bellonius ait, quam quibus Turcæ imperitant, qui idem quoque obſeruauit, vtroſque fere imitari mores & viuendi conſuetudinem Dominorum ſuorum, illos quidem Venetorum, hos vero Turcarum. Fatendum tamen eſt, apud vtroſque ita dominari barbariem, vt in nulla Vrbe Græca vlla inueniatur Academia, perdiſcendis bonis litteris, adeo Græci flocci faciunt inſtitutionem liberorum ſuorum.

Vtuntur autem in vniuerſum omnes vna eademque lingua, quæ corrupta Græca eſt, qu quam alii aliis loquantur terſius & concinn Accedunt tamen verba eorum multo magi veterem Græcam, quam vel Italicam vel vl aliam linguam. Qui Vrbes Venetæ Reipubl ſubiectas habitant, plerumque non minus lice loquuntur quam Græce.

Ruſtici vero non aliam quam corrupt Græcanicam ſonant. Idem iudicium eſto de qui ſub Turcæ dominio habitant. Qui enir vi bibus degunt Turcice & Græce loquun qui vero ruri in villis & mapalibus vitam ag Græce tantum. Nomina propria rerum fer tinent, exceptis iis locis, in quibus freque peregrini verſantur, vt crebrius videmus m ri vocabula rerum in oppidis maritimis q mediterraneis. Illi enim frequenti cum Tu & Italis vſu mutauere multarum rerum no na, hi non item, quin & Turcæ multas vc Græcas vſu fecerunt ſuas, cum res, quas in Græcia inueniebant, appellare aliter non ſent.

Qui Nobili genere nati ſunt, aut inter ca ros opulentiores, eadem cum dominis ſuis ſtiuntur ratione ac modo: at humile vulgus, ſub Venetorum quam Turcarum poteſtate c ſtitutum, nihil ex antiquis moribus retinet. pillos hi fere promittunt per humeros, ante res tantum deſecant, ne frontem oculoſqu periant: pileis vtentes duplicibus craſſiſque. pellectilem operoſam & locupletem hic ne habet, vti nec inter Turcas quidem, neque ctis plumeis indormiunt, ſed ſtragulis tom to farctis. Non conſueuerunt aqua miſcere num, merum bibentes, moreque veteri perg cantes: vxores tamen eorum non adſunt vi rum conuiuiis ac perpotationibus. Piſciun ſu magis delectantur, quam vllo alio cibi nere.

Macedones hodierni, inprimis qui Alb am incolunt (quam Macedoniæ partem f mus) feroces ſunt & immites veluti Scythæ: gnatores robuſti, inprimis in ſtatario & pede pugnæ genere. nullum ſub ſole genus adeo pinæ deditum putatur quam hoc. Sed & pe liari lingua loquuntur Albanenſes, Turcis G ciſque pariter ignota.

Epirus pars hodie eſt Albaniæ. Egrediun autem Epirotæ tenuiores per ætatem popul ter è patria ſua, ob ſterile ſolum, con runtque ſe vel in Thraciam vel Anatoliam, conducti à Turcis, frumentum metunt, turant, mundantque. Exacto auctumno mum repetunt, vt per hyemem & ver c vxoribus liberiſque viuant. Et hi aliam qu Græcam loquuntur linguam, quanquam hanc calleant. Ex his oris prodiere primi Ayc nes, Vſcochi, Morlachii Remiges fere ac nau ferum hominum genus, agile & indomitu natum ad tolerandos labores, miræ celerita quibus ludus eſt Vagari perpetuo ſaltu p Boſniæ & Dalmatiæ montana: nec min induſtrii in re nautica, piraticam leml

ſi

in Adriatico mari facientes, & omnes alios
tium loco habentes.

Antiqua ratio reipublicæ Athenienſis.

im ea, quæ de opibus, robore bellico, & mo-
ubernationis Græciæ dicturi ſumus, in a-
coniecerimus locum, vbi generatim de iis
ibus ſub finem Imperii Turcici diſſeremus:
ne dubio non deſint, qui gnari, quam ſa-
ter conſtituta fuerit Reſpublica Athenien-
, deſideraturi ſint illius rei habere noti-
, vt & Lacedæmoniorum; ſtatui vtriuſque
li rempublicam ita delineare, vt curioſus
ornihil habiturus ſit, quod in hoc genere
odum deſiderare queat. Neceſſe eſt autem
enarum vrbem per viros ſummæ ſapientiæ
udentiæ primitus conſtitutam & admini-
m fuiſſe. Hinc eſt, quod priſci initia eius
atis ad Mineruam referunt, innuere volen-
o ipſa Sapientia & prudentia extructam fuiſ.
t Theſeus quidem eam inſtaurauit poſtea,
n vero tales ciuitati leges præſcripſit, quib.
eri vti dedignati non ſunt, adeo vt ipſi quo-
Romani cum rempublicam ſuam formare
nt, Legatos Athenas miſerint, qui Leges
nis inde peterent: fatentes eo ipſo, Athenien-
m ſe leges cæteris omnibus pluris facere.
pe igitur illius reipublicæ formam.

itur Athenienſes, qui ſe αὐτόχθονας, id eſt
etes, in ipſa terra natos, non ab alia gente
dicebant, diſtinguebantur tribus nomini-
rimi enim ſe vocabant εὐπατρίδας, id eſt
les & Generoſos, quales Romæ erant Pa-
Secundos vocabant γεωμορεῖς, id eſt Agre-
ue Rurales, quod olim maximam agri At-
rtem coluiſſent. Tertios appellabant Δημι-
id eſt opifices & qui Mechanicas artes tra-
nt, vel etiam Δημιοργούς, quanquam De-
gi nomen etiam Publicanum ſignificet. qui
os honore & dignitate vincebant, dice-
r Δημογέροντες, erantque qui Romæ Sená-
, qui ſummum à populo accipiebant ho-
n. Primum Autochthonum ſiue Indige-
omen non fuit datum niſi illis, quorum
tes & maiores communi conſenſu conſta-
ntum Athenis habitaſſe, quique docere
ant, eos non aliunde aduenisſe. Manſit
lis nomen, donec factiones in Republica
ſunt, diſceſſionem faciente populo à Pa-
, quæ diſſenſio durauit vſque ad tempora
nis qui conſtituit Magiſtratus, auctorque
thenienſibus τὴν ὀλιγαρχίας, id eſt Domi-
nis paucorum. Nomina eorum erant,
ῆοι, Διάκριοι, Πεδιῆοι, ἑκτημόριοι. Primi,
eteros vincebant opibus, fauebant inpri-
ligarchiæ, ſecundi imperio populari; ini-
rentes, potentiores primum in republica
n obtinere. Paralii modo his modo illis fa-
t, adhærentes illis, à quibus plus emolu-
ſperabant, eoque pacto ipſi cum ſuam
liorum impedientes libertatem. At inte-
mnes calamitates incumbebant in miſeros
emorios, qui erant homines è viliſſima
, cogebanturque ſingulis annis ſextam
m bonorum ſuorum dare potentioribus:
vnde fiebat, vt ea pars plebis oppreſſa ab iis qui
maiores opes habebant, tantũ non in ſeruorum
haberetur numero. Vt autẽ melius intelligatur,
quo ingenio & induſtria magiſtratus Athenien-
ſiũ ſtuduerint populũ in officio continere, nõ e-
rit alienũ à noſtro inſtituto, ea adſcribere, quę de
eo Polybius refert Hiſtoriarũ ſuarum libro VI.

Sic igitur ait Polybius. Semper populus Athe-
nienſium nauib. domino carentibus eſt ſimilis:
in quibus quoties aut propter metum hoſtium, ,,
aut ob ſæuientis tempeſtatis periculũ, vectorib. ,,
voluntas inceſſit vnum conſentiendi & Guber- ,,
natori parendi, ſuo quiſque officio eximi è fun- ,,
guntur oẽs: vbi v. resũtis animis rectores aſper- ,,
nari cœperint, & aliis alia autumantib. ſentẽtiis ,,
inter ſe diſſidere: tum enim uero, cum pars naui- ,,
gationem cupiat perſequi, pars inſtet acriter Gu ,,
bernatori, vt naues aliquo eiiciat, aliis rudentes ,,
explicantib. aliis manu ẽt iniũcta contrahere iu- ,,
bentibus: dum inter ſe rixantur cuncti, & ſediti- ,,
onem mouent; tunc procul ſpectantibus fœdũ ,,
exiſtit ſpectaculum, & ipſis qui in eadem vectan- ,,
tur naui periculoſiſſime eſt hic ſtatus: fitq; adeo ,,
perſæpe, vt qui vaſtiſſima eluctati fuerint maria, ,,
& tempeſtates maxime inſignes, in ipſo portu & ,,
ad terram naufragium faciant. Quod ſane Athe- ,,
nienſium reipub. jam ſæpius euenit. Hæc .n. pe- ,,
ricula interdum ingentia maximeq; terribilia ,,
cum propulſaſſet populi & Principum ciuitatis ,,
virtute: neſcio qua temeritate & præter omnem
rationẽ, rebus tranquillis, cũ nullũ erat periculũ
in fraudem aliquando incidit. Hæc Polybius.

In tanta igitur ſententiarum diuerſitate, vel po-
tius ſeditionum frequentia, cum in ea voluntā-
tum diſcrepantia nihil concors aut pacatum vi-
deretur, neceſſe omnino fuit, vt quæreretur ca-
put aliquod, quod ſenſus exorbitantes & diſcor-
dantes, velut chordas in inſtrumento Muſico
ad harmoniã cogeret atq; gubernaret. Conſen-
tientib. igitur omnib. inprimis plebe, Solon ad
capeſſendam remp. vocatus eſt, quod perſpecta
eſſet viri integritas, & quod nunquã conſenſiſſet
optimatib. in fraudẽ populi. Et quãquãrecuſaret
illã dignitatẽ, potior tamẽ poſtremo apud ipſum
fuit reſp. quæ omnino remediis indigere à pru-
dẽtia & cõſilio petitis videbatur. Prima eius ſẽ-
tentia fuit, erigendos eſſe eos, qui opulentiorũ
potentia oppreſſi fuerant. Lata igitur lege nullas
pronunciauit oẽs actiones præteritas, quib. pau-
peres adeo diuitibus obligabantur, vt ẽt corpo-
ra in ſeruitutem darent, vetuitq;, ne quis debiti
nomine in vllius ciuis corpus aut libertatẽ quic-
q̃ iuris haberet. Ii, quibuſcũ Solon leges illas cõ-
municauerat, antequã eas promulgaret, dicti fu-
erunt Chreocopides, q̃ eſt ac ſi dicas, decerpto-
res alieni æris: q̃ quidẽ fiebat in gratiã tenuio-
rum. Alii aiunt hanc Solonem iniuiſſe ratio-
nem, vt pauperes ſe poſſent liberare ære alieno,
quod vehementer auxerit precium pecuniæ, vt
moneta, quæ antea LXX. drachmas valuerat,
poſtea valuerit C. minas. Sed neutra harum re-
rum videtur tolerabilis, niſi vna cum altera co-
iungatur. Amputatio enim debitorum quã gra-
ta fuit pauperibus, tam moleſta grauiſq; fuit cre

ditoribus, vt hac ratione flamma seditionũ extingui non videatur potuisse, sed potius sufflari. Incrementum precii minarũ non fuit sufficiens remedium pauperib. ad soluendum, vt ita videri possit Solon vtrumq; eodẽ tempore cõstituisse, vt auctione illa precii monetæ diuites videãtur accepisse, quod à pauperib. adipisci non poterãt. cum a. plurimum faciat ad roborandam legem ipsius Legislatoris exemplũ, remisit debitorib. suis ipse de suo sex Talẽta auri, quod nostra moneta constituit XLV. millia coronatorũ. Cum in ea lege perferenda totus esset Solon, nõ placuit: quod diuites se nimis ea lædi dicerent, & pauperes expectarent consensum Atticæ: verum posterioribus annis, cum videretur pax inter ciues illa lege constituta, adeo placuit omnib. vt inter res sanctiores adscripta fuerit. Allata ciuitati hac Medicina Solon paulatim operam dedit, ne respublica denuo in illum morbum laberetur. Sustulit igitur immanẽ illam differẽtiam, voluitq;, vt vnusquisq;, cui modicus census esset, admitteretur ad honores in republica, ita tamen, ne Nobiliores, qui cum magistratu erant, eo se nolẽtes abdicare cogerentur. Hac via coniunxit sublimiores cum iis qui humilioris conditionis erãt, idque eo magis, quod antea plebeiis ad officia & munera publica accessus non fuisset. Idem Solõ ciuium census quatuor excogitauit, ita vt qui ex siccis humidisq; modios explerent quingentos, in prima classe collocarit: qui quadringentos, in secunda: qui trecentos in tertia: reliquos inde omnes in quarta: Hos Græcis nominib. ita appellauit. primos πεντακοσιομεδίμνους, secũdos ἱππεῖς, tertios ζευγίτας, quartos θήτας. Ex his omnibus iis tantum, qui opibus abundarent, Magistratus credi voluit. Et Pentacosiomedimni quidẽ primi nominis erant in ciuitate post Senatores, vocabanturque primi, cum pro salute reipublicæ ferendæ essent sententiæ. Hos sequebantur Hippeis, id est Equites, quod iis liceret equum alere, horum tantas oportebat esse opes, vt durante bello possent equiti per integrum annum numerare stipendia. Horũ Aristoteles mẽtionem facit vbi de tabulis institutisq; Solonis loquitur. ζευγίται vocabant, qui possent C. & quinquaginta Medimnos colligere. Aurifices, Tinctores & eiusdẽ artificii homines vocabantur Thetæ: & hi quidem nihil conferebant ad vsus reipub. præter coronatum vnum, quem appellabant Theticũ: neq; admittebantur ad vllũ magistratum aut officium in republica, donec in ea census exiguitate essent. His ad hunc modum cõstitutis, sanauit Solon rempub. quæ antea in miserando statu fuerat, easq; leges tam à Nobilibus quam populo approbatas immortalitati consecrauit.

Iam postquam vidimus, quo pacto populo pax restituta fuerit, consequens est, vt & primã originẽ tribuũ Atticarum videamus. Consueuerunt autem omnes nationes & populi, vt T. Liuius ait, originem suam vel ad illustres viros referre, vel etiam ad eos, quos stolida credulitas antiquorũ pro Diis habuit, vnde videmus plures iactare de Diis gentis vel originis suæ con
torib. Ioue, Marte, Mercurio, Vulcano, Palla
& aliis. Athenienses non contenti vno nobili
tis genere, quod de Pallade gloriarentur, imp
fuerunt etiam diuersis populi partibus, i.e. T
bubus, nomina Epinomorum vel Heroum, V
.n. vocabant cecropidem, à cecrope Maiore; a
Autochthonen, id est indigenã: tertiã Actæa
quartam Paraliam. At Cranaus numerum qui
seruauit, nomina a. mutauit. Primam .n. à se C
naidem dixit, alteram à filia sua Atthidem: ter
Mesogæam, à campestrib. Atticæ incolis: quar
Diacridem à montanis appellauit. At Mater
riahthonii, vt occuleret adulterium suum, fin
se filium suum ex Ioue concepisse: maternæq
fraudi succinens filius, fingens se gratiam re
dere patri cæterisq; cælitibus, mutatis Tribuu
nominibus, primam à Ioue Diadem, alteran
Minerua Athenaidem, tertiam à Neptuno Po
doniadem, quartam à Vulcano Hephæstiade
dixit: cumque has iterum in tres partes diuisi
singulas, factum est, vt inde XII. emergerent.
duodecim partes durauerunt vsque ad tempo
Alcmæonis, circiter DCLX. annis, qui monit
oraculo eas in decem tribus redegit, in hono
decem principum qui ante eum regnauerat
fuerũtq; hi: Cecrops, Erechtheus, Aegeus, P
dion, Acamas, Leon, Oeneus, Hippocoon, A
tiochus & Aiax vnde & nomina tribuum de
uata sunt. Cum a. explendus esset numerus du
denarius, accesserunt adhuc tribus duę, Antig
nia & Demetria. At hæ rursus singulæ, cũ in te
nas subdiuisæ fuissent, emersit inde numer
XXXVI. cuius quidem diuisionis quæ fuerit
tilitas, in sequentibus videbimus. Nunc Mag
stratus videamus.

Igitur Magistratus Athenienſium legebant
tribus modis: vel sorte, vel calculis suffragiisq
populi, vel denique prærogatiua dignitatis. P
mus locus inter Magistratus fuit Senatui qui
gentum virũ, qui quidem omnes sorte legeba
tur. Ibat autem populus in suffragia, cum Pol
marchi, Hipparchi & eiusmodi magistratus
gendi essent. Quibus splendor generis & diu
tiarum dignitatem conciliabat, vocabanturch
ragi, præerantque ludis & sacrificiis public
in quibus exhibendis magna vtebantur pr
fusione & magnificentia. Constabat ergo ciui
Attica velut ex tribus vinculis. Iudices enim d
fendebant ciuitatem ab iniuriis tam ipsorum
uium quam exterorum: milites conseruabant
augebant dominium reipublicæ: & tertii cur
bant ea quæ ad religionem pertinebant. De h
igitur singulis iam deinceps agemus, facto init
ab Areopagitis.

Fuit autem Senatus Areopagi iustitiæ & seu
ritatis nomine clarissimus inter omnia iudici
quorũ vnquã Historici meminerunt: cũq; sum
mus huius ordinis honor esset, consequens fui
senatorũ numerũ nõ esse exiguũ, quanquã is ce
tus definituſq; nõ fuerit, quę tamen incertitud
à Themistocletis profecta est, de quib. inferius d
cemus. Hi. n. cum annuo Magistratu gesto rati
ner

ẽ vitæ ſuæ Logiſtis reddidiſſent, recipiebãtur a-
quãdo inter Areopagitas. qui ad Logiſtas ibãt
ddituri rationem, profitebantur nomẽ ſuum,
nod per ſeruum publicum his verbis profere-
atur: qui vult hunc virum deceſſurum prope-
iem Magiſtratu, alicuius criminis accuſare, ei
berum eſto. Omnes enim qui accuſare vole-
ant, dummodo probare poſſent, admittebant.
ir. Hæc autem Logiſtarum ſeueritas efficiebat,
pauciſſimi eſſent innocentes & digni, qui in
reopagitarum numerum admitterentur: nam
ui fraudis vel auaritiæ nomine accuſatus fue-
t, nequaquam admitti poterat. Ne qua autem
aus interueniret aut conniuentia, cogebatur
us reſpondere coram populo & ſenatu. Hinc
ctum eſt, vt Theſmothetæ nullum certum cõ-
tuere numerum poſſent. Fuit autem hoc in-
ntum Solonis, adiuncta ſeueritate Ephetа-
m, qui erant numero quinquaginta & vnus
te Solonem, & iudicabant de cauſis capitali-
s, quæ iudicia penes reges fuerant ante inſti-
tum hunc ordinem. Videmus igitur Solonem
nſtituiſſe in Republica Athenienſi Senatum
ximæ auctoritatis, cum penes eum eſſent nõ
um iudicia de criminibus, ſed & omnibus
is rebus quæ erant maioris momenti. Fuerunt
tem Areopagitæ per totam vitam in eo Sena-
; & quanquam publice punirent omnes faci-
roſos, proprie tamen ad iudicium eorum
rtinebant veneficia, cædes, vulnerationes, in-
ndia, proditiones contra patriam, & id genus
ormia flagitia. Iudicabant autẽ ad hũc modũ.
Qui accuſatus fuerat coram Areopagitis, poſt
mam quæſtionem, iudices auditis coniectu-
, teſtimoniis & probationibus, ſubito fere
nt ſententiam, nulla interpoſita mora aut di-
ione. Non licebat Areopagitis moueri vel ad
m vel miſericordiam. Erant autem in eo pa-
Ephetis, quod ſolebant irrogare pænam pro
gnitudine criminis. Oratoribus adempta
t omnis conciliandorum & commouendo-
n affectuum per Præconem facultas. Reo in
cerem coniecto (inprimis ob crimen homi-
ij) citabantur amici & conſanguinei interfe-
quibus recitantibus de facto, imponebatur
æna, ferebaturque ſententia pro atrocitate
i. Cæterum, vt narrat Pollux, ter tantum in
nſe legitimis diebus, quarto, tertio & ſecun-
abeuntis iudicare ſolebant, nec niſi in litibus
ximi momenti. Exercebant autem iudicia
ctu, & ſummo cum ſilentio, ne litigatorum
portunis obtunderentur clamoribus, aut in-
umperetur auſcultandi diligentia. Celabant
per omnia ſumma taciturnitate, & ſcribe-
t ſententias, vt poſteris quoque in iudican-
documento eſſent.

Narrat Valerius Maximus, Areopagitarum
atum, ſolitum fuiſſe magna cura in ciuium
enienſium facta inquirere, vnde quiſque vi-
et: itemque operam dediſſe, vti omnes ſtu-
ent honeſtati, vtque rationem vitæ ſuæ red-
e poſſent. Melioribus ciuibus coronas de-
nebant ob virtutem, gnari, honores magnũ
ad Virtutes amplectendas habere calcar ſolere.

Sed ad Nomotheтas ſiue Legislatores ve-
niendum eſt, quos tres præcipue apud Athe-
nienſes fuiſſe Suidas refert. Draconem, Solo-
nem & Aeſchylum, non Tragicum illum, ſed
alium, ciuem Athenienſem. Solebant etiam
Athenienſes ſub Nomothetarum nomine in-
telligere Milleuiros, quibus incumbebat offi-
cium oſeruandi leges, inſpiciendi, mutandi &
mitigandi, ſi opus eſſet.

Pronunciabant hi apud populum, ſi leges
placuiſſent an ſecus, neq; valere vlla poterat lex
aut tabula propoſita, niſi Nomothetarum ſub-
ſcripta manibus.

Solebant autem etiam iidem intereſſe iudi-
ciis diuerſarum controuerſiarum, inprimis ma-
ioris momenti, quod ſi vel actor vel reus non
ſtetiſſet iudicum ſententiis, Nomothetæ mul-
ctam ei irrogabant trium drachmarum, idque
præſente Archonte. Et hæc quidem eſt Pollucis
ſententia. Budæus tamen id quod de legibus di-
ximus, amplius explicat, cum ait, Narrare De-
moſthenem, quod Solon inter alia conſtituerit,
vt ſi qua Lex proponeretur populo, primum
omnium ea recitaretur per Legislatorem, dein-
de ſcripta affigeretur in loco aliquo ciuitatis il-
luſtriori, vbi maximus populi ſit conuentus, vt ſi
quid minus placuiſſet multitudini, auferri dele-
rique poſſet. Poſtremo vt deferretur ad No-
mothetas, vt eam probarent; quod ſi hi fe-
ciſſent, tunc demum dicebatur Lex perlata eſſe.

Differebant autem Nomothetæ & Nomo-
phylaces, id eſt Cuſtodes Legum, quod fruſtra
quidem Nomothetæ leges approbauiſſent, niſi
eæ obſeruatæ fuiſſent, & ſecundum eas iudica-
tum. Eorum officium fuiſſe ait Cicero in tertio
de Legibus, non ſolum litteras, ſed facta etiam
hominum obſeruaſſe, ad legeſque reuocaſſe.
Fuerunt autem eo honore affecti Nomophyla-
ces, vt ſtrophio albo inſignirentur, & ludis in
ſellis aduerſus Archontes conſiderent. Et quan-
quam Areopagitæ nonnunquam curam con-
ſeruandarum legum in ſe ſuſciperent, nihilo ta-
men eo ipſo deterior erat Nomophylacum con-
ditio, cum ſuperius officium etiam aliarum re-
rum rationem habere poſſit, ſi id neceſſitas
exigat.

Hos ſequebantur Quingentumuiri, quorum
erat cognitio de rebus ciuilibus & quotidianis
hominum actionibus. Erant hi velut Legati &
Vicarij Areopagitarum in multis rebus, da-
bantque operam, ne ſcelerum licentia in Vrbe
creſcere poſſet. Cum autem tanta multitudo in
vnum locum commode cogi non poſſet, aut ro-
gari ſententiæ, diuiſa eſt in decem partes, ſecun-
dum numerum tribuum, habebantque ſinguli
quinquageni certos ſuos dies in quibus iudica-
rent, qui vniuerſum erant XXXV. Hic autem
numerus decies repetitus, conficit annum Lu-
narem Athenienſium conſtantem CCCL. die-
bus; quamuis noſter annus ſiue Solaris conſtet
XV. diebus & VI. horis amplius. Cum autem &
ipſe quinquagenarius numerus videretur eſſe

nimis magnus, elegerunt ex eo X. Præsides, ex quibus septeni legerentur sorte in singulas septimanæ dies, quibus præsidebant singuli expediendis causis, afferebanturque ad eum, qui per istum diem Præsidis officio functus fuerat, sub Vesperam claues Arcis, sed de his inferius.

Prylaues numerabant pecunias consignatas ab iis qui litigabant, iudicibus aliisque, qui vtilia reipublicæ seruitia præstiterant. Putantur autem ita dicti à Prytanæo, in quo ius dicebant, & vbi victus in perpetuum dabatur iis, qui præclare fuerant meriti de Republica. Habebat autem hic Ordo curam Edictorum, Decretorum & Legum, vt eas, si opus esset interpretarentur: absque quo si fuisset, facile potuisset Populus seditionem concitare, quod multitudo sæpe res sibi noxias sciuerit & approbauerit, nisi prudentiorum consilium eas salutares effecisset. His ipsis Prytanibus incumbebat cura belli, pacis, induciarum, Legationum, Edictorum. Decreti porro scribendi ratio fuit, vt oratoris potissimũ, aut senatoris, qui censeret, & Tribus, quæ in Prytaneatu esset, ei nomen affigerent. Vt pro Ctesiphonte: *Archonte Mnesiphilo, Ecatombæonis vltimo, Pandionide Tribu prytaneatum gerente, Demosthenes Pæanienſis censuit.* Cum autem numerus causarum ciuilium in singulos dies crescceret, & Quinquaginta illi non sufficerent ad diiudicandas eas, additi sunt iis XLIV. Arbitri, partim sorte creati partim electione. Hos oportebat sexagesimum superasse annum, & testimoniis pollere vitæ honeste actæ. Versabantur hi frequenter in iis locis, vbi partes litigabant hunc fere in modum. Eligebant sibi Actor & Reus ex eo numero quoscunque volebant, interposita pactione, vti si coram his contestatio litis facta fuisset, ibidem perficeretur: qui secus faceret, pœnam subiret. Qui sorte creati fuerant, non admittebantur ad examinationes causarum, sed vt ad Senatum referrent, qui de ea re iudicaret. Vtebantur autem Græci in ferendis suffragiis non calculis, sed fabis, iisque vel albis vel nigris. Quæsitores parum differebant ab Diætetis, quorum officium secundum Pollucem erat, inquirere in causas, quorum natura non erat euidens, vt veritatem ad Senatum referrent. Quod si quis ex Arbitris electis commisisset aliquid ordine suo indignum, vel grauiter puniebatur, vel cum ignominia à cæterorum consortio profligabatur.

Erant penes eosdem etiam iudicia rerum sacrarum, quod ipsi haberentur Sancti homines: in causis vero debitorum negat eos Pollux vltra valorem decem drachmarum iudicare potuisse.

Iam de Trierarchis dicendum est. Sunt autem Trierarchi qui armamenta triremibus & victum remigibus dabant, ipsi quoque simul Triremium Præfecti. In horum numero variatum sæpe est. nam aliquando duo simul triremem instruxerunt, aliquando tres, aliquando decem vel etiam plures. Erant autem omnino duodecim, qui cum bellum nullum esset, curam gerebant Triremium hinc inde in portu &n ualibus constitutarum: nam & earum numeru explebant, & laceras hianteſque reficiebant. collationibus vero, quas ciues Athenienses naues faciebant, ita de se gloriatur Demosth nes. pro Ctesiphonte. *Ego cum viderem, diui paruis sumtibus factis vacationem habere: qui vero m dicis aut paruis facultatibus præditi essent, bona sua co sumere; propterea que ciuitatem omnes rei gere dæ occasiones amittere: legem tuli, qua di tes in officio continui, pauperes autem iniuria libera Mea enim lege sanctum est, vt pro facultatibus sing pensitarent, & qui ante vnius triremis sextus aut de mus erat contributor, ille duarum trierarchus euase neque enim iam se Trierarchos sed Contributores vo bant.*

Qui nocentes homines aut ante iudicii custodirent, aut post id supplicio ex lege affic rent, Vndecimuiri dicti fuerunt, singuli quide instituti ex singulis Tribubus, & scriba vnde mus cum eis adnumeratus. Horum officii erat, non solum conuincere fures, sed & si qui carcere quoquo modo euasisset, erat eoru muneris hominem conquirere. Polluxaute fures, plagiarios & grassatores ab vndecimui ait abductos, vt, si confiterentur, capite mul rent, sin minus, in fora introducerent, & si da nati essent, vltimo supplicio afficerent. Notat runt quidam, Vndecimuiros istos in Paraby ius dixisse: alij vero locum istum Nomophy cion appellant, per cuius loci portam Cha niam soliti fuerint ad supplicium duci facino si. Nomophylacas autem hos à superioribus distinguit suidas, quod illi Magistratus gerent viuere secundum leges, hi vero p bem.

De decem Præsidibus ita accipe: eos quid oportere collocari vel ante vel iuxta Quinq tumuiros, inter quos & illi electi fuerunt: q autem Decemuirorum horum peculiaria fu runt officia, de illis sigillatim aliquid dicendu est. Legebatur igitur quinquaginta viri ex qu gentis illis è decem Tribubus, & ex iis quinq ginta rursum eligebantur decem, quibus co mitteretur Respublica. Quod si quis ex me qu rat, quo pacto illi eligi possint, quos ipsa vir illustres facit & laudabiles? ei ego respondeb hoc facile fieri potuisse, adhuc fieri videm apud Venetos, qui primo ipsos Electores so creant, qui deinde rursus alios legunt conie in vrnam sortibus. Numerabantur autem ap Athenienses Fabæ, vnde constat, locum fu quidem sortitionibus, sed inter illustres atq virtuosos homines. Rursus ex iis decem so & meritis ad dignitatem euectis, creabatur vr velut Præses, in cuius honoris partem & digi tionem reliqui quoque veniebant. Dabatur a tem opera, ne quis vnus eodem anno bis ad officium eligeretur, quo durante semper hab bat secum claues ad ærarium Populi Athenie sis, & ad locum, vbi custodiebatur sigillum p blicum: & quoties Pryranes conuocabant Sen tum, eligebat hic ex nouem tribubus totide

Pr

ræsides, ex decima enim, quæ tunc Prytaneam gerebat, & ideo nominabatur Prytanensis, ex qua ipse erat, alius non eligebatur. Cum tem audiret dicentes causam dabat operam, quicquam omitteret, quod ad informandum dicem facere posset. Tribuit hoc idem Harcration Epistatis, vt loquitur de sentenIsæi contra Elpagoram. Erant (ait is) henis Epistatæ duo, vnus electus sorte per ytanes, alter per Proëdros, quod quale sit ofium, ostendit Aristoteles. Obseruamus aun ex Hyperide, Epistatam communiter dici uisse vnumquemque, qui causæ vel negocio ui præfectus est: Proëdri vero sunt quasi ncipes Politiæ. Erat autem magna horum ditas, vt apparet ex his Domesthenis verbis. *ma Prytanea, vndecimo die in populo, votis à præcouncupatis, legum* ἐπιχειροτονία *fiat: primum senarum, deinde communium, tum earum, quæ latæ nouem Archontibus, postea aliis Magistratibus: uisitio autem prior sit, cui videantur leges senatoriæ cere; posterior vero, cui non videantur: deinde de munibus eodem modo; disquisitio vero legum fiat ex us quæ extant. Quod si quæ leges receptæ improbatæ Prytanes, quorum in magistratu disquisitio fiet, de obatis vltimam ex tribus habeant concionem. dri vero, qui sorte in ea concione præsederint, necesreferant: primum post Sacra de Nomothetis, quo consident, & vnde Nomothetis stips suppetat. othetæ vero sint ex iis, qui iusiurandum Heliastiiurarint. Quod si Pritanes, prout scriptum est, conm non habuerint, aut Proëdri, prout scriptum est, retulerint, Prytanum quisque mille drachmas Mie dare damnas esto: & iudicatio eorum sit apud nothetas, non aliter, atque cum quis Magistratum cum ærario debet. Thesmothetæ vero iudicatos incunto in forum ex lege, alioquin ne adscendant in ægum, vt qui legum emendationem peruerterint. concionem vero Athenienses, qui legem ferre velit, nat ante Eponymos scriptas leges, quas ferat, vt pro tudine propositarum legum, de tempore decernat us Nomothetis. Qui vero nouam legem fert, dens in album proponat ante Eponymos quotidie, domeio habeatur. Legantur autem ex populis qui leges ri sunt, quæ inter Nomothetas abrogentur, quinriex Athenienses omnibus, die vndecimo* Ecaæonis mensis.

erum hæc de legibus dixisse sufficiat; videam formam iuramenti, quod Heliastæ iusolebant antequam ad iudicandum consint. *Sententiam feram vt iubent leges & decreta Athenienses, & Senatus quingentumuirum. Nerannorum neque paucorum dominatum constinec si quis euertat popularem statum Athenient dicat, aut suffragetur aduersus hæc, patiar. neuas tabulas, neque capite damnatos reducam, neque qui incolumes sunt, expellam contra leges quæ , & decreta populi Athenienses, & Senatus, neque que alium quenquam violare concedam, neque ratum creabo vt imperet, rationibus alterius ratus non relatis, siue sit ex nouem Archontibus, ieromnemon, siue quicunque cum nouem Archonodem die sorte leguntur, & præco, & legatus, & synedri: neque bis eundem magistratum eundem virum, neque duos magistratus eundem gerere sinam eodem anno: neque accipiam munera propter Heliæa iudicatum, aut ego aut alius quisquam mihi, aut alij me conscio, neque fraude neque machinatione vlla. Natus autem sum annos non minus triginta, & audiam accusatorem & defensorem æquo animo, & sententiam feram de quo est actio: adiuro Iouem, Neptunum, Cererem, & ipse mihi exitium imprecor, & familiæ meæ, si quid horum transgrediur. Sin bona fide præstitero, præclara mihi multa eaque bona eueniant.*

In ferendis suffragiis fabis eos vsos fuisse diximus. Sed & Senatus eodem modo lectus fuit, vnde inuenimus apud Thucydidem τὸς λάχοντας τῷ κυάμῳ, id est senatum quingentorum fabæ sorte legentes. Fabas autem in sorte adhibuerunt ita, vt cui alba obtigisset, is honoris beneficium à sorte acciperet: cui nigra, repulsam. Plutarchus vero ἀρχὴν κυαμευτὴν, magistratum sortito lectum dixit. Videtur autem nonnullis, ideo Pythagoras damnauisse quoq; fabas, quod Græci iis in damnandis reis vterentur; vel quod suaderet, eum, qui velit tranquille & beate viuere, abstinere debere à capessenda republica, & ambitione Magistratuum, quos sorte fabarum legi constat.

Ἀποδέκται decem à Christhene sunt inducti. Eorum vero cum sortito legerentur, negocium fuit, vectigalia, collationes, cæteraque quæ publico deberentur, pecunias in Senatu, senatoribus inspectantibus recipere, easque in tabulas publicas referre, ac delectis debitorum nominibus, ærario tabulas tradere. Solebant iidem lites his de rebus contractas iudicare, & si quid controuersiæ existeret, in forum introducere. Vt autem Apodectæ in senatu, sic Antigraphei in populo tabulas conficiebant.

Quæstores erant non vnius generis: Hellenotaniæ, Quæstores Deorum, Practores, ζητηταὶ sive inquisitores, Quæstores Populi, Quæstores Militarium, Quæstores Theoricarum: ij vero qui Magistratus atque Curationes omnes reposcendis rationibus in officio manere coegerunt, dicebantur Logistæ & Εὔθυνοι. Cogebantur autem his Magistratus intra trigesimum diem, antequam ab officio discederent, reddere rationem. De Euthynis Arpocration ait. *Euthyni decem erant, apud quos qui Legatione functi erant, aut Magistratum gesserunt, aut aliquid rerum publicarum attigerant,* εὐθύνας *dabant.* Λογισταὶ *vero decem erant, qui* εὐθύνας *eorum, qui administrassent, subducebant intra XXX dies, quando Magistratu abire vellent.* Frequens Logistarum mentio cum alibi tum apud Aeschinem contra Ctesiphontem, vbi docet, legibus sancitum esse, vt Senatus Areopagi, omnesque qui aliquid reipub. attigissent, apud Logistas rationes referrent etiam si nihil pecuniæ publicæ tractassent: Logistæ vero eos in forum introducerent, & per Præconem ciues ad eos accusandos inuitarent. Adeo autem diffidebat Respublica iis, qui rerum suarum rationem reddere non poterant, vt eos pedem extra ciuitatem efferre non sineret, interdiceba-

cebatur iis omni bonorum suorum vsu, non posse rant vllam rem Diis consecrare, neque manu mittere seruitia, sed omnes eorum facultates erant veluti tacita Hypotheca Reipublicæ: neque quisquam omnium ab hac lege immunis habebatur. Hinc illa Aeschinis verba ad Demosthenem: *Nonne oportebat te ô Demosthenes pati, Logistarum Praconem pronunciare edictum hoc patrium & legitimum: Quis vult accusare?* Optandum foret, hanc legem etiam apud nos obseruari, vt licentia furandi multis collectoribus quæstoribusq; adimeretur, quod profecto futurum esset, si iis, quos depeculati sunt, daretur eos accusandi in iudicio repetundarum locus.

Antigraphei nec ipsi vnius fuerunt generis: constat enim ex Aristotelis sententia duos fuisse, vnum τῆς διοικήσεως, alterum Senatus, ex quo intelligi potest, accepti tabulas binas fuisse: vnas, quas confecerint Apodectæ in Senatu: alteras, quas Antigraphei pro Senatu in populo.

Habuerunt insuper Athenienses suos Demarchos, siue Tribunos, (quanquam inter hos aliquid discriminis fuerit, vt post videbimus) quos Pollux ait successisse illis, qui regum temporib. Naucrarij dicti fuerint. Tenebantur autem prisci Naucrarij, cum Reipublicæ bellum gerendum esset, equites duos & nauem vnam subministrare. Erant autem XXVI. Naucrariæ, totidemque Demarchi & Naues, equites vero belli tempore CCXL, præter eos qui stipendiis è publico depromtis militabant. Erant autem hi Demarchi populo graues, præsertim in exigenda pecunia ad instruendam classem: hanc igitur iuibant rationem: describebant prædia, fundos & bona Prouinciarum & vniuersi agri Attici, & pro illius vel sterilitate vel fertilitate, exigebant subsidium pecuniarum. Hoc recepto Demarchi conscribebant nomina omnium adolescentum, qui ætatis ratione capaces erant hæreditatis, vnde non parum emolumenti percipiebat Respublica. Si de alicuius ætate dubitatio esset, adibantur libri, in quibus omnium liberorum erãt inscripta nomina. Neque enim cuiquam ex minoribus permittebatur rerum suarum administratio, donec in ætate ea esset, quæ per imperitiam & stoliditatem dissipare facile Patrimonium posset. Sed & hoc & illa iuuenum & adolescentum descriptione nascebatur commodi, vt possent inde eligi, quiad bellum præ cæteris apti & habiles essent: qua quidem in re Turcæ nostro æuo imitantur Athenienses.

Quoniam autem Athenienses, vt in Leptitana scriptum reliquit Demosthenes frumento inuectitio fere vsi sunt, ob sterilitatem soli Attici, factum est, vt præfecti quidam sint constituti, qui externum frumentum reipub. nomine mercati sunt, idque recondiderunt. Hi vero dicebantur Sitonæ, ipsumq; munus eorum Σιτωνία, His fere coniuncti erant Σιτοφύλακες, qui curabant, vt frumentum, farina & panes iusto precio venderentur, imperitantes eo nomine Sitiometris. Neque enim minor Athenienses rei frumentariæ cura quam Romanis, qui v luerunt impensis publicis fossas riuulosque pe multos deriuari in Nilum, per quas fossas nat gia frumento plena in Nilum deducerentur, d inde Alexandriam & porro Romam. Constit ta lege, qua capitali supplicio afficiebant qui aggeres Nili rumpere aut deprimere a fuissent, quæ quidem res, quanti sum laborisque fuerit, difficile est ad fidem cere.

De adolescentibus, quorum nomina libris scripta fuere, superius diximus. Antequam hi capessendam hæreditatem admitterentur, sin atque annum octauum & decimum sunt gressi, obierunt vicinas regiones, ad appreh dendum vsum armorum, ab ea re ἔφηβοι pellati, & quidem per biennium, vnde Aesch inquit, se vbi primum ex pueris excessit, per nos duos Peripolum regionis fuisse. Exa biennio illo in tabulas Lexiarchicas refereb tur, suique iuris compotes fiebant, postea m tari Sacramento se obstringere iubebantur, docuit Lycurgus in oratione aduersus Leoc tem, vbi ait: Vobis est iusiurandum, quod rant omnes ciues, posteaquam in Lexiarchi tabulas relati, & ephebi facti sunt, se neque ar dedecoraturos, neque ordinem deserturos; patriam defensuros melioremque traditur Erant autem sigillatim Lexiarchæ sex, qui, q ties magnus Senatus coibat, poterant sibi eli re XXX Coadiutores qui velut censores no bant eos, qui parui faciebant Leges, & osci ter se gerebant in Senatu: neque sane hi effu bant pœnam.

In Heliastarum iudicio erant Thesmothe & Rex qui præerat cum Nouemuiris, qu eam dignitatem non admittebantur, nisi c ceptis verbis iurassent, natos se patre & ma Athenienses, maioresque suos ciues fuisse A cos. Interrogabantur enim, essentne indige an vero ex alia gente aut populo orti? an h rent Apollinem quidem autorem, Iouem v Deum Tutelarem? sed & inquirebatur in eor ante actam vitam: an vicissim beneficii fuiss in parentes? an arma cepissent pro salute patr pro aris focisque? an digni essent iis honorib quæ quidem si omnia recte haberent, admit bantur, nec aliter. Quærebant autem hæc omnia ex iis Areopagitæ, quorum iussu pri Sacramento ea quoque verba addebantur: *eos in perpetuum obedientes legibus, neque petitur plebe statuam auream, quantumuis præclare de Re blica meriti fuissent: in iudicio se non habituros ra nem lucri.* De his omnibus cum stipulati fuisse deducebantur à Senatu in Acropolim, ibiq super iis denuo solenne præstabant iuram tum. Aderant autem ibi præter Archontes Thesmothetæ, Eponymus vnus, cum Rege Polemarcho.

Præerat autem Eponymus festis Dionys cis, nec non Apollinis & Dianæ: idem cum c legis audiebat controuersias inter maritum vx

orem, itemque lites, inter cognatos & con-
guineos : irrogabat etiam multam iis, qui
s iniuriis affecerant. Orfanorum curam atq;
uarum Eponymus inprimis gerebat, iisque
ores atque curatores præficiebat, viros bo-
& honestos, præeratque familiæ erciscun-
& communi diuidundo. Curatores illi vi-
rum dicebantur Græcis χηρῶν ἐπίτροποι, tu-
s vero pupillorum ἐπίτροποι ὀρφάνων. Inpri-
autem curam habebant Eponymi earum
arum, quas decedentes mariti è vita grauí-
reliquerant, dabantque operam, vt ab
nibus ciuilibus essent immunes, vtque post-
ni honeste educarentur.

Rex Sacrorum apud Athenienses Mysteria,
æa & Ludos qui in Lampade dicti sunt, nē-
anathenæa, Hephestia & Promethea, & in-
r sacra etiam patria procurauit, & gentibus
cerdotibus ius dixit: ad Mysteria vero cura-
s à populo creatos duos ex Eumolpidis,
m ex Cerycibus adsciuit. Choragi dicti sunt,
in Dionysiis & Panathenæis chorum duxe-
, vtque varij chori, sic choragi etiam diuersi
erunt.

Quantum autem in ludos præsertim scenicos
enderint Athenienses, patet ex oratione Ly-
e muneribus, apud quem Atheniensis qui-
ait, se Theophano Archonte profestum,
m Choragum Tragoedis triginta minas
ndisse, & tertio mense Thargelijs victorem
Choro duo millia drachmarum, Glaucip-
ro Archonte in Pyrrhichistas, Panathe-
magnis octingentas, Panathenæis Paruis
nonte Diocle CCC. Choragum vero fa-
puerili choro minas XV. amplius. Choros
eos ita duxerunt vt victum eis suppedita-
, & quidem Musicis artificibus delicatio-
nec hunc solum præbuerunt, sed coronas
aureas, vestesque chori ipsius, quæ qui-
res fuit maximorum impensorum.

ost regem præcipuæ in sacris ludisque par-
rant Archontis, qui Dionysia & Thargelia
bitis curatoribus instruxit, & sacra patria
urauit, inprimis autem ludorum scenico-
curam habuit, vsque eo, vt eius auctorita-
ctacula regerentur. Tertius erat Polemar-
, qui Dianæ agresti & Marti Enyalio sacri-
at, quod illa numina rebus bellicis præesse
rentur. Dabat idem operam, vt ludi fune-
is qui in bello cecidissent, fierent, vtque li-
orum, qui in acie fortiter pugnando oc-
issent, è publico alerentur, quæ res magnū
nensibus ad virtutem calcar prębuit. Idem
narchus solebat præsidere ludis funebri-
in quibus adolescentes ad tumulum de-
i depugnabant, & in eius laudem cantile-
que versus decantabant, quod & in aliis
atque celebritatibus fiebat. Aliæ tamen
rant in bello partes, quo finito, solebat
qui ordines aut aciem deseruissent, tra-
Areopagitis, & hi rursum eos condem-
Vndecimuiris, vt supplicio afficeren-
Et quoniam de rebus bellicis orsi sumus

dicere, videamus cætera quoque in eo ge-
nere.

Polemarchum, qui caput erat militiæ, sequē-
bantur duo Hipparchi, qui sub se habebāt Phy-
larchos X. & illi quidem vniuerso, hi vero singu-
larum tribuum equitatui singuli præfuerunt, ita
vt supplicio capitis in eos possent animaduertere
(inprimis Hipparchi) qui aciem deseruissent,
prohibentes à direptione colonorum milites,
neue quis centurio, decurio, aut gregarius miles
sine honesta missione à castris abiret, aut aliquid
aliud contra Sacramentum militare designa-
ret.

Taxiarchi è singulis tribubus deni fuerunt.
Horum negotium fuit, vt ordines militares in-
struerent, pedites in prælium mitterent, iisdem-
que, quo ire, & per quot dies cibum parare
oporteret, per præconem denunciarent, &
si liberet, militem ex armatorum catalogo
delerent. De maritimo genere belli superius
quædam attigimus, cum de Trierarchis dixi-
mus.

Thesmothetæ sorte legebantur, probe tamen
prius excussi omnes à Senatoribus. Horum of-
ficium erat curare, vt iudicia fierent secundum
leges scriptas. Poterant autem iidem, quoties
videbatur, cogere Senatum, enunciabantque
populo decreta Senatus, iubebantque Ma-
gistratus publicare leges: postremo damnabant
eos qui alios falso accusassent, aut falsum
misissent testimonium, aut si qui citra eorum con-
sensum legem aliquam publicare ausi fuissent
aut in iudiciis non bona fide versati fuis-
sent.

In iudiciis solennioribus assistebant Regi, vel
Archonti & Polemarcho Paredij bini, homines
probatæ vitæ, quos tamen non nisi in Senatu
quingentorum, & in iudicio probatos magistra-
tum gessisse, & magistratu peracto rationes red-
didisse cum Polluce Harpocration aliique me-
moriæ prodiderunt. Causa huius seueritatis
erat, quod res grauissimæ maximique momenti
iis committerentur, in quibus magna vtendum
erat fide & integritate. Obseruabant autem in
iudiciis scribas Notariosque, ne quid aliud scri-
berent quam iudex dictabat, aut iudicum sen-
tentiam peruerterent.

Erant insuper apud Athenienses Præfecti
Coloniarum, qui conscribebant eos quos è
ciuitate erant vel in agrum Atticum, vel in pe-
regrinum & ab hoste captum deducturi. hi par-
tiebantur inter nouos colonos terras, assignato
cuique certo agri modo, qua in re potissimum
vtebantur sorte.

De Quæstoribus varij generis supra diximus,
nihil tamen de iis, qui trierarchis sunt attributi,
vt pecuniæ rationes conficerent, quæ in com-
meatum, stipendiumque sociorum naualium
impendebatur. Atque hoc cum in aliis triremi-
bus obseruatum est, vt suos quæque trierarchos
& quæstores haberet, tum maxime in iis, quæ
Sacræ dictæ sunt. Hæ vero vsque ad Antigoni
tempora duæ solæ fuerūt, Salaminia & Paralus:

Sala-

Salaminia autem etiam Delia nominata fuit. Fuerant autem præter victigalia & tributa ciuium Hellenotamiæ sociorum. Sunt autem instituti, auctore Thucydide, eo anno, quo primũ Aristides sociis tributa indixit, & ærarium in Delo constituit. Ait Pollux, hos quoque solitos fuisse exigere tributa ab Insulis Græciæ, quæ sub dominio fuerunt Athenienſium. Non desunt tamen auctores Græci, qui dicunt, Athenienses deuicto Persarum Rege nauali prælio, vt parta vterentur victoria & auctoritate exegisse à cæteris sumtus in id bellum factos, quo communis totius Græciæ hostis victus profligatusque fuisset: & hanc fuisse causam illius nominis, vt Hellenotamiæ dicerentur.

Qui virorum cætus & conuiuia sumtusque inspectarunt, Oenoptæ dicti sunt, de quibus Athenæus ita ait. *Oenoptæ erat Magistratus Athenis, qui inspiciebat prandia, an æqualiter biberent qui conuenerant: erat autem magistratus tenuis, qui præbebat canantibus Lychnos & funalia.* Videtur autem prope idem fuisse officium Gynæconomorum quos inspexisse conuiuia idem auctor tradit, & numerum conuiuarum, an esset secundum leges, lustrauisse. Philochorum autem scriptum reliquisse, Gynæconomos cum Areopagitis cætus inspectasse in ædibus, & nuptiis & sacrificiis. Gynæcocosmi fuerunt XX. qui in mulieres parum modestas animaduertebant, & multas earum inscribentes exponebant in Platano in Ceramico.

Agoranomi negotiationi & nundinationi præfuerunt: de his, quamuis diuersi fuerint, ita communiter meminit Aristoteles. *Prima ex necessariis curationibus est, quæ in foro versatur, cum magistratum aliquem, qui commerciorum moderationem dispiciat, præficere oportet. Nam fere omnibus ciuitatibus quædam emere, alia vendere ad mutuos rerum necessariorum vsus necesse est.*

Fuerunt autem Agoranomi à sorte lecti decem: quinque in Piræeo, totidem in vrbe, qui & in foro venalia inspexerunt. Theophrastus ait, Agoranomos duarum rerum curam habuisse ex lege: modestiæ in foro, & ne mendacium dicerent, non solum qui venderent, sed etiam qui emerent.

Eorundem apud Athenienses partes erant curare, ne quis ciuis plus frumenti vinique domi repositum haberet, quam ad suos familiæque vsus necessarium esset, sed vt quicquid superesset, iusto venderetur precio.

Postremo habuerunt Athenienses etiam suos quosdam Episcopos, sed longe alia notione, quam Christiani suos. Si enim quorundam, qui in Magistratibus vel officiis constituti fuerunt, suspectam dubiamue fidem habuerunt, tum vero ad actiones eorum inspiciendas explorandasque voluntates mittere soliti sunt eos, quos Græce Episcopos siue Inspectores appellauere.

DE REPVBLICA ANTIQ
Lacedæmoniorum.

Fuit Lacedæmoniorum Vrbs, quæ & nomine Sparta dicitur, omnium celeber ob præstantissimorum ducum fortitudine morum integritatem, donec florentibus r Græcorum, Lycurgi Legibus Spartani vsi harum enim obseruatione valuit illa respu viguitque, adepta etiam aliquãdo principa non solum vicinarum Græciæ vrbium, sed rum etiam Athenarum. Contentis autem dem Lycurgi statutis legibusque, sensim c psa & postremo pessumdata fuit. Quales a fuerint illæ Lycurgi Leges, quibus tam firi effecit & inuictam Spartanam Rempubli operæ precium est videre, quod non tan consideratione dignæ sint, sed & admirabil à cæterarum vrbium atque rerumpublica consuetudinibus longissime abeant.

Igitur Lycurgus, Eunomi Regis F. Pry dis N. cum Regnante Agesilao Charilai F dectis fratris filij tutelam gereret, leges L dæmoniis scripsit, quibus longe alia quam c ri legislatores ingressus via, effecit, vt patria ta mirifice crescceret. Prima ei cura fuit circa pagationem ciuium, id est procreationem rorum. Cum autem aliæ gentes delicatis eri que cibariis soleant nutrire primarias puel quibus expectatur futurus ciuitatis flos, i aut nullum præbeant vinum aut nimis dilu vt quamuis natura bonæ sint, detracto iis reddant curatura iunctas: Lycurgus contr bonis plenisque nutrimenti cibis ali voluit, defraudato naturæ genio & desideriis: de taque seruis & ancillis nendi texendique ac re vestiaria, constituit, vt ingenuæ virgin minus exercerent corpus lucta, cursu ali exercitiis, quam iuuenes, quod eas non s hoc pacto validiores fieri crederet, sed & lem inde nasci robustiorem recte opinar Coniunctis autem ad eum modum matri nio viro & fæmina, oportebat maritum it gredi ad vxorem, & rursum ab eius consuet ne discedere ne à quoquam videretur: furtiuæ velut Veneris & obreptitiæ has Ly gus videtur habuisse causas, vt maiore eam derio operam liberis darent, cum rarius co nirent, neue nimis crebro usu rerum Ven rum in morbos inciderent, aut tædio affice tur.

Adolescentibus puellisque pro suo arb nuptias contrahere non permittebat, n ante maturos annos in thori societatem co nire, quod eam rem ad fœcunditatem & a bur prolis mirifice facere sciret. Quod si ci fœto seni nupta fuisset vxor iuuencula, quæ a alias gentes res est plena suspicionis & Ze piæ; volebat contra Lycurgus, vt talis sene geret sibi iuuenem validum & magnanim quem senex ille domum secum deducebat, vxorem tradebat, vt ipso inde masculam v

tam

que prolem susciperet. Inueniuntur autem
ta huiusmodi in legib. Lycurgi, quæ omnia
rorum procreationem concernunt, mul-
que differunt à cæterorum Græcorum con-
udinibus, vnde facile quisque colligere po-
quæ causa fuerit, quod Lacones reliquos
cos & statura & robore corporis vicerint.
Cum autem de procreatione liberorum hæc
sse sufficiat, videamus iam eorum educatio-
pariter in multis rebus ab aliis Græcis dif-
ntem. Hi enim, & inprimis qui liberos suos
bant nobilius educare tradebant eos in
us seruorum suorum, si quos nacti fuissent
ratos, vel mittebant eos alio, vt addiscerent
tas, & Musicam & percutiendi fides scien-
præterea calceis muniebant eorum pedes,
us vero molli ac precioso amictu, cibos in-
r suppeditantes delicatissimos.

ycurgus non seruis Grammaticastris, sed iis
iuere volebat pueros è quibus summi crea-
ebant magistratus, vt sub horum ductu &
tutione ad virtutis & modestiæ imitatio-
à teneris adsuefierent, vnde & viri illi παι-
ωι appellabantur. His ius erat conuocandi
os, & exercendi, & castigandi verberibus,
id deliquissent. Adiungebantur pueris mi-
ous etiam adultiores, qui adferentes in
nasium virgas, verberabant minores, si
foret, vnde in pudorem & formidinem
m coniecti pueri minores facile obædie-
institutoribus.

hac ætate ocreis illos calceisque vti vetuit
slator, voluitque vt nudis ingrederentur
ous, quod hoc pacto eos celeriores ad ad-
lendum & descendendum euasuros crede-
ad cursum aptiores, quam si à prima æta-
ceati essent. Alio per æstatem quam hye-
tegi corpora eorum amictu non patieba-
quod hoc simplici & eodem vestitus gene-
s adferendum frigus & calorem pariter ad-
ri diceret.

Cibis suos ciues vti voluit non exquisitis
ibusque, quibus corpus obesum fieret,
us huiusmodi homines ad ferenda incom-
a belli ineptos esse, sed eiusmodi nutrimē-
æ corpus siccum, neruosum compactum-
edderent, quod ea & ad pulchritudinem &
ram corporis facerent. Pueris non præbe-
limoniam quoties fame premerentur, ne
ertiam & facile partis implerent ventrem,
olebat eos rapere ac furari cibos, vt disce-
cum cura sibi atque industria parare vi-
Et est sane res manifesta, eum qui furari
id velit, peruigiles agere noctes, & inerdiu
ibus artificij generibus vti, cordatum insu-
sse & ingeniosum. Quod si quis ex me
at, cur tamen idem Lycurgus iusserit eos,
furto deprehensi fuissent, acriter verbe-
furtum rem bonam & vtilem iudicauit?
o respondebo, non ideo id factum fuisse,
furatus fuerit, sed quod non ea sit vsus
eritate, quam adhibere debuerit, ne depre-
henderetur; non igitur furtum sed ruditas
punita fuit. Si contigisset Pædonomum peregre
abesse, tunc, ne pueri essent sine Magistro, lex
volebat, vt penes alium aliquem è præcipuis
ciuibus esset authoritas Pædonomi, qui eis præ-
cepta dabat, eosque quoties delinquebant, cor-
ripiebat: quæres pueros intra honestatis mode-
stiæque limites continebat.

Nunc porro de iuuenum & puellarum amo-
ribus aliquid dicendum est. Plerique Græci,
solis Bæotis exceptis, in ea re magna vtebantur
seueritate, vt ne permitterent quidem amatoribus cum filiabus suis colloqui. Lycurgi contraria fuit opinio. Si enim iuuenis alicuius puellæ amore captus fuisset, cognito amœno & masculo amatoris ingenio, non prohibebat illos vna conuersari, optimam hanc honestissimamque iudicans disciplinam. Si vero comperisset, quendam non animum sed solum corpus alicuius fœminæ amare, cogebat eum non minus ab ea abstinere, quam pater solet à filia, quod attinet ad res Venereas. Ex iis igitur quæ de educatione & institutione liberorum diximus patet, quantam legislator ille honestatis, modestiæ, continentiæ & obædientiæ rationem habuerit, ad quæ omnia etiam hoc accedit, quod cum apud cæteros Græcos pueri egressi ex ephebis desertaque schola, sine Magistris formatoribusque in magna libertate viuerent: Lycurgus, non ignarus altos esse adolescentum spiritus, & magnas ad voluptates inclinationes, occupatos illos volebat perpetuis laboribus, vt procul ab ocio habiti male agere non discerent. Quod si quis imperata facere detrectasset, omnis ei spes ad honores in Republica perueniendi præcidebatur. Nec his solum incumbebat illa cura, de quibus diximus, sed & ipsis parentibus agnatisque adolescentum, vt suos quisque cohiberet, ne vagarentur per vrbem, aut alia insolentiæ exempla ederent. Inter incedendum cogebantur manus sub pallio occultare, oculisque in terram defixis virginalem præ se ferre modestiam, ita nullius audiebatur vox, haud secus ac si lapides aut statuæ obambularent. Cum interessent epulo alicui non nisi interrogati loquebantur: breuiter, maxima fuit cura Lycurgi circa institutionem iuuentutis, quod eum non fugeret, si tales, quales ipse formari vellet, euaderent, magno id olim reipublicæ bono futurum.

Sed & aliam rationem excogitauerat sagacissimus Legislator, qua animos suorum ad virtutem acueret. Ephori eligebant tres viros è florentissima ciuium parte, quos Hippocritos appellabant, quia equites eligerent. Horum vnusquisque legebat sibi centum equites, manifeste ostendens, electis nonnullis, cæteros se repudiare. At qui præteriti fuerat, id ignominiæ loco sibi ducentes, aperte inimicitias gerebant aduersus eos, quos sibi prælatos indignabantur: vnde

fiebat : vt alteri alteros intentis animis obseruarent, si quis quid minus honestum faceret. Fuit autem vtilissimum hoc certamen reipublicæ, cum alteri alteros in virtute & honestate summis viribus superare niterentur : quod si respublica vtriusque opus haberet, statim depositis simultatibus in gratiam redibant. Sed & iidē cogebātur magnam sanitatis habere rationem, quod se mutuo pugnis calcibusque impeterent & colluctarentur, quoties sibi mutuo obuiam venirent: adeo in omni re aliis potiores se ostendere nitebantur. pugnantes ad eum modum quicunque ciuis interuenisset, modo cum aliqua auctoritate esset, dirimere poterat: quod si quis parere noller, Pædonomus diem ei dicebat apud Ephoros, à quibus seueriter puniebatur, nolebant enim quemquam adeo indulgere iracundiæ, vt legum obedientiam excuteret.

Eos qui ad maturiorem ætatem peruenissent, plerique Græci Magistratibus & officiis bellicis præficiebant, non habita ratione roboris corporis. At Lycurgus eosdem eadem illa ætate volebat exerceri in venationibus, nisi forte officij publici ratio eas ab illa reuocaret: aiebat enim, grandibus natu non minus in bello tolerantia laborum opus esse quam iuuenibus. Cum autem non ignoraret, à conuiuantibus intra priuatos parietes multa præter decorum fieri, coëgit eos in publico epulari, gnarus, eos hoc modo facile orbitas transilire non posse: sic enim omnis luxus & superfluitas tollebatur, cum nemo biberet nisi sitiens, & nemo ad alterius nutum vel bibere vel sitire cogeretur: quis enim in illa publica conuiuandi ratione vel nimio cibo infercire corpus vel ebrietate debilitare ausus fuisset.

In aliis vrbibus ij solent frequentius conuenire, qui inter se æqualis conditionis sunt. At Lycurgo placuit in sua vrbe grauitatem senum cum alacritate iuuenum miscere, credens rem vtilem esse patriæ, vt quisque dicat, quæ honeste in vrbe fecit: nulla audiebatur ibi turpitudo aut cauillatio, nemo conspiciebatur ebrius, aut qui se turpiter daret, sed omnia ad honestatem grauitatemque erant composita. Sed & hoc boni ex publicis illis epulationibus nascebatur, quod surgentibus è conuiuio, necessum esset pedibus domum ire, vbi vel ex ipso gressu cognosci poterat, si quis nimio se obruisset vino: neque enim ibi pernoctare poterant, vbi cænati fuerant; vt ebrietatis probrū clam haberi non posset. Cumque eum non fugeret, eos qui à sumto cibo corpus exercere solent, bono habitu sanoque & rubicunda esse facie, quæ indicium præberet bonę concoctionis, voluit, vt qui maximus natu esset in aliquo cætu, daret operam, ne cæteri nimis comederent, vel à sumto cibo ociarentur, cum ocioso fere morbis obnoxios cerneret: vnde mirandum non est, si Lacedæmonij vix vllos ex omnibus Græcis similes habuerunt in sanitate & robore corporis, cum in perpetuis exercitiis membrorum ætatem [illegible] rint.

Cumque apud pleraſque alias nationes [illegible] que pater familias dominus sit suorum lib[illegible] rum, seruorum, & diuitiarum: Lycurgus vo[illegible] ciues suos citra offensionem vllius recipr[illegible] velut iure gaudere aliorum bonis, sanxit [illegible] quisque non suis duntaxat sed & alterius lit[illegible] præcipere posset, quatenus expediret. Et si puer à vicino verberatus ciue, querelam tulisset ad patrem suum, hic non effugieba[illegible] tam, nisi & ipse filium verberibus increpu[illegible] adeo nemo credebatur alienis filiis iniusta perare. Eadem lex erat de mancipiis, si qu[illegible] cini seruo ad sua opera vti voluisset, ad qu[illegible] cumque rem collubitum fuisset. Par rati vtendis alienis equis erat. Nam si quis al[illegible] profecturus, curru vel equo destituebatur res longiorem moram non ferret, vicin[illegible] mento vtebatur, confectoque itinere id ei debat, actis gratiis. Præterea in locis pub[illegible] erant communia quasi diuersoria, vbi ij priores aduenerant vel è venatione vel aliu[illegible] postquam cepissent cibum, omnia parat[illegible] linquebant, vt iis aduenturi frueretur, [illegible] que pauperes cum diuitibus in eande[illegible] rum necessariarum veniebant particip[illegible] nem.

In omnibus aliis ciuitatibus commune [illegible] lum est auaritia, vt quisque pro viribus con[illegible] coaceruare sibi pecuniam, cum alij sint ad[illegible] fœnori, alii agriculturæ, tertii nauigationi, q[illegible] ti opificio alicui. Sed Lycurgus prohibuit L[illegible] ros ingenuosque ciues vllam rem contin[illegible] quæ ad colligendas opes facere posset, iussi[illegible] vti in solis iis occuparentur, quæ ad defen[illegible] dam libertatem patriæ seruiunt. Et sane, [illegible] opus erat coaceruare opes in ea ciuitate, [illegible] omnium rerum necessariarum communis [illegible] distributio? nam hac lege cauit Nomothete[illegible] quis haberet causam desiderandi argenti, [illegible] ad vsum vel ad voluptatem: Neque enim [illegible] opus habebant ad splendidas comparandas [illegible] stes, cum nemo iis vteretur: sic factum es[illegible] nemo cum alterius damno ditescere ve[illegible] Constituit Lycurgus monetæ quoddam [illegible] nus, valens decem minis, quod genus in[illegible] mum aliquam illatum occultari ob ma[illegible] tudinem non poterat, aurum enim & arg[illegible] tum in priuatorum domibus curiose peru[illegible] gabatur, quod si alicubi inuentum fuisset, [illegible] sessor acriter puniebatur.

Quis igitur in ea ciuitate voluisset oper[illegible] dare colligendis opibus, è quarum posses[illegible] plus metuendum erat mali quam sperand[illegible] commodi?

Quod autem Lacedæmonii tam obedien[illegible] fuerunt legibus, facit vt suspicer, eum, ante[illegible] eas perferret, cum primoribus ciuium egi[illegible] eosque in suam pellexisse sententiam. Cum er[illegible] in aliis vrbibus qui potentiores sunt, videri [illegible] lint, q̄ metuāt Magistratus; Spartæ tamē etiā [illegible] ci

n ſumma fuere potentia, glorioſum ſibi du-
unt, obedire legibus, vt cæteros ſuo mo-
t exemplo, quod & reuera accidit. Ephoros
ur eſſe voluit Lycurgus, quorum potentia
a reges erat, quod non ignoraret, quantum
dientia bonum eſſet, tam in pace quam bel-
quod ciues facile Magiſtratibus parituri eſ-
, ſi ſcirent, eos qui primas tenerent in Re-
lica, aliis velut ſuperioribus parere. Poterant
ur Ephori punire quoſcunque volebant, et-
ante tempus mouere Magiſtratus officiis,
is vocare, carceribus mancipare, poſtremo
eriti fuiſſent, capitalibus ſupplicijs affigere.
n poſſum autem non laudare egregium Ly-
i inuentum, quo ciues ſuos legibus reddi-
bedientiſſimos. Has enim populo non an-
ropoſuit, quam cum principibus ciuitatis
ſuluiſſet Oraculum Delphicum, eſſet ne
ta futura felix ac beata, ſi illis obediret legi-
? cumque reſpondiſſet Oraculum, ita fore,
demum promulgauit, omnibus exiſtiman-
s rem ſummæ impietatis fore, non obtem-
re Oraculo Apollinis.

t autem adſuefaceret ciues ſuos præferre
eſtam mortem ignominioſæ vitæ, hoc vſus
mmento. Fecit vt boni feliciter viuerent,
autem & nequam homines miſere: cumq;
is ciuitatibus, ſi quis degener peſſimus eua-
etſi peruerſi hominis appellatione notetur,
rum tamen ei eſt, inter bonos verſari & ne-
ari, in eodem etiam loco. At Spartæ in ma-
urpitudine ponebatur, verſari in ſocietate
rum hominum, aut quicquam cum iis cō-
habere. Excludebantur autem vicioſi etiã
ercitiis Muſicis, & ab luſu pilæ, in quo etſi
trarias partes ſeparati luderent, à neutris
improbus colluſor recipiebatur.

giebatur autem talis ab omnib. promiſcue
teis viciſque, & arcebatur à conuentibus,
baturque etiam iunioribus de via decc-

eminus admirationis habuit inſtitutum
uo voluit, vt vnuſquiſque ſtuderet virtuti
vſque ad extremam ſenectutem. Cum
eam ætatem extremum vitæ terminum iu-
t, voluit vt ſenes quam maxime curam ha-
t honeſtatis & bonitatis. cumque lege iuſ-
vt iudicium honeſtæ vitæ penes ſeniores
effecit, vt multo pluris æſtimaretur ſene-
uam robur iuuentutis. Iuuenum enim
tia pleraque fuere corporis: ſimile vero
nen erat ingenij & magnanimitatis. quã-
item mens præſtat corpori, tantum hæc
ia illis. Nunquam igitur ſatis digne lauda-
erit Legislator iſte, qui voluit vt virtutes
e publice exercerentur.

m & iis pœnam conſtituit, qui non mani-
peram dabant, vt quam optimi euaderẽt;
s prodi Rempublicam per ocioſos & vi-
ditos homines, quos grauibus pœnis co-
dos eſſe recte iudicabat. Hoc inſuper ad-
neceſſarium vitæ ciuilis ornamentum,
oluit, vt qui per omnia boni ciuis officiũ
feciſſent, etſi corpore eſſent imbecillo aliiſve deſtituerentur mediis, æqualem tamen partem haberent in Republica. ſi quis autem ſe ſom-nolentum aut negligentem in officio ſuo oſten-diſſet, eum ne in ciuium quidem numero haberi volebat.

Cum bellum inferendum aut propulſandum eſſet, incumbebat Ephoris, conſtituere tempus, quando copiæ educendæ eſſent in hoſtem, pri-mo quidem equites, deinde pedites, qui erant ciues grauis armaturæ, poſtremo opifices. Se-quebantur hos omnia belli inſtrumenta, vel curribus vecta vel iumentis portata, vt ſtatim appareret, ſi quid earum rerum deeſſet. Militi tribuerat ſagum rubicundi coloris, & ſcutum æreum, quod colorem illum belligerantibus optime conuenire crederet: adoleſcentibus li-cebat geſtare altam cæſariem in cincinnos ere-ctam, vt eo pacto aliquid ad terrorem & ſtaturæ altitudinem adderent. His ita conſtitutis diſtri-buebat tam equites quam pedites in ſex Tribus, ita vt quęque Tribus vrbana haberet Tribunum vnum, quatuor ſigniferos, ſedecim ductores ordinum, poſtremo octo quinquagenarios. Cũ autem non pauci exiſtiment, Lacedæmonios confuſe & ſine ordine in aciem prodire ſolitos, oſtendam iis, fruſtra eos ita ſentire. Habuit enim vere quiſque Lacedæmoniorum ordo ſuum Ducem, cum cæteris officiis & reb. neceſſariis: alij enim ducebant milites, alij ſequebantur, omnia ex imperio ſuperiorum. Cum mouendus eſſet exercitus, ſummus copiarum dux teſſera pronunciata ſignum dabat. Cunei alias erant denſiores, alias rariores, quæ diſciplina non dif-ficulter addiſci potuit. Quod ſi quando ſolutis ordinibus confunderetur acies, non facile quiſ-quam ſatis commode in hoſtem pugnare pote-rat, niſi in diſciplina Lycurgi inſtructus eſſet. Sed & facile percipiebant Lacedæmonij eas ar-tes, quas alij perdifficiles exiſtimabant. Ingre-dientes enim ſub ſignis ita formabant phalan-gem, vt in orbem pugnare facile poſſent, erat-que perinde, ſiue à fronte ſiue à tergo ingredien-tes adorirentur hoſtem, quod ab omni parte viri fortes aſſilientibus ſe opponerent. Etſi autem locus aciei in dextro agmine eſſet honoratior, ſi quando tamen Dux belli cum ſuis in ſiniſtro latere curare iubebatur, nemo proinde dete-riorem illorum iudicabat eſſe cauſam: ſi enim ab ea parte hoſtis impreſſionem feciſſet, vt cir-cumueniret Spartanum agmen, non habebant magnas cauſas ab hoſte ſibi metuendi, quod in ſiniſtris brachiis gererent ſcuta, & eorum beneficio totum illud latus armatum circuiri facile non poſſet. Si ob aliquam cauſam Dux belli directa acie in hoſtem ducturus eſſet, ipſe in dextro latere, vti diximus, conſiſtebat, proxi-mi ab eo in ſiniſtro, & ſic monebantur in ad-uerſum hoſtem directi, velut triremis, obuerſa in aduerſarios prora. Si vltimam aciem aggreſ-ſus fuiſſet hoſtis, reprimebatur à ſcutatis, qui velut clypeus quidam erant totius aciei ab ea parte.

Quod ad modum castrametandi attinet, Lycurgus damnatis angulis castrorum, voluit vt in orbem ea ponerent, nisi forte ratio situs, puta vicinia alicuius montis aliter exigeret. Excubitores vigilesque in omnibus partibus collocabat, ad cohercendos eos, qui nocte castris exire volebant, hi enim excubitorum vigilantia non minus obseruabantur, quam peregrini, si qui forte de nocte circuire castra atque speculari ausi fuissent. Seruis arma ferre non permittebant, neque ipsi ab armis longius discedebant.

Sed omissa re Lacedæmoniorum militari, videamus qua authoritate Reges in sua ciuitate præditos esse voluerit Lycurgus. Primum omnium ciuitas suppeditabat regi alimoniam, & iis quos is secum habebat. Cum militiæ Rex esset, prandebat cænabatque frequenter cum Tribunis militum, vt per eam conuiuandi occasionem de rebus belli vna consulerent. Habebat autem in primis circum se tres velut consiliorum socios, qui in omnes belli necessitates cum rege intento erant animo. Ducturus extra vrbem exercitum Rex, sacrificabat primum in ciuitate Ioui Hegemoni siue Ductori aliisque Diis. Peracto eo sacrificio, Sacerdos, qui Pyrphorus dicebatur, quod ignem præferret, sumto igne ab altari, præibat vsque ad fines agri Laconici, vbi Rex iterabat Sacrificium, litabatque Ioui & Mineruæ. Vbi perlitatum fuit, pergebatur vlterius, & semper præibat sacerdos cum igne perpetuo, sequentibus victimis quæ mactandæ erant. id autem omne fiebat sub ortum lucis, vt mature Deorum sibi compararet beneuolentiam. Sacrificantem regem circumstabant non solum ductores ordinum, sed & Ephori, qui tamen nihil faciebant ipsi, nisi quod attente obseruarent cæteros, quæ agerent, castigarentque præuaricantes. Absolutis sacrificiis Rex cogebat concilium dabatque præcepta quæ ex vsu viderentur.

Cum rex armatum suorum duceret agmen, si nemo obuiam veniret, oppositurus se ei, solus ingrediebatur, exceptis speculatoribus in equo, quos ante se mittebat: si vero pugnæ esset subeunda alea, tunc ducebat ipse agmen primæ tribus vrbanæ, idque in armis exercebat, donec sequentibus aliis ipse constitueretur medius inter duos Tribunos militares. Ad primum hostium conspectum immolabatur capra, volebatque lex militaris, vt simul omnes tubicines sonarent, & nemo Lacon conspiceretur sine corona, vtque quisque arma haberet acuta atque splendida. Regis erant partes, castrorum ponendorum & tempus & locum præstituere, & stare iubere signiferos, vbi manendum esset. Sed & ad eundem regem pertinebat mittere Legatos Oratoresque, facere fœdera cum exteris, denunciare bellum, conueniebantque ad eum, qui tale aliquid fieri volebant. Si quid controuersiæ obortum fuisset, rex omne id remittebat ad iudices, inprimis si concerneret pecunias ærario debitas, a prædam ab hostib. captam, quæ vendenda er

Assignauerat præterea Lycurgus Regi de nomine partem earum rerum quæ sacrifi aba tur, tribueratque duplum agri modum, n quod illum duplo pueris egere crederet, sed qua re necessaria egere posset. Vtque re quoque in publico cibum caperent, instit sunt epulæ solennes & festiuæ, in quibus r duplam volebat dari portionem, non qu vellet illum duplo plus comedere reliquis, vt ea parte quos vellet honorare posset. Mr quoque alia idem Lycurgus assignauit regi honoris ergo, quæ nobis quidem videntur vi apud Lacedæmonios vero erant honora sima.

Assurgebant autem de sede sua aduenta regi omnes Magistratus, solis exceptis Epho Ipse rex Ephoris, & hi viciſſim regi singulis sibus præstabant iuramentum: Ephori quid nomine ciuitatis, Rex autem pro se ipso. It bat autem Rex, præfuturum se ciuitati sec dum leges: Ephori autem, ciuitatem semper c seruaturam dignitatem regiam. De honori quos Lacedæmonij habuerunt Regibus i vita functis, vno verbo multa comprehend dicamque, voluisse Leges Lycurgi, vt illis ha retur honos non vt hominibus sed vt Heroi semideisve.

RELIGIO GRAECORVM NOST temporis.

Cum de Religione antiquorum Græcor & quam insanum in modum Idololatriæ de fuerint, satis tunc dixerimus, cum eorum pri mores persecuti sumus: consequens est v cultu Numinis, quo nostri æui Græci vtun aliquid dicamus. Fuit autem Religio Græco diuersa in multis à Romana, ipsiq; separati à l mana Ecclesia ab antiquissimis annis, cũ sem suum habuerint Patriarcham, quem caput in spiritualibus agnouerunt. Numerantur a Ecclesiarum Orientalium Patriarchæ omn quatuor: Constantinopolitanus, Alexan nus, Hierosolymitanus & Antiochenus, quibus omnibus suo quoque loco dicem qui autem veram proprieque sic dictam G ciam habitant, non nisi Patriarcham Consta nopolitanum caput suum agnoscunt: de ci electione diximus eo loco, quo res Mosco cas persecuti sumus.

Sunt autem per Græciam passim multi loieri, Sacerdotes Monachique Græci inde per prouincias sparsi, vbi quiuis lib Religionis suæ vtitur exercitio, si impos soluat tributum, quamuis subinde & on bus prope locis cogantur Barbarorum fa fastum & insolentiam, qui ibi dominan Sed nos quædam sigillatim persequemur. Mons Athos olim destinatus priscis Caloi Monachis ordinis S. Basilij, quibus data

uilegia, quæ etiamnum nostro æuo obser-
ntur, vt in eo monte nemo habitare pos-
, nisi sit Græcus ex numero Calohierorum.
factum est, vt in eo monte vltra sex millia
um Monachorum habitent, in XXIV.
iquis & spaciosis Monasteriis, quæ bonis
nisque muris cincta sunt, vt latronibus &
tis, qui eos subinde incursionibus vexare
nt, resistere queant. Inter ea Monaste-
duo præ cæteris eminent: vnum dicitur
opedum, alterum *Hagia Laura*: in vtroque
ntur præclaræ Reliquiæ, quæ & ab omni-
partibus Religionis ergo adeuntur, nec
Templa ac Basilicæ structuræ superbissi-
, ac precioſi ornatus. Aestimant autem
ci tanti Montem istum, quanti Latini Vr-
Romam, nullibique ceremoniæ Græ-
m obseruantur curiosius quam hic, vnde
or Calohieris Religionis & sanctitatis opi-
quam cæteris Græcis omnibus. Quin &
Græci tanti huius Montis accolas Mona-
faciunt, vt iis multas submittant Elee-
ynas. Multum autem differt vita horum
hierorum à nostratibus Monachis: illo-
rum enim nemo per ocium & inertiam vi-
tam transigit, sed omnes strenui sunt in labo-
rando & artem aliquam mechanicam exer-
cendo. Omnes enim surgentes mane, egres-
si monasteriis laborando sibi suisque victum
acquirunt: & alij quidem fodiunt vineas,
alij cædunt arbores & secant ligna, alij fabri-
cant naues, alij aliud quoddam opificij genus
exercent. Vestitus eorum parabilis est, vel
potius vilis, amictum repræsentans Eremita-
rum. Camisias lineas cannabinasque non ge-
stant, sed laneas, quas ipsi sibi suis conficiunt
manibus. Pauci inter eos litterarum studiis
diditi sunt, quin contra multos inuenias, qui
neque scribere norunt neque legere. Hospi-
talitatis immemores minime sunt: si enim pe-
regrinus aliquis negotiorum suorum ratio-
ne per hunc Montem Athon iter faciat, Ca-
lohieri eum hospitio exceptum, non cibo tan-
tum potuque reficiunt, sed & omni comi-
tatis genere prosequuntur, nec quicquam
ab ipso eo nomine exigunt pecuniæ: quæ li-
beralitas famam eorum auget & existimatio-
nem.

NSVLÆ MARIS ÆGÆI, SIVE
T NOSTRA ÆTATE APPELLANTVR, AR-
chipelagi, quæ Turcæ parent, vna cum iis quæ possidet is Princeps Per Illyricum seu Sclauoniam.

SVMMA CAPITA.

scribuntur in sequentibus Insulæ Maris Aegæi, ua quidem Magni Turcæ subsunt imperio: earum omina antiqua & recentia, situs, amplitudo, peri-romus, portus marini & oppida.

Fertilitas cuiusque Insulæ, 2. & quantum in hoc nere alia alij præstet. 3. Thasus prægnans marmo- candido pinuque arbore, olim metallis adeo diues, Philippus Macedoniæ Rex quotannis inde perce- rit LXXX Talenta. 4. Samothracia abundans amis & Melle. 5. Lemnus lineo, cannabi, tritico, guminibus, vino carnibus, lana, ficubus, nucibus, nygdalis, oliuis, ostreis, Thermis natiuis & Terra emnia siue Sigillata. 6. Euboea siue Nigroponti ira: fretum, fluxus siue æstus & reciprocatio, oues ne felle, copia olei, vini, marmoris, Amiantos lapis, ui in lini quandam speciem reduci potest, vt inde t tela, quæ in ignem conjecta mundatur. 7. Melos ebris ob fontes aquarum sulfuratarum: multa in oliuæ, venæ argenti, Latomiæ marmoris. Locus in quidam, vbi quantum terra effosum fuerit, tan- m sponte naturæ sub nascitur, & fossa sine opera minum completur. 8. In Polyægo ranæ nunquam axantes, Magnes lapis frequens in Siphno: Parus undat marmore candido, lapide Lychnite & rdonyche. In Naxo inuenitur Ophites Lapis, & vespæ, quarum aculei mortem afferunt. Leria Aloe ligno & marmore diues. Cos Vino, Cupresso & Te-rebintho. Chios pomis aureis, vino Maluatico & Mastiche. Lesbos Gagathe lapide, vino præstantissi-mo, Crimnone & Maza.

III. *Ingenium & mores eorum qui has Insulas incoluerunt, tam veterum quam recentium: Leges & con-suetudines cuiusque regionis: Idola siue cultus Nu-minis: sacrificia & superstitiones veteres, & quæ Re-ligio nostro æuo obtineat.*

MARE Aegæum, quod pars est Mediterra- 46.
nei, separatque Græciam ab obiecta Asia, plenum Insulis, dicitur à recentioribus Archi-pelagus: Turcæ vocant Mare Album, vt Pontũ Euxinum Nigrum dicunt. Diuiserunt autem ve-teres Insulas per mare illud sparsas fere in Cy-cladas & Sporadas. Cyclades sunt, quæ non longe ab Ile inuicem dissitæ velut orbem aut Circulum conficiunt: videntur autem omnes ambire Delon velut mediam, numeranturque secundum Isidorum quinquaginta, quamuis alij non nisi duodecim recẽseant. Eæ vero, quæ hinc inde sparguntur per Mare Aegæum, ver-sus Cretam Asiamque, sine ordine, Sporades

dicuntur. Nos igitur, cum in descriptione Continentis initium fecerimus à Thracia: ita nunc ab iis Insulis ordiemur, quæ è regione Prouinciæ illi obiiciuntur. Igitur *Thasus*, quam Ptolomæus etiam Thalassiam appellat; olim quoque, vt Plinio placet, Eria & Ethria dicta, proxima est Thraciæ; intra ostium Nessi fluuij & Athon Montem. Ambitum eius Niger metitur milliaribus XL. quanquam alij L. numerent. Præcipuo oppido idem cum Insula nomen est, quod loco plano situm, magnum sinum respicit versus septentrionem. Portus eius circiter duobus millibus distat à Continentis Macedoniæ littore. Habet hæc adhuc duo alia oppida versus Meridiem, à locis decliuibus pendentia, quod ibi tota insula collibus montisque asperetur.

Samothracia à firmo Thraciæ littore distat millibus X. ait hanc olim Plinius dictam fuisse Dardaniam, hodie Barbari corrupte vocant Samandrachin. Multos habet portus marinos, cũ oppido præcipuo versus Aquilonem supra montem editissimum ædificato.

Lemno Insulæ olim nomẽ fuisse aiũt Ophiusę, ob ingentem serpentum in ea multitudinem, qui tamen omnes ibi interierunt. Dispolin etiam appellatam fuisse aiunt, ob duo oppida, quæ in ea fuerunt: hodie appellatur Stalimene; longa magis est quam lata, porrigiturque ab oriente in occidentem, complectens ambitu suo Centies mille pass. Fuerunt olim in ea duo oppida præcipui nominis. Lemnos, quæ & Myrine, cuius hodie non magna est celebritas, quanquam euersa non sit, etsi nostro æuo nequaquam tam frequens populo sit quam olim fuit. Sita est hæc vrbs in colle, qui vicino mari imminet, quo etiam tempore solstitij æstiui vmbram suam Athos mons proiicit, etiam longe ante quam sol ad occasum inclinetur, quanquam millibus LXXXVII. inde distet. Altera ciuitas fuit Hephæstia, quæ penitus in ruderibus iacet: Locus nostro æuo Cochina nuncupatur. Etsi autem huius Insulæ ambitus adeo magnus non est, reperiuntur tamen in ea oppida minora & Burgi siue vici LXXV. Narrat Plinius, in Lemno olim fuisse Labyrinthum ad exemplum Aegyptij & Crebci. verum Bellonius ait nullum eius hodie vestigium superesse.

Eubœa vero, cui hodie *Nigroponto* nomen est, superat magnitudine omnes Aegæi Maris Insulas, potestque bono iure Regina Archipelagi dici. Separatur à vicino littore Attico perangusto freto, extenditurque per omnem littoris Attici & Bœotij longitudinem. Latitudo eius habere putatur XX. millia, constituitque peripheria eius mill. CCCLXV. Fuit hæc priscis temporibus varie appellata: Macra, Abantias, Chalcis, Chalcodontis, postremo Asopis referente Plinio: Vulgo Nigropontum appellant, Turcis vero dicitur Egripos. Crediderunt antiqui, hanc Insulam olim continuam fuisse cum Græcia, auulsam autem ab ea horrendo terræ motu: quod non adeo difficile creditu est, non solum propter vicinitatem, sed & quod ea insul adhuc frequentibus tremoribus terræ sit obnoxia. Præcipua eius vrbs olim Chalcis fuit, qu hodie Nigropontus appellatur. Sita est loc plano, capta à Mahometo II. Turcarum Mo narcha anno A.N.C. MCCCCLI, qui m gnam ibi Christianorum edidit stragem: cu reliquis Turcæ ibi promiscue habitant. E & ibi oppidum Carystium, cui olim nom fuit Chironia. Est insuper Vltor Caphareu Promontorium Græcorum naufragiis nobil quod hodie Figereum Niger appellari putat, S phianus Chymium.

Melos edita est supra vndas altis littoribus, r cta ex aduerso Promontorij Maleæ in Pel ponneso. Varia huic olim fuere nomina, S phne, Acytos, Zephyria: est autem formæ C cularis ac pene exactæ rotunditatis, maq quam vlla Aegæi maris Insula. Ambitus ei complectitur vltra viginti quatuor Leucas G licanas, habetque oppidum elegans in radi montis, ante quem est amœna planicies, qu extenditur vsque ad mare. Non longe à M lo Insula alia minor est, olim *Polygæa* dicta, h die *Falconaria*, nostro æuo deserta, vt & pler que vicinæ. Ad orientem obtenditur *Cyn* à nostris *Polinum* appellata, cum oppido ei dem nominis. Aliæ sunt, *Poliandros*, *Laguſa*, Oc hodie *Sichina*, *Sicandria*, eiusdem prope omn magnitudinis: quibus ad Meridiem est Insi *Therasia*, cum *Saturnina*, quæ olim dicta fi *Calliste*, id est, *Pulcherrima*, celebris eo, qu fuerit patria Callimachi Poëtæ. Haud pro Therasia versus orientem occurrit *Anaphe*, qu Barbari *Namphion* vocant, oppidum habens rupe extructum, ad cuius radicem fluuiol nascitur campestria irrigans.

Palma ei vicina est, Insula exigua, in qua ol Homerum sepultum fuisse memorant. Portu habet satis commodum, nec tamen freque ter habitatur ob perpetuum Piratarum m tum.

Cæa Insula, quæ hodie Zia dicitur, dece millibus distat à Promontorio Surio, ipsa h bet XIII. mil. in circuitu, qua Aquilonem r spicit, concaua est, fingens imaginem cresce tis Lunæ. Nomen traxisse putatur à Cæo G gante Titanis filio, qui eam primus inh bitasse perhibetur. Portum habet versus c cidentem non incommodum: aiunt aute eam olim *Hydrusam* dictam fuisse. Haud lo ge inde absunt *Scyros*, & *Oenos*, non mul minor quam Cæa; nec non *Seriphus*, hodie Z phenia dicta, cum oppido eiusdem nomi versus meridiem, & campo latissimo vsque mare. Peridromus eius est XIII. Leucarum G licarum.

Sequitur *Siphanus*, olim *Siphnus*, *Aois & A ropia* dicta, pulchra adspectu Insula, habens a bitum Leucarum X. cum oppido non co temnendo versus orientem, qua Meridiem r spicit, portum habet, iuxta quem olim fuit c pidum totius Insulæ capitale. Pleræque aute

hæ I

Insulæ *Cyclades* appellantur, cingunt que *Delu*
orbem, inter quas eminet versus Orientem
os, antiquum nomen retinens, olim etiam di-
Hyrie, Hylieſſa, Minoia, L. millia in periodo
pens, quæ prope viginti Leucas conficiunt.
rrigitur autem ſecundum longitudinem ab
cidente in orientem, habens in medio amæ-
s & late patentes campos, cum pulcherrimis
quot ædificiis, & Templo antiquiſſimo, ad-
c prope integro. Eſt ibi mons Campieſus,
cipuæ altitudinis, olim Marpeſiæ rupi ho-
n fuit, ad cuius radices eſt oppidum ſtructum
lapidibus incredibilis magnitudinis. Ipſa
s Paros in occaſum obuerſa cernitur, quan-
m olim ſtructa fuerit in littore maris, haud
ge ab oſtio Aſopi fluuii. In Aquilonem ſe a-
it Portus, iuxta quem eſt munimentum, Ce-
lium dictum, ipſi Portui cognomen eſt Bo-
Cæterę Inſulæ, quæ in Boream vergunt, altis
guntur montibus. Venit Paros Inſula in po-
atem Venetorum, regnante Conſtantinopo-
enrico, Baldouini Flandrici fratre: Verum
nometus II. capta Eubœa, Paron quoque
upauit.

axus Inſula, quæ hodie *Niſchia* dicitur, in
itu habet XX. Leucas Gallicanas, fuitque
rioribus temporibus cum Creta ſub domi-
Venetorum. Verum Selymus, Solimanni
r eam Venetis eripuit. Ipſum oppidum,
d toti Inſulæ non ſolum imperat, ſed & no-
impeſtit, ſupra altum montem ſitum eſt,
ptentriones proiectum. Aiunt illam olim
am Inſulam Veneris, Diam, Dionyſiam, Si-
m Minorem, & Callipolin.

bi te orientem verſus ad littus Minoris A-
onuerteris, occurret *Claros* Inſula, cui ho-
Calamo nomen eſt, cum X. millium peridro-
olena editis montibus. Viſuntur hic rudera
quæ vrbis, quæ in Eurum ventum obuerſa
Secundum longitudinem huius Inſulæ ſi-
ſt, cui *Calamo* nomen eſt, cum oppido eiuſ-
appellationis. Supra Claron *Leros* ſiue *Lerta*
a eſt, cum ambitu XVIII. millium, & arce
s ortum. Ad Auſtrum eſt *Portus Lepidi* vbi o-
uit oppidum, totius Inſulæ caput, ad pedem
i montis.

aud procul ab iſtis Inſulis offert ſe *Pathmos*
ris ob commorationem S. Iohannis Apo-
qui huc in exilium miſſus fuit a Domitia-
lodie Palmoſa dicitur: & quanquam hæc
nonnullis vicinis ſint Aſiaticæ, volui tamen
ræcis adnumerare, cum quod lingua lo-
tur Græca, tum quod Turcarum Impera-
areant. Si enim ſeorſim de his & Europæis
are voluiſſem, res fuiſſet magni laboris, nul-
amen vſus vel delectationis. Eſt autem
nos parua Inſula, non niſi VIII. milliaria
ca circuitu ſuo metiens, recenſeturque in-
porades tam à veteribus quam antiquis
oribus.

Inſulæ hodie nomen eſt *Longe*, eſtque vl-
earum quæ in Orientem tendunt, ſecun-
ongitudinem littoris Aſiatici. Porrigitur
autem ab Aquilone in Auſtrum, complectitur-
que in longitudinem circiter XVIII. Leucas.
Merops fuit vetuſtum eius nomen, Turcæ Bar-
barico nomine *Stancum* vocant.

In Orientali Inſulæ parte oſtentat ſe Arangia,
præcipui nominis oppidum, in cuius medio la-
cus eſt, qui ætate amiſſis aquis exſiccatur. Sunt
in Co Inſula multa antiqua ædificia marmorea,
interque ea extra muros oppidi Palatium Hip-
pocratis Medicorum Principis, qui Cous fuit,
non minus quam Apelles Pictorum ſui ſeculi
Coryphæus. Ipſa Inſula non longe diſtat à littore Minoris Aſiæ, recta ex aduerſo Cypri Inſulæ.

Et *Samus* antiquum nomen ſuum retinet, non
tam magna quam celebris, porrecta ab ortu in
Occaſum, habens que XX. mill. in circuitu. Va-
riis hæc notata fuit nominibus, poſtquam eam
Cares deſeruerunt; quæ huc afferre nihil attinet. Fuiſſe olim in ea non contemnendam vrbem, oſtendunt vetuſta rudera, quæ conſpiciuntur longo ſpacio ſecundum littus maris. Eſt adhuc ibi Armamentarium nauale, pulchrum ſane & ſpacioſum, cum aggere ſatis edito.

Mycone vna eſt ex Cycladibus verſus occidentem, hodie Mycole dicitur, octo millia habens in circuitu. Habet hæc portum cum Armamentario, habitaturque tota; ad ortum eſt caſtrum S. Annæ, ad Meridiem S. Stephani, inter Eurum & Aquilonem Portus eſt Pandernenſis. Hinc non procul *breues Gyaræ* occurrunt, Inſula non magna, cincta vndique rupibus: noſtro ævo Barbarum nomen habet, diciturque *Stopodia*. Huc Romani in exilium mittere ſolebant, quos morte dignos iudicabant: quamuis eidem ſupplicio etiam cæteræ inter Cyclades haſce Inſulæ deſertæ inſeruire ſolitæ fuerint.

Celeberrima autem omnium eſt *Delus* ob Oraculum Apollinis; etiam noſtro ævo *Dile* nuncupata. Olim dicta fuit *Ortygia* ob numerum coturnicum, quę ibi frequentes erant: quam variis olim præſertim à Poetis inſignita fuerit nominibus, nihil opus eſt commemorare. Diuiditur hæc Inſula interceſſu canalis cuiuſdam in duas partes: in quarum altera viſuntur ruinæ ingentis illius Templi Apollinis. Iuxta Delum alia eſt Inſula, quæ olim *Celadusa & Artemiſia* dicta fuit, hodie & ipſa *Dile* dicitur non minus quam ipſa Delus.

Et *Andros* Inſula eſt è Cycladibus, vt minimũ XX. Leucas ſuo continens peridromo. Et huic olim varia fuiſſe nomina ait Myrſylus Lesbius: oppidum in ea orientem reſpicit, cum arce præalto ſcopulo impoſita, ad quam niſi per pontem penſilem veniri non poteſt. *Chius* oppoſita eſt cherſoneſo Ionicæ, quam Smyrnam nominant, intercedente inter vtramque anguſto freto, breuibus ſcopuliſque pleno: eſtque hæc media inter Mitylenen & Samon, pro Chio olim Æthalia dicta: peridromus eius conſtituit circiter millia XXX. extenditur autem ſecundum longitudinem ab Aquilone in Auſtrum, diuiditurque in duas partes, quarum vna dicitur ſuperior,

altera inferior. Occupauit hanc Solimannus anno à N.C.M.D.LXVI. Phrygiam Asiæ minoris regionem Turcæ Barbaro vocabulo Sarcum appellant. Huic opponitur *Lesbus* Insula pulcherrima, Mitylene dicta à præcipuo oppido. Prisca eius nomina fuerunt Antissa, Pelasgia, Macarea, & Egyra, vt Plinius narrat. Ambitum eius metiuntur fere XL. milliaribus nostratibus.

Iam vt etiam aliquid de iis dicamus locis, quæ possident per Sclauoniam, numeratur in iis primo loco *Castellum Nouum*, structum in colle humili iuxta Sinum Risonicum, qui hodie Catarensis dicitur. Hanc vrbem non ita pridem Hispanis eripuerunt Turcæ *Scodram*, quæ Barbaris *Scutari* dicitur, Veneti aliquandiu possederunt, sed hodie Turcis paret.

Distat autem à mari mill. pass. XVIII. incumbens præcipiti rupi, & sub se habens lacum amplissimum, vt cuius peripheria CXXX. millia conficiat: cætera editi montes ambiunt, præterquam versus septentrionem.

Præter hæc possident Turcæ exigua quædam & male habitata oppida, Buduam, Antiuarum, & Dulcinium, quod oppidum Ptolomæus Vlcinium nominat, cæteri Græci Olchinium. Hæc tria Venetis eripuit armis Selymus II. Turcarum Monarcha.

Qualitas & Ingenium harum Insularum.

In *Thaso* Insula candidissimum effoditur marmor, quod Romani olim magni fecerunt. Montes in ea cooperti sunt syluis frequentibus è Pinu & Abiete, ostenduntque adhuc scoriæ & purgamenta, quam diues aliquando hæc Insula fuerit Metallis: quanquam id certius præbeat indicium, quod Philippus Macedoniæ Rex quotannis ex ea argenti Talenta LXXX. acceperit.

Samothracia Insula abundat melle, suntque multæ in ea damæ.

Lemni fertilitas nostro æuo tanta est, quanta vix vnquam alias; gignit enim cum cannabe linum, frumentum, legumina, & vini copiam magnam. Carnium hic, vt & lanæ, aliarumque bonarum rerum vile precium ob copiam. Lignorum tamen hic alicubi penuria, inprimis in parte orientali, vbi dumus aridior est: quæ vero in Meridiem & Occidentem vergunt, humidiora sunt & perpetuo virent. Valles irriguæ, quæ inter colles multæ sunt, feraces sunt nucum, amygdalorum, ficuum & oliuarum. Fluuiis tota Insula destituitur, piscatio tamen est in littore maris vicini quæstuosissima, inprimis ostreorum optimorum, quibus magna est à nostratibus differentia. Scaturiunt etiam alicubi aquæ calidæ, non tamen adeo feruentes, vt in multis aliis locis. In hac sola Insula, non alibi, reperitur *terra Lemnia* siue *sigillata*, quæ multum valere creditur ad pestem & defluxiones. Fiunt autem inde paruæ massæ rotundæ siue trochisci, inscripti variis signis siue characteribus Arabicis. Magna autem solennitate certis ceremoniis terra hæc effoditur: cũ ad solũ die VI. Augusti mensis aperiatur cauerna, [illegible] ruitur, cæteris omnibus anni diebus eam vel dere nefas habetur: quin & ipsis Lemniis int dictum est, ne eam Insula efferant, capitis con tuta pœna.

Quoties Oratores siue Legati exterorum gum Constantinopolim veniunt, magni ac p cioſi doni nomine hæc ipsis terra offertur, qu maximi Turcæ facere solent.

Mare quod est inter continentem & *Eub* Insulam rapidum est & impetuosum, quod s gulis diebus quater, vel secundum alios, sex reciproco æstu fluit atque refluit, vt nau quamuis optimo ferantur vento, parum tam promouere possint. Cuius rei cum causam turalem indagare non posset Aristoteles, ræ & mœrore vitam finiuisse perhibetur. Abun *Eubœa* farre, leguminibus, vino, oleo, omnic genere arborum, inprimis earum, quæ ad fab candas naues aptæ sunt. Dicuntur etiam o in hac Insula felle carere, quã rem ego pro co perta non habeo. In agro Carystio grandia m moris fragmenta exciduntur, inueniturque lapis Ami nthus, qui in fila instar lini reduci teſt, vnde fit tela, quæ quoties sordidata fue non aqua eluitur, sed in ignem conjecta à sor bus purgatur.

Habet & *Melos* Insula optimos aquæ sulp reæ fontes, multis in locis, quarum vsus æ saluberrimus est. Est autem solum huius In læ pingue atque fertile, vt grana frumenti in quadragesimum ab satione diem ad iustam p uenerint altitudinem, & paulo post demeti tuerint. Oliuetis multis locis abundat, vin alicubi. Subter terram ostendunt se nonnu argenti venæ, cum sulphuris copia, quo vix p stantius vllum inuenitur. Ex hac ipsa Insula cullus præstantissima marmora primus Rom secum asportauit. Aiunt in certa quadam hu Insulæ parte eam esse soli naturam, vt si fa fossa excauetur humus, cauerna paulo post, humana ope, sua sponte rursus impleatur.

In *Seripho* Insula Ranæ mutæ esse credun quod nunquam coaxantes auditæ fuerint; de locus prouerbio, RANA SERIPHI quanquam Plinius scribat, eas, si extra S phum alio exportentur, non minus clamosas se quam alias. In *Siphno* Calamita reperitur merosa, nescitur tamen vulgo, vbinam ea & argenti fodinæ fuerint, quæ Insulam tam lebrem reddiderunt, cum nulla supersint tra Thesauri vestigia.

Paros Insula olim diues fuit præstantissi marmore, laudati candoris, qui lapis, quod Lychnuchos siue cãdelabra expererentur, Ly nites appellatus fuit. Narrat Solinus in Paro sula lapidem quendam, quem ipse Sardum pellat, inueniri, qui vel præstantissimum M mor vincere queat, neque tamen in numer gemmarum vel precioſorum lapillorũ rela à quoquam fuerit. Plinius tamen huius la

di

is in Paro Insula mentionem nullam facit. Iud quidem perhibent, si quis rem aliquam alam immergat mari ab ea parte, vbi est Armamentarium Nauale, continuo eam nigram fieri. er huius Insulæ tam salubris & serenus est, vt l summam senectutem incolæ perueniant, neue tamen ii qui tot annis onerati sunt, senectus molestiis se grauiter affici querantur.

Naxus hodie *Nisia*, plerisque in locis vineis ooperta est, non minus quam olim. Lapidem ber quem Græci ophiten, nos serpentinum canum, qui terra eruitur. Multæ hic sunt ve, vel potius Thaones; quarum aculei punra non minus lethalis est quam Scorpionum, in tempore afferatur remedium. Offerunt n hac Insula auri venæ satis luculentæ, sed neguntur, siue id incolarum fiat incuria vel inia, siue quod Turcæ prohibuerint, quod & aliis Græciæ partibus fieri nouimus. In *Lero* si*Lero* Insula multum subministrat terra maiæ marmoreæ, estque ipsum solum supra mom ferax. colligitur hic lignum Aloes, quod armacopœi nostri plurimi faciunt ob præstã. n. Vinum *Coum*, in quanta jam olim fuerit æmatione satis notum est, præsentim quod ab ppone denominatur: sed & eadem Insula abdat frumento & pecoribus. Cupressi arbores quam elegantiores, vt nec Fraxini nec Terethi: Bombycum etiam, vt olim ita nunc quoe largus hic prouentus, vnde quoque serici. er tot bona non leue sentiunt Insulani daum ex lacu quodam, qui versus occidentem nans, tam tetros exhalat vapores, vt impose sit eas perferre hominibus, quo fit, vt tota ilæ ea pars deserta sit habitatoribus, magis en noxii sunt vapores per æstatem, quam annitemporibus.

amos Insula vinum non gignit, quanquam næ abundet vitibus, etsi vt Strabo testatur, erarum rerum bonarum sit feracissima. Fruti copiam multi scriptores ei negant; quem ectum olei incredibili vbertate compensat. *Syconc* Insula tantum olim murium domesti*Syconc* im maioris generis fuisse perhibent, vt mie omnes coegerint incolas.

Chius tantum habet malorum aurantiorum, orum expressus succus plenis doliis conda& Constãtinopolin Venetiasque mittatur ad diendos gratissimo illo acore cibos. Arboquibus Mastiche extillat, in littore maris go ordine plantatæ conspiciuntur, paruæ lam & humiles, cum folio quale est Buxo étisco. Vulneratur autem cortex arbuscuus circa stirpem singulis annis duodecies, de Mastiche extillet, quæ est instar resinæ. i fit in arboribus, ex quibus ad eum moextrahitur Terebynthina, putanturque duo vix vllibi per orbem prouenire præstã. Conspicitur hic in super in præaltis arbos fructus quidam, specie fabarum in sua laum tunica, quem Græci Ondorinen vo. Latini vero viscum, vnde glutinosus ille vicolligitur. Nec parua laus est Chio Insulæ à vino Maluatico, quod hic crescit, quanquam bonitate infra Creticum. Olim solebant Chii Romam mittere oleum Cabasinum, vt hodie ex Prouincia Narbonensi defertur Lutetiam inque reliquam Galliam.

Lesbi Insulæ præcipua laus ob eximiam fertilitatem; nam omnes fructus arborei, qui hic proueniunt suauioris sunt gustus quam alibi. Aere fruitur saluberrimo. Multi hic montes visuntur, in quibus olim Latomiæ Marmoris, cuius tam é non ea pulchritudo quæ Parii. Gagates lapis, qui hic colligitur, in magna est æstimatione. Vinum autem Lesbium præstantissimum inter omnia vina Græca iudicatur. Equorum hic armenta numerosa, qui quamuis minores sint, robore tamen & pulchritudine corporis nihil cedunt maioribus. Casei hic & omnis generis frumenti abundantia, vt & confectionis aromaticæ genera duo, quibus Turcæ in parando potu suo vtuntur. Barbara nomina eorum sunt hodie *Trachana & Bou hort* priscis dicebantur *Crimnon & Maza*. De Samothracia supra diximus. Quod ad loca Illyrici seu Sclauoniæ attinet, quæ sit eorum fertilitas & natura, satis potest iutelligi ex iis, quæ de Republica Ragusina, & iis quæ Veneti in ea ora possident, diximus.

Mores Antiqui Insulanorum Archipelagi.

Solebant olim *Cææ Insulæ* habitatores, cum affectos senio vitæ tædium cepisset, sponte Venenum bibere, odio imbecillitatis cæterarumque senectæ molestiarum, eratque permissum cuiuis exire è vita, dummodo id permissu Magistratus faceret. Erat autem apud illos lex quæ iubebat eos, qui bene viuere non possent, honeste mori: eos vero qui sexagesimum ætatis annum essent supergressi, vt venenum haurirent, quo victus, quem senes absumturi fuissent suppeteret iuuenibus. Testatur id Aelianus in varia sua, dum ait, morti destinatos solenne sacrificium fecisse, quo peracto coronatos floribus cicutam bibisse, gnari se amplius patriæ prodesse non posse. Fingunt Poetæ hanc Insulam olim habitatam fuisse à Nymphis Corinthiacis, quibus & ideo sit consecrata.

Seriphus olim Tutelarem habuit Apollinem, qui præ cæteris in ea cultus fuit.

Siphni incolæ aliquando tam potentes fuerunt, vt cum Lacedæmoniis de principatu Græciæ certare bello ausi fuerint, vnde magnus eorum animus & ad summa adspirans intelligi potest.

At *Parii* leuitatis & mendacii nomine accusati fuere, quod deuicti à Miltiade Duce Athenensium, fidem ei obedientiamque iurauerint, sed promissorum nihil seruauerint; vt inde locum prouerbio fecerint, Imitari Parios, id est fallere fidem.

Naxii rudes & obeso ingenio semper habiti sunt. In hanc Insulam olim multæ se receperunt mulieres, vbi in memoriam violatæ à Theseo

Ariadnes

Ariadnes, detestantes virorum perfidiam, innubam duxere vitam.

In *Coo* Insula fuit olim operosissimum Aesculapii Templum, è cuius posteris se genus ducere aiebat Hippocrates. Ad hoc ab omnibus Graeciae partibus confluebant aegri, scilicet vt ibi recuperarent sanitatem.

Samii singulari cultu prosequebantur Iunonem, cui multa instituerant festa atque sacrificia. Erexerant huic statuam, qua eam vt puellam nupturientem repraesentabant, quod eam in Samo natam arbitrarentur, ibique vsque ad pubertatis annos educatam, vsque dum Ioui nupserit. Dedicauerant eidem etiam Nemus Iunonium, in quo alebant multos pauones à partibus transmarinis aduectos. Fiebant autem in hac Insula praestantissima vasa terrea, vnde Lutum Samium in prouerbii vsum tractum est.

Tantum autem honoris habuerunt Athenienses *Delo Insulae*, vt omnes tumulos aperiri, & sepultorum ossa in vicinam Insulam Rhenen transferri iusserint, quae in eum vsum consecrata fuerat, à Polycrate Samiorum Tyranno, cum is imperio Maris potiretur, vt esset velut Deliorum Caemeterium. Facta dedicatione per Athenienses, institutum fuit festum solenne, quinto quoque anno agitandum, vbi omnes qui erant Ionici generis, conueniebant, teque exercebant cursu, palaestra siue lucta & Musica, agitantibus liberis ciuitatibus choreas in honorem Apollinis. In hac Insula nefas erat canem alere. Et *Chii* olim in mari potentes fuerunt, cumque se in libertatem asseruissent, magnasque acquisiuissent diuitias, instituerunt egregiam domi formam Reipublicae. Ad extremum tamen ab Athenienſibus subacti fuerunt, deinde à Macedonibus, postremo à Romanis, post quos sub Grecorum Imperatorũ dominio fuerunt. Multorum illustrium hominum patria fuit *Lesbus* (hodie Metelina) Insula, fuitque velut seminarium doctorum virorum, & elegantiorum litterarum studiosorum. Hinc enim prodiit Theophrastus, & Pittacus inter VII. sapientes Graeciae relatus, & Alcaeus Poeta, & Sappho Poetria, cuius suauissimi extant versiculi, sed oppido quam pauci. Eadem genuit Diophantum Oratorem, Theophanum Historicum & Poetam, Therpandrum insignem Musicum & Poetam, vt & Arionem Citharoedorum clarissimum.

Coluerunt olim praecipue Bacchum *Lesbii*, hac de causa, vt ait Pausanias: cũ piscatores Methymnaei è mari extraxissent caput humanum ex oleastro factum, cum nescio quid diuini prae se ferre videretur, quanquam peregrina eius esset facies, & à Grecorum Diis aliena, consuluerunt Pythiam, quis Deorum Heroumque ea facie repraesentaretur? responsum fuit, vt id caput Baccho dedicarent cognomento Cephalenio.

Samothracia Insula olim celebris fuit, quod velut cõmunis fuerit schola, in qua addiscebantur ritus, ceremoniae & sacrificia omnia, quae cuiq; per vniuersam Graeciam Idolo offerenda essent.

Mores eorum nostri temporis.

Quamuis eodem prope modo viuatur in omnibus istis Insulis Graecanicis, non erit tamen alienum à nostro proposito, quaedam de iis earumque moribus singularia dicere, quibus nostro aeuo vtuntur. Primum igitur sciendum est tantum Piratarum versari assidue circa has Insulas omnes, vt habitatores earum iu perpetui velut specula excubare oporteat hoc pacto. Non est vllus mons aut edita rupes, in qua non sit speculatores per totum diem, vt visa aliqua nui Piratica signum proponant: facile enim discernere possunt inter naues Piratarum & Mercatorum. Cum primum nauem praedatoriam conspicati sunt, extemplo ignem excitant, cumque interdiu ignis non satis clare luceat, ciusmodi materias ingerunt, quae multum causantur fumi: si plures sint naues, plures excitantur ignes. Conspecto hoc signo omnes armati ad portum confluunt, ibique operam dant vt communem pestem excensione & noxa prohibeant. Noctu non solum ignes in montibus clare visuntur, sed & naugia conspici possunt. Vnde sufficit tot faces exigere, quot se in conspectum dederunt naues. Ipsi vocant Mare purum, si nullum talem ignum in montibus conspiciant: contra turbidum, si vel ignis vel fumus appareat.

Pathmus Insula, hodie Palmosa, habitatur Graecis Christianis, viuentibus in pulcherrima libertate, ita tamen, vt Turcarum Monarcha summum suum agnoscant Magistratum, eique annuum pendant tributum. Agri coluntur per Christianos, suntque in hac Insula plurimi Colohieri. Tenet nescio quae superstitio Coos, stolida quidem ea & absurda. Serpentem enim ingentis magnitudinis conspicati, aiunt eam Iuliam esse Hippocratis Medicorum Principis eamque adhuc uiuere, quod exquisitae in Magia scientiae Saga fuerit.

Oppidum Stancum soli Turcae habitant, exclusis omnino Christianis, nec oppido dũraxat, sed & omni penitus insula, praeter duos pagos agrestes, in quibus Christiani Graeci habitant, agros atque vineas colentes. Idem fit in Lesbo Insula vbi Mytilenen vrbem soli Turcae inhabitant, agrorum cura & cultura vinearum Graecis permissa. Idem faciunt Graeci, qui Lemnum incolunt, vbi sine metu piratarum degunt, Soli formidine per milites, qui per eam Insulam praesidia distributi sunt: & hic multi sunt Colohieri, vt & in caeteris omnibus Aegei maris Insulis.

In Chio Insula Turcae nulli homini Christiano permittunt, vt in oppido eiusdem nomine habitet aut diuertat, quanquam Episcopus propterea non intermittat celebrare Missae Sacrum in domo Episcopali, quae est in ipso oppido, vbi & certa quaedam domus hospitalis est, in qua omnibus pauperibus & viatoribus Christianis per tres dies noctesque hospitium victusq; gratis datur. Horum etiam iuxta fossam vrbis sepul-

cral

lia conſpiciuntur monumenta. Ab oppido millia paſſ. circiter XV. ſunt prægrandes caſæ licanæ in quibus commorantur circiter L. LX. ruſtici, quorum id vnicum eſt ſtudium & ficium, vt quouis anni tempore alant perdi- quas magna induſtria capere nouerunt ter- poſtquam excluſæ ſunt die. Has ita adſuefa- e ſciunt, vt quamuis toto die per agrum cam que errent, ſub veſperam tamen domum eant. Cum ad cortem reuocandæ ſunt, pul- us quiuis occultat ſe inclinato in terram cor- e grana tritici intra labia tenens, quæ dum re vult perdix, agnoſcit magiſtrum nutri- nque ſuum, & ita domum defertur. Hæc in- ria Inſulanorum facit, vt ibi magna perdi- ſit copia, vtque vili precio vendantur.

Et hæc quidem de Inſulis Archipelagi ſiue is Ægæi dixiſſe ſufficiat; nam Cyprum, Rho- , & Inſulas Propontidis ad perſcriptionem m terrarum & regionum referemus, quas gnus Turca per Aſiam poſſidet: nunc vero cluſuros potentiam Otthomannicam per ppam, iuuat levi pede percurrere.

ſniam, Bulgariam, Serniam, Raſciam, cum iis quæ per Hungariam Turcæ obtinent.

autem Boſnia regio Illytici, quam Oroſius laniam nominat, alii vero Mœſiam ſupe- m. Nomen hoc recentius ei dedit Boſna us, qui in Sauum amnem influit. Diuiditur n Boſnia omnis in duas partes, quarum illa hæc ducatus nomine cenſetur. Situs eius er Danubium & Sclauoniam. Porro re- Boſniæ occupat inferiorem regionis par- uius præcipua eſt ciuitas & velut caput re- s laieza, ſita in ſummitate montis inter amnes, cum arce, quæ humanis viribus gnari non poſſe videtur, hoc regnum Tur- ſubiecit anno à N. C. M. CCCC. LXIV. lē barbarica ſæuitia detrahi iuſſiſſet Stepha oſniæ regi, eidēq; deſpotæ Raſciæ Seruiæ- ucat' Boſniæ nomine cēſentur ſuperiora, Raguſienſibus, nominabatq; ſe Dux iſte oſniæ duntaxat, ſed & S. Sabæ & Montis principem. Sed & hic idem Ducatus in rū manus peruenit anno Chriſti M. CD. , eſtque ad eum modum omnis Boſnia tempore ſubvnam præfecturam redacta. Beglierbegi eſt in oppido Bagnia luca, uam & alia plura oppida ei ſubſint.

iam multi accipiunt pro antiqua Tribal- regione, & parte ſuperioris Mœſiæ: ſitus inter Boſniam & Bulgariam. Præcipua ciuitas eſt Senderomia, quam alibi Spen. m vocant. Turcis dicitur Semonder, ris & Germanis Sendrem. Non longe diſtat a Belgrado, ſupra Danubium am- Occupauit hanc Amurathes Turcarum cha anno Saluris M. CCCC. XXXVIII. gno patriam ſuam debet Iuſtinianus Im- perator, præter quam & Senderomiam præci- pua Seruiæ oppida ſunt: Vidina, à Turcis Kira- toun vocata, ſita ad montem Argentarium, de- inde Nouogardia, ad fines ipſius Seruiæ, quam nonnulli male nominant montem Nouum; po- ſtremo Mons Niger.

Bulgaria quaſi Volgaria quibuſdam dicitur, à populis quibuſdam, qui progreſſi à Volga fluuio circa annum à N. C. DC. LXVI. hanc regionem occupauerunt, quæ putatur eſſe veterum Mœ- ſia inferior. Fines huius ſunt Seruia, Romania & Danubius amnis. Caput regionis eſt Sofia oppi- dum, quod Niger accipit pro Tibiſco Ptolo- mæi. Sita eſt autem Sofia loco commodiſſimo, eſtque ampla ac populo frequens, nec tamen ſa- tis munita. Hanc ſequitur Nicopolis, quam Turcæ pronunciatione Barbara vocant Nege- bolin. Raſcia inter Termem & Danubium am- nes eſt. Vrbes & oppida in ea numerantur hæc Sarſonia, Cruſoviccia, Couinum, Nouabardà, Seuerinum, Columbeſta & Bodum. Habuit Raſcia olim ſingulares ſuos Deſpotas, quo- rum extremum profligauit & principatu exuit Amurathes.

Præter hæc obtinet Turcarum Monarcha Beſſaratiam, quæ pars putatur Moldauiæ, inque ea oppida Kilim & Moncaſtum, vbi commora- tur Sangiacus ſubiectus Beglerbego Græciæ. Venerunt autem hæc oppida in Turcarum po- teſtatem, cum ipſa regione anno à Salute per Chriſtum reparata M. CCCC. LXXXV.

De iis quæ Turca per Vngariam poſſidet, tūc diximus, cum ipſum regnum Vngariæ in ſupe- rioribus deſcripſimus.

Qualitas & natura harum regionum.

Eſt Boſnia omnis aſpera & plena montibus, nec valde multum emolumenti affert colonis ſuis. Montium prope ſolum & vnicum benefi- cium hoc eſt, quod regionem acceſſu difficilem faciunt. Inueniuntur tamen alicubi argenti fo- dinæ, quarum prouentus non eſt exiguus. Fal- cones ad aucupium hic inueniuntur optimi, & quibus pulchriores alibi fruſtra ſis quæſiturus.

Sed & Bulgaria maxima ſui parte montibus attollitur, qui potriguntur modo verſus Danu- bium, modo verſus Romaniam ſiue Thraciam. Aſperiora tamen ſunt media regionis quam ex- trema. Etſi autem in inferioribus multæ occur- runt valles & planicies, pleraque tamen denſis cooperiuntur nemoribus, vel ſunt deſerta: & ob hæc incommoda conſumptæ hic ſunt reliquiæ exercitus Ladislai Poloniæ regis.

Eadem eſt natura & ingenium Seruiæ Raſciæ- que, quanquam Seruia cætera hæc regna ſu- peret bonitate aurifodinarum, vt Boſnia venis argenti.

Mores & ingenia incolarum.

Conueniunt hi in pleriſque ſuis actionibus cum Sclauorum moribus, qui iam ante maxima

ex parte

ex parte à nobis descripti sunt. Participant tamen etiam in quibusdam ob vicinitatem cum Polonis, qui & ipsi Sclauici sunt generis. In vniuersum tamen reputanti planum fiet, omnes hos populos esse vinosos & ebrietati deditos, crassos rusticosque. Nemo qui sapit, eorum verbis multum tribuet, quod ob leuem aliquam causam soleant fidem fallere. Dicere possis eos natos ad laborum & fatigationis tolerantiam, ita vix vnquam defatigantur. Exteris tamen, in primis nostris hominibus grauissima est fere intolerabilis earum conuersatio.

Animosi tamen sunt vel potius audaces a temerarii ad subeunda pericula, vt cœcum potius ac brutalem in iis deprehendere possis impetum, quam fortitudinem, quæ citra prudentiam esse non potest.

CATALOGVS OMNIVM PRINCIPVM, TAM CHRISTIANORVM QVAM MAHOMETISTARVM, qui Constantinopoli imperauerunt, ab eo vsque tempore, quo primum Imperium Orientis ab Imperio Occidentis, quod penes Carolum Magnum fuit, separatum fuit.

Non nos fugit, amice Lector, auctorem nostrum Elenchum Imperatorum Constantinopolitanorum non hoc loco, sed omnium postremo, post recitatas res Ottomannicæ potentiæ per Asiam Africamque collocare. Nos tamen, memores instituti nostri, qui in primo Archontologiæ huius libro de iis Principibus, qui per Europam domicilium sibi fixerunt, etsi alibi quoque dominentur, nos dicturos pollicitisumus, hunc ipsum locum Catalogo huic tribuere voluimus, cum quod Turcarum Monarcha Constantinopoli in Thracia, quæ prouincia est Europæ, sedem habeat regiamque, tum quod eo cum primis nomine inter Principes Europæos relatus, ac primo huic libro insertus fuerit.

CONSTANTINVS VI. Leonis IV. filius, patri in Imperio successit anno à N. C. DCC. LXX. Regnauit hic nouem annis adolescens admodum cum Irene matre sua, cum vtrique persuasit Therasius Patriarcha Constantinopolitanus, vt concilium cogerent CCCL. Episcoporum, quorum consensu Imagines Templis Christianorum restitutæ fuerũt, quas Constantinus V. eiecerat. Aliquot annis postea amouit Constantinus matrem suam à gubernaculis Imperii, iussitque erui Nicephoro oculos & amputari linguam, cum illum secreto ad Imperium adspirare animaduertisset. Sed & vxorem suam Mariam, Caroli Magni filiam Monasterio inclusit, ducta concubina sua, & quidem de consilio Matris Irenes, quæ per id factum filium apud populum in odium adducere conabatur. Huic matris consilio cum fortuna subscripsisset, ipsa superior facta, capto filio oculos eruit, eumque in carcerem compegit, in quo mortuus est anno à N. C. DCC. XCVIII. Regnauit igitur sola Irene annis V. Huius temporibus Imperii Occidentalis Diademate cinctus est Carolus Magnus, anno Christi DCCC. I. Secutus est Irenen *Nicephorus* Patricius, bonus ab initio Princeps deinde factus malus & nequam. Periit in prælio cæsus à Bulgaris.

Huius filius *Stauratius*, cum in eodem adhuc sus Bulgaros prælio vulnus accepisset, ab Imperio deiectus est tertio mense post, quam Michael Curopalates Procopiam sororem eius duxisset, qui & Stauratium Monasterio inclusit, ibi finiret dies suos.

Factus igitur Imperator *Michael Curopal.* anno à N. C. DCCC. XI. tam molli & laxo animo, vt facta aduersa pugna, semel fugatus Bulgaris, abiecta omni vlterioris Imperii spe Monasterium se abdiderit.

Anno salutis DCCC. XIII. Imperii habe susceptit *Leo Armenius*, huius nominis V. cum ante supremus Dux militum Curopalatis fuit. Priuauit hic genitalibus filios Michaelis, eosque in exilium misit. Imagines, quas templis eiiciuerat, restituere, donec vixit, noluit, occi in æde sacra durante seruitio diuino, octauo Imperii sui anno. Vxor eius Monasterio inclusa fuit, filii exulatum missi.

Michael Balbus siue *Traulus*, nefarius patric Leonis V. Imperator factus an. à N. C. DCC XX. mortuus est fluxu ventris.

Huius Balbi filius *Theophilus* ad Imperium p uenit anno Christi DCCC. XXIX. vir vt iust ammans, sic osor statuarum & imaginum, ac vt eos, qui illis honorem habuissent, acriter niuerit. Infelix hic fuit in bello, semper fere ctus ab hostibus, vnde tanta tristitia affectus vt ab omni cibo abstinens, nil præter frigid biberet, quæ res ei causa fuit dysenteriæ, qu psum è viuis sustulit.

Theophilo marito mortuo, vxor eius T *dora*, cum se pro Tutrice Michaelis filii sui g

nperio satis feliciter præfuit, restitutis in
la imaginibus. Cum autem Michaël Im-
er ætatem capax factus fuisset, Mater ces-
o filio, professa se Monialem, anno Salu-
CCLVI.

ur *Michael* Theophili filius, cum patri in-
cessisset, adultior factus Basilium Mace-
n Imperij socium adsciuit, interfectus post
ratissimo isto, cum post abdicationem
s imperasset annis XI. mensibus IX. die-
. in vniuersum vero annos XXV, menses
XIV.

t *Macedo* iste *Basilius* cum anno Christi
CLXVII. Imperator factus fuisset, di-
ing; atitudine sua vitæ finem adeptus est,
ctus à cerno in venatione, qui cornua
bus eius impegerat.

i VI cognomen fuit Philosopho, qui Im-
n auspicatus est anno Salutis DCCC
XVI. Solebat hic de nocte mutato habitu
re vigilum stationes, vt videret, an excu-
s recte facerent officium. Cum autem ali-
o importunius id faceret, verberatus ac
erem missus, altero die, cum innotuisset
sset, adeo non animaduerit in vigiles, vt
eos muneribus affecerit.

cutus est fratrem Leonem in Imperio
der anno Christi CMIV. homo deditus
tatibus, mortuus profluuio sanguinis, qui
nates & genitale membrum erupit, cum
ventre nimis se exercuisset in lusu pilæ, &
onscendens equum nimia intensione cor-
enam rupisset.

eptimum annum agebat *Constantinus* VII.
ater eius Leo VI. moreretur, qui filium re-
at sub tutela matris suæ Zoës. Mortuo au-
tuo Alexandro anno CMVI. ipse impe-
epit. Restituit hic priscum splendorem lit-
Græcis, reliquitque filio suo librum, quem
ripsit de negocijs Imperij, quem Veneti
precioſi thesauri etiamnum custodiunt.
uit hic annis XIV vna cum matre sua
XIII annis simul, & II. cum Romano, qui
usus fuit penitus Imperio spoliare.

lic enim *Romanus Lecapenus* tam molestus
onstantino in imperio, vt cogeret eum se
n adsumere anno salutis CMXX. Roma-
tim dedit Constantino filiam suam vxo-
usus postea generum toto imperio euerte-
dque ad se & filium suum Christoferum
erre. Sed dum bellum gerit contra Simeo-
Bulgarorum Ducem, capitur à filiis suis
ano & Constantino, qui eum spoliatum
io in monasterium detruserunt. Cumq;
fraudem molirentur in Constantinum
ipsi capti tonsique & Monachi facti sunt.
onstantinus solus pacifice regnauit.

o à N. C. DCCCLIX Imperator factus
manus Iunior, Cõstantini VII. filius, sub du-
turela Nicephori Phocæ. Pepulit hic in
m matrẽ sororesq; suas, quæ deinde quæ-
rpore fecerunt. Ipse quoq; Veneti & gulæ
us, hausto veneno mori coactus est.

Sequutus est pupillum *Nicephorus Phocas* Tu-
tor, Imperator factus anno S. C. M. LXIII. Re-
cepit hic Ciliciam cum magna parte Asiæ mino-
ris, quam Saraceni occupauerant. Idem Nice-
phorus de nocte aggressus Antiochiam, cepit
vrbem. Cum autem ob ea bella grauibus popu-
lum premeret exactionibus, & nummos nequã
cuderet, & diminueret pondus rerum, odio à
suis habitus, cum noctu dormiret in cubicu-
lo suo interfectus est à Iohanne Zimisce, Theo-
phania Nicephori vxore ipsa percussorem ad-
mittente cum grege sicariorum nocturnorum.

Et eo parricidio ad Imperium venit *Iohannes
Zimisces* anno à N. C. CM. LXIX. homo magna-
nimus & robustus, quique totam Bulgariam re-
cepit, quam Roxolani occupauerant: quo facto
propinato veneno sublatus est. Assumpserat hic
in Imperii societatem Basilium & Constanti-
num fratres, Romani, qui Nicephori Anteces-
sor fuerat, liberos.

Igitur hi duo *Basilius II. & Constantinus VI.* si-
mul Imperatores facti sunt anno DCCCC.
LXXVI. Sub his vniuersa Bulgaria subiecta fuit
Imperio Constantinopolitano, quæ antea to-
ties rebellauerat. Post mortem Basilii fratris sui
Constãtinus solus imperauit annis tribus, mor-
tuusque est immersus deliciis. Successit ei gener
Romanus Argyropilus anno Salutis M. XXIX. ve-
rum hunc vxor Zoe per adulterum suum pro-
ditorie sustulit, cum in vaporario corpus la-
uaret.

Et is quidem Zoes adulter, qui Argyropilum
interfecerat, fuit *Michael Paphlago*, stupro & par-
ricidio ad Imperium euectus anno Salutis M.
XXXIV. fuit hic obnoxius morbo caduco, pul-
cher quidem & formosus, vnde etiam à Zoe a-
matus fuit, sed ingenio hebes. Postremo inter-
iit Hydropicus.

Fecit igitur Zoe Imperatorem *Michaelem Ca-
laphatem*, quem ipsa in filium adoptauerat, cum
Michel prius mulieri iurasset, se à nemine quam
ab ipsa accepturum Imperium. Postea autem
Zoe interitum minatus est, dicens veneno se
ab ea appetitum: & sic eam captam Mona-
sterio inclusit. Verum populus excitata sedi-
tione contra Michaelem, Theodoram Zoes
sororem Imperatricem creauit, extracta è Mo-
nasterio Zoe: calaphatem autem persecuti se-
ditiosi ceperunt, & cum ipsi tum fratri eius erue-
runt oculos.

Ad hunc modum restituta *Zoe* partita est Im-
perium cum *Theodora* sorore, cum Michael Ca-
laphates non nisi IV. menses regnasset. Etsi au-
tem Zoe admodum anus esset, annumque æta-
tis LX. supergressa, ardens tamen adhuc rigida
prurigine reuocauit ab exilio Constantinum
Monomachum, eumque fecit maritum & Impe-
ratorem simul, cum muliebre istud Imperium
non nisi per tres menses durauisset.

Constantino Monomacho siue Nono genus fuit
ab Imperatoribus; is vt diximus, per Zoen vxo-
rem ad Imperium peruenerat anno à N. C. M.
XLII. homo dissolutus & voluptuarius, qui

elegantes pellices pro vxore anu inibat. Perfecit tamen cum alia bella tum ciuilia duo. Zoe mortua est septuagenaria, quam paulo post ipse quoque secutus est, morbo fractus articulari & pleuresi necatus.

Theodora, quæ cum sorore Zoe per tres menses Imperium obtinuerat, iterum & quidem sola extincto Monomacho Imperare cæpit anno M. LV. sed non nisi duobus annis: quo tempore tã feliciter præfuit rebus, vt summa publice esset tranquillitas. Accedentibus autem ad senectutem variis morbis & incommodis, monita per domesticos suos, communicauit Imperium cum Michaele quodam & ipso iam sene, nec diu post superuixit.

Igitur *Michael* ille *Senior* Constantinopoli imperauit cum Theodora & post eam, sed non diu. Cum enim vix anno vno rebus præfuisset, deiecit eum solio Isaacus Comnenus, vt Michael cedens fortunæ aliquandiu post priuatus vitam finiuerit. Et sic factus est Imperator.

Isaacus Comnenus anno Christi M.LVIII. vir magni animi, sed ingenii arrogantis, quod nobilissimo genere natus esset. Diligenter hic in negociis publicis versatus est: sed cum in venatione acrius persequeretur feram, Pleuresi correptus, statimque de recuperanda sanitate desperans, Monachus factus, Hæredem imperii dixit Constantinum Ducam, consentiente S.P.Q.

Annus erat à N.C. M. LX. cum *Constantinus* X. cognomento *Ducas* Imperium adeptus fuit, homo religionis & iustitiæ amans, auaritiæ tamen crimine suis exosus, ab inimicis vero contemtus. Mortuus est Ducas sexagenarius, relicto Imperio Eudoxiæ vxori & tribus suis filiis.

Tenuit ergo Imperium *Eudoxia* cum liberis, mulier gerendis rebus, vt videbatur suffectura, nisi bella ab exteris nata impediuissent. Cum enim vicinas gentes Imperii vires labefactarent, existimantibus plerisque, viri non mulieris onus esse, capessere rempublicam: persuasa Eudoxia, oblitaque promissi, quod fecerat marito morituro, nupsit Romano Diogeni, cuius facti eam celeriter pœnituit, cum non ferret arrogantiam hominis, omnia ad suum arbitrium trahere volentis.

Tenuit tamen Imperium *Diogenes Romanus* anno M.LXVIII. Captus in prælio à Saracenorum Sultano Ayante, honorifice habitus muneribusque excultus Constantinopolin remissus est, quæ comitas Sultani causa pacis inter vtrumque Principem fuit. Constantinopoli autẽ omnia turbata fuerunt. Eudoxia enim in exiliũ missa, Diogenes ab Imperio deiectus, & Michael Constantinus Imperator factus est. Priuauit hic oculis Romanum, inque exilium ire compulit, in quo mortuus est, tumulatus ab Eudoxia vxore.

Anno à N.C. M.LXXI. Imperiale Solũ concendit *Michael Parapinaceus*, cui cognomẽto causã dedit ingens fames, quæ eo imperãte ciuitatẽ afflixit, cum ad quiduis potius quam ad regnandum factus esset. Cum enim totum se tr
set componendis carminibus, vsus Psel
gistro, Turcæ ab omnibus partibus inua
Imperium, in primis in Asia. Proceres
Græcorum, electo alio, Michaëlem cum
Monasterium compegerunt, vt ibi versi
ret, ineptus ad regnandum.

Successit Parapinaceo anno Salutis M
VIII *Nicephorus Botoniates*. Sed deiectus so
Comnenos, inter Monachos paulo pos
finiuit.

Isaaci igitur Comneni filius *Alexius* Im
cæpit anno MLXXXI. Conatus est hic
pærorum Principum vires frangere & im
conatum, cum proficiscerentur ad recupe
terram Sanctam. Verum postremo co
pollicitus est se commeatum & res nece
suppeditaturum exercitui. Mortuus est A
septuagenarius, diuturno consumtus mo

Huius frater Caloiohannes obtinuit
rium anno MCXVIII, ipse sibi factus caus
tis, cum telum veneno tinctum, quo ada
venationem vsurus fuerat, manui impr
impegisset.

Eius igitur frater, vel vt alij volunt, filii
nuel Comnenus obtinuit Imperium anno S
XLII, homo perfidus & malitiosi ingenij.
lit hic bellum Turcis, cumque regnasset
annis XXXVIII, morbo extinctus est. Suc
igitur Manueli patri *Alexius* filius anno C
MCLXXX, qui gubernauit Imperium A
nico primum tutore suo, deinde Imperij
postremo interfectore. Andronicus enim
vt Alexio præcideretur caput secreto, & c
in mare abiecit, cum adolescẽs esset annor

Et sic fuit Imperium penes *Andronicum*
nenium Isaaci filiũ, qui cæpit regnare anno C
MCLXXXIII. Intulit huic bellum Guili
Siciliæ Rex, vt vlciscereturmortem Alexij:
que ab aliis quoque peteretur, immine
Isaacus Angelus, vicit acie hominem imp
que priuauit, conrentusque vnum ei eruisse
lum, asino eum præpostere impositum, alli
coronatum, imposita manibus eius asini c
pro freno, sic per vrbem ludibrij causa duc
sit. Incedenti hoc schemate populus pla
conuiciorum ingessit, pueri vero & se
stercus equinum & cænum vicorum, ba
insuper & lapidibus petentes miserum. Sic
sputus verberatus excruciatusque postrem
pendit, mulierumque vngulis conscissus
frusta secatus miseram finiuit vitam.

Cæde Andronici peruenit ad Imperium
ca annum Domini MCLXXXV. *Isaacu*
gelus. Huic Alexius frater minor natu &
los & Imperium eripuit, eumque detinu
carcere, donec alius Alexius, Isaaci filius
petrato à Francis & Venetis auxilio, pa
in libertatem restituit, qui cum nimis a
post diuturnum carcerem liberiorem hau
aerem, non diu superuixit. At Alexius s
rior, Angeli frater, profligatus à Baldu
Flandro & venetis, Imperio excidit, quo

ıs est *Alexius Iunior* Isaaci Angeli filius, anno
risti M.CC.IV. quem, cum iam vix impera-
æpisset, interfecit Murziphilus, humili loco
us, sed per Alexium ad honores promotus.
m autem multi se Murziphilo opponerent,
idens viribus suis, aufugit nocte cum vxore,
cubinis thesaurisque suis. Sed captus in Pe-
onneso & Constantinopolin reductus, vi-
miserè finiuit. Sic mansit Imperium Baldo-
ò Flandro, qui primus ex hac gente fuit Im-
ator Orientis.

Anno à n. C. M. CC. V. cæpit Constantino-
i imperare *Balduinus Comes Flandriæ*, recupe-
t hic armis sibique subiecit omne Græco-
Imperium excepta Adrianopoli, quam oc-
auerat Theodorus Alexii homicidæ gener,
que sui Imperii sedem fecerat. Cumque iam
o esset, vt vrbs à Gallis caperetur, Balduinus
m caute sibi prospiciens à Græcis & inter-
us est, cum vix per vnum regnauisset annũ.
Cui cum successisset anno M. CC. VI. *Henri-*
ater, moriens hæredem reliquit Violantam
m, nuptam Petro Comiti Auxerrano.

ui *Petrus Cortenæus*, Ludouici Crassi Franco-
Regis filius, Comes Auxerranus, beneficio
re vxoris suæ ad Imperium peruenit anno à
C. M. CC. XVI. Huic in solenni epulo caput
amputatum per Theodorum Lascarem,
è Adrianopoli appellabat Græcorum Impe-
rem, quos vmbra pacis & falso iuramento
as partes pertraxerat. Alii dicunt Lascarem
ocati, insidiis in saltu intercepisse Petrum,
Thessala Tempe transiret, captumque in
ere interemisse. Tenuit autem Violanta v-
ius Imperium duobus illis annis, quibus
tus in carcere fuit.

uius petri filius *Robertus* audita infelicitate
s, egressus Flandria venit Constantinopo-
estque ibi receptus in Imperatorem anno
sti M. CC. XX. Appetiuit hic in vxorem
ram quandam iuuenculam, quæ antea de-
a fuerat Nobili viro Burgundo, qui tantæ
iæ impatiens, clam in Palatium ingressus,
rauit sponsæ suæ nares, matrem autem e-
onciliatricem nouarum nuptiarum, in ma-
ecipitem dedit. Robertus, qui tunc Romã
ciscebatur ad suscipiendum Diadema, coa-
est hanc rem tacito deuorare silentio. Re-
s autem domum, dum totus est in vltionis
ationibus, moritur est in Achaia.

abuit Robertus successorem *Balduinum Se-*
m filium, qui accepit Imperium paternum
à C.N.M.CC.XXVIII. Cum autem Bal-
us hic magna classe instructus Bosphorum
cium intraret, Michael Palæologus pactus
Byzantiis de proditione ciuitatis, ingres-
bem Imperarorem se dixit. Et sic Græ-
eperunt possessionem Imperii Orientalis,
Flandri prope per LX. annos potiti fue-

haeli Palæologo commiserat Theodorus La-
moriens Iohannem filium suum, ouem
, vt est in prouerbio. Hic Michael cum Gui-
lielmum Achaiæ regem profligasset, eiusque regnum ope Genuensium occupasset, anno à n. C. M. CC. LIX. Constantinopoli potitus est. Venit hic ad Concilium Lugdunense, vbi inter ipsum & Gregorium XV. PP. firma coaluit amicitia: ob quam rem in tantum Græcorum incidit odium, vt etiam moriens sepulturæ honore caruerit. Mansit tamen Imperium hoc penes posteros eius totis prope ducentis annis, donec à Turcis euersum est.

Palæologi filius maior, *Andronicus II.* successit patri anno S. M. CC. LXXXIII. assumsit hic socium Imperii Michaelem filium, quem alii generum eius fuisse putant, mortuum anno S. M. CCC. XIX. sic consortem potentiæ fecit alium Andronicum Despotam, in locum defuncti Michaelis: vnde irritatus huius filius Andronicus, insurgens aduersus auum Imperatorem, eum acie vicit, ope Genuensium. Sed Veneti senem restituerunt, qui postremo mortuus est, cum vltra LXX. annos vixisset.

Gessit *Andronicus III.* Michaelis filius vltra sex annos bellum aduersus auum: quo tempore, etsi sæpius pax facta fuerit, interuentu amicorum vtriusque non tamen tenuit, vsque dum anno S. M. CCC. XXXII. Andronicus Iunior intra Vrbem admissus fuit: qui nulla auum molestia afficiens, permisit senem regnare secum donec vixit. quo mortuo, gloriosa victoria de hostibus suis potitus est: cumque quinquagesimum annum ageret, correptus febre & dolore capitis, intra quartum morbi diem expirauit.

Fuit *Iohannes Cantacuzenus* Iohannis Palæologi tutor & in Imperio socius ab anno M. CCC. XLI. donec *Iohannes iste Palæologus*, qui & Caloioannes dicitur, ipse suscepit Imperium, profligato Cantacuzeno: qui tamen quinto anno post bellum intulit Caloioanni & matri eius, fuitque primus qui Turcarum arma in Europam adduxit. Ad extremum potitus Cantacuzenus Cõstantinopoli, nulli hominum vim attulit, sed cum Iohanne Imperium partitus est, data ei etiã filia sua in matrimonium. Postea autem cũ Palæologus vrbe pulsus fuisset, bellum exorsus est opera imprimis Turcarum, quibus & habitationem in Europa primus assignauit, & sic Constãtinopolim ingressus est anno à N. C. M. CCC. LVII. Ibi Cantacuzenus desperato Imperio, Monasterium ingressus est, Matthæus vero filius eius ad societatem cum Palæologo adspirans, desistere coactus. Obiit Iohannes anno S. M. CCC. LXXXIV. postquam cum Cantacuzeno regnauisset annis XVI. solus autem annis XXVII. qui simul constituunt annos XLIII. At Andronicus filius eius, quanquam Imperium spacio trium annorum administrauerit, in numerum tamen Imperatorum Græcorum non refertur.

Post patrem Ioannem venit ad Imperium *Manuel* filius eius, anno Salut. M. CCC. LXXXVII. Istud in tota eius vita memoria dignissimum est, quod decedens VII. filios reliquit, scripto hærede natu maximo.

Ergo Manuelis filius iste primus, nomine *Iohannes* patri successit, auspicatus Imperium anno M.CCCC.XXI. Hic cum pacis magis quam belli amore teneretur, assumptis Principibus & Proceribus Ecclesiasticis Græciæ, secutus auctoritatem Eugenii IV. PP. venit ad Concilium Ferrariense, quod postea translatum est Florentiam. Ibi aiunt ex duabus Ecclesiis, Græca & Latina factam esse vnam. Reuersus Iohannes Constantinopolim, non diu superstes fuit, sed nullis relictis liberis mortuus est anno Gratiæ M.CD. XLV.

Excepit hunc in Imperio *Constantinus*, secundus Manuelis filius, frater defuncti Iohannis. Cum antea Rex in Peloponneso fuisset, Draconis nomen ei inditum fuit, quod summa crudelitate in Turcas vsus fuisset. Cum autem Constantinopolis capta fuisset à Mahometo II. Amurathis II. filio, volens infelix Constantinus cum fugientium turba erumpere porta vrbis, à multitudine pressantium elisus periit a. d. XXIX. Maii mensis anno à N. C. M.CD.LIII. Caput eius hastæ longæ suffixum per hostium castra circumlatum fuit. Ad hunc modum Byzantium vrbs ad summum splendorem euecta & caput Imperii constituta per Constantinum Helenæ filium, sub hoc alio Constantino, alius Helenæ filio capta & iugo Turcico subiecta fuit.

Scio, Lector, instituti nostri ordinem postulare, vt iam pertexamus Catalogum imperatorum Turcicorum, qui à morte Constantini Palæologi Byzantii Imperitauerunt: ne tamen manca sit & debilis series Regum & Imperatorum Turcicorum, visum est, eorum Elenchum paulo altius repetere facto ab Ottomanno initio, cuius posteritas nostro æuo tam late dominatur.

OTTOMANNVS igitur Ortoguli filius Rex Turcarum fuit anno à N.C. M.CCC. Primus hic non in suam duntaxat familiam splendorem intulit, sed vniuersæ Turcarum nationi magnam gloriam conciliauit. Cum enim anno Salutis M. VIII. Hierosolymorum vrbem cepissent, victi tamen post à Godefrido Bullionæo Christiani exercitus summo Duce, Niceam se receperant, nec leguntur postea regem habuisse alicuius nominis vsque ad hunc Ottomannum, à quo velut bono auspicio Turcæ suam ordiuntur historiam.

Subegit enim magnam Bithyniæ partem & multa loca littoralia Pontici Maris. Magis tamen auxit gloriam suam capta Sebastia vrbe. Mortuus est admodum senex, primo anno regni Philippi Valesii in Gallia.

Huius filius ORCHANES paternum sceptrum tenuit anno Christi M.CCC.XXVIII patre validior & maioris animi, liberalis tamen in suos & gratiosus. Occupauit hic armis Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam Cariamque, cumque cepisset Prusiam Bithyniæ caput mortuus est ex vulnere quod in eius obsidione ac ceperat. Regnauit ann. XXII.

SOLIMANNVS Orchanis filius regnau tantum duos annos post patris interitum. Intu lit hic bellum Græcis, traiectisque copiis ex As in Europam, collata acie vicit Bulgaros, cepit vrbes Thraciæ Adrianopolim & Philippop lim. Scripsere quidam, ipsum viuo patre periis lapsum ab equo in venatione, vnde pater mo rore obierit. Hinc à multis non refertur in nu merum regum Turcicorum.

Orchanis filius quoque fuit AMVRATHE I. Turcarum Princeps, qui cæpit regnare an à N.C. M.CCC.L. Misit hic sollicitatus de a xiliis Iohanni Palæologo duo Turcarum mill quæ prima fuerunt rudimenta interitus Co stantinopoleos. Allectus enim diuitiis Euro Amurathes paulo post misit in Græciam Turcarum millia, vsus Genuensium Triren bus, sub specie quidem, vt iuuaret Græcum I peratorem, reuera autem vt occuparet Græc Sic traiectis Hellesponti angustiis inter Sestu & Abydum, cepit Callipolim aliasque vrbes, mox Imperatorem ipsum inuadens, qui ni hostile ab eo timebat, cepit Seruiam Bulgaria que, interfectis harum Principibus. Quidam ro è domesticis Lazari Despotæ Seruiæ, vtvl sceretur mortem domini sui, pugione conf sum Amurathem, crudelitati finem inpon coegit, anno M.CCC.LXXI. Cæso patre Am rathe *Baiazethes* I. fratrem suum natu maiore Solimannum proditione circumuentum iug lauit, vt ipse solus potiretur regno. Cupidus v ro vindictæ mortis paternæ bellum intulit M co Bulgarorum Principi eumque vicit atq mori coegit, occupata maxima regni eius par Dictus fuit hic *Childrin Baiazeth*, id est *Fulmin* ob incredibilem in bello vim & celeritatem. Su egit hic prope totam Græciam, cinxitque ob dione ipsam Constantinopolim: sed ad extrem victus captusque à Temir Ian, siue, vt quidam v cant, Tamerlane, caueæ ferreæ inclusus, & Asiam Syriamque ludibrii causa circumduct illis miseriis immortuus est. Quidam hic inte regnum statuunt, vsque ad Mahometū filiū ei

Alii vero substituunt *Cyriscelibem*, quem q dam *Iosuam*, alii, sed male, *Calapinum* nomina dicuntq; filium Baiazethis fuisse natu maxim Huius patre deuicto, Temir Ian vniuersam c populatus Asiam, filium captiuum Constan nopolin misit ad Imperatorem Græcorum, c eum loco Principe digno habitum, postea misit in Asiam, vbi facile recuperauit paterni regnum. Aiunt hunc interfectum à fratre Mustapha, in ipso flore ætatis anno Seruato nostri M.CCCC.VII.

Sed & MVSTAPHA, qui alto nomine M sulmannus κατ' ἐξοχὴν dictus est, regno p tricidio parto non diu lætatus est, victus p fligatusque à fratre Mose. Inuenio hunc M stapham à quibusdam Orchanen II. dici, & affirmant filium & hæredem fuisse Iosu sed trucidatum à Mose patruo suo, que tam

en iusta paulo post Nemesis arripuerit, inter-
im vicissim à fratre suo Mahometo.
ertij autumant, Mahometum tunc imme-
e post patrem suum Baiazethem regnasse,
facta vel Iosuæ, vel Mustaphæ vel Mosis
tione. Sed nos in tanta sententiarum diuer-
historicos inter se digladiari sinamus, &
mus ad.

AHOMETVM. I. qui rex Turcarum fuit
AN. C. MCCCCVII. huic enim multi
ibunt, quæ de Cyrilcelibe diximus. Quic-
Tamerlanes patri Baiazethi ademerat, id
e hic recepit, profligatis etiam ex Galatia,
io & Cappadocia suis ipsius agnatis neces-
que. Reuersus in Europam, Adriano-
regni sui caput & sedem regiam consti-
pulsis inde omnibus Christianis. Extin-
est regni sui anno XII, Christi MCCCC
I.

cessit patri AMVRATHES II. anno,
proxime diximus. Primus hic instituit
rianos ad custodiam corporis sui, quos
ros vocant, pleroſque renegatos Christia-
nuasit hic Vngariam, Bosniam, Albaniam,
hiam Græciamque: Thessalonicam vero
tis eripuit. Regnauit annis XXXII, relicto
ssore filio suo.

AHOMETO II, qui rex factus anno à
M.CCCC. statim iugulari iussit fratrem
minorem. Fuit hic non, Turcarum solum
omnium hominum sceleratissimus, qui
um quidem esse crederet, quique non Pa-
as solum & Prophetas ludibrio haberet,
ipsum Mahometum Legislatorem suum
tis argueret & mendacij. Euertit hic Im-
n Constantinopolitanum, capta vrbe a. d.
Maij mensis anno A N. C. MCDLIII.
quoque fecit de Regno Trapezuntio in
. Ademisse hic perhibetur Christianis
XII, in quibus Vrbes & oppida CC. Anno
.MCDLXXVII obsedit oppugnauitque
um, sed frustra, defendentibus vrbem &
m egregie Equitibus, quorum Magnus
er erat Petrus Amboſius, Gallus. Postre-
um è medio sustulere tormina ventris,
xcruciatam bestiam ad Tartara mise-
cum vixisset annis LVIII, regnasset

us filius BAIAZETHES II. ope Ianitsa-
siue Prætorianorum ad Imperium eue-
anno Christi MCCCCLXXXI. qui
Walachiam siue Daciam Ripensem sibi
sset, bellum intulit Sultano Aegyptio,
en fortior bello Turcisque superior fuit.
sus ergo Baiazethos Venetos, eripuit
pactum, Methonen & Dyrrhachium.
ue Selimum filium suum minorem,
to maiore, Imperatorem designasset,
atibus potissimum Prætorianis, ado-
moræ impatiens bellum intulit patri,
e commissa pugna inferior abiuisset, per
am Hebræum Medicum patrem veneno
anno A N. C. MDXII.

Eodem igitur anno, cum SELIMVS parricidio ad Imperium peruenisset, auspicatus id est à cæde fratrum suorum Acomathis & Coreuti, trucidatis insuper septem adolescentibus fratrum suorum filiis. Sopho Persarum regi cum bellum intulisset, potitus victoria, sed cruenta, profligauit Persas. Inde duos Aegypti Sultanos, Campsonem Chiaurium & Tomubeium deuicit penitus, cæsis Aegyptiorum, Syrorum & Arabum exercitibus. Ad hunc modum pessundatis Mamaluquis, adiunxit Imperio suo Arabiam, Aegyptum, & maximam orbis terrarum vrbem Cayrum. Reuerso in Græciam natum est malignum Vlcus in renibus, quod eum è medio sustulit octauo Imperij eius anno, Salutis vero nostræ M DXIX.

Huius filius, SOLIMANNVS, quem nonnulli II. huius nominis dicunt, primo Syriam, quæ Gazello Mamaluquo duce defecerat, recepit, profligato Gazello: deinde Belgradum & Budam vngariæ, nec non Rhodum Insulam cepit. Anno MDXLIII, Strigonium & Albam Regalem occupauit: hinc torrentis instar in Orientem conuersus, Assyriam & Mesopotamiam cum Babylone vrbe sibi subiecit, vastatisque ac dispoliatis finibus Armeniæ, Mediæ Persiæque, Tauros vrbem cepit. Mustapham filium natu maximum strangulari iussit, vt gratificaretur Concubinæ suæ, cui nomen erat Rosæ, quæ Selymum filium in Imperio subrogatum patri volebat. Viennam Austriæ cum obsidione cinxisset, repulsus fugatusque armis Caroli V. Imperatoris, in Græciam se recepit. Mortuus est anno Salutis MDLXV. cum Sigethum Castrum vngariæ obsideret, anno Imperij sui XLVII.

Bona & fideli opera Mehemeti Bassæ ad regnum peruenit SELIMVS II. antequam de morte patris eius vulgo auditetur. Cyprum Insulam venetis eripuit anno MDLXXI. sed eodem anno victus nauali prælio ad Naupactum, à Iohanne Austriaco, omnem classem amisit. Sed accepta clade acrior factus, instaurata classe, Tunetum Africæ cum Castro Golletano Hispanis eripuit, extinctusque est anno Christi MDLXXIV, Imperij suo octauo. Omnia autem illa bella per Bassas & Purpuratos suos gessit, ipse domi desidens inter greges concubinarum, Venerique ac Baccho operam dans, contra leges Ottomannidarum.

Octauo post mortem patris die AMVRATHESII I. Imperio potitus est. Iussit hic è vestigio trucidari quinque fratres suos, & duas patris concubinas, quæ vterum ferebant. Agebat autem vigesimum octauum annum, cum imperare cæpit, Mahometicæ superstitioni addictissimus, nec tamen minus Iustitiæ amans. Crapulæ & Veneri hic quoq; egregie perlitauit, vnde factus est obesissimus, & simul plusquam centum liberorum pater, defunctus in ocio Ianuario mense anno A N. C. MDXCV. ætatis L.

Succeſſit huic eodem anno MAHOMETVS III. filius, qui ex diſciplina Ottomannica interfici iuſſit XIX. fratres ſuos cum aliquot concubinis, quas pater Amurathes decedens grauidas reliquerat. Cum autem intellexiſſet filium ſuũ maximum natu ope matris ſuæ Aſtrologorum ſollicitaſſe numeros, quanto tempore ipſe regnaturus eſſet, iuſſit vtrumque necari. Anno M. DC. III. recepit Sophus Perſarum Rex Ecbatana & Babylonem, cum ampliſſimis terrarum ſpaciis, quas Selymus I. & Solimannus armis acquiſiuerant. Obiit morbo epidemio Ianuario menſe anni M. DC. IV. cum imperaſſet annis nouem.

ACOMATES ergo eodem anno Imperator factus eſt, cum nonniſi XVII. annos natus fuiſſet. Anno M.DC.V. occupauit Strigonium cum aliis aliquot arcibus Hungariæ. Fertur hic cadauer patris ſui aromatibus conditum, ſarcophagoque plumbeo incluſum ſecum in bello circumtuliſſe, neſcio qua vana ſpe, fore vt hoc modo felicius cederent ipſius conatus. Cum Rudolfo II. Imperatore & Familia Auſtriaca inducias pactus eſt in annos XV. vt arma ſua in Perſas vertere poſſet. Ad petitionem Henrici IV. Gallorum Regis libera permiſit omnibus mercatoribus per Orientem commercia, ſed ita vt ſub inſigni Gallico negociarentur, cui & hoc dedit, vt multa faceret in gratiam Chriſtianorum, qui ſepulchrum dominicum & cætera loca ſancta religionis gratia adeunt.

Succeſſit huic filius OSMANNVS, prætermiſſo Muſtapha, qui quod videretur ineptus ad regnandum, incluſus fuit in conclaue quoddam regiæ. Sed paulo poſt Oſmannus interfectus el per Ianitſaros ſiue Prætorianos, quorum vole bat imminuere auctoritatem & licentiam, cun primo Viziero, quod factum eſt menſe Maio an no à N.C. M.DC. XXII. Sicarii vero trucidat Principe, Muſtapham carceri extractum in re gium ſolium collocarunt; qui cum circiter an num vnum poſt Oſmanni cædem regnauiſſe denuo incluſus eſt, electo ad Imperium Amur the Oſmanni fratre, qui vlturus mortem, fratri ſtatim primo Purpuratorum gulam laqueo fr gi iuſſit, deinde animaduerſurus in Ianitſar cædis auctores, cruentam de iis reportauit v ctoriam. Hinc multorum per prouincias Præf ctorum ſecuta eſt rebellio, quibus Perſarum r partim clam partim palam fauebat, in primis tem inſurrexit in eum Prorex Babyloniæ, q vrbem Perſis proditione tradidit. Sed & Dam ſci Prorex cum tota Syria & Meſopotamia d fecit, ſeditionem augentibus Ianitſaris, qua o caſione vſus Sophus Magnus Perſarum Rex p traſque Prouincias, quas Turcæ multis annis Aſia Maiore obtinuerunt, ſuis ſibi vendica armis. Ab altera parte Poloni & Coſſaqui Por Euxini littora, egreſſi ex Volhinia Podoliaq crebris excurſionibus & latrociniis infeſta cerunt, vt in eas anguſtias redactus Magn Turcarum Monarcha, qui tot hoſtibus ſim par eſſe non poterat Anno à N. C. M. D XXVII. cum hæc ſcriberemus, pacem à Fe dinando II. Imperatore petere coactus fuer quam & vix obtinuit, FERDINANDO tu vbique longe ac late victore ac Triumphatore.

ARCHONTOLOGIAE COSMICAE LIBRI PRIMI, DE MONARCHIS AC REBVS PVBLICIS EVROPÆ FINIS.

ARCHO

ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ

LIBER SECVNDVS,

MPERIORVM, RE-
GNORVM, PRINCIPATVVM
PER VNIVERSAM ASIAM ET AFRI-
cam Descriptionem continens.

NOs quoque iuuat, velut omnia illa regna & prouincias, quæ superiore libro descripsimus, ipsi peragrauerimus, oculis arbitrati & mensi fuerimus ad finem Europæ peruenisse: quæ etsi partium Orbis vniuersi, si terrarũ spacia metiaris, minima sit, maximam tamen partem huius nostri operis sibi iure merito vendicauit, idque multis nominibus, quæ huc adducere nihil iuuet. Iam tempus, & instituti ratio, & ipsius viæ commoditas nos in Asiam vo-, vsuros beneficio angusti freti, quo transito ex Thracia atque Græcia in Asiam li nauigatione venitur. Cumque triplex nobis ostendatur traiectus, vel inter lum & Abydum, quem aliquando Leander trahente Herûs sidere nando con-t; vel per Bosphorum Thracium, quem nobis Taurus ostendit; vel denique per llespontum, cuius fauces Phryxus aurato insidens velleri superauit: nobis per-e erit, quo vtamur, dummodo ex his Europæ partibus in Minorem Asiam nseamus.

DE POTENTIA OTTOMAN-
NICA PER ASIAM.

SVMMA CAPITA.

A *Sia Minor, quæ & Natolia (rectius Anatolia) vel Alta Turcia appellatur: eius præcipuæ Prouincie, limites, latitudo, longitudo, clinata, paralleli.*

escriptio particularis Anatoliæ. Pontus & Bithynia olim separata regna. Vtriusque fines & præcipuæ vrbes ac oppida.

sia proprie sic dicta: eius fines & primi nominis oppida.

hrygia vtraque, superior & inferior. Rudera Troiæ vrbis, quæ adhuc supersunt.

aria, Mysia, Ionia, Doris, Lydia, Lycia: omnium harum limites & oppida.

alatia siue Gallogræcia; eius fines & amplitudo.

amphylia.

appadocia.

9. *Cilicia.*
10. *Absoluta continente Asiæ Minoris, sequuntur quæ circa illam Insulæ, & primo quidem Cyprus.*
11. *Rhodus.*
12. *Insulæ Propontidos.*
13. *Armenia.*
14. *Turcomannia.*
15. *Georgia.*
16. *Arabia Deserta & Petrea.*
17. *Arabia felix, eius situs & meliora oppida, inter quæ Mecha, patria Mahometi.*
18. *Idumæa.*
19. *Syria, eiusque diuisio in quinque prouincias, quarum prima Palæstina.*
20. *Mesopotamia siue Diarbec.*
21. *Qualis omnium illarum prouinciarum aër, nempe*

bonus & temperatus: quibus rebus abundent eæ regiones. Anatolia celebris nomine multorum & celebrium fluuiorum: Bithyniæ syluæ, multum materiæ suppeditantes fabricandis nauibus. Lapis Synnadicus Alabastro similis. Aquæ calidæ Hierapoleos, quæ petrefiunt. Magnes lapis in Caria. Rubea Ioniæ, Arena aurea Lydiæ, Crocus Tmoli. Triplicia animalia Chymæræ montis in Lycia, cuius summa obtinentur à Leonibus, media caprarum gregibus, ima serpentibus. Vinum, fructus, metalla, argentum, cuprum, ferrum, alumẽ, Crystallus, Iaspis, Onyx, Alabastrum, armenta equorum, apes duum generum in Cappadocia. Præalta Cedri Amani Montis, myrteta Ciliciæ: Dactyli, Manna, Coralia, Amethystus Arabiæ Petreæ. Palmeta, Nardus, Casia, Cinnamomum, Thus & Myrrha Arabiæ felicis. Rosæ, Melopepones, poma citria, oliuæ, ficus, mala granata, vineæ ter quotannis botros proferentes in Palæstina. Balsamus Idumææ, Cannæ mellitæ & fabulum ad purissimam materiam vitream in Phœnicia.

22. *Natura, mores & consuetudines veterum Arabum, Sabæorum, Nabathæorum, Iudæorum, Armeniorum, Cappadocum.*

23. *Leges & Statuta Iudæis præscripta per Moysen, & quid in iis potissimum memorabile. Emigratio Hebræorum ex Ægypto, & transitus eorum in Iudæam, causa & ratio à Gentilibus per eam intellecta. Tres Sectæ inter Iudæos, Pharisæi, Esseni, Sadducæi.*

24. *Ingenium, mores & modus viuendi Turcarum, Arabum, Iudæorum, aliarumque nationum Asiã inhabitantium: ratio eorum vestiendi, capiendi cibum. Eorundem arma, domicilia, mansiones quorundam sub tentoriis, mapalibus, palmarum foliis vel cauernis.*

25. *Opes Asiæ in quibus rebus potissimum consistant: in negociatione Gossypij, Magnetis lapidis ære Cyprio, materia vestiaria è pilis Camelorum, ferro, alumine, Crystallo, Iaspide, Onyche lapide, Alabastro, aromatibus, gemmis lapillisque, vnionibus & Thure. Tributa eorum, qui vel Sepulchrũ Dominicum vel Medinam Religionis ergo adeũt.*

26. *Elenchus Arcium, Castellorum, oppidorumque munitiorum in omnibus prouinciis Asiæ, quæ Turcico subsunt Imperio.*

27. *Religiones & Sectæ diuersissimæ inter eos qui superius enumeratas Asiæ regiones incolunt, & ipsi quidem Christiani Latini Græcique varie diuisi, in Melchitas, Nestorianos, Dioscorianos, Armenianos, Iacobitas, Maronitas alios que: harum sectarum origines & circa Fidem errores.*

VT vna velut Hypotyposi, quid Turca in Asia possideat, oculis tuis, Lector, subiiciam, sic accipe. Quicquid terrarum est intra Pontum Euxinum, Mare Aegeum, Mediterraneum, Ægyptum, Sinum Arabicum, Sinum Persicum, Tygrim amnem, Mare Caspium cum Isthmo, qui est inter vtrumque Mare, Caspium & Euxinum: id inquam omne tam vastum orbis spacium nostro æuo Turcico subiicitur dominatui. Nos à Minore Asia ordiemur, quo nomine appellamus ingentem illam Chersonesum si Peninsulam, intra Pontũ Euxinũ, Mare Aegeu & Cilicium Pamphyliumque. Hæc peninsi nostra ætate appellatur Natolia (vel rectius cundum quosdam Anatolia ἀνατολὴ Alba Turcia.

Complectitur autẽ has prouincias siue (vt teres vocabant) regna: Pontũ, Bithyniam, Asi peculiariter sic dictã, Lyciã, Galatiã, Pamphy Cappadociã, Ciliciã, Armeniã inferiorẽ. Limi eius sunt: ab oriente Euphrates fluuius (ho Apherat,) à Meridie Mare Mediterraneũ, qu varia sortitur nomina, & nunc Lyciũ, nũc Pa phyliũ, modo Cilicium appellatur, pro regio bus, quarũ pulsat littora: ab Occidente est M Aegeũ: à Septentrione Pontus Euxinus. Ing hoc est terrarũ spaciũ, ꝙ intra XXXVI & XI gradũ cõprehẽdatur, id est, intra mediũ IV. matis & XI. Paralleli, & mediũ VI. Climati XV. Paralleli, vbi maxima mutatio longitud dici est vnius horę. Pars. n. Australior longiss die habet XIV. horarũ cũ dimidia, pars vero realis, XV. horarũ cũ dimidia. Latitudo eius cundũ Plinium, est circiter CC. mill. Pass. pu Sinu Issico, qui hodie Golphus Laiazzæ dici vsq; Trapezuntẽ in littore Ponti Euxini. C sentit autem hæc scribens Plinius Herodoto, ait, Isthmum Minoris Asiæ quinque dierum hominis expediti continere.

Fuerunt autẽ olim Pontus & Bythynia prouinciæ separatæ, intercedẽte Sangare flu qui vtrãq; alluebat, sed deinde coaluerũt, dic turq; hodie communi nomine Bursia, vel vr staldo aliisq; placet, Becsangal. Fines eius sun occasum Fauces Põti ad Bosphorũ Thraciu pars Propõtidis. Ab Aquilone pars Põti Eu A Meridie Asia sigillatim sic dicta, iuxta Rhir cũ amnẽ, ab Oriẽte Paphlagonia. Erãt in hoc cio famosæ olim Vrbes Chalcedon, Nico dia, Apamia, Prusia, Nicæa, & Heraclea Pont

Chalcedon, quæ vrbs claritatẽ acquisiuit à q to Concilio in ea habito, nostro æuo in rude iacet. Aiunt autẽ nonnulli, eam recta ex adu Constantinopolis esse, diuidiq; à parte Bosp spacio septẽ stadiorũ, esseq; eãque hodie dic Galata. Alij putãt eam esse, quæ à Turcis Scu appellatur, & Constantinopoli opposita est.

Nicomedia ab amœnissimo colle depende quo permultæ aquarum scaturigines profili quæ causa est, ꝙ multi Turcæ ac Græci mi ibi habitent, quanquã ipsa vrbs magna ex p in ruinis iaceat. *Prusia* (hodie Bursia) vrbs est ampla, haud longe Olympo Monte. Fuit aliqoando Regia Ottomannorum antequã tirentur constantinopoli. *Niceæ* hodie nomẽ chiæ est, quæ olim caput fuit Bithyniæ, sita i Lacum Isnicum.

Asia sigillatim ita dicta, à Turcis Barbaro mine Sacrũ appellatur. Fines eius sunt, secu Ptolemæum, ab Occasu pars Propontidis, l lesponti & Maris Aegæi: ab Austro Mare R diũ cũ parte Lyciæ & Pamphyliæ: ab ortu Gal ab Aquilone Pontus & Bithynia. Complect

au

n Phrygiam, Cariam, Mysiam vtramque, liam, Ioniam, Doridem & Lydiam.

ygia superior, vt olim, ita nostro quoque pagos potius habet quam vrbes & oppida; quæ tamen est Midea, Midæ Regia, iuxta arem fluuium. Maxima tamen huius Phry- Vrbium fuit Apamia, olim Cibotis. *Phrygia* ior ex aduerso Athon Montem habet. in hac olim decantatissima illa Troia, haud e ab Ida Monte, qui hodie mira hominis tione dicitur Gargarus. Sunt autem adhuc da admiranda rudera Magnæ illius Trojæ, pe maceriæ quarundam turrium & fun- nta murorum, & extra murorum am- n in ampla via regia spectantur multa se- rorum monumenta, ex vno solido- ingula marmore. Extant & ruinæ satis æ duorum Castellorum, & ipsæ marmo- , nec non prægrandes Colossi antiquissi- umi strati, & portæ quædam murorum adhuc integræ, si fides habenda est Bel- , qui ait Xanthum & Simoenta riuos ho- se nullius momenti, qui nonnunquam exaresçant, & non adeo multas per hye- aquas vehant. Verum nos de Troiæ reli- plura dicemus in descriptione Insularum ontidos. Sed & Pergama in Troade fue- oppidum non exigui nominis, & patria ni Medici.

er Ioniam & Lyciam sita est *Caria*, cuius fuit Metropolis Halicarnassus, nostro Messia dicta. Aliud oppidum Cariæ, & m inter meliora est Tabum. Iuxta Hali ssum, ad manum dexteram incipit Taurus. Sunt qui Cariæ Miletum quo- rbem accensent, alij vero Ioniæ asse-

am Mysia per Ptolemæum in superiorem eriorem diuiditur. Fuit hic olim Lam- oppidum, supra Hellespontum situm, ex aduerso Callipolis: sed nostra tempesta- ta iacet, atque Sophianus locum vbi sti- odie Lamsicum dici.

ydus veterum Milesiorum colonia fuit, ellespontiaci freti latitudo in septem sta- m angustiam coit. Perstat autem adhuc us, quanquam nomen mutauerit, & Aueo r; sita in loco paludoso, & apprime mu- arcem habens, quæ vna cum opposita è ne Sestana arce clauis est Impetij Tur- ab ea parte. Ex his enim arcibus possunt entorum globis peti actangi naues, quæ trare volunt Hellespontum, vel exire s Præfectis Turcarum. Visebatur & inhis oris Adramittium, Athenien- Colonia, quam hodie corrupte Lan- ttin appellant. In hac regione fluit cus amnis, qui accolis Lassarus dici- ad quem Alexander vicit Satrapas

lia secundum littus Maris Ægæi porrigi- intque eius potissimæ vrbes Myrinc, Cu- odie Castri) & Phorcæa, quæ nunc Folia vetus dicitur, habens duos Portus, cuius peridromus olim fuit II. millia vt Liuius retulit.

Ioniæ Latitudinem si recta linea metiaris, inuenies XL. millium: Longitudinem CC. secundum littus maris, vbi est Ephesus vrbs celeberrima quondam, hodie Figena dicta, si Castaldo credimus. Soplianus tamen putat, eam antiquum nomen suum retinere. Magnam ad veterem gloriam huic vrbi accessionem peperit, primo Templum Dianæ Ephesinæ, quod inter septem mundi mirabilia, (vt cum vulgo fabulemur) refertur: deinde celeberrimum istud concilium Ephesinum. Quidam etiam Miletum huc locant. *Doris* excurrit in Mare in Promontorij speciem, vbi celebrius est oppidum Gnidus, ob Veneris & statuam & cultum. Huius iam vrbis locus pro vrbe supereſt, vocaturque *Caput Orium*. Quidam huic regioni adscribunt Halicarnassum, de qua supra diximus, quod hodie aliis appelletur nominibus. Regnauit in ea olim Mausolus Cariæ Rex, Cui mortuo Artemisia vxor superbum illud sepulchrum erexit.

Lydiæ vetus nomen est Mæonia: in huius prouinciæ oppido Sardibus habitauit olim diues ille Crœsus. Hæc cum per terræ motum deiecta fuisset, per Tyberium instaurata fuit. *Lyciam* Stephanus Girauus olim Myladem & Ogygiam dictam fuisse, hodie vero Briquam appellari autumat. Castaldus nouo nomine eam vocat Aldinellam; Theuetus vero ab Arabibus nominari ait Benesacam. Vergit hæc prouincia maxime in Mare, quod ea de causa Lycium dicitur; clauditurque ab occidente & ab Aquilone Caria: ab Ortu Pamphyliam habet: à Meridie Mare Lycium; ad nauigationem circiter vicies mille passuum. Habuit hæc olim circiter LX oppida, è quibus ad XXX. adhuc supererant temporibus Pauli Apostoli. Præcipua hæc fuerunt: Xanthus, Patara, Pinarus, Olympia, Myra, Lymyra. Patarensis ciuitas potior erat reliquis. Sed & Telnesa erat oppidum iuxta Promontorium eiusdem nominis. Collocatur à priscis scriptoribus in Lycia Mons Chymæra, qui noctu solebat eructare flammas ignis. Præcipuo oppido nostri temporis Fisco nomen est, quod portum marinum habet longe commodissimum.

Galatia siue Gallogræcia à veteribus Gallis nomen sortita est, qui se miscuerunt cum populis Asiæ, temporibus Pyrrhi Regis Epirotarum. Hodie Chingaram dici Castaldus auctor est. Limites hos habet: ab Occidente Bithyniam Phrygiamque: ab Oriente Cappadociam: à Meridie Pamphyliam; ab Aquilone Pontum Euxinum, cuius littus ibi extenditur ad CCL. millia passuum. Celeberrima eius Vrbs est Ancyra (hodie Angurus, cuius celebre est nomen ob multitudinem 6.

materiæ veſtiariæ, quæ à Camelis ſiue eorum pilis nomen ſortitur. Accenſetur huic prouinciæ etiam Paphlagonia, cuius præcipua vrbs Synope, ſita ſupra collem in Peninſula Ponti Euxini, bonum habens portum. Sed & Amiſa olim dicta, vrbs maritima, hodie Simiſo dicitur.

7. *Pamphyliam* noſtro æuo Setiliam dici, Girauus & nonnulli alij tradunt. Ait Theuetus eam ab Arabibus Zinam dici: Bollonius tamen dicit & hanc & Ciliciam iunctim Caramanniam dici, in qua ſeptem Sangiaci Turcici commorantur. Attingit autem ab Oriente Ciliciam & Cappadociæ partem: ab Occidente Lyciam cum parte Aſiæ peculiariter ita dictæ: à Septentrione Galatiam: Verſus Auſtrum mare habet Pamphylium, inquietum ſemper atque procelloſum. Oppida eius præcipua ſunt Perga, quæ mediterranea eſt ad cataractam fluuium, nec non Sida & Aetalia maritimæ vrbes. Aetalia autem, quæ caput eſt totius prouinciæ, hodie Satalia dicitur, eſtque ampliſſima atque munitiſſima omnium vrbium totius illius oræ, vt & proximo Sinui Maris nomen ſuum communicet.

8. *Cappadocia*, quam Strabo Leucoſyriam vocat, pleriſque hodie ea prouincia eſt, quæ Amaſia dicitur, extenditurque vſque ad Pontum Euxinum, limites habens ab occidente Paphlagoniã, partem Pamphyliæ & Galatiam: à Meridie partem Ciliciæ: ad Orientem eſt Antitaurus Mons ingens, attingens Armeniam inferiorem & partem Euphratis amnis: à Septentrione habet Põtum Euxinum. Fluuij eius celebriores ſunt hi: Halys olim limes Regni Cræſi, qui hodie Ottomagiuch vocatur: Iſis, hodie Gaſalmach: & Thermodon, hodie Permon dictus. Caput regionis eſt Trapezus oppidum, vulgo Trebiſonda, quam Arabes Machomach nominant, vbi aliquando Græci Imperatores ſedem ſuam habuerunt. Deinde eſt, Amaſia, quam quidam, ſed perperam, Paphlagoniæ adſcribunt. Antiquum nomen hæc vrbs retinet, communicatque idem toti viciniæ, ſita eſt in profunda valle, ſupra Iſin fluuium. Fuit hæc quondam Patria Strabonis, nunc vero ſedes Præfecti Turcici, qui ſe vocat Beglierbegum Amaſiæ & Cappadociæ. Iconiũ ſunt qui Ciliciæ tribuant: ſed Ptolemæus e vrbem huic prouinciæ adſcribit: hodie cor pte vocatur Conia. ſita autem eſt ad radic editi montis, humectaturque multis limpidi mis fonticulis, qui inde deſcendunt. Figura e rotunda eſt, muri antiquo ſtructuræ gene quadratis turribus intercedentibus. Portas bet octo, cum multis Templis & Balneis m Turcarum.

Ciliciam Ioſephus Tarſum nominat, Heb Chalach dicunt. Putat eam Niger hodie Turcomanniam. Sed rectius ſentiunt qui Ca manniæ nomen ei tribuunt, cum Turcoman nihil ſit aliud quam Armenia ſuperior. Igi Caramannia, quæ præter Ciliciam etiam a prouincias complectitur, terminatur ab O dente Pamphylia, à ſeptemtrione Tauro M te, ab Oriente Monte Amano, vulgo Monte gro, à Meridie habet Mare Cilicium. Præci eius oppidum eſt Hama, olim Tarſus, ſit amæna valle, quam Cydnus amnis irrigat. S ctatur & hic Adena oppidum, amplum ſatis, ſine mœnibus, arce tamen munitum quat turrib. inſtructa. Ait Bellonius in Cilicia qu reperiri vrbem Heradeam, ſpacioſam quid ad radicem Tauri Montis in pulchra plan ſitam, tridui itinere ab Adena diſtantem, in ptentrionem & occaſum verſam.

Armeniæ Minori adhuc idem eſſe nomen Niger: Girauus tamen aliique Anadulen Aladulen appellari autumant, Caſtaldus Pe nam. In libro Noticiarum Pirmia dicitur. Fi habet, ab Oriente Euphraten, quo diuidit Turcomannia ſiue Armenia ſuperiore: ab cidente Cappadociam: à Meridie Ciliciam ſu Montem Taurum, cum parte Syriæ ſupra A num Montem: ab Aquilone Pontum Euxin vbi dicitur deſinere in Angulum, quem Eup tes & Antitaurus Mons faciunt. Sed hoc te rum ſpacium non ſolus Turcarum Monar poſſidet, ſed peculiares ſuos habet Regulos.

Finita deſcriptione Minoris Aſiæ, qua co nens ea eſt, intra maria, Mediterraneum, Æg & Euxinum ſita, ad Inſulas illius progrediem & primo de Cypro dicemus.

CYPRVS INSVLA.

SVMMA CAPITA.

1. *Qui fuerint primi habitatores huius Inſulæ. ſub quorum ea fuerit dominio antequam per Selymum occupata & potentia Ottomannica ſubiecta fuerit.*
2. *Quis ſit eius ſitus, ambitus, longitudo, latitudo, ſub quo climate & Parallelo.*
3. *Quæ ſint eius præcipua Promontoria.*
4. *Olim diuiſa in quatuor partes, hodie in duodecim territoria. eius præcipuæ vrbes, oppida, pagi, Montes.*
5. *Ingens agri fertilitas, qui abundat omnis generis fructibus, in primis malis citriis, limoniis auratiſque uuis nigris, quas Zibetas vocant, dactylis, ſac è cannis mellitis, croco, coriandro, lentiſco, t bintho, colocynthide, rhabarbaro, ſcammo chryſocolla, chalcantho, alumine, auro, ferro, pro, lapillis preciofis, Smaragdis, Adamanti Chryſtallo, coraliis albis rubeiſque, Amianto l de, vnde fit tela, quæ in ignem conieta non vr ſed purgatur, goſſypio, lana & ſale.*
6. *Quibus veteres Cyprij vſi fuerint legibus & con tudinibus: Scortatio olim non modo non proh ta, ſed & permiſſa atque laudata. Venus pr pue in Cypro culta & Dea Inſula Tutela*

Aqui

A quibus Nationibus hodie possideatur Cyprus.

Modus gubernationis Politicæ, quis fuerit sub dominatione Venetorum: qualis is hodie sit: Turcis Insulam obtinentibus.

Religio Cypriorum antiqua & hodierna.

NT qui Cyprum Insulam primum omniũ
Iapheto Noæ Patriarchæ filio habitatam
it: deinde sub dominatione Monarchiæ
riorum fuisse, qua extincta Tyrannis Græ-
ruisse: hinc ad Romanes delatam eius pos-
nem, ab his Ptolemæis Ægypti regibus
issam, mox iterum ad Romanos deuolutã
. Postea Imperatores Constantinopolita-
am possediſſe per spacium annorum fere me
C. Cumque ad manus familiæ Lusinianæ
llia peruenisset, eam an. A N.C.MCCCC
III venetis subiectam, ac postremo anno
C.MDLXX per Selymum potentiæ subie-
Ottomannicæ.

Volaterranus, eam Insulam primo Cry-
appellatam, id est occultam vel subterra-
, quod procul videatur fluctibus marinis
Dicta etiam fuit Ceraſtis à multitudine mõ-
quos Poëtæ cornibus comparant. Cætera
omina sunt Amathusia, Paphia, Salami-
Iacaria, Amacantis, Asperie, Colinia. Sed
it verius eius partes.

a est secundum Ptolemæum in medio Si-
ico, qui hodie Laiacensis dicitur, estque
guus mari Ægyptio inter littora Ciliciæ
que. Respicit enim versus meridiem Ægy-
m Syriacumque Mare, quod idem mare
habet ad ortum, vt ad occasum Mare Pam-
m, & ad Septentrionem Cilicium. Pars
quæ orientem respicit, distat à Syria cir-
millibus C. quæ via vnius noctis spacio
i potest. At pars Meridionalis distat ab
ndria nauigatione trium vel quatuor die-
A Cilicia siue Caramania abest millibus
ongitudo eius porrigitur ab occidente in
em, facitque alicubi Isthmos siue angu-
rræ, qui incertam reddunt eius latitudi-
Sita est sub initio quarti climatis, sub de-
parallelo, vt neotericis placet, vbi longissi-
ræstatem dies est horarum XIV cum di-
complectiturque tres gradus cælestes in
udine. Peridromus eius, si Straboni credi-
habet CCCC. XX. stadia supra ter mille,
ciunt CCCC. XXVII. millia pass. Plinius
ribus ambit eam millibus pass. nempe
LXXV. Alij dicunt, eos qui nauigando
rcumeunt, deprehendere D. mill. pass.
e longitudinem omnino esse CC. mille
vbi vero latissima est, L. vel LX. millia
bere.

ita siue Promontoria habet aliquot, ex-
gratia versus Occidentem Promontoriũ
ntis, quod nunc Caput S. Epiphaniæ di-
Promontorium Drepanense, hodie Tra-
Melechiæ: Caput Zephyrium, hodie
siue Melota, quod & Chelidoniæ dicitur.
In latere meridionali visitur Promontorium Phæurium, quod hodie Caput Album: Dadense, quod hodie Caput Chitium: Curiense, quod Dellegate: Thronense, hodie Caput de Pila. Ad orientem est caput Pedasæum, hodie Caput Græcum, & in extremitate Insulæ Clides, hodie Caput S. Andreæ. Ad Aquilonem est Promontorium Crommyon, hodie Caput Cormachittium, inter quod & Promontorium Epiphaniæ Mare Pamphylium est, hodie, sinus Seralienſis nauigantibus olim formidabile, ad spacium CCC. millium.

Hanc Insulam olim in quatuor partes diui- 4.
sam fuisse, Ptolemæus asserit; in Orientalem siue Salaminiam: in Occidentalem vel Paphiam: in Meridionalem siue Amathusiam: & in Septentrionalem, quæ & Lapathia. Nostro vero æuo diuiditur in XII. Territoria, quibus hæc sunt nomina: Nicosia, Famagusta, Paphus, Andime, Limissa, Masota, Salina, Massoria, Crusocum, Pantalia & Carpassus. Nouem olim in hac regna fuisse minime contemnenda, & oppida XV. testes sunt Diodorus, Plinius & Mela, quorum oppidorum non pauca frequentibus terræ motibus corruerunt. Paphus primi nominis vrbs in Regione Paphiensi erat, & hodie noua Paphos nomen antiquum retinet, si Nigro id scribenti assentimus. Deinde Cithera, vnde aliquando tota Insula, & ipsa Venus denominata fuit: verum hæc nuspiam comparet, quanquam in loco eius oppidum conspiciatur Conuelia nomine. Curias olim fuit, vbi nunc visitur Piscobia oppidum, inter meliora Insulæ. At Amathus, maximi olim nominis, hodie penitus in ruderibus iacet. Ceraunia, hodie Cerines, per Cyrum ædificata fertur, cum Insulam suæ subiecisset potestati, debellatis nouem eius regibus, estque hoc oppidum in parte Insulæ septentrionali. Sed Nicosia, vetus Regum habitatio, sita est in valle Massarensi. Ad trigesimum sextum ab Nicosia milliare Famagusta est, quæ primo Salamis deinde Constantiana dicta fuit, Vrbs eximia, quanquam non desunt, qui putant Famagustam fuisse vnam ex quatuor illis vrbibus, quæ communi nomine Arsinoës appellatæ fuerunt.

Præter hæc oppida numerãtur vltra DCCCL. vici siue Burgi sine mœnibus, in quo tamen numero etiam quædam destructa euersaque comprehendimus oppida, quorum omnium habitatorum numerus accedere putatur ad LX. millia. Sunt non pauca in his loca, quæ cum mediocribus oppidis comparare possis, tam ratione amplitudinis quam incolarum. Præcipua inter ea vulgo à Cypriis sic appellantur. Lapitho, Sicuris, S. Iohannis de Carpesso, Lescara, S. Constantini, Limnate, Silico, Pellendria, Chilani, Colossi, Episcopia, Salinæ, Conuelia, Crima, & alia quædam. Omnia autem hæc loca, vici & pagi, olim diuisa fuerunt in tres partes: duæ assignatæ erant Cameræ Regis: tertia

partim hominibus Ecclesiasticis, partim Nobilitati.

Cum autem multi Montes sint in hac Insula, Olympus tamen est altissimus inter omnes, cuius ambitus ab imo octodecim mill. pass. complecti putatur. Spectantur in hoc plurima Monasteria Græcorum, Monachorum ordinis S. Basilij, qui Calohieri dicuntur.

FERTILITAS CYPRI INsulæ.

Huius filius *Petrus Lusinianus*, Comes Tripolitanus, qui ob rerum gestarũ præstantiã cognomentum Magni adeptus est, successit patri in regno Cypri an. A N.C.M.CCC.LIII. & coronã quidẽ Cypriam Nicosiæ, Hierosolymitanã vero Famagustæ accepit, ex more & instituto maiorũ. Hic dum in Italia regnoq; Neapolitano esset, vxorem duxit Eleonoram, neptẽ Aragonii regis: cumq; multos adiuisset reges & principes Christianos, rediit in Cyprũ oneratus nummis aliisq; donis, nec nõ liberalib. promissis. Et paulo post adiutus ope Magni Magistri Equitũ Rhodiorũ, expediuit classẽ CL. nauiũ, cuius ipse caput atq; Dux esse voluit. Hac classe vicit prælio nauali Sultanum Ægypti, captaque Alexandria vrbe, expoliauit multa alia Aegypti oppida. Hinc

conuerso in Pamphyliam bello, aggressus Turcas, cepit castrum munitissimum Candelorium aliasque arces, & sic feliciter finita expeditione illa, reuersus est in Cyprum. Cum autem Reginam vxorem interea matrimonii fidem sibi non seruasse intellexisset, è potestate mentis exiuit, factus sæuus atque crudelis, vt à fratribus suis interfectus fuerit, tumulatus iuxta patrem in templo Dominicanorum, cum XVIII. annos regnauisset.

Huius filium, *Perrinum Lusinianum* post eædem patris agnati & proceres regni regem proclamauerunt anno A N.C.M.CCC.LXX. cum vtrãque coronam susceptisset, illam Nicosiæ, hanc Famagustæ. Obiit vndecimo regni sui anno, quiescitque in Templo Dominicano iuxta patrem & auum.

Iacobus I. Lusinianus, Petri Magni frater, & Perrini patruus, Seneschallus fuit Cypri. Abduxerant hunc Genuenses futurũ obsidem. & post in carcerẽ cõpegerant, quod Perrinus Rex cum Venetis se fœdere iunxisset & Duce Mediolani aduersus ipsos Genuenses. Defuncto a. Perinno, venerunt Genuam Oratores ab Cypro, petentes ab Senatu Seneschallum suum, vt qui proximus hæres esset regni, quod & facile obtinuerũt. Senatus n. & Patres Genuates cũ deuincire sibi nouum regem vellent, ipsi profecti ad carcerem, eum inde eduxerunt, orãtes captiuitatis malæq; tractationis veniam. Postea deduxerunt eũ cum vxore & paruo filio, quos dum Iacobus captiuus fuerat, Genuates liberaliter habuerãt, in Curiã, ibi pax inter eos facta est, vt vrbs Famagusta in perpetuum maneret Senatui populoq; Genuati. His actis rex conscensis triremib. vna cum Legatis Cyprum petiit, adiungẽte Senatu ẽt alias naues, quæ ipsum deducerent & comitarentur, in quib. erant Legati Genuensiũ, cum mãdatis, darent operam, vti pacta à principib. & ordinibus regni rata haberentur. Exceptus apud Nicosiam rex cum vxore honorificentissime, eodẽ die diademate Cyprio cingi voluit, & altero Hierosolymitano, quod id Famagustæ fieri non posset. Defuncto a. Leone Lusiniano in Gallia, qui rex Armeniæ fuerat, sine liberis, ẽt Armeniæ regni coronã Nicosiæ susc epit. Hinc totus conuersus ad munitiones oppidorũ & castellorũ, tres de nouo extruxit arces, nẽpe Securã, Cauã, & Potamiam; Ædificauit ẽt arcẽ Nicosianam, multaq; alia memoria digna fecit: mortuus anno regni sui vigesimo, & sepultus in Sacello Magno tẽpli Dominicanorũ, iuxta monumẽtũ Hugonis Secundi, vbi ẽt paulo post sepulta fuit regina vxor eius.

Fuerat Iacobo Lusiniano dum obses apud Genuam in carcere ageret, natus filius *Ianus Lusinianus*, cui pater id nomen ab vrbe Genua, quæ & Ianua à Iano dicitur, imposuerat. Successit hic patri in regno anno A N.C.M.CCCC.II. Vxor eius fuit Carolotta. Iacobi Barbonii Comitis Marcani filia. Hic eo dẽ die, contra instituta maiorum tres sibi imponi voluit coronas, Cypriã, Hierosolymitanã & Armeniam, idq; anno S.M. CD.XVI. vel vt aliis placet, M.CD.XX. At Cayri Sultanus, stimulatus vindictæ cupiditate, quo magna ei damna intulerat Petrus Lusianus re Cypri, capta & spoliata Alexandria aliisq; opp dis, numerosam classem ad Cyprum misit, ado tusque ex improuiso Nemosiam, cepit, spoliau & exussit vrbẽ: hinc ductis versus Nicosiam c piis, regẽ cum exercitu obuium habuit, qui ci missso cum Ægyptiis prælio victus, ad montes e fugere coactus fuit. Cum a. denuo collegisset, liquam militũ manũ, ipse denuo victus captus fuit, cum non exiguo Principum procerumq numero: frater v. regis Henricus Galilææ Pri ceps cum multis suorũ cæsus est. At Saraceni tentes victoria Nicosiam ceperunt, penetrot Insulæ facti domini, excepta Famagusta cu paucis quibusdam arcibus. Rex captiuus ad T umphum reseruatus Cayrum deductus, & pa lo post multo auro redemptus fuit per Nobi quosdam Cyprios. Fuit hic primus Rex Cy qui se Tributarium fecit. Cum a. ex Ægypto d mum reuerteretur, memoria tot cladium & i fortuniorum contabuit, confectus tristitia, no vigesimo nono regni sui, cum vxor eius p lo ante è vita migrauisset. Spectatur vtriusq; m numentum in Magno Sacello Templi Don nicani, è polito marmore, è regione monum ti patrii.

Iohannes II. Lusinianus, Iani ex Carolotta B bonia filius, successit patri in regno anno AN. M.CCCC.XXX. voluitq; eodem die trib. co nis onerari potius quam ornari, Cypria, Hie solymitana & Armenia. Coniux eius fuit filia Lobi Palæologi, Marchionis Mõferratensis, q cum mutationẽ aeris ferre nõ posset, paulo p mortua est. Secũdis igitur nuptiis iunxit sibi H lenam, filiam Andreæ Palæologi, Despotæ Pe põnesi, qui frater erat Iohannis Imperatoris stantinopolitani, eius, qui Cõcilio Florẽtino terfuerat. Obiit hæc Aprili mẽse an. A.N.C. CD.LIX. in Camera regia apud Iacobinos M nachos, voluitq; sepeliri in Monasterio Gra Manchanẽsi, quod ipsa paulo ante fundauer Tertio mense post mortuus est etiam Rex in mera regia S. Dominici, illatus monumento tris anno regni sui vigesimo nono.

Regnauit post hũc *Carolotta Lusiniana* filia, q anno C.M.CD.LIX. viuo adhuc patre vidua cta fuerat Iohannis filii Regis Portugalliæ, Pr cipis Antiocheni. Secundo nupsit Ludou comiti Geneuensi, filio Ludouici Comitis S audiæ & Annæ Lusinianæ, quæ soror fuerat hannis regis. Cum hæc primum diademate c cta fuisset, venit postea sponsus eius, celebra que cum ea nuptiis, in Regem Cypri corona est. Sed vtrumque regno exegit Sultanus Æ ptius, constituto rege Iacobo fratre eius spu

Iacobus filius Spurius Iohãnis II. regis fuit S diaconus & electus Archiepiscopus Cypri. M tuo patre eius, ius regni Cypriilegitima succe one deuolutũ fuerat ad Carolottã filiã regis I timã. Adspirabat ad regnum Iacobus, cum a. deret se odio esse proceribus regni, misit quo è suis ad Sultanum Ægypti, petiitq; ab eo, v

in

gnum patrium collocaret, neque permit-
sororem suam regnare. Dum hæc fiunt,
ometus II. Turcarum Imperator, missis ad
num litteris, partim precibus partim minis
eo egit, vt profligato ex Cypro Ludouico
udo, in locum eius substitueret Iacobum,
inem aptum & regis filium, amicumq; Ma-
cranorum. Sic Sultanus Iacobum Regem
i salutauit, misitq; cum exercitu, vt sibi sub-
t Insulam. Vxorem habuit Catharinam fi-
Marci Cornarii Senatoris Veneti, quo con-
matrimonio paulo post mortuus est Fa-
istæ, conditus tumulo satis misero humili-
cum regnasset annos XII. vixisset XXXIII.
putant eum veneno sublatum periisse.
ius filius Posthumus ex Catharina Corna-
Iacobus nomine Tertius hæres patris factus
.A N.C.M CCCC.LXXII. administran-
gnum matre auxilio Tutorum quos pater
ens nato constituerat. Obtinuit hęc mulier
m Cyprium ope Venetorum per annos
vsque ad annum Salutis M.CD.LXXXIX.
Senatus Venetus de consensu Procerum
obilium regni creauit nouos Magistratus
ctosque per Cyprum, qua ratione totum
m paulatim in Venetorum manus deue-
um enim Catharina Regina esset Venetiis
e S. Marci, donauit Duci Senatuique Ve-
i ibi conuenerant, Simulacrum Cypri In-
otum argenteum, simile illi, quod adhuc
tur marmori impressum in Æde S. Salua-
pud Venetos supra portam Sacrarii. Vicis-
natus dedit reginæ, donec ipsa viueret, At
sulanam in agro Tarusino, permisitque,
sanguinei eius inter insignia sua etiam
ent arma familiæ Lusitaniæ: Georgio vero
æ fratri certos redditus in Cypro assigna-
tharinæ postea mortuæ corpus Venetias
m, & in Beatorum Apostolorum Templo
atum fuit.

ALOGVS PATRIARCHARVM Latinorum, qui Hierosolymis fuerunt.

o post captam ciuitatem Sanctam mense,
N.C.M.XCIX. defuncto Simeone Patri-
Græco, per ordinis Ecclesiastici proceres
os, accedente auctoritate Godefridi Bulli-
egis, primus Patriarcha Latinus Hieroso-
creatus est Dagobertus Episcopus Pisa-
ditq; ei quarta ciuitatis pars Godefridus
ea frueretur, quemadmodu antea Patri-
Græcus fecerat permissione Saracenorum.
vno post, festo die Paschatis, donauit idem
eteras vrbis partes. Elapsis v. tribus annis
tibus, petiit idem Patriarcha à Balduino
Rege Ciuitatem & Iurisdictionem eius,
si Godefridus donauerat. Sed repulsam
est Sacerdos, qui nimium petierat.
marus presbyter homo simplex & prope
tus, fuit viuente adhuc Dagoberto Patri-
per Balduinu regem & Arnoldum Archi-
um electus ad Patriarchatus dignitatem,
& paulo post consecratus. Vocatus Romam, re-
missus fuit per Pontificem vna cum Gibelino Ar-
chiepiscopo Arelatensi Hierosolymam, in causa
regni illius. Verum Legatus deposuit hominem
ab Patriarchatu, deditq; ei Episcopatu Cæsareæ.

Priuato dignitate Abremaro & mortuo Dago-
berto, factus est Patriarcha Hierosolymitanus
Gibelinus Archiepiscopus Arelatensis & Lega-
tus Apostolicus, quanquã senectute grauis & de-
crepitus, mortuus III. Pontificatus sui anno. Ma-
gna hactenus vastitie egerat cũ Patriarchis supe-
riorib. Arnoldus Malæus, Archiepiscopus Hie-
rosolymorũ, donec ipse ad hanc dignitatẽ con-
scendit. At Papa improbatis actis hominis, misso
Episcopo Aurelienſi Legato suo Hierosolymã,
priuauit eum Patriarchatu. Verum Arnoldus
profectus Romam verborum lenociniis & mira
calliditate vsus effecit, vt restitueretur in digni-
tatẽ: mortuus postea VIII. anno Pontificatus sui.

Hunc secutus est Garemũdus Gallus è territo-
rio ortus Ambianẽsi, quo Patriarcha cæpit ordo
Equitũ Templariorũ, quẽ is confirmauit & am-
plificauit. Habuit hic Cõciliũ Nationale in ciui-
tate Neapoli Samariæ, factus ẽt Gubernator re-
gni cũ Eustachio Granario & Cõnestablio Bauli-
lio, quorũ cõsilio & ope Venetorũ Tyrũ vrbẽ e-
ripuit Saracenis tũc cũ Balduinus II. captus fu-
isset, mortuus est cum annis X. Pontifex fuisset.

Anno A N.C.M.C.XXVIII. Patriarcha factus
est Stephanus, primo Eques, deinde Monachus
& Abbas S. Iohãnis in Valle, Diæceseos Carnu-
tensis, vnde ẽt natus fuit. Nobile huic genus, &
qui propinqua agnatione Balduinum regẽ con-
tingebat. Aiunt eum veneno sublatum rege se-
cundo Pontificatus sui, quod regem perpetuis
petitionibus obtundendi finem non faceret.

Guilielmus Flander, patria Machlinienſis, S.
Sepulchri Prior, homo simplex multæque igno-
rantiæ, factus est Patriarcha anno A N.C.M.C.
XXX. qui se comem & facilem omnibus præ-
buit. Obiit anno XV. Pontific. sui.

Centesimũ propè annũ ætatis agebat Fulche-
rius Archiepiscopus Tyri, cũ ad Patriarchatum
vocatus est. Cũq; Templarii huic negarẽt deci-
mas, inq; multis aliis aduersarentur, accusauit e-
os Romæ, ipse eo profectus. Cũq; causa superior
fuisset, reuersus domũ in extrema senectute ex-
pirauit. Almericus & ipse Gallus fuit, è territorio
oriundus Nouiodunensi, ex priore S. Sepulchri
factus Patriarcha, cõtradicẽtib. Episcopis Cæsa-
riensi & Bethleemensi: qua de causa misit Ro-
mã Adrianum Friderici, Episcopũ Ptolemaidis,
qui eiattulit confirmationem & pallium Patri-
archale, antequam æmuli eius eo peruenissent.

Archidiaconus erat Hierosolymis Heraclius,
cum consensu communi omnium Patriarcha e-
lectus fuit. Mortuus hic est mærore animi, cum
videret regem suum captum, Principes interfe-
ctos, vrbem cum regno in manus Saracenorum
delapsam; quem secutus est

Albertus Eremita, Episcopus Ascalonensis.
Cum a. vrbs sancta ab infidelibus capta fuisset,
solo cõtẽtũ eũ esse oportuit titulo & parte qua-

dam iurisdictionis: ipse sedem sibi fixit in vrbe Ptolemaide. Hic est ille Albertus, qui primus collegit Eremitas à Carmelo Monte, eosque reduxit in Monasteria, constitutis legibus regulisque, vt & habitu quo vterentur. Sed hos deinceps reformauit Innocentius III, Pontifex, qui Reformatorem nominauit Hugonem Cardinalem Ordinis Dominicanorum, quo auctore hanc viuendi ratioeem amplexi sunt qua nostro tempore vtuntur.

Post hunc Albertum multi alii fuerunt Patriarchæ, qui omnes Ptolemaidem vrbem habitauerunt, & cum hæc quoq; cum ipsa Hierosolimorum vrbe à Saracenis capta fuisset, Patriarchæ sedes aliquandiu in Arce Nicosiæ vrbis in cypro fuit. Verum hæc de Regibus & Patriarchis Hierosolymitanis dixisse sufficiat, nunc ad alia pergemus.

Habet *Hierosolyma*, in cuius diuersis obsidionib. tot hominum myriades variis modis interierunt, nostro tempore non vltra quinq; habitatorum millia: & nisi ipsa loci sanctitas quotidie plurimos Christianorũ ad se pelliceret, locus iste sane foret exigui momẽti. Ipsa porro terra sancta diuiditur velut in longitudinem à Iordane fluuio, qui in radicibus Libani Montis è duobus fontibus nascitur, haud procul à se dissitis, atque inde bicornis erumpit, alteri fonti nomen Ior est, alteri Dan, qui coniuncti efficiũt Iordanem. Duos autem lacus transit fluuius iste, quorum prior est Samachonitis, isque minor: alter dicitur Lacus Galilææ siue Tyberiades, multo amplior. Tandem exit in Mare mortuum, quod à scriptoribus Græcis Latinisq; Lacus Asphaltites dicitur.

20. *Phœnicia* prope tota maritima est, Iudææ opposita. Præcipuæ eius vrbes fuerunt Sidon & Tyrus, quibus hodie Barbara nomina, & illa quidẽ Sait, hæc Sur appellatur. Tyrus olim Insula fuit, tam prope autem iuncta continenti, vt Alexander Macedo intercedentis maris spacium terra expleuerit, eamque partem continentis effecerit, cum eam vrbem obsideret: Huius vrbis amplitudinem, diuitias & magnificentiam Ezechiel Propheta non satis deprædicare potest. Nõ multo inferior erat hac Sidon vel potentia vel pulchritudine. Vtrique vrbi claritatem attulit tinctura purpuræ, quam Poetę diuersimode, modo Tyriã modo Sydoniam appellant. Vtriusq; paucæ supersunt reliquiæ, vt & Ioppes & Acræ.

Syria speciatim sic dicta extenditur à Tyro vrbe vsq; ad Sinum, qui hodie Laiacensis dicitur, quo in spacio continentur hæ vrbes; Berytus, Tripolis, Tortosa, quarum priores duæ frequẽtib. mercimoniis celebres sunt: in mediterraneis Damascus est & Laodicea. Damascus ẽt nostro æuo vrbs est valde pulchra, sita in amplissima valle, domib. exculta, quarũ ornatus interior exteriori splendori respondet. Plateæ tamẽ eius angustæ sunt & tortuosæ: præcipuum a. vrbi decus est ab aquarum copia quæ per vestibula ædium fluitãtes hortos mira iucunditate irrigant. In ea quoque est Arx excellens, quam Mamaluccus quidam Florentinus extruxit, cum ad summa perueniisset diuitias, & vrbi huic præfectus fuisset, quæ caput est totius illius prouinciæ.

Cœlesyria proprie est ea pars, quæ est inter montes Libanum & Antilibanum, vbi sunt fonte fluuii Orontis, qui hodie Farfarus dicitur, incu ius ripa est Antiochia Syriæ, quã recte sui ipsiu sepulchrum dicere possis, tota iacens in situ ruderibus. Mœniorũ tamẽ quædã partes adhu extantes, & egregio operæ structæ, veterem l ci testantur gloriam. Supersunt & turres qua dam, & castellum monti inædificatum; Audet etiam aliqui ostendere domum, in qua S. Petr Apostolus crebro diuerterit, & locum quenda angustum, vbi multos baptizauerit homines. ostium Orientis fluuii spectatur adhuc Selen Pieria, quæ hodie Soldin dicitur.

Comagena pars est Syriæ, quæ sequitur cursu Euphratis amnis vsque ad fines Armeniæ. A pum (Epiphania veterum hæc putatur esse) c put est huius regionis, numeraturque reru co inter primarias vrbes Imperii Turcici: est supra Singam amnem, haberq; canalẽ aq subterraneæ, vnde plurimi fontes publici pri tiq; in lucem erumpunt. Complectitur ante Montes quatuor, cum arce satis spacioſa & s urbiis ampliſſimis: ædificia tamen splendida pauca sunt, præter Mosqueas siue Templa M hometana, & Apothecam siue Tabernam p blicam pro peregrinis Mercatoribus. De ingẽ ti populi, qui in ea est, multitudine hinc fieri test iudicium, quod anno A N.C.M·D.LV. in vrbe quam suburbiis morbo epidemio ex cta fuerunt spacio vnius tridui vltra viginti millia hominum.

Proprietas terræ supra dictarum regionum omnium, tam Minoris quam Maioris Asiæ.

Fruitur Anatolia siue Asia Minor aere bo suaui & temperato: agri largiter ferebant o omnis generis frumentum, campi & prata v rima pro pecudibus pabula, & vt vno verbo cam, abundabant incolæ eius omnibus re ad vitam sustentandam necessariis. At no tempestate non est eadem regionibus illis, q olim fertilitas, quanquam dubium non sit, l ge humum fore feraciorem bonarum rerum melius coleretur.

Interiora & à mari remotiora latissimis ab dant campis aruisque, in quibus frumentum ritur & gossypium crescit. Fluminibus enim i gatur permultis, inter quæ primi nominis s Iris, nunc Casalmachus: Halys, hodie Otton giuch: Parthenius, hodie Dolapus: Sangaris, Sangri: qui omnes in Pontum Euxinum exo rant. Propontidem influunt Ascanius, Rhm cus, Asopus & Granicus. Hellespontum pet Simois & Xanthus. Ægeum mare ingredi tur Caicus, Hermus, Caystrus, & Mæan multis tortuosisq; flexib. mare petens. Hic ac

sen

us etiam est Melas fluuius, qui aquas suas
aphratem deponit. Mare mediterraneum
nt Calbis, Limyrus, Cataractes aliique.
ithynia plurimum farris gignit, submittitq;
ntem vim farinæ Aulæ Turcicæ, inprimis
ferax est frumenti circa Prusiam. Præterea
ndat hæc regio adeo materia lignea ad fa-
andas naues, vt quis dicere possit, triremes
ponte crescere & in subiectum mare dela-
m celeriter conficiuntur omnis generis na-
a. Iuxta Niceam reperitur Auripigmen-
in magna copia.
sia peculiariter ita dicta, præter cætera bo-
abet Synnadicos Montes, vnde lapis etui-
Alabastro pulchritudine non multum ce-
, qui olim à Romanis expetitus fuit ad fa-
das Columnas statuasque.
ger circa Troiam hodie macilentus est &
is, quarum laborans inopia: at Pergamen-
nge melior feraciorque. Inueniuntur etiam
atomiæ, in quibus reperta sunt humana cã-
ra eorum, qui se aliquando in iis cauernis
ore belli occultauerant: prorsus in petras
ra cõuersa. Tribuit Hierapoli Strabo aquas
as natiuas, quas facile in lapidem tophum
ri ereait. Aliæ hic sunt aquæ, ad tingendas
adeo aptæ, vt qui iis imbuuntur panni,
ent iis, qui herbis radicibusque tincti

Caria Magnesiæ ager olim fuit in maiore
natione, quod multum frumenti gigneret,
onge inueniretur ab ea vrbe Magnes Lapis.
ontibus Cariæ reperitur lapis ad ædifican-
peraptus, grati splendidique candoris. Fuit
prouincia olim multis concussa terræmo-

ysiam commendant vineæ, quæ in territo-
ampsa ceno frequentes & vino vberes. In
multum è terra extrahitur Minij, quod ibi
quitur: alicubi etiam vinum crescit opti-

elebrantur veteres Lydiæ diuitiæ, ob auri
nta, quæ multi riui fluuiolique à Tmolo
e descendentes secum vehebant. Multum
Lydi habebant auri, vt & argenti, acce-
e ad has diuitias soli culti bonitate, inpri-
audatus fuit Tmolus Mons ob eximiam
itatem, præcipue ob vini & croci co-

cia aspera est & incommoda, ob Taurum
em, qui ibi attolli incipit, campos tamen
cieisque habet satis feraces. De Chymæra
e aiunt, summa eius olim plena fuisse Leo-
, media capreis ob pascuorum bonitatem,
rpentibus. Hinc nacti sunt Poëtæ fictionis
e Chymæra argumentum, quod bestia fue-
nem euomens, capite Leonino, corpore
, cauda draconina. Tremores terræ hanc
afflixere. In Pamphylia vt & Cilicia ferunt
pilos tenerrimos, instar lanæ mollissimæ,
iam Sericæ materiæ, & qui ad niuis can-
n mundantur. Cappadocia abundat omnis
is frumento, vino, fructibus arboreis, nec
non argento, ferro, alumine, Iaspide, Onyche & Alabastro, quamuis deformiori. Aluntautem & Cappadoces innumera Equorum armenta; alicubi tamen asperior est regio, nec satis felix in proferendis ad vitam humanam necessariis. Ait Plinius iuxta Thermodontem amnem duûm generum inueniri Apes: quarum aliæ quidem in cauis arborum truncis, aliæ vero in specubus & cauernis subterraneis mellificent. Argei Mõtis summa tam æstatis quam hyemis tempore niuibus cooperta sunt.

Campi in plerisque Amasiæ partibus deserti sunt & cultura vacui, pabuli tamen pro gregibus & armentis feraces. Iuxta Iconium colles cooperti sunt vineis, quæ tã præstans vinum gignũt, vt nulli per Asiam cedere debeat. Cilicia duplex est: alia Aspera, quæ in occidentem vergit, alia Campestris, quæ Orientem respicit. Hæc multis riuulis amnibusque irrigatur, vnde multos fert fructus aliasque res bonas, nutritque equorum armenta plurima. Eadem aquarum copia in causa est, vt maxima pars Ciliciæ mediocriter cultа sit, quamuis ager argillosus sit, & æqua loca lignis destituta, quæ necesse est procul à montibus peti, qui prope biduii itinere absunt. Inter eos montes est Amanus, in quo crescunt cedri altissimæ, vt & iuniperi, aliæque arbores innumeræ. Sunt tamen in Cilicia multa loca valde amœna, vbi sunt arbores perpetuò virentes: alibi vero solum ineptum est & sterile, in campos late patentes diffusum, quorum nemo rationem habet: vt cuique integrum sit suos ibi pascere greges, inprimis capellas, vnde incolis larga lactis caseique copia. Sunt autem harum caprarum pili molles ac delicati, vt vix bombycum lanæ cedant. Habet alicubi Cilicia syluas, in quibus Myrtera, quorum fructus albus est, vt & frequens Pinus atque Terebinthus. Fluuij huius regionis sunt: Pyramus, hodie Malmistrã dictus, qui prorepens è medio pulchræ planitiei, longe vltra Montem Taurum, postquam acquisiuit vires, ciet murmur tonitruo simile, vt à longo exaudiri possit. Cydnus vero fluuius ab Antitauro prosiliens, frigidus est rapidusque, aquas vehens limpidissimas, quibus Plinius tribuit vim curandi Podagram. Reperiuntur etiã hic parui lupi, qui gregatim discurrunt, quosque Græci vulgo vocant Σκύλακας, tantæ rapacitatis, vt nihil vereantur dormientibus noctu superuenire, iisque eripere quicquid inueniunt, pileos, calceos & res similes. Iuxta Heracleam ait Bellonius amœnam esse planitiem, in qua sint omnis generis arbores fructiferæ vbi & magna vis equorum perpetuo nutriatur.

Armenia superior tota plena est montibus collibusque, quamuis non destituatur vallibus frugiferis. Solum eius vulgo ferax habetur, quodque multa nutriat animalia, quanquam hic frequentius densæ niues de cælo cadant, nec tam cito liquescant.

Georgia tota montosa est & saltuosa, vnde difficilis ad eam hostibus accessus: habet tamen

& campos æquos feracesque, nec non amœnas valles, quas liquidi amnes perluunt, inter quos primi sunt Cyrus & Araxes.

Quamuis in Arabia deserta vastæ sint solitudines, habitatur tamen frequentibus oppidulis villisque, neque destituitur incolarum multitudine, in primis iuxta Euphratem, & circa montana Arabiæ felicis: ea enim pars quæ in occidentem porrigitur, tota arenis cooperta est.

Arabiam Petræam Veteres omnino sterilem iudicauerunt, illa tamen pars quæ Syriam attingit, melior est altera. quicquid sit, constat fere desertam esse, & carere plerisque rebus, ad vitam commode agendam necessariis: destituitur autem vel maxime lignis & aqua dulci. Palmæ tamen alicubi crescunt ferentes fructus trassos & teneros, quique non nimis abundant humiditate. Sed & Manna hic decidit, & in littoribus nascitur Coralion, specie quidem satis pulchra, sed intus concauum. Inuenitur & in quibusdam huius Arabiæ partibus Amethystus gemma.

Arabia Felix melius quam vel Petræa vel Deserta culta est, vt quæ pluribus riuis & fluuiis irrigatur, quorum nonnulli etiam in lacus diffunduntur. Ergo fert ordeum & cætera frumenti genera, inprimis orizam, vt & mellis cæræque copiam, nec non arborum omnis generis fructus, Bis & hic in anno seritur, bis metitur, vt & in Indiæ plerisque locis. Proueniunt insuper hic Palmarum Dactyli, Nardus, Casia, Cinnamomum, Myrrha, Thus & aliæ res atque herbæ odoriferæ maxima copia. Nec Metallis omnino destituitur, neque gemmis lapillisque, inprimis qui in littore maris felici piscatione extrahuntur. Alit præterea Arabia hæc equos præstantissimos, & arietes adeo pingues, vt cauda eorum nonnunquam viginti libras pendat. Ager tamē circa Medinam est prope sterilis, qui non multum gignit rerum bonarum: is vero qui circa Mecham est, etiam aquæ potabilis inopia laborat.

Palæstinæ pulchritudinem & amœnitatem augent campis patentibus interspersi montes, & aquarum scaturientium multitudo: vnde frumenti in ea fructuumque abundantia. Nam & Rosæ hic sunt quam alibi suauioris odoris, & passim ac temere crescit Ruta, Fœniculum, Salutia, aliæque herbæ salubres. Oliuæ, ficus, & mali Medicæ hic in magna sunt copia, Palmeta crebra, vineæ longe lateque colles ac campos operientes. Etsi enim vsu vini Turcis interdictū est; multum tamē hic fit vini, & vindemiantur vites quotannis tribus vicibus. Poma quidem similia nostratibus, vel pyra, vel cerasa aut nuces, aliosque fructus nostris similes tellus ea non fert: verum hæc ab Damasco & aliunde eo deportantur. Sunt horum loco hic certi quidam fructus, qui in arboribus seruantur per totum annū, cuius generis sunt maiora illa poma Citria, & quæ vocantur Mala Paradisi. Humi vero repunt Melones, Pepones, Cucumeres, omnes saporis exquisiti. Dedit hæc terra olim Balsamū liquorem huic soli regioni, vt veteres credide runt, concessum, quo tamen nostra ætate dest tuitur. Capreoli hic multi, lepores, perdice coturnices, & eiusmodi gulæ illecebræ. Inu nias tamen etiam loca quædam deserta, qu mures & sorices nimia sui multitudine sibi ver dicant: vt nisi ab auibus quibusdam deuorare tur, neque sementis fieri neque messis in iis loc posset.

Vtrumque Iordani latus densis salicibus, in cis canisque obsitum est. Lacus Samachoni quando que per æstatem exaresc it, sucrescen bus ibi dumis, vepribus & arundinetis, quibus se Leones aliæque feræ occultare lent.

Campestria circa Lacum Genezareth des ta sunt, ob spinæ quoddam genus, quod ibi pu lulat tanta importunitate, vt arari seri que a non possint. Habitantur tamen littora lacu piscatoribus, abundantia piscium eo al ctis, qui & vicina loca indies cultiora re dunt.

Lacus Asphaltites siue Mare Mortuum quinque dierum iter ab Aquilone in Austr excurrit, latitudo eius ab ortu in occasum par Longitudinem huius maris quidam LXX. m libus passi, Latitudinem XIX. metiuntur. Exha hic semper fumum densasque nebulas quæ t tum littus vicinumque agrum sterilitate da nant, vsque ad D. passus. Nullus in eo pisces, n auis aquatica vlla: quin & si viuum aliquod a mal in eum iniiciatur, non mergitur, sed ad tus propellitur, etiamsi ei pedes ligentur. C lilææ solum ipsa Natura omnium Bonarum rum ferax est, inprimis arborum fructiferaru estque cultum optime: inferior tamen, quæ tra Iordanem amnem excurrit, aspera quæd loca & deserta habet.

Samaria partim Montosa est partim cam stris: est autem amœna, fertilisque, abunda fontibus & riuis aquæ dulcis. Magna hic est horto rum, & oliueta plurima, aliarumque rum vtilium prouentus lætus. Montes circa mariam, vt Bellonius refert, sunt obsiti arbo bus fructiferis, suntque oliuæ hic crassiores altiores quam alibi.

Quod ad Iudæam attinet, constat agrum H rosolymitanum egregie cultum esse, plurimu que proferre pomorum, amygdalorum, ficu & oliuorum. Montana abundant omnis gene arboribus herbisque, tam syluestribus quam n dicatis: sed nec rupes quidem culturæ exper sunt, in quibus magno labore plantantur vi aliæque arbores fructiferæ, excisis in petras g dibus, quibus ad eas adiri queat. Iuxta Ram oppidum, ager est egregie bonus, neque tan satis habitatus, vnde agri negligentius culti suntur, quanquam Græci qui ibi habitant rant triticum, hordeum & legumina, pauca men ibi sunt vineæ. Sunt & ibi palmæ arbo quarum tamen fructus raro matureſcunt, qu aër ibi soleat esse frigidiusculus.

Su

supra modum fertiles sunt eæ Idumææ par-
quæ vel propinquo mari, vel Iudææ vicinæ
:atqua Arabiam contingit, sterilior est ob
ros montes. Palmas tamen habet, & anti-
s temporibus habuit quoque Balsamum.
nt scriptores, regionem hanc difficulter
exteris occupari posse, ob loca deserta
ibi sunt & aquæ inopiam. Sunt quidem
ontes, sed occulti, quos soli incolæ nouc-
.

erritorium Sidonium in Phœnicis fertilis-
m est, & quod cannas mellitas magna co-
ignit: feracius vero etiam circa Ptolemai-
, vbi præter egregia pascua plurimæ sunt
æ, & horti ac viridaria lætissima, è quibus
is generis fructus per totum annum perci-
t. Fluuio qui vrbem alluit, nomen est Belo,
ibulum vehit conficiendæ materiæ vitreæ
simum. Ager Emissenus aquis vndique est
uus, vnde omnibus rebus ad vsus vitæ af-
, inprimis arboribus fructiferis va.ij ge-
.

Mores antiqui Asiaticorum.

tes & scientias prisci Arabes hili non fa-
nt. Capillos capitis promittebant omnes;
m vero alij radiebant mento tenus, alij
qui cæteros ætate anteibat, habebat in in-
s imperium. Qui sanguine iuncti erant,
es facultates suas communes habebant,
mulieres, vt qui interdiu primus ad ali-
ingressus fuisset, posito ante ostium bacu-
eius frueretur concubitu: noctem vero
bat mulier cum maximo natu. Hac ratio-
nes inter se fratres haberi volebant, con-
dinem Veneris etiam cum matribus soro-
que habentes, brutorum instar. Adulte-
morte puniebatur: is autem habebatur
er, qui cum alia consueseret muliere, præ-
m cum sanguine iuncta. Quicquid hoc
in aliqua familia nascebatur, habebatur
num. Curam mortuorum nullam gere-
vt qui & reges suos vita functos in sterqui-
defodiebant.

em in promissis contractibusque præ cæ-
ncte præstabant, cumque de re aliqua sti-
volebant, tertius quidam inter duos con-
ntes consistebat medius, percussaque pal-
anus suæ, contrahentes in eam impone-
rimores digitos. deinde sumebat paruum
de vtriusque vestimento, tingebatque
nguine manus suæ, & conspergebat se-
apides, in hunc finem ibi præsentes, inuo-
que testes Dionysium & Vraniam. Huc
ebant certæ obligationes, compatituros
i ad hunc modum paciscebantur, coram
udice quem Mediator iste nominabat, si
sset, siue peregrinus is foret siue ciuis, ha-
irque hoc honestissimum paciscendi ge-
o vtebantur in conciliandis nouis fœde-
ut amicitia.

namomum colligebant non alij quam Sacerdotes Arabes, qui ante animalia quædam sacrificabant: quinque inter eos auctoritate cæteros præstabat, diuidebat Cinnamomum in certas partes, resortiato primum fasciculo in honorem Solis. quod si arbitraretur, cinnamomum æqualiter diuisum esse, excitato vehementia radiorum solarium igne, se ipsum eo exurebat.

Fuit & certa quædam gens inter Arabes, quæ serpentum carnibus vesci solebat, vnde Ophiophagi dicti fuerunt. Alij Camelorum carnibus & lacte viuébant, quibus etiam vtebantur ad expeditiones belli & ferenda onera. qui vero inter eos Debes dicebantur pastionibus & agriculturæ dediti erant: perhibebantur hi nonnunquam inter glebas & cespites terræ inuenire auri puri globos rotundos, ad magnitudinem nucis iuglandis, quibus includant preciosos lapillos, atque inde torques ac monilia conficiant. Vendebant autem etiam aurum vi cinis extraneisque, duas auri libras dantes pro vna æris Cypri, aut etiam alius Metalli.

Apud Sabæos solus Rex iudicabat controuersias, eligebanturque reges arbitrio populi, adscitis fere ad eum honorem iis, qui ex ea orti erant familia, vnde antea quoque reges electi fuerant. Persuasum autem erat regibus istis, quod si progrederentur extra Palatium regium, è vestigio obruendos esse lapidibus à populo, vnde pedem porta Regiæ non efferebant. Lecticæ eorum & cathedræ prægrandes erant, quarum pedes siue fulcra solido constabant argento, respondebatque huic magnificentiæ reliqua supellex regia. Negant autem scriptores, eos vnquam captos fuisse desiderio, inuadendi rapiendique alienas terras aut possessiones.

Garæorum, qui & ipsi Arabes fuerunt tantas fuisse aiunt diuitias, vt omnis eorum supellex esset ex auro & argento, aditus vero ædium & tecta & parietes ex ebore. Infra quem splendorem multum erant positi Nabathæi, apud quos infamiæ notam in currebat, qui bona sua diminui patiebatur. Panchaij vtebantur in bello curribus, diuidebantque Regnum suum in tres partes. primam assignabant Sacerdotibus: secundam laboratoribus: tertiam bellatoribus, in quibus etiam censebantur Pastores. Sacerdotes decidebat omnia litigia, siue versarentur inter priuatos siue concernebant Rempublicam, excepto supplicio capitali.

Laboratores cum collegissent fructus terræ, conferebant eos in commune, quinque inter eos habebantur magis strenui, numero decem eligebantur, vt distribuerent fructus viritim. Pastores obligati erant vti magna diligentia in publicum proferrent ea quæ ad sacrificia solennia spectabant, vtque omnia legitime distribuerentur secundum pondus: ita nihil erat inter eos priuati, præterquam domus & horti. Tributa & subsidia erant in manibus sacerdotum, qui cuique dabant pro necessitatis exigentia, ipsi vero duplum percipiebant, consentientibus cæteris.

Habi-

Habitus veſtituſque eorum purus erat & nitidus, quod lanę apud eos multo molliores eſſent quam noſtrates. Tam viri inter eos quam fœminæ geſtabant aurum, ferentes collo torques & monilia, armillas brachiis, digitis annulos, auriculis gemmas more Perſarum, vtentes calceis verſicoloribus. Defenſio regionis erat penes tertium genus, nempe bellatores. Sacerdotes vitam viuebant deliciis affluentem, caſtitatis tamen ſtudio clari. Veſtes eorum erant ſtolæ longæ, candidæ, è lino puriſſimo, quidam etiam geſtabant togas è molliori lana. Capitibus imponebant mitras, aurificum induſtria factas exornataſque, vacabantque fere ſeruiciis diuinis, recitãtes ad ſonum harmoniacum hymnos in laudes deorum ſuorum. Aiebant autem omnes ſe genus ab ipſo Ioue dicere, qui in eorum regionem aliquando venerit, tunc cum inter homines moraretur. Aurum, argentum cæteraque metalla regione exportare nefas erat, nec licebat Sacerdotibus egredi Templis lociſque ſacris, vt ſi quis in loco profano deprehenſus fuiſſet, impune à quouis interfici poſſet. Dona atque Anathemata Templorum magna cura cuſtodiebãt. Ipſe locus, vbi Simulacrum Dei quem colebant, cuſtodiebatur, longus erat cubitos ſex, latus quatuor, magnifico & admirabili ſtructus opere. Omnis autem ager circa templum ad ducenteſimum ſtadium, ſanctus habebatur, & quicquid in eo proueniebat, ſeruitiis diuinis applicabatur.

23. At Iudæi (ſiue Hebræi, vtamur enim ſane his nominibus promiſcue) qui olim Iudæam, Samariam & Galilæam poſſederunt, cum aliis vicinis regionibus, leges ſuas vinendique ritus ab ipſo Deo per Moſen Prophetam acceperunt: quas ego ſi omnes pro dignitate perſequi vellem, nimis longus futurus eſſem; contentus igitur præcipuas maximeque mirabiles retuliſſe, in cæteris Lectorem ad ſacras litteras remittam & Ioſephi Hiſtorici ſcripta.

Voluit igitur Hebræorum Legislator, vt pueri ab incunabulis inſtituerentur in Lege Diuina, in qua omnia ſalubria vitæ præcepta continerentur. Vt Blaſphemus, qui Deo male dixiſſet, ſuſpenſus ſepulturæ honore careret. Vt nihil furto aut fornicatione acquiſitum offerretur in Templo. Voluit idem, vt in vnaquaque ciuitate eſſent viri ſeptem, prudentes & Iuſtitiæ amantes, penes quos auctoritas eſſet iudicandi controuerſias: ſi quæ tamen quæſtio maioris momenti obortа fuiſſet, aut lis grauior, vt ei iudicio interueniret auctoritas Summi Pontificis. In teſtimoniis dicendis vni ſoli credi noluit, ſed voluit vt minimum duo eſſent, iique vitæ inculpatæ. Mulierem teſtimonium dicere prohibuit, vt & hominem conditione ſeruum. Fructus ab arbore colligi vetuit, niſi quarto anno poſtquam plantata fuerat: ibi neceſſe erat ſoluere primitias decimaſque. Iuſſit & perſolutis decimis partem fructuũ collectorum impertire proximis agnatis, vt & peregrinis aduenisque: quod ſupererat domini erat. Viatores & peregrinos prohiberi noluit, ne alienum fundum ingreſſi inde deperent aliquid pro præſenti neceſſitate. Mere cem & quæ corpore quæſtum fecerat, à quo in vxorem duci vetuit, neque ſponſam alien Si quis ignarus depudicatam pro virgine du ſet, lapidibus obruebatur mulier aut exure tur. Si quis deſponſatam alij ſecum haberet, c ſentiente vtroque in ſcelus, vtrumque n oportebat: ſi vero puella vi compreſſa fuit violator ſolus ſubibat ſupplicium.

Si quis mortuus fuiſſet, nullis ex vxore ctis liberis, oportebat fratrem defuncti vxo ducere viduam, ne intermoreretur genus, q ſi frater id facere noller, neceſſe erat eum in medium afferre rationes coram iudici qui ſi eas probaſſent, licebat homini ada tranſire nuptias. Defunctos vltra trigeſim diem lugeri noluit. Filius qui patri aut m maledixiſſet, aut iniuriam intuliſſet, extra ciu tem ductus ſuſpendio necabatur. Hoſtes in lo interfectos terra obrui oportebat. Credi non licebat vltra diem vnum retinere pig pauperis debitoris. Si debitor ſatisfacere credito non poſſet, cogebatur ſeruire credi tantiſper, donec illi ſatisfactum fuiſſet. Si ſeruum Iſraëlitam emiſſet, oportebat eum remittere publice. Qui alienum iumentum rans offendiſſet, aut aliquid de grege, teneb id ad gregem reducere, aut domi aſſeruare, nec is veniret ad quem pertinebat. Si quis uictus fuiſſet, præparaſſe alij venenum, cog tur ipſe ſumere. Qui alij oculum aut denten cuſſerat, talionis iure idem patiebatur. Ta quiſquam eius veſci carnibus. Filius pro p delicto neque in corpore neque in ære lu nec pater pro filio.

Conſtituit idem Legislator, vt ſi extra aliquis populus Hebræis ſua rapuiſſet bona mum omnium fecialis res repetitum mit tur: qui ſi nil æqui obtinuiſſet, ibi tunc de ciaretur raptoribus bellum. Si exercitus du dus eſſet in hoſtem, aut obſidenda ciuitas, erat lædere arborem fructiferam. Qui Mag tui rebelles extitiſſent: ſuppliciũ capitis adi vt & hoſtes qui pertinacius repugnaſſent: vero ſpontaneam deditionem feciſſent, tri rii fiebant. Mulieribus tractare arma, quib ri in bello vſuri erant, fas non erat. A ſang eſu, cuiuſcumque animalis abſtinere Heb oportebat. Leproſi & Gonorrhoici extra m ciuitatis habitabãt. Mulieres menſtruatas à p co abſtinere oportebat. qui cadauer huma attigiſſent, per VII. dies funeſti habeba Mulier quæ maſculum pepererat, ante qua geſimum à partu diem in Templum non ac tebatur, nec ea quæ puellam enixa fuerat, octogeſimum. Si quis adulterij nomine ſu ctam habebat vxorem, adducebat eam ad T plum, vbi parabat Sacerdos potum Zeloty farina hordeacea, quem mulieri iuratæ pr caſtam eſſe, potandum exhibebat: quæ ſi pe ſet, mouebatur femur è coxendice, & inuad putredo ventrem eius, vnde miſeris mod

guebatur. Si casta fuisset, nihil mali patieba-

Adulteros, incestuosos, pædicones sine du- mors manebat. Sacerdos qui non omnibus embris vteretur integris, ad seruitium Altaris n admittebatur, ali tamen eum oportebat ex quæ Templo offerebantur. Omnis ager, em Hebræi possidebant, septimo anno quie- bat, immunis ab aratione & messe: in eo anno icquid sponte proueniebat in agro & vineis, llius erat proprium sed cominune. Quinqua- imus quisque annus Iubilæus erat, quo fundi ique venditi redibant ad venditorem eiuf- e hæredes: sed & Creditores moratoriam rogationem indulgebant debitoribus, aut tem debiti remittebant. Tunc & serui acci- bant libertatem, & erat velut publica lætitia quasi quædam Saturnalia, si ita dicere li-

Fuerunt autem præ cæteris gentibus Israëlitæ liti religionibus & ceremoniis, habuerunt- e abinitio duo sacrificiorum genera, maius ninus. Maius vocabatur Holocaustum, qua- ere ditiores offerebant, vbi animal immo- dum vnius erat anni. Ibi Sacerdos adsperge- aram sanguine victimæ, eamque dissecabat partes, deinde imponebat igni atque com- ebat. Tenuiorum victimæ, quas sacrifica- t, erant vltra annum, quorum sanguine cum utum fuisset Altare, coniiciebantur in ignē es cum pinguedine & interaneis: coxa dex- debebatur sacerdoti: quicquid supererat, sumebatur proximo biduo ab iis, qui sacri- im obtulerant. Pauperiores offerebant columbarum aut turturum: è quibus vna sa- cabatur, altera cedebat victimario. Qui de- im per imprudentiam admiserat, offerebat m vel hircum araiculum: qui autem occulti inis sibi conscius erat, sacrificabat arietem. nes autem Sacerdotes in Templo sacris rantes, victitabant carnibus victimarum, sine fine mactabantur. Vtebantur autem acrificiis hoc discrimine: qui sacrificabat im, adiungebat certam quandam mensuram næ: qui arietem, duas: qui taurum, tres: in- gebant etiam quibusdam oblationibus im. Erat autem solenne statumque, singu- iebus duos immolare agnos, vnum mane rum vesperi: die vero Sabbathi geminaba- d sacrificium. Kalendis vniuscuiusque men- crificabant boues duos, agnos septem, & em vnum cum hirco vno expiatorio pro inibus. Præterea adsistebant ad aram duos os, quorum vnus dimittebatur è Templo, peccatis oppo : alter deductus in suburba- mmolabatur & comburebatur. Mense Mar- quo ipsi auspicabantur annum, Luna in ple- umine existente, & Sole signum arietis in- , sacrificabant agnum Paschalem, quod eo tempore maiores eorum Ægypto exiuif . Obseruabant & eodem tempore certos quos Azymos vocabant, quod per eos erentur panes non fermentato, sacrificantes singulis illis diebus binos taurōs, arietem v- num, agniculos septem, & hircum vnum. Habe- bant & certa sacrificia cum primitias fructuum, & primitias frumenti ex noualibus cum ali- quanto olei in templum afferebant, immo- lantes tunc agnum in Holocaustum. Etsi autem multa alia huius generis sunt, quia tamen præ- cipua diximus, cætera ex Mosis scriptis petan- tur.

Cæterum de ipsis Iudæis inter Scriptores Sa- cros & Profanos non satis conuenit. Corne- lius enim Tacitus, vbi migrationis Hebræo- rum ex Ægypto mentionem facit, ait, inuasisse circa ea tempora genus quoddam scabiei Ægy- ptios, valde molestum: vt Bochoris rex coactus fuerit, Iouis Hammonis Oraculum consulere, quod responderit, purgandum regnum esse, eiiciendosque Iudæos, qui Diis infesti essent; eos igitur debere quærere aliud domicilium. Id quidem factum fuisse, cumque incredibilis multitudo eiusmodi scabiosorum hominum conuenisset, quendam inter eos Moysen nomi- ne cæteris persuasisse, vti se sequerentur, & sic eos ingressos viam, quam primam dij osten- dissent. Cum autem vehementi excruciati siti, parum abessent quin perirent, conspicatos ar- mentum onagrorum, qui redeuntes à pastione, rupem petierint, densissima coopertam sylua, ibique repertam bibisse aquam. Deinde susce- pisse à Moyse ritus & ceremonias, aliorum mor- talium consuetudinibus plane contrarias. His subiunxit nugator, eos in loco Templi sacratis- simo effigiem asini collocasse, quod eius anima- lis ductu non solum sitim restinxissent, sed & eius secuti ductum in ea peruenissent loca, vbi postmodum sedes fixerunt. Arietem vero mac- tasse in contumeliam Iouis Hammonis, & bouem in contemtum Ægyptiorum, qui soliti sint Bouem Apim velut Deum colere. A carni- bus autem suillis ait eos abstinere, quod à scabie sibi metuant & lepra, cui animal istud obno- xium est. Sed nos ab his hominis profani nugis & portentosis mendaciis, ad veriora nos con- uertamus.

Erant inter Iudæos Sectæ tres, quas qui se- quebantur, multum inter se differebant & gene- re vitæ & institutis disciplinisque. Pharisæi enim, qui primi erant, grauem & seueram viuen- di sequebantur rationem, Leges Mosis suo quo- dam modo & arbitrio interpretantes. In fronti- bus sinistrisque lacertis gestabant chartulas, quibus inscripta erat Lex à Deo per Mosen tra- dita, quas chartas appellabant Phylacteria. In tunicis suis habebant latas fimbrias affixis spi- nis, quarum punctu ris subinde admonerentur de obseruanda lege. Tribuebant autem omnes res Deo & Fato, quod consistere aiebant, in motu corporum cælestium, quanquam interim non negarent, accedere inclinationem & deli- berationem hominis ad vel eligendum vel re- probandum iusta. Nemo eorum à præceptorum maiorumque suorum opinione vel latum vn- guem discedebat. Aiebant extremum fore sub

finem

finem mundi & vniuersale iudicium, nam & animas immortales esse, quæ si piæ fuissent iustitiæque ac virtutis studiosæ, transirent in alia corpora vsque ad diem resurrectionis, iniustorum vero & flagitiosorum animas æternis damnari carceribus.

Sadducæi (nam hi secundi erant) Fatum negabant, dicentes, Deum quidem res omnes nosse, in hominis tamen arbitrio esse, vt bene vel male faciat. De mortuis ita censebant, eos post hanc vitam neque vllis affici gaudiis neque torqueri doloribus. Resurrectionem mortuorum fore negabant, dicentes animas interire cum corporibus: sed nec credebant vllos esse Angelos aut Spiritus. Inter Scripta Sacra solos Libros Mosis recipiebant, repudiatis cæteris. Seueram agebant vitam, ne ipsi quidem inter se multum conuersantes. Esseni in commune viuebant instar Monachorum, abstinentes à matrimonio & omni fæminarum commercio: non quod ab iis adeo abhorrerent, aut vellent extinctum genus humanum, sed quod detestarentur leuitatem fæminei sexus, quarum vix centesimam putabant seruare fidem marito debitam. Nihil apud ipsos erat priuati, communia omnia. Vnguentis balneisque vti indecorum putabant: contra honestissimum existimantes, sui ipsius non magnam habere curam, sed operam dare, vt alba sint vestimenta. De vlla re ante Solis ortum loqui profanum putabant, sed tantum precabantur Deum: Sole autem orto, quisque manum applicabat operi alicui per horas quinque: tunc lauabat corpus, & capiebat prandium magno cum silentio. Iurare nefas putabant, nihilque distare inter Iuramentum & periurium. Neminem recipiebant in sodalitium suum, nisi prius eum exploraſſent per annum integrum: quem si recepissent, adhuc per biennium seruatabantur illius ingenium & mores. Si quid in eo vicioſi deprehendissent, eiiciebant eum è societate, vel si secum retinebant, hac pœna afficiebant, vt per omnem vitam non nisi herbis vesceretur. Cum decem Esseni conuenissent, nullus inter eos audebat loqui, nisi consentientibus cæteris nouem. Præsentibus aliis nemo expuebat, neque saliuam in dextrum latus deiiciebat. Sabbathum tam stricte obseruabant, vt eo die ne ad necessaria quidem naturæ requisita irent. Deiecturi aluum, secum ferebant instrumentum, quo terram effodiebant, vt excrementa occultare possent, id vnice studentes ne quid turpe obtutui Solaris luminis exponeretur. Viuebant autem plerique longo tempore, quod laborioso generi vitæ & simplicitati victus tribuendum videtur, cum potissimum palmarum fructibus vescerentur. Auri Argentique signati vsum respuebant: eos felicissime mori arbitrantes, qui pro iustitia morerentur. Dicebant insuper, quanquam animæ à principio creatæ essent, & suo tempore vnaquæque suum nanciscatur corpus: eas tamen, quæ exirent è corporibus bonitatis & innocentiæ studioſis, transire Oceanum, victuras in certo quodam loco, vbi perfruentur omnibus deliciis: contra eas, quæ facinoſum corpus inhabitassent, deserto illo hotio proficiſci in loca inhabitata ob ingentem vim frigoris. Quidam inter eos compertis futura prædixisse: quidam etiam vxores duxerunt, quibuscum tamen rarissime consuerunt, dicentes id eo duntaxat fine facere, vt teros homines exemplo mouerent ad casendum matrimonium, ne sinerent intempeua abstinentia totum interire genus humum.

CAPPADOCVM ingenium tale era non possent viuere sine rege: fuerunt autem omni tempore malitiæ nomine infames. tantur etiam in hac prouincia Amazongnum suum habuisse, iuxta Thermodon fluuium. Doris, Ionia & Acolia multos habrunt viros doctos, qui optime scripserunt lingua Græca: Phryges primi putantur inuenisse auguria, tibias & instrumentum ex Chordarum. Telmessa Lyciæ vrbs clara ob auguria & interpretationes somnior Cilices ob latrocinia male audiuerunt. Pnices creduntur inuenisse litteras & artem uigandi, istud quidem constat, frequentiſexercuisse eos cum exteris gentibus comeia. Idumæi veteres barbari habiti fuerunt, biles, seditioſi & nouarum rerum am res.

Mores Asiaticorum nostri temporis.

Anatoliæ longe maxima pars habitati hominibus vilibus & abiectæ conditio Turcæ natiui, qui hic passim viuunt, sunt pliciores, magisque id quod dicuntur, igermani Turcæ, quam illi, qui deserto Chrinismo Turcæ facti sunt, neque adeo ach & crudeles. Nulla hic est nobilitas generis omnes æquales sunt, habenturque pro neipiis Turcarum. Rustici hic fere ociosi & ignaui, vt qui non multum studij impdant in laborandum agrum, inprimis quialiqua re sunt, & nisi serui colerent rus, quid est terrarum in dumos & tesqua ab Cappadocia quidem habitatur à Græcis, eis, Iudæis, Arabibus & Armeniis. Cilicimodum infrequenter habitatur, & qui eancolunt, neque piscationi neque nauigaoperam dant, sed nec agriculturæ, quanqsolum sit non malum, vt quod multis riuismectatur. Sunt apud Idumæos quidam Aptij ex vrbe Cayro, qui vtuntur columbis, rum opera res, qnæ illic geruntur, Cayrunque enunciare possunt. Harum enim alis alligantur litteræ, quæ cum auolant, nonquiescunt, donec ad columbarium arcis latæ inueniant socias. intercedit autem VI. rum iter inuium plane & desertum.

Palæstinam nostro tempore inhabitant uersissimæ Nationes: Turcæ, Iudæi, Ara Græci, Syri, Armenii, Georgiani, Nubii,

gyptiique. Galilæam potissimum incolunt abes, homines staturæ breuis, gestantes togã que ad suras talosve demissam, è pilis caprã. n textam, ex albo & nigro variegatam. Huic iciunt pallium non breuius, cum manicis lõ- & capacibus, recti caput pileo nigro acumi- o. In bello vtuntur arcubus & sagittis, gladiis ugionibus.

udæa etiam plena est peregrinis exterisque ninibus, partim qui in ea habitant, partim eo Religionis gratia confluunt, oportet m vnumquemque S. Sepulchrum ingredi ientem, soluere nouem Scutatos. Peregrini huc veniunt, recipiuntur, quisque ab iis rum profitetur Religionem. Latini fere di- untapud Monachos Franciscanos, qui Mo- rium habent extra vrbem in Monte Sion. ci recipiuntur à Calohieris, qui intra Vr- habitant iuxta Templum S. Sepulchri. eri, puta Abyssini, Georgiani, Armenij, Ne- ani; Maronitæ & alij, quisque apud suos: quæque enim Secta habet hic proprium & hare suum Sacellum. Solent autem Mo- i Franciscani, qui maxima ex parte Itali creare Equites S. Sepulchri, & Magnus m Magister dat peregrinis litteras, qui iis molestias illas viæ susceperunt, qui- idem facit peractæ peregrinationis. Cir- onam meros videas Græcos & Arabas, ntenti sunt cultutæ agrorum & inpri- vinearum. Idumæi in moribus & vi- i ratione similimi sunt Arabibus vicinis

nt autem Arabes colore fusco, ingenioſi tiles, superstitiosi, boni negociatores, vin- , nouitatis & mutationis rerum cupidi. In nune sunt latrociniis dediti, quique mul- nolesti sunt viatoribus. In bello plus effi- solertia & vafritie quam robore & for- ne: pugnant non seruatis ordinibus, i potissimum numero. Hostem ab omni- teribus simul assiliunt, donec turbatis ibus rumpant aciem. Aggrediuntur au- ostem dispersi, fugiuntque rursum in- ili celeritate. Mulierum sunt appeten- i, ducuntque plures simul vxores, nec t vllam prodire in publicum, nisi velata Multi eorum sub rupibus aut Cryptis ranei habitant. Ingrediuntur seminudi, es sinuosa pallia & caligas laxas. Arma sunt, Arcus cum sagittis & longum , quod mitti è manu potest. Qui per am desertam iter faciunt, ductum So- tellarum sequi coguntur, ob latissimos s arena tectos, accedente alio incommo- uod etiam numerosi sæpe ab Arabicis La- us inuadantur, & multorum dierum & aquam secum ferre cogantur. Pet- vt plurimum viuunt è dactylis palma- qui cibus eorum optimus est & vulgatis-

ttore Rubri Maris saliunt siccantque ma- gnam copiam piscium, qui sic indurati bene ferunt ætatem. In Arabia felici multi viuunt ex re pecuaria, multi etiam, præsertim maritimi, ex negociatione.

Veri autem proprièque sic dicti Arabes sub papilionibus ac tentoriis vitam degunt: nam qui in oppidis habitant, Mauri appellantur: illorum cibus vsitatus est maza siue placenta sub candentibus carbonibus cocta: oleum eiusque vsum in deliciis habent. Diuitiæ eorum consistunt in Camelis, paucioribusque equis & armis: hæc sunt bona quæ à patribus ad filios hæreditatis iure transeunt. Soleas ferreas equorum vngulis nequaquam inducunt, ephippiis vtentes leuissimi ponderis; inque hac paupertate magnifice sentiunt de sua Nobilitate.

Qui Turcomaniam inhabitant, omnem in latrocinando laudem ponunt, trahentes originem à Tartaris siue Scythis: & hi sub tentoriis viuunt, pascentes greges armentaque sua. Qui tamen in ipsa prouincia nati & velut indigenæ sunt, agrum colunt & artes exercent mechanicas: fiunt enim hic elegantia peripetasmata, stragulæ vestes, vndulatæ è pilis camelorum, & alia non contemnenda materia vestiaria.

Georgianos ipse numerus & multitudo confidentes facit, accedente naturali robore & ferocia, qua pollent inprimis ij qui montes incolunt. Diu hæc gens armis tutata est libertatem suam aduersus Turcas, vsque ad nostra tempora; sed postremo cedere & iugum suscipere coacta est.

Opes & diuitiæ Asiaticorum.

Qui Anatoliam incolunt, potissimum rem faciunt è gossypio, cuius magna in illa parte orbis crescit abundantia: Bithyni vero ex Auripigmento, quod in varias diuendunt regiones: Caria ex Magnete Lapide: Galatæ ex ære Cyprio, qui inde luculentos percipiunt reditus. Pamphyliæ incolas diuites facit copia materiæ vestiariæ, imprimis Camelotti (vt ita vocemus) vndulati, quo vix pulchrior conficitur alibi. Cappadoces opulentos reddunt metallifodinæ, argenti & ferri, nec non aluminis, Crystalli, Iaspidis, Onychis & Alabastri. Cilices è pilis Camelorum, vt & caprarum, qui apud eos mollissimi sunt, telas magni precii conficiunt, quæ ab extraneis mercatoribus coëmuntur. Iudææ incolis multum lucri afferunt peregrini, qui visendorum locorum sacrorum gratia eo proficiscuntur. Phænices quoque adhuc exercent antiqua mercimonia: Arabiæ tamen felicis incolæ multo magis dediti sunt negotiationi, vendentes mercatoribus exteris aromata, odores, gemmas, vniones & alias Orientis opes: inprimis autem tantum habent Thuris, vt per vniuersum mundum id distribuant. Mecha Emporium est celeberrimum, quo infinitæ merces 25.

veniunt ab Aethiopia, India, aliisque remotissimis regionibus. Sed & Peregrinantes Religionis gratia in eam vrbem vt & Medinam quotannis multum inferunt pecuniæ. Aden autem Emporium est frequentius & opulentius supradictis omnibus. Nam huc incredibilem mercium copiam conuehunt Indi, Aethiopes & Persæ, quas hinc asportant mercatores Europæi & Asiatici, magno coemtas precio: ita enim genus hoc addictum est lucro, vt nihil ab iis adipiscaris nisi abundanter præstita solutione.

Robur & vires harum Regionum.

26. In Bithynia Minoris Asiæ regione Prusia est, hodie Bursia, antiqua Imperatorum Turcicorum sedes, satis firma & munita. In Caramania est Laranda vrbs cum Arce siue Castro munitissimo, tam situs ipsius natura, quam artificio manus humanæ. Amasia vrbs Paphlagoniæ habet pariter arcem firmissimam, super editum structam collem, in qua numerosum est Turcarum præsidium. Trapezus in Cappadocia vrbs est minime contemnenda, cum loco sita sit commodissimo, adiectis firmata munimentis, postquam sub Turcarum potestatem venit. In Regione Ayaman siue Arabia Felici, sunt tres magnæ vrbes munitissimæ, quarum nomina sunt Manta, Nazuæ, Baila: præter bonum numerum firmissimarum Arcium. Est & Aden vrbs satis firma, vallo & propugnaculis, vt & Arce munita præualida. Portus eius claulus est suntque ibi aliquot Turcarum millia in præsidio, quibus præest Bassa. In Syria occurrit primum Arx Damascena firma & defendi apta: post quam Antiochena non contemnenda est. Alepum in Comagena maximi momenti esse putatur per se, quanquam Arx eius in edito colle posita, vrbem etiam reddat firmiorem. Cætera minoris sunt considerationis, vt Lectori in his talibus moræ esse non velim, cum certum sit mihi, suo loco de viribus militaribus Turcarum Monarchæ ex professo agere.

Religiones quæ per Asiam.

27. Cum constitutum mihi sit, de Mahometana Religione vel potius superstitione sigillatim & fuse agere, vbi ad finem potentiæ Ottomannicæ peruenero: omissa ea in præsens, de cæteris siue Religionibus siue Sectis agam, quæ nostro æuo in vtraque Asia, quatenus eæ Turcicum agnoscunt dominium, reperiuntur. Et primo quidem quocumque per Asiam vniuersam venias, inuenies Iudæos, qui, vt per vniuersum terrarum Orbem dispersi sunt, ita etiam per omnes, quarum supra mentionem fecimus, prouincias Asiaticas vagantur.

De Christianis ita habet: innumeros in his viuere regnis prouinciisque, multum tamen inter se diuersos, cum alij obediant Ecclesiæ Romanæ, alij vero minime. Quod ad prie attinet, sciendum est, præter Mercatores Ve tos, Ragusinos, Gallos & alios, qui magno mero negociantur in vrbibus, Tripoli, Da sco, Alepo, aliisque locis Asiæ Syriæque, & bus in rebus spiritualibus seruiunt Mon Franciscani, qui Hierosolymis, & Berhleh habitant: præter hos, inquam, exiguus qui est populus, qui viuit inter Armenios Latino. Alangiacana est oppidum cum duorum dierum itinere à Tauris siue Ecba vrbe, vigintiquinque pagos sub sua haber risdictione, qui omnes agnoscunt Eccle Romanam, licet loquantur lingua Arm rum. Dicuntur autem hi homines ad Fide manam conuersi per quendam Bartholom Bononiensem, Dominicanum, qui facti Episcopus Armeniæ anno A N. C. M. C XXXVII. sub Iohanne XII. PP. Erant, v mus, tunc pagi viginti quinque, sed hac sunt tantum XII. qui persistunt in obed Ecclesiæ Romanæ, de reliquis XIII. ita partim secuti sunt auctoritatem Patriarc perioris Armeniæ, partim excisi sunt, du bus bellis inter Turcas & Persas, sunt XII. illis pagis, qui Pontificis auctorita quuntur circiter MCC. familiæ. Curam gerunt in Spiritualibus Monachi Ordin minicani, sub Episcopo eiusdem familiæ, gitur per Capitulum & Magistratus in P lis, & confirmatur à Papa.

Fuerunt autem paulo supra hanc ætate cleſiæ Latinæ in ciuitatibus Prusia & zunte: sed defectu sacerdotum & cerem rum Romanarum interierunt, succede vel Armeniis vel Græcis.

Veniamus nunc ad cæteros, qui & ipsi Christiani dici volunt, quamuis in tres scissi sint, dicanturque Melchitæ, Nest Dioscoriani. Melchitæ nomen trahunt Melech, quæ regem aut principem sig propterea quod tam in Fide quam Conc cuti sint exemplum Constantinopolita Imperatorum, & tales quidem sunt om amplectuntur in Asia Græcorum Religi sub Patriarchis Constantinopolitano, A drino, Antiocheno & Hierosolymitano, bus Antiochenus non commoratur Ant sed Damasci. Eliguntur autem hi quatu triarchæ per Episcopos cuiusque regioni cupiunt a Romano Pontifice confirmari quam id aliquando fecerint, sed impe centiam gerendi muneris à Præfectis T confirmationem autem ab ipso Turcaru narcha, sub cuius patrocinio suam exer risdictionem. Hi rursum Patriarchæ eligi chiepiscopos & Episcopos, iisq; cum auc præsunt. Omnes autem hi Patriarchæ M eorumq; Episcopi sunt Monachi S. Basil ordinis pleriq; sunt Cõuentus per totũ C Celeberrimi tamẽ inter eos sunt, qui di Sabæ Hierosolymis, & S. Catharinæ in

Iudæi per totam Asiam

a,& Calohieri Mõtis Sancti in Mari Aegæo.
plectun ur autem hi Melchitæ etiamnum
nia illa dogmata,quæ olim per ipsos Græcos
nata fuerunt in Concilio Flòrentino, est-
horum numerus per Orientem longe ma-
us. His enim plena est omnis Asia Minor, &
a,adde etiam Ægyptus, vsque ad Corrasa-
& fines Regni Persici. His Melchitis etiam
nsentur Georgiani, qui sub Metropolitano
liari agnoscunt auctoritatem Patriarchæ
stantinopolitani. Habent hi Georgium in-
anctos Aduocatum, vnde & nomen nacti
, quanquã permulti ex iis facti fuerint Ma-
etistæ.

ecundi sunt Nestoriani, de quorum errori-
berius dicemus in descirptione Regni Per-
runtur autem Nestoriani illi variis liuguis,
daica, Arabica, Turcica, & Gurdestano-
idiomate, pro varietate regionum in quib.
nt, officium tamen diuinum peragunt lin-
Chaldæorum.

ertij sunt Dioscoriani, diuisi rursum in tres
s: in Armenios, Iacobitas, & Costas. Arme-
ulo Patriarchæ non vnum aliquem, sed
s honorant è Prælatis suis, creatis partim
e Turcæ, partim electis per coadiutores
rcharum, consentientibus Episcopis &
lo. Vniuersalis tamen Patriarchæ Titulum
ili duobus tribuunt, quorum alter præest
niæ superiori, alter inferiorij: ille habitat
nasterio Ecmeazino, haud procul Eruana
Persidis: hic in oppido Sisio Caramaniæ,
ongeab vrbe Tarso. Non multò autem est
meniorum Secta minor quam Melchita-
Prouinciæ enim & oppida vtriusque Ar-
Ciliciæ, Bithyniæ, Syriæ, Mesopotamiæ,
sunt his hominibus, vt & ipsa Persis. Quin
niti Armenij reperiuntur in omnibus vr-
Imperij Ottomannici, vbi exercẽtur Mer-
ia, puta Prusiæ, Angoræ, Trapezunti, A-
driæ, Alcayri, Constantinopoli, Caphæ.
autem tanta libertate vtantur per Impe-
Turcicum, causa non vna est. præterquam
quod sunt homines alti spiritus, & nego-
peritissimi, quodque maiores eorum de
ahometana præclare meriti fuerunt, Ma-
tus ipse Propheta fertur eos commendas-
ctibus successorum suorum: vnde tantis
ntur priuilegiis vt libere cum Turcis cõ-
e & negociari possint. Plurimi autem Ar-
habitant in oppidis Ciliciæ; Sisio, Ada &
circa Tarsum, vt & Alepi in Syria & alibi,
stituunt circiter vic es mille familias, ha-
Monasteria XVIII, Episcopatus vero

a Sisium oppidum spectantur adhuc ru-
terisarcis & palatij Regum Armeniorũ,
abus ædibus sacris vicinis, quarum vna
S. Saluatoris, altera S. Sophiæ, & hæc spe-
Patriarcham. Aliæ in iis statuæ vel ima.
on sunt, præterquam Cruces æreæ & fer-
amuis multæ sint in conditoriis Sancto-
eliquiæ. Solebat olim Patriarcha singulos
Mædinos (monetæ genus est) exigere à singulis
Armeniorum domibus: verum Turca hocius ei
ademit, vt iam cogatur viuere è solis oblationi-
bus & Eleemosynis. Vt autem se suosque alere
possit, sæpius obit visitatque Prouinciam suam,
imponitque multas pecuniarias iis qui deliquê-
runt. Celebrant autem Armenij Sacrum lingua
vulgari Armeniaca, quanquam vulgo aliter lo-
quiscant, inprimis Constantinopoli, vbi adeo
adiueuerunt linguæ Turcicæ, vt vix Orationem
Dominicam Armeniorum lingua recitare pos-
sint. Habẽt autem multos errores cum Dioscó-
rianis propriè sic dictis cõmunes, peculiares au-
tem eorum ritus hi sunt: Vinum in Eucharistia
aqua non miscent iouis & lacte vescuntur vespe-
ra Sancti Sabbathi, comeduntque carnes omni-
bus diebus Veneris à Paschate vsque ad Ascen-
sionem: Festum annunciationis B. Virginis cele-
branta. d. VI. Aprilis, Natiuitatis Dominicæ a. d.
VI. Ianuarij: Purificationis a. d. XIV. Februarij:
Transfigurationis XIV. Augusti. Aiunt insuper,
Christum Dominum exemptum fuisse p. ssioni-
bus & necessitatibus humanæ Naturæ. Abstinẽt
certo quodam anni tempore non solum ab esu
carnium, sed & ab emptione & mactatione, di-
centes se hoc ideo facere, quod prisci Idololatræ
eo tempore liberos suos sacrificauerint Idolis. In
Sacrificiis pro defunctis consecrant agnum, &
postquam eum super plicatam Sacerdotis stolã
imposuerũt porrigũt ei salẽ benedictũ ad come-
dendũ, & cum eum circa ædẽ sacram duxerunt,
mactant comeduntque. His ceremoniis quidã
moti, vocant eos Sabbatinos & Iulianistas, vt
qui nimis dediti sint superstitionibus Iudæorũ,
& imitentur in multis Iulianum Apostatam. Et
hæc talia facientes, putant tamen se conformes
esse Ecclesiæ Romanæ, quod soli inter omnes
Orientis Sectarios in Eucharistia vtantur pane
non fermentato. quod autem aquam pani non
admiscẽt, ita excusant, vt dicant, ne priscam qui-
dem Ecclesiam Romanam id fecisse. Signum
crucis duobus faciunt digitis, non vno vt Ia-
cobitæ solent, facto initio à latere dextro in sini-
strum, cum Iacobitæ contrarium faciant.
Postremo recordantur adhuc primæ vnionis
cum Ecclesia Romana, tempore Syluestri
Pontificis & Constantini Imperatoris.

Porro de Iacobitis ita tenendum est. Dioscó-
rus & Eutyches, nolentes subscribere decretis
Concilii Chalcedonensis, habuerunt assectas
suos, qui, vt ait Leontinus, diuiserunt se in XII.
sectas, inter quas etiam fuit Iacobitarum,
adepta nomen à Iacobo quodam Syro, qui vi-
xit tempore Pelagii II. & Mauritii Imperato-
ris. Comprehenditur sub his bona pars Chal-
dæorum, qui passim habitant per vrbes & a-
gros Mesopotamiæ, Babyloniæ & Syriæ, ma.
ximo numero, vsque ad CLX. mille fami-
lias, quarum præcipuæ sunt Alepi, Caramiti,
Turii in montanis Mesopotamiæ. Habueruut
hi olim duos Patriarchas, quorum vnus habita-
bat in dicto Monte Turio, alter in Monasterio

Gifranensi, iuxta oppidum Mordinium, vbi Mons est tam altus, vt Turcæ negent, eos qui in eius summitate habitant, vnquam vidisse aues super eorum volantes capita. Nostro tamen æuo Iacobitæ non nisi vnum habent Patriarcham nempe Gifranensem, qui maioris commoditatis ergo Caramiti habitat. Habet hic Patriarcha sub se Metropolitanum, qui est Hierosolymis, nec non alium qui Musali viuit, & Archiepiscopos hos: Damascenum, Orpheanum, Surien-sem, Caramitanum & Cyperium, cum multis Episcopis per supradictas prouincias, & Monasteriis Monachorum ordinis S. Antonij. Peragunt autem Iacobitæ Sacrum suum lingua Chaldæorum, loquentes ipsi pariter Turcice, Arabice & Armenice. Habent autem præter errores cum Armeniis communes, hos singulares. In faciendo signo Crucis peculiari vtuntur ratione, discedunt que in eo à consuetudine omnium Christianorum orientalium, quod lacticiniis & carne vescuntur omnibus diebus Mercurij & veneris, vesperi cum Sol occidit, dicentes cum die simul terminum abstinentiæ expirauisse, & iam diem Iouis atque Sabbati incepisse.

Hac vsi vafritie comedunt carnes omnibus diebus anni, excepto duntaxat Carnispriuio quadragesimali. Coniungunt autem se Iacobitis istis multi Arabes qui vna cum iis in iisdem habitant oppidis pagisque, & hi Arabum lingua dicuntur Xemsinir, id est Solares, quod inter alias superstitiones etiam Solem adorare consueuerint.

Maronitas plerique pro abortu Iacobitarum habent: vtrique enim antiquis temporibus subiecti erant Patriarchæ Antiocheno, qui Patriarchatus hodie est in manibus Melchitarum, translatus Antiochia Damascum. Sed & vtrique vtuntur lingua Chaldaica, iisdemque scribunt Characteribus Syriacis. Quod ad vnitatem voluntatis & operationis Iesu Christi, eundem errabant errorem. Vtrique sibi vendicabant Patriarchatum Antiochenum, vt Iacobitarum quidē omisso nomine proprio Ignatij vocari vellent, Maronitæ autem Petri, vtrique se Patriarchas Antiochenos nominantes. Nomen Maronitarum vnde adepti sint, va sunt opiniones: quidam enim putant à Ma ne, qui pagus est ad radicem Montis Libani; ab Abbathia Maronensi: alij denique à Mar quodam Hæresiarcha.

Est autem Secta hæc minima inter Om Christianorum sectas, quæ per orientem re riuntur, cum vltra duodecim millia fam rum non complectatur, quæ tamen maxim parte pauperes sunt. Habitant autem passim pagos montis Libani, & in minoribus opp Syriæ. Melius tamen affecta est erga Roma Ecclesiam cæteris omnibus, cuius rei docum ta dederunt Maronitæ intra trecentos ar proximos, cum & Petrus Patriarcha Maro rum Legatos suos misserit ad Concilium L ranense anno M.D.XV. Misit ad hos Grego Pont. Max. duos Iesuitas, qui cum conu sent Synodum, cui Patriarcha & Episcop terfuerunt, induxerunt eos ad totalem Catholicæ professionem: vt libros pleno rorum exusserint, & Monachos hinc inc sperſos in duo Monasteria compegerint quibus pueri instituerentur in doctrina C stiana.

Est autem Patriarcha Maronitarum Or S. Antonij, eligiturque per Episcopos & M chos, deinde confirmatur à Papa, habita apud Tripolin Syriæ. Sunt autem quidam nachorum Antonianorum Conuentus, & dam pauci numero Episcopi, qui nullam ce habent sedem, & hi quidem dicuntur co tores Patriarchæ. Inuocant autem inter cæ Sanctos Maronem, pernegantes eum Hæreticum, sed asserentes virum pium & Abbatem sanctæ inculpatæque vitæ.

Inueniuntur inter hos Maronitas qui qui Albi vocantur; hi quanquam baptizat sunt, Christianos se tamen profitentur, piuntque Sacramenta, sed in secreto: ext autem viuunt more Mahometistarum.

Gurdes siue Gordii partim Iacobitæ partim Nestoriani, adiungentes ad multos bus implicati sunt, errores, extremam r Diuinarum ignorantiam: quamuis & inte sint plurimi Mahometani.

DE P

DE POTENTIA OTTOMANNICA PER AFRICAM.

REGNA: ARGERIANVM, TVNETANUM, Tremiſenum.

ARGVMENTVM.

Abſoluta deſcriptione earum prouinciarum regionumque quas Magnus Turca per Europam Aſiamque poſſidet, ſit tranſitus in Africam, & expediuntur ea loca, quæ Turcicum agnoſcunt dominium, facto initio à Mauritania, & regno Tremiſeno in ea, cuius oſtenduntur limites, amplitudo, longitudo, latitudo, & prouinciæ in ea comprehenſæ. Poſt deſcriptionem regni & vrbis Algiræ ſiue Algeriæ, agitur de regno Tunetano, quod diuiditur in quinque prouincias: harum amplitudo, ſitus & præcipua oppida. Carthago vetus in hac parte Africæ fuit, olim æmula Romæ. Hinc pergit auctor ad naturam & fertilitatem harum regionum, deinde ad ingenium & mores incolarum, atque Mauritaniam abundare frumento, oleo, dactylis palmarum, fructibus arboreis omnis generis, armentis boum & gregibus ouium caprarumque, nec non frequentibus Hippocomiis. Mores & conſuetudines Maurorum veteres & noui. Mulieres apud eos olim communes: ſed noſtro æuo vtuntur moribus Turcarum, quibus parent. Afri Mauriue ab omni æuo exiſtimati verſipelles, perfidi & infideles. Dua apud eos potiſſimum Religiones: Chriſtianiſmus & Mahometiſmus. De illo hoc loco, de hoc in ſequentibus agitur.

MAVRITANIA duplex eſt, Tingitana & Cæſarienſis. In illa comprehenduntur Reſſanum & Marrocanum, quæ ad hanc rem materiam nihil pertinent, cum Turcorum dominum non agnoſcant. De Cæſarienſi dicendum, quæ hodie ferme Regno Tremiſeno ſiue Teleuſino comprehenditur. Igitur hoc regnum ab occidente Mauritaniæ Tingitanam ſecundum Muluiam fluuium, ab oriente Ampſagam: à Meridie Numidas Getulos: à Septentrione Mare Mediterraneum, qua Sardiniæ Inſulæ obiicitur. Prodidit Iohannes Leo Africanus ad Ptolemæum in deſcriptione Africæ & inprimis regni Teleuſinij, cum ait, id finiri in latere occidentali Za fluuio & Muluia; ab oriente limitem habere magnum fluuium, quem accolæ Agradam appellent, antiquis etiam cognitum ſub nomine Bugradis: à Meridie terminum deſertis Numidiæ: & ab Aquilone Mediterraneo. Fuit huic regno Romano tempore nomen Mauritaniæ Cæſarienſis. Longitudo eius ab ortu in Occaſum CCLXXX. milliarium. Latitudo ad milliaria XXV redacta, videlicet à Mediterraneo vſque ad deſerta Numidiæ; perpetuis Arborum incurſionibus vexata deſerta illa montium incolunt. Et hæc ita, quod Reges Tremiſeni omni tempore modo ambiuerunt amicitiam Numidarum, quanquam his nunquam potuerint ſatis-

Complectebatur autem regnum Tremiſenum olim quatuor prouincias, ab vrbibus capitalibus denominatas, nempe Tremiſenum, Tunetanum, Bugienſe, Algiranum: hodie multo anguſtioribus coërcetur limitibus. Ipſa Tremiſena Vrbs aliquando tam ampla fuit, vt XVI. vel XVII. millia domuum complexa fuerit, ſed exhauſta continuis bellis multum diminuta anguſtiorque facta eſt. Primo enim à Ioſepho Rege Fezzano per totum ſeptennium obſeſſa fuit: deinde multum eam afflixerunt bella Caroli V. Cæſaris, qui eam ſub ſuum ſuſcepit patrocinium. tertio à Turcis obſeſſa captaque eſt: poſtremo non leue detrimentum cepit bellis grauiſſimis inter Seriffum & Turcam, vt multum diſtet à veteri potentia.

Algeria ſiue *Algira* vrbs olim ſub rege Tremiſeno fuit. cum autem nimiis opprimeretur oneribus & exactionibus, defecit ab eo ad Regem Bugienſem. Hoc iterum deſerto, Ferdinandum Hiſpaniæ regem admiſit. Denique capta à Barbaroſſa anno MD.XV. Imperio Ottomannico adiecta eſt. Creuit autem hæc vrbs celebritate & diuitiis ſupra modum, quod ſit receptaculum Piratarum, qui innumera ſpolia & theſauros in eam inuehunt, vt ita facta ſit ſedes Baſſæ ſiue proregis Turcici. Situs eius eſt velut pendens à vicinis montibus, habetque tria millia in peridromo, continens intra ſe circiter LXXX. millia hominum.

Hodie Turcarum opera ita præsidiis firmata est, vt humana ope vix expugnari posse videatur. Præstat ei parua Insula obiecta portũ, quamuis non magnum & Aquilonibus expositum. Extenditur autem Regnum Algiranum Tercotum vsque, quod est oppidum IV. mille domos habens, & Gargalum, quod complectitur familias sexies mille.

Regnum Tunetanum continet totam Africam minorem & magnam partem Numidiæ, à Magno fluuio vsque ad fluuium regionis quæ Misrata dicitur. Diuiditur hoc regnum à quibusdã in partes quinque: *Bugiensem, Constantinensem, Tunetanam, Tripolitanam & Ezzabensem.* Prouincia *Bugiensis* incipit à fluuio Magno, extenditurque ad montes Constantinensis, iuxta Mare Mediterraneum, & hoc quidem spacium complectitur circiter C L. mill. pass. latitudo autem vix XL. millia. Oppida habet parua, sed populo frequentissima, quale est Necaus in finibus Numidiæ, & Cholo iuxta Mare. Præcipua autem vrbs est *Bugia*, quæ nomen suum impertit toti prouinciæ, antiqua, ampla & copiosa, extructa haud dubie à Romanis, supra montem Mari imminentem. Sunt qui putent esse Ptolemæi Tabuacam, alij aliam fuisse autumant; Verum Castaldus, cuisaniores plerique accedunt, Igilgilin esse putat, persuasus similitudine situs. Habuit hæc vrbs olim elegantissima Templa & Collegia, nec non diuersoria magnifica, Domus Hospitales & Monasteria Afrorum more sumptuosa. Verum Petrus Nauarrenus eam expugnauit spoliauitque anno AN C. MDVIII. à quo tempore omni penitus ornatu & splendore caruit.

Constantina Prouincia sita est intra montem Constantinum supra fines regionis Bugiensis & territorium Tunetanum, iuxta fluuium Guadilbarbar. Caput eius est *Constantina* vrbs, quam Marmelius sumit pro Culcua Ptolemæi, collocatque eam in Noua Numidia. Paulus tamen Iouius, Oliuerius & Commentator Melæ cum aliis, magis credunt esse Cirtam, Regiam Masinissæ, quam Ptolemæus vocat. Iuliam: vrbs est locuples, amæna: muris altissimis cincta, etsi antiquis, præter quos etiam altis rupibus inaccessa efficitur. Numerantur nostro tempore in ea VIII. familiarum millia; domibus ornata est elegantibus, spectanturque extra mœnia eius, multa antiqua ædificia, pulchra tamen, interque ea Arcus Triumphalis similis illis, qui Romæ visuntur. In eodem tractu C. pene mill. à Mari Mediterraneo est Bona siue Hippona, à Romanis condita, cuius Ecclesiæ olim D. Augustinus præfuit.

Prouincia *Tunetensis* sita est inter fluuium Guadilbarbar, & Stagnum Hipponitis, vbi est longitudo Prouinciæ Constantinensis, nec non Capetem fluuium, qui facit lacus quosdam, qui olim paludes fuerunt Tritonidis.

Claritatem toti Regioni dat *Tunetum* vrbs, totius regni caput; Ptolemæo nominatur Themisa. Initio paruum oppidulum fuit, sed postea creuit ex ruinis Carthaginis, & ad id consc dit fastigium, vt hodie prima ditissimaq omnium vrbium illius partis Africæ habeat Ampla est & spacioſa, plateas habens direct ædificia humilia, vt vallo siue aggere tegip sint. Numerantur in ea familiarum X. mil circuitus putatur millium V.

Cum Turcæ Gulettam Arcem ceperunt, mul etiam vrbem hanc occupauerunt, eie profligatisque Hispanis: deinde tributarios fecerunt Mauros loci natiuos dominos, eor que regem. neque tamen eos penitus, sibi su cere potuerunt, vt cætera quieti possidere possint, præterloca maritima: si enim trib cogere volunt ab iis qui procul absunt, op tet eos cum exercitu progredi in interiora gionis. Est in ea vrbe Prorex Turcicus, cum tuor millibus Ianitsarorum, quibus nume tur stipendia, vt præsidio sint regioni; in ho manibus est omnis auctoritas, Cara Osma hic tanta cum potestate Gubernatore mage vt non Magistratus tantum cæteri, sed & Purpuratus, leges ab eo accipiant.

Diuanum siue Senatus habetur in do Agæ siue Ducis Ianitserorum, in loco coop sub vmbone: ordo considendi refert figu Scuti. Princeps Piratarum nostri tempori hac Africæ ora vocatur Morat Raia, an sus Latro, famosissimus sui seculi, vt qui F ticam per LX. annos exercuerit tanta pro ritate, vt videatur mare & ventos in sua p state habere, possitque vere gloriari, nul Christianum Principem classem in mari ha re, cui non aliquot triremes interceperit, ipsius nauis contra à nulla Christianarum remium vnco comprehendi potuerit. A bat autem, cum hæc scriberentur, octog mum annum, homo statura breui, papuli ciem deformantibus, cruda tamen vten ridique senecta; habebat autem duas trire proprias optime armatas instructasque stantissimis remigibus & militibus, vtm res in tota Africa reperiri non potuerint, credibilis insuper celeritatis, siue fugien esset hostis siue insequendus. Ad fretum gni illud, quod Tonetum ducit, sita fuit Go ta Arx munitissima, capta à Carolo V. Imper re, tunc etiam Tunetum cepit, quæ tamen quot annis post, cum conuersa fortuna T cæ vtrumque recepissent, ab Vchiali Bassa structa est.

Omnium Africæ Ciuitatum olim antic sima fuit & potentissima *Carthago*, cond Phœnicibus, LXII. annis, vt creditur, Romam ædificata. Vrbis totius amb fuit XXII. millia eamque totam fere re cinxit. Ausa hæc fuit olim cum R vrbe de Imperio orbis collatis viribus gnare, vt cuius Imperium non per Afri tantum, sed & in Europa per Hispaniam, Sic postremo Italiam longe lateq; patuerit. Tan à Scipione capta totos dies VII. arsit. Resti est à C. Cæsare, qui & Coloniam eo tradu

S

ucta fuit in Peninsula, super tres colles, inter
s latissimæ valles intercedebant : collis qui
or est reliquis, alluiturque mari, facit pro-
ntorium, quod ab vrbe denominatur, aspi-
ue Caput siue Promontorium in cæciam
tum vergens, quod Bonum appellatur: alter
et munimentum Gollettæ ad occasum ; in
is summitate visuntur adhuc rudera & ma-
æ veteris Arcis Byrsæ. Tertio subest larga
icies , in quam despicit, consita omne ge-
fructiferis arboribus, inprimis oliuetis, quæ
nditur vltra sex millia pass. in longitudi-
, per quam transuersim structus fuit Aquæ-
us arcuatus , quo ex montibus solebat
in vrbem deriuari , & hic aquæ du-
prope solus testat ex omnibus antiquæ
estatis monumentis. Arcem habuit Byrsam,
ia, vt diximus vrbe sitam , extructam à Di-
, cuius spacium creditur fuisse duorum
um pass. Hæc vrbs , postquam à Cæsare in-
ata fuit, postea tamen à Vandalis, Gothis &
cenis sæpius vastata & ad eam tenuitatem
cta fuit , vt ne vigesima quidem eius pars
e habitari queat. Dicuntur adhuc ibi inue-
XXV. tabernæ institoriæ , & circiter quin-
r domus , humiles tamen & malæ ædifi-

iserta & ipsa vrbs est perantiqua , in littore
s Mediterranei , iuxta fluuium quendam,
im olim exiguus fuisset , paulatim nostro
maior ampliorque fit. Est apud hanc vrbem
us Marinus capax vel maximarum nauium,
hic securæ appellere possunt. Aiunt non-
hanc ipsam esse Vticam , quæ olim proxi-
locum à Carthagine inter vrbes tenuit, &
facta est morte Catonis Vticensis. Accen-
etiam huic regioni amplissima Vrbs Cai-
sita in planitie deserta & arenosa, celebris
dium Iurisprudentiæ, secundum leges &
titiones Arabum , quæ hic peraccurate
uantur.

olitana Regio incipit à fluuio & Sinu Ca-
, extenditurque vsque ad Mesratæam re-
m, vltra vrbem Tripolim. Aiunt nonnulli
prouinciam aliquando longe excurrisse
entrionem, antequam mari ea pars sub-
fuit, quem Neptuni furorem metuentes
e se in mediterranea versus Meridiem re-
nt. Sunt in ea complura oppida, quorum
m caput est Tripolis , quæ ad differen-
yriacæ dicitur

olis Barbariæ. Acquisiuit sibi hæc vrbs no-
ostro tempore, sed infame ob Piratas, qui
quentes habent stationes , & latrociniis
Italiæ littora infesta faciunt , cum maio-
ostrorum ætate frequens esset Emporium
on Afri tantum, sed & Veneti, Genuates
li aliique appulerunt, & mercaturam ex-
unt.

tima prouincia regni Tunetani dicitur
, vltra Tripolitanam sita versus Orien-
nt in hac aliquot oppida, sed non magni
nti.

Præcipua eius regio dicitur Mesratæa, iuxta Mare Mediterraneum , prope centum millibus passuum à Tripoli, multis exculta pagis atque villis, tam in planitie quam montanis.

Natura soli huius partis Africæ.

Considerantes in commune Naturam & ingenium terræ in regno Tunetano, dicemus eam satis esse feracem bonarum rerum, alere ingentem numerum pecudum , & abundare arboribus fructiferis, inprimis quæ in Occidentem Solem vergit: nam Orientalis huius regni plaga sterilior est asperiorque ob defectum aquarum. Iuuat autem singulas eius partes accuratius examinare, & incipere à Prouincia Bugiensi. Est hæc in multis locis amœna & iucunda aspectu, satisque ferax bonarum rerum ; cum permultum gignat Tritici & omnis generis frumenti: alicubi tamen adeo iners est & sterilis , vt nihil infelicius aut miserius occurrere possit. Et ager quidem circa Vrbem Bugiam , quanquam procreando farti non admodum sit idoneus ; fructus tamen gignit excellentissimos.

Inuenias in hac regione montes asperrimos, incredibilis altitudinis , qui continuis operti sunt syluis, perennibus fontibus irriguis, in quibus syluis infiniti errant greges captarum & hircorum, & armenta boum equorumque. Territorium Constantinense plurimum habet olei & frumenti, abundatque butyro ob ingentem numerum pecudum, quæ ibi aluntur. Circa Hipponam ingens se pandit campus , longus XL. millia passuum , latus XXV. in quo incredibilis vis frumenti quotannis crescit.

Ager Tunetanus ad quartum quintumue milliare circa ipsam Vrbem totus coopertus est oliuetis , parum tamen in eo colligitur tritici, hordei aut auenæ , quod agrestes colere rus ex disciplina georgica non possint, ob metum Numidarum , qui perpetuis excursionibus vexant miseros.

Ezzabensis prouincia egregios in speciem patentesque habet campos , in quibus neque triticum neque cætera frumenti genera ex sententia proueniunt , quem defectum compensant densa oliueta & crebra palmeta, accedentibus etiam aliis arboribus fructiferis magno numero.

Mores Veterum Afrorum in Mauritania.

Vetus mulierum in his partibus consuetudo fuit, vt vtrumque femur circulo æneo includerent, & capillos quam longissimos alerent, qui mos vterque adhuc durat in multis locis Africæ inter Mauros. Eædem mulieres alicubi tam horridæ & obscænæ erant , vt captos pediculos pulicesque dentibus comminuerent, inque terram expuerent.

Andrimachides inter Pænos referebantur, quibus in more positum erat, vt filias suas nubiles , antequam conuenirent in manum ma-

riti, regi suo prostituerent, qui eas flore virginali spoliabat, præueniens eo officio sponsum. Qui ad Tritonidos paludes habitabant, synciput radebant, ab occipitio demittentes capillos: contra faciebant Ausi populi, qui frontem capillatam gerebant, qualis pingitur Occasio. Harum gentium puellæ depugnabant singulis annis statodie festo in honorem Mineruæ, lapidibus baculisque inter se atrociter sæuientes. Quæ in eo conflictu interibant, violatæ pudicitiæ pœnas dedisse iudicabantur: quæ se strenuas præstitissent & victrices euasissent, à cæteris magno honore afficiebantur: hæ enim illas armabant, vt simulacrum Mineruæ conspicitur, imponentes capitibus earum galeam Corinthiacam cum crista, impositaque pilento pensili, triumphantium in speciem circumducebant eas circa littus Lacus Tritonidis. Fœminarum vsus his gentibus fuit promiscuus, & liberi, qui ex confusa illa Venere nascebantur, simulac ad pubertatis annos peruenissent, producebantur in conuentum virorum, vbi eligebat sibi quisq;, cum quo commorari vellet, & is habebatur pater eius. Conueniebant autem, viri puerique ad hunc modum tertio quoque mense. Fuerunt Pœni ab omni æuo crediti versipelles atque perfidi, vt eorum in fallenda fide nequitia prouerbiis locum fecerit, quibus dicitur: *Pœno perfidior*, &: *Fides Punica*. Ostendit huius rei exempla summus eorum Dux Hannibal aduersus Romanos: quanquam fatendum sit, Pœnis neque animum in bello neque vires defuisse. Duabus tamen rebus fractus fuit inuictus ante id tempus pœnorum exercitus: factionibus & dissensione: & Seplasia balneisque Capuanis.

Non solebat Rex Tremisenus cum quoquam loqui, præterquam cum proceribus aulæ suæ, quos loco & dignitate mouebat pro lubitu. Habebat inter præcipua Aulæ suæ Ministeria Legatum Generalem, qui in militia eadem qua rex ipse pollebat auctoritate: post quem erat Primus à Secretis, qui scribebat & respondebat nomine regis. Præfectus ærarii tertio loco erat, qui gerebat curam Fisci regii. Quartus erat Quæstor, qui distribuebat pecunias iussu regis. Quintus erat Præfectus Prætorio, qui imperabat stipatoribus corporis regii. Cubicularii quamuis non deessent, non tamen præsto erant regi, nisi magnificentiæ ostentandę ergo, quoties exterorum Principum Oratores admittebat: cum enim solus erat, vtebatur seruitio mancipiorum, fœminarum & Eunuchorum.

Mores Maurorum nostri temporis.

Eadem prope viuendi ratio, iidem mores sunt Tremissenis, Tunetensibus & eorum vicinis, qui Fessanis & Marrocanis, de quibus suo loco agemus: quanquam illi magis accedant ad mores Turcarum, quorum subsunt dominio. Numidis permisti sunt Arabes, de quibus in regno Marrocano agemus. Non amant autem indigenæ Afri Turcas, quibus inuiti seruiunt, nec dubium est, si se offerat recuperandæ libertatis o casio, quin primi iratas manus sint illaturi ini stis dominis & raptoribus alieni regni.

Cæterum ipsi Afri, hæc regna & prouinc incolentes, sunt fere bono corporis temper mento, apti ad perferendos quosuis labor strenuique, vt plerique ad summam senectut peruenient, nisi violenta morte è medio tolla tur. Morbis neque multum obnoxii sunt, ne eos multum metuunt. Bugiensibus fere ma res quam cæteris opes, iactantibus nobilitat generis, vnde & ciuiliores sunt & humanio cæteris Afris. Vetus iis consuetudo, nescio vt profecta, cruce nigra pingendi maxillas. Con Tunetani regni incolæ fere pauperes sunt, et qui inter eos nobiles haberi volunt, quod nu exerceant mercimonia: in moribus cum supe oribus conueniunt, nisi quod hi magis studi sint litterarum: Carthaginenses vero sunt in lentes ac superbi, quanquam vitam degant f miseram.

Postremo totum littus Barbaricum plen est latronibus & piratis, quibus id vnicum o ficium est, infestum facere mare, & omnia re quæ offeruntur. Multi apud eos Christi sunt, qui miseram seruiunt seruitutem, inpri in Argeriana vrbe, numeranturque in insl vltra XXV. millia infeliciũ horum homin quorum quisque sequitur genium & mores triæ suæ. quanquam viuere cogantur ex arbit eorum quibus seruiunt.

Opes eorum atque facultates.

Oppida maritima, in quibus frequentia ercentur mercimonia & ad quæ peregrini ne ciatores admittuntur, necessario magnas o habent, excepta Tripoli, vbi præter Piratas vllos inuenies homines: & hæc causa est, qu Veneti, Genuates aliique mercatores, qui o multis nauibus huc venire solebant, iam loc illum fugiant, vt Syrtes & Erebum. In vrbe C stantina frequens est lanæ ac pannificii mer tura, nec non olei, serici & telæ laneæ. Ade autem mercatores Genuates fere Bonam op dum, vt inde frumento & butyro onerent na suas, quod idem faciunt apud Tunetem vrb Veneti aliique mercatores. Magnum aut quæstum affert Afris hisce res pecuaria, qu quam & multum lucri percipiunt ex mancip quos magno numero ad varios labores ac bent.

Religio Afrorum in Mauritania.

Omnes in vniuersum Afri aperte profiten & sequuntur Mahometismum, de quo vbe agemus, cum generatim de Turcarum relig ne dicturi sumus. Quod ad mancipia Christi attinet, vtuntur quidem illi sua colendi Nun ratione, sed inter maximas miserias, cum r melius, imo peius etiam tractentur, qu in regnis Fessano & Marrocano, de quibus loco agemus.

DESC

DESCRIPTIO NOVA MAVRITANIÆ CAESARIENSIS, ID EST, BARBARIAE, ET REGNI Tunetani, & Argeriani, vicinarumque Prouinciarum.

Xcurrit littus Barbaricum prope ad LXX. millia mari tenus, velut longa tabula, ad cuius vtramque extremitatem eminent duo montes velut Promontoria, distatque vnum ab altero XX. millibus passuum, tanta enim est latitudo illius tabulæ. Quod Orientem aspicit, dicitur Cara, à nomine munimenti, quod in summitate Montis extructum est, per Hispanos, vt puto: pars autem opposita Promontorio Bono ingens Rupes, supra quam præter duas Speluncas nulla visuntur ædificia. Haud procul à Promontorio siue Capite bono sunt duæ oppositæ Insulæ, vel potius duo scopuli, Zimbres dicti, recta ex aduerso Promontorii Boni, recedente fere mille passuum inter vtrumque spacio: & minor quidem directe opponitur Promontorio, maior autem est Occidentalior: neque quidem Insula aspera est, inæqualis & interuentibus interciſa præcipiciis, obseruationem digna.

Portus siue Portus Tunetanus formam propemodum habet, cuius Diameter est circiter mill. passuum. Orificium eius conuertitur in Aquilonem ventum. Est ibi Lacus siue Stagnum millium, inter quem & sinum maris versus Orientem protenditur angusta terra, velut Isthmus, quo separatur aqua marina, ne se cum dulci miscere possit. In illo angusto terræ spatio extructa fuit Arx Golletta, munitissima suo tempore omnium Africanarum, in qua ædificata dicuntur Hispani insumsisse tempus quadraginta annorum, quanquam eam postea intra octogesimum diem amiserint. Eius hodie nihil amplius superest, præter macerias & in meridionali angulus propugnaculi, in quo Tunetani habent perpetuo excubitores XXX. è numero Ianitsarorum, ad custodiam Portus, cum decem tormentis æneis. Visuntur etiam ibi ruinæ & vestigia fossæ duplicis, quas adhuc influit aqua marina: ea fossa quæ Arci fuit propior, lata fuit pedes XV. exterior vero tantæ latitudinis, vt duæ triremes in ea commode nauigare potuerint: & quidem posterior, interciso isto angusto illo spacio, quod diximus velut Isthmum discriminare aquas marinas à lacustribus, præstabat ciuibus, qui veniebant ab vrbe ad Portum, ad onerandas vel euacuandas triremes. Interamque fossam super Vallum latissimum extructa fuerunt duo munimenta, vnum defendens Arcem, alterum in Iapygem ventum conuersum erat, & hoc quidem primo à Turcis captum fuit. Præfectus Golletæ, cum paucis diebus post consultum putaret, alterum quoque munimentum deserere, & se cum militibus suis in Arcem ipsam recipere vellet, cum iam hostibus tergum obuertisset, causam iis dedit, tanto impetu & furore insequendi, vt Turcæ mixti Hispanis in Arcem irruperint, eamque occupauerint, quod factum est a. d. XXIV. Augusti mensis anno A N. C. M. D. LXXIV. Regnante in Hispania Philippo II, Constantinopoli autem Selino Turcarum Monarcha. Sic per ignauiam segnitiemque turpiter amissum est castrum omnium munitissimum, quadragesimo die post, quam à Sinano Bassa & Vchialio Thalassiarchis Turcicis obsessum fuerat classe triremiū CCC. magnarum nauium XX. multatumque insuper Liburnicarum & celocium. Sinanus Bassa capta arce tanti momenti, vocatum ad se præfectum eius, qui Hispanus erat, nomine Petrus de Carroga, acriter increpuit, cumque homini ignauiã & timiditatem exprobrasset, alapam ei impegit, compedibusque ferreis inclusum Constantinopolim misit, quo tamen miser non peruenit, mortuus in via.

Qui nostra tempestate Tuneto Vrbi cum Imperio præest, vocatur Cara Osman, natione Turca, è Ianitsarorum numero gregarius miles, opificio Sutor: ea tamen ingenii dexteritate, vt proximis hisce XV. annis eam auctoritatem sibi, quamuis præfectus militum duntaxat esset, acquisiuit, vt omnia ab ipsius nutu dependere videantur, ita vt ne ipse Bassa quidem contra eum mutire ausit. Et quanquam Osman, ille cum prætorianis suis militibus ad portam Bassæ in custodia sit, nihil tamen Bassa siue prorex ille concludit, ne in Diuano siue Senatu quidem, nisi interueniente auctoritate Osmanni illius. Est autem vix staturæ mediocris, corpore quadrato & robusto, moribus ferus & arrogans, totum & furiosum quid intuens, facie plana & rotunda, mentoque raso mustacem alens, vt omnes per Africam Ianitsari. Vestitu vtitur simplici, vix à vulgari differente, pileo Turcico rubro caput tegit, camisiam infra genua demittens, iniecto sago violacei coloris vsque ad media femora pertingente. Huic superinducit longam tunicam è panno cyanei coloris, qua quotidie vtitur, à latere dependent duo prægrandes cultri vagina conditi. E regione vrbis Tunetanæ, secundum longitudinem freti supradicti, ad sæpius memoratum lacum, inuenitur auis quædam è maiori genere, quam Mauri Luzæam, Turcæ coluuem vocant, ctura habens gracilia & longa, magnitudo corporis quæ Erodio, plumis fere cooperta albis, summa alarum circa ceruicem subrubea, pennæ longiores sunt nigræ. Collum habet prælongum alba vestitum lanugine, pallente admisto rubore, os eiusdem coloris longius: harum auium ibi tatus est numerus, vt aquas multitudine

tudine sua cooperiant. Sed vt ad Tunetum vrbem reuertamus, est hæc caput totius regni, cui & nomen suum impertit, quamuis olim Mauritania Cæsariensis dictum fuerit. Ager eius siccus est inopsque, habens versus Austrum longam seriem obiectorum montium, qui boni sunt fertilesque, ideoque à Mauris inhabitantur, qui tamen non habent loca siue domicilia fixa, sed degunt in pagis ambulatoriis, qui constant è C. vel CC. paruis vilibusque tentoriis, quæ subinde mutant transferuntque de loco in locum, pro commoditate temporis & abundantia pabuli pro pecore, cuius magnum alunt numerum, inprimis equorum. Collocant autem tentoria illa siue tabernacula eo ordine, vt in medio plateæ relinquantur angustæ, sicut in castris videmus. In medio spaciosa relinquitur area, vt eo cogi pecudes possint; extrema mapalia sibi inuicem cohærent, ita vt velut murum præstent toti illi pago, qui duos duntaxat habet exitus: vnum per quem aguntur pecudes: alterum per quem homines egrediuntur & ingrediuntur. Noctu portæ illæ obturantur prægrandibus fascibus acutissimarum spinarum, ne Leones aut noxiæ bestiæ ingredi possint.

Ad septentrionem Vrbis Tunetanæ est Lacus iste siue Stagnum XII. mill. pass. longum, in ripa meridionali, in qua Hispani habuerunt munimentum, quod & ipsum amiserunt paulo post perditam Gollettam. Ab hoc munimento itur per rudera illius arcis vsque ad locum vbi consistunt naues, quæ quotidie ibi appellunt.

Dici autem satis non potest quam impudicæ & libidinosæ sint mulieres Tunetanæ, vt vix quicquam differant à publicis prostibulis, cum nihil vereantur, in media via publica vsuram corporis offerre prætereuntibus, fitque interdum, vt sine pudore publice & spectantibus aliis venerem exerceant, more Diogeniano, vel potius instar canum. Cumque Afri non ignorent, rem istam tam obscœnam, aliis nationibus, quibus plus est ciuilitatis, peregrinam flagitiosamq; videri, dant operam, vt eos transeuntes in eiusmodi loca deducant, quo spectaculi assiduitate adsuefaciant eos ad eam turpitudinem, ne eam deinceps vel horreant vel mirentur. Sed nos hanc plusquam caninam impuritatem illis relinquamus, quæ à Christianis longissime abesse debet.

Videamus potius Musicam eorum, quæ constat è quatuor instrumentorum generibus, reddentibus harmoniam non iniucundam. Et Tympanorum quidem genera duo habent; vnum quod simile est nostratibus, quod pendens à collo pulsant parua clauula incurua, idque manu dextra, sinistra vero repercutiunt virga leuiori. Alterum genus Tympanorum est æreum, magnitudine galeæ militaris, vt instar aheni vel lebetis à concaua & protuberante parte clausum, ab vno duntaxat latere pulsari possit. Habent autem huiusmodi tympana fere gemina, quæ cum pulsare volunt, reponunt humi, increpitantque artificiose virga flexili & delicata. Et hæc est eorum Musica, qua vtuntur tam pa
quam belli tempore. In solennitatibus vero,
iusmodi sunt Nuptiæ, Circumcisiones, Festa
niuersaria, inprimis cum suum Bertan, id est
scha celebrant, aut in Circumcisione Princi
adiungunt minoribus illis alia tympana p
grandia, tantæ vastitatis, vt à sex hominibus
ferri possint.

Argeria vrbs est, siue Algira, quæ toti re
nomen suum impertit. Sita est in accliui parti
gidi collis, extenditurque ab eius summo v
ad subiectum littus maris, ita, vt figuram Th
tri repræsentet, ædificiis sibi velut gradatim
cumbentibus, ita vt ab omnibus æqualiter p
spectus in mare pateat. Forma est quadrang
ris, longa tamen magis quam lata: domus
denſæ atque constipatæ, nullis adiectis ho
sed angustis cortibus siue impluuiis, inqu
cisternæ, in quibus aqua pluuialis colligitur
ne vnicus quidem aquæ viuæ fons sit in toto
pido, sed quicquid est in eo salientis aquæ, al
gis spaciis per artificiosos aquæductus in vr
deriuatur: qui tamen, si vrbem obsideri con
geret, facili intercidi possent, vnde fit, vt freq
tibus vtantur cisternis, siue lacubus complu
subterraneis. Domorum tecta pariter & p
tes intus atque foris illiti sunt tectorio al
calce viua, vt totus mons procul adspicienti
cretaceus videatur. Circa muros, qui claud
latus vrbis quod mare respicit, sunt aliquot
ciosa diuersoria, vt in singulis prope stabu
singula Ianitsarorum signa possint, relicta in
dio patente area, vbi milites in aciem collo
inque ordines distribui possint. Tota Vrbsci
citer C. millia in peridromo suo complecti
suntque in ea vltra centies mille capita, con
meratis X. millibus militum, qui ibi sunt in p
sidio. In Arce Vrbi imminente sunt vltra C
tormenta militaria, metallo fusa, tam ma
quam minora. Extra vrbem, in latere Meti
nali, supra fastigium vicini montis, extru
sunt duo propugnacula, à quibus ipsa insi
potest: versus septentrionem autem, cent
passibus à portu, munimenti genus est, quo
pud Architecturæ militaris peritos nomen
bet à calcari, vnde possunt accessu arceri t
mes hostiles.

Quæ cum ita sint, potissimum tamen ro
Vrbis Algiranæ consistit in decem millibus
litum præsidiariorum, quæ illi præsidio sunt,
bellum sit siue pax: Constant autem è sex m
bus prætorianorum siue Ianitsarorum: tri
millibus militum leuis armaturæ, & mille M
ris. Constituunt autem Ianitsari illi corpus n
tiæ, & absolutam quandam sibi arrogant
tentiam, omnia facientes confuse & tumult
se, neque ipsius Turcarum Monarchæ veren
imperium, neque Bassæ agnoscentes auctor
tem, cui aliquando manus inferunt, eumqu
carcerem coniiciunt, si ad condictum diem
soluat iis stipendium. Sunt autem plerique
mnes Christiani renegati, perditissimorum
minum colluuies, sine fide, sine conscienti

gione, quos vere dicere possis conflugem & cam omnium Prouinciarum Europæ, cum que sint proscripti è patria, aut sponte ob a- od maleficium fugitiui. facie omnino sunt , præter superius labrum, in quo mustacem r, armati splendide, vt pro nihilo ducant, draginta vel etiam plures coronatos pro e- nti bombarda manuaria exponere ; vestitu tur precioso, è materia serica vel coccinea, ad vsque genua porrecto, aureis argenteis- emnisci fimbriato, cui iniiciunt promis- unicam talarem eiusdem materiæ, caput ntes pileo rubro Turcico; crura operiunt ti- bus coccinei coloris, superinductis ocreis è delicato versicoloribus. Qui inter eos tri- sunt, aut ordinum ductores, solo capitis mento differunt. Qui inter hos milites v- s non habent, his præter vsitatum stipen- hoc præstatur beneficii, vt singulis diebus uaterni panes pro binis denariis vendan- quos panes ipsi rursum quo XVI. denariis ere possunt, idque velut statum fixumque ue annonæ precium crescat siue decrescat. æter hæc decem millia militum, qui non ecimam partem populi Vrbani confici- abitat etiam ingens Æthiopum & Iudæo- in ea numerus, hi tamen pauperiores fere quam in aliis Orientis partibus; quod Mau- ogantur habere vsuræ & commerciorum s, qui non minus versuti sunt & fraudulen- am ipsi Iudæi. Vestitu vtuntur longo, pro uetudine regionis, iniicientes interiori tu- ni cæ pallam longam nigram, cum cucullo suo à tergo pendente. Aliqui gestant in capite pileum nigrum aut coloris Violacei, altum & acuminatum, in modum pyri inuersi. Qui autem è Catalania aliisque Hispaniæ partibus huc migrauerunt Iudæi eorumque posteri, tegunt caput mitra, vel capitio aut caliendro è panno nigro, cuius extrema lacinia dependet à tergo vsque ad cingulum, vt vetulæ mulieres Lutetiæ Parisiorum gestare solent.

Æthiopibus siue Mauris non minus armorum vsu interdictum est quam Iudæis: ergo toti dediti sunt mercaturæ : vestitus eorum pariter est longus, pileos siue Tulipanos gestant albos, cætera similiter vt alii vestiuntur. Mulieres in vniuersum incedentes per vrbem cooperiunt inuoluuntque totum corpus ingenti tela linea, vel lanea subtiliori, tegentes faciem duobus linteolis, quorum vnum tegit frontem desuper vsque ad supercilia; alterum inferiorem faciei partem, vt nihil conspici possit præter oculos. Vestis eorum plerumque est è preciosa materia serica, quandoque etiam è filo aureo argenteoue. Loco tibialium gestant femoralia longa, é pura materia linea, quas tendunt vsque ad malleolos pedum; collum vero, brachia & crura ornant torquibus armillisque, aliisque ornamentis aureis, insertis gemmis & vnionibus. Vngulas manuum rubras efficiunt herba quadam; quæ tam Turcis quam Mauris *Quena* appellatur. Palpebrarum ciliorum, capitisque capillos tingunt nutriuntque Stibio exusto siue Antimonio.

GYPTVS EIQVE VICINA REGIO TROGLODYTICA.

ARGVMENTVM.

ix vllum regnum est in vniuerso terrarum orbe, in quo plura sunt memorabilia & obser- uatione digna, quam in Aegypto : quæ antequam aggrediatur Auctor, describit prius si- tum eius, & varia nomina quibus Aegyptus antiquitus appellata fuit. Aegyptiorum o- rigo. Regionis longitudo; figura eius, cui rei similis sit. Sub quo climate & parallelo. Aegy- ptus olim varie diuisa, inprimis in superiorem & inferiorem. Tempore Amasis regis habui, se fertur XXVI. millia oppidorum. Nomina præcipuorum, inter quæ Syene, vbi pro- fundus puteus est, in quo nulla conspicitur vmbra, Sole signum cancri ingrediente. Mem- phis clara, quod fuerit domicilium Regum, & ob viciniam Pyramidum, quæ inter mira- cula mundi relatæ fuerunt. Cayri vrbis figura triangularis, in qua Turris est index futu- ræ per Aegyptum fertilitatis aut sterilitatis. Alexandria in Crucis formam extructa, in qua Cisternæ pulcherrimæ; rudera antiqui Palatii Cleopatræ Reginæ Aegypti. Damiata & aliæ Vrbes. Nilus fluuius admirabilis, exprimit luteris nominis sui numerum dierum anni: septem ostiis Mare Mediterraneum irrumpit: facit inundatione sua Aegyptum fer- tilem: ortgo eius veteribus ignota, nostro seculo cognita. Superba ædificia huius Regni; Sepulchra regum, Obelisci, Sphynges, Pyramides. Fœcunditas Aegypti in omnibus rebus terra nascentibus, inprimis frumento omnis generis, gossypio, saccaro, Vino quod diu du- rat, dactylis palmarum, sycomoris, ficubus, malis granatis, tamaryndis, preciosis lapillis,

inpri-

inprimis Aetite lapide miræ virtutis. Balsamifera arbor iuxta Cayrum crescens. In nium Aegyptiorum tam subtile & acutum, vt antiquitas iis tribuerit inuentionem tium & scientiarum: fœminæ Aegyptiorum aptæ ad exercenda mercimonia & obe da officia virilia. Antiquæ Aegyptiorum consuetudines & ritus, ratio Luctus eor modus scribendi à dextra versus sinistram: litteræ quibus vtebantur duplices, sacra profanæ. Vestitus Sacerdotum, sacrificia, epulæ, festa solennia, in conuiuio sceliton cumferri solitum, Pompæ funebres & exequiæ tam in funeribus Regum quam priu rum. Miros sibi finxere Deos, quos in animalibus variis se colere dicebant. Modus uendi & religio & eorum nostris temporibus. Leges eorum antiquæ de mercimoniis furto, de matrimonio Sacerdotum. Auctoritas & potentia Regum: ordo in gerendu gotijs publicis: ritus in sacrificio Tauri. Quis sit status Religionis nostro tempore in A pto, & qua ratione viuendi vtantur Christiani Cophitæ dicti. Reges Aegyptiorum a structione Imperij Romani, vsque dum id regnum Turcarum Monarcha subegit.

DE Ægypto varii inter veteres varie senserunt. Quidam enim eam singularem orbis partem constituerunt, diuersam ab Africa & Asia, sed inter vtramque mediam. Alii, qui Nilum constituunt limitem Asiæ & Africæ, Ægyptum partim in hac partim in illa collocant. Ptolemæus tamen & infiniti alii cum eo statuunt Sinum Erythræum siue Mare Rubrum verum limitem inter Asiam Africamque, vnde sequitur Ægyptum Africæ partem esse. Varia huic olim & propemodum ipsa vetustate abolita fuere nomina: dicta enim est Aeria, Aetia, Potamia, Ogygia, Hephæstia, Myare: sed & Æthiopia, ob Æthiopum in ea multitudinem, vt cum Stephano Eustathius annotauit. Ægypti nomen ab Ægypto, vno fratrum Danai regis: vel à Nilo, quem alias Aegyptum dictum fuisse, ei contigisse putant. Vel etiam à Mersæis populis à chamo originem ducentibus, quos Aegyptios vocatos fuisse Iosephus auctor est. Multa etiam huic regno Epitheta adiecta fuere à diuersis auctoribus, vt quam Apollodorus nominat Regionem Melampodum, refertque Plutarchus in Osiride, in sactis Aegyptiorum Ceremoniis eam Chemiá appellatam; fortasse voluit dicere Chamiam, vt Ortelius eleganter admodum obseruauit, deducto nomine à Chamo Noachi filio. In libris Hebræorum sacris Mesraim appellari ait Iosephus: Chus vero nomen eius esse probabilius videtur Ariæ Montano. Sed hæc facile conciliantur, cum Chus & Mesraim filii fuerint Chami, qui fuit filius Noachi. Videntur autem Arabes ad Nomen Mesraim alludere, cum etiamnũ Aegyptum Mesre vocant. Turcis dicitur Elchebit, vt Pinetus autumat, vel Elquibet, vt Marmolio placet. Termini eius sunt ab Occidente vltra Nilum deserta Barcæ, Libyæ & Numidiæ cum Regno Nubiæ. Ab Austro agro Bugiensi & Nilo concluditur, quo loco Nilus ab Occasu in Ortum nonnihil fertur. Plinius tamen, quem & Maior pars Geographorum sequitur, eam finit Syene vrbe, quæ nunc Asna dicitur. Tertii dicunt, habere eam ad Meridiem Cataractas, quæ sunt angusta præcipitia, per quæ Nilus magno impetu & murmure non tam defluit quam præcipitatur. Ab ortu sunt deserta Arabiæ, quæ inter Aegyptum & Mare Rubrum sunt, estque totum illud spacium, quod in octo dierum porrigitur aridum & aquæ expers. Ab Aquil clauditur Mari Mediterraneo, quod ab ea p vocatur Pelagus Aegyptium. Ex his satis cla est, veteres id solum terræ Aegypti nomine suisse, quod habitatur & alluitur Nilo, id quod cingitur grandibus desertis, facto ini vicinis Syenæ locis vsque ad mare medite neum. Omnis autem ista regio ad vtramqu pam Nili, ab Asna vsque Cayrum assimilari rest fasciæ oblongæ explicatæ, si excipias cu turas amnis, quæ, vt ait Strabo, sunt infin Conficitur autem figura hæc per montes q dam, iuxta quos fluuius directe fluens, sed in gustias restrictus, angustos quoque campos labitur, non vltra L. stadia aut XXXVII. r pass. latos, quanquam ne hæc quidem iis sit que latitudo, annotantibus recentioribus, ram alicubi adeo concursu montium coan stari, vt non vltra IV. aut quinque millia suum lata sit.

Infra Caytum autem, vel iuxta hanc vr diuidit se Nilus in duo præcipua brachia, it figuram triangularem det Aegypto, cuius extrema latera sunt duo rami Nili, qui vtrim mare petunt, à manu quidem dextra ad Osti vsque Pelusiacum iuxta Damiatam vrbem: nistra vero vsque ad Canopicum, vbi hodie ctatur Rosetum oppidum. Basis huius Trig est littus Maris Mediterranei, intra duo qua ximus Ostia, Pelusiacum & Canopicum, q spacium complectitur circiter CCC. stadia CLXII. mill. Italica. vt Straboni videtur: ve aliis placet, CLXX. millia. Habet igitur pa ptentrionalis Aegypti, quæ & Aegyptus i rior dicitur, Insulæ formam, inclusa ma duobus brachiis Nili, vnde eam sub nom Delta exprimunt Historici & Geographi Gr quod figuram litteræ Græcæ Δ. exprimat. P dromum huius Insulæ Strabo facit stadior ter mille, quæ faciunt CCCLXXV. milli Italica. Recentiores tamen aiunt, Delta i continere in circuitu circiter CCC. millia c ab Roseto vsque ad Damiatam numeren CXL. mill. vtrumque autem brachium Nil longum LXX. mill. Hoc terræ spacium appe Ptolemæus Delta Maius, diuidens iditerum

lta minus & tertium, dicens minus continetur fluuios Bubastim & Busiritin: Tertium vero comprehendi inter Bubasten & Atribum.

Omnes igitur vno ore aiunt, longitudinem Ægypti porrigi ab Syene siue Asna vsq; ad Mare Ægyptiacum, estque hæc linea secundum Plinium D.LXXXV. millium pass. quãquam neoteri dicant ad D. millia extendi. Quo pacto eã Africanus metiatur, nihil opus est huc referre, cum ob alias causas, tum quod quicquid tractans Nilum orientem versus Asiæ tribuat, longitudinem Ægypti longe supra Syenen extendat.

Ea est autem vera Ægyptus prope iuxta Tropicum Cancri, vergitque ab eo in Circulum Arcticum, intra VIII. & X. parallelum, præcipue sub eodem climate. Vnde consequens est: longissimum eius diem per æstatem esse horarum XIII. cum dimidia; in partibus vero septentrionalib. & paulo plus: includiturque intra Meridianum Alexandriæ & Tenessæ, quorum prior distat per LX. gradum cum dimidio: posterior per XIII. & partem quartam.

Varie autem diuidi Ægyptum apud Auctores inuenimus: qui enim Nilo fluuio discriminant eam ab Africa, tres eius partes statuunt: Ægyptum Asiaticam siue Thebaidem, quæ hodie Sayda dicitur: Ægyptum Africanam, quę est pars occidentalis Nili occidentali: & Ægyptum inferiorẽ, septentrionalem, inter duo brachia Nili, in formam Deltæ literæ. Alii diuidunt in Superiorẽ & Inferiorem, sub superioris nomine intelligẽtes longum & angustum illud spacium, à Carasupra Syenem & finibus Æthiopiæ ad vsq; Cayrum vrbem. Inferior continetur intra brachia Nili à Cayro vsq; ad mediterraneum, habens formam Deltæ literæ. Sunt rursus alii, qui dividuntur Ægyptum in summam, mediam, infimam. Summam appellant, quam incipiunt à finibus Æthiopiæ, extenduntque eam duntaxat vsque ad Arsinoen, oppidum in ripa Nili, quod Africanus vocat Anthium: & hæc pars est iuxta Thebais siue Sayda. Mediam dicunt eã quæ est intra Antibam oppidum, & apicem siue initium Deltæ maioris, quæ pars alias vocatur Heptapolis & Heptanomia. Infimam cum cæteris appellatam inuenio. Iustinianus Imperator in Nouellis suis constitutionibus diuidit Primam & Secundam. Postremo Leo Africanus affert aliam diuisionem Ægypti, quæ fuerit tunc, cum Mahometani regnum istud obtinuerunt. Partitur igitur eam in tres regiones. Sahidam, id est, terrestrem, quæ incipit à confinio regni Bugiæ, vsque Cayrum, estque hæc proprie Ægyptus: in Erriſiam, quæ est pars Occidentalis Nili à Cayro vsque ad Rosetum: & in Bahiram siue Maremneam, quæ complectitur ostium Nili Orientale.

Quidam autem etiamest, Alexandrum olim diuisisse Ægyptum in multas præfecturas, & Romanos longo tempore post idem fecisse. Herodotus numerat Nomos siue præfecturas XVIII. Strabo XIX. Ptolemæus XLVI. Plinius, ppe L. Melius Ortelius, qui ex diuersis scriptoribus, collegit eiusmodi Nomos siue Præfecturas LXVI.

Iam quid de vrbibus in hoc regno dicemus? sunt qui in eo fuisse dicãt regnãte Amasi XXVI. millia, aitq; Diodorus, suo tempore circiter III. millia superfuisse. At Ortelius, etsi summã adhibuit diligentiam, vltra CCC. peruestigare tamẽ non potuit, vt vero simile videatur, veteres in illo tam immani numero Comopoleis, vicos atq; Pagos complexos fuisse. Neq; tamen quisquam negat, bellis Syriacis, Æthiopicis & Romanis multa oppida penitus in nihilum redacta fuisse. Sed relinquamus quęstionem hanc in medio, id constat, inter Vrbes Ægypti has primi nominis fuisse, Syenẽ, Thebas siue Diospolin, Tentyram, Heliopolim, Memphim, Babylonem, Alexandriam, Peluſim cum aliis multis.

Est autem Syene, quæ hodie Asna dicitur, recta sita sub Tropico Cãcri. Testatur Plinius, Mathematicos hic puteũ habuisse profundissimũ, quem rectis lineis sol totum illustrauerit, cum fuerit in principio Cancri. Memphis olim Arsinoe, Regia vrbs, sita vltra Nilum, in ripa eius occidentali, non longe à famosis illis Pyramidib. quarum tam frequens est apud Auctores mentio. Successit huic Cayrus, sedes Sultanorum, quanquam non pauci sint qui existimant, Cayrum esse eodem loco, vbi olim Babylon steterit. Bellonius tamen, qui omnes illas regiones perlustrauit, videtur asseuerare, vrbem, quam veteres Babylonem dixere, paulo supra Cayrum fuisse, conspicique adhuc eo loco splendidorum ædificiorum ruinas. Et est etiamnum hodie pagus vbi multi Christiani Græci & Armenii habitant. Est autem Cayrus vrbs triangulari forma extructa, cincta firmissimis mœnibus, non tamen ab omni parte, cum multis locis Nilus ei pro muro sit. Visuntur extra ambitum murorum plurima ædificia, vt & munimentum quoddam supra editam rupem, arci simile, ad quod per gradus petræ incisos adscensus datur: in ea arce salubris est commoratio & amœna, vt si quis de fenestris prospiciat, conuersa in omnes partes facie, magnam partem Ægypti intueri possit, quam longe oculorum obtutus pertingere potest. Maior pars ædium in ea vrbe duplici pauimento instratæ sunt, ob ingentem calorem, at portæ siue ianuæ domorum tam humiles & angustæ sunt, vt totum corpus inclinare oporteat eum, qui ingredi velit. Magnatum tamen domus ianuas altas pulchrasque habent, quales sunt in præcipuis vrbibus Europæ.

Est in vrbe Cayro turris solida, ad eum structa modum, vt futuræ felicitatis per Ægyptum omnibus annis manifesta sunt hinc deprehendi indicia possint, nempe ex Nili incremento: diuersæ n. notæ sunt, quibus eluuies eius & altitudo colligitur. Si enim altius adscendat fluuius & superiora foramina, quæ indicium præbent, contingat, certi sunt incolæ, vberem frugibus

fore annum. Aiunt alii indicia illa fertilitatis captari in delubro Turcico cui nomen sit Eschiala, ibi in columna lapidea mensurari adscensum Nili, haud longe à Cayro Vrbe. Sed nihil est absurdi, idem in tribus fieri locis, atque adeo crediderim, in multo pluribus obseruari altitudinem tam beneficii incrementi, cum nemo cupiat futuri anni nosse bona. Sed nos de hac re plura dicemus, vbi de fœcunditate Aegypti eiusque causis agemus.

In eadem Vrbe locus est ingentibus repletus diuitiis. *Basestan* loco nomen, vbi venduntur omnis generis vasa aurea & argentea, & omnis aurificum labor, nec non telæ argentatæ auratæque, cum aliis Orientis preciosis mercibus. Huc maximus non Mercatorum solum sed & Procerum concursus est, quod quicquid rarum & precioſũ in tota vrbe sit, ibi iunctim spectetur. Ipsius vrbis ambitũ alii atq; alii diuersimode metiuntur. Quidam enim XIV. vel XV. milliaria deprehendunt, alii ad VIII. reducunt, sed hæc efficit milliarium diuersitas. Istud constat, ad XXIV. millia platearum in tam vasta vrbe esse, quæ omnes noctu occludantur: quæ cum tot aut etiam plures sint, omnes tamen inter se coniunctæ cohærent.

Templorum continet XXII. millia, putaturque quinquies maior Lutetia, vt refertur Tomo II. vrbium orbis Terræ illustrium. Sunt etiam tam intra quam extra vrbem horti elegantissimi, in quibus præter plantas vsitatas vulgaresque arbores crescunt arundines Casiam ferentes, vt & Tamarices, Palmæ, Sycomori, Maliauratæ, citriæque limoniæque, accedentibus arundinetis saccari feracibus; sæpimenta circa illos hortos plena sunt Chamæleontibus, vt apud nos lacertis. *Materea* locus est iuxta Cayrum hortis amœnissimus: in eo conspicitur Obeliscus lapideus erectus, maior crassiorque, quam illi qui Alexandriæ visuntur, sed & altior illo qui apud Constantinopolim assurgit in Hippodromo.

De famosissimis illis Pyramidibus Aegypti ait Bellonius, eas in vno eodemque loco ad sydera eleuari, tantæ altitudinis, vt ad quadraginta millia passuum absentibus apparere incipiant. Has nominant Aegyptii, vt idem ait Pharaones, multoq; plus admirationis afferunt prope spectantibus, quã vlla vnquã Historicorũ describpsit industria. Antiqua enim Romanorũ opera & stupendæ fabricæ cum his conferri non posse videantur. Stant autem moles illæ lapideæ in loco deserto ad quartum à Cayro milliare, ad tertium lapidis iactum trans Nilum fluuium.

Quæ inter eas altissima est, etiam pulchritudine cæteris antecellit. Basis eius tanta est, vt singula ex quatuor eius lateribus C C C. pedes contineant, vnde conficitur ambitus in vniuersum M. CC. pedum. altitudo eius ad DC. pedes adscendit. Saxa è quibus structa est, prope omnia inter se æqualia sunt, tres pedes longa, lata duos, alta totidem. Et qu quam apex eius in exactum desinere videa acumen, ob immensam altitudinem, est men in summo planities quadrata XXI. pe lata. Ait Baro Bellouacensis, se ingressũ eam, descendisse primum ad L. passus, deir rursus adscendisse ad XL. hinc in Cryptopo cum incidisse, latam pedes IV. altam V. long passus XXX. ad cuius finem fuerit patua mera quadrata, octo passus lata & longa, co pla tamen & plena sordibus. Eundem pere dem reuersum porticum, vidisse ad man dextram orificium Cisternæ amplæ ac prof dæ. Inde cum conscendisset passus LXVIII trauisse in aliud conclaue satis altum, incru tum intus marmore, latum pedes XXI. long XXIV. & dimidium. eo in loco fuisse lapic Concauum, marmor Thebaicum, longum pedes, latum V. altum V. & dimidium: eum lapidem materiæ tam puræ solidæque fuisse si quis alium ei impingeret lapidem, tinn tam clarum, vt æs campanum.

Addit his Bellonius habere Pyramiden lam gradus, quæ ab summo descendentes, i inde maiores euaderent, vnum quodque au latus continere CCC. XXIV. pedes. A basi vsque ad summum fastigium numerari C gradus, quorum quiuis altus sit soleas quinc soleam autem metitur nouem pollicibus. tudinem eius tantam esse ait idem, vt robu & expeditus sagittarius torquens ab neruo lum, facere tamen non possit, quin sagittam gradibus ab altera parte Pyramidis illabatur eo, quod debeat basin transilire. Summita eius ait esse planam, tantæ amplitudinis quinquaginta homines facile ibi versari pos De cæteris Pyramidibus iam nihil dicam, superfluum foret, & in vna cæteras videre q mus: istud præterire tacitus non possum, q paulo supra Pyramidem illam se spectanc offerat ingens ille Sphyngis Colossus, iuxt ueum Nili, cuius descriptionem huc non xam, cum apud Herodotum, Plinium alio ea sufficienter inueniri possit.

Dignatione sequitur Cayrum *Alexandri* lim inter præstantissimas totius Mundi Vr vt quæ soli Romæ cesserit ciuium & incola multitudine. Sita hæc est in solo fabuloso, i tremitate Maris Mediterranei, in crucis ex secta formam, lata magis quam longa, diuidit in veterem & nouam. Illa ter mille pass. lo existens, includit præter alia rara, quæ ibi vi tur, duos montes arenosos. Antiqui muri adhuc prope integri, interiora vero collapsa habitari possunt. Pleraque ædificia subtus concaua, lacus habentia compluuios, quo fornices marmoreis sustinentur columnis rei causam præbuit aquæ indigentia, cum potabilis in vrbe non sit, nisi quæ à Nil deducitur, qui certis canalibus hinc derivatus cryptas istas subterraneas implet aquis, idque semel in anno, ne

XV. Augusti mensis. Plateas habet Alexan-
spacioſas & pulcherrimas, in quibus ſpe-
dæ ſe offerunt multæ antiquitates & rui-
leplorandæ.

ſtenditur inter alia locus Palatii cuiuſdam,
n domum fuiſſe fabulantur Regis Coſti,
ater fuerit S. Catharinæ; iuxta eminent ſex
mnæ marmoreæ, adhuc tribus Orgyiis ſu-
erram exiſtentes. Monſtratur & in longa
am platea locus, vbi S. Marcus Euangeliſta
e truncatus perhibetur, eſtque ibidem ad-
Templum, in quo Cophitæ Chriſtiani ſer-
lapidem, ſupra quem caput ipſi amputa-
fuerit, vt & Cathedram, de qua ad popu-
concionatus fuerit. Sed & in Templo S.
arinæ oſtenditur pars columnæ quadratæ,
quam decapitatam aiunt fuiſſe beatam il-
irginem.

ud muros iuxta portam ſpectantur adhuc
)beliſci, multum inter ſe ſimiles, toti in-
i antiquis litteris hieroglyphicis, quorum
rope totus terra tegitur, alter vero X. or-
ſupra ſolum extat, vndecim pedes conti-
n quadratura. Paulo ſuperius locus appa-
i fuit antiquum Cleopatræ Reginæ Pala-
in quo fuit porticus tam longa, vt perre-
ſque ad mare, velut adhuc ruinæ eius o-
nt. Extra Vrbem extat Columna Cæſaris,
ſolido marmore erexit, Trophæum de
o Pompeio. Eſt autem alta admodum, vt
ius & Epiſtylium conficiant LXXX. pe-
ometricos, ambitus vero habet pedes
II.

à Veteri Alexandria ad nouam tranſeun-
t, quæ paulo plus habet amœnitatis, ſtru-
ulchra planitie, ad ſiniſtram habens Por-
terem, qui protegitur à caſtello vrbis
: cum autem ſit incommodior, vſus eius
eo eſt frequens. Ad manum vero dex-
t portus nouus, expoſitus quidem Aqui-
s, defenſus tamen ab vtraque parte dua-
ibus, quas Pharulos vocant: vna eſt in
eninſula, non habens aliam aquam po-
n, quam quæ è ciſternis Vrbanis eo defer-
era huic recta oppoſita eſt; oportetque,
es naues ingreſſuræ Portum, inter hæc
tella tranſeant, quæ vtraque tormentis
robe ſunt inſtructa. Debetur autem his
s portubus, quod ciuitas hæc vtcunque
ur: ſi enim hos ſuſtuleris, paucis annis
itur populo, ob inſalubrem loci illius ae.

u inſula fuit, recta Alexandriæ oppoſita:
ero æuo non amplius eſt Inſula, vt tem-
eſaris & Ptolemæi, annectitur enim
nti, habetque Caſtellum ſane incommo.
iod in id ſingulis diebus neceſſe ſit por-
am dulcem dorſis Camelorum, hau-
ciſternis Alexandrinis.

remedii diei ab Alexandria abeſt *Roſe-*
idum elegans, in ripa Nili extructum,
libus aut circiter à mari. Domos habet
pulchas ſane & bene ædificatas, picturis elegantibus auratisque emblematibus exornatas, quæ res eſt admodum rara in illis prouinciis.

Damiata Vrbis magna eſt celebritas: eſt autem vicina mari mediterraneo: Veterum Peluſium hæc eſt, alio nomine Heliopolis, vel vt aliis placet, Æliopolis dicta ab Ælio Principe, qui eam triplici muro cinxit. Suidas hanc appellat clauem Aegypti: quanquam Ortelius putet, Peluſium fuiſſe eam, quæ hodie Teneſa dicitur. Sunt autem præter has Vrbes & aliæ in Aegypto celebres, quas hic commemorare non eſt noſtri inſtituti: vna tamen eſt præ cæteris eminens, *Fuca*, ſiue *Fuoa*, vt appellatur, quæ poſt Cayrum maxima eſt omnium Aegyptiacarum, ex aduerſo Inſulæ Edibebæ, quam Nilus efficit. Oppidorum & pagorum incredibilis eſt multitudo in Aegypto, inprimis ad vtramque ripam Nili, qui loca illa facit amœniſſima, ingenteſque habitatoribus præſtat commoditates. Pagorum vero & villarum, qui longius à Nilo abſunt ea ratio eſt, vt in locis editioribus ſtructi ſint, ad vitandas Nili inundationes. domicilia in iis facta ſunt ex argilla ſpiſſa, pingui & tenaciſſima, tecta eorum faſtigiata, quanquam etiam multa plana ſint.

Iam deinceps de *Troglodytis* etiam dicendum eſt. Obtinet hæc gens latum ſpacium, quod intereſt inter ripam Nili Orientalem & littus Erythræi Maris, ad manum dextram Aegypti. Ptolemæus eos appellat Arabas Ichthyophagos, Caſtaldus dicit regionem illam hodie Sirſiam vocari: videtur tamen rectiſſime à neotericis appellari Arabia Troglodytica. Oppida eius præcipua ſunt *Corondola*, ad Mare Rubrum, cum portu marino ſatis bono. Deinde *Alcoſſir* ſiue *Choſſir*, quam nonnulli ſumunt pro Berenice Ptolemæi; hic ſe aperiunt montes, præſtantque viam ad mare, per quam Abyſſinis fruges ab Aegypto ſupportari poſſunt. Huc pertinet etiam *Suaquena*, quam Ortelius putat Ptolemaidem Melæ eſſe. Plinio videtur eſſe Epitheras, & Ptolemæo Theron: habet & hoc oppidum portum commodum.

Poſtremo eſt ad ipſum velut caput Sinus Erythræi oppidum *Suez*, quod Petrus Gilieſus & Bellonius capiunt pro Arſinoe Ptolomæi, Zieglerus pro Potidæa Strabonis: tertii putant Heron vrbem eſſe, quæ Ptolemæi Regis & Romanorum æuo maxime floruerit ob mercimoniorum frequentiam, quæ huc veniebant ex India & Arabia, atque inde Cayrum delata, porro diſtribuebantur per Alexandriam & totam Aegyptum. Sed noſtro tempore neque mercimoniis frequens eſt, neque populo ob nimiam omnium rerum difficultatem, quanquam Turcæ nihil non fecerint, vt eam populoſam redderent.

* *
*

Qualitas & natura soli Ægyptiaci.

De hac dicturi, initium faciemus à versibus Lucani his:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Iouis: in Solo tanta est fiducia Nilo.

Nilum igitur si sustuleris, Aegyptum ipsam euerteris. Regio enim hæc fluuio Nilo totius orbis nobilissimo secatur, irrigatur, impinguatur ac fœcunda redditur. Multa huic amni à veteribus imponuntur nomina, quorum aliqui conantur rationes reddere. Diodorus vocat Aeton, id est Aquilam, ob celeritatem cursus eius versus cataractas. Fuit etiam ipsi fluuio nomen Aegypto, à rege, qui idem nomen suum toti regno communicauit. Festus, Eustathius & Plutarchus etiam Melum siue Melam dictum fuisse asserunt. Cedrenus & Epiphanius nominant Chrysorhoam, quasi dicas Aurifluum; Dionysius ei nomen dat Syenæ. Antiquissima eius nomina fuisse dicuntur Osiris, Triton, Astapus & Astaboras. Sacræ Litteræ eum appellant Seor vel Sihor, quod significat turbidum, ea de causa, quia limum lutumque secum Aegypto infert, quanquam in iisdem S. litteris Gehon & Phison appellari quibusdam videatur. Aegyptii vocauerunt Noym, Abyssini Tacuin, Afri Nilum, Tacasii Abanhin.

De huius fluuii origine diuersæ semper fuerunt opiniones, pleræque tamen omnes incertæ. Nostro tamen tempore satis constat, quod non proueniat è Montibus Lunæ, vt Ptolemæus opinatus est, sed ex prægrandi Lacu, cui nomen est Zaira, in superiore Aethiopia inter duo regna, Congo Monomatapa, sub gradu vndecimo aut circiter eleuationis Poli Antarctici. Sed nec minus certum est istud, fluuium hunc longissimis spaciis per diuersas currentem regiones, non solum miros facere flexos & Mæandros, sed etiam plurimas Insulas, inter quas amplissima est quæ dicitur Meroe. Vbi autem primum Ægyptum ingreditur, labitur inter montes angusto terrarum spacio, verum vbi emersit, facit nobilissimum illud Delta, diuiditque aquas suas in multas valles diuersosque alueos: quantum enim discedunt à se ipsis montes, tantum etiam extenditur fluuius: vbi coeunt, coit quoque fluuius: rursum nactus liberum spacium ingreditur per campos & ambitioso cursu velut luxuriat.

Quamdiu autem secundum Aegypti longitudinem ingreditur Nilus, multum similis est Pado fluuio Italiæ, vt Bellonius ait, inprimis facto initio ab Vrbe Ferraria, vsque dum aquas suas exonerat: nauigari enim vterque facile potest explicatis velis, etiam beneficio venti aduerso fluuio.

De ostiis Nili non minor est inter priscos auctores, quam de eius origine controuer
quidam enim numerant VII. quod facit N
la, Strabo, Diodorus & Herodotus. Alii
uem cum Ptolemæo. Plinius habet vndeci
Nostri tamen homines tria tantum nouer
vel quatuor, vt Guilelmus Tyrius & Pet
Bellonius, qui narrant ea quæ ipsi viderv
vt & alii plures. Infra Cayrum enim in quat
brachia siue ramos finditur, quorum duo
nauigabilia, nempe ostium Pelusiacum it
Damiatam, & Canopicum vbi Rosetum. In
dationis vero eius tempore, pluribus alueis
dit nauigabilis. Reliquo tempore anni m
ra nauigia non fert, ob paludes, limum & sa
lum.

Cæterum ipse fluuius per se mire fœcun
est: nutrit enim incredibilem vim piscium,
terque hoc alia quædam animalia Amphib
monstra ipso aspectu fœda, nempe Hippo
tamos & Phocas, Crocodilos item aliaque i
sta animantia hominibus. Aiunt hunc fluu
nullos generare ventos, aquasque eius es
mnium fluuiorum longe dulcissimas, quod
le probe excoctæ, ipsosque tam longo pe
dentissimas regiones cursu purificatæ, v
subtiles euadant, cum non mentiantur qu
cunt, nullum totius orbis flumen tam
gum cursu suo emetiri terrarum spacium.
seruauerunt autem etiam veteres, nomen f
huius litteris suis exprimere numerum die
Anni Solaris, in hunc modum, N. 50. E. 5. I
A. 30. O. 70. Σ. 200. summa hæc colli
CCC.LXV.

Incipit autem Nilus inundare Ægyptu
d. VII. vel XVII. Iunii mensis, crescitque
dies XL. toti lemque decrescit, non post
C. vt opinatus est Herodotus. Fit autem
cum Æthiopia superior, quæ longe est
Ægyptum, perpetuis longisque madescit in
bus, inprimis in montanis, vbi autem dens
pluuiæ cessauerunt, etiam inundatio de
reuertiturque fluuius in veteres suos alueo
autem res sane admiratione digna, videre
fluuium excrescere in tantum, cum ali
crescunt, vicissim, subsidere cum alij intu
cunt. Durante autem toto huius incre
ti tempore, omnia oppida & pagi Ægypt
paruæ quædam Insulæ, cum locis editio
sint imposita, ne eis illuuies nocere q
sic alij ad alios accedere non possunt, n
neficio nauigiorum. Male autem cum
animalibus ferisque agitur, quæ aquis per
nisi in loca editiora confugiant: mansue
tem & domestica in stabulis seruantur, & a
minibus nutriuntur, qui iam ante iis de p
prospexerunt.

Fuerunt nonnulli, teste Strabone, q
stimauerunt, Ægyptum olim totam fuiss
mersam atque coopertam mari vsque ad
des Pelusiacas Montis Cassii & Sorbonidi
lum autem perpetuis suis inundationibus
tum inuexisse limi & luti, vt humus inde

ltior euaserit & talis, qualis nostro æuo nitur. Huius suæ opinionis firmamentum habent, quod subter arenam limumque ientibus innumeræ occurrant ostreorum hlearumque testæ.

st autem ipsa Aegypti regio plana humilis-, carens montibus, vnde prospectus lon- non datur: aere perflatur calido & peregri- nprimis noxio, vnde consueuerunt inco- ferente Leone Africano, in omnibus oppi- extruere præaltas turres, quibus & in summo imo porta gemina est, conuersa in domos irantium; per superiorem ingreditur ven- , & perflatur per inferiorem, quod miri- facit ad mitigandum ardorem Solis & reci- dam auram frigidiusculam. Non tamen obnoxium est hoc regnum calidissimis ri flatibus, vt cæteræ Africæ regiones, ruitur frigidiore Aquilonis flatu, qui hic n humidus est, cum alibi exsiccare ex in- o suo soleat. Terræmotus hic nulli, sed ie pluuiæ, quibus nihil opus habent, con- humore & pinguedine Nili. Quod si quæ adant pluuiæ, quod tamen rarissime ac- noxiæ sunt mortalibus, causantes cathar- febres, tumores inguinum & alias ægritu- s. Postremo, etsi fœcundissima est Aegy- omniumque rerum fertilis, magna tamen a premitur, si Nilus parcius inundet a- , tantum momenti ad hominum felici- situm est in vnius fluuii exorbitatione. autem per totum regnum hinc inde plu- fossæ manu factæ, quibus stagnantis Ni- æ intercipiuntur, ne ii, qui longius à flu- habitant, aquarum premantur inopia, veterem suam sedem repetente. Iusti- olum Aegypti ita fœcundum esse asserit, nentorum nulla terra feracior sit in vsus num. Veteres etiam plurimi publicum s Horreum vocauerunt, asserente Pli- Romani Imperii amplitudinem absque pti opibus frugibusque, diu perdurare otuisse, cum in solo Nilo Pop. Romani dantia vel fames esset. Idem etiam testa- sic abunde herbis ad cibum accommodis pti agrum affluere, vt vel frugibus ca- ossit. Scilicet hinc sunt istæ Regum Ae- orum diuitiæ, quas admiramur, & qua- idemus specimina, in superbissimis illis insaniam sumptuosis structuris, sepul- inquam regum, Labyrintho, Obeliscis, nidibus, Sphynge, quæ omnia incredibili extructa fuisse necesse est.

igitur summa in Aegypto vbique Tritici, is, Hordei, Auenæ, Leguminum, vi- m optimi fertilitas, nec desunt pascua na: Oleo tamen non perinde abundat. is tamen siue Aegyptus superior supe- eteras prouincias omnes vbertate & leguminum, lini, multitudine pecoris, arum & Anserum. Præterea pars ea Ae- quæ Orientem respicit, affluit fructi- borum, ordeo & oriza: pars vero oc- cidentalis gossypio & saccaro. Messis incipit Mense Aprili, peragiturque tanta celeritate, vt circa vigesimum diem Maii mensis, omnes fruges iam demessæ & conditæ sint. Campos circa Nilum ait Bellonius maxima ex parte plenos esse oriza & arundinetis saccari, sed qui longius à fluuio absunt horti, magno labore coluntur & vtiles redduntur, cum certorum instrumentorum & rotarum beneficio, quæ à bobus trahuntur, haurienda semper sit aqua, & irrigandis sulcis effundenda.

De vino superius duo verba diximus. hoc magna copia per Aegyptum crescit, diuersis in locis: nam circa lacum Maræotidis optimum colligitur vinum, quod longo tempore incorruptum manet. Olei habet parum, & patitur lignorum defectum ad vsum culinæ & ædificia, cum præter palmeta, quarum arborum & fabricas excitandas vsus nullus est, vix vllæ arbores reperiantur. Ad summam autem altitudinem excrescunt palmæ per omnem Aegyptum, visæque sunt, referente Bellonio, ex vno trunco viginti stirpes pullulasse, grandes illæ quidem & separatæ. Crescunt & præter palmas in hortis alii fructus arborei, poma punica aurantia, limonia, nec non Casia, & tamatix, quam tamen seri cum cura oportet. Sycomoris perpetuus viror, tantæ viracitatis, vt cæteræ arbores præ hac pallere videantur. Colitur & magna cum cura Arbustum nomine Alcana, cuius integra nemuscula visuntur; huius folia, postquam aruerunt, trahunt flauum colorem, vtunturque iis mulieres Turcicæ & Aegyptiæ ad tingendas manus, pedes & partem capillorum. Florum odoratorum hic magna copia: quin & Plinius varios suffitus & odoramenta preciosa tribuit Aegypto, quanquam fateatur, flores communiter non adeo bene olere, quod aer fere nebulosus sit, vaporibus è Nilo assurgentibus.

Præter bestias sæuas ac nocuas, quibus hæc abundat, animalia domestica mira copia alit, Bubalos, Boues, Camelos, Equos, Asinos, Arietes & Capras; quæ quidem omnia in magnam excrescunt molem, teste Bellonio, ob aeris temperiem, pabuli abundantiam, ac stirpium à Nilo irrigatarum bonum alimentum: inter reliqua vero Arietes pingues admodum & crassi sunt, amplamque & densam atque ad terram vsque propendentem caudam trahunt, palearia insuper à collo dependentia vt boues habent, nigra vestiti lana. Cumque hæc regio tepida sit admodum & palustris, in eam aues aquaticæ tanta copia commeant, vt agri & prata iis albescant: inprimis Ciconiarum hic multitudo vtilis est: tantum enim hic ranarum gignitur, vt nisi à ciconiis deuorarentur, nihil illis esset frequentius. Chamæleones etiam hic frequentes reperiuntur, inter sarmenta hortorum & ramos certorum arbustorum repentes, qui non viuunt omnino vento, vt vulgo fabulantur, quanquam longissimo tempore sine cibo

viuere possint. Per vniuersam vero Aegyptum pulli gallinacei à matre excludi non solent, sed fornaces artificiose extructas habent, in quibus tria aut quatuor ouorum millia reponunt, quorum calorem ita temperare norunt, vt omnia ouа simul excludantur.

Metallis Aegyptus nunquam omnino caruit, in iis præsertim locis, quæ propiora sunt Aethiopiæ, vbi & gemmæ quædam reperiuntur. Aetites lapis magna copia iuxta Alexandriam reperitur, qui nauibus impositus auehitur, traditque Bellonius in obseruationibus suis, credere Aegyptios, eam lapidi illi inesse virtutem, vt faciat agnoscere atque deprehendere fures.

Mulieres Aegyptiæ ad miraculum fœcundæ sunt, vt non sit rarum iis, tres aut quatuor simul fœtus effundere, obseruatumque est, partus octimestres hic vitales esse nec mori statim, vt alibi fit. Iuxta Cayrum vrbem locus est, qui Metarea dicitur, ibi crescit Arbor Balsamifera. Circa Alexandriam visuntur greges certarum nobisque incognitarum caprarum, quas ipsi Gazellas vocant. Crescunt & hic magno numero mala Punica, limonia, aurantia, citria, ficus, cerasa, & præter hos multi alii fructus arborei nobis penitus ignoti, & qui in Europa non prouenũt. Gignit & ager Alexandrinus multum orizæ, hordei, speltæ & leguminum. Non tamen negauerim, terram illam omnino sterilem futuram, nisi maximo & indefesso incolarum studio coleretur; inprimis in iis locis, quæ longius à Nilo absunt, quod machinarum tractoriarum beneficio & ministerio boum aqua in arentes agros magno labore deducenda sit. *Edibeba* Insula abundat arundinetis saccari, sycomoris, palmis, oriza, & omnis generis leguminibus.

Arabia Troglodytica est regio sterilis, fabulosa, deserta & inculta, quæ infrequenter admodum habitatur, quod perraro ibi aqua haberi possit. quin & ipsum oppidum Sues adeo siccum est, vt ex puteo, qui duobus millibus ab vrbe abest, aquam extrahant, eamque dorso camelorum plenis vtribus cadisque impositam in oppidum deportent, quamuis paululum amara siue salsa sit.

Mores antiquorum Ægyptiorum.

Fuerunt Aegyptii semper habiti homines ingeniosi & spiritu acri ac subtili præditi, vnde Macrobius Aegyptum Matrem Artium nominat, quod incolæ eius fuerint inuentores Geometriæ, Arithmeticæ, Medicinæ & multarum aliarum artium. Aegyptii enim primi applicuerunt animum ad obseruationem astrorum: primi putantur operam dedisse Magiæ & Incantationibus. Apud eosdem primum inuenta sunt nomina XII. Deorum, fuerunt erecta Altaria, Idola, Delubra, statuæ animalium, quæ tamen omnia eos ab Aethiopibus accepisse putat Diodorus Siculus. Veterum Aegyptiorum fœminæ exercebant mercimonia, aperiebant diuersoria & tabernas, & obibant pleraque alia officia virilia. Viri contra torpentes ocio, intra domos continebant, & si quod onus aliquo ferendum esset, viri id imponebant capiti, fœminæ humeris. Viri reddentes vrinam dedebant incuruato corpore: mulieres stantes mingebant: vtrinque tamen domi quidem tractabant negotia, foris & in publico curabant. Mulier sacerdos alicuius Dei vel Deæ non poterat: ipsi quoq; Aegyptii non consecrabãt se vni alicui Numini, sed omnib. simul. Inter sacrificos erat vnus quidam summus Pontifex, cæteris Sacerdotibus electus, cui mortuo cedebat filius in dignitate Pontificiali. Liberi legitimi nequaquam recusabant alere parentes suos, quod ita volebant leges Aegyptiorum. Exponere natos mulieribus non licebat, sed cogebantur eos tollere atque educare. Mos tis populis in more positum erat, vt cum luerent defunctos suos, caput fœdarent, prorterentque capillos & barbam: contra Aegyptii cum in luctu erant, tondebant caput & mentum, pinsebantque panes siue massas manibus pedibusque: sunt & quidam rei imperiti, qui listribuunt inuentionem circumcisionis. Sed hæc Græcorum sunt nugamenta, quibus non constat de historia Iudæorum.

Scribentes à manu dextra versus sinistram progrediebantur, vt adhuc faciunt Hebræi, Arabes, Turcæ & Persæ. Mulieres contenti erant vna tunica, viri autem, qui molliore erant, gestabant duas. Litterarum genera a illos erant duo: vnum Sacrum, quono mnibus promiscue vti fas erat, quod acc rant ab Aethiopibus: alterum profanum commune. Solebant Sacerdotes tertio quo die pilos abradere per totum corpus, ne qui lis impuritatis inhæreret, cum ad templa v crificia irent. Vestes eorum erant lineæ, didæ ac recenter lotæ: erantque adeo mund studiosi, vt præciputium penis se ideo ampu dicerent, ne quid sub eo impuritatis occul tur. Calceos gerebant factos ex ligno arb quæ Papyrus appellabatur.

Fabas Aegyptii veteres prorsus non bant, sed ne iis quidem vesci fas erat, si f aliunde importarentur: Sacerdotes vero ne intueri quidem audebant, quod dice esse genus leguminis inquinatum. Corpus gulis diebus ter frigida abluebant, n vero bis. Victimarii eorum abstinebant a pitibus animalium, quæ immolauerant, sed mo conuiciorum ac maledictorum plaust ea despuebant, additis horrendis execrati bus, post ea vendebant hospitibus ac peregr qui si nulli adessent, abiiciebant ea in Ni Mactabant autem in sacrificiis boues, ta & vitulos, vaccas vero & iuuencas im lare fas non erat, quod sacræ essent quam singulari honore colebant. Vesce tur pane filigineo, & bibebant Zythum, q vinum apud illos non cresceret. Sed & pisce uorabant partim crudos & in sole exicc partim sale & muria conditos. Asibu re

eliqua ciborum genera vescebantur cru-
um sale, qui autem opulentiores erant, ves-
ntur auibus aquaticis & coturnicibus, quas
mmis deliciis habebant.

um conuenissent in publico aliquo epulo,
quam conuiuandi finem facerent, intrabat
am ferens sceleton hominis mortui affabre
m, altitudinis duorum cubitorum: id offe-
ur omnibus ordine conuiuis, additis his
s : Ede, bibe, & hoc respice, cum enim
ntentia vixeris, talis post mortem futu-
s.

iuniores grandioribus natu obuiam facti
nt, decedebant iis de via, sed & cum conse-
t, assurgebant iis locumque assidendi da-
In plateis si seniores habuissent obuios, sa-
ant eos, non quidem verbis, sed extenta
, & inclinato ad eorum genua capite. Li-
estimentis vulgo vtebantur, inuicientes
ilis pallia ex eadem tela: vestibus enim la-
ti fas omnino non erat, inprimis cũ ingre-
la essent loca sacra. quin ne sepeliebãt qui-
corpora in laneo amictu. Sobrietati in mẽ-
nodum studebant, carnes alias quam vitu-
& anserinas mensis vix inferentes: vini cer-
que mensura erat destinata, quam biberet,
is saburraret cibis ventrem aut inebria-

ges vtebantur summa mansuetudine erga
lum, qua ratione mire sibi conciliabant
tudinis affectus, adeo, vt non solum Sa-
tes, sed & plebs in vniuersum maiore sol-
dine intenti essent conseruationi Regum,
suæ ipsorum aut liberorum vxorumque
Quod si Regem defungi vita contigisset,
s tristitia exoriebatur apud vniuersos, qui
odum quidem lugendi & lamentandi fa-
it; scissis enim vestibus occludebant tem-
on prodibant foras, vitabant forum, absti-
it à Festis publicis, inquinabant luto capi-
menses II. dies XII. cincti linteo subrer
ia : hoc habitu conueniebant tam viri
mulieres per CC. dies, singulis diebus
renouabant luctum planctumque, can-
s mœnias in laudem mortui, deprædican-
is virtutem atque sanctitatem. Hoc toto
s tempore abstinebant à coctis cibariis,
bibebant vinum aut Zythum, aut vllum
genus ad hilaritatem factum: sed nec la-
r aut vngebant corpus, neque dormie-
n lectis suis, vitantes etiam concubitum
rum: sed omnibus diebus lugebant & de-
bant mortem Regis. Interea factis omni-
um exequiarum dies adesset, ferebatur ca-
mortui ante portam, & destituebatur an-
um sepulchri. Ibi Orator quidam habebat
ionem funebrem, qua persequebatur vi-
acta Regis: quo tacente, licebat cui-
viciſſim eius facta & vitam accusare. Ad-
t Sacerdotes, & audiebant perorantem
a mortui, qui expositus erat oculis vni-
multitudinis. Si quid laude digni recitare-
probabant id complosis manibus: si quid
minus placuisset, reiiciebant incondito mur-
mure & cum indignatione. Vnde sæpe fa-
ctum est, vt Reges, quorum gesta populum of-
fenderant, extremo Sepulturæ honore care-
rent, nec regibus digna tumularentur magni-
ficentia. Et profecto, si verum fateri volumus,
continuus metus iste reges in officio, vt stu-
derent innocentiæ & iustitiæ, nisi mallent cor-
pora sua post mortem suam ea affici contume-
lia.

Quod ad Numina eorum attinet, nulla gens
sub Sole isto fuit, non dico superstitiosa magis,
sed magis ridicula quam Ægyptij, qui non
contenti statuis defunctorum hominum, etiam
bruta & viles bestias coluerunt, tam vivas quam
mortuas, vti Canes, Feles, Lupos, Crocodilos,
Ichneumones, Miluos, Ibes aues. Tantum au-
tem abfuit, vt vererentur illius stultitiæ publi-
cam professionem facere, vt contra laudi sibi
ducerent tam stolidam turpemq; Idololatriam.
Ferebant enim horum animalium figuras & si-
mulachra circum oppida & per pagos, osten-
tantes ea velut Deos Tutelares omni honore
dignos. Si quis horum Deorum Ægyptiacorum
mortuus fuisset, inuoluebant eum stolidi illi ho-
mines puro linteo, deplorantes eius mortem
multis clamoribus & vlulatibus, & pectus per-
cutientes: post vngebant eum oleo cedrino,
condiebantque aromatibus preciosis, defodie-
bantque corpus in certo quodam loco, quod ita
conditum, diu seruabatur à putredine.

Si quis harum animantium aliquam interfe-
cisset, is nullo pacto vitam conseruare poterat:
populus enim concursu facto illum crudelis-
simis modis trucidabat, non expectato donec
in iudicio condemnaretur: qui metus in causa
fuit, vt multi, cum horum animalium aliquod
casu defecisset, è vestigio quam longissime dis-
cederent, vel acerbis lacrymis tantæ rei iactu-
ram deplorarent, ne viderentur dei sui interitu
lætari. Incumbebat autem primoribus Ægy-
ptiorum cura alendi animalia illa, qui ea magna
nutriebant sollicitudine, nec sine magnis im-
pensis, cibo è delicatissimo flore farinæ, placen-
tisque è lacte & simila paratis, apponentes iis
inter alios cibos carnes anserum elixas & assatas.
Quæ ex istis animalibus delectabantur carnibus
crudis, iis coëmebant auiculas reti vel transen-
na captas: & vt vno verbo dicam, maximi con-
stabat illorum deastrorum alimonia. Defuncto
aliquo horum animalium, maiores ciebant
planctus atque eiulatus, quam si liberi eorum
charissimi expirauissent, sepeliebantque id mul-
tis sumptibus & magnificentia: vt constet, re-
gnante Ptolemæo Sapiente Ægypti Rege, in
Vrbe Memphi bouem nimia senecta mor-
tuum, ab eo, qui ipsum nutriuerat maximis sum-
tibus elatum tumulatumque fuisse, eundem-
que ab rege mutuo sumsisse L. argenti talen-
ta, quæ omnia impendit in tam ridiculas exe-
quias.

In honoribus quos defunctis habebant, non
non norant Ægyptij modum aut finem, adeo

prodigi erant opum suarum. Defuncto enim aliquo, propinqui eius conueniebant, fædatisque capitibus circumibant in ciuitate, lamentantes sine intermissione donec corpus terra obrutum fuisset. Interea temporis neque abluebant corpus, neque bibebant vinum, neque vllum cibum delicatiorem comedebant, neque preciosis vtebantur vestibus. Sepulturæ genera erant tria; primum valde sumtuosum, alterum mediocre, tertium vile. In primum insumebatur Talentum argenti: in secundum XX. minæ: in tertium prope nihil impendebatur. Erant autem rei funerariæ velut quidam præfecti, quasi ad id officium nati & nutriti; hi ferebant secum libellos impensorum funeralium, conuentisque propinquis mortui, sciscitabantur, quanti defunctum sepeliri vellent: ergo postquam inter eos de precio conuentum est, tradebatur libitinariis istis cadauer, vt ea, quæ ad exequias necessaria essent, expedirent. Primus omnium scriba aderat, qui cum corpus nudum humi exposuisset, notabat in eo, vbi fieri deberet incisio in latere sinistro: deinde aderat Sector, qui acutissimo lapide Aethiopico findebat latus mortui, & celeriter aufugiebat. Insequebantur eum assistentes, maledictis lapidibusque eum impetentes, ac si flagitium aliquod admisisset; persuadebant enim sibi, fieri non posse, quin ille, qui tantum vulnus infligere mortuo ausus fuisset, id singulari in eum odio feciſſet. Illi vero, qui condiebant Balsamo aromatibusque corpus, præcipuæ inter eos erant existimationis: hi enim frequentes solebant esse in templis, & versari cum Sacerdotibus. Dum Vespillones & pollinctores ad hunc modum occuparentur circa cadauer, alius secabat intestina, saluo tamen corde & renibus, statimque aderat alius, qui lauabat interiora vino ab Phœnicia petito, permisto bonis odoribus, deinde vngebat totum corpus cedria, mox diuersis compositionibus aromaticis, per integrum mensem: neque tamen contenti erant illis tam crebris vnctionibus, sed & parabant infusionem ex myrrha, Cinnamomo aliisque aromatibus, omnia in eum finem, vt non solum cadauer longissimo tempore à putre factione præseruarent, sed & vt gratum illi conciliarent odorem.

Ad istum modum pollinctum & paratum corpus reddebant propinquis, cum iam ante membra omnesque corporis partes tam apte adunassent, etiam vsque ad palpebras & supercilia, vt dormienti esset quam mortuo similior.

His factis habebatur oratio, qua recensebatur omnis eius vita à prima infantia, quam pius fuerit in Deos, quam doctus, innocens, iustus, integer, continens. Facto dicendi fine, inuocabat orator Deos Infernales, vt mortuo assignarent locum inter beatas animas. Respondebat his precibus populus, magnisque laudibus de mortui nomen ad astra vehebat. Postremo sepeliebat vnusquisque mortuum suum in proprium suum monumentum: qui autem non habebant peculiaria monumenta, collocabant [illegible] dauera suorum in domo inter duos firmissim[illegible] muros, sarcophagum statuentes erectum cæmento obturantes aditum: vt posteri dit[illegible] res facti, dissoluto ære alieno quod mort[illegible] debuerat, ipsum exemptum sepelirent ho[illegible] stim.

Cum coacti inopia mutuum acciperent[illegible] gentum, solebant creditoribus pignori d[illegible] corpora propinquorum suorum, quæ si quis redemisset, nõ solum perpetuo infamis habe[illegible] tur, sed & ipse demortuus sepulturæ honore[illegible] rebat.

Vt autem finem de his dicendi faciam, v[illegible] bant Ægyptij omnes haberi Nobiles, & c[illegible] quidem fuerunt ignaui, delicati, molles, m[illegible] biles, ventosi, magniloqui, mendaces. Acce[illegible] bant alia naturæ eorum vitia, quod etian[illegible] perbi & seditiosi essent, & ad nouandas res[illegible] tius apti quam ad expedienda recte negocia[illegible] iurias aliis facile inferebant, cum tamen ipi[illegible] lidi forteſque non essent, externæ dominati[illegible] impatientissimi, & qui ob leues causas mag[illegible] ciebant tumultus.

Mores Ægyptiorum nostri temporis.

Qui restant nostro æuo ex veris genuini[illegible] Ægyptiis pauci sunt, & fere redacti ad exigu[illegible] Christianorum numerum, cæteri Mahon[illegible] stæ sunt, permixti Afris & Arabibus. Nobi[illegible] enim Ægyptia, quæ se contulerat in oppida[illegible] ritima, tunc cum Romani Imperij sedes in C[illegible] ciam translata fuit, recepit se in Thebaidem[illegible] superiorem Ægyptum, cum Mahomeran[illegible] gnum inuasissent. Vix tamen est vlla natio, [illegible] plus retineat ex vltima antiquitate, quam [illegible] cum adhuc videantur in vrbibus eodem v[illegible] tus genere vti, qui à priscis auctoribus delc[illegible] tur. Qui in vrbibus oppidisque habitant, [illegible] aliquo modo colore albo: qui vero in pag[illegible] agro commorantur, fusci sunt quam max[illegible] Sunt autem plerique non mali, in conuers[illegible] ne liberi, nec ingrati: quanquam inferior Æ[illegible] ptus multis modis superet in ciuilitate supe[illegible] rem. Media enim regni huius non valde ad[illegible] tur à peregrinis, nisi ab Aethiopibus, & [illegible] quidem ipsis numero paucis. At ea pars qu[illegible] cundum littus maris porrigitur, aditur à [illegible] tis exteris, Afris, Europæis & Assyriis. [illegible] ritati magis dediti sunt, quam vlla alia g[illegible] in saltationibus Choreisque immodici [illegible] nonnunquam etiam cum vitæ periculo [illegible] liant.

Tunicis vestiuntur strictis, ab anteriori p[illegible] consutis, & ad talos vtque demissis, cum [illegible] nicis pariter angustis. Aestate vero amiciu[illegible] tela Xylina versicolori, hyeme pannis cras[illegible] bus. Mercatores tamen & ditiores inter c[illegible] vestes sibi conficiunt è panno Europæo pre[illegible] fiore. Capite vniuersi teguntur pileo Tur[illegible] quem Tulipanem vocant, distinguunturqu[illegible] uersarum Sectarum homines per Ægyptum

itis tegmento ; quod & in aliis locis fit per
erium Turcicum. Femoralibus vtuntur,
libus antiquissimi Ægyptii vsi fuerunt. Mu-
es nunquam prodeunt in publicum nisi ve-
facie , quod tamen non in hoc duntaxat,
omnibus regnis fit, quibus Turcæ imperi-

it Leo Africanus, Ægyptios in prandio &
a sæpe vti caseo recenti & musteo ; sed valde
, vt & acido lacte, & certo quodam modo
gulato. Etsi autem has res inter primas deli-
reputant, peregrini tamen ne gustare quidem
quippiam possunt, quod quidem homini
istis non fit verisimile : nam omnibus
lac istud magno extererum fastidio admi-
t.

omicilia eorum vulgo sunt tam humilia, vt
bus recipiendis non hominibus structa
antur , cuius rei causa est, quod fere in iis
ent & dormiant , cibum vero capiant sub
libus arboribus, in primis palmis, vt earum
vmbra liberiore fruantur aëre. Amant
Ægyptij & Arabes præ omnibus aliis gen-
s, noctem continuam in nuda cubate hu-
ub dio, nec nisi stragulo vili tecti, aut veste,
per diem vsi sunt. In nandi arte præstantis-
sunt, quam quidem coacti addiscunt, cum
lis annis terra ab inundante Nilo obtega-
bi oportet vt alteri alteros adire cupientes,
co in locum natent, cum non semper nec
es possint vti scaphis linteribusque. Ale-
rini , adeoque fere omnes Vrbium Ægy-
arum ciues Arabica & Africana loquun-
ngua : at Turcæ qui illis passim permixti
diuerso ab illis vtuntur idiomate.

stremo de Troglodyticæ incolis hoc di-
habemus : esse eos rudissimos , pauperri-
barbarissimos , breuiter, infelices ; quod
em verissimum est de indigenis Trogro-
Arabibus. qui enim inter hos habitant
æ & Arabes cæteri , paulo viuunt lau-

Vetus Gubernationis ratio.

it vniuersa Ægyptus olim diuisa in plures
s, Nomos, siue Præfecturas, dabatque qui-
præfectus operam, vt in sua prouincia omnia
atque ordine fierent. Cæterum tributa
ouentus regni trifariam diuidebantur. Pri-
rs cedebat Sacerdotibus , qui supra mo-
honorabantur à Populo, non solum quod
sancti & cultui Deorum consecrati essent,
quod cæteros doctrina anteirent. Perci-
nt autem hanc primam prouentuum par-
sacerdotes , vt eam impenderent in sacri-
& sacrarum Aedium ornamenta : deinde
uperum inter eos subleuarent egestatem.
ue enim Ægyptij obliuiscebantur quicquã
m, quæ ad Sacra pertinebant, neque puta-
fas esse, vt ij destituerentur alimonia , qui
liis scirent ad vsum Reipublicæ , cum Sa-
tes semper vocarentur in Senatum, vt sua
coniungerent cum cæteris consilia, præsicentes
nonnunquam futuros euentus , vel ex princi-
piis Astrologicis , vel ex inspectione extor-
rum in immolatis victimis. Sed & Historia-
tum habebant cognitionem , norantque ve-
terum regum præclara texere facta , quibus
posteros ad virtutis æmulationem accende-
bant.

In Sacris plurimum differebant Ægyptij à
consuetudine Græcorum, qui volebant, vt vnus
tantum vir, aut vna mulier præesset rebus sacra-
tis. At illis placebat , multos simul eundem par-
ticipare honorem, pluribusque se simul addice-
re diis, ita vt etiam is honor hæreditario iure ad
liberos eorum propagaretur. Erãt autem sacro-
sancti isti pariter immunes ab omni exactione
pecuniaria, vectigalibus & Subsidiis, erantque à
Rege primi in toto regno.

Secunda pars prouentuum regni cedebat
Regi , qui eos impendebat in necessarios vsus
Reipublicæ, puta in bellum , alimoniam Aulí-
corum , quique inde virtutis præmia persolue-
bat viris fortibus & de patria bene meritis. Et
hinc fiebat , ne populus tributis aut exactioni-
bus præter ordinem grauaretur, cum vel à rege
militibus soluerentur stipendia , vel ex Tertia
parte prouentuum darentur præmia , qui in
hunc vsum constituti fuerunt , vt quiuis prom-
ptiore animo proficisceretur ad bellum, illectus
præmiis virtutis, & vitam suam ex ponere peri-
culis.

Sed & eorum Respublica trifariam diuisa
fuit, ad totius Corporis sustentationem : nempe
in Laboratores, Pastores, Artifices. Primis elo-
cati fuerunt agri à Regibus, precio non magno,
vbi se exercerent in colendo ture à prima pueri-
tia ; potissimamque partem ætatis ita tererent:
vnde fiebat, vt præstantissimi euaderent Agri-
colæ, partim natura & instituto maiorũ, partim
vsu & exercitatione.

Pastores tori erant in curandis gregibus suis,
qui & ipsi ex disciplina Maiorum omnem vitam
in hoc genere transigebant. De opificibus ita
sentiendum est : dubium non esse, quin pleræ-
que artes Mechanicæ in Ægypto ad suam per-
fectionem peruenerint, cum ij, qui ad has semel
animum applicuissent, nulli alij se implicarent
officio ; cum lex iuberet quemque id exercere
opificium, quod à maioribus suis velut hæredi-
tate accepisset ; neque tales admitterentur ad
tractanda negocia Reipublicæ , vt ita verisimile
sit , eos omni studio in suo quemque ge-
nere ad perfectionem annixos fuisse , cum
non haberent spem , in alio vitæ genere emer-
gendi.

In iudiciis nihil fiebat temere aut superficia-
rie, sed omnia magna cum prudentia, cum non
ignorarent, recte facta magnum ad exemplum
in Republica obtinere momentum. Quin &
ita sentiebant, nõ esse validius remedium ad ex-
terminanda flagitia, quam si scelerati puniren-
tur, oppressi vero & afflicti velut porrecta manu
subleuarentur ; contra vero nihil nocentius,

quam

quam flagitiosos impunitos dimittere : nullus igitur hic erat velgratiæ vel donis locus. Hac de causa eligebantur in vrbibus, Memphi, Heliopoli, Thebis, aliisque primi nominis, viri graues & famæ integræ, vt exercerent iudicia, à quorum sententiis non magis dabatur prouocatio, quam ab Areopagitis apud Athenienses. Hi autem iudices, qui triginta omnino erant, eligebant Præsidem & Caput Consilij eum, quē sciebant excellere virtute, sapientia, integritate, substituto in locum eius alio, vt numerus iudicum perfectus esset. Alebantur autem hi ex publico, non sine magnis sumtibus; inprimis largiter suppeditabatur Præsidi Senatus, qui gestabat collo Torquem Aureum cum appenso signo Veritatis: præferebantur etiam ei libri Legis, numero octo, ne posset aberrare à recto in iudicando. Erat autem moris, vt qui alium de crimine accusare vellet, scripto conciperet actionem, adhibita omni diligentia, vt casus siue factum accurate narraretur, & quo modo se læsum existimaret. Reo dabatur tempus ad respondendum satis amplum, vt posset accusationis capita diluere, ita tamen, vt pariter id scripto faceret. Iudices, audita vtraque parte, discepta causa in consilio, rem ita decidebant: Præses vertebat imaginem veritatis in eum qui meliore niti videbatur causa, atque ita definitiuam ferebat sententiam. Et hæc fuit antiqua litigandi & exercendi Iudicia apud Ægyptios ratio & modus.

Cum autem eorum Leges & statuta in genere attigerimus, non erit alienum à nostro proposito, pressius aliquanto antiquas huius gentis constitutiones cõsiderare: vnde patebit, rectius consuluisse suis rebus quam plerosque alios populos, & leges eorum fuisse saluberrimas.

Primum igitur qui sciens peieraſſet sine dubio interficiebatur, vt qui duplex admisisset crimen; quod non reueritus fuisset Deos, & quod aboleuisset fidem, vnicum in rebus humanis societatis vinculum.

Qui viatorem spoliari atque opprimi vidisset, neque ei opem tulisset, aut mortem eius non impediuisset, cum tamen id facere potuisset, & ipse morte afficiebatur. Si eum conseruare non potuisset, tenebatur factum deferre ad Magistratus, & indicare latrones, si eos cognouisset. Si ne hoc quidem fecisset, raptus in iudicium, flagris cædebatur, recepto certo ictuum numero, & per triduum detinebatur in carcere. Qui alium falso accusauisset, conuictus calumniæ, eandem sufferre cogebatur pœnam, quam alter sustulisset, si sceleris conuictus fuisset.

Alia quædam Lex iubebat Ægyptios deferre nomen suum ad Prætorem, ibique profiteri, an in Laboratorum, an Pastorum, an Opificum numero essent: si quis mendax deprehensus fuisset, aut turpi lucro transigere vitam, seueritate legis ad mortem condemnabatur.

Si quis hominem sciens prudens, & cum certo proposito interfecisset, non habens iusta causam, siue interfectus Ingenuus fuisset siue Seruus: & ipse sine exceptione morti addicebatur, cum leges non distinguerent inter homicidium homicidæ: si enim ij, qui seruos interfecissent, remissent, tam rigide puniebantur, existimabant ingenuorum vitam eo magis in salute fore.

Parentibus, qui Liberos suos interfecisset, Legislatores Ægyptii certum supplicium non constituerant, sed cogebantur totum triduum & trinoctium iuxta cadauer exigere: à quo si discederent, erant constituti certi homines, qui eos obseruarent. Quod autem illi facto tam mite constituissent pœnæ genus, causam afferebant, quod non videretur fas esse, eripere vitam, qui alteri dederat, arbitrabanturque satis supplicij fore, si dolore illo interno & pœnitudine acerbissima lueret pater iracundiæ precipitantiam, putantes insuper, quauis mortem esse acerbius, vitam in perpetua tam horrendi sceleris memoria tranſigere.

Si quis autem facta Naturæ ipsi iniuria patrem interfecisset, huic ex legibus crudele supplicium erat supplicium; confossus enim & laceratus cultellis, stylis & acutis arundinibus deinde viuus comburebatur: quod putarent detestabilius crimen in mundo inueniri non posse, quam priuare vita eum, per quem ipse tam & nutrimentum acceperis.

Prægnans mulier ad mortem condemnata non occidebatur, nisi prius peperisset; ne enim existimabant, duas pro vna committere cædes, & interimere innoxium partum.

Militares Ægyptiorum Leges tales erant. Qui deseruisset ordinem in acie, aut non paruisset Tribuno suo, ignominia afficiebatur, & vetabatus omni futuri honoris spe. Sed & interdicebatur ei penitus vsu armorum. Huius legis seueritas ignauiam adimebat militibus, vt præferrent glorioſam mortem turpi & in æternam ignominiosæ vitæ. Qui secreta consilia hostibus prodidisset, & cum eo pactus fuisset, huic scindebatur lingua: qui vero adulterasset Monetam, aut corrupisset pondera & mensuras, quique aliena imitatus sigilla corrupisset litteras, aut suppoſuisset testamenta: huic publicè amputabatur vtraque manus, vt membra, quæ peccassent plecterentur, neue quid tale imposterum falsarius facere posset.

Compar erat legum seueritas aduersus eos qui in mulieres deliquissent. qui enim vim fecisset liberæ conditionis mulierem, huic virilia præcidebantur, penis inquam cum geminis testiculis; vt amissione trium instrumentorum triplex lueret peccatum: iniuriam, raptum, corruptionem alienæ fœminæ, quodque auctor fuisset, suppositis spuriis eos cum legitimis confundere. Qui in adulterio deprensus, vxori mulieri nullam feciſſet, is damnabatur ad mille ictus virga infligendos, mulieri vero na-

amp

utabantur, vt eo vulnere fœdaretur facies, adulterio tantopere placuisset.

arum legum, quæ in mercimoniis & negone obseruabantur, auctor putatur fuisse horis: quæ iubebant, vt si quis negaret se isse pecuniam, eo quod syngrapha nulla o esset, creditori tamen crederetur, ita, si let se argentum credidisse: tanti enim fant Ægyptij iuramenti religionem, vt non rent quenquam illud facile violaturum. enim iis, qui in rebus leuis momenti & re iurant, fides ferme adhiberi non soleat: i sedulo dabant operam, ne viros graues & ertæ fidei facile ad iuramentum adigene famam existimationemque integritatis erent. Sed nec dubitari volebant de fide qui alij argentum sine Chirographo præet, cum iuraret in propria sua causa. Vetinsuper erat, ne vsura scripto comprehensa, ret duplum mutui: iubebaturque credibona tantum debitoris, non ipsum corpus ere, vel eum mancipem facere aut in m dare. Bona enim debitorum creditori. orpora autem Reipublicæ obligati: vnde lites quidem ob debitum in carcerem rapi ant, nefas arbitrantes, eos, qui pro salute vitam impenderent, alieni lucri gratia di vinculis.

Ægyptiorum De Furto talis erat. Qui vitam sustentare constituissent, debebant eri nomen suum apud Summum Pontifi. & huic afferre res raptas, simulac furtum issum fuisset. Alterum vicissim, qui re sua us fuerat, oportebat apud eundem Sacerindicare diem & horam, qua rem suam rat. Ad hunc modum furto facile detecto, amiserat sua, recipiebat illico, præter m partem, quæ furi manebat, eratque elut castigatio alteri, quod rem suam udiosius custodiuisset: malebatque Le-r, partem rei ablatæ perire quam to-

erdotes singuli singulis vxoribus conrant: cæteri tot ducebant, quot volebant, trire poterant. Nemo inter eos spurius abatur, etsi serua genitus fuisset, quod sotrem auctorem generationis arbitraren-ulierem autem duntaxat receptaculum quæ & eum postea nutriret. Erat autem nec sumtuosa educandi liberos atque ndi ratio, cum iis vel radices iunci, vel s viles carbonibus candentibus tostas in darent, vel etiam herbas temere colle-aqua elixas, aliquando etiam crudas. ncedebant pedibus nudis, quin & maioni partem omnino nudi, quod aëri ibi uo tepescat. Ita fiebat, vt omnes sumtus, nater in alimoniam pueri impendebet, d pubertatis annos, vix acsederent ad achmas.

erdotes instituebant puero in litteris tam uam profanis, docentes eos inprimis etriam & Arithmeticam. Ad pugilatum & Citharam adsuefieri eos nolebant, quod prius nimis periculosum putarent, posterius leue.

Qui iter faciebant aut militabant, si forte in morbum incidissent, gratis curabantur, quod Medici vbique præsto essent: quibus numerabantur è publico salaria, vnde & Lex eos iubebat curam ægrorum gerere, & in eo præscriptam ab antiquis medendi rationem obseruare. Si Medicus feciſſet quod in libris sacris perscriptum erat, & tamē morereturæger, nemo ipsum de cæde accusabat. si vero vsus fuisset aliis remediis, etiamsi morbidus conualuisset, id Medico impune non erat: tanti faciebant antiquorum placita præ periculosis Neotericorum inuentis.

Porro Ægypti reges non adeo abutebantur potentia sua ad omnem licentiam, vt aliarum Nationum Principes, quibus pro lege est voluntas; cum eos tam in alenda familia Aulica quam in colligendo tributo sequi oporteret leges & consuetudines regni, vt Diodorus Sic. refert. Ministeria Regum & Comitiua Aulæ non legebantur è seruis, siue extranei illi siue dominati fuissent: sed ex Illustrium Nobiliumque virorum filiis atque Sacerdotum, qui iam vigesimum annum superauerant: quod non dubitarent, ingenuos hosce virtutis magis studiosos & dicto audientes fore; ipsumque regem, verecundia tam nobilium ministrorum, nihil designaturum, quo fama ipsius detrimentum caperet, cum in eorum facie & oculis omnia facturus esset. Erant autem Legibus constituti certi dies & horæ, quibus rex tractaret negocia Reipublicæ: mane enim recipiebat litteras, epistolas, libellos supplices, & commentarios rerum gerendarum. Hoc facto comitatus agmine hominum prudentum, lauabat corpus, indutusque preciosis vestibus ibat salutaturus Deos & oblaturus sacrificia. Huc vbi venisset, adducta iam ad aras victima, Sacerdos alta voce, audiente toto populo, precabatur Regi longam & felicem vitam, si comis esset erga multitudinem, & iustus in actionibus. Finitis precibus digrediebatur in laudem Regis, eiusque prædicabat longo ordine virtutes. Si quid in eo desideraretur, benigne id excusabat, translata culpa in ministros regios. His peractis, hortabatur Sacerdos regem, vt integritate & vitæ innocentia se Diis charum præstaret, vtque sequeretur præcepta sapientum, quæ ipsum haud dubie ad virtutis & honoris tramitem perducturaessent.

Ad extremum, postquam rex immolasset taurum Dis patriis, prælegebat ei Sacerdos dicta & facta illustrium hominum, commonefaciens eum vt populo se suauem præstaret & exemplar Iustitiæ in omnibus suis actionibus, procul valere iussa auaritia & congerendi in fiscum auri desiderio. Et hæc quidem publice: sed & priuata regis vita certis coherebatur legibus, quibus obtemperaret in capiendo cibo, deambulando, exercendo corpus, lauando, obse-

obsequendo rebus Veneriis aliisque: ne limites exiret mediocritatis.

RELIGIO ÆGYPTIORVM.

Inueniuntur in Ægypto Mahometani, Christiani & Iudæi, quanquam hi minore numero. Et de Iudæorum quidem ac Mahometistarum superstitionibus alibi dicēdi locus erit. At Christiani per Ægyptum vel peregrini sunt vel inquilini. Peregrinos voco, qui eo veniunt negociandi gratia, inprimis in Vrbibus Alexandria & Cayro. Cum enim regnum hoc inter duo Maria situm sit, Rubrum & Mediterraneum: coniungit aliquo modo Occidentem cum Oriente per amplissima mercimonia, estque velut via aut transitus, per quem opes Indiæ atq; Orientis communicantur Afris, Europæis atque Asiaticis. Huc ergo venire videas non solum Venetos, Florentinos, Ragusienses magno numero, sed & Gallos, Anglos & Germanos Inferiores. His omnibus, si exigant, præstant operam suam in Spiritualibus Franciscani Monachi, qui commorantur Hierosolymis, qui incedentes per Ægypti loca administrant Sacramenta & concionantur è verbo Dei Christianis Latinis, per regnum istud negociantibus: facitque Anglorum Belgarumque, qui frequentes sunt in his oris, à Catholica fide dissensio, vt necessaria sit eorum opera. Christiani natiui in Ægypto, qui restant de tot Barbarorum inundationibus & crudelitate Saracenorum, Mammeluquorum & Turcarum, ad paucos è maximo numero redacti sunt, cum vix quinquaginta millia capitum putentur esse, sparsa quidem per varia loca, inprimis per oppida, Cayrum, Messiam, Montem salutis, Buquetum aliaque oppida in ripa vtraque Nili. Plurimi etiam sunt Miniæ, in cuius agro multa eorum visuntur monasteria, S. Antonij, Pauli & Macarij, quæ tria in omni Ægypto sunt celeberrima. Primum, S. Antonij est in Troglodytica, in eo monte, vbi Antonium Eremitam sæpe à Diabolis percussum asserunt. Secundum non longe inde distat in medio deserti. Tertium visitur in desertis Bulacensibus, in parte occidentali trans Nilum. Est autem hoc Monasterium, quod Nitri in monumentis antiquorum dicitur, ea opinor de causa, quod aquæ Nili in ea regione extrà alueum suum egressæ, vi Solis condensentur in salem & nitrum. Ad sextum milliare ab vrbe Memphi, supra ripas Nili magnificum spectatur Monasterium sub nomine S. Georgij. Fuerunt aliquando in eo CC. Monachi magna viatorum illac transeuntium commoditate, qui hic excipiebantur hospitio & gratis reficiebantur. Cum autem ante annos CL. atrocis pestilentiæ sæuitia omnes Monachi è medio sublati fuissent, mansit locus ab eo tempore desertus.

Vt autem dicamus, qualesnam sint ij Christiani, sciendum est, eos Cophitas dici, & Christianos de Cingulo. Hi quamuis Baptisati sint vt nos, circumciduntur tamen etiam, vt Iudæi, vt ideo quidam dicant, Fidem eorum non p rigii infra Cingulum. Quod autem prope pe est, sequuntur iam ferme à mille annis Hære Eutychianam, per quam separantur ab vnic cum Romana Ecclesia. Huic Schismati occas nem dedit Concilium Ephesinum, quod D schorus pro Euthychianis coëgerat, qui i damnati erant cum auctore suo in Conc Chalcedonensi, per D C. XXX. patres Eccle sticos, quos Leo Imperator conuocauerat. E Cophitæ cum metuerent, ne cogerentur fa in Christo duas Hypostaseis, si duas Natu admitterent, dum volunt vitare errorem N storij, facti sunt Eutychiani. Sacrum suum p gunt lingua Chaldæorum, sæpius admis tes vocem *Alleluia*. Cum eo deuentum est Sacerdos Pacem precetur adstantibus, qu ter illos iunior est, tangit manum omnium rum, qui Sacro interfuerunt: post facta consecra ne dat singulis bucellam panis simplicis, qu quot participare cupiunt. Obediunt autem triarchæ Alexandrino, glorianturque, eand se sequi Fidem & Religionem cum Magno byssinorum rege.

Forma Reipublicæ & Gubernationis i AEgypto, post inclinationem Rom. Imperij.

Numerant Ægyptij circiter CCC. anno eo tempore, cum ex liberis, nobilibus ingen que facti sunt serui reducti sub Romanor dominium, post quod tempus variis fort viciſſitudinibus iactatum fuit hoc Regn Antequam autem videamus, quo pacto im rio auito & antiqua libertate exciderint, op precium est considerare, quas mutationes, q tempestates regio illa perpessa fuerit, & ad qu finem redacta sit fortuna Ægyptiorum. Ig Ægyptus, post collapsam auctoritatem & d sionem Romani Imperij, cum primum buisset Reges Pharaones, deinde parti Persis, tertio Ptolemæis, postremo Ro nis, qui eam in Prouinciæ formam redegeru tandem nacta est dominos Imperatores C stantinopolitanos. Sed non multis annis p pertæsi Ægyptij factum, auaritiam & superb Græcorum, cum in iis etiam parum esset pr dij: desertis Græcis, vocauerunt in auxilium racenos, quorum ope & armis omnes Græ è regno suo profligauerunt, electo sibi R Calipha, Duce Militiæ Saraceno, qui se è po ris Mahometi Pseudoprophetæ genus duc gloriabatur, qui secum inuexit Leges Ma metanas, è doctrina Arrianorum & super tionibus Iudaicis compilatas, & iam à ple que Orientis gentibus receptas. Post h Calepham omnes qui eum secuti sunt Æ pti Reges, assumserunt sibi nomen Caliphar renouata Pharaonum & Ptolemæorum c suetudine.

Vltimus huius nominis Rex incidit in tempora, quibus Christiani Europæi duce de

do Bullionæo totam Asiam Syriamque vi-
bus peruagati armis, constituerunt Regnũ
olymitanum. Huic regi cum admodum
ſtus esset Almericus Rex Hieroſolymo-
, qui Balduino succesſerat, & Ægyptius
ſtianorum armis ſolus par esse non posset:
uit in auxilium Sultanum Syriæ: qui nihil
tatus, cum ipse exercitum duxisset in Pa-
am, fractis Almerici viribus, Ægyptum
ue inuasit, eo successu, vt victo atque capto
ha, totum regnum obtinuerit, cum Cali-
nihilminus quam hominis amici tantam
liam & crudelitatem metueret.

eo tempore, cum Caliphæ potestatem re-
perdidissent, rerum Diuinarum summa pe-
los fuit, vt facti Antistites, haberent pote-
firmandi Reges, vt videmus Imperatori-
omanis longissima consuetudine accide-
Summos Pontifices.

raconi, (id enim nomen fuerat Sultano
) successit *Saladinus* filius, qui, cum & ipse
fefellisset, acie vicit fugauitque Christia-
exercitus per Syriam & Palæstinam, ex-
sque penitus eorum viribus, aboleuit to-
gnum Hieroſolymitanum.

t Saladinum, qui moriens Regnum reli-
arri, multi regum filij & nepotes obti-
nt Ægyptum, vsque ad *Melechsalam*, qui cũ
ltimus ex eorum regum linea, perpetuis
it Christianos bellis: cumque in tot bellis
liis plerosque veteranos & omne robur
tus perdidisset, parum credens fidei &
Ægyptiorum, conscripsit exercitum va-
num ex mancipiis seruisque quos coëme-
uaserant circa id tempus Tartari, Natio
ca, facta irruptione per montes Caspios,
niam Asiamque: cumque sub hasta ven-
innumeros homines, quos per Coma-
& Cappadociam viuos ceperant; Melech-
ctus occasionem, coëmit magnum eorum
um præsenti pecunia, eosque secum in
um deductos, armis instruxit, quorum
non tantum defendit limites regni sui, sed
edit S. Ludouicum Galliæ regem in castris
te Damiatam, quæ olim Heliopolis fuit
lusium: cumque egressum castris memo-
rælio vicisset, Regem quoque viuum ce-
deinde persoluto Lytro se redemit, reli-
erim obsidibus Gallorum Nobilissimis.
no cum serui isti milites ipsi conspiras-
Melechsalam dominum suum, trucida-
eum: & hic fuit finis tam illustris de
anis victoriæ. Occiso Rege, vir Co-
um omnium fortissimus, nomine *Tur-
us*, principatum inuasit: cumque se in
ocatum fastigio videret, oblitus pristinæ
omo amens, cæpit contemnere socios,
que in eos vti insolentia, qua offen-
ilis quidam Comanus, Cathus no-
ingressus Palatium nouitij regis, tru-
hominem indulgentia, fortunæ e-

us cum Rex & Sultanus salutatus fuisset ab exercitu, concidit ingentem Tartarorum numerum, quos Hialon in Syria reliquerat, ipse paulo post proditione circumuentus & concisus, accipiente regnum in parricidij præmium Bandocaderio successore.

Qui *Bandocaderius* homo militaris & audax, inuadens cum exercitu Comanorum seruorum Richardum Angliæ Regẽ, & ipsum & quicquid reliquum fuit Christianorum in Syria, exterminauit.

Bandocaderio veneno è medio sublato *Elpis* regnum tenuit, & post hunc *Melechus* & *Vstrephus*, quorum ille Christianos Tripoli vrbe eiecit, alter aggressus armis Ptolemaidem, quæ sola in Oriente miseris adhuc restabat Christianis, coëgit eos facta deditione vrbe excedere.

Etsi autem Ægyptus ab eo tempore multos habuit ex hoc Comanorum genere reges, viros vtique fortes & strenuos, eorum tamen nomina ad nostram memoriam non peruenerunt, quod eorum res gestæ, quas magnas atque memorabiles fuisse res ipsa loquitur, litterarum monumentis consignatæ non fuerint. Inter omnes tamen, auorum nostrorum memoria celeberrimus tum ob potentiam tum ob virtutem bellicam fuit *Caritbeius*, qui cum bellum illud seruile per manus à maioribus suis accepisset, auxit id maiore diligentia, & liberalitate, quam quiuis antecessorum eius: ita tamen, vt in perpetua specula eum esse oporteret, ne Mammeluccorum serui noui quid molirentur, qui paulo ante coniurauerant, & molestissimum bellum concitauerant, contra ipsum Regem & Nobilitatem eius.

Hic est ille *Caritbeius* Sultanus, qui cum Ægypti Rex esset, audita Principum Christianorum singulari virtute & magnificentia, non vnum beneuolentiæ in illos genus ostendit, cumque plurimi eos faceret, misit Camelo-pardalim, incredibilis altitudinis & mirę speciei bestiam, dono Florentinorum Principi Laurentio Medici. Hic ipse, cum Turcas in Cilicia prostrauisset, Persas vero, qui Syriam ab Mesopotamia inuaserant, debellasset, domitisque Arabibus victricia signa Mecham vsque promouisset; Magni cognomentum inde adeptus, exiit e vita anno regni sui XXXIII. eodem tempore, quo pugnatum est ad Tarum inter Gallos Venetosque.

Mortuo Caritbeio summa rei cum auctoritate penes duos erat; Achardinum & Campsoniam, qui cum diu inter se super Principatu digladiati fuissent, magna que crudelitate bellum gessissent, perturbata vniuersa Syria & Ægypto: *Mahometus*, Caritbeij filius, arrepta occasione inuasit Principatum. At hic Mahometus, qui sedem paternam contra leges & constitutiones inuaserat, cum perpotaret inter seruitiorum & concubinarum gregem, concisus fuit per quendam Circassum: qui, quod tam illustre facinus ausus fuisset, & videretur restituisse ius eligendi Principis Mammeluccis, salutatus

fuit Sultanus Ægypti; fauentibus homini vniuersis militibus. Hoc tamen non obstante, Giapalatus, qui fuerat Præfectus Damasci & Syriæ, progressus cum exercitu Cayrum vsque deiecit hominem de Solio regio, eumque longo mancipauit carceri.

Vicissim *Giapalatus*, cum regnaret crudeliter, auare & Tyrannice, adeo offendit aduersam factionem, vt comprehensum hominem, manciparent firmissimo carceri apud Alexandriam, commissa Tomubeio custodia eius. Hic vero *Tomubeius*, quasi nihil ei ad Principatum deesset, quam vt omnibus modis superaret in crudelitate & tyrannide, adde & auaritia & omni sceleris genere Giapalatum, cui secreto fauces eliserat, ita pro principe carnificem egit, vnde cum in populi & militum odia incurrisset, conuenientes Mammalucci decretum fecerunt, vt captus suspendio puniretur. Sensit id Tomubeius; igitur cum conatus fuisset per cryptam quandam subterraneam euadere; ab amicis Giapalati fugitiuum persequentibus deprehensus & mactatus est.

Hoc trucidato Proceres Aulæ Ægyptiæ, vt obuiam irent cruentis seditionibus Mammaluccorum, qui hactenus scissi in partes, per integrum quadriennium mutuis ad regni sui interitum inter se digladiati fuerant lanienis; obtulerunt Principatum Campsoni Gaurio, homini bellicoso, iustitiæ amatori minimeque ambitioso. Hic attonitus tam recenti tot Sultanorum calamitate, quos nimia superbia in præcipitium lapsos constabat; postquam à Proceribus regni & ducibus militum in Palatium humeris delatus fuisset, constanter recusauit Principatum; noluitque Sultanus appellari; indignum se iudicans clamitans. Cum autem nihil efficeret, stillantibus aqua oculis obsecrare amicos; rogare proceres, vt se priuatum viuere sinerent, contentum illo vitæ genere, neue sibi manifestum vitæ conciliarent periculum; non habenti autem quod inter milites distribueret, vt priores Sultani fecerant: sed & rempublicam in illa confusione alio egere capite, in quo plus esset auctoritatis & sapientiæ. Contra monebant eum Principes regni, ne stolida obstinatione aut intempestiua modestia, contemneret pulcherrimam ridentis fortunæ occasionem: quin imo, quo magis afflicta esset respublica, eo magis ipsum debere laboranti succurrere. Acciperet igitur, quod felix faustumque esset, magnum illud & Augustum Sultani nomen, quod vniuersorum consensus ei offerret.

His exhortationibus confirmatus Campsoni, passus est se Regem & Sultanum appellari, vtique cum omnes conceptis verbis iurauissent, non defuturum illi quicquam, quod ad conseruandam Principis maiestatem esset necessarium, cum in manu ipsius essent futuri singulorum thesauri & facultates: sed nec milites exacturos quidem solenne Donatiuum, antequam Præfecti rationum & Quæstores id si auctoritate publica è tributis & collationib Prouinciarum collegissent. Siccum Campso susceptâ administratione Ægypti, Millione Auri, vt loquuntur, inter milites distribuiss & singulari in tanto fastigio moderationen gnam de se existimationem concitauisset, rel tuit primum omnium perturbatæ prouin pacem; sedatis turbis & tempestatibus, sub tis veneno nouitatis & tumultuum auctorib vt hac hominis prudentia & dexteritate per nos XVI, neque in Ægypto neque Syria tum tus aut bellum ciuile exortum fuerit. Et sic ca pson posset inter bonos & felices Principes fe ri; si magis amauisset in pace & opulentia uere; & domestica perfrui quiete, quam acce temere armis fortunam periclitari.

Accidit aliquando, vt Iachis & Cadilesci Legati Turcici, profecti ab Agogna, intra p cos dies venirent ad Sultanum Campson qui tunc habebat castra ad Orontem fluui cui nunc nomen est Farfaro. Hi igitur, cum a ce & humaniter ab eo excepti fuissent, ea qu mandatis habebant, oratione compta nit que exposuissent, conuocato in Prætoria Ca Senatu respondit Campson: Antiquam h esse Sultanorum Ægyptiorum laudem, vt qui facile primi essent in religione Mahom na; magna cura & industria cæteros quo Principes Mahometistas in pace & conto conseruarent: in quam rem ipse hactenus v incubuerit, & eadem de causa cum exercit Syriam venerit, vt pacem cum Persarum persuaderet Selymo; qui si obstinatius petg in gerendo bello & oppugnando Ismaele pho, socio suo & confœderato, se non po deesse; sed nec fas esse, Selymum, hominem bitiosum & alieni regni cupidum, vt desid suis satisfaciat, ita cælum terræ, diuina hum miscere.

Legati, etsi scirent, Selymum nequaquar positurum arma, simulabant tamen, ma sibi pacem cordi esse, neque se dubitare, persuasuri essent ei, vt cum Ismaele pacis tur: sibi enim molles viri aditus & secreta silia nota esse. Hac spe plenus Campson, di Legatos, regiis affectos muneribus: qui s profecti sunt ad Selymum, qui tunc erat C reæ. Altera ex parte Campson, cum castra uisset ab Oronte, venit in Comagenen ad piam vrbem, quam ex ruderibus Hier leos extruxit Alypius, Præfectus Iu Imperatoris: quamque deinde Hialon tharum Rex oppugnatione captam spol rat & exusserat, quod ei nimis perti ter restituisset: quod accidit circa id ten cum Christiani super possessione Iudæ Syriæ digladiarentur cum Sultanis priis.

Selymus cum intellexisset ex Legatis su ab Syria redierant, & omnia diligenter spe fuerant, causam aduentus Campsonis, &

arr

antiam, statuit omisso Persa ipsi bellum in-
fingens autem se in Persas moturum, præ-
ante exercitum impedimẽtis ad Sinacum
n, quæ olim Sebaste dicta fuit, deinde di-
tis iis per Mesopotamiam, ipse cum copiis
magenen proficisci statuit, & hostem ex
uiso adoriri: prius tamen hoc con-
suum aperuit Ianitsaris siue Prætorianis
bus, qui omnes sublatis manibus clama-
duceret quo vellet. Igitur Selymus raptato
tu per vias difficiles & vulgo incognitas,
euiores, subinde pollicebatur militibus,
raliter recompensaturum omnes illos la-
& molestias viæ. Hinc missis speculatori-
bebat explorare, vbi esset Campson cum
tu; ipse interim magna industria cauebat,
npson de suo aduentu cognosceret. Po-
, cum iam nunciaretur, adesse Selymum
xercitu, Campsen, qui nihil magis opta-
am acie confligere, statuit ei, si vellet, pu-
piam facere. Castra eius erant loco com-
& securo supra Singam fluuium. Habebat
Mammaluccorum vix bene XII. millia,
um autem optime armatorum & magna
e equis insidentium numerum multo
em. Quid multis? habebat Campson ex-
n instructissimum & pene inuictum, si
tia in pugnando vti voluisset.
nmaluccqui longis barbis horridi, mina-
culis, quadratis & musculosis corpori-
m nativo robore coniunxerant dexteri-
gi it rem. Igitur cum strueretur acies,
bilem ostendebant scientiam, nec mino-
psa pugna. Fractis enim primo concursu
us, non vnum pugnæ genus ciebant, nũc
arcu & sagittis, scutis in tergum reie-
nc claua ferrea, alias Acinace Persico ho-
rientes, vt locus & conditio pugnæ exi-
qui eorum erant validi & generosi, mul-
e similes Cantabricis aut Lusitanicis sta-
celeritate, & quod opinionem fidemque
um hominum superat, ita dociles, vt in-
ent signa, nutus & voces equitantium,
n rem eos partim natura partim consue-
duxerit. Tela enim & sagittas humo
is tollebant, & equitibus suis porrige-
orant que hostes, quos dentibus vngu-
ppetebant, horrendum in modum calci-
in orbem, nec stupefacti conspecto suo

bantur in his equis habenæ & frena ar-
ephippia inaurata, & loricis squamatis
orum colla & pectora: qui huiusmodi
hitur, contentus est Thorace ferreo, vel
a ex laminis chalybeis contexta. Primi
equites, & qui cum re laura sunt, galeis
gunt: cæteri se satis aduersus ictus mu-
nsent pileo & fasciis lineis crebro ple-
se complicatis: simplices vtuntur
illosis rubris, quos vix aliquot icti-
ccutissimi gladij dissecare possis. Cam-
ur, qui tales habebat milites, omnem
suum exercitum in quinque acies partitus est.

At altrinsecus Selymus ad hunc modum suos in acie collocauerat. Equitatui Asiatico dextrum latus, Europæo sinistrum assignauerat; peditatũ, qui fere è Ianitsaris & Prætorianis constabat, medium locum obtinere iusserat, cum tormentis æneis, qui inter equites ac pedites præ cæteris eminebant, in fronte pugnaturi erant. Commisso prælio videbatur fortuna diu in ambiguo esse; sed quod Campsonis exercitum fregit, hoc est. Caierbeius, qui hactenus finxerat se pro Campsone militare, transfugit cum omnibus suis ad Selymum, prodito turpiter Campsone, & hac fraude Selymo victoriam in manus tradidit. Cæsus est in prælio Campson cum Damasquino & Tetrarcha Tripolitano, & omnis eius exercitus vel periit in pugna vel fugit. Castra Ægyptiorum Selymus militibus suis diripienda dedit, ipse Alepum vrbem petiit, quæ statim ei patefecit portas. Commissum est cruentum hoc prælium a. d. XX. Augusti Mensis. Damascus & aliæ Syriæ Vrbes, videntes ad se accedere victorem exercitum, deditionem fecerunt, implorata Selymi gratia: idem fecerunt Tripolis, Berytus, Sydon, Ptolemais. Qui è prælio effugerant Mammalucqui, hos collectos Gazelles raptim Cayrum in Ægyptum duxit: ibi elegerunt sibi Sultanum Tomubeium secundum, multum in eo spei collocantes. Salutatus Tomubeius Rex Ægypti, statim quantum potuit, coëgit armatorum, seque cum Gazellis reliquiis coniunxit. Ibi denuo pugnatum, Sinane Bassa, Selymi Legato Turcas ducente, eo euentu, vt Tomubeius & Gazelles victi fugatique fuerint, Tomubeio etiam ex vulnere graui, vt vix Cayrum effugere posset. Paulo post, cum Selymus cum Sinane Bassa se coniunxisset, ingressus est Ægyptum immanis Turcarum exercitus.

Prodierat Tomubeius ex vrbe, & posuerat castra iuxta hortos Materenses, habens secum omnia tormenta cum instrumentis bellicis, & cinxerat castra fossa atque vallo. Quicquid supererat Mammaluccorum, erat cum rege suo, & Arabum equitatus non contemnendus. Cum accederet exercitus Selymi, vehementer læsus fuit tormentorum ictibus, quæ sine fine è castris Campsonis in Turcas fulminabant: neque dubium est, quin Turcæ eo die fusi fugatique fuissent, nisi alia proditio de nouo interuenisset. Quidam enim ex castris Tomubeij, cum ad Selymum perfugissent, detexerunt insidias quas Tomubeius Turcis struxerat. His vitatis tertio acriter dimicari cæptum est, & diu fortuna dubitare visa est, vtrius sequeretur partes, cum machinæ æneæ vtrimque plurimos discerperent, multumque damni darent. Tanta autem fuit pugnantium rabies, vt prælium ab Ægyptiis, quater instauratum fuerit. Mammalucquorum incredibilis fuit fortitudo, nec segniter pugnauerunt equites Arabes, qui cum

per Equitatum Europæum perrupissent, ad mediam vsque Ianitsarorum aciem peruaserũt, ibique interfecerunt Sinanen Bassam, Selymi Legatum. Ad hunc modum acerrime pugnatum est, totis horis quatuor, Tomubeio mira fortitudinis edente facinora. Postremo tamen exercitus eius numero minor, in fugam datus est, cumque receptui cani iussissent, receperunt se omnes ad eum, non metu insequentium, sed vt se dicto imperatoris audientes esse ostenderẽt. Postea Mammalucqui Cayrum vrbem fuga petierunt. Pugnatum est a. d. XXIV. Ianuarij, qui dies erat Iouis, anno A N.C.M D.XVII. In persecutione fugientium captus est Diadarus, multis affectus vulneribus, cumque eo Bidonus, cui globus tormento campestri missus alterum genu fregerat. Hos duos altero die Selymus necari iussit.

Interea Tomubeius, qui nondum penitus de suis rebus desperauerat, collectis denuo Mammaluccorum reliquiis, positis intra Nouam Memphim & Nilum amnem castris consedit: vocatisque ad libertatem octo millibus seruorũ Aethiopum arma dedit, aperto antiquo vrbis Armamentario: sed & armari iussit seruos & libertos Mammaluccorum, & Mauros quosdam beneficiarios suos, nec non Iudæos & Arabas, difficiliorem quam antea ausurus rem, cum cõstituisset de nocte Turcarum Castra incendere. Quo intellecto Selymus (nam & hoc proditores ei enunciauerant) imperauit suis, vt omnes copiæ per totam noctem in procinctu starent, vtque infiniti ignes in omnibus partibus castrorum suorum accenderentur, quæ diligentia Tomubeii conatus elusit, qui cum aliquoties emisissent equites, semper ij repulsi sunt, multis ex iis interfectis, qui nimis audacter in hostem inuecti fuerant. neque dubium est, quin Tomubeius omnino ea nocte deuictus fuisset, nisi conspecto ad lucem ignium in castris Turcarum periculo, cohortes suas celeriter reuocasset.

Hoc quoque igitur lapsus consilio Tomubeius, recepit se Cayrum cum omni suo exercitu, vbi armari iussit omnes familias; & Ægyptii comportabant in summa ædium suarum tabulata lapides, ligna aliaque missilia, rogati à militibus, vt quisque suo loco hostem prohiberet.

At Selymus Campsonem cum suis in vrbem se recepisse vbi audiuit, admouit & ipse castra vrbi propius, hortatus suos, vt quod deesset ad summam victoriam, alacres conficerent. At milites Turcæ cum quæ habebant spolia ipsi exussissent, nihil aliud expectabant quam signum inuadendi vrbem. Primus qui intrauit, fuit Selymus ipse, cum ductis secum per portam Bassuelam equitibus, eos in varias vrbis partes dimitteret; ibi grauissime dimicatum fuit inter equites Turcas & oppidanos, in ipsis vrbis plateis, & Ianitsaris per latiores vrbis vicos ingredientibus. Cæterum ibi demum Mars acerrime sæuiit, vbi cum ipsis Mammalucquis Turcis p
gnandum fuit, apud aggeres & munimenta, q
Tomubeius in ipsa vrbe excitari iusserat,
quæ Turcæ demoliri cupiebant. Ab horum m
nimentorum defensione nemo abesse voleb
sed omnes pugnabant vsque ad mulieres,
Turcæ promiscue & ingenti numero cæsi v
neratique prouoluerentur in fossas subterv
lo; contra ipsi globis sclopetorum traiicieb
omnes, quotquot de fenestris prospicere a
fuissent, vt plateæ vrbis natarent sanguine, I
rauit autem cruentissimus hic conflictus d
bus diebus & totidem noctibus, vt vix quis
scire posset, vtri melius an deterius haber
Sed Mammalucqui, qui numero cum Tu
collati, pauci admodum erant, exhausti
pertinaci labore, pars etiam vulneribus c
fecti, ad extremum deserere munime
sua coacti, receperunt se in ædes ciuium,
cultantes se, vbi quisque quam optime
set.

Tertio vero die prodeuntes denuo, cu
in extrema, quod dicitur, tegula constituto
derent, tantis viribus furiosorum instar pu
uerunt; vt Turcas per longum spacium rep
rint, iisque aliquot tormenta minora eri
rint. quo viso dicitur Selymus desperasse d
ctoria, & mandasse, vt subiecto igne domi
Vrbs incenderetur. Multum iam de prior
dore remiserant Turcæ, pugnabantque tere
sius, audientes clamores cohortantium se
tuo Ægyptiorum, nec quicquam expectab
nisi vt receptui caneretur: cum à plurib
tibus simul nunciatum est, deiectos Ægy
de suis locis vnde pugnabant, & in sola fu
duciam habere, quod Mustapha cum suis a
ra loca occupasset. Mustapha enim deduc
quibusdam Ægyptiis, proditoribus patriæ
peruenerat in amplam planiciem, vbi habe
Mammalucqui equos suos frenatos strato
vt si pugnandi nulla spes superesset, festine
scensis equis in locum aliquem tutum es
rent. At Mustapha, cum profligasset cust
turbam equisonum & mulionum, adept
mnes istos equos abduxit, quæ res vehem
fregit animos Mammaluccorum, iisqu
mnem porro pugnandi ademit volunt
Deserta igitur vrbe fugam arripuerunt
sus Nilum, quem traiecerunt beneficio
rundam nauigiorum, quæ Tomubei
promtu esse iusserat. Alij intra vrbem
nentes, occuluerunt se in ædibus: te
apertum euaserunt campum. At duo
lia Ægyptiorum cum in spaciosissimu
tius vrbis Templum confugissent, diu
eo defenderunt; ad extremum tamen p
bitrio victoris deditionem facere coacti; h
partem Selymus mactari iussit, seruati
teris.

At Turcarum Monarcha, cum iam V
riam in manu haberet, iussit extingui i
qui iam multis locis vrbem corripuerant

ubæ ſonum præconis verbis proclamari; qui
ſammalucquis intra duodecimum diem ſe
ori dediſſent, eos ſaluos fore, poſt id tempus
uaquam. Prodierunt ergo è latebris ſuis Mā-
ucqui, Turciſque facti ſunt ſupplices, qui
ummam perfidiam, cum dedititios catenis
iſſent ferreis, deductos in ergaſtula macta-
nt.

terea Tomubeius alium colligebat exerci-
in Regione Seiectica, quæ verſus Cyrenai-
eſt vltra Nilum, conueneratque ad eum no-
ohors Mammaluccorum, quos ab Alexan-
euocauerat, vt & alij multi è variis regionis
bus, vt ita iuſtum conficeret exercitum. Eo
o, Albuchomar quidam Ægyptius auctor
elymo, vt cum Tomubeio pacem faceret,
adhuc tantas habere vires aiebat, vt non
Selymo eripere victoriam poſſet, ſed &
cum omni exercitu in periculum vitæ ad-
e. Selim ergo miſſis ad Tomubeium Lega-
ndauit, vt eum arma ponere iuberent.
malucqui, viſis Turcarum Legatis, impe-
nimo ſuo non potuerunt, ſed irruentes in
actauerunt eos, cum verbum nondum
cuti fuiſſent. Hoc factum ita irritauit Seli-
, vt conceptis verbis iurauerit, inultum ſe
dimiſſurum. Nilum igitur ponte ſterni
vt traduceret exercitum. Quod videns
beius, accurrit celeriter cum quatuor
m armatorum millibus, & decem Mau-
atque Arabum, profectus ante dilucu-
ſuis caſtris, vt Turcas ex improuiſo oppri-

ſtapha, qui Selimi erat Legatus apud exer-
intellecto aduentu Tomubeij, exclama-
voce: Ecce Tomubeius adeſt. Ad hoc
n tam ij qui iam tranſierant fluuium, quã
huc in ponte morabantur, properauerũt,
vt aduenientem exciperent. Cumq; iam vtrim-
que magnis viribus pugnaretur, miſit Selymus
aliquot ſclopetariorum Græcorum millia, qui
plurimum damni intulerunt Tomubeianis: ibi
Mammalucqui pugnare vlterius non potue-
runt, equis eorum laſſis & ſudore diffluentibus:
ſoli igitur ſupererant Mauri & Arabes, qui acri-
ter reſiſtebant Turcis. cum autem Ianitſarorum
peditatus iis ſuperueniſſet & robur Prętoriano-
rum, ibi cito de bellatum fuit, fugientib. omnib.
qui cum Tomubeio fuerant.

Sequente die, cum Muſtapha fugientes per-
ſequeretur, inuentus captuſque fuit infelix To-
mubeius, immerſus profundæ paludi, quo ſe
ſeruaturus vitam receperat, & tertio die Cay-
rum deductus. Sulymus qui ipſum trucidare
conſtituerat, noluit hominem videre, ſed iuſſit
eum ſubiici quæſtionibus, vt in Eculeo fateretur, vbi nam eſſent Theſauri Campſonis. Sequẽ-
ti die excruciatum vili Camelo imponi iuſſit, &
ligatis à tergo manib. per plateas vrbis circum-
duci, vt Ægyptiis ludibrio eſſet, qui paulo ante
Rex & Sultanus eorum fuerat. ad extremum
ſuſpenſus vnco ferro in laqueari porta finiuit
vitam, viſus & irriſus ab omnibus, qui illac tran-
ſibant. Sic periit Tomubeius, vltimus Ægypti
Sultanus, a.d. XIII. Aprilis menſis, anno A N.C.
M D.XVII, die Lunæ poſt Feſtum Paſchatis. Et
ad hunc modum extinctus eſt Principatus Æ-
gyptiorum, regno in manus Turcarum dela-
pſo, quorum Monarcha ibi abſolute domi-
natur, extenditque dominium ſuum in hac parte
Africæ vſque ad Æthiopiam ſiue Imperium Pre-
te-Iani, cuitamen & ipſi aliquam partem
regni eripuit, nempe prouinciam
Barnagenſem.

* * *

NARRATIO VLTERIOR DE REBVS TVRCICIS IN GENE-re, & primo

De Moribus & Ritibus Turcarum noſtri temporis.

T Turcæ partim originarij & naturales,
i genus originemque à Scythis ſiue Tar-
cunt: partim inſititii, à Chriſtianis Apo-
eſcendentes. In communi tamen, facie
a, membris iuſta proportione adunatis,
ſſi & robuſti. Capillos creſcere non ſi-
æter muſtacem in ſuperiore labro. Inge-
go ſunt tardo & inepto, lenti parumque
in ſuis negociis. Labores fugiunt quam
, & tamen ſunt auari ſupra modum, pe-
ius amantes quam vlla gens ſub Sole,
, vt iuſtitia apud ipſos venalis ſit, & velut
in auctione expoſita, quodq; Turcæ nulli mor-
tali quicquam præſtant officii, niſi interuentu
argenti. Ipſi inter ſe humiles ſunt, ſtrictamq; ſu-
perioribus præſtant obedientiam, magno quæ
audiuerunt, celantes ſilentio, & quieti præſenti-
bus Magiſtris. Verum erga peregrinos adeo ſu-
perbi & inſolentes, iactantes res incredibiles
magna arrogantia, vt in hoc vanitatis genere o-
mnes homines ſuperent. In loquendo proiiciũt
ampullas & ſeſquipedalia verba, interim in frau-
des & deceptelas intẽti, nihil præſtãtes eorũ quæ
promiſerũt, etſi manifeſtũ inde ſperent lucrum.

Plerique sunt ocio & ignauiæ dediti, conuiuiis & ebrietati indulgentes, vt nonnunquam in tertium vsque diem comessationes producant. Et quanquam lex iis vini vsu interdicat, bibunt tamen id vsque ad pudendam ebrietatem. Ad scortationem totis animis propendent, suntque inter illos frequentissimi masculorum concubitores, vt apparet in nauibus eorum, vbi semper vnum aut alterum præsto habent, destinatum execrando huic flagitio. In credendo aliis faciles sunt, superstitiosi supra modum, multum tribuentes somniis & præsagiis, diuinationibus & ominibus arbitrantes vniuscuiusque fatum & horam mortis in eius scriptam fronte quam transilire nulla ratione possit: & hæc est causa, cur se tam temerario ausu in pericula præcipitent.

Licet autem Turcis Lege patria tot habere vxores, quot alere commode quisque potest, suntque creberrima inter eos diuortia, marito vxorem leui de causa repudiante. Mulieres eorũ raro prodeunt domo in publicum, nec nisi velata facie, magnum in vestibus ostentantes fastũ, auro & gemmis exornatæ, tingẽtes capillos colore rubro, nec non dentes, manus & pedes, inprimis autem vngues. Singulis septimanis bis in Balnea lauatum eunt, quod & ipsi viri faciunt, sed quique separatim.

Alea vel chartulis pictis non ludunt. Liberales sunt in iuuandis egenis & dandis Eleemosynis, nõ solum erga suos, sed & erga Christianos, aliosq; quosuis, sine discrimine religionis. Quin & eodem modo erga bruta animantia affecti sunt, cum aliquando captas auiculas coëmant, easque liberas deinde auolare sinant, donata beneficij loco libertate.

Vestibus vtuntur longis vsque ad talos pedũ, ab anteriori parte apertis, excepta tunica interiore siue induso, quod gestant extra femoralia, vt nonnunquam apparet in incessu eorum. Est autem amictus eorum vel ex lana puriſſima vel ex bombycino, perspersus aliquando vnionib. gemmisque. Tegumẽtum capitis eorum album est, præterquam eorum, qui se dicunt è posteris & consanguineis Mahometi: hi enim vtuntur Tulipane viridi.

Salutaturi aliquem caput nequaquam aperiunt, estque apud illos sinistrum latus honoratius dextro. Qui opulentiores sunt aut cõditionis supra vulgus, fere equis vehuntur. In capiendo cibo immundi sunt, ignorantes ea quæ nos habemus in deliciis. Ter autem in die cibum capiunt, mane oriente Sole, circa meridiem & vesperi. In comedendo neque mappis vtuntur neque strophiolis, sed considentes humi compositis in quincuncis modum cruribus, circa mensam rotundam, parum admodum à terra eleuatam. Vescuntur autem omnium animalium, quæ in cibum venire solent, carnibus, excepta porcina, quam iis Lex negat. Oriza frequentissimũ apud eos cibi genus est: neque capiũtur Asiatici Turcæ esu piscium, Europæi vero eos præferunt carnib. Qui inter eos strictius obseruãt Mahometi Legẽ, omnino à vino abstinẽt, bibentes aqua ditiores autem frigidæ admiscent mel aut sac rum. Hyemis tempore cõsueuerunt in aqua tinguere carbonem ardentem, ne nimio noc frigore. Succus papaueris in crebro apud ip vsu est, nec est fere quisquã, qui eo nõ vratur, tant enim eo augeri audaciam & contemtum riculorum. Vtinam reddentes desident vel mulieres.

Domus eorum maxima parte è lignis sun terrâ, angustæ & male ædificatæ: putant e immanis delicti instar habere, ędificare dom diutius duraturam quam hominis vitam. In truendis tamen Templis siue Mesquitis & mibus Hospitalibus sunt magnifici, vt & in I neis publicis, quæ fere iuxta fontes pulche mos structa sunt, non solum ad commoda minum, sed & brutorum, vtque semper sita in promtu lauaturis corpus, antequam in te plum ingrediantur. Hinc fit, vt tam curiosi in Aquæductibus, & sternendis lapide viis blicis, in quibus duabus rebus præcipue co stit magnificentia Turcica.

Student autem Turcæ dies noctesque vici rum gentium ad se pertrahere commoda & superiores euadere: quod si via aperta obtin non possunt, moliuntur calliditate & perfi conficere; neque turpe putant fugere, si cona eorum non succedat. Militaris vero rei scien iis adimenda non est, vt qui magna cura cont uent disciplinam in bello. Parent enim religi admodum ducibus suis, tolerantes laborũ, i diæ aliorum que incommodorum. cibis cont ti sunt paucis nec magni precij. Arma eorũ s lancea, missilia, claua ferrea, securis: gladius tus breuis & incuruus, quem vulgo Acinac vocant, eumque auro & gemmis ornant. M gno autem omnia in bello agunt silentio r gnaque modestia, non solum cum positis cas alicubi commorantur, sed & cum totis coh tibus incedunt, fitque nonnunquam, vt qua uis maximo numero ita faciant, adeo tam quiete vicina loca prætereant, vt non anim uertantur.

Signis, signiferisque aut vexillis non vtunt sed in vnius hastæ longæ summitate floccos l lacinias versicolores affigũt, cuius intuitu qu que miles ducem centurionemue suũ sequit tibiarum tamen tympanorumque sonitu m tibus animum addere solent.

Cum Turcarum Monarcha foris bellum rit, qui in vrbibus oppidisque manserunt, pre fundunt pro militibus, idq; non in templis du taxat, sed & in conuiuiis conuentibusque: sec proiis orant, qui in bello occubuerũt, putan felices eos esse, quod nõ inter gemitus & lam suorũ, sed vt viros fortes decet, pro salute pat oppetierint. Maiorũ suorũ victorias crebris petũt sermonibus, cantãtes etiã eas, vt exemp moti milites nunquam non fortiter faciant.

Signis arq; sigillis in obsignandis litteris n vtuntur, ne in Diplomatibus quidem regi neque ea vlla discernunt figura. Campani æ

vsu

ûm ignorant ipſi, neque permittunt Chriſtia-
s, vt ipſi habeant in ſuis Templis. Ingreſſuri
dem Sacram exuunt calceos, quos peracta re
uina repetunt. Vbicunque conſidant, ſiue dõ-
ſiue in Templis, ſubſternunt ſtragulum villo-
m vel Stoream iunceam, alicubi etiam aſſeri-
s cooperiunt humum, ad vitandas ſordes &
quinamenta. Generi vitæ Contemplatiuo aut
erarum ſtudiis vix pauciſſimi dediti ſunt, quã-
m habeant pulchras patentesque ſcholas, in
bus præleguntur Leges patriæ, & inſtituun-
pueri, vt rei diuinæ præeſſe, & reipublicæ bo-
m præſtare operam poſſint.

Ad congregationes aut Conuentus virorum
lieres Turcicæ nunquam accedunt, eſtque
ueriſſime interdictum, ne in forum emendi
dendique cauſa commeent: ſed & in præci-
s Templis ſua ſunt mulieribus aſſignata lo-
procul à virilibus, vt vir eas neque videre
ue ad illas ingredi poſſit. Rarum eſt autem
revirum cum muliere colloquentem in pu-
o, vt etiamſi per integrum annum ibi com-
eris, vix tamen ſemel tale aliquid viſurus ſis.
coniugati ſunt, cauent, ne alludant ad vxo-
ius vllo pacto præſentibus aliis, ſed magna
grauitatem ſuam conſeruant mariti, qui &
omine coluntur ab vxoribus. Viri Principes
ſummis dignitatibus conſtituti, qui vxo-
s ſemper præſto eſſe non poſſunt, relinquũt
bituri ſub cuſtodia Eunuchorum, qui ea-
am ſollicitam curam gerunt, vt impoſſibi-
vel vaſerrimo alieni thori captatori, ad eas
di aut earum labefactare honorem.

Opes & diuitiæ Turcarum.

mplectitur Imperium Turcicum regna &
ncias omnibus rebus bonis abundantes.
enim ſub Sole regio eſt, quæ plus gignat o-
generis frumenti quam Ægyptus, Africa,
Aſia? quæ eſt fertilior vini aliarumque re-
uam Hungaria, Græcia, Thracia? Quid
de vrbibus Conſtantinopoli, Cayro, Ale-
ſque, in quibus omnibus inæſtimabiles
liuntur Theſauri? Conſtantinopolis enim
ocus eſt, vt non tantum ab omnibus parti-
numeri eo confluant mercatores, ſed &
uid per vniuerſum Imperium Turcicum
tur auri argentique, eo comportetur. A-
Syriæ vrbs eſt prima atque maxima, &
entrum regionis, ad quod omnes The-
mercimonia Aſiæ ſine modo & numero
unt. Cayrus vero & penus & promptua-
ocupletiſſimum, non Ægypti duntaxat,
Africæ Indiæque, à qua poſteriore innu-
nerces per Sinum Arabicum aduectæ, &
re Maris Rubri Camelorum dorſis im-
in eam vrbem deportantur.

ouentibus Turcici Monarchæ nonnul-
tiunt, eum quotannis non niſi octo Mil-
ercipere, quanquam videri poſſit, mul-
ad ipſum redire è tot terris & prouinciis:
eſſe, quod omnis Turcarum cura in ar-
mis poſita ſit; quorum ingenium potius aptum
eſt ad perdendum & deſtruendum, quam con-
ſeruandum ditandumque prouincias; accedẽ-
te, quod Turcæ ad conſeruationem perpetuæ
militiæ ita exhauriant populos, vt vix tantum
ſuperſit miſeris, quo ſe ipſos alere queant. Hinc
fit, vt calamitoſi homines de acquirendis opi-
bus penitus deſperent, ſed & de precio operæ
laborumque ſuorum aut negotiationis, ſi vel
ſint vigilantiſſimi. Quorſum enim attinet, ſerere
cum cura quod alius metat? aut metere ac colli-
gere quod alius conſumpturus eſt? Vnde paſſim
per Ottomannicum Imperium videas immanes
ſyluas, camporumque latiſſima ſpacia inculta.
In noſtris regionibus annonæ difficultas fere
prouenit ex nimia multitudine populi: at in re-
gnis Turcicis ex inopia hominum, agricolis at-
que aratoribus, quiin pagis viuunt pereuntibus
magna ex parte, dum per longiſſima ſpacia arma
& alimoniam exercitui ſubuehere coguntur. E
decem enim horum hominum millibus, qui è
domiciliis ſuis extracti, caſtra ad eum modum
ſequi coguntur, vix quartus quiſque domum re-
uertitur, quod vel nimios labores vel mutatio-
nem aeris perferre non potuerint. Fit autem
hoc eo magis, quod Turcæ etiam in nauali mi-
litia qnotannis per hyemem armamenta & re-
miges detrahant nauibus, vnde ſequenti æſtate
ii qui ad remum & miniſteria nautica applican-
tur, neque labores neque Maris intemperiem
ferre poſſunt.

Altera egeſtatis publicæ cauſa hæc eſt, quod
commercia & negotiationes prope omnes ſint
in manibus Iudæorum aut Chriſtianorum Eu-
ropæorum, puta Raguſenſium, Venetorum,
Francorum Anglorumque: habentque Turcæ
in tam latiſſimis per Europam ſpaciis, non niſi
hæc Emporia: Conſtantinopolim, Capham,
Theſſalonicam: in Aſia Alepum, Damaſcum,
Tripolim & Adenam: In Africa Alexandriam,
Cayrum, & Algeriam. Vt autem breuiter omnia
complectar, omnis inopia harum regionum ori-
tur ex omiſſa agricultura, quæ omnium prouen-
tuum fundamentum eſt & radix. Hęc enim ſup-
peditat materiam artibus, artes vero efficiunt
negociationem atque mercimonia.

Sed eſto, conſtituant ſane prouentus ordina-
rii, ſecundum illos, non niſi tantum quantum
diximus (ſunt enim qui ad quindecim Millio-
nes extendunt) maximi tamen faciendi ſunt
fructus, quos extra Ordinem Magnus Turca
percipit, cuius generis ſunt Confiſcationes &
Dona ſiue Munera. Purpurati enim Præfecti;
prouinciarum, qui ſubiectorum ſanguinem &
medullam exſugunt, colligunt Theſauros inæ-
ſtimabiles, qui tamen omnes poſtremo ad
Principem velut ad principium ſuum relabun-
tur. Creditur enim Abrahamus Baſſa Cayro ex-
portaſſe circiter VI. Millionum precium, Ma-
homerum autem Vizierum aiunt etiam vlte-
rius. Vchiali Baſſa, vltra reliquas diuitias quas
poſſedit, habuit V. ſeruorum millia. Sultana Se-
limi II. Soror tam opulenta fuit, vt quotidie duo

millia & quingentos Ducatos ex redditibus perciperet, & inceperit Aquæductum à Cayro Mecham vsque, eorum bono, qui religionis gratia eo peregrinarentur: quod quidem opus fuit non vnius Principis, nec finiti laboris.

Adde quod Magnus Turcarum Princeps facile potest inuenire causas, propter quas adimat suis omnia bona, ipsamque adeo vitam, si ita visum fuerit. Iam dici vix potest, quantum accipiat donorum atque munerum: cum nullius exteri principis Orator vel Legatus eum sine muneribus conuenire audeat, & nemo prorsus sibi spem facere possit adipiscendæ alicuius dignitatis aut officii sine argento. Nemo prouincia decedit nisi grande donatiuum secũ offerat Principi pro accepto beneficio: nec enim fas est, exiguum aliquid offerre tanto Monarchæ. Sed & quod Vayvodæ Transsyluaniæ, Moldauiæ, Valachiæ quiete fruuntur Principatibus suis, acceptum ferendum est multitudini & magnitudini munerum, quæ ipsi offerunt. Et Valachia quidem atque Moldauia subinde mutant dominos, quod is prouincias eas adipiscatur, qui plus donare potest: quod autem vt colligi possit pessundantur regiones & consumuntur populi. Sed, vtcunque se hæc habeant omnia, compertum tamen est, bellis Persicis exhaustum fuisse ærarium Turcicum consumtasque tantas diuitias: vnde tam Constantinopoli quam per totum Imperium Turcicum valor auri ab aliquo tempore in tantum auctus fuit, vt Ducatus Aureus duplo plus valuerit, quam solitus antea fuerit, & additamentum Monetæ in tantum excreuerit, vt inde Ianitsari causam arripuerint, subiiciendi ignem vrbi, & terrorem incutiendi non solum populo sed & magnatibus Turcarum. Arguitur & pauperies Fisci ex eo, quod apud Alepum sexcenta coronatorum millia à mercatoribus mutua petita fuerint. Et hæ quidem sunt diuitiæ Turcicæ: nam de Timariis paulo post dicemus, vbi agemus

DE POTENTIA, ROBORE ET VIRIBVS Turcæ Militaribus.

Consistunt hæ in Pecunia, Equitatu, Peditatu, Classibus & Re tormentaria. Et de pecunia quidem in superioribus diximus. Etsi autem ostenderimus, prouentus eius tantos non esse, quantos amplitudo regnorum & prouinciarũ polliceri videntur: sciendum tamen est, habere Turcarum Monarcham aliquid in suo imperio, quod multo pluris faciendum sit, quam omnes eius fructus atque redditus. Id autem nihil est aliud, quam ingens numerus Timariorum. Turcarum enim Principes absoluti fiunt domini omnium terrarum, quas sibi subiiciunt armis, relicta veteribus incolis non nisi exigua portione: reliquum omne diuidunt in Timarias, quæ sunt veluti Commendaturæ, quas virtutis ergo tribuunt militibus, qui in eo bello fortiter fecerunt, hac lege, vt certum numerum equorum alant, quos semper ad bellum & seruicium Magni Principis præsto habeant. Estque hoc inuentum vnum ex præclarissimis constitutionibus, cui haud dubie debetur conseruatio Regni Turcici: nisi enim in regionum incolumitate salus & commoda militum inclusa essent, iamdudum omnia pessum iuissent Turcis ipsis fatentibus, nullam amplius il crescere herbam, quo loco Magni Pricipis equus semel pedem posuisset. Aiunt autem il Timarii, qui sunt velut nostri Feudatarii & B neficiarii, circiter C L. millia equorum, qui mnes parati sunt, vt ad primum imperium in peditionem belli ducantur: nec opus est, vt pse princeps vllum denarium impendat ad co trahendum tantum equitatum. Neque tam negauerim, ad alendum & conseruandum t immanem hominum equorumque numeru vim maximam auri requiri, quam nõnulli XI Millionibus æstimauerunt. Facit hæc res vt n satis mirari possim incogitantiam quorunda qui cum prouentus Imperii Ottomannici cu opibus Christianorum Principum conferu mentionem nullam faciunt horum Timario in quibus tamen consistunt potissimæ diuit regni Turcici. In bello, quod ante viginti ann Turcarum Monarcha cum Rege Persarum g sit tantum adeptus est terrarum, vt fecerit qu tuor millia Timariorum. Non errauit qui di hanc Timariorum institutionem, & Azamog norum, id est puerorum, è quibus Ianitsariũ electionem, esse duo fulcra Regni Ottoman ci, quarum posterior videtur facta adimitati nem Romanorum. Prætorianos enim milit qui haud ferme ab Imperatoris latere absced bant, eligebant è subiectis Imperio, & ostend Tacitus, delectum istum iuuenum causam pr buisse Batauis contra Romanos insurgendi. S & in eodem Imperio Romano huiusmodi T marias fuisse constat, quarum vsus fructus ced ret militibus donec viuerent, in præmium v tutis & fidei. Permisit Alexander Seuerus mili eorũ hæredibus, vt beneficiis istis fruerentur, tamen vt & ipsi militatum irent. Constantin Magnus perpetuo fruendas dedit centurio bus Tribunisque suis, quorum habebat pers ctam virtutem, eas ipsas terras, quarum ant tantum fructus ad dies vitæ perceperant. Eade prope ratio est Feudorum siue Beneficiorũ quæ à Christianis regibus & Principibus depe dent, vt quæ antea ad certum tempus permi fuerant, deinde facta sint perpetua.

Geminum autem redit ad Magnum Turc rum Principem ex hoc Timariorum equitatu molumentum. Primũm, quod populi expugn tarum Prouinciarum per eos intra officii limi contineantur & velut capistro coherceantur, ad primum eorum motum statim equites pr sto sint, eosque qui res nouas quærunt, comp scant, & hac de causa per vniuersum Imperiu dispersi sunt. Alterum est, quod in momento, ita dicam, oculi, tantum Turcarum Monarc potest habere equitatum, quantum ipse opta aut desiderare potest, ad quasuis vel repentin

essitates. Ita sunt Timarii velut Turcici Im-
ii præsidiarii milites, impedimentum sedi-
ium,& præcipuus belli neruus. Præter hos
Turcarum Monarcha bonum numerum e-
rum,quibus stipendia soluit, eosque semper
um se habet,diuisos in tria genera:Spachos,
fagos & Caripicos. Sunt autem hi velut se-
arium præcipuorum Ministrorum Aulæ &
fectorum per Imperium hoc:ex his enim v-
o more leguntur Bassæ, Beglerbeii & San-
i. Vltimum locum obtinent inter equites,
Alances dicuntur,quique ex Tartaria,Vala-
& Moldauia veniunt,vt acceptis stipendiis
tent Turcarum Monarchæ.
ecundum locum inter ea,in quibus consistit
ur Turcarum militare, sibi vendicat pedi-
s, qui potissimum constat ex Ianitsaris, in
us plerisque duæ res considerantur: Natio
Patria,& dispositio corporis ad vsum armo.
Et de patria quidem ita habet: non legun-
sitato more in numerum Ianitsarorum ho-
es Asiatici,sed Europæi: quod tot bellorum
ompererint,illos esse fere molles atque dis-
os,& dum bellum est, animos magis in fu-
iam pugna habere:contra Europæi semper
ti sunt cordati & ad militiam apti, vt in O-
e milites Asiatici simpliciter dicantur Tur-
uropæi autem Rumi,id est Romani.Quod
ispositionem corporis attinet, eliguntur
i, in quibus manifesta futuræ fortitudinis
rent indicia,qui suut membris teretibus a-
usque,quique audaces videntur &magna-
, quæ tres virtutes in bono milite requi-
ir. Conquiruntur autem huiusmodi pueri
o tertio quoque anno semel, nisi necessitas
id sæpius facere. Hos pueros simul ac Cõ-
inopolim adducti sunt, inuisit Aga siue Præ
s Ianitsarorum, qui operam dat, vt aboleat
en pueri, inducatque obliuionem paren-
utque patriæ. His factis distribuuntur pars
iam Minorem,pars in alias prouincias, vt
nt linguam,leges,vicia & rationem viuen-
rcarum :vno verbo, vt fiant Mahometi-
quidam etiam asseruantur in Regia Con-
nopoli vel Peræ, & qui liberaliori sunt fa-
moribus venustioribus,in secretiori parte
aluntur.Donec autem Azamoglani nomi-
ir,certum caput non habent, neque deter-
ta exercitia : sed alii quidem ad culturam
orum,alii ad ædificia, alii ad labores dome-
similesque adhibentur. Dicuntur autem
noglani donec fiant Ianitsari, & tunc vo-
r ad Aulam,suique singulis dantur Recto-
Præfecti. Hic demum applicantur ad di-
exercitia manuaria,laboriosa illa quidem,
que nutriuntur tenuibus, male vestiuntur,
iunt multi simul in locis capacibus,cuius-
fere sunt dormitoria Monachorum,præ-
lumine & custode, ne quis pedem inde
re possit. Mox discunt artem sagittandi,
ndi sclopetos,in quibus exercitiis, cum a-
m comparauerunt scientiam,fiunt Ianitsa-
Spachi, quorum illi non nisi quinque vel
septem Asperos nummos in diem accipiunt, hi
vero decem. Ad hunc modum Ianitsari facti,vel
in expeditionem belli ducuntur, vel ad Præsi-
dium aliquod mittuntur, vel manent ad Por-
tam Regiæ Ottomannicæ, assignanturque his
vltimis quædam velut Castra Prætoria,quæ sunt
loca ampla instar Monasteriorum, numero tria:
ibi viuunt sub Tribunis ductoribusque suis. Iu-
niores ad manum sunt maioribus natu, eosque
in honore habent, magno omnia facientes si-
lentio. Capiunt autem singuli Manipuli simul
cibum, simulque in eodem cubiculo longiori
dormiunt,& si quis extra hoc alicubi pernoctare
ausit non impetrata licentia,is sequente vespera
aliquot ictus baculo recipiet: estque tanta hoc
in loco disciplinæ obseruantia, vt si quis percus-
sus fuerit, etiam osculetur manum eius à quo
plagas accepit. Multis Ianitsari gaudent priuile-
giis, vnde coluntur atque metuuntur ab omni-
bus, quanquam plerosque offendant sua inso-
lentia. Incedentes enim per plateas, diripiunt
Christianorum pergulas & tabernas, nec quis-
quam contra mutire audet: ementes aliquid, ip-
si pro lubitu constituunt precium, nec possunt
conueniri aut iudicari coram alio quam suo A-
ga:& ne sic quidem ad mortem duci quisquam
sine metu publicæ seditionis: vnde raro admo-
dum in iudicio publico fertur in eos sententia
capitis, sed sæpius noctu nemine alio conscio
plectuntur capite.

Munera atque donatiua à diuersis diuersa ac-
cipiunt. alii enim adiunguntur exterorum Prin-
cipum Legatis, vt illis præsto sint & seruiant: alii
iubentur iter facientibus illustribus hominibus
præsidio esse, eosque ab iniuriis defendere. Est
in eorum manu electio Imperatoris Turcici,
quod Imperatorem dicere se nemo possit, nisi
de horum consensu & voluntate, & quicunque
nouus Imperator id omnium primo studet, vt
eos muneribus placet, eorumque augeat stipen-
dium. Cum bellum aliquod oboritur, proficisci-
tur ad id pars Ianitsarorum, ducente Aga, aut
Legato eius. Sunt autem antiquitus Ianitsari
duodecies mille.

Videtur autem multum hic Ianitsarorum or-
do à veteri degenerasse. Primo enim fiunt natiui
Turcæ, & quidem Asiatici, Ianitsari, cum olim
tantum Christianorum liberi ex Europa reci-
perentur. deinde ducunt vxores, contra pri-
scum morem, qui eos cælibes esse iubet. Tertio
in vrbe diffluente deliciis & ocio, eos molles &
laborum impatientes faciat. Quicquid sit, puta-
tur omne robur Turcici exercitus consistere in
Ianitsaris, cum quibus collati cæteri pedites,
qui Asappi vocantur, Tyrones & exiguæ efficia-
ciæ milites habentur, qui plus possunt hasta &
palo, quam gladio & sclopeto: quorumque præ-
cipuus in bello vsus est, vt ipsa multitudine ho-
stem fatigent, non virtute profligent. Solent ii-
dem implere fossas corporibus mortuorum,
vel aliorum vel suis, atque ita Ianitsaris in
oppugnatione scalas efficere, vt per eas hostilia
conscendant mœnia.

Tertia

Tertia pars potentiæ militaris & roboris Turcici consistit in classe & rebus marinis. Multum ibi potest hic Princeps: neque enim quisquam vsquam est ex omni regum principumque numero, qui facilius & maiore commoditate possit instruere & armare classem, quam Ottomannus. Nam primo Syluæ Albaniæ & Caramaniæ, inprimis vero Nicomedienses & Trapezuntinæ non solum sunt vastissimæ, sed arboribus altis crassisque plenæ, aptissimisque ideo ad fabricanda nauigia omnis generis, vt quidam non insulse dixerint, videri naues iam factas de arboribus labi in Sinum Nicomediensem & Pontum Euxinum. Neque fabrorum & nauiculariorum hic est inopia, cum spes lucri etiam in Armamentaria & Naualia Turcica pelliciat opifices Christianos: quod vel hinc patet, quod post amissas aduerso prælio nauali ad Naupactum classes, paulo post tamen aliam in Mare emiserit, quæ sufficiens esse potuerit, secundo prælio cum Christianis depugnare. Nec mirum, cum multas habuerit triremes apud Insulas, Lesbum, Cyprum, Rhodum, nec non apud Alexandriam: quodque soleant Turcæ Piratis dare receptum in vrbibus Africæ Tuneto, Hippona, Bugia & Argeria, à quibus & nautarum & remigum copiam adipisci potuit. Ostendit item, quantum classe possit Turca, cum obsedit Maltam & Gollettam, nec non apud Cursolares & Naupactum.

Quarto, nec rei Tormentariæ defectum vllum patitur hic Monarcha, cum abundet vehementer machinis æneis igni vomis. Nam ex sola Hungaria quinque millia tormentorum abduxit, & quingenta in Cypro nactus est, nec multo pauciora in arce Gollettana. Habent autem Turcæ enormis & absurdæ magnitudinis tormenta ænea, vt solo impetu venti & boatus, ne dicam ictu globi, tremere faciant muros. Sed & globorum & pulueris nitrati incredibilem vim semper habuerunt, vt ostenderunt in obsidione Maltæ, quod oppidum plusquam sexaginta millibus globorum ferreorum concusserunt, Famagustam vero XVIII. millibus, Gollettam autem pluribus, vbi spacio XXXIX. dierum deiecerunt atque complanauerunt omnia munimenta, quæ Hispani spacio XL. annorum moliti fuerant. Vbi non est locus tormentis igni vomis, ibi ligone & pala rem agunt: sine Cuniculi quidem succedunt, complere solent fossas, vel terra, si possunt, vel corporibus interfectorum.

Tribus autem potissimum rebus terret Turca cæteras gentes atque populos: primo infinita hominum multidine; deinde exacta disciplina militari: tertio numero machinarum ænearum. Et apud alios quidem ipsa multitudo causa est confusionis, vnde factum est, vt sæpe magni exercitus victi fuerint à minoribus: Verum in exercitu Turcarum tam elegans & exquisitus seruatur ordo, vt vel hoc solo vincant minorem aciem, quæ tamen facilius in ordinem cogi potuerat. Ita videmus, Turcas superare alias gentes, non multitudine duntaxat, sed & artifici atque ordine: adde etiam disciplina militari, qu ne ipsis quidem Romanis cedere putantur. C sistit autem hæc in multis rebus, puta in distr butione alimoniæ. Viuunt autem exiguo pa cocto sub cineribus, & oriza cum paulo pulu ris è carnibus in sole siccatis: Vino ipsis in vr uersum interdictum est, non secus ac Carthag nensibus. Cum in castris sunt, semper duode suum habent decurionem, cui obediunt si contradictione. Fœminarum nemo vllam in stris eorum vidit, sed mirum vbique præstat silentium, intentis militibus in nutus oculoru & motus manuum: sunt autem tam pertinac in conseruando silentio, vt nonnunquam dir mulauerint, se audire confringentes captiu vincula, ne eos interpellando tumultum n cturnum excitarent. Contentiones & iurgia ter commilitones, vt & furtum acriter puniu Facientes iter sub signis, non proculcant seget aut vineas, suntque boni strenuique milites ci ti de præmio, ignaui vero de castigatione. In bibus perno ctare iis non licet.

Consueuerunt autem Imperatores Turc semper in aliquo loco bellũ alere, vt suos con neant in exercitio. Cum autem exercitium disciplina in bello nihil possit, si armis aliisq rebus necessariis destituatur: ideo Turcæ semp secum in bellum ducunt ingentem apparatu armorum, tormentorum & instrumentoru necessariorum, vt videantur huic vni reiunte esse; & id quidem satis ostendunt horribiles t næ & vastitates, quas in multis regnis prouinc que fecerunt. Habet Turcarum Monarcha Oriente vicinum Regem Persarum, si ducas neam imaginariam ab vrbe Tauris vsque ad I zeram. Et superioribus quidem bellis felici intulit bellum Regi Persæ, quem superabat ditatu & rei tormentariæ abundantia, quo troque rex ille carebat. Et quamuis Persæ a quando Turcas vicerint in aperto campo, se per tamen multum terrarum amiserunt. So mannus enim eripuit iis Mesopotamiam, An rathes Mediam, ita vt non solum ipsi Persæ iis bellis gratia acceperint detrimenta, sed & mici eorum. Selimus enim Primus Mamn lucquis eripuit Syriam & Ægyptum, & Amu thes III. magna strage concidit Georgianos, ar cos & confœderatos Magni Sophi. Et sic q dem olim fuit. At cum hæc scriberemus, qu tuit anno A N. C. M. DC. XXVII. Persæ ca Babylone aliisque Mesopotamiæ locis, Tur aliqnot prælis victos, vltra Euphratem subm uerant, eosque auxilio Proregis Syriæ, qui à D mino suo defecerat, in eas redegerant angusti vt cum Christianis Principibus Turcarum Pr ceps paciſci, vltroque pacem vel inducias ro re coactus fuerit, vt vim omnem in Persas c uertere posset.

Cum Lusitanis, qui eius vicini sunt inter dente Mari Erythræo, infeliciter hactenus b lum gessit Turca, quod controuersiæ, quæ in eos sunt, alio modo quam bello nauali decidi

hiriq

ue non possint. Tanto autem plus valent
e genere Lusitani quam Turcæ, quantum
anus Indicus præstat Sinui Arabico. Ha-
enim illi per plurima Indiæ loca non oppi-
lum, arces & portus marinos, sed etiam re-
& dominia, è quibus eis suppetit materia li.
, commeatus & omnis apparatus nauticus,
rincipibus quidem destituti Barbaris, quo-
nituntur auxiliis, contra Turcæ nullum ma-
momenti locum obtinent in Sinu Persico
r Balzeram. In obiecto littore Arabico,
scio an plura quam tria quatuorue loca
deat Turca, à quibus Lusitani sibi metuere
nt, in quibus tamen ipsis, vt & aliis locis,
nisi maxima difficultate instruere classem
t, quod regiones illæ prope omnibus re-
d expediendas naues necessariis destituan-

uoties ergo Turcarum Monarcha classem
re Rubrum emittere vult, (quanquam id
difficilius sit in Sinu Persico) oportet, vt
iam fabricandis nauibus ex Bithynia &
mania ad ostium aliquod Nili deuehat, de-
aduerso flumine Cayrum vsque, vbi came-
dorsis imposita deportatur ad oppidum
in quo est Armamentarium Nauale. Sed
cto, quoties rem hac via aduersus Lusita-
ntauit, nihil reportauit nisi dedecus & de-
ntum, vt ei accidit apud Dium anno A N.
D. XXXVIII. & apud Armusium Anno
s M.D.LII. postremo ante Mombazam,
Christi M.D.LXXX. vbi Lusitani Turcis
epetunt IV. triremes, cum oneraria ma-
ia. Est & eodem Mari Erythræo interce-
, vicinus Turcæ Ianus Belul siue Prete-
Abyssinorum Æthiopumque Monarcha,
dubium est, quin huic Principi multum
leat Turca, siue respicias duces & præfe-
elli, siue arma & tormenta militaria, qui-
nnibus Abyssinus Rex multo inferior est,
loca quidem munita & expugnatu diffi-
regno suo habet: & quanquam ingentem
ominum in militiam educere possit, o-
tamen vel leuissime vel omnino non ar-
unt. Et hæc est causa, cur Barnagassæ Prin-
ui Prorex in iis partibus erat Ayssini tegis,
fectus Rubri Maris, totum illud littus a-
t, coactus etiam tributum soluere Impe-
Turcico, si pace frui velit.

od ad Seriffum attinet, nemo negabit,
m plus eo possidere in Africa terrarum,
btineat quicquid est inter Sinum Arabi-
oppidum Velez de la Gomera: interim
ntur omnes, Seriffi prouincias esse magis
, ditiores, magis vnitas ideoque fortio-
d inter hos non est bellum, cum vicinus
us vtrique formidabilis, vtrumque intra
rbitas contineat.

tat igitur vt de Principibus Europæis, qui
confines sunt, dicamus, inter quos pri-
ccurrit Poloniæ rex. Satis autem patuit ex
ribus rebus gestis, quantum alter contra
n bello possit. Et primo quidem possit Turca videri magni facere, & aliquo modo formidare Polonos, cũ aliquoties grauissimas causas habuerit inferendi illis bellũ, nec tamẽ fecerit: vt regnante in Polonia Henrico, cum Iohannes Wayvvoda Moldauiæ cum Turcis bellum gereret, cui plurimi Poloni interfuerunt, & cõtra Turcas pugnauerunt; nec non Sigismundo Tertio regnante, cum Costaqui in ditiones Turcarum excursiones fecissent, & Iohannes Zamoschius regnum intestino tumultu turbaret: Verum Turcæ, obliti vsitatæ superbiæ, dissimulauerunt se ea nosse, neque vllo pacto iniurias vlti sunt. Vicissim Poloni post mortem Ladislai non solum nihil mouerunt aduersus Turcas, sed nec Moldauos Valachosque socios & confœderatos suos defenderunt, quibus Turcæ eripiebant, quicquid habebant terrarum ad Pontum Euxinũ. Hæc tamen ignauia, si ita appellãda est, potius Regi eorum quam Nobilitati acceptâ ferẽda est. Certe Stephanus Batorius, quãuis esset magni animi Princeps & vir fortis, periculosam fore aduersus Turcas expeditionem recte censuit, quanquam inter suos non semel diceret, se, si XXX. millia peditum haberet, quos cum equitatu regni sui coniungere posset, non solum susceptũrum bellum aduersus Turcas, sed & eos haud dubie profligaturum.

Ab Aquilonis partibus proximi huic Monarchæ sunt Germani, interque eos Principes Austriaci magis quam vlli alii. Et hæc est causa, quod ingentes sumtus faciant in defensionem & conseruationem arcium & propugnaculorum suorum limitaneorum, alentes perpetuo vltra XX. millia militum partim equitum partim peditum, cum quibus sæpe coniunguntur auxilia à Principibus Imperii missa. Semper tamen magis studuerunt sua defendere atque conseruare, quam amissa recuperare, aut extendere dominium suum, quod quidem Ferdinandus Primus tentauit ad Budam, Strigonium & alibi, maiore tamen animo quam successu. Fuit autem infelix ista aliæque expeditiones, non quod milites parum animosi fuerint, aut non fecerint officium, sed quod omnia tardius facta fuerint, nec satis prospectum exercitui, qui satis validus fuit & omni militum & tormentorum genere instructus. Germani enim & Bohemi naturæ quodam genio tardiores sunt, & ad statarium pugnæ genus apti, cum contra Turcæ mira agilitate & celeritate in bello omnia agant.

Et Venetorum terræ ac dominia fines Imperii Turcici attingunt, tam mari quam terra longissimo spatio, per aliquod milliarium centurias. Sed hi quoque contenti sunt, si sua aduersus tam grauem vicinum defendant: vnde toti sunt in muniendis firmandisque locis limitaneis, & in conuehenda annona; cum pax est, in vsum præsidiariorum; interea animum non abiiciunt in periculis, sed magna vigilantia intenti sunt, ne quid detrimenti capiat ab eo hoste Respublica.

Si regem Hispaniæ, qui multis locis vicinus est Turcæ, consideramus, deprehendimus, non mul-

multum interesse inter vtriusque potentiam & vires. Et de pecunia quidem in vtriusque opum descriptione vidimus, Hispanum ea in parte nequaquam cedere Turcis, etiamsi Timariorum in ea computatione habeatur ratio, cum his opponi possint debeantque Beneficiarii, qui in tot regnis & prouinciis obligati sunt Hispano Regi, propriis suis militare sumtibus. Accedit, quod ingens ille Timariorum equitatus non tam valore suo formidabilis est, quam multitudine, cum emolescant & effeminentur vbertate & affluentia bonorum, quæ ex pagis villisque sibi assignatis percipiunt: vt magis in colligendas diuitias & reddendos agros fructuosos intenti sint, quam in vsum armorum, vnde etiam pacem bello semper præferunt. Sed & profecti ab domo, cum aliter non possunt, ægri inuitique militant, semper animos habētes in villis deliciisque suis, & reditum desiderantes. Quod si enim miles adeptus prædam aliquam, minus deinde est appetens belli & pugnæ: quid existimabimus illi animi esse, qui militare cogitur, cum domi habeat fundos, possessiones, vxorem, liberos diuitiasque suas?

Præterea satis constat Timariotas illos potius institutos esse, vt in fide contineant subactas armis gentes, quam vt in longinquam proficiscantur militiam. Hę enim coactæ Turcis obediunt, oderuntque eos, non tantum causa Religionis sed & ob importunam dominationem. Arabes quidem & Mauri ma'e illis volunt, ob Sectarum diuersitatem: & Christiani, ex quibus plusquam dimidia pars illius Imperii constat, detestantur eos ob eandem causam, vt maior pars illius equitatus domi habeat quod agat, neque egredi prouinciis possint, nisi cum metu apertæ seditionis.

Postremo in tam longe dissitas remotasque prouincias & regna dispersi sunt Timariotæ illi, vt in vnam aliquam expeditionem adeo multi euocari non possint, neq; longo tempore commode versari in bello, vt non in graues necessitates incidant. Vnde colligimus, parum firmas fore res Turcarum, si non alio quam Timariorum nirerentur fundamento. Docuit insuper nos superiorum temporum experientia, pares prope vtriusque esse vires si opponas fugam classis Turcicæ ad Meliten Insulam, iacturæ, quam Hispani fecerunt ante Alzerbam Insulam, & amissionem Pignonii de Velez amissioni Arci Golletanæ. Sed & vterque habet, quocum semper bellum gerat, & à quo impediatur, ne alter alteri bellum totis viribus inferre possit. Persæ enim Turcas destinent & fatigant, & Germani inferiores Hispanum. Hęc autem duo bella ingentibus sumtibus vtriusque regis geruntur, maioribus tamen Hispani, quod Belgica, in qua bellum iam diu gestum est, longe distet à cæteris regnis & principatibus huius regis. Nam quamuis Persarum regnum longe absit à Constantinopoli, vnde vires bellicæ fere prodeunt: vicinum tamen est Mesopotamiæ aliisque Turcicis prouinciis, vnde arma, pecuniæ & annona castris facile supportari queant. Quæ porro hanc rem dici possunt, breuitatis studio silentio præterimus.

MODVS GVBERNATIONIS Politicæ.

Est hæc absolutissima. Turcarum enim Princeps vere Monarcha est & Dominus omnium eorum quæ in regnis prouinciisque eius sunt adeo vt se Seruos eius dicant, qui eius paret imperio, & nemo se possit rei suæ dicere Dominum. Non iam loquor duntaxat de dominiis, gris, possessionibusque, sed & de corporib exceptis quibusdam familiis, quæ Constan nopoli degunt, quibus libertatem peculiari p uilegio impertiuit Mahometus II. Imp. Neq nim quisquam in tanto opum aut dignit constitutus est fastigio, vt dicere possit se se rum esse, non dico rerum fortunarumque rum, sed ipsius vitæ, nisi per gratiam Princ Duabus autem rebus tutatur & conseruat lutum istud suum dominium: prior est, quoc mnino aufert subiectis suis arma: altera, quo mnia credit eorum fidei, qui abiurauerunt ligionem Christianam, quique pueri admod inter tributa ad Aulam Ottomannicam fuerunt. His duobus mediis duplicem adipi tur fructum: primo, quod exhaurit prouin flore atque neruo suo, id est iuuentute, c pueri bonæ indolis & futurum populi robu alias terras velut æternum exilium deport tur: deinde, quod iisdem, vbi ad arma adsuef sunt, vtitur corporis sui stipatoribus, optim que militibus.

Fuit prima sedes Regum Turcicorum P siæ in Bithynia, translata deinde Adrianopol & postremo Constantinopolim, vbi adhuc Prætorianos hic Monarcha è Ianitsaris le habet quater mille, quorum summus Dux qui dicitur Aga. Præter hos alit M. D. equ quibus stipendia à Principe soluuntur, sunt diuisi in Spachoglanos, Vlofagos, Siliftaric Caripicos: quibus non connumerantur i quites qui sub Beglerbegis sunt. His omni soluuntur stipendia ex ærario Magni Princ Alii decies mille Ianitsari sparsi sunt per to Imperium, & ipsi stipendiarii, quorum Tri & Centuriones superiorem alium non ag scunt præter ipsum Monarcham. De Timar in accedentibus prolixe diximus. Omnes h rent Sangiaccis, hi vero Beglerbegis.

Dicitur autem Regia siue Aula Ottom vulgato nomine *Capy*, id est Porta, vnde f modus loquendi, vt dicamus *ad Portam mannicam*. Quot autem ibi sint officia aut n steria, longum & tædiosum foret dicere. O quæ ipsum Principem concernunt, ober fere ab Eunuchis, qui rursus sub se alios inf res habent, & ipsos castratos. Plura tamen ge sunt extra Regiam, sic exigente admini tione Imperii. Primum locum inter omne bet qui dicitur Mufti, estque summus Inte

Alco

rani. Hunc sequuntur Cadileſcheri, qui ſupremi cauſarum iudices, ad quos ab infeb. iudiciis datur prouocatio. Fuerunt olim im duo Cadileſcheri in hoc Imperio, quoprior dicebatur Rumeliæ ſiue Romaniæ, id Europæ: alter Anatoliæ. Selimus autem I. ixit tertium, qui iudicaret per Ægyptum, m, Arabiam & Armeniam. Poſt Cadileos ſequuntur Viſieri, Baſſæ, qui ſunt Con. Turcici Imperatoris, nec tamen certo nu. Fuerunt aliquando tantum tres vel quanoſtra autem ætate ſunt nouem, inter quos præſidis loco eſt, dicitur Magnus vel Pri- Viſierus, qui vnus plurimum poteſt pole per totum Imperium, & cuius præcipue rit conſiliũ Princeps in maximis negociis. ſieros excipiunt Beglerbegi, qui ſunt velut mi duces copiarum: primus dicitur Begler- Romaniæ, qui ſub ſe habet omnem Græ- Thraciamque. Secundus eſt Beglerbegus olhæ ſiue Aſiæ. Tertius dicitur Demzi rbegus, id eſt, Thalaſſiarchus ſiue Præfeei Marinæ. Et hi quidem eundem tenent ſeſſu ordinem quem Viſieri Baſſæ in Diſiue Auditorio cauſarum publico.

eterea ſunt Prouinciæ, Magno Turcarum ſpi ſubiectæ, in plures Sangiacatus diuiſæ erunt olim D. CC. XX. Verum poſt belerſicum multum auctus eſt hic numerus. i velut Gubernatores prouinciarum, haue ſuperiores, quibus parent, Baſſas: ſex opa, Baſſam Græciæ, Præfectum Maris, nſem, Themeſuarienſem, Bonenſem & enſem. In Africa ſunt IV. Algiranus, Tus, Tripolitanus & Meſſiranus, qui ſub ſe Cayrum Vrbem cum tota Ægypto. In At XXIX. Baſſa Anatoliæ, Caramaniæ, Siſis, Tocatenſis, Dulgadidanus, Alepenſis, nienſis, Tridolitanus Syriæ, Maraſinus, otamiæ, Babylonis, Balzarenſis, Caſis, Gemenſis, Adenenſis in Arabia feChebezenſis, Seherzulenſis in Aſſyria, enſis in finibus Perſidos, Arzerumenſis in nia ſuperiore, Teſticenſis in finibus Gurorum, Phaſienſis in Mengrelia ſeu Col, Sochunenſis in confinio Gurgiſtano, enſis, Reuanenſis, Somaquienſis, vt lae his omnibus videri poteſt, apud Leonda-

enalia ſiue Armamentaria Naualia habet rum Monarcha IV. inſtructiſſima. Prieſt Peræ, è regione Conſtantinopolis, haC. XXXIII. Tuguria pro totidem Triremiecundum eſt Callipoli, vbi ſunt XX. Tueſtque vtriuſque cura commiſſa Archio, cum nonnullis eius Sangiaccis. Terſtin vrbe Sues, ad initium Sinus Arabici, nt XXV. domicilia. Quartum & vltimum zeræ, in Sinu Perſico, continens triremes ntque hæc duo poſteriora ſub cura & cuBeglerbegorum, Belzerenſis & Cayren-

autem Turcis in more poſitum, vt ſimul

ac prouinciam aliquam ſibi ſubiecerunt, ſtatim omnem Nobilitatem exterminent aut aboleant, inprimis autem qui ſunt ex ſanguine regio: familias vero diuites & potentes tranſportent alio, in loca iam eorum dominationi aſſueta. Optimum tamen hoc eſt, quod vnumquemque ſuo modo ſinunt Deum colere, neque quenquam cogunt mutare religionem, & abnegare priorem Fidem & de Deo ſententiam: neque tamen permittunt iis, quibus dominantur, aliena caſtra ſequi, aut principi alicui extero militare.

RELIGIO TVRCICA SIVE DElirium Mahometi.

Fuit Mahometus Pſeudopropheta, ex poſteris Iſmaelis, Abdalæ Idololatræ & Henninæ Iudaicæ mulieris filius, natus anno A N.C.D. LXII. parentibus paupertibus, vilis & abiectæ conditionis. Cum iam adoleuiſſet, raptus eſt ab Arabibus Scenitis, ſolitis excurſiones facere in vicinas regiones, & latrocinio viuere, qui eum vendiderunt Mercatori Perſæ. Hic cum adoleſcentem videret impigrum in negotiis, liberaliter eum habuit, & ipſe Mahometus tam bene potuit vti foro, vt defuncto Hero duxerit vxorem eius viduam. Factus ad hunc modum dives, ſtatim altiora cæpit agitare animo, vſus beneficio temporum, quæ admodũ ad nouandas res pulchras ſuppeditabant occaſiones. Non ſoluerat Heraclius Imperator ſtipendia Arabibus, quorum fuerat in bello vſus opera, quod eos vehementer accenderat. Lacerauerant Neſtoriana & Arriana Hæreſis miſeris modis vnitatem Eccleſiæ. Iudæi in Oriente vehementer aucti erant: Saracenorum creſcebat potentia: in Imperio Romano dominabantur ſerui. His occaſionibus adductus Mahometus confuſionem in confuſione facere ſtatuit in hunc modum. Conformauit igitur nouum dogma, in cuius participationem omnes iſti venire poſſent, cum ex ſingulorum placitis aliquid decerpſiſſet, & in nouam illam ſuam Legem mirabili mixtione congeſſiſſet. Vſus eſt autem in conſtipando illo Centone ſuo opera duorum Iudæorum Apoſtatarum, & duorum Monachorum hæreticorũ, quorum prior Iohannes Secta fuit Neſtorianus, alter Sergius Arrianus. Omnium igitur præcipuus ſcopus fuit euertere Deitatem Ieſu Chriſti, quam hactenus infeliciter ſatis oppugnauerat Iudæorum & Arrianorum colluuies. Primum omnium perſuaſit ille Legis lator vxori ſuæ, & per hanc amicis vicinisque ſuis, intercedere ſibi priuata cum Gabriele Archangelo colloquia, ita quidem, vt quoties morbo caduco, cui obnoxius erat, proſtratus laberetur, tribueret caſum ſuum ſplendori Angelico, quẽ erecto corpore ferre non poſſet. Deinde permiſit ſuis omnia quæ ſenſibus & deſideriis inordinatis arridebant, ſeruis, qui legẽ ſuã accepiſſent, pollicitus libertatẽ. Cum autẽ Heri eorũ, quos ad fugam perfidiamque concitauerat, hominẽ

persequerentur, fugit in oppidum Medinã Talnabi, & commoratus est aliquanti sper in eo. Ab hac hominis fuga & exilio ordiuntur Mahometani suam Aeram siue numerum annorum. Nihil autem omnium adeo promouit Sectam Mahometi, quam crebræ victoriæ Mahometi, quas de Persis reportauit, quibus dominiũ Arabiæ adeptus, etiam Romanos deiecit possessione Syriæ, ita vt successores eius Saraceni extenderint Imperium suum ab Euphratis fluminis ripa vsq; ad littus Maris Atlantici, occupatis etiam Hispaniis, Sicilia, aliisque regnis & prouinciis, quando perpetuo victoriarum cursu subegerunt afflixeruntque, spacio C C C. annorum totum prope Orientem & Occidentem.

Vt autem redeamus ad Legem Mahometi, amplectitur in ea Circumcisionem, distinguitque inter cibos mundos & immundos, vt se accommodet Iudæis: negat Deitatem Iesu Christi, vt alliciat Arrianos, qui per id tempus potentes erant: congerit plaustra fabularum, vt placeat Idololatris: laxat frena voluptatibus turpibusque desideriis, vt ad se pertrahat magnam partem hominum, qui oderunt diuinæ Legis seueritatem.

Confitentur Turcæ, vnum esse Deum: Christum honore afficiunt, non vt filium Dei, sed vt Prophetam natum Maria virgine: in cruce vero mortuum eum fuisse non credunt. Imagines statuasue neque venerantur neq; ferunt vllo modo. Diem Veneris feriantur, vt nos Dominicum. Ieiunium agitant, non X L. sed X X X. dierum, quod vocant *Romodan*, quibus diebus omnibus interdiu nihil comedunt: sub initium vero noctis omnibus cibis promiscue vescuntur, præterquam porcina: abstinent autem per eos dies ac noctes etiam à Venere & Vino. Post Ieiunium istud celebrant Paschasuum, per tres dies feriantes, quibus hilaria agitant & cutim beant. Quanquam hoc festum variabile sit, nec eodem anni tempore recurrat, cum aliquando vere, aliquando æstate, nonnunquam auctumno aut hyeme celebretur. Causa est, quod annum non ex Solis sed Lunæ cursu metiantur. Hinc magno studio obseruant nouam Lunam, illamque salutant, eiusque figura non aliter vtuntur, quam Christiani signo crucis.

Circumciduntur Iudæorum more, non tamen octauo die, sed post octauum annum, aliquando etiam tardius. Nolas in templis suis siue Campanas non habent, sed earum loco Sacerdotes conscensis altis turribus, elataque vo clamantes ad cultum & preces vocant popu lum, idque ter per diem, bis vero per noctem.

Nolunt autem Mahometistæ Turcæ appell ri, quod vox illa apud Hebræos significet ex lem aut proscriptum. Sed Musulmanni voc volunt, id est, recte sentientes de fide, quasi O thodoxos dicas.

Sunt inter eos IV. Sectæ, velut quatuor Re gioforum vel Monachorum Ordines, multu inter se differentes ratione & modo viuen vestitu & ceremoniis. Nomina autem ordin eorum hęc sunt, Torlaqui, Deruisii, Calende & Huguimali, omnes scelerati & viciis ob homines, in id nati, vt simplicem fraudibus circumueniant populum. Versantur autem rubore aut timore inter Christianos, bibunt meduntque cum iis, & negotiantur liberri quin & aliquando earum filias in matrimoni sibi accipiunt, estque inprimis norandum, dæum neminem Mahometistam fieri posse, prius baptizatus Christianum se factum pr teatur.

Abstinent autem Turcæ à blasphemiis solummodo in Deum & Mahometum, sed Christum, Mariam Virginem, alioque San homines: seuere animaduertentes in blasp mos & maledicos, cuiuscunque illi sint Se aut conditionis.

Qui fideliter seruant Leges Mahometi, sine dubio pollicentur vitam æternam, id est radisum deliciis affluentem, & perpetuam c morationem in horto quodam sub cœlo no & aere temperato: quem crebri irrigent ri li, in quo omnibus sint grauisuri voluptatib excogitari queant: ibi fore mensas exquisitis bis cupediisque semper oneratas, pulcherri que mulieres, quæ cõuiuis ex aureis argente ministraturæ sint vasis. Aiunt insuper, Ang eorum fore carptores & pincernas; breuiter mittunt hortos Adonidis, Hesperidum & c pos Elysios. Contra iis, qui peccent aduer dictas Leges, minantur infernales cruciatu ternamque mortem. Has autem tam atroces nas, vt aliquo modo mitigent, spem faciunt linquentibus, modo firmiter amplectantu quæ in Alcorano perscripta sunt, neque de rum dubitent certitudine, cum iam é vita e suri sunt, inuenturos delictorum gratiam, pro tormentis perpetuis gaudia sempiterna.

IMPERII OTTOMANNICI PER EVROPAM, Asiam, & Africam finis.

IMP

MPERIVM MAGNI SOPHI SIVE REGIS PERSARVM.

Interpres Lectori S. D.

ntequam Historiam Persicam aggrediamur, Amice Lector, monendum te vel potius rogandum putauimus, vt nobis vnius rei facias gratiam. Ex Europa Asiaque exteriore, & parte Africæ, in penitißimam transire cogimur Asiam, magno sane discrimine: si non alio, certe quod regionum, populorum, oppidorum, fluminum, montium & hominum nomina attinet. Nam hactenus ea quidem perlustrauimus loca, quæ vel Romanis vel Græcis nominibus antiquis nota fuere, aut si quæ Barbara priscis succesßere, non adeo multa fuere, neque tam contumacia, vt Romanam limam atque flexionem non aliquo modo admitterent. Hic vero etsi quædam, eaque non pauca sunt, quæ veterum Geographorum appellationes admittunt, (de quibus nobis sermo hoc loco non est) in plerisque tamen longißime à nostræ linguæ genio abire, & Arabicis, Chaldaicis, Persicis, Scythicis, aliisque Orientalibus vocabulis locum dare necesse habemus. Non diffitemur, quædam vel etiam pleraque ex iis potuisse aliquo modo super incude Latina ad aliquam Grammaticæ Normam fingi & recudi: sed nobis id nescio quo modo absurdum ineptumque visum fuit, cum nostra sententia satius sit, audire Arabas Persas & Scythas sua eaque genuina lingua loquentes, quam corruptum & deprauatum, fortasse etiam ipsa terminatione alienum aliquid tinnientes. Multa sunt, quæ per se non mala mixtione aut detorsione turpia euadunt. Qui tam delicati sunt auribus, vt appellationes Persicas ferre non queant, poterunt ad vitandam nauseam ab ipsius Historiæ lectione abstinere.

SVMMA CAPITA HISTORIÆ PERSICÆ.

go Sophorum Persiæ Regum. Confirmatio & pro-
ressus Mahometismi.
s, limites, confinia Regni Persici.
ibus regnis prouinciisque Persarum Rex nostra ae-
ate dominetur: initio facto à Media.
ria.
ana.
sopotamia.
chaia.
thia.
cania.
rgiana.
triana.
pamissus.
ngiana.
rosia.
mania.
ratio recentior super quibusdam illustrioribus
rouinciis, quæ sunt sub dominatione Per-
a.
uincia Persidos, quæ nostra ætate appellatur
rca.
rach.
hon.
rbaion.
lon.
æsan.
non.

25. Maurenabar.
26. Vsbeck.
27. Prouinciæ vastißimi huius regni ex parte supra modum fœcundæ, ex parte vero steriles.
28. Vbi sit abundantia Bituminis, Naphthæ, Amomi, Gossypij, dactylorum, tritici, ficuum aliarumque arborum.
29. Mores & ritus viuendi antiquorum Persarum. Commoratio priscorum regum in locis montanis. Tributa quæ exigere soliti sint.
30. Nuptiæ & Matrimonia Persarum: plures singulis vxores permissæ: exercitia iuuentutis, eorum arma, vestitus.
31. Exequiæ eorum apud mortuos, Sacrificia, Idola.
32. Antiqua Parthorum Potentia & pugnandi ratio.
33. Medorum gens effœminata: fundebant sanguinem suum in fœderibus.
34. Vestitus veterum Assyriorum, consueuerunt annulum & scipionem manibus præferre.
35. Lex & consuetudo apud Assyrios, quæ iubebat venum exponere elegantes puellas, vt colligeretur dos pro deformibus.
36. Alia consuetudo exponendi ægrotos in loco publico, vt si qui forte è transeuntibus eodem morbo laborauißent, suo consilio possent iuuare languentem.
37. Assyrij solebant corpora defunctorum melle illinere

& condire. Eorum sepultura, iusta & exequiæ similes Ægyptiacis.

38. *Assyriæ mulieres admittebant ad congressum peregrinos, dicentes se id facere in honorem Veneris.*

39. *Magi Assyriorum Chaldæi appellati, in eodem apud hos habiti honore, quo Gymnosophistæ apud Indos, & Sacerdotes apud Ægyptios.*

40. *Mos Carmaniensium, vt conscensis asinis in bellum proficiscantur: non licitum erat iuuenibus eorum vxores ducere, nisi in conuiuio publico ostentassent capita hostium ab se in bello interfectorum.*

41. *Sexagenarij apud Margianos è vita sublati, eorumque corpora deuorata à propinquis & consanguineis.*

42. *Persæ nostro æuo ciuiles & vrbani: studiosi scientiarum, mercaturæ, artium mechanicarum. Eorum erga mulieres comitas, magnificentia & splendor in vestitu: vtuntur hodie lingua Arabica.*

43. *Diuitiæ eorum consistunt in panno aureo, serico, veste stragula, Margaritis & Vnionibus atque gemmis.*

44. *Prouentus annui & diuitiæ Regis Persarum.*

45. *Vires eius militares. Militia Persica qualis: quanto valeat peditatu: quantum equitatum in bellum emittere possit.*

46. *Potentiores Regis Persici hostes, quos vicinos & confines habeat.*

47. *Forma gubernationis Persicæ multum dissimilis Turcicæ.*

48. *Cum in superstitione Mahometana sint IV. Sectæ, quam nam sequantur Persæ nostri æui.*

49. *Iudæi & Christiani Melchitæ, Nestoriani, Armenij in Perside.*

50. *Epitome Chronicorum Regum Persicorum ex Mirkondo Historiographo.*

ACCENSETVR Imperium Sophorum, quod sub Regni Persici nomine multas regiones & Prouincias complectitur, non sine ratione potentissimis totius Orientis Monarchiis. Nam quamuis aliquandiu debilitatum oppressumque fuerit per Saracenos, deinde etiam per Scythas siue Tartaros, qui illud vehementer afflixerunt, primum quidem sub Chingi, deinde sub Tamerlano: nostra tamen ætate omnem propemodum gloriam & splendorem pristinum recuperauit virtute Ismaelis Sophi: de cuius origine hoc loco aliquid prolixius dicere, operæ precium existimamus, quod id cum primis ad Regni Persici cognitionem facere videatur.

1. Iam primum sciendum est, Mahometum Pseudoprophetam, auctorem infelicis illius dogmatis, quod in tot regnis Orbis terrarum radices egit, cum magnam auctoritatem apud Arabas acquisiuisset, defuncta priore vxore, aliam duxisse, Assiam, cuiusdam Bubaci hominis opulentissimi & inter suos clarissimi filiam: deinde ope soceri sui Bubaci & auxilio Omari & Ottomari affinium suorum, collegisse prope iustum Arabum exercitum, per quos sibi multas vicinas regiones sub nouæ Religionis specie sub iecit.

Elocauerat iam Mahometus Fatimam filiam suam ex priore matrimonio cuidam Haly agnato suo, eumque sexagesimo tertio ætatis anno moriens hæredem reliquit, non solum copiarum & dominii, sed & nouæ Religionis suo loco summũ Antistitem creauit, attributo nomine Caliphæ. Indignatus autem Bubacus, quod Mahometus, qui soceri opibus creuerat, filiam Halyn generum prætulisset, hominem adolescentem, magnæ experientiæ seni, deturbauit Halyn illa dignitate atque profligauit, adiutus ob Omaro & Ottomaro, qui malebant Pontificem habere Bubacum consanguineum, quam Halyn, quod celerior successionis spes in Antistitio eos manere videretur in Sene Bubaco quam Haly, quod & contigit. Habuit enim Bubacus primo Omarum deinde Ottomarum successores. Nam Omarus à mancipio cæsus Ottomaro dignitatem reliquerat, qui ea diu lætatus non est trucidatus paulo post in seditione. Sic digni Caliphæ velut postliminii iure ad Halyn reuersa est, quã tamen quiete per frui non potuit.

Quidam enim Mauia, discipulus Ottomari bellum intulit ei, quod diceret Halyn causam fuisse mortis Ottomaro: cuius quidem bellum euentus is fuit, vt Halys occideretur à Mauia in prælio apud Cupham oppidum in ripa Euphratis amnis, quod & nostro æuo mutato nomine dicitur Massadali, ac si dicas Halymus Halys, quod hic bello cæsus ibi sepultus fuerit.

Quo mortuo Cuphenses Caliphã sibi constituerunt Ocenum Fatimæ filium, quem primo Pontificatu deiecit, deinde veneno sustulit Mauia, factus ipse Pontifex cum absoluta potestate, habuitque successorem Iasium filium suum. Iasius porro inter filios, quos Ocenus moriens reliquerat, fuit Mahometus Mahadinus, qui ne nunc quidem mortuum credunt Mahometæ, sed ipsius præstolantur reditum, quem omnia euersurum totum mundum arbitantur, facturumque initio à Massadali oppido: qua de causa peculiare tuo alitur ibi equus, instructus paratusque ad equitandum, quem scilicet oblaturi sunt cum Mahadino reduci: & ita quidem illi nugantur.

Hæ inimicitiæ, quæ Haly interceserunt primo cum Bubaco, Omaro & Ottomaro, deinde cum Mauia, grauium dissensionum inter posteros causæ extiterunt. Persæ enim aiunt, Halyn verum Pontificem siue Caliphã extitisse, quod Mahometus eum testamento hæredem scripserit: contra Arabes Omarum cæteros duos ei præferunt. Et sic quidem perpetuo inter hos litigatum fuit vsque ad annum A N. M. CCC. LXIX. cum Mahometistæ (ut vt Hispani, Itali, aliique eos vocant Mauri) destituti Calipha (postremus enim Mustarenus Mumbila à Tartaris in acie cæsus fuerat anno A N. C. M.CC.LV.) nescirent

se

erterent. Ibi surrexit vir quidam Persa, no-
e Sophy (quem nos Sophum dicimus)
ndus ex oppido Ardeuela, dixitque se
rogenie Halis oriundum; ratione Nepo-
ius, qui fuerit vnus è duodecim filiis O-
in cuius rei signum mutauit operimentum
tis, adiunctis XII. apicibus, acquisiuitque
atim sibi ac Sectæ suæ non paruam auctori-
n. Excepit hunc Guinna filius, qui succes-
n habuit Aydarum, generum Assembeci,
magnas per Syriam & Persidem habebat
ssiones, principatu tamen sibi nondum
irmato. Iacobus enim Becus Assembeci fi-
infensus quod tantum auctoritatis in Ay-
m contulisset, interfecit patrem: postea
os duos Aydari filios, Ismaelem & Soli-
num tradidit Amanzaro Præfecto suo mi-
, iubens eum pueros S. squæ, loco muni-
o inter montes includere, perpetuo man-
os carceri. At Amanzarus detestatus heri
uitiam, delatos in domum suam pueros e.
uit cum suis liberis. Videns au em sibi vitæ
adesse, veritus, ne adolescentes graue asse-
tur periculum, vocatos ad se monuit, vt
iscerentur, quęsituri matrem, donauitque
ie centum aureos nummos & equum in-
um. Sic Ismael, qui maior erat natu, cum
m venisset, nihil habuit antiquius vltione
æ cædis: quæ cum ex sententia ei cecidis-
alam professus est se Protectorem factorũ
,à quo ipse genus duceret. Et ne quẽ res ista
t, sumsit regumentum capitis altius re-
missisque Oratoribus ad Principes Orien-
i Mahometi doctrinam sequebantur, co-
us est eos, vt suam sequerentur factionẽ.
itione, vsus magna in rebus suis prospe-
formidabilem se fecit toti Orienti, cum-
ouisset bellum Ocno Persarum Regi, in-
reum cum duodecim fratribus eius, vt
si vnus superstes fuerit, nomine Mora-
ui cum solus effugisset, implorauit auxi-
elimi I. Turcarum Regis.
icit idem Ismael apud Lacum Vanensem
i prælio Sabacanum, Tartarorum Zaca-
n Regem, cumque instans fugienti vel-
sequi Victoriam, obstitit ei Astrologus
n, cui multum Ismael solebat tribuere fi-
cens, multa se signa videre, quæ ei lætam
derent profectionem, ad reditum vero
n se videre.
eliquit moriens Ismael iste successoribus
plissimum regnum, è plurimis constans
ciis, quæ eum Dominum Principemque
gnouerant, quanquam non omnes eum
iate Regem agnouerint, in quibus sunt
hæc: Macram, Patani, Guadel, & Ormus,
ostro æuo tributarium est Lusitanis. Sed
rgiani, etiamsi non subessent eius impe-
ius tamen militauerunt auspiciis & sti-
. Nostro tamen æuo Sophorum Impe-
ngustioribus includitur limitibus ad
odum.
n est inter Turcicum Imperium, Tarta-
ros Zacathæos, Cambaiæ regnum, Mare Hyrca-
canum seu Caspium, & Sinum Persicum. Habet
igitur ab Ortu Indos & Regnum Cambaiæ, à
quo montibus & desertis separatur. A Septen-
trione sunt Tartari, iuxta Abianum siue Oxum
fluuium, partem reliquam claudit Mare Caspiũ:
ab occasu sunt Turcæ iuxta Tygridem & Lacum
Giocho, ad Austrum Sinu Persico alluitur &
Mari Indico. Quod sane terrarum spacium am-
plissimum est, complectens plus minus gradus
XXXVIII. ab Ortu ad Occasum. Meridianus e-
nim eius Orientalior est ad gradum CXX. &
Occidentalior transit LXXXII. Præterea à
Meridie in Septentrionem complectitur pro-
pe gradus XIX. à g adu XXIV. ad XLIII.

Regiones autem Imperio Persico subiectæ 3.
hæ sunt: Media, Assyria, Susiana, Mesopotamia,
Persis, Parthia, Hyrcania, Margiana, Bactriana,
Paropamissus, Aria, Drãgiana, Gedrosia & Car-
mania. Etsi autem Turcæ quasdam ex his occu-
pauerint, Rex tamen Persa nostro æuo eas
pleraſque omnes recperauit, suoque denuo ad-
iecit imperio.

Media hodie *Seruan* dicitur, inter Persidem &
Mare Hyrcanum sita. Ad Ortum Hyrcaniam
habet & Parthiam: ad Occasum Armeniam mi-
norem & Assyriam. Fuit Media olim poten tissi-
mum Asiæ regnum, diuiditurque in Maiorem
siue Australem & Atropatiam, quæ Septentrio-
nalis est. Media Maior siue Superior complecti-
tur id terrarum spacium quod circa Taurin Vr-
bem est, quam plerique cum Ortelio Ecbatana
veterum statuunt: quamuis Paulus Iouius Te-
tuam, Niger vero Tigranaomam putet, vterque
falso, vt doctissime Maginus ostendit. Posita est
Vrbs hæc ad Orontis radices, distatque à M.
ri Caspio octo dierum itinere. Ambitus eius
pene XVI. millia passuum complectitur, sed
non ab omnibus partibus cingitur mœnibus.
Antequam eam Amurathes Turca cepit, quod
factum est anno A N. C. M. D. LXXXV. ha-
buit CC. habitatorum millia: sed ab illo tem-
pore multum imminuta est. Fuit hæc aliquan-
diu Regia Sophorum sedes, antequam Tama-
sus eam transtulit in Vrbem Casbin, quæ meri-
dionalior est, & sedes siue habitatio Regum
Persarum nost.o æuo. Eodem tractu terræ est
oppidum Turcoman inter Taurim & Casbim,
præter quas in Media superiore numerantur
hæ Vrbes: Saru, Sultania, Nassuvam, quam
quidam putant Veterum Arraxata esse. Est &
Ardeuilla, in qua regnauerunt Guinneus, Se-
derdinus, aliique Sectæ Sophianorum auctó-
res. His adnumerantur etiam Marantum in ex-
tremitate Mediæ, & Sancazina, haud procul
distans ab Tauri, locus celebris ob prælium
commissum inter Amurathem Turcarum &
Sophum Persarum Regem. Etsi autem hu-
ius Regionis partem non modicam Turcæ
satis longo tempore possederunt: Persæ ta-
men proximis annis vi & armis recepe-
runt.

Atropatia septentrionalior pars est Mediæ, iuxta

Mare Caſpium, ſeparaturque ab Armenia per Canatum fluuium. Præcipua huius regionis vrbs eſt Sumachia, ſita intra oppida Derbent & Eres. Cætera huius oppida ſunt Sechi in finibus Gurgeſtaniæ, Iauat, in confinio Mediæ Superioris, & Eres, cuius olim celebre nomen fuit ob magnam vim ſerici.

4. *Aſſyriam* Niger vocat Adriſam, Giraua Azemiam, Mercator Sarham, poſtremo Caſtaldus Arzerum, quanquam & ſint, qui eam Cuſeſtan dici velint. Habet hæc ad ortum Mediam, ad occaſum Meſopotamiam, Armeniam ab Septentrione, Suſianam ab Auſtro, intercedentibus montibus quibusdam.

Vetus huius prouinciæ gloria magna fuit, ob ſedem in ea Monarchiæ, & propter Vrbem Niniuen ſiue Ninon, quæ multo maior fuit Babylone: fuit autem Niniue ſita ſupra Tygrim fluuium. Prouincias hæc olim habuit Arapachitem, Adiabenam & Sittacenam: quidam eas noſtro æuo ita appellari aiunt: Botan, Sarcam & Rabiam.

5. *Suſiana* à Suſis primaria vrbe dicta, Nigro Chus eſt, Mercatori Cuſiſtan. Fines eius ſunt, ab Aquilone Aſſyria, ab Occidente Babylon ad Tygrim amnem, ab Oriente pars Perſidos obiicitur, & à Maridie Sinus Perſicus. Celeberrima illa Suſorum, quæ hodie Chus, vel, vt aliis placet, Suſtra dicitur, olim XV. millia paſſuum ambitu ſuo complexa creditur, maxima ex parte in longitudinem extructa.

6. *Meſopotamia* in Sacris Litteris Aram ſiue Charan dicitur, vulgo noſtro æuo Diarbeck, vt Mercator oſtendit: quanquam duntaxat pars Azemiæ, cuius reliquum Aſſyria conſtituit, duobus celeberrimis fluuiis, Euphrate & Tygri includatur. Fines eius ſunt, ad Septentrionem Armenia Maior apud Taurum montem: ad Occidentem Syria, iuxta Euphratem fluuium: ab Oriente ſeparatur ab Aſſyria Tygri amne; ad Meridiem habet Arabiam deſertam. Vrbes eius præcipue ſunt Orſa, quæ VII. millia paſſ. ambitu ſuo complecti putatur, vbi M. Craſſum Romanum interiſſe perhibent. Deinde Caramita, quæ Turcarum lingua Nigram Ciuitatem ſonat, & noſtro æuo Amida dicitur: Metropolis Meſopotamiæ, quam Selymus Turcarum Monarcha Sophis eripuit. Merdin ſedes eſt Patriarchæ Chaldæorum, & Moſus Patriarchæ Neſtorianorum, cuius auctoritas ad Indos vſque & Cataium extenditur.

7. *Perſis* peculiariter ſic dicta olim Pataia, deinCephea, poſtremo Perſis dicta fuit, à Perſeo, qui è Græcia in Aſiam tranſiit. Noſtro æuo appellatur Farſi vel Farſiſtan, vt Mercatori videtur, quanquam nonnulli Azemiam eam putent, & quæ Cedren nominatur in regione Cherafan. Limites eius ſunt ab Aquilone Media, ab Occidente Suſiana, ab Oriente Carmania, ab Auſtro Sinus Perſicus, qui huic prouinciæ nomen ſuũ debet. Vrbs eius primaria hodie Siras dicitur, fuitque olim ipſa Perſepolis, vel vt aliis placet, Cyropolis, ſedes quondam Magorum Orientalium. Eſt ea adhuc inter pulcherrimas ampliſſimaſque Orientis vrbes, cum ambitus eius putetur XX. millia paſſ. conſtituere, & complecLX. millia domuum. Sita eſt autem ſupra Bindmirum fluuium.

Parthiæ nouum nomen eſt Charaſſen, vt Niger putat, qui eam ita dici ait à præcipua vrbe Charas: Mercator vocat Arach. Terminatur: Oriente Prouincia Aria: à Meridie Carmaniadeſerta, ab Occidente Media, & à Septentrione Hyrcania. Præcipuæ eius Vrbes ſunt Caſſan, pibus affluens, Sembran, Teracam, Amadan, mammadulaſar, Malam, Maſſiar, Saſuat, Cor& aliæ quædam. Caput tamen earum omniu dicitur Hiſpaham, quam quidam Hecatomplen antiquorum eſſe autumant, quæ & tam apla eſt & elegans, vt Perſæ eam mediam parte Mundi appellent.

Hyrcaniam Niger à Barbaris dici ait Girgia vel Corcam, quamuis ſint, qui totam Hyrcaam Meſandram appelleut, & Erythræus eam vcet Hyrach. Marius Angioleſſus eam Straua dici inquit, & Mercator Dargument. Vrbsius præcipua eſt Hyrcana, fortis & munita tione ſitus: Scythæ vocant Charizat. Reliquſunt Beſta, Meſandrana & aliæ.

Margianam vocat Pinetus Tremiganam: Niger putat eam eſſe partem Tartariæ Zacathę Caſtaldo & aliis dicitur Iſelbas. Limes eiab Oriente eſt Bactriana, ab Occidente Hycania, à Septentrione Oxus fluuius, &Meridie pars prouinciæ Ariæ. Metropolisius eſt Iodion, quæ priſcis Antiochia fuQuidam huc collocant Oxianam Paludem, cuntque eam vocari Lacum Barbacamben Maru.

Bactriana parum abeſt, quin vetus nomſuum retineat, vt ait Ramuſius, qui eam adh Batter appellari affirmat; Caſtaldus tamenliique Charaſſanam dici aiunt, Nigro conafferente, eſſe partem Tartariæ Zacathęæ. Cigitur ab Oriente & Septentrione Sogdianapud fluuium Oxum, ab Occidente Margnæ Montanis, à Meridie Prouincia Aria tercedente parte Paropamiſſi Montis. HabBactriana olim elegantia oppida, quorum qudam Alexander ædificauit, deſtructis aliis. Pmi tamen nominis fuere Bactra, hodie Bochſecundum Nigrum, vbi nati perhibentur Zoaſter Magus vel Auicenna Medicus. Secundalios eſt Iſtigias, quæ tamen vrbs non per omſubeſt dominationi Sophorum.

Paropamiſſo nomen dedit forma ſitus, qpropeNeninſularis eſt, cum fere vndique cgatur fluuiis. Si Nigro credimus, Dachaho dicitur: Minadocus eam vocat Candahar; avero Sableſtan. Ab Septentrione eam attinpars Bactrianæ, iuxta Paropamiſſum Monteab Oriente Sole habet Indos, à Meridierachoſiam, ab Occidente Ariam. Præcipua civrbs eſt Candabar, Emporium in illis locis cberrimum.

Ariam Niger ait retinere nomen ſuum: aliiea

ocant, Castaldus Corsan, Mercator Serne-
Includitur hæc inter Bactrianam & Mar-
m à Septentrione, Parthiam habens ab oc-
nte cum Carmaniæ desertis, à Meridie
ngianam, & ab Oriente paropamissum. Flu-
insignes habet hæc prouincia tres: Arium,
eletum, Arapenen, præter minores. Caput
nis est Eri vrbs, habens in circuitu XIII.
pass.

angianam hodie Sigestan dici ait Mercator,
bscribunt plerique: Niger Arachosiam cũ
giana coniunctam Sigestan dici vult. Qui-
sserunt, nominari etiam Regnum Cabul,
ue in finibus regni Persici, & habere pro-
n suum regem Mahomerahum. Fines eius
b Aquilone & Occidente Aria, infra Ba-
Montem: à Meridie pars Gedrosiæ: & ab
nte Arachosia. Mediam hanc prouinciam
it Drangus fluuius, quem nouæ tabulæ
raphicæ vocant Ilmentum, estque hæc
ta clausa montibus, vt amnis hic vix exitũ
iat.

at Niger, *Gedrosiam* hodie Charman dici,
ldus Circan. Giraua & Moletus appellant
raten, cum tamen certum sit Guzarateri
rtem regni Cambayæ. Quicquid sit, con-
Gedrosia à Septentrione Drangianam
osiamque: ab Occidente Carmaniam:
nte partem Indorum siue regnum Cam-
: postremo à Meridie Oceanum Indi-

mania (hodie Cherman) duplex est secun-
olemæum: vna deserta, altera habitata &
e Carmania dicta. Illa à nonnullis appel-
Culcinda, in qua nulla sunt oppida, sed
at pagi, iique rari admodum. Fines ei hos
nus. A Septentrione Parthiam; ab Occa-
em Persidos; à Meridie alteram Carma-
& Ariam ab Ortu Solis. Caramania habi-
e vera sita est intra deserta Gedrosiæ, par-
rsidis & Oceanum Indicum; dicitur autẽ
rmania Superior siue Maior, ad differen-
eserræ. Alluit Mare Indicum hanc Pro-
n ad CC. milliaria, ita tamen littus est im-
sum, vt nullibi appellere naues possint,
entibus breuibus & scopolis. Caput re-
st oppidum Chirman. Nonnulli recen-
riamnum diuidunt Carmaniam in duas
quarum vnam Dulcindam vocant, magis
alem, in finibus Cambayæ, aiuntque in
tineri regna, Macran, Eracan, Guadel &
quorum Reges iam olim tributarij fue-
gibus Persicis; habitatur autem omnis
io admodum infrequenter. Alteram
Carmaniæ aiunt esse Occidentaliorem,
que portus commodissimos & oppida
ca.

es, Lector, velut in breui quadam Syno-
æ partim apud auctores priscos inueni-
rtim ex narrationibus eorum, qui ipsi
s & prouincias peragrauerunt, hausi-
detur tamen nobis Texietis, de quo in
bus plura dicemus, hæc omnia melius

distinguere, & res cunctas propriis verisque suis nominibus appellare, qua quidem diligẽtia hoc assequitur, vt Lector multo melius cognoscere atque obseruare possit loca, in quibus præcipuæ res gestæ contigerunt, quæ in sequentibus à nobis referentur. Sicut enim exquisitus & sagax fuit in obseruandis rebus notatu dignis quacunque transiit: ita quoque studuit singularem sibi scientiam comparare, non solum quid quoque in loco factum fuisset, sed & prouinciarum omnium in tam vasto regno situs & proprietates, quod quidem necesse erat facere ei, qui iam apud se constituerat, Historiam Persicam breui quodam complecti compendio. Sic igitur ordditur.

Persia, ait, siue *Persis*, quam incolæ *Parc*, & *Agem* 17.
vocant, vnde ipsi inhabitatores vulgo Pary & Agemy appellãtur, cum vna sit ex maximis Monarchiis Orbis Terræ, interque celeberrimas ac populosissimas merito censenda, non potest describi aut determinari certò, ob ingentem varietatem regnorum & prouinciarum in ea Monarchia comprehensarum, quæ aliquando longe lateque patuerunt, aliquando angustis spaciis compactæ fuerunt: igitur hoc loco tantum de iis loquar, quæ diutius sub Regni Persici Gubernatione perstiterunt, & minoribus mutationibus obnoxiæ fuerunt, vt & de præcipuis huius Imperij populis, vnde non exigua lux historiæ Persicæ accedet, relictis finibus & collimitiis cuiusque regionis Geographorum nationi.

PARC. Si spacium terrarum consideres, 18.
non erit hæc prouincia ex amplissimis huius regni. Caput eius est *Seyraz*, vrbs magna & nobilis. Ager abundat frumento omnigeno, carnibus & fructibus. Incolæ magnã vim conficiunt Aquæ Rosatæ, vt & corij preciosi, quod nos Cordubense vocamus, nec non telæ sericæ; quas merces per omne Persarum imperium distrahunt diuenduntque, strenuam exercentes negociationem. Post hanc est oppidum *Lar*, siue *Lara*, vt Lusitani pronunciant, vnde *Larini* denominati sunt, genus monetæ ex argento purissimo, cuius magnus vsus est per totum Orientem. Fiunt insuper hic longe optimi arcus ad sagittandum, quibus meliores non inuenies in toto regno Persico. Concussit hanc vrbem mense Septembrianno A N.C.MDXCIII. tam horribilis terræmotus, vt vltra MCC. domus fuerint euersæ; magna pars mœniorum corruerit, pleræque cisternæ corruptæ fuerũt, (nam aliam aquam quam pluuialem non habẽt in iis locis,) obrutis extinctisque circiter tribus hominum millibus. Sunt in eodem regno hæc oppida: Tarom, Iaharom, Kazron, Lastam, cuius incolæ fere omnes calui sunt, & vbi crescit Asa fœtida, Nery, cuius ager extremus abundat ferrifodinis & purgatissimo colore cæruleo, siue lapide Lasurio; cudunturque insuper hic arma præstantissima, fiuntque res aliæ curiosæ. Patsah & Daraguerda celebres sunt ob varios fructus arboreos, virides & siccatos, quibus abundant, vt &

aqua Rosata. Præter hæc quæ recitauimus, alia permulta loca sunt, sed minoris æstimationis.

19. HIENAK. Est hoc nomen alterius Prouinciæ Persidos, maximi momenti, cuius Metropolis dicitur *Lusphaon*, vrbs populo frequentissima, & quæ aliquando fuit Sedes Regum Persicorũ. Multiplex hic est negociatio, quod vrbs affluat omnibus rebus necessariis. Proximo post Metropolin loco est *Tarda*, celebre oppidum, non tam ob magnitudinem suam, quam ob incredibilem amœnitatem & delicias. Fiunt hic præstantissima peristromata siue Taperia Persica, quibus meliora nullibi inuenies. Est & hic magna vis sericæ materiæ nec non Aquæ Rosatæ.

20. KACHON. Abundat hic locus supra modum materia serica, omnis generis, est enim multum inter se diuersâ. Ager huius vrbis est fertilissimus inprimis fructuum arboreorũ, inter quos præcipua laus est Cydoniis malis Kachonensibus, quod nostra multum superent. Cætera huius prouinciæ oppida maioris momẽti hæc sunt: Kom, Sacah, Kazuin, ciuitas celebris, & sedes Regia, Amedon, Nuhaoand, Iargazir, Damaoand, Taharon, Rey Charear, vbi multum colligitur Mannæ, sed non satis puræ: nec non alia multa minora.

21. ADERBAION vel *Azerbaion*. Hæc prouincia est vna ex amplissimis, cuius præcipua vrbs est famosa illa *Tabriz* (siue Tauris) ob Aulam Regũ Persicorũ, quæ hic fuit, antequam in potestatem Turcarum redigeretur. Inuenitur hic mira omnium rerum necessariarum copia, & multa rara, quæ alibi non reperies. Exercent hoc loco cum incolis exteræ gentes sua mercimonia, Rutheni, Poloni, Moscouitæ, Circassi & Gurgestani, vt iam nihil dicam de prouinciis Persicis. Inueniuntur alicubi venæ argenti, plurimumque aluminis, & Isatis hic siue Rubia tinctoria copiose crescit; quam incolæ vocant Calanges. Cætera loca prouinciæ huius sunt, Seytnan, Naxtohan, Hordobat, Ardauel, Halkan cum multis aliis.

22. GVEYLON siue *Guylan*. Et hæc prouincia inter Persicas longe lateque extenditur, continens intra se quædam ampla & opulenta territoria, Attingit Mare Caspium, imponitque ei ista in parte nomen suum, quia Persæ id *Duriah Gueyluni* id est Mare Gueylonium vocant. Diuiditur in quinque Præfecturas, secundum quinque præcipua oppida, quorum nomina sunt hæc: Rach, Laion, Gaechkar, Langar & Canucudam. Porro ipsam prouinciam Gueylon Persæ vulgo appellant *Eudsafed*, id est Indiam Albam, ob amœnitatem & fertilitatem agrorum.

Attingit hæc prouincia aliqua sui parte Moscouiam, quam Persæ vocant Mosevu.

* *
*

Hæ quæ sequuntur Vrbes circa Mare Hyrcanum siue Caspium extructæ sunt in littore.

Mazanderon, Strabata, Bostam, Sabzaba Nichabur, vnde venerunt Turcæ & alij omn qui olim fuerunt domini regnorum & prou ciarum istarum: verum nostro tempore sub minium Persicum redactæ sunt. Illæ vero vr quas modo commemorauimus, sunt ampl populosi frequentissimæ.

KARASON. Hanc prouinciam Imperio phorum subiectam, vocant Lusitani commu ter *Corassu*, sunt que in ea multi populi & vr maximi momenti, inter quas præ cæteris ca effert *Mecbed*, Ciuitas ampla & populosa, in Persarum prisci Reges, & post eos Ismael & phus sepulti sunt. Hanc sequitur oppidum T quod abundat præstantissima materia Bom cina. Deinde *Tabas*, frequens populo: *Kabera* ius ager Croci ferax: *Herey*, vbi plurimum c gitur Mannæ laudatissimæ, & cuius mu luuntur frigidissimo fluuio Habra: deinde *vvo*, *Herat*, alique magno numero. Peritur ex hac prouincia diuenditurque ingens vis læorum Persicorum, & res quædam medic interque eas Asa fœtida, cum his sit omniu rum ad vitam necessariarum copia. Paruit prouincia semper Regibus Persarum: nun men ex parte subiecta est Vsbequiis, qui vi tes Reges illos occupatos in bellis contra cas, vsi occasione inuaserunt hanc, & multa in ea sibi subiecerunt.

KERMON. Hæc regio est inter Persidem Karason, cuius principalis ciuitas idem no habet cum prouincia. Abundat populo, qui raro ad senectutem peruenit. Dat hæc multum Aquæ Rosatæ, Aulæorum siue S matum Persicorum, Tutiæ, Semen Santo Sumach.

Sunt & multæ aliæ in Perside Prouin ciæ, vt:

Sagistam, Turbastam, Cablestam, N Sphaar, Rut, Curdestam, Loreстam, Sitar pluresaliæ, quæ non sunt tam celebres, v hic describere debeamus, ne Lectori Nau creemus.

Abundat autem omne prope Imperium phorum frumento, carnibus, fructibus viri & siccis, tam ex eo genere, quod nobis per E pam notum est, quam exoticis nobisq; inco tis, venduntur que omnia tolerabili precio. mines sunt pulchri, colore albo, bona dispo ne corporum, vestitus eorum multum si est Turcico. In religione sua sequuntur se Halys, quæ in quibusdam differt à Lege M meti. Potissima eorum militia est, vt ex equo gnent, cum lancea & scuto: cætera eorum sunt arcus, sagittæ, gladius latus & incuruus

natem vocant, claua ferrea, lorica ex annu-
conserta. In bello sunt satis fortes & animosi,
qui omnes labores & pericula perferre pos-
r. In vniuersum sunt Persæ dediti lectioni li-
rum, quibus multum tribuunt, applicantes
uando animum ad Poësin, in qua non pauci
r eos excelluerunt, vt eorum adhuc extantia
ra testantur. Cupidinei sunt rebusque Ve-
eis addicti, multum etiam tribuentes artibus
ntiisque speculatiuis, quas Professores eorũ
gna tractant subtilitate & curiositate. Eorum
Commune non aliis perscriptum est volu-
ibus, quam ipsa Secta quam profitentur; Iu-
a enim committunt viris magnæ auctorita-
& probatæ vitæ. Et vt vno verbo multa com-
tar, potest Persarum regnum cum amplissi-
otius mundi Monarchia certare, non solum
nitudine sua, sed vel inprimis bona politicæ
ernationis ratione.

eniunt autem statis temporibus anni ab o-
bus Persici Regni prouinciis tota Mercato-
agmina, quæ Carauanas ipsique cæterique
ntales vocant, Armusium, ibique cum Lu-
is aliisque Christianis, nec non Mauris Gẽ-
usque, qui eo loco habitant, negociantur,
ctis in eam vrbem mercibus suis, auro, ar-
o, serico rudi & elaborato, pannis aureis,
tromatis Persicis, Rubia tinctoria, alumi-
huria, Rhabarbaro, aqua rosata, equis pul-
rimis, aliisque mercibus innumeris, quas
atoribus facto cambio vel permutatione
int, ipsi vicissim ab iis accipientes vestes &
s preciosas, caryophyllos, cinnamomum,
lamomum, gingiber, nuces myristicas, sac-
m, santalum, lignum Indicum, stannea &
ellana vasa, moschum, ambram, lignum
, & quis omnia percensere posset? Persa-
portissima nauigatio est in Mari Caspio, qui
ab Armusio in Indiam nauigant, faciunt
nsciis & permittentibus Lusitanis.

si autem Persæ plerique Mahometani sunt,
i tamen inter eos inueniuntur veterum
ilium retinentes errores, & ignem resque
adorantes, qui etsi multi videntur, cum
ibus tamẽ collati pauci sunt. Iudæi fruun-
a libertate per omnes Regni Persici pro-
as, sunt que in iis vltra X. millia familiarum.
pauci inter Persas habitant Christiani, Ar-
i tamen & Nestoriani.

AVRENAHAR. Sic ipsi appellant terras,
unt vltra *Getum* fluuium, quo separantur
Prouincia Karason: Ibi est *Coarrazin*, &
uetin, deinde *Turquestum Vsbek*, *Tatur*, *Keato*,
, & aliæ prope sine numero, quarum in-
non minus sunt opulenti quam belli-

BEK enim prouincia est amplissima, quæ
ni tempore Persis regibus subiecta fuit:
a vero ætate ab eo regno non solum sepa-
st, sed & Persis bellum fecit, quibus & nõ-
oca ademit. Late autem cum primis patet
gio, multos intra se continens populos &
as ciuitates. Metropolis est *Balka*; deinde
Samarkand, patria Teymurlangi, qui in historiis
Tamberlanes vocatur: hinc Damarkand, Bokar,
patria Boaly siue Auicennæ, Kachgar, Achkar,
vnde venit præstãtissimum Rhabarbarum aliæ-
que res bonæ.

Incolæ sunt bellicosi, fere ex equo pugnan-
tes, armis his vtentes: arcu & sagittis, lancea, gla-
dio, clypeo, tecti corpus lorica ex hamis annu-
lisue, celeres in fuga. Protulit hic populus nostra
& patrum memoria longe dominij sui pomœ-
ria, subiecto sibi regno De Kandar, cuius Rex
ante annos quasi XX. alieno vsurus auxilio, se-
ipsum fecit beneficiarium Magni Tartarorum
Principis, quem Mogul vocant, qui, quamuis
longe sit potentissimus, restituere tamen clien-
tem in regnum suum non potuit. Est autem
Vsbequorum regnum non hæreditarium, sed
solent proceres mortuo vno alium eligere.

Cæterum ipse populus constat plerumque
viris robustis, qui valido quadratoque sunt cor-
pore, sed tamen eo laborant vicio, vt loquentes
verba per nares pronuncient, quemadmo-
dum Chinenses solent, quibus illi multum
similes sunt in gestibus, actionibus & pronun-
ciatione.

Qualitas & natura soli prouinciarum Regni Persici.

Cum latissime pateat Imperium hoc Sopho- 27.
rum, necesse est, multum prouincias illas inter
se differre. Alicubi enim maxima deprehenditur
fertilitas agrorum, verbi gratia, qua in Sinum
Persicum vergit, ob ingentem fluuiorum nu-
merum quibus campi irrigantur, vt & circa Ma-
re Caspium, vbi ad aquarum vbertatem etiam
accedit temperamentum aëris frigidiusculum.
Quicquid supereſt, siccitatibus est obnoxium,
destituiturque prope omnino aquis, accedẽ-
tibus asperis horridisque montibus, vnde multa
in iis locis deserta, & sicubi forte fluuius vnus
& alter est, nauigabilis tamen nullus est: habet
autem regio illa metalli fodinas, & reperiuntur
aliquot locis preciosi lapilli.

Media maxima ex parte montosa est, & respe-
ctu cæterarum frigidior, inprimis in latere A-
quilonari, vnde in ea parte non multum gignit
frumenti, neque tamen caret arboribus fructi-
feris & bestiis variis. Parce enim hic prouenit
siligo, neque nutriuntur ibi domestica animalia.
At qua in Austrum obuertitur, abundat omnis
generis frumento, vino, gregibus & armentis.
Fruitur Media superior circa Taurim Vrbem
aëre valde bono, quanquam ventosior sit, & fla-
tus hic sint frigidiusculi. Ager ferax est omnium
rerum bonarum, inprimis circa Taurim siue Ec-
batana. Atropatiam supra modum fertilem fa-
cit Araxes fluuius, vt & Cyrus, quo vtroque per-
luitur, fuitque patrum memoria hic maxima vis
Serici.

Assyria prope in vniuersum plana est, irrigua
fluuiis, & ob id admodum fœcunda. *Susiana*, qua
contingit Sinum Persicum, etiam paludosa est.

In-

Ingens hic per æstatem calor, cuius causa sunt montes septentrioni oppositi, qui impediunt Aquilones, ne perflare regionem possint. Agri quicquid colitur, plurimum profert frumenti, inprimis hordei, quanquam solum alicubi argillosum & bitumine lentum sit, vt herbę illic plantæque ægre adolescant: sed & aquæ illorum locorum bituminis naturam induunt, & lædunt intestina, quæ multis causa est repentinæ mortis: apud Susa vrbem multum Napthæ colligitur, suntque pleraque loca plena serpentibus, qui non parum molesti sunt incolis.

Inuenies in *Mesopotamia* loca quædam, quibus nihil fertilius fingi potest, & vbi ingens vis pecoris errat: alibi tamen adeo exuritur ardoribus Solis, vt pauca sint animalia, quæ æstus illos perferre possint. Pauci hic fontes reperiuntur, quos tamen colonorum inuidia à peregrinis viatoribusque occultat. Hyemis tempore itinera hic sunt difficilima, ob argillaceum solum, cui tam alte inprimuntur vestigia, vt pedes vix extrahi possint. Sunt & multa in Mesopotamia deserta, & campi latissimi perpetua arena tecti, vt nihil omninohic gignere terra possit: Amomũ tamen optimi odoris hic prouenit, vt & magna copia Naphthæ, quam aliqui bitumen liquidum appellant. Ager circa Caramitam vrbem nigram habet glebam, insigniter fertilem, Merdinensis autem abundat Gossypio.

28. *Persis* proprie sic dicta non est vnius naturæ: Septentrionalis enim eius pars est montosa & frigidior, nec admodum apta gignendis fructibus. Inueniuntur hic Smaragdi, sed viroris subobscuri. Media huius regionis plana sunt, irrigua fluuiis & lacubus, vnde & ferunt omnis generis fructus. At quæ in Austrum porriguntur, & ad Sinum Persicum, Calida sunt ventosa atque paludosa, vbi præter palmatum dactylos vix quicquam crescit.

Parthia vero nemoribus syluisque plena est, cincta vndique præaltis montibus: quanquam autem maximis caloribus subiecta sit, satis tamẽ benigna est in proferendis fructibus arboreis, quamuis oliuis destituatur. fluuiis ac torrentibus crebris hæc prouincia humectatur.

Planior multo fertiliorque est *Hyrcania*, cum plurimum præstet frumenti, vini, ficuum, vt & aliorum fructuum: sed & arbores quædam hic sudant roscida mella, aliæ vero alũt Bombycum copiam. Pars eius Aquilonaris tota nemorosa est, in quibus ingens arborum vis, quercus, pinus, abietes, præbentes lustra ac spelæa immanibus bestiis, Tygribus, Pantheris, Leonibus & Leopardis. Verum pars ad Mare Caspium vergens semper florentibus herbis graminibusque viret, ob frequentes riuulos aquæ dulcis, qui e vicinis montibus profiliunt.

Margiana cum fere vbique sabulo cooperta sit, prope tota deserta est, excepta ea parte, quæ Marga & Aria fluuiis irrigatur, vbi tanto fæcundior est. Id quod sterile incultumque iacet, nostro tempore desertum *Bigul* appellatur: ea vero quæ cultu feracia facta sunt dicuntur *Campi Margiani*, quorum ambitus habet CXC. millia pa suum, quod omne spacium, si Nigro credimu Antiochus soter muro cinxit, cum in ea tan altitudinis & crassitiei reperiantur vites, vt qu dam vix vir vnus singulas extensis brachiis c cumdare possit. Aiunt autem & singulas v fere ad vnius, quandoque ad duorum cubit rum longitudinem peruenire: tantum diff huius loci genius à vicinis, in quibus ne vit quidem vllo pacto crescunt, quodquẽ ma mireris totus ille locus cingitur altis montib habetque arenosum solum.

Nec minor diuersitas terræ in *Bactriana* a maduertitur, cum sit partim culta partim des ta. Quod cultum est, Oxo fluuio alluitur, fer frumentum aliasque res bonas: nam freque tes hic sunt riui, vnde læta pascua, & omnis neris arbores fructiferæ, præter oleas. In dese parte omnia squallent arenis, in quibus err viatores in mari, stellarum nocte sequentes dicium, cum orbitæ aut vestigia viarum fac conturbentur, sublato à ventis sabulo, flat cumprimis Fauonio, qui aliquando velut nul arenæ in altum eleuat, quibus totã viatori agmina obruit & consepelit. Dat tamen hæc ra alicubi metalla, & gemmas quasdam è gen Smaragdorum, Hyacinthorum & Chrysolitl rum. Vbi culta est terra irrigatur multis flu minoribus, qui tamen omnes aquas suas in C deponunt.

Aria prouincia torretur ardentissimo So cingiturque desertis syluis & montibus. Neq tamen negamus, habere eam multa loca cam stria, in quibus egregij fructus proueniunt, primis ad radices montium, qui subiectas c les ab vredine Solis vmbra sua defendunt, Q tæ autem bonitatis vinum sit, quod hic crel inde colligi potest, quod ne in octogesim quidem annum vapescat. Colligitur etiam Myrrhæ quædam species, nec non saphiri plices, nigri flauique coloris.

Gedrosia cum arenosa tota sit, maxima sui p te deserta squallet, eo quod aquis destituat nimisque exposita sit Solis æstibus, vnde & f sterilitate damnata est, quanquam per æstat aliquando pluuias habeat: Nardum tame Myrrham gignit.

Carmania deserta est steriliſque, ob nim quibus vritur Solis calores, cum & in superi loca mari vicina destituantur cum aliis reb tum arboribus, exceptis palmis, ericis aliis paucis. At media regionis satis bonos fruc gignunt, in primis vinum laudatissimum.

Mores veterum Persarum.

Solebant veteres Persarum Reges arce palatia sua in editis extruere montibus, ibi asseruare cum thesauros suos, tum tributa, q variis gentibus exigebantur, vt omnib. plan fieret, esse eos non prodigos sed parsimoniæ diosos. Exigebant autem tributa, vectigalia, f sidiaque illa diuersimode. Mercatores en

mari negociabantur, cogebantur pecuniam de mercibus suis: at qui mediterranea loca lebant, dabant ea quæ vnaquæque tellus ebatur, puta lanam, aromata, res medicatas, iando etiam maiores minoresque pecudes. autem magna fuerit Regum Persarum au- tas, priuare tamen vita hominem rex nul- oterat, ob simplex aliquod peccatum vel tum: neque etiam licebat vlli homini Per- uitiam exercere in suos domesticos. Plures li vxores habebant, procreandæ sobolis, quibus tamen magnum adiungebant nu- m concubinatum. Erant siquidem iis à re- opposita præmia, qui vno anno quampluri- iberos genuissent: qui cum nati fuissent, roducebantur in conspectum patris, nisi quintum ætatis annum: tamdiu enim inter eres satis delicate nutriebantur. Caussam afferebant, vt si quem interea è pueris illis ecedere contingeret, pater non multum et de filio nunquam viso. Nuptias celebra- verno tempore; circa Aequinoctium. Pri- spera contentus erat sponsus in cæna sim- pomo, aut medulla alicuius animalis, umta per totam noctem dormiebat cum à.

ercitia iuuentutis Persicæ à quinto ætatis vsque ad vigesimum quartum hæc erant, are ex disciplina, equum in gyrum agere, a spargere, iaculari, & supra omnia *Verum*. Habebant ergo adolescentes in exercitiis lagistros viros graues, prudentes, virtutis rietatis studiosos, qui moderabantur iu- s, recitantes iis historias, in quibus maio- ortia facta continebantur, quandoque & enas in eum finem compositas. Conue- nt autem pueri ad hæc audienda, vocati tintinnabuli in locum quendam consti- , vbi reddebant pueri ea quæ audita me- impressérant. Post hæc ad celeritatem in dsuefiebant; electo quodam illustri loco qui cæterorum dux esset, continebatque n quo exercebantur cursu, non minus triginta stadia, quæ singula habebant C. passus.

urabant etiam corpus ad perpetiendum & calorem: discebant natare per rapidos res impetuososque fluuios, semper addi- ui labori, vestes conseruantes mundas & itida. Delicatiores eorum cibi erant pi- ces Terebinthi, quæ est arbor ferens resi- erebinthinam, glandes, poma ac pyra a- : cibus vero vsitatus post multos labores res, pannis prædurus, gustu insuauis, na- m & allium cum sale, carnes bubulæ to- nis, potus vero aqua fluuialis. Cum ve- ibant, sequebantur prædam equitantes, agulis & verutis amentatis, iaculantes in rsu sagittas, quamuis etiam densos lapi- funda mitterent. Exercebantur etiam in agrisque, plantatione & insitione arbo- uncandis sentium radicibus, repastinan- nouellando agros. Alibi cudebant apta- bantque arma, quidam plicabant retia ad ca- piendas feras atque pisces. Pueruli is parcebatur ob teneritudinem, vt ad venationem non edu- cerentur.

Erat Pyropus lapis apud eos in summo pre- cio, vt capitale ducerent & piaculare, contingi eum cadauere: sed nec ignem adhibebant aut præferebant in exequiis funerum, ne viderentur parum de eo magnifice sentire. Ab anno vi- gesimo vsque ad quinquagesimum castra se que- bantur & militabant, ignari litigiorum & nego- ciationis. Scuta eorum patua erant, reticuli for- ma, gestabantque præter pharetras & arcus gla- dium cum sica, vtentes tegumento capitis acu- minato, munientes pectus thorace è squamis conserto satis valido. Viri principes inter eos fe- moralibus vtebantur, ferentes sagum manica- tum bilice, demissum vsque ad genua, variis per- pictum coloribus: Aestate erant purpureis in- ducti vestibus, hyeme aliter, vt cuique videba- tur. Vulgus induebatur tunica duplici, ad media pertingente femora, tegebantque caput pileo è plicaturis fasciarum constipato, non abludente ob eorum operimentis capitis, quibus etiam- num hodie vtuntur. Lecti eorum & vasa erant exornata auro, & cætera supellex munda atque preciosa.

De rebus ieiuni consultabant, neque tamen decreta faciebant nisi postquam bene bibissent, existimantes consilia quidem à ieiunis recte su- scipi, deliberata autem melius in effectum mit- ti, cum ventriculus & cerebrum aliquo modo liquore Bacchico incaluisset. Qui inter se fortu- næ bonis, ætate & conditione pares erant, cum alij aliis obuij facti fuissent, salutabant se inui- cem amplexu & osculo: inferioris autem condi- tionis homines deferebant honorem sublimio- ribus toto corpore inclinato. Corpora defun- ctorum defodiebant peruncta cera, exceptis Magis, quorum cadauera destituta sepultura à canibus deuorari sinebant. Turpissima autem apud eos, etsi perantiqua fuit consuetudo, vt filij præter naturæ ius miscerentur matribus. Coram Rege exspuere, grande arbitrabantur nefas. Græcos detestabantur, eo quod dicerent Deos ab hominibus ortos fuisse. Ære alieno obrui turpe iudicabant, multo vero turpius dicere mendacium. Patribus in angustia rei fa- miliaris constitutis, permissum erat succurrere inopiæ prostitutis filiabus.

Cælum ipsum credebant esse Iouem: Solem 31.
inprimis adorabant, quem sua lingua Mithram appellabant, summum credentes Deorum. Præ- ter hos colebant Lunam, Venerem, Ignem, Ter- ram, Aquam, Ventos, quibus omnibus tamen nullas erigebant statuas, sed neque Templa ne- que Altaria extruebant, sed offerebant sacrificia sua in locis editis, supra montes & colles, quod ea loca viciniora crederent cælo. Victimam im- molaturi verbenis coronabant, oneratam prius maledictis & exsecrationibus, quam cum Sa- cerdos in frusta dissecuisset, quilibet partem aliquam secum domũ deferebat, nihil omnino relin-

elinquentes Numini, quod negabant vesci hostiarum carnibus, contentum anima interfecti animalis. Erant tamen inter eos, qui victimarum cremabant interanea, hausto à Græcis eo more. In ignem sacrificiorum, qui alebatur lignis aridis decorticatis, iniiciebant pinguedinem sacrificatæ victimæ, & superinfundebant oleum: in ignem ore nunquam sufflabant, sed vtebantur folle, quod si quis contemsisset, vel aliquid impurum, aut cadaueroſum in flammam iniecisset, mortem effugere nunquam poterat.

Flumine viuo nemo se inter Persas abluebat, neque in id mingebat, aut cadauer aliquod abiiciebat, cum sanctos crederent esse fluuios, eosque diuino honore afficerent. Oblaturi sacrificium ad Lacum aliquem, vel fluuium vel fontem, primo faciebant humi fossam, in qua præcidebant guttur victimæ quam immolabant, summo cauentes studio, ne cruor vsq; ad aquas dimanaret, quod si fieret, polluta erat omnis eorum ceremonia. Porro caro victimæ occisæ imponebatur à Sacerdote super Myrti & Laurus ramos, comburebaturque lignis minutis, non sine certis imprecationibus, miscentes mediis maledictis atque infundentes victimæ lac, mel & oleum. Dirigebantur autem illæ exsecrationes non ad ignem neque ad aquam, sed ad terram, quas longo tempore demurmurabat sacerdos, tenens manu fascem virgarum myrtearum. Qui regiis mandatis inobediens fuisset, is amputato capite brachiisque, priuatus sepultura, in campum aut viam publicam abiiciebatur.

32. *Parthorum* semper maxima fuit in bello gloria, antequam nimia opum affluentia in superbiam elati fuerunt. Vestimentis vtebantur rudibus simplicibusque, diuersis ab vsu vicinarum nationum. Postquam autem potētes facti sunt, omnis eorum amictus auro gemmisque resplēduit, accedente exquisito candore togæ, quo in luxu imitati sunt Medos. In militiam cum proficiscebantur, non legebant milites ex hominibus liberis ingenuisque, sed ex seruorum numero: vnde nulli è populo licebat seruum manumittere, vt ita crescente mancipiorum multitudine, simul crescerent vires bellicæ. Eosdem seruos à teneris annis non minore cura nutriebant, quam suos ipsorum liberos, instituentes eos in sagittandi arte, equitandique peritia, vt iis postmodum in bello vterentur: vnde mirandum non est, si semper Parthorum reges ingentem circum se habuere equitatum: cum constet, inter quinquaginta millia equitum, quos contra M. Antonium in aciem duxerunt Persæ, non nisi octo millia fuisse conditione liberos, cæteris omnibus seruis. Comminus Parthi nunquam præliabantur, damnantes statarium pugnæ genus, multo minus autem adduci poterant, ad oppugnanda vrbium munimenta. Omnis eorum militia consistebat in equitatus celeritate, cum aliquando fugam simularent, mox conuersi magna vi irruerent hostibus, vt eorum

soluerent ordines. Tubis lituisque non vteba
tur vt nostri equites, sed paruis Tympanis, pr
pemodum vt nostri pedites.

Fuit apud hanc gentem aliquando magn
auri argentique contemtus, vt eo non vterent
nisi ad ornatum armorum suorum. In vita p
uata vnice studebant satisfacere desideriis u
vnde multas singuli habuerunt vxores: in q
bus tamen tantum indulgebant Zelotypiæ
adulterij suspicionem sola mors abolere pot
rit. Hoc autem incommodum vt vitaretur, n
permittebant mariti vxoribus suis, vt ve
conspectum aliorum virorum prodirent,
dum ad conuiuia publica. Scripserunt quid
Parthos, qui prolem ex vxoribus susciperer
possent, duxisse vxores suas ad eos, quos sin
lari complectebantur fauore, vt ex iis fier
grauidæ. Frequentissimus iis victus erat è
venatione capta. Omnis iis prope vita in ec
ita vt equites colloquerentur & negotiaren
Vna Nobilitatis & seruitutis olim apud
thos differentia erat, vt Nobiles & Ingenu
sidentes equis, serui vero pedibus ingrede
tur.

Mortuis nihil deferebant honoris, relin
tes eorum cadauera ruri, vt à canibus & v
cribus absumerentur: deuoratis autem ad l
modum intestinis carnibusque, collecta
cum cura sepeliebant. In cultu Deorum suo
satis erant deuoti, superbi tamen supra moc
seditiosi, astuti, fallaces, præfracti, crude
tem & violentiam viris maxime conuenir
bitrantes, comitatem autem & humanit
mulieribus: hinc fiebat vt nunquam qui
re possent, vel vicinis inferentes bellum
mutuis inter seipsos sæuientes lanienis.

In pertractandis negociis suis religio
obseruabant silentium; regibus magistrat
que suis summam præstabant obedientiam,
quod id naturæ quadam bonitate faceren
metu supplicij. In cibo potuque sobrieta
duisse putantur, in seruanda autem fide,
uis arundine leuiores, nisi cum vel metus p
vel emolumenti spes contrarium suaderet.

Medos omnis antiquitas molles & effœm
tos credidit: bonos tamen equites & sagit
peritos, quique magno honore suos col
Principes. Tiaram ferebant capite rotund
acuminatam, tunicas habentes sine ma
Primum quidem solis Regibus permissun
plures simul habere vxores, qui tamen m
inde imitandi licentia ad plures fluxit, ea
taxat obseruata differentia, vt certus re
merus definitus non esset, cæteris non i
ptem permissæ erant. Sed nec fœminæ qu
facile contentæ erant singulis maritis, f
bant clam plures admissarios. In faciend
deribus imitabantur Parthi Græcorum
rem, vulnerantes brachia & scapularum iu
ras, multumque mittentes inde sanguini
res signum erat, vsque ad sanguinem seru
iri amicitiam. Cumque latus huius prov
septentrionale sterile fere sit, solebant,

int, amygdala siue nuces Græcas torrere, & farinam conficere, vt inde fieret panis vtritioni. Potus eorum mixtus erat è variadicum succis. Carnes domesticorum animm improbabant, solis ferinis vescentes, enatione capiebant.

rios veteres duabus tunicis vsos fuisse acus, interiore longiore & ad talos demissa, ore multo breuiore, vtraque tamen linea: e iniiciebant pallium è tela candida, calnta gerentes similia Thebanis. Capillos solebant promittere, illisque imponere fastigiatos, ad mitrarum persicarum spe- In publicum Assyrii vix vnquam prodiisi moscho aut alio aliquo odore perfusi. um signatorium quisque ferebat & scin manibus, cuius fastigium vel floris cu-, vel alius rei imagine exornatum erat: sis ornatu in publico nemo conspicie-

r alias leges huius gentis hæc quoque vt filiæ nubiles perducerentur in forum im, & venderentur ad vocem præconis, quam vellet sibi sumere vxorem: expour autem primo elegantiores, vt fieret licitatio. quod inde colligebatur argenponebatur deformibus, quæ sine hoc es non facile inuenturæ erant. Sic quod us formæ dabat pulchritudo, id pobus conciliabat precium, auctione for- mpartum. Tradit autem Herodotus, s Henetos, qui partem Illyrici litcoluerunt, eadem vsos fuisse consue-

Lex iubebat ægros consilium petere ab eadem antea laborassent ægritudine, vt curaretur morbus remediis. Sed verisi, hunc morem priscis obseruatum fuisse ibus, cum nullus etiamnum Medicos esset. Alij annotant, solitos eos in loblicum deportare ægros, vt omnes, qui morbi genere antea colluctati fuissent, dere, atque decumbenti narrare posibus ipsi potissimum conualuissent re-

pora mortuorum illinebant melle: exerum parum differebant à ritibus sepuls Ægyptiorum. Vir Assyrius qui cum a concubuerat, contingere eam vlterius gibus non poterat, neque mulier masi vterque recenti aqua se abluisset.

quibusdam ex nobilioribus fœminis Asn more positum, vt misterent corpus uenis hospitibusque, dicentes se id facehonorem Veneris Genitricis. Exposituræ è ad hunc modum ibant ad Templum eæ frequentes admodum, coronatæ & s ornatæ vestibus, vt magis placerent adincubisque suis. Ibi quisque hospitum eam, quam magis probabat, cumque rgēti modum ei in sinum iniecisset, ser mulier emptorem suum, in locum n haud procul à Templo dissitum, vbi

porro operam dabant rei Venereæ merces autē stupri in seruitium Templi impendebatur.

Erant inter Assyrios Ichthyophagi, qui tantū vescebantur piscibus in Sole siccatis, quos in mortariis contusos in farinæ speciem redigebāt atque inde certas quasdam massas depsebant, quibus loco panis vtebantur.

Magi Assyriorum Chaldæi nominabantur, 39
eratque iis compar auctoritas cum Sacerdotib. & Diuinis in Ægypto: nam & rerum diuinarum curam gerebant, & Templorum atque Sacrificiorum, totum vitæ spacium consumentes in studiis & contemplationibus Philosophicis, exercentes se in Astrorum scientia, vt ex iis futuros mortaliū casus prædicerent, vt quisq; quod expedit, sequi, & à malo cauere posset. Non solebant autem Chaldæi isti addiscendarum scientiarum gratia extra patriā proficisci, quod Græci faciebant: sed quisque discedebat à parentibus agnatisque suis, tradebanturque disciplinæ illæ velut per manus in manum. Aiebant autem artem scientiamque suam non fundatam esse incertis dubiisque opinionibus, vt Græcorum placita: sed retinebant constanter ea quæ semel apprehenderant, neque sinebant suos de principiis & causis rerum disputare. Erat autem vna ex Maximis Chaldæorum firmissimis, mundum creatum minime fuisse, sed ab æterno extitisse, neque vnquam habiturum finem: totum hoc Vniuersum regi Prouidētia Diuina: corpora cælestia non moueri à se ipsis, neq; etiam per accidens, sed esse virtutes quasdam Diuinas, quæ illa moueant, eorumq; causentur influentiam. Inter omnes stellas plurimū tribuebant Saturno efficaciæ, Solem tamen omnib. aliis præferebant, eique longe maiores vires adscribebāt. In Diuinationib. suis tamen plus tribuebāt positioni Martis, Veneris, Mercurij & Iouis, quod hi velut Astrorum omniū Caduceatores & Internuncij, melius ostenderent Casus futuros, & superiorū intelligentiarum nossent vires. Vtebātur iidem Chaldæi & alio diuinandi genere, per flatus vētorū, effusiores imbres, ardores immodicos Æstatis, apparitiones Cometarū, defectus Solis & Lunæ, terræ motus & eiusmodi res. Aiebant & stellas quasdā subiectas superioribus, dicentes, alias quidem esse quę perterrent lustrentque nostrum Hemisphæriū, alias vero quæ aduersum.

Deos principales sibi fingebant XII. quib. totidem tribuebant Zodiaci loca, singulis singulos adscribentes menses. Numerabant extra Zodiacum duodecim stellas magnas, quarū XII, respiciebant septentrionē, totidē Meridiē: Et eas quidem quæ apparent, aiebant seruire viuentibus, quæ vero non apparent, mortuis. Supputabant autem tempora sua tam inepte atque ridicule, vt XLIII. millia annorum numerarent à prima sui memoria vsq; ad aduentum Alexandri Macedonis Babylonē; quanquā sunt, qui hunc calculi errorē excusant, dicentes Annos Lunares intelligi.

Cum prisci *Carmanni* in bellū irēt, vtebantur 40
Asinis, quod equorum eos facere cogebat penuria: sed & Marti sacrificabant Asinum. Ne-

mo inter eos vxorem ducere poterat, nisi caput hostile corpori desitum Regi suo obtulisset, qui illud in Palatio suo collocabat, exempta prius lingua, quam minutatim concisam cum panis medulla sumebat ipse, deinde porrigebat ei qui attulerat, eiusque familiaribus, eratque is in maximo precio, qui quam plurima huiusmodi capita attulerat.

41. De *Margianis* sui temporis refert Strabo, si quisquam vir inter eos septuagesimum attigisset annum, eum certæ morti destinatum fuisse, post conuocatos propinquos necessariosque eius, totum corpus deuorando absumsisse. Vetulas suffocabant, earumque corpora humi defodiebant.

Mores Persarum nostri temporis.

42. De Persis nostri temporis hoc vere dici potest, esse eos omnium mortalium suauissimos & humanissimos, quos in toto Orbe reperire possis, adde etiam magis liberales quam vllos alios, quos Sol hic adspicit. Moribus enim nequaquam vtuntur barbaricis, vt Indi & Scythæ, eorum vicini: sed ciuilibus ingenuisque, studiosi insuper iuris & iustitiæ sunt, & in magno precio habent litteras ac litteratos. Multi quin etiam inter eos sunt, quos ad summum in Medicina & Astrologia punctum peruenisse, dicere recte possis. qui vero circa Poëtices studium ambitiosi sunt, eorum inuentiones & opera nemo satis admirari potest: cuius rei specimen est Poëma quoddam Persicum, quod cum in manus cuiusdam Cardinalis Romæ peruenisset, eique explicatum fuisset, homo in eo genere doctissimus mirari genium eius satis non potuit. Sed & in mercimoniis tractandis, exercendisque artibus mechanicis miram ostendũt dexteritatem, vt testantur panni aurei, qui apud eos fiunt longe equisitissimi. Fratres, Sorores, cæterique consanguinei & necessarii magna inter se viuunt concordia & amicitia, qua quidem in re longissime abeunt à Turcarum consuetudine, qui neminem magni faciunt, nisi qui factis meritus id est. Sunt etiam inter eos multi viri illustres, nobilibus antiquisq; prognati familiis, pollentesque opibus: & vt vno verbo dicam, multis modis Persæ præferendi sunt Turcis, siue consideres nobilitatem generis, siue ciuilitatem morum, siue denique ingenuitatem libertatemque animi. Adde his quod erga peregrinos mira sunt comitate, excipientes hospites prolixe, vt est captus cuiusque regionis: cæterum Zelotypiæ vicio ante omnes mortales laborant: vnde fœminis nequaquam licet, vt se ostendant exteris, quanquam in cæteris rebus Persæ nihil soleant negare vxoribus suis, quas tantum non adorant, cum contra Turcæ eas prope ancillarum numero habeant. Et sunt sane Persicæ mulieres longe formosissimæ, accedente splendore vestitus, quo mirum in modum formæ pulchritudo commendatur, vt facile cum quarumuis gentium fœminis de gantia certare possint.

Gerunt autem Persæ facile morem omn suis desideriis, immergentes se deliciis, inpr autem ludo venerio, quem posthabitis omn rebus sectantur. In vestibus sunt sumtuosi, que spargentes de se fragrantiam, comti o tique variis gemmis. Quod maxime in iis c nandum videtur hoc est, quod à mascul insano abusu non abstinent, etiamsi multa minas domi simul alant, qua quidem in im bitate nihil cedunt Turcis, eiusdem superst nis Mahometanæ sociis.

Lingua eorum suauis est & mascula, v que in Aulis plerorumque Principum O tis. Habuerunt olim peculiares Charac in scribendo, qui vix supersunt in antiqui numentis: à quo autem tempore amplexi Mahumetismum, cum lingua litteras qu Arabicas receperunt. Nominantur etiam mes siue Azemij, propter Assyriam, qu nonnulli putant, Azamia dicitur. Persæ v tur à Perside, præcipua regione: ex Chesi ob capitium rubri coloris quod gestant: po mo Sophiani à Sopho, quod est cognomen gum Persicorum.

Opes & diuitiæ Persarum.

Tantum conficitur in regnis prouinci *Imperii Persici* pannorum Sericorum, vt non tenti duntaxat iis sint incolæ atque ciues, magnum eorum numerum in remotissim giones, in Ægyptum vsque & Syriam d dant. Nec minor est in eo Imperio gemm & vnionum negociatio. Maximas tamen tias largitur Mare, cuius beneficio ingen merus nauium ad littus persicum appellit, candi gratia. Sed vt de quibusdam mercib gillatim dicamus, reperiuntur in *Perside* Sn di, quos mercatores satis vili emunt p quod non adeo pellucidi sint vt cæteri. Ne nus ex hac prouincia exportatur Serici in al gna, quam ex *Hyrcania* aut vicinis. *Bactria* gnit intra sua viscera varia metalla & ge quasdam, inprimis Smaragdos, Hyaci & Chrysolithos, vnde incolis multum dit lucri. In *Aria* prouincia colligitur ph ci quoddam genus, non absimile My quod indigenæ extraneis vendunt, vt phiros diuersorum colorum. Chirman uinciæ *Carmaniæ* caput est, in qua vrb rimum texitur panni aurati & argentati.

Sed nunc ordo postulat, vt quoniam mus, in quibus rebus diuitiæ populi consi etiam prouentus regios consideremus. profecto ita est, nemo vsque in hunc dies to scire potuit quousque illi se extendant, ne ij quidem, qui in eam vnam rem omni diis incubuerunt, similia memoriæ prodid Alij enim ei tribuũt triũ Millionũ auri red alii quinque. Duæ tamen res sunt, quibusp demur, vt non nisi opulentissimũ esse cred

Principem. Prior est, quod Tammas So-
Persarum Rex, qui patrum memoria re-
, prohibuit, ne amplius exigeretur vecti-
iis rebus quæ importantur aut exportan-
Constituerat autem antea vectigal istud
illia Tomanorum, id est, Auri Millionem
& DCCC. millia coronatorum, si To-
m vnum XX. Coronatis æstimemus,
tam luculentum portorium Rex iste sine
non sustulisset, nisi aliunde multo ma-
habuisset prouentus, quibus inuitatus
peregrinis mercatoribus gratiam fecit.
est, quod omnes regni Persici prouin-
iæ sunt, in septem, vt loquuntur, genera-
, quarum Ipsaana soluit quotannis DCC.
Coronatorum, & Syrasana tantundem,
n sint opulentissimæ: nam Corasana &
imena vtramque longe superant, quarū
ndat metallis gemmisque, hæc materia

od si quis me iam percunctetur, vnde
Rex ille percipiat tantos thesauros, cum
n spoliauerit tantis vectigalibus atque
iis, quæ ex negociatione ad ipsum re-
Solebat hic rex fere habitare in vrbe Sag vt in hac velut regni Vmbilico rectius en posset de omnibus, quæ in regno accidebar omnibus consulerere. Debentur huic pr initia vrbis Syras, quæ caput est regionis, peculiariter Persis appellatur. In hanc vr transtulit postea Iamxed regiam suam, co tutis nouis tribunalibus, & militibus sing lege adstrictis, vetuitque ne deinceps ag & qui rus colunt, aliis publicisve se immisce negociis. Idem quoque de operariis mech carum artium cæterisque, quocunque ge vitæ vterentur, factum est: vt his legibus a constitutionibus regnum Persicum flor creueritque pace & diuitiis. Hac prosperita ctus insolentior Iamxed, cum omnia tribu suæ prudentiæ & solertiæ, voluit vt Deu atque adorari, propositis eo nomine edicti omnes regni sui prouincias, addita etiam tis pœna. Hac superbia motus quidam A dux militum primi nominis, ingentem co eum contraxit exercitum, cui cum præfe cognatum suum nomine Zoahk, iussit eu cta in regem ducere. Erat tum Iamxed in Scyras, qui profectus cum copiis occurrit ri: sed commisso prælio, victor fuit Zoahk, xed vero captus ad victoremque deduct spectante eo iugulatus fuit. Habuit hic fili annorum trium, nomine Fraydhun, qu vxore Framaca sustulerat, quæ fugiens sæu victoris occultauit se cum filio, vt inueni potuerint. Nullibi reperitur, quamdiu la regnauerit.

ZOAHK PERSARVM TYRA nus.

Interfecto rege, Zoahk regnum inuas fuit consanguineus Iamxedi, ex posteris marræ, Heluani filius, viri illustris, & qui ad reges Arabum referebat. Rerum natur cognitioni deditissimus hic fuit, in qua celluit, corpore tamen deformis & odio mnibus. Hic cum aliquandiu regnauisset reptus est ægritudine quadam, cui Medic

s adferre potuerunt. Vnde persuasus à Ma-
& veneficis in eam venit sententiam, curari
on posse, nisi totum corpus sanguine inun-
et humano: vnde promiscue multos diuersi
s & ætatis homines in Vrbe Scyras mactari
t. Hoc cum prudentiores vidissent, dimo-
ab insania illa hominem conati, suaserunt,
o humano cruore arietino vteretur, multis
ctis rationibus, cur huic sanguini quam illi
ineſſe crederent virtutis. His suasoribus fas-
st Zoahk, arrodi sibi perpetuo à duobus
bris interanea, seque iam aliquot annos in
pplicio transegisse, quo cruciatu durante,
le se per somnium à tribus se vinciri viris,
um vnus quidem claua percusserit sibi ca-
reliqui duo accepto cingulo, quo ipse cin-
uerat, pedes eius alligasse, & in terram
andam traxisse.
rritus huius somnij atrocitate Zoahk, o-
Magos & Diuinos conuocauit, qui vno
a interpretati sunt visum, Priuādum ipsum
no & vita, quod apud Persas cingulum
ota honoris & dignitatis. Metuens ergo
k, ne hoc sibi per Fraidhunum Iamxedi
contingeret, iussit eum vbique gentium
iri: sed Mater Framaca satis longe amoue-
um, vnde irritatus Aspenum mulieris pa-
fficio motum etiam iuteremit. Postremo
ca, cum desperaret filium occultari diu-
sse, tradidit eum bulbulco, vt custodiret
m. Hoc intellecto Zoahk ipse ad armen-
profectus est, repetiturus puerum. Sed
ntario iam cum puero dilapso, iratus
, magnum boum numerum interimi

in Hispaona Ciuitate, quæ caput est pro-
Hieraz, quidam vir magnæ auctoritatis
entiæ, dictus Koah, cognomento Angar,
Faber ferrarius, cuius duos filios inter-
erat Zoahk, grandes iam & in honore
utos. Horum interitum vt vlcisceretur
uctor fuit in regem conspirationis, con-
bus ad eum omnibus, qui hominem ali-
causa oderant. Sic collecto exercitu lon-
que prouagatus prouincias, non conten-
lis, etiam vrbes quasdam cepit. Pugnauit
ties contra hunc Zoahk, sed Angar sem-
tor euasit, captaque Amoanda Vrbe, vbi
n suam habebat Zoahk, coegit regem fu-
se insuper Herey oppidum cepit, & pau-
etiam Carason. Est autem Herey oppi-
iam nostra ætate clarum, cum ob alia
nonia, tum ob Mannam, quæ ob præ-
m suam defertur Armusium, & porro
um Orientem. Capta hac vrbe Koah An-
uocatis omnibus suis, ostendit, motum
oc bellum inprimis libertate patriæ, pro
ratus esset etiam vitam profundere. Da-
gitur ipsi Diadema cuicunque vellent,
am in eorum esset constitutum manibus.
mauere vniuersi ipsum solum esse di-
regno, qui id virtute meritus fuerit. Ne-
se accepturum honorem cum Tyranni-
dis infamia coniunctum: superesse enim Iamxe-
di filium nomine Fraydhun, cui meliori iure re-
gnum deberetur. Visus est vera dicere, assentien-
te multitudine, cum Zoahk adfuit post se trā-
hens exercitum. Finito conflictu Zoahk victus
& ad Fraydhunum deductus est, vbi recepto
claua verbere in caput mortuus est. Deinde cum
ei proprio cingulo ligauissent pedes, traxerunt
eum Amoandam vsque, velut antea somniauē-
rat. Est adhuc apud Persas celebris huius regis
memoria, ob scientiam rerum Physicarum &
Magicarum, & quod admodum multis annis
vixerit: neque tamen quisquam scriptum reli-
quit, quam diu regnauerit. Multi in ea sunt opi-
nione, quod hic Zoahk non alius sit quam Zo-
roaster, Magorum celeberrimus.

FRAIDHVN, VII. PERSARVM Rex.

Potitus hic victoria, interfecto antecessore
ad regnum patrium peruenit, cumque iam non
dubius esset rerum dominus, voluit, vt Koahr
Angar supremum in militiam Persicam obtine-
ret imperium, misitque eum versus occasum:
alium vero ducem Garchace in Orientis partes
misit ad regionem Machareck. Functus est eo
munere Koah viginti annis, quo tempore ple-
raſque prouincias subiecit nouo regi, inprimis
Hisfaon & Aderbaion, à quibus comiter exce-
ptus, præfecturam illam gessit per annos X. ap-
probante rege & populo: quo tempore exacto
mortuus est. Doluit amici mortem inprimis rex,
qui bona quidem eius consanguineis reliquit,
liberos autem eius in Regia splendide educari
voluit. Ipse vxorē duxit vnam è filiabus Zoahk,
quem interemerat, cumque iam ante haberet fi-
lium nomine Iregen, quem susceperat ex illu-
stri muliere Persica: sustulit insuper ex illa Zoah-
ki filios duos, Salmū & Turum, qui auo Zoahko
nulla re fuerunt meliores. Et Ireges quidem
erat comis affabilisque, ac proinde ab omnibus
amabatur, quæ res patri fuit gratissima. Frueba-
tur tunc regnum Persicum alta pace: & Frayd-
hun annis morboque se grauem videns, cum
hæredem ante mortem instituere vellet, con-
uocatis omnibus regni proceribus, eorum vō-
lūtates percunctatus est, qui communibus suf-
fragiis in Iregem iuerunt. Non displicuit hoc
patri, qui tamen discordiarum materiam è me-
dio tollere volens, vt satis faceret cæteris, dedit
Salmo terras Magarebias in occidentem versas,
& Turio Magarekam Orientem versus pro-
tensam, Iregi vero reliquit Persiam, Assyriam &
Mesopatamiam cum titulo regio, descriptis cer-
tis limitibus omnibus his regionibus. Et Turus
quidem vrbem condidit, quam de suo nomine
Turonam dixit, quæ postea regioni Turqueſta-
niæ denominationem tribuit, quam etiam ad-
huc nostro æuo retinet. Sita est in littore Maris
Caspii, versus Orientem, in regione quæ dicitur
Maurenahar. Inde traxerunt originem suam
Turcæ, & inde progressi tam longe lateque pro-
tulerunt

tulerunt imperium suum vt ita vanum sit, illos vel à Troianis vel Thracibus deriuare, cum debeant generis sui primordia Turo Fraydhuni filio : Turquestania enim nihil aliud sonat quam prouinciam siue regionem Turi. Cæterum Salmus ac Turus acceptis prouinciis, cum subesse fratri iussi fuissent, ægre admodum tulerunt, criminantes eum spurium esse: communicatis igitur viribus venerunt in regionem Aderbaion, vnde per litteras ad Patrem questi sunt, prælatum sibi fratrem, qui spurius esset: à cuius dominio si ipsos eximeret, recte habiturum : sin minus, jus suum armis quæsituros.

Nunciauit hæc è vestigio Inregi filio pater, monuitque eum, ut sine mora aduersus fratres veniret cum copiis. At filius pacis media bello præferens, statuit sine armis conuenire fratres, multum reclamante patre. At inreges, assumtis ad se viris doctissimis prudentissimisque aulæ suæ, ignaro patre ad fratres iuit, ut eos colloquio à sententia dimoueret. Nihil gratius duobus illis contingere potuerat, qui correptum in vestigio fratrem truncauerunt capite, quo ad patrem miserunt, qui viso eo, quantopere indoluerit, dici non potest. Reliquerat Ireges filium nomine Manucherum, quem avus Fraydhun in filii Iregis locum substituit. Hic postea Salmo & Turo bellum intulit, eosq; prælio deuicit, ut inter cadauera cęlorum si occultare necesse habuerint, sed magna perquisiti diligentia & ad victorem deducti, vitæ finem inuenerunt. Manucher enim etiamnum à pugna calens, ut equo vehebatur, tam certo destinatoq; ictu percussit ceruices Turi, ut ei caput amputaret : quod conspicatus Salmus, mærore & formidine exanimis collapsus est. Neq; vero hi duo duntaxat mortui sunt, sed cum illis vltra XII. millia, partim cæsa partim capta fuere. Erat jam Fraydhun ætate cæcus & afflicta valetudine, ad quem cum Manucher exultans victoria ingressus fuisset, rogante sene quis esset? Sum tuus, inquit, Nepos, qui cædem Iregis filii tui vltus sum, trucidatis hostib. meis Salmo & Turo. Ad hæc verba senex amplexus nepotem, cum exosculatus juvenem fuisset, detractam capite suo Tyaram, ei imposuit, ut ei possessionem regni confirmaret. Fuit autem hic Fraydhun haud dubie laudatissimis regibus adnumerandus, sapiens, magnanimus, liberalis, & amicus eorum qui in virtute ipsi vixerunt. Autumant Persæ hunc temporibus Abrahami regnasse.

MANVCHER VIII: PERSARVM Rex.

Fraydhuno mortuo Manucher eius nepos, Inregis filius solus regno potitus est: quod cum longe lateque pateret, necesse habuit primum suum Vezier Som Narimon in partes Orientis mittere. Huic prouinciam suam gubernanti natus est filius toto corpore hispidus & pilosus, cui Narimon obstupefactus nouitate rei, nomen imposuit Zalo. Rex cum hoc audiuisset, p
à patre per litteras, ut ad se mitteret infante
enim videndi eius capi desiderio. Quod
Narimon fecisset, consuluit rex Magos & c
nos super puero, qui responderunt, fore
virum fortem & Principi suo fidelem. V
ergo rex, ut in aula educaretur puer, don
juventutis annos perveniset, quib. parent
lem præstare posset operam, qui eum cup
Meridionalibus regni prouinciis præficer
cum aliquando à negotiis publicis feriar
cepit eum cupido egrediendi extra Satrapi
limites, & visendi Præfecturam Cabusca
quæ tamen à patris sui Satrapia dependeb
huc miserat quendam è clientibus suis Me
ham. Hic intellecto Zali aduentu, occu
obuiam, osculaturus manum eius & hor
ce hominem excepturus. Post sibi temp
non potuit, quin eum coram vxore sua ô
nomine Rudabah, puella exquisitæ pulc
dinis, subinde laudaret, alias quidem pulc
dinē hominis, alias vero virtutes eius extc
His encomiis accensa puella, cępit amare
nem etiam non visum, quęrens, quo pact
os affectus nunciaret. Postremo misit ser
as versus tentorium Zali, ut sub specie col
dorum florum darent homini causam scil
di, ecquænam essent? Probauit venus ho
filium. Zalus enim cum eas per contatus
cui nam seruirent? Responderunt, Rudab
rahæi filiæ, cuius pulchritudinem & con
tatem morum ita deprædicauerunt, ut n
nore in virginem accenderetur juvenis
Euentus hic fuit, ut cum amantes isti al
do clam conuenissent, de futuro inter
fuerint matrimonio. Hoc facto Zalus re
est in prouinciam suam, quo cum venisse
tiæ & inquietudines hominem agitau
quod abesse à se doleret amatam. Cum
affectui repugnare amplius non posset,
ctus ad patrem suum, rem totam ei e
rogauitque, uti secum ad regem profec
petraret sibi matrimonii permissionem.
cutus pater filio, regem primo morosum
ficilem offendit : qui tamen postremo
consensit precibus, ut redeuntes vterq; i
stanam, celebrauerint nuptias, Zalus &
bah, ex quibus paulo post natus est filius
ne Rostanus, de quo in sequentibus dice
cus erit : ob hunc enim Rostanum tota
historiam commemorauimus.

Præfuerat jam Persarum regno Ma
in summa tranquillitate per L. annos,
Turquestania regione quidam Afraci
bellionem concitauit, quod diceret ve
cisci mortem Turi. Hic collecto exerc
valido in Persidem irrupit. Notat hoc
cher, sed susq; deque ferens, cum omn
gentius expediret, dedit victoriam ho
manus, qui fugitiuo regi institit usq; ad
Amalum, eumq; in eo circumsedit. Cur
obsessi valide se defenderent, & obsess
expugnato castro non discessuri viderer

ıyems his cupiditatem iniicit repetendi patrios. Quo intellecto Afraciab. maluit cum ſuo diſpendio paciſci, quam cum deſe recipere. Sic igitur inter eos conuenit, ınus fluuius celeberrimus eſſet Limes inſiam & Tarqueſtaniam.

e ad hunc modum facta, Afraciabus cum piis domum rediit, & Manucher egreſſus agiſtam vrbē regiam petiit. Nondum exauerat Afraciabus ſuos milites, cum Mar collectis totius regni viribus abeunti irt hic converſus magna vi in Perſas ivit. ntius hoc bellum geſſit Manucher quam ta enim cum hoſte conflixit, ut eum viceligaueritque, adeptus ingentem captiuoımerum. Hæc victoria longinquam Perm peperit: Sunt enim qui eum ad CXX. regnaſſe exiſtimant, poſt quod tempus us, Naudari filio, ſalubertimis inſtructo tis, regnum reliquit.

NAVDAR IX. REX PERſarum.

lita morte Manucherij, & intellecto, rē Diadema Perſicum ſum ſiſſe, Pachanrqueſtaniæ Rex, vocauit ad ſe filios ſuos, ortatus eſt, ne in illa mutatione rei bene æ occaſionem è manib. dimitterent. Prii ſubſcripſit patri fuit Afraciabus, cui iam ſicę notiores erant quam fratribus. Quid collegit exercitū, cuius inſtar ad CCCC. ıominum aſcendiſſe creditur, tam pediıam equitum, quas copias recta duxit Sa- Cuius aduentu cognito Naudar celeriter ocauit Som Narimon, Zali patrem qui ca. ię præerat, qui ſatis validas, etſi ſenex, adnilitum copias. Cum hic ad regem veniſberatū eſt, quid facto opus eſſet? Somus Afraciabum petrexit, ſed cum jactatio- per ſummā ſenectutem ferre non poſſet, re mori coactus eſt: qua quidem re nihil Afraciabo contingere potuiſſet. Naudam cum reliqua parte exercitus ſequente, riuſque partis caſtra non longe à ſe inuieſſent, prodiit in medium miles quidam prouocās virum Perſam ad duellū. Com. prouocanti adoleſcens quidam, nomine dus, nepos Koah Angari, de quo diximus Fraydhuni. Monomachiæ eventus hic Cobadus cæſum Turcam ſpoliauerit, & oliis ad ſuos reuerſus fuerit. Turcæ, qui viro ſe victos dolebant, ſtructa extemplo Naudaris copias aggreſſi conſeruere pugıam ſuper veniēs imber mira obſcuritate s diremit. Animadvertit ſtatim Naudar, ous Afraciabo parem eſſe non poſſe, unde er ad ſe vocauit duos filios ſuos, quorum Thus, alter Goſtam dicebatur, quibus ſe at Carenus Cobadi frater, qui egreſſus na vrbe, omnem familiam & ſupellectiam deportauerat in Albor Kurh, quę cerdam eſt regni Perſici prouincia, ubi adoebat Ignis.

Non fugit Afraciabum, quę Naudar agitabat animo: unde præmiſit quendam ex ducibus ſuis qui redintegraret prælium. Periit ibi Carenus, cæteris fuga ſibi conſulentibus. Nec videbatur conſultum quieſcere Afraciabo jam bis victori: tertio igitur aggreſſus Naudarem, vicit eum cepitque, interfectis multis millibus Perſarum. Victoria tam illuſtri potitus Afraciabus, miſit XXX. Virorum millia ad occupandam vrbem Sagiſtan, quæ erat Regia Naudaris, quæ ſtatim deditionem fecit. Fama huius victoriæ per omnes prouincias Perſicas ſparſa, pervenit etiam in Satrapiam Merabah, qui erat Socer Zali. Hic miſſis ad Afraciabum legatis cum munerib. præſtantiſſimis, iuſſit ei nunciari, ducere ſe genus à Zoahko, ideoq; propinquum eius eſſe: Et hactenus quidem ſe inſeruiſſe Perſarum Regi, ſed coactum & quod aliter non poſſet. Nunc vero conuerſis rebus, ſe fore in poteſtate Afraciabi, & perſoluturum etiam amplius tributum, quam Perſæ præſtitiſſet. Clam autem miſit ad Zalum generum ſuum, eique quæ geſta fuiſſent, expoſuit: qui magna celeritate contractis copiis, magnis progreſſus itinerib. celerius omnium opinione ad Sagiſtan vrbem adfuit. Hoc intellecto vehementer excandeſcens Afraciabus, iuſſit Naudarem obtruncari, qui ita mortuus eſt, cum tantum VII. annis regnaſſet.

AFRACIAB X. PERSARVM Rex.

Potitus hic ad eum modum regno Perſico, ſtatim nunciari iuſſit patri ſuo Tarqueſtaniæ regi, quam felicibus vſus fuiſſet ſucceſſibus. Ipſe in Perſas tam acre & acerbum exercuit imperium, ut in eius coniurarent perniciem, vocato per litteras Agarite in auxilium ſuum. Reſpondit hic, melius eos facturos, ſi Zalum vocarent, eiq; demandarent ſummam belli, quod hi fecerunt. Iam ver appetebat, & Zalus qui tunc apud Sagiſtan erat, cum quæ ad bellum neceſſaria erant, conſtituiſſet, miſit Guechuadum, magnæ auctoritatis ducem Tabraſtam verſus, qui ibi bello initium faceret. Non poterant hęc tam occulte peragi, quin ad Afraciabi peruenirent notitiam: qui fratrem Agariren conſpirationis participem intelligens, ſtatim eum necari iuſſit. At Zalus tam odio ſeruitutis quam cupiditate vindictæ aperte hortabatur Perſas ad capienda arma, qui cum ab omnib. partibus concurriſſent, congreſſi cum Turcis horrendum ediderunt conflictū, qui per totum diem durauit cum immani hominum vtriusque partis ſtrage, ſed nox ſuperueniens incertum pugnæ exitum reliquit. Cum igitur in caſtra quiq; ſua ſe recepiſſent, cōtinuis ſex menſibus leuioribus præliis inter eos eſt decertatum, cum interitu multorum hominum millium. Inde invaſit eos primum fames, & hanc ſecutus morbus contagioſus, ut vacuis, ad hūc modum caſtris, utriq; ad pacem inclinarent: in quam non difficulter conſenſit Afraciabus, contentus redire in Turqueſtaniam, de-

ferta Perſide, quam per XII. annos obtinuerat.

BAZAB REX PERSARVM XI.

Digreſſo illo detulerunt Perſæ regnum ad Bazabum, familia ortum regia, qui cum jam octoginta annos natus eſſet, aſſumſit ſibi collegam quendam propinquum ſuum, nomine Garchaſef. Cumq; conſideraſſet, quot calamitates Perſæ ſuperioribus bellis perpeſſi fuiſſent, ſtatuit omnibus modis conſeruare pacem, donec vixit. Sed & vltro remiſit populo tributa atque jura regia, ut reſpirare poſſet, & in vſus publicos, induxit in Perſidem duos fluuios ex alueis longe diſſitis, quorum vni nomen eſt Habin, alteri Razabin. Non habuit hic ærarium, neque theſauros colligere voluit, ſed diſtribuit eos inter milites ſuos & ductores ordinum. In vita priuata ait eum Mirkondus ebrietate & gulæ deditum fuiſſe, ut qui nouarum cupediarum inventor extiterit.

KAYKOBAD XII. REX PERſarum.

Hic vbi ad regnum pervenit, ſummum copiarum ſuarum ducem conſtituit Roſtanum Zali filium, qui cum nonnullis aliis belli ductoribus, inter quos erant Guecuad, Caraenus aliique, in inſidiis conſederunt ante Afraciabum, quem cum valido exercitu aduentare acceperant. In quas, cum hic incidiſſet, in eas redactus eſt anguſtias, ut duorum dierum inducias peteret, quo tempore de pace tractaretur. Cum vero Perſæ eam abnuiſſent, commiſſa iterum pugna, & maioribus quidem quam ante animis, Roſtanus voluit, uti quis in ipſo pugnæ ardore ſibi oſtenderet Afraciabum. Sed errore quodam alium raptum vinctumq; ad regem adduxit, elapſo Afraciabo: Vbi Roſtanus, cum ſe deceptum videret, plenus confuſione, ignoſci ſibi petiit, hoc genus fraudis amplius non admiſturo. Afraciabus elapſus in Turqueſtaniam, miſit legatos de pace ad Caycobadum, quam & obtinuit. Hoc facto, cum Caycobadus theſauros ſuos militibus diſtribuiſſet, reverſus domum, ad juſtitiæ & pacis artes animum adjecit, functus boni Principis officio donec vixit. Ad extremum cum vſum oculorum amiſiſſet, accedentibus etiam aliis morbis, extinctus eſt in vrbe Isfaon, ubi habitauerat, cum regnauiſſet centum annis, relicto filio hærede.

CAYCAVS QVI ET SALOMON Perſarum Rex decimus tertius.

Arripuerat ex ſuperiorum bellorum turbis nouorum tumultuum materiam dux quidam militiæ Perſa, hoc rege Diadema ſibi imponente, ut Maſandroniam prouinciam cum armis inua-

deret, quæ cauſa fuit, ut Caycaus magno c
cto exercitu, eum ab omni parte circumſ
rit. Erat autem oppidum in quo dux ille P
latebat, natura & opere valde munitum, &
pugnatu difficile. Stratagemate igitur vten
videns Caycaus, finxit ſibi deeſſe alimoniam
copiis, interea fecit ut cum quibuſdam obſi
rum clanculum ageret de venditione annu
Horum ſuaſionibus, ut & immenſo precio, c
pro alimonia ſoluebatur, illecti cives, vend
runt obſeſſoribus immanem eduliorum
non animaduertentes, his deficientibus c
dum cito fore in Regis poteſtate. Eſt autem
ſandron oppidum primi nominis in illis or
cinam habens prouinciam Gueylon, quæ a
git ab Aquilone Mare Caſpinum. Incolæ
ſunt robuſti & bellicoſi, & adnumerantur
pulis ſubiectis Perſarum regibus.

Finito hoc bello, ſtatuit Caycaus inu
prouincias ſuas, interq; illas Arabiam, inter
& Perſidem intercedit Sinus Perſicus, in c
extremitate occurrit rex Arabs Perſis, ut pr
congrederetur cum Perſa, quo victus Arab
ſerta regione confugit in arcem quandam
multum fidebat, in quam incluſerat theſa
familiamq; ſuam, cum filia exquiſitæ pulch
dinis. Ibi Arbitrorum quorundam interu
pax facta eſt, ita, ut Arabs daret filiam ſuam
cao vxorem, quam frater eius in Perſidem a
ceret cum mille ſpecioſis ancillabus: & ita c
bratæ ſunt nuptiæ cum publica lætitia.

Dum hæc in Arabia fiunt, Afraciabus rr
facta irruptione in Perſidem, multum da
dedit: ad extremum tamẽ victus repulſusq
mum ſe recepit. At Caycaus, conſtitutis r
per prouincias exteras, reuerſus eſt in Perſi
cum Sodaba vxore, ubi Roſtanum plur
auctum honoribus, Satrapam conſtituit Sa
niæ & Kabulſtaniæ. Fuit huic regi, antequan
in Arabiam, filius nomine Syauex, h
virtuti deditus & ob ſuauitatem morum ab
nibus delectus. Non placebat hoc Sobadę,
ſemper conabatur juuenem apud mari
in odium adducere. Fingens igitur ſe amo
ius captam, nunciari hoc ei iuſſit. Exho
adoleſcens ad rei turpitudinem, negaui
mulieri quod petierat. At hæc, cum pre
propoſitum conſtituiſſet, ſciens regem in
claui ſuo ſedere ſubtriſtem & moroſum, ir
in id ſparſis per humeros capillis, ploran
menſq; & pectus percutiens, dicens: Syaue
us, ò Rex, honori meo vim afferre voluit.
Rex imperauit, ut adoleſcens comprehe
in anguſtum ſquallidumque compinger
carcerem. Diſcuſſa autem cauſa Syauex ir
cens pronunciatus eſt, parumque abfuit,
nouerca eius viva combureretur: Sed hanc
quidem preces & affectus in eam regis co
uauerunt. Inuaſerat, ut ſupra diximus,
fraciabus prouinciam Vſbequenſem, pe
neratque uſque ad Balcam vrbem. Co
hanc Caycaus miſit filium ſuum cum XII.
libus equitum & peditibus totidem, iu

agistan vrbem ire, & se cum Rostano, qui
n maiorem habebat exercitum, coniun-
Syauex ab vrbe Isfaon profectus, offen-
ostanum, cum quo contulit consilium, qua
limum via in hostem eundum esset. Vbi
enit de itinere, profecti ad secundum
are ab hoste consederunt. Missis specu-
ibus cognouerunt, Afraciabum tertia no-
imicaturum prelio: cuius is fuit euentus, ut
ciabus victus & male habitus tandem ali-
do de pace bona fide seruanda consilium
is suique à perpetua sollicitudine eximen-
sus est ad hoc negotium quodam propin-
uo Garcene, qui tanta dexteritate in eo ver-
est, ut Syauex, Rostanus & Consiliarii as-
ent, solo Rege contradicente, qui condi-
s pacis respuens, scripsit filio, mandauitque
ter, ut hostem persequeretur, & ubicunq;
, prælio cum eo decertaret: qui si pugnan-
iam non faceret, totum eius agrum deva-
Rostano autem iam admodum seni indul-
domum proficisceretur. Paruit Syauex
aris patris, duxitque copias suas in regio-
Thus, quærens Afraciabum. Habebat hic
exercitu ductorem quendam Ordinum,
ne Pirond Vaysa, quem Syauex familiari-
uc at, qui consentiente Afraciabo, occur-
o Regali. Excepit hunc comiter Afracia-
eductumque Syauecem in tentorium su-
xra se in throno simili suo considere iussit,
ostenderet quanti eum faceret, dedit illi
rimonium filiam suam quæ Franguys di-
ir.

n placuit hoc Garceni, nec fratri Afracia-
ensq; Aulæ proceribus, qui dedecus istud
retantes, conspirauerunt in necem Syaue-
e latuit hunc consilium inimicorum: ro-
gitur vxorem, ut, si sibi aliquid accidisset,
quem paritura erat, educandum traderet
ersæ. Paucis post diebus occisus est à con-
Syanex, qui & vxorem eius interfecturi
ut tollerent id simul quod ferebat vtero,
n Pirond Vaysa protexisset. Hæc cum po-
ùm peperisset, nominauit eum Kaycozz-
quem & ipsum occuluit Pirondus, donec
n Persidem misit, quæ magno dolore ob
m regalis filii affecta erat, inprimisque pa-
i ut vlciscetur mortem eius, iussit Rosta-
um valido exercitu in Afraciabum ire:
fecit id, eumque deuicit, cæso fratre eius
ne.

iebatur Caycaus Rex magno desiderio vi.
epotis sui, ut & nurus suæ Franguys, quæ
rat in vrbe Turona. Misit igitur eo Vi-
ersam, magnæ nobilitatis & dexteritatis
e Guynem, Gudarzi filium, qui admissus
em cum vidisset matrem & filium, per-
i, ut omissa Turquestania veniret secum
idem: quod & fecit mulier, comitata
at Guyne illo & Pirondo Vaysa, do-
Aulam Persici regis venerunt, excepti
à Rege, ut par est. Ex eò tempore vi-
Caycaus plurimarum virtutum scintillas

lucere in Nepote suo, præfecit eum militiæ Per-
sicæ, remunerato largiter pro fide & seruitiis
Guyne. Magnorum hæc res in Regia motuum
causa fuit inter Thus, Caycosi neporem ex alte-
ro filio Frayborso, & Caycozraon. Is enim ini-
quissime ferebat, præferri sibi indigenæ homi-
nem exmuliere Turcica natum, quæ gens sem-
per fuerat inimica Turcis. Ita, ut Aulæ factiones
in duas diuisa fuerit, proceribus partim illi par-
tim huic adhærentibus. Hoc tam noxium dissi-
dium ut Rex Caycaus dirimeret, fecit id quod
sequitur.

Præerat circa id tempus Ardeuillæ ciuitati
quidam Bahamanus, qui factis incursionibus to-
tam infestabat Persidem: Contra hunc Caycaus
duos collegit exercitus, pari militum numero,
deditq; cuiq; ex nepotibus vnum, addita con-
ditione, ut qui prior superior factus fuisset ho-
ste, vinceret alterum magnitudine & dignitate.
Acquiescente vtroque, Frayborsi filius, nulla re
memorabili gesta periit. At alter, victo Baham-
no, subiecit etiam sibi ciuitatem Ardeuillam, re-
uersusq; ad regem, salutatus fuit hæres & succes-
sor regni, Guynes vero summus dux militiæ ei-
ius. Caycaus autem in solitudinem se recepit,
cum regnasset, ut scribunt, annis CL.

Est autem Ardeuilla vrbs celebris Persidos in
prouincia Aderbaion, distans paucis itineribus
ab vrbe Tauri siue Tabriz, patria Ismaelis Sophi
regis clarissimi, cuius posteritas etiamnum no-
stro æuo regnat.

CAYCOZRAO, REX PERSA-rum XIV.

Hic, cum tam iudicio aui quam voluntate po-
puli ad regnum perveniisset, volens edere spe-
cimen probitatis suæ, primum omnium iustitiæ
legibusque suum constare vigorem voluit, quæ
vehementer labefactata fuerat ob causas su-
periorum bellorum, magna in plebem simul
usus mansuetudine & liberalitate. Hinc indictis
regni Comitiis, proposuit ordinibus delibe-
rationem belli Turcici, ut vlcesceretur mortem
patris. Laudantibus omnibus suamque offeren-
tibus operam, misit Frayborsum patruum cum-
que eo propatruum Naudaris filium cum XXX.
equorum millibus, ut Turquestaniam inuade-
rent. Erat autem Caycozrao filius, nomine Sya-
uex, qui egertime ferens inferri auo suo bellum,
quasi grandem aliquam iniuriam accepisset, Tu-
ronam se recepit. Sed & Pirondus Vaysa, qui cũ
Guyno in Persidem venerat, uxoremq; ibi duxe-
rat, susceperat filium, nomine Ferudum, qui &
ipse abiuit in Turquestaniam. Amabat Rex hunc
iuvenem ut filium, cumq; audiuisset, Ferudum
præesse castro alicui in Turquestania, mandaue-
tat expresse ducibus suis, ut illud declinarent:
quod hi facere non potuerunt, itineris ratione
ad id ducente. Ferudus cognito hostis aduen-
tu, eruptionem in eum fecit, sed infeliciter
præliatus inter primos occubuit. Magnam
hæc mors regi Persæ tristitiam attulit, cumque

Thus accusaretur causa fuisse necis eius, reuocatum eum ad Aulã mancipauit Carceri, Frayborso & Gudarzo bellum in Turcas continuantibus, sed infelici successu, victis Persis concisisque immani strage, pereuntibus inter cæteros LXX. equitibus, omnibus è Gudarzi familia. Neque tamen Rex propterea despondit animum, sed misso iterum Gudarzo cum nouis copiis, adjunctus est Thus, qui iam à rege receptus fuerat in gratiam. Vix fuerant hi egressi fines Persidos, cum inuenerunt hostem paratum ad confligendum, Conserta pugna tam fortiter prę-liati sunt Turcæ, ut Persæ coacti fuerint, in agrum Demonium si recipere, ubi omni ex parte ab hoste cincti & circumsessi fuerunt.

Ad nuncium huius obsidionis aduenerunt duo alii reges vicini Turquestaniæ, opem laturi Turcis, vni nomen erat Halcon, alteri Changal, quæ res omnino Persis spem animumque ademit. His suorum miseriis intellectis Caycozrao, celeriter mandat Rostano, ut maximis proficiscatur eo itineribus, laturus supperias perituris. Paruit hic, & Persæ eius aduentu cognito, adeo lætati sunt, ut humum oscularentur: cũque utriq; suas conjunxissent copias, tanta animositate & impetu adorti sunt hostes, ut præcipuos ex iis trucidauerint, inter quos & Halcon fuit. Hac victoria non contentus Caycozrao, quatuor insuper distinctos exercitus misit ad pessundandam Turquestaniam. Primum duxit Gudarzus aduersus Balcam vrbem, & huic negocium erat cum Pirondo Vayssa, qui in eo bello cæsus est, & caput eius ad Regem Persarum missum: qui non est delectatus eo spectaculo, dolens ob interitum nutricii sui. Dicuntur autẽ in eo prælio ad C. Turcarum millia periisse, & capta fuisse, inque iis vndecim primi nominis duces. Magnis affecit Rex hic præmiis omnes eos, qui in his bellis fortiter fecerunt, donatis Frayborso prouinciis, Kachensi & Macronensi, quæ sunt circa Goadelam, ad introitum sinus Persici.

At Afraciabus instaurato exercitu suo assumtoq; filio, in terram Corazinam irrupit, quæ est confinis Turoniæ, ubi tunc Persæ castra habebant. sed eadem qua ante vsi Persæ prosperitate, vicerunt Turcas, extincto Afraciabi filio, coegeruntque patrem fuga se in arcem quandam recipere, cum domesticis suis: Cum autem loco illi parum fideret, & alium sibi ad receptum locum quæreret, incidit in manus Regis Persæ cum vxore sua & filiabus, quę ante à Caycozrao captæ sed liberaliter habitæ fuerant. Afraciabus paulo post captus & interfectus finem imposuit non solum longissimæ vitæ suæ, sed & tædiosissimo bello: quo finito Caycozrao ad exemplum regum antecessorum suorum, subduxit se à tumultibus aulicis, cumque filium non haberet, subrogauit sibi Lorasphum, Caycaij fratris filium, frustra contradicentibus quibusdam ex principibus, & non longe post mortuus est, cum prius omnes facultates & possessiones, quæ priores reges proceribus Persarum abstulerant, restituisset, omne æs alienum dissoluisset pauperes sibi beneficiis obligauisset, jus ut cuique dixisset, & milites præmiis affecisset.

Huius temporibus fuerunt inter Persas d præcelebres Philosophi, quorum vnus dic fuit Horez, alter Lokman. Et huius quidem sterioris extant adhuc opera quædam, quæ lime hominis testantur ingenium, interqu Apologi quidam & Similitudines, non mul absimiles Fabulis Aesopicis. Putatur ani ipse esse, cuius lingua Persica descript fertur vita, ubi perhibetur ingens fuisse Ph sophus, servus tamen domino suo fidelis & id ualde gratus; & quod ad mortem cond natus fuerit. Vna res est, quæ nos dubios cit, quod vulgo dicitur Iudæus fuisse. Nat est huic apud Persas Prouerbium, quo dici Non esse necesse, ut quis quicquam do Lokmannum; tanta est etiamnum fama scie eius.

LOKASPH XVI. PERSARV Rex.

Defuncto Caycozrao, ut diximus, sine fi peruenit hic ad regnum, qui, ut supra attigim fuit filius Caycai, & defuncto regi quam p xime iunctus sanguine. Cum autem nimia minis seueritas vel potius crudelitas vulgo n esset, impedimento fuere principes, ne cor maretur in regno, inprimis obstitit Rostani ter. Peruicit tamen Lorasph, ut Rex salut fuerit. Primum omnium, cum prouincias lustrauisset ab vrbe Isfaon vsque ad Balcam, sit Gudarzum cum exercitu in Mesopotam Syriam & Palæstinam, redegitque celeriter suam potestatem Babylonem & Damascum de duxit versus Hierosolymam, quam P vocant Beyt Almocadas. Beyt enim Persa lingua sonat domum, & Almocadas S ctorum. Rex eius deditionem fecit, ea c ditione, ut solueret tributum, deditque in fi rei multos obsides, nobilibus ortos fam quos omnes Gudarzus mactari iussit, cum in lexisset agitare Iudæos rebellionem aduc Regem Persarum. Postea Gadarzus collecti ribus suis, reuersus Hierosolymam, valide c cussit vrbem, eamque expugnauit, in Persæ horribili crudelitate in ciues sæ runt, deductis plurimis eorum secum in fidem.

Fuerunt Lorasphoregi filii duo: maiori nomen erat Gustaspho, minori Zariæ. Illi elatum feroxque ingenium, & belli auid qui pertractis in sceleris societatem quibus nobilibus, rebellauit contra patrem, ut eum gno deiiceret. Et ab initio quidem non pau habuit sectatores: Sed cum pater multo m rem collegisset exercitum persecutus sine in missione filium, coegit eum, qui imbeci erat, vniuerso profugere regno. Cum cis igitur in Turquestaniam euadens,

vſus eſt fortuna, ut regis filiam adipiſceret
oniugem, etiam ignotus: quod in hunc mo.
accidit.

rat tunc apud Turqueſtanos perantiqua
uetudo, vt ſi Rexuellet filiam iungere ma-
omnes in campo publico conuenirent,
inc in Aula regis erant, quiſque quam
didiſſime ornatus cultuſque. His ita or-
conſtitutis, accedebat puella nupturiens,
manu à patre deducta, altera pomum au-
tenens, gemmis operoſe exornatum. De-
conſtituta in loco quodam, ubi omnes
s conſpicari exacte poſſet, cum diu mul-
ue omnes conſideraſſet, porrigebat ei
m, qui quam optime placuiſſet: & ea
m res efficiebat firmum matrimonij vin-
n. Accidit autem, ut veniente Guſta-
Rex elocaturus eſſet filiam, quæ curio-
ſolita cupiuit nouum videre hoſpitem:
deo placuit puellæ, ut ei ſine mora tra-
pomum. Diſplicuit eum patri tum pro-
is regni, quod inuerſo ordine peregri-
omo ignotuſque ad eam veniſſet dignita-
t impoſterum lege lata cautum fuerit, ne
ia regis ulli nuberet, præterquam quem
im commendaret ſplendor aut merito-
ratia.

bebat & Rex iſte præter hanc alias filias
atæ pulchritudinis, quæ petebantur à
m regum vicinorum filiis, quibus & pa-
tas pollicitus eſt, ſub conditione, ut
iores regni Principes, qui multis malis
ant patriam, ſub ſuam redigerent poten-
Viſa ipſis eſt hæc res non parum difficilis.
autem multa de Guſtaſphi valore & vir-
tellexiſſent, perſuaſerunt homini, ut
riculoſum illud in ſe ſuſciperet officium,
am amicorum. Hic fingens ſe ad vena-
proficiſci cum comitatu, qui videbatur
ito ſufficiens, tanta dexteritate ſingulos
oſque inuaſit, ut eos captos duobus tra-
ratribus Procis, qui eos deinde ſtiterunt
gem. Horum miratus Rex virtutem &
tiam, elocauit ijs filias ſuas. Paucis
poſt cum in Aula regis certamina ludi-
ites ederent, Guſtaſphi tanta fuit peri-
dexteritas, ut rex laudare eam ſatis
tuerit: Cui reſpondit Guſtaſphus, non
eo mirandum, eum hæc in ludicro præ-
qui regnum purgarit ab inquietis ho-
is & perturbatoribus pacis publicæ.
m hæc verba ad animum admiſiſſet, &
do omnia geſta fuiſſent intellexiſſet,
s etiam quam antea fauere homini per-

rea Guſtaſphus, cum cogitaret, quanto-
trem offendiſſet transfugio ſuo ad ho-
non acquieturus eſſet, niſi de filio vin-
exegiſſet: Statuit illi bellum inferre,
e ſuaſit Socero ſuo, ut Perſarum regi vſi-
negaret tributum: quod fecit Rex Tur-
que Legatum ad Perſam, qui ei bellum
ciaret. Territus eſt ſupra modum hoc
nuncio Loraſphus, cumq; inquireret in auctorem, cuiuſnam ſuaſionibus motus Rex Turqueſtaniæ hoſtis factus fuiſſet: Relatum eſt ei, eſſe quendam hominem peregrinum, magnæ virtutis, qui caſu quodam factus fuiſſet gener regis: hunc omnis mali cauſam eſſe. Non conquieuit Rex Perſa, donec plenius de peregrino iſto cognoſceret, ubi intellexit, non alium eum eſſe, quã filium ſuum Guſtaſphum: de quo cum iam certus eſſet, miſit fidum hominem ad iuniorem filium ſuum Zariam, ut duo hi profecti ad Guſtaſphum, perſuaderent ei, ut Veniret & poſſeſſionem regni apprehenderet. Audiens de horum aduentu Guſtaſphus, profectus ab Aula occurrit eis, collocutuſque cum Zaria fratre, ſumſit Diadema de manibus eius, quod pater miſerat, impoſuitque id capiti ſuo, ſalutatus continuo Perſarum Rex ab omnibus qui aderant. Ibi demum jubet vocari Socerum ſuum: Qui videns generum in eo dignitatis faſtigio, territus exiſtimauit proditionem eſſe, qua ipſe Regno everteretur. Cum autem melius edoctus fuiſſet, amplexus generum, non vnum lætitiæ ſignum edidit. Guſtaſphus, cum valedixiſſet Socero, in Perſiam ſuſcepit iter, accepta ſimul Catahuda vxore ſua (id enim erat nomen illi, qnæ ei pomũ porrexerat) ſequentibus multis diuitiis & magno ſeruitiorum jumentorumq, numero. Excepit eum Loraſphus pater magno cum affectu, quem etiam plus poſtea exſeruit deuinctus plurimis egregiiſq; filii in ſe meritis, qui & poſtremo cum ſe regno abdicaſſet, reliquit eius adminiſtrationem in manibus filii, tranſacturus reliquos vitæ ſuæ dies in ſolitudine, ubi & mortuus eſt, cum antea ſalubribus imbuiſſet filium præceptis. Dictus fuit hic Rex Loraſphus Balcanus, quod potiſſimum regni ſui tempus Balcæ exegerit.

GVSTASPHVS PERSARVM Rex XVI.

Fuit hic inter Principes bellicoſiſſimos, nec minus callens artium pacis, ſupra modum tamẽ addictus cultui Ignis, ut & eos bello infeſtaret, qui in hoc Idololatriæ genere diuerſum ſentiebant, inter quos Ariaſphus fuit Turoniæ Rex, qui Guſtaſphum eo nomine per litteras reprehenderat, quod ſollicitatus ab hoc ad æterni ignis venerationem fuiſſet. Ceperat autem hæc ſperſtitio prima ſua incrementa in Prouincia Aderbaion, id eſt Prouincia Ignis, fuitq; primus huius Sectæ inuentor appellatus Zarduch, id eſt, Amicus Ignis. Huic igitur Ariaſpho cum obreprehenſionem vehementer ſuccenſuiſſet Guſtasfus, aſſumto fratre ſuo Zazir, & filio Sphandiar, bellum intulit, commiſſoque prælio apud Turoniam eum vicit, cumque omnibus domeſticis neci dedit: Nec mora, ipſam vrbem aggreſſus, celeriter captam expoliauit: Cumque rediiſſet in Perſidem, conjecit in carcerem filium ſuum, Sphandiar, ob neſcio quam pravam ſuſpicionem.

Dum hæc in Perſide fiunt, Ariaſphus nouis collectis copiis facto in regnum impetu, Balcam vrbem capit ſpoliatq; neq; eo facinore contentus penetrat interiora regni, tanta promptitudine, vt Guſtaſphus, dubius quid faceret, conuocaret Conſiliarios ſuos, qui vno ore ſuaſerunt, vt exemtum carceri filium Sphandiarem, præficeret exercitui, quam tamen dignitatem hic reſpuit, nec carcere egredi voluit, niſi pater polliceretur, ſe eum hæredem regni facturum, ſi victor reuerſus fuiſſet. His promiſſis, vt & Iamaſphi fratris blanditiis adductis, in Ariaſphum duxit, victoriamq; ab eo reportauit. Redeunti in Patriam occurrit pater, collaudatumque ob virtutem filium admonuit, parum in ea victoria eſſe momenti, ſi ſorores eius eſſent in manib. hoſtis (ceperat enim eas apud Balcam vrbem Ariaſphus) & ſeruirent ſeruitutem. Erubuit ad hoc verbum Sphandiar, & ne quid in ſe deſiderari pateretur, eligit ex omni quã habebat militũ copia XXVI. millia, XII. millia equitum, totidem peditum, aſſumtoq; fratre ſuo minimo natu Buchutano, perſequitur hoſtem. Ibi cum facientes iter ad triuium veniſſent, diuiſerunt copias, iuſſitque Sphandiar fratrem ſuum latiorem viam inſiſtere, quæ iucunda erat, & per læta ducebat paſcua ad Turoniam vrbem, cum mandatis, vt ſi eo peruenisſet ad locum quendam Paruindez, ibi ſequietus contineret in inſidiis. Cumq; ſub initium noctis pro conſuetudine loci multi ignes per totam vrbem incenderentur, tunc ipſe quã maximo poſſet impetu aggrederetur ciuitatem. At Sphandiar aſſumtis quibuſdam ſociis per aliam ibat viam, habitu mercatorum, cumq; Septimo die ad vrbem Turonam aduenisſent, onuſti gemmis, vnionibus aliisq; mercibus precioſis, tam eleganter nouit agere perſonam ſuam, vt hoſpitium ei in ipſo Regis P. latio aſſignatũ fuerit. Cum autem de aduentu fratris cum copiis cognouiſſet, petiit ut ſibi liceret in ſequentem diem Regem eiuſq; familiam Aulicam in proximis campis ſuburbanis conuiuio excipere: quod vbi obtinuit, excitauit per cauſam lætitiæ publicæ plurimos ignes ſub ipſis vrbis mœnibus. Buchutan his conſpectis, progreſſus è loco inſidiarum, magna celeritate omnes occupat vias, magnoq; impetu irrumpens in vrbem, horrendam edit ſtragem, totamq; exſpoliat: ipſe ſibi ex omni præda nihil reſeruat quam thronum aureum, immenſi precii, gemmis undiq; exornatum, & Elephantum album. His factis in libertatem aſſerit ſorores ſuas, quas Sphandiar ad patrem in Perſidem remiſit. Ipſe porro viam inſiſtit ad Oceanum Indicum, vt cogeret quaſdam nationes amplecti ſuperſtitioſam colendi Ignis ceremoniam. Reuerſo in Perſidem pater, pro regno quod pollicitus fuerat, multas difficilimaſq; obiicit expeditiones, quas hic omnes magno honore feliciter confecit. Poſtremo mittit eum pater ad peruestigandum Roſtanũ, qui ſe in locum Siſton receperat, nec præſto fuerat Guſtaſpho cum diadema regni ſumeret. Fecit hoc filius, ſed coactus, quod nihil auderet negare patri, ſa
iſtud dixit, parum hæc conuenire iis, quæ R
no optime de rege merito iam olim promi
iſſent. Sed tamen profectus eſt, aſſumto ſib
ſno Bahamano: qui cum præcederet patrem
det procul deſcendere de colle Roſtanum
occurrit, dicitq; quale illud eſſet agmen qu
ſequeretur. Ad huius conſpectum expaui
ſtanus, properans tamen oſculatus eſt m
Sphandiari: qui cum dixiſſet, vocari eum
giam: reſpondit Roſtanus, eximi ſe ipſa ſen
te ab hac proficiſcendi neceſſitate; cæterum
ſus foret, ſemper ſe paratum eſſe ad præ
regi obſequia. Inſtabat Sphandiar, iubeba
nem proficiſci ſecum, qui cum pernegaret,
giis conuiciisq; ad arma deuenerunt. Hab
tut Sphandiar inter ferociſſimos & aud
mos omnium procerum Perſarum, vnd
nem in eas redegit anguſtias, vt præclare
agi arbitraretur, ſi obiectu clypei euitaret
donec in extrema conſtitutus neceſſitate,
catis velut viribus, tam valide Roſtanus in
ferrum ceruicibus Sphandiaris, vt ex e
moreretur, commendans filium ſuum Ba
num Roſtano, corpus vero Buohutano
ſuo, qui illud in Perſidem detulit & Sep
Doluit ſupra modum filii mortem Guſta
adeo, vt ſtatuerit omni Reipublicæ admi
tione abſtinere: Cum autem Turqueſtani
de more excurſionibus vexaret Perſiam, c
eſt illi obuiam ire, eumq; repellere. Re
domum vidit aduenientem nepotem ſuu
hamanum ab Siſtone, quem hæredem re
xit, ipſe in locum quendam Ghozglinar f
pit, ut in Solitudine clauderet dies ſuos. E
tem locus iſte ob amœnitatem ei Archit
pulchritudinem in admiratione, ut vulg
retur opus Solimanni Bendauit. id eſt Salo
filii Dauid, diſtans à Scyra XXX. millibus
Guſtaſphi eſt Aſuarta Ciuitas, quam ipſ
bat cognominauit, mortuus anno re
XXVI.

BAHAMAN DARAZDA

Rex Perſarum decimus ſeptimus.

Succeſſit ergo Auo nepos Bahaman
gnomẽto Darazdaſtus, id eſt, Longiman
catur etiam Ardchir, eſtque hoc con
nomen eius in Chronicis Perſarum
impoſitum fuit per hanc occaſionem. Cu
mater vtero ferret, venit Aſtrologus
ad Guſtaſphum eiuſq; filium Sphandiare
cum ſalutaſſet reges, conuerſus ad Sph
rem, obtulit ei paruulum cophinum, aien
nus id eſſe pro naſcituro filio, ſimu
ſans quod offerre per tenuitatem ſuar
ſtantius donum non poſſet. Cophino
inuenerunt pauxillum lactis & farinæ:
quidem munus ob ipſius Aſtrologi ſern
adeo probatum eſt principibus, ut

o nomen inde imposuerint. Ard enim Per-
im lingua est farina, & Chir lac: Vnde no-
n è duabus voculis coniunctum est Ard-
r. Græci Artaxerxen dicunt, suntque hoc no-
ne plures deinde Persarum reges vsi. Fuit hic
x validis beneque compositis membris, ha-
s brachium & manum dextram longiorem
stra: in cæteris ni hil ipsi defuit, quod in bo-
principe desiderari posset, inprimis adeo bo-
ublici amore tangebatur, vt clam per fidem
nos homines obseruari iuberet omnia acta
fectorum & ministrorum iustitiæ, vt eos qui
e præfuissent præmiis, qui male, pœnis affi-
posset.

ltero anno postquam rex factus fuerat, cō-
uit Ordines regni, quos palam & sine dis-
latione hortatus est, vt sine metu dicerent,
in ipso desiderarent. Quod si quid Maie-
regia indignum faceret, vti se regio solio
erent; malle enim se parere melioribus quã
sse, si boni publici ratio id exigeret. Lauda-
vniuersi erectum regis animum, precati-
sunt ei longam vitam & omne prosperitatis
s. Ipse cum nonnullis Ordinum in priua-
tibusdam gratificatus fuisset, soluit con-
um.

staurauit hic rex plurima ædificia quæ col-
fuerant, constituitq; regni negocia quam
ne. Hoc facto, ad vlciscendam mortem pa-
ii animum adiecit. Misit igitur exercitum
s Siston, qui cum in via esset, adfertur nun-
, Rostanum quidem mortuum esse, filium
eius, qui dicebatur Framaz occurrere cum
s. Commissum est prælium atrox & cruen-
vincente ad extremum Ardchiro, qui san-
eam reportauit victoriam, fortissimo quo-
Persis interfecto. Et ab altera parte Fra-
Rostani filius cæsus fuit, Zalus vero auus
qui tuncadhuc in viuis erat, captus. Post
pugnam subiecit sibi Ardchir Siston &
l, estque Triumphanti similis reuersus in
dem. Post hæc intulit per duces suos bel-
Syriæ atque Palæstinæ, suo populos illos
iens imperio, multosque Iudæos captiuos
cens in Persidem. Habuit Ardchir filium
ne Sarram, qui multum versatus est in stu-
hilosophicis Astrologicisque, quibus vt
us vacare posset, non Aulam duntaxat &
ipum regni deseruit consuetudinem, sed
ipsius regni administratione abhorruit, vt
mnium Ordinum indignatione diadema
neritad vxorem Ardchiri, quæ tunc fere-
erum. Huius temporibus floruerunt in
ia Hippocrates, quem Persæ Bocarat vo-
& Democritus, quorum scripta habent,
peribus Platonis, quem Aphlatum no-
t: Socratem Persæ fando acceperunt,
ue appellant Sokorat, vt Aristotelem Ara-
. Solent autem Persæ magni facere Græ-
scripta, omnesque habere in precio litte-
itteratos, vt Ardchir solitus fuerit dice-
iris doctis Aulam regis semper patere di-

Cum autem Rostanus vir fuerit inter Persas Illustrissimus, & iam multoties eius facta fuerit mentio, nõ alienum erit, de eius morte quædam hic narrare, quæ ei hoc pacto contigit. Habebat Rostanus fratrem nomine Chagadum, cui demandauerat partes visitandi prouincias suas, & colligendi prouentus & tributa earum. Hic cum in regionem Cabul deuenisset, captus est amore filiæ Præfecti, eamque à patre sibi petiit vxorem. Negauit hic filiam Chagado, eoque magis, quo magis illum instare animaduertebat. Postremo pollicitus est eam amatori, si se eximere vellet à fratris obedientia, interfecto Rostano. His ad hunc modum pactis, Sistonem reuersus Chagadus, multum de Præfecto Cabulensi questus est, à quo ipse contemtus & friuole habitus fuisset. Excandescens Rostanus increpuit timiditatem fratris, collegitque exercitum, vt castigaret Præfecti insolentiam. Impediuit hanc expeditionem quibuscunque potuit rationibus Chagadus, negans opus esse exercitu, solam ipsius præsentiam suffecturam ad redigendum in ordinem hominem. Paruit Rostanus dictis, estque profectus cum fratre & alio quodam homine fido, nomine Zanada, pauciscque seruis, quibuscum prouinciam Cabulensem petiit. Edocuerat de his omnibus iam ante Socerum Chagadus, qui prodiens Rostano obuiam quasi excepturus eum, collocauerat iam ante in insidiis aliquot è suis audaces homines. Ibi Præfectus propius accedens ad Rostanum, simulauit se delictorum veniam petere: cumque Rostanus ignoscere se ei dixisset, Cabulensis rogauit eum, vt secum veniret in viridarium vicinum, ibi capturus quietem, eumque deduxit in locum insidiarum. Erant autem fossæ quædam ramis viridantibus obiectæ, in harum vnam delapsus est Rostanus cum equo. Videns autem se circumuẽtum, nec vllam esse euadendi spem, rogauit eos qui aderant, vti sibi darent arcum cum sagittis, quibus se aduersus ferarum iniurias defenderet, ne ab illis viuus laniaretur. Qui aderant simpliciores, dederunt ei quòd petierat. At is nactus instrumenta vindictæ suæ, cum duas sagittas neruo imposuisset, tanta vi iaculatus est, vt vtrumque, & fratrem & Socerum eius traiiceret. Est autem vulgare apud Persas, duas treſve sagittas simul ab neruo mittere, vt hæc ars in Rostano miranda non sit, qui ea ratione eos secum rapuit, qui mortem ei machinati fuerant. quo pacto tamen ipse perierit, historia non commemorat. Est autem Cabul peculiaris prouincia, olim subiecta Regno Persico, sita in finibus Indiæ, oportebatque antiquus eum, qui proficisci volebat à Cabul ad Lahor, vbi Regia est Magni Mogul & centrum totius Indiæ, triũ mensium spacium in via consumere, ob copiam latronum, qui per immensos circuitus vitandi erant, cum nostro æuo viginti quinque diebus iter illud omne facile confici possit.

HOMAYA Persarum regina, in ordinere-gum decimum octauum locum ob-tinens.

Post mortem Ardchiri regis administratio regni mansit penes eius vxorem Homayam, quę vt diximus, vterum ferebat, exactoque quinto mense puerum enixa est admirandæ pulchritudinis. Statim pro more regionis adfuerunt Astrologi, qui ex Astrorum positu de futura pueri fortuna vaticinarentur. Responderunt ij, magnorum malorum in regno eum causam fore, vt essent, qui eum illico necandum arbitrarentur. His tamen consentire maternus amor non potuit: sed cum aliter non posset, infantem in exiguis cunis positum, cistæ ligneæ inclusit, additis plurimis gemmis aliisque rebus preciosis, vt si quis pauper in eam incidisset, iis ad nutriēdum puerum vteretur: & hoc pacto imposuerunt eum Iehuno fluuio, qui capsulam cito è spectantium oculis abstulit. Appulsam ad littus arcam primus omnium conspicatus est homo pauperculus, qui in ripa fluuij linteamina lauabat. Hic primum obstupefactus rei nouitate, cum attractam arculam aperuisset, vidit in ea infantem admirandæ pulchritudinis: sed multo magis miratus est conspectis tantis diuitiis, vnde facile cogitare potuit, viri magni & illustris esse filium. Sublata igitur quæ inuenerat omnia, ad vxorem suam detulit, quæ magna cura educauit infantulum, eumque appellauit Darab, formato à casu nomine: Dar enim significat lingua Persica tabulam ligneam, & Ab aquam.

Cum autem acta Iacobi Leysii non par habeant admirationis, & in eius gestis m notatu digna occurrant, non ingratum nos ctori facturos arbitrati sumus, si ad maior Historiæ lucem vitam eius describeremus. I in Sistonia Prouincia Faber Ærarius, nom Leysus, cui erant tres filij, Iacobus, Hame Haly. Inter hos primus cum didicisset op cium paternum, adolescens admodum obe bat, exercens opificium suum, quo se pariter que patrem egenum aleret. Ex lucello au semper aliquid sibi reseruabat, vt peculium lut campestre conficeret, vtque haberet, q in ganeis, lustris & alea perderet. Nec defuer ei socij, quibus eadem vitæ ratio placuit, c buscum perpetuum ei intercessit consorti & quos supra modum Iacobus ille sibi obl uit, vt facti adultriores & ad res gerendas non recusauerint ipsum sequi quocunque ceret. Igitur cum eos temere armis instru set, cœpit cum iis insidere vias publicas, s semper in socios vsus liberalitate, à quibus & ctor creatus, latrocinia strenue exercuit, m tamen in pauperes quam diuites. Erat pe tempus Carasoniæ Satrapa Taher Ben Abd de quo in superioribus diximus, ad quem r tæ deferantur à spoliatis querimoniæ, dic bus, quendam Salek Ben Asar attraxisse in s societatem Iacobum Leysum cum manu rum, spe præmiorum & luculenti stipendi hunc iam ingressum Sistoniam, ipsam cepis expoliasse Vrbem. His de causis Taher Ben dula misit copias suas Sistonem, qui Iaco cum luis inde eiecerunt.

Paulo post mortuus est Taher Abdula, ita

rouincia sua Mahamedo Ben Taher. Vix diuerat Præfecturam, cum Tribunus qui-Dram Ben Nacer, pertracto in partes suas o, alibi latrocinia exercuit, & loca ali-in suam potestatem redegit. Et Dramus em perrecturus alio, reliquit Præfectu-Sistonis Vrbis Leysio. Taher intellectis coegit Dramum secum decertare, quem m viuum cepit & Bagadetum misit, vbi Calipha angusto includi iussit ergastulo, o multo tempore fuit.

Iacobus, cum nullam perderet occasio-videns se liberum à Sacramento milita-o Dramo fidem suam obstruxerat, Sisto. ominum se appellauit, ita tamen, vt à liberalitate & comitate in suos nihil re-ret, quo fecit, vt in dies ipsis fieret cha-Cum igitur vrbem muniuisset, & præsidia ca idonea prouinciæ disposuisset, cæ-cursiones facere in agrum Carasonen-uod accidit circa annum Salutis DCCC-. Egiræ CCXLIII. Hinc cepit oppida & Fuchanch, descendensque in Ker-n, profligauit milites, quos ibi in præsi-llocauerat Præfectus Scyranus, quam obsedit, quæ &, cum se aduersus vim fendere non posset, deditionem fecit, lites eius incredibili potiti fuerunt præ-pse nihil sibi reseruauit præter XX. Fal-qui Præfecti fuerant, decem quidem & totidem versicolores, cum magna ci purissimi, quas res misit Bagadetum lifam, sua simul ei offerens serui-

a, cum omnia ex arbitrio constituisset, istonem. Verum anno A N.C.DCCC-. Egiræ CCLIII. cum audiret turbas es-Scyras Vrbem, profectus eo, & casti-uctoribus omnia tranquilla reddidit. iphæ non vsque adeo grata erant quæ essibus Iacobi Leysii nunciabantur, iam se suaque omnia ei offerret: sed r ei nunciari iussit, exiret Scyra Vrbe e tota Perside sine mora, neque vn-ngrederetur eam prouinciam, sed con-esset iis, quæ alibi occupata per Ty-em possideret.

audebat Leysus tantæ se opponere po-respondit igitur, facturum se imperatum dicto deserta Perside Baltam init inciam Maurenahar: hinc vsque Ca-venit, quæ regio est inter Carasonem am: hanc ille subegit, & profectus in uram, decertauit cum Mahemedo Ben ti supra diximus.

hic subsistere potis, Carasonem inua-sitaque Taburstana apud Sarym con-

Acemus Ben Zeyd, quem supra Ad-cognominatum diximus, occurrit sed victus ab eo est, & in Vrbem Del-gere coactus, quæ est caput prouinciæ

Gueylon. Sublato æmulo hoc, Leysus, persecutus est hostes Amalam vsque, cum iam adulta hyems esset, & regiones illæ cæteroquin sint frigidiores, & tunc quidem tam altæ ceciderant niues, mixtique grandinibus imbres, vt coactus fuerit, prius remetiri iter, cum vltra IV. millia è suis inclementia tempestatis sublatos amisisset.

His Iacobi aduersitatibus cognitis Calipha, cupiens per hanc occasionem hominem opprimere, misit magna diligentia cursores per omnia loca, quæ Leyso parebant, hortatus præfectos eius, ne impostorum homini obedirent. Quasi contrarium imperauisset, ita omnes in in fide erga Iacobum confirmati sunt, vt quidam Mahamedus Ben Vacel, Arabs & ductor eorum, qui tunc bono numero in Perside erant, adortus fuerit præsidia, quæ Califa hinc inde in oppidis Arcibusque disposuerat, quæ partim occidit, partim ad seditionem concitauit.

At alibi Muca Ben Bugan, princeps magnæ partis Arabiæ & vicinarum Persidi regionum, conscriptum exercitum Abderamo Ben Mosseh tradidit, qui cum Mahamedo Ben Vacel congressus, victus acie captusque fuit.

At Leysus interea non dormiebat, sed in motibus istis peruigili oculo in omnes erat intentus occasiones, vt his vteretur: ingressus igitur Persidem tam tempestiue venit, vt statim prouinciæ Dominus factus fuerit, occisis omnibus, à quibus sibi metuebat, cumque satis sibi esse arbitraretur virium altiora tentandi, duxit Bagadetum.

Calipha, cui audacia hominis valde suspecta erat, vt eum à proposito diuerteret, scribit ad eum, ne progrederetur longius, se ei, si domum redire vellet, libere permissurum omnia, quæ vspiam obtineret. Respondet Leysus, venisse se, vt ipsum coram videret, neque se nisi eo viso ab vrbe discessurum, quicquid alii dicant faciantque. Calipha accepto hoc responso, magna celeritate cogit copias, quibus præficit fratrem suum, qui rectam Leysum duxit, dimicaturus cum eo.

At Iacobo longe alia mens erat, qui nocte motis castris, per vias impeditas nec omnibus notas, versus Bagadetum raptauit exercitum, dubium ac perplexum relinquens Califæ fratrem, qua potissimum via illum sequeretur.

Interea Iacobus magnis progressus itineribus, augebat tamen numerum militum suorum quacunque transibat. Properantem ad hunc modum Colici corripuere dolores, consultique Medici responderunt vno ore, oportere illum, si conualescere vellet, Clystere vti.

At Leysus se moriturum citius quam illo medicamenti genere vsurum asseuerauit. Inter medios, quibus torquebatur dolores, adfuit Orator ab Calipha, suadens, ne progrederetur vlterius: assedit Iacobus, vt potuit sumtoque in manum dextram Acinace Persico, in sinistram pane & allio, respondit Legatis Caliphæ. Dicite

Principi vestro, mortem, si mihi ex hoc morbo contingat, finem allaturam nostris contentionibus. Si mihi conualescendum sit, gladium hunc decisurum litem super regno inter me & ipsum. Si perdam aleam, vt mihi nulla amplius spes supersit: me in remotissimas terras in exilium iturum, ibique pane hoc & allio victurum. Vix redierant Oratores cum hoc responso Bagadetum, cum illos secutum est nuncium, morbo illo extinctum esse Iacobum, anno à nato Christo DCCCLXXXVIII. Egiræ CCLXIX. cum iam per annos XI. in Persia dominatus fuisset, vir plane Martius, prudens, liberalis, affabilis, amans iustitiæ, in cuius familiæ vsum quotidie mactabantur arietes XX. boues V. & alites permulti, cumque ipse sobrie admodum cœnaret, multa ex his erogaret in vsus pauperum. Defuncto eo, nihil precioſi in eius tentorio repertum fuit, præter arma quibus vtebatur, & Aulæum Persicum, cum ceruicali, cui solebat indormire. Liberos reliquit nullos, quæ causa est, vt fratrem successorem habuerit.

Hamer Ben Leys hic dicebatur, hæres omnium fraternarum possessionum: qui multo melius duxit, gratia & amicitia Caliphæ vti: missis igitur Legatis, suam obtulit ei obedientiam, petens se in gratiam recipi. Hanc Legationem tanti fecit Calipha, vt non solum ei confirmauerit possessionem Persidos, Carasonis, omniumque terrarum quas frater occupauerat, sed & Hieraquenam addiderit, cuius caput est Vrbs Isphaon: præterea constituit eum supremum Iustitiæ Præsidem apud Babylonem, post Calipham, quod tamen officium per missu regis transtulit in Abdulam Ben Taher. Hinc duxit Hamer exercitum ad Vrbem Casbin, inde ad Ciuitatem Rey, relicto Præfecto Persidis quodam agnato suo Mahamedo Ben Leys.

At hic videns alterum absentem, Rex salutari voluit. Verum Hamer mox reuersus, castigaturus erat stoliditatem hominis, nisi celeriter aufugisset, relictis spoliis opulentissimis, quæ postea Hamer omnia dono misit Caliphæ.

Interea à multis partibus afferebantur querelæ super insolentia & crudelitate Hameri, vnde Calipha edictum proposuit, quo Hamero omnes auferebat prouincias, quas antea permiserat, conscriptis que omnibus locis militibus præfecit quemdam Saydum Ben Mochalet: qui acie Hamerum vicit atque profligauit. Erat inter duces eius quidam Damus, qui longo tempore Bagadeti captiuus fuerat. Videns hic infelicem Hameri successum, fugit è castris, quod Hamerus quoque fecit, non multis comitatus militibus.

Cum autem nouas post modum collegisset copias, & suos vndique ex fuga ad se conuocasset, statuit per vim ingredi Vrbem Scyras. At Monsecus Caliphæ frater præueniens eum ante in Vrbem irrupit, vnde Hametus, abiecta eius potiundæ spe, Kermonem, Sistonem & Carasonem adiuit. Ibi mortuus est Almat Hamet Bila, Calipha XXXV. cum regnauisset annis XXIII. anno A N. C. DCCCXCIII. Egiræ CCLXXIIII.

MATAZED BILA HAMED.
CALIPHA XXXVI.

Frater hic fuit superioris, cui & in Calipha tu successit, homo animosus, nec minus pru dens & ingeniosus. Cum Hamer Ben Leys a missa spe Vrbis Scyras in Carasonem profectus fuisset, rebellauerat quidam ex Gubernatoribus illius prouinciæ, nomine, Rafea Be Arsuma aduersus Calipham, secutus factionem Mahameti Ben Zeydi, aduersus quem Hamerus, permissu Caliphæ, duxit suas cohortes eumque victum viuum cepit, & caput eius Caliphæ misit, qui plurimi fecit hoc donum, gn rus, Rafeam illum multum damni dedisse Prouinciæ. In huius facti præmium donau Calipha de nouo Hamero Carasonem, Mahanahar, Persidem, Kermon & Siston, iubens, nomen eius vexillis inscriberetur publicis, signum fidei & obedientiæ: quod accidit ann à nato Christo DCCCXCVIII. vicissim Hamer Ben Leys, vt gratus esset pro tantis doni misit Caliphæ præstantissima munera, mon tæ argenteæ vim immanem, multa vasa aur & argentea, plurimum Ambræ, Musci & Z bettæ, & materiam vestiariam precioſi mam.

Diu iam erat, cum regio Maurenahar iucu da pace vsa fuit, excusso prope iugo Persico, cu Ismael quidam Ben Hamed ibi dominaret Aduersus hunc profectus est cum copiis H mer Ben Leys. Expectabat eum Ismael in ri Iehunis fluuii, qui prouinciam Maurenahar parat à Carasonensi, vbi post aliquot aduersa secunda prælia vnius & alterius, Hamerus ctus est, & ab Ismaele captus. Aiunt quida hunc adiutum argento ab Califa alteri p ualuisse, quem tamen comiter habuit, cum rasset, sancte se impostetum obseruaturum p cem & amicitiam, neque vnquam illaturu bellum prouinciæ Maurenahar.

At Ismael cum de prospero hoc suo succ su scripsisset ad Calipham, mandatum accep vt Hamerum mitteret Bagadetum, quod fecit. Ibi Califas eum necari iussit, cum XXI annis dominatus fuisset. Fuit autem ho iracundus & sæuus, luscus simul & min facie.

Fuerat iam ante, nempe anno Salutis D CCXCIIII. Egiræ CCLXXX. Ismael ex p uincia Maurenahar cum exercitu profectu Turquestaniam, vbi multas à Turcis obtin rat victorias, in vltimoque prælio cæperat gem Turquestaniæ cum patre & vxore nec non X. Hominum millibus, & præda affluc

nte, vt singulis militibus ex Ismaelis co-
us cesserint mille denarii aurei, qui con-
t MD. ducatos aureos. Potitus hac vi-
venit Samarcandam, & hinc digres-
onseruit pugnam illam cum Hamero
, habens ipse sub signis LXX. millia mili-
dinc factum est, vt Marazedus Calipha ei
it titulum Maurenahar, Carasoniæ, Scy-
ston & Kermon.
c cum ita accidissent, intellexit Ismael,
nedum Ben Zeydi excursionibus ve-
Tabrastaniam : igitur ipse cum copias
sset, misit eas sub ductu Mahamedi Ben
qui illum acie vicit, adiecitque domi-
i Ismaelis Prouinciam Gerionensem &
stanam, quas ipse postea rexit sub au-
te Ismaelis, quod accidit anno Salutis
CCI. Egiræ CCLXXXIX. Ipse vero Ma-
s Bila Califa altero anno post mortuus
regnasset an. IX. menses IX.

MOKTAFI BILA CALIPHA XXXVII.

zedi filius hic successit patri, quo tem-
si Arabes in multas diuisi turmas, la-
per Arabiam passim exercuerunt, fu-
ddentes mercatoribus itinera, & pe-
ntes Mecham impedientes. Factus
rat Taher Ben Hamed in locum Aui
Sistonensis, intrauerátque cum copiis
erfidem armatus, vt eam sibi subiice-
n iam ante deuicisset præfectum pro-
Abdulæ, qui querelam detulit ad Ismae-
hic scripsit ad Taherum, monens eum,
bus ausis desisteret, quod is fecit, siue
itiæ dans siue timori. Hinc ad vrbem
reuersus est Taherus Anno Salutis
Egiræ CCXCIII. eodemq; anno mor-
Moktafi Calipha, cum regnauisset an-

MOKTADER BILA, CALIPHA XXXVIII.

reliquerat superior iste Calipha libe-
re Principatus ad fratrem eius Mokta-
deuolutus est, quo regnante, Maha-
Ben Aron, qui, vt diximus vicerat &
erat Ben Zeydi, recuperaueratque Ge.
& Tabrastanam, quas prouincias I-
regendas commiserat, is, inquam, Ma-
s Ben Aron, rebellauit, & clam pactus
ibus oppidi Rey, occupauit istud.
gnito Ismael occurrit ei : verum is tem-
iga sibi consuluit.
hael eum persecutus, recuperauit Cas-
iam & Tabrastanam : quas prouincias
obedientiam reduxit : ipsum tamen
n adipisci non potuit. Cum igitur
sufficientibus præsidiis munisset,
e in Turquestaniam se contulit, ac-

quirens sibi nouas terras & noua regna in quibus incredibilem collegit prædam. Hac cum onustus in prouinciam Maurenahar venisset, anno Salutis CMIX. Egiræ CCXCV. reliquit regnum suum Hamedo filio, quem Calipha in eius possessione confirmauit.

Cum enim Caliphæ non in rebus ad cultum Numinis duntaxat spectantibus, sed & in regno summam obtinerent potestatem, non credebantur ii bono titulo suas possidere prouincias, qui eas non à Caliphis obtinuissent. Fruebatur interea Taherus vrbe Scyra aliisque terris, quas ei Calipha permiserat, cumque in regionem Sistonensem venatum profectus fuisset, quidam Leysi seruus, Haly filius ex improuiso occupauit Scyras : cumque accurrisset Taherus ad soluendam obsidionem, tam audax fuit Sangherius, (id enim homini nomen erat) vt cum illo acie decertaret, in qua Taherus victus captusque fuit cum fratre suo, & missus Bagadetum, cum rebus suis præfuisset per annos VI. vtque partis maiore securitate frueretur, cepit etiam Leysi filium nomine Halyn cum quodam fratre eius Madedo, misitque vtrumque ad Calipham, quod accidit anno A N. C. CMXIV. Egiræ CCC.

Interea Hamerus Iacobi filius, nepos Leysi, videns Sistoniam tumultibus plenam, collectis copiis militum intrauit in eam, totamque spacio nouem mensibus subegit, interfectis multis ex seditiosis, sed non diu superuixit, relicto fratre suo natu maximo Calebo Ben Hamad in gubernatione prouinciæ.

Hic cum religionis gratia Mecham adire vellet, reliquit suo loco quendam propinquum suum, Taherum Ben Ocem, qui arrepta ex absentia eius causa, concitauit in absentem seditionem, qui rediens ex peregrinatione, portas sibi vbique clausas inuenit, vt necesse habuerit ad vrbem Bokaram in prouinciam Maurenahar confugere, & Mansuri implorare auxilium à quo non contemnendis adiutus copiis recuperauit Prouinciam Sistonensem, è qua Taherus iam profugerat. Videns se Calebus iam pacato frui regno, remisit auxiliares, quibus vsus fuerat, copias ad Mansurum : quod vbi cognouit Taherus, reuersus Sistonem, vrbem iterum cepit, coegitque Calebum secundo de auxiliis implorare Mansurum, cumque Sistonem properaret, accepit nuncium mortuum esse Taherum, & filium eius Ocemum patri successisse : qui vbi de aduentu Kalebi accepit, relicta Sistone in munitum se recepit castrum, in quo eum Calebus tam arcte obsedit, vt ad extrema redactus Mansuri implorauerit patrocinium ad obtinendam Calebi gratiam : Sic Ocemo permissum est, vt reuersus Bokaram, tantum à Calebo acciperet terrarum, quantum in vsus vitæ sufficeret. Erant omnia illa regna Mansuro tributaria : Sed Calebus, cum iam prospere ageret, immemor acceptorum beneficiorum,

ciorum, oblitus est tributum soluere. Iratus ingrato homini Mansurus, tribuit Ocemo validum exercitum, vt castigaret Calebum.

At hic diffidens campo, recepit se in arcem quæ videbatur expugnari non posse. Hanc cum Ocemus capere non posset, misit Mansurus alium ducem, Aboaly Ben Semur cum maioribus copiis, qui se cum Ocemo coniungeret. His conspectis viribus, Calebus egressus est Arce, quæ Dafeca vocabatur, quam tradidit Mansuro, qui vicissim illum restituit in regnum suum. Talis fuit huius Principis vicissitudo, qui toties euersus regno, toties restitutus fuit.

Ad extremum pulsus est à filio suo nomine Tahero, cumque ingrato illi cuculo armis resistere non posset, finxit se ægrum, & iam proximum morti cupere colloqui filio, eique aperire, quo nam loco Thesauros suos reconditos haberet: ad id se cogi paterno affectu, & quod sciret hæc talia male credi seruis. Credidit stultus adolescens verbis paternis, qui aduenientem amplexus sua manu confodit: & hic erat thesaurus, quem Calebus ostendit filio.

Sic reuersus in regnum, cum id sub finem vitæ iterum amisisset, mortuus est, relicto filio, cui nomen erat Abu Afes.

Alibi Hamedus Ismaelis filius, qui consentiente Calipha partim regno successerat, ingressus Samarcandam, adiuit gubernationem illius, vbi auunculum suum Ezachum nescio qua de causa in carcerem inclusit, sed paulo post in libertatem restituto, tradidit gubernacula prouinciæ. Præfecturam Nichaburæ tradidit Mansuro Ezachi filio primogenito anno Salut. CMXIIII. Egiræ CCCI.

Cum aliquando venaretur, accepit nuncium, Tabrastanam rebellasse, quo cum perterritus in suum se tristis recepisset tentorium, est occisus à seruis suis dormiens in lecto, & corpus eius tumulatum in Vrbe Bokara (quæ Bactra sunt) cum regnasset annis VI. mensibus IV. Fuit hic vir magni animi, sed duabus rebus nimis deditus: iracundiæ & voluptatibus. Reliquit moriens filium Nacereum, annorum X. quem quidam Hamet Ben Hamet Leys, Bactrorum præfectus, sublatum in humeros, sequente magna populi multitudine per Vrbem circumtulit, clamante præcone, hunc esse regem. At puer Princeps ita se circumferri videns, plorabat largiter, quærens subinde ex stipatoribus suis, an & sibi moriendum esset, quemadmodum patri. Omnibus autem negantibus acquieuit cessauitque à lacrymis.

Erat per eos dies Samarcandæ Ezachus, defuncti regis propinquus, qui intellecta morte regis, & spreta pueritia filii eius, ingentes conscripsit copias, occupaturus eius dominium.

At Nacereus, qui & alio nomine Amir Seyt dicitur, suasu propinquorum misit aduersus eum ducem quendam nomine Hamuiehum, qui Ezachum duabus pugnis vicit, co
egitque cum fugere Samarcandam, vbi rel
querat suo loco filium Eliam, qui & ipse d
serta Vrbe aufugit. Sic Ezachus coactus fuit
dedere arbitrio Hamuiehi, qui eum Boka
ram misit ad Nacereum, cuius iussu in carc
re necatus est. Patris tam indigna morte i
tellecta filius eius Mansur, Præfectus Nich
buriæ, cepit arma in Nacereum, cum q
Mansuro se coniunxit Ocemus Ben Halys, c
nescio quam offensam quam à Nacereo acc
perat. His vt occurreret, præparauit se H
muiehus, sed dum in expeditione est, accip
nuncium de morte Mansuri.

Neque tamen secius perrexit Ocemus B
Haly, sed cito finem fecit, victus captusq
primo prælio & Bokaram missus. Eodem te
pore dedit Nacereus Gubernatorem Ca
sonensibus, nomine Hamet Ben Sal, qui a
iutus à prouincialibus, Gerionem & Maru
per seditionem occupauit. Sed & hunc Ham
iehus victum captumque Bokaram misit, v
in carcere periit anno Salutis CMXV. Egi
CCCI. quo eodem tempore mortuus est Ca
pha Mauctaderus imperii sui anno septimo.

IAFAR BEN MATAZED.
Calipha XXXIX.

Frater hic Mauctaderi eidem in Caliphæ
successit, qui non maiore pace ocioque in
lætatus fuit, quam antecessores eius. In T
brastania enim quidam Leylahæus Ben Na
man cum manum latronum collegisset, e
cursionibus vicinas vexauit prouincias, m
gna vsus prosperitate. Aduersus hunc N
cereus misit exercitum, à quo Ben Nac
victus fuit. At milites Leylahæi male ac
pti vias insidentes publicas, viatores spol
bant: hos Nacereani persecuti, trucidauer
omnibus locis, recuperatis spoliis, sed & ipi
Leylahæum captum truncauerunt capite.
dem tempore in Vrbe Rey alia seditio o
est, sed hanc celeriter oppressit Nazereus, c
stituto ibi præfecto Singuro cum valido p
sidio: hinc profectus est in regionem Mau
nahar, vbi de noua in Perside rebellione
cepit.

Quidam enim Vir Persa, nomine A
suia, paupere quidem censu, sed no
natus familia, & qui genus suum ad
scos Persarum reges referebat, tres habu
lios, Emandum Daulæum, & Acemum,
Achmetum. Huic aliquando per somn
oblata est visio, qua visus est sibi videt
gnem prodeuntem à genitali sua parte,
magnam regionis partem incendio c
puerit, & post in triplicem diuisus f
mam constiterit per longum tempus.
territus consuluit Astrologos, qui respo
runt futurum, eum dominum amplissima
prouinciarum, in quas & filii postipsum in
rium habituri sint. Erat eo tempore Tabrast
do

nùs quidam Makon Ben Kaby: in huius
um & clientelam dedit se Abusuia cum
filiis. Accidit autem vt Azfar quidam
Makonem insurrexerit, vnde natum
vnius anni, quo finito Makon mor-
st. Azfar igitur vsus occasione has oc-
t vrbes, Roltandaden, Rey, Casbin, Ha-
enian, Taromin & Amedon: in quibus
mnibus magnam fecit vastitatem, vt
us necesse habuerit, cum magnis copiis
rt illi occurrere, vbi post longam dis-
ionem pax facta est, vt Azfar sibi habe-
r occupauerat. In his igitur terris, post-
Nacerus aliquandiu abfuit, tumultua-
t, sed statim ipsius præsentia omnia tran-
reddidit.

c quidem in Persia fiebant: at in Arabia
latronum manus Mecham Vrbem in-
quam penitus expoliauit, ablatis etiam
hesauris, quos à multis annis Arabum
umque superstitiosa deuotio in locum
ongesserat.

& sacrosanctum illum lapidem secum
abstulerunt, de quo miras Saraceni
nti sunt fabulas, inter quæ hæc non
ma: Adamum, cum è Paradiso expul-
, eum secum tulisse: hinc eundem ve-
potestatem Ismaelis filii Abrahami, &
o Mecham siue Medinam delatum,
t etiam, eum colore per se esse candi-
d si sceleratorum tractetur manibus,
re.

hæc omnia risu digna sunt, quibus o-
os ad Iafarem Calipham reuertemur,
regnauisset annis viginti, mortuus est,
ato Christo CMXXXIII. Egiræ CCC-

HERBILA MAHAMED
Calipha XL.

mortuo, detulerunt milites Imperium
em eius Kahelbilam Mahamed Ben
d, quem tamen iidem non diu re-
erunt: nam elapsis mensibus octode-
runt ei oculos, Anno Salutis nostræ
XV. Egiræ CCCXXII. transtulerunt-
um in

IN BILAM MAHAME-
dum, Califam XLI.

Mauctaderi Caliphæ filius fuit, & Can-
uo aliquot menses post abscindi ma-
inde ipsum de patibulo suspendi jus-
d se inconsulto edicto cuidam, etsi
ni momenti, subscripsisset. Fuerat ha-
more positum, vt Caliphæ ipsi in-
entur Legem Mahometi ad populum,
dicto iussit, vt id imposterum Consi-
Vezieri facerent. Regnauit hic Cali-
s IV. mortuusque est anno Christi
IX. Egiræ CCCXXVI.

MVKTAFI BILA EBRAHEM
Calipha XLII.

Mauctaderi filius hic fuit, creatus Calipha post mortem fratris sui, cum graui fame apud Bagadetum laboraretur, quam famem horribilis secuta est pestilentia, quæ magnam hominum multitudinem sustulit.

At Muktafio milites effoderunt oculos anno Salutis CMXLIII. Egiræ CCCXXX, cum præfuisset rebus annis quatuor, quanquam post amissos oculos adhuc XXIV. annos vixerit, quo tempore caliphatu potitus est filius eius.

MVKTAFI ABDELA, CA-
lipha XLIII.

Regnante hoc primum accidit, vt Nacereus, postquam cum Azfare transegisset, Phtisi mortuus fuerit: vir, dum vixit, bellicosus, qui obiit anno regni sui XXXVIII. Salutis Nostræ CMXLIV. Egiræ CCCXXXI. Fuit Princeps liberalis affabilisque. Nominauerat quidem hæredem regni filium primogenitum Ismaelem: hic vero cum morte sua patrem præueniisset, iunior nomine Nuæus ei successit.

Nunc dicemus de Abusuia eiusque filiis, qui hactenus Azfari militauerant. Cum Azfar rediisset cum Nacereo in gratiam, misit Emandum Daulæum maximum natu cum fratribus eius aduersus Vrbem Hisphaon, quæ caput est Hieraquenæ, cui tunc præerat Mosafat Ben Iacut.

Hic imbecilliorem se videns, deserta regione fugit Scyras ad Iacutum patrem suum, vnde ambo coniunctis viribus duxerunt in hostem, cumque Nardauegem habuissent obuium, conserta pugna vicerunt eum. At Mardaueges fugiens implorauit opem Emandi Daulæi fratrumque eius, contra quos pariter Iacutus ita duxit suas copias, vsus hoc strategemate. Peditibus, quos præire iussit, dedit ollas fictiles impletas Naphtha & bitumine, eum myxis ardentibus, vt incensas illas in aduersum hostem mitterent, quod & fecerunt.

Cum vero ventum haberent contrarium, non solum hosti nihil intulerunt mali, sed & ipsi ambusti igne fuerunt. Pariter equitatus Iacuti, perterritis flamma equis, inutilis factus est, cum equi consternati contemto sessorum imperio præcipiti auferrentur fuga. Hos Emandus Daulæus persecutus, opulentissimis potitus est spoliis, vnde ei creuit animus, vt comitantibus fratribus ingressus Persidem eam prope fine sanguine sibi subiecerit, hinc obsedit Scyras caput regionis, cumque Vrbs esset primi nominis, & à multis habitaretur nobilibus familiis, soluta de suo militibus pecunia, redemit eam ne spoliaretur.

Cum Emandus aliquot diebus in regia Iacuti quieuisset, magna eum sollicitudine habuit,

buit, quo pacto debita militibus persolueret stipendia, auro destitutus & argento, & audiebantur iam minæ murmurantium, proximumque aberant à seditione militari. Plenus igitur tristitiæ & formidinis, ingressus in cubiculum decubuit super lectum. Ibi sublatis oculis videt in foramine quodam laquearis ingentem colubrum, subinde exertantem caput atque retrahentem id. Territus ergo ostento vocat seruos, imperatque iis, vt sine mora demoliantur tectum, quod erat planum more ædificiorum in Oriente. Eo facto, non solum offenderunt serpentem istum cum nonnullis aliis, quos è vestigio interfecerunt, sed & incredibilem thesaurum, quem Iacutus eò absconderat, qui largiter sufficiebat ad persoluenda militibus stipendia. Aliquanto tempore post alia prosperitas Fortunæ benignitate eidem oblata est. Cum aliquando nouam sibi iussisset confici vestem, & Vestiarius, qui antea Iacuto in eodem opificii genere seruierat, ante eum constitisset, iussit sibi Emandus porrigi baculum. At sartor plenus formidinis, cum scipionem sibi impactum iri certo crederet, prostratus humi, ignoscì sibi petiit, fassurum se veritatem etiam non verberatum. Iussus ergo dicere, habere se domi suæ, inquit, XVII. Cistas bonis rebus plenas, quas Iacutus proficiscens ab Vrbe apud se deposuisset. Statim missi sunt, qui cistas aperirent, in quibus vis ingens telæ aureæ sericæque reperta fuit, & stragulorum ac aulæorum magni precii: quarum rerum pars etiam ad vestiarium peruenit.

Dum hæc in Perside fiunt, successit Nuæus Nacereo patri in regnis Maurenahar, Carasone, Nichabura, aliisque regionibus vicinis.

At Hamuiehus felix ille dux militum non per omnia sentiebat cum Nuæo, cumque hunc iam in regio collocatum videret solio, nihil dubitans, quin priuatas persecuturus esset simultates, subduxit se clanculum ab Aula, rediitque domum.

At Nuæus tam plenis beneuolentiæ eum inuitauit litteris, vt Hamuiehus ad Regiam reuersus fuerit, cui Nuæus dedit Satrapiam Samarcandæ. Post hæc tempora Nuæus variis locis bella gessit, sed per duces legatosque suos, quorum omnium infelix fere fuit exitus.

Cum enim Aboaly præfectus oppidi Rey rebellasset, profectus aduersus eum Nuæus, sed bis victus fuit, & alter ingressus Bokaram ciuitatem, voluit eam penitus solo æquare, nisi diuum precibus & lamentis exoratus fuisset.

Postea tamen Nuæus, cum meliore fortuna vsus omnia recuperasset, crudelibus modis animaduertit in omnes, quotquot rebellauerant, qua sæuitia effecit, vt multi deserto se ad hostes transfugerent. Erat tunc Emandus Daulæus in Vrbe Seyras, cum accepit nuncium, Maidevegem, cuius ipse hactenus milit
rat auspiciis, cæsum fuisse per seruos suo
balneo. Missio igitur Acemo fratre suo
pit Hieraquenam, contulitque vires cun
boaly, cui tum non bene conueniebat
Nuæo.

At huic Calipha contulit præfecturam
rasoniæ, quam dum adit Aboaly, mo
Nuæus tristitia animi, vt putatur, relicto
Abdul Maleco.

Cæterum Emandus, cum fratrem Ace
ad occupandam Hieraquenam misisset,
etiam alterum Achmetum ad inuadendan
uinciam Kermonensem, quam & cepit, &
sidiis muniuit: deinde duxit Bagadetum,
vrbem deditionem facere coegit. Erga
pham autem Muktafi Abdelam magna c
litate vsus est, cui erui iussit oculos, post
regnauerat annos IV. & totidem menses:
accidit anno salutis CMXLVII. Egiræ
XXXIV.

MOTYA BILA FAZEL
Calipha XLIV.

Cum Superiori Caliphæ vsum oculor
emisset Achmetus, substituit ei Motya
lam Fazelem, Moctaderi filium. Hoc
re receptus est Lapis ille sanctus, de qu
diximus, quod Arabes Latrones euma
rint Mecha, & Cufam transtulerint: q
& alio tempore idem ille Lapis Mecham
tatus, & appenso contra auro pari ponde
emtus fuerit.

Interea Emandus Daulæus cum in m
lapsus non procul à morte se abesse sentir
catum ad se Azudum Daulæum, nepote
ex Acemo fratre, hæredem instituit, ipse
post mortuus.

Perierunt & circa idem tempus m
Principes, interque eos Vaxus Magir hu
in venatione aper mortem attulit, cum
equi crura intulisset, eodemq; impetu eq
sessorem euertisset. Et Achmetus Eman
Bagadeti mortuus est. Acemus item Be
zani in Tabrastana, & Caphutus Hach
pud Cayrum, & Aboaly Ben Mahame
ctris, & apud Damascum Seyf Daulæus
mo etiam Imperator Constantinopo
Facta sunt hæc anno Saluis CMLVI
CCCXLV. Afflixit eodem tempore
nam, Carasoniam, aliasq; Persici regni
cias horribilis pestilentia, erantque om
go plena confusione & reciproco timo
omnes sibi metuerent, nemo se alteri c
durauitque hæc diffidentia per aliquot

Anno A N. C. CMLXII. Egiræ CC
Abdul Malecus Nuæi filius per Hippo
decurreret, lapsus ab equo ceruices fre
regnasset annis VII. mensibus VI. cui
frater Manso r. Huius electioni op
quantum potuit Albataquinus Vierus,
ualuit factio Mansuri, & Albataqui

apud Balcam victus fuit. Quo suc-
Mansurus, conuertit arma in Hie-
n & Ciuitatem Rey. Acemus, qui
possidebat, occurrens ei cum copiis, mit-
interea filium suum, vt valida cum manu
ursiones faciat in Carasonem, ad distrahen-
Mansuri vires.

nterea Abul Ocenus, dux copiarum Acemi,
ens neutrius Principis animum abhorrere
ace, cœpit de ea mentionem facere: quæ ita
clusa est, vt Acemus Mansuro solueret
XX. millia denariorum auri, ipse Mansu-
in confirmationem fœderis vxorem duce-
Acemi ex fratre neptem, quod accidit an-
N.C. CMLXXV. Egiræ CCCLXIII. quo
o ex Paralysi mortuus est Calipha Motya
cum XXIX. annis regnauisset, relicto filio
ha Abdelo Carimo. Mansur autem duo-
annis post mortuus est, cum regnasset annis
relicto filio Nuæo.

TAIAHA ABDEL CARIM, *Calipha XLV.*

ucceſſit hic patri mortuo in Caliphatu,
obtinente regnum, (vel potius vmbram
; nam Caliphæ iam solo nomine reges e-
aliis regna & prouincias obtinentibus)
r res obseruatione dignæ in Persida ac-
unt. Duobus annis post electionem hu-
ortuus est Acemus Daulæus, qui filium
Azudum regem Hieraquenæ fecit, qui
mortem patris regnum suum valde au-

uæus vero Ben Mansur, Princeps prouin.
Maurenahar bellorum nactus est mate-
Cabus enim Changuiri filius rebellauit
sus eum, cepitque regiones Gerionensem
praſtanam.

rca idem tempus magna fuit controuer-
er Azudum Daulæum & Facotum Dau-
fratres, vt ille contra hunc copias mise-
mque coegerit in Cabusanam prouin-
fugere: quem Cabusus honorifice exce-
suaque omnia ei offerens. Grauiter of-
hæc res Azudum, qui in vtrumque du-
exercitum vtrumque vicit, receptaque
ne & Tabrastana, coegit Cabusum & Fa-
fugere ad Nuæum Mansuri filium, qui
mis militibusque adiuuit, quibus cum
congressi & superiores facti coege-
um in munitissimum quoddam castrum
, quod & obsederunt.
m autem obsidio iam vltra secundum
m tracta fuisset, proditione cuiusdam
ionis captum est.
m autem Facorus Daulæus paulo post
us fuisset, Azudus sublato fratre æmulo
regni dominus euasit.
ca idem tempus mortuus est Abu Oce-
rimus Nuæi Vizierus, cuius mors, nisi
obseruatione digna est. Habebat inter
s quarum gregem alebat, vnam præ cæ-
teris charam, quæ & specie reliquas antecelle
bat.

Cum hac dum aliquando rem Veneream
exercet, repente eum mors corripuit, estque
mediis immortuus voluptatibus, quod omnes
non parum admirati sunt.

Reliquit filios duos: primo nomen fuit Boa-
ly, qui patri successit in Satrapia Carasonensi
& Nichaburiensi: alter dicebatur Faech, cui
Nuæus dedit Vaciratum Hieraquensem, qui
duo fratres inuidia & ambitione stimulati mu-
tuis se appetiuerunt armis.

Sed Boaly præuento fratre prior duxit ad
Bokaram, qui confugit ad Maruon, vbi colle-
git quantas potuit vndique vires: quo cognito
Nuæus misit aduersus eum Innahacum & Ba-
cturum, duos belli duces, vt Boalyn ad officium
adducerent. Hi persecuti fugientem, nullibi
eum consistere sinentes, primo Balcam se re-
cipere coegerunt, inde Tremedam, vnde scri-
psit ad Bocrachamum Turquestaniæ regem, in-
citans eum ad bellum aduersus Nuæum. His
ad hunc modum inter se digladiantibus, dat
Aboaly Ben Ocem litteras ad Nuæum, petit-
que ab eo supremam præfecturam terrarum Co-
rason & Maurenahar, allegans sua in eum ma-
ioresque eius merita.

Non abnuit Nuæus, ita tamen vt Aboaly ter-
ras illas feudi & beneficii iure, non aliter obti-
neret. Verum Aboaly, cum harum regionum
possessionem nactus fuisset, Tyrannum pro Sa-
trapa egit, cumque monitus à Nuæo Feudi do-
mino, non modo nihil responderet, sed & Bo-
charachamum Turquestaniæ regem ad Socie-
tatem futuri belli vocaret, vltro in regnum
Nuæi irruptionem fecerunt, diuisis inter se,
quas occupauerant terris & oppidis.

Illectus hoc successu Turquestaniæ rex, ma-
iores armauit copias, idemque fecit & Aboaly,
suntque denuo ingressi regnum Nuæi, idque
variis affecere cladibus.

Nuæus collectum aduersus eos exercitum
tradidit Innahaco, qui Faechum vicerat, qui
cum duobus illis congressus acie, victus, & in
Turquestaniam missus est. Hoc affectus detri-
mento Nuæus, coactus est ex hostibus amicos
facere, vnde Faechum quibus potuit modis si-
bi reconciliauit, eumque Samarcandam misit,
vt vrbi illi præsidio esset.

At Faechus videns Turquestanum aduer-
sus se venire, non defendit prouinciam, sed
deserta ea Bocaram abiuit, vlciscens hoc mo-
do priores Nuæi offensas.

Hæc proditio penitus prostrauit Nuæum,
vt desperata incolumitate è regno aufuge-
ret.

Interea occupat Turquestanus Samarcan-
dam, indeque profectus Bokaram coniun-
git se cum Faecho, quem ille mittit cum vali-
dis copiis ad occupandam Balcam Vrbem
cum vicino agro. At Nuæus quam occultissi-
me transito Iehuno fluuio, circa Hamulche-
tum consedit, quo ad eum confluxere mul-

tiex

ti ex amicis eius, vt iam pene iusti exercitus instar conficerent: vnde aliquam concepit is spem melioris successus. Datis igitur litteris ad Aboalyn, monet hominem, vt memor esset acceptorum beneficiorum, ampliora etiam pollicitus, si ad officium reuerti vellet. Respondit simulate Aboaly, fingens se facturum quod ille petiisset, quærens interim occasionem interficiendi Nuæi.

Labitur interea in morbum Bokarachamus, & de consilio Medicorum in Turquestaniam se deportari iubet, vt ibi paterna ac salubriore frueretur aura: sed ingraescente malo moritur in itinere.

Huius intellecta morte Bactriani, facta in castra eius, quæ iam sine capite erant, eruptione, ingentem ediderunt stragem, adepti etiam prædam incredibilis præcii. Hanc occasionem non negligendam ratus Nuæus reuertitur in regnum, accipiturque ab vniuersis cum gaudio.

At Aboaly audita morte Turquestaniæ regis, voluit redire sub obedientiam Nuæi, quem frater Faechus, quamuis capitali ab eo dissideret odio, à sententia dimouit, persuasitque, vt coniunctis secum copiis bellum faceret Nuæo, qui iam ante hos motus in Indiam cum exercitu miserat Sabutaquin legatum suum, qui occupatis aliquot regionibus circa id tempus cum larga præda victor reuersus fuerat. Huic Nuæus supremum copiarum imperium detulit, eumque misit in Carasonem.

Aboaly videns ingentem Nuæi apparatum armorum, cupiens præuenire hostes, quærit amicitiam Facori Daulæi, quam & ingentibus muneribus adipiscitur.

Interea Nuæus & Sabutaquinus egressi cum exercitu, comitantibus Satrapis Balcano, Gerionensi & Gergestano, quærunt Aboalyn, qui cum aliquot veteranorum cohortes à Facoro, & legionem vnam à Cabuso accepisset, egressus Hieraquena statuit cum hoste confligere. Sic cum prope castrametati fuissent vtrique, diu vitari prælium non potuit.

Aboaly quidem ita suam struxit aciem: Faecho dedit alam dextram, Abalcacemo vero alteri fratri, sinistram: ipse mediam tenuit aciem. Nuæus cum suam aciem in plures partitus fuisset cohortes, præfecit singulis singulos duces: Amir tamen Sabutaquinus & Seyfa Daulæus medium aciei robur obtinuerunt. Conserto prælio vtrimque fortissime pugnatum est, ad extremum tamen Aboaly equites terga verterunt, vnde totius aciei inclinatio secuta est. Quo viso Sabutaquinus cum suis acrius instare perculsis, nec ante cessare quam hostes penitus profligauerit. Glisscente hac pugna, Darabus Cabusius deserto Aboaly, Nuæi partes secutus est, quæ res magnum ad victoriam Nuæanorum attulit momentum.

At milites Aboaly, qui à strage & cæde superfuerunt, male habiti, vt quisque potuit, Nichaburam euaserunt.

Victoria ad hunc modum parta diuisisque spoliis, creauit Nuæus summum copiarum suarum ducem Mahamudum Sabutaquini filium, ita exigente patre. At Nuæus victor Bokaram abiuit, Sabutaquinus Gazancham, Mahamudus Nichaburam petiit.

Aboaly vero & Faechus fratres in Gerionem ad Facorum Daulæum confugerunt, qui eos comiter excepit & benigne habuit. At hospites hi tam importuni fuerunt, vt Facori gratia diu vti non potuerint: quod sentiens Aboaly mortalium ingratissimus, quæsiuit media, Facorum interficiendi.

Noluit tamen consentire Faechus fratri, sed suasit, vt potius Nichaburiæ regulum Muhamedum inuaderent: qui sentiens tale aliquid, patrem de auxiliis appellauit: qui dum tardius opem fert laboranti, vincitur Muhamedus à fratribus, eiiciturque prouincia. Audita filii clade Sabutaquinus, conscribit celeriter copias, egressusque Sistone assecutus Aboalyn, cum eo prælium committit: quo maxime glisscente superuenit cum aliquot cohortibus Muhamudus, vnde in fugam conuersi hostes magna strage cæsi sunt. Ipsi fratres vix magna difficultate in Calatem arcem munitissimam se receperunt, inde diffidentes loco recipientes se ad Maruon, de gratia atq, venia appellauerunt Nuæum. Et Aboaly quidem eam adeptus est, sed ita, ne Gerionia, nisi permittente Nuæo, pedem efferret.

At Faechus ferocior ad Ilechcanum Turquestaniæ regem se recepit, qui Bocarachamo successerat.

Diffidebat Vatiniano odio ab Aboaly Abu Abdula Præfectus Corrazamæ: qui aliquando irrumpens Gerioniam captum Aboalyn abduxit. Hunc vicissim iussu Nuæi capit præfectus Herioniæ restituitque in libertatem Aboalin, quem & humanissime habuit, noctes diesque cum eo perpotans.

Quodam die cum largiter bibissent, Mahamumus Gerioniæ præfectus productum ex carcere Abu Abdulam, truncari iubet capite. Hoc facto scribit ad Nuæum, petitque ignosci Aboaly.

Respondit Nuæus, dudum se ei ignouisse, & iam velle, vt eum ad se mitteret, habere se super quibus cum ipso colloqui vellet. Mittit Mahamumus Aboalyn, qui statim vbi ad Nuæum venit angusto inclusus ergastulo in eo periit.

Huius frater Faechus persuasit Turquestaniæ regi, vt Nuæo bellum inferret. At hic, quem nihil horum fugiebat, missum cum copiis Sabutaquinum, iubet præuenire Faechum, mandatque Mahamudo, vt se cum suis militum cohortibus è Nichaburia patri coniungeret: ipse noua vtrique submisit militum supplementa, vt ad iusti exercitus magnitudinem accederent. Hunc apparatum videns Turquestaniæ rex, non necessarium dedignatus bellum, de pace cum Nuæo egit, cuius benefi-

cio

cio Faëcho præfectura Samarcandæ vrbis contigit. Et sic finis fuit horum bellorum circa annum Salutis CMXCVI. Egiræ CCCLXXXV. Ab hoc tempore lætatus est pace Nuæus vsque ad vitæ suæ finem, qui ei contigit biennio post, cum regnauisset annis XXII. & filium Abul Hares Mansur successorem reliquisset.

Dum hæc ita fiunt in regionibus Vsbek, Maurenahar & Carasson, ipsum regnum Persicum quietum non fuit. Nam Daulæi, de quibus superius diximus, & quarum rerum narrationem huc vsque reseruauimus, pergentes in rebellione sua, multum regioni damni intulerunt. Et Azudus quidem Daulæus, cum regnum adeptus fuisset, misit Abul Fauarez filium suum in Carasonem, vt compesceret Præfectum quendam qui rebellauerat, quem & vicit. Sed & Moëzus Daulæus, Auzudi frater apud Bagadetum mortuus est, cui successit Bactear filius, qui cum patrui & consiliariorum monita contemneret, fuit in causa, vt primo Subataquinus, deinde Albataquinus cum magno Turcarum numero regnum eius inuaderent. Ibi Bactear implorauit Auzudi auxilium, qui accurrens magna diligentia, profligauit Turcas, eosque Bagadetum vsque persecutus est, vbi eos Bactear obsedit. Cum autem oppidani diu acriter restitissent, postremo Turcæ assumto Caliphа, confugere ad Tecritum Mesopotamiæ super Tygrim fluuium. Bactear factus dominus vrbis, Caliphæ reuocato possessionem eius restituit. Displicuere hæc vehementer Auzudo Daulæo, vt nepotem captum carceri incluserit, quem tamen paulo post exemtum restituit.

Postea duxit Auzudus copias suas in Arabiam: & Bactear, spreta eius absentia, in regnum eius incurrit, eique magnam vastitatem intulit. Reuerso autem Azudo, Bactear in Mosul vrbem, quam quidam putant esse Ninieuen, se recepit. Præerat huic eo tempore Abusalebus, qui cum vigenti millibus armatorum Bacteari se coniunxit: sed ab Azudo Daulæo victus, ipse quidem Abusalebus effugit, Bactear vero captus est, cui patruus iussit amputari caput. Cumque territorium Mosulanum supra modum Auzudo placuisset, statuit ibi sibi figere sedem, adiunctis vicinis regionibus, ipse Bagadetum vrbem, quæ superioribus bellis prope pessundata fuerat, instaurari iussit, remissisque populo tributis annuis, puteos hinc inde effodi per vias publicas curauit, fautor insignis Philosophorum, Medicorum & Poëtarum, adde etiam Christianorum, quibus non solum permisit vti templa siue Oratoria in suo ædificarent regno, sed & ipse è suo ærario partem sumptuum fieri iussit. Anno A N. C. CMLXXXII. Egiræ CCC.LXXI. extruxit Bagadeti sumtuosam illam domum Hospitalem, quam luculentis dotauit prouentibus, apud Scyras vero aliam non minorem: cumque præterea multa bono principe digna fecisset, incidit in speciem quandam Maniæ, mortuusque est anno A N. C. CMLXXXIII. Egiræ CCCLXII. cum regnauisset annis XXXIV. relictis tribus filiis, Scerfa, Scamso & Bahaone Daulæis. Scerfa quidem sibi Persidem elegit; Scamsus Bagadetum: cumque aliquando fratres conuenissent, cepit Scerfa Scamsum, eumque in carcerem compegit, sed paulo post mortuus est, anno Christi CMXC. Egiræ CCCLXXIX. Scamsus igitur exemptus carceri in eius locum suffectus est. Assumsit hic sibi in regno socium Bahaonem fratrem suum, sed gratia hæc cito in bellum exarsit, quo Scamsus Bahaonem acriter persecutus est. Sed accidit, vt milites poscentes à Scamso debita sibi stipendia, cum nihil æqui obtinuissent, concitata seditione, Scyras vrbem oppugnarent, in qua erat Scamsus, qui cum fugere vellet, captus est ab iis apud Dudmonem, duobus Parasangis ab vrbe, in quam reductus & cum matre sua necatus est, cum regnauisset ann. IX. mensibus VIII. anno A N. C. CMXCI. Egiræ CCCLXXX. cui Bahao frater natu minimus successit sine controuersia.

Erat tunc rex Gerionis, vt diximus Facorus Daulæus, qui faciebat bellum cuidam Sahaio Hebado, homini prædiuiti, quem vicit, eiusque potitus est thesauris. Postea cum confectis his bellis in Arcem quandam Tabaracam se recepisset, tantum comedit in mensa bubulæ carnis salitæ, ingestis plurimis vvis, vt dolore stomachi intra paucas horas obiuerit, nemine admodum mortem eius lugente, quod sæuus & crudelis fuisset. Audita morte eius, tanta fuit in Vrbe consternatio populi, vt cadauer humari non potuerit, donec fætore coacti illud terra obruerunt. Habuit filios tres, de quibus in sequentibus dicemus. Primus belli dux Bahaonis fuit quidam Boaly, cui imperauit, vt ex omni regno Persico eiiceret filios Bactearis, quorum natu maximus Abu Nacereus Præfectum Kermonensem omni, quam sibi vendicauit, eiecit prouincia. Contra hunc miserat Bahao Daulæus Mufecum, qui eum vicit fugauitque, quem postea seruus trucidauit. Primo regni sui anno deposuit Bahao Pontificatu Taiam Abdelcarin Calipham, cum illa dignitate annis XVII. & mensibus II. præfuisset. Ea tunc erat Caliparum conditio, vt qui ante omnibus imperitauerant, postea multis parere cogerentur. Anno A N. C. MXII. mortuus est apud Bagadetum Boali dux belli, Egiræ CDI. & anno sequenti Bahao Daulæus rex, cum vixisset annis XLII. mens. IX. regnauisset vero annis XXIV.

KADER BILA HAMED, CALIPHA XLVI.

Etsi iam olim omnis Calipharum potentia exoleuerat, & nudum esset sine regno aut imperio nomen, vt quorum omnis auctoritas

in Spiritualibus, vt loquuntur, consistebat: cum tamen Mirkondus & Texiera Historici eos referant in numerum Principum, ad vitandam confusionem: nos quoque eum ordinem sequi voluimus, cum rerum Persicarum intricatissima series sæpe interrumpat ordinem Chronologicum. Igitur Bahao Daulæus, cum Taiam Abdelcarim Caliphatu mouisset, substituit in eius locum Kaderum Bilam Hamedi, Ezachi filium, Moctaderi nepotem: sub quo quæ acciderunt, hæc fere sunt.

Facoro Daulæo rege Gerionis mortuo, Maiudus Daulæus filius successit, Rex salutatus quamuis trimulus puer esset. Interea Sayda mater eius gubernacula regni tenebat, mulier magnæ prudentiæ, & apta ad conseruandam in regno pacem. Cum autem filius adoleuisset, volebat omnia pro temeritate iuuenili agere, contemto matris consilio, quæ indignata recepit se in Arcem Tabaracam. Legerat autem sibi rex adolescens Consiliarium quendam Aboalyn, reclamante matre: qui veritus ne mulier egressa regno magnas daret turbas, iussit omnes obsideri vias: neque tamen sic impedire potuit, quin regina in Cufestanam peruaderet, quam tunc regebat Acemus Nuiehus: qui ea visa, & edoctus de rebus filij eius, collegit militum copias, assumtaque sibi muliere duxerunt in Maiudum Daulæum, Saydæ filium, eiusque Vezierum Aboalyn, quem vtrumque vicerunt atque ceperunt. Sic regnum rursus peruenit in muliebres Saydæ manus, quæ ei magna prudentia & consilio præfuit.

Regnabat circa id tempus in prouinciis Carason & Maurenahar Mamudus Gasnæus, vt suo loco dicemus, qui cum victricia arma per omnes vicinas regiones circumtulisset, misit Oratores ad Saydam, petens, ne in eius regno alia quam sua in vsu esset moneta, suo inscripta nomine & armis, addens, nisi ita fieret habiturum se conquerendi causam. Respondit mulier appositissime. Si maritus meus in viuis esset, iure metuerem, ne vir viro bellum inferret, dubio quidem euentu. At nunc cum & mulier sim, & vidua, satis scio, te arma aduersum imbecillitatem meam non capturum, cum multo sis animi generosioris. Et hoc quidem accepto responso Mamudus tunc acquieuit. Paucis diebus post recepit Sayda in gratiam Maiudum filium, nec tamen omne regnum ei permisit, sed Scamso secundo filio dedit Amadonem, & Abuiafari tertio Hispahonem: sic rexit hæc mulier prouincias regni Persici in pace & tranquillitate vsque ad mortem suam, quæ ei contigit anno A N. C. MXXX. Egiræ CCCCXX. Hæc mors magnarum in regno confusionum causa fuit. Mamudus enim Gasnæus duxit exercitum in Hieraquenam, è cuius castris discessit Manucherius Cabusi filius, Vaxi Manguiri nepos, Veritus autem Mamudi iracundiam, ingentibus eum placauit muneribus, quorum precium DC. millia ducatorum aureorum excedere creditur.

Sed nunc demum ad res Carasoniæ redeundum est. Nuæo mortuo successisse diximus filium, Abul Harez Mansur. Huius copiarum dux erat Bacturus, cui Abul Ilecchanus Turquestaniæ rex bellum intulit, vt & antea patri eius. Hinc Turquestanus misit Faëchum cum sufficiente militum manu ad Bazaram, vbi erat Mansurus, qui deserta ciuitate fugit. Hanc Faëchus ingressus, negauit se regis offendendi ergo venisse, sed vt sua ei præstaret seruitia. Reuersus Mansur, cum Faëchum non simulate locutum intellexisset, dedit ei præfecturam Carasonensem.

Circa hæc tempora contigit mors Sabutaquini, quæ nouorum tumultuum causa fuit inter filios eius Mamudum & Ismaëlem, vt Ismael conspectum fratris fugere necesse habuerit. Postea adeptus est Mamudus Præfecturam Balcanam, Tremedensem & Heratensem: quibus ille non contentus, inuasit cum copiis Nichaburam, vbi rex erat, qui cum paratus non esset, diffidens loco, fugam arripuit. Mamudus tamen, qui rebellis regi suo audire nolebat, vlterius progressus non est. Venerat interea quidam ex domesticis Mansuri ad Faechum, apud quem questus est, se parum honorifice à rege habitum fuisse. Huic vicissim narrauit Faëchus, quot modis ipse quoque à Mansuro offensus fuisset. Sic hi duo, cum in regem conspirauissent, occupato illi inter epulas eruerunt oculos, cum non nisi anno vno & mensibus VII. regnauisset: substituto in regnum Abdel-Maleco fratre eius. Mamudus cum hæc intellexisset, ducto in parricidas illos exercitu, omnes eos profligauit Carasonia, factus ad eum modum solus illius prouinciæ dominus. At qui effugerant, correptis denuo armis in Mamudum ibant, cumque res ad prælium spectare videretur, interueniens mors Faëchi id impediuit. Cæterum Ilecchanus Torquestaniæ rex, auditis his motibus, cum magno exercitu Bokaram venit, Abdel-Maleco regi suam deferens opem auxiliumque. Credidit nimis facile simplex adolescens, misitque præstantissimos quos circum se habuit viros ad Turquestanum, vt ei agerent gratias: quos ille omnes captiuos fecit, vnde territus supra modum Bactrorum rex, nunc fugam nunc latibulum circumspexit. Ilecchanus autem ingressus vrbem, stationes militum per vias disposuit, & ad portas turresque murorum excubias. Post perquisitum vbique regem adolescentem, inuentumque ad Vscandam misit, vbi periit in carcere. At Bactriani elegerunt fratrem eius minimum natu, qui tamen breui tempore regnauit. Acciderunt hæc anno A N. C. M. Egiræ CCC. LXXXIX. Rex Turquestanus videns Bocaram in sua manu, cepit etiam Abul Hares Mansur, eumque priuauit oculis,

vt

vt & omnes regio sanguine ortos, quos singulos singulis inclusit ergastulis, additis seruis qui iis ministrarent. Inter hos erat quidam, quem miseratio sortis Abu Ebrahemi captiui tangebat: hunc vt liberaret è carcere, rectum prælonga palla muliebri, peregrino schemate extraxit ergastulo, deduxitque in domum amicæ suæ, vbi aliquandiu latuit, donec vsus occasione egressus Bocara Corazanam venit, vbi collectum exercitum cum ad Bocaram duxisset, conflixit cum Taquino Ilecchani Præfecto, eumque vicit & cepit cum multis nobilibus.

At alibi Arsalon Balu totam regionem deuastauit, vsque ad Cantaræum minus, cui alius Ilecchani præfectus cum copiis occurrit, pariter victus ac prior ille. Posthæc rediit Montecerus Bokaram, cum honore receptus ab omnibus, cumque se cum Arsolane coniunxisset, transito Iehuno fluuio venerunt in Nichaburam. Ad horum aduentum Amur Nacerus Mamudi filius deseruit prouinciam, profectus Heratam, vbi pater eius habitabat: qui magnam militum manum misit aduersus Montecerum. At hic stultum ratus expectare, aufugit in prouinciam Cabusanam, estque exceptus cum muneribus, vt Mirkondus refert, qui dona illa velut per ocium enumerat, in tanta quamuis antiquitate temporum. Pollicitus ei fuerat Cabusus copias auxiliares, ducibus duobus filiis suis Darabo & Manucherio: postea tamen mutauit sententiam, reuocauitque filios suos ad se: quod factum est anno AN. C. MII. Egiræ CCC. LXXXXI. Eodem tempore misit Mamudus filium suum Amir-Nacerum ad recuperandam Nichaburam, cui oppositi Montecerus Abub Cacemum & Arsalonem, qui acie ab illo victi fuerunt. Montecerus ex prælio fugit Ibudam, quo eum Nacerus secutus fuit; sed is deflexit in Gerionem. Cabusus interim intellecta Montecerii infelicitate, misit duo millia militum, qui impedirent transitum eius, adeo homini indignabatur, vt eum ad conspectum suum admittere nollet: sic infelix Montecerus aliam insistere viam coactus est, iussitque in ipsa fuga interfici Arsalonem, leui sane de causa, vnde omnium in se concitauit odia. Postremo iterum victus Montecerus, cum paucis suorum incidit in manus Turcomannorum. Sunt autem hi pastores, qui passim errabundi pascunt greges suos, habitantes in uguriolis suis. Hi cum Montecerum cognouissent, omne beneuolentiæ genus homini præstiterunt, memores amicitiæ, quæ ipsis cum patre eius intercesserat. Ex his celeriter collegit aliquam manum, estque cum iis progressus in regionem Maurenahar. Opposuit se huic Rex Ilecchamus: verum Turcomanni de nocte inuadentes castra eius, ingentem hominum numerum interemerunt, potiti omni præda & impedimentis. Hæc vbi fecere, ad mapalia sua reuersi sunt, & Montecerus Iehunum fluuium transiit, quod nisi celeriter fecisset, à Turcomannis, paulo ante sociis, ob inique diuisa spolia iratis, deprehensus, pœnas dedisset. Hæc facta sunt anno MIV. Egiræ CCCLXIV.

Erat ea tempestate quidam Abuiafar, homo plebeius, qui ex insidiatore & latrone viarum ad tantam conscenderat potentiam, vt toti formidabilis esset viciniæ; ab hoc petiit Montecerus auxilia. Tantum autem aberat, vt Abuiafar eum iuuaret, vt contra se omnibus ei opponeret viribus. Coactus ergo Montacerus cum eo conflixit, eumque vicit. Inde cum se Ibudam conuertisset, aliud inuenit obstaculum, Abu Nacerum, Præfectum prouinciæ illius, quem Montacerus cruento, eoque nocturno prælio vicit & occidit. Errabat inter hæc Montecerus, nec vllibi habebat locum refugij, cum præter spem adiutus ab Satrapa Smarcandæ & Nobilibus Turcis, qui in Vrbe habitabant, aliquot conscripsit cohortes, quibus Bocaram vrbem inuasit eamque cepit. Illecchamus hoc audito occurrit ei, sed victus, tantum amisit spoliorum, vt Monteceri milites inde diuites euaserint. At Illecchamus instaurato exercitu, rursus in Montecerum ducit, à quo quidam dux militum cum V. hominum millibus ad Illecchanum transfugit, quæ causa fuit, vt Montecerus pulsus fugatusque ad Iehunum fluuium se reciperet, quem cum superare non posset, per inuia itinera, vitabundus occursum hostium in Corestanam peruenit: vbi desertus ob infelicitatem ab omnibus, prope solus Bocaram venit. Huius vrbis Præfectus primo pollicitus est ei auxilia: sed cum aliquid periculi vereretur, iussit eum exire ciuitate. Sic calamitosus Montecerus latuit aliquandiu in humili casa, in parte Carasoniæ, cui quidam Arabs Ebenbaigus dominabatur. Quod cum innotuisset, quibusdam Arabibus, profecti eò de nocte obtruncauerunt eum, finemque fecerunt laboriosæ illius vitæ, anno AN. C. MVI. Egiræ CCCXCV. Huius morte intellecta Mahamudus, quamuis hostis ei fuisset, indoluit tamen, iussitque Arabem, qui eum interfecerat, crudelibus enecari tormentis.

Possidebat iam XVIII. annum Cabusus Vaxi filius pacifice quidem terras quasdam Carasoniæ. Ducebat hic genus ab antiquis Persarum regibus, vitaueratque solus illos digladiantium regulorum tumultus, vnde non ingentes solum acquisiuit opes, sed & magnam prudentiæ famam. Cum Subataquinus Aboalyn in Carasonia deuicisset, venit Bocaram, arctaque cum Cabuso contracta amicitia, obtulit ei operam suam. Erat tunc Gerionis Princeps, vt diximus, Facorus Daulæus, quem oppressum ibat Sabutaquinus, vt Cabuso eam tradere prouinciam posset. Huic rei petiit ab Turquestaniæ rege X. millia militum, quos vbi cum suis coniunxit cohortibus, effecit exer-

oitum non contemnendum. Dum autem apud Balcam delectum militum agit Sabutaquinus, mors eum rebus humanis eximit. Idem accidit Facoro Daulæo, cui succeſſit Maiudus filius. Habitabat apud Kumes Abul Cacemus, qui poſt mortem Sabutaquini ad Cabuſum ſe contulit, perſuaſitque ei, vt communi opera terras Facori Daulæi occuparent. Nec mora, Cabuſus Nichaburam ingreſſus eſt, perque duces ſuos magnam prouinciæ partem ſibi ſubiecit, quod idem & dux eius Siabedus in Tabraſtana fecit, occupata Amala loco magni momenti. Huc cum Acemus Ferazanus accurriſſet, à Siabedo eruptionem faciente victus captuſque eſt, cum centurionibus circiter XX. Elatus hac fortunæ indulgentia Cabuſus, ad altiora animum adiecit, ingreſſuſque Gerionem rex ſalutatus eſt anno A N. C. M I. Et quamuis non defuerint, qui ſe ei oppoſuerunt, ſemper tamen ſuperior fuit, vt ad extremum totam Gueyloniam ſibi ſubiecerit, quæ prouincia eſt latiſſime parens, cui & Satrapam dedit filium ſuum Manucherum, miſſis ingentibus ad Mamudum muneribus, vt bona ipſius pace his terris frueretur.

Erat autem iuſtitiæ Cabuſus tam rigidus cultor, vt prope modum excederet, vnde amor, quo à ſuis antea dilectus fuerat, in horrorem & odium conuerſus eſt. Quodam die cum in tentorio ſederet, ingreſſi quidam ſunt ad eum, interfecturi hominem. Sed euaſit ex eorum manibus, effugitque Boſtam. Sicarij vero omnem furorem ſuum conuerterunt in tentorium regis, quod ab iis diſciſſum eſt, & omnis direpta ſupellex regia. Cum autem filius eius iam creandus eſſet à ſeditioſis rex, dummodo pollicerentur, impune illos laturos hanc petulantiam: noluit accipere adoleſcens diadema citra cõſenſum parentis, pluris faciens officium filij in parentem, quam opulentiſſimum regnum. Quidam ergo miſſi ſunt ad Cabuſum, vt aſſenſum eius impetrarent. At pater delectatus filij obedientia, emancipauit eum ab obſequiis ſuis, & vltro in eum tranſtulit regnum, quod Manucherus ita demum acceptauit, magno cum vniuerſorum applauſu. Cabuſus vero, vt reliquum vitæ ſuæ quietus tranſigeret, recepit ſe in Caſtrum Cacecum, vbi Gerionenſes, de ipſo viuo vereri non deſiſtentes, eum interfecerunt: nec potuit longo tempore Manucherus reſciſcere, qui nam manus ſceleratas patri intuliſſent: poſtquam autem eos adeptus eſt, ſeueriſſimo ſuſtulit ſupplicio.

Ergo Manucherus Cabuſi filius, alio nomine Malech Amalius dictus, videns ſe dominum prouinciarum Gerionis & Gueylonis, miſit Oratores ad Sultanum Mamudum, vt ſe eius profiteretur clientem & beneficiarium, & offerret tributum annuum L. millium denariorum auri, qui conſtituunt circiter LX. millia ducatorum. Mamudus viciſſim deſpondit Manuchero filiam ſuam: ſed paucis poſt nuptias diebus Manuchero mortuo ſuccеſſit Darabus frater.

Miſcuit ſe hic Darabus, Cabuſi filius, rebus inter Nuæum & Boalin, cuius poſterioris partes ſecutus eſt, & deinde factionem Nuæi: quo mortuo cum à patre miſſus fuiſſet in Tabraſtanam, vt ei præeſſet prouinciæ, accuſatus quorundam criminum nomine, purgauit ſe coram patre. Adeo autem momordit accuſatio illa animum iuuenis, vt ad Mamudum confugerit, qui eum honorifice excepit. Cum autem Mamudum offendiſſet; videns ſe eius excidiſſe gratia, confugit ad Schacharem Gurgeſtaniæ regem. Poſtremo ſucceſſit, vt diximus fratri, breui lætatus regno.

De controuerſiis inter fratres Mamudum & Iſmaelem poſt mortem patris ſuperius diximus. Mamudus autem illis ſopitis videns ſe tranquillo potiri regno, contraxit amicitiam cum Illecchano, quod teneretur deſiderio inuadendæ Indiæ, vt pater eius fecerat: & ſane reportauit in iis terris illuſtres aliquot victorias, adeptus inſuper ſpolia opulentiſſima. Hanc proſperitatem inuidit ei Turqueſtanus, neglectaque fœderis ſanctitate, abſente Mamudo inuaſit terras illius, miſſo Taquino contra Balcam. Tenebat eo tempore Arſalon Præfecturam Heratenſem cum vicinis regionibus ampliſſimis pro Mamudo, qui ſe oppoſuit Illecchano & Taquino. Sed & Mamudus intellecta confœderati perfidia, omiſſis rebus Indicis domum properauit, vt regnum ſuum defenderet, eo euentu, vt Turqueſtanus victus, pulſus profligatuſque fuerit, amiſſis pleriſque neceſſariis propinquiſque ſuis, relicto fratre captiuo.

Hæc clades perculit Illecchani animum: qui cum videret tam valido hoſti ſe parem eſſe non poſſe, percuſſit fœdus cum Caderchamo, rege Ketaonis, quam regionem nos Catay vocamus, ita vt hi reges tam in Cataio quam in Turqueſtania & Maurenahar ingentem collegerint exercitum, & iunctis viribus Iehunum fluuium tranſiuerint. Hunc tam formidabilem apparatum vbi Mamudus apud Tabraſtanam intellexit, celeriter profectus Balcam, magnum numerum collegit Turcarum, Calangarum, Gaznæorum aliorumque populorum quibus cum ſuas copias coniunxiſſet prælium atrox commiſſum eſt. Et initio quidem videbantur Turqueſtani victores, quod conſpicatus Mamudus, deſperans iam de victoria, conſcendit ingentem Elephantum, eumque in denſiſſimum hoſtium cuneum egit, vt ipſe quidem multum damnaret, ſed & viciſſim ab omnibus peteretur. Amilites eius, videntes regem ſuum in tanto periculo, contemta morte hoſtibus illati, eum pugnando ſeruauerunt, & ſic victoriam inſperatam reportauerunt. Putatur autem hoc prælium fuiſſe inter atrociſſima & cruentiſſima quæ vnquam in Oriente commiſſa fuerunt, acciditque anno A N. C. M VIII. Eg. CCCXCVII

Hæ

Hæc victoria Mamudo ocium peperit, vt nemo deinceps eius in Indiam expeditiones impedire ausus fuerit, qui populos Indorum subactos coegit amplecti superstitionem Mahometicam. Ergo vicini Indorum reges, videntes de libertate & opibus suis agi, collectum ingentem exercitum opposuerunt Mamudo. Pugnatum ibi est per integrum diem, sed victoria penes Mamudum stetit, qui inter reliquam prædam opulentissimam XL. Elephantos cepit. Qui supererant ex Indis, receperunt se in munimentum quoddam inexpugnabile, situm in medio lacu, in quod coaceruauerant omnes suos thesauros, cum sacra Gaza & Pagodibus siue Idolis suis. Et tamen in hoc munimentum intrare potuit Mamudus, in quo quantum repererit auri, vnionum, gemmarum, aliarumque rerum pretiosarum, incredibile memoratu est, nec operæ precium velle percensere. Accidit hoc anno A N.C. MXI, Egiræ C C C C. Pari fortunæ fauore Mamudus aduersus Guzaratas vsus est, cæso eorum duce, qui se Persis opponere ausus fuerat. Ingens per id tempus fames Corasanam afflixit prouinciam, vt vulgo humanas esitauerint carnes, nullo obseruato vel sexus, vel ætatis, vel consanguinitatis discrimine.

Confecto bello Turquestanico Mamudus Bagadetum obsidione cinxit, vt Cader Bila, qui tunc erat Calipha, coactus fuerit se dedere, eique quinque milliones drachmarum auri persoluere, quo auro sibi pacem redemit Pontifex, reuerso in Persidem Mamudo. In huius Mamudi clientelam se dedit, professus seruitium Abu Nacerus, confirmatus proinde ab eo in Satrapia sua. Cum autem Mamudus profecturus denuo in Indiam, Nacerum secum ducere vellet, deprecatus est tam longum iter Nacerus. Et tunc quidem dissimulauit iram Mamudus: cæterum reuersus domum, misit aduersus eum Altuntacem, eumque grauiter castigauit. Ipse Mamudus tertio in Indiam profectus, iterum aliquot victoriis potitus est, & spolia opulentissima secum retulit.

Præerat tunc prouinciæ Coarzanæ Mamunus quidam, paulo post hæc tempora mortuus, relicto filio Aboaly, qui iunxit sibi matrimonio sororem Mamudi, magno suo bono: vixit enim in pace & ocio, donec rerū potitus est, habuitq; mortuus successorem fratrem eiusdem nominis, qui & ipse paucis diebus post mortuus est, non sine suspicione veneni, per quendam Neal-Ataquinum porrecti. Huius Mamuni interitum impatienter tulit Mamudus, statuitque eum vindicare, quo fine conscripsit exercitum, eumque misit in Coarzanam. Hunc mane quodam ex improuiso adortus Neal--Ataquinus, magnum Persis terrorem intulit, vt victoria ab initio dubia fuerit, quæ tamen ad extremum Mamudi partes secuta est. Neal Ataquinus in fuga à suis correptus, ligatisque manibus ad Mamudum ductus est. Et videbatur Mamudus facturus homini delictorum gratiam: cum autem satis superbe loqueretur victori, iratus rex iussit illum suspendi, translata Satrapia Coarzanensi in Altuntacem.

Quarta Mamudi in Indiam expeditio non minus felix fuit superioribus deuicto Gulcando rege Idololatra. Hic cum se victum videret, amissis L. millibus hominum, metuens ne vxor eius, quam formosissimam supra modum amabat, in hostium veniret potestatem, iugulauit eam, & deinde se ipsum quoque in ipsis Castris. Superauit in eadem quoque India reges Gipalem & Iandebalem, potitus immanibus diuitiis, reuersusque Gasnæam, extruxit superbissimæ structuræ Mosqueam in gratiarum actionem pro tot victoriis. Hinc cum in Persidem venisset, cepit vrbes, Rey, & Hisphaon in Hieraquena, cumque per annos duos æger decubuisset, extinctus est ann. A N.C. MXXXI. Egiræ C D X X I. Duobus diebus antequam animam efflaret, voluit sibi ad lectum afferri omnes suos thesauros, & quicquid vlpiam pretiosi habuit, quibus conspectis largiter illacrymatus verbum nullum protulit, vt de cogitationibus eius tum quidem constare non potuerit: ex eo tamen quod mandauit, vt cum cura custodirentur, colligi potest causa tristitiæ eius, quæ fuit, quod iis amplius lætari non potuit. Morti vicinus vocauit ad se minimum natu ex filiis, quem ingenij turbulenti nouerat, eumque hortatus est, ne quid aduersus fratres moueret, sed maximo natu obediret: respondit adolescens, non esse cur ipse vereretur aliquid, ita se victurum cum fratribus, vt ipse pater cum suis vixisset.

Dum hæc in Carasone, Maurenahar & Vsbequia fiunt, res Persicæ non in minore erant confusione. Magiddus enim Daulæus Rex Gerionis negligens admodum erat rerum suarum & improuidus. Mamudus ergo vir ambitiosus non negligendam occasionem ratus, misit aduersus eum exercitum, cui nihil quicquam repugnauit Magiddus, gnarus se Mamudum nulla re offendisse. Sed decepit eum hæc fiducia. Captus enim est cum filio suo Abuzeyso. Vix accepit de his Mamudus, cum sibi Magiddi thesauros afferri iussit, in quibus erat præter Millionem vnum denariorum auri ingens vis aureæ & argenteæ supellectilis, & res aliæ incredibilis precii: deinde voluit ante se sisti Magiddum Daulæum, quem præsentem interrogauit, an vnquam legisset Chronicon Regum Persiæ? & hoc asseuerante, quæsiuit alter porro, an nosset ludum latrunculorum? & hoc itidem affirmante, sciscitatus est porro, an vnquam vidisset duos reges in eadem area idem regnum possedisse? quod cum negauisset Magiddus, Mamudus ei multis verbis exprobrauit negligentiam & dissolutionem cum regnandi imperitia coniunctam, eumque misit in Carasonem.

Sed & inter ipsos Daulæos valde tumultuatum est in Persida & Kermone, belligeranti-

bus Albufabare & Gelala fratribus cum Tomo Daulæo, qui patri Boadaulæo ſucceſſerat : ſed poſtremo pax inter eos facta eſt. In Diarbecana intercedebant clandeſtina pacta inter Acemum Boadaulæi filium & quendam ex ducibus Sultoni Daulæi, quæ vbi detecta fuerunt, vix componi res potuit ne ad arma veniretur. Conuenerunt tamen ita, vt Acemus Boadaulæi Præfectus eſſet Hieracis in Arabia, Sultonus vero Daulæus haberet Aunacem cum Perſide. Sultonus vero domum reuerſus, maiores quam antea copias conſcripſit quibus præfecit Eben Salacem, quem miſit contra Acemum. Verum Salax victus, coactus eſt ſe victoris dedere arbitrio, ſalua vita, vnde in tantum creuere Acemo Boadaulæi ſpiritus, vt ſe ipſe Regem Regum appellauerit, quod accidit anno A N. C. MXXI. Egiræ CDXI. Anno ſequenti iuſſit Salaci erui oculos. Eodem anno Bagadeti rex factus eſt Gela Daulæus, factumque eſt nouum fœdus inter Acemum & Soltanum Daulæos, interuentu potiſſimum filij Soltani, ita, vt Hieracem Arabiæ haberet Acemus, Perſidem vero & Kermonem Soltanus, qui duobus annis poſt mortuus eſt, anno AN. C. MXXIII. Egiræ CDXIII. Poſt huius mortem quidam ex præcipuis eius belli ducibus Abu Mokaran nomine, voluit armata manu in regnum introducere filium eius Abul Ganiarem : ſed Turcomanni qui in Perſide habitabant, vocauerunt ex Kermone Abul fabarem Sultoni fratrem, eumque in Scyras vrbem receperunt, dum alter adhuc in via eſſet. Hoc intellecto Abul Ganiar miſit exercitum ad Scyras, vnde competitor eius in Kermonem ſe recipere coactus eſt. Neque tamen proinde pax fuit, cum quidam bellum in Abulfabarem continuarivellent. Ad extremum tamen poſt varias viciſſitudines Abulfabar reuocatus Scyras regnum Perſidos obtinuit.

Anno A N. C. MXXVI. Egiræ CDXVI. mortuus eſt Bagadeti Acemus, qui & Mocheraf, Daulæus, cum vixiſſet annis XXIII. menſibus III. regnauiſſet annis V. diebus XXV. Vocatus igitur ab Baſora eſt Gela Daulæus, qui cum non ſatis tempeſtiue adfuiſſet, tranſtulerunt proceres regnum ad alium. Vlturus hanc iniuriam ad Bagadetum acceſſit Gela, ſed repulſus fugatuſque Baſoram ſe recepit, cum omnia impedimenta bonamque partem militum amiſiſſet. Anno ſequenti Turcæ ceperunt Bagadetum, quam ſpoliauerunt & incenderunt, quod fecerunt, ne eſſet receptaculum Arabum, qui circa eam vrbem habitabant. At incolæ vocatum Gelam regem dixerunt, qui ingreſſus vrbem comiter ab Calipha exceptus, Pontifici pedes oſculatus eſt. Interea Turcæ, quorum Gela fuerat vſus opera, petebant ſibi ſolui ſtipendia : cumque Gela deſtitueretur pecunia, illi multa ediderunt inſolentiæ exempla, ſpoliatis præcipuis domibus procerum, incluſoque in domo quadam Gela, quem noluerunt dimittere, niſi Calipha pro eo ſpopondiſſet, qui vt ſatisfaceret militi, multas res precioſas vendere coactus eſt.

In Baſora pariter laboratum eſt diſſenſionibus inter Turcas & Dialemenſes, quorum illi fauebant Malek-Aciſo, nepoti Gela-Daulæi, quem oderant Dialemenſes. Hac pro ſe vſus diſcordia Abul Gamiar, occupauit Baſoram, progreſſus inde Vacetum : quem cum Gela impedire vellet, milites contra ipſum pugnare noluerunt, quod ſibi non ſoluta cauſarentur ſtipendia. Interea Albufabares Kermonis rex, videns res Perſicas ad hunc modum turbatas, profecturus eo cum exercitu, mortuus eſt in via, poſt cuius obitum vocatus à Kermonenſibus Abul Ganiar, Rex Perſidos & Kermonis appellatus eſt. Cum autem vellet apprehendere poſſeſſionem, obuium habuit cum exercitu Gelam Daulæum, à quo Abul victus & profligatus eſt. At Gela, cum Vaceto ſufficiens præſidium impoſuiſſet, reuerſus eſt Bagadetum anno A N. C. MXXXII. Egiræ CDXXII. quo anno mortuus eſt Cader Calipha, cum ſedem Pontificiam obtinuiſſet annis XLI. menſib. IV, in cuius locum ſubrogatus eſt filius eius.

ALKAHEM BEAMARYLA ABV-iafar Abdula, Calipha XLVII.

Huius tempora non fuerunt pacatiora quam ſuperiorum Calipharum : & vt à Caraſonia prouincia incipiamus, diximus in ſuperioribus de morte Mamudi, cui ſucceſſit Mahametus filius. Erat huic frater, cui Pater viuus dederat Prouinciam Hiſphaonenſem, qui ſtatim, vbi de morte patris accepit, arma ſumſit aduerſus fratrem. Antequam autem in eum duceret, ſcripſit Mahometo fratri, non alio ſe aduenifſe fine, quam vt ſua ei probaret ſeruitia : ſibi enim ſatis ſuperque eſſe terrarum, ad magnifice tranſigendam vitam. At Mahametus, qui talia non optabat ſeruitia, rogauit fratrem per ſuos, vt domum reuerteretur. Hoc reſponſo adeo offenſus eſt Maſudus, vt ſe confeſtim fratris hoſtem profiteretur, quanquam multi reconciliationem ſuaderent. Sed hoc fruſtra fuit. Mahametus enim præmiſſo aduerſus fratrem Iſſuf Sabataquino ipſe cum maximis ſecutus eſt copiis. Cum autem Tanganabaram veniſſet, ſubſtitit ibi per vnum mẽſem, quod eſſet quadrageſimæ tempus more Mahumetano. Ibi Maſudus eum circumuenit vt proditione Iſſufi & malitia Amir Halys, duo cum præcipuorum, Mahametus captus & fratri traditus fuerit, qui proditoribus dignam perſoluit mercedem. Iſſufum enim ferramentis oneratum in profundam demerſit foſſam, Halyn autem laqueo ſuſpendi iuſſit. Fratri Mahameto iuſſit Maſudus erui oculos, & ſic factus eſt dominus totius Caraſoniæ, Gaſnææ & Hieraquenæ : quod accidit anno A N. C. M XXXII. Egiræ CDXXI. Poſt hæc miſit Maſudus Altuntacem Satrapam Coarzinæ contra Halyn Taquinum qui tenebat Samarcandam & Bokaram hi cu

hi cum confligerent, victus fuit Taquinus, quamuis ab initio superior visus fuisset: Sed Altuntax victoriam illam magno emere coactus est, cum & florem militum suorum, & ipsam amisisset vitam. Sentiens autem se morti ex vulnere vicinum, pactus est inducias cum hoste, ne sui destituti capite cæderentur.

Anno A N.C. MXXXIV. Eg. CCCCXXVI. rebellauerunt Masudo vrbes Gibal & Rey, & milites præsidiarij, quæ pater ipsius in India reliquerat: Contra ipse occupauit Gerionem & Tabrastanam. Sed & duces Turcas vicit, & iter in Indiam adornauit. At Turcæ, qui dissipati non cæsi fuerant, multa per eius absentiam in Carasoniam occupauerunt, eieceruntq; Alaonem Daulæum & Abusalemum suis Satrapiis unde Masudus coactus est in Gerionem reuerti. Initinere certior fit, Latronem quendam cũ centum grassatorum manipulo, in munimentum proximum se recepisse, solitum spoliare viatores. Hunc cum suis ad se vocauit Masudus, pollicitus securitatem & saluum commeatum. Vbi vero præsto fuerunt, iussit omnes ad unum suspendio necari, dicens hoc hominum genus quocunq; modo è medio tollendum esse: Dum persequitur iter suum Mandus, multæ ad eum afferuntur querimoniæ, super sæuitia & Tyrannide Nuri Taquimi, Satrapæ Balcani. Progressus vlterius, accipit nuncium, Daudum quendam ducem belli Turcam aduentare cum validis copiis, vt opem ferret Nuro Taquino, eumq; iam ad Balcam peruenisse. Ibi Masudus veritus ne includeretur, perrexit in Daudum, habens vicissim sequentem à tergo Nurum Tarquinum, qui vltimũ eius cecidit agmen, magnamq; partem impedimentorum abstulit. Masudus ita male habitus, non tamen omisit in Daudum ducere, quem & vicit, & in Gasnæam fugere compulit. Hinc cum filium suum Maodudum Balcam misisset, comitatus Naceto Hamedo Cancellario suo, magnoq; numero militum, ducens etiam fratrem suum cęcum, perrexit in Indiam. Cumq; ad fluuium venisset, qui vulgo Sendus, Persis Pangus appellatur, nec alius est quam Indus, transiuit ipse cum suis in alteram ripam, in citeriore vero reliquit fratrem cum thesauris sub custodia Nustarquini Tribuni. Hic abusus absentia Masudi, distribuit thesauros regios inter milites, & salutauit Regem cæcum Mahametum: qui cum primo oblatũ dedignatus fuisset honorem, ad extremum formidine mortis accepit eum: Quo facto & ipsi transito fluuio impetum fecere in Masudi milites, qui non multum repugnauere, cum nihil minus quam hoc sociale bellum expectauissent. Masudus captus fuit, à quo nihil exegerunt aliud, quam ut priuatus in aliquo loco viueret & quietus. Accepit Masudus conditionem, elegitque sibi Castrum Cobracebir.

At Rex cæcus, cum animaduerteret se regno parum aptum esse, resignauit id Humedo filio suo, qui assumto sibi Issuff Taquino iuniore & Aly Cachoando, quorum patres Masudus interfici iusserat, non minus quam Hamedi patri oculos eruerat: hi inquam in arcem Cobracebir profecti, interfecerunt Masudum, cum decem annis Rex fuisset, homo animosus & liberalis in suos. Miserat hic ante Maodudum filium suum Balcam, qui Mahameti reditum ab India in angustiis apud Gasnæam præstolatus, eum cepit cum filio Hamedo, Nustaquino, & duobus illis qui auctores cædis paternæ fuerant, cum multis aliis genere regio natis, quos omnes necari iussit, excepto vnico Abderramo, Cæri filio, quem viuum conseruauit tali de causa. Masudo capto, quidam ex fratribus eius Diadema capiti eius detractum humi abiecit, detestatus fortunæ iniquitatem. Ibi Abderramus accurrens, reposuit Tyaram capiti Masudi, solatus hominem ut potuit. Hoc vbi Maodudo Masudi filio narratum est, ita placuit, vt ei vitam reseruauerit.

Potitus tam insigni victoria Maodudus, sumptuosum excitauit ædificium quod Fal Habad appellatum est. Cæterum Masudi mortem multæ turbæ secutæ sunt per Persidem & Indiam, veneruntque paulo post terræ Indicæ cum Prouincia Maurenahar in potestatem Maodudi. Turcæ tamen qui per id tempus erant in Carasone & Maurenahar eum non agnouerunt, contra quos cum Maodudus misisset exercitum, victæ sunt copiæ eius. Et Alibi Turcæ progressi è Turquestania cum ingenti multitudine, excursiones fecerunt in regiones Garmeram & Candacharam: Sed hos præsidiarii Maodudi in angustiis assecuti, magna strage conciderunt.

Hoc eodem tempore rebellauerunt aduersus Maodudum reges Indorum, qui hactenus se beneficiarios eius fassi fuerant: Cumq; suas contulissent vires, venerunt ad obsidendã Lahoram, ad quam eripiendam ex eorum manibus, misit Maodudus magna diligentia copias suas. Sed hæc controuersia composita fuit, duxitq; Maodudus milites suos aduersus Turcas Saliuquenses, qui occupauerant Carasonem. Sed dum talia molitur, corripitur dolorib. colicis, qui eum in via interemerũt an. A N.C. ML. Eg. CDXLI. Etsi autem hic duos reliquit filios: milites tamẽ ad regnum vocauerunt Aly ben Masudum, fratrem eius, qui tamen non diu hac dignitate gauisus est: nam summus Consiliariorum Masudi restitutum in libertatem Abdum Aachidum, regem salutauit, coegitq; alterum huic cedere.

Interea apud Bagadetum nihil pacati erat, populo subinde aduersus Gelam Daulæum rebellante, qui & in huius contemtum regem appellauit, Abulganirem, qui tamen oblatum honorem non accepit. Et quamuis Turcæ pacti fuerint cum Gela, transactio tamen illa rata non fuit. Illi enim, ut haberent causam spoliandi vrbem, subiecerunt ei ignem, expulsuri etiam eo modo Gelam, si potuissent, quod contigit anno A N.C. MXXXVII. Eg. CDXXVII. Hos motus secutum est tantum gelu, ut Tygris fluuius decem continuis diebus glacie constiterit, tantumque niuis decidit cœlo, ut omnis

ager circa Bagadetum ad tres palmos contectus fuerit, quæ profecto res rara & admiranda est, si situm illius regionis & clima cæli consideres. Anno Christi MXLIV. Egiræ CCC XXXIV. quidam dux Turca Ebrahem Nealy ingressus Hieraquenam cepit Amedon: & alius occupauit vrbem Rey, dum interea moritur Gela Daulæus, cum regnauisset an. XVII. Erat tunc filius eius Abu Mansudus apud Vacetum, qui ad regnum Vocatus fuit. Cæterum tantis is domi implicatus erat tumultibus, ut ad constitutum adesse non posset: Vnde gubernatio regni Abul Ganiari delata fuit. Anno S. MXLIX. Egiræ CDXL. mortuus est in Kermone Abul Ganiar, relictis quinque filiis, quorum hæc fuere nomina: Mansur Fulad Sotun, Kozrao, Feruz, Abu Taher, Aabucaydus, & Aboali Kaykozrao. Et Sotunus quidem, quod natu maximus esset, debebat succedere patri: Sed Cosroes Feruzus potiore fuit loco, qui adeptus regnum mutauit nomen suum, appellauitque se Malek Rhaym, qui & post multas turbas regnum retinuit. Apud Bagadetum volebat Calipha Damascenus, qui erat ex Ismaelis familia, deijcere sede Pontificali Calipham Alkahemum, quē & cedere vrbe coegit, & ad Tozel becum confugere, quo cum ei intercedebat amicitia. At hic ingressus Bagadetum, omnia miscuit flamma & sanguine, nulli parcens, ne mortuis quidem, in quorum sepulchris latentes quærebat viuos, & sic restituit Alkahemum in Pontificatum. Dum hæc geruntur, venit Bagadetum Ganiaris filius Malek Rhaym, quem multa pro jure suo allegantem Tozelbecus in carcerem conjecit, inque eo mori coegit. Nec tamen inter se digladiari cessauerunt fratres eius, qui semetipsos mutuis confecere carceribus atque lanienis, pertractis etiam in cædium societatem Turcis. Postremo Aboaly Kaykozrao, Abul Ganiaris filius, ultro cessit Satrapia paterna, eamque tradidit Olobo Arsalomi, qui ei vicissim dedit terras Naobandiam & Actacam, in qua reliquos vitæ suæ dies exegit, semper ab Arsalone comiter & benigne habitus: mortuusque est post fratres suos anno A N. C. MXCV. Egirę CDLXXXVII. Et hic fuit finis regni Daulæorum in Persida.

Porro persecutus est Tozelbecus Abdum Rachidum, qui se in munimentum firmissimum recepit. Quod cum ille nullo modo se expugnare posse videret, corrupit excubitores, qui Rachidum cum propinquis suis tradiderunt Tozelbeco, qui eos omnes mactari iussit: Cumque se ipsum Regem declarasset, duxit vxorem sororem interemti. Sed paucis diebus post, cum de more publice salutandus esset à populo Rex, decem ex primis ciuium, cum eum salutaturi circumstitissent, trucidauerunt eum dicto citius, nemine ad Tyranni necem exclamante. Post hunc extractus carcere Ferrogozadus, Masludi filius, Abdi Rachidi frater, regno per VI. annos potitus, mortuus est anno A N. C. MLXXIV. Egirę CDLXVII. Relicto successore Ebrahemo Masudi, fratre suo: quo ipso quoque anno diem suum Obiit Alkahemus Calipha, cum Pontificio præfuisset an. XLIV. mens. IV.

ALMOKTADY BILA, CALIPHA XLVIII.

Post Alkahemi mortem hic Calipha factus est: quo Sedem obtinente multi motus Persidem exagitauerunt, nec tamen magni momenti. At in Carasone & Maurenahar Ebrahemus, qui Ferrogozado fratri successerat, pacta cum Turcis fecit. Cumque regno suo pacem peperisset, duxit in Indiam, estq; nonnullis victoriis cum præda opulentissima potitus. Verum Malecha Turquestaniæ Rex Persas tam diuturna pace frui pati non potuit, sed magnas collegit copias, ut Persidem inuaderet. Ebrahemus eo cognito, misit Oratores ad Turquestanum, qui magna dexteritate usi, eum à proposito auerterunt, nec hoc duntaxat, sed & effecerunt, ut roborandæ amicitię ergo Malecha dederit filiam suam in matrimonium Masudo Ebrahemi filio: quibus factis mortuus est Ebrahemus anno Salutis MLXXXIX. Egirę CCCCLXXVI. Sexto anno post viuendi quoq; finem fecit Calipha Almoctady Bila, cum Sedisset annis XIX. mensibus V.

ALMOSTAZER BILA, CALIPHA XLIX.

Almoctadi filius hic fuit, quo Caliphatum obtinente Bagadetum vrbs eluuie Tygris fluuii inundata atq; euersa mutauit situm, in alteram fluminis ripam translata, quæ Orientem respicit, ubi nunc sita cernitur, loco multo commodiore quam antea. Habuit hæc vel à prima sua fundatione vel instauratione per Abujafarem XXV. Caliphas, quorum nullus in ipsa vrbe mortuus est, quod quidem videtur admiratione dignum. Vsus est Almostazer alta pace prope toto pontificatus sui tempore, quem gessit XXV. Annis, mensibus VI. quo tempore elapso mortuus est anno Sal. MCXXIX. Egiræ DXII.

ALMOSTARCHED BILA FAZELE, CALIPHA L.

Magni hic fuit homo animi & ad gerēda bella procliuis, ut qui quosdam Persarum Principes oppugnauit, & Masudo Saliuquio Carasoniæ regi quasdam prouincias ademit, quo cùm Calipha bellum varia fortuna gessit: Sed ad extremū Masudus victor euasit apud vrbē Taurim, ubi Calipha fuga se seruare coactus est, Sed nihil iuuit eum hæc fuga; captus enim paulo post, & ad Masudum adductus, iussu huius necatus fuit, anno

anno A N.C.MCXXXVI. Egiræ DXXIX.cum Pontifex fuisset annis XVII.& mensibus II.

RACHED BILA, CALIPHA LI.

Filius hic fuit superioris, qui dum conatur vlciſci mortem patris, contrahit copias quantas potest maximas, proficiscituq; in Persidem aduersus Masudum, magnamq; partem regionis ei adimit. Cum autem Masudus euigilasset, magno prælio Sacerdotem deuincit, qui vix ægre Hisphaonem Hieraquenæ elapsus, iussu Masudi trucidatur, anno A N.C. MCXXXIX. Egiræ DXXXII. post cuius mortem Masudus Bagadetum venit, & nemine repugnante admissus est.

ALMOCTAFI BILA, CALIPHA LII.

Masudus factus Bagadeti dominus, in locum Rachedi Calipham creat Almoctafi Bilam, propinquum defuncti: Et paulo post ipse moritur in Perside. Vnde arripuit Almoctafus occasionem conscribendi exercitum, eumque in Persidem mittendi, ubi non magno labore recuperauit omnia, quæ Masudus patri auoque eius eripuerat: quæ cum nullo prope interpellante quietus possedisset per annos prope XXIV. mortuus est anno A N.C.MCLXL Egiræ DLV.

ALMOSTANGET BILA ISSVF, Calipha LIII.

Successerat Masudo in Perside mortuo, Arsaloncha filius in Gasnæa regione, qui cum vix Diadema de more sumsisset, iussit comprehendi omnes fratres suos, quos multos habebat, & vinciri, præter vnicum Baharoncham qui euasit. Horum proximi agnati erant fratres duo: prior Samar, Satrapa Caraſoniæ: Alter Mahamedus Hieraquenæ. Ad priorem igitur Samarem confugit Baharoncha, qui eum cum Arsaloncha fratre in gratiam reducere tentauit: cum vero hic abnueret, Samar ei bellum intulit, ingressusque Gasnæam, vicit Arsaloncham, opimis potitus spoliis. Nec hac contentus victoria Samar, instante Baharoncha, eum secundo vicit, totamque deprædatus regionem, Baharoncham in eius possessionem misit. At Arsalon intellecto Samaris discessu, ingressus Gasnæam, cogit Baharonem fugere. Iratus Samar reuertitur, vincit capitque Arsalonem tertio, eumque tradit Baharoni fratri, qui necari hominem iussit, cum non nisi tres annos regnasset, anno A N.C. MCXIX. Egiræ DXII. Baharoni magnæ tribuuntur virtutes, quod fuerit comis & liberalis, facilis ad dignoscendum, amator literatorum, & ipse doctus adeo, ut quædam in Philosophia scripserit, nec tamen rerum bellicarum imperitus, ut ostendit in expeditionibus suis, quas in Persiam Indiamque suscepit. Obiit hic Princeps diem suum anno A N.C.MCLIII. Egiræ DXLVII. cum XXXV. annis regnasset. Successit ei Cosdroes filius. Profectus hic statim sub initia noui regni in Indiam, reuersus inuenit regnum suum occupatum ab Samare Caraſoniæ rege: Cumque non satis haberet virium, quibus sua recuperaret, reuersus est Lahoram in Indiam, ubi mortuus est anno Salutis MCLXI. Egiræ DLV. cum regnauisset annis IX. Successit ei Cosdroes Malecus filius Lahoræ, quæ caput est regni Multonii in India: omnia enim per Persicum regnum iam ab aliis obtinebantur, nec satis erat huic adolescenti vel animi vel virium ad ea repetenda. Sed & ex Lahora Indiæ pulsus Malecus, in Gasnæam rediit, vbi mortuus est anno MCLXIX. Egiræ DLXIII. Tertio anno post finem viuendi fecit Caliphа Almostanget, cum XI. annis præfuisset.

ALMOSTANZT BENVR ELAH ACEN, CALIPHA LIV.

Laudatur hic Calipha, qui patri in Pontificatu successit nomine liberalitatis, eruditionis, & cæterarum virtutum principe dignarum. Præfuit rebus annis IX. mensibus VIII. mortuus anno A N.C. MCLXXX. Egiræ DLXXV. Nihil sub huius pontificatu memorabile contigit.

NACER LADIN, CALIPHA LV.

Filius hic superioris, Caliphatum obtinuit totis XLVIII. annis, floruitque sub eo Bagadetum quam maxime. Hoc Pontificatum gerente, Coarzini Salincos inuaserunt, eosque penitus deuictos sibi subiecerunt: Et Tartari sub Chingi Chamo Turonem & Agemum occupauerunt, omnia vastantes igne & sanguine, quibus calamitatibus tantum mœroris concepit Calipha, ut moreretur anno A N.C. MCCXXVI. Egiræ DCXXII.

ALTAHER BILA MAHAMEdus, Calipha LVI.

Naceri filius hic fuit, successitque patri, sed in nouem duntaxat menses, mortuus enim est anno Salutis MCCXXVII. Egiræ DCXXIII.

ALMOSTANCER BILA CALIpha LVII.

Successit hic Alzahero patri, cuius tanta in suos fuit liberalitas vel potius prodigalitas, ut exhausto ærario suo largitionibus pauper euaserit. Huius tempore Persicum regnum alta pace lætatum est: Verum Mogoles siue Tartari illud ingressi, nonnullas sibi subiecerunt prouincias: quibus cum se opposuisset Almostancer, coegit eos multa rursus deserere quæ occupauerant, cum

cumq; eos aliquot præliis vicisset, mortuus est anno decimo septimo Pontificatus sui, Salutis Nostræ MCCXLIV. Eg. Mahometanę DCXL.

ALMOSTACEM BILA ABDVLA, quinquagesimus octauus & vltimus Calipha Bagadetensis.

Tartari ab Almostacero Bila ad eum quem diximus modum victi, sub Almostacemo filio eius vindicias à Persis exegerunt. Olacusan enim Tartarus eos vicit, occidit q; Caliphum, cum dignitatem illam annis XV. mensibus VI. sustinuisset. Sic desierunt caliehæ de Bagadeto, quam vrbem nos Babylonem, Turcæ Baldach vocant, quam Tartari occupauerunt cum vniuerso prope regno Persico. Fuit autem Almostacemus trigesimus septimus ex ista familia, quæ Caliphas suppeditauit per annos prope DXXIII. plus minus: de quibus Sigillatim actum est, prout illi in Chronico regum Persicorum enumerantur. Fecit autem vitæ finem Almostacemus anno Salutis MCCLVIII. Eg. Mahometicæ DCLV.

DE MOGVLIBVS SIVE TARTARIS qui in Persida dominati fuerunt.

CHINGVIS CHAM, *primus Persarum Rex ex Tartaris.*

Primus hic fuit qui vim & arma Persis intulit, filius Suky Badu, cognomento dictus Validus, cuius iam subiiciemus Genealogiam, facto initio ab huius Chinguis patre usq; ad octauum eius avum. Badur, Fil Cham, Tomana-Chan, Baysanger-Chan, Cayduc-Chan, Tomin-Chan, Bucca-Chan, Buzan-jar, qui octauus fuit Auus Chinguis-Chan, qui natus est anno AN.C. MCLII. Egiræ DXLVI. Amisit patrem annos natus XIII. Sic despecta eius pueritia, multi motus in regno Tartarico orti sunt, qui durauerunt usq; ad annũ salutis MCLXVI. Egiræ DXCIX. Peruicit tamen omnes difficultates Chinguis, superatisq; iis, qui successionem eius dubiam reddere volebant, potitus est vniverso regno paterno. Nomen eius antea fuerat Tamachin, verum vbi in regno stabilitus fuit, quod accidit anno AN.C. MCCVII. Chinguis-Chan nominari voluit, quod Tartarorum lingua sonat Regem Regum. Fuit hic Princeps longe potentissimus, qui suo subiecit dominio omnes Hordas siue familias Tartarorum, cum Regnis Cataio, Helan, Tangar & aliis, quæ sibi subiugauit anno Salutis MCCXIX. Eg. DCXV. Egressus hic cum copiis innumeris irruit in regnum Maurenahar. Opposuerat huic se primum Mahometus Corracemcha: sed videns suas vires nihil posse aduersus illam tempestatem, cessit fugitq; Carasonem.

Intrauit in Maurenahar Chinguis-Chan anno AN.C. MCCXXIV. Egiræ DCXX. interfectis omnibus puberibus in tota prouincia: Idem fecit in Vrbe Balca, unde misit XXX. millia Tartarorum, qui persequerentur Corracemcham, qui semper fugiens eum præibat: Ad extremum adepti sunt eum Tartari in provincia Gueylonia, vbi eum mactauerunt cum suis, peruastata regione eius igne & gladio. Hinc ad Vrbem Rey delati Tartari, putantur in ea trucidauisse DC. hominum millia: In Nichabura vero viros XI. centies mille, pueris & mulieribus non Connumeratis: Ad eum modum torrentis instar infinitis cædibus grassatus est Chinguis-Chan per omnes prouincias regni Persici. Erat per id tempus Calipha Bagadeti Almostanier Bila, qui veritus irruptionem Tartarorum in suas terras, collegit quantum potuit hominum, ut procellam illam diuerteret. Erant iam Tartari securi facti, errabantq, spatsim ac diuisi: Hoc ita magna prudentia aggressus Calipha, coegit prope tota excedere Perside, & se in prouinciam Maurenahar recipere. Accidere hęc anno salutis MCCXXVII. Eg. DCXXIII. Mortuo Mahameto Corrazinæ rege, videns filius eius Tartarorum violentiæ se obsistere non posse, aufugit in Indiam. Huius vestigiis insistentes Tartari, eum apud Indum fluuium assecuti pugnare coegerunt. At is victus in Muitoniam, adeoque interiora Indiæ fuga se recepit. Ipse Chinguis Chan, cum viam feciisset suis inuadendi Persiam, reuersus est in Cataium, ibique mortuus, anno AN.C. MCCXXVIII. Egiræ DCXXIV. cum vixisset annos LXXVIII. Habuit omnino filios quinq; primo nomen erat Tuch-Chan, qui VI. mensibus ante patrem mortuus est. Alter vocabatur Chagatay-Chan, cui dederat prouinciam Maurenahar. Aygorto Corrazinam. Quartus Octacayhon successit patri. Quintus vocatus fuit Tuli-Chan, cui pater dedit quasdam terras cum omnibus thesauris. Sed & hic mortuus est anno AN.C. MCCXXXII. Egiræ DCXXVIII. ita ut ex quinq: Chinguis-Chani filiis solus superfuerit Octacayhon, tantę potentiæ hæres futurus. Reliquerant tamen & fratres eius liberos, de quorum successione in sequentib. dicemus.

OCTAYCAHON, II. REX PERSARUM ex Tartaris.

Quartus hic fuit in ordine Chinguis-Chani filius, qui successit patri an. AN.C. MCCXXX. Eg. DCXXVI. tantum hic laudandus venit, quãtum pater vituperandus: Liberalis inprimis & munificus, ut Mirkondus referat, summam donorum munerumq; eius, quę extra ordinẽ largitus est, accedere in nostra ratione numerandi ad X. Milliones auri, & DC. millia ducatorum. Primus eius consiliarius fuit Gerbahon Noyn, homo bellandi peritus & prudens, quem misit ad persequendum Galadinum, qui in Multoniam Indiæ fugerat, collegeratque quicquid habebat virium, ut Gerbahonem impediret, sed victus cæsusque est in acie. Hinc victor convertit arma in Persidem, eamque sibi totam sub-

subjecit, excepta Begadeto, cumque regnauisset annis XIII. mortuus est inflammatis ex nimio vini vsu visceribus, anno A N.C. MCCXLII. Eg. DCXLIX. Relicto filio vnico, Gajuc-chano, qui quod puer esset, vixit sub tutela matris, quæ regno præfuit annis IV.

GAIVC-CHAN, III. REX PERSARUM è Tartaris.

Cæpit hic regnare an. A N.C. M CCXLVI. Egiræ DCXLIII. fecitq; omnibus spem boni & laudabilis Principis, cum amaret iustitiam, neq; odio haberet Christianos, unde & ipse ab omnibus amatus fuit: Sed breue ius regni primus annus eripuit; mortuus enim est anno à n. C. MCCXLVII. Eg. DCXLIV.

MANCHVCANON IV. REX PERSARUM è Tartaris.

Fuit hic maximus natu filiorum Tuli-Chani, qui quintus in ordine fuerat filius Chinguis-Chani, adeptus Diadema, cum nullos patruus eius reliquisset liberos, vir animosus, liberalis tamen & benignus. Fouebat hic Arabas, ita tamen, ut Christianos non haberet odio, quamuis interim Iudæos cane peius & angue odisset. Dedit hic fratri suo Cablæo Caboni Regnum Cataij, qui illud valde amplificauit. Estque hic Manchucanon primus fundator celeberrimæ Vrbis Cambalu, quæ nostro æuo sedes regia est Magni Tartarorum Principis; Vlaho vero Cuchano alteri fratri donauit prouincias Persicas, cumq; regnauisset annis XIII. fecit viuendi finem, anno A N.C. MCCLX. Egiræ DCLVII.

VLA KVKAN. V. REX PERSARUM ex Tartaris.

Gubernauerat hic, ut diximus, prouincias Persicas viuo fratre suo, sed ab anno Christi M CCL VI. Eg. DCLIII. postquam solus regnare cæpit, adortus Ismaeliam locum maximi momenti cepit: in qua tantam exercuit crudelitatem, ut omnes mortales iuxta interfecerit, etiam infantes. Hinc in Hieraquenam duxit, quam sibi subiecit; & anno sequenti aduersus Bagadetum profectus, victum acie Almostanenum calipham cepit. Et occidit cum quatuor filiis, interfectis tam Bagadeti quã alibi omnibus mortalibus, ut credatur iugulasse decies sexies centena hominum millia. Anno M CCLXI. Eg. DCLVIII. duxit copias ad Alepum & Damascũ Syriæ, & expugnauit vtramq;, relicto ibi præfecto Suryo captucaone: Hinc rursus profectus in Persidem, cum in Prouinciam Aderbaion venisset, crudelem efflauit animam, anno A N.C. MCCLXVI. Eg. DCLXIII. Antequã moreretur diuisit terras suas tribus filiis suis quos habebat. Maximo natu Habcacayoni dedit regna, Hieraquenam, Masandaronem & Carasonem. Secundo Iachemeto Armeniam & Aderbaion. Tauduno tertio Rabiam & Mesopotamiam. Primo Viziero suo donauit Bagadetum, ut eam vrbem instauraret, quod hic quidem fecit, alii vero Consiliario suo tribuit terras quasdam Romanas. Florebat per id tempus in Persida excellens Astrologus nomine Naciradinus, qui composuit librum Zichel Kony, de thematibus cæli & iudiciis Astrorum, qui inter Persas est celeberrimus. Fuerunt autem præter tres illos filios Vlah Kukano etiam alii duo, quorum prior vocabatur Nicudar Ogiam, alter Taragec-chan, quibus, quod iuniores essent, nullos Principatus assignauit pater, quanquam & his sua deinceps cesserit portio.

HABCAY-CHAN, REX PERSARUM è Tartaris VI.

Successit hic patri in dominio Persico. Bellũ ei fuit aduersus Borachanum, qui ingentem exercitum collegit in Chagataio anno Salutis M CCLXXI. Eg. DCLXVIII. Cum hoc commisit Habcay-Chan prælium, eumq; victum profligauit usque in Maurenahar; Regnauit an. XVII. quib. exactis mortuus est apud Amadonem anno Christi M CCLXXXII. nullis relictis liberis. Habuit igitur successorem fratrem Nicudar Oglamum, qui & alio nomine appellatus fuit.

HAMED CHAN, PERSARVM Rex ex Tartaris VII.

Hic cum Arabum religionem amplexus fuisset, mutauit prius nomen suum, sed regnauit tantum annis duobus & mensib. duobus, mortuusq; est anno Salutis MCCLXXXIII. Egiræ DCLXXXIII. & sic regnum ad liberos Habcay-Chani deuolutum est.

ARGON-CHAN, VIII. REX PERSARUM ex Tartaris.

Habcaychani filius natu maximus hic fuit, peruenitq; ad regnum morte patrui, quod obtinuit per annos VII. quibus finitis mortuus est anno Sal. MCXCII. Egiræ DCXC. relinquens regnum fratri suo

GANIATV-CHANO, REGI EX Tartaris IX.

Qui quinto post fratris mortem mense Diadema sumsit, Princeps liberalis multisq; ornatus virtutibus, quas omnes obscurauit amor voluptatum. Cum aliquando destitueretur pecunia, voluit in Persidem introducere vsum monetę papyraceæ, sicut in regno Cataiensi fecerat: Sed nemo id probauit, nemo tamen acrius ei tei aduersatus est quam Badu-Chan, adeo ut controuersia in bellum eruperit, in quo Ganiatu-Chanus occubuit, cum tribus annis regnasset, anno Sal. MCCXCV. Egiræ DCXCIII.

BADV-

BADV-CHANVS REX PERSARVM ex Tartaris X.

Turgaheihic fuit filius,& Vlah-Kukami nepos qui cum regnum per violentiam inuasisset, aduersarium habuit Gazun, Argon-Chani filium, qui in eum duxit exercitum ex Mauris & Arabibus constantem. Commisso prælio Baduchanus victus fugit, sed captus & Taurim ad Gazunum perductus, iussu eius interfectus est, anno A. N. C. MCCXC. VI. Egiræ DCXCIV, cum tantum per annum vnum Rex fuisset.

GAZVN, REX PERSARVM ex Tartaris XI.

Argoni filius, Habcaychani nepos, Vlah Kukani pronepos, Rex factus, Iustitiam eximie amauit. Anno A N. C. M CCXCVIII. Eg. DCXCVI. Damasceni aliique Syriæ populi, facto cum rege Aegyptio fœdere, rebellauerunt aduersus eum. Sed Gazun vicit eos, & ad obedientiam reduxit, reuersus victor Calbinum, quæ postea facta est sedes Regum Persicorum, ubi mori eum contigit anno A N. C. MCCCV. Egiræ DCCIII. Sepultus fuit Tauri in sumtuoso templo, quod ipse viuus struxerat: estque è tanto sepulchrorum regiorum numero hoc solum integrum & superstes, cæteris iniuria temporum corruptis.

ALYAPTVS, REX PERSARVM è Tartaris XII.

In huius manus, qui frater defuncti regis fuit, deuenit regnum, qui cum religione Arabs esset, mutauit nomen, voluitque appellari Sultan Mahomet, Ben Argon. Agebat annum vigesimum, cum regnare inciperet, constituitque regiam sibi sedem apud Taurim. In exequenda iustitia valde fuit seuerus, qua ratione populos suos in freno continuit, fuitque primus, qui tributum exegit à liberis Christianorum & Iudeorum, ipsosq; alicubi liberos, ut eos suo modo institueret formaretq;. Anno A N. C. MCCCVI. Egiræ DCCV. ædificare cæpit vrbem Sultaniã, annoque sequenti occupauit Gueylonem: Legitq; exercitum aduersus Præfectum Damascenum qui iam secunda vice rebellauerat: quem vbi ad officium reduxit, in Persidem rediit, estq; defunctus in vrbe Sultania, anno A N. C. M CCCXVII. Egiræ DCCXVI. cum regnauisset annis XII, mensib. IX.

ABVZAYD BAHEDER-CHAN, Rex ex Tartaris XIII.

Hic Alyapti filius regnum paternum adeptus est, cum annum ætatis ageret XII. Vezierus eius fuit Amir Chupon, cui filia erat exquisitæ pulchritudinis, sed quæ iam viro nupta erat. Huius amore cum Rex periret, petiit eam à patre. Negauit pater sibi quicquam in eam iuris esse, ut quæ iam haberet maritum. Ergo Abusaydus amans & amens vi eam rapuit, interfecto per iracundiam patre & marito eius. Hæc mulier ita sibi deinde mancipauit animum regis, ut Rex tradetet ei in manus gubernacula regni, quæ magna prudentia & moderatione gessit: Ipse Rex interea viuebat vitam solitariam, addictus lectioni librorum, quibus apprime capiebatur. Aestates fere exigebat Sultaniæ, Hyemes Bagadeti, cumque regnasset annis XIX. mortuus est anno A N. C. M CCCXXXVII. Egiræ DCCXXXVII. Huius obitu diuisa est potentia Tartarica per Persicum regnum, cum quiuis se appellaret regem illius prouinciæ, quam cum imperio obtinebat, vsque ad Tamerlanem, quod fuit spacium sexaginta trium ferme annorum.

REGES TARTARICI EX POSTERIS Tamerlanis, qui in Persia dominati sunt.

TEIMVRLANG, primus Persarum Rex ex hac familia.

Quem nos vulgo Tamerlanem dicimus, ei verum fuit nomen Teymur lang, id est Teymur claudus. Fuit autem filius Baianchani, & decimusquartus successor Chinguis--Chami, ex cuius ipse ortus est Sanguine. Neque enim, ut multi negati sunt, fuit vel Latro, vel mulio, vel denique pastor, sed bellator magnanimus, ut eius res gestæ satis ostendunt. Natus est Samarcandæ, secutus castra & militiam ut maiores eius. Atauus eius, nomine Cararchear Nuyon cum Chingui-Chano ex Tartaria profectus est eo tempore, quo Chinguis secundo suo filio Chagaray Chan tradidit regna Maurenahar, Argon & Coarzinam, qui Nuyonem illum primum sibi constituit Vizierum, qua in dignitate ipse posteriq; eius constiterunt usque ad Teymurem hunc.

Regnabat tunc in Chagatæa Rex nomine Soiorgatus Mechcon, apud quem Teymur fungebatur summi ducis bellici officio. Soiorgato autem mortuo, Teymurlang omnium consensu salutatus fuit Rex. Adeptus eo pacto regnum, eduxit secum innumerabilem exercitum, magna in omnibus rebus vsus prosperitate, ita ut spacio XXXVI. annorum quibus imperauit, præter regna quæ antea possidebat, acquisiuerit etiam Maurenahar, Turquestaniam, Coarzinam, Sistam, Carasonem, Indostam, Hieraquenam, Persidem, Kermonem, Masandaren, Aderbaion & Cusistam, quæ regna omnia partim liberi eius partim duces inter se mortuo illo diuiserunt. Annus erat à nato Bono Publico MCCCLXXX. Egiræ Mahometicæ DCCLXXXIX. cum Teymur, audito rebellari vulgo apud Hisphaonem, quæ caput est Hieraquenæ in Persida, ipse eo profectus est, ut seditiosos

ſos compeſceret, vbi nimis magno rigore vſus, d LX. millia hominum trucidauit. Regnabat n Capechaca Toctamech Chan, beneficiarius Teymurlangi, qui & ipſe rebellauerat; ſed Teynur miſſo contra eum exercitu, profligauit um toto regno, & in Gurgeſtaniam fugere oëgit. Ann. A N. C. MCDII. Egiræ DCCCIII. luxit Teymur ingentes copias in Syriam, ceitque Alepum & Damaſcum, victo etiam Sulano Farache, Ægypti rege: hinc in Babylonem onuerſus cepit vrbem, & circum Taurim hyernauit. Anno ſequenti coactis maioribus quãnte copiis, duxit in campeſtria Angorenſia adierſus Turcarum Regem Baiazetum, quem cie vicit captiuumque ſecum abduxit occupaa magna regni eius parte. Baiazetes anno poſt eriit in carcere.

Dum adhunc modum Teymut occupatur ello Turcico, quidam Cara Iſſuf ex improuiſo apit Babylonem, pulſo inde Satrapa, cui Teynur eam vrbem tradiderat. Dum autẽ ex Anaolia rediit Teymurlang, mittit contra Iſſufum, epotem ſuum Abubaquerum, qui receptam rbẽ dedit Sultano Weizo, vt poſtea dicemus. Teymur Ardeuillam profectus, ibi aliquot dies xegit, deinde omiſſa Perſide rediit in Caraſoniam, atq; inde Samarcandam in patriam ſuam, bi multum temporis dedit lætitiæ publicæ ac eſtiuitatib. in conciliandis inter ſuos nuptiis. Poſtremo cum ſe Anzaram contuliſſet, quæ dependit è regno Cataienſi, mortuus eſt anno A N. C. MCCCCV. Egiræ DCCCVII.

Fuere Teymurlango filii IV. maximo natu omen fuit Guir, qui mortuus eſt anno vno ante patrem, relictis duobus filiis Mahamedo Sulomo, & Pyro Mahamedo, quem Teymur teſtamento ſcripſit hæredem regnorum Gaſnææ & Indiæ: verum Pyrus Haly eum interemit. Secũdo Teymuris filio erat nomen Hamar Cheque, qui viuo patre Perſidem rexerat; ſed & hic mortuus eſt in caſtro Hormatu, in Loreſtania. Tertius erat Miruncha, qui ſucceſſit in regnis Hieraquena & Aderbaione, vſque ad Damaſcum, mortuus eſt anno Chriſti MCDVIII. Egiræ D. CCCX. interfectus ab Iſſufo Turcomanno. Quartus Teymuri filius fuit & eiuſdem ſucceſſor, dictus

MIRZACH-CHAROK, II. Perſarum rex ex Tamerlanidis.

Minimus hic erat natu inter filios Teymurlangi, commorabaturque in Caraſone cum pater moreretur. Non inuenit hic quietum regnũ, vt opinabatur. Hieronenſes enim & Tyronenſes eum regem agnoſcere nolebant, quos cum compeſcuiſſet, duxit aduerſus Caram Iſſuf in Aderbaion, qui omni vi ſe defendere conſtituerat, ſed mortuus eſt in via, relictis duobus filiis, qui pugnauerunt aduerſus Charocum, ſed victi ab eo ſunt: qui tamen minorem Mirzah Ioncham in gratiam receptum, in poſſeſſionem prouinciæ Aderbaion reſtituit. Poſt hæc extruxit Charocus in Maurenahar vrbem, quam de ſuo nomine vocauit Charoquiam, cumque regnauiſſet annis XXIII. clauſit extremum diem A N. C. MCDXLVI. Egiræ DCCCL. Habuit Charocus filios V. Inter quos natu maximus dictus fuit Ologbecus, cui dedit prouincias Turqueſtaniam & Maurenahar. Secundo nomen fuit Ebrahemo Sultano, qui ante patrem obiit, cum Perſidem rexiſſet annis XX. & multa ſtruxiſſet ædificia memoria digna. Anno vno ante patrẽ mortuus fuit tertius eius filius, nomine Baesfangor. Quartus fuit Mirzah Mechcon, & Quintus Mahamed Iuguy, ſed & vterque viuo patre mortuus eſt.

Salutauerant mortuo Teymurlango Samarcandenſes regem propinquum quendam eius, nomine Sultan-Kalil, contra quem inſurrexit quidam ex clientibus eius, Kodadah Hoſquenus, eumque cepit: poſtea vocauit in auxilium Chama Ionum, Malgoſtaniæ ſiue Tartariæ regem, eique patefecit aditum in prouinciam: ſed hic adeptus dominium, perſoluit condignum proditionis Haſqueno præmium, eumque interfecit.

MIRZAH OLOGBECVS, III. Rex ex Tamerlanidis.

Rexerat hic viuente Charoco patre Turqueſtaniam & Maurenahar, venitque Balcam anno Salutis MCCCCXLVIII. Egiræ DCCCLI. vbi audiuit, Aladaoletum propinquum ſuum vſurpare ſibi regium nomen per Hieraquenam & Coraſonem. ductis igitur in eum copiis ſuis, vicit hominem, coegitque fugere ad fratrem ſuum Mirzah Baborem, cum quo cum arma coniunxiſſet, denuo venit, pugnaturus cum Ologbeco. Ergo hic digreſſus Hieraca Balcam venit, coëgitque omnes ſuas copias, ſed in ipſo apparatu nunciatum eſt ei, filium eius Abdelaſium pariter defeciſſe. Coactus igitur conflixit cum Aladaoleto, in qua victus cæſuſque eſt in acie, cum regnauiſſet in illis oris annis XLI. poſt mortem autem patris dominus totius regni per annos II. A N. C. MCDL. Egiræ D. CCCLIII.

MIRZAH ABDELATIFFVS. Rex è Tamerlanidis IV.

Cæſo in acie patre & fratre, hic factus eſt rex, nemine contradicente: ſed poſt VI. menſes à militibus ſagittis traiectus occubuit.

MIRZAH ABDVLA, V. rex Perſarum è Tamerlanidis.

Succeſſit ergo Abdelatiffo mortuo Abdula frater, quo cum anno vno lætatus fuiſſet, Abuſaydus Caraſoniæ Rex depopulatus eſt regnum eius: cui cum occurriſſet Abdula, exercitum & vitam perdidit anno A N. C. MCCCCLII. Egiræ DCCCLV.

MIRZAH SVLTON ABVSAYDVS, Sextus Persarum Rex ex Tamerlanidis.

Mahamedi hic filius fuit, Miromchæ nepos, Teymuris pronepos, qui interfecto Abdula regno potitus est. Nouum tunc ortum est bellum inter Ebrahemum & Mahamudum socios, & Iooncham, qui duos illos fugauit, occupatis eorum terris: postremo tamen inter se transegerunt. Vix facta fuerat illa pactio, cum Saniar & Aladaoletus cum filio suo Ebrahemo bellum intulerunt Abusaydo apud Saracam, sed victi profligatique, Aladaoletus & Ebrahemus quidem aufugerunt, relicto Saniare in manibus victoris. Tunc factus est Abusaydus possessor prouinciarum, Badachonis, Gasnææ, Cabudi, Sistonis & Coarzinæ.

Anno A N.C. MCDLXVIII. Egiræ DCCC. LXXII. interfecit Acẽbecus Alibeci filius, Iooncham, vnde Abusaydus vocatus est ad possessionem Kermonis, Hieracæ & Aderbaionis. Occuluerat se elapsus Acembecus, missisque ad Abusaydum oratoribus pacem petiit, sed obtinere eam non potuit, vnde repulsam passus, confugit ad montes Carabagos circa Taurim, vbi intercepto omni commeatu, in eam redegit Abusaydum annonæ inopiam, vt inde effugere necesse habuerit. Sed captus & ad Iadigarem Mahamedum Acembequi socium deductus, vitam cum regno amisit anno A N.C. MCD. LXIX. Egiræ DCCCLXXIII.

MIRZAH SVLTON HAMED Rex VII. è Tamerlanidis.

Abusaydi hic filius successit patri cæso in regno Maurenahar, quod obtinuit per annos XXVIII. quibus exactis viuendi regnandique finem fecit anno A N.C. MCCCCXCV. Egiræ DCCCXCIX.

MIRZAH BABOR, VIII. rex ex Tamerlanidis.

Successit hic iure consanguinitatis Hamedo in regno Maurenahar anno A N.C. MD. Egiræ CMIV. Sed Ichay Bekan veniens ex Vsbequia, Solio eum deturbauit, & ab omni successione Tamerlanis posteros excluſit. Babor elapsus venit in Gasnæam, & hinc in Indiam, vbi fixit sibi domicilium, cumque omnino regnauisset annis XXXVIII. liquit vitales auras anno Salutis MDXXXII. Egiræ CM. XXXVII. relictis duobus filiis, Homaione & Camorane, qui post patrem apud Indos regnauerunt. Et Homaion quidem ducem belli habuit, qui mota in dominum seditione, regno eum exegit, & in Persidem fugere compulit, vbi tunc regnabat Chatamas, qui & exulem iuuit lecto exercitu XII. millium militum, sub ductu Beyram--Chani, qui ductum secum Homaionem in regnum restituit.

MIRZAH IADIGAR, Rex Persarum nonus ex posteritate Tamerlanis.

Fuit Iadigar Sultoni Mahamedi filius, Baësfaugoris nepos, Charroci pronepos, abnepos Teymurlangi. Iunxerat hic se anno Egiræ Mahometicæ DCCCLXXIII. Acembeco, occideratque Abusaydum, vt diximus, hincque aduersus Strabarum duxerat copias. Verum Ocemus Mansuri filius, intellecto Iadigaris conatu, celeriter Strabaro suppetias tulit, alterumque vicit anno Gratiæ MCDI.XX. Eg. DCCCLXXIV. Iadigar victus recepit se ad Acembecum, qui eum etiam maioribus quam antea instruxit copiis, quibus aggressus Ocemum potitus est victoria, altero illo Balcam vsque profligato. Sic factus prouinciæ dominus Iadigar, voluptatibus viciisque se tradidit, neglectis regni negociis, qua somnolentia animaduersa Ocemus nocte quadam mille tantum stipatus militibus, tanta vsus est industria, vt hostem suum viuum ceperit, quem statim morte iussit affici, & sic iterum suo potitus est regno. Accidere hæc anno Salutis MCDI.XXI. Eg. DCCCLXXV. Desiit autem in Iadigare radix Charroci. Etsi autem supra annum A N.C. MDXXXII. numerauimus, & hic annum MCDLXXI. reposuimus, missio Iadigare post Baborem; causa tamen huius rei est, quod Prouinciæ Persicæ tunc diuisæ fuerũt, & plures in iis eodem tempore reguli, qui aliquando totum regnum Persicum, aliquando eius partem possederunt, vnde aliquid dandum fuit descriptioni rerum sub his Principibus gestarum, ne hiulcus esset aut imperfectus Chronicorum cursus & ordo.

SVLTAN OCEMVS, X. Rex ex Tamerlanidis.

Adeptus hic postliminii velut iure regnum, quo per Iadigarem priuatus fuerat, diuturna pace beauit populum, cuius non minus fuit studiosus quam Iustitiæ. Exornauit hic regnum suum multis superbis ædificiis, inter quæ eminet domus Hospitalis sumptuosissimæ structuræ, recipiendis pauperibus & peregrinis, opus sane magno Principe dignum. Huius temporibus irruperunt Vsbequenses in prouinciam Maurenahar, multaque in ea terras ademerunt posteris Tamerlanis, quas hi hactenus possederant: quibus cum occurrere vellet armatus Ocemus, mortuus est in via anno Salutis MDVI. Eg. CMXI. cum regnauisset an. XXXIV. vixisset an. LXX. in quo tamen numero XX. annos exegit captis Paralysi membris, vt equum conscendere non potuerit. Filios habuit XIV. è quibus duo ei successerunt.

BAHADI AMAZON, ET MVSAFAR Mirzah fratres, vndecimum obtinentes locum inter Persarum Reges, ex posteris Tamerlanis.

Duo hi fratres, Ocemi filij regnauerunt simul post patrem, raro exemplo. His bellum intulit Chaibecus Vsbequensis. At fratres imbecilliores se videntes, cesserunt fortiori, regnumque reseruerunt. Et Bahadi Amazon quidem Truchisium confugit, vbi conscripto exercitu conflixit cum Vsbequensi, sed victus in Persidem fugere coactus est ad Cha Ismaelem qui tunc regnabat, à quo humaniter exceptus, & certo agri modo circa Taurim donatus est, vnde viueret, addito certo auro annuo non modico, et sic vixit in vrbe Tauri Bahadius annis VII. vsque ad annum A N.C. MDXV. Egiræ CM. XX. quo Selimus Turcarum Imperator capta Tauri vrbe, Bahadium secum Constantinopolim duxit, vbi sequente anno peste extinctus est.

MIRZAH HOMAR, XII. Rex è Tamerlanidis.

Miromcha, tertius Teymurlangi filius duos habuit filios, quorum prior Mirzah Homar successit patri in regione Aderbaion: alter Abdallahar Badageti. Post mortem Teymuris Homar se Regem appellauit, occupatisque terris Abudaharis, cepit fratrem in vrbe Sultania. Sed captiuus, cum corrupisset quosdam è custodibus, interfectis cæteris, euasit è carcere, collectaque in Persida magna manu militum, duxit in fratrem, quem & vicit, & in Caraconem fugere coëgit. Huic Mirzah Carrocus dedit vnà & alteram Toparchiam vnde viueret. Cum autem quietus esse non posset, bello appetiuit ipsum Carrocum, eumque victum Morgabum fugere coëgit, vnde cum Samarcandam se recipere vellet, mortuus est in via anno A N. C. M CDVI. Egiræ DCCCIX.

MIRZAH ABVBA KAR, REX è posteris Tarmelanis decimus tertius.

Homaris hic frater, Miromchæ filius, Teymurlangi nepos, mansit quietus apud Taurim post mortem fratris. Satis huic animi ad bellandum, felicitatis parum. Cara enim Issuf Turkimon, qui antea Cayrum in Ægyptum fugerat, bis cum eo conflixit apud Euphratem fluuium. In priore prælio periit frater eius, & Abuba Kar victus acie, fugit primo Kermonem, deinde Sistonem, anno Salutis MCDVII. Eg. DCCCX. Anno sequenti, cum magnis subnixus copiis hostem repeteret, extinctus est in itinere, defecitque in eo radix successorum Chinguis-Chani, & Teymurlangi Regum Tartarorum, qui in regno Persico longe lateque dominati fuerunt: de quibus partim iam ante multa diximus, partim in sequentibus plura dicemus.

DE POSTERIS KARAKVIONLV, id est, Arietis nigri, qui in regno Persico dominati fuerunt.

CARA-ISSVF, primus Rex ex hac familia.

Cara Issuf Ben Cara Mahamet, Turcomannus, dedit se in clientelam & seruitium Helkoni, Sultani Bagadetensis, qui in præmium fidei & præstitæ operæ eum creauit Ducem Turcomannorum eorum, qui ab Ariete Nigro denominabantur, ad differentiam cæterorum, qui ab Ariete albo appellationem sortiti fuerant, vt in posterioribus dicemus. Obseruatione autem dignum est, eodem illo tempore in Italia duas fuisse factiones, Albam & Nigram, quarum eadem prope referuntur facta, quæ horum in Persida. Fuit autem Cara Mahamet, Cara Issufi pater, Nigrorum caput donec vixit, quæ dignitas eo mortuo ad filium deuoluta est, qui immemor beneficiorum, quæ à Sultano Helkono acceperat, eripuit ei Babylonem vrbem, quam illi Teymur tradiderat, qui tunc bellum gerebat aduersus Baiazetem Turcam. Reuersus autem ab ea expeditione, intellecta proditione Cara-Issufi, misit Abubacarum nepotem suum, qui paruo tempore omnia recepit, ipsam quoque Babylonem Sultano Helkono restituit, qui eam tamen diu obtinere non potuit, expulsus à Mironcha, qui eam dedit illi ipsi Abubacaro filio suo.

Victus ad hunc modum fractusque Cara Issuf, fugit in Ægyptum, vbi Rex eum in carcerem compingi iussit, in quo tamdiu fuit, donec nunciatum ei est de morte Teymuris, qua intellecta non conquieuit donec è carcere effugit & in Persidem venit, vbi magna industria collegit exercitum, quem non veritus fuit Abubacaro opponere. Interea Helkonus eiectus Bagadeto, nactus redeundi in eam occasionem, vigilauit in rem suam. Dum enim Abubacarus contra Cara-Issufum ducit, ipse irrumpit cum suis in Babylonem, eodem tempore, quo Abubacar apud Nacchoan à Cara-Issufo victus fuit, qui Issufus, cum etiam Taurim vrbem cepisset, eamque necessario præsidio muniuisset, iuit in Caram Osmanum Baiandurum, qui possidebat Mesopotamiam, quam Issufus captam præsidiisque munitam reliquit, & Taurim reuersus est. Ibi nouas conscripsit copias contra Helkonum, quem acie victum occidit, & ciuitatem occupauit anno A N.C. MCCCCXIII. Hinc per Gurgestaniam ingressus Mediam, regem eius Constantium occidit, Ebrahemum vero captum Taurim abduxit, qui vitam deinde redemit, ingenti persoluto lytro. Hinc cepit Kara Issuf vrbes Sultaniam, Casbin & Taronem anno A N. C. MCDXX. Egiræ DCCCXXII. Post ea oppugnauit Azebum Syriæ vrbem, sed

superueniente Mirzah Charraco ab Caraſone, deſiſtens à propoſito, conuertit aciem in hunc hoſtem: antequam autem ad manus deueniretur, mortuus eſt Cara-Iſſufus, apud Oion circa Taurim, cumque neque propinquum circum ſe haberet neque amicum (Tyranni enim amicos non habent) direpta eſt à militibus omnis ſupellex regia, adeo vt ne induſio quidem cadauer tectum fuerit: cumque id ad hunc modum abiectum humi aliquot diebus iacuiſſet, poſtremo agnitum à quibuſdam humo tectum eſt. hic fuit finis Cara Iſſufi, poſtquam regnauiſſet annis XIV, Mortuus autem eſt ann. A N.C.MCD XXIII. Egiræ DCCCXXIII. Filios habuit VI. Primo nomen fuit Pyro Budachano, qui ante patrem extinctus eſt. Secundus dictus fuit Amir Scandar: tertius Mirzah Iooncha: quartus Cha Mahamed, qui Perſidem rexit, donec ab Hamedo occiſus eſt: quintus Amir Apſal & ipſe viuo patre mortuus eſt: quintus fuit Abuſaydus, quem Amirus Scandar frater mori coëgit, vt iam dicemus.

AMIR SCANDAR, *Cara-Iſſufi filius.*

Secundus hic erat Cara Iſſufi filius, ſucceſſitque patri anno A N.C.MCDXXIII. Egiræ DCCCXXIII. qui ſtatim ſub initia regni ſui bellum fecit Mirzah Charraco, à quo victus in Meſopotamia, trans Euphratem fugit. Victor Charrocus Taurim petit, vbi à ciuibus admiſſus non eſt. Charrocus igitur nihil ſe effecturum videns, Caraſonem rediit, & Scandar Taurim, qui poſtea & vita & regno priuauit Amirum Chamcadinum, regem Calanum. Idem fecit Sultano Hamedo, Satrapæ Gurdeſtaniæ. An. A N.C. MCDXXX. Egiræ DCCCXXIV. cepit Sultaniam, eiectis præſidiariis Mirzah Charroci, qui cum in Caraſonem veniſſet, ſuppletis cohortibus ſuis, inuaſit vrbem Rey, eamque cepit: reconciliatus autem Ionchæ Scandaris fratri dedit Taurim. At hic virtute illius donationis, cepit arma aduerſus fratrem, eumque acie vicit, coëgitque Scandarem ſe Aleniacum recipere. Ioncha eum perſequitur, ſed Scandar à filio ſuo, qui in mala patris erat gratia, obtruncatus eſt, cum ante Abuſaydum fratrem Scandar interfeciſſet.

IOONCHA, *tertius huius familiæ Rex.*

Scandare cæſo, Iooncha ſtatim inuaſit regnum, nihilque cunctatus cepit arma aduerſus Gurgeſtaniam, quam ſibi ſubiecit, deinde plures fecit in Perſidem expeditiones, quam propè totam ſub ſuam redegit obedientiam, eiectis præſidiis, quæ Mirzah Mamudus filius Baiſangoris ibi conſtituerat. Hinc duxit in Caraſonem, facturus bellum Aladaoleto Ebrahemi filio, quem vicit. Regnabat tunc Balcæ Abuſaydus, cum quo ſine difficultate tranſegit Ioncha, cum audiuiſſet, filium quendam ſuum aduerſum ſe rebellaſſe apud Taurim, quo pater ſine mora accurrens, filium cepit, & anguſto mancipauit ergaſtulo. Vix compoſitus erat tumultus iſte, cum nunciatum eſt ei, alium filium, Pyrum Budahum, Præfectum Babylonis mouiſſe ſeditionem, vt Iooncha neceſſe habuerit, hunc quoque per annum integrum in iſta vrbe circumſidere, nempe anno A N. C. MCDLXVI. Egiræ DCCCLXIX. poſtremo tamen intercedentibus amicis, inter patrem filiumque conuenit: cum iam in gratiam rediiſſet Pyrus, quidam ex fratribus nomine Mahademus, eum interfecit, ſed inſcio patre, qui Taurim reuerſus, ſummo imperio vſus eſt in totam Aderbaionem, Hieraquenam, Kermonem & magnam partem Syriæ.

Anno MCDLXVIII. Egiræ DCCCLXXII. ſuſcepit expeditionem in Ozun Acembecum, Satrapam Diarbecenſem: ſed progreſſum aliquo vſque cum copiis rigor hyemis redire domum coëgit, dilata expeditione in tempus vernum, quod vbi venit perrexit cum exercitu. Conſueuerat Iooncha ſingulis prope noctibus ſe inebriare vino, & in multam lucem ſtertere, ſiue vt conciliaret ſibi ſomnum, vel graues mero dilueret ſollicitudines. Hunc morem eius non ignorabat exercitus, itaque nihilo ſecius progrediebatur, ipſo Iooncha cum mille circiter lectis equitibus ſequente. Hoc vbi Ozun Acembecus cognouit, aſſumtis circiter quinque millibus ſuorum, tunc Iooncham adortus eſt, cum à præmiſſo exercitu nihil opis ei ferri potuit. Sic ipſe cum pleriſque ſuis equitibus cæſus eſt, & duo eius filij capti. Maiorem natu Mahamedem Ozunus obtruncari iuſſit: minorem Iſſufum priuari oculis. Sic periit Iooncha, cum regnaſſet annis XXXIII. vixiſſet LXX, vir malus, & peior princeps, omnibus deditus voluptatibus deliciiſque vitæ.

ACEN HALY, *Rex IV. ex hac familia.*

Hic morte patris hæres regni factus, omnibus pariter theſauris eius potitus eſt. qui cum eſſent grandes, & ipſe imperitus rerum, collegit exercitum CC. millium hominum, quibus vnius anni ſtipendia numerauit, antequam eos in bellum duceret. Accepto auro milites diffluxerunt, quorum maior pars ad Abuſaydum Caraſoniæ regem ſe contulit, qui deinde illi ipſis copiis Aceno bellum intulit, qui victus fugatuſque in manus Ozuni Acombequi incidit à quo morte affectus eſt, deſitque in eo familia Caracuionlu, qui hactenus in Perſide regnauerant: quod accidit anno A N.C. MCDLXIX. Egiræ DCCC. LXXV.

DE POSTERIS AKVIONLV, SIVE *Arietis Albi, qui dominati fuerunt in Regno Persico.*

OZVN ACEMBECVS, *primus ex hac familia.*

Extincta in Aceno Haly factione Nigri Arietis, factio Arietis Albi fastigium regium conscendit, beneficio Ozuni Acembequi Turcomanni, qui vir in bellis felix & exercitatus, potissimam Persiæ partem sibi subiecit. Appellatur hic vulgo in Historiis Vsun-Cassanus. Obtinuerat Otmanbegus, Acembequi auus Mesopotamiæ partem, quam Cara-Issufi morte adeptus fuerat, sed & Acembecus, vti diximus, interfecto Iooncha Taurim & Aderbaionem occupauit, & cæso Mirzah Abusaydo Carasonem. Reliquerat, vt diximus Iooncha filios duos, quorum alterum Acembecus necauerat, alterum cæcauerat. Cæcus vbi Scyras venit, ab omnibus rex salutatus est. Verum Acembecus aggressus vi vrbem, eam cepit, interfecta Issufi vidua: hinc Kermonem sibi subiecit & Babylonem, cumque Hieraquenam insuper & Aderbaion & Persidem sub suum redegisset dominium, intulit anno A N.C. MCDLXXII. Egiræ DCCCLXXVI. bellum Sultano Mahamedo Turcarum Imperatori, qui Acembecum siue Vssun-Cassanem prælio vicit in Arsenione, vnde ipse quidem victus Taurim se recepit, Turcæ vero Constantinopolim. Paulo post extinctus est Ozun Acembecus, nempe anno Salutis MCDLXXVIII. Egiræ DCCCLXXXII. quo ipso quoque tempore periit Ogorlu Mahamedes filius è septem Acembequi natu maximus, Secundus dictus fuit Sultan Calil; tertius Iacuppus Mirzah: quartus Maciah Mirzah: quintus Issuf: sextus Macsud Becus, qui occidit Sultanum Calil fratrem suum: septimus Zeynel Becus periit in bello contra Turcas.

SVLTAN CALIL, II. *Rex ex Acuionlis.*

Acembeco mortuo Calil possessionem paterni regni adeptus, dedit Iacuppo fratri Præfecturam Mesopotamiæ, ipse arma sumsit aduersus Morat-Begum, quem fugauit, & in castrum Feruz se recipere coegit. Erat in Arce Tribunus quidam, qui Ocembegum sub specie proditionis in castrum admisit, admissum vinxit & ad Moratum misit, qui eum ne cari iussit. Eodem tempore sumsit Iacuppus Satrapes Mesopotamiæ arma in Calilum fratrem, duxitque exercitum ad Taurim, socium habens expeditionis Macsub Becum fratrem suum, qui Calilum nihil tale expectantem ceperunt, quem Macsub suis manibus iugulauit, cum mens. VI. regnasset.

IACVPPVS BEGVS, III. *Rex ex factione Albi Arietis.*

Ozuni Acembequi filius hic fuit, qui deiecto ab solio fratre ad Regnum peruenit. Anno MCCCCLXXXII. Egiræ DCCCVI. quidam ex ducibus eius, Baiandur Becus, rebellauit ei, quem Iacuppus vicit & capite truncauit. Eodé anno extinctus est Constantinopoli Mahometus, Amuratis filius, habuitque successorem Baiazetem filium. Circa idem tempus bellum fecit Gurgestanis Aydar Ardeuillæ Sultanus: cumque Mediam peteret, præuenit eum Farocus Iacatus rex Mediæ, appellato de auxiliis Iacuppo, qui ei militum aliquot Cohortes submisit, sub ductu Solimanni Begi præstantissimi ducis, qui congressus acie cum Aydare, vicit occiditque eum, captis insuper duobus eius filiis, quorum priori nomen fuit Haly Mirzah, minori Cha Ismael, quos inclusit in Arcem Stercofacam, vt in posterioribus dicemus. Ipse Iacuppus cum regnauisset annis XII. mortuus in Carabage haud longe à Tauri, Anno à nato Bono publico MCCCCXCII. Egiræ DCCC. XCVI.

BAYSANGOR MIRZAH, III. *rex ex factione Alba.*

Filius hic Iacuppi morte patris ad regnum peruenit; cum autem puer admodum esset, Tutor ei datus est Zufi Calil Musulus, Præfectus copiarum. Sub initia regni eius valde laboratum est factionibus, cum Baiondurani vellent regem creare Maziam, eoque nomine bellum inferrent Zufi Calilo, qui productis copiis eum conflixisset, Mazia in pugna cæsus est, & Rostanus Becus, eius ex fratre Macsudo nepos captus, & in Arcem Aleniacensem deductus. Interim Sultanus Baiodurus cum lecta militum manu aggreditur Aleniacum, in qua Rostanus custodiebatur, eumque in libertatem restitutum proclamat regem: hic cum factione sua Taurim properat, occupaturus ibi Baysangorem, qui deserta vrbe, cum Calilo fugit in Mesopotamiam: hos persequitur Rostanus & Calilem interfecit: Baysangor fuga elapsus est, possessione regni penes Rostanum permanente. Accidere hæc anno A N. C. MCDLXIII. Egiræ DCCC. XCVII.

ROSTAMBEK, IV. *rex ex factione Alba.*

Profligato Baysangore, Rostambecus Macsudi filius regnum adeptus est, qui primum omnium Taurim profectus, è carceribus exemit Haly Mirzam & Cha Ismaëlem Aydari filios. At Baysangor, qui ius suum armis repetebat victus cæsusque in prælio est.

Reuerso post hanc victoriam Taurim Rostano, Haly Mirzah de consensu eius Ardeuillam in patriam iuit, pænituitque actutum Rostanum, quod eum dimisisset, veritus ne fiducia paternæ memoriæ res nouas moliretur. Misit ergo statim è prætorianis, qui assecuti in via incautum adolescentem mactauerunt: at frater

eius Ismaël euasit, vt potuit, in Gueylonem, vbi tunc regnabat Kar Kia Aly, ad quem misit Rostanus oratores, qui adolescentem repeterent; verum hic prodere supplicem noluit. Agebatur annus Salutis MCDLXXVIII. Egiræ CMII. cum Hagmetus Becus, Ogorlu Mahameti filius, Ozun Acembequi nepos validum exercitum in Mesopotamia collectum aduersus Rostanum duxit, commissoque prælio victoriam obtinuit, fugiente Rostano in Gurgestaniam, vbi mortuus est eodem anno cum regnasset an. V. mens. VI.

HAGMET BECVS. Rex V. ex Acuionlis.

Rostani morte tranquillum adeptus est regnũ Hagmetus Becus, Ozuni Acembequi Nepos: qui Kermonis quidem Sattapã constituit Haybeh Sultanum, & Persidos Cazemum Becum. Sed hi duo cõspiratione facta in dominum, bellum ei intulerunt, & iuxta Isphaonem prælio vicerunt, in quo ipse periit, vt ita nemo superfuerit ex posteritate Ozun Acembequi, præter tres paruos nepotes: è quibus Sultan Morat, Iacuppi filius erat in Media: Aluen Becus, Issufi filius in Aderbaione: & Mahamedus Mirzah frater horum, & hi tres inter se partiti sunt, quicquid terrarum Acuionlij in Persida possederunt.

ALVVAN BECVS, VI. rex ex Acuionlis.

Hagmeto ita à clientibus suis & regno & vita priuato, successit Alvvan Becus, Issufi filius, Ozun Acembequi nepos, qui ope propinquorũ suorum subnixus, Taurim venit, vt se iungeret cum Haybeo Sultano, quia Mahamedus Mirzachus, Alvvani frater se regem appellabat apud Isphaonem Hieracæ. Aduersus hunc misit Alvvanus copias suas, qui non expectata vi fraterna aufugit. Cum eum Alvvanus porro persequereretur, à Mahamedo magna pugna victus est; in qua Sultanus Haybeus quidem periit, Alvvanus vero in Mesopotamiam aufugit. Inter has turbas insurrexerunt duo fratres Haybei aduersus Moratum Sultanum, Hieraquenæ regem, cumque magnas in Media coëgissent copias, duxerunt in Mahamedum Mirzachum, cum quo conflixerunt apud Hisphaonem, in qua Mahamedus cæsus est, anno A N.C. MD. Egiræ CMV. cum vno anno regnauisset.

SVLTAN MORAT, VII. rex ex Acuionlis.

Hic Iacuppi Begi filius, morte Mahamedi adeptus est regna, Persicum & Hieraquenum, retinente Alvvano dominium Tauris & Aderbaionis. Anno A N. C. MDI. Egiræ CMVI. bellum inter hos ex ambitione natum est, posuitque vterque castra apud Casbin Vrbem, neque tamen pugnatum fuit, cum arbitrio bonorum virorum ita res composita fuisset, vt quisque suo regno contentus esset. Erat eo tempore regnum Persicum plenum latrociniis, oppressione, accedente incredibili omnium rerum caritate, & pestem post se, vt fit, trahente. Numerabatur annus A N. C. MDII. Egiræ CMVII. quando Cha Ismaël Aydari filius, egressus Nacchoana, magnam armatorum manum Taurim duxit, vbi morabatur Alvvanus, qui statim deserta Vrbe Bagadetum fugit, & hinc in Mesopotamiam, vbi paulo post obiit anno A N. C. MDV. & sic vrbs Tauris venit in potestatem Ismaelis, qui mox arma conuertit in Sultanum Moratum, qui Scyras egressus pugnandi copiam Ismaeli fecit apud Amadonem, sed Moratus victus Scyras fugit, & hinc Babylonem, cuius vrbis Satrapa eum in suum suscepit patrocinium. Anno autem sequente, qui fuit A N. C. MDIV. Egiræ CMIX. venit aduersus vtrumque Ismael, cuius vim illi non expectantes aufugerunt in Caramaniam. Hinc reuersus Moratus in Mesopotamiam, paulo post interfectus est à Casselbasis, anno Salutis MDXV. Egiræ CM. XX. desinitque in eo regnum factionis Albi Arietis siue Acuionlorum in Persida.

DE POSTERIS CHINGVIS-CHANI, Qui in Vsbequia & Maurenahare dominati sunt.

CHAYBEK CHAN, Rex Maurenaharis.

Dum res ad eum quem diximus modum in Persida geruntur, dominabantur in Vsbequia posteri Tuchichani, qui filius fuit Chinguis-Chani, obtinuerunt que amplissimum terrarum spacium. Anno A N. C. MCDXCVI. Egiræ CM. egressus Vsbequia Chaybek Chan, Buda-qui Sultoni filius cum magnis militum copijs, peruastauit prouincias Maurenahar & Carasanem, quas intra quartum annum omnino occupauit, sed post coactus est eas cedere Teymurlango. Cum anno A N. C. MDVIII. Egiræ CMXIII. Pady Azamon, Ocemi Mirzæ filius non satis haberet virium ad resistendum Chaybeco, fugit in Persidem ad Ismaelem, eiusque implorauit opem, à quo comiter & benigne acceptus est. Anno autem A N. C. MDXI. intulit Cha Ismael bellum Chaybeco, fuitque commissum prælium apud Maruvon: sed Chaybecus victus in pugna occubuit, cum regnasset annis XII.

KVCHENGI CHON Rex II. Maurenaharis.

Obtinuit hic cæso Chaybeco Maurenaharem anno A N. C. MDXIII. Egiræ CMXVIII. Misit eo anno Cha Ismael validum exercitum in Maurenaharem sub ductu Nagemi Soniji.

Sonij ; qui coniunxit vires cum Baboze rege partis Indię: Hi ergo simul oppugnauerũt Vsbequenses, sed ab his victi sunt: Et Nugemus quidem in pugna cæsus periit, Babor autem amisso exercitu in Indiam aufugit. Hanc cladem vlciscivolens Cuchengis, ingressus est anno A.N.C. MDXXX. Egiræ CMXXXV. cum exercitu Persidem, in qua tunc regnabat Cha Thamas, Ismaelis filius, qui se ei opposuit, victoriamque ab eo reportauit, vnde Vsbequensis recepit se in Maurenaharem, vbi nouas expectabat copias ab Marvvo. Sed pace facta Kuchengensis vlterius progressus non est, sed reuersus in Maurenaharem paulo post extinctus est, cum regnasset XX. annis

ABVSAYDVS CHAN, III. REX Maurenaharis.

Filius hic fuit superioris, peruenitque morte patris ad regnum, quod obtinuit annis IV. mortuus postea re nulla memorabili gesta; anno Salutis MDXXXIII. Egiræ CMXXXIX.

OBEYD CHAN, IV. REX MAVrenaharis.

Quam primum hic Diadema adeptus est, intrauit Carasonem cum valido exercitu, volens inde penetrare in Persidem: Verum Cha Thamas aliud eum consilium capere coegit, eripuitque ei totam Carasoniam. Verum secunda vice reuersus Obeydus, magnam terris illis vastitatem intulit, vsque ad annum MDXL. Egiræ CMXLVI. quo periit cum regnasset annis VI.

ABDVLA CHAN. V. REX Maurenaharis.

Kuchenguis Chani hic filius fuit, adeptus regnum morte Obeydi, quo tamen non vltra VI. menses lætatus fuit, quibus exactis viuendi finem fecit anno A N. C. MDXLI. Egiræ CMXLVIII.

ABDELATIFVS CHAN, REX sextus.

Successit hic patri Abdulæ in regno Maurenaharis, quod obtinuit vsque ad annum A N.C. MDXLIII. Eg. CMXL. in quo, eo anno mortuo, extinctum est ius regni Maurenahar posterorum Chinguis-Chani.

ORIGO SCHACH ISMAELIS Sophi & imperium posterorum eius quod per regnum Persicum obtinuerunt usque ad nostra tempora.

Vocat nos ordo & instituti ratio ad persequendam seriem regum Persicorum. Antequam autem de rebus gestis Ismaelis Sophi dicamus, operæ precium videtur, originem eius repetere, obseruata quantum fieri potest, breuitate. Pater Ismaelis fuit Chequus Aydar, avus Saltan Iuneius, proauus Chequus Ebrahemus, abauus Chequus Aly, atauus, Chequus Mucha, tritavus Chequus Sophi, & sic fuit decimus tertius nepos ab Haly, qui fuit propinquus & gener Mahometi Pseudo-Propheræ. Cum Tamerlanes post deuictum captumque Baiazetem in Persidem reuerteretur, traxit secum ingentem mancipiorum numerum, tam ex Caramania quam aliis nationibus, quæ omnia statuerat trucidare. Hoc consilio ingressus Ardeuillam, substitit ibi per aliquot dies. Erat tunc in ea vrbe quidam Checus Sophy, ab omnibus pro viro Sancto habitus cultusque: Cuius viri fama etiam ad Teymurlangum peruenit, qui eius desiderauit & notitiam & amicitiam. Huic cum optandi copiam permisisset Princeps, Sophus idoneum sortitus tempus, orauit vitam veniamque captiuis. Teymur, qui viro illi nihil negatum volebat, omnes ei donauit, vt pro arbitrio cum illis ageret. His ita acceptis, Sophus de victu vestibusque prospexit, deinde omnes liberos dimisit, vt suam quisque repeteret patriam. At hi domum delati, memores acceptæ salutis, donis muneribusque assidue hunc virum, & prope singulis diebus coluerunt, nec eum duntaxat, sed & posteros eius, vsq; ad Sultanum Iuneium, qui vixit tempore Iooncha, filii Cara Iffufi, de quo iam ante diximus. Hic Princeps, cum videret quotidie tantum equitum peditumque ad Iuneium confluere, rem in suspicionem vocauit, dixitque parum sibi placere illum hominum concursum; velle igitur se ipsum deinceps huic rei supersedere. Offensus valde Iuneius hoc regis edicto, egressus Ardeuilla sequentibus multis religiosis versus Mesopotamiam profectus est. Erat tunc rex illius prouinciæ Ozun Acembecus, qui hominem magno honore recepit, sororemque suam Radyam ei vxorem dedit, ex qua Iuneius filium sustulit Aydarem.

Habebat hic Iuneius semper circum se certos cursores, qui totam peruagabantur Gurgestaniam, & quos intercipiebant, suam cogebant amplecti religionem. Accidit aliquando vt grassatores isti Trapezuntem ingressi, interficerent regem, vrbemque traderent Aydaro Iuneij filio. Cumautem postea Acembecus Iooncha interemisset, venit Aydar Ardeuillam, vbi vxorem duxit Alemcham filiam Acembequi, quæ ei peperit Halyn & Ismaelem, qui posterior natus est anno A N. C. MCCCLXXXVIII. Eg. DCCCXCIII. qui se Sophy vel Sophum appellauit ob causam quam supra adduximus.

Anno sequenti, cum Aydar regnum Mediæ ingressus fuisset, occisus est à Ferroco Iassuto rege illius prouincię, fueruntque capti duo eius filii, Haly & Ismael, quos Rostanus Becus deinde libertati restituit. Maiore autem Haly postea occiso, fugit Ismael in Gueylonem, hæsitque ibi

per annos sex, quo tempore res Persicæ valde turbatæ fuerunt ob dominationem Acuionlolorum. Ismael profectus Arsenionem, inuenit ibi ad VII. millia hominum Sophianorum, ex diuersis familiis, qui eum omnes secuti sunt, quamuis vix XIV. annos natus esset, quod accidit A.N.C. MDI. Eg. CMLXVI. Cum his ingressus Mediam conflixit cum Farroco Iassuto, qui patrem eius interfecerat, potitusque victoria occidit Farrocum, factus pro eo Rex Mediæ. Anno sequenti bellum intulit Alvvano in Nacchaone, coegitque eum fugere, capta Tauri vrbe. Potitus & hac victoria, sumsit Tulbanum siue capitis operimentum rubeum, cum duodecim fasciis in memoriam XII. filiorum Ocemi, nepotum Halys, qui inter sanctos à Persis relati sunt, à quibus ipse se genus ducere gloriabatur: appellauitque nouum istum Ordinem militarem Casel-Bas, quasi dicas Caput Rubrum. Absente alicubi Ismaele, rediit Albanus occupaturus Taurim: Sed statim adfuit Ismael, coegitque alterum fugere, primo Babylonem, deinde in Diarbecam, ubi mortuus est anno A N.C. MDIII. Egiræ CMVIII. Post huius mortem duxit Ismael exercitum suum in Persidem aduersus Morat Becum qui victus amisit vltra X. millia militum, reliquitque Ismaeli Persidem & Kermonē. Hinc cum hybernasset Comi, misit Eliasbecū contra ciuitatē Rey. Hunc ex insidiis adortus Ocember Gelohæus, vicit & occidit. Ismael audita hac suorum clade, duxit in Gelohæū, qui refugiens cepit se in castrū munitissimū, cui Feruzkhu nomē erat. Ismael cum expugnare id vi nō posset, ademit obsessis aquā, vnde præsidiarii deditionem fecerunt. Etsi autem bellum hoc diuturnum non fuit, vltra XXX. tamen hominū millia in eo perierunt: quo confecto Ismael in Carasonem iter direxit. Vix egressus fuerat regno, cum regulus quidam, nomine Mahamedes Carrhæus assumta manu aliqua militum regionem inuasit Iaztensem, eamq; occupauit. Occurrit huic Ismael, defendit se alter animose: Sed ad extremum redacta in potestatem suam ciuitate captum Carrhæum viuum exurit anno MDVI. Egiræ CMXI.

Scyras Persidis vbi peruenit Ismael, proposuit edictum in forma proscriptionis, quo omnes mori iubet, quicunq; prælio, in quo Aydar pater eius occubuerat, interfuerant. Sic perierunt è proscriptis vltra XXX. millia hominum: Cumq; hybernans apud Taronem intellexisset de morte Ozemi Mirzachi, Carasonię regis, cuius regnum occupauerat Goybek-Chanus Vsbequensis, exclusis liberis defuncti, qui ad Ismaelem confugerant: Statim cum copiis iuit in Mesopotamiam, deinde tentauit Babylonem, cuius præfectus confugit ad Turcas. Deinde subiecit sibi Cusistam, quæ eadem est cum Susiana, in qua olim Assuerus & Hester suam habuerunt regiam. Media deinde hyeme duxit exercitum in Mediam, cepitque Bacum & Darbandum anno A N.C. MDXII. Eg. CMXVII. Inuaserat interea Carasonem Chaybec-Chanus: Sed audito Ismaelis aduentu, retrogressus est Marvvon. Verum Ismael assecutus properantem in campo, confligere coegit, in quo Chaybecus cum regno vitam amisit, & sic Carasonis dominus factus est Ismael.

Eodem anno mori contigit Baiazetem II. Turcarum Monarcham, cui in Imperio successit Selimus filius: anno vero MDXIV. natus est Ismaeli filius Cha Thamas. Anno eo qui sequebatur venit Arsenionem Selimus cum magno Turcarum exercitu, cui obuius factus est Ismael egressus Hisphaone, apud Chalderonem, vbi atroci commisso prælio victus est Ismael, qui primo Taurim fugit, deinde Gazin. Anno eodem intrauit Selimus Taurim, commoratusque ibi per dies XV. profectus est in Amasiam. Eo qui sequebatur anno cepit Selimus Kemacam, magni momenti locum in Saladulia, & Sulcadelam, & Alepum Syriæ. Anno vero Salutis MDXVII. Egirę CMXXII. Subegit Damascum & Aegyptum, postea Mesopotamiam, estque extinctus morbo anno MDXXI. Eg. CMXXVI. successorem habens Solimannum filium. Ipse Ismael Sophus cum toti regno Persico imperitauisset per annos XX. mortuus est, anno Christi MDXXV. Eg. CMXXX. ætatis XXXVIII. Vir in bellis terribilis, audax & metus expers, magis crudelis & seuerus quam suauis & humanus. Solebat crebris vsurpare sermonibus: Sicut vnus in cœlis Deus esset, ita vnum in terris debere esse regem: quo dicto nimiam regnandi auiditatem satis testatus est. Intanta erat apud suos existimatione, ut vulgo eum pro homine Sancto haberent & Religioso, quin & non deerant adulatores, qui ei diuinitatis honorem tribuebant, quem se reijcere simulabat palam, sed clam affectabat. Cum enim aliquando præter spem maximi momenti adeptus fuisset victoriam, appellātibus eum aliis Prophetam, aliis Angelum, aliis Deum: tantum abfuit ut illas adulantium voces comprimeret, ut contra iuberet effodi profundam fossam, coniectoq; in eam calceo suo, publice proclamari iuberet, ut is, qui se quam maxime amaret, insiliens in fossam, inde peteret calceum. Cum dicto ingens hominum multitudo in fossam se demisit, in quos terra egesta irruens, omnes viuos obtexit, persoluta adulatoribus illis impietatis mercede. Filii ei fuerunt quatuor: Cha Thamas, Elias Mirzah, Son Mirzah, & Barhon Mirzah.

CHA THAMAS, II. PERSARVM rex ex Sophianis.

Successit hic Ismaeli patri, gessitq; multa bella totis illis LIII. annis, quibus regno præfuit, maxime contra Turcas. Mortuus est anno MDLXXVI. Egiræ CMLXXXIII. Relictis duobus filiis, Ismaele & Mahamedo cæco.

CHA ISMAEL II. REX EX SOphianis III.

Maior hic filius fuit Cha Thamas, regno Persarum non nisi anno vno & mensibus X. lętatus, quo tempore exacto mortuus est, relinquens regnum fratri suo Mahamedo, cognomento cęco, an. A N. C. MDLXXVIII. Eg. CMLXXXV.

CHA MAHAMEDVS, PERSArum Rex ex familia Sophianorum IV.

Ismaele secundo sine liberis extincto, Rex factus est Mahamedus frater eius: qui etsi captus esset oculis, regni tamen gubernacula per VII. annos tenuit, mortuusque est anno Sal. MDLXXXV. Egirę CMXCII.

CHA ABAS, REX PERSARVM ex Sophianis V.

Successit cæco filius Abas in regno, qui & ipse plura bella gessit, reportatis illustribus aliquot victoriis, inprimis Castigauit Gueylonenses qui rebellauerant, cum suo tum ipsorum damno. Obsedit Balcam vrbem vsbequiæ per aliquot menses, sed frustra. Regulum Larensem, latrociniis in Perside grassantem, interfecit. Taurim vrbem Turcis reliquit, qui eam à Cha Thamæ temporibus possederant. Hanc tamen Turcæ postea iterum amiserunt, cum plerisque aliis locis quę per Persidem occupauerant. Multa memoria non indigna sub hoc principe contigerunt, quæ partim ad nostram notitiam nondum peruenerunt, partim propter institutę breuitatis rationem hoc loco Commemorari non possunt.

ELENCHVS REGVM PERSICORVM, VSQVE DVM ARABES RERVM potiti sunt, secundum Mirkondum.

Supputationem annorum ad marginem adiecimus. quibus numerus nullus additus est, de eo certi esse ex Chronicis non potuimus. Littera G. adiecta, Gubernatores illos fuisse ostendit, etsi à quibusdam inter reges recenseantur. Hæc nota { includit reges, sub quibus illi gubernauerunt. Posterioribus etiam annos A N. C. & Egiræ adiecimus.

Nomina regum,	Anni regni.
Caiumarras.	40.
Syamecus.	30.
Ouchangus.	
Thamur Diubandes.	50.
Iambchedus.	30.
Zoac.	
Fraydhun.	
Manucher.	
Nauder.	120.
Afraciabus.	7.
Zaab siue Bazad.	12.
Cay Cobadus.	5.
Cay Caus.	100.
Cay Cozrao.	150.
Lorasphus.	60.
Gustasphus	120.
Bachamandar siue Ardchir.	120.
Homaia Regina.	112.
Darabus Primus.	30.
Darabus secundus.	12.
Scander siue Alexander.	14.
INTERREGNVM annorum	72.
Chapur.	60.
Ardchir Babacon.	50.
Chapur Zabel Ketaf.	
Ardchir Frazand Hormoz.	
Chapur II.	60.
Baharon Kemon Cha	15.
Iazdes Gerd.	22.
Kesere Cosroes.	

Nomina Regum,	Anni regni.
Baharon Gur.	
Narsi, O Nasa G.	
Baharon Gur. II.	23.
Iazd Gerdes.	
Narsy G.	
Iayd Gerdes II.	
Hormoz Farzand	1.
Feruz.	
Sufata.	
Feruz. G.	
Sufara G.	
Feruz. III.	26.
Belax.	5.
Iamas pes G.	
Cobadus.	43.
Keseres Anuchiron.	
O. Nauchiruan.	48.
Hormoz.	12.
Baharou Chubi.	
Cozrao Paruez	38.
Cobadus Chiruiehus.	
Ardchir Chiruiehus.	
Chareat.	1.
Ioon Chir.	1.
Turon Doc, Regina	1.
Iacenceda.	
Azarmi Doc, Regina.	
Reseres.	1.
Ferrogzedus.	
Iazd Gerdes III.	20.

CATALOGVS CALIPHARVM BABYLONICORVM, qui rerum in Perside potiti fuerunt, postquam eam Arabes sibi subiecerunt.

Anni A.N.C.	Anni Egiræ.	Nomina Calipharum.	Anni regni eorum.	Menses.	Dies.
623.	2.	Abubacar.	2.		
643.	22.	Homar.	1.		
644.	23.	Osman vel Otman	11.		
656.	35.	Morts Haly.	4.		6.
661.	40.	Acemus.			6.
		EX FAMILA BEN HVMYA.			
662.	41.	Mauuya.	20.		
682.	61.	Iezidus.	3.		
685.	64.	Mauuya II.			1.
687.	66.	Maruanus.	1.		
688.	67.	Abdel Malech.	21.		1.
706.	86.	Oelidus.	9.		8.
716.	96.	Soleymannus.	2.		6.
718.	98.	Hamar vel Homer.	2.		3.
720.	100.	Iezidus II.	4.		8.
724.	105.	Ochon.	19.		8.
743.	124.	Oelidus II,	2.		1.
744.	125.	Iezidus III.			6.
745.	126.	Ebrahemus.			2.
748.	128.	Marvvanus II	5.		5.
		EX FAMILIA EBEN ABANTIS.			
751.	132.	Safa	4.		
754.	136.	Abu Iafar.	23		
777.	159.	Mahady Bila.	10.		
786.	169.	Eladdi Bila Musa	1.		3.
789.	170.	Arachidus Harum.	13.		
810.	193.	Mohamed Amri.	4.		7.
815.	199.	Mahamum.	12.		7.
826.	210.	Abu Ezech Matacon	8.		
833.	217.	Vacecus.	5.		
838.	222.	Almotouua Bila Iafar.	12.		6.
850.	234.	Montacerus.			6.
851.	235.	Abul Abas Hamed	3.		
		VACAVIT CALIPHATVS.			
860.	245.	Mostahinus	1.		4.
862.	246.	Almatez Bila.	3.		
Anni A.N.C.	Anni Egiræ.	Nomina Calipharum.	Anni regni.	Menses.	Dies.
865.	250.	Motadi Bila			11.
866.	251.	Almat Bila Hamet.	23.		
893.	279.	Matazed Bila Hamed.	9.		9.
903.	289.	Moctafy Bila.	4.		
907.	293.	Moctader Bila.	7.		
914.	301.	Iafar.	20		
933.	320.	Caher Bila Mahamed.	4.		
935.	322.	Razi Bila Mahamed.	4.		
939.	329.	Moctafi Bila Ebrahem	4.		
943.	330.	Mostachfi Abdala.	4.		4.
947.	334.	Mutya Bila Fazle.	29.		6.
					977.

977.	365.	Tahia Abel Carim.	17.	2.
1013.	403.	Kader Bila Hamed.	21.	4.
1032.	422.	Kahem vel Alkahem Beamaryla, Abu Iafar Abdula.	44.	4.
1074.	467.	Almoctadi Bila.	19.	5.
1095.	487.	Almoſtacer Bila	25.	6.
1119.	512.	Almoſtacer Bila Fazele.	17.	2.
1136.	529.	Rachetus Bila.	2.	
1139.	531.	Almoctafi Bila.	24.	
1161.	555.	Almoſtanger Bila Iſſuf.	11.	
1171.	566.	Almoſtancy Ben Vr Elach.	9.	8.
1180.	575.	Nazer Ladinla.	47.	
1226.	622.	Alhazer Bila Mahamed.		9.
1227.	623.	Almoſtancer Bila Manſur	7.	
1244.	640.	Abdula.	15.	7.

REGES TARTARICI, EX POSTERIS CHINGVIS CHANI qui in Perſide dominati fuerunt.

1207.	602.	Chinguys-Chan.	1.	
1230.	626.	Orkay Khaon.	13.	
1246.	643.	Gayuck Cayon.	1.	
1247.	644.	Manchu Cayon.	13.	
1260.	657.	Vlaku Cayon.	6.	
1266.	663.	Haxbay Cayon	17.	
1282.	680.	Hamed Chan vel Nicudar Oglan.	2.	2.
1283.	681.	Argon Chan.	7.	
1293.	690.	Goniaru Chan.	2.	
1295.	693.	Bul-Chan.	1.	
1296.	694.	Gazun-Chan.	8.	
1305.	703.	Aluaptu Chan, poſt Sultan Hamed.	12.	
1317.	716.	Abyay Bahader Chan.	19.	

REGES TARTARICI EX POSTERITATE TAMERLANIS, qui Regnum Perſicum obtinuerunt.

Anni AN.C.	Anni Egiræ.	Nomina regum.	Anni regni.	Menſes. dies.
1388.	789.	Teymurlangh.	36.	
1405.	807.	Mirzah Carroz.	43.	
1447.	850.	Ologhbecus.	2.	
1450.	853.	Mirzah Abdelatifus.		6.
1451.	854.	Mirzah Abdula.	1.	

REGES MAVRENAHARIS.

1452.	855.	Mirzah Sulton Abuſaydus.	18.	
1469.	873.	Mirzah Sulton Hamed.	28.	
1532.	937.	Mirzah Bahor.	28.	

REGES CARASONIS ET ADERBAIONIS.

1469.	873.	Mirzah Hyadigarus.	2.	
1471.	875.	Mirzah Sultan Ocen.	38.	
1556.	916.	Bahady Amazon, & Muzafa fratres ſimul.	1.	
		In Aderbaione.		
1406.	809.	Miromcha.		
1407.	810.	Mirzah Abubaquer.		

TVRCOMANNI EX FAMILIA NIGRI ARIETIS.

1421.	815.	Cara Iſſuff.	14.	
1438.	841.	Amir Scandar	16.	
1468.	872.	Iooncha.	33.	
1469.	873.	Acen Aly	1.	

TVRCOMANNI EX FACTIONE ALBI ARIETIS.

1472.	876.	Ozun Acembecus	11.	
1478.	882.	Sulton Kahil.		6.
1482.	886.	Iacuppus Bayſangor	12.	
1492.	896.	Mirzah N.	1.	6.
1493.	897.	Roſtanbecus.	5.	
1498.	902.	Hagmet Becus.	1.	
1499.	903.	Alvvan Becus.	1.	
1500.	905.	Morat Becus.	1.	

SOPHIANI DESCENDENTES AB ISMAELE.

1501.	906.	Cha Iſmael Sophus.	20
1525.	930.	Cha Thamas.	53.
1576.	983.	Cha Iſmael II.	1.
1578.	985.	Mahametus Cæcus.	7.
1585.	992.	Cha Abas.	33.

DE IMPERIO MAGNI CHAMI SIVE REGIS TARTARORVM.

SVMMA CAPITA.

1. *Imperii Tartarici ingens amplitudo & Vaſtitas; eius fines ſiue limites & clima Cœli.*
2. *Situs & ambitus Vrbis Cambalu, quæ caput eſt huius regni.*
3. *Quo fruatur hoc regnum aere: abundat Oriza, frumento vario, ſerica lana, Rhabarbaro, Muſco. Multa in eo camelorum & equorum boumq; armenta. Lithanthracum hic copia, quorum uſus ad ignem. Crebri hic Phaſiani & alij alites.*
4. *Fulgura & Tonitrua horribilia in Tartaria, & venti impetuoſi.*
5. *Lacus ab incolis Caniclú dictus, in quo mira Margaritarum abundantia. Flumina huius regni celebriora.*
6. *Robur & ratio viuendi Scytharum, qui Tartarorum maiores fuerunt. Mos eorum plane Barbaricus, bibere ex craniis interfectorum hoſtium, & ſe eorum detractis tegere pellibus.*
7. *Quæ præcipue coluerint Numina: eorum ſacrificia, ceremoniæ cruentæ in contrahendis fœderibus. Exequiarum ratio in ſepeliendis regibus, quibus immolabant ſervos & miniſtros regios.*
8. *Quibus vſi fuerint ceremoniis in funerib. priuatorum.*
9. *Quibus pigmentis ſoleant mulieres Scythicæ ceruſſare faciem. Iuramenta & Leges Scytharum.*
10. *Origo Imperij Tartarici: quo pacto à vicinorum dominio liberati fuerint per Changiſtum ſiue Chinguin Chanum.*
11. *Ingenium, mores, conſtantia, Leges, cibus, potus, veſtitus, exercitia & arma Tartarorum. Ratio eorum pugnandi; exſequiæ.*
12. *Opes eorum conſiſtunt in negociatione Oriz æ, materiæ ſericæ, cannabe, lana, rhabarbaro, muſco, panno è pilis camelorum, gingibere, Caryophyllis, ſabulo aureo fluuiorum, coralio, lapide Lazurio, & auri fodinis.*
13. *Moneta eorum è corio, arborum cortice & cochleis marinis.*
14. *Robur regni Tartarici conſiſtit in ſitu & amplitudine prouinciarum, in oppidis, multitudine populorum & Hordarum in campis.*
15. *Nomina Regum Tartaricorum, litteris aureis inſcripta præcipuis Templis vrbium. Potentia eorum abſoluta, cum iure vitæ ac necis in ſubditos.*
16. *Lex & Ordo militaris, auctore Changniſto ſiue Chingui Chano.*
17. *Quas ſoleant adhibere ceremonias in Coronando nouo rege.*
18. *Sigillum, quo vtitur Magnus Cham Tartarorum in diplomatibus edictiſq; ſuis. Summus & rigidus Iuſtitiæ obſeruator.*
19. *Conſilium eius duplex, Regni & Militiæ, vtriuſq; Iuriſdictio. Potentia & auctoritas Aſtrologorum apud Tartaros.*
20. *Pœnæ & ſupplicia furibus aliisq; flagitioſis irrogari ſolita.*
21. *Horda vox quid ſignificet.*
22. *Religio Tartarorum eſt Cento quidam compoſitus ex Paganiſmo, Mahometiſmo & Chriſtianiſmo. Eorum ratio cultus, preces. Credunt immortalitatem animorum.*
23. *Origo Iudæorum qui inter Tartaros habitant.*
24. *Error Chriſtianorum inter Tartaros, qui plerique ſunt Neſtoriani.*
25. *Genealogia regum ſiue Imperatorum Tartaricorũ.*

QVi curioſius ex Geographorum principi i menſi ſunt Vaſtiſſimum terrarum ſpacium quod ingens hoc Magni Chami Tartarorum Regis imperium Complectitur, in ea ſunt ſen tentia, vix ullum principem per Aſiam & Euro pam tantũ (ſi amplitudinem ſpectes) poſſider terrarum, quantum Mogul poſſidet: niſi fort Hiſpanorum regem excipias, quem, ut non ne gamus, ob Aduerſi ſiue Noui Orbis ſpacioſiſſi mas prouincias & regna, plus humi in terre

ho

hoc globi ambitu, quam Chamum obtinere: Ita rursum fatendū est, Tartarica regna & prouincias continentibus spaciis iungi, & velut vnum corpus constituere; cum contra Hispanica potentia per IV. Orbis partes sparsa, velut laciniosa sit, & vix vsquam, præterquam in Americā, cohæreat, sed passim intercursu aliorum principatuum separetur & diuellatur.

Igitur ingens hoc regnum (siue Imperium,) quod incolæ *Mogul* seu *Mongul*, nos *Tartariam* vocamus, à fluuio *Tartar*, qui bonam partem eius alluit, his circumscribitur limitibus. Ab Oriente vasto & famoso illo regno Chinæ, Mari quod De Cin appellatur, & Freto Anianensi. Ab Occidente Imao Monte, qui totum istud latus claudit, exceptis quibusdam Hordis Tartarorū, qui cis montem habitant, & Magni Chami imperium agnoscunt. A Meridie habet Indiam extra Gangem, ipsum Gangem fluuium, & Oxum, qui hodie Abia dicitur. A septentrione Mari glaciali terminatur, ubi prorsus ignota incultaque est, & inhabitata putatur, ob Poli Arctici propinquitatem & frigiditatem. Vt breuius dicam: Imperitat Magnus Chamus omnibus illis terris, quas veteres sub nomine Scythiæ extra Imaum montē intellexerunt, cum regione Serum, qui sub regni Cataiensis nomine hodie censentur. Quidam qui res Geographicas exactius se percepisse autumant, ita definiunt. Statuunt vnum limitem desertum Lopense, ex aduerso Lacum Kytay, vsq; ad murum, qui porrigitur intra XLIII. & XLV. Gradum, ab vrbe Ochioia intra duos montes sita, vsque ad alium montem, qui mare contingit, diuiditq; Tartaros à Chinensibus: Et ab Oceano Scythico vsque ad fines Tipuræ & vicinarum regionum. Comprehenduntur in hoc spacio multa regna & prouinciæ ampliſſimæ, multis bonis & præstantibus oppidis exornatæ.

Præcipua totius regni ciuitas est *Cambalu*, quā quidam putauerunt esse veterum *Issedonē Sericam*, sita supra *Polisangin* fluuium, forma quadrata, cuius ambitus habere putatur XXIV. milliaria Italica. Portas habet duodecim, cum totidem suburbiis, in quib. sua sunt hospitibus & mercatorib, diuersoria. Tenet autem hæc vrbs velut vmbilicum regni Cataij, est non huius duntaxat, sed & cæterarum in circuitu veluti centrum.

Habet autem hoc Imperium præter opulentissimum regnū Cataiense, alia quoq; non contenenda: De Tangut, Camul, Tenduc, Tainfur, Thebet, cum vrbe & prouincia Caindo, quæ omnia pro dignitate à nobis describi non possunt, cum vix quisquam dicere queat, le ea perfecte nouisse, vel quæ scitu necessaria sunt, ab aliis didicisse.

Qualitas & ingenium soli Tartarici.

Aiunt regnum Cataiense abundare Oriza & Tritico, aliisque rebus ad victum necessariis, quanquam aere perfletur frigidiori. Sed & auri argentiq; hic multum reperitur, & serici, & rhabarbari & Musci. Adde magnum animalium numerum; & ut vno verbo dicam, præstat hæc regio, quicquid non ad victus duntaxat necessitatem, sed & delectationem Genii facere potest. Innumeros hic videbis Camelos, & armenta equorum frequentissima. Narrant Epistolæ Tartaricæ, Magnum Chamum alere equarum candidissimarum decem millia, quarum lac bibat. Vinum vix vllibi colligitur, constatq; in Cataio non prouenire. Reperiuntur hic etiam saxa nigra, velut Carbones fossiles, ad alendum ignem vtiles, cuiusmodi & in Germania inferiore reperiuntur. Aeris temperies hic laudari non potest, sunt enim hic per æstatem tonitrua & fulgura adeo horrenda, ut præ timore homines animo linquantur: Iam calor magnus est, mox frigus, & densissime niues cadunt. Ventorum frequenter tam validi flatus, ut equites in cursu sistant, aut arbores radicitus euellant, multumq; damni regionibus inferant. Hyeme nullæ cadunt pluuiæ; æstate frequentes, sed adeo leues, ut vix superficiem soli humectent. Auium in his oris ingens multitudo, inprimis Phasianorum & aliarum, quarum apud nos commendatur raritas.

Lacus habet Tartaria plurimos, quos longum esset enumerare: præcipuos tamen recensebimus. In Prouincia *Caniclu* Lacus est, in quo tanta Margaritarum copia, ut precium earum omnino vile futurum esset, si cuiq; quantum liberet, piscari permitteretur. Quare sub capitis pœna cautum est, ne quis sine permissione Magni Chami Vniones in hoc Lacu quærat. Scatet autem & piscibus idem Lacus. In prouincia Caraima alius est supra modum piscosus, centum ambitu suo complectens milliaria. 4.

Fluminibus rigatur Vestissimum hoc regnum non paucis, inter quæ *Pulisachnis* vel *Polisangis* facile primum locum obtinet. Caromoran in Oceanum euoluitur, ob latitudinem & profunditatem suam pontis impatiens. *Quianfu* latitudinem dimidii milliaris habere creditur, profundus admodum & piscosus. *Quiamo* maiorem in Orbe non esse putat M. Paulus Venetus: refert enim latitudinem eius quibusdam in locis X. milliarium esse, in aliis VIII. in quibusdam VI. Longitudinem vero eius porrigi in iter C. dierum. 5.

De rebus, quas quæque prouincia præ aliis gignit, sigillatim dicere, difficile est, nos tamen quędam afferemus. In regno Tangus plurimum crescit Rhabarbari, quod per pleraſq; orbis prouincias distrahitur: In regno Tenduc auri fodinæ sunt, & venæ Lapidis Lasurii. Prouincia Tainfur cæteris est cultior, ita ut etiam vineas habeat. Regnum Thebetanum paludibus vdum est, obsitum tamen nemoribus, in quibus ferarum copia: reperitur hic etiam Coralium, & Muscus odoratissimus, aliæque res aromaticæ. Hæc sunt ea, quæ de huius Imperii natura & qualitate dicere habuimus, nunc, cum aliud nobis in hac inopia non innotuerit, videbimus cum veterum Scytharum, tum nostri æui Tar-

tarorum mores, consuetudines & viuendi rationem.

MORES ANTIQVORVM SCYTHARVM.

6. Quas gentes populosque hodie generatim appellamus Tartaros: ij olim omnes sub communi Scytharum nomine comprehensi fuerũt, habitaueruntq; eis & vltra Imaum montem. Et ab initio quidem Scytharum regio admodum ampla non fuit: sed successu temporis & incolarum virtute longe lateq; eius prolata sunt pomœria, subieceruntq; sibi Scythæ alias quoque prouincias & nationes exteras, facti celebres per totum terrarum Orbem. Sæpius ab exteris principib. petiti, subacti nunquam fuerunt, nec vnquam peregrino submisere colla iugo. Et Cyrum quidem cum omni suo exercitu iugulauerunt, duce fœmina: & Darium turpi fuga se recipere coegerunt: Alexander vero Macedo perdidit omnes quas aduersus eos miserat copias. Audiuerunt quidem Scythæ nomen Romanorum, eorum vero vires & arma experti nõ sunt. Viuebant veteres Scythæ, non aliam quam naturæ legem obseruantes. Furtum detestabantur & puniebant, ut qui greges suos non intra crates aut parietum sępimenta custodiebant, si druri errare sinebant. Auri & argenti apud eos notitia nulla, nec aliud in vsu ad vitam alendam quam carnes cum lacte & melle. Aduersus frigora muniebãt corpus ferarum pellibus, parandæ ad vestes lanæ artem ignorantes. Captorum cæsorumue in bello hostium capita ad regẽ deferebant, aliter prædę participes non fiebant. In amputandis hostium capitibus hac vtebantur ratione. Post aures circa ceruicem incidebant nouacula cutim in orbem, eamque detrahebant capiti, deinde inciso collo & separatis vertebris excauabãt cranium. Ex reliqua pelle corpori detracta & prępara ta faciebant habenas frenorum suorum, aut adhibebant ad alias res, in quib. corij bubuli vsus est. Quidam etiam dextras manus hostib. amputabant, easq; excoriatas applicabant pharetris suis, pelle manuum eas velut operculis tegentes. Alii integram pellem detrahebant homini, eamq; extensam in assere siccabant, & velut Trophæum præferebant. Capita hostium, de quibus supra diximus, excoriata & corio bubulo inclusa, ditiores intus deaurabãt, vtebanturq; iis pro poculis, eaq; aliquando peregrinis (siquidem viri illustres essent) dono offerebant, narrantes simul quæ quisq; fortiter fecisset.

Principes solebant quotannis honoris ergo vinum exhibere militibus, qui fortiter fecissent in bello: ij, qui nullum adhuc ex hostib. interemerant, excudebantur è cæteroru consortio, quæ quidem maxima habebatur ignominia. Qui plures cæteris interfecerant, duplum bibebant, quin & tot afferebant ad conuiuia calices, quod occiderant inimicos.

7. Inter falsa sua numina præcipue colebant Vestam, quam omnib. rebus pręesse credebant: deinde Iouem & Tellurem, quam Iouis putabant esse coniugem, & hos quidem cum primis colebant placabantq;. Præter hos adorabant etiam Apollinem, & Venerem cælestem, & cum Marte Herculem: nulli tamen horum omnium ullum extruebant Templum aut Aram pręterquã Marti, cui sacrificabant centesimam omnium quæ bello cepissent: immolabant ei autem inprimis equos, animalis genus bellicosum. Porcorum omnem abiiciebant curam, neque inter greges ferebant.

Si quis à Rege ad mortem condemnabatur, non in ipso solo stabat supplicium, sed & ad liberos eius masculos extendebatur. Percutientes fœdus Scythæ, capiebant ollam fictilem, infundebantq; in eam primo vinum, deinde sanguinẽ vtriusq; partis contrahentiũ fœdus, hęcq; simul miscebant: eo humore perspergebant gladios suos, lecures, sagittas & arcus. Postea recitato iuramento pleno horribilibus execrationibus, quibus deuouebant caput illius, qui prior fidem fregisset, bibebant omnes ex olla vel cratere, quicumq, aderant contrahentibus fœdus.

Rege mortuo, profundam fossam inprimebant humo, quadratam. Hinc exẽteratum corpus inferciebant odoramentis & seminibus: deinde imponebant cadauer pilento, circumuehentes id ab una gente ad aliam, ubi ab omnib. cum honore excipiebatur. Sequebantur interea ministeria aulica & domestici regii, findentes sibi auriculas & abscindentes cõmam in signum tristitiæ, vulnerantes etiam brachia & vellicantes nares vsque ad sanguinem, manum vero dextram etiam sagitta perforantes. Circumductum ad hunc modum cadauer regium in remotissima regni parte destituebant. Ibi erigebatur monumentum, corpusq; sarcophago inclusum demittebatur in fossam. Circum tumulum defigebant lanceas & hastilia, cum fasciculis virgarum & quibusdam defuncti vestimẽtis: sepeliebatur etiam simul vna ex Concubinis regis, quam puratus fuit præ cæteris amauisse donec vixit. Putabatur autem & opus habere ministris seruisq, in altera vita, qua de causa strangulabant iuxta sepulcrum regis, præfectum cubiculi regii, coquum, pincernam, pararium stratorem, mulionem cum equo gradario, & his omnes sepeliebantur vna cum defuncto Principe, additis vasis & supellectile preciosiore. Consueuerant autem singulis annis adeundem modum tumulo defuncti exequias dare, & eius recolere memoriam, quamuis honor is coniunctus esset cum interitu multorum illustrium nobiliumue Scytharum: neq; enim vllus, qui conditione seruus esset, ad ministerium regis admittebatur. Eligebant insuper ex iisdem quinquaginta viros ingenuos cum totidem equis quos omnes strangulatos exenterabant, exemptisque intestinis ac viscеribus ventres rursum consuebant. Hinc suffixos palis equos erigebant & necatos viros iis imponebant, ut constituti circum tumulũ regium, sessorum in equi

speciem referrent, quasi tot equites ibi statio-
nem haberent ad custodiam regii sepulchri. Et
his quidem Scythæ vsi fuerunt Ceremoniis in
sepeliendis regibus suis.

At in tumulandis priuatis minus erant am-
bitiosi. Defunctum vita propinqui imponebant
curru, deferentes eum ad propinquos & neces-
sarios, quorum quibus super cadauere conuiui-
um instituebat, inuitatis consanguineis & ijs qui
fanus deduxerunt. Hoc postquam ita per XL.
dies circumduxerunt, imposuerunt tribus
lignis inducto desuper tentorio, deinde repo-
nebant id in vase ad similitudinem nauigii, ad-
dentes gemmas lapillosque lucentes, ut eos
nanciscì poterant. Et hæc quidem de ratione
sepeliendi mortuos apud Scythas usitata acce-
pimus: Nunc alia videamus.

Viri apud Scythas nunquam lauabantur,
mulieres autem fricabant corpus ad saxa aspera
& scabra, infusa desuper aqua, cumq; cutis hoc
modo inflata fuisset, perfricabant eam insuper
scobe & ligno cupressi, cinere & thure, ijsdem
rebus ad conciliandum bonum corpori odorē
præsertim faciei, utentes, admistis tamen qui-
busdam medicamentis siue odoramentis, ut
hoc modo pulchriores ad spectu & suauiores o-
doratu euaderent. Maximum & pene vnicum
Scytharum juramentum erat per Thronum Re-
gis. Si quis peierasse conuictus fuisset (magi e-
nim per sortes virgarum salignarum facile de-
prehendebant periurium) nullo modo vitabat
supplicium capitis, bona vero eius addicebantur fraudis indici & vindici.

Cataienses (qui veterum Seres sunt) suauiter
& amice vna viuebant, exterorum vero conuer-
sationem aspernabantur, ut ne verbis quidem
vterentur in negociatione. Si vero suas res vel
permutare vel vendere volebant, aut extero-
rum merces emere, oportebat peregrinū trans-
ire fluuium, ibi quisq; exponebat merces suas:
Ibi Cataiensis, lustratis diligenter omnibus pe-
regrinis mercibus, sua singulis constituebat pre-
cia, oportebatque peregrinum huic iudicio ac-
quiescere, nullo prolato verbulo. Vxor adulte-
tera, & fur non vocabantur apud illos in iudi-
cium, nec auditum fuit antiquitus, ullum ho-
micidii reum peractum fuisse: Cum nihil æque
metuerent Scythæ, quam inobedientiam erga
leges patrias, & multo quidem magis quam A-
strologorum numeros & prædictiones.

Cum vxore grauida vir Scytha non dormie-
bat, neq; laborante menstruis. Animalis impu-
ri carnibus nemo vescebatur: Sacrificii genus
vnum tantum nouerant, eratq; sibi quisq; recte
agendi magister.

Cæterum hi populi Turtariæ, qui Magni
Chami agnoscunt imperium, paruerunt olim
vicinis regibus, persoluebantq; iis tributum, a-
deo dissoluti erant & ignaui: Sed postremo ex-
cusserunt iugum peregrinum beneficio senis
cuiusdam, qui idem erat in regno Tartarico,
quod apud nos & Gallos Marescallus, quem
narrant confirmatum fuisse visione in somnis,
qua visus est sibi videre Equitem in armis albis,
insidentem equo eiusdem coloris, qui eum ita
affatus fuerit. Decretum est Deo, Canguiste (id
enim erat viro nomen) ut tu Tartarorum colla
iugo leues peregrino, atque Tartarorum Rex
& Moderator eos tuæ genti subiicias, quibus
ipsa nunc tributum seruile pendit. Paulo post
Tartari desiderio libertatis accensi elegerunt
sibi regem Canguistum, qui primus huius po-
puli fuit Princeps. Aiunt autem accidisse hæc
anno A N.C. MCLXXXVII. Fuit autē Chan-
guistus ille (quem Persæ Chinguyn vocant) ho-
mo cautus & prudens, & vitæ honestissimæ, co-
nabaturque omnibus modis Idolorum cul-
tum è suo regno eliminare. Edicto igitur ve-
tuit coli statuas, iubens vnum solumque ado-
rari Deum, cuius beneficio, ipse ad eam se dig-
nitatem peruenisse aiebat. Postremo cum sa-
tis sibi videret esse virium Canguistus, irruit
super Scytharum vicinorum populos, tam cis
quam vltra Imaum montem, eosq; sibi fecit tri-
butarios, fuitque primus qui Tartaris audaciam
dedit, eosq; formidabiles fecit, cum prius pasto-
res essent atq; armentarii.

MORES TARTARORVM NOSTRI TEMPORIS.

Sunt Tartari statura mediocri, robusti, pe- 11.
ctus & humeros lati, Oculis magnis & extra
caput protuberantibus, tectis densis hispi-
disque superciliis. Facies ijs est lata & plana,
rarum in mento barbitium, mystace tamen
prolixiore. Solent occipitium radere, in an-
teriore parte alentes comam, quam tæn is im-
plicitam retro aures colligant. Neque vero
soli Tartari ad hunc modum tonsi sunt, sed
omnes, quotquot inter ipsos viuunt habitantq;.
Equites sunt expediti, sed pedites nullius pre-
cii: Neque vero pedib. ingredi valde solent, sed
semper vehuntur equis, etiamsi perexiguum sit
conficiendum iter. Honestum habent, & si-
gnum magnificentiæ, si campanula à collo equi
pendeat clarum tinniens. Clamosi admodum
sunt & voce Stentorea, etiam cum familiari-
ter colloquuntur: Cantantes vero si audias,
lupos ululare dicas. Bibentes ignominiosum
sibi putant, si cessent nisi ebrij facti. Multi in-
ter eos neque in pagis neque oppidis habitant,
sed ruri degunt sub tentoriis vel papilionibus.
Hyemis tempore in planitie agunt, æstate ve-
ro montes petunt, pabuli sectantes bonitatem.
Panis vsum multi ignorant, quem ne pinsunt
quidem: Capientes cibum neque mappis vtuntur neque alio linteamine. Cæteras gentes
omnes præ se contemnunt Tartari, ut Chri-
stianos etiam Canes appellent & Idololatras.
Magicis artibus & interpretationi somniorum
sunt apprime dediti, quidam etiam Idola &
statuas in secreto consulunt. Desideriis suis
modum ponere adeo non nouerunt, ut rem pla-

citam vi rapiant, modo is non sit Tartarus, qui eam habet: putantque ita licitum esse. Si quis Tartarus alium quempiam in via offendat, non habentem litteras salui commeatus, eum captum pro maneipio sibi vendicat. In commodando argento grauem exercent vsuram neq; vnquam erogant egenis eleemosynas. Si quis tamen cænantibus aut compotantibus superueniat, hunc cibi potusq; sui liberaliter participem faciunt. In capiendo cibo potuque valde immundi sunt, cum neque linteamina habeant neq; manus lauent. Oleribus leguminibusque non vescuntur, sed fere carnib. animalium, ne à canibus quidem felibusq; abstinentes.

Obtinuit apud quosdam barbaricus mos, ut captum aliquem ex hostibus ad ignem assent, vndictæq; nimia cupiditate magno numero cõueniant & assatum hominem dentibus lanient deuorentq;, haud secus ac famelici lupi. Potus eorum consuetus est Lac iumentorũ. Nefas habetur apud ipsos, si quidpiã ex cibo potuq; pereat, vnde ossa canibus non proiiciunt, nisi prius medullam curiose extraxerint. Adeo autem sordide sunt auari, ut raro sanum aliquod animal mactent comedantque sed expectent, donec vel claudum fiat, vel debile, vel deniq; morbo in senectute confectum.

Vno fere vestimento contenti sunt singuli, tam viri quam fœminæ. Viri pro pileis in capite gestant mitras, non admodum profundas, cum apice longo ab tergo dependente: quæ ne à capite defluant aut vento deijciantur, infra mentum lemniscis alligant. Milieres tegunt caput mitella rotunda, instar fiscellæ vimineæ, sesqui pedem longa, filis sericis & plumis pauonum exornata, aliquando etiam margaritis, gemmis & auro. Ditiores vestiuntur serica materia vel coccinea. Tunicæ earum sunt ab dextro latere apertę, qua parte induuntur & exuuntur, hiatum quatuor aut V. vinculis constringentes. Vestitu per ętatem fere vtuntur nigro, per hyemem, cum crebro pluit, albo, sago infra genua non descendente. Frequens est mos Tartaris, ut pellibus animalium vestes subducant: Qui ditiores sunt, partem glabram ad cutem, pilos exterius vertunt, ad ostentandam pellium pulchritudinem. Sagittandi peritia excellunt, ex equo optime pugnant, armis scite vtuntur, faciuntque suum in bello officium. Vxores liberosque secum ducunt, aliquando simulacra hominum equis imponentes, ut maiorem mentiantur equitum numerum. Fugere turpe non ducunt, cum necesse est, & cum periculum est si consistant. Pugnant per manipulos siue turmas, & ita quoq; fugiunt. Si hostis insequatur, retro emissis sagittis eum petunt: Si pauci sequantur, seruatis conuertuntur ordinibus, & tunc fere potiuntur victoria, cum victi profligatique videntur. Inuasuri regionem aliquam, partiuntur copias suas, ut eam à pluribus partibus simul adoriri possint, ne quis euadere possit, & hoc modo multoties victores euaserunt. Victoria insolentissime abutuntur, nulli parcentes mortalium, ne mulieribus quidem aut pueris lenibusque: Opifices tamen aliquando conseruant, ut eorum vrantur opera. Captiuos iugulaturi, denos fere tradunt singulis seruis, vt eos vel claua, vel securi aut dolabra occidant, veluti pecora, vt spectatoribus hoc modo metus incutiatur. Semper è millenis vnum ab longa pertica humi defixa suspendunt, capite deorsum pendente, ut interfectos humi stratos intueatur. Multi inter eos procumbentes humi, exsorbent cruorem morientium, dum vulnus recens est.

Promissorum apud Tartaros nulla constantia nec veritas. Quin sub hoc velut vmbraculo maximam erga deditiios exercent crudelitatem. Scortationi vix vlla gens sub Sole adeo dedita est, ac Tartarorum natio: Etsi enim singuli tot habeant vxores quot alere possunt, nec vllis consanguinitatis gradibus matrimonia inter illos prohibeantur: Flagitiose tamen inquinantur execrabili Sodomiæ crimine. Coniugem nemo appellat nisi eam, quæ viro sobolem peperit, neque vero donationem propter nuptias accipiunt, antequam pepererint: Vnde viris licet steriles repudiare, & alias in earum locum adscisere. Adulteria tamen certa & constituta ex lege puniuntur. Habet autem in domo vnaquæque vxor suum peculiare cænaculum, famulitium, & velut paruam quandam familiam, viuuntq; singulæ caste atq; temperanter.

Reuersi à bello viri, gerunt curam gregum suorum in campis, exercentes se subinde venatione & lucta: Cætera fœminis curæ sunt, parare cibum, potum, vestimenta. Sunt Tartari omnium superstitiosissimi. Vrinam facere in publico nefas putant, quod si quis obstinate faceret, sine dubio interficeretur. Quod si quem mingendi necessitas cogat, sub tentorium se recipit abditque. Deinde purgantur & expiantur omnia quæ in eo sunt. Fit autem expiatio in hunc modum. Duos ignes excitant, in quorum medio infigunt humi duas perticas, pertingente fumiculo ab vna ad alteram; inter has duas perticas traducunt omnia quæ purgare vel expiare cupiunt. Adstant duæ mulieres, utrimque vna, quæ aqua lustrali transeuntes adspergunt, admurmurantes nescio quæ carmina. In conspectum Regis nemo admittitur, cuiuscunque is sit dignitatis, nisi prius ad hunc modum purgatus. Qui non vocatus ingrediatur tentorium Regis vel magni Principis, mortem non effugiet. Multa sunt, quæ Tartari pro piacularibus habent criminibus, quanquam leuiora sint: Verum hominem vulnerare vel occidere, alienas inuadere terras, rapere vicini bona, contemnere mandata Dei, & his grauiora, apud eos Peccatilla habentur.

Si quem vsque ad mortem ægrotare contingat, ante eius ianuam defigitur hasta cum laciniola

niola nigra, ne quis incautus ingrediatur. Defuncto ægro, tota familia conuenit, efferturque corpus extra papilionem, cumque fossam satis amplam depressérunt, erigitur parvum tentorium, in quo super mensa aliquid eduliorum deponitur. Deinde conficitur corpus indutum optimis vestibus in fossam, & iniecta terra sepelitur. Defoditur etiam cum eo iumentū vnum, & equus ad pompam instructus. Qui inter eos, ditiores sunt, vnum aliquem ex seruis notant, impresso in cutem cauterio, vt cum defuncto hero sepultus, in altera ei seruiat vita. Peractis exsequiis propinqui defuncti alium equum mactant, institutoque conuiuio vna comedunt. Potus eorum præstantissimus ex Oriza & Oxyacantho coquitur, qui non minus inebriat quam vinum. Amant etiam lac acidum, ut Arabes, & lac per Alembicum (ut vocant) distillatum, quod ita excoctum colorem vini albi acquirit, & prope pares ad inebriandum vires. A Porcina penitus abstinent. Facientes iter in longissimis campis, stellam Polarem ducem sequuntur; sunt enim in Astrorum cognitione satis exercitati. Artifices apud eos pauci sunt, & rarus monetæ vsus, præterquam inter Mercatores: Cæteri permutationibus rerum vtuntur. Equi eorum sunt humiles & fere castrati, sed robusti. Pro calcaribus vtuntur flagellis, estque omnis equorum ornatus leuissimus. Deiecti ab equo, & inermes humi prostrati, defendunt se manibus pedibusque, etiam, si possunt, dentibus, vsque ad extremum spiritum. Laboris & inediæ Tartari sunt patientissimi, cupediarum & deliciarum ignari. Sepulcra regum Tartaricorum sunt, ut refert Hayronus Armenus, in montibus Altaiis siue Belgianis, & qui funus regium efferunt, quoscunque in via obuios habent, trucidant, cum his mandatis: Ite & seruite regi nostro in altero seculo. Ad comprobandam huius rei veritatem narrat Paulus Venetus, mortuo Mongule Chamo (qui obiit tunc cum Paulus iste in Tartaria esset) vltra decem millia hominum trucidata fuisse à militibus, qui funus comitabantur, ob eam quam diximus causam. Qui prouinciam Camul in habitant, dediti sunt ludis & saltationibus, humani tamen & hospitales adeo, ut peregrinos non tantum comiter accipiant, sed iis etiam, si petant, vxores suas prostituant.

OPES ET DIVITIAE TARTARORVM.

Stultum erit & absurdum, me iudice, negare, Tartaros abundare diuitiis, qui tot in Europam Asiamque fecerunt excursiones, qui tantas prædas ex Moscouia vicinisque regnis domum retulerunt, qui omnium regnorum nobilissimum Chinense tam multis annis possederunt: cum constet, genrem illam quicquid in vna quaque regione præstantissimum fuit, secum asportasse, & ita hactenus conseruasse, ut nulla gens extera Tartaros armis lacessere ausa fuerit. Adde quod ingens regnum istud ratione situs ad commercia agitanda aptissimum est, partim quod magna ex parte planum est, partim quod ingentes in eo lacus (ut Cazayensis, aquas salsas habens, Guiamensis, Danguensis, Catacorensis, Xanduensis) & flumina nauigabilia non pauca. Accedit quod terra multas variasque merces gignit: Orizam, materiam sericam, lanam, cannabin, rhabarbarum, muscum, & pannos è Camelorum pilis præstantissimos. Ait Marcus Paulus, Prouinciam Chaindu etiam gignere multum gingiberis, cinnamomi, & caryophyllorum: Quæ quidem nemo ei facile credet. In quibusdam fluuiis inueniuntur ramenta auri inter arenas.

Porro moneta qua populi in tam diuersis huius imperii regnis vtuntur, non est vniusmodi. In regno Cataiensi certa quædam moneta nigra in vsu est, quæ conficitur ex delicata pellicula siue membrana, quæ est inter corticem & stirpem arboris cuiusdam, quæ membrana complicata glutine densatur, & signo ac nomine Magni Chami insignitur. At in Regnis Gaiacano & Corasano certæ quædam Cochleæ marinæ in vsu sunt. Rex omne aurum argentumque colligit, illudque in massas fundit, inque munitissimis locis conseruat, vnde sunt qui credant, inæstimabiles eum possidere thesauros. Eodem artificio vtitur Prete-Iamus, Abyssinorum Rex, in cuius regno salis micæ & piperis grana pro nummis seruiunt. 130

Cum autem Cambalu Metropolis vmbilicum regni Cataiensis obtineat, deferuntur eo merces exoticæ ab India, China, aliisque Orientis partibus, inprimis gemmæ, margaritæ, sericum, aromata, & si quid præterea pretiosum est. Potissimum Rhabarbarum, cuius vsus in toto prope orbe est, ex regno Tangut petitur. In Tenducensi prouincia lapis Lasurius effoditur, sunt & ibi auri venæ subterraneæ, vnde multum lucri accipitur. At Thebetensibus mercimonia multas diuitias conciliant, puta Coralia, Muscus, Cinnamomum, & alia aromata. Si quid incommodi est in hoc Imperio, in illos incumbit, qui septentrionales partes inhabitant, quibus infinitæ res desunt, etiam ad victum necessariæ, quas aliunde & à vicinis petant oportet.

ROBVR ET POTENTIA.

Facit hoc Imperium firmum & inuictum, primo, ipsa situs ratio, quæ qualis sit, supra à nobis ostensum est, deinde amplitudo eius, firmitas & magnitudo vrbiū, puta Succuir & Campion, quæ duæ nostro modo munitæ sunt: Præterea Ergimul, Corazam, Thebet, Caindu, quæ omnes diuersorum regnorum huius Imperii sunt Metropoles: Tertio abundantia rerum ad victum necessariarū & magnitudo mercimoniorum, è quibus Magnus Cham decimas accipit.

Præcipuus tamen neruus regni atque robur consistit in magno militum numero, quos perpetuo sub signis habet. Hi statiua sua habent ad quartum milliare ab vnaquaque vrbe, percipiuntq; præter stipendium militare, quod ipsis ab Rege persoluitur, plurimum lucri ex armentis gregibusque quos alunt, & eorum lacte ac lana. Si vsus ferat, vt magno exercitu opus sit, colligit Magnus Chamus ex omnibus suis regnis quantum opus est hominum, vt olim Romani Legiones conscribebant per prouincias. Non consueuerunt Tartari pedites militare, præter Vacenses, qui non sunt sub Magni Chami imperio. Arma eorum præcipua sunt, Arcus & sagittæ, quibus vtuntur cum pugnando tum fugiendo. Non grauant exercitum multis impedimentis, cum fere nihil post se trahant quam tentoria, sub quæ se recipiant à vi tempestatis. Lacte & butyro viuunt fere, & si necessitas vrgeat, etiam sanguine ex venis equorum extracto. Raro ad statarium pugnæ genus accedunt, omnia sagittis efficientes ut olim Parthi. Qui fortiter in bello fecerunt, pulchris afficiuntur præmiis, admittuntur ad præcipuos honores, & suis fruuntur immunitatibus.

Stipatores corporis Magni huius Monarchę aiunt esse XII. millia equitum, putatur Chamus si velit, maiorem posse expedire equitatum, quam vllus Princeps totius Orbis. In vniuersum reputanti planum fiet, in duabus rebus inuictum eius robur consistere: Primo, in immani hominum vi, cum tot possideat regna affluentia omnibus rebus, eoque populosissima. Deinde, quod omnes militaturi præsto sunt, ut ad primum mandatum expediti in bellum progredi possint, quæ profecto res est maximi momenti. Notum enim est, quid expeditus promptusque miles, nullisque tardatus impedimentis præstare queat, si cætera constent. Tales enim copiæ comparantur non immerito cum Aquilis, Tygribus aut Leonibus, qui cum agilitate corporis robur membrorum coniunxerunt.

Dicuntur Tartari vel omnino non vti scutis clypeisque, vel raro admodum, pauci etiam lanceis in hostem pugnare, sed nec gladiis longioribus. Ensibus vtuntur, quibus magna est similitudo cum Acinace Persico vel Turcico, ad humani brachii longitudinem, quibus prope subeuntes ferire possunt. Is primus miles habetur, qui ducis sui imperiis est audientissimus.

RATIO GVBERNATIONIS.

15. Hunc Monarcham Turcę *Vlucamum* vocant, id est, Magnum Principem, at Moscouitæ *Czar Cataiski*, id est *Cæsarem Cataiensem*, cuius nomen tabulæ rubeæ litteris aureis inscriptum, & summitatibus templorum in Vrbibus affixum est. In iis appellatur Filius Dei, Vmbra Dei & Anima Dei. Tanta autem per omnes suas prouincias colitur obedientia, ut verba eius rigidissimæ legis vim habeant. Est autem absoluta illa & summa potentia profecta à Canguisto siue Chingui-Chano, qui cum esset electus Rex Tartarorum, volens experimentum capere promptitudinis suorum, imperauit VII. Principibus, qui ante ipsum totum regnum gubernauerant, ut singuli suos liberos suis interficerent manibus. Etsi autem patribus acerbum & atrox videbatur hoc imperium, quia tamē verebantur insaniam populi, qui virum istum ceu cælitus lapsum venerabatur, fecerūt quod iussi erant, suosq; quisque strangulauit liberos. Ab eo tempore omne jus vitæ ac necis Tartarorum fuit penes Regem, nec quisquam ausus est voluntati eius contravenire.

Voluit idem Canguistus siue Chinguis-Chan, ut omnes qui per ætatem arma ferre possent, in certum quendam conuenirent locum, quem ipse nominaturus esset, vbi eos in signa & ordines distribuit hoc modo: ut Decuriones subessent Centurionibus, & hi rursus Chiliarchis: Postremo hi Ducibus Legionum. Idem quoq; legem tulit, ut si quis Tartarus in via offenderet virum, vel fœminam, aut equum, non instructum litteris salui conductus, ut hominem illum vel iumentum manu captum suis adiceret seruitiis, haberetque sibi proprium, quasi suo peculio acquisiuisset. Sunt & decimæ, portoria, vectigalia, aliæque exactiones in hoc regno tam immanes, ut nulla gens sub sole maioribus quam hæc premi oneribus credatur.

De coronatione regum Tartaricorum sic accepimus. Si quis ad regnum peruenit, siue id fiat successione hæreditaria, cum filius patrem sequitur, siue defectu hæredis legitimi aliquis eligatur, qui putatur esse capax tanti Imperii: adsunt Principes VII. tribuum siue Generationum, albis induti vestibus (quo genere amictus etiam vtuntur in luctu publico, similes in eo Iaponibus) nouumque principem desiderare iubent in panno spisso nigro humi extenso, & intueri in cœlum ac Solem, erecto ad Deum immortalem animo, inde enim & non à terra ipsi euentura omnia prospera: quod nisi faciat, ad eam redactum eum iri egestatem, vt nihil ei superfuturum sit, quam pannus iste vilis crassusque quo se humi dormiens inuoluat, breuiter, vitam omnem eum acturum miseram & infelicem. His actis adsunt alii cum Diademate, illudque imponunt capiti eius, accedentibus reliquis, & pedes nouo regi osculantibus, præstantibus iuramentum fidelitatis, & munera atque dona sine numero offerentibus. Ad extremum inscribitur nomen eius litteris aureis in tabula, & imponitur omnibus templis in præcipuis Vrbibus totius regni Tartarici. Alii ad hunc modum referunt. Si nouus Tartarorum Rex diademate cingendus est, conueniunt Principes Procereſq; Tartarorū, sequente infinito populo, in certo quodā campo ei rei

desti-

destinato, vbi noui reges de more inaugurari solent. Stat ibi Cathedra inaurata, in quam considet nouus rex futurus: ibi omnes, quotquot adsunt prostrati in faciem eum adorant, & his verbis compellant. Noste rogamus, volumus, mandamus, vt nobis imperes. His respondet nouus Princeps. Quando ita vultis iubetisque, par est vt vobis obediam. Accingite igitur vos, vt parati sitis ad faciendum quæ vobis præcepero, vt adsitis cum iussero, vt me sequamini quo duxero, gnari, penes me fore imposterum ius vobis imperandi prolubitu meo. Vbi omnes qui adsunt, condixerunt, sit rex porro: Eritigitur vobis vox mea instar gladij, quo percutiam rebelles & inobedientes. Ad hoc verbum applaudit populus manibus, ostendens placere sibi conditionem.

His actis Principes eum detractum de throno regio, imponunt panno illi vili crassoque, de quo supra diximus, hortantes eum, vt sursum adspiciat in cælum, & humilitatem suam agnoscat humi desidens, addentes hæc verba. Si bene præfuturus es Imperio tuo, omnia tibi ex animi sententia euenient: si vero male, iam hoc certum fixumque teneo, ad eas te deuenturum miserias, vt nihil tibi omnibus bonis diuitiisque destituto superfuturum sit, præter abiectum illum, cui nunc insides, pannum. His dictis collocant iuxta eum vnam ex vxoribus eius, quam plus cæteris diligere creditur, sublatosque è terra vtrosque in altum ostentant populo, nouum regem & Imperatorem consalutantes, vxorem vero eius reginam Tartarorum: & cum dicto Principes Procereſque offerunt ei dona atque munera in signum deuotionis & obedientiæ. Comportantur etiam in eundem locum cimelia & res preciosæ omnes, quæ defuncti regis fuerunt, ex quibus quædam nouus rex distribuit illustrioribus, seruata sibi meliore parte: cumque ad hunc modum finis factus est ceremoniarum recipit se quisque domum.

Sunt autem omnia in huius regis siue imperatoris potestate, etiam priuatorum bona, neque quisquam est ex omni Tartarorum populo, qui possit dicere, rem aliquam proprie suam esse. Alibi habitare quam in ea terra, quæ cuiuis à rege assignata est, nulli mortalium licet: idem solus habet ius constituendi Proreges & Rectores Prouinciarum, Ducesque militiæ, & hi rursum legunt Chiliarchas, Tribunos, Centuriones ex militibus, suppletis è vestigio signis atque cohortibus.

Sigillo magno, quod appendit Magnus Chamus diplomatibus edictisque suis, hæc inscripta sunt verba: Deus in Cælis, & Chamus Imperator in terris, qui est robur & fortitudo Dei & hominum.

Extero Legato siue Oratori rex Tartarus nunquam loquitur, neque eos ad conspectum suum admittit, nisi tam ipsi quam dona eorum, (neque enim fas est, sine muneribus eum adire) antea per fœminas ei rei destinatas aqua lustrali conspersi & expiati fuerint. Tunc respondet eis per interpretem, qui dum loquitur, peregrinos, cuiuscunque sint conditionis & dignitatis, oportet insidere genibus, & attentissime auscultare, ne illos vel minimum verbulum, quod interpres regis nomine profert, effugiat. Neque enim vlli mortalium licet quicquam in verbis huius Principis mutare, aut non exequi strictissime quæ iubet. Est enim adeo tenax Iustitiæ obseruator, vt si quis pro primo delicto flagris cæsus in idem denuo crimen incidat, sine mora per medium dissecetur. Qua quidem in re videntur sequi doctrinam Stoicorum, de peccatorum æqualitate.

Consilia siue Senatus in vniuersum duo sunt. 19. Primum est Belli, constans hominibus prudentibus & in re militari versatissimis: Posterius & Consilium Regni, in quo sunt Senatores in rebus Patriæ & boni publici exercitatissimi. Penes hos sunt pleraque regni negocia, in eorum manu est punire delinquentes, & bene meritos præmiis afficere. Sunt insuper hi intentissimi in eos, qui de republica aut regé bene merentur, siue bellum sit siue pax, vt eos nouis cumulent honoribus, contra vero ignauos & nullius frugis homines seueris coherceant suppliciis. Et sane si verum fateri volumus consistit magna pars incolumitatis reipublicæ in his duabus rebus: in præmiis & pœnis: his enim duobus mediis etiam barbarissimi Principes in officio continent populos suos, & regnum suum fulciunt. Quid enim aliud facit Magnus Turca, Xerifus, Mogul & Sophus? Inprimis autem vtuntur præmiis pœnisque in bello; omne enim eorum imperium rei militari velut fundamento innititur, cum parum curiosi sint de pace aut tranquillitate publica, sed in victoria de hostibus omne momentum amplitudinis suæ collocent. Hinc fit, vt nihil moderati apud ipsos videatur, cum modum non seruent in puniendis malis ignauisque, vt neque in ornandis augendisque viris fortibus & strenuis. Neque profecto vllum regnum est, aut Principatus, vel Respublica, in quibus tam luculenta strenuis & bellicosis hominibus proposita sint præmia, quam in regnis eorum quos nominauimus, Monarcharum, etsi à nobis Barbari habeantur. Apud Turcas tamen validitas & fortitudo maximis afficitur præmiis, quod apud hos nullus sit honor nobilitatis, cuius tamen aliquis respectus est apud Tartaros, Arabes & Persas. At Turcæ vnice student funditus & ab stirpe tollere illustres familias, humili vero & plebeio genere natos, dummodo se dignos maiore fortuna ostendant, extollere, summisque præficere officiis. Idem & Mamalucqui fecerunt, dum Syriam, Ægyptum, aliasq; regiones obtinuerunt.

Illud quoq; à nonnullis obseruatum est, plurimi apud Tartaros fieri eos, qui ex Astrorũ positu de rebus futuris vaticinantur, & penes hoc genus esse de omnib. rebus, quæ per vniuersum regnũ occurrunt, iudiciũ ferre. Refert Marcus

Paulus Venetus, eo quo ipse fuit in his oris tempore, in vrbe Cambalu fuisse circiter V. millia Astrologorum, cumque hi Cublai Chamo prædixissent, rebellaturam aliquando hanc vrbem, illum cæpisse extruere aliam, nomine Taidu, haud longe ab altera illa.

20. In fures ex lege patria seuere animaduertitur. Nam si quis quam rem furatus fuerit, quæ supplicio capitis furem alligare non potest, septies percutitur siue fusticatur, singulis vicibus receptis plagis XVII. vel XXVII. pro magnitudine delicti: adscenditq; nonnunquam ictuum numerus ad C. Multi autem inter ipsa flagra & plagas animam exhalãt. Si quis equum aut aliam rem maioris precij furto abstulerit, vt capitali supplicio affici dignus sit, gladio percutitur, si vero redimere vitam velit, potest id, dum nouies tantum reddat quantum furatus est.

21. Cum autem in superioribus, vbi de amplitudine & limitibus Imperij Tartarici disseruimus, aliquoties mentionem fecerimus Hordarum cis & vltra Imaum Montem, non erit absre, vt opinamur, si vocabulum istud explicemus. Est igitur Horda conuentus multorum hominum, qui vna habitant, & quasi paruam quandam Rempublicam constituunt, ita tamen inter se distributorum, vt decuriones aliis quidem imperent, ipsi pareant Centurionibus, & hi Chiliarchis. Sunt autem quædam Hordæ, quæ suos Duces singulares agnoscunt: quædam parent Moscouitis, iisque persoluunt tributum annuum: maxima tamen earum pars Magno Chamo subsunt, eiusque venerantur Imperium.

RELIGIO TARTARORVM.

22. Magna inter Tartaros est Religionum diuersitas. Plurimi sequuntur Mahometismum, quẽ receperunt A N.C. MCCXLVI. Obseruant libros Mosis, retinentque quædam Veteris Legis Præcepta, clamantes quotidie, *Iahi Illo Illoloth*, quæ verba sonant: *Non est nisi DEVS, DEVS vnus.* Permixti sunt Cataiensibus quidam Mahometistæ, multo autem plures Ididolatræ, quorum de supremi numinis cultu hæc est sententia. Duos opinantur esse Deos, alterum quidem Cæli, alterũ terræ. A priore, cui singulis diebus adolent, aliud nihil petunt, quam vt sit Mens sana in corpore sano. Ab altero, cæteras res, abundantiam terra nascentium, multiplicationem pecudis, diuitias. Quin & posteriorem hunc vxorem & liberos habere asserunt, curamque gerere sementis & negociorum domesticorum. Quoties cibum capiunt, pinguissimam carnis partem accipientes, oblinunt ea os Idoli, vt & vxoris liberorumque eius, quorum minores statuas magno numero habent in domibus suis, decoctum carnium effundunt foras extra domum, vt illo odore nutriantur Spiritus nescio qui. Et Cælestem quidem loca summa, Terrestrem vero infima incolere arbitrantur. Animas quidem hominum immortales esse credunt, sed easdem ex vno corpore in aliud migrare, & domicilium quidem alias commodum alias malum nanciscí, pro ratione actorum in præcedẽte vita: quam quidem opinionem hausisse videntur ex Metempsychosi Pythagorica. In cæteris diuino honore afficiunt Solem, Lunam, quatuor Elementa, hisque omnibus sacrificia offerunt. Papam Romanum cum omnibus Christianis ipsi vocant Dsinthies, quod significat Paganos, & Chauros, id est, Infideles siue Canes. Cum enim inuitati fuissent ab Innocentio IV. P. Max. ad amplectendam Fidem Christianam, eodem fere tempore ab Turcis venerunt Legati afferentes Legem Mahometi, & hi quidem facile in suam sententiam pertraxerunt Tartaros, cum dicerent, Mahometistas non nisi vnum Deum inuocare, Christianos vero multos adorare, & colere statuas: præterea in Alcorano non permitti duntaxat, sed & tradi hominibus polygamiam, & arma; Christianorum lege prohiberi vindictam & vsum armorum, vnde effæminatis competere, non bellicosis hominibus. Faciunt autem hi Tartari sibi Idola sua ex panno spisso aut tomentis, eaque induunt vestibus sericis, multum iis deferentes honoris. Diẽ vnum altero sanctiorem non putant, neque vnquam ieiunant, quod tamen Mahometistæ faciunt, sed omnium temporum dierumque apud eos est par ratio.

Qui inter Tartaros habitant Iudæi, aiunt se originem ducere à Tribubus Israëliticis, deportatis iussu Salmanassaris regis Assyriorum in terram Arzareth, temporibus Oseæ Regis. Quæ autem sit terra illa Arzareth, non est eadem interpretum sententia. Quibusdam videtur Colchorum esse regio, quæ hodie vocatur Mengrelia, persuasis verbo Herodoti, qui Colchos ait vti circumcisione. Alij & quidem plures censent esse Prouinciam Belgianam, vnde Iudæi sub nomine Tartarorum egressi sunt anno A N.C. MCC. sequuti ductum Chinguis-Chami, qui primus fuit auctor Imperii Cataiensis, cumque iam ante vterentur Circumcisione, & alia quædam Legis Mosaicæ obseruarent, facile degenerauerunt in Mahometistas. Sunt tamen Cataienses maxima ex parte Ididolatræ, quanquam inter eos sint Mahometistæ, & Christiani, & Iudæi, sed hi posteriores numero non magno.

Porro Christianismus in hoc regno in multis mutatus corruptusque est. Videntes enim parentes suos iam senio affectos, vt citius è medio tollantur, nutriunt eos pinguedine præter modum & rationem: ex quo victu cũ languidi facti sunt & viuendi finem fecerunt, comburunt totum corpus, colligentes magna cum cura cineres, quos velut rem magni precii custodiunt, aliquidde iis cibis miscentes quoties prandent cænantque. In cæteris sequuntur Nestorij hæresim, quæ vsque ad vrbẽ Campion se extendit, suntque ea in loci multi in Vrbibus Tangui, Sucuir, Cambalu aliisque. Etsi autem hi Nestoriani

non

non vnam loquuntur linguam, diuina tamen Officia Chaldaico sermone peragunt. Præcipuus horum est error, quod in Christo duas Personas statuunt. Beatam Virginem θεοτόκον siue Matrem Dei appellare nolunt, quod dicant, vocabulo Dei totam Triadem comprehendi, vnde sequeretur (vt ipsis quidem videtur) eam esse Matrem Patris quoque & Spiritus S. neque tamen negant esse Matrem Filij Dei. Inter Sanctos venerantur Nestorium, Theodorum Mopsuestiæ, Diodorum Tarsensem & Paulum Samosatenum: damnantes Cyrillum Alexandrinum. Aliud esse dicunt Deum verbum, aliud Christum. Concilium primum Ephesinum non recipiunt, vt nec sequentia. Patriarchæ apud eos non eliguntur, sed succedit filius patri in dignitate. Hunc primum creant Archiepiscopum, deinde, Patriarcha mortuo, succedit is, sine vlterioribus ceremoniis.

Anno A N.C.MCXIX. Iohannes, qui dominabatur in Prouincia Hatay, siue, vt aliis placet, Tenduc, recepit hæresim Nestorianam. Sed hic XL. annis post euersus est regno per Magnum Chinguin Chamum, vt exiguæ partis dominiũ ei remanserit, interceſſione Dominicanorum Monachorum, qui eum Magno Chamo commendauerant, ficiubente Innocentio IV. Papa. Referunt Angli, qui in illis partibus vixere, solere Archiepiscopum Cambalensem Diadema regium imponere Magno Chamo, cum is primum adit regni possessionem.

SERIES ET ORDO REGVM TARtaricorum.

Eum qui velit enumerare Tartarorum siue Regum siue Imperatorum successiones, & quis quem in ordine secutus fuerit: eum inquam oportet aliis instructum ad hoc opus accedere historiis, quam quæ in nostras inciderunt manus, aut sane in vicinis huic tam vasto imperio aliquandiu commoratum fuisse regionibus. Nos vero, quibus ad tam exactam huius rei cognitionem penetrare non licuit, contentos esse necesse est iis scriptoribus, qui plus aliis in hac materia præstitisse indicantur, quorum non est nostrum aspernari auctoritatem.

Igitur Marcus Paulus Venetus Tartarorum reges hoc ordine recenset. Primo loco collocat Canguistum siue Chinguys-Chamum, secundo Chinyn: tertio Barchimum, quarto Allaum, hinc Mongulem, postea Cublaium, in cuius aula M. Paulus aliquandiu vixit. At Haytonus Armenus his eos recẽset nominibus. Primo loco ponit Chinguin Chamum, cui subiicit Hocoram, huic Ginonem, Mangum, Cobillam, quem facit auctorem vrbis Cambalu: post hunc ponit Tamorem, quo imperante vixit Haytonus anno M. CCCVIII. His omnibus singulisque tribuit cognomen Chami. Hocoram ait multos habuisse liberos, & Ginonem quidem patri successisse, fratrem vero eius Iochyum Persiam occupasse cum Turqueſtania aliisque regnis Occidentalioribus. Baydonem vero, alium Ginonis fratrem, Septentrionis partem petiuisse, instituta via versus Hungariam, & ab hoc quidem Tamerlanum natum, qui tot malis affecit Europam Asiamque. Ginone Chamo mortuo in Oriente, successit proximus agnatus Magno in Imperio, qui Insulas quasdam Orientales perdomuit. At vrinatores quidam ex Insulanis, clam subter mare accedentes Mangonis triremem, perforatam illam demerserunt cum omnibus qui in ea erant. Ibi Cobila, quem M. Paulus Cublaium vocat creatus rex, Christianam Fidem amplexus est, quam tamen successores eius iterum abiecerunt. At interpres & abbreuiator Atlantis Maioris hoc ordine eos enumerat. Primum ex Tartarorum gente Imperatorem, qui regnum acquisiuit, & Legibus constituit atque iudiciis fatetur fuisse Chinguin Chan, siue Camum, qui Paulo Veneto Cinchis dicitur, aitque ætatem illius incidere in annum MCCII. Ferus ante hunc gentis cultus, sine legibus, sine ciuili consuetudine. Ab hoc Chingi cæterorum Principum origo est: propagauit enim Imperium incredibili celeritate à Sinarum regione & Oceano vsque Mare Caspium. Huius filius fuit Iocucham, qui genuit Zain-Chamum, tertium Imperatorem, qui ab aliis Bathy nominatur. Hic deuastauit Russiam, Poloniam Silesiam, Morauiam & Hungariam. Huius Bathy filius, IV. Rex, fuit Temir Cutlu, qui est Tamerlanus, ob sæuitiam in Historiis notus, qui peruastata tota Asia in Ægyptum vsque penetrauit, & Turcarum regem Baiazethem viuum captum, aureisque compedibus vinctum in cauea per Asiæ vrbes circumduxit. Huius Temir Cutlu filius fuit in Ordine quintus Imp. nomine Temir Czar, qui aduersus Ordinis Teutonici Equites in Prussia fortiter pugnans occubuit. Sextus fuit Macmetzar, Temiro Czare genitus, cuius filius Armet-Czar genuit Sciachmetum, octauum Tartarorum Regem siue Imperatorem.

(**)

REGNVM CHINENSE, SIVE SINARVM REGIO.

SVMMA CAPITA.

1. *Variæ appellationes huius Regni, tam veteres quam nouæ.*
2. *Ambitus eius, situs, amplitudo.*
3. *Partitio huius regni in XV. Prouincias. Quæ in vnaquaque præcipuæ vrbes & oppida. Horum Architecturæ ratio; viæ latißimæ saxo stratæ, pertingentes vsque ad montes.*
4. *Murus incredibilis longitudinis, qui Chinenses à Tartaris separat.*
5. *Palatium & Regia huius Monarchæ.*
6. *Habitus corporum & Ingenia Sinarum. Facunditas terræ incredibilis, quæ alicubi ter aut quater per annum fructus fert. Fructus arborei maxime differentes à nostris. Copia ibi mellis, saccari, melopeponum, prunorum, pomorum auratorum triplicium: abundantia serici, lini, cannabis, gossypij, farris, arborum variarum, musci odorati. Animalia & pisces omnis generis, herbæ medicatæ, metallifodinæ auri & argenti, piscatio vnionum.*
7. *Chinenses industrij, apti & ingenioßi, laborum patientes, conuiuiis & genio dediti, splendidarum vestium amantes, qua sint facie & statura corporis.*
8. *Ratio parandi Moschi odorati apud Chinenses.*
9. *Vestitus Nobilium, quo modo à plebeio differat. Aliter vestiuntur viri aliter fœminæ. Quo pacto mulieres ornent capillos, & qua cerußa pingant faciem.*
10. *Chinensium mos gestandi angußtos calceos, & constringendi crura fasciis.*
11. *Chinenses in arte sculpendi & pingendi artifices præstantes: Currus eorum velis instructi vt agitentur vento.*
12. *Quas merces indigenæ peregrinis mercatoribus vendere soleant.*
13. *Quo modo fiant apud hos populos vasa fictilia exquisitæ pulchritudinis, quæ vulgo Porcellana vocantur.*
14. *Res ad matrimonium spectantes. Dos, donatio propter nuptias, festa & epulæ nuptiales. Polygamia apud Chinenses. Leges eorum, de Succeßionibus & Hæreditate.*
15. *Consuetudo Chinensium, quæ eos cogit intra certum tempus vel nubere, vel perpetuum profiteri cælibatum.*
16. *Matrimonia Regum, horumque liberorum: quæ in his nuptiis celebrentur conuiuia, ludi, solennitates.*
17. *Iusta & exsequiæ in funeribus: conuiuia funebria & luctus.*
18. *Potus eorum ex herba China, quo loco vini vtuntur: Quibus potißimum cibis onerent mensas in suis conuiuiis.*
19. *Rei Tormentariæ & Typographiæ apud illos vsus. Litteræ eorum Hieroglyphicæ: ratio scribendi a liis gentibus inusitata.*
20. *Currus & Pilenta eorum: apparatus nauticus & triremes.*
21. *Artificium eorum piscandi per alites quosdam.*
22. *Loytiarum, id est, Doctorum apud eos summus honor. Quo pacto peregrinos excipere, visitare, & cum iis versari soleant.*
23. *Opes Chinensium in quibus rebus consistant: in auro & argento quod terra effodiunt, aliisque metallis, vnionibus, vasis fictilibus Porcellanis, pellibus preciosis, lino, lana, Xylino, serico, saccaro, melle, Rhabarbaro, camphora, mosco, rubea tinctoria, aliis.*
24. *Prouentus regis quo vsque adscendant: & quantum ex vnoquoque mercimonij genere tributum exigat.*
25. *Robur Chinensium & vires bellicæ quantæ. Ordo eorum in struenda acie & conserenda pugna. Consilium bellicum in vnaquaque prouincia.*
26. *Peditatus & Equitatus Chinensium: arma eorum, apparatus bellicus & confligendi ratio.*
27. *Quantum Chinenses classe valeant.*
28. *Exactior consideratio militum præsidiariorum quibus in vnaquaque prouincia numerantur stipendia.*
29. *Academiæ siue Studia vniuersalia Chinensium. Visitatores earundem Regij. Promotiones solennes tertio quoque anno.*
30. *Iuramentum quod præstant Visitatoribus Regiis qui ad Gradum Doctoratus adspirant.*
31. *Consilium Auditorum XII. in vrbe Thebain.*
32. *Proreges & Gubernatores Prouinciarum qui.*
33. *Ministri regij alij. Iudices quomodo exerceant Iudicia & administrent Iustitiam.*
34. *Quibus in facinorosos animaduertant supplicijs.*
35. *Lex eorum aduersus errones & validos mendicantes.*
36. *Idololatria Chinensium, & quæ adorare soleant Idola. Sacrificia quæ offerunt Diabolo. Quid sentiant de Cælo & rebus cælestibus.*
37. *Sortes apud eos variæ, & earum vsus.*
38. *Quid sentiant de creatione Mundi, & à quo fabricatum eum putent. Quæ in Cælo Numina agnoscant.*
39. *Sententia eorum de animalibus à corporibus digressis. Preces eorum pro defunctis.*
40. *Monasteria quæ apud Chinenses. Quatuor apud eos Ordines Religiosorum, quorum*

quinis suum habet Generalem.

42. *Genealogia Regum Chinensium.*

AMPLISSIMVM illud potentissimumque Chinensium Regnum, cuius Ptolemæus nomen nouit, potentiam non item, est illud ipsum, quod Marcus Paulus Venetus *Prouinciam Mangi* nominat: nos vulgo vocamus CHINAM, quanquam ignari plane simus, cui fundamento innixus fuerit is, qui ei Orientis parti hoc nomen imposuit, nisi forte ex corruptione vocabuli ortum fuit, vt muratis primis litteris pro *Sina China* dicatur: quod si factum est, præualuit consuetudo antiquitati, accedente nostri seculi assensu, quod posteriorem appellationem mordicus retinet, à qua nos quoque non discedemus.

Est igitur vastum illud regnum Chinense totum situm cis Tropicum Cancri versus Septentrionem, extenditurque littus eius secundum Oceanum Eoum, vt ab ortu Solis terrarum extima putetur. Fines eius ab Oriente Oceanus Orientalis: à Meridie Cauchinchinæ regnum: qua Occidens est, Brachmanæ Indi: qua Septentrio Tartari Cataienses sunt, inter quos multos habitare Christianos, ipsam autem Tartariam Persico conterminam regno esse diximus.

Possederunt olim Tartari hoc Chinense regnum, vt ipsorum Annales referunt, idque totus annis XCIII. crudeli dominatione oppressérunt, quibus cuiusdam Regis indigenæ prudentia expulsis, murum struxere incolæ, vt incursiones eorum arcerent, sibique cauerent.

Vicini Chinensium eos vulgo *Sangley* vocant, ipsi vero Chinenses, si Magino & Mercatori credimus, regionem suam *Tame*, seipsos Tangis appellant: vel potius, vt Auctori Historiæ Generalis Chinæ videtur, Taybinco, quæ vox cum Regnum tum eius incolas denotat.

Extenditur autem ferme à Tropico Cancri, vsque ad LIII. gradum latitudinis, complectiturque longitudine sua omnes Meridianos intra CXXX & CLX. gradum. Vt autem exactius cognoscamus eius amplitudinem, referemus ea, quæ ipsi Chinenses in suis libris scripta reliquerunt.

Sic igitur illi censent, ambitum vniuersi huius regni constituere LXIX. millia DXVI. Diætas, quæ ratio est apud illos metiendi terras, quæ si ad Hispanorum metiendi calculum reducantur, facient in peridromo III. millia miliarium, & in longitudine MDCCC. Inuenimus in eodem libro, vnde hæc metiendi ratio desumta est, Chinenses triplici mensuræ genere vti in Geometricis, ipsi vocant *Lij, Pu & Icham*, quæ voces prope nostris respondent: Stadio, quod continet passus CXXV. Milliario, & Diætæ, siue vnius diei itineri. Lij vocant tantum terræ spacium, ad cuius extremum vox hominis valide clamantis peruenire possit, cum aer tranquillus est, & locus planus. Decem huiusmodi Lij conficiunt vnum Pu, id est, magnum milliare Hispanicum, siue commune Germanicum. Decem Pu constituunt XII. milliaria Hispanica, siue X. Germanica, quod spacium ipsi vocant Icham. Et secundum hanc metiendi rationem colligitur totius regni amplitudo, quam in superioribus adduximus. Etsi autem ex aliis Chinensium scriptis maior amplitudo colligi potest, Martinus tamen Herrada, Prouincialis Augustinianorum in Philippinis Insulis, Cosmographus magnæ experientiæ, vidit ipse cognouitque, eorum sententiam quam nos secuti fuimus, esse veriorem, statuitque illam Peripheriam & Diametron, quam nos superius assignauimus, facto metiendi initio à prouincia Olam, quæ est Meridionalior, & in Malacam vergit.

Diuiditur autem regnum istud, sumta simul Insula Anaione, in XV. prouincias, quarum vnaquæque suam habet Metropolim, & æquare vastitate sua potest quoduis magnum Europæ regnum. Quædam illarum Prouinciarum denominantur à præcipuis Ciuitatibus, in quibus residen Prorex & Senatores. In his autem duæ sunt, Paguia & Tolanchia, quas rex ipse suo regit imperio, per Consilium sanctius, quod consueuerit ipse in alterutra harum suum habere domicilium: accedente etiam hoc, quod sint omnium maximæ & populosissimæ. Nec tamen hæ solæ causæ eum inuitant, vt in harum altera habitet, sed potius vicinia Tartarorum quibuscum Chinenses perpetuum bellum gerunt. Postremo, vt facilius obuiam ire possit tumultibus turbisque, quæ in illis partibus sunt crebriores, simulque plus incommodi creare hostibus suis, ideo in his oris statuit Rex domicilium suum. 3.

Est in medio huius Monarchiæ Lacus ingens, è quo plurimi prosiliunt fluuij & torrentes, quorum illi quidem adeo abundant aquis, vt inde variis nauigiis in diuersas regni partes nauigari possit, qui fluuij amnesque insuper tam fæcundum humiditate sua reddunt solum, vt omnes res bonas in copia gignat, vnde & ripæ fluuiorum illorum scatent oppidis villisque. Referūt autem Annales Chinensium, quod in XV. illis prouinciis sint magnæ Vrbes CXV. oppida MDXCIII. non connumeratis vicis oppidulisque.

Porro totius huius Imperij siue Monarchiæ caput appellatur vulgo *Xuntien* siue *Tabiin*, à nostris *Quinzaij*: significat autem Xuntien lingua Chinensium vrbem Cæli, cuius tanta esse perhibetur magnitudo, vt homo expeditus in equo vnius diei spacio eam circum equitare vix possit. Sunt autem nomina XV. prouinciarum hæc. *Pasquia, Canton,*

Canton, Foquien, Olam, Cincay, Susnam, Tolanchia, Cansay, Oquiam, Auccho, Honam, Xanton, Quicheu, Chequeam, & Saxij siue Sanci. Omnes hæ, inprimis maritimæ, separatæ sunt ab inuicem eximiis fluuiis aquæ dulcis, profundis & nauigabilibus, altis vtrimque ripis, in quibus tota assurgunt vrbes & oppida, vt ne numerari quidem possint, nedum nominari, cum Chinenses tam sint curiosi, vt in libris suis referant, non oppida solum, sed & palatia ac viuaria procerum delectationis ergo in ripis excitata. Nobis sufficiet numerum duntaxat indicare Vrbium oppidorumque, in vnaquaque prouincia, ne vel barbarorum nominum asperitas vel prolixitas lectorem offendat.

Habet igitur Prouincia Paquia, in qua domicilium regis & summus Senatus, Vrbes quidem XLVII. oppida CL.

Prouincia Cantonensis, Vrbes XXXVI. oppida CXC.

Foquiensis habet Vrbes XXXIII. oppida CXCI.

Olamensis Prouincia, habet Vrbes XC. oppida CXXX.

Prouincia Cinsaiana, Vrbes XXXVIII. oppida CXXVIII.

Susnanensis habet Vrbes XLIV. oppida CL.

Tolanchiana prouincia habet Vrbes LI. oppida LXIII.

Cansaiana Vrbes habet XXIV. oppida CXII.

Oquiamensis habet Vrbes XIX. oppida LXXIV.

Ancheonensis Vrbes XXV. oppida XXIX.

Honamensis habet Vrbes XX. oppida CII.

Xantonensis habet Vrbes XXXVII. oppida LXXVIII.

Quicheuanæ Prouinciæ sunt Vrbes XLV. oppida CXIII.

Chequeamensis sunt Vrbes XXXIX. oppida XCV.

Sancienſis siue Saxiensis Vrbes XLII. oppida CV.

Solent autem Chinenses fere terminare Ciuitatum nomina in Syllabam Fu, quæ vrbem significat, cuiusmodi sunt Tabinfu, Cantonfu, Quelinfu: oppidorum vero vocabula exeunt in Cheu. Aiunt autem in solo fluuio Canton plures reperiri celoces, aphracta & alia nauigiola, quam in tota sint Hispania. Regio ipsa Cæli ac Soli temperie, & aeris bonitate omnium rerum bonarum est ferax, abundans tritico, oriza, leguminibus, nec vllum est anni tempus tam intemperatum, vt non vel seminetur, vel metatur aliquid atque colligatur. In omnibus vrbibus, vbi Proreges & Gubernatores commorantur, erecta est imago Regis opere Phrygio aulæo vel peristromati intexta, cum inscriptione, *Mundi Dominus ac Cæli Filius.* In vniuerso regno Chinensi nulli cum telo ambulare fas est, nisi illis, quibus hoc peculiari priuilegio à rege permissum est, transeunte iure illo portandi arma velut hæreditate etiam ad liberos eorum.

Sunt autem in tanto Vrbium numero fere CC. eminentiores cæteris, quæ pleræque extructæ sunt in ripis fluminum nauigabilium, fossis cinctæ latis profundisque, inclusæ muris è lapide quadrato, quibus incumbit aliud structuræ genus è latere cocto, non ex argilla aut fragili luto, sed eadem materia, vnde vasa Porcellana (sic appellantur) conficiuntur, cuius materiæ ea est soliditas, vt successu temporis coalescat inque vnam densetur massam, vt partes ne validissimis quidem ferramentorum ictibus disiungi possint. Murorum ea est crassities, vt in iis quaterni homines simul ingredi possint, alicubi etiam sex, præter projecturas & exedras crebro intercurrentes, in quibus sæpe proceres animi gratia deambulant. Ad defensionem murorum multa addita sunt propugnacula, & turres, & loca constituendis tormentis æneis apta, inuicem sibi respondentia, cum excubiis idoneis locis dispositis, vt nihil ad summam muniendi custodiendique diligentiam structoribus defuisse videatur. Horum murorum quidam perhibentur erecti stetisse ad II. millia annorum, nec tamen vllam præ se ferre vetustatem aut agere rimam videntur. Plerarumque illarum vrbium, quas cæteris eminentiores esse diximus, structura talis est. Duas habent singulæ præcipuas & quasi regias plateas, longas latasque valde, in crucis formam diuisas, vt inde directus pateat prospectus ad quatuor vrbis portas, quæ inter se æquis distant spaciis, quæ quidem est res miræ amœnitatis.

Intersecantur autem duæ illæ plateæ cruciformes aliis minoribus, in quibus multa inter plebeias domos exsurgunt ædificia magnifica tam publica quam priuata, quæ velut indicium præbent atque notas viarum & regionum. Visuntur in compitis Arcus quidam velut Triumphales, vbi conuenire solent tam ciues quam peregrini. Et porticus ibi sunt crebræ, procurrentes in publicum, quibus vt & tabernis opificum & institorum, arcentur à commeantibus pluuiæ aliæque aëris incommoditates.

Vix autem quisquam Prorex aut Gubernator elapso tempore præfecturæ suæ abit prouincia, quin arcum aliquem aut opus laqueatum è polito lapide, cum variis inscriptionibus, in sui post se relinquat memoriam.

Loco vrbis commodissimo frequentissimoque assurgit superbum Palatium, habitatio Prorege regis, cum adiunctis hortis, viridariis, fontibus salientis aquæ & inde profluentibus riuuli

omni

omnia facta ad delectationem horum Dynastarum, qui insuper eo loco habent sua nemora, cum viuariis, leporariis & Ornithonibus, vt hæc palatia cum mediocribus oppidis comparari queant. Domus priuatorum maritimæ ferme humiles sunt: at interiores & à littore remotiores plura habent tabulata, pictæ intus & foris vel candidissimæ illitæ tectorio. Ad introitum huius Palatii Atrium est amplum & capax, perpictum variis armis nobilium, exornatumq; Idolorum statuis. In ipso vestibulo occurrunt piscinæ plenæ piscibus, & horti pensiles, etiam in rectis ædium. Tota structura est ex lapide cæso & affabre polito, vt splendore suo colorem auri mentiatur. Tecto singularis firmitas, vt omnes facile respuat imbres, compertumque est huiusmodi tecta ad ducentesimum durasse annum. Colliquiæ & suggrundia è puro marmore sunt facta. Ante portas stant arbores patulæ & virides, pulchro ordine & ad lineam plantatæ, tanta amœnitate, vt debiles lassosq; recreare ac reficere possint oculos. Etsi autem multæ harum vrbium satis amplis interfecentur fluuiis, canales tamen atq; fossæ hinc inde factæ naues mercatorias in ipsas vrbes & fora vsque inducunt, magna commoditate, vt in quibusdam inferioris Germaniæ vrbibus videmus, nusquam deficientibus aggeribus pontibusque, quibus flumina vel coherceatur vel sternuntur, ad commoditatem viatorum. Si qui fluuii ob vastitatem aut inundationes pontes ligneos lapideosque non admittunt, eorum ripæ iunguntur pontibus è scaphis lenunculisq; factis. Extra vrbes, inprimis maritimas visuntur suburbia magnificis structuris plena, cum vicis plateisque satis elegantibus, & diuersoriis ad excipiendos hospites, in quibus præter potum sapidissimum omnis generis cibaria & cupediæ reperiuntur.

Minorum oppidorum, quorum quædam III. millibus familiarum constant, ita tamen vt proximi pagi & velut cohærentes simul sumantur, tanta est multitudo, vt numerus iniri non possit. Situs eorum fere amœnus, aquarum lignorumque copia, domus altæ etiam ruri, in quibus crebri degunt agricolæ, opulenti sane & omnibus rebus affluentes. Habent autem singulæ fere domus portas ternas, quarum quæ medium obtinet maior est cæteris, obseruata proportione in ædificando.

Negari autem nullo modo potest, Architectos fabrosq; hoc regnum habere præstantissimos, nec vllibi per Orbem materiam ad ædificandum haberi meliorem, cum, vt diximus, terra alba sit, è qua fiunt lateres tantæ duritiei, vt malleo vix frangi possint. Viæ per regnum præcipuæ lapide cæso stratæ sunt, planæ rectissimæque, vsque ad Montes, pauimento aptissimo, vt ii, qui viderunt, inter res, quæ in hoc regno admiratione dignæ sunt, vias illas referant. Narrant Lusitani, vidisse se in vrbe Fucheo Turrim, XL. innitentem columnis ex solido marmore, quarum altitudo fuerit quadraginta palmorum, latitudo XII. Hoc opus esse tantæ magnitudinis, tam insignis splendoris atque sumtus omnes totius Europæ superbas & magnificas structuras longo post relinquat interuallo. Surgere autem hoc tantum opus ante Palatii Præfecti Ærario Regio.

Cum autem in superioribus Muri illius mentionem fecerimus, qui Chinenses à Tartaris discesserit, hic quædam magis exacta de eo referenda sunt. Longitudo eius cum interiectis montibus D. milliaria constituere (vel potius Leucas creditur: incipitq; ab vrbe Ochioio, quæ sita est inter duos præaltos montes, porrigiturq; ab occidente in Orientem, structo ipso muro à Rege quodam Tzinzone aduersus irruptiones Tartarorum. Quod autem de D. Leucis diximus ita capiendum est, vt CCCC. Leucæ occupentur montibus, & spacia intercurrentia, quæ muro obstructa sunt, reliqua centum conficiant. Ipse porro murus è saxis quadratis ingentibus fabricatus est, quorum plerorumq; tanta est magnitudo, vt quinq; Orgyias habeant in latitudine, VII. in altitudine. Initium huius nonnulli sumunt à Mari in Prouincia Cantonensi, deducuntq, eum per Pasquiam & Cansaiam, finiuntque in Susana. Rex hoc opus moliri volens, tertiam partem habitatorum regni ad id admouit, qui prope omnes interierunt, vel difficultate vię & laboris, vel mutatione aeris. Sic opus hoc tam sumptuosum & operosum in causa fuit, vt totum regnum concitata seditione rebellaret, factoq; impetu in regem eum trucidaret, cum regnauisset annis XL. & totidem filius eius Agnitzius.

Nunc deinceps videnda est ipsa huius Monarchæ habitatio & regia, ne quid desideretur eorum quæ in hoc regno consideratione digna sunt. Est ea in vrbe *Taybin* siue *Xuntien*, vt superius diximus, ob viciniam Tartarorum, in regione vel prouincia *Pasquia*, siue etiam ob aeris, quo prouincia illa perflatur, puritatem & salubritatem, ipso nomine Vrbis tale aliquid innuente, cum *Xuntien* ciuitatem cœlestem sonet. De huius vrbis incredibili amplitudine superius diximus, vbi tamen suburbiorum mentionem nullam fecimus, quorum omnium ambitus nō existimatur minor ipsa vrbe. Populi in ea tantus putatur esse numerus, vt ipsi Chinenses asserant, CC. millia ad militiam apta inde legi posse, quorum pars media equites sint, si vrgens aliqua necessitas regnum premat. Ad introitum huius Vrbis versus Orientem offert se oculis ingens illud & superbum Palatium Regis, vsitata eius habitatio, quanquam etiam duo alia sint; vnum in media vrbe: alterum in extremo latere Occidentali. De Primo illo & Magno Palatio narrant, id tam amplum ac spaciosum esse, & tam plenum singulari consideratione dignis rebus, vt quatridui spacio perlustrari omnia non possint.

Iam primum septem cingitur muris, tanto spacio ab inuicem diffidentibus, vt in singulis intermœnianis X. millia militum, custodum corporis regii, versari possint. Intus sunt LXXIX.

Palatia siue Cænacula magnifica, artificii stupendi, in quibus magnus numerus fœminarum versatur, ad seruitium regis, quod alibi à nobilibus viris & ingenuis adolescentibus præstatur. In præcipua autem admiratione sunt quatuor Basilicæ, in quibus consueuit audire Rex Oratores exterorum Principum, vt & respondere Principibus Proregibusque regnorum suorum, quanquam hoc rarius accidat, cum vix vnquam in populi conspectum prodire soleat hic Monarcha. Omnium harum Basilicarum tanta est elegantia, tanta artificii præstantia, tanta materiæ æneæ, argenteæ, aureæ, gemmeæ precia, vt calamo satis digne exprimi non possint, inprimis vero quartæ, quæ tres anteriores multis parasangis superat, vnde & Palatium Thesauri regii à populo appellatur, vere dignum nomine isto, cum tantas opes in thesauris suis vix vllus rex possideat, quantæ in illa Basilica visuntur.

Porro præter hos thesauros inter Cimelia huius regis infinitæ res stupendi precii & plane inæstimabilis, interque eas Thronus regius, in quo Monarcha ille considere solet, quoties Maiestatem ostentat suam, factus quidem ex Marmore præstantissimo, exornatus autē gemmis infiniti precii, inprimis Pyropis tantæ magnitudinis & splendoris, vt vel atram noctem illustrare possint, aiuntque tantam illi parti Basilicæ affundi ab hac Cathedra gemmata claritatem, quanta ab incensis cereis funalibus afferri possit. Pariter structi exornatique sunt huius Palatii parietes, vbi cum præstantia materiæ certat artificum peritia, vt omnes, qui de eo scripserunt, vno fateantur ore, nihil preciosius aut magis absolutum in vllo totius Orbis regno inueniri posse, cum nihil vspiam sit pulchri aut specioſi, quod hic non exquisitum conspiciatur.

Qualitas & Natura soli Chinensis.

6. Postquam vidimus vasti huius regni amplitudinem, & numerum vrbium oppidorumque in eo recensuimus, & ædificiorum in eo magnificentiam considerauimus: consequens est, vt videamus, an ipsum solum tanto splendore dignum sit, & an possit ædificantibus ex sese suppeditare tam insanarum substructionum sumtus & materiam.

Primum igitur sciendum est temperamentum aeris & soli in tanta prouinciarum huius Monarchiæ varietate, longe diuersissimum esse, in tanto præsertim terrarum spacio, quarum aliæ in Septentrionem aliæ in meridiem vergunt, ita vt quamuis quædam huius regni partes, interque eas Insula Aynan, tantum XIX. gradibus ab Æquatore absint, aliæ tamen vltra quinquagesimum latitudinis gradum extendantur, vt in descriptione Situs huius regni ostendimus. Facit eadem magnitudo & prouinciarum distantia magnam coloris diuersitatem in corporibus incolarum. Lusitani enim, qui apud Vrbem Canton cum Chinensibus negociantur (non longe enim abest ab Macaone) narrant, Chinensium ibi mercaturam exercentium facies colore valde dissimiles esse. Qui enim in Prouincia Cantonensi nascuntur, inque toto eo tractu, fusci sunt, sicut Numidæ & Mauri in regno Fezzano Africæ, cum hæc regio Cantonensis iisdem sit subiecta Parallelis, quibus Numidia. Qui vero interiora regni incolunt, facie sunt alba, magis minusque, prout prope vel procul à frigidioribus Septentrionis partibus absunt. Videas ergo quosdam capillitio nigro referre Hispanos, alios rursum flauos rufosque esse, vt Osemani sunt. Sic igitur est: Calidum an frigidum sit hoc ingens regnum, generatim dici non potest, cum sit comprehensum in Zona temperata: vnde & fertilitas eius cognosci potest, quæ sine dubio maxima est, etiam si cum ea comparare velis Nouam Hispaniam vel Regnum Peruanum.

Est enim extra controuersiam, solum ibi terque quaterque fætificare per annum, vnde & aeris clementia colligi potest. Infantibus puerisque hic omnia plena esse videas, instar formicarum, ob fœcunditatem mulierum, suntque hi pueri grati admodum & venusti, dum pusilli sunt.

Si vero de fructibus arboreis quæstio est, nullum hic genus desiderare possis eorum, qui alibi præsertim in Hispania proueniunt, sed & multi peregrini ibi visuntur, nostroque Orbi incogniti, qui tamen omnes sunt sapore præstantissimo. Aureorum malorum genera hic tria, quorum vnum tam dulcem fundit succum, vt suauitate vincat saccarum: cætera sunt cum quodam acore permixta.

Prunorum hic quædam species, quam ipsi Lechiam vocant, cuius tanta est suauitas, vt satiari ea comedentes non possint, accedente alia quoque virtute, quod nec stomacho nec intestinis noxia sint. Melopeponum magna hic abundantia, qui magni sunt, nec minus sapidi, vt & alia quædam huius generis, quibus omnibus sapor gratissimus.

Saccari ob nimiam copiam vile precium per vniuersum regnum, vt centenæ libræ, etiam cum augescit precium eius, non pluribus quam VI. Regalibus nummis vendi soleant. Idem de melle sentiendum est & cera, quibus integræ naues onerariæ impleri possunt. Serici hic & multitudo ingens & bonitas perfecta. Lini plurimum, vnde parantur vestes plebeiorum, sparti autem cannabisque tantum, vt exiguo precio carbasa rudentesque, pro nauibus haberi possint.

In locis sterilioribus, vbi terra asperior est & petrosa, multum crescit gossipii, cumque cultus est ager ille, profert siliginem, auenam, aliasque frumenti species, non sine fœnore. Sed reuera irrigantur agri hinc inde per totum regnum incredibili multitudine fluuiorum & riuorum, vt Orizam magna gignat abundantia,

qua

qui vsitatus est horum populorum cibus, colligiturque tanta copia, vt vilissime quam credi possit precio vendatur. Neque vero vel hoc vel cætera frumenti genera semel in anno, sed fere bis, alicubi etiam ter metuntur, vt supra diximus. In locis editis montosisque, quæ culturam non admittunt, pulchræ pinus assurgunt, strobilos magnos & palato gratos proferentes, intercurrentibus crebris castaneis, neque tamen solum inter has arbores feriari sinunt, sed serunt ibi frumentum Indicum, quod vulgo *Maiz* vocant, estque vsitatissimus populorum in Peruana & Mexicana cibus. Est autem pratorum ibi totiusque adeo planitiei mira amœnitas, omniaque variis perpicta sunt floribus, quibus à nostris cum ratione odoris tum speciei magna est diuersitas; accedentibus variis arboribus, ordine & velut de industria dispositis, quibus fere fluuiorum ripæ prætexuntur.

Loyriæ, quos Chinensium Doctores & Iureconsultos esse diximus, habent fere viuaria & nemora arte consita, in quibus multi oberrant capri, damæ, cuniculi, lepores aliæque feræ diuersi generis, sed & mures Pontici, viuerræ aliæque bestiolæ, quarum pelles in magno sunt precio. Moschi odorati hic magna copia, qui colligitur ab animalculo quodam, quod vesci-tur odorata quadam radice, quam illi *Camatuam* vocant, ad digiti vnius magnitudinem. Boum vaccarumque hic tot & tanta armenta, vt singulis binisve ad summum coronatis vendantur: Bubalis maius & ferme duplex precium. Porcorum hic greges innumeri, quorum carnibus nihil inest noxii, vt de salubritate cum veruecina per Galliam Hispaniamque certare possint. Aquatilis generis incredibilis copia, præsertim aquatilis, cuius tanta multitudo, & præcipue Anatum, vt in Vrbe Canton, quæ vna est ex minoribus huius regni, decem vel duodecim millia vna septimana comedantur.

Pullorum Gallinaceorum & caponum tantum ibi, vt eorum carnes mundatæ ad libram appensæ vendantur, velut apud nos bubulæ, nec precio multo maiore.

Herbarum radicumque ad Medicinam vtilium fœcunda mater est hoc regnum, inprimis Rhabarbari optimæ notæ, gignit & Radicem *Chinam* dictam, cuius efficax vsus ad multos morbos curandos, inprimis Apostemata, Paralysin & Morbum Venereum. Cætera Aromata, etsi à mercatoribus ab Indiis Moluccisque Insulis huc afferuntur, vili tamen precio emi possunt, inprimis Caryophylli & Nuces Myristicæ. Piscium hic maior copia, quam ad fidem dici possit, neque in regionibus duntaxat mari vicinis, sed in remotissimis ab Oceano regni partibus, ob fluuiorum lacuumque multitudinem.

Eruuntur terra omnis generis metalla, interque ea aurum & argentum, quanquam regni legibus prohibeantur ciues, ea curiosius in terræ viscera perquirere, ita vt multum metallorum ab exteris importetur. Neque tamen propterea locupletiorum domus eo minus plenæ sunt vasis aureis argenteisque, aliaque pretiosa supellectile, quanquam nonnulli affirment, argento apud Chinenses esse quam auro maius precium, quod pluris fiat abillis. Margaritas hic copiose repeti superius diximus. Inter metalla, quæ Chinense solum producit, refertur etiam argentum viuum, vt & æs, ferrum nucleusque ferri, stannum album nigrumque: præterea sulphur, Cadmia & alia eius generis. Vni incommodo & prope soli Chinenses obnoxii sunt, quod crebris regiones illæ concutiantur terræmotibus, quibus aliquando non ædes tantum sed oppida & vrbes euertuntur.

MORES SINARVM SIVE CHINENSIVM.

Cum apud nos fere vsu veniat, vt in magnis 7.
vrbibus locupletibusque prouinciis multi reperiantur errones, desidiosi multi, & inutilia terræ pondera; apud Chinenses tamen, quamuis regnum omnibus rebus abunder, nullos fere inuenias, qui ocio & inertia torpescunt, sed omnes labori alicui addicti, inprimis illud operam dant, vt terram suapte spõte liberalem, cura & solertia meliorem reddant, nihilque ociari permittant, quicquid ad culturam perduci possit, vsque ad latum pedem. Hos autem labores facile ferunt, studiosi rerum suarum, & gnari, planetas & vagabundos non infamiæ nota duntaxat inuri, sed & grauibus puniri supplicijs. Accedit, quod ciuis Chinensis, siue in Vrbe siue in agro natus sit, pedem prouincia sua efferre prohibetur, necesse igitur est, vt augescente ciuium numero agrum colant, si viuere commode velint.

Cum insuper Chinenses naturæ quadam inclinatione indulgere genio & cuticulam beare soleant, vestiumque munditiei studeant, & nitori domiciliorum suorum, necesse habeant, vt attenti sint ad rem familiarem, & cultura diligentiaque fundos suos reddant fructuosiores. In emendo vendendoque nihil metiuntur vlna, ne telas quidem lineas, sed omnia ponderant, quod minus in trutinando quam mensurando fraudis interueniri possint. Neque tamen ipsi à circumscribendis decipiendisque peregrinis abstinent, quibuscum negociantur, inprimis in vendendo Musco siue Muscho odorato, quem hunc in modum conficere solent.

Animalia illa, à quibus hoc odoramentum 8.
colligere solent, fustibus baculisque cædunt, vsque ad mortem: cumque probe obturauerunt omnes meatus corporis, per quos sanguis extillare potest, deponunt occisam bestiolam in locum quendam, in quo celerius putrescat. Sic ossa verberibus confracta, & carnes contusæ sanguine suo mixtæ, vbi putredine velut fermentatæ sunt, odorem illum prorsus concipiunt imbibuntque. Vbi satis computruisse visum est totum animalculi corpus, dissecatur cum ipsa pelle in minutas partes, indeq; conficiuntur parui sacculi quos Lusitani *Papos* vocant: & hic est o-

[illegible]oschus præstantissimusque, qui ab O[illegible]bus partibus ad nos adfertur, quamuis [illegible] plices deceptelæ ad augendum pondus [illegible]ruenire soleant.

Sunt autem maxima ex parte Chinenses temperamento corporis bono præditi, pulchra membrorum compage, agiles, hilaresque, pluresque inter eos proceti quam humiles breuesque. Facies iis vulgo lata, oculi parui angustique, suntque fere Camuti siue Simi. Barbam, vt Europæi, non habent, sed pauci quidam rariq; admodum erumpunt ex mento capilli. Non quidem negauerim, esse inter eos quoldam, quibus oculi patentiores, barba commoda, & facies nõ deformis: sed hi cum cæteris collati, oppido quã pauci sunt, putanturq; genus ducere ab exteris nationibus, quæ se olim cum Chinensibus miscuerunt, dum adhuc integrum fuit exire regno. Vngues in digitis sinistræ manus crescere sinũt, in dextra vero abscindunt. Comam ab occipitio promittunt, neque caret illa circa vngues & capillos cura superstitione, cum illis se arreptos ad cœlum eleuatum iri putent.

Vestitus quo viri Principes Nobilesq, vtuntur, versicolor est, è lana serica purissima, quam exquisite parare ac tingere nouerunt, vt splendore quodam oculos feriat. Vulgus & qui cum re sunt tenuiori, & ipsi serico vestiuntur, sed velut excrementitio, atque ob id minoris pretii, vel etiam amictu vtuntur è lino vel Xylino. Estque hoc amictus genus habile & leue, pro qualitate regionis, quę temperata est, vnde panni lanei hic nullus vsus. Sagis operiuntur antiquo more sinuosis, & in plicas minutas collectis, dependente sacculo à sinistro latere: manicæ in iis sunt amplæ & capaces. His sagis superiniiciunt amplas tunicas siue togas nostro modo, nisi quod illorum togæ manicatæ sunt, vt pallæ lucubratoriæ.

9. Qui è sanguine regio orti sunt Principes, aut dignitate inter cæteros eminent, in eo differunt ab Equestri Ordine, quod vtrorum Principum saga in medio, qua cingulo locus est, aureis, argenteisque lemniscis circumdantur, cum cæteri ea ornamenta duntaxat in fimbriis gestent. Caligas siue femoralia gestant valde conuenientes, & ocreis calceisque vtuntur holosericis: quamuis autem hyems apud eos sit vsitato more clemens & benigna, solent tamen per id tempus vestibus vti pelliceis, è pellibus preciosissimis, quibus cum reliquum corpus tum inprimis collum muniunt. Sed & qui cælibes sunt, ab vxoratis differunt in eo, quod illi comam supra frontem nutriunt, & pileis caput tegunt altioribus.

10. Mulierum circa amictum magna est curiositas, differtq; earum vestitus non multum ab Hispanico. Gemmis vnionibusque velut obsitæ incedunt, aliisq; quæ mundum muliebrem exquisitiorem faciunt, vtentes semisagulis, cum amplis manicis, quas infra mammillas colligũt. Materia vestis est vel preciosa vel vilis pro modo facultatum. In exornandis crinibus suis multum ponunt studii, quos variis cincinnis circa tempora torquent colligantque longa vitta velut tænia, vnionibus gemmisque graui. Faciem cerussa pingunt, inq; prima pulchritudinis parte ponunt, si quam minimos habeant pedes: qua de causa puellarum pedes à prima infantia adstringunt cohercentque, etiam cum dolore, ne nimis excrescere possint. Quanquam huic rei etiam alia causa assignari soleat, nempe zelotypia maritorum, vt compressis ad hunc modum cruribus pedibusque, discurrere facile non possint, imo non nisi magno labore domo exire. Induit autem antiquissima hæc consuetudo propemodum legis naturam, vt si qua mulier, vel puella eam violaret, infamiæ notam non effugeret. Sed & in aliis rebus honestati student, deguntque fere intra septa domus, vt vix de fenestra aut ianua prospiciant. Si quem maritus ad cœnam inuitauit, vxor ad mensam minime accedit, nec in conspectum hospitis prodit, nisi propinquus sit aut sanguine iunctus. Si quæ patrem, vel matrem, vel agnatum inuisere cupit, portatur insidens sellæ gestatili à quatuor seruis, sic cooperta cathedra, vt ipsa quidem videri à nemine possit, probe tamen conspiciat omnes, quacunque transit. Sequuntur eam serui ancillæque magno numero. Sic fit, vt rarissime occurrat tibi in platea mulier aliqua è nobilioribus aut dignioribus, sitque monstro simile, aliquam videre etiam in amplis vrbibus.

Sunt autem Chinenses fere ingenio acri & subtili, sculpturæ & picturæ admodum periti, vt apparet ex tabulis, arculis & lecticis, quæ ab illis ad nos adferuntur. In campestribus planisque regionibus vtuntur miro genere curruum, quod velis instructum à ventis agitur, non iumentis nauigii instar, quibus curribus vias satis longas per planiciem emetiuntur. Imitati sunt Hollandi hoc artificium, non omnino infeliciter, neque tamen pari cum successu. In emendo vendendoque astuti sunt & versipelles, vt qui cum illis negociantur, ab eorum fraudibus sibi cauere necesse habeant.

Extra domus mercatorum & institorum, qui infiniti sunt in hoc regno, propendet tabula, continens synopsin earum mercium, quæ ibi prostant: venduntur autem fere in illis tabernis institoriis telæ aureæ, argenteæ, sericæ varii coloris & artificii, vt & materia Xylina, linea, aliaque vestiaria. Idem faciunt, qui aromata & res medicas vendunt. Alibi sunt officinæ figulorum, in quibus vasa porcellana prostant, quæ quamuis varii coloris & pulchritudinis exquisitæ sint, mediocri tamen veneunt precio, vt visa sint quinquaginta vasa vendi quatuor nummis regalibus. Fiunt autem figulina illa opera siue vasa hoc modo. Cochleas quasdam marinas ouorum testis miscent, aliaque quædam addentes subigunt & massam conficiunt. Hanc sub terra condunt, ibique eam macerari ad octuagesimum vel centesimum vsque annum sinunt, hæredibusque suis thesauri loco relinquunt: & hæc quidem est sententia Eduardi

Barbosæ:

Barbosæ: cui alii accedere se posse negant, quod fieri ex tantilla materia tantum horum vasorum non possit, quæ incredibili copia in Lusitaniam Hispaniamque, vt & cæteras Europæ partes, adde etiam in Nouam Hispaniam & regnum Peruarum deportantur. Fiunt autem optima vasa Porcellana in Prouincia Saxiensi, quæ regno exportari fas non est, cum omnis ea supellex figulina cedat vsibus regis & Gubernatorum, ob pulchritudinem, quod ea non minus quam Crystallus pellucida sit. Habitant autem figuli isti in certis vrbium plateis, nec quisquam inter eos commoratur, qui non idem tractet opificium. Qui ea vendunt, indicem proponunt, quantum huius testaceæ materiæ apud ipsos prostet.

Est autem summa ac prope vnica Chinensium cura, qua liberis suis mature de futuro matrimonio dispiciunt, ne in transuersum rapiantur. vnde videas patres infantes liberos vix dum natos futuri matrimonii pactionibus reciproce obligare, concepta etiam eius rei formula litteris publicis solemnibusque. Iubet autem mos patrius, maritum dotem ad vxorem adferre. Cum sponsa viripotens est, & nuptiarum dies aduenit, pater eius solenne instituit conuiuium, vocatis in domum suam patre, matre & propinquis generi sui. Sequenti die idem facit pater sponsi, aut si patrem non habeat, proximus eius agnatus. Finito epulo dat sponsus sponsæ dotem, spectantibus vniuersis, hæc vero acceptam eam rursum dat parentibus, si adsint, in precium educationis. Hinc scilicet fit, vt ille, qui plurimas habet filias, vir opulentus iudicetur. Potest autem pater ea quam à filia accepit, pecunia vti tanquam sua, si indigeat: verum eo mortuo, omnis redit ad filiam eiusque liberos.

Licet autem viro tot ducere vxores, quod alere commode potest, dummodo à sorore & consobrina abstineat: nam hæ nuptiæ incestæ habentur & puniuntur. Primam quam quisque duxit, vxorem legitimam putat, cæteras amicas & concubinas. Cum prima vir habitat & commoratur; reliquas hinc inde in diuersa domus conclauia partitur, quæ si cum illa conferantur, ancillarum rationem habere possunt. Patri mortuo succedit filius natu maximus è prima vxore in maxima paternæ hæreditatis portione: eum cæteri fratres sequuntur, siue è prima vxore siue è posterioribus nati sint. Si filius ex prima nullus sit, transfertur id iuris in filium natu maximum ex concubinis; hinc fit vt rarissime quis moriatur, non relicto hærede masculo.

Aiunt in regni huius prouinciis iis, quæ Tartarico regno viciniores sunt, mirum hunc obseruari morem, vt prorex siue gubernator adolescentibus virginibusque certum constituat tempus, intra quod vel matrimonium contrahant, vel vitam profiteantur Monasticam. Qui nubere volunt, veniunt ad præfixum diem in constitutam ei rei ciuitatem, sistuntq; se coram duodecim viris, quos rex isti negocio præfecit, qui vtriusque nomen & viuendi genus scripto concipiunt, & de dote percontantur, quam vir mulieri daturus est.

Cum autem plures simul tam viri quam fœminæ dare soleant nomina sua, numerantur vtraque, & si plura sint nomina virilia quam muliebria, mittuntur sortes, iubenturque ii qui extra sortem paris ceciderunt, in futurum annum expectare. Idem fit de puellis, si quæ sint superfluæ. Exæquato ad hunc modum numero, sex è duodecim viris istis, futuros sponsos in tres partiuntur ordines. In primo collocant ditiores, non habita ratione nobilitatis vel formæ: in secundo, qui cum mediocribus sunt facultatibus: in tertio vero pauperes: idem faciunt sex reliqui in puellarum nupturientium grege: ita tamen, vt in primo agmine formosissimas, in secundo mediocriter pulchras, in tertio deformes statuant. His factis dantur formosæ diuitibus, qui singuli certum auri modum, quantus visus est iudicibus, persoluunt. Mediocres accipiunt mediocriter formosas, sed pro illis nihil numerant. Deformes elocantur pauperibus, addita dotis nomine omni illa pecunia, quam diuites soluerunt, quæ inter egenos istos æqualiter diuiditur. Peractis ad hunc modum sponsalibus ingens celebratur festum nuptiale, paraturque conuiuium in Domo Regia, quæ illis seruit vsibus, in quo magnus lectorum numerus & abaci mensæque plurimæ, aliæque res necessariæ, quibus nubentes interim vti possint; donec post elapsum quinquagesimum diem quisque in suam domum reuertatur. Quæ autem hoc loco diximus de plebe intelligenda sunt; magnates enim, & qui dignitate cæteros è vulgo antecellunt, his legibus subiecti non sunt, sed suo quisque nuptias celebrat arbitrio.

Ipse porro Sinarum Monarcha, cum vxorem duxit, eligit sibi XXX. Concubinas, lectissimas primas ex vniuerso regno, quæ in regia commorantur donec ipse in viuis est. Defuncto autem eo successor eius sumtuosissime vestitas eas in magnificum introducit palatium, de quo in superioribus diximus, coopertis omnes faciebus ne agnosci queant. Et cum dicto ingrediuntur XXX. Viri Nobiles, quos Rex testamento nominauit, eo ordine quo conscripti sunt: horum quilibet apprehendit manu vnam ex XXX. illis concubinis regiis, eamque abducit, ita velatam, vt diximus, in domum suam, habetque eam deinceps pro vxore sua, percipitque quotannis magnam vim munerum donorumque, vt eam habere possit magnificentius. Solebant autem antiquitus Reges Chinensium, quoties vel liberis suis vel agnatis necessariisque nuptias facerent, solenne in Palatio regio instituere conuiuium, vocato vniuerso Equestri Ordine & Aulæ Comitiuis, iussisque iis, vt omnes suos secum adducerent liberos, splendide vt quisque posset, exornatos, quod patres libenter faciebant. Finito conuiuio, surgebant Equites, ibantque in aliud Pa- 16.

latium, vbi assidebant virgines pro ætatis prærogatiua, ibi quisque seligebat sibi vnam, quæ magis placuisset, vxorem. Sed hic mos penitus exoleuit, cum Principes Nobilesque non nisi agnatas necessariasque suas vxores ducant, exceptis duobus primis consanguinitatis gradibus: quanquam ne in hoc ipso quidem adeo sint obseruantes legum.

17. In persoluendis iustis exequiisque defunctorum his vtuntur ritibus. Cum quisquam expirauit, continuo lauant corpus, illique induunt vestes, quas homo viuus habuit optimas, grato perfusas odore. Hinc in perpulcra eum collocant sede, accedentesque omnes propinqui & domestici eius, coram eo in genua desident, faciuntque id non consanguinei tantum, sed omnes noti eius & amici, ne seruis quidem exclusis, lugentes excessum defuncti. Postea reponunt cadauer in loculum ex odorato ligno factum, clauduntque eum exacte, ne quis malignus odor exhalare possit. Deinde inferunt loculum in cubiculum propinquum, aulæis & picturis exornatum, deponuntque eum in mensa, & tegunt linteamine candidissimo, in quo imago mortui graphice expressa est. Ad ingressum huius conclauis mensa posita est cum cereis ardentibus, inque ea multi panes cum variis fructibus: fitque hoc per continuos dies XV. quo toto tempore singulis noctibus adsunt Sacerdotes eorum & Religiosi, cantillantes & demurmurantes preculas suas, & offerentes sacrificia, omnia more Gentili. Afferunt etiam multas chartas, variis imaginibus depictas, easque coram cadauere comburunt, addentes horrendos inconditosque clamores, quibus se animam defuncti ad cœlum mittere opinantur. Finitis XV. illis diebus, quibus mensæ cibis onustæ sunt, vt tam Sacrifici quam qui cadauer honoris ergo inuisunt, habeant quod bibant comedantque, effertur funus in campum, deducentibus id propinquis & magno sacerdotum numero cum ardentibus candelis. Sepelitur autem fere super exiguum collem, vbi sepulcrum eius est iam antea factum ex quadrato lapide. Iuxta sepulchrum defigunt erectam pinum arborem, quæ si forte collapsa iacet humi, non aufertur inde, sed relinquitur ibi donec vetustate consummatur; habent enim pro re consecrata. Qui funus sequuntur, ducunt secum Musicos & Cantores, qui sine intermissione ludunt canuntque, donec cadauer in conditorio positum sit. Est autem magnificum præ cæteris sepulturæ genus, cuiquam plurimi sacrificuli intersunt, & libitinarii & præficæ. Dum enim illi ludunt, canunt hi lessos næniasque suas, intermiscentes preces, quibus Idola sua deprecantur. Postremo comburunt plurimas chartas, in quibus depicta sunt mancipia, equi, vasa aurea argenteaque, preciosæ vestes, & alia multa, quæ mortuum in altera vita habiturum omnia nugantur. Propinqui eius toto illo tempore lugubri vtuntur veste, sago videlicet laneo crassiore, tecti caput pileo grandi, cuius margo latior in oculos vsque dependet. Patrem vel matrem per biennium lugere iis mos est; quod si filius defuncti Præfecturam alicuius prouinciæ obtineat, non raro ab ea discedit, impetrata à rege abeundi licentia. Qui remotiori gradu defunctum contingunt, paucis mensibus lugubri vtuntur, nonnulli etiam statim ponunt pullam vestem, cum à sepultura domum venerunt. Hæc de eorum sepeliendi ratione dicere habuimus.

Etsi in hoc regno vites sunt, præsertim in 18
montibus collibusque, vinum tamen ex vuis non exprimunt, vt apud nos fit, sed nouerunt artem recondendi vuas, vt eæ in hybernum vsque tempus seruentur. In huius vini vicem exprimunt succum longe optimum ex herba quadam nomine *China*, quem calide bibunt, sicut & Iaponenses faciunt. Hic potus expurgat phlegma, medetur grauedini capitis & lippitudini oculorum ex catarrhis: breuiter, huius potus beneficio plerique ad longæuam senectutem peruenire solent, à morbis corporis fere immunes.

Nimium Æstatis feruorem miro artificio mitigare nouerunt. Deprimunt in terram fossas cauernasque satis profundas, ex quibus receptum desuper & in partibus subterraneis refrigeratum aerem, in quamcunque domus partem velint, emittere possunt. Annos suos numerant per duodecim menses lunares, vt post exactum tertium annum addant mensem vnum, incipientes annum à Nouilunio Mensis Martii. Ibi vulgo hilaria agitant, quod & quisque in Natali suo die facit, inuitantes se ad lætitiam, & offerentes alii aliis Strenas atque Xenia. In conuiuiis magnifici sunt, nullis parcentes sumtibus, comicosque tragicosque ludos de nocte ad cereorum lucem peragentes. Horum ludorum materiæ sunt vel fictiones Poeticæ, vel historiæ de antiquorum rebus præclare gestis. Post Histriones ingrediuntur Mimi, Saltatores, Petauristæ, & tota Gesticulatorum leuis natio. plateæ fragrantibus herbis sparsæ sunt, & odoribus aromaticis perfumatæ: parietes vero, & fenestræ aulæis peristromatisque vestiti, vici vero ciuitatis symphoniacis aulædorum citharædorumque perstrepunt concentibus.

In conuiviis vero hunc seruant ordinem. quinis inuitatorum suam peculiarem habet mensam, raro duo vna sedent, nunquam plures. ipsa mensa facta est è ligno nitidissimo, quale est Hebenum, perpicta variis bestiarum figuris, non tam coloribus quam lineamentis aureis, velut encausto: quod quidem peculiare Chinensium est artificium. de mensa dependent laciniæ sericæ preciosæ vsque ad terram. Assident conuiuæ singuli in singulis sedilibus, suis instructis puluinis, vt quies in iis commode capi possit. Vbi stratis ad hunc modum mensis conuiuæ consederunt, afferuntur cibi in sportulis, variis floribus fructibusque viridibus coronatis. Et quamuis Chinenses abundent volatilibus, ferina, piscibus ostreisque, adeoque omni cupedia-

rum genere: in primis tamen deliciis apud eos est caro porcina. Illos qui digitis apprehensum cibum ori inserunt, rusticitatis accusant, ipsi fistilis vel furcillis ad eam rem vtentes aureis argenteisve, vt buccellas digito non contingant. Crebrius bibunt & poculis minutis, quod sic melius restingui sitim credant. Adstant interea carptores & Pincernæ, ministrantque mensæ magno silentio, tenaces ordinis. Viri separatim cibum capiunt, fœminis alibi prandentibus, ob ingentem virorum Zelotypiam.

In salutationibus vtuntur inferiores erga superiores his ritibus. Manum sinistram arcte comprimunt, dextram vero sæpius admouent pectori, verbis vtentes modestissimis, & ad testandum affectum compositis. Diuites Magnatesque inrer se profunda (vt loquuntur) se inuicem salutant reuerentia, extendentes & incuruantes brachium in modum arcus, deinde pectinatim implicatis vtriusq; manus digitis, verbis ad adulandum factis, alteri alteros vrbanitate superare nituntur.

Sed iam de eorum ingeniosis inuētis aliquid dicendum est. Primum illud non est aspernandum, quod vstrinæ in fabricis eorum follibus non indigeant, cum aptissime dispositis tubis quibusdam aerem perpetua quadam reciprocatione ita attrahant, vt nunquam vento destituantur. Artem Typographicam, Tormenta igniuoma, Puluerem Nitratum Pyriumque iactant se aliquot seculis ante Germanorum inuentionem habuisse, vel potius alii de illis ita narrant. Aiunt enim regem quendam apud eos fuisse, Magicæ rei peritum, qui puluerem & tormenta illa cum instrumentis aliis bellicis excogitauerit: nos de eo cum nemine litigabimus. Illud sane constat Persas, Chinensium vicinos, ante conflictum in Armenia cum Selimo Turcarum Imperatore habitum, de tormentis æneis nihil vel fando accepisse, quæ ignorantia in causa fuit, quod Ismaelis Sophi exercitus à Turcis, qui in imperitos huius rei fulminabant, victus fuerit. Narrant quidam inuenisse eos singulare artificium fundendi machinas æneas, ita, vt in partes diuidi & velut resolui queant, atque ita iumentorum dorsis, siue etiam à baiulis facile de loco in locum deportari.

In scribendo foliis chartaceis vtuntur longis admodum, ducuntque lineas litteratas non à sinistra manu versus dextram, vt omnes populi Europæi: neque à dextra versus sinistram vt Hebræi & Arabes aliique Orientales: sed à summa paginæ parte incipiunt vsque ad infimam. Litteræ eorum Hieroglyphicis Ægyptiorum Notis non absimiles sunt: vnaquæque enim vocabulum significat præstatque; interdum etiam sententiam aliquam aut totam Periodum. Hæc nimirum est causa, vt huius regni ciues, etsi longissimis terrarum inter se dissiti spaciis, vt hi illorum linguam intelligere non possint, scriptas tamen litteras librosque impressos omnes facile assequantur. Est autem præter vulgatum vniuscuiusque Prouinciæ Idioma, alia quædam & peculiaris lingua, propria Doctorum hominum, quæ appellatur Lingua Mandarinorum, non ignota Magistratibus, Iureconsultis, Iudicibus, Scribis & iis qui Aulam Regis sequuntur.

Faciente iter non tantum vtuntur iumentis variis, sed & lecticis & pilentis, à bigis quadrigisve tractis, aliquando etiam curribus veliuolis, de quibus superius locuti fuimus. Nutriunt etiam magnaque cura instituunt aues, vt humana imitari verba & saltare discant, pingentes illas ornantesque ludicrum in modum. Nauigatio & Remigium eorum omnem prope fidem superat. Onerariæ eorum, quæ valde magnæ sunt, & *Ionquæ* appellantur, solo vento agitãtur, quædam etiam militariter instructæ sunt, habentes duo castella, vnum in puppi, alterum in prora: quibus autem vtuntur ad transportandas merces & grauia onera, humiles sunt & latæ velut corbitæ. Habent præter hæc etiam alia nauium genera, ab iis *Lantes*, *Bancones* & *Longas* vocitatas. *Lante* vna duodecim prægrandibus agitur remis, qui sex in vnoquoque latere, quaternis senisque hominibus ad quemque remum admotis. *Banco* dimidium numerum remorum habet & remigum. *Longæ* in multis respondent nostris triremibus, nisi quod tantum in fluuiis earum vsus est. Infinitæ etiam sunt naviculæ hinc inde ad ripas, quibus ditiores animi gratia per mare & fluuios discurrunt, habentes in puppibus ædiculas cum fenestris cancellatis, & ambitu ad instar porticus deambulatoriæ, omnia auro, argento & aulæis exornata, cum hortulis pensilibus in summa nauium parte, vt prope mari illudere videantur.

Picis & Bituminis loco illinunt carinas nauium suarum lenta quadam materia, propria ad necandas teredines in ligno nascentes. Sentinam è nauibus maioribus scite exhaurire norunt, maiore commoditate, quam haustra sunt Hydraulica in nostris nauigiis. Habitant autem integræ eæq; numerosæ familiæ in nauibus, non tantum in iis coquẽtes & victitantes, sed & cauponiam exercentes, negociantes, suaq, tractantes opificia: vtque vno verbo dicamus, sunt domus hæ mobiles atq; fluctuantes instructę omni supellectilis & deliciarum genere, vt vix in vrbe aliqua excipi possis lautius. Alunt hi Pandochei nauales magnum alitum aquatilium numerum, qui interdiu in mari nutrimentum quærunt, vespere ad nauim redeunt, ibique pernoctant. Aliud genus est earum auium, quę ex more volare & reuolare didicerunt ad naues, sed diuersimode: in campos enim oriza consitos euolant, ibiq; pascũtur, absumentes simul herbas & semina frumento noxia, magno agricolarum bono. Vbi vesper adest, ad sonum tintinnabuli, qui auibus notus est, repetunt naues, in quibus sua habent auiaria. Lembi ac scaphæ piscatoriæ magnum ciuibus vrbanis subuehunt piscium numerum. Primo vere, cum flumina colliquatis niuibus & pluuiis intumuerunt, adsunt pisces marini magna copia, & ostia fluuiorũ adscendũt,

allecti dulcedine aquæ pluuialis: nec minor hominum multitudo è vicinis partibus concurrit ad capiendos hamo pisces, estque quæstuosum illud tempus ob felicem capturam piscium.

Vtuntur autem præter vsitatas piscandi rationes alio quodam modo admodum iucundo. Alunt enim domi coruos marinos, vel mergos mansuefactos, è maiore genere, qui non aliunde quam esu piscium viuunt. His imum collũ vinculo intercipiunt, laxiore tamen, vt piscem quidem deglutire, in imum tamen ventrem demittere non possint. Hæ aues ad eum ornatæ modum, vbi emissæ sunt, statim ima viuariorum lacuumque petunt, captaque præda domum reuolant, quæ iis è gutture salua eximi potest.

Hoc genus piscationis per aues marinas multum affert magnatibus iucunditatis, per totum annum id exercentibus. Vidimus superioribus annis tale aliquid in Gallia apud Fontibellaquã, cum Angli quidam eiusmodi Phalacrocoraces adsuefactos haberent, quibuscum piscabantur, inspectante tota Aula Gallicana.

Non pauci sunt inter Chinenses, qui se studiis litterarum addicunt, rariores tamen ad Medicinam & Philosophiam Astrologiamque animum applicant. Fidem promissorum tamdiu præstant, donec necessarium & quæstuosum est. Peregrinos oderunt & suspectos habent, vt eos hospitio non accipiant, neq; multum cum ipsis versentur. Oppressi ære alieno vendunt liberos suos, vt se onere illo explicent, aut alia ratione infami se liberant. In cæteris inuentionibus suis videntur sibi omnium mortalium esse ingeniosissimi, multumque & crebris industriam suam iactant sermonibus dicentes, Chinenses solos habere duos oculos, Europæos vnum, alios cæcos esse.

11. Aditurus plebeius aliquis Loytiam siue Doctorem Promotum, eique locuturus, demittit se in genua, antequam ad eum perueniat, & sic genibus innitens ingreditur palatium eius, demisso capite oculisque ad terram. Vbi in medium cœnaculi peruenit, subsistit, exponitque desiderium suum voce humili & submissa, vel etiam libello conceptum exhibet. Adeptus responsum eodem modo genibus humi positis exit palatio, sed præpostere, ita ne vnquam dorsum obuertat Loytiæ, donec ab eo conspici potest. Si quis è vulgo in platea offendat aliquem illustri loco natum, aut dignitate eminentem, consistit immobilis, demisso capite taciturnus, donec alter præterierit: quod nisi faciat, fustibus sine dubio contundetur. Qui ab altero visitatur, deducit eum abiturientem non vsque ad ianuam duntaxat, sed per aliquam plateæ partem, honoris id habens amico. Quod sequitur, absurditatem potius aliquam quam ciuilitatem præ se fert. Si quis ex agro vel vrbe aliquem conuenire vult, eumque vel in limine ostii, vel in platea offendit, si is qui adeundus est, non satis comtus ornatusque sit, aut paratus ad excipiendum alterum: etiam compellatus ab hoc salutatusque nihil respondet, sed concitato gradu eum præterit, quasi eum non viderit. Domum vbi peruenit, induit vestes mundiores, atque ita pexus ornatusque prodit ad excipiendum alterum, læta facie, quasi eum aduentantem iam primum, antea non viderit: quæ quidem vera mihi videtur & mera stoliditas. Hospites siue peregrinos comiter accipiunt, apponentes iis ad primum aduentum fructus arborum & condita quædam aromatica, appositio simul potu per totum regnum vsitato, qui conficitur ex herbis quibusdam medicatis ad confortandum cor. Si quis peregrinum aliquem, vel etiam ciuem diu non visum in via offendat, statim scisciatur ex eo, an ientauerit prãsusque fuerit? negantem deducit sine mora in proximum diuersorium, soluitque pro eo Symbolum: quod quidem facile est factu per totum hoc regnum, cum hinc inde in vicis compitisque multæ sint Tabernæ, in quibus indulgere genio cuticulamque beare possunt, exiguo sane sumptu, cum omnia vili vendantur precio.

Si alter respondeat, prandium iam se saturumque esse, tum hic deducit eum in officinam quandam, vbi Salgama, Melimela, aliæque id genus cupediæ venduntur atque condituræ: & his velut bellariis mensisque secundis eum excipit. Mulieribus in vniuersum, siue eæ peregrinæ sint, siue ciues, plurimum honoris deferunt, easque per plateas incedentes officiose salutant, cauentes ne vel verbo eas offendant. Sunt autem capitales inimicitiæ inter Iaponenses & Chinenses, quarum hæc putatur esse origo. Cum ante multos annos coniuratio quædam in regem Chinensium detecta fuisset, statuit is atroci vindicta de coniuratis supplicium sumere: sic interfectis quam plurimis, cum eadem capitis sententia in cæteros omnes lata fuisset, intercedentes damnatorum amici apud regem obtinuerunt, vt supplicium capitis in exilium mutaretur; morte non futurum mitius: deportandos igitur eos esse in vicinas Insulas, desertas eas quidem & inhospitas: addentes, magnam hac mutatione pœnæ laudem clementiæ regem acquisiturum, si in liberos vxores que coniuratorum non animaduerteret acerbius. Motus horum oratione rex, quotquot conspirationi illi affines fuerant, nauibus impositos in Iaponiam Insulam deportari iussit, qui iniuriarum illarum & odii semina secum ferentes, ea subinde auxerunt: nam & nostro æuo Iapones excursiones faciunt in Chinenses, iisque damna inferunt vbicunque possunt: sed ne cum Chinensibus quidem mercimonia exercent, nisi interuentu Lusitanorum.

Ostendit se autem huius odii magnitudo e ingenti morum vtriusque gentis, non dico diuersitate, sed contrarietate, quam hic aliquo modo attingemus tantum. Pro eo quod Chinenses iis manus porrigunt quos salutant; Iaponenses exuti calceis pedes nudant in signum honoris. Chinenses hospites peregrinosq; stantes excipiunt: at Iapones sedentes, inciu-

litati

ſtatis nomine eos arguentes, qui aliquem ſtando excipiant. Exeuntes domo ipſi pallia deponunt ſiue togas, contra quam aliæ gentes, quæ palliatæ foras prodeunt. Dentes nigredine inficere ſtudent; albos contra damnant, vt & capillitium flauum. Lugentes mortuos albo vtuntur amictu, euntes ad conuiuia & hilaritatem, nigram ſumunt veſtem. Facientes iter in equis, domini præcedunt, ſerui ſequuntur, contra quam apud alios moris eſt. Mulieres quæ vterum ferunt, corpus arcte incingunt, reliquo tempore fere diſcinctæ: quod dicant hanc rem ad partus facilitatem conducere. Puerum in lucem editum frigida abluunt, puerperam vilibus cibis & parce quidem nutrientes: cum apud nos contrarium fiat.

Cibum capientes his vtuntur moribus. Ponitur cuique ſigillatim ſua menſa, ſine ſtrophiolo aut mappa. Cibum non digitis, ſed duobus ſpecillis ligneis capiunt, & ori inſerunt. Potum ex oriza factum vſque ad ebrietatem ingerunt. Poſt prandium porrigitur cuique poculum aquæ calidæ, quam ita feruentem ab igne bibunt, ſiue ſit hyems ſiue æſtas. Eundem prope morem obſeruant Turcæ in ſumendo potu ſuo Chaone, quem conficiunt è certis fructibus, baccis lauri valde ſimilibus, quod genus potus ab Ægyptiis appellatur *Bon* ſiue *Ban*. Sumunt autem illius fructus ſeſquilibram, ſiccatamque coquunt in viginti libris aquæ, vnde ſingulis diebus mane ſumunt poculum vnum calidę ſicut apud Europæos moris eſt, Aquam Vitæ ſiue Vinum Diſtillatum ſumere. Aiunt autem Turcæ, illa decoctione excalfieri & corroborari ventriculum, profligari ventos atque cruditates, & aperiri obſtructiones.

OPES ET DIVITIAE SINARVM.

Qui ampliſſimum hoc regnum inter opulentiſſima retulerit, imo qui omnium regnorum longe ditiſſimum locupletiſſimumque dixerit, noſtro iudicio nequaquam erraverit: cum omnibus rebus adeo abundet, vt non incolis duntaxat largiter ſufficiat, ſed & magnam partem vicinis exterisque ſubminiſtret. Et littus quidem maris, quod in incredibilem longitudinem porrigitur, portus habet multos commodoſque, ad recipiendam quantumuis magnam claſſem. Ipſi Chinenſes magnam vim auri argentique eruunt è terra, vt iam de reliquis taceamus metallis. Exportantur China multæ merces precioſæ, margaritæ, vaſa porcellana, pelles expetitæ, plurimum materiæ ſericæ, vt & lini, Xylini, Cannabis, cum incredibili omnis generis telarum copia. Accedit ſaccarum, mel, cera, rhabarbarum, radix China, Camphora, colores & pigmenta, rubea tinctoria, Iſatis herba, Moſchusque odoratiſſimus.

De prouentibus ipſius huius Monarchæ diuerſimode ſentiunt. Sunt qui eos ad XXVI. Milliones Auri quotannis extendant, quæ quidem auri vis tanta eſt, quantam ne tenaciſſimus quidem Romanorum Imperatorum Veſpaſianus toto vitæ ſuæ tempore colligere potuit. Non me fugit, multos de hoc dubitare: ſed tamen conſtat, ex ſolo portu Cantonenſi, qui non eſt inter quæſtoſiſſimos huius regni, regem ex vectigali ſalis percipere CLXXX. millia coronatorum, & ex vicinia ex decimis ad eum redire vltra C. millia. Hinc iudicium fieri poteſt, quantæ auri argentique maſſę quotannis in ærarium eius inferantur, ſi conſideremus multitudinem & magnitudinem Prouinciarum huius regni, cum infinito populo, cenſu ſingulorum capitum domuumque, contributionibus oppidorum, vectigalibus & decimis mercimoniorum fructuumque terræ: adde his metallifodinas, ſubſidia pecuniaria, tributa, exactiones accidentarias, & quicquid in hunc indicem præterea referri debet. Vt autem lectori dubitationem eximamus, operæ precium arbitramur, exactius omnia conſiderare.

Primo loco occurrit nobis numerus tributariorum, qui in vnaquaque ſunt prouincia, quorum catalogus eſt penes Præfectos Quæſtoresque regios, vt tributa ab iis exigere poſſint: vbi notandum eſt, tantum prope eorum numerum eſſe qui nihil pendunt, quam qui pendunt: cum Loytiæ ipſorumque domeſtici nihil ſoluant, vt nec qui in iudiciis vel officiis publicis: poſtremo quicquid eſt vſquam militum tam terra quam mari, ab hoc tributo immune eſt.

Sed ad Prouincias ipſas veniamus, ſecuti eos, qui de his rebus ſcripſerunt diligentius. Sunt in Prouincia Paſquienſi hominum qui tributum regi ſoluunt Milliones duo, præterea DCCIV. millia. In Cantonenſi Milliones tres, & DC. millia. In Foquienſi Milliones duo, & CCCCVII. millia. In Olamenſi Milliones II. cum CCXL. millibus. In Cinſaiana, Milliones tres cum CCCLXXX. millibus. In Suſuana Milliones II. & L. millia. In Tolanchiana Prouincia, vbi rex habitare ſolet, Milliones VI. & LXXXX. millia. In Caſaiana Milliones duo cum MCCCL. millibus. In Oquiamenſi milliones III. & DCCC. millia. In Auccheonenſi Milliones II. DCCCXL. mill. In Honamenſi Millio vnus cum CC. millibus. In Xantonenſi, Millio vnus, CMXLIIII. millia. In Quicheuana Milliones II. & XXXIIII. millia. In Chequeamenſi Milliones II. cum CCXLIIII. millibus. In Sancienſi, quæ prouinciarum minima eſt, Millio vnus DCLXXII. millia. Eſt autem hoc tributum, quod vnuſquiſque, qui domicilium & focum habet, ſoluit quotannis duas Maſas, quæ ſpecies eſt monetæ, valens duos Regales Hiſpanicos. Etſi autem hoc tributum videtur eſſe exiguum, & ab eo multi, de quibus ſupra diximus, exempti ſunt, tanta tamen eſt populi multitudo, vt detractis omnibus expenſis, in Perſonam aulamque regis, in ſtipendia militum præſidiariorum

riorum, in salaria ministrorum regni, in classes, in conseruandos portus marinos, in ædificia publica: tantum tamen regi supersit, quantum ex libro rationum regni Chinensis hic subiiciemus: quanquam Chinenses dicant, illas esse rationes priscorum temporum, & hodie in tanta regum opulentia multo minus pendi.

Auri puri siue Obryzi dantur ei Milliones CCLVI. millia & CM. Tahæ: Valet autem Taha decem regales nummos & XXIV. Maraiedas Hispanicas: Argenti vero defæcati, Milliones III. cum CLIII. millibus, & CCXIX. Tahis. Ex Margaritis, etsi non exacte rotundæ sint, redeunt ad eum Milliones duo DCXXX. millia Taharum. Ex Gemmis & Metallifodinis Millio vnus, & XXXV. millia Taharum. Ex vasis Porcellanis XC. millia Taharum. Ex Moscho & Ambra Millio vnus cum XXXV. millibus. Habet præter has diuitias hinc inde rex Agros Decumates, ex quibus infinita vis frugum ad ipsius quotannis redit granarium. Orizæ quidem modiorum Milliones LX. cum CLXXI. millibus DCCCXXXVIII. modiis. Ordei Modiorum Milliones XXIX. CCCXCI. millia, DCCCLXXXII. Modiorum tritici percipit Milliones XXXIII. cum XXVI. millibus & CC. Salis Modiorum XXV. Milliones, cum CCCXL. millib. & CCCC. reconditur autem sal iste in horrea siue Apothecas regias, donec tempestiue vendatur, vnde ingens lucrum accedit Ærario regio. Frumenti Indici, quod Mayz appellatur, cedunt regi quotannis Milliones XX. & Modiorum CCL. millia. Milii Modiorum Milliones XXIV. Panici Milliones XIV. & CC. modii. Auenæ & Leguminum iunctim Milliones XL. & CC. millia modium.

Materiæ sericæ factæ infectæque, vt & gossipii, atque inde confectarum telarum tantum est, vt nec satis iniri ratio, nec numerus latinis verbis commode exprimi possit. Hæc autem omnia colliguntur pro rege Sinarum, qui omne, quod non impendit in magnificentiam splendoremque aulicum, in suum infert Ærarium atque Gazam, in quo ærario, quanti insint thesauri, ex supra dictis colligi potest, si modo tantæ diuitiæ ab humana mente cogitari colligique possunt.

ROBVR ET POTENTIA.

25. Qui non ignorat, in multitudine hominum alicuius regni vires omnes & potentiam consistere: qui item cogitat, infinitum hominum numerum in huius Monarchiæ prouinciis contineri: dubitare non potest, quin regnum Chinense sit validissimum potentissimumque. Vt autem exacti aliquid de hoc regno dicamus, apparet maiores eius vires ad defendendum quam ad acquirendum: & ipse quidem Monarcha hic magis intentus est, vt sua conseruet, quam vt aliena acquirat: cuius rei sufficiens est testimonium Murus ille longissimus irruptioni Tartarorum oppositus. Et potest sane is bona ratione contentus esse, cum vix vllus per totum terrarum orbem Princeps cum eo conferri possit. Quod si vel maxime exterum aliquem Regem bello aggrediatur, vix tamen sperandum est, vt id prospero cum successu fiat: quamuis enim multitudine hominum abundet, plerique tamen dissoluti sunt & imbelles, ob voluptates quibus immersi sunt, ob seruilem regnandi modum, quo oppressi sunt, & timorem perpetuum in quo continentur.

Ad perfectiorem autem cognitionem potentiæ Chinensis, considerandus est huius regis apparatus bellicus, genus militum, & ordo quem obseruat in defendendo regno suo. Etsi enim iam ab aliquot Monarcha iste pace fruitur annis, nunquam tamen futuri belli cogitationem ex animo deponit, inprimis Tartarici.

Habet igitur in vnaquaque prouincia Senatum Militarem, Præfectum Copiarum, & certum quendam præsidiariorum numerum, vt si se occasio vel necessitas offerat, breui tempore magnus conscribi queat exercitus, vel terra vel mari militaturus. Sunt enim non in Prouinciis duntaxat, sed & in singulis vrbibus præsidiarii cum tribunis suis, qui de die stationes habent ad portas, de nocte excubias magna diligentia obeunt, non secus ac si Hannibal ad muros esset. His inuitis ingredi vrbem nemo potest, sed nec egredi, nisi de voluntate Iudicis Vrbani vel Tribuni militaris: in hac enim parte omne robur ciuitatis situm putant, hic collocant tormenta, huc intenti sunt omnes. Cum nocte claudunt portas, charta glutine illita inducunt iuncturas valuarum, easque sigillo Gubernatoris vel Iudicis annulo signant, fiuntque tam mane quam vesperi omnia per homines fidos. Cum autem portæ ciuitatis non nisi orto Sole aperiantur, oportet viatores, qui altero die mane proficisci volunt, in suburbiis pernoctare. Vigiles nocturnos singulis horis mutant semper tribunis ordinumque ductoribus excubias obeuntibus. Vt autem quies in ciuitate conseruetur, nulli licet armato obambulare, nisi sit miles stipendio regis addictus: sed nec arma domi habere, aut cum telo ruri ambulare licet vlli. In Vrbe vero Xuntien siue Quinzay & oppidis vicinis habet rex perpetuo magnum equitum peditumque numerum, qui in omnes futuros casus expediti sunt vtque simul custodiam agant corporis Regii.

Cæterum militum huius regni duo sunt genera. Primum est eorum qui in Vrbibus nati præsidiariis velut hæreditario iure adscribuntur, & hos ipsi sua lingua *Cumos* appellant; succedit enim filius patri, qui si decedens filium non relinquat, mittitur alius à Rege. Reliqui mercenarii, vel in mensem vnum, vel in annum stipendiis addicti, suntque hi ipsi qui excubias obeunt, & Tribunos lustrantes vigilias comitantur, quorum sequuntur imperia quo-

quocunque ire iussi fuerint, & hi à Chinensibus *Poni* vocantur.

Habent autem milleni quique singulos signiferos & Chiliarchas, qui à supremo copiarum duce dependent: vnde illi, qui velit inire numerum exercitus, suffecerit numerasse signa, vnde tot Chiliadas colligunt. Habet autem quisque tam Chiliarcha quam Centurio domicilium, in ipsis structum mœnibus, ipsius inscriptum nomine, in quo tantisper commoratur donec bellum est. Exercent autem Tribuni & centuriones, milites singulis mensibus in armis, siue pax siue bellum sit, vt dextri sint in tractandis sclopetis, hastis longis, gladiis variis, clauis, & scutis clypeisve prætendendis, vt & in acinacibus, crescentis Lunæ faciem referentibus, aliisque armis prophylacticis. Equites quaternos gladios, à sella equi dependentes in aciem ferunt, sed binis tantum semel rem gerunt mira dexteritate. Bellum siue aciem intrant cincti numero seruorum & domesticorum, qui equites dominos sequuntur pedites, probe armati. Peditum Equitumque par est in bello experientia & calliditas, vtrique enim variis nouerunt vti stratagematibus, non solum ferro in hostem, sed & artificiosis ignibus dimicantes. Arma Equitum sunt præter duos illos, de quibus diximus, gladios, arcus cum sagittis, & lancea: quidam etiam sclopetos ferunt manuarios.

In regendis equis parum ostendunt scientiæ, quod profrenis lupatisque ori eorum rude quoddam ferrum iniiciant, clamoribus potius & flagris quam freno habenisque vtentes. Ephippia eorum ruditer admodum facta sunt, armatura & ornatus equorum omnis leuis: & vt verbo dicam, sunt equites non magnæ efficaciæ.

Nec minor rei marinæ cura huic regi quam militiæ terrestris: vnde semper in promtu habet instructas classes cum Nauarchis ducibusque suis, qui obeunt littora maris totius regni. Soluuntur autem bona fide, & multo maiore, quam apud nos, sua militibus stipendia, iique qui fortiter fecerunt, honestis afficiuntur præmiis. Captos in bello necare non solent, sed eos velut æterno exilio damnatos, mittunt in longinquas regiones, vt ibi in præsidiis statiuis ætatem exigant, vbi tamen non minora quam cæteris soluuntur iis stipendia. Distinguuntur proscriptitii hi milites à cæteris pileo rubro, in cætero nihil à reliquis differentes amictu.

Restat, vt deinceps videamus, quantum militum sit cum in toto regno generatim, tum in vnaquaque prouincia. Et de Senatu quidem bellico in quaque vrbe diximus, qui constat Senatoribus quatuor & Præside vno, quibus incumbit cura defendendæ prouinciæ. Mittunt hi ab Metropoli in cætera loca omnia quæ sunt ad gerendum bellum necessaria. Imperatum autem est Quæstoribus, vt sine mora iis pecuniam depromant, neue sint in damno. Fuit autem numerus militum in vnaquaque prouincia anno A N.C. MDLXXVII. quo anno alta pax erat, & Martinus Herradus in hoc regno fuit, talis.

In Prouincia Pasquiensi siue Paguiensi, in qua ipse Monarcha suam habet regiam, erant Peditum quidem Milliones II. & CL. millia. Equitum CCCC. millia.

In Prouincia Cantonensi peditum CXXVI. millia, equitum XL. millia.

In Foquiensi LVIII. millia CM. peditum, equitum MMCCCC.

In Olamansi LXXVI. millia peditum & CCC. equitum XXV. millia.

In Cinsaiana LXXX. mill. & CCC. peditum, equites prope nulli, quod tota prouincia montibus asperetur.

In Oquianensi pedites sunt XXVI. mille, & DC. equites tantum mille, ob eandem rationē.

In Susana peditum LXXXVI. millia, equitum millia XXXIV. & D.

In Tolanchiana, quæ Tartarorum fines attingit, Milliones sunt peditum duo & DCCC. millia, equitum CCLXXX. millia. Putanturq; hi totius regni longe optimi, celeberrimique, quod inter arma nati, & à puero bellis Tartaricis exercitati habeantur.

In Cansaiana numerantur peditum L. millia, & XX. millia CCXXV. equitum.

In Honanensi sunt peditum XLIIII. millia, equit. XVIII. millia.

In Quicheuensi pedit. LVIII. millia & DCC. equitum vero XV. millia & CCC.

In Chequeamensi pedites sunt XXXIIII. mille, equitum XIII. millia.

In Sanctiensi peditum millia XL. equitum millia VI.

Hanc computationem Martini si sequamur, conficient milites harum XV. Prouinciarum in vniuersum, Milliones quinque peditum, cum DCCCXLVI. millibus & quingentis peditum. Equitum vero, CMXLVIII. millia, cum CCCL.

Sunt autem equi eorum apti ad conficienda itinera, parui tamen maxima ex parte: quanquam non desint, qui in interioribus regni satis grandes & validos reperiri affirment.

In finibus huius regni crebra assurgunt castella & propugnacula: sed vbi Tartari confines sunt prælongus iste structus est Murus, qui instar valli fortissimi huic regno prætenditur. Quod si quæ ab illis partibus immineat belli tempestas, ad primum signum, quod custodes illius muri proposuerunt, concurritur ad turres & propugnacula, estque tota vicinia in armis. Et vt vno verbo multa dicam, custoditur hoc regnum summa diligentia, tam à mari quam terra, vt vix fieri posse videatur, vt ab vllo Principe bello impune tentetur aut inuadatur.

Sed videamus porro, quos potentissimus hic rex vicinos habeat, à quibus aliquid periculi metuere possit. In continente quidē non est, cur vllum formidet regē, præter Magnū Chamū Tartarorum. Verum ab altero latere, qua Orientem respicit,

respicit, Iapones habet obiectos, & Hispanos siue Lusitanos. Et distantia quidem Iaponiæ Insulæ ab China multum variat. Nam à Gotæa Insula Iaponiæ vsque ad vrbem Liampon numerantur milliaria LX. ad Vrbem Vero Cantonensem millia CCXCVII. Sunt autē Iapones veteri quodam instituto Chinensibus molesti, piraticam exercentes, & obiecta Sinarum littora infestantes, latrociniis rapinisque magis quam aperto bello rem gerunt, quod Iaponia in plures sit diuisa principatus, quibus omnibus inter se parum conuenit, vnde non iunctim, sed exiguo militum numero Chinenses inuadunt. Sunt tamen Chinensibus animosiores & bello meliores. Alia ex parte Philippinas Insulas, quæ Hispanorum Regi parent, obiectas habent Chinenses, quæ Insulæ his non sine causa suspectæ sunt, cum is sit earum situs, vt non parum possint Chinensibus creare incommodi, quod & Lusitani facere possunt, Hispano regi & ipsi parentes. Permisit tamen his Monarcha Sinarum, vt in parua Insula Macaone sua exerceant cum Chinensibus mercimonia, vbi fundauerunt Lusitani coloniam, sed imbecillam, quod coloni illi nimis premantur à Chinensibus, parum fidentibus Lusitanico nomini, ob amicitiam quæ his est cum Hispanis, Manillam & Philippinas incolentibus. Vnde singulis annis Lusitanorum deteriorem reddunt conditionem, imminuentes eorum priuilegia, & id agentes, vt eos sponte cogant Insula decedere & repetere Indiam.

Modus Gubernationis.

29. Omnes illæ tam vastæ & populosæ prouinciæ, quas supra non semel recensuimus, omnes inquam vni parent Regi siue Monarchæ, neque hic noti sunt Duces, Marchiones, Comites, aut alia nomina, quibus pendantur præter regem tributa & exactiones. Solus Rex distribuit Officia, solus creat Nobiles, vnde non solum colitur à suis, vt Rex, sed adoratur vt Deus. Est enim in vnaquaque Prouincia statua regis aurea, velo tecta, nisi cum Noua Luna est, tunc enim adsunt Magistratus coram imagine illa in genua procumbentes, nec minorem quam ipsi regi præsenti simulacro honorem exhibentes. Hac re penitus deiiciuntur animi multitudinis, vt se potius mancipia aut seruos quam ciues regni intelligant.

Leges suas ante bis mille annos scriptas esse aiunt, in quibus nihil ad hunc diem mutatum sit. Cumque Iurisprudentia sit porta & aditus ad honores & officia publica, complures illi scientiæ operam dant, semper disputantes de rebus politicis & rationibus bene administrandi Rempublicam. Iidem magna cum cura inquirunt in peregrinos, qui portus marinos intrant, quid rerum gerant.

Professores bonarum litterarum in omnibus vrbibus, Regiis aluntur stipendiis. Ad scholas mittuntur pueri à prima infantia, facti adultiores & doctiores, ad Academias transscribuntur, vbi accurate obseruantur à Præceptoribus. Ignaui aut petulantes prima vice verbis reprehenduntur: secunda verberibus increpantur, tertia relegantur atque proscribuntur. Strenui industriique conuenientibus afficiuntur laudibus & præmiis.

Visitator Regius prouinciam ingressus, præconis voce proclamari publice iubet: si qui Scholasticus adspiret ad gradum Loytiarum (qui iidem sunt qui apud nos Doctores) vt is in præcipuam prouinciæ Vrbem se conferat. Vbi ad dictum diem omnes conuenere, & coram Visitatore comparuerunt, conscribit hic eorum nomina, constituitque diem, quo subituri sint examen: qui dies vbi adest, inuitat Visitator quotquot in vrbe sunt Loytiæ atque viri litterati ad conuiuium, quo finito examinantur Candidati summo rigore, propositis quæstionibus de Legibus & Statutis regni.

Quos aptos & sufficientes probæque insuper vitæ agnoscit, ad certum diem adesse iubet vt Doctoratus insignia illis conferantur. Sunt autem hæc: cingulum sibulis clausurisque aureis, & pileus, à cuius posteriore parte duo lemniſci dependent. Significat autem vox Loytias non tantum Doctorem, sed & Equestrem Ordinis virum: vnde duplices sunt Loytiæ: quibus litteratum scientia gradum contulit: & quibus gratia Regis, quasi Doctores Bullatos dica. Differunt hi tamen inter se dignatione, etsi eodem vtantur titulo. Consiliarii enim regii, Proreges Rectoresque Prouinciarum, & Visitatores Regii, omnes per examen Loytiæ facti sunt; at Præfecti copiarum, Quæstores, Iudices, et velut beneficio ob merita à Rege affecti sunt; & horum quidem magnus est numerus.

Sunt & alii, quorum non exigua est auctoritas, sed hi in secundo gradu dignitatis constituti sunt, qui in bello fortiter fecerunt, Equestri cingulo per eos donati, qui Regem in militia representant, adhibitis oculatis testibus fortitudinis virtutisque eorum. His præter titulum dantur facultates, quibus se honeste alere possint, vt eorum exemplo allecti milites, & ipsi in strenuitatis virtutisque studia incumbant. Creatus Loytias siue Doctor ad hunc modum per ciuitatem incedit, Die constituto, quo insignia & dignitas Loytiarum conferri debet, conueniunt rursus omnes Loytiæ cum Visitatore in domum Regia.

Ibi ingrediuntur ordine candidati, splendidissime vestiti omnes, habens quisque Patrinum suum secum. Ibi desidentes in genua, supplici voce petunt à Visitatore dignitatis insignia. A hic eos prius præstare Sacramētum iubet, quod tale est. Iurat futurus Loytias, facturum se in commisso officio & Magistratu, quod virum bonum deceat, dicturum ius æqualiter omnibus, neque se accepturum munera. Regi se ante omnes fore fidum, non venturum in partem conspirationis aut proditionis aduersus eum: à bono ciuis officio nunquam discessurum: & alia, quæ commemorare longum foret. Iuramento ac

hunc

ſiunc modum præſtito, viſitator illos regis nomine alloquitur, iisque confert Titulos & Inſignia nouæ dignitatis, eoſq; amplexatur, quod & idem faciunt reliqui quotquot adſunt Loytiæ.

Peractis his ceremoniis egrediuntur domo Regia pulchro ordine, ſonantibus campanis per Vrbem, quarũ magnus eſt in toto regno numerus, eodemq; momento exploduntur tormenta ænea in muris diſpoſita. Inde deducuntur noui illi ſiue Doctores ſiue Equites per totam vrbem, magna cum pompa, & ad hunc fere modum.

Totum agmen præeunt milites præſidiarii, cumq; iis tubicines, tympaniſtæ & Muſici magno numero, & caduceatores. Hinc ſequuntur Loytiæ equis vecti & coopertis curribus, ſuo quiſque ordine. Poſt hos videas incedere primo Patrinos, deinde nouellos illos Graduatos caligis indutos & thoracibus, inſidentes Aſturconibus albis, phaleratis & ſumptuoſe exornatis, cum inſignibus Doctoratus & pileis, qui non multum differunt à mitris Epiſcoporum, à quibus itidem lemniſci illi dependent. Pileis illis ſine mitris affixæ ſunt binæ corollæ, ex auro vel argento deaurato, factæ in modum rami ab arbore palma defracti. Vnumquemq; eorũ præeunt ſex arculæ ligneæ, ſingulæ à quaternis viris geſtatæ, in quibus aſſeruatur tela ſerica, inſcripta nomine, titulis & armis noui promoti. Ab eo die (vt iam cætera, quæ nimis operoſa ſunt, omittamus) nouellus Loytias creditur capax eſſe Præfecturæ cuiuſcunque, quam vt obtineat, è veſtigio Regiam petit, vbi ei honor habetur ab omnibus Aulicis, aſſignaturque locus in aliquo Palatio Regio, quæ his vſibus deſtinata per ciuitates ſunt. Ipſe viciſſim multum exhibet reuerentiæ Præſidi, Auditoribus, Conſilioque vniuerſo regis, quorum nemo non ſuam ei defert operam, & in promouendo ſuffragium fauoremque.

Eſt in vrbe Xuntien Senatus ſiue Curia, conſtans Præſide vno, & Auditoribus XII. hominibus vſu & experientia rerum verſatiſſimis. Qui Senatorium affectat gradum, præterquam quod in Philoſophia morali & naturali eum verſatum eſſe oportet, & Legum Regni expertiſſimum, neceſſe eſt, vt etiam ſit peritus rei Aſtrologicæ, hanc ſcientiam Rectoribus tanti Imperii neceſſariam eſſe affirmant. Conuenit autem hic Duodecemuiralis Senatus in Palatio Regis vbi in cœnaculo ampliſſimo XIII. poſita ſunt tribunalia: ſex inaurata, ſex deargentata, decimum tertium autem cætera ob gemmarum & margaritarum copiam multis modis vincit. Cõſiſtit hoc tribunal ſub vmbone ſeriço vel è panno aureo, in quo depicta ſunt arma Regis, quæ ſunt, intexti ſerpentes filis aureis. In hoc throno aſſidet Præſes Senatus, niſi Rex ipſe in Senatum veniat, quod tamen raro contingit. Si tamen is adſit, Præſes ei cedit, proximumque locum ad manum dextram occupat. Si quam ſedem vacare contingat, eligitur à Præſide & Auditoribus nouus Senator, quem abſentem in prouincia, ad Regem deducunt, reddentes rationem electionis ſuæ: hunc deinceps rex vel approbat vel reiicit. Si approbet, præſtat Electus regi iuramentum, in eandem prope ſententiam, vt ſupra narrauimus. His actis deducitur in tribunal ad ſiniſtram manum poſitum, inq; numerum Senatorum recipitur. Cum rege nemo loquitur, niſi præſes, aut eo mortuo, maximus natu è Senatoribus. Nouerunt autem hi Senatores ſingulis menſibus quid in quaq; prouincia memoria dignum accidat, perſcribẽtibus ad ſummam hanc Curiam omnia præfectis Rectoribusque regionum, nihil impediente prouinciarum diſtantia, quarum quædam ad quingentesimum milliare à Curia abſunt. Hæc vbi exacte intellexit Præſes, refert ad regẽ, & ſi res aliqua remedio indigeat, dant operam Senatores, ne quid detrimẽti Reſpublica capiat. Si quis iudex in prouinciam mittatur, vt res inſpiciat, ſecretiſſime proficiſcitur, ne aduentus eius prouincialibus innoteſcat. 32.

Etſi autem magna eſt primariis Miniſtris Regiis auctoritas, nemo tamen vel Prorex, vel Gubernator, vel Iudex ſupplicio capitis quenquam afficere poteſt, niſi capitalis ſententia à Rege confirmetur, excepto cum bellum eſt, ibi enim licet ſummo copiarum præfecto aut Legato eius militem nocentem interficere, non conſulto rege vel ſummo Senatu: ſufficit enim ſi Præfecto Ærarii & Magiſtro Caſtrorum id innoteſcat, quorum in hoc puncto ſumma eſt auctoritas.

Reguntur vero Prouinciæ Paquienſis & Tolanchienſis à Summæ Curiæ Regiæ Aſſeſſoribus, interuentu Miniſtrorum vel Præfectorum inferiorum; at reliquæ XIII. Prouinciæ ſingulos ſuos habent Proreges, quos ipſi *Inſuantos* vocant, qui ſemper in primaria ciuitate habitant. Etſi autem Gubernatores omnes communi nomine ſeſe Loytias appellant, aliud tamen ſemper cognomen addunt, pro ratione Præfecturæ aut Officii quo funguntur.

Summum Magiſtratum in Prouincia gerit Vicerex, qui ab incolis *Comon* vocatur: proximus ab eo dicitur *Inſuantus*. Rector Ciuitatis, in qua non eſt Gubernator, appellatur *Tutanus*. Hic ea quæ maioris momenti ſunt, ad Inſuantum refert, Inſuantus ad Comonem, hic ad Auditores Summæ Curiæ, & hi porro ad Regem.

Quartus Magiſtratus dicitur *Ponchaſis*, eſtque ſupremus Quæſtor in Prouincia, ſiue, vt noſtro more loquamur, Præſes Conſilii Financiarum. Habet hic ſub ſe Quæſtores inferiores, Miniſtros Rationales & Exactores Tributorum. Collectas pecunias Ponchaſis ad Tutanum defert, qui velut ſupremus eſt regiorum Computorum Magiſter. Quintus appellatur *Anchaſis*, eſtque Præſes Iuſtitiæ in cauſis criminalibus & ciuilibus. Hic cum collegis ſuis Iudicibus decidit omnes litigantium controuerſias, inprimis cum ab inferioribus tribunalibus ad eum prouocatio facta eſt. Sextus vocatur *Aytao*, eſtque Præſes Conſilii Bellici, penes quem eſt conſcribere milites, ſi o-

pus sit, & instruere naues, & expedire commeatus, & præsidiis munire fines regni. Hic rationem reposcit à peregrinis, qui veniunt in prouinciam, quæ causa sit aduentus eorum. Horum autem sex Magistratuum quiuis habet suos Assessores & Consiliarios, numero X. quorum de sententia res omnes expedit.

Cum in Prætorium hi conuenere, sex considunt ad dextram Præsidis, sex ad sinistram: qui ad dextram considunt, eorum cingula aureis fibulis bullisque ornantur: qui ad sinistram argenteis. Illorum operimenta capitis sunt coloris flaui, horum vero cærulei. Gestant autem tam Præsides quam Senatores in pectoribus humerisque suis arma Regis, opere phrygio vestibus intexta, neque sine hoc amictu vllum actum solennem exercere possunt: quod si negligant pœnas graues non euitabunt.

33. Præter Iudices superiores sunt etiam alii velut subalterni, inter quos est qui *Cantoc* vocatur, Vexillifer Regius: & *Pochinus*, Subpræfectus Ærarii: & *Pochinsius*, custos sigilli regii: & *Auzatzius* Præpositus ciuium. Super hos sunt alii tres, velut Alcades, Præpositi aut Iudices in Hispania, qui ius dicunt in suis domibus, quauis septimana semel: cumque tempus est audiendi litigantes, dant signum explosis quatuor tormentis minoribus, vt omnes adesse & sententiam audire possint. Quod si quis reus vadimonium deserat, vocatur per apparitorem, proposita tabella, qua pœna perscripta est, quæ contumaci sit irroganda. Habet autem quiuis ex his iudicibus mille habitatores sub sua iurisdictione, quæ non extenditur latius, quam districtus eius patet. Hi & noctu per vicos vrbis obambulant, curantes vt omnia etiam in priuatorum ædibus tranquilla sint, vtque focus diligenti cura custodiatur, cum magnum sit à fortuito incendio periculum, domibus fere contiguis & è ligno fabricatis, quales in Cantabrorum regione videmus. Si quis vltra præfixum tempus domi lumen habeat, multam incurrit. Datur autem ab his prouocatio ad Præpositum vel Iudices Curiæ non vero ad alios, excepto Visitatore Generali, qui cæterorum omnium errores & delicta corripit, ideoque dicitur Chinensium lingua *Hondin*, id est, Reparator Mali.

Præfectus Annonæ Chinensibus *Tompo* dicitur: at qui in errones & ociosos Planetas animaduertit, *Tribuc* vocatur. *Quincheus* est Commentariensis, qui curam gerit captiuorum: & hic quidem stans erectus cum Iudicibus loquitur, cum cæteros genibus innixos loqui oporteat.

Cæterum id vnice operam dant, ne Prorex aut Gubernator, qui in Prouinciam mittendus est, vt & Auditor vel Iudex, in ea natus sit, vel ex ea vrbe, cui præfuturus est, genus ducat, gnari, multa sæpe à Iudicibus dari gratiæ consanguineorum, & ex altera parte odia partium sæpe corrumpere iudicia. Ne autem paupertate coacti munera accipiant à litigantibus, Rex iis opima præstat salaria, contra autem capitale est Iudicibus, si se muneribus donisque corrumpi sinant. Quod si qui aliorsum ad exercenda iudicia mittantur, iniungitur iis seueriſſime à summa Curia, ne quem litigatorem aut actorem causarum domi audiant, neue sententiam pronuncient, nisi in pleno iudicum auditorumque consessu.

Iudex, vbi consedit, adsunt ad fores Ostiarii & Apparitores, citantque nomine eum, qui ius sibi dici cupit. Ingressus cliens in genua subsidet, longius tamen à Iudice, exponitque vel voce viua vel scripto suum desiderium. Si scripto: accipit illud tabellio, legitque coram Iudice: qui audita querela supplicis, decernit quæ iusta videntur, subscribitque decreto sua manu, non atramento sed succo rubicundo.

Iubet autem Lex regia Iudices ieiunos audire litigantes, quæ quidem lex strictissime apud eos obseruatur, punitis secus facientibus. Muneribus ad peruertendum ius corrumpi nemo potest, vt non rescisant reliqui in iudicio, ob causas quas supra adduximus. Si quis in hoc genere damnas fuerit, vsque adeo castigatur, vt etiam à carnifice aliquot ictus, ob quam causam ipse tamen infamis non fit, quod crebro ita vsu venire soleat.

Aguntur autem omnia, tam in ciuilibus quam criminalibus Iudiciis, scripto, vnde acta litis emergunt, & examinantur testes coram Magistratu, ne quod crimen aut falsitas concurrat. Auditur vero quiuis testis separatim, qui si diuersa aut contraria deponant, omnes in eundem locum iuxta sistuntur, vt alii alios confutent, donec pateat veritas: quæ si elici à tergiuersantibus non possit, adhibentur quæstiones & fidiculæ: non tamen hæ locum habent in viris honestis grauibusque, quorum assertioni fides habetur. In causis magni momenti, vel quæ viros in dignitate constitutos contingunt, non fidunt iudices scribis aut tabellionibus, sed ipsi suis scribunt acta manibus, ne quæ fraus aut oscitantia interueniat: vnde fit vt nemo de iudicibus conquerendi causam habeat. Numerant autem Iudices in omnibus iurisdictionis suæ locis domos ciuium, consignantque eorum dena nomina in tabella, quam appendunt ad vltimam illius decuriæ domum. Quod si quis ex hac decuria in aliud oppidum siue aliam plateam in eadem vrbe migrare velit, aut iter longum atque periculosum suscipere, oportet eum eum tintinnabulo siue ærea pelui, quam increpat, per totam illam circumire plateam, decem diebus antequam emigret aut proficiscatur, vt tota vicinia intelligat de discessu eius, & si quid cuiquam debeat argenti, vt id prius dissoluat, aut si quam rem commodato accepit, vt ab eo repeti possit. quod si quis negligat, & tamen emigret, cogunt iudices reliquos nouem, quorum nomina in tabella perscripta sunt, æs eius alienum dissoluere,

dere, quod gnari eum mutaturum domicilium, id creditoribus eius siue iustitiæ non indicauerint.

Debitor, qui luere in ære vel bonis non potest, corpore luit, coniectus in carcerem, constituto ad solutionem termino, intra quem si non satisfaciat creditori, prima vice modice flagris cæditur, præfigiturque secundus terminus, quem si is non obseruet, flagellatur iterum, sed asperius: & sic tertio quartoque cæditur, semper crescente plagarum numero. Facit hæc seueritas, vt debitores magna cura cum creditoribus de solutione agant; captiui vero & verberati, si frustra amicorum & propinquorum opem implorauerunt, metu tormentorum vltro addicant se creditoribus in seruitutem. Fidicularum siue Tormentorum, quibus iudices ad exprimendam veritatem vtuntur duum generum, ea est acerbitas, vt rei ad conspectum eorum, vel etiam antequam in medium proferantur, vera proloquantur. Carcerum is est squalor & atrocitas, vt pœnæ potius quam custodiæ rationem habeant, & horrorem cogitantibus incutiant.

Etsi autem Iudicum officium non nisi per triennium durat, quo elapso reddere tenentur rationem omnium actorum: Rex tamen singulis annis mittit in prouincias Visitatores, viros Iustitiæ & prudentiæ laude claros, qui in iudicum acta inquirant: hos ipsi Chinenses *Leuchiæ* vocant. Hi si iudices in crimine deprehendant, possunt eos pro auctoritate punire, vel ad tempus ab officio suspendere, vel eo in integrum priuare: sententiam tamen capitis in eos ferre inscio Rege non possunt. Afficiunt etiam iidem Visitatores condignis præmiis, quos cum laude & fide in officio versatos comperiunt; vt tam metu pœnæ quam spe præmiorum recte faciant. Ex his omnibus colligi potest, regnum hoc optimo iure, æquissimisque regi legibus.

Suppliciorum apud eos varia genera in vsu sunt: Laqueus, Ignis, Scolopismus; quanquam Igne soli proditores regis puniantur. Adulteria capitalia omnino sunt, & qui his scientes conniuent, ad exemplum aliorum certis pœnis afficiuntur. Belli serere materiam, aut tumultus concitare nulli fas est: neque nisi de consensu regis nauigare Oceanum licet. qui negociandi causa è regno abit, cogitur vades sistere, se intra definitum diem reuersurum: id ni faciat aqua & igni ei interdicitur. Extraneus in regnum siue mari siue terra intrare non potest, nisi permittente Rege: omnia enim itinera & portus marini studiose obseruantur à viarum littorumque præfectis. Nostra tamen tempestate conniuent Portuum Præfecti exire è regno volentibus, interuentu muneribus, quæ iis Mercatores offerunt, quibus illi secreto licentiam dant, nauigandi in vicinas Insulas, puta Philippinas, aut ad littora Indiæ, factumque est anno A N C. MDLXXXV. vt tres naues Mercatoriæ Chinenses ad littus vsq; regni Mexicani accesserint. Tempus autem quod profecturis ad reditum constituitur, est XII. mensium.

Iidem Iudices & Gubernatores multoties 35
permittunt, mediante donatiuo, peregrinis, vt portus Chinenses ingrediantur, ibique vendant emantque, ita tamen ne per vrbes vagentur, aut curiosius perlustrent res ciuitatis. Datur autem eis hæc licentia inscripta tabellæ ligneæ, quam exotici mercatores in prora nauis sui erigunt, cum appellere volunt, ne à præsidiariis arceantur, sed exercere mercimonia cum indigenis possint, si Regi consuetum persoluerint tributum & vectigal.

Estque in vnoquoque portu scriba, qui annotat, quo die & hora quæuis nauis sit ingressa portum, vt quæque nouerit, quando exonerari debeat.

Hinc fit, vt quamuis non semel duo millia nauigiorum in vno portu stent, non maiore tamen tumultu & clamore onerentur, quam si duæ vel tres essent.

Pauperes in regno Chinensi non colligunt ostiatim stipem, neq; in Templis Idolorum suorum, sed interdicta est lege omnis mendicatio, cæterisque prohibitum, ne mendicantibus quicquam dent, sed eos ad Curatorem Pauperum deferant, qui horum necessitatibus ex officio prospicere debet. Hic ad certum diem per præconem proclamari iubet, si quis habeat liberos ita corruptis membris, vt laborare non possint, vti ad se deferat nomen eorum, quo eis ex prouentibus regiis prospici possit. Est autem lex, quæ iubet ostendi infantem, vt iudicari possit, sitne ad artem aliquam vel opificium admoueri idoneus. Si talis deprehendatur, præstituitur patri certum tempus, intra quod filium alicui opificio adhibeat, ad quod videtur aptissimus. Si vero mancus adeoque debilis sit, vt laborare omnino non possit, iudex suppeditari iubet patri eius tantum sumtuum, quibus filium ociosum alere possit. Si puer patrem non habeat, commendatur proximo agnato, præsertim si cum re sit ampliore.

Si pauperior sit, oportet cæteros omnes conferre ad pupilli nutritionem.

Si agnatis propinquisque penitus destituatur, recipitur in Orphanotropheium Regium, siue Domum Hospitalem, in qua aluntur etiam capti membris & decrepiti senes, vt & emeriti vulneribusque debilitati milites. Qui ad hunc modum aluntur, exire Xenodochio nisi de consensu Magistri non possunt: neque datur eis exeundi licentia, nisi cum necessitas sic exigit. Non autem plane ociosi sint Hospitalarii illi, incumbit eis cura nutriendarum gallinarum, anserum, porcellorum aliarumque pecudum minorum. Iudici subest Administrator, & vtrique imperat Visitator, qui sæpius inspicit eiusmodi domus Hospitales per prouinciam. Cæci non reputantur inter eos, quos vel propinqui vel rex alere tenetur, cum molere possint frumentum, & folles ducere in fabricis, &

eiusmodi perficere opera, ad quæ oculorum vsus non est necessarius. Puellæ destitutæ luminibus, ad nocturna gaudia in Lupanar includuntur, vbi omnes meretrices à Lenis & prostibulis exoletis in arte meretricia instituuntur. Relegatur autem omne hoc genus meritorium ab vrbibus in suburbia, habentque in his peculiares suos vicos, extra quos illis pedem efferre non licet, donec hoc quæstus genus exercent. Pauperculæ viduæ ad egestatem redactæ, possunt vendere liberos suos, vt se alant, & sunt quidem mercatores, qui magnum ex ea re lucrum percipiunt, cum teneras puellas emunt, easque docent cantillare, ludere fidibus, saltare, & id genus artes leues: cumque adoleuerunt, deducunt eas in Suburam, vt corpore quæstum faciant. Addicturi puellam quæstibus meretriciis, antequam eam prostituant, deducunt ad Iudicem, cui harum mulierum cura incumbit. Iudex acceptam eam manu, illi rei velut initiatam addicit, & ex eo tempore nihil in eam potestatis habet nutricius eius, sed venit singulis ad Iudicem mensibus, vt accipiat è quæstu meretricio, quantum ei à Iudice assignatur. Refunditur eidem & educationis precium, & quantum pro ea expositum, cum eam emit, postremo didactrum, quod eam in artibus illis ludendi saltandique eruditi curauit. Quod superest, Iudici cedit, qui curam earum gerit, eiusque nomine rationem quotannis reddit Visitatori. Vbi senectus eas deformes lippasque effecit, prospicitur iis alia ratione, ne egeant, esuriantve.

Pueri à pauperculis matribus venditi, ad opificia admouentur, quæ vbi didicerunt, seruiunt emptori nutricioque suo ad certum tempus, quo elapso, manumittuntur, vt vxorem ducere & se alere possint. Vicissim iuuenes illi, vt grati sint pro beneficiis oblata strena singulis annis patronos nutricioque suos honorant.

In emendis mercibus non vtuntur argento signato, sed ad cauendam omnem fraudem vendunt, emuntque appensis ad bilancen particulis argenti, in quem vsum secum ferunt forficem cum trutina in theca lignea. Si ponderosius aliquid examinandum est, habent Mercatores in domibus suis grandiores libras cum ponderibus signo regio notatis; neque cudunt monetam nisi cupream, valoris vnius Liardi, cuius singuli nummi perforati traiectique filo lineo cohærent: supplent autem hoc numismatis genere, quod maioribus nummis argenteis superaddendum est, aut vtuntur eo, cum res viliores emunt. Fœneratores, Pestis Reipublicæ, si vsuras vltra fas extendant, graui multa afficiuntur. Claudis tamen, mutilis cæsisque in hoc genere aliquid amplius licet.

Religio vel potius Superstitio Chinensium.

36. Sunt in vniuersum omnes Chinenses Idololatræ, exceptis oppido quam paucis, qui à Iesuitis ad Fidem Christi conuersi sunt. Habent autem Idola eorum nihil non horrendum & detestabile aspectu, quibus tamen infelices plurimum deferunt honoris. Tribuunt autem Idolo corpus propemodum humanum, à quo summo inter humeros prodeunt tria capita, se inuicem intuentia, quibus vna omnium voluntas, & sensus, vt ipsi quidem aiunt, intelligitur: vnde quis suspicari possit, percepisse illos aliquid de fundamentis Religionis Christianæ. Inueniuntur & apud ipsos picturæ XII. Virorum, ea prope facie ac habitu, quo apud nos XII. Apostoli pinguntur.

Si vero quis ex ipsis percunctetur, quinam Duodecemuiri illi fuerint? respondent, fuisse eximios Philosophos, & qui in laude & virtute vixerint, ideoque in cœlum translati fuerint. Conspicitur etiam apud eos imago mulieris supra modum pulchræ, quæ infantem vlnis complectitur, quam aiunt virginem peperisse, fuisseque filiam præpotentis regis.

Res omnes, siue cerni conspicique possint, siue non, ab ipso *Cœlo* creatas fuisse asserunt, ideoque id prima littera Alphabeti exprimunt non scribendo sed sonando: aiuntque Cœlo Legatum summum appellari *Lacon Tzautei*, id est, Gubernatorem Dei, cui & summum honorem deferunt post Solem. Hunc Gubernatorem cum cæteris creatum negant, sed ab omni æuo fuisse, neque eum habere corpus sed esse spiritum. Tertium quoque aiunt eiusdem esse Naturæ, quem *Cansaium* vocant, cui tribuunt curam rerum sublunarium, aiuntque in eius manu esse vitam & mortem hominis. Hunc porro Cansaium tres alios sub se Spiritus habere autumant, quorum ipse opera in officio suo vtatur. Nomina horum Spirituum sic exprimunt: *Tancam*, *Teiquam* & *Zuiquam*, quorum singulis singula adscribunt officia. *Tancamo* dant præfecturam pluuiarum & omnium aquarum, quibus irriganda est terra. *Teiquamum* præsidem statuunt natiuitatis hominis, aiuntque ipsum authorem esse bellorum, & segetum fructuumque. *Zuiquamus* eorum Neptunus, qui regit mare & nauigantes in eo. His variis Idolis repræsentatis nuncupant vota sua, dedicant ludos scenicos, quos & coram eorum statuis peragunt.

In numerum Sanctorum referunt ingentem mortalium numerum, breuiter quotquot aliis antecelluerunt robore & fortitudine in bello, scientia & industria, austeriore genere vitæ: vt & eos, qui vitam innoxiam vixerunt, aut multis aliis profuerunt, quos omnes vocant *Pausaos*, id est, Felices siue Beatos. Diabolo, cuius statuas detestandas & horribiles habent, sacrificia offerunt, improbum illum noxiumque non negantes, sed ne lædantur ab eo cum corporatum bona eorum. Reliquorum Idolorum cum non sit numerus, nos de præcipuis tantum mentionem faciemus.

Pri-

Primus Heroum siue Sanctorum inter eos appellatur *Sichia*, quem dicunt venisse ab Regno Trantheyco, quod in occidentibus sit partibus. Hanc autumant fuisse inuentorem vitæ religiosæ atq; monasticæ in regno, qui vna viuentes, à matrimonio abstinent, & in cœnobiis clausi ætatem agunt; cum Sichia ille caput caluum habuerit, abradunt capillos quotquot eius sequuntur instituta.

Deam siue Sanctam quam colunt, vocant *Quaninam*, aiuntque fuisse filiam Tzontonis regis, cui tres fuere filiæ, ex quibus duæ nupserunt: tertia Quanina elocari noluit, dicens se cœlo vouisse perpetuam virginitatem. Pater indignatus filiæ, inclusit eam in locum similem monasterio, vbi aquam hauriret, ligna portaret, & prægrande terræ spacium, quod sentibus & dumetis horrebat, perpurgaret. Narrant Chinenses, Simias vltro venisse, eamque iuuisse, sanctos vero cœlestes hausisse aquam, & bestias syluestres ligna è vicinis nemoribus supportasse. Pater hæc omnia Magicis artibus tribuens, iniici iussit loco ignem, vbi commorabatur. Sed effusis largiter imbribus ignis extinctus fuit. Vt igitur paternas effugeret insidias, aufugit occuluitque se in spelunca vicini montis, vbi sanctam sed acerbam egit vitam. At Pater à vermibus & lepra immedicabili consumtus, nequitiæ pœnas dedit. Huius morbo cognito filia, quæ diuinitus erudita fuerat, accurrit, vt ei sanitatem restitueret, qua visa æger cum conualuisset, ignouit filiæ eamque adorauit. Volente autem filia ab adoratione patrem deterrere, & super ea re cum eo litigante, interceſſit Sanctus quidam, dixitque, sibi non filiæ cultum illum exhiberi.

At illa confestim se in solitudinem recepit, ibique magna sanctitate reliquum vitæ exegit. Hanc adorant Chinenses, vt apud cœlum pro se intercedat & gratiam impetret.

Tertio loco ponunt aliam Diuam, nomine *Neomam*, ex vrbe Cochi in prouincia Oquiamensi oriundam. Aiunt hanc fuisse viri Principis filiam, quæ cum fugeret nuptias, se receperit in exiguam quandam Insulam, ex aduerso Ingoæ, vbi cum austeram vixisset vitam, post mortem multis claruerit miraculis. Ferunt autem Nautæ statuam eius in puppi nauium suarum erectam, eique vota & sacrificia offerunt. Ex his exemplis videmus, in quanto honore sint apud has gentes Monachi & Moniales.

Sortium genera apud eos plura in vsu sunt, præcipue autem duo, quorum prius est huiusmodi. Duas particulas ligni teretis filo colligant, quæ tamen ab vna parte planæ sunt. Has proiiciunt ante statuas Idolorum suorum, alloquentes prius Deastrum suum certis conceptisque precibus, orantesque, vt bonum aliquid pertendant Sortes, pollicentes viciſſim grata sacrificia. Si proiectæ Sortes ita cadant, vt pars plana se ostendat, aut vnum quidem lignum partem teretem, alterum planam humi obuertat, obscœnum interpretantur signum, conuersique ad Idolum, plaustra conuiciorum in illud despuunt. Satiati probris iniuriisque, ad blanditias & palpos conuertuntur, onerantes Deastrum promissis opimorum munerum & sacrificiorum, si Sortes ex sententia cadant. Si aliquoties abnuant proiectæ sortes, irati, corripiunt statuas siue Idola sua, eaque humo affligunt pedibusque calcant, vel in mare demergunt, aut igni admouent, vt amburantur paulum: aliquando cædunt ea virgis, flagrisque, idque tamdiu, donec Sortes illæ ligneæ ceciderint, vt ipsi optauerunt, id est, pars teres & rotunda sursum vertatur. Si vero Sortes mature arrideant, & bonum polliceantur euentum, instituunt festum in honorem Idolorum suorum, cantantes hymnos in eorum laudes, offerentes rostrum porcinum coctum, quem cibum existimant delicatissimum.

Vtuntur præterea & alio genere Sortium, quod tale est. Multa folia singulis litteris inscripta in vas quoddam coniiciunt, eaque inter se confundunt, versantes subinde. Post puerulum admouent, qui immissa in orificium vasis manu, folium aliquod extrahit, cuius conspecta littera, quærunt in libro, qui ad manus est, paginam, quæ ab illa littera vel nota incipit, postea interpretantur, quod in ea pagina scriptum est, vt videant, respondeatne votis suis an non.

Omnibus hic mos est Chinensibus, vt in graui aliquo morbo vel damno ad Diaboli opem confugiant, in quo inuocando his vtuntur ceremoniis. Extendit se vir quidam humi, ita vt ore terram contingat, at alius incipit è libro incantationes legere, cui pars adstantium cantillando respondet, reliquis impulsu tympanorum & tintinnabulorum sonum cientibus. Paulo post is, qui corpus ita humi extenderat, frendere dentibus, distorquere os, & horrendos ciere gestus incipit, vnde colligunt, Cacodæmonem iam in corpus eius ingressum. Tunc ii, qui consulunt oraculum, sciscitantur de dubiis euentibus ex obsesso, qui plerumque ambigue respondet, ita vt in vtrumque sensum responsum torqueri possit. Si Diabolo parum placeat verbis respondere, tunc obtinent ab eo responsum per litteras in hunc modum. Linteamen aut simile quid humi extendunt, spargunt-que æqualiter super istud Chœnicem Orizæ, & continuo admouent hominem qui nescit litteras, cum bacillo in manu, adstantes autem sonare atque cantare incipiunt, vt infra attingemus.

Paulo post intrat Malignus Spiritus in corpus illius, qui baculum tenet, incipitque dæmoniacus inscribere in orizam litteras siue notas, quas colligunt formantque in vocabula, vt inde responsum eliciant, quod tamen plerumq; vanum est & mendax.

In cæteris ita sentiunt; ab omni retro tempore Cœlum, Terram & Aquam vnum permistumque Chaos fuisse: ibi quendam nomine *Tayn*, summæ scientiæ & sapientiæ, Terram à Cœlo 38.

seperauisse; & cœlum quidem summas partes petiuisse, Terram vero imas, pondere suo depressam. Eundem Taynum ex nihilo creauisse virum *Pansonem* nomine, & fœminam *Pansonam*. Hunc rursum Pansonem accepta à Tayno potestate creauisse alium nomine *Tanomum* cum XIII. aliis, fratribus eius. Tanomũ fuisse verum multiplici scientia, vt potuerit imponere nomina omnibus rebus creatis, cognita earum virtute & vsu præcipue in morbis.

Porro Tanomum & fratres eius numerosam habuisse sobolem, & primogenitum quidem *Teiencomum* genuisse XII. alium *Tuhucomum* IX. cæteros vero non pauciores. Horum posteritatem nugantur durauisse X. millibus annorum, quibus elapsis desiisse genus humanum. Taynũ enim nescio quibus affectũ iniuriis, simul & inuidia, quod videret homines se contemto nimis sapere velle, feciisse, vt cœlum in illos rueret, omnesque opprimeret. Hoc vero inaltum sublato, Taynum creauisse alium hominem, nomine *Lotzizanum*, bicornem, qui vbi disparuisset, reliquerit post se plurimos vtriusq; sexus homines, à quibus orti fuerint ii, quibus etiamnum mundus repletus est. Primum qui ex Lotzizamo natus fuerit, appellant *Azalamum*, quem vixisse perhibent annis CM. secundum *Atzionem* à cœlo, qui matrem eius *Lutinam* impleuerit, generatũ, vixisse annis DCCC. Ab hoc procreatum *Vsaonem*, & huius quidem temporibus multos fuisse in Mundo homines, qui nõ nisi rebus crudis victitauerint. At Vsaonem eos docuisse in excaũatis arboribus habitare, vt tuti essent à noxiis bestiis: simulque corpus vestimentis munire.

Post Vsaonem prodiisse quendam nomine *Huntzuiũm* qui inuento igne docuerit mortales coquere cibaria, & mutare rem pro re, loco emtionis & venditionis. Post hunc aiunt fœminam quandam *Hautsibonam* peperisse filium *Ocheuteium*, qui multas variasque res inuenerit, inque primis auctor fuerit Matrimonii. Hunc aiunt miraculose de cœlo descendisse bono generis humani hoc modo. Matrem eius incedentem per viam incidisse in vestigium pedis humani, cui cum suum ipsa pedem impressisset, repente lucem delapsam cælitus eam circumfulsisse, vnde è vestigio grauida facta discesserit. Ochereji huius filium *Etzomlouem*, inuentorem Medicinæ & Astrologiæ Iudiciariæ, hominibus colendi agri rationem ostendisse. Solitum hunc fuisse memorant vesci herbis venenatis, citra tamen noxam, adeo vt CCCC. annis vixerit. Filium postremo huius *Viteium* Chinam in regni formam reduxisse. Et hæc eorum est sententia de creatione Mundi & propagatione generis humani.

39. Animas hominum immortales esse credunt, easq; percipere vel pœnas vel præmia, pro ratione eorum, quæ cum corporibus coniunctæ patrauerunt. Animam porro aiunt è cœlo originem suam ducere, à quo substantiam acceperit immortalem. Eorum animas, qui secundum Leges Patrias vixerunt, neminem iniuria affecerũt, scelera nulla designauerunt, recta in cœlum elevari, vbi æternis perfruatur gaudiis: qui autem turpiter & scelerate vixerunt, in obscuro carcere & perpetuis tormentis sine fine cruciari. Locum quendam esse opinantur, in quo Animæ, quæ in beatorum Geniorum numerum recipi debent, purgandæ sint ab inquinamentis corporis, & suffragia atque bene acta propinquorum multum iuuare purgationem istam.

Oraturi pro mortuis ita faciunt. Vnus inter eos, qui Sacrificii partes obit, gestat exiguum manu tympanum: quidam ex nouitiis crepitaculum tenet, alius tintinnabulum: sic accedunt ad Aram eorum Sanctorum, quos defunctorum Aduocatos arbitrantur, faciuntque suffitum ex Styrace, Thure aliisque odoramentis. Postea ponunt aliquot mensas cibis oneratas pro mortuis & Sanctis, continuoque ad sonum crepitaculorum, nolarum & tintinnabulorum incipiunt cantilenas hymnosque quosdam, discurrentibus nouiciis, & certas quasdam preculas pro defunctis chartaceis foliis inscriptas aræ imponentibus. His aliisque ceremoniis totam noctem exigunt, & sub diluculi tempus, inuadunt comeduntque cibos mensis illis impositos, de quibus paulo ante diximus.

Vulgi error hic est, quod putant animas maleficorum, antequam in æternum demergantur carcerem, quem post interitum mundi creandũ arbitrantur, migrare in corpora bubalorum aliarumque bestiarum: qui vero in virtute vixerunt, in Regum Principumque corpora.

Inueniuntur hinc inde per regnum hoc loca quædam clausa, Monasteriis nostris similima, non in vrbibus tantum oppidisque, sed etiam in agro, vbi multi viri fœminæque viuunt communiter, velut in Cœnobiis more Religiosorum nostrorum. Sunt autem horum Monachorum Ordines quatuor, quorum quisque habet suum præfectum Generalem, habitantem in Vrbe Xuntien. Appellatur autem Generalis iste *Tricon*, qui sub se habet Prouinciales suos, qui hinc inde obeunt Monasteria, & in deliquentes à regula animaduertunt. Hic Prouincialis in vnoquoque Conuentu constituit alium, velut Abbatem aut Priorem, cui cæteri obedire tenentur. Generalem Ordinis non creant capitulares (vt vocantur) sed rex ipse, nominante eum summo Senatu. Incedit hic vestitus toga holoserica eius coloris quem Ordo illius gestare solet, puto nigri, vel flaui, vel albi, vel denique subfusci: his enim quatuor coloribus totidem Ordines isti distingui solent. Neque vero vnquam domo prodit, nisi insidens cathedræ marmoreæ vel inauratæ, gestatus à VI. viris eodem colore vestitis. Quidam inter eos mendicando per platea vrbium victum quæritant, sonum cientes crepitaculis suis, instar sacerdotum Cybeles. Caput mentumq; omnino radunt, orantesq; Cœlum inuocant, quem summum Deorum statuunt, & post hunc quendam Sinchiam inuentorem auctoremque Ordinis Monastici. Filius primogenitus, prohibentibus legibus patriis, Monachus fieri non potest, cum obligatus sit patrem & matrem

ttem in senecta alere. Idolis suis mane & vesperi offerunt thymiamata è thure Benzoino, ligno Aloes & Caiolaco, vt & pastillis quibusdam odoratissimis. Si quæ nauis primum Mare intrat, adsunt Religiosi isti, proque eius salute sacrificant in puppi, offerentes depictas chartulas, quas coram Idolo discerpunt, non sine canticis & sono tintinnabulorum, atque ita honorem habentes Cacodæmoni, quem depictum habent in nauigiis suis. Hoc facto comedunt bibuntque ad nauseam vsque, credentes hoc pacto nauem sanctificatam esse, & omnes qui ea vehuntur, prospera vsuros fortuna.

Academiarum magnus splendor & solemnitas est per vniuersum hoc regnum, florentibus studiis Philosophiæ & Legum, neque hic vlla est prærogatiua nobilitatis, sed tantum eruditionis & doctrinæ: hinc fit, vt accessus ad Magistratus & honores doctis hominibus pateat, quibus ii magna solennitate cõferuntur. Omnis virorum doctorum vita in deliciis & magnifice peragitur, vocanturque Loytiæ & Mandarini, gestatique sedilibus opertis, semper ocio & suauitati vitæ student.

GENEALOGIA REGVM CHINENSIVM.

Cum primus *Viteius*, vt diximus, Prouincias Chinenses in vnum corpus vnumque regnum reduxerit, non absurde faciemus, si ab illo incipiemus, deducto successionis filo vsq; ad eum, qui nostra memoria regnauit Sinarum Regem. Igitur *Viteius* iste primus rex inter Monarchas Chinenses ponitur. Narrant de eo Chinensium annales inter alia, quod proceritate corporis VII. mensuras Chinenses exæquauerit, quarum vnaquæque constituit duas tertias vnius Vlnæ Hispanicæ, ita vt altus fuerit quatuor Vlnas & duas tertias. Addunt eum tam latum fuisse ab humeris, vt latitudo spacii inter vtramque scapulam fuerit Spithamarum VI. & robur membrorum omnino respondisse vastitati corporis. Legatum eius in bello fuisse *Lincheonem*, qui cum fortitudine & magnitudine animi prudentiam coniunxerit, vt facile subiecerit Viteio tam amplum istud terrarum spacium, eumq; formidabilem fecerit toti Asiæ. Tribuunt Viteio regi inuentionem longioris togæ, tincturæ, na-

Chanteio, qui	regnauit annis	*XIII.*
Chanteius II.		*XXV. mensibus III.*
Chanteius III.		*XVI. mens. II.*
Tzentzeius.		*XXVI. mens. IV.*
Pintareius.		*V.*
Tzinzunius Pintareii frater		*III. mens. VII.*
Huyhannon.		*VI.*
Cubuum.		*XXXII.*
Bentheius.		*XXVIII.*
Vntheius.		*XIII.*
Otheius.		*XVII. mens. V.*
Iantheius.		*mens. VIII.*
Antheius.		*XIX.*
Tanteius.		*mens. III.*
Chiteius.		*I.*
Quanteius frater superioris		*XXI.*
Lyntheius.		*XXII.*

uium & asciæ siue securis ad findenda ligna.

Narrant & summum Architectum fuisse, & multa extruxisse egregia ædificia. Primus hic in regnum inuexit vsum auri & argenti in vestibus, vt & Margaritas atque gemmas. Partitus insu, per ciues suos in vrbes, oppida & pagos, instituit opificia, lata lege, ne quis aliam addisceret artem, quam pater eius exercuerat, nisi de consensu regis aut Præfecti Prouinciæ. Qui eiusdem artis & conditionis erant, iis in eadem platea assignauit domicilia, vetuitque, ne qua mulier ociaretur à labore, sed vt veliuuaret virum, vel vt neret, texeretque, fuitq; hæc lex adeo omnibus mulieribus communis, vt nec vxor eius feriata fuerit. Fuerunt Regi huic vxores IV, è quibus sustulit liberos XXV. regnauitque annis C. & post eum reges CXVI. vsq; ad eum qui longum struxit murum, omnes è prosapia Viteii, qui simul regnauerunt annis MMCCLVII. Hos omnes numerare & longum foret & tædiosum Lectori: contenti ergo erimus, eos solum retulisse, in quibus aliquid momenti est ad ostendendam successionẽ in hac corona, post CXVI. illos reges vsq; ad eum qui nostra memoria rebus præfuit.

Vltimus ex posteritate Viteii fuit *Tzinzonus*, cui debetur longus ille murus, quem struxit immenso labore, cum tot Tartarorum incursionibus vexari videret regnum suum. Cum autem in tam insana structura infiniti perirent mortales, ab omnibus odio habitus, & à suis interfectus est, cum regnasset annis XL. relicto hærede filio suo *Aguntzio*, qui iam ante aliquandiu cum patre regnauerat. Sed & hoc occiso, elegerunt Proceres Chinensium quendam Anchosauum, hominem alti spiritus & bellicosum, qui regnauit annis XII.

Successit huic filius *Futeius*, qui adolescens obiit cum regnasset annis VII. Huius morte mater eius, regio orta sanguine, regni gubernacula per annos XVIII. tenuit, magno regni bono: quæ cum filium non haberet, Anchosaui filius ex alia muliere regnum adeptus est, qui regnauit annis XXIII. successorem habens *Cunteium* filium, qui regnauit an. XVI. mens. VIII. *Hunteius* Cunteii filius præfuit regno LIV. annis, relicto successore

Huius filius *Iantheius* regno præfuit annis XXXI. Cum autem parum compos esset bonæ mentis, in odium Chinensium incurrit, vnde quidam ex nepotibus eius *Laupius* seditionem contra eum mouit, conspirantibus cum eo duobus Equitibus in Regia, viris fortibus, quorum vni Quateio nomen erat, alteri Trunteio, qui stupebant Laupium regem facere. Etsi autem hoc non fugiebat Iantheium, adeo tamen dissolutus & iners fuit, vt quid faceret, non inueniret. Causa hæc fuit, vt plures in regno reguli Tyrannidem affectarent, inprimis vero quatuor, quorum hæc sunt nomina: Cincoam, Sosoc, Guanfiar & Guanfer. His intulit bellum Laupius, sub prætextu iuuandi regem, cumque aliquandiu inter ipsos disceptatum fuisset, fecit Laupius cum Cincoamo pacem, ducta huius filia in vxorem, continuoque bello appetiuit tres reliquos Tyrannos, de consensu Regis.

Fuit tunc regnum istud diuisum in tres factiones, quarum præcipua sequebatur Laupium, defuncto Iantheio rege, altera Sosocum, tertia Cincoamum, Laupii socerum: durauitque hæc diuisio donec *Cuitheius* Laupii filius post patrem regnare cœpit. Contra hunc insurrexit Tyrannus quidam, nomine Ciambuteius: sed Cuitheius interfecit eum, vniuitque denuo totum regnum, quod sciſſum lacerātumque fuerat annis XLI. Cuitheius regnauit solus annis XXV.

Huius filius *Fonteius* regnauit post patrem annis XVII. & vt tam tædiosæ enumerationis cōpendium faciamus, præfuerunt regno Chinensi ex hac familia regis XV. qui regnauerunt per annos CLXXVI. Vltimus horum fuit *Quienteius*, ex cuius sanguine prodierunt reges VIII. qui regnauerunt annis LXII. Aduersus vltimum horum Siteium insurrexit quidam nomine *Coteius*, pater quinque regum, qui potiti sunt rerum per annos XXIV.

Horum vltimus *Otheius* trucidatus est per quendam Dianum, ex cuius posteris quinque Reges fuerunt, qui regnauerunt annis XXXI. vltimum ex his sustulit *Tzuius* quidam, cuius posteri tenuerunt regnum per annos XXXVII. Vltimo sublato, *Tonco*, qui magna cum laude Reipublicæ præfuit, habuit successores ex sua posteritate reges XXI. qui regnauerunt annis CXCIV.

Vltimus nomine *Tronco* despondit sibi Nouercam suam *Bausam*, ex quisitæ pulchritudinis, vtque ea potiretur, extraxit eam è Monasterio, quod mortuo marito intrauerat. Postremo fecit Bausa, vt Priuignus occideretur, & sic ipsa regnum sola per XL. annos gubernauit. Aiunt Historiæ Chinensium, mulierem hanc valde luxuriosam fuisse, quæ contemtis Nobilibus regni nupserit homini vilis conditionis, cuius ipsa non cogeretur sequi arbitrium. Antequam autem in manum huius conueniret, interfecit omnes liberos masculos, quos ex priore marito susceperat. At proceres regni, pertæsi muliebris dominii cum turpitudine & crudelitate coniuncti, vocauerunt *Tronconis* filium nothum, eumque creauerunt regem. *Tautzoni* huic nomen fuit, qui seueram sumsit vindictam de Bausa, crudeli & libidinosa fœmina. Pater hic fuit VII. regum, qui regnauerunt annis XXVI.

Postremus horum fuit *Cuchamus*, quem solio regio deiecit *Dianus* quidam, reliquitque post se hæredes duos reges, qui præfuerunt annis XVIII. Contra posteriorem insurrexit *Vtonus*, factusque rex, reliquit tres è posteritate sua reges, qui regnauerunt XV duntaxat annis.

Vltimum è medio sustulit *Vtzinus*, qui cum filiis suis regnauit annis IX. mensibus III. Post hos regnauit *Tozo* cum filio annis IV. Huic intulit bellum *Anchius*, eumque occidit, factus hac cæde eius in regno successor.

Vltimum è posteritate Auchii è medio sustulit *Zaitzonus*, factus pater XVII. regum, qui omnes tranquille regnauerunt per spacium annorum CCC. Horum extremo *Tepimo* nomen fuit, quem bello deuicit Magnus Cham Tartarorum, *Vzous* nomine, qui Chinam ingressus, totum sibi subiecit regnum, adeoque illud sibi stabiliuit, vt post eum nouem reges Tartarici imperitauerint per annos XCIII.

Horum vltimus *Tzinzous* tam flagitiosus fuit, vt totum ab eo defecerit regnum, vocato secreta quadam electione ad regnum Hombuo, qui genus ad priscos reges referebat, vir bellicosus & animi intrepidi, qui magnis viribus aggressus Tartaros, omni eos regno eiecit. Ex huius Hombui prosapia prodierunt duodecim reges, simul numerato eo, qui nostra memoria rerum potitus est: & vndecim quidem superiores per CC. annos regnauerunt. Duodecimo nomen fuit *Bonogo*, qui successit fratri maiori sine liberis mortuo, cum ex equo lapsus ceruices fregisset: fuit autem Bongus vir iustitiæ amans, prudens, comis & humanus, qui ex vxore consanguinea suauum suscepit filium, regni auiti hæredem.

REGNVM IAPONIÆ SIVE IAPAN INSVLÆ.

SVMMA CAPITA.

1 *Longitudo, Latitudo, amplitudo, & vicina siue opposita regna Iaponiæ Insulæ: ipsa diuiditur in membra siue partes tres. quot in vnaquaque contineantur Regna siue Principatus,*

2 *Olim sub vnius Regis constituta potentia, non plures, vt nunc, agnoscebat Dominos. Rex ille* Vo *siue* Dair *Cotiquis appellatus.*

3 *Iaponiæ Vrbs primaria Meacum. post hanc Ossacaia,*

caia, Bungum, aliaque vrbes celebriores: pleraumque magnitudo & situs.

4 *Bonitas aeris in hac Insula: abundantia Orizæ, metallorum, auri: Cedri in illa proceritatis incredibilis & crassitiei. Animalia terrestria & volatilia. Duo montes admirandi, quorum alter perpetuos ignes euomit, alter supra nubes verticem suum attollit.*

5 *Iapones quo sint ingenio præditi, & quo temperamento corporis. Modus eorum radendi caput, comedendi, bibendi, dormiendi: color faciei, lingua, littera, arma, Academiæ & scholæ minores.*

6 *Opes eorum consistunt in negociatione, copia Orizæ, Margaritarum & gemmarum pretiosissimarum.*

7 *Prouentus annui Regis Iaponiæ.*

8 *Vires marinæ huius regis: administratio regni, crebra mutatio proregum, principum & gubernatorum in prouinciis.*

9 *Tres præcipui Magistratus, Zaco, Vco, Cubacama. Populus Iaponensium in tres ordines diuisus.*

10 *Supplicia maleficis & sceleratis quæ irrogari solita.*

11 *Impietas Iaponum, prouidentiam Diuinam & Animæ Immortalitatem negantium. Sacerdotes eorum Bonzi dicti: diuisi in sectas non solum diuersas sed & aduersas & contrarias.*

12 *Templa eorum & Pseudothei: Fotoques & Cames, Variæ apparitiones Diabolorum in diuersis formis. eorundem versipellis fafrities, qua cultum adorationemque sui sibi stabiliuerunt.*

13 *Iusta, Exsequiæ, pompæ Funebres Iaponensium.*

14 *Iesuitæ in Iaponia. multorum hominum ad Christianismum conuersio, per Francisci Xauerii aliorumque conciones.*

1. IAPONIÆ siue *Iapaniæ* nomine magnum numerum Insularum & velut concursum intelligimus, quæ inter se alicubi tam prope cohærent, vt cum magna illa & proprie sic dicta cohærere videantur: Omnes autem intercursu Euriporum & exiguorum fretorum à se inuicem diuiduntur. Maxima earum Magino aliisque quibusdam *Chryse*, Marco Paulo *Zipangri* dicitur. Extenditur autem totus ille Insularum confluxus & syndrome ab altitudinis gradu XXXI. vsque ad XXXVIII. Tota hæc longitudo in ducentas ferme, vt aiunt, Leucas procurrit: cui nequaquam respondet Latitudo Iaponiæ, quæ alicubi in decem: vbi latissima est, in XXX. leucas patet. de ambitu eius dici certi nihil potest. Ab Oriente obuertuntur hæ Insulæ Nouæ Hispaniæ; ab Aquilone Tartaros aliosque habent notæ feritatis populos: ab Occidente spectat Chinam: à Meridie vasto Mari interfuso, inexploratæ obuertuntur terræ. Complectitur hoc quicquid est Terrarum, LXVI. parua regna siue principatus potius, diuiditurque in tria membra. Maximum atque præcipuum constituit Iapan Insula, regna habens LIII. inter quæ *Machaus*, siue *Meacum* potentissimum est, in quo Lusitani negociantur; & proximum ab eo *Amaguncium*. Habet Rex Meaci sibi subiectos XXIIII. vel XXVI. Regulos, & Amaguntinus XII. siue XIII. Secunda Insula præcipua siue membrum dicitur *Ximo*, Dynastias comprehendens IX, inter quas præcipuæ sunt *Bungo* & *Figen*. Tertium vocatur *Xicoum*, principatus siue dominia complectens quatuor. Illustrissima omnium prouinciarum est *Coquinaia*, in qua est celeberrima & ob mercimonia notissima Vrbs Machaus siue Meacum.

2. Paruit olim omne nomen Iaponium vni regi, qui patria lingua *Vo*, siue *Vau*, aut *Dair* vocabatur, donec is diuturna pace in delitias & socordiam resolutus, Præfectis ac Satrapis suis, ac præcipue *Cubis* (sic enim duo primarii vocabantur, quorum alter alterum extinxit) contemtui esse cœpit, adeo, vt *Cubi* illi duo *Dairum* regno denique euerterint. Crescente autem dominandi libidine, nunc hic nunc ille à Regis obedientia se subtraxit, sibique singuli Regulorum nomen vendicauerunt.

Mansit tamen Dairo nomen supremi regis Iaponiæ, sed sine imperio vel potentia, vt vix à cæteris, qui circa Meacum dominabantur, necessaria ad victum & amictum acciperet, nil nisi vmbra Imperii Iaponici. A quingentis autem annis à Dairo, Coquinaiæ Dominus & Princeps Tensæ (sic appellantur quinque illa regna circa Meacum) adeoque summus Iaponiæ Monarcha fuit *Nobununga* Tyrannus, cui *Faxiba* successit, præcipuus eius belli dux, qui sibi celeriter L. regna subiecit. Et talis fuit nostro æuo *Taicosama* Monarcha Iaponiæ.

3. Totius Iaponiæ vrbs primaria est *Meacum*, siue *Machaus*, Ciuitas maxima, cuius ambitus olim in XXI. milliaria patuit, sed nunc bellis Insulanorum intestinis plusquam tertia sui parte imminuta est.

In hac sedem suam habet Summus Magistratus Iaponiæ, tribus Viris constans. Post hanc sequitur *Ossacaia*, ciuitas potens & libera, & vt quidam putant, omnium Orientalium locupletissima. Magna hic Mercatorum vndique concurrentium frequentia est, quorum qui mediocres facultates habent, XXX. aureorum millia possidere creduntur: qui diuites iudicantur, incredibiles opes possident. *Bungum* sui tractus Vrbs præcipua, loco sita est peropportuno. *Coia* ciuitas cuidam Bonzio sacra est, qui Combodassi vocatur. Est autem hæc commune sepulchrum omnium principum: aut si alibi sepeliantur, mittitur tamen huc dens aliquis cadaueris, tanta est loci veneratio. *Fiongo* Vrbs XVIII. Leucis à Machaunte distat, Nobunangæ tempore magna ex parte deuastata, & anno MDXCVI. terræ motu grauissimo valide concussa, vt magna pars euersa collapsaque fuerit, quod residuum fuit, igne consumtum est. Huc etiam referenda est *Amangasaqui*, in cuius Portu Lusitani negociantur, Vrbs satis elegans, quinque leucis à mari diiuncta, & Sacaio opposita. Cæteræ sunt *Vo-*

Suquin,

Suquin, Furaium, Tofam, aliæque non contemnendæ.

Qualitas & natura soli.

4. Cœli aerisque in Iaponia salubris est temperies quanquam frigori & niuibus terra plusculum obnoxia sit, & humidior obfrequentes qui hic cadunt imbres: solum autem sterilius, quia fere montibus rupibusque asperatur.

Orizam metunt Septembri mense, nonnullis vero in locis Triticum mense Maio. E terræ visceribus incolæ varia metalla eruunt, & exteras nationes ea merce ad se pelliciunt. Quantum autem hæc insula sit ferax auri, testatur M. Paulus Venetus, qui ait suo tempore Palatium Regis aureis laminis tectum fuisse, haud aliter quã apud nos magnatum domus Cupro vel Plumbo cooperiuntur. Arbores hic fructiferæ, nostrisq; similes, plurimæ reperiuntur: Cedrus vero alicubi tantæ proceritatis & crassitiei assurgit, vt inde Fabri Templorum columnas fabricent, & quantumuis magnæ nauis onerariæ malos; Campi & prata boum equorumq; armentis: saltus & dumeta lupis, apris, ceruis cuniculisq; scatent. Ex auibus frequentissimæ hic anates, palumbes, turtures, coturnices, gallinæ syluestres & phasiani reperiuntur. Butyro destituuntur, vt & oleo oliuæ, pro quo vtuntur abdomine Balænarum. Animalia, quæ apud nos domestica sunt, & ipsi habent affatim. Inter montes totius Insulæ satis editos præruptosque duo præcipui visuntur, quorum alter assidue flammas euomit: alter Figenoiama dictus tantæ altitudinis est, vt etiam ipsas nubes altissimo interuallo superet. Vulgus agreste Iaponensium fere è ferarum carnibus viuit, vnde crebra apud eos venatio.

Mores & consuetudines.

5. Est in vniuersum gens Iaponum acuta, sagax, vafra, docilis, & acri præ aliis mortalibus memoria. Nulli hic paupertas sua probro est; maledicentiam, furtum, periurium, aleandique libidinem oderunt atque detestantur omnes. Viuaces plerique sunt, senibusq; viridis ac cruda senectus, vt in sexagesimum annum militaris ætas extendatur.

Barbam alunt modicam, in capillovarius mos est: pueris raditur sinciput, plebeiis rusticisque dimidium caput: nobilibus caput totum, relictis paucis in occipitio capillis, quos attingi à quoquam, maximæ contumeliæ loco habetur. Pauimentum storeis tumentibus nitidisque consternunt, iisq; indormiunt velut culcitris. Munditiei apud eos non minus studium quam apud Chinenses. Capientes enim cibum duobus paxillis ligneis vtuntur, tanta dexteritate, vt nihil decidat, nec opus sit extergere mappa digitos. Capturi cibum calceos exuunt, ne catastromata coinquinent. Pauperiores, præsertim qui maritima loca incolunt, herbis, oriza & piscibus victitant: ditiores ornant splendide & opipare conuiuium: in singula fercula, sine linteis aut mappis mutatur sua cuique conuiuæ mensa è cedro pinuve facta, alta pedem vnum aut paulo plus. Cibi præstantiores in pyramidalem formam assurgunt, scobe aurea conspersi, prominentibus ad gratiam Cupressi arboris viridibus ramusculis. Inferuntur & aliquando patinis argenteis aues integræ, deauratis pedibus & rostro. Colore potius sunt oleaginoso quam albo, laborum tolerantissimi, auidi gloriæ, offensarum impatientes, dissimulatores studii vindictæ, & proditoribus vulgo habiti. Quidã inter eos liberos recẽs natos suffocant, odio educationis.

Lingua apud eos vna duntaxat, ita tamen variantibus idiotismis, vt aliæ atque aliæ linguæ videantur. Litteræ eorum, vt & Chinensium, notæ sunt & signa, integra verba & res significantia.

Armis fere vtuntur his: Sclopeto manuario, gladio lato, pugione, claua, aliisque obleuitatem habilibus. Capite fere semper sunt aperto, præterquam cum lugent, tunc enim & hoc & totum corpus albo inuoluunt velo. Aquæ simplici admiscent aliquantum Chij pulueris, atque inde delicatum potum conficiunt: ditiores etiam bibunt vinum ab Hispanis importatum. Caro venatione capta illis potior est animalium domesticorum. Gymnasium præcipuum habent, siue, vt nos dicimus, Academiam in oppido Banoum, vt Bonsii docent. In Bungo vero oppido Seminarium est Iesuitarum, vbi Iapones addiscunt linguam Lusitanicam, & Europæi Iaponicam. Vtuntur Iapones arte imprimendi libros sicut & Chinenses.

Si quis ex Nobilitate grauius aliquod crimen designauit, obsidetur domus eius à numerosa manu militum, iubeturque sibi ipsi manus afferre. quod si cunctetur, irrumpentes trucidant eum cum omnibus, quotquot in domo eius offendunt. Carceres siue ergastula facinorosorum non habent, sed puniunt maleficos in aperto campo, aut eos perpetuo damnant exilio. Si quis ob delictum aliquod capiendus est, oportet vt per insidias & nihil tale metuens intercipiatur: alias enim vsque ad mortem acerrime se defendet.

DIVITIAE IAPONENSIVM.

Est negociatio frequens variarumque mercium in Iaponia, cum præter Orizam, qua peregrini multas quotannis naues onerant, incolæ mercatoribus exteris magnam vim vendant margaritarum, quæ magnæ sunt & rotundæ, & rubicundæ, nec tamen in minore precio quam albæ. Multum hic etiam est gemmarum, nec parum auri, vnde facile colligi potest, harum rerum copia hoc regnum ditissimum iudicari debere. De prouentibus Regis ita habet: Præter tributa & donatiua, quæ ei Reguli Insulæ ex debito offerunt, putantur ad eum red-

ire

ſic quotannis duo auri milliones ex oriza, quæ in prædiis regiis colligitur, vnde de cæteris facilis eſt coniectura. Nemo enim harum rerum, quod ſciam, ſubduxit calculum.

Robur militare & Modus Gubernationis.

Quantæ ſint huius Regis vires militares, facile ex eo cognoſci poteſt, quod Faxiba, qui regnauit ante Taycoſamam, cuius vltimi in hoc ſcripto mentionem facimus cum totam ſibi Inſulam, inque ea quinquaginta regna ſubiecíſſet, omnino ſtatuerit, collecto ingenti exercitu, traiicere in Chinam, eique regno bellum inferre, in quem finem tantum iuſſit cædi lignorum, vt inde claſſis bis mille nauium confici poſſet, ad tranſportandas ſuas copias. Et ſunt quidem Iapones viri fortes atque animoſi, vt vel paucæ eorum cohortes iuſtum Chinenſium exercitum profligare atque delere poſſint.

Differt autem modus Gubernationis huius regni multum ab eo, qui nobis per Europam notus eſt. Neque enim potentia & magnitudo huius Principis conſiſtit in prouentibus eius annuis neque in amicitia vicinorum populorum: ſed in mera auctoritate & imperio. Quicquid enim capit agri ab hoſte, dimdit inter amicos clientesq; ſuos, quorum perſpectam habet fidem, hac dicta lege, vt ſibi regi ſeruiant ſuis propriis impenſis, ſiue pax ſit ſiue bellum, adducto certo militum numero. Et hi rurſum partiuntur ſuas poſſeſſiones fiduciariis clientibusque ſuis, vt eos hoc modo ſibi deuinciant. Sic fit, vt quicquid eſt bonorum in tota Iaponia, dependeat à paucis, & hi rurſum ab vno atque ſolo, qui eſt Dominus Tenſæ, qui in momento dat auferſque, quid & quibus vult, attollit & deprimit, locupletat, & ad inopiam redigit Principes. Si ergo vel aufert vel mutat Principatum aliquem, mutat ſimul nobiles & milites in eo, relictis duntaxat opificibus & agricolis. Hæc autem ratio perpetuarum ſeditionum cauſa exiſtit. Sic enim fit, vt Principes Tenſæ aliique videantur Tyranni & vſurpatores alienorum bonorum, diſtructores Monarchiæ & hoſtes magnitudinis Iaponicæ: vnde à populo, aliquando etiam à ſociis odio habiti, perpetuo in armis viuere coguntur.

Accedit, quod Principes, cum ſubinde mutentur, non ita amentur à populo vt naturales domini: & ipſi Principes metu repentinæ mutationis, nullo viciſſim conſtanti amore populum complectuntur, certi, eadem facilitate, qua hunc obtinuere principatum, ſe obtenturos alium, & fortaſſe meliorem: hinc vel ipſi ſoli, vel coniuncta cum aliis opera ſemper rebus nouis ſtudent, & perpetuis Inſulam bellis implicant.

Hinc Faxiba, vt abſolutum ſibi ſtabiliret imperium, ſolebat ſubinde de alia in aliam regionem transferre principes, vt præfecti nouis populis rebellare ſibi facile non poſſent. Præterea, vt eorum frangeret potentiam, diuiſit Regna ſingula in plures Præfecturas minores, vt in tanta prouinciarum anguſtia non modo nihil contra ſe poſſent, ſed & ipſi inter ſe de finibus litigarent. Voluit inſuper, vt in omnibus mutationibus tam is qui meliorem nanciſceretur conditionem, quam qui deteriorem, quotannis ad Regiam ſuam venirent, ibique præſtarent fidelitatis iuramentum, & offerrent regia dona atque munera: quo quidem inuento potiſſimas totius Inſulæ opes ad ſe pertraxit. Idem populum diſtinuit contriuitq; in ſtructuris variorum ædificiorum, puta Palatiorũ, Templorum, Munimentorum, Arcium & Caſtrorum, in quibus molibus ſuſcitandis quotidie habuit vltra C. operariorum millia. In primis orſus eſt ædificare Templum, in quod dixit inſumendum eſſe omne per Iaponiam ferrum. Iuſſit igitur vt plebs cum mercatoribus omnia ſua arma & ferramenta in vnum aliquem locum conferrent, vt in vſum Templi conuerteretur. Hoc aſtu & ſpoliauit populum armis, & perfecit ædificia maxime admiranda.

Nunc videndum eſt, à quibus Magiſtratibus 9.
hoc regnum adminiſtretur. Reſident Meaci Triumuiri, penes quos ſumma eſt rerum conſtituendarum poteſtas. Primus qui *Zazo* dicitur, Pontificis Maximi inſtar præeſt ſacris. Secundus *Voo*, dignitatibus & honoribus. Tertius *Cubacama* dictus, tractat res pacis & belli. Gens tota in quinque diuerſa eſt Ordines. Primus eſt eorum qui cum aliquo imperio ſunt, & rerum potiuntur: hos omnes communi nomine *Tonos* nuncupant, quanquam inter ipſos quoque certi dignitatis gradus ſint, vt apud nos Ducum, Marchionum, Comitum. Alter ordo eorum eſt, qui ſacra gentis & rem diuinam procurant, capite ac mento prorſus abraſo. Perpetuum hi vouent cælibatum, ſuntque in diuerſas ſciſſi Sectas, quamuis in vniuerſum omnes *Bonſii* vocitentur. Tertius Nobilitatis & Ciuium eſt. In quarto ſunt inſtitores, ſellularij & varij opifices: quintus & vltimus locus eſt Agricolarum. Sontibus omnibus vel capitis ſupplicium con- 10.
ſtitutum eſt, vel proſcriptio, ſi benigno vtantur Iudice. Gladio fere trucidantur omnes: etſi quibuſdam in locis latrones fureſque conuicti, certo ad ignominiam vehiculi genere, per ciuitatem raptati, extra vrbem de patibulo ſuſpenduntur.

Religio Iaponenſium.

In Idololatria atque ſuperſtitionibus non 11.
multum diuerſi ſunt Iapones à Chinenſibus, immerſi omni impietati & erroribus horrendis, habentes tam abſurdas de ſupremo Numine opiniones, vt nemo rationis compos hanc inſaniã ſatis mirari poſſit. Loco Sacerdotũ Doctorumq; ſuorũ habent Bonſios, in vndecim ſectas, non diuerſas modo ſed & aduerſas contrariaſq; diuiſos, qui tamẽ in vno hoc conſentiunt, quod

Diuinam

Diuinam negant Prouidentiam & immortalitatem animarum. Hanc tamen impietatem non communicant cuiuis, sed Nobilibus duntaxat; ad populum enim multa de pœnis inferni deq; futura vita termocinantur. Domus incolunt magnifice structas, multique vna habitant, neque vnquam matrimonium contrahere possunt. Academias diuersas cum habeant, præcipua tamen est Frenoiamensis, nouem milliaribus à Machaunte vrbe distans. Extruxit ante annos CCC. Rex quidam Iaponiæ hinc inde per regnum MDCCC. Templa, additis conuentibus Bonziorum, per diuersas valles, vt vacare studiis suis commodius possent. Ad radicem montis Frenoiama ædificauit duos Pagos, vt Monasterio illi necessaria suppeditarent. Hoc Gymnasium deinde acquisiuit tantum dignitatis, vt supra cætera omnia conscenderit, & filii ac propinqui regum in eo educati fuerint, percipientibus Bonziis eius loci tertiam prope partem redditauum Regni Vomensis. Inclinantibus vero postea rebus Templa illa ad DCCC. redacta sunt relinquentibus Bonziis studia, vt sequerentur arma: adeo, vt Anno A N.C. MDXXXV. post perpetrata multa homicidia & latrocinia, ingressi fuerint Meacum vrbem, eamque spoliatam incenderint. Cum autem anno A N.C. MDLI. Bonzii nescio quo modo offendissent Nobunangam Regem, iratus hic armis expugnauit Montem eorum, interfectisque quam plurimis euertit XL. Templa.

12. In numero Decastrorum suorum maxime colunt Iapones eos, quos ipsi *Fotoques* & *Cames* appellant, quorum illi quidem ob eximiam doctrinam & austeram vitam in cœlum assumti putantur: hi vero ob merita de patria & multarum rerum inuentionem. Illi fere fuerunt Bonzii & Sacerdotes; hi Principes & Optimates: vnde fit, vt à Fotoquibus petant res & bona futuræ vitæ, à Camibus præsentis. Neque tamen in his consistit Idololatria Iaponensium, cum insuper & Solem, Lunam & Stellas adorent, alii vero Cœlum ipsum: nonnulli diuinitatis aliquid tribuunt ceruis aliisq; per nemora errantibus feris. Apud Machauntem Templum cernitur, quod dedicatum est Deo Artium & Scientiarum. Vtitur autem Cacodæmon partim astu partim vi, ad perpellendos miseros hos, vt se adorent in forma diuersarum bestiarum. Ingreditur enim eorum corpora, eosque exagitat crudelibus modis, cumque interrogatur quis sit, respondet (exempli gratia) se esse Regem Boum, neque egressurum ex obsesso, nisi sibi extruatur Templum. Accepta promissione, simulat se discedere: si non sequatur effectus reuersus multo acerbius quam antea excarnificat miserum hominem, donec satisfiat promissis. Cernitur etiam hic Plutonis infernalis horrenda statua, iuxtaque eam duo Dæmones minores, quorum alter conscribit peccata hominum, alter ea perlegit. Parietes illius Templi vndiq; perpicti sunt, pœnis supplicii sq;, quæ Cacodæmones damnatis inferunt. Ostendit autem se Diabolus his ho-

[illegible]us variis figuris & modis, iisq; persuadet, bonũ malumq; successum in rebus à se vno dependere, prout colatur & honore afficiatur. Cõsueuit autem potissimũ hoc modo se exhibere.

Is qui ardet desiderio futuræ beatitudinis, concenso monte expectabat donec se Diabolus ei offerret. Visebatur ibi Phantasma, quod comparebat in locis solitariis, & postremo peruectatorem illum in profundum quendam locum præcipitẽ dabat, in quo ei erat pereundum. Tandẽ hæc fraus detecta fuit per iuuenẽ quendam. Hic cum Patrem suum à simili stoliditate deterrere non posset, secutus est periturũ clam cum arcu & sagittis in manibus. Statim adfuit Cacodemon circumfusus lumine quodam, quẽ dum senex humi prostratus adorat, iuuenis sagittam mittit in corpus illud luminosum: paulo post videt se vulpem traiecisse. secutus igitur vulpem, quæ sanguine suo vestigia notabat, venit ad præcipitium illud de quo diximus, inuenitque ibi magnam struem ex ossibus humanis: & sic quidem patri seruauit vitam, aliis vero diabolicas fraudes patefecit.

Addendum his est aliquid de Exequiis eorum & Funerationibus, in quas Iapones ingentes sumptus facere solent, Bonziis plurimum argenti inde corradentibus. Quorum hæredes his tantis impensis non sufficiunt, ii vel de nocte secreto sepeliuntur, vel in foricas abiiciuntur. Qui maiore deuotione colunt Amidam (est hic vnus è præcipuis Diis) ii affecti tædio viuendi intrant speluncam subterraneam, quæ aliud suspiraculum non habet, nisi per cannam oblongam. hic commorantur sine omni cibo, sine intermissione inuocantes Amidam, donec mori untur. In locis maritimis mortem sibi hoc pacto consciscunt. Primum plurimum colligun argenti, ex eleemosynis locupletiorum, significantes clara voce populo, constituisse se exire e hac vita, & ad Amidam proficisci. Laudatur ho eorum propositum ab omnibus. Postea ingre si nouem nauigium, lapidibus onerant collum brachia, femora & pedes, & ita grauati in mar euoluuntur, continuo hausti profundo. Præter falsos, quos commemorauimus Deos etian venerantur Xaquum inter deos maiorum gen tium. Est inter eos Secta quædam Iansuano rum, qui nihil credunt, nisi quod vident tan guntque.

Est autem inter fœdissimos hos Idololatra etiam bonus Christianorum numerus, qui mul to maiore zelo circa religionem ardent quan nostri homines, vt quanquã Tensæ Reges mul tos variis suppliciis è medio sustulerint, & Chri stiani multa tormenta & cruciatus pertulerint multi tamen ibi sint, qui à semel concepta fid non defecerunt. Multum hic laboris atq; stud impenderũt Patres Xauerius & Turianus Iesu tæ, multosq; ad Fidem Christi conuerterunt, v anno A N. C. MDLVI. Apud Amaguntiam bi mille Christiani numerati fuerint, totidem an no MDLVI. apud Funiam. Anno A.N.C. MDL IX. numerus Neophytorũ adscẽdit ad MCC

Firand

Firandæ anno Salutis MDLXII. baptizati fuerunt duo fratres Regis Cangoximæ. An. A N. C. MDLXIII. factus est Christianus Sumiranclus Rex omurensis, fuitque ei impositum in S. Baptismate nomen Bartholomæi. Idem paulo post fecit Princeps Samabarensis, fueruntque in regione Imoriana Baptismatis fonte tincta V. hominum millia. Intra quinquagesimum autē circa vrbem Machauntem milliare extructa sunt L. Templa Christianorum, è quibus præcipua fuerunt in his locis: Imori, Aye, Tochy, Saue & Caquinoqui in regno Arimensi, vbi Iesuitæ tunc habebant collegium, & ad C D L. Neophytos, circa annum S. MDLXIII. Interea propagata fuit Religio Christiana in Insula Amacusa, Fundo, & Xiqui. Anno A N. C. MDL. XIX. Rex Bungensis Christianus factus est, & Franciscus appellatus. Regi vero Arimensi baptizato Protasij nomen impositum est: vt ita fuerint in Iaponia circiter CXL. millia Christianorum, oratoria autem C C. Iesuitæ erant CXIII. inque eo numero Sacerdotes X L. Laici vero LXXIII. rursus ex hoc omni numero erant XLVI. Iaponenses, cæteri omnes Europæi. Anno A N. C. M D LXXXVII. conuersa sunt ad Christum vltra sexies mille capita, & prope par numerus anno sequente. Idem fecerunt Rex Bugiensis, & Hæres regnorum Cicungo & Cicuge, & Dynastæ Insularum, Oianæ, Gomettæ, Censuræ & Xiquinæ, quæ pars est Amacusæ. Et hoc quidem loco fuit Christianismus anno à nato Bono Publico MDXC. Ab eo tempore, cum Iaponia Insula grauibus concuteretur belis ciuilibus, Christiani quoque dira & atrocia perpessi sunt, neque tamen desiit florere Fides Saluifica in multis locis amplissimi regni Iaponensis.

REGNVM BRACHMANORVM, SIVE PEGVANVM.

SVMMA CAPITA.

1. *Legatus quidam siue Prorex Regis Peguani, concitata contra Regem suum seditione, & hoc & alia regna atque prouincias armis sibi subiicit.*
2. *Qua ratione fiat, quod tanta facilitate tanti exercitus colligantur cum in his regionibus, tum in Africa & toto Oriente, vnde tanta hominum multitudo, & quomodo ali conseruarique possit.*
3. *Exercitus duodecies centum millium hominum Æthiopum profligatus per Paulum DiaZium, Ducem Lusitanorum.*
4. *Quæ Regna quasque prouincias nostra tempestate possideat Rex Peguanus. Situs & amplitudo huius regni eiusque Portus.*
5. *Regni Siandescriptio, eius situs atque limites, prouinciæ & vrbes præcipuæ.*
6. *Muantaia.*
7. *Camboia.*
8. *Campæ, Syncapura, Quedoa, Aue, Vermea.*
9. *Abundantia Orizæ in regno Peguano. Equi ibi multi, sed parui, Elephanti, Feles Ciuettæ, Psittaci, cannæ doliolum magnitudine æquantes. Pyropi gemmæ, resinæ variæ, piper, Laserpitium, moschus, Aloe, aurum, Tygrides, Leones.*
10. *Ingenium & Mores Peguanorū. sunt effæminati & deliciis dediti; studiosi Musicæ & variarum scientiarum.*
11. *Barbari Mores Cambaiensium, apud quos mulieres se iniiciunt in ardentes rogos maritorum suorum, & Nobiles insiliunt Pyras regum principumque.*
12. *Arma prophylactica Tarnasserienſium, vestis è gossypio crasso, clypei è corticibus arborum. Potus eorum aqua saccaro edulcata, lecti è stragulis Xylinis.*
13. *Exequiæ & funerationes sacrificiorumque ceremoniæ.*
14. *Diuitiæ eorum consistentes in mercimoniis, Oriza, equis, elephantis, auro, argento, moscho odorato, gemmis, butyro, oleo, pipere aliisque rebus multis.*
15. *Custodia corporis regij constans XXX. millibus hominum & VI. millibus Elephantorum. Timarij siue Beneficiarij. Magnus numerus militum in regno Peguano.*
16. *Principatus huius regni dantur beneficij feudique nomine, non in perpetuum sed ad dies vitæ. Quæ vsitato more à debitoribus obæratis & homicidis sumi soleant supplicia.*
17. *Modus colendi Numinis in hoc regno; quid sentiant de Deo & spiritibus, quos attribuunt homini. Statua Communis Patris hominum, L. pedes longa. Alia Simulacra in Templis eorum. quos habeant Sacerdotes & Sacrificos.*
18. *Quæ sit eorum opinio de creatione & duratione Mundi. Qua Idola præcipue venerari soleant. quem putent esse statum animæ à corpore separatæ.*
19. *De Conuentibus Sacerdotum eorum, quibus caput & barba rasa. Pars eorum viuit ex assignatis prouentibus, pars ex Eleemosynis.*

ANTEQVAM vlterius pergamus in enarratione huius regni, sciendum est, regna Brachmanorum siue Braminorum (variatur enim in hoc nomine) subiecta fuisse regi Pegu, 1.

quatenus illa extenduntur secundum littus & versus Lacum Chianæum, eumque regem in his Brachmanum regnis prouinciisque suos habuisse præfectos. Accidit autē ante annos LXX. & quod excurrit, vt Prorex regni Tangut, fretus multitudine hominum qui eum sequebantur, & auctoritate armis parta, rebellione sibi regnum id vendicauerit proprium, interfectis proceribus in eo, occupatisque insuper regnis siue prouinciis Promensi, Melintæo, Calamensi, Bacamensi, Miranduensi & Auensi, quas omnes regiones in Septentrionem conuersas, & in CL. milliarium spacium excurrentes, Brachmani habitabant. His effectis adiecit etiam spem desideriumque suum ad Regnum Sian, peruenitque vsque ad Odiam, caput regni Muantæi: sed nihil efficere potuit. Habuit autem in hac expeditione hominum CCC. millia, insumsitque tres menses in complanandas vias & itinera per aspertimos montes & loca inaccessa, quo in labore amisit hominum millia XXVI. Vicissim ipse secum abduxit Sianensium captiuorum CC. millia. Reuersus autem domum, aggressus est Regnum Peguanum, illudque sibi subiecit. Quo successu elatus anno AN. C. MDLXVII. iterum inuasit Regnum Sian, regemque victum cepit, qui hausto veneno viuendi fecit finem, liberi vero eius captiui manserunt; & sic victor magnam partem regni illius suo subiecit dominio. Hic Conquæstor cum successoribus suis, appellantur apud Historicos Reges Bramenses. Lusitani autem nobilius eis imponunt nomen, à nobiliore regno desumtum, eosque vocant Reges de Pegu. Cæterum Conquæstor ille multoties conatus est subiicere sibi vrbem Odiam, ad cuius obsidionem adduxit decies centum millia hominum. Ne autem hæc res videatur fabulosa, cum de tanta hominum multitudine, etiam supra fidem magna, loquimur: nō absurdum erit ostēdere, quo pacto fiat, vt in his aliisque locis Orientalibus, vt & per Africam, tanta facilitate tam immensi exercitus colligi conseruarique possint.

2. Iam primum igitur sic habet. Bella vel geruntur in finibus patriæ, vel procul à patria: deinde certum est, eum, qui non habeat numerosos prouentus & vberes thesauros, neque diu bellum gerere posse, neque magnum exercitum sub signis alere. Sicut enim corporis humani membra sine neruis moueri non possunt; sic exercitus sine argento exigui est vsus. Vnde enim militi victus, arma, instrumenta? vnde res tormētaria expedietur sine præsenti pecunia? Cumque prouentus Principū certis sint circumscripti limitibus, necessarium est, eum, qui anno vno vel altero magnam pecuniæ vim impendat, pauperem fieri, eiusque thesauros exhauriri. Vnde bella longinqua neque suscipi neque diu geri possunt, nisi à Principibus, quibus intacta domi & à multis annis coadunata Gaza arcas rumpit strangulatque, vel qui argenti fodinas habent prægnantes admodum, cum constet, quantumuis magnum thesaurum exhauriri, nec vacuata redituum pullulare arca, cum id quod tempore pacifico paulatim & per partes colligitur, bello gliscente pleno sinu effundatur. Hinc quidam Tribunus militum non male respondit Sebastiano Lusitanorum Regi, agitanti expeditionem aduersus Afros: *Tribus, inquit, ad id bellum opus esse torrentibus, quorum primus fluat exundetque militibus: secundus, alimonia: tertius auro argentoque.* Et alius interrogatus, quanta pecunia ad bellum requireretur? respondit *quæ finem non haberet*: & hoc quidem in bellis quæ in longinquis oris geruntur verissimum est.

Expertus id est Turcarum Monarcha in bello aduersus Persas, in quo potentissimus ille Principum adeo exhausit prodegitque thesauros suos, vt coactus fuerit deteriorem cudere monetam, & auri argentique precium in duplum augere, qua re in furorem acti Prætoriani, Constantinopolim aliquoties spoliauerunt, postremo incenderunt. Intellexit hanc pecuniæ ad gerendum bellum necessitatem Iohannes Iacobus Triuultius, dux bellicosissimus, qui interrogatus, quibus rebus ipse gesturus bellum opus habiturus esset, respondit: *primo Pecunia, secundo Pecunia, tertio Pecunia*: quo tam ridiculo responso quid voluerit satis clarum est.

Hæc tamen ita demum vera sunt, si Princeps qui bellum gerit, è suo dominio sumtu petat militares: quod nihil noui sit, exercitum aliquem progrediendo vincendoque sibi necessaria parare, & ex hostico tantum acquirere virium, vt continuando bello sufficiat. Sic olim Hunni, Vandali, Gothi, & Arabes, sic ante hos Alexander Macedo, & proauorum memoria Tamerlanes Tartarus in longinquis regionibus bella gesserunt, sine vllis prope suis impensis, cuius postremi, vt priorum vim cum nemo ferret, secure progressi, occupauerunt vrbes & oppida, agentes atque ferentes regiones, postremo totas regna deuastauerunt, viuentes ipsi ex rapto & internecione populorum. Idem accidit Lusitanis per Indiæ Orientalis prouincias grassantibus, idem Castellanis, Nouum siue Occidentalem Orbem peruastantibus. Neque enim vlla vnquam gens minoribus suis impensis plura acquisiuit, quam Hispani in Antipodum orbe, inque primis Noua Hispania & regnum Peruano.

Hoc tamen non tam facile fit nostro tempore quam præterito, nec tam expedita res est in nostra Europa quam in Asia, Africa & America, ob magnum numerum munitissimorum locorum, quæ apud nos passim occurrunt, quæque possunt non per aliquot menses, sed annos properantis ad victoriam remorari cursum. Sic quædam exiguæ Arces Turcis remoram obiecerunt, vt patuit apud Zigethum, quod propugnaculum orbis Christiani, cum Solimannus anno AN. C. MD.LXVI. cum

CCCL. millibus hominum obsedisset, postremo quidem expugnauit, sed tanta virium suarum iactura, vt vix tertiam exercitus sui partem domum in Hyberna reduxerit. Sed & Lusitani, qui ab initio cum exigua manu res stupendas apud Indos patrauerunt, parum admodum deinde effecerunt, postquam populi illi vsum rei tormentariæ, & artem muniendi habitationes suas apprehenderunt. Accidit idem Hispanis, qui cum ab initio inermes Indos instar pecudum mactauissent, postremo inciderunt in bellicosos quosdam populos, in vicinia Nouæ Hispaniæ & Peruani regni habitantes, quibus ne latum pedem quidem terræ eripere potuerunt; exempli gratia, in valle Arauquensi, apud Tucapellanos & Chilcas, qui populi, cum experientia didicissent, sagittis traiectos Hispanos mori solere: non amplius eos pro immortalibus habuerunt, aut filiis cæli, sed audacter in eos iuerunt, contemtis sclopetis equisque eorum.

Si vero bellum haud procul à patria gerendum sit, non erit adeo difficile, exiguo temporis spacio magnum colligere exercitum. Huius rei vt antiqua exempla iam prætereamus, ostendunt nobis historiæ, solos Gandauenses in Flandria cum LXXX. millibus hominum se opposuisse Regibus Galliæ, quod prouincia eorum esset valde populosa, & bellum esset in eorum finibus, vnde omnes in militiam ruebant, ferentes secum aliquot dierum cibaria. Neque tamen diu sub signis contineri potuerunt, deficiente pecunia rebusque omnibus necessariis, vnde paulatim diffluxit tanta hominum colluuies, aliis ad agriculturam, aliis ad opificium suum digredientibus. Sic Scoti, qui ob defectum pecuniæ nihil vnquam memorabile extra Insulam designauerunt, collegerunt sæpe exigentibus necessitatibus Patriæ, paruo tempore maximum hominum numerum, eoque vel hostes oppugnauerunt, vel fines suos defenderunt: non secus ac Romani, qui in bellis contra vicinos populos, multis annis suis sumtibus militauerunt. Egressi enim aliquot dierum cibaria secum ferebant, imponebantque fere bello finem vno aliquo paucarum horarum prælio. Cum autem aduersus Veientes, qui longius ab Roma aberant, bellum gereretur: oportuit Senatum militibus persoluere stipendia.

In Africa tamen regnisque Orientalibus multo facilius est, quam per Europam nostram, ad oppugnandos vicinos sine magno sumtu exercitus conducere, idque his rationibus. Primum, quod in vniuersum regna illa magis abundent rebus necessariis ad vitam humanam. Deinde quod Meridionales & Orientales populi paucioribus contenti sint, quam nostri, parce comedentes & bibentes, & simplici victu: cum nostri in vtroque modum seruare nesciant, deliciis cupediisque etiam inter arma studentes: accedentibus necessariis vestibus ad muniendum aduersus frigora corpus. Vini, quod apud nos maximæ diuidiæ est, populi illi vsum ignorant, nam aquæ eorum salubriores fere sunt nostris. Culinariam & Apicianam condiendi cibaria artem illæ gentes, ne fando quidem acceperunt.

In Oriza & Veruecina carne apud Turcas omnes constant delitiæ: Vestes eorum & omniũ Orientalium, sunt minoris quam nostræ precii. Quidam seminudi ad bellum proficiscuntur, supparo leuiori tecti verenda; vnde nec impedimentorum nec opificum in castris eorum tantum, vestium enim apparatus apud eos est leuissimus. Hinc planum fit, apud illos minoribus impensis XL. millia militum aliquam apud nos X. Adde his molestissimum rei tormentariæ tractum, & quicquid ad eam rem pertinet, quo gentes illæ leuis armaturæ vel omnino, vel bona ex parte carere possunt, inprimis illæ quæ longius à mari remotæ, interiora regionum incolunt.

Neque parum ad rem facit, quod populi illi fere militatum eunt sine armis defensiuis, puta Thorace ferreo, galea, lorica, in quæ nos plurimum impendimus: qua quidem in re multum dissimiles sunt priscis Romanis, qui ingredientes non tantum arma secum ferebant Prophylactica & Amynteria, sed & aliquot dierum cibaria.

Tot igitur commoditatibus adiuti populi isti; bonitate soli, simplicitate victus, vestiendi armandiq, facilitate: multo minoribus impensis & labore quam nos possunt quantumuis magnum colligere exercitum. Sic legimus stupenda effecta exercituum Assyriorum, Æthiopicorum, Beli, Nini, Semiramidis, Cyri, Cambysis, Darii, Sesostris & aliorum: & temporibus recentioribus, Arabum, Tartarorum, Turcarum. Ne quis autem nobis paruam antiquorum ad persuadendum efficaciam obiiciat, videamus, quid Angolæ acciderit anno A N. C. MDLXXXIIII.

Est autem Angola opuleta prouincia Æthiopiæ occidentalis, vicina Regno Congo. In hac habuit Paulus Diazius dux Lusitanorum aduersus se exercitum Æthiopum, in quo erant duodecies centum millia hominum. Commisso a.d. 11. Februarii Mensis prælio, tanta Æthiopum multitudo à modicis Pauli copiis fusa atque profligata est.

Enimuero ita est, tam immanes exercitus diu durare non possunt, suntque magis similes impetuoso torrenti quam perenni fluuio, quod facile quidem contrahi possint, retineri autem non diutius, quam id durat, quod secum attulerũt. Vnde videmus eos breui fere tempore dilabi, omissa quam susceperant, expeditione, cum non habeant quo ad se allicere possint mercatores, aut frumentarios, aut eos qui exercitui necessaria subuehunt. Adde quod prope par numerus requiritur lixarum, calonum, mulionum, aurigarum, seruorum, aliorumque impedimentorum, cumque nimis numerosæ sunt

copiæ, idem accidat quod Xerxi, cuius hominibus & iumentis vix integra flumina sufficerunt ad aquationem. Soliti autem sunt reges Orientis, antequam in longinquam irent expeditionem, sibi primum omnium de argento, victu aliisque rebus ad tantum exercitum conseruandum necessariis prospicere, constatque Xerxem bellum Græcum meditantem, in eo apparatu totum septennium insumsisse. Sed vt ad regem Braminorum reuertamur, occupauit is postremis regni sui annis duos portus marinos celeberrimos, Martabanensem & Tarnasserinum: hinc victricia signa nunc in Aquilonem vertens, nunc in Occidentem, bello afflixit principes Caorensem & Tipurensem, occupatisque regnis Macino & Aracano, abduxit inde hominum captiuorum CCC. millia, & multa millia Elephantorum.

4. Possidet igitur rex iste nostro tempore hæc regna. Pegur, Tangut, Prom, Melinta, Calom, Bacam, Mirandu, Aue, & Bramam, quæ omnia Septentrioni obuersa sunt: præterea Sian, Aracan & Marcin cum portubus marinis ad Martabanam & Tarnasserim.

Porro situs regni Pegu refert crescentem Lunam, inter Montes, quos Brachmani habitant, extenditurque in longitudinem secundū littus maris ab Vrbe Rei quæ sub decimo quarto gradu sita est, vsque ad Sedoc sub gradu decimo septimo, quod omne spacium est milliarium prope nonaginta in longitudinem, latitudine alicubi prope æquali. Alij dicunt regnum Peguanum ab littore maris, qua Sinus est Bengalensis CCC. millia complecti, facto initio ab vrbe Tauaia vsque ad Promontorium Nigraense. Perluit hoc medium Pegu fluuius, totique regno suum impertit nomen. Portus eius præcipui sunt Pegu, ad ostium fluuij eiusdem nominis; Martabana: Tauay, & Losmin.

5. Regnum *Sian* siue *Siam* latissime patet, vtrimque tam ab oriente quam Occidente habens Mare. Situm est inter Cauchinchinam & Regnum Termense, quatenus in continentem porrigitur. Si vero littus legamus, extendetur ab Vrbe Campaë vsque ad Tauaiam, quod spacium efficit circiter CCC. leucas. Obtinent autem Mauri & Arabes iam à ducentis prope annis has Vrbes: *Patanam, Paamam, Ioram, & Peream:* Lusitani vero vendicauerunt sibi *Malacam.* Complectitur autem hoc regnum intra se alia quædam minora: Siam proprie sic dictum, & Muantay, cuius caput est Odia Vrbs, & Bramense, Caipumo, Cheneram, Camboiam & Campaën, prætereaque Iangomen, Cucray, & Lancaam, quæ tres prouinciæ habitantur à Laiis. Præcipuæ totius regni Vrbes sunt hæ: *Sian, Odia, Camboia, Campat, Syncapura, Quedoa & Malaca.*

Est autem *Sian* Vrbs ampla atque populosa, apta ad negociationem, sita in ripa lati profundique fluuij Menam, frequens habitatoribus, cum in ea præter ciues & indigenas numeretur prope tricies mille familiæ Æthiopum mercatorum.

Odia Metropolis regni Muntæi maior etiam est quam Sian, cum in ea numerentur CCCC. millia domuum. Est autem hæc Vrbs Venetiarum instar in aquis structa, vt per omnes plateas eatur minoribus nauigiis, quorum vltra CC. millia ibi sunt.

Camboia sita est in ripa Menonis fluuij, quià China prodiens, antequam Mare Indicum irrumpat, receptis multis fluuiis minoribus, lacum efformat, cuius ambitus ducentarum creditur Leucarum: estque hæc vrbs caput regni Camboiensis.

Maritima vrbs est *Campae*, vnde tota prouincia denominationem trahit. *Syncapura* in extremo angulo Meridionali sita, in Promontorio, quod appellatur Grande. Ptolemæus putatur hic ponere oppidum Zaben, Maginus tamen magis existimat Paluren Ptolemæi esse, vnde proficiscantur qui Chrysen petunt siue Iaponiam. Vrbem *Malacam* descripsimus, vbi de prouinciis Regis Hispani disseruimus. *Quedoa* celebritatem peperit ingens piperis in agro eius prouentus. *Aue* regnum est affluens, à Brachmanis habitatum antequam id Rex Peguanus occuparit. Caput eius est Aue ciuitas, structa in ripa fluuij eiusdem nominis. *Vermiense* regnum paruum est, vicinum Bengalæ, nec vllum habens portum. *Aracanum* finitimum est regno Bengalensi, iuxta fluuium Chaberium. Vrbs eius principalis, quæ toti regno nomen communicat, supra eundem fluuium est, XLV. mill. à mari.

NATVRA ET QVALITAS terræ.

Mira est agrorum in regno *Pegu* fertilitas, præcipue generando frumento. Colligitur hic incredibilis vis Orizæ, quæ quidem res Pegu fluuij inundationi tribuenda est, qui per totum labens regnum magnam eius partem pinguibus suis aquis inebriat. Animalium omnis generis hic magna copia, in primis equorum numerosa armenta, quamuis minorum, qui tamen ad portandum apti equitem: itemque Elephantorum qui in certis montibus capiuntur, & ad vsus belli seruantur. Psittaci hic numero maximo volitant, quorum & vox est suauior & pulchritudo maior quam alibi. Feles Ciuettæ hic reperiuntur, & arundines siue cannæ tanta vastitate, vt capacitatem dolii æmulentur. Inueniuntur & hic Pyropi siue Rubini gemmæ, & Laccor, quam quidam putant esse resinam arboris, alii succum, qui colligatur in foliis arborum instar Mannæ.

Territorium *Sianense* altis vndique cingitur montibus, intus planum, herbidum, pingue ac fertile, abundans Oriza, farre aliisque rebus ad vitam necessariis. Multum hic crescit Piperis & Lalerpitii (vulgo Benioin) terræ viscera suppeditant Aurum, Argentum, Stannum aliaque

Metalla

Metalla. Moschi insuper odorati hic copia, plurimique equi & Elephanti. Visitur in hac regione *Lacus Chianceus*, è quo prodeunt fluuij, Aue, Caipuno, Menam, Menon cum aliis, qui regiones quas pererrant, sua inundatione pingues faciunt, vt Nilus Ægyptum. Versus ortum, qua regnum hoc est confine Cochinchinæ, Syluæ ac nemora ingentia sunt, in quibus crebri versantur Leones, Tygrides aliæque bestiæ noxiæ.

Ager prouinciæ *Camboiæ* affluit oriza, carnibus piscibusque, abundatque equis & elephantis, nec destituitur prorsus Auro.

Regnum *Campaense* vberes auri fodinas habet, & res omnes ad vitæ sustentationem necessarias. Lignum Aloes, quod hic crescit, cæteris in hoc genere præfertur, inprimis id quod in montibus nascitur, cuius precium apud orientales populos non est inferius ipso argento. In regno *Auensi* gemmæ, inprimis Pyropi reperiuntur, & animalia è quibus Muscus odoratus colligitur, Elephantorum vero magnus hic est numerus, vt & equorum, terra & his & hominibus omnia necessaria suppeditante.

MORES ANTIQVI.

Ne Lectori ingrata repetitio legendi pariat tædium, remitto eum ad id, quod in descriptione regni Narsingæ dicturus sum, vbi primum agam in commune de moribus & ritibus priscorum Indorum, deinde sigillatim de regno Brachmanorum aliisque populis, qui regi Peguano subiecti sunt.

Ingenium & Mores horum populorum nostri temporis.

Qui regnum *Peguanum* incolunt, sunt statura mediocri, obesi tamen magis quam graciles. Membra iis sunt robusta & agilia, neque tamen ipsi propterea bello vtiles. Incedunt toto corpore nudo, velati tantum partes verendas. Caput tegunt panno laneo albo, in mitræ speciem fastigiato. Mulierum amori deditissima gens est, suntque multi inter eos, qui in harum gratiam tintinnabulum argenteum vel aureum de membro virili dependens gestent, vt ingredientes per ciuitatem audiantur. Quidam Hebræi scriptores sentiunt, aurum Ophir, cuius in sacris litteris mentio fit, è Sumatra Insula petitum fuisse, & quod incolæ Peguani originem suam traxerint à Iudæis, quos Salomon Rex huc miserit. Ipsi tamen Peguani tam stolidi sunt, vt dicant se è cane & muliere Chinensi ortos: & sunt sane in cæteris quoque rebus hi homines mille superstitiosis & ridiculis opinionibus imbuti, & nulli rei nisi voluptatibus dediti.

Quibus nihil cedunt habitatores regni *Sian*, immersi omnibus deliciis, toti rebus venereis mancipati, & lurcones graphicè Musico concentu valde delectantur, & à canentium dependent ore. Artes mechanicas ipsi non tractant, sed omnia opificia seruis suis delegant: laboribus tamen rusticis non omnino abstinent. Gymnasia habent publica, in quibus instituitur iuuentus in religione & legibus patriis, lingua vulgari: nam ad docendas artes scientiasque alia vtuntur, multum à vernacula differente. Erat olim apud Sianenses Lex, vt nouus rex, antequam diadema sumeret auspicaretur Templum aliquod, illudque exornaret variis ædificiis, pyramidibus & statuis Idolorum.

Regni *Camboiensis* incolæ robusti validique sunt, exercitati in nauigationibus & mercimoniis, moribus tamen fœdis barbarisque, vt qui existiment, hominum brutorumque eandem esse conditionem. Defunctis & rogo impositis maritis addunt se vxores eorum socias, in ignem insilientes, vt simul comburantur. Regibus vero defunctis idem præstant officium, non coniuges eorum duntaxat, sed & Nobiles quidam, idque sponte & nullo cogente. 12.

Apud *Campaenses* frequens est vsus Aloes, tam in quotidianis balneis eorum, quam in funerationibus virorum principum.

Tarnasserini pro armis defensiuis muniunt corpus spissa veste è gossypio, vtentes gladiis breuibus & incuruis: clypei eorum facti sunt è corticibus arborum. Ipsis omne animantis genus in cibum venit, excepta vacca. Cibum capiunt humi sedentes sine mappa vel linteamine: potus est aqua saccaro edulcata. Lecti eorum à terra eleuari, & stromatibus xylinis instrati sunt, amictus pariter è gossypio, aliquando etiam è serico. Terram nostro more colunt fodiuntque, & nobis in multis rebus similem degunt vitam. Virginitatem mulieribus suis ipsi non adimunt, neque cum iis consuescunt, nisi prius vir coloris albi, siue sit Christianus siue Mahometanus illas iniuerit. Si vero post id tempus maritus vxorem cum alio congredientem deprehendat, licet ei occidere mœcham. 13.

Mortui Sacerdotis corpus comburitur, fitque solenne sacrificium Diabolo. cineres collectos in vrnam recondunt bene clausam & obturatam, eosque humi defodiunt. Dum ignis ardet, coniiciunt in rogum multum aloes, myrrhæ, Laserpitij, Coralliorum, thuris santali, aliarumque rerum aromaticarum, ad ciendam fragrantiam: perstrepentibus interim tubis lituisque. 14.

Interea adsunt viginti vel triginta, in Dæmonum habitum deformati (vt quidem pinguntur) qui saltando circum pyram, miram ostentant lætitiam, persuadere volentes circumstantibus eo tripudio, defunctum perpetuis frui bonis: Sola vxor eius percutit pectus suum, plorans gemensque, fiuntque hæc omnia circa Mesonyctium. Quinto decimo die post defuncti vidua inuitat propinquos agnatosque suos & mariti mortui, iisque exhibet epulum solen-

ne, eo ipso in loco, vbi vir exustus fuit. Ipsa induta preciosis vestibus, ornata gemmis & vnionibus adest, materia futuræ tragœdiæ. Ibi deprimitur fossa profunda, in modum putei impleturque lignis siccis odoratis, cinguntque labrum putei rosis aliisque floribus, tegentes id panno serico, ne compareat. Finito conuiuio circumstantes fossam Musici concinunt, & postquam Diabolo perlitatum est, adest mulier, saltansque ac plaudens pedibus accedit fossam, quę iam tota intus ardet, vt multas flammas eructet, cumque se commendauit precibus eorum, qui diabolicis induti adstant vestibus, accedit propius ad puteum, inuolutaque panno illo serico coniicit se mediam in ardentem flammam. At propinqui eius iniicientes in eam ligna arida, picem atque resinam, augentesque flammam, mortem eius celerius procurant. Si qua vxor hoc officium defuncto marito non præstaret, per omnem vitam haberetur infamis. Notandum tamen est, hanc consuetudinem à Nobilibus tantum, & qui cum præcipua dignitate sunt, obseruari, neque quenquam è plebe, sed plerosque viros Illustribus Nobilibusque ortos familiis huic ceremoniæ interesse.

Qui *Vermense* regnum incolunt, colore nigro tincti, protusque nudi incedunt, nisi quod exigua lacinia pudenda cooperiunt.

OPES ET DIVITIAE.

15. De facultatibus diuitiisque horum regnorum facilis coniectura sumi potest ex soli fertilitate: quod cum plurimis irrigetur magnis pulcherrimisque fluuiis, quibus impinguatur, velut Ægyptus à Nilo, dici non potest, quantopere prouinciæ illæ omnibus rebus abundent. Magna hic copia Orizæ, Auri, Argenti, Stanni: plurimi Equi & Elephanti: & hæc omnia exteris vendunt. Huc igitur veniunt Mercatores ab omnibus partibus, auferentes secum Orizam, Laccam, Laserpitium, Moschum, Gemmas Argentum, Butyrum, Oleum, Salem & multa terra nascentia. Soluunt enim quotannis vltra XL. magnæ naues onustæ Oriza pro sola Insula Sumatra, ex portu Pegu vrbis.

Regnum Sian submittit exteris Piper, Moschum, Laserpitium, Aurum, Argentum, Stannum, & infinitum numerum Equorum, præter Elephantos. Campaense vero multum ex Aloe percipit lucri. Quędoæ piper præ cæteris commendatur, vnde magnus ad hanc vrbem à mercatoribus est concursus. In regno Auensi multi cõmorantur mercatores gemmarij, quanquam ibi etiam multum vendatur Moschi, & Equi atque Elephanti magno numero. Ex his omnibus colligi potest, Regem Peguanum, cuius terræ adeo omnibus rebus affluunt, longe maximas possidere diuitias.

Potentia & Robur Militare.

16. Sed nec de potentia huius Monarchæ dubitari debet, quin maxima sit. Solus enim Rex Siamensis, ab illo omnibus fortunis ipsoque regno spoliatus, & cuius regnum vix quartam quintamue partem potentiæ Peguanæ constituit, solebat habere triginta millia militum, & VI. Elephantorum millia, è quibus III. millia ad bellum adsuefacta fuerunt: qui profecto numerus non contemnendus est, nec patuas impensas exigit.

Habet insuper rex hic in suis Regnis Timariothas, siue Vasallos & Beneficiarios, quorum ope facile colligere potest XXX. millia Equitum & CCL. millia Peditum, qui semper præsto sint ad militiam, ita vt regnorum incolas fatigare nihil sit necesse. Quod si vrgentior aliquis casus maiores copias exigat, potest ad decies centena millia hominum cogere, cum Regnum hoc sit ampliſſimum, prouinciæ vrbibus plenæ, populosæ, cultissimæque. Sola enim vrbs Odia putatur emittere posse L. millia hominũ, opus sit. Neque solum abundant huius Magni Regis regna & prouinciæ omnib. rebus ad vsum vitæ & diuitias, sed etiam hominum multitudine.

Modus Gubernationis.

Habet Rex Peguanus merum atque absolutum imperium in omnia sua regna & prouincias, soletque agros per Præfectos suos partiri atque elocare ataroribus pro certo frumenti modo. Eosdem tamen aliquando permittit proceribus regni, vt inde viuant, siue id fiat ad certum tempus, siue ad dies vitæ, nunquam autem iure perpetuo, vt hæreditate transeant ad beneficiariorum posteros. Conditiones legesque iis has dicit, vti sibi seruiant in omnibus bellicis occasionibus, cum tanto numero peditum equitum, vel elephantorum. Illustrioribus etiam Prouincias & vrbes cum Iurisdictione aliquod tempus conferre solet, iisdem conditionibus. Solebat Rex Peguanus etiam inter Prætorianos Custodesque corporis sui habere mille Christianos, quibus plurimum fidebat & præcipua aulæ suæ negocia committebat. Putatur autem hic Princeps eos grauibus oneribus premere.

Apud Tarnasserenses homicida morte punitur, nec vlla spes est veniæ. Debitor condemnatur ad solutionem præstandam, si creditor professionem debiti membranæ inscriptam ostendere possit: Calecuthenses enim in corticibus arborum & tabellis ligneis scribunt. Si quis peregrinus sine hærede moritur, succedit ei Fiscus, ita, vt ne testari quidem illi liceat, rege se asserente Dominum omnium.

(***)

RELIGIO HORVM POPVLORum.

8. Etsi Sianenses omnis superstitionis in his oris auctores putantur, credunt tamen Deum creasse cælum & Terram, eundemque præmiis afficere bonos, & pœnis malos. Cuiuis homini duos adesse spiritus aiunt, quorum ille quidem eum custodiat & ad bonum ducat, hic vero ad malum impellat diuexetque. Multi sunt in extruendis Templis, eriguntque iis multas statuas, quas ob virtutem in Cælum adscendisse opinantur. Inter alias videtur vna statua, quam Patris Generis Humani esse asserunt, longa pedes XXX. Hunc de Cælo fuisse missum autumant, exque eo natos quosdam, quia atrocia pro amore Dei sustinuerint supplicia. Sacerdotes, qui in maximo apud hos sunt honore, vestiuntur panno flauo, quod omne flauum propter similitudinem cum Sole sacrum & Deo dicatum putent: in eorum domos mulierem ingredi fas non est, nec quicquam fæmineum, ne gallinas quidem. Sacerdos conuictus bibisse vinum, lapidibus obruitur. Crebra apud illos ieiunia, vnum tamen solenne, cuius tempore populus ad templa confluit, vt audiat perorantes Sacrificos. Obseruant hi certas horas rei diuinæ constitutas, partim interdiu, partim de nocte. Mundum hunc aliquando initium sumsisse nouerunt, putantque eum VIII. millibus annorum duraturum, & ex his iam VI. millia efflu-xisse. Sentiunt finem Mundi futurum per ignē, & tunc apparituros in Cælo VII. Soles, qui exsiccaturi sint fluuios ipsumque oceanum, & combusturi terram: è cineribus autem emersura duo oua, ex altero proditurum virum, ex altero fæminam, & hos quidem propagaturos nouam posteritatem hominum. Tunc nullum amplius superfore Mare aquas salsas habens, sed amænos lacus, stagna, riuos atque flumina, quibus terra affatim irrigata, productura sit omnes res bonas, citra laborem hominum.

Idolorum falsorumque Numinum apud eos modus non est: adorant enim & quatuor Elementa siue Principia Rerum, eligitque quisque sibi moriens sepulturæ genus conforme Elemento quod coluit. Qui Terram venerati sunt, defodiuntur; qui honorem detulerunt igni, comburuntur; qui coluerunt aquam, demerguntur; qui aerem, suspenduntur, vt à volucribus absumi possint.

Philosophi Peguani statuunt innumeros Mundos, qui sibi in infinitum succedant, tribuuntque cuique suos deos, sine numero. Mundum per ignem destruendum & ipsi credunt, sed paulo post instauratum iri cum suis Diis. Referunt & in numerum Deorum certos quosdam homines, sed hac conditione, vt prius transeant in pisces, quadrupedes & volatilia. Tria loca post hanc vitam fore opinantur: vnum lætitiæ, alterum tormentorum, tertium annihilationis, & hunc postremum vocant *Mibam*. Quantum ex his principiis nascatur vanitatum, quantum stolidissimarum superstitionum, quātum inanium ceremoniarum, facilius est cogitatione assequi quam scriptione. Sunt & in veneratione apud eos certæ quædam strues siue moles terreæ, inauratæ, forma pyramidali, tantæ altitudinis, vt minima ex iis XL. Orgyias superet. Editissima est in vrbe Degum, tantæ proceritatis, vt ex eius summitate totum regnum oculis comprehendi possit; vocant autem has pyramides *Varelos*. Dedicatæ sunt hæ diis, quorum magnitudinem (vt Indi aiunt) exprimunt sua altitudine.

Domicilia, siue, vt vocant, Conuentus Sacer- 20.
dotum vicini sunt Templis Idolorum, vbi fere CCC. simul habitant. Caput his & mentum rasum, vestis toga prolixa, ad talos demissa, manicata. Nulla his penitus cum mulieribus conuersatio, cum viris autem perexigua, quanquam peregrinos satis comiter excipiant. In quibusdam ex his Conuentibus viuitur ex assignatis prouentibus, in aliis ex eleemosynis & beneficentia opulentiorum. Sunt & pro mulieribus certa quædam loca & recessum, in solitudinem se recipere desiderantibus. Sunt & quædam secretiora receptacula, Adytis Sacellisque veterum similia, in quibus ipsi asseruant Idola sua, quæ magna colunt veneratione, suntque qui scribant, huiusmodi ædicularum aliquot millia apud eos reperiri.

Ieiunium statum anniuersariumque apud eos durat diebus XXX. quibus ab omni cibo abstinent vsque ad vesperam. Furem in altera vita illius seruum fore credunt, cuius res furto abstulit. Interficere quicquam, quod vitam habet, nefas iudicant: vnde res subinde propositis edictis monet eos, vt à tam graui peccato abstineant, neu quod corpus viuum interimant. Nostro tamen æuo hoc parum obseruatur, cum Magistratus & Iudices corrupti argento & hoc & aliud quiduis solita conniuentia permittant.

* *
*

INDIA INTRA GANGEM, SIVE REGNVM MAGNI MOGOR.

SVMMA CAPITA.

1. *Vastitas & magnitudo huius imperij, in quo nonnulli numerant quadraginta septem regna. Duo noui principatus in eo.*
2. *Exegesis Regnorum quæ Monarcha ille possidet: & primo quidem de regno Cambaiæ, huius longitudo, limites, præcipuæ vrbes & Emporia.*
3. *Regnum Bengalæ.*
4. *Sanca,*
5. *Delli.*
6. *Origo & Fons Indi fluuii celeberrimi. Abundat regnum Cambaiæ Oriza, cera, saccaro, thure, fructibus, aromatibus, gossypio, serica lana, gemmis, vt & Elephantis, Dromadibus, Equis. Ingentes in eo Arundines.*
7. *Diuitiæ & arma veterum Indorum, coniunctio libera, impudici congressus cum feminis in publico, barbara consuetudo mactandi parentes senio affectos.*
8. *Sæuus mos & plusquam belluinus, defunctorum vesci corporibus.*
9. *Quæ sint eorum Numina, quæ sacrificia.*
10. *Ingenium & Natura harum gentium. Color & constitutio corporis, vestes, matrimoniorum contrahendorum ratio, incantationes.*
11. *Opes eorum consistunt in negociatione serici, gossypii, aromatum, gemmarum. Thesaurorum regiorum magnitudo.*
12. *Vires militares, consistentes in equitatu potissimum, tormentis aueis, Elephantis & variis armis.*
13. *Quantum numerum equitum, quantum peditum, quantum elephantorum Monarcha hic in bellum producere possit.*
14. *Quibus rebus incrementum huius Monarchiæ hactenus impeditum sit.*
15. *Tres Sectæ Religiosorum in hoc regno. Paganismus, Mahometismus, Iudaismus.*

1. COMPREHENDITVR hoc imperio maxima pars veteris Indiæ, & prope omne istud terrarum spacium, intra Caucasum Montem & Sinum Gangeticum atque Mare Arabicum, itemque intra Gangem & Indum fluuios. Dicitur autem Caucasus Mons nostra ætate *Dalanguer* & *Naugrocot*. Multa regna intra hoc tam vastum Orientis spacium continentur, suntque qui ad XLVII. numerent. Non est tamen dissimulandum, duos magnos Principes, *Nizzamalucum* & *Idelcanum*, quorum principatus nostra memoria stabiliti sunt, amplam in hoc Regno possidere regionem, quæ *Decania* nominatur, porrigiturque secundum longitudinem in littore maris ad CCL. millia. Et Nizzamalucus quidem regiam suam habet in oppido *Tanagro*: Idelcanus vero in vrbe *Visapora*, quanquam præcipua Vrbs Principatus illius sit *Bider*, quam sequitur in ordine *Decan*, vnde toti regioni nomen. Hæc dicimus, vt vel aliquam duntaxat de his Principibus habeamus notitiam, cum plura de illis discere non potuerimus. Sed vt ad ipsum huius tam magnæ partis Indiæ Monarcham reuertamur, præcipuorum regnorum quæ ipse possidet, hæc sunt nomina. *Cambaia*, *Delli*, *Sanca*, *Mandro*, *Bengala*, præter alia multa minora. Regia autem eius est in vrbe Delli, quæ toti illi regno nomen suum tribuit.

Cambaia alio nomine regnum Guzaratarum porrigitur in longitudinem secundum littus Maris in D. millia, à Bataeo fluuio qui iuxta Caulum vrbem in Oceanum præcipitatur, vsque ad *Circamam*, regionem Persici regni. At aliis ex partibus attingit regna *Dulcindæ & Mandaco*. Erunt ergo limites eius, ab oriente Mandaco; ab occidente Nautaces siue Gedrosii; ab Aquilone est Sanca & Dulcinda: à meridie Oceanus & collimitia regni Decanensis. Vnde constat, regnum hoc amplissimum esse, vrbibus & oppidis, castris pagisque & hominibus frequentissimum, vt in eo numerentur LX. millia locorum habitatorum. Vrbes eius celebriores secundum littus hæ sunt: *Daman*, *Bandora*, *Curat*, *Rauet & Bazuin*, ex quibus duæ primæ aliquando euersæ sunt per Lusitanos. In mediterraneis regnis est *Madauar*, vel *Amodabar* vt & *Cumbaia* vrbs, vnde cognomen toti regno est impositum. Putatur autem hæc vrbs habere CXXX. millia familiarum, estque pulcherrima in illis partibus, adeo vt dicatur Cayrum Indorum. Sequitur *Campanela*, antiquum regum Palatium, in summo monte sita, septemplicique muro cincta. Deinde est *Tanae*, & *Dius* aliquandiu possessa à Lusitanis, vt est *Daman*, cuius iam ante fecimus mentionem.

Regnum *Bengalense* valde amplum est, multisque vrbibus frequens tam maritimis quam mediterraneis, extenditurque in longitudinem millibus CXX. *Guro* ciuitas habitatio regum aliquãdo fuit, deinde *Bengala*, vnde totum regnũ & Sinus propinquus nomen trahit. Putatur autem hæc vrbs omnium prope Indicarum pulcherrima.

Regni *Sanquensis* caput est vrbs *Citor*, sita loco com-

commodissimo, habens XII. millia in circuitu, ædibus exculta publicis priuatisque pulcherrimis, muris non tantum cincta firmissimis, sed & vallo & fossa munita. Fuit hæc regio nostra memoria sub potestate fœminæ, nomine *Crementinæ*, quæ tam magnanima fuit, vt auderet regi Baduriæ negare tributum, sed ad extremum Citore vrbe spoliata fuit, in quam se abdiderat cum XXX. millibus peditum, & duobus millibus equitum. Cæterum & vrbem & regnũ hoc Rex Cambaiæ postea sibi subiecit.

Delli regnum situm est intra regna Narsinganum, Decanense, Orixanum, & Cambaiense, à quo postremo montibus separatur. Aiunt hoc olim ab Amazonib. habitatum fuisse, & supersunt etiam aliquæ earum reliquiæ, quæ equis insident vt viri. Nondum adeo multi anni sunt, cũ rex quidam Mahometanus hic regnauit, cuius vxor fere ingredi solebat comitata equitatu muliebri bis mille fœminarum: sed ad extremum & hoc regnum Mogor sibi vendicauit, qui Regiam suam habet in vrbe Delli, totius regni Metropoli.

Qualitas & Natura huius partis Indiæ.

Cum Regnum Cambaiæ multis irrigetur fluuiis, Indus tamẽ facile primus est omnium, qui medium id interluit. Oritur hic in Monte Caucaso, qui hodie à Barbaris Naugrocot appellatur, cumque longissimum cursum circiter CM. millium pass. confecit, præcipitatur in Oceanũ, duobus haustus ostiis amplissimis. Abundat autem tota regio oriza, cera, saccaro, thure, fructibus arboreis aromatibusque, tantaque insuper copia serici & gossypii, vt aliquando XL. vel L. naues eo onerarę in exteras mittantur regiones. Reperiuntur hic plurimi Equi, & Elephanti, & Abades, qui corporis dupla magnitudine tauros vincunt, habẽtes in promuscide siue rostro cornu, totumq; tecti corp⁹ tã duro cortice, vt ferro nullo perfodi possint. Sed hi veri sunt Rhinocerotes. In montibus vero reperiuntur variæ gemmæ, Onyx, Adamas, Calcedonius, aliæque. Styracis liquidæ hic plus quam alibi.

Regnum *Bengalense* humectat Chaberis fluuius, quem quidam putant esse veterum Gangem: quanquam aliis videtur esse is fluuius, qui progressus à Gata monte exonerat aquas suas in Sinum Bengalensem (qui veterum fuit Gangeticus,) haud procul ab ostio Chaberis fluuij. Omnia hic largiter proueniunt, quæ ad vitam humanam sunt necessaria, frumentum omnis generis, Oriza, Saccarum, Gingiber laudatissimũ, Piper longum. Xylini vero & serici copia omnes alias vincit regiones, & carnium pisciumque abundantia vniuersam superat Indiam. Adde quod totum regnum aere perflatur suaui & temperato, quæ salubritas etiam extraneos huc allicit. Inueniuntur ibi Arbores, Moses appellatæ, quarum fructus tam grati sunt palato, vt Iudæi & Mahometistæ sentiant hunc esse fructum, in quo præuaricatus fuerit Adamus Protoplastes. Arundinum siue Cannarum ea est amplitudo, vt doliorum vicem præstent singula internodia, cum ea sint crassitudine, vt ab homine vlnis vix comprehendi possint. Regnum Delli suppeditat præter cæteras res, quas in aliis prouinciis inueniri diximus, plurimos Equos, Elephantes & Dromades è Camelorum genere.

Mores antiqui.

Certum est, eos qui hanc Indiæ partem occupauerunt, adeoque ipsum Mogor (& hæc videtur esse ratio nominis) à Zagathæis Tartaris prodiisse, vnde & Princeps iste è Tamerlanis posteritate se ortum gloriatur: sed & olim Massagetas partem regni huius habitauisse. Quicquid sit, non erit alienum à nostra ratione, aliquid de huius gentis priscis moribus dicere. 7.

Solebant igitur hi populi balteos suos, & Cassides galeasque, & humeralia, & thoraces, adeoque omnia arma, sed & ornamenta equorum suorum, frenos, habenas, postilenas aliasque purgatissimo ornare auro. Cuspides hastarum erant ex ære, cum neque haberent vsum ferri neque argenti. Singuli singulis vxoribus contenti erant, quanquam passim miscerentur mulieribus in propatulo, sine verecundia. Si quem libido venerea inuasisset, appensa ad currum suum pharetra, cum vxore sua palam congrediebatur, nihil pensi faciens, siue videretur siue non.

Hoc quoque de hac gente annotauerunt prisci, si quis inter eos ad extremam senectam deueniisset, conueniebant propinqui & amici eius, eumque instar pecudis mactabant, addita oue vel veruece pro victima succedanea: his immolatis miscebant carnes humanas cum veruecinis, & ita in conuiuio publico absumebant vtrasque. Eos qui languore aut morbo moriebantur, non comedebant, sed humi defodiebãt, deplorantes infelicitatem eorum, quod carnes eorum ab hominibus absumtæ non fuissent. Rus neque arabant neque sementem proiiciebant, contenti lacte gregum armentorumue & piscibus. 8.

Solem ante omnes deos suos vnice colebant, cuius honori solebant immolare equum, optimo Astrorum optimum celerrimumque animalium sacrificantes. 9.

Mores eorum nostri temporis.

Incolæ regni Cambaiæ propemodum omnes addicti sunt mercaturæ, ad bellum ferme inutiles. Colore sunt subfusco, ingrediunturque omnino nudi, nisi quod pudenda velant. Caput tegunt purpureo pileolo, aliquando, sed raro, vtentes indusio lineo. A carnium esu abstinent, victitantes lacte, oriza, ordeo, aliisque terra nascentibus & inanimatis. Barbam pectunt nutriuntque, demittentes etiam capillos instar mulierum, eos ad torquis instar plectentes. Singuli viri singulis fœminis contenti sunt, & fœminæ pariter, viuentes caste 10.

in

in viduitate. Augurijs & futurarum rerum prænotioni usque ad Magiæ insaniam diditi sunt. Principes suos vel vecti Elephantis vel equis mane salutatum veniunt ante Palatium, ad sonum strepitumue tubarum atque lituorum: Eundem obseruantes morem, quoties Rex ad prandendum discumbit.

Habitatur autem regnum Bengalense à multis nationibus, ob salubritatem aeris & affluentiam omnium bonorum. Indigenæ plerique colore albo sunt, ingenio acri, moribus commodis, attenti in negociis, nec omnino alieni à fraudibus. In mercatura sunt versatissimi, nec facile circumsci buntur. Nudi non incedunt, ut reliqui solent Indi, sed tegunt corpus indusio candidissimo, ad talos vsque demisso, iniicientes huic etiam togam sericam. Caput Turpane operiunt, imitatione Turcarum Persarumque. Magnifici sunt & molles atque delicati, tam in vestibus quam reliqua vita. Bonarum artium scientiarumque rudes sunt, nisi quod quidam Astrologiæ & Medicinæ studeant. Gangem fluuium in magno habent honore, existimantes, si in eo lauentur, omnia sua simul ablui delicta atque scelera. Sed auaritia Principum factum est, vt nemo in eo fluuio lauare corpus possit, nisi numerata certa pecunia.

Opes & Diuitiæ.

11. Præter ingentem vim gossypii & serici, quo vtroque quotannis innumeras onerari naues, vt ad exteros deuehantur, diximus: Præterque aromata & gemmas, quæ incolæ solent vendere peregrinis, & ex quibus ingentes diuitiæ huius regni colligi possunt: Præter hæc inquam omnia dignum est cõsideratione, quod Maphæus de Badurio refert, qui tamen præter Cambaiense regnum nihil terrarum possidebat: De hoc igitur Badurio narratis scriptor, eum, cum aduersus Mogorem suppetias ferret Regi Mandaonis, traxisse secum D. doliola plena auro & argento, ad persoluenda militibus suis stipendia, idque factum fuisse anno A Nato Christo MDXXXVI. Cumque duobus victus præliis, castris omnibusque impedimentis exutus fuisset, misisse ad Solymannum Turcarum Monarcham Legatos cum dono DC. millium coronatorum, vti sibi suppetias ferret. Sed paulo post tactum pœnitentia, quod à tam longinquo Principe petiisset auxilia, ad amicitiam Lusitanorum confugisse, iisque non solum permisisse, vt munimentum excitarent in Insula Dio, sed & ingentia misisse munera. Hinc fieri potest coniectura, quantas esse par sit diuitias Monarchæ illius, quem Mogor vocari diximus, cum non solum huius Badurii regnum obtineat, sed & multas alias prouincias, illo nulla ex parte minores aut deteriores.

ROBVR ET POTENTIA MILITARIS.

De cuius tam magni principis potentia pariter iudicium ferre possumus ex eiusdem Badurii exercitu, quem aiunt constitisse equitib. centies quinquagies mille, in quo numero fuerint equorum loricatorum XXXV. millia: peditatum vero eius fuisse ampliorem D. millib. hominum. Addit Maphæus, tantum eum post se traxisse currum, instrumentorum & impedimentorũ, vt difficile sit, ad fidẽ dicere, si quis ad Europæorum principum rationes æstimare velit. Habuisse eum ait tormentorum æneorum II. millia, interq; ea quatuor, quæ singula fuerint à CCCC. bobus tracta, quingentos insuper currus, nitrato puluere & globis ferreis oneratos, & Elephantos militariter iustructos CC. Si igitur hoc loco pari modo, vt de diuitiis, ratiocinari volumus, dicemus; cum Magnus ille Mogor præter Badurii regnum, quod sibi subiecit, tot regnorũ prouinciarumque sit dominus, eum posse colligere exercitum, cuius vel solum nomen omnibus vicinis regibus terrorem incutere possit. Quid enim prohibebit, eum tantas conducere copias, quantas vix quisquam cogitatione assequi possit? Quid impediet, quo minus eas alat, armet, instruat, omnibus his rebus affluentissimus? Nihil inuenies in eius impedimentis, nisi quod ad gerendum bellum necessarium est. Abundantia vini, varietas cibariorum, lecti & stragula, calonum lixarumque instrumenta, & his similia onera ab eius castris longissime absunt. Abundat hic princeps omni materia metallica ad fundendas machinas igniuomas; satis hic plumbi ad globos, satis ferri ad fabricanda arma: boum, equorum, elephantorum copia. Accedit tyrannicum horum principum dominium, qui cõsueuerunt opprimere ciues, vt eorum facultatibus ditent milites, eosq; magis sibi ad fidelitatem obligent. Inprimis hoc Principibus Mahometanis non est infrequens, uti se suaq; omnia committant seruis, qui sæpius captata occasione, excussis Dominis arripiunt imperium, quod vt obtineant, populum prædę exponunt: neque enim vanum est, quod ille dixit: *quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit.* Sic Turcici Imperii firmamentum sunt Ianitsari, quos vt Princeps habeat beneuolos, necesse est vt omnia illis, quæ concupiscunt, permittat. Eodem modo multi Indorum Principes, populum non pluris faciunt quam iumenta, omne suum robur in Nayris collocantes. Huc referendi sunt reges, Armusius, Cambaiensis, Decanensis & Acensis: Quorum omnium vnica fiducia cum sit in militibus, siue ij ingenui sint siue serui; oportet vt nulli rei parcant quæ ad gerendum continuandumque bellum requiruntur.

Sed hæc velut in transitu. Putatur Monarcha noster, si opus sit, breui tempore cogere posse Equitum CCC. millia, Elephantorum

torum XL. millia, Peditum vero numerum infinitum.

Hic mihi obiiciet aliquis: Si Rex iste, ut ais, tam potens est, qui fit, quod non & reliquam Indiam totumq; sibi subiicit Orientem? Huic ego respondebo, multa obstare. Primo, sicut ars & industria hominis perpetuum mouens excogitare non potest, cum sit effectum solius Dei: Ita rerum & desideriorum humanorum cursum perpetuum esse non posse. Maxima enim Imperia non tam impulsu exterorum quam propria mole corruerunt. Accedit quod in tanta potentia & magnitudine virium æqualitas & aptitudo fere deest, ut immania corpora tarde atq; ægre mouentur, currere vero omnino non possunt. Est autem promptitudo omnium rerum in bello longe optima. Interea dum tantum corpus molitur & se expedit, lucrantur vicini tempus sibi suisq; rebus quam optime prospiciendi.

Adde his, quod is, qui vicit hostes, fere sibi metuit à sociis, quos in pugnæ victoriæq; partē venisse nouit. At hic dum sibi consulit, sæpe amittuntur occasiones, aliquando & ipsæ amittuntur expeditiones. Quid quod aliquando milites facti insolentes, victores Principes sequi recusant? quod accidisse nouimus Alexandro & Lucullo. Neq; omittendum est, nimis magnum exercitum deuastatis regionibus, per quas ducitur, sibi ipsi amputare media viuendi, ut fame concidere aut dilabi necesse sit copias, etiam nullo infestante hoste. Hinc optimum est ad frangendos tam immanes exercitus, ut mora debilitentur, donec vel defectu pecuniæ vel alimoniæ sponte diffluant atq, euanescant. Vltimum quod huius Monarchæ imperium intra certos compingit limites, est natura locorum. Caucasus enim, qui in mille brachia & ramos discedit, quædam vicina regna tuta præstat ab inuasione, quod ea velut natiuo muro cingat, alicubi etiam omnes occludat aditus, præsertim equitatui, in quo maxima vis huius Principis consistit. Neq; enim is, qui in planicie & patentibus campis bene pugnat, idem in montosis asperisq; faciet locis. Ostendunt hoc exemplo suo Resburenses, qui incolentes Montes Cambaiæ, nihil sibi ab huius Principis magnitudine metuunt. Sunt autem hi Resburenses reliquiæ quædam priscæ nobilitatis in eo regno, qui primo Mahometistarum incursu pulsi suis sedibus, in montes illos se receperunt, qui sunt inter Cambaiam & Dium. Et nunc quidem sua fruuntur libertate, semper armati, aliquando etiam quæstuosas in loca campestria facientes excursiones.

His omnibus impedimentis adiungi potest, quod multæ regiones sint steriles, quædam etiā destitutæ aquis, sicut Dulcinda est in finibus Cambaiæ, ut hac exercitus traduci non possit. Iunge his, si placet, iacturam temporis, quod ętas fere prętereat, antequam ad destinatum locum duci tantę copię possint: Interea moriuntur aut debilitantur saltim equi & homines, superueniēte hyeme, fiuntq; omnia hostib. magis opportuna. Hæc res coegit multos, ut copias suas nauib. impositas in hosticum deportarēt, quod Germanicum fecisse constat bello contra Alemannos. Mogor autem non solum destituitur classe sed etiam commoditate portuum, cum Lusitani totum sinum Cambaiensem in sua habeant potestate, occlusis eius faucibus beneficio duorum munimentorum, quorum alterum dicitur Diu, alterum Daman.

Postremum est, quod à propagandis imperii sui pomœriis hunc Principem cohibet, potentia vicinorum regum. Neque enim Rex Peguanus ei multum cedet potentia, tot regnorum prouinciarumque dominus, ut non necesse habeat, à quoquam sibi metuere. Si enim ille regnum suum propagauit intra Gangem & Indum: Hic suum extendit intra Gangem & Malacam. Postremo, ea est propugnaculorum & munimentorum nostri temporis ratio, ut vel exiguum castellum fatigare atque debilitare possit, quantumuis magnum exercitum: sic enim pauci resistunt pluribus, quos cogunt, omnes suas vires & thesauros in vanum profundere.

Religio cultusque diuini ratio. 15.

Tam late per Europam, Africam & Asiam sparsa dissemінataq; est infelix Mahometi superstitio, ut maxima regna & imperia prope tota infecerit corruperitq;. Inter ea est & hæc pars Indiæ, quam modo descripsimus, in qua Mahometismus fere vbique obtinet. Sunt autem his immixti multi Idololatræ: de quibus fusius dicemus, cum ad regnum Narsingæ nos itineris ratio vocabit. Sed & non pauci Iudæi hic reperiuntur, negociationi præ cæteris dediti: Nec non quidam Christiani ex Abyssinorum siue Abexinorum gente, quos dulcedo lucri ex intima Aethiopia huc pellexit.

REGNVM

REGNVM CALECVTENSE.

SVMMA CAPITA.

1. *Longitudo & Latitudo huius regni, cum descriptione præcipuarum vrbium, propugnaculorum, ædificiorum.*
2. *Ager Calecutensis vberrimus in gignendo pipere. Huius aromatis descriptio; arbuscula ferax piperis qualis? tempus & modus hac grana colligendi.*
3. *Gingiber, Aloe, alii fructus huius regionis, & quomodo colligantur.*
4. *Animalia & Aues huius regionis. Sarauus ales canorus.*
5. *Simiarum & Cercopithecorum copia. Arbor mirifica, quæ fert dactylos siue nuces, suppeditat filamenta, materiem faciendæ telæ simili serica; colligitur ab eadem saccarum & oleum.*
6. *Serpentum in hoc regno genera duo, quorum alterum non habet venenum.*
7. *Matrimoniorum contrahendorum ratio, regibus Calecutensibus vsitata. Sponsæ eorum, antequam concumbant regibus, deflorantur per summum Sacerdotem.*
8. *Populus Calecutensis in quinque Ordines diuisus. Nobiles & Mercatores quomodo hic viuant.*
9. *Modus eorum scribendi cum stylis ferreis in foliis palmarum.*
10. *Diuitiæ eorum consistunt in abundantia piperis, gingiberis, cinnamomi, Caryophyllis, nuce myristica, moscho odorato, nardo & myrobalanis, thure, aloe, camphora, casia.*
11. *Robur regni Calecutensis consistit in peditatu & classibus. Ratio eorum pugnandi & quibus vtantur armis.*
12. *Quantos exercitus Rex iste possit expedire ad militiam tam terrestrem quam marinam.*
13. *Regibus defunctis succedunt sororum filij, & qua de causa? quomodo creditor debitorem persequatur.*
14. *Idolomania Calecutensium horribilis, qui statuam Cacodæmonis adorant in delubro pleno picturis diabolicis,*
15. *Sacrificia quæ Brachmani Diabolo offerant.*
16. *Indulgentiæ generales singulis annis per Brachmanos populo concessæ, in certo quodam huius regni Templo.*

1. INter prouincias Melabarenses Regnum Calecutense facile primas obtinet, etsi non vltra XXV. milliaria in longitudinem secundum littus maris porrigatur. Regis huius potentia contemnenda minime est, estque eius maxima dignitatis & auctoritatis in illis partibus orientis, cum appellatur *Zamorin*, id est, Imperator, ita volente Pereimalo omnium Malabarum rege qui profecturus Mecham, ibique finem vitæ fa cturus, nomen suum, id est, appellationem Za morini potissimum relinquere voluit regi Cale cutensi. Habet igitur hoc regnum, ut diximus, i longitudine milliaria XXV. in latitudine vix X Caput regionis est Vrbs Calecutum, commu nicans nomen suum toti regioni, sita in littor maris, tria millia ambitu suo complexa. Mœni bus cincta minime est, quanquam contineat V habitationum millia, longis à se inuicem diuun ctarum spaciis. Milliari vno ab vrbe distat Por tus, cui Capocatensi nomen est. Domus huiu vrbis fere sunt humiles, structura vili, quod, fundamenta paulo deprimantur in terram pro fundius, aqua subsiliat, ut magna & pondero ædificia superstrui non possint. Quin & Merc torum domus cæteris splendidiores vix XX coronatis æstimantur, cum pleræque aliæ v quartam huius precii partem adæquent. Altit do horum maioribus hominis equo insider tis altitudinem non multum superat.

Qualitas & Natura soli.

Gignit ager Calecutensis plurimum piperi cum id etiam in ipsa vrbe colligatur. Est autem arbuscula ferax piperis stirpe imbecilla, ut s sponte erecta stare non possit, sed ridicis fulcri que statuminanda sit, ut vites. Multum acce ad similitudinem hederæ, quæ crescendo pro pit scanditque in altum, si clauiculis suis aliqu vicinum apprehendere possit. Habet autem f tex siue virgultum istud plusculos ramos, du vel tres spithamas longos: Folia ei sunt qua fere Malo Assyriacę, nisi quod hęc spissiora p lo sunt, & transuersis Vineis distincta. Depe dent à singulis plantis circiter VI. Botri, pede vnum longi, colore qualis est vvarum iam p mum matureſcere incipientium. Colligun Octobri & Nouembri mensibus, cum adhuc v des sunt, deponunturque in mappa, & Solis diis exponuntur, vel etiam supra storeis iu ceis, vbi granum intra tertium diem nigrescit instar baccæ iuniperi. Non autem egent arb culæ illæ incisione aut amputatione luxuri tium foliorum, sed terra tantum bonum f humanæ manus cultura procreat. Putat Plin frutices Piperis feraces, esse simillimas iunipe nec crescere piper nisi ad radicem Caucasi M tis, qua parte is Soli Meridiano obuersus Sed nos experientia diuersum docuit.

Præ

Præter Piper gignit etiam Solum Calecutense radicem Gingiberis, quæ non infra tres pedes in terra occultatur, vt cannarum siue arundinum radices. Cum eruitur Gingiber, relinquitur internodium vnum in fossa, & cooperitur terra, vnde in futurum annum denuo tantundem Gingiberis inde depromi potest. Quod in terra plana colligitur speciem aliquam Myrobalanorum refert. Sed in agris humidis & rubescente solo quod reperitur, non vnius est generis. De fructibus arboreis, qui huic regioni peculiares, & nostro orbi ignoti sunt, deq; eorũ barbaris nominibus, nihil opus est multa referre: id constat, quosdam inter eos prunorum Damascenorum, alios ficuum, alios peponum & melonum saporem repræsentare. Sed Aloe quoque hic colligitur, gummios species, quod colligitur ab arbuscula erecta, simplici radice, instar baculi in terram depacti. Stirpe est tenera, odore & gustu amaro.

Animalium in hoc regno varia reperiuntur genera: Leones, Apri, Cerui, Capreoli, Lupi, Boues, Bubali, Elephantes, Equi & alii. Sunt tamen qui affirment, pleraque horum non hic gigni, sed aliunde importari. Omne genus Psittacorum hic valde frequens est, virides, rubicundi, versicolores, quorum tanta hic copia, vt custodes ruri constituendi sint, qui Orizam & fruges ab iis defendant. Cornicantur autem atque garriunt mirum in modum, nec magno possunt etiam plures coemi precio. Sarauus ibi est ales, minor Psittaco, sed voce multo suauiori. Diceres perpetuum hic esse ver, ita semper floret humus & virent arbores ob suauitatem aeris & temperamentum cœli.

Simiorum & Cercopithecorum nemora hic plena sunt, qui agricolis non parum molesti sunt, cum conscensis arboribus, quæ nuces referunt, euertant vasa, quæ Indi ibi collocauerunt, vt excipiant humorem illarum arborum, quo incolæ vtuntur loco vini aut coctæ potionis. Porro hæc arbor bonitate sua & vsu videtur mihi cæteras omnes superare.

Fert enim dactylos instar Palmæ: gignit nuces suaues gustui: suppeditat ligna & focum, & filamenta quædam ac materiam faciendæ telæ, quæ similis est hemisericæ: quin & vinum, & saccarum, & oleum ex ea colligitur. Sed & alia quædam arbor est, non multum specie ab illa differens, quæ Gossypium gignit & Byssi speciem. Ex foliis eius conficiunt telam quandam delicatam multitio purissimo similem. Sub vltimo fructus eius operimento latet nucula, minimi digiti crassitie. Tota vera nux dum crescit, repletur aqua, quæ simul cum nuce augetur, vt cum nux iam perfecta sit, colligatur inde aqua, claritate nihil cedens aquæ rosatæ, quæ densatur in oleum satis crassum. Mane ac vesperi inciso trunco, effluit liquor, qui illis suauissimi vini loco esse potest.

Serpentes huius regionis corpore sunt admodum vasto, vt nonnulli conspecti fuerint, non minores mole porcellis. Capita illis vasta & deformia, pedes quaterni, habitatio in locis paludosis. Hos incolæ venenum habere negant. Alios vero tam præsenti veneno asserunt, vt si vel leuiter saucient hominem, moriendum ei sit: & horum quidem in regno Calecutensi numerus non est exiguus.

Mores incolarum.

Narrant regem ducturum vxorem, non solere cum ea (siquidem virgo sit) concumbere, nisi prius eam summus Sacerdotum deflorauerit, pro quo tam laborioso officio Rex ei numerari iubet tantum auri, quantum apud nos D. Coronati constituunt. Capturus cibum rex, humi decumbit, sine stragulo aut mappa. Circum eum considunt vel astant Sacerdotes, diligenter eius intenti verbis, nec ad quartum passum ad eum accedunt propius. Honoratissimus post regem est Sacerdotum Ordo: quos sequuntur Naiiri, qui Nobilium nostrorum instar sunt. His licet gestare ensem, clypeum & bipennem, quoties foras prodeunt. Tertius Ordo est opificum & sellulariorum. Quartus piscatorum. Quintus eorum, qui piper, vinum & nuces colligunt. Vltimus (qui tamen etiam priori accensetur) est agricolarum, qui ex aruis Orizam & frumentum colligunt, & hi prope mancipiorum loco habentur. 7.

Habitu siue amictu neque rex neque regina vtuntur nimis magnifico: & habitatores vrbium prope toti nudi incedunt, linteolo tantum verenda tecti. Egresso foras rege, vel ad venandum vel ad peregrinandum, Sacerdotes curam gerunt reginæ. Nobilium & Mercatorum ratio viuendi hæc fere est. Inter amicos & sodales qui coniugati sunt, non est infrequens, vt inter se permutent vxores, roborandæ amicitiæ ergo: at pueri qui inde nascuntur, illius sunt, qui pater esse creditur. Conueniunt aliquando septeni inter se, vt vnam aliquam fœminam vxoris loco habeant, & alternatim cum ea concumbant, quæ si infantem ex promiscuo illo concubitu peperit, dat ei qui ipsi placuerit, neque hic audet oblatum donum recusare. Pransuri cœnaturiq; humi discumbunt, & prococlearibus vtuntur foliis arborum. Qui regem sequuntur Aulici, caput tegunt fascia serica coccinei coloris. Comam omnes promittunt longissimam, quam tamen defuncto rege abradunt, vti & barbam, in signum luctus & tristitiæ. Mulieres eorum nulli omnino rei student, nisi vt se comant ornentque, vt speciosiores appareant, ita vt quamuis nudæ progrediantur in publicum, oneratæ tamen incedant auro gemmisque, quas in auriculis, collo, brachiis, cruribus & supra pectus ferunt. Scribentes solent pingere litteras stylo ferreo in foliis quarundam arborum. 8. 9.

Diuitiæ Calecutensium.

Maximas opes acquirunt ex negociatione huius regni incolæ, cum non solum vendant piper suum cum gingibere peregrinis, sed & aro- 10.

mata aduectitia, quæ ipsi nullo negocio permutatione nanciscuntur. Cinnamomum enim ad eos adfertur ex Insula Zeylon, quæ L. milliaribus Germanicis ab Calecuto abest versus Orientem. Caryophyllos cum Nuce myristica & floribus eius accipiunt ab Moluccis: Moscum ab Pegu: Margaritas ab Armusio: Nardum cum Myrobalanis ex Cambaia: Thus ex Arabia: Aloen & Camphoram ab China: Piper oblongum ex Sumatra Insula: postremo lignum Brasilense ab Vrbe Tarnassori. Subministrat etiam Calecutum exteris magnam vim Casiæ, quæ in eius crescit agro. Hæc mercium varietas facit, vt Vrbs ista sit velut commune Emporium Mercatorum Arabum & aliorum, qui in Oriente negociantur, vnde inter ditissimas Indiæ referri potest: vnde etiam facilis coniectura fieri potest, quantæ sint opes regis & prouentus.

Vere autem dicere possumus, negociationem rerum aromaticarum tam esse quæstuosam, vt vel sola Principem opulentum reddere possit, si portoriorum & vectigalium magnitudinem consideremus: accedentibus mercatorum diuitiis, quæ tantæ sunt, vt cum nonnullis principibus Europæ Africæq; de pecuniarum multitudine certare queant.

Vires militares.

11. Rarissima est apud omnes Malabarum gentes militia equestris, non solum quod regiones istæ equos paucos gignant (qui enim ibi sunt, fere è Perside aut Arabia eo venerunt) sed &, quod ipse situs ac ingenium soli equites non ferat. Sicut enim in quibusdam Septentrionis locis apud pedites sarissæ illæ prælongæ in vsu non sunt, neque apud equites lanceæ, quod subinde per syluas incedendum sit: ita Malabares non multum equis vehuntur, quod crebræ apud eos sint angustiæ ac claustra viarum, intersecis viis alicubi per fluuios, alicubi per Sinus Maris, alicubi per paludes, & angusta facientibus itinera. Omne igitur eorum robur militare consistit in peditatu & viribus naualibus. Et peditatus quidem hæc est ratio.

12. Primo milites omnes sunt nobiles, vocanturque Naiiri. Hi cum septimum annum attigerunt, mittuntur ad Gymnasium, vt ibi vsum armorum addiscant, instituti à Gymnasiarchis, qui eos non tantum in ea palæstra exercent, sed & membra iuncturasq; eorum vngunt oleo sesamino, vt aptissimi euadant ad pugnandum & supra modum agiles, vt membra sua iactare atque flectere possint, tanquam destituerentur ossibus. Accedit ad hoc perpetua armorum tractatio, quod gnari, vnum aliquem in multis rebus simul excellere non posse, toti se addicant gladiatoriæ scientiæ. Sunt autem arma eorum antiquitus vsitata, hasta longa, arcus & sagittæ, gladius, cum clypeo. Post Lusitanorum vero aduentum didicerunt artem fundendi machinas eneas & conficiendi bombardas minores, vt tractare ea omnia iam satis scite atque commode norint: nam & puluis eorum Pyrius multis modis nostro melior est. In aciem prodeunt fere nudi, præter vmbilicum, neq; thoracibus vtentes neque galeis ferreis. Hinc fit, vt optime tractent arma, & ad quoduis pugnæ genus apti sint. Imminent enim hosti ex improuiso, & rursus in momento oculi recipiunt se: ita, vt cum eos longe abesse putabis, à tergo tibi instent, vt neque insequi cedentes, neque fugere instantes recte possis. Neque enim tardior est eorum pedestre cursus, quam expeditissimi equitis. Vbi ad manus ventum est, quod non nisi coacti faciunt aut inuitati occasione sæpius punctim faciunt. Alligunt capulis gladiorum suorum certas laminas æreas vel argenteas, quarum concussarum strepitus illis est pro tubis tympanisve.

Est inter Naiiros quidam Ordo militum, qui Amoques vocantur, quorum hæc vnica est professio, vt magna seueritate & contemtu periculorum vindicent mortem interemtorum sociorum. Quod si regem interfici contingat, furiosorum instar in vltionem eius currunt, vt nullo periculo retineri possint. Hæc est ratio, vt Indorum reges magis minusq; æstimentur, prout plures vel pauciores Amoques habent. Horũ exemplo cæteri Naiiri animos sumunt, cũ alioquin domi vxores non habeant, quarum amore à periculis auocentur. Multa enim sunt secula, cum Principis cuiusdam exemplo legibusq; mulieres esse communes cœperunt. Addẽda his est ingens horum Naiirorum licentia & arrogantia, ad quos nemo plebeius adire propius audet, nisi qui verberibus contundi optat. Transituri per plateas Vrbis, mittunt ante se seruos suos, qui populum de via submoueant. Quod si Ianitsaros nimia libertas audaces in bello facit, æquum est, vt Naiiri animosiores sint, quorum vultum nemo plebeius impune adspicere potest. Vnde fere non in vrbibus sed agro habitant, in domiciliis cinctis fossa & vallo, insuperque dumetis vepretibusque in sæpimenti speciem, vt difficilis sit ad eos accessus.

Si quis igitur scire velit exactius, quantũ militũ Rex Calecutanus possit in militiam educere, discet hoc ex expeditionibus quas cõtra Lusitanos fecit: inprimis anno M D III. cum LX. millia eduxit contra Eduardum Pachetum, Emanuelis regis copiarum ducem, qui tunc sibi defendendas sumserat partes Regis Cochinensis. Marina vero eius Regis classis constitit CC. nauibus, in qua expeditione per menses V. perseuerauit. Anno A N. C. MDXXIV. obsedit idẽ Rex propugnaculum, quod Lusitani struxerant non longe à Calecuto, exegitq; in illa obsidione totam hyemem. Etsi autem Lusitani aliquandiu satis mascule defenderunt munimentum, postremo tameu ipsi deiecerunt & complanauerũt istud, cum tantam esse regis illius viderent potentiam. Anno A N. C. MDLX. obsedit idem rex Calecutanus Arcé Chialensem, eamq; obtinuit, coacto Lusitanorũ in ea præfecto facere deditionẽ. Nec semel ostendit idẽ rex quantũ classe valeat. Cũ enim aliquot obtineat portus marinos, ad quos crebri commeant mercatores, facile ei

est,

est, tantum armare nauium numerum, quantus ipsi placuerit. Quanquam non negauerim, nostro tempore omnes Indorum vires maritimas plurimum cedere classibus Lusitanorum, siue ipsas naues siue milites classiarios consideres. Idem quoque si de militia terrestri dixero, non errauero. Quo pacto enim fieri potest, vt homo nudus non metuat ferrum? aut quomodo armatus tectusque bonis ferramentis non erit audacior nudo? Nimirum hæc est causa, ob quam omnes populi, qui in bello armis defensiuis non vtuntur, multo plus collocent fiduciæ in agilitate, quam vi, & in celeritate quam robore: magis enim pugnant fugientes, quam comminus pugnantes, & in hominum multitudine, non virtute, proram puppimque victoriæ collocantes.

MODVS GVBERNATIONIS.

Defuncto regi apud Calecutenses filii minime succedunt, sed Sororis filius ad Principatum conscendit. Causam hanc afferunt, quod vxorem regis non ipse rex, sed Brachmanorum supremus deuirginauerit, accedente alia causa, quod semper aliquis ex Sacerdotibus reginæ sit societate & velut contubernio. Iustitiæ tam rigida hic obseruatio, vt qui hominem data opera occidit, palo transfigatur: qui vero eum sauciauit, ad multam regi persoluendam damnatur.

Creditor videns se à debitore inanibus lactari verbis, infectum reddit contractum, sumtoque cortice viridi ab arbore aliqua, vel vimine persequitur debitorem, eumque assecutus ligat illo vimine vel subere adiurans per Brachmanos & Regem, ne inde discedat, donec æs alienum persoluerit. Qui ad hunc modum constringitur, pedem loco non mouet, nisi placato creditore. Si vero fugere conetur, è vestigio morte afficitur.

Religionis siue cultus ratio apud hos populos.

Aiunt Calecutenses se credere in Deum vnum, qui Cœli atque terræ, adeoque totius huius vniuersi prima sit causa. Et hunc tamen ociosum faciunt, dicentes eum, vt suauiter in vtramque aurem dormire posset, gubernationem Mundi Diabolo commisisse, quem & ipsum ex cœlitibus vnum faciunt, vt sit Iudex terræ, puniatque vel præmiis afficiat mortales pro eorum meritis. Diabolum ipsi appellant *Deumen*, Deum vero *Tamerainum*.

Habet autem ipse Rex Lararium in suo Palatio, totum perpictum figuris Diabolicis, ea specie quæ fingi potuit tristissima. In medio thronus est æneus, inque eo Diaboli statua ex eodem metallo, sedens, habens in capite Coronam triplicem mitræ circumplexam, qualis Pontif. Maximorum pingitur. Adima tyara prominent tria cornua prolixa, & à fronte *Mipleze-*

thi quatuor minora. Ore hiat patulo, à quo prominent dentes quatuor aprugni; nasus refert rostrum milui, oculi scintillant, tota facies est furiosa & ad terrorem composita. Digiti incurui sunt harpagonis instar, pedes & crura velut gallinacei. Ab imo rictu faucium prominet pars absumta pueri, in dextra habet alium infantem, eo habitu, vt iam ori inferat, quasi deuoraturus. Hos infantes ipsi dicunt animas repræsentare humanas.

Hoc Monstrum Sacrifici, qui apud barbaros hosce Bramini vocantur, singulis diebus lauant aqua rosacea, aliisque liquoribus odoratis, adolentes thure aliisque suffumigiis fragrantibus. Dum perfumant statuam, prosternunt se ante eam in faciem, faciuntque id aliquoties singulis septimanis. Statuitur ibi Abacus instar Altaris cuius pes siue fulcrum altum est pedem & dimidium: latitudo pedum duorum, longitudo trium: hunc abacum cooperiunt variis floribus, inspergentes puluerem odoratum. Post hæc effundunt ex vase argenteo in foculum ardentium carbonum sanguinem galli gallinacei, cum multis thymiamatis rebusque aromaticis, acceptoque thuribulo, lustrant aliquoties Altare, sonante interea tintinnabulo argenteo. Gallo gallinaceo ad sacrificium destinato collum incidunt cultro argenteo.

Dum autem Sacerdos hæc sacrificia peragit, crura eius atque brachia onerata sunt annulis frustillisque argenteis, ex quibus commotis exoritur sonus affinis tinnitui cymbalorum. A pectore eius dependet bulla gemmata, quæ Brahminos à vulgo distinguit. Finito Sacrificio, replet vtramque manum tritico, exitque præpostere è delubro, facie semper in Idolum conuersa, donec ad arborem extra vestibulum perueniat, ibi dispergit triticum, reuersusque in Fanum, aufert ornamenta ab Altari.

Rex cibum capere, nisi aliquo Bramihorum 15
præsente, & primum ferculum Cacodæmoni offerente, religioni sibi ducit. Vbi pransus cœnatusque est, Bramini reliquias cœnæ colligunt, & corniculis obiiciunt.

Nec rex nec illustrium quisquam in ciuitate carnes gustant, nisi permissu Sacerdotum, cum cæteri iis promiscue vescantur.

Non sunt autem prætereundæ silentio Indul- 16
gentiæ solennes, quibus populus quotannis donatur mense Decembri, concurrentibus hominibus ex omnibus totius regni prouinciis & oppidis ad templum quoddam in medio Lacu extructum, cuius tectū innititur duobus columnarum ordinibus pulcherrimis, pendente ab laqueari prægrandi lampade, ad nauigii instar formata, quæ toti ædificio lumen ministrat. Ipsum templum ab omni parte cingitur arboribus viridantibus, nullique fas est illud ingredi, nisi se prius in stagno illo abluerit: ingredientes adspergunt Sacerdotes oleo ex ampulla depromto, postea se accingunt ad offerendum Diabolo sacrificium, quem vbi adorauerūt suam quisq; domū reuertuntur. Interea Brami-

ni pollicentur illis omnium delictorũ veniam, estque per triduum Ædes illa velut Asylum commune, quo datur refugium omnibus, nec fas est cuiquam vltionem sumere de inimico suo, aut corripere sontes, sed ne ob crimen quidem capitale litem intendere.

REGNVM BISNAGAR SIVE NARSINGA.

SVMMA CAPITA.

1 *Situs huius regni. eius longitudo. præcipuæ Vrbes Narsinga & Bisnagar.*

2 *Prouincia Canarensis, quæ & Concanensis, eiusque primi nominis oppida maritima.*

3 *Magna agrorum in hoc regno fertilitas, in quibus abunde crescit frumentum, saccarum, gingiber aliaque aromatica, nec non sericum, gossypium, ficus & nuces.*

4 *Mores & consuetudines horum populorum, & generatim omnium Indorum, eorumque diuisio.*

5 *De Hiobolis siue Gymnosophistis quorum vestitus est è corticibus arborum vel lino incombustibili. Horum austera vitá, cum abstinentia à vino & Venere. Exercitia eorum ad conseruandas vires corporis ingeniique. eorundem doctrina, Philosophia, colloquia cum regibus de rebus diuinis & humanis, de motibus cœlorum & Secretis Naturæ.*

6 *Germani, siue Carmani, diligentes in consideratione membrorum corporis humani, in curandis morbis, diuinationibus, Necromantiá.*

7 *Ex quot & quibus Ordinibus constet Populus Indorum. Aratores ab expeditionibus bellicis immunes. Pastores vitam degunt ruri in tentoriis extra vrbes & pagos. Artifices & fabri cudentes instrumenta bellica & rustica. Quintus ordo est Militum: Sextus Magistratuum: Septimus Consiliariorum.*

8 *Vestitus Indorum nostro tempore. Quo pacto ornatus Rex in bellum eat.*

9 *Prouentuum regiorum magnitudo, qui quotannis ad duodecim Milliones auri adscendere putantur.*

10 *Exercitus eius pedestris & equestris: arma, instrumenta, machinæ.*

11 *Idololatria Narsingensium, adorantium Diabolum, eique templa ædificantium.*

12 *Duæ in Religione apud hanc gentem Sectæ, Baneanorum & Braminorum. Vtrorumque doctrina & ratio viuendi. Quæ colere soleant Numina.*

1. ACCENSETVR iure merito Rex hic potentissimis Indorum Principibus, qui intra Indum & Gangem fluuios dominantur, cum regnum eius longe extendatur inter Promontorium Comorinum & Guadauerinum, interque Montes Gatenses & Sinum Gangeticum siue Bengalensem, adeo vt in longitudine habeat CC. Leucas siue DC. millia passuum. Sunt qui dicant hoc regnum ob amplitudinem suam intra spacium VI. mensium vix perambulari posse. Sunt in eo duæ Vrbes Regiæ, *Narsinga & Bisnagar*, celeberrimæ ob mercimonia. Ab his duabus vrbibus præcipuis rex iste modo Bisnagarensis, modo Narsingensis appellatur. Aiunt *Tarnasserim* vrbem ad hoc regnum pertinere: sed eam Rex Peguanus occupauit. Præcipua est celebritas duarum vrbium in hoc regno à Christianis habitatarum: quarum illa *Coromandel*, ab Hollandis: hæc, Malipur, ab Lusitanis incolitur. Regis Narsingensis dominio etiam subest Prouincia *Canarensis* siue *Concanensis*, quæ aliqua ex parte accensetur regno Decanensi. Præcipuæ huius prouinciæ ciuitates maritimæ sunt *Onor, Batticala, Magindra & Mangalor*. Onor tamen hodie Lusitanis paret, quibus & Batticala soluit tributum. Subiectus præterea est Regi Narsingæ, Rex *Trauancori*, quæ est regio siue pars Malabarum.

Qualitas & Natura soli.

Abundat regnum hoc omnibus rebus ad vsus vitæ humanæ necessariis. Multum enim gignunt agri tritici, saccari, gingiberis aliarumque specierum aromaticarum, accedente copia lanæ sericæ & gossypii, quantum vix alibi sis inuenturus. Ager Bisnagarensis fertilissimus est, habens etiam sylvas & nemora amœnissima. Canarensis fert Orizam, saccarum, ficus & nuces, parum tamen aut nihil tritici, ordei aut leguminum. Trauancorense solum exsuccum est & sterile, ineptum creando frumento fructibusque arboreis.

Mores Indorum antiqui.

Cum eorum populorum, qui olim hanc Indiæ partem, in qua est regnum Narsinganum, incoluerunt, consuetudines & ratio viuendi cum omnium cæterorum Indorum priscis moribus ritibusque in plerisque conueniant, de iis in præsenti loco iunctim dicere constituimus. Solebant igitur prisci Indi præ omnibus viciis fugere furti fœditatem, nõ quod haberent scriptas leges, vt qui nõ vterentur litteris, sed quod iis ita dictaret ratio. Vinum non bibebant nisi in sacrificiis, cum potus eorum vsitatus factus esset ex ordeo & oriza, è quibus & ptisanaria coquebant. Lites atque controuersiæ erant iis

ibus ignotæ, cum ius scriptum non haberent, vnde neque testimoniis neque apographis opus erat, cum quisque alterius verbis fidem haberet. Digressi ab domo, ædes suas incustoditas relinquebant, quæ omnia signa sunt miræ bonitatis & innocentiæ. Viuebant fere solitarii, cœnæ tempus certum nullum erat, sed vt quisque esuriebat, ita capiebat cibum. Corpus sæpe vngebant, & hebeno ligno leuigabant, vt splenderet cutis. In sepultura mortuorum & erigendis monumentis, minime erant sumptuosi: viui tamen in splendore vestium nimii erant, onusti corpus auro gemmisque. Linteo delicatissimo tegebant faciem, à sole & vento, ne forma fieret deterior. Maxima virtutum apud eos erat veritas, nullusque erat senectuti honos, nisi coniunctæ, cum prudentia senili. Vxores singulis licitum erat habere plures, quas emebant à parentibus eorum, dantes precii loco par boum. E mulierum numero quasdam seruitio domus destinabant, quasdam procreationi liberorum, tertias delitiis iocisque, neque cogebant, has caste viuere, sed licitum erat vagæ veneri dare operam. Coronati caput floribus neque sacrificabant neque ad Aram accedebant: sed nec effundebant victimarum, vt cæteræ gentes, cruorem, sed eas suffocabant in suo sanguine. Falso testi extremi digitorum articuli amputabantur, & qui alteri præciderat membrum aut inutile reddiderat, non tantum idem patiebatur, sed & amittebat manum, qua facinus perpetrauerat. At qui opifici alicui oculum excussérat, supplicium capitis subibat.

Regi non pueri erant à seruitiis, aut adolescentes nobiles, sed mulieres conditione seruæ: prætoriani autem atque stipatores foris agebant sub tentoriis extra vrbem. Mulier quæ regem ebrium interfeciſſet, id præmii ferebat, vt nuberet successori eius, liberique inde nati succederent patri in regno. Regi interdiu dormire minime licebat, sed & de nocte sæpius mutabat is cubiculum, ne insidiis opprimi posset.

Cum bellum non esset, solebat rex audire litigantes, & iis qui petebant, ius dicere: quin & si eo tempore, quo vngebatur tergebaturque, essent qui eum de facienda iustitia appellarent, cogebatur iis operam dare. Ad sacrificium vel venationem cum ibat, multi eum sequebantur stipatores, qui & feras persequebantur. Locus vbi rex delitiis operam dabat, fune cinctus erat, extra quem stabant custodes corporis: quod si quis ingrederetur, dum rex cum aliqua concubinarum colluderet, statim priuabatur vita. Faciente rege iter per regnum, qui eum præibant, ferentes tintinnabula & tympana sonum ciebant: qui si nemus aliquod intraret ad venandum habebat circum se tres quatuorve mulieres armatas: si vero per campestria ingrederetur, vectus Elephanto multas circum se habebat fœminas, in vsu armorum exercitatas, quarum aliæ quidem gestabantur Elephantis, aliæ equis, postremo aliæ curribus.

Adorabant Indi Iouem pluuium, & Fluuium Gangem, & Genios, & eos quos vocabant Deos Tutelares. Fuerunt olim, diuisi vniuersi Indi in VII. Ordines. In primo erant Sapientes, siue Philosophi, qui & Gymnosophistæ & Brachmani, supra cæteros omnes honorati. Hi ab omni labore immunes erant, cum neque seruirent cuiquam neque imperarent: accipientes duntaxat ea quæ à singulis offerebantur Diis. Gerebant hi curam mortuorum, vt qui plus reliquis à Diis amarentur, & scirent quid ageretur apud Inferos. Sapientes prædicebant sub initium noui anni futuras siccitates, ventos, pluuias, morbos & alia, quorum prænotionem habere vtile est. Quod si quis horum vatum mendax deprehensus fuisset, perpetuo multabatur silentio. Gymnosophistas totos nudos incessisse nomen arguit: incolebant hi fere loca deserta & secessus, disputantes de causis naturalibus, intuentes Solem à matutino ad vespertinum tempus immoto oculo. Vt obfirmarent se in patientia, totos dies nudis pedibus stabant in feruente arena. In Sapientum horum numero etiam erant Brachmani, quorum desideria intra naturæ requisita cohercebantur, quique nulla re quam sponte terra nascentibus vescebantur. Sunt qui hos ortos putent ex Abrahami filiis quos ex Concubinis genuit, quosque pater in Orientis partes misit, vt Sacræ Litteræ testantur, cum donis muneribusque. Hæc autem dona non tam constitisse in auro & pretiosis vestibus, quam bonis Artibus, inprimis scientiis Astrologicis & Magia Naturali, quarum omnium perfectam ii habuerunt notitiam. Strabo secutus Onesicritum diuidit Gymnosophistas in Brachmanos & Carmanos. Brachmani tradebant aliis artes, quas ipsi à maioribus suis acceperant, & sequebantur studia Philosophiæ. Carmani erunt alienigenæ, neque ex horum prosapia oriundi.

Honoratissimi omnium erant Gymnosophistæ, cooperti corticibus arborum vel tela linea subtilissima, quam non lauabant aqua, sed in ignem iniectam purgabant à sordibus, & illæsam è flamma extrahebant. A vino & omni fœminarum vsu abstinebant, donec septennium in illo vitæ genere exegissent. Eorum cum regibus sermones erant De Republica, De Rebus Diuinis & Humanis, De Cursu Astrorum & Motu Cœli, De Naturæ Secretis aliisque huiusmodi. Corpora sua indurabant perpetuis exercitiis, iisdemq; accuebant ingenia, vt immoti essent in consultationibus iudiciisque suis.

Finis atque Scopus vniuersæ eorum Philosophiæ erat, vt bonam mortem sequeretur beata æternaque vita. Multum in perueſtigandis inueniendisque his insumsit laboris Apollonius Tyanæus, vt audiret Iarcham Principem eorum differentem de Natura, Motibus Cœlestibus, & Mutatione dierum.

Hi nimirum fuerunt illi, qui reprehenderunt Alexandrum Magnum cum victor ad eos penetrasset, quod non contentus regno patrio totum armis inquietum redderet Orientem. Hæc quidem Strabo tradit, quem sequitur Plinius in Natur. Historia. Quantum hi auxerint scientiam Moralem, ex Apulei scriptis planius fit, vbi eos miris modis commendat, qui adeatur.

De Germanis (vel potius Carmanis) tradit supra memoratus auctor, eos potissimum occupari in cognitione corporum humanorum, viuere Oriza integra & in farinam redacta, mederi languidis, & inter medicandum potissimum vti vnctionibus & cataplasmasi. Quosdam studere diuinationibus & incantamentis, itemque Necromantiæ, errareque per ciuitates de loco alio in alium. Has vanitates omnes oderãt priores illi, eosq; vbi poterant, reprehendebant.

In secundo Ordine erant Agricolæ & Aratores, qui cæteros omnes numero superabant, exempti ab omnibus belli expeditionibus.

Hi gliscente bello ab hoste non affliguntur, sed omnes eos sinunt pace suisq; perfrui laboribus, quasi totius Orbis bono laborantes. Vnde mirandum non est, regiones has omnibus rebus necessariis abundare; & ipsi hac tranquillitate egregie perfruuntur, viuentes ruri cum vxoribus & familia, securi ab omnibus, si regi censum pendant tributumque.

Tertius ordo erat Pastorum siue Pecuariorum, qui in oppidis pagisque non habitant, sed extra ea in tentoriis mapalibusque. His vita omnis (præter pecuariam) in venatione, struentibus pedicas noxiis animantibus, quarum ingens in his regionibus numerus, vt etiam fructus arborum segetesque lædant.

Quartum Ordinem obtinebant Opifices, interque eos fabri armorum omnis generis, deinde fabri instrumentorum rusticorum aliorumque quorum in vita communi vsus est. Et hi non solũ erant immunes à bello & exactionibus, sed & accipiebant viritim frumentum ex granariis Regiis.

Quintum locum obtinebant milites: hi à prima pueritia exercebantur in armis, vt ea dexterrime tractare nossent, quorum sane numerus magnus erat. Eorum vero Elephanti & Equi alebantur impensis Principis.

In quinto gradu constituuntur Magistratus, qui intento in omnes oculo obseruabant, quid vbique rerum gereretur, vt rex per eos de omnibus certior factus, mederi rebus laborantibus posset.

In septimo supremoque ordine collocabantur qui præerant consiliis publicis, numero sane exiguo, clarissimi tamen prudentia & nobilitate. Ex horum collegio legebantur consiliarii regii, & quibus grauissima regni negocia committebantur, vnde & in omnibus controuersiis iudicium ferre poterant. Ex iisdem desumebantur Præfecti & Rectores Prouinciarum.

Præter hos omnes erant constituti quidam viri Illustres, qui darent operam, ne quid aduersi paterentur hospites & peregrini, & si quem horum morbo affligi contingeret, adhibebant Medicum: si defungeretur æger, mandabant corpus terræ, reddito auro, argento bonisque eius proximis demortui agnatis. Erat autem penes iudices vniuscuiusque loci, punire eos, qui de perpetrato aliquo crimine conuicti fuissent. In ea parte quæ Mare Austrinum & Malacam contingit, viuebant pastores carnibus crudis. Si quis enim siue vir siue mulier in morbum incidisset, aderant propinqui agnatique eius, languentemq; necidedebant, quod diutius ægrotando carnes faceret deteriores. Interfectum ergo comedebant, & ad eundem modum decrepitos senes tractabant.

Alibi neque hominem neque animal aliud vllum interficiebant: sed nec sementem proiiciebant, neque domus ædificabant, viuentes herbis fortuitis, & quadam milii specie temere nascente. His similibusque rebus vitam tolerabant. Si quis eorum in morbum incidisset, recipiebat se in desertum, certus, neminem posthac sui gesturum curam, quo pacto moreretur aut sepeliretur.

Mores recentiores.

Ditiores in regno Narsingensi sagum ferunt breue, vel potius amiculum, tegentes caput Tulipane, more Turcarum, sed versicolore. Plebi nullus amictus, nisi quod partes genitales tegunt.

Exiturus rex in bellum, pro paludamento sumit togam xylinam, cui superiniicit Chlamydem lamellis foliatis aureis plenam. pro lemniscis in fimbria ambeunt ordines aliquot margaritarum & gemmarum preciosissimarum. Equus eius non minoribus diuitiis coopertus est, vt earum vix iniri ratio queat. Cæterum incolæ panem vulgo non comedunt, viuentes potius Oriza, carnibus & piscibus, fructibusq; quos arbores proferunt.

Ii qui Choromandelam incolunt, in tantas adiguntur extremitates, vt liberos suos vendant, si vno anno pluuiæ nullæ cadant, quanquam hoc per pleraſque Indiæ regiones non sit infrequens, quod patres vendant liberos suos, & ipsi adulti se ipsos aliquando, precio non ita magno. Principum huius regni mos est, vt valde sibi placeant, si adipiscantur seruos nobili natos genere, quibus & aliquando filias elocant, vt hæredes fiant dominorum siue patronorum suorum.

Opes & diuitiæ.

Sunt qui nequaquam dubitari volunt, quin Rex Narsingæ percipiat quotannis XII. auri Milliones, ex quibus ille duos cum dimidio in Thesauros siue Ærarium suum recondat, reliquum omne impendat, vel in splendorem Aulæ suæ, vel sumtus Militares.

Sunt

Sunt autem CC. velut summi militiæ duces, quibus distribuit regni sui agros, hac cõditione vt quisque eorum regi in militiam proficiscenti adducat certum numerum Elephantorum, Equitum, & Peditum. Sunt autem Feudalia hæc bona tam quæstuosa, vt sint, qui ex iis annuatim colligere possint auri Millionem vnum. Neque incredibile hoc videri debet, cum in hac parte, quæ prope maxima est totius Orientis, non agri tantum, sed & metalli fodinæ, sylvæ, ipsæque adeo aquæ his Principibus quæstum adferant. Neque enim cuiquam abluere corpus in Gange fluuio licet, nisi prius persoluto argento, estque in regno Narsingæ illa aqua emenda precio, si eam asportare quis velit, ad nescio quas expiationes vel superstitiones. Cum igitur rex sit dominus fontium in suo regno, nihil relinquitur populo præter labores: diuisis igitur regni fundis prædiisque inter Tribunos & Centuriones, verisimile est, quosdam ex iis incredibiles percipere redditus.

Robur militare.

Communis fama est, Regem Bisnagaris & Narsingæ habere semper in armis XL. millia Naiirorum siue Nobilium, qui omnes militiæ destinati sunt, addicti stipendiis regiis: præterea que equorum XL. millia, qui partim à Perside veniunt, partim ex Arabia: Elephantos autem CC. Si vero vis hostilis patriæ ingruat, certum est, eum multo maiores copias in hostem ducere posse. Ostendit hoc Iohannes Bartosius, cum depingit exercitum, quem Chesnatus Rex Bisnagaris duxit aduersus Idalcam in expeditione Raphiensi. Ait igitur exercitum illum in plures diuisum acies, velut membra, sub certis militasse Tribunis Ductoribusque. Primum agmen duxisse Camaraicum, cum Equitibus M. Elephantis XVII. Peditum XXX. millibus. Hunc secutum Tierrabitarum habuisse Equitum II. millia, Elephantos XX. Peditum L. millia. Timanapaicum duxisse tertium agmen, in quo fuerint III. millia Equitum & D. Elephãti XXX. Pedites sexagies mille. Hadapanaicum secutum habuisse Equitum V. millia, Elephantos L. Peditum C. millia. Sub Condomaro militasse Equitum millia VI. Elephantos LX. Peditum CXX. millia. Comorum duxisse II. millia Equitum & D. Elephantos XL. Peditũ vero LXXX. millia. Postremo Gendraium Equites M. Elephantos X. peditum millia XXX.

Post hunc exercitum processisse Eunuchos Regiæ cum M. Equitibus, Elephantis XV. & peditum millibus XL. Betelum Cubicularium duxisse Equites CC. Elephantos XX. peditum VIII. millia. Comarbecum duxisse Equites CD. Elephantos XX. peditum millia XV.

Hos omnes secutum fuisse ipsum Regem cum Prætorianis Stipatoribusque, quorum hic fuerit numerus. Equitum millia VI. Elephenti CCC. Peditum millia XL. Ad latus ei adequitasse Præfectum Bengaporensem, cum aliis ductoribus Ordinum, qui & ipsi iunctim sub signis habuerint IV. millia Equitum, Peditum LX. millia, Elephantos XXV. Præter has copias omnes adfuisse Equitum millia II. peditum C. qui omnes in paruas turmas & manipulos diuisi fuerint, vt instar velitum ante aciem discurrerent, & perueſtigarent, quoniam loco hostes essent. Exercitum secuta fuisse Aquariolorum millia XII. Scortorum millia XX. Lixarum, Calonum, Mulionum, Opificum, Institorum, itemque iumentorum tantum, vt numerus comprehendi non possit. Quanta autem hæc in vniuersum fuerit multitudo, vel inde colligi posse ait noster auctor, quod in transitu fluuius quidam, qui primorum coxas aquis suis prope attigerit, vltimis ad potum non sufficerit. In hanc expeditionem antequam iret Rex, narrat Bartosius, eum sacrificasse nouem dierum spacio viginti millia animalium, prætereaque DCCXXXVI. victimas, quarum omnium carnes distributæ fuerint pauperibus in honorem Idoli. Armatura prophylactica horum militum omnium (vt auctor refert) fuit è materia gossypina, contextura tam firma, vt vel acutissimæ lanceæ ictum respuere posset: eodem modo & Equorum ac Elephantorum corpora munita fuerunt. Cuiq; Elephanto sua erat imposita turris, inq; ea quaterni milites armati, pugnantibus etiam bestiis promuscide, qua prælongos vibrabant gladios. Peditatus huius Regis diuisus erat in sagittarios, doryphoros, gladiatores & Cetratos, extremis ferentibus tam latos clypeos, vt totum hominem occulere post se possent.

Est autem obseruatione dignum, Regem Narsingæ cum his tantis copiis propemodũ ab Idalcano, qui re tormentaria optime instructus fuit, ab initio fusum profligatumque fuisse. Videntem autem confusionem exercitus sui, hanc magno Principe dignam emisisse vocem: longe sibi optabilius fore, si Idalcanus gloriaretur, occisum ab sese Narsingæ Regem quam victum. Et cum dicto verbis efficacibus solatum suos, instauraſſe prælium, atque hostes deuicisse. Interfuerunt huic conflictui XL. Lusitani, secuti partes Idalcani. Cepit Rex potitus victoria, equorum Arabici generis IV. millia, Elephantos C. Tormenta ænea maiora CCCC. & ingentem numerum minorum: de iumentis enim, tentoriis, impedimentis & captiuis nihil certi dici scribique potest. Nostro tempore duo duces insurrexerunt in hunc regem, quorum prior Virapanæus nomine Negapatana habitat: alter, Vengapatir loca quædam circa Malipuram occupauit. Vt autem Rex Narsingæ promptioribus vtatur militibus, singulis annis eorum lustrationem instituit, vbi tam ductores, quam milites comparere necesse est. Qui vel tardius comparent, vel minorem clientum, quam imperatus est, adducunt numerum, honore & officio deiiciuntur.

Quæ sit Narsingensium Religio.

Fatentur hi populi vnum esse Deum, auctorem

rem & Dominum totius huius vniuersi. Diabolum autem venerantur vt auctorem omnis mali, quem enixius colunt quam ipsum Creatorem, excitantes ei magnifica Templa, attributis opulentis prouentibus.

Sunt atque assiduo versantur in his Templis certi quidam homines qui Idolo seruiant: at alibi prostant meretrices, quæ corpore quæstum facientes, quidquid lucrantur, ad Idoli cultum conferunt, instituentes interim puellas in eodem artificio. Sunt autem in hac regione, vt in vniuersa prope India, duo hominum genera, qui detestandis his sacris operantur: Baneani & Bramini, siue Brachmanes. Et illi quidem valde numerosi sunt in regno, quamuis in diuersas diuisi Sectas: in eo tamen omnes consentientes, quod nec ipsi animal viuum occidant vllum, nec ab aliis interemti vescantur carnibus. Quin & auiculas à pueris captas emunt, & liberas auolare sinunt.

Rapis & allio non vescuntur, abstinentque à vino, aceto, vt & Nympa & Ortaco, quæ sunt genera potionis Indicæ. Macerant se crebris ieiuniis, sub vesperam duntaxat parum sumentes saccari, vel lactis, qui vero superstitiosiores sunt, prorsus abstinent.

Aquam saccaro edulcatam & auiculis & formicis exhibere solent, quin & in Cambaia aiunt esse domum Hospitalem, curandis ægris auibus destinatam.

Quidam magis sobrii, cum se vicinos morti vident, bonorum suorum partem legant aliis, vt per loca deserta circumeant atque arentia, & aquam præstent viatoribus restinguendæ siti. Extenditur autem hæc misericordia vsque ad papiliones, cum candelas lucernis apte contegant, ne insecta illa circumuolitantia exustis alis pereant.

In primo matrimonio acquiescunt, ad secunda vota non transeuntes: oportet enim vxorem cum defuncto marito simul sepeliri. Cæteri non sepeliuntur, sed exuruntur, tam viri quam fœminæ. Viduæ, quæ in ardentem mariti rogum insilire nolunt, toto vitæ tempore habentur infames, haud secus ac si de adulterio conuictæ fuissent.

Baneanorum vestitus idem est qui veterum Brachmanorum: sed & credunt Metempsychosin pythagoricam, de qua satis notum est.

His tamen multo in maiore existimatione sunt Brachmani, siue Bramini, diuisi & ipsi in duas Sectas. Quidam enim vxores ducunt, habitantes in Vrbibus, & hi antiquo nomine Bramini dicuntur.

Qui vero in perpetuum à matrimonio abstinent, *Ioques* vocantur. Et hi quidem prouentus annuos nullos habent, austeram viuentes vitam, alentes se eleemosynis, vagantes per Indiæ Prouincias, abstinentes ab omnibus voluptatibus, donec elapso certo tempore fiant *Abdus*, id est, Perfecti, & in quos peccatum amplius non cadat. Ibi incipiunt se immergere in omne genus turpitudinis & libidinis, nihil turpe aut illicitum iudicantes, quicquid in mentem venerit. Horum Magister colligit ingentes eorum redditus, eosque distribuit pro libitu, mittitque certos discipulos, qui vanitatibus suis homines simpliciores inescent. Cæterum venerantur Bramini quendam *Parabramum*, eiusque tres filios, in cuius honorem gestant tres chordas de collo pendentes.

In numerum Deorum suorum referunt non solum bene meritos homines, sed & animalia quædam, quibus & magnifica Templa erigunt. Colunt miserrimi etiam Simias, & Elephantos, & vtrisque magis boues atque vaccas: adeo, vt Rex, cum nouos Equites creat, iis commendet Braminos & Vaccas. Ratio superstitionis est, quod in hæc potissimum animalia defunctorum animas transire opinentur. Bramini qui littoralia loca incolunt, vescuntur animalium carnibus, exceptis bubulis & porcinis, demonstrantes has suas superstitiones ex certis nescio quorum Prophetarum libris. Deo colorem nigrum tribuunt, hunc esse pulcherrimum opinantes, vnde fit, vt eorum Idola fumo ac fuligine lucernarum nigerrima sint, vsque ad horrorem spectantium.

Deos suos insignes esse comedones, persuadent populo, vt eo plures his offerant epulas, & Sacerdotes habeant quod absumunt. Sunt inter eos quidam Astrologicæ artis peritissimi, vincente tamen malitia scientiam. Decalogum nostrum non ignorant, cuius & explicationem apprehenderunt. Quos sacris mysteriisque suis initiant, sub fide iuramẽti ad silentii promissionem adigunt. Lingua præter Vernaculum vtuntur peregrina, vti nos Latina, docentque discipulos suos in scholis Magiam & Incantationes. Diebus Dominicis vacant Doctores eorum rebus diuinis, in precibus suis sæpe his vtentes vocibus: *Imploro tuam, ô Deus, gratiam, & auxilium perpetuum.* Crines promittunt à prima fere infantia, habentque piaculi instar, è manu hominis Christiani cibum capere.

IMPERIVM ABYSSINORVM SIVE PRETE-IANI.

SVMMA CAPITA.

1 *Variæ Geographorum sententiæ in describendis huius Imperii longitudine, latitudine, & limitibus.*

2 *Quibus Monarcha iste vtatur Titulis & Nominibus.*

3 *Prouinciæ Monarchæ illi subiectæ, Barnagassa, eius amplitudo atque fines. Beroe siue Barua primaria eius vrbs, huiusque situs. Aliæ vrbes & oppida Insulæ, Lacus, Portus, Promontoria celebriora.*

4 *Descriptio plenior huius partis Æthiopiæ; Regia huius Monarchæ in ciuitate Beimalechi, vbi frequentius habitat.*

5 *Fertilitas soli Æthyopici, in proferendo ordeo, milio, pisis, ciceribus, fabis, aliisque leguminibus, nobis etiam incognitis. Saccarum, vinum, poma aurata, limonia, citria, oleum, mel, cera, linum, cotoneum: animalia quadrupedia in magna copia, aues omnis generis, cameli, leones elephanti, tygres, simiæ, lepores, perdices, anseres: hæc omnia hic inueniuntur: nulli tamen Vrsi, Cuniculi & Cardueles auiculæ. Quotannis hic duæ hyemes & duæ æstates.*

6 *Vnde hi Æthiopes trahant originem: sunt inuentores ceremoniarum in sacrificiis, & litterarum Hieroglyphicarum. Reges prisci Idololatriæ dediti. qui vna cum æris cypri & argenti contemtu aurum quoque parui æstimabant. adorabant Solem Orientem, conuiciabantur Occidenti. Abyssini recondebant corpora mortuorum suorum in vasis vitreis. constituebant duo Numina: vnum immortale, alterum mortale.*

7 *Describitur regia Prete Iani. Commoratio eius frequens sub tentoriis: vestitus eius, & quantum post se trahat curruum iumentorumque cum iter facit.*

8 *Natura & ingenium Abyssinorum, eorundem color, corporis habitus, cibi consueti, mos discumbendi in stromatibus humi stratis, sine mappis impositis. Qualis sit eorum potus. qua vtantur lingua, quibus characteribus litterisve. Modus eorum lugendi defunctos. Nauigationes Æthiopum.*

9 *Opes & diuitiæ eorum ex metallis: auro, argento, cupro, ferro. Copia saccari & gossypii. Prouentus annui huius Monarchæ.*

10 *Quantum sit eiusdem Robur militare. quantos educere possit exercitus. Quos Reges Principesque vicinos habeat: Confœderati & inimici eius.*

11 *Rigidum & Imperiosum dominii genus, quod Princeps hic exercet in populum suum. Colitur à suis vt Deus. Refert originem generis sui ad Regem Salomonem & Reginam Sabæ. Successio in regno. Beneficia Ecclesiastica & Administratio Sacramentorum. Meretrices in eo regno. Officia Regia eorumque administri in triplici differentia. Pœna adulterii.*

12 *Duæ Religiones in hoc Imperio potissimum vigentes: Christianismus & Mahometismus. Quo pacto Fides Christiana in has regiones introducta fuerit.*

13 *Error Abyssinorum retinentium Circumcisionem. Forma Templorum apud eos, quæ calceatos ingredi nefas est, & in quibus spuere non licet. Cœmeteria eorundem, Sacramenta, Baptismus, Confessio, Matrimonium. Quam acrem agant pœnitentiam Religiosi Ordinis S. Antonii. Alius quidam Ordo Monasticus. Ceremoniæ vsitatæ in Sancta, vt vocatur Septimana. Duæ notatu dignæ Prophetiæ, ex quibus suam cum Francis vnionem vaticinantur.*

14 *Legationes in causa conciliationis Abyssinorum & Prete-Iani cum Ecclesia Romana.*

PLerique omnes, qui ante nos ea, quæ potentissimus Monarcha iste possidet, attigerunt, ea potius persecuti sunt, quæ prisci Abyssinorum reges sub suo habuerunt imperio, quam quæ nostro tempore sub Prete-Iani dominio censentur, vnde & magna diuersitas apparet in constituendis huius Imperii finibus. Sunt qui id ab vno Tropico ad alterum extendant, tribuentes ei L. vel XLVII. gradus latitudinis, qui constituunt MCCCC. Leucas Gallicas; & hæc erit longitudo. latitudinem eius ab Oriente ad Occasum metiuntur à Mari Rubro vsque ad Oceanum Æthiopicum. Clarius autem describunt limites eius ad hunc modum. Ab Aquilone ponunt Ægyptum, qua parte attingit Nubiam. Ad Orientem locant Sinum Arabicum siue Mare Erythræum, cum parte Indiæ & Sinus Barbarici, vsque ad Regnum Melindæ. Ad Meridiem locant Montes Lunæ, qui ei velut natiuus murus prætenduntur. Occidentale latus eis alluit Niger siue Senega fluuius, accedentibus finibus regnorum Nubiæ & Manicongi. Et hi quidem sunt fines, quos ei regno assignant post alios Geographos Belleforestius & Mercator. Alii, etsi non longe abeunt, ita tamen finiunt, vt limitem Aquilonarem constituant, Nubiam Bugiamque, vicina Ægypto regna: Meridionalem Montes Lunæ: Orientalem, Mare Erythræum cum Sinu Barbarico & regionibus Aiana & Dancala, quæ sunt partes

12

Æthio-

Æthiopiæ exterioris: Occidentalem, Regnum Manicongi cum parte Nubiæ & fluminibus, Nilo & Senega. Hæc est sententia Magini & qui eum sequuntur. Tertius est Hugo Linscotanus, qui in suis nauigationibus hoc imperium extendit à faucibus Erythræi Maris vsque ad Syenen Insulam sub Tropico Cancri, excepta ea parte Sinus, quem Turcæ ei ademerunt intra proximos LXXX. annos: & sic illo dissignatore habebit Prete-Ianus ab Oriente Mare Rubrum, à Septentrione Ægyptum & deserta Nubiæ, ab Austro Regnum Manicongi, quibus spacium vltra CCCC. mil. comprehenditur.

Iohannes vero Barosus, quem Boterus sequitur, ait, nostro æuo Lacum Barcenum obtinere vmb licum huius Imperii, quod extendi dicit ab Oriente, à littore Rubri Maris vsque ad Suaquenam per CXXII. milliaria, intercedentibus tamen inter Mare & dominium hoc longo ordine montibus, quos Mauri habitant, qui & possessionem Maris obtinent, excepto Portu Ercocano, qui ad Prete-Ianum spectat. Ab Occidente obiicitur alius ordo Montium, secundum Nili cursum, quem gentes Idololatræ incolunt, qui Monarchæ huic Tributum soluunt.

Ad constituendum igitur terminum Aquilonarem ducatur linea imaginaria ab Suaquena vsque ad principium Meroes Insulæ, quam hodie Noben vocant, eritq; hoc spacium CXXV. milliarium. Hinc ducendus est semicirculus, sed obtusus nec exacte rotundus, versus Meridiem vsque ad regnum Adeæ (in cuius montibus nascitur fluuius, quem Ptolemæus Ratum appellat, qui infra Melindam Oceanum influit) per spacium mill. CCLIX. Hinc conuerso itinere, finit in Adelæ regno, cuius Caput est Alar Ciuitas, nouem habens gradus altitudinis. Et hic quidem habebit totum hoc Imperium in sua Peripheria non nisi DCLXXII. milliaria.

1. Cæterum iactat se Princeps hic ex stirpe Danuidis oriundum, nominatque se Barbaro fastu Imperatorem vtriusq; Æthiopiæ, Regem Goæ, Caphetum, Fatigaris, Angolæ, Barni, Baliguazæ, Adeæ, Vanguæ, Goiamæ, vbi est scaturigo Nili, Aumaræ, Bagamodri, Ambeæ, Vanguei, Tigremahonis, Sabaimi, Sabæ, Barnagassæ: breuiter, Dominatorem Finium Nubiæ & Ægypti.

3. Cum autem nobis constitutum sit, ita eius describere Imperium, vt nunc est, optimum erit, singulas eius perlustrare prouincias, in quo tamen ipso, quantum instituti nostri ratio fert, breuitatis erimus memores.

Notissima autem omnium huius regni prouinciarum est *Barnagassa*, quod vicina sit Mari Erythræo, cui recta ex opposito extenditur *Suaquena*, ferme ad ipsius freti introitum vsque. Nec tamen habet hæc prouincia nisi vnum portum, nempe Ercocanum. Primaria huius regionis Vrbs vocatur *Beroa*, siue *Barua*, structa super fluuium amœnissimum. Nondum adeo multi effluxere anni, cum Turcæ horribilem in modum eam regionem peruastauerunt, collectis ingentibus spoliis & abductis in seruitutem multis hominum millibus, postremo pax facta est, cum Bassa, qui Suaquenæ commoratur, persolutæ fuissent Mille Auri Vncæ. In Occidentaliori huius prouinciæ parte, mons spectatu dignus assurgit, qui ab ima basi satis spacioſus, paulatim in acumen aliquod se colligit: deinde iterum se dilatans Fungi vel Tuberis pingit figuram, vnum ambitu suo complectés milliare.

Inter ædificia regia supra eum montem structa, Templum spectatur, & Monasterium, & cisternæ duæ prægrandes, cum tanto agri spacio, vt inde facile ali possint D. homines. Ascendi eo non nisi ab vna parte potest, & quidem ad certum duntaxat præcipitium.

Hinc oportet altius adscendere volentes insidere corbibus, & funibus sursum attrahi. Talis igitur huius montis est natura, vt vi capi nequaquam possit, neque adscensu, quia nimis altus est; neque fame, quia quotannis ibi tantum crescit, quantum præsidio sufficiat.

Egredienti tibi Barnagassam occurrent editissimi Montes, Mandafenses, Ofalenses & Gratenses, quibus veluti muro intergerino separatur Imperium Abyssinorũ ab Regno Adelensi.

Dafilaa Prouincia, Regno Barnagassæ subiecta, habet præter *Ercocum* vrbem & Portum, has quoque vrbes: *Santaram, Giabellam, Laccarin, Abdaracham*. Hic inflectit se Sinus Ercocanus vsque ad locum, quem veteres *Aduliten* vocauerunt, qui locus sine dubio est prominentia illa apud Ercocum, vbi terra incurnatur apud Bebulum, faciente curuaturam illam versus Arabiam Erythræo Mari vsque ad initium Freti siue fauces Sinus Arabici, quæ ibi sunt peranguſtæ, aqua subsidente & insulas aliquot aperiente.

Vbi præterieris Ercocum oppidum, cui obiicitur *Mensuria* Insula, peruenies *Zanaguin* & *Zamam*, quæ sunt oppida Prouinciæ Laccensis: deinde *Portum Vellæ*, quæ olim, *Antiphile*; postea inuenies duos Lacus, qui Crocodilos alunt, velut Nilus; hinc venies ad Portum & Promontorium, veteribus *Masylon* dictum, nostris hominibus *Caput de Docono*, quod spectat ad regionem *Dangalin*; Inter duo hæc loca *Dangali* & *Docono* facit mare sinum, sed exiguum, in quo tamen V. vel VI. paruæ emergunt Insulæ, quæ impediunt introitum, faciuntque nautis formidabilem, metuentibus, ne in latentes sub aqua impingant scopulos. Post Dangalin occurrit Portus *Zeilæ*, deinde *Daphnæus*, vbi est *Barbara* oppidum iuxta *Felleos* Montes: hinc celebre illud *Caput Guardafu*, iuxta quod est *Matreum*, olim *Accaneum* oppidum, ibi duplicatur Promontorium istud, & deserto Oriente in Meridiem flectitur versus Æthiopiam interiorem. In hoc latere primum occurrit *Carfu*, olim *Opene*, & Promontorium *Zingitanum*, vbi flectitur in semicirculum mare versus *Azunum* & *Zazellam*, quæ veterum fuerunt *Essina* & *Tonica*: post hæc *Magadazum*, vbi Lusitani sua exercent mercimonia: denique vltima prouinciarum, quas titulo suo exprimit Monarcha iste, nempe *Barrii*, ha-

bent

habens duo oppida maritima *Pateam* & *Bratam*, quorum territoriis separatur regnum magnæ Æthiopiæ à regno Melindæ. Lustratis ad hunc modum huius regni littoribus, videamus iam illius interiora.

Regnum *Tigremaonis* situm est inter *Marabum* & *Nilum* fluuios, & Mare Rubrum atq; regnum Angotense. Numeratur autem regnum hoc inter prouincias Prete-Iani, quod rex illius Abyssino sit tributarius.

In regno *Trigeo* egregia ciuitas est *Cazumum*, quæ putatur fuisse Regia celeberrimæ illius Reginæ Sabæ, quam nomine vocatam fuisse *Maquedam* aiunt Æthiopes, & ex Salomone suscepisse filium, nomine *Meilechum*. In eadem vrbe aiunt habitasse *Candacen*, cuius alibi in Sacris litteris fit mentio. Sed hoc regnum Turca occupauit, vt & magnam partem Barnagassæ, vsque ad Suaquenam.

Regnum *Angotense* medio situ est inter *Tigrimaonem* & *Amarauum*. Subsunt huic prouinciæ Abugana, Iannamora aliæque. Spectantur in hoc regno supra Sabelletam fluuium hæc oppida: *Angorinia*, *Bachle*, *Corcora*, *Betmaria*; ad flumen vero Anconem sita est regni Metropolis, *Angota*, à qua haud longe abest aliud oppidum, *S. Petri* nomen gerens. *Amarano* regno ab Aquilone finitimum est Angotense: ab Oriente Xoæ: à Meridie Damutense: ab Occidente extenditur vsque ad Nilum.

Regnum *Xoa* est inter regna *Amara*, *Damut* & *Fatigar*.

Regnum *Sagamedra* maius est cæteris per Æthiopiam, cum secundum Nili ripam & à regno Gaiamensi extendatur vsque ad Insulam *Gueguerram*, quæ veterum *Meroe* est, quod quidem spacium DC. mill. pass. minus non est. *Meroe* autem siue *Gueguerra* Insula Prete-Iani subiecta dominio non est, vt quidam opinantur, sed habitatur à Mahometistis, qui iurati sunt Abyssinorum hostes.

Regnum *Fatigar* situm est inter Regna *Adel* & *Xoa*: *Damutense* etiam est vicinum Xoæ, inclusum inter Lacum Barcenis & regionem Zanquabaram. Alii collocant regnum Damutense vltra Vanguense & Goiamense Occidentem versus, quorum coniectura videtur esse verisimilior.

Et hæc sunt ea, quæ de tam vasto Imperio dicere habuimus, in cuius descriptione plerique Geographorum balbutiunt, cum quæcunque scripserunt, ex Abyssinorum, qui ipsi peregrini sunt in sua patria, narrationibus, imperfectis illis quidem & male ordinatis, hauserint. Nam & illi, qui Regiam siue habitationem huius Monarchæ *Cuzumum* constituerunt, errant, cum certum sit, referentibus ipsis Æthiopibus, illum sæpius diutiusque commorari in vrbe *Beimalchi*, quam in vlla alia, teste Hugone Linscoto, qui omne littus nauigando rasit Æthiopicum, & hæc ex ipsis Abyssinis didicit. Qui pluribus Imperium hoc describere voluerit, librum forte pluribus implebit verbis foliisque, sed fortassis etiam mendaciis. Sufficiat igitur nobis præcipua attigisse: cætera enim vel incerta sunt, vel indigna, in quibus & chartam & tempus consumamus.

Quale sit natura & ingenium Terræ.

In vniuersum fertile est, feraxque omne solum Abyssinum. Etsi enim tritici non multum gignit, plurimum tamen dat hordei, milii, pisorum, ciceris, fabæ aliorumque leguminum, quæ magna ex parte nobis ignota sunt, At saccarum, etsi humus largiter procreet, ignorantia tamen Abyssinorũ defæcare & excoquere decenternõ nouit. Vineæ ibi permultæ sunt, & in hortis crescit incredibilis vis pomorum auratorum, citriorum, limoniorum. Ignorat Melones, rapas, oliuas, quanquam incolæ oleum conficiant ex certo quodam fructu, quem ipsi *Gouen* appellant. Mellis hic plus quam dici possit, cum apes etiam in ædibus, conclauibusq; hominum mellificent, vnde tantum quoq; ibi est ceræ, vt incolæ sæuo animalium ad candelas non vtantur, ob copiam ceræ. Linum etsi terra benigne gignat, tanta tamen est hominum ruditas, vt telas inde conficere non possint, vtentes pro eo gossypio ad materiam vestiariam, cuius non minor ibi quam lini abundantia. 5

Vix est vllum genus quadrupedum aut volatilium, quod per Europam atque alibi visitur, quod non & apud Abyssinos reperiatur. Sunt enim hic oues, boues, asini, equi, cameli, cerui, prætereaque Elephanti, leones, tygres, lupi ceruarii. Vrsos, Cuniculos, & ex auium genere carduales hic non reperiri nonnulli obseruauerunt. Vni inprimis malo obnoxius est Abyssinorum ager, quod aliquando innumera locustarum agmina in segetes instar amplissimæ nubis se demittant, vt earum obiectu solis lumen obscuretur, ipsæ vero non fruges duntaxat & legumina absumant, sed & folia ac cortices arborum corrodant. Equi hic generantur non magni quidem, sed habent multos Arabici Ægyptiiq; generis. Simiæ hic maiores sunt, quam alibi, & ferociores.

Auri, Argenti, Ferri, Ærisque venis regnum hoc non destituitur, sed incolarem ruditate delitescunt. In regno Sagamedræ Argentifodinæ reperiuntur optimæ, & alicubi aurum, quod magna ruditate solius ignis ope extrahunt: Damutenses tamen in hoc genere aliquanto plus præstant scientiæ, inprimis in vtroq; defæcando.

Campi pleni sunt volatilibus, anseribus feris perdicibusque, adde etiam leporibus, quod rarissimi inter Abyssinos venationem nouerint; vnde vix vllam generandis animalibus & procreandis plantis putem benigniorem reperiri matrem, hac ipsa terra. Sunt insuper hic quotannis æstates duæ & duæ hyemes, tempora hæc anni non distinguente calore vel frigore, sed pluuiis & serenitate cœli.

Mores antiquorum Æthiopum.

Autochtonas esse Æthiopes, non aliunde in 6

has

has terras immigrasse, crediderunt antiqui: & hos ipsos primos fuisse, qui cultum diuinum & sacrificiorum cæremonias instituerint. Litterarum apud eos genera erant duo: vnum nulli erat notum præterquam sacerdotibus, vnde & Sacrum appellabatur: alterum commune erat plebi. Figuræ tamen litterarum non erant tales, vt inde vocabula colligi possent, sed vel animalium, vel membrorum hominis, vel aliarum rerum rudes quædam deformationes, vel instrumenta artificum, vnaquæque pictura integrum verbum vel etiam sententiam exprimente. Velocitatem enim innuere volentes, pingebant Nisum auem: hostilitatem, crocodilum: vigilantiam, oculum apertum: quod quidem litterarum genus Hieroglyphicum dicitur.

Eum inter Sacerdotes cæteris sanctiorem habebant, qui instar Maniaci discurrens, nescio quem diuinum furorem ostentabat, adeo, vt cum aliquando regem crearent, & nescio quid diuini in illo latens adorarent: credebant enim deûm prouidentia illa omnia fieri: qui autem ad eum modum supremum dignitatis fastigium conscenderat, eum oportebat omnia secundum leges & consuetudines patrias facere. Ipse neque præmiis afficere neque morte quenquam solebat eorũ quibus dominabatur, sed si quem capite plecti oportebat, mittebat ad eum Apparitorem cum signo mortis, quo viso, reus nihil cunctabatur, sibi ipsi mortem afferre.

In regem tam propenso erant omnes animo, vt si eum vel luscum, vel claudum, aut aliqua parte mutilum fieri contingeret, ipsi quoq; sibi vel alterum corrumperent oculum, vel mutilarent aut distorquerent membrum corporis. Sed & ij, quos præcipue ab rege amatos constabat, defuncto eo, sæpe voluntariam subibant necem, honoratissimum hoc mortis genus existimantes, & veræ amicitiæ verum signum.

Fuit olim Meroe Insula habitatio regum Æthiopum: ipsam Insulam potissimum incolentibus pastoribus, venatoribus & aratoribus. De Æthiopibus Macrobiis narrat Herodotus, eos pluris fecisse æs quam aurum, quod inter ipsos vile fuerit. Cum Legati Cambysis regis ad hos venissent, viderunt ibi fontes, quorum labra cincta fuerunt catenis aureis. Mulieres eorum non minus quam viri exercebantur in armis, quæ etiam labia perforabant & per foramen æneum traiiciebant circulum. Quidam adorabant Solem Orientem, conuiciis insectantes Occidentem. Erant qui mortuos suos in fluuios abiicerent; alii includebant vasis terreis, alii viteis, quibus cadauera per integrum annum domi conseruabant, diuinos iis cultus atq; sacrificia offerentes. Putant nõnulli, eum apud Æthiopes regem creatum fuisse, qui cęteros pulchritudine vicisset, abundaret pecore aliisq; diuitiis. Iactabant ipsi, colere se non nisi vnum Deum, auctorem totius Vniuersi: cui adiungebant alium incertum & mortalem. Post Deum rex colebatur, instar Dei: post regem is, qui meritis in patriam cæteros vincere credebatur.

Mores Abyssinorum nostri temporis.

Vocant Arabes hunc Monarcham *Anticlabassam* vel *Aticlabassim*; à suis ipse appellatur *Bel*, vel *Belul Gian*, quæ vox significat Æthiopibus Præpotentem Principem, vnde corrupte la quadam videtur orta appellatio Pretiosi Iohannis vel Prete-Iani. Afri vocant eum *Aceguen* & *Negus*, quæ voces Regem vel Imperatorem significant. Huic ex veteri consuetudine nullum fixum domicilium, nulla certa regia, cum modo hic modo alibi commoretur, potissimum anni tempus sub tentoriis exigens, quorum semper ad VI. millia ipsum sequuntur, vt aula illius aliquãdo X. vel XII. passuum millia occuper, cum in apertis campis castra metatus est. Vasorum aureorum & argenteorum, & preciosissimæ supellectilis incredibilem vim habet secum hic Princeps, quem negant esse coloris atri, vt cæteri sunt Æthiopes, sed ex albo & nigro mixti. Cum castra promouet, nunquam vno die vltra XII. millia passuum siue III. milliaria Germanica progreditur, coronam capite gestans auream, dextera Crucem præferens argenteam. Facies eius cooperta est laciniola serica cærulei coloris, quam vel attollit vel demittit, pro vt illis fauet, qui cum eo colloqui cupiunt.

Ipsi Abyssini toti nigri sunt, bonarum artium doctrinarumque penitus rudes, vt quidam volunt, quanquam Magnus ille Iosephus Scaliger, cuius eruditio nunquam satis laudari potest, in libro suo de Correctione siue Emendatione Temporum, non eam quam alii iis tribuat ignorantiam. Medicinæ apud illos vsus est nullus. Vestitus eorum vel est ex ferarum pellibus, vel tela xylina: qui tamen honoratiores inter eos sunt, arietum pellibus teguntur: at viri Principes leonum, luporum ceruariorum, aliarumq; noxiarum bestiarum.

Domicilia eorum humilia sunt & structuræ vilis, ex creta & culmis vnius tabulati, vltra quod non adscendunt: portæ siue ianuæ eorum semper patent, cum nemo facile alterius domum ingrediatur. Mensarum mapparumq; vsus hic nullus, cum capientes cibum humi desidant super stoream aliquam aut vilem pannum. Multos inter eos constat crudam deuorare bubulam, & recentem à cultro. Inter aromata primo loco sunt Sal & Piper. A venatione videntur studio abstinere, ignari etiam piscationis, estque magna inter eos artificum penuria. Omnes populos Europæ communi nomine Francos appellant, puto quod horum nomen ob capta Hierosolyma & Constantinopolin olim in Oriente celebrius fuit. Vulgo tamen omnes albos homines *Gliberos* vocant. Vineas cum habeant, vinum tamen non exprimunt, præterquam in Aula Regis, & domo Patriarchæ, quem ipsi *Abunam* vocant: ipsi vulgo loco vini vtuntur potione quadam satis aspera ex fructibus Tamarindorum.

Ingenio plerique sunt lento & tardo, ac iudicio hebeti, cum linum habeant, neque tamen inde telam conficere norint: & arundines faccari, ne-

ri, neque tamen extrahere sciant: & ferrum, neque id in instrumenta cudere possint, sed fabros ferrarios veneficos putent & incantatores.

Nobiles, qui inter eos sunt, valde impotenter dominantur plebi, cum nihil iniustum putent, quod necessarium sit, vt nihil vereantur, omnes tenuioribus eripere facultates. Loquela eorum certis regulis comprehendi non potest, vt scripturi vnam epistolam aliquot dies insumant.

Characteribus tamen vtuntur multo pulchrioribus quam Turcæ aut Arabes, vt in libro Emendationis Temporum Scaligeri videre est, & in Onomastico Tuneri. Nobiles, ciues & plebs separatim habitant alii ab aliis, possuntque posteriores hi ad Nobilitatis gradum adscendere virtute & factis.

Vrbs aliqua aut locus populo frequentior vix est per totam Abyssinorum regionem, vt vltra II. millia familiarum capiat quanquam huius generis loca oppido quam pauca sint. In pagis villisque habitant, dispersisque mapalibus. Sal eis ad auri pondus appenditur. Vnum plebi est iuramentum, per vitam & salutem regis, qua quidem in re Hispanos sequi videntur.

Ad ferenda onera mulis vtuntur, vt & ad faciendum iter, quos ad belli vsus reseruantes. A nigro colore in vestibus abstinent, præterquam cum in Luctu sunt, pullum amictum feralem existimantes. Defunctos suos lugent per dies XL. In magnis solennibusque conuiuiis secundus missus fere est è carnibus crudis, quas comedunt aromatibus perspersas, habentque inter cibos delicatiores.

Nauigationibus in Orientalem Indiam, quicunq; liberæ conditionis sunt, fere addicti sunt, ambitiosi circa artem nauticam, nec negociationum rudes, cum ipsi distinati in certa mercatorum genera, alii quidem Goam, alii Chinam, & Bengalam, & alia loca adeant. Nautæ operam suam mercatoribus exiguo precio addicunt, promti ad omne seruitiorum genus, flagra insuper & omnes iniurias patienter ferentes, vt mercenarii parum à mancipiis differant. Habent hi omnem suam familiam secum in nauibus, natam ad seruiendum. Si cui vel capitis tegumentum, vel alia quæpiam res minoris precii inopinanti in mare excidat, etiãsi nauis plenis velis feratur, erunt inter eos, qui in vndas desiliant, & rem amissam recuperent. Laborantes semper cantillant, cumque ocioſi sunt, præsertim in nauibus Lusitanorum, inebriant se cum vxoribus liberisque suis, cantantes vel clamitantes potius subinde. Vxores Æthiopicæ gestant oblongas caligas siue femoralia, vt vulgus nauticum, præsertim inter Arabes & Mahometistas.

Facultates opesque eorum.

Diuites esse Abyssinos fateri nos cogit aurum & argentum, quod apud eos terra eruitur, vt & cætera metalla, inprimis æs & ferrum. Saccarum natura iis largiter dedit, non item artem extrahendi atque defæcandi: quæ eadem quoque ars eos in excoctione Metallorum deficit: quam inscitiam si profligarent, multo maiores sine dubio opes habituri essent.

Prouentus Regii in triplici sunt differentia: Vel enim consistunt in fundis regiis, quos vel boum vel mancipiorum opera colunt, crescente semper seruorum multitudine, cum liberi sequantur parentis conditionem: vel in censu capitum, quem populus viritim soluit, & decimis metallorum: vel in tributis subiectorum Principum, quorum alii quidem equos mittunt, alii boues, alii materiam vestiariam, alii denique alias res imperatas, singuli pro facultatibus prouinciæ suæ.

Thesauros non exiguos hunc Monarcham possidere credere par est, inque iis habere plurimum auri, gemmarum & pannorum, cum his totum prope regnum abundet. Intelligimus hos ex Epistola quadam eius ad Lusitaniæ regem, in qua huic offert ad bellum contra infideles auri quidem C. millia drachmarum, hominum vero atque alimoniæ vim incredibilem. Putatur etiam quotannis in ærarium suum, quod est in Castello Amaræ, inferre tres Auri Milliones. Non negauerim, ante Alexandri regis tempora, tantum auri reges non habuisse: sed causæ est, quod id excoquere atque defæcare non potuerunt, sed crudum recondiderunt cum magna vi gemmarum. Mittit autem Prorex Barnagassæ Monarchæ huic quotannis CL. equos præstantes cum magna vi telæ sericæ, gossypii, & auri infecti. Rex Tigremaonis loco tributi mittit CC. equos Arabicos, nec minus cæterarum rerum quam superior. Cæteri soluunt quod possunt, pro captu facultatum.

Vires & Robur Militare.

Quæ huic Monarchæ parent gentes, parum bello vtiles sunt; partim quod nimis seruili timore coherceantur, qui, si quid in iis est generosi, penitus extinguit, vt inepti sint ad arma velut ligatis manibus: partim quod armis prophylacticis fere destituantur, excepta galea nullius precii aut vili lorica ab Lusitanis precio accepta: partim denique, quod loca munita, arces atque propugnacula nulla habent, vnde omnibus velut in prædam expositi sunt. Arma eorum Amynteria sunt, arcus cum sagittis & lancea amentata, siue Assagaya. Accedit Ieiunium L. dierum, quo ita exhauriuntur atque eneruantur vires eorum, cum totos dies inedia transigant, vt vix ingredi recti possint, & his & aliquot sequentibus diebus. Hanc occasionem arripiunt Mauri & Arabes, eosque ita debilitatos, bello adoriuntur, certi prope de victoria. Et cum in toto hoc regno, vt diximus, locus aliquis præ cæteris munitus non reperiatur, ostenderunt Æthiopibus his Lusitani sæpius, quanto melius foret ad reprimendas Mahometistarum quotidianas irruptiones, si Rex Vrbes & Arces extrui iuberet, vallo fossisq; munitas, aliisq; insuper rebus instructas ad defensionem necessariis. Sed 16.

Abyssini respondefunt, potentiam Principis sui non consistere in mœnibus & fossis, sed in manibus populi. Narrat Aluaresius, Regem hunc multa millia hominum in expeditionem belli ducere posse: cum tamen constet, etiam in necessitate constitutum tantum exercitum conflare non potuisse. Est inter eos Ordo militaris, sub instituto Antoninorum, cui omnes patres familias, qui nobili sunt nati genere, coguntur addicere è tribus filiis vnum, non tamen natu maximum: vnde excrescit numerus equitum duodecies mille, qui omnes dicuntur custodes corporis regii. Scopus huius Ordinis Equestris est, defendere fines Imperii aduersus hostes Christianæ Fidei.

Vicini huius Monarchæ, à quorum potentia iure sibi metuere potest, hi sunt: Rex Burnæ, Magnus Turca, & Rex Adelæ. Regi Burnæo paret illud terræ spacium, quod extenditur à Guangala circiter L. mill. pass. in Orientem, inter deserta Seti & Barcæ. Ipsa regio est inæqualis, alicubi plana, alicubi montibus aspera. Rex abundat populo, cui nihil imperat præter fructuum decimas, horum præcipua ars est prædari & latrociniis affligere vicinas gentes, easque in seruitutem abducere, postea in Numidia vel Mauritania pro equis aliisq; mercibus permutare. Multum hi homines damni inferunt Abyssinis, rapientes eos liberosq; eorum, & interturbantes eos in effodiendis metallis. Pugnant autem Burnæi ex equo, Maurorum more, vtentes lanceis vtrimque mucronatis, arcuque insuper & sagittis, & sic armati modo hic modo illic in Abyssinorum Imperium irrumpunt. Cæterum hos potius latrones & grassatores, quam hostes aut bellatores appellaueris.

At Turca, qui ab Oriente Abyssino vicinus est, sicut & Adelæ Rex ab Oriente & Meridie: hi duo inquam graues Prete-Iano sunt hostes, qui multo angustioribus regnum eius circumscripserunt finibus, & ad extremas reduxerunt miserias. Præterquam enim quod Turcæ partem regni Barnagassani expoliauerunt, quod factum est anno A N. C. M D LVIII. & repulsi inde fuerunt: reuersi iidem eripuerunt Abyssinis, quicquid in littore Rubri maris obtinuerunt, inprimis autem Portus, Suaquenam, & Ercocanum, inter quæ duo loca montes, qui intercedunt inter Abyssinam & Mare Rubrum se aperiunt, vt pateant ad negociationem Abyssinis & Arabibus. Neque adeo multi anni sunt, cum Prorex Barnagassæ coactus est à Turca pacem emere, tributo annuo mille vnciarum auri.

Neque tamen, minus huic Imperio impendet periculi ab Adelæ rege, qui confinis est regno Fatigar, & vsque ad Mare Rubrum dominatur, in quo habet oppida Assam, Salir, Met, Barboram, Bidar & Zellam. Barboram appellunt plurimæ naues ab Adena Arabiæ & Cambaia, vt suas cum Æthiopibus permutent merces. Et Arabes quidem mercatores hinc auferunt magnam vim carnium, alimoniæ, mellis, saccari & ceræ. Cambaienses vero aurum, ebur, æs, & alia mercimoniorum genera. Ab Zella siue Zeila eadem petuntur, prætereaque fructus arborei & frumenta varia, & arietes, quibus caput & collum nigrescit, cætera albent, tanta pinguedine caudæ, vt ea sola XXV. libras pendat & amplius. Aliud genus est arietum, cui cauda in eam crescit longitudinem, vt vnam exæquet orgyiam, & quibus obesa palearia de collo pendent, sicuti tauris. Vaccarum hic genera diuersa. sunt quibus cornua ab fronte extant instar ceruinorum; sunt quibus vnum solum eminet, ab extremo incuruum; & aliæ quidem sunt nigræ aliæ rubicundæ.

Primaria huius regni Vrbs dicitur *Arat*, ad trigesimum octauum milliare ab Zella versus Euronotum. Rex iste Mahometi amplexus sectam, æternum se profitetur hostem omnium Christianorum, vnde nomen Sancti inter Barbaros suos acquisiuit. Expectat igitur, donec Abyssini Ieiunio illo longo & acerbo debilitati fuerint, vt vix domestica possint obire munia. Ibi demum hostis ille irrumpit, mille damnis afficiens regionem, & innumera capita in tristem abripiens seruitutem.

Est autem magnus mancipiorum Abyssinensium vsus apud Principes exteros, vnde & magni fiunt, ob fidem & industriam, qua multi non solum libertatem, sed & opes diuitiasque sibi pepererunt, inprimis in Arabia, Cambaia, Bengala & Sumatra. Plus enim tribuunt his Mahometani Principes, quam iis quos vi subegerunt, quorum male fida sunt obsequia, vt eriam seruis emti: iis aliquando vitam & principatum committant. Horum autem omnium in præstanda fide & silentio Abyssini putantur primi. Hinc fit, vt Rex Adelæ tantum mancipiorum ex hac regione auehat, iisque Ægyptum & Arabiam impleat, vt pro iis accipiat milites, arma & instrumenta belli.

Cum anno A N. C. MDL. Claudio Abyssinorum regi admodum molestus esset Gradamelius Adelæ rex, & integris quatuordecim annis regnum eius perpetuis infestasset incursionibus, & iam in eo esset, vt desertis finibus Claudius in interiora regni se reciperet: implorauit de auxiliis Stephanum de Gama, Proregem Indiarum nomine Iohannis III. Lusitaniæ regis, qui tunc cum valida classe fauces Sinus Erythræi obtinebat. Misit petenti Claudio Stephanus fratrem suum cum CCCC. Lusitanis militibus, & bono numero sclopetorum aliorumque armorum. Tertio prælio, cum Adelæ Rex haberet M. sclopetarios Turcas à Præfecto Zebitensi, cum XII. tormentis æneis, Abyssini victi profligatique fuere, cum iam antea ope Lusitanorum hostem duabus pugnis vicissent, periere in hoc vltimo prælio multi Lusitani milites, cæsi à Turcis. Quos cum Adelæ rex ab se dimisisset, Claudius eum ex improuiso adortus est apud Sanalem Montem cum LX. millibus peditum, & D. equitibus Abyssinis, vbi Lusitani, qui à nouissimo prælio superfuerant, tam fortiter fecerunt officium

suum

suum, vt Claudio victoriam peperierint, vnus eorum etiam Grudamelio vulnus inflixerit. Postea cum Claudius acie confligeret cum Mauris, Arabibusque occubuit in prælio, & rex hostis eius asino insidens triumphauit. Habuit successorem Claudius Adamum fratrem suum, in quem, quod videretur Mahometista potius esse quam Christianus, magna pars Nobilitatis seditionem concitauit, vt à Barnagassæ Prorege victus acie occubuerit anno A N. C. MDLXII.

Cum autem res Æthiopiæ ad hunc modum aliquandiu fluctuassent, summa earum tandem penes Alexandrum fuit, ope potissimum Lusitanorum, qui illatis in regnum omnis generis armis, excitauerunt languentes Abyssinorum animos suo exemplo ad capessendam militiam. Qui enim à cæde Christophori de Gama superfuerant, vocatis ad se plurimis è commilitio suo, cum laute apud Abyssinos haberentur, manserunt in regno, ductisque vxoribus instituerunt eam gerendi belli rationem, quæ apud nos in vsu est, ita vt etiam cœperint Æthiopes hinc inde per regnum excitare propugnacula, & oppida vallo ac fossa munire. His accesserunt quidam Florentini, partim curiositate, partim spe lucri ex negociatione allecti.

Ab eo tempore cœpit Rex Abyssinus supra modum diligere Francos, id est, Europæos homines, quos cum semel nactus est, admodum grauate ab se dimittit. Habet enim præter eos quos supra diximus, etiam alios hostes, inprimis regem Dancalitanum, ad quem spectat oppidum & portus Suela in littore Rubri Maris. Sed & Mahometistæ in Prouincia Dobensi, diuisi in XIV. dynastias, non parum ei exhibent laboris. Habent hi arrotem inter se legem, ne quis vxorem ducere possit, nisi prius XII. homines Christianos interemerit.

Nostro tempore vicit hic Monarcha, cepitque viuum prælio Regem Mozambiquæ, profligauit copias Reginæ Bernafagæ, quæ circa Promontorium Bonæ Spei dominabatur: vicit insuper Termidam, Nigritarum principem, qui partem illius regni occidentalem obtinebat: nec non Manicongi regem, cuius regnum oppositum est S. Thomæ Insulæ, sub ipsa Æquinoctiali linea. Quidam præterea Ducum eius tribus præliis superior fuit Azamurio, Præfecto Turcico, apud Suaquenam, capto etiam eius filio, cui caput amputari iussit, cum patri aliquot tormenta bellica victor ademisset.

Ægyptios Arabasque, qui eas Africæ partes colunt, in perpetuo metu continet, non tam armis, quam quod possit eos priuare aqua, ob quam tributum ipsi pendunt. Ægyptum insuper fame totam perdere potest, si alio deriuet Nilum, vt Pius II. Pontifex aliique recte obseruauerunt. Et aiunt se id non ignorare Abyssini, neque tamen facere ne Turca causam inueniat euertendi Sepulchrum Dominicum. Postremo dubitandum non est, si Monarcha iste haberet scitos ex Europa & ingeniosos Architectos Militares, qui vel noua excitarent propugnacula in finibus, vel quæ habet oppida, munirent, armorumque fabros, & peritos militiæ duces; quin non solum breui temporis spacio posset Turcas eiicere terris dominiisque, quibus maiores suos, Abyssinorum reges vi spoliauerunt: sed & omnibus vicinis Regibus ac populis formidini esse, abundans inprimis duabus rebus, videlicet Auro, & Multitudine Mortalium.

Modus Gubernationis.

Cohercet hic Monarcha deprimitque etiam ii. infra mediocritatis conditionem non solum populum suum, sed etiam superioris ordinis viros, vt se potius seruos eius esse quam regni ciues meminerint. Hos, vt in ea seruilitate contineat, ita se gerit aduersum eos, quasi sacrum aliquid & diuinum ei inesset. Nam & audito nomine Principis, omnes se inflectunt, terram manu contingentes, & honorem summum deferunt tentorio eius, quamuis ipse in eo non sit. Solebant in hunc finem Reges Abyssinorum se non nisi semel in anno ostendere populo: postea id ter quotannis fecerunt: Die Natiuitatis Dominicæ: Festo Paschatis: postremo solenni die S. Crucis, Septembri Mense. Nostro autem æuo familiariores populo facti sunt.

Toparchias & dominia rex aufe rre vel donare potest quibus vult, nec fas est ei, qui dignitate priuatus fuerit, vel contra mutire. Penes eundem est arbitrium disponendi de Sacris Ordinibus, de Administris Sacramentorum, aliisque rebus Ecclesiasticis, & Clericorum bonis. Præter Regem Vasallos beneficiariosque nemo habet, cui subiecti & clientes nomine beneficiorum Feudorumq; suorum quotannis iuramentum præstant & obedientiam.

Est hic Monarcha, profiteturque se esse Christianum, habetque sub suo Imperio Regulos Christianos LXII. præter Gentiles & Mahumetistas, qui ei sunt tributarii. Iactat se oriundum, vt diximus, è filio quodam Salomonis, nomine Muleicho, Regina Sabæa nato. Fidem Christi hæc gens amplexa est regnante Candace Regina. Cæterum quæ nonnulli de trium Regum, Casparis, Melchioris & Balthasaris posteritate hic longis ferunt sermonibus, ad Historicam veritatem parum facere videntur. Etsi autem tam profanarum quam Ecclesiasticarum rerum arbitrium penes regem esse supra diximus; Diuina tamen officia cum primis spectant ad *Abunam*, vt illi quidem Patriarcham suum nominant.

Meretricium omne genus extra ciuitates & oppida delegant, vbi eis de rebus necessariis è communi ærario prospicitur. Vrbem ingredi fas prostitutis non est, sed oportet eos flauo colore vestiri vt noscantur. Hæreditatem paternam ex lege adeunt primogeniti. Antiqua lex est, quæ vult, ne Rex diutius in eodem loco hæreat, ad vitandam annonæ aliarumque rerum Caritatem, cum tantum sequatur Regiam ho-

minum agmen, vt difficulter iis cibaria suppeditari possint.

Primus dignitatis ordo post regem est Episcoporum & Clericorum; secundus Sapientum seu Philosophorum, quos Æthiopes *Balsamates & Tenquares* vocant. Tertius est Nobilitatis. Quartus est eorum qui stipendia vel mercedem accipiunt, quocunque nomine id fiat.

Postquam Iudices de capitali crimine iudicauerunt, deferunt sententiam ad Præfectum loci, qui Regis Legatum ibi agit, eumque repræsentat, nec scriptum hic valet ius sed naturale. Mulier adulterii conuicta iis traditur punienda, ad quos ignominia facti pertinere putatur. Habitat autem Prorex Barnagassæ in vrbe Barua, habens sub se præfecturas Danfilensem & Canfilensem, quæ sunt, in finibus Ægypti.

Est autem hic rex & hoc regnum, vt Eusebius annotauit, velut primitiæ Gentium, quæ recepetunt fidem & Baptismum, acceptum ab Apostolo Philippo per manus Eunuchi Candaces Reginæ; aiuntque nonnulli, S. Matthæum postea in hæc loca delatum, conuertisse Iphigeniam virginem illustri prognatam familia. Deinde Apostolum in visione apparuisse proceribus, & eos hortatum fuisse, vt Iphigeniæ fratrem, qui Christianus erat, Regem crearent, in defuncti regis locum, qui lepra consumtus perierat, quod Matthæum interfecisset Apostolum.

RELIGIO ABYSSINORVM.

12. Qui magni huius Principis Abyssinorum imperio subsunt, maxima ex parte se Christiano esse profitentur, optimeque sunt affecti in regem suum: sunt tamen quidam ex tributariis eius Mahometistæ, qui nihil adeo quærunt quam occasiones rebellandi. Nos de iis qui se Christianos aiunt esse, (& sane sunt, postquam vnum eundemque nobiscum Seruatorem agnoscunt, etsi in quibusdam Christianæ Religionis capitibus diuersum à nobis sentiunt) primum agemus.

Vt igitur paulo altius ordiamur, aiunt se Abyssini primo Iudaismum amplexos fuisse, opera potissimum Meilechi, filii Salomonis, Maquedæ Reginæ matris eius, & Iudæorum, qui hanc redeuntem fuerant comitati. Aiunt Abyssini, hæc omnia pluribus enarrata reperiri in antiquissimo Chronico, quod cum multis aliis libris asseruetur in vrbe Cazumo. Christianæ vero Fidei compotes facti sunt per Eunuchum Candaces Reginæ, quem Philippus & Baptismo & Christianitate imbuit, vt Acta testantur Apostolica. Tigia primus locus fuisse perhibetur, qui doctrinam Christi suscepit, vnde etiamnum hodie scripturæ sacræ Tigianorum lingua præleguntur. Hi ipsi postea vna cum Cophitis Ægyptiis in Eutychianam hæresin lapsi fuerunt, quod dependerent ab Alexandrino Patriarcha, quem caput Ecclesiæ suæ agnoscebant, & à quo ipsi Abunam siue Patriarchaм suum recipiebant. Huius doctrinam secutus populus Æthiopum, eandem hausit corruptelam, cum Abyssinis nulla esse possent cum Romanis commercia, nisi per Alexandriam & Ægyptum.

Vt autem omnis error fœcundus est, & vires acquirit eundo, sic Abyssini cum Cophitarum erroribus etiam alia combiberunt delitia. Accessere ad ignorantiam & errores eorum commercia cum Idololatris & Mahometanis, quibus ab omni parte cinguntur, vt etiam multæ statuæ Idololatricæ remanserint apud eos, inprimis in regnis Damut, Coragua, & Agaos.

Rem igitur propius intuentibus patebit, Regem Æthiopum Schismaticum dici posse, & sequi Fidem & ceremonias Patriarchę Alexandri, ni, à quo confirmatus est in sua opinione, quam etiamnum mordicus defendit.

Retinent enim hi populi Circumcisionem, neque solum masculos circumcidunt, sed etiam fœmellas, nescio quo modo, quod tamen Iudæos fecisse non legimus. Sequuti præterea legem Mosis abstinent ab omni animali quod non findit vngulam, vnde abhorrent à lepore; sed nec anserem aut anatem comedunt. Diem Sabbathi magis venerantur quam Dominicum, Iudaizantes in hoc quoque, de quorum in Sabbathum religione satis constat.

Laici (vt vocantur) nutriunt comam, abraduntque barbam, ferentes paruam Crucem de collo pendentem. Contra Sacerdotes radunt caput, promittunt barbam, & crucem manu præferunt, habentes simul vas aqua lustrali plenum, vt ea obuios expient. eandem aquam etiam inspergunt cibis poculisque suis, fausti ominis ergo. Iohannem regem lege iussisse aiunt, ne plures quam quatuor Parœciæ essent in quaque vrbe. Sunt autem Parœciæ illæ instar Conuentuum, cum in vnaquaque sint XIII. Sacerdotes qui sacrum officium celebrant: & hi ipsi de causis Ciuilibus iudicant, sicut Iudices regii de Criminalibus. Ex omni Sacerdotum numero eliguntur XII. Canonici, qui semper adsunt Episcopo, & ipsi ex his XII. electo: sicut ex Episcoporum numero eligitur Archiepiscopus, quæ dignitas fere maximo natu inter Episcopos obtingit.

Monachi vestitum gestant prælongum, vsque ad imos pedes, & longam promittunt comam, suntque maxima ex parte iuuenes. Non includuntur hi certis Monasteriis, sed pagos quosdam habitant, viuentes ibi sub proximi Conuentus obedientia. Templa duabus Cortinis diuiduntur; vna prætenditur summo Altari, appensis quibusdam tintinnabulis, quo soli Sacerdotibus accedere fas est; altera est in medio Nao, vbi versantur reliqui Clerici, ii dunta-xat, qui minores habent Ordines: vnde multi vt huc iis accessus pateat, Ordines illos suscipiunt. In vnoquoque Templo non nisi vnam Aram inuenies, neque in eadem ara eodem die plures quam vna celebratur Missa. Muri ho-

rum

lium templorum perpicti sunt variorum diuorum imaginibus, puta Matris Virginis, Sanctorum hominum, & inprimis Georgii Equitis. Statuam aut imaginem eleuatam à plano non habent, puto quod eas facere non possint. Christum Cruci affixum pingi nolunt, dicentes se indignos esse, qui eum in tam tristi schemate intueantur. Panem & vinum, quæ Sacerdotes consecrant post Missam, incredibili cura multisque ceremoniis faciunt. Templum nunquam ingrediuntur, nisi prius exutis calceis. In iis neque spuunt, neque vllum admittunt animal. Quod si quis equo vectus templum præteireat, continuo descendit, vt testetur loci reuerentiam.

Cœmeteria eorum altis muris cincta sunt, vt bestiæ carniuoræ ea transilire nequeant. Campanas habent longas, lapideas, quas percutiunt baculo. Sed & vtuntur ferreis, minoribus quidem, vt eas secum ferre & sonitum ciere possint.

Narrat Iohannes Hugo Linscotanus Batauus, capite XL. nauigationum suarum, Abyssinos Christianos ignoto quodam ignei baptismi genere inurere faciem quatuor notis cruciformibus, & primam quidem supra nasum inprimere vsque ad frontem mediam: secundam tertiamque temporibus, pergendo, vsque ad summas auriculas: quartam inurere mento subter inferius labrum: vtuntur enim in Baptismo non aqua solum sed & igni. Pueros ante quadragesimum à partu diem non baptizant, neque puellas ante sexagesimum. Si quis horum interea moriatur, dicunt, sufficere infanti, quod mater vterum ferens Sacram Eucharistiam perceperit. Nullis diebus Baptisant, præterquam Sabbatho & Dominico, repetuntque Baptismum singulis annis, die festo Epiphaniæ, in quem finem certi lacus sunt & piscinæ in quibus abluuntur.

Peccata sua stantes erecti confitentur, neque multum in confitendo pensi faciunt, vtrum secreta proferant an non. Cœnam domini percipiunt integram, in Pane & Vino, pane vtentes non fermentato. Mensam Dominicam accedunt manibus apertis & ante scapulas prætentis, accipiuntque Eucharistiam stantes. Missa sine Thure nunquam celebratur, cui semper oportet tres adesse Ordinis Ecclesiastici: Sacerdotem, Diaconum & Subdiaconum.

Sponsalia contrahuntur interuentu Sacerdotis, neque tamen matrimonia firma aut stabilia sunt. Sacerdotes possunt vxores ducere, sed non nisi semel: prima enim mortua, ad secunda vota non transeunt. Quod si hoc faciant, numero Clericorum eximuntur, quod & apud Moscouitas fit. Si cum alia concumbant muliere pariter Laici fiunt. Religiosi inter eos omnes sunt Ordinis B. Antonii, cuius ostenditur sepulchrum in finibus Ægypti. Est & alius Ordo, ex illo natus, quem qui sequuntur, ab Æthiopibus *Ceftifanez* vocantur: sed hi potius pro Iudæis quam Christianis habentur.

Sunt vulgo Abyssini in hac sententia, aliam Crucem adorari non oportere quam eam, in qua Seruator noster ipse pependit. Extremam vnctionem morituris non impertiunt, sed iam defunctos perfumigant, lauant, inuoluunt linteis, fundunt pro iis preces, atque ita ad sepulturam efferunt, cum cruce, thuribulo & aqua lustrali: Ieiunium suum strictissime obseruant, abstinentes ab omnibus cibis præterquam ab herbis, oleribus, radicibus quibusdam & vilibus piscículis, non quidem ab omnibus præstatur is rigor: Sacerdotes tamen, Monachi & Moniales tantum herbis victitant, vel per totum Ieiunii tempus: vel duobus tribusve diebus per septimanam. Obtinuit tamen consuetudo, vt in Regnis Barnagassæ & Tigremaonis diebus Saturni & Solis carnibus vescantur.

Cum de delictis pœnitentiam agunt Monachi & Vestales virgines, acriter affligunt corpora sua, cingentes nudos lumbos catena ferrea; aliqui per totum Ieiunii tempus non sedent, alii subter aquam frigidam commorantur vsque ad collum: quidam in syluis degunt inter spelæa ferarum, procul ab omni hominum consuetudine. Clerici omnes stata sua habent ieiunia singulis septimanis à Festo Pentecostes vsque ad Natalitia Domini: cæteri à Festo Trinitatis viq; ad tempus Aduentus, singulis diebus Mercurii Veneris ieiunant.

Sacerdotes, postquam Ordines Sacros susceperunt, vxores ducere non possunt, recipi tamen ad sacerdotia solent, etiamsi vxorati sint, dummodo non viuant in secundo vel tertio matrimonio. Sancta septimana Missa non dicitur, præterquam die Iouis & Saturni, qua durante Abyssini à lauacris abstinent, neque sibi mutuo obuiam facti alii alios salutant: qui cum re lautiore sunt, nigro vel cæruleo vtuntur amictu, nec vlla succenditur in templis lucerna. Cum dies Iouis præteriit, repetũt ceremoniam ablutionis pedum. Diem passionis Dominicæ totum tribuunt exercitiis pietatis, dolorem suum ob delicta & deuotionem miris ostendentes testimoniis, percutientes se inuicem magna seueritate baculis & virgis. A sacerdotibus autem etiam cruentos ictus recipiunt, vt toto corpore sanguis fluat, magnam in his præstantes patientiam. Tempus illud, quo Seruator noster in sepulchro delituit, lugubribus amicti vestibus exigunt, neque cibi quidpiam sumentes, neque pedem templo efferentes.

Sunt omnino in toto regno Templa siue Oratoria septem, quę ipsi dicunt esse antiquissima, affirmantes hæc structa fuisse eo ipso tempore, quo Christianam susceperè fidem. Primum esse aiunt id, quod in Caxumo vrbe est sub nomine S. Mariæ de Sione, quod prima Altaris illius fundamenta posita sint è lapidibus ab illo monte petitis, sunt hic CL. Canonici & totidem Religiosi.

Mulieres templa ingredi non solent, præterquam in vrbe Bazua, vbi duo sunt: prius pro viris, Michaeli Archangelo sacrum: posterius pro fœminis, sub patrocinio DD. Petri & Pauli.

Monasteriorum numerus exprimi non potest, ad XII. milliare ab Caxumo vnum est quod *Alleluia* vocatur, cuius nominis rationem hanc adferunt, quod quidam homo Religiosus, dum totus incumbit deuotioni precibusque suis, audiuerit accinentes Angelos in illo loco, *Alleluia*.

Monachus vxorem ducere nemo potest. Conuentus virorum mulier nulla ingreditur, sed ne animal quidem vllum fœminei sexus. Multi in populo simul duas ducunt vxores, aliquando etiam plures, & impune quidem: non tamen his licet ingredi templa, sed possunt facto diuortio quasdam à se repudiare. Excommunicationis fulmen mirum in modum formidant, suntque quidam inter eos adeo deuoti, vt quotannis profecti Hierosolyma, sanctum inuisant sepulchrum.

Fatentur Ecclesiam Romanam primam esse totius Orbis Christiani: Pontificem omnibus mortalibus maiorem, Christi Vicarium & successorem Petri Apostoli: suam vero secundo loco constituunt, ortam illam ab domo Dauidis gloriantes. Circumferur apud eos Vaticinium, non habituros eos vltra C. Abunas siue Patriarchas ab Ecclesia Alexandrina, fuitq; ille quem habuerunt anno A N.C. MDXX. centesimus, vnde quidam putant habituros eos nouum rectorem in rebus Ecclesiasticis ab Romana Sede. Alia quædam Prophetia, cuius authores faciunt duos sanctos Eremitas, pollicetur, fore, vt Æthiopes cum Francis, id est Europæis coniungantur, & destruant regnum Turcicum cum vrbe Mecha, capta etiam tota Ægypto, vt ita liber fit transitus Europæis ad Abyssinos & his ad illos. Sed & ipsi Mahometani aiunt in Fatis esse, vt locus sepulchri Mahometis per Æthiopas destruatur. Monothelitarum Hæresin, vt quidam putant, non amplectuntur, sed credunt duas naturas in Christo nobiscum, vt ex eorum Liturgia Æthiopica in linguam Latinam traducta apparet. Narrat ipse Prete Ianus in Epistola quadam ad Pontificem, accepisse se, scriptum esse in vita S. Victoris aliisque Piorum Patrum scriptis, futurum, vt Magnus quidam inter Christianos Princeps facto fœdere se iungat cum Rege Æthiopum, neque sede eius prædictionis veritate dubitare.

Postquam quo loco res Ecclesiasticæ siue spirituales apud Abyssinos sint, exposuimus, non erit alienum ab instituto nostro, dicere, quid acciderit nostro tempore super conciliatione Ecclesiæ Æthiopicæ cum Romana, facto initio à celeberrima Legatione.

14. Igitur paulo ante nostrum hoc seculum, Dauid Abyssinorum Rex, etsi adhuc esset adolescens, sub tutela Helenæ Auiæ suæ constitutus, motus felicibus successibus Lusitanorum in Orientali India, misit quendam nomine Matthæum, natione Armenium, cum quodam viro Principe Abyssino ad Alfonsum Albuquerquensem, Proregem Indiarum nomine Emanuelis Lusitaniæ Regis, vt cum hoc rege fœdus & amicitiam faceret. Misit autem Abyssinus ad Lusitanum regem super ea re litteras, cum donis inter quæ tubus totus aureus, cum particula crucis Dominicæ, inclusæ auro. Hi legati, cum ex Lusitania in Indiam reuersi fuissent, qua quidem in Legatione & via totum decennium insumserunt, à primo discessus sui die ex Æthiopia, deducti fuerunt ad portum Ercocanum per Sequeiram Thalassiarchum Regis Lusitaniæ: cumque Sequeira vidisset, quam exquisitis honoribus & quanta lætitia Matthæus ab Æthiopibus exciperetur redux, abiecta omni quam hactenus fouerant dubitatione, crediderunt Lusitani, fuisse eum verum Oratorem & Legatum Magni Neguzi.

Hanc ergo nactus occasionem Sequeira fecit amicitiam pacemque perpetuam sui Regis nomine cum Abyssinorum Monarcha, Prorege Barnagassæ sui Principis nomine in fœdus conceptis verbis iurante. Ipse Sequeira vicissim misit ad Aulam Prete Iani Rodericum de Lima legatum, cui se iunxit Franciscus Aluaresius, qui postea totam illam historiam litterarum monimentis consignauit. Reuersus est Rodericus exacto in ea legatione integro sexennio, anno nimirum A N.C. MDXXVI. ducens secum Zagazabem Oratorem Abyssinum, quem Prete Ianus ad Regem Lusitanum miserat, nec non Franciscum Aluaresium, cum muneribus & literis ad Romanum Pontificem. Exhibitæ fuerunt litteræ Æthiopicæ Clementi VII. Papæ, in vrbe Bononia, eo ipso tempore, quo Carolum V. Cæsarem Imperiali cingeret Diademate. Faciebat Rex Æthiops in litteris illis suis ad Pontificem mentionem Eugenii IV. Papæ, & Concilii Florentini, nec non vnionis & concordiæ Ecclesiæ Orientalis cum Romana.

Fecit anno A N.C. MDLIII. Lusitaniæ Rex, quicquid excogitare potuit, vt Prete-Ianum plene ac plane cum Romana conciliaret Ecclesia. Etsi enim Legatus Dauidis Clementi regis sui nomine obedientiam pollicitus fuerat; dubitabatur tamen (nec sine ratione) de promissi huius veritate & effectu, nisi auxilium aliquod spirituale afferretur, cum nondum penitus abiecissent Abyssini Eutychis & Dioscori hæresin, & dependerent adhuc ab auctoritate Patriarchæ Alexandrini, à quo & ipsi Abunam siue Patriarcham accipiebant, qui erat rector & arbiter in rebus Ecclesiasticis, & administrabat Sacramenta, & docebat populum, & conferebat Ordines per vniuersam Æthiopiam. Consultissimum igitur maximeque necessarium visum est, verum & Legitimum ad eos mittere Patriarcham ab Roma, & cum eo quosdam sacerdotes probæ vitæ & doctrinæ non dubiæ, qui conuerterent populum & in fide confirmarent, disputando cum aduersariis, concionando, & vitæ lumine præeundo.

Et videbatur quidem huic rei lata aperta fenestra, cum Claudius Abyssinorum rex paucis annis ante adiutus fuisset milite à Præfecto Lusitano, bello contra Gradamelium Adelæ regem

à quo,

à quo in maximas redactus fuerat angustias: quin & idem Rex Æthiops in Epistola ad Stephanum Gamam appellauerat Christophorum Gamam fratrem eius Martyrem, qui in eo bello occubuerat. Communicato igitur consilio cum Iulio III. Pontif. Max. deinde cum Paulo IV. conclusum est, vt mitterentur in Æthiopiam XIII. Sacerdotes è societate Iesu, pleni pietate & doctrina. Patriarcha salutatus fuit Iohannes Nunnesius Barettus, suntque ei adiuncti duo Episcopi, Melchior Carneus, & Andreas Oviedus, sub titulo Episcoporum Niceæ & Hierapoleos.

Expediuit hanc Legationem Iohannes rex, instruxitque proficiscentes omnibus rebus necessariis vltra desiderium nauigantium, additisque muneribus pro Rege Abyssino, nullis in re tam sancta parcens sumtibus.

Vt autem hi omnia inuenirent expeditiora, iussu eiusdem regis ante eos in Æthiopiam ab Goa vrbe profecti sunt Iacobus Diazius & Consaluus Rodericus, vt exquirerent, quo animo esset Magnus Neguz, & quid de conuersione populi illius sperandum foret. Hi duo admissi ad Monarcham Æthiopum, ostenderunt ei litteras Iohannis Regis, quibus magnam præ se lætitiam ferebat Rex Lusitanus, ob vnionem eius cum cæteris per orbem Christianis, quod ipse quoque secutus exemplum aui patrisque sui, fidem amplexus fuisset Romano-catholicam.

Lectis his litteris obstupuit Monarcha iste, vt qui nihil minus cogitasset, cumque interpellasset Secretarium siue Interpretem litterarum, adiunxit, mirari se, cur rex Lusitanus hæc talia ad se scriberet. Etsi enim maximi faceret amicitiam huius regis, nunquam se tamen commissurum, vt vel latum vnguem à maiorum suorum Religione discederet.

Neque tamen propterea abiecit Rodericus animum, sed omnibus modis Claudium ad veritatem adducere conatus est, frustra id quidem cum Conciliorum auctoritatem & Historias Ecclesiasticas, quas Rodericus frequenter adducebat, neque ipse Rex, neque quisquam Principum Æthiopum assequeretur.

Animaduertens igitur iniquis suos sermones accipi auribus, composuit & in lucem emisit Librum, Chaldaica scriptum lingua, quo errores Abyssinorum refutauit, ostenditque auctoritatem Sedis Romanæ supra omnes alias Ecclesias. Hic liber magnorum motuum causa fuit in regno, quos vt euitaret rex, magna dexteritate vsus fuit in eo supprimendo.

At Iacobus Diazius, videns se inutiliter consumere tempus, & iam terminum reditus sui applicari, valedixit Abyssino Regi, cumque delatus Goam exposuisset, quo loco res apud Abyssinos esset, negauit sibi consultum videri, vt ipse Patriarcha cum Synepiscopis suis manifesto se exponeret periculo, simulque sanctæ Sedis auctoritatem in discrimen vocaret. Sed erant alii, qui tam salutare consilium non prorsus abiiciendum arbitrabantur, sed mittendum Episcopum Hierapoleos cum duobus tribusve sociis, qui maiore auctoritate susceptum pertractarent negocium, in quo tam infeliciter versatus fuerat Rodericus. Suscepit magno animo in se Hieropolitanus hanc prouinciam, seq; in viam dedit, assumto Emanuele Fernandesio & aliis quibusdam, numero sane non magno. Hi vbi in Æthiopiam ad Abyssinos venerunt, patiendi potius quam disputandi inuenerunt materiam, eo quod Claudius Rex victus & in acie cæsus, fratrem Adamum successorem nactus fuisset, iuratum Sedis Romanæ hostem.

Hic traxit secum in bellum Episcopum illum eiusque socios, eosque crudeliter admodum habuit, non minore sæuitia vsus in Abyssinos, qui conuersi fuerant. Sed & hic ipse paulo post à Turcis victus cæsusque fuit, qui Episcopo eiusque sociis omnes eripuerunt facultates, vnde in extremam redacti sunt paupertatem & miseriam, destitutique omnibus ad alendam vitam necessariis, coacti fodere & vertere humum, donec omnes illis calamitatibus immortui sunt, excepto vno, qui deinde præfuit circiter quingentis Catholicis, partim Lusitanis, partim Abyssinis conuersis, vsus in hoc officio suo incredibili patientia.

REGNVM MONOMOTAPÆ.

SVMMA CAPITA.

1 *Situs, figura, ambitus huius Regni: Benomotaxa præcipua eius Vrbs.*

2 *Fruitur aere temperato, abundat fluminibus, quorum arena auri ramenta vehunt. Sylua hic frequentes, inque iis multi Elephanti. Copia frumenti, pascuorum, & aurifodinarum.*

3 *Incolæ huius regni sunt validis corporibus præditi & optimo temperamento, colore nigro. vestibus vtuntur è gossypio, cibis ex oriza, milio, carnibus, piscibus cum oleo Sesamino. Modus seruiendi Regibus flexis genibus. Regum Custodes corporis & alii exercitus. Mulierum Monomotapensium audacia, quæ in bellum proficiscuntur exemplo Amazonum.*

4 *Prouentus huius regis annui, in quibus rebus consistant.*

5 *Ratio Politiæ apud hanc gentem. Iustitiæ exercendæ expedita ratio. Causæ in aperto campo diduntur, iudice solis testibus contento, nec reum in carcerem compingente. Tria crimina seuerissime puniuntur: Veneficium, Furtum, Adulterium.*

6 *Monomotapensium à Fide Christi defectio: qui conuersi per Consaluum de Sylua Iesuitam, eundem postea trucidauerunt, persuasi à Mahometistis. Huius mortem quomodo Lusitani vlti fuerint.*

1. ETSI de hoc regno pauca ad nostram cognitionem peruenerunt, dicendum tamen aliquid de eo est, quantum ex aliorum narrationibus hausimus, vnde & de vicinorum regum potentia iudicium ferri poterit, puta de *Abdelense, Monomugiense, Matamense & Angolense*, qui omnes regnorum amplitudine & potentia huic, de quo dicere instituimus, facile cedunt. Est igitur Regnum *Monomotapense*, quod ab aliis *Benomotanum* dicitur longe lateque diffusum, cuius rex etiam Imperator Æthiopum lingua appellatur. Situs huius regni aliquo modo Insulam refert, cingiturque duobus prægrandibus brachiis fluuii longe maximi, qui è *Zembre* Lacu profluit, estque hic ipse Lacus, è quo progreditur *Nilus* versus Orientem & Septentrionem, sicut ex alio Lacu *Zayre* versus Occidentem oritur. Huius fluuii ramus is, qui septentrionale latus includit, dicitur *Cuama*: at alter qui Monomotapam ab Occidente & Meridie alluit, à nostris vocatur fluuius *S. Spiritus*. Ad Orientem habet hoc regnum Oceanum. Putatur ambitus huius Insulæ continere DCCL. Leucas Vrbs totius regni primaria est *Benomotaxa*, vbi Rex commorari solet: proxima ab hac vocatur *Symbas*. Neque tamen intra huius Insulæ limites coherceretur regis huius potentia, cum imperium eius multo longius extendatur, tam in mediterranea, quam secundum littus vsque ad Promontoria, Mozambicanum & Bonæ Spei. Soluunt enim vicini reges nonnulli huic tributum, interque eos Butuensis, cuius regnum porrigitur à fluuio S. Spiritus, vsque ad Promontorium Currentis. Spectatur etiamnum in hoc regno celebre illud ædificium Symbaoæ, olim ex quadrato lapide durissimo structum, incredibilis magnitudinis: suntque qui hic collocari debere putant Agysimbam Regionem Ptolemæi, vel alluſione nominis persuasi, vel ratione situs.

Natura soli huius regni.

Irrigatur hoc regnum plurimis fluuiis, inter quos facile excellunt, qui hodie dicuntur *Panamis, Loanga, Arruia, Mangionus*, aliique, qui fere omnes auri ramenta sabulo suo vehunt. Aere gaudet regio valde temperato; solum bonum est & iucundum aspectu, quanquam sit crebris syluis nemoribusque obsitum. Magna hic copia est frumenti & variorum animalium, inprimis frequentes hic sunt Elephanti, vt ex numero dentium siue cornuum, quæ inde ad alias gentes asportantur, nonnulli iudicent, quotannis ad V. millia harum bestiarum ibi interfici. In eo terræ spacio, quod à Cuama fluuio vsque ad Promontorium Currentis porrigitur, & inde ad fluuium S. Spiritus, campi pleni sunt gregibus & armentis animalium, quod vento marino frigidiusculo perflentur: hoc tamen mali habent, quod prope destituuntur lignis. Ad ripam Cuamæ fluuii crebri assurgunt colles & montes cooperti arboribus, quorum conualles gratis perluuntur fluuiolis, habitanturque ideo frequenter: his autem in montibus crebri oberrant Elephanti. Inuenitur multis in locis per hoc regnum aurum, quod non fluuiorum duntaxat arenæ suppeditant, sed & viscera terræ. In hoc autem diuitiarum genere excellit regnum Butuense, accedentibus pascuis vberrimis. Lignorum tamen in eo est penuria, & venti frigidiusculi, qui hic spirant à plaga Antarctica.

Mores incolarum.

Est populus hic statura fere mediocri, colore nigro, temperamento bono, corpore valido, Vestes sibi ipsi conficiunt, è gossypio, quamuis & aliunde ad ipsos telæ afferantur. Vile vulgus ferarum pellibus tegitur, Rex vero aduectitio panno non vtitur, quod metuat, ne is intoxi-

intoxicatus sit. Qui in his oris fuerunt, persuadere nobis conantur, militiam regiam potissimum constare ex armatis mulieribus, quæ instar Amazonum arcu sagittisque peritissime vtantur, mittentes filios, quos pepererunt, ad patres extra prouinciam, puellas secum retinentes: & has quidem mulieres versus occasum habitare, non longe à Nilo fluuio.

Qui regi huic seruitia præstant, eos insidere genibus necesse est. Quod apud nos magnates faciunt, vt adstent coram Principe, id hi proceres sedentes faciunt. cibum aut potum non capit, nisi à Prægustatore examinatum; præferuntur ei hæc arma: securis & duo iacula. Narrant eum ducentos canes excubitores habere.

Qui regnum hoc incolunt, vulgo viuunt ex carnibus, oriza, milio, piscibus, cum certo quodam olei genere. Magna est horum hominum in cursu celeritas, vt & equorum pernicitatem æquent, ducitque quisque tot vxores, quot ipse vult. Est alicubi in hoc regno tanta lignorum penuria, vt fimo vtantur ad alendum ignem.

Opes & Robur Militare.

Ex auri copia, quod in Monomotapa reperiri vulgo diximus, facilis potest de eorum diuitiis, qui id regnum incolunt, fieri coniectura. Nam Rex ab iis aliud tributum non exigit, quam seruitia quædam & opera gratuita, cum donis muneribusque, sine quibus coram eo ne comparere quidem fas est. De viribus eius in bello aliud nihil constat, quam quod totum regnum scatet populo, & plerique satis sunt animosi, leuiter tamen & perfunctorie armati.

Modus Gubernationis.

Solet hic rex Regum Principumque, quibus ipse imperitat, vel quos sibi beneficii iure deuinctos habet, filios & hæredes in aula sua secum educare, vt patres eorum in fide & officio contineat. Carceres hic nulli sunt, quod satis sit, reum testimoniis conuictum fuisse. Crimina quæ grauissime puniuntur hæc sunt: Incantatio, Furtum, Adulterium. Etsi autem vxores simul plures habent, ea tamen, quam primam vir duxit, cæteris potior habetur, vt filii eius patri succedant in bonis, & reliquæ ei ministrare cogantur.

RELIGIO.

Statuas & Idola Monomotapenses non adorant, sed dicunt se vnum venerari Deum, quem ipsi Mozimon nominant. Regnante Sebastiano Lusitanorum Rege accidit vt Inanioris Regulus, Monomotapensis Regis Beneficiarius conuerteretur opera Petri Consalui de Sylua, Iesuitæ, qui & paulo post baptizauit ipsum Monomotapæ regem cum coniuge, indiditque Regi nomen Sebastiani, & Reginæ, Mariæ. Regis exemplum secuti sunt circiter CCC. proceres, qui & ipsi Baptizari voluerunt. Aliquo tempore post persuaserunt quatuor Mahometistæ, quos Rex in deliciis habere solebat, Regi, Consaluum esse Magum, qui regem Magicis suis incantationibus transuersum raperet: sed & eundem Consaluum Speculatorem in regno agere, qui populum ad seditionem commoueret. Credidit rex, qui iuuenis admodum erat, susurronum horum accusationibus, effecitque, vt Consaluus ab octo seruis regiis interficeretur, eiusque corpus abiceretur in Mensiginam fluuium. Hoc interfecto, eodem furore occisi sunt L. homines nuper ad Christum conuersi. Cum autem quidam ex optimatibus regni, inque primis Lusitani Regem de atrocitate facti monuissent, excusauit se is vt potuit, translata culpa in Mahometanos istos, quos & è vestigio iugulari iussit, aliosque huic crimini affines ad supplicia conquiri. Et videbatur quidem Religioni Christianæ strata esse semita: verum Lusitani, cum deberent submissis nouis concionatoribus facilitate & doctrina admissum errorem corrigere, statuerunt cædem Consalui armis vindicare. 6.

Adueniente ergo cum numerosa classe, in qua multi nobiles Lusitani erant, Francisco Barreto, Rex Monomotapæ, videns sibi imminere cladem aliquam, mittit ad Franciscum Oratores, qui pacem peterent. At Thalassiarcha iste, cum auro regio inhiaret, contemtis æquissimis regis conditionibus bellum spirabat. Finis expeditionis huius is fuit, vt tam formidabilis illa classis in fumos abiret, consumtis Lusitanis militibus ab aeris singulari qualitate, quæ Europæis hominibus est intolerabilis. Ab eo tempore pauci ibi superfuerunt Christiani, quorum quæ hoc æuo ibi locorum sit fortuna, nobis non est facile explicare.

REGNVM

REGNVM CONGO.

SVMMA CAPITA.

1 *Amplitudo & limites huius regni Diuiditur in VI. Prouincias, quæ sigillatim describuntur cum Vrbibus suis primariis.*

2 *Error antiquorum, qui hanc partem siue Zonam Orbis Terræ inhabitabilem existimauerunt: Æquinoctium hic prope æternum. Hyemis tempore, cum nos Æstatem habemus, perpetuo hic pluit.*

3 *Qui sint primi nominis fluuii in hoc regno, Zaira & Lelonda, in quibus reperiuntur Crocodili & Hippopotami.*

4 *Narratio exactior, quid vnaquæque prouincia singulare habeat. Bamba gignit Elephantos & Tygres. Zebra animal Mulo non dissimile. Bubali syluestres, Feles Ciuettæ, serpentes XXV. pedes longi, quorum carnibus vescuntur Æthiopes. Mirifici Arietes, Chamaleontes, Psittaci, Pellicani. In Prouincia Congo Elephanti, Simiæ, Crystallifodinæ. In regione Pemba noua species frumenti, cui Luco nomen est, itemque Milium album, ficus Indicæ, quas Bannanas vocant: Palmæ arboris nouum genus, suggerens incolis oleum, vinum, acetum, fructus & panem. Montes pleni Iaspidibus & Porphyrite lapide. Loanda Insula cochleas habet Cinericei coloris, splendentes admodum, nec non admirabilem arborem Ensandam, quæ certum genus telæ fert, vnde Æthiopes sibi parant vestimenta. Balenæ nigræ & Sardinæ.*

5 *Color temperamentum corporis, forma & habitus horum populorum: eorum domus & ædificia: qua vtantur in mercimoniis moneta, quibusque nauibus in pugna marina. Mores eorum non multum absimiles Nigritarum moribus. Quomodo se inuicem mane salutare soleant. genus vestimenti è floreis ex corticibus arborum. quos obseruent ritus in bibendo, comedendo, dormiendo. Medicinæ eorum è simplicibus herbis, quarum ipsi cognoscunt virtutes. Quem honorem deferant regi suo.*

6 *Diuitiæ incolarum consistunt in negociatione, in metallis, Elephantis, Ciuetta, piscatione Ostreorum, telis è palma arbore desumtis & Crystallo.*

7 *Robur militare huius regni, & quot inde armatorum hominum millia in bellum haberi possint. arma Congensium.*

8 *Politica huius regni gubernatio, Leges, Præfecti Iustitiæ & Iuri dicundo per singulas prouincias. Disciplina militaris: ratio ducendi Ordines. tria instrumenta, quibus summus dux militiæ vtitur. Signa profectionis & receptus.*

9 *Idololatria Congensium. quo tempore & per quos Fides Christi in hoc regno annunciata & recepta fuerit. Iesuitæ præcipua huius rei Organa.*

ETsi ne de hoc quidem regno adulta vel sufficiens cognitio ad nos peruenerit, vnde eo differere ad eum modum quo de cæteris non possumus: speramus tamen Lectorem contentum fore earum rerum expositione, quæ nobis diligenti perquisitione innotuerunt.

Est autem regnum *Congo* siue *Congi* amplissimum, vt quod extendatur à Promontorio S. Catharinæ, quod abest vno & dimidio gradu à Linea Æquinoctiali, porrigaturque vsque ad Promontorium Ledo versus Meridiem. Fines eius sunt ab Occidente Oceanus Æthiopicus, à Meridie Montes Lunæ & Caphres Æthiopes, ab Oriente Montes, è quibus defluunt amnes in Fontes Nili: ab Aquilone habet regnum Benenense. Comprehendit itaq; hoc regnum ingens spacium, nempe à medio gradu tertio lateri Meridionalis vsque ad XIII. gradum versus Polum Arcticum, non minus DCLX. milliaribus Italicis. Subest huius regis imperio etiam *Loanda* Insula, quæ sita est intra duo brachia Dãdi fluuii quorum illud Bengo vocatur, hoc Coanza. Sed & Insulæ quædam *Zairæ* fluuii huius agnoscunt dominium. Porro ipsum regnum diuiditur in Prouincias VI. quarum hæc sunt nomina, *Bamba, Songo, Sunda, Pango, Batta, & Pemba.*

Porrigitur autem Prouincia *Bamba* secundum longitudinem littoris ab amne Ambrisio vsque ad Coanzam fluuium, complectiturque intra se multas Dynastias siue Principatus. Caput huius est *Bamba* ciuitas, quæ nomen suum impertit toti Prouinciæ, sicut & cæteris accidit vt ab Vrbibus primariis denominentur. Alluitur vtrimque Losa & Ambrisio fluuiis, distatque à mari milliaribus Italicis circiter C.

Secunda Prouincia, nomine *Songo* sita est in loco, quem Zaira & Loangus amnes circumfluunt, extenditurque ad Ambrisium fluuium ab Aquilonari latere, sub gradu septimo cum dimidio, finitque iuxta Rupes Rubras in finibus regni Loango. Caput huius Prouinciæ est *Songo* ciuitas.

Tertio loco occurrit *Sunda*, quæ spacium obtinet circa *Congum* Vrbem, cui Lusitani nomen S. Saluatoris imposuerunt, extenditurque hinc XL. milliaribus Italicis siue VIII. Germanicis vsque ad fluuium Zairam. Metropolis eius est *Sunda*.

Pango quæ quarto loco à nobis recensita est, aliquando Peculiare regnum fuit, Congensi minime subiectum. Attingit autem ad Septentrionem Sundam, à Meridie Battam, ab Occidente Songum, & ab Oriente Montes Solis. Primaria Vrbs eius est *Lango*, eiusdem cum Prouincia nominis, sita ad Occidentale littus Bar-

bela

belæ fluuii, qui èx eodem Lacu erumpit, vnde Fontes Nili.

Prouincia *Battensis* attingit à Septentrione Pangensem, & ab Oriente Barbelam amnem, porrigitque fines suos vsque ad Montes Solis: à meridie horum montium coniungit se rursus Barbelæ, tangitque montem qui exustus dicitur. Caput eius est *Batta* oppidum.

In Prouincia *Pemba*, quæ vltima est, spectatur *Congo* Ciuitas, quæ & *Banza* dicitur, id est *Curia* siue *Regia*. Incumbit hæc monti, distans à mari quasi CL. milliaribus Italicis siue XXX. Germanicis. Spectatur hic mons satis altus qui circiter II. milliaria Alemannica complectitur, totus obsitus vicis, pagis & habitationibus hominum, tantæ bonitatis, vt credatur alere C. incolarum millia.

Qualitas & Natura soli.

Si locus dandus est veterum opinioni, qui crediderunt Zonam Torridam siue Exustam ob nimios solis ardores habitari non posse, dicemus & nos, hoc regnum habitatoribus omnino vacuum esse.

Sed longe aliter habet, diuersum nobis offendente Eduardo Lupo, Lusitano, qui diu cum aliis gentis suæ hominibus in his locis versatus est, & bona fide nobis narrat, aerem ibi tam temperatum esse, vt Hyems similis sit Auctumno per Italiam, nec incolæ necesse habeant, mutare vestimenta aut ignem quærere. Quin & summa montium iuga nec nimiis niuibus nec frigore, vt alibi, rigere: alicubi etiam magis calere hybernis mensibus quam æstiuis, ob assiduas pluuias, quæ prope quotidie cadunt, duabus horis ante, totidem post meridiem. Neque tamen negat calorem in his locis ab hominibus Europæis non bene ferri posse.

Noctes hic fere æquales sunt diebus, vt exigua per totũ annũ obseruetur differentia. Cum nos Ver habemus, apud ipsos Hyems est: incipit enim a.d. XV. Martii, desinitque sub initium Septembris, ita vt perpetuæ cadant pluuiæ totis prope quinque mensibus, nempe Aprili, Maio, Iunio, Iulio & Augusto. Hoc omni tempore vix vlla dies serena illucescit, cadentibus densis imbribus, qui tamen omnes ab arido solo exsorbentur. Contra æstas siccissima est & fere pluuiis omnino destituta. Hinc fit, vt fluuialis aqua spissa fiat atque lutulenta, quæ cum pluuiis creuit, communicat hanc pinguedinem agris. Per Æstatem flant hic venti, quos I. Cæsar & ante eum Hippocrates Etesios nominauit, Lusitani appellant hunc ventum Magistrum siue Generalem, quod hic potissimum spiret. Huic eidem causa tot pluuiarum adscribenda est, cum agiter nebulas in summa montium, quæ vbi condensatæ sunt, in guttas abeunt, & in humum delabuntur, suntq; hæ nebulæ in montium cacuminibus certa futurarum pluuiarum indicia. Sunt igitur hæ pluuiæ in causa, vt famosissimi illi fluuii, Nilus, Niger & Senega tantopere excrescant, cũ nonnullis aliis harum partium, qui partim in Oceanum partim in Mare Mediterraneum irrumpunt, & campos quos perluunt, admirabili fœcunditate sua imbuunt.

Cum igitur tam magni continuique cadant imbres iis mensibus, quibus apud nos æstas est, non tantum in hoc, sed & Abexinorum regno: non est mirandum tantopere excrescere fluuios istos atq; inundare terras, etsi in Ægypto aliisq; locis aridis (præterquam circa Alexandriam) pluuiæ nullæ cadunt. Hinc enim fit, vt quotannis Nilus adeo intumescat, & eluuie sua pingues faciat agros, qui sine dubio præ siccitate omnino fierent steriles, nisi ad hunc modum stercorarentur. Hæc causa mouit veteres, vt sacrificarent Nilo, appellantes eum *Bonum Genium*, quin & Christiani in illis locis viuentes, etiamnum hodie inundationem Nili miraculosi quid arbitrantur sine qua Ægyptiis fame pereundũ esset.

At per æstatem regnantibus Euronoto & Borea, ventis frigidioribus, refrigeratur terra, quod idem & Aquilo Eurusq; apud nos faciunt. Sic enim serenatur aer, sic exigente apud Æthiopes & natura terræ & climate cœli. Et profecto, nisi Æthiopum Congiq; regnum horum ventorum beneficio perflaretur, incolæ intensissimũ illum calorem perferre nõ possent. Qui Græciam, Cretam, Cyprum, Asiam minorẽ, Syriam Ægyptũq; incolunt, eiusdem venti perfruuntur beneficio.

Notandum autem Montes Æthiopiæ atque Congi vicinarumq; regionum nunquam contegi niuibus, nisi forte illi, qui versus Bonæ Spei Promontorium extenduntur, vel quos Lusitani *Sierra Neuada*, id est, Montes Niuosos nominãt. Quod si in Congi regno Nix vel Glacies haberi posset, non est dubium, quin vtraq; auro non modico vendi posset ad refrigerandam potionem. Vnde patet quam vanum sit, dicere solutionem niuis causam esse exundationis horum fluuiorum, cum ea continuis quinque mensium imbribus tribuenda sit.

3. Fluuiorum Regni Congo maximus est *Zaira*, qui oritur ex secundo lacu, vnde Nilus emergit, potestq; inter præcipuos Africæ censeri. narrant ostiũ eius in latitudine habere in XXVIII. millia pass. Conficit hic multas magnasque Insulas, recipitq; inter alios fluuios *Vambam & Barbellam*, qui è primo lacu egrediuntur. Influunt in Zairam & alii, quorum scaturigo est ex lacu Aquelondæ: inter quos facile primi sunt *Coanza & Lelonda*, quorum ille limes est regnorum Congi & Angolæ: in hoc inueniuntur Crocodili & Hippotami, vnde Equorum Insula denominatur. Est autem *Hippopotamus* animal quadrupes, coloris subfusci, paucos habens pilos, egrediens in terram vt pascatur nocte, mane autem denuo insilit in aquas. Capitur aliquando & cicuratur ab Æthiopibus, qui eorum animalium laudant celeritatem: cauendum tamen esse aiunt, ne nimis prope ad fluuios siue lacus agantur, quod his visis, repente sese in eos demergant. Gignunt hi fluuii etiam Vaccas Marinas,

Marinas, quæ aliquot diebus in ſicco viuere poſſunt. Cæterum abundantia aquarum cum calore ſolari coniuncta, reddunt has regiones ſupra modum fertiles, vt magna hic inueniatur copia plantarum, herbarum, fructuum & frumenti, nec dubium eſt, quin multo plus proferret ſolum, ſi diligentius coleretur.

Sed videamus ſi placet, exactius, quid vnaquæque Prouincia ex iis, quas ſupra deſcripſimus, ſingulare habeat, poſtea omnes iunctim conſiderabimus.

4. In *Pamba* mons eſt, ex cuius viſceribus multum effoditur argenti aliorumque Metallorum. Abundat inſuper hæc Prouincia Elephantis, ob multitudinem ſyluarum, in quibus illi viuunt. Sunt autem hi Elephanti immani corporis mole, cum creſcant ad medium ætatis ſuæ: perhibentur autem viuere poſſe CL. annis. Quos noſtra ætas in Luſitania aliisque Europæ partibus vidit, ii multo minores erant, quod in iuuentute è patrio ſolo exportati, non ſatis commode ferrent noſtrum cœlum. Poteſt autem belluarum iſtarum vaſtitas colligi ex magnitudine dentium, cum reperti ſint, quibus fuerit pondus CC. librarum. Vocant autem Congiani dentem ſiue cornu Elephanti ſua lingua, *Mene Manzao*: Elephantos iuniores *Moano Manzo*. Auriculæ eorum non ſunt minores ampliſſimis Clypeis Turcicis, qui vero maximas habent, earum latitudo ad VI. pedes acceſſit. cum ingrediuntur, applicant eas ſcapulis, harumque & caudæ opera profligant muſcas, quas & occidere poſſunt atque elidere collecta in rugas cute. Pilos in extrema cauda haben craſſos admodum, inſtar iunci, nigros tamen & ſplendentes: iuniores vero elegantiores, vnde & maioris precii. Videtur autem veteribus parum cognita fuiſſe natura Elephantorum, cum ſcripſerint, non habere eos genua neque ſuffragines, vnde & crura flectere non poſſe, ſed dormiturosapplicare ſe arboribus, quibus per fraudem ſuccisis capiantur: & vero ſecus hæc omnia habere, non tantum Luſitani & Hollandi deprehenderint, ſed & αὐτωψία teſtetur: ſunt enim iis omnino iuncturæ, vt ſe demittere & attollere in altum poſſint. Tygres quoque hic ſunt frequentes, quarum figuram hinc inde apud nos picturæ oſtendunt.

Negat Eduardus hanc beſtiam facile appetere coloris albi homines, nigros vero infeſto morſu inuadere ſolere, factumque fuiſſe, vt cum duæ tigrides, duos vna dormientes homines offendiſſent, Europæum & Æthiopem, relicto albo, vtraque harum ferarum nigrum magno furore inuaſerit, eumque dilaniauerit. Stimulatæ fame rapiunt animalia domeſtica, ſi feras in agro aut ſyluis nanciſci nullas poſſint. Congenſes eas vocant *Engoi*.

Habet hæc eadem prouincia peculiare animal, quod ab incolis *Zebra* vocatur, ſimile prope per omnia Mulo, niſi quod generet fœtumque procreet. Color autem ei per totam cutem inprimis varius.

Pili enim in cute à ſpina dorſi vſque ad ventrem tribus coloribus perpicti ſunt, albo, nigro & flauo, in quorum colorum diſtributione natura proportionis fuit obſeruantiſſima, cum quælibet linea ſiue ſtria tres digitos lata ſit. Gignunt autem hæc animalia ſingulis annis pullos ſuos, inſtar equorum, ſuntque miræ feritatis atque pernicitatis, vt apud Luſitanos in prouerbium abiuerit *Celeritas Zebræ*. Si manſuefieret hæc fera, poſſet eius idem eſſe in bellis vſus, qui equi, ob celeritatem, vel ad ferendum equitem, vel trahendum currum, cum nihil ei horum videatur Natura negaſſe. Cum autem in hoc regno equi nulli ſint, nec Æthiopes nouerint curare Zebram, neque denique bobus in trahendis oneribus vtantur, quanquam multo habeant: ipſi homines iumentorum vicem præſtant, & onera ſubeunt. Qui enim iter faciunt baiulorum geſtati dorſo, ſæpius mutant ſeruos donec ad locum optatum perueniant.

Sed & alia nobisque ignota hic reperiuntur animalia, quorum quædam magnitudine boum ſunt, alia minora, quæ ab iis vocantur *Empalanges*: nec non Bubali feroces admodum, & Lupi quibus eſt olfactus exquiſitiſſimus, qui que va de appetunt vinum ſiue oleum è palma arbor extractum. Neque deſiderabis hic Vulpecula Ceruos, Capreolos, Cuniculos, inprimis Lepores magno numero, quod non ita agitentur canibus aut capiantur reti, velut apud nos.

Felium Ciuettarum hic non exiguus numerus, quæ manſuefactæ in domibus aluntur, inde extrahatur fragrantiſſimus ille liquor, q neque noſtris officinis ignotus eſt.

Serpentum & viperarum hic varia gener quorum quoſdam ad eam accedere vaſtitate narrant, vt XXV. pedes longi fiant, V. lati, cu longa aluo & laxa, rictus vero fauciumque ta ta eſt capacitas, vt ceruum vel aliud animal p ris magnitudinis deuorare queant. Viuunt ta in aquis quam arida. Saturi hi Dracones faci ſopiuntur & ab incolis occiduntur, qui horu veſcuntur carnibus, eaſque meliores quam v latilium prædicant. Præter hæc monſtra ſunt alii ſerpentes ſiue viperæ, minores quidem m to, ſed quarum tam præſens eſt venenum, vt h minem admorſum intra horam vigeſima quintam ad Ditis oſtia relegent.

Viſitur & in eadem Prouincia *Pamba* anim lis quoddam genus, magnitudine arietis, a Draconinas habens, cum cauda oblonga, pr minente ore, in quo plures dentium ordin Viuunt hæc monſtra carnibus crudis, pedes h bent duos, pellem ruffam, viridi ac cæruleo c lore variegatam. Multos quoque hic reper eſt Chamæleontes.

Iam de Auibus percunctanti occurrent p rimæ Gallinæ & Pulli Indici, Pauones, Anſer Anates, Perdices duûm generum, Phaſiani, C lumbæ, Turtures, Aquilæ, Falcones, Milui Pellicani. Adde his & Pſittacos, tam virid quam cinericii coloris, cum ingenti numero uium rubeſcentium, pulcherrimarum quide

q

quæ colore non longe à Phœnicoptero abeunt. Quas in Candriis Insulis habent incolæ suauiter cantillantes, eas ne hic quidem desideraueris auiculas.

Prouincia *Songo* præ cæteris multos alit Elephantos, & magnum Simiarum numerum, quæ varias cient gesticulationes & nugas, dum præterеuntes homines imitari conantur. De animalibus, quorum supra facta est mentio, hic tacendum putamus. Multum effoditur hic Crystalli, nec non metallorum, ferro tamen præcipuam æstimationem obtinente: quod quidem eruitur & in Prouincia Pemba ex magno illo monte, cuius supra mentionem fecimus, in enumeratione Prouinciarum. Huius quidem montis solum supra modum ferax est omnium rerum bonarum, ob bonitatem aëris: hic enim aquæ saluberrimæ, & herbæ optimæ, & armenta ac greges numerosi, & arbores fructiferæ semper virentes. Frumẽto omnis generis abundant inprimis *Luco*, (vt vocant) quod tanti faciunt quanti nos optimum triticum. Simile est granum hoc grano Sinapis, nisi quod paulo superat magnitudine. Molunt teruntq; hoc pistrinis manuariis & versatilibus, vnde emergit farina suauissimi saporis. Panis qui inde conficitur, vix quicquam bonitate cedit nostro. Est autem huius frumenti ingens copia in Regno Congo, quo superioribus annis delatum fuit ex iis partibus, vbi Nilus capessit originem suam, inprimis vbi transit secundum lacum.

Crescit insuper hic magna vis Milii Albi, quod ab incolis appellatur, frumentum (siue Mazza) id est Granum de Congo. Prouenit insuper hic Maizum siue Frumentum Indicum, quod tamen non magni æstimatur; incolæ vocant *Mazza Mamprito*, id est Far Lusitanicum. Oriza, quanquam hic belle crescat, in exiguo tamen & ipsa est precio. Fructuum arboreorum hic magna est copia & varietas, quibus potissimum plebeii homines aluntur, nam & poma citria, & limonia Medicaque admirandæ hic sunt suauitatis. Ficus Indicas, quas vulgo *Bannanas* vel *Vannianes* vocant, quæque ab Hebræis Ægyptiis ac Syris *Musa* vocari putantur, nusquam maiore affluentia, quam hic inueneris. Gustu sunt suauissimo, dulcedine cum aciditate quadam permixta, nec earum esus quantumuis largus quicquam nocet ventriculo, cum alimentum præbeant optimum. Campi hinc inde consiti sunt variis arboribus è palmarum genere, quarum aliæ quidem ferunt dactylos, aliæ vero nuces Indicas. Tertia palmarum species vtilissima est, cum suppeditet colonis & oleum, & acetum, & fructus & panem. Oleum exprimunt è fructibus huius arboris, sicuti nos è baccis oliuæ, estque eadem oleo illi consistentia & color, qui nostro Butyro, nisi quod paulum ex flauo in viridem degenerat.

Hoc illis & Butyri & Olei vsum præstat, cum eo lucernas alant, & corpus vngant ad celeritatem: estque præterea multiplex huius olei vtilitas. Vinum etiam extrahunt è summa arboris huius stirpe, perfosso cortice, vnde stillat liquor albicans, limpidus idemque gelidus. hic primũ dulcis est, vt iucunde bibatur, sed asseruatus diutius acescit, vt ad lactucas instar aceti adhibeatur. Hoc vinum recens haustum, suscitat vrinam, vnde paucissimos hic reperias calculosos. Si quis se eo inuitet hilaricis, inebriatur, citra tamen noxam. Panem insuper coquunt è nucleis fructuum huius arboris, qui coccos ferunt amygdalis dulcibus similes, gustus suauissimi. Ipse fructus intus & foris viridis, salubriter comeditur, tam crudus quam coctus.

Sunt præter has omnes & aliæ arbores, quarum fructus appellatur *Cola*, ad nucis pineæ accedens magnitudinem, intus latent nuculæ quatuor rubicundæ, quas confractas dentibus lingua in ore versant, ita extingui affirmantes sitim. Hæ nuculæ in aquam coniectæ, eam acescere faciunt, vt grata sit palato, iuuet stomachum, & corroboret epar. Inueniuntur & aliæ palmæ, sed quas syluestres dicere possis, quæ vberrimos proferunt fructus aptos ad cibum, & quorum foliis ad varios vsus in domo suauantur. *Ogogues* arbores sunt, ferentes fructum similem flauis prunis odore & gustu suauissimo. Quid iam dicam de fructibus, quorum felix in Medicina vsus, inprimis de Tamarindis dulcibus & acidis, quibus curantur inflammationes febriles? Æthiopes & Turcæ his quam salubriter vtantur, notum est, qui pulpa horum fructuum cum aqua mixta refrigerant epar, renes, omnesque partes interiores, inprimis cum iter faciunt. Melonum, Cucumerum, Peponum quantum hic sit, dicere nihil attinet.

Saxorum atque lapidum ad ædificandum, & glaberrimi marmoris magna copia, vt vel ex hoc solo ingentia Templa & Basilicæ extrui possint. Multorum montium viscera scatent Iaspide & Porphyrite lapide, adde & marmore candido & versicolori, quod Romæ Numidicum & Africanum appellatur. Postremo adnascitur quibusdam saxis Hyacinthus lapis, qui facile inde separari potest. Si permixti hi lapides relinquantur, possunt inde fieri columnæ integræ, Obelisci aliaque opera ad miraculum vsq; pulchra ob admistos marmori Hyacinthos. Taceo iam inueniri rupes, è quibus exscinduntur Metalla, inprimis Æs viridis flauique coloris, vnde fundi possunt statuæ aliaque vtilia opera confici.

Iam de fluuiis huius regni aliquid dicendum est. *Zaira* Amnis est huius regni omnium maximus, qui partim ex eodem profluit lacu, ex quo Nilus oritur. Abundat autem fluuius iste aquis supra modum, vt in latitudinem V. millium & D. pandatur, antequam mare intrat; ingressus autem Oceanum, retinet aquas suas dulces per XII. vel XVI. Leucas, non intermiscens eas salsis marinis: vnde nautæ facile discere possunt vbinam locorum nauigent. Possunt etiam vel maximæ naues onerariæ, sine

vllo periculo per ipsius alueum adscendere ad quintum vsque milliare: sed deinceps occurrunt impetuosæ cataractæ & formidabilia præcipitia, horrendosque fragores longe lateque cient, vt Nilum, Rhenum & Danubium alicubi facere nouimus.

Lelonda alluit pedem montis, in quo Regia Ciuitas Congo extructa conspicitur: hic cessantibus pluuiis hybernis multis locis vadosus fit. In ripis Loandæ Insulæ reperiuntur conchæ quædam subcinericei coloris, valde splendentes: quamuis autem & alibi per regnum Congo similes inueniantur, Loandenses tamen maiori in precio sunt.

Ensanda arbor est nobis ignota, semper virens, cuius multæ prædicantur virtutes. quamuis autem rami eius in magnam excrescunt altitudinem, demittit tamen inde velut filamenta quædam, tenuia quidem, quæ vbi terram contigerunt, agunt radices, & sic arbor illa multiplicatur incredibilem in modum. In primo cortice huius trunci serpit lanugo quædam, è qua purgata fieri possunt vestes pro tenui plebecula. Crescunt & in crepidine maris arbores quædam, quarum radices vnda marina alluit: his inueniuntur ostrea humani pugni magnitudine, gustus gratissimi, ideoque accolis probe nota, à quibus vocantur *Abixi-mitare*, quasi tu dicas pisces petrosos.

Circa huius Insulæ partem exteriorem multæ visuntur Balænæ nigræ, perpetuis inter se depugnantes conflictibus, vt multæ intereant. Multas etiam Æthiopes capiunt, quarum pinguedine exempta & pice permixta nautæ inungere naues suas solent. Capiuntur & ibidem multæ Sardinæ, & Soleæ, & Sturiones, & Mulli, aliique pisces infiniti, cum magna vi prægrandium Cancrorum marinorum.

Mores incolarum regni Congo.

5. Sunt hi, vt plerique Æthiopes, tincti colore noctis, etsi inter eos mulieres quædam fuscæ potius sunt, in flauitiem degenerante cutis nigredine. Capilli omnibus sunt nigri, vel admodum ruffi. Viri sunt statura mediocri, membrorum systemate ferme Lusitanis similes. Labia iis sunt crassa, non tamen ita tumida, vt Nubiensium & Nigritarum. Vultus est magna differentia, cum alii macilentis, alii obesis sint genis, alii denique medium obtineant, vt Lusitani: in quo ipso quoque differunt à Nigritis, qui ferme omnes horrendo & deformi sunt aspectu.

Iis qui Pambam Prouinciam incolunt, tam validum est lacertorum robur, vt captum bello mancipium vno ictu per medium dissecare possint, & similiter ceruices boui vno ictu amputare. Songensibus perpetuum bellum est cum Anzincanis vicinis eorum. Sundenses pluris faciunt ferrum, quam cætera Metalla omnia, quod ex eo gladii, cultri, secures, aliaque instrumenta varia fabricari possint. Qui Pembam Prouinciam tenent, decidunt ramos ex Ogeguis arboribus, & inde conficiunt sæpes, & ö perimenta, quibus se à Solis æstu tegant. Ore versant Tamarindinam ad leuandam sitim.

Domus Congensium humiles sunt valde, & angustæ, non defectu materiæ, cum iam ante ostenderimus, quantopere abundent saxis, marmoribus, lignis, sed ruditate & insciti ædificandi, cum neque cementarios neque fabros lignarios habeant. Loco monetæ aureæ argenteæque vtuntur conchis splendentibus, & hoc pacto emunt venduntque. Qui Insulas Zairæ fluuii colunt, gesserunt olim inter se bella scaphis lintribusve, è solidis arborum truncis confectis, sed excauatis. Appellatur autem arbor illa *Liconda*, estque aliquando tam crassa, vt duo vel tres homines expansis brachiis eam amplecti non possint: vnde nihil est absurdi quod scribunt, huiusmodi lintres aliquando CC. homines capere. Hæc nauigia magna vi impellunt, tenentes remum & arcum; cumq; ad pugnam deuentum est, omisso remo arcum corripiunt, sagittasque in hostes mittunt. In Insula Loand piscantur conchas hoc modo. Certæ quædam mulieres cum fiscellis iunceis descendunt a littore in mare, extractamque sportulis arenam effundunt, legentes ex iis conchulas paruas admodum: quæ duûm generum sunt, mares & fœmellæ, sed hæ multo pulchriores illis: & hi quidem emere omnia possunt, etiam aurum argentumque ipsum, & quicquid est in preci Nec apud has duntaxat gentes monetæ aureæ argenteæque vsus in desuetudinem venit, se & in aliis Africæ regnis, vt & in China, & qui busdam Indiæ locis. Æthiopes enim pipere e munt; regni Tombudensis incolæ iuxta Sene gam fluuium, pariter vt hi, cochleis conchu lisque.

Insulani homines naues habent è Palma v Nuce Indica arbore, quæ partim remigio pa tim vento velisque feruntur. In arte natan tantam acquisiuerunt perfectionem, vt omn freta nando superare possint, & in continente emergere.

Porro habent in vniuersum Congenses mu ta cum cæteris Nigritis communia, in primi qui his viciniores sunt. Bibituri semper ante a quot guttas in terram effundunt. Inter pra dendum nemo bibit, sed post epulas affatim ciunt siti, ingesta vel aqua, vel vino palmaru vel denique aqua mulsa.

Mane facti sibi obuiam, salutem dicunt inu cem. Si quis honoratior occurrat, in genua su fidunt, complosisq; manibus expectant, don alter respondeat *Fuio, Fuio*, quod eorum est χα ρε. Cum inter se ipsos furtum raro committa peregrinis tamen quicquid possunt, surripiun Mulieres rei Venereæ deditissimæ sunt, amat cum primis peregrinos, nihili facientes hon rem suum, dũ lasciuis suis obsecũdent desideri Caput neq; viri neq; mulieres tegunt, capill autem in ornatos cincinnos crispant, etsi br uiores habeant: quidã tamẽ cortice arboris, v putamine nucis Indicæ verticẽ operiunt: qui

deniqu

denique plumeas demittunt cristas, filis ferreis capillorum antiis annexas.

Vestes eorum fere omnes è storeis constant, cortice arborum tenuiori plexis, rubroque illitis colore, his iniiciunt simiarum aliarumque bestiarum pelles. Nonnulli corpus cingunt cingulo è tergore bubali facto, suntque cingula illa aliquando duos vel tres pedes lata. Multæ fœminæ induunt femora sua circulis ferreis aut æreis stanneisque, quorum extremitates tam artificiose cohærent, vt vbi iuncti sint, deprehendere facile non possis.

Stramentis humi expositis indormiunt: fructibus primo creberrimis, deinde etiam piscibus carnibusque vescuntur: quanquam fere omnia eadem olla coquant, & eadem patina apponant. Digniores cæteris soli cibum capiunt sine conuiua. In superficiem humi excrementa alui nunquam deponunt, grande peccatum id esse opinantes, sed primo fossam deprimunt, in eaque sordes defodiunt. Musica eorum instrumenta sunt tympanum ab summo latum & in angustum desinens apicem, nec non fistula ex ebore. Et hæc quidem de illis qui ruri degunt potissimum intelligenda sunt, qui enim in vrbibus viuunt, ciuiliores sunt atque delicatiores.

De vitorum vestitu supra diximus. Et sic quidem olim fuit: sed nostro tempore imitantur in multis Lusitanos. Sic quoque mulieres triplici tunica inferiores corporis partes operiunt: habetque quælibet tunica suam cincturam, intima vsque ad talos pertingente, media vsque ad genua suprema femur tegit. Anteriorem partem corporis tegunt linteo, posteriorem mantello, vtroque facto è foliis Palmæ arboris. Plebeiæ seruæque conditionis tantum inferiora tegunt. Sed in exornando capite imitantur mulieres Lusitanicas, imponendo capiti mitram holoseriçam gemmis ornatam & catenulis aureis, quod tamen de nobilibus intelligi velim.

Rex more Lusitanorum cibum capit: ius dicit in publico sine multis ambagibus, cum hic nullus sit Rhetoribus Rabulisque locus, sed omnia tribus verbis expediantur. Aulici vtuntur tibiis, ad quarum stridorem choreas agitant, imitati Mauros, grauitatis non immemores, & musica tempora eleganter obseruantes. Herbarum prope omnium virtutes vulgo nouerunt, estque quisque sibi laboranti Medicus & Chirurgus. Exempli gratia: Febrem curant ligno Santali in puluerem redacto: capitis dolori medentur sectione venæ. Aluum laxam reddunt cortice quodam à certa arbore petita: & sic in cæteris.

Opes & Facultates Congensium.

6. Nemo facile sibi imaginari poterit, quantas hi diuitias possideant, cum adeo abundent metallis, vt non solum multum diuendant exteris, sed & ipsi incredibilem vim sibi retinent. Si quis his adiungat Elephantos, colliget, quantum ex ebore percipiant, quod pro exoticis mercibus permutant. Adde his precioſissimum Ciuettæ & odoratissimum liquorem, & omnem abiice dubitationem.

Iam quid de rege ipso dicemus? qui cum tot Principatuum sit dominus, necesse est vt longe omnium sit opulentissimus. Quanti sint prouentus eius, impossibile est dicere, cum non, vt nostrorum principum in auro argentoue consistant. Consentaneum tamen est rationi, cum subditi huius regni tantis affluant diuitiis, ob commerciorum, quæ ibi exercentur multitudinem: regem, qui iis imperitat, esse ditissimum potentissimumque inter Monarchas totius Africæ. Nam conchularum piscatio in insula Loanda, quæ instar argentifodinæ est, tota ad eum spectat, qui & eius rei gratia Præfectum in ea Insula constituit. Ex Prouincia Pemba magnos adipiscitur thesauros, quam argento cæterisque metallis affluentem esse diximus. Est & in ea magnus mancipiorum mercatus, ementibus Lusitanis seruos, eosque in longe dissitas regiones mittentibus, vt ibi pluris vendantur.

Præter hæc omnia telæ Congenses, factæ ex arbore Palma Indica, multum appetuntur à mercatoribus exteris, cum non solum Æthiopes eas coemant, sed & Lusitani totas naues iis onerent.

Est & Crystallo suum precium, quæ in his locis effoditur, quanquam cum superioribus hæc negotiatio conferri non possit. Postremo percipit hic rex quotannis splendidissima munera ab Angolæ Rege, quem Congensis sibi fecit tributarium.

Robur & Potentia in bello.

7. Cum frequentissimas populo hic rex possideat prouincias, cumque plerique ad arma nati aptique sint, facili cogitatu est, eum multum habiturum negocii, qui regnum Congo sit bello appetiturus. Munitis tamen destituitur vrbibus propugnaculisque, neque præsidia constituta habet in finibus regni.

Neque etiam ea est Congensium armatura, vt non possint vehementer ab Europæis exagitari affligique, si hi bono & numeroso exercitu regnum istud ingredi vellent. Vicinis tamen suis facile imperitant Congenses, eosque potentia sua velut freno cohercent, aut imperata facere nolentes cogunt vi & armis. Est autem Prouincia Pemba propugnaculum totius regni: hinc enim rex bello illato compescit rebellantes, cum incolæ huius præ cæteris sint animosi armisque adsueti, vt hinc facile rex, si necessitas vrgeat, possit colligere exercitum CCCC. millium hominum, qui armati sunt pro consuetudine regni. Arma autem horum militum sunt, gladius latus longusque, prope ad modum Heluetici gladii, & hos ab Lusitanis adipiscuntur. Præter hos gladios

optimè quoque vtuntur arcu & sagittis, sunt-que exercitati in prætendendis aduersus ictus scutis suis ex arborum corticibus factis.

Habet & Præfectus Battensis quosdam inter suos, qui sclopetis vtuntur, quod ad Montes Solis iuxta Orientale & Occidentale Nili latus degant certi quidã homines, quos *Giaquas* Cõgenses dicunt, cum ipsi sese *Agag* appellẽt, bellicosi admodum & insidiantes prædæ, quam perpetuis excursionibus ex vicinis gentibus agunt feruntque, inprimis ex Battensi Prouincia, vnde incolæ semper in armis sunt, vt irruentibus prædonibus illis resistere possint. Potest autem hæc Prouincia emittere exercitum LXX. siue LXXX. millium hominum, satis bene armatorum & Promptorum ad faciendum officium: & ex his duabus Prouinciis, Pemba & Batta, de reliquis facile potest iudicari.

Modus Gubernationis tam Ciuilis quam Militaris.

In vnaquaque Prouincia habet Rex Congi Summum Præfectum, qui in ea vrbe residet, quæ totius prouinciæ caput est. Multi sunt in hoc regno viri Principes, qui tamen per omnia regem absolutum agnoscunt dominum, etiam priuatarum rerum suarum. Appellantur autem hi Dynastæ lingua Æthiopica *Mani*, vt cum dicunt *Mani Loanda*, *Mani Coanzæ*, id est Princeps siue Dominus Loandæ vel Coanzæ. Sicut autem Rex in summo honore apud suos est, ita per Præfectos suos operam dat, vt omnia recte atque ordine fiant in regno. Leges aut Statuta scripta frustra hic quæsieris, Consuetudinibus maiorum iudicant, & ius ex Natura petunt. Receptum apud eos est, ne quis pellem Zeiræ animalis vendere possit, nisi simul venenum vendat, quod in eo latet, ne quis ad maleficia eo abuti possit. Porcos Marinos ob eandem causam piscatores captos regi offerre tenentur, capitis supplicio constituto.

Rei militaris ratio apud Congenses hæc est. Equites hic nulli sunt, Pedites omnes, qui vel dilatare nouerunt ordines vel contrahere pro capacitate loci. In ducendo exercitu signis quibusdam vtuntur, & clamorem sequuntur summi ducis, qui in media versatur acie. Siue enim ad pugnam procurrendum sit, siue ad manum dextram siniſtramue deflectendum, siue quid aliud ex disciplina militari faciendum, certa sua habent signa, suosque clamores, quibus cognoscunt ductum eius atque voluntatem. Instrumentis præcipue vtuntur tribus, quibus signum dant in bello. Vel enim pellem animalis in trunco excauato extendunt, quam pellem ligno valide percutientes horribile cient tonitru: vel habent instrumentum quoddam triangulare, in modum Pyramidis, sed inuersæ, compositum ex laminis ferreis probe adunatis, quod tundunt feriuntq; baculis ligneis: vel deniq; dentes elephantinos in fistulæ siue tibiæ modum pertusos inflant, sonumq; quendam militarem cient, ad animandos milites, & mortis contemptum persuadendum. Horum instrumentorum summus militiæ dux magnam vim secum in bellum deferre tenetur, inter quæ tamen istud est discriminis, vt alia maiora sint alia minora. Cum enim signum dandũ est toti exercitui, maioribus vtitur instrumentis; si vni vel pluribus cohortibus, tunc minora sufficiunt. Sed & ipsi milites inter sese certis quibusdam vtuntur signis, cum in mediis cohortibus & ante reliquum agmen constituti sint, qui in ipso prælii ardore cæteros animosos faciant, & quo loco periculum vitandum sit, moneant, vtentes certis ad eam rem tintinnabulis.

Cum capessenda est pugna, dilatant arctiores Ordines, vt cõmodius spargere missilia possint, & melius euitare tela hostilia. Fessis prioribus, signum receptui datur, & tunc paulatim cedunt retro, qui in primis pugnauere ordinibus, dantq; locum recentibus, quod tamdiu fit, donec cõtrariæ acies propius iunctæ misceãtur.

Nemo per vniuersum hoc regnum potest dicere, quicquam se proprii possidere, vnde suis benefacere queat, cum omnia Regis sint, qui etiam de priuatorum bonis facit quicquid videtur. Quin & liberi Regis eidem consuetudini subiecti sunt, qui, nisi quod debent Regi, quotannis persoluãt, omnibus exuũtur facultatibus.

Proximum à Rege locum obtinet Prorex Battensis, sanguine ortus regio, cuius maxima est in consultando auctoritas, vt ei contradicere vix liceat. Adhibetur aliquando mensæ regiæ, sed adstans, non discumbens, qui tamen honor nulli alii habetur, ne regum quidem liberis. Iter faciens hic Prorex, etiam musicos inprimis tibicines secum ducit, velut ipse Rex: gaudetque hoc singulari nec regis filiis permisso Priuilegio, vt in comitatu suo habeat sclopetarios. Rari admodum ob crimina capitis supplicium adeunt: & si cui Congensi lis sit cum Lusitano, disceptatur controuersia ex Legibus non Congensium sed Lusitanorum.

Religio Congensium.

Etsi Christiana Fides in aliquibus huius regni partibus locum inuenit, plenum tamen, est Idololatris, quorum nonnulli Solem, quem Lunæ Maritum, supremumque deorum fabulantur, adorant, Lunæ, quæ sit coniux eius, proximum ab eo deferentes honorem. Alii venerantur deformia illa animalia, quibus Draconina species, & de quibus tunc mentionem fecimus, cum de animalibus regionis disseruimus. Vt vno verbo dicam, tam plena sunt hic omnia superstitionis & Idololatriæ, vt quid potissimum colant, credantque, vere dici non possit. Non erit autem fortasse ingratum lectori, si exposuero, quibus initiis Christiana Religio hic radices egerit, & quo loco iam sit in hoc regno.

Cum Iohannes II. Portugalliæ Rex misisset Thalassiarchum suum, Iacobum Canum, vt na-

uigando

higando lustraret littora Africæ, peruenit is post longam moram ad ostium Magni fluuii Zairæ, continuataque nauigatione ad terras quasdam delatus est, quarum incolæ multis modis humaniores erant cæteris quos ad eum diem offendisset. Vtque regi suo, quæ viderat, plenius narrare posset, constituit Aulam illius regis adire: quo cum peruenisset, receptus humaniter à Rege Barbaro, cœpit eidem ostendere vanitatem Idololatriæ, & Christianæ Fidei perfectionem. Grata fuere hæc regi, adeo, vt discedenti Cano adiungeret Legatum & nobiles aliquot pueros, qui in Christianis sacris initiarentur. Hi cum probe instituti fuissent, remissi sunt in patriam, cumque iis aliquot Sacerdotes Lusitani, apti ad prædicandum Euangelium & plantandam doctrinam Christianam. Manserant autem pueri illi Æthiopes per biennium in Lusitania, fuerantque omnino liberaliter habiti & instituti in Fide Christiana, magnaque postremo solennitate baptisati. Confirmatos ad hunc modum in Christianismo Iohannes Rex, domum, vt diximus, remisit, addita honesta legatione, in qua præter alios erant tres Monachi Dominicani, ob virtutem & doctrinam apti ad instruendum populum.

Hi cum Congum peruenissent, conuerterunt primum auunculum Regis cum filio suo. Postea suscepit baptismum & ipse quoque Rex cum coniuge, qui etiam extruxit breui temporis spacio Templum, sub nomine S. Crucis. Interea exurebantur passim statuæ & Idola.

Rex mutato nomine Ioannes dictus fuit, vxor eius Eleonora, & filius natu maximus Alfonsus. Nec sua conuersione contentus Rex optimus, omne studium impendit, vt & populum errori eximeret.

Neque tamen existimandum est, sine multis laboribus & molestiis sparsa fuisse doctrinæ Christianæ semina. Monachis enim non aeris tantum malignitas & intolerabilis æstus grauis fuit, sed & ab ipsis Congensibus plurimum exhibitum molestiæ. Quoties enim de sacris Ceremoniis Diuinisque Mysteriis sermo erat, satis se dociles ostendebant, quod res eas, quæ captum humanum superant, Deo non male conuenire arbitrarentur: si quis vero de temperantia, fuga vitiorum, restitutione bonorum alienorum, condonandis mutuo offensis, & his similibus virtutibus Christianis disseret, hic æquis auribus ne audiebatur quidem. Rex, ipse cuius circa Religionem feruorem laudauimus, incipiebat sensim refrigescere, cum nollet abiicere superstitionem auguriorum & sortilegiorum, nec quicquam minus ad aures admittere poterat, quam vt vna contentus esset vxore. Sed & fœminæ, veritæ ne repudiarentur à polygamis suis maritis, non Regiam solum sed vniuersam Ciuitatem clamoribus suis perturbauerunt.

Auxit tumultuantium furorem secundus filius Regis, nomine Pansa Aquitimus, qui se Baptismum susceperturum acerrime negauit, vnde magnæ inter ipsum & fratrem eius maiorem natæ sunt inimicitiæ, qui sustinebat patrocinium Christianorum, vt poterat.

Contigit in his discordiis Regem excedere vita, vnde bellum ortum est inter fratres, cuius is fuit exitus, vt Alfonsus cum XXXVI. militibus, inuocato Iesu Christi nomine, hostem suum non modo vicerit sed & ceperit, qui in carcere mori maluit quam deserere Idololattiam. Et sane apparuerunt in eo bello euidentia miracula & in Alfonsum Diuinæ gratiæ testimonia. Aiunt enim, eum, cum iam conferendum esset prælium, conspicatum fuisse claritatem plusquam humanam, qua visa cum ipse tum socii ita confirmati fuerint animis, vt lætitia inde concepta exprimi non possit. Eosdem sublatis in cœlum oculis, vidisse in aere quinque gladios lucidissimos, quos Alfonsus postea clypeo suo inseruit, quo insigni etiamnum hodie vtuntur successores eius Reges. Quin & ipsi hostes fassi sunt, victos fusosque se fuisse non à rege vel eius militibus, sed per mulierem quandam candidissimam, quæ fulgore suo perstrinxerit pugnantium oculos & Equitem quendam cum cruce purpurea in pectore, qui eos gladio prostrauerit.

Potitus hac victoria Alfonsus, conuentum egit omnium regni sui procerum, quo factum est decretum, vt omnia Idola atque simulacra in summitatem montis cuiusdam comportata, simul exurerentur. Regnauit hic pacifice L. annis, quo toto tempore mirum in modum creuit Christiana Religio, rege & auctoritate & exemplo suo eam valde adiuuante, & Præconibus Euangelii suum facientibus officium.

Neque Emanuel Lusitaniæ Rex hanc abiecit cogitationem, qui in Congi regnum misit duodecim Monachos ex eorum ordine, qui in Lusitania Cærulei appellantur, quorum caput erat Iohannes Marius. His adiunxit Architectos, Fabros lignarios & cæmentarios, vt Templa atque Oratoria extruerent: misitque Alfonsus Henricum filium suum cum multis regni viris illustribus Romam, qui comiter & magnifice excepti fuere omnes. Alfonso viuis erepto successit Petrus Filius, cuius tempore in vrbe Congo siue S. Saluatoris erectum est Collegium XXVIII. Canonicorum, Titulo Crucis Dominicæ.

Secundus huius loci Episcopus fuit ex familia Regum Congensium ortus, qui profectus Romam, mortuus est, cum reuerteretur.

Habuit Petrus successorem in regno Franciscum, qui tamen paulo post susceptum Diadema mortuus successorem nactus est Didacum sanguine sibi iunctum: quæ facta sunt regnante in Portugallia Iohanne III. Rege. Hic cum frigidiorem in Christianismo regem illum accepisset, neque Sacerdotes aut Mercatores magna tangi cura, propagandæ saluificæ Fidei, sed potius improbitate sua offendere

Neophytos: misit in Congum IV. Iesuitas, qui rem Romanam restituerent. Hi primum S. Thomæ Insulam adiuerunt, deinde Congum delati, satisque comiter à rege excepti, omne studium ad rem diuinam conuerterunt. Horum vnus scholam aperuit, habuitque circiter DC. pueros Æthiopicos discipulos. Reliqui concionati passim per regnum conuerterunt trium mensium spacio vltra V. millia hominum, erectis etiam tribus Oratoriis. Cum autem deinceps longis grauibusque morbis correpti fuissent, coacti fuerunt reuerti in Europam.

Interea creatus fuit tertius Episcopus, natione Lusitanus, cui plurimum obiectum fuit molestiæ ab ipsis Canonicis clericisque.

Didaco Congi rege mortuo, graues super successione ortæ sunt controuersiæ, excitatoque graui tumultu, omnes prope Lusitani, qui Congi fuerunt, sunt ab Æthiopibus occisi, exceptis Sacerdotibus. Postremo obtinuit Henricus Didaci frater Diadema: qui cum paulo post in pugna contra Anziques occubuisset, regnauit pro eo Aluarus filius eius. Hic vt sibi denuo conciliaret Lusitanos, conuocauit omnes, qui passim per Regnum dispersi erant, siue Ordinis Politici essent siue Ecclesiastici, excusauitque cæterorum cædem apud Regem & S. Thomæ Episcopum. Visis litteris regiis, ipse in Congum venit Episcopus, cumque disciplinam inter Clericos restituisset, reuersus in suam Insulam, fecit viuendi finem.

Digresso Episcopo, valde impeditum fuit incrementum Religionis, cum quidam magnæ auctoritatis & nobili ortus genere, nomine Franciscus palam iactaret, inane esse, tantum vnam habere vxorem: cumque fidem Christianam proiecisset, parum abfuit, quin exemplo suo etiam regem peruerteret. Aiunt quidam, cum Franciscus hic Apostata mortuus & in S. Crucis Templo sepultus fuisset, malignos Spiritus partem tecti deiecisse, & immani cum strepitu raptum tumulo cadauer, per ruinam factam asportasse, & hoc quidem prodigio territum vehementer regem, multo tamen magis eo quod sequitur consternatum animo fuisse. Giaquæ enim egressi patria sua, magno numero in Congi regnum irrupere, commissoque prælio profligauere copias eius: qui territus, cum nihil in toto regno tutum videret, confugit in Insulam quandam Zaïræ fluuii, cui ab Equo nomen est, acceptis secum Sacerdotibus Lusitanis & Proceribus regni.

Ad has redactus angustias, cum præter amissum regnum etiam suos fame mori accepisset, confugit ad opem Sebastiani Lusitaniæ Regis, à quo obtinuit DC. milites, quorum forti opera profligauit hostes suos omni regno, intra XIIII. mensium spacium. Huius regis tempore obtigit S. Thomæ Episcopatus Antonio Glouio Castellano, qui superatis multis difficultatibus, quas ei Prorex obiecerat, postremo Congum venit, cum duobus Monachis & IV. Sacerdotibus, ibique rebus Diuinis aliquandiu præfuit.

Exierat iam è vita Aluarus Rex, successeratque ei filius eiusdem nominis, qui non destitit à Sebastiano & Henrico Lusitanorum, & post hos à Philippo II. Hispanorum rege Ordinis Ecclesiasti viros per litteras petere, ad propagandam Fidem Christi in regno suo. Tam præclara agitantem animo, corripuit mors, relinquentem regnum filio suo Aluaro Tertio. In ipso superiorum tumultuum feruore venerant in Congum aliquot Iesuitæ, cœperantque instituere populum. Horum opera in Loanda Insula erecta est domus, in qua VI. vel VII. Ecclesiastici viuunt, qui eunt quocunque hinc inde vocantur aut mittuntur. Cum enim Baptizatorum numerus ingens sit, deficientibus qui eos in officio continerent, factum est, vt multis locis Lolium opprimeret Triticum.

Anno A N. C. MDLXXXVII. cum Aluarus rex, quod non esset legitimo natus matrimonio prope omni inter suos destitueretur auctoritate, habuit circum se vnum ex iis Patribus, de quibus supra diximus, cuius opera factum est vt velut Rex à suis coleretur.

Fauit autem huius regis institutis aperte diuina prouidentia, cum ab ingenti competitorum in regno inuasus exercitu, non saltem hostiles copias feliciter profligaret atque vinceret sed & summum earum ducem trucidaret. Re diuinitus se adiutum fassus, eo ipso loco, qu hostis occubuerat, Templum Matri Virgini sacrum extrui voluit. Vtque cæteros suo exempl incitaret, primus ipse ædificio illi manum admouit, Edictisque suis ac exemplo effecit, vt fi des Christi, accedente Concionatorum industria, mirum in his locis caperet incrementum.

REGNVM MARROCANVM ET FEZZANVM.

SVMMA CAPITA.

1 *Concluditur totum opus Archontologicum duobus regnis, Marrocano & Fezzano, quæ in vnum Imperium potentißimum coaluerunt. Et primo quidem explicatur SITVS Regni Marroco, eiusque diuiſio in VII. prouincias: quæ ſigillatim deſcribuntur. Prouincia Heenſis, eius amplitudo, limites, vrbes præcipuæ.*

2 *Prouincia Suſana, eius ſitus, limites, oppida.*

3 *Marrocana proprie dicta.* 4. *Guzalenſis,* 5. *Ducalenſis.*

6 *Haſcorana.* 7. *Teldenſis.*

8 *Diuiſio Regni Fezzani in VII. Prouincias, eius ambitus, fines.*

9 *Teneſma prima Prouinciarum in Regno Fezzano, huius oppida.*

10 *Prouincia Fezza dicta. eius longitudo, latitudo, vrbes. Deſcripto vberior amplæ & ſuperbæ vrbis Fezzæ: Templa Mahometana in eo magnifica DCC. Domus Hoſpitales, Balneæ, Collegia, Diuerſoria publica in modum Palatiorum, alia ædificia.*

11 *Prouincia Aſgarana, eius fines, oppida, munimenta.*

12 *Elhabeta ſiue Ellabata, eiusque vrbes & oppida.*

13 *Errifia.* 14. *Garet.* 15. *Chauz.*

16 *Aeris qualitas & fertilitas ſoli harum prouinciarum, abundantium oleo, melle, cera, ſaccaro & ſyſpio, lana caprina, vnde fiunt telæ Camelottæ dictæ, pellibus caprarum: alicubi Aurifodinæ. quibus morbis hæc regna potißimum obnoxia ſint.*

17 *Varietas opinionum ſuper origine horum Barbarorum, quibus ab omni retro ævo fuit ingenium acre & ſubtile, doctrina exquiſita, & perfecta Medicinæ ſcientia, vt & peritia equitandi. Vixerunt olim carnibus ſimiarum, veſtiti caprarum pellibus. Pro Diis coluerunt Solem & Lunam. Sacrificia eorum nocturna, in quibus extincto lumine promiſcue inibant mulieres, quam quiſque primam nactus fuiſſet.*

18 *Indoles ingeniumque Feſſanorum & Marrocenſium, qui fere ſunt ambitioſi, infideles, iracundi, iactabundi, ſuſpicaces: apti ad labores, ſed amatores ocii.*

19 *Habitatio Arabum in deſertis harum regionum, qui ætatem degentes ſub tentoriis & papilionibus, viuunt agricultura & venatione. Vxores eorum quo vtantur veſtitu, & quibus pigmentis ceruſſare ſoleant faciem.*

20 *Mores & ritus viuendi in prouinciis regni Marrocani.*

21 *Mores & conſuetudines Feſſanorum. horum ciuilitas, egregia balnea, diuerſoria, molæ frumentariæ, habitationes Arabum Opificum à cæteris ſeparatæ. Fora rerum venalium & compita Mercatorum. Matrimonia, feſta nuptialia, veſtimenta, modus bibendi & comedendi, item choreas agitandi. Feſta ſolennia & ritus lugendi propinquos. Ludi eorum & exercitia viſitata: diſciplina & educatio iuuentutis.*

22 *Tria genera diuinorum. Philoſophi, Chymiſtæ, Incantatores.*

23 *Diuitiæ ex ingenti fertilitate ſoli, in quo magna copia frumenti, malorum citriorum & auratorum, ſaccari, oliuarum, telæ Camelinæ, corii Cordubenſis, goßypii. Ingentes huius Principis prouentus, qui conſiſtunt in decimis & primitiis frugum & pecoris, vt & in agris, de quibus aratores in ſingula iugera certum frumenti modum pendunt. Cenſus quem perſoluant puberes facti, tam mares quam fœminæ. Magnitudo vectigalium & portoriorum in vrbe Fezza aliisque.*

24 *Robur huius regis & potentia conſiſtit in multitudine militum præſertim equitum. armatura eius varia & compoſita, vnde iudicium ferre facile eſt, quantos cogere poßit exercitus.*

25 *Ex qua familia orti ſint, qui noſtro ævo per Feſſam & Marrocum rerum potiuntur, & quo pacto ad hoc tantum Imperium peruenerint.*

26 *Senatus Regius & Tribunal Iuſtitiæ in vrbe Marroco.*

27 *Aulæ regis Fezzani Miniſtri & varia Officia, Tribuni, Equites, Præfecti vrbium, Commiſſarii iuſtitiæ, Barones, Prouiſores, Magiſtri Stabuli, Magiſtri Ceremoniarum, alii. quo ordine rex in Campum prodire ſoleat.*

28 *Præfectus vrbis, Iudices, Tribuni, Apothecarii, & modus Politiæ in vrbe Fezza.*

29 *Mahometiſmus in plures ſectas diuiſus. quis primus hanc ſuperſtitionem in Africam introduxerit.*

30 *Iudæorum ſtabilis & frequens in vtroque hoc regno commoratio. Chriſtianorum in his partibus ſeruitutem ſeruientium miſeranda conditio.*

VENIO nunc ad Regnum, quod diu durare atque perſiſtere in eodem ſtatu non poſſe videtur, & in quo intra paucos annos tot ac tantæ acciderunt mutationes, vt omnem fidem ſuperare videretur, niſi infinitis hiſtorica narratio ſuffulta eſſet teſtimoniis. Ne quis autem exteris Principibus has viciſſitudines tribuat, ſciendum eſt, Principes vnius eiuſdemque familiæ, poſtquam ſceleratis indignisque actibus ad dominatum conſcenderunt, mutuis armis ſe afflixiſſe, atque alios ab aliis pulſos euerſosque fuiſſe. Nam & *Muley Cidanus*, qui hodie Imperio Marrocano præeſt, ante aliquot annos regno pulſus fuit: & *Muley Chequas*, qui regnum inuaſerat, co-

actus est deserto eo in Algerbiam ad Lusitanum regem confugere, cum aliqua Maurorum manu, dum interea *Abdalla* filius eius in montibus Arabum exercitum cogit, vt Cidanum, si posset, opprimeret. Cum autem hæc omnia satis nota sint, nec vnquam videatur futurus finis tumultuum bellorumque ciuilium, donec *Muley Chequus, Abdalla & Boferfus* in viuis erunt: nos omissa hac narratione, ad ipsorum regnorum & prouinciarum descriptionem nos accingemus.

Extendit igitur se dominium *Xeriffi* siue *Serifi* (sic enim appellatur hic Monarcha) à Promontorio Baiadorensi vsque ad Tangeram, & à Mari Atlantico vsque ad Muluiam fluuium. In hoc tam vasto spacio comprehenduntur duo illa regna celeberrima *Fessanum & Marrocense*. Magna huius pars veteribus Romanis *Mauritania Tingitana* dicta fuit.

Porro regnum *Marrocanum* situm est inter Atlantem Montem & Atlanticum Mare, trahitque nomen à præcipua Vrbe eiusdem nominis. Diuiditur in Prouincias VII. amplissimas, quarum hæc sunt nomina. *Hea, Susa, Guzala, Marrocum, Ducala, Hascora, & Tedeleta.*

Hea his cingitur limitibus. Ab Occidente & Septentrione habet Oceanum, à Meridie Atlantem Montem, ab Oriente Esfialam fluuium. Antiquissima huius prouinciæ Vrbs appellatur *Tedneſta*, sita in larga planicie & campo peramœno, posita supra Tensistum fluuium. Veterum hæc *Tamusis* esse putatur. Omnino prope deserta hæc est habitatoribus. Cum enim ciues animaduertissent, constituisse Arabes eam Lusitanis vendere, statuerunt omnes inde emigrare. Sed non potuerunt, præoccupati in itinere discessuque suo, & prope omnes concisi ab Arabibus: quod accidit anno A N.C. MDXIV. Idem finis mansit *Teculetum*, quod oppidum pulchrius opulentiusque, & commodo Portu instructum fuit, ideoque melius Tedneſta. *Hadecebis* prope in ruderibus iacet: Castrum vero *Ilesugaguenum* effugit hanc tempestatem. *Tenentum* autem euitare non potuit, quin in Lusitanorum manus incideret.

Præter hæc quæ diximus loca videbis hic *Teselgdetum, Tagtessam, Denetum, & Culeihat Elmuridin*, quod sonat Castrum discipulorum: ratio nominis est, quod quidam Hæreticus in lege Mahometi hic discipulos suos, quos numerosos habebat, noua opinione imbuerit, & se regi Marrocano opposuerit. Est in eadem prouincia Hea oppidum *Iguilin giguil*, in monte situm, quem locum olim Afri muniuerunt, vt se defenderent aduersus Arabes, quibuscum perpetuum gerebant bellum. Ad mare est aliud oppidum, *Tesethna*, Portum habens marinum, sed qui magnarum nauium capax non est.

2. Principatus *Susanus* nostro tempore ad Regni dignitatem adscendit, cum priusquam Serifus Marrocanum regnum occuparet, absolutum fuisset dominium. Est autem vltra Atlantem Montem, excurritque in Nigritarum fines, ad extremitatem Africæ proprie sic dictæ. Ab Occidente Oceanum habet, à Meridie deserta Libyæ, ad Orientem fluit Susa fluuius, à Septentrione est Atlas Mons. Primaria eius Vrbs est *Messa* siue *Massa*, sita in quodam Promontorio, quod recentiores *Caput Gilonium* vocant, estque composita ex tribus oppidis, per quæ Susa fluuius transit. In parua æstimatione est hoc oppidum, quod ager eius prope sterilis sit. Vltra Messam occurrit oppidum *Teientum*, in pulchra planicie, quod diuiditur velut in tres partes, secundum tres angulos, quos habet instar Trigoni. *Tarudantum* quoq; ad Susanam pertinet, in quo Legatus Regis solebat residere, dum Fezzani dominabantur Mauritaniæ. Adde his *Tetsium* oppidum, situm intra Oceanum & Atlantem montem. Vltima est huius prouinciæ Vrbs *Tuagosta*, inter maximas Susanæ numeranda, sita in planicie, & locupletibus habitata ciuibus.

Terminatur *Marrocana* Prouincia ab occidente Nephiso Monte, qui extenditur versus Orientem vsque ad Hadimeium montem, descenditque versus Aquilonem vsque ad Tensistum fluuium, donec cum Asinuardo coniungatur, qui hanc prouinciam ab Hea separat, formam triangularem constituentem. Præter *Marrocum* vrbem hæc habet oppida: *Tenezzam* & *Elgumubam*, munitam ratione situs, quod inædificata sit alto monti, qui aliis multis circumfunditur, in quorum vallibus oritur fons Asifinuardi fluuii. *Imizmisium* oppidum supra rupem Atlantis Montis situm, satis capax est, iuxta quod angustus ille est Atlantis transitus, Burris appellatus, qui necessario superandus est iis, qui in Guzulam proficiscuntur. Cæterum hoc oppidum quotidie decrescit populo, vt multo intra priscum splendorem positum conspiciatur. In vicina campania occurrunt tria castella, quibus idem *Tumeglasti* nomen est. *Tesrastum* oppidum septem vel sex Leucis à Marroco abest.

Ipsa *Marrocana* vrbs olim multo pulchrior fuit quam nunc est. Commendat eam præcipue Arx cum Palatio Regio, quod vtrumque Almansor, potentissimus Mauritaniæ Rex struxit, ea amplitudine, vt cum Mediocri oppido certare possit. Iuxta Marrocum inuenies *Agmetum* in colle quodam Atlantis Montis structum, quem alluit Tensectus fluuius. Iacet hoc in ruderibus, præter Arcem in qua pauci quidam commorantur homines.

Guzula attingit Prouinciam Susanam, habetque ad Occidentem Montem Ildam limitem, ab Aquilone Atlantem, ab Oriente Heam Prouinciam, & à Meridie Libyam. In tota hac regione neque vrbs inuenitur vlla, neque oppidum aut castrum: tantum hic sunt pagi & palia.

Ducalia vicina est Oceano, qua Occidentem respicit & Promontorium, quod veteres *Vsagium* dixerunt, & *Montes Solis*. Sed nostri seculi homines per Europam *Caput Cantinum* vocant, Afri *Gebelelhudic*. Ad Meridiem est Habidus fluuius: ad Orientem Tetleana regio: & ad Septentrionem Teneſma. Pauca hic sunt loca mœnibus

ribus cincta, & si quę sunt, ea ab Hispanis tenentur, qui & nostro æuo Azasinum oppidum ceperunt, scilicet vt inde facerent Apothecam recondendis mercibus suis. *Titum* se vltro dedidit Lusitanis. *El medina* ab habitatoribus suis deserta fuit, verentibus, ne cogerentur Christiani fieri. Viderant enim quid acciderat oppidis *Centpuis, Subeit, Temeracoste, Tergæ & Bullahuano*, quæ omnia direpta & deuastata fuerant tunc, cum Lusitani occupassent *Azamorium*, vrbem sitam supra ostium Ommirabilis fluuii, quod accidit anno A N.C.MDXIII. Regnante in Portugallia Emanuele Rege.

Prouincia *Hascorensis* incipit iuxta montana Ducaliæ versus Septentrionem: ad occasum habet Oceanum; ab Oriente attingit Tedeleam, à Meridie Marrocanam. Oppida eius sunt *Alemdim, Tugodasta, Eluimua* vrbs noua & *Bezo* antiqua, in edito monte sita.

Vltima Prouinciarum regni Marrocani est *Tedelæa*. huius sunt limites, ab Occidente Quadalhebid fluuius, quæ vox significat amnem seruorum; ab Oriente Ommirabilis fluuius: à Meridie Mons Atlas; à Septentrione Tenesma regio. Habet hoc terrarum spacium figuram Triangularem, cum versus Meridiem in acutum coeat cuneum, & intra Orientem & Occidentem dilatetur. Caput regionis est *Tesza*, oppidum antiquum, nomen trahens à quodam saxorum genere, è quibus constructum est. Incumbit hoc Demeio fluuio, nec procul abest ab alio oppido *Elsza*, in ripa Ommirabilis Amnis, in quem Demeius influit Atlante Monte vtrique originem suam præstante. Post hæc occurrit *Chitita*, quæ diu bellum sustinuit aduersus Regem Fezzanum. Vltimus locus dicitur *Eythiadum*, abundans omnis generis alimonia.

REGNVM *Fezzæ* diuiditur in Prouincias VII. quarum hæc sunt nomina. *Tenesma, Fezza, Azagar, Elhabet, Errisa, Gareta, & Elchaus*. Habuerunt autem hæ singulæ olim suos peculiares regulos, sicut & ipsa Fezza Principatus fuit, donec per quendam Marinum in Regnum sublimata est. Terminatur totum hoc regnum Mari Atlantico, à qua parte porrigitur à fluuio Ommirabili & Azamorio oppido, vsque ad Vrbem Zadgeram: & hoc est Occidentale latus. A Septentrione habet Fretum Gaditanum & Mare Mediterraneum, & ex parte Atlanticum. Ad Orientem terminat Muluia fluuius, & ad Meridiem Regnum Marrocense.

Prima Prouincia est *Tenesma*, incipiens ab Oceano Atlantico lateris occidentalis: ad Orientem habet Buragragum fluuium, ab Aquilone itidem Oceanum. Porrigitur hæc multo magis in longitudinem quam latitudinem, quæ latitudo cohercetur intra Atlantem Montem & Oceanum. Fuit hæc regio olim flos totius Mauritaniæ Tingitanæ, vt quæ caperet vltra XL. oppida, & circiter CCC. castella & pagos.

Prima huius Prouinciæ vrbs est *Amsa*, à Romanis olim extructa in littore Oceani: distat XXX. Leucis ab Atlante Monte, estque prope omnino destructa à Lusitanis: vicinum est ei oppidum *Mansor*, non mitiorem expertum fortunam. Haud procul inde supra ripam exigui amnis spectatur *Adendum* oppidum, iuxta cuius muros fluit scaturigo aquarum tam copiosa, vt lacum efficiat. Afflicta hæc atque pessundata est cum cæteris plerisque huius Mauritaniæ, quæ furorem belli non euitauerunt tunc, cum Doctores & interpretes Legis Mahometanæ inter se digladiarentur.

Reperitur in iisdem partibus *Tegeiera*, paupere habitata populo, & fabris ferrariis, quos Arabes hic habitare cogunt, vt fossoribus aratoribusque instrumenta rustica fabricent. Sunt enim Arabes domini, & impotenter plebi rusticæ imperitant per totam hanc prouinciam. In littore Maris visitur vrbs satis ampla, nomine *Rabat* siue *Rubut*, auctore structa Almansore Rege. Sita est in ostio Buragragi fluminis, longe infra pristinum splendorem diminuta, cum non nisi D. domus bene habitatas numeret, quæ Almansoris æuo inter populosissimas Africæ fuerit. succesere ædibus intra murorum ambitum, horti, prata & vineæ.

Vbi te in Fretum Herculeum conuerteris, occurrit *Salana* Ciuitas, quæ antiquum retinens nomen, à Barbaris *Zala* dicitur. Est in ea Palatium, quod olim seruiuit sepulturæ regum. Post Zalam videbis rudera *Fanzaræ*, quæ antiquum vrbis nomen retinent. Ab hac non longo distat oppidum *Marmora*, ante quod cæsus est Lusitanorum exercitus ab rege Fezzano, quanquam Christiani Marmoram obtinerent, quam postea coacti sunt deserere, quod parum conueniret inter Duces copiarum vtriusque regis, Castellæ & Portugalliæ.

Mecnasa frequens est populo ciuitas, sita in egregia planicie à Monte Atlante Leucis circiter VI. à Fezza XVI. & à Salana XXV. vrbs hæc est ampla & munita, plateas habens latas, & aquarum abundantiam beneficio cuiusdam Aquæductus, qui Romanam aliquam antiquitatem ostendit. Cætera oppida huius tractus sunt *Gemiha, Elchmana, Camis, Mergara & Bambasilla*, quarum priores quidem destructæ iacent, vltima est Sacerdotum Mahometistarum.

Extendit se Prouincia *Fezzana* versus Orien- 10
tem, à Buragraga fluuio, vsque ad Inauum, quod spacium prope est C. mill. passuum. Terminatur ab Aquilone Subu fluuio, & à Meridie Atlante Monte. Hic est magna illa & superba vrbs *Fezza*, quam Ptolemæus *Syldam* nominasse videtur. Fuit hæc antiquis temporibus in duas diuisa vrbes, ita vt fluuius intercedens eas separaret, habuitque vnaquæque peculiarem suum Principem, & Mufftium, in Mahometanis sacris Antistitem. Verum Luntanæ Rex cum vtramque exspoliasset, interfectis Muftiis illis, ex vrbibus duabus vnam fecit. Digna autem profecto hæc vrbs est, quæ describatur accuratius.

EST ergo vrbs Fesla siue Fezza longe spacio-
sissima,

ciosissima, & maxima inter omnes totius Mauritaniæ. Tota prope montibus collibusque inædificata est, vt nihil præter quam vmbilicus eius in plano esse videatur. Aqua eam à duabus partibus ingreditur, quod fluuius sese in duos canales diuidat, quorum ille quidem partem ciuitatis, quæ noua Fezza vocatur, alluit, alter qui ad Occidentem est, plateas vrbis abluit. Ducitur insuper aqua in vrbem, & inprimis in domum Regis, Principum, Ciuiumque: vt & in vsum Mosquearum & domuum Hospitalium, quarum hic est ingens numerus. Alicubi sunt receptacula aquarum, vt si forte plateæ vrbis cæno inquinatæ sint, aquæ magno impetu in eas immittantur, omnesque sordes ciuitatis secum auferant. Pleræque intra vrbem domus lateritio opere structæ sunt, perpictæque variis coloribus, atque exornatæ hederis, vitibus, arbusculisque. Nulla hic domus est, quæ non adiunctum sibi habeat vestibulum, vel cortem aut impluuium, in quibus excitant porticus deambulatorias, accedente Turri satis edita, inque ea pluribus cameris, quas aura perflat, in quibus mulieres fessæ officiis se recreare solent.

Putantur in hac vrbe esse DCC. Templa siue Oratoria, in quibus numerantur L. magnificæ & superbissimæ structuræ. Non est hic vllum Fanum aut Delubrum, quod non habeat fontem suum & adiunctam Turrim. Primarium in vrbe Templum nominatur *Carruuenum*, structura supra fidem magna, cum circiter MD. passus ambitu suo complectatur, habeatque portas XXXI. Lacunar eius in longitudine fornices habet XXXVIII. & vltra XX. in latitudine. exteriora ambiunt complures porticus, in quibus velut Apothecis sacris reseruatur oleum ad vsum lucernarum ampullæ, aliæque res ad vsum Mosquearum: neque enim vllus arcus est in fornice, de quo non pendeat ardens lychnus, vt inita ratione compertum fuerit, singulis noctibus CM. lucernas ardere. Prouentus annui huius Templi tanti sunt, vt quotidie ad CC. coronatos aureos extendantur. Sunt præterea in vrbe Fessa duo Collegia pulcherrima, quorum præ cæteris ea est magnificentia, vt Rex *Habu Henon* in vnius ædificationem insumsisse dicatur CC. CCLXXX. millia coronatorum. Domus Hospitales & Thermæ siue Balneæ, quæ hic magno sunt numero, pulchritudine collegiis non multum cedere videntur. Diuersoriorum, quæ vltra CC. in vrbe Fezza sunt, tantus est splendor, vt Palatiis magnorum Principum conferri possint. Molæ hic numerantur plures quam CCCC. quæ maxima ex parte iure possessionis spectant ad Collegia sacerdotum & Mosqueas. Forum Mercatorium ab omni latere clausum est, sicut peculiaris ciuitas.

Noua Fezza tota cincta est pulcherrimis, fortibus altisque muris, structa in larga planicie, iuxta fluuium, distans à noua vrbe ad dimidiæ Leucæ spacium, inter Occidentem & Meridiem. Transit inter duos muros pars fluminis, nempe ad Septentrionem, vbi molæ sunt aquariæ: altera pars fluminis se iterum in duo cornua findit, vel, si mauis, canales, quorum ille vtramque ciuitatem alluendo separat, alter vallum & hortos veteris vrbis adlambit.

Diuisit hanc Nouam Vrbem, Iacobus, Abdulachi, primi regis ex familia Marinorum filius, in partes tres. In prima constituit suum fratrumque & liberorum suorum palatium: In secunda fuerunt nobiles aulici, distributi in varios ordines, & diuersoria pro ducibus bellicis, & inter hos duos muros collocati sunt Prætoriani & stipatores corporis regii, cum domo Præfecti Vrbani. In tertia pariter fuerunt excubitores regii, haud longe ab eo loco, vbi cusa fuit moneta, impresso signo regio in aureos argenteosque nummos.

Fuit olim præcipua huius prouinciæ Vrbs, *Macarmeda*, sita super fluuium Iuauenum in bella planicie: nunc vero tota in ruderibus iacet, exceptis muris. Ad tertium à Fezza milliare *Bauia* occurrit supra eundem fluuium; sed ciuilia bella hanc pessundedere.

Supra Zarbonem montem oppidum est *Galili*, quod ab ipsis Afris euersum instaurauit *Idris* quidam, sanctus homo inter suos habitus, qui & in eo tumulatus est. Haud procul inde abest antiquum oppidum, quod vulgo *Palatium Pharaonis* dicitur, quanquam nemo vnquam Pharaonem hic dominatum fuisse prodiderit. Vltimo loco numerantur oppida *Maquilla*, *Benignaziben*, & *Aseis*.

Limites prouinciæ *Argarensis* hi sunt. A Septentrione Oceanus, ab Occidente Buragragus amnis, ab Ortu Montes Cumerii cum parte Zarbonis & Zelagi, qui eam separant à Fezzana, postremo à Meridie Bunazar fluuius. Longitudo eius extenditur in Leucas XL. & latitudo prope in XXX. Vrbes & oppida hic sunt: *Giumba*, à veteribus Afris condita, sed iam prope in nihilum redacta, cum præter fossas vix quicquam appareat. In littore Maris offert se *Larache* siue *Lara* supra Lucum fluuium, qui portum constituit satis commodum, nisi quod difficulter intrari possit. Postremo occurrit vrbs ædificata per Almansorem Marroci regem, nomine *Cæsar Elcabia*, quo magnitudinem Palatii eius significare voluit.

Ellabatenam prouinciam, siue Habatanam pulsat ab Aquilonari latere Oceanus: à Meridie alluit Guarga fluuius, qui & Zuerga dicitur; ab Oriente Montes vicini Gaditano Freto terminant: ab Occidente Paludes Asgarenses. Oppidorum huius prouinciæ primum est *Exagena*, situ in monte vicino Guargæ fluuio, distans à Fezza Leucis XXXV. Solent Lusitani huc vsque excursionibus suis fatigare colonos, vnde ciues semper expeditos habent CCCC. equites ad compescendos prædones illos. In eodem fluuio spectatur Vrbs *Banitenda*, infrequens habitatoribus: nec longe inde *Merga*, deinde *Tansor*, *Agla*, *Narangia*, *Basra*, cuius præter mænia nihil superest. Propinqua huic est *Homar*, olim popul affluen

affluens, nunc prope deserta, ob metum Hispanorum, qui ibi potentes sunt.

Errifensis Prouincia incipit ab angulo Freti Gaditani siue de Gribaltar, versus occidentem, tenditq; longo tractu in Orientem, vsq; ad Nochorum fluuium, quem Ptolemæus *Molochatum* nominat, quod spacium est Leucarum quasi LXX. Fines eius sunt, ad Meridiem Atlas Mons versus Guargam fluuium: ad Aquilonem Mare Mediterraneum. Vrbes & oppida hic pauca sunt, pagi autem plurimi. Inter oppida primum locum obtinet *Terga*, alterum *Belis*, sita inter duos montes, bonoque prædita portu. Iuxta occurrunt Insulæ *Tegessa*, *Gebba*, & *Mezemma*.

Prouincia *Garetana* finitur ab Oriente Muluia fluuio & parte terræ Chaucensis; ab Occidente Nochore fluuio & parte territorii Errifensis. A Meridie vicina habet deserta Numidiæ siue Biledulgerid; à Septentrione Mare Mediterraneum, qua in parte respicit Formenteriam Insulam & antiquum regnum Valentiæ. Longitudo eius est milliarium circiter XXV. latitudo XX. Vrbes & loca meliora sunt *Tezzota*, in monte sita, quæ nisi ab vna parte adiri non potest. *Migeum* sequitur, & in litttore Maris *Iaffarinum* nouum oppidum, structum per Mahometanos è familia Marini. Est autem tota prouincia Garetana in tres diuisa partes, in quarum prima visuntur oppida, in secunda Montes, in tertia deserta, quæ à Mediterraneo Mari porriguntur vsque ad deserta Chaucensium.

Vltima Regni Fezzani Prouincia *Chauz* dicitur, complectiturque prope tertiam totius regni partem, cum longa sit CX. mill. pass. nempe à fluuio Zha, ex parte Orientis, vsque ad Gurguigaram amnem ab Occidente. Latitudo eius est millium CLXX. comprehenditur hoc spacio tota illa Atlantis Montis pars, quæ Mautitaniam respicit, cum magna parte planicici, & montes, qui terminant Libyam. Inter vrbes huius prouinciæ est *Theureta* super collem sita, cui ingens planicies subiecta est, tota cincta desertis. *Hadaggiæ* muri adhuc supersunt, quæ quasi Insula est inter fluuios Mululum & Muluiam. Oppidum *Dubdu* nomen à vicino Monte obtinet. *Teza* munitum & opulentum est oppidum, situm in campestribus Dubdo Monti subiectis, super ripam Mululi fluuii, estque hic velut vniuersale studium vicinarum regionum, cum collegia hic sint studentium, vti apud Fezzam. Intra propinquos montes spectantur adhuc duo oppida; prius nomine *Sophroium* prope desertum iacet; posteriori nomen est Mezedagæ. Apud Montem cui nomen est *Cunaigel Cherben*, quæ vox significat *Transitum Coruorum*, occurrit exiguum oppidum *Tezergua*, quod Arabibus paret, qui alterum vicinumque, cui nomen fuerat *Vmen Iunaiba*, euerterunt.

Quod sit ingenium & Natura soli Mauritaniæ.

Regni *Marrocani* fertilitatem in vniuersum considerantes dicemus, abundare id frumento, fructibus, oleo, melle, cera, saccaro, lana caprarum è qua laudatissimæ telæ fiunt, earundemq; pellibus, è quibus corium, quod cordubense dicitur, paratur, cui nomen imponitur à loco vbi conficitur. Fluuiis irrigatur *Tensisto* & *Ommirabili*, qui ab Atlante monte prodeunt. *Tensistus* percurrens territorium Marrocanum, recipit amnes *Sifelmel* & *Nassi*. *Ommirabilis* originem suam sumit ex altissimis montibus, ea parte, vbi prouincia Tedletana confinis est Fezzanæ.

Cum autem non eadem vbique per hoc regnum sit Natura soli; sciendum est, *Heam* Prouinciam asperam & petrosam esse, plenamque altis montibus & densis nemoribus, habere tamen amœnas valles, paruis amnibus irriguas, vnde copiam habet hordei, milii & mellis, quo vescuntur incolæ contemnentes ceram. De Tritico tamen nihil hic habemus quod dicamus. Est hic fructus genus, quod appellatur *Arga*, simile prope oliuis, sed arbor eius spinosa est: ex eo fructu conficiunt oleum, non magni precii, quo vtuntur ad paranda cibaria & alendas lucernas. Venatio hic est frequens, Cetuorum, Capreatum & Leporum. Ex monte *Demensero*, qui pars est Atlantis, multum effoditur ferri. Lentisci Buxique in magnam excrescunt altitudinem, suntque frequentes in his montibus.

In Regione *Susana*, iuxta littus maris Ambra reperitur. Territorium *Teientanum* pingue est & fertile, vnde multum gignit tritici, hordei, leguminum. Conficitur & hic plurimum Saccari, quod cum Afri probe excoquere nesciant, nigrum est. Eruitur etiam hic aliquantum auri & argenti, multumque paratur corii Cordubensis, siue Marroquini. Ager *Tarodantinus* totus compascuus est, setuiens pascendis Arabum pecoribus. *Teldisium* solum ferax est frumenti, saccari & Isatis herbæ. Proueniunt etiam ficus optimæ in Susana, nec non dactyli, cum multæ ibi passim sint Palmæ arbores, quarum tamen fructus viliores sunt. In Monte *Halemo* Aurifodinæ sunt, propter quas incolis perpetuum bellum est cum vicinis gentibus.

Prouincia *Marrocana* vbertima est omni genere frumenti, pecoris, fructuum, habetque aquas optimas. Montana tamen, quia frigidiora, ideo etiam sterilia sunt, vt vix quicquam hic crescat præter hordeum. Rari tamen hic montes sunt, estque tota hæc prouincia veluti perpetua planicies, vt Leo Africanus testatur.

Guzula vber est hordeo, & gregibus armentisque: habet & ferrifodinas & æris.

Ducalia ager satis bonus est, ita tamen vt sufficiat incolis in alimoniam. Ad Montem Viridem Lacus est, qui nutrit totam illam regionem vbere prouentu piscium.

In *Hascora* incredibilis copia est olei, vt & plurimi caprarum greges, è quarum pilis quid fiat, iam ante sæpe diximus, vt & ex pellibus earundem. Campi valde feraces sunt, & horti omnis generis fructuum arboreorum. Nam & aureæ mala hic vberrime crescunt, & vites ferunt vuas rubras

rubras, quarum acini ad nucis iuglandis magnitudinem accedunt. Multum hic quoq; melliſ eſt, & magna vis optimarum ficuum, & alicubi ferrifodinæ.

Regni *Feſſani* aer alicubi bonus eſt & temperatus, alicubi ſubtriſtis & odioſus. Etſi autem in eo multa loca aſpera horridaque ſint, & montes frigidi, & quædam deſerta: communiter tamen dicere poſſumus, eſſe bonum & fertile, alicubi magis, alicubi minus. Abundantia enim frugum fructuumque, haud facile vlli alii regno ceſſerit. Multæ hic vites, & oleæ, ficus & amygdali, & magna vis goſſypii. Gregum armentorumque nullus numerus, vt & equorum, camelorum leporumque. Sed præſtat ſingulas eius conſiderare prouincias.

Iam primum *Fezzana* plana eſt omnino, aerisque temperamentum optimum. Multi in ea equi, plurimi ouium greges; vt non tantum ſufficiant incolis, ſed & iis qui Cumerios montes incolunt. Syluæ hic ſunt rariores, & tamen multum leporum atque capreolorum.

Tendeſma & ipſa magna ex parte plana eſt, & agri fertiles. *Odeti* fluuii ripæ denſis conſitæ ſunt nemoribus, in quibus plurimi oberrant Leones, cæteris per Africam ferociores, vt accolæ non niſi magnis agminibus iter faciant, & viatores ſub dio pernoctare coacti, vallo & excubiis ſe munire neceſſe habeant; niſi beſtiarum illarum pabulum fieri optent.

Aſgarana prouincia vt campos habet æquos & late patentes, ita pingues fertilesque. ex hac Cumerii montis accolæ neceſſaria vitæ petunt. Ipſum ſolum adſpectu amœnum eſt, & aer ſalubris. Multum hic creſcit Xylini, inueniunturque omnia quæ in Fezzana.

Elhabata fertilitas magnopere prædicatur, cum omnis generis fructus gignat. *Tangerenſis* tamen ager non adeo bonus eſt, niſi in quibuſdam locis, vbi fontibus eſt irriguus: ibi ſunt horti peramœni: cætera ſquallent arenis. Montes hic inueniuntur multi, interque eos octo, cæteris celebriores, qui omnes fertiliſſimi ſunt, quidam etiam altiſſimi, vnde difficilis eſt ab hac parte in regnum acceſſus.

Errifia tota aſpera eſt & montibus plena frigidis, vnde multæ in ea ſolitudines, & ſyluæ vaſtæ, craſſis rectiſſimisque viſendæ arboribus. Frumentum hic vix prouenit, ſatis tamen habet vitium, ficuum, olearum, amygdalorum, boum ouiumque penuriam ſarciunt plurimæ capræ & aſini, & ſimiarum agmina.

Garetana ſicca eſt, ſabuloſa, odioſa, non multum diſſimilis deſertis Numidiæ. Quæ in ea ſunt ſolitudines, aquis penitus deſtituuntur. Multæ hic fere noxiæ diuerſorum generum, vnde viatores non niſi totis agminibus iter faciunt. Mons *Sahir* multum gignit ex ſe ferri, etiam ferax hordei. *Guardanus* abundat equis.

Chauzenſis regio aſpera eſt & horrida magna ex parte, in qua etiam multæ ſunt ſolitudines. *Dubdus* Mons egregie ferax ob magnum numerum fontium quos euomit. Conſiſtit tamen hæc fertilitas omnis in hortis; cum Dubdenſes neceſſaria vitæ ex agro Tezzenſi petant, vbi vini aliarumque rerum inuenitur copia. Mons *Magara*, non procul à Tezza, etſi dumetis vepribusque horret, ſolum tamen habet ſatis fertile, abundans frumento, lino, oleoque, vt & gregibus caprarum. In Monte *Canara* multi paſſim errant Leopardi & Simiarum agmina; ſed hæc in ſyluis: in plano enim linum abundanter creſcit & hordeum. Mons *Baronis* vineas habet; quæ tamen negliguntur colonorum inſcitia, qui vinum non bibunt. Mons *Guertenagus* prærealtus eſt & adſcenſu difficilis, ferax tamen frumenti, lini, olei, malorum citriorum & cotoneorum.

Geblenius mons per totum annum niuibus obtectus cernitur: *Ieſferenſis* vero ferrifodinis vber eſt, ſed nihil præfert ad nutrimentum hominis vtile. *Selelgus* Mons crebros habet fontes, pinus & abietes, nec non in ſyluis copiam Leonum, Leopardorum & Simiarum. In monte *Beni-Meraſeno* plurimi ſunt aſini & equi; vnde hic multi procreantur Muli.

Cæterum hæc de ſingulis prouinciis dixiſſe ſufficiat, poſtquam vnum regnum poſt alterum conſiderauimus: dicemus nunc quædam, quę de vtroq; regno communiter & iunctim capi poſſunt. Sic igitur ſtatuimus, quicquid terrarum eſt incluſum inter Atlantem Montem; magis ad frigiditatem quam intenſum calorem vergere, ita, vt ibi ſatis gignatur fructuum & frumenti, excepto tritico: eſt hic & bonarum ac ſalubrium aquarum penuria. Ipſe Atlas Mons frigidus eſt, perpetuis verticem obtectus niuibus, quanquam interiectæ valles ſatis fertiles ſint, magis tamen eæ, quæ verſus Oceanum porriguntur, quam quæ verſus Mare Mediterraneum. Et frigus quidem incipit Octobri menſe, quod fere mane eſt vehementius, ita tamen, vt potius in gelidis pluuiis conſiſtat quam glacie. Menſis Februarius inconſtans eſt, flantque venti Menſe Martio vehementiores, neceſſarii tamen ad procreationem frugum fructuumque. Aprili vero menſe omnia ad maturitatem properant, ita vt currente Maio maturæ ficus comedantur, Iunio vero vuæ, Iulio vt & Iunio, pruna, pyra, poma ſimilesq; fructus plenæ maturitatis. Octobri menſe leguntur Cydonia mala & Punica: Nouembri vero oliuæ. A Februario vſque in Maium menſem incredibili pulchritudine verna ſolum, vt nihil amœnius fingi poſſit: ſi tamen non pluat à XXV. die Aprilis vſque ad V. Maij vix vlla ſpes eſt boni vberisq; anni, nominantq; incolæ pluuiam iſtam *Naſan*, quaſi dicas Aquam Benedictam. Æſtates hic calent quam maxime, cœlo ſemper ſereno; & ſane ſi imbres decidant ſalubres minime iudicantur, cum cauſentur malignas febres, quibus plurimi mortales è medio tolluntur. Morbi vſitatiores in his oris ſunt, Cephalalgia, dolor dentium, imbecillitas ventriculi, impetigines puerorum, Catarrhi, morbus Iſchiaticus & Articularis. Nec ſcabiei duntaxat ſed & morbo Venereo homines in his partibus frequen

frequenter obnoxii sunt, vt nulla per omnem hancce Mauritaniam sit Vrbs paulo habitatior, in qua hoc malum non dominetur.

Mores antiqui Maurorum.

Caruit ea pars Africæ, quam vulgo Barbariam appellamus, habitatoribus per aliquot secula, vt & Numidia: vnde de horum populorum origine varii varie disseruerunt. Quidam eos deducunt ex Palæstina, aiuntque eos inde profligatos fuisse ab Assyriis. Alii aiunt, eos ortos ab Sabæis, Arabiæ Felicis populis, antequam eiicerentur per Assyrios vel Æthiopes. Tertii autumant, eos prodiisse à gente quadam Asiatica, quæ primum in Græciam confugerit, sed cum ab hostibus oppressa ne hic quidem consistere potuerit, in Africa sedes sibi fixerit, relictis in Græcia hostibus. Vndecunque genus ducant, constat in hac gente excellenti doctrina & virtute viros emicuisse, ipsumque populum vulgo ciuilitatis fuisse per studiosum. Quis enim inter Mahometanos satis laudauerit Reges, Almansorem, Marinum & Hucephum, quorum temporibus floruerunt Medici & Philosophi inter Arabes præstantissimi? Cui enim ignoti sunt Auicenna, Albumazar, Rasis, Auerroes, & alii, qui omnes nutriti per reges Marrocanos, qui Africam hancce cum parte Hispaniæ obtinuerunt, scriptis suis sunt clarissimi? Testantur Collegia eorum, quæ in nonnullis Vrbibus adhuc supersunt, quanti fecerint literas & doctrinas. In arte equitandi, ludos equestres & pugnæ simulacra ciendi, ante hanc gentem nulla sub sole fuit, vt has elegantias ab iis Hispani, Itali, aliæque nationes didicisse iure dici possint. Bello quantum valeant, non semel vicinis populis ostenderunt, præsertim in præliis equestribus, quibus & aliis facti sunt formidabiles. Leuitas tamen animi, & nouarum rerum desiderium à nonnullis in hac gente reprehenditur, quæ Afrorum antiqua sunt vicia. Solebant prisci Mauri Simiarum vesci carnibus, quarum magna erat in montibus copia, & ferarum caprarumque tegi pellibus. Soli & Lunæ offerebant sacrificia, & mortuos suos humi defodiebant.

Han Lisnan in Chaucensi Prouincia oppidum est. Huc certo quodam anni tempore solebant sub initium noctis innumeri confluere mortales, & cum extinxissent Lucernas, quam quisque primam in tenebris arripuisset mulierem, cum ea miscebatur. Liberi qui ex vago eo fortuitoque nascebantur concubitu, nutriebantur in templo à Sacerdotibus.

Mores nostrorum temporum.

Qui Fessanum & Marrocanum regnum inhabitant, eorum mores non multum abludunt à moribus & ritibus Arabum, quanquam illi sint his aliquando ciuiliores. Horum gens est auida, si alia aliqua sub Sole, simul leuis & inconstans, & vafritie ante plerasque. Fidem datam seruare rem supervacaneam arbitrantur, proni in iracundiam, suspiciones & Zelotypiam. Iactatores atque vani, membris tamen agilibus supra quam dici possit, in pugna præsertim equestri, in qua incredibilem ostentant celeritatem. Longioris tamen moræ & laboris impatientes, nisi velociter ad optatam finem perueniant, totum deserunt negocium. Et hæc quidem in communi de Maurorum natura & indole dici possunt: nunc postquam Arabes frequentes inter ipsos habitant, de horum quoque consuetis ritibus aliquid dicendum est.

Igitur Arabes Africæ hanc partem incolentes fere in desertis locis degunt, nutrientes in il- Camelorum Equorumq; armenta & innumeros pecudum greges, quos & vicinis diuendunt populis. Non contemnenda horum est potentia, cum plurimi sint numero, & bellatores minime ignaui; armis tamen prophylacticis minime instructi. Qui Atlantem Montem accolunt, & quicquid inter hunc est & Mare Mediterraneum terrarum, ditiores & lautiores sunt cæteris, & melius vestiti, vtunturque præstantioribus tentoriis (sub his enim viuunt vniuersi) sed & eorum equi meliores sunt ac nitidiores, neq; tamen ad Numidicorū pulchritudinē accedentes.

Laboriosa est hæc gens Arabum, agrumque colunt feracem, & multum frumenti colligunt: gregum vere armentorumq; numerus iniri non potest, vnde subinde mutant pascua, transferentes tuguria & papiliones. In peregrinos, qui per ea loca transeunt, magna vtuntur liberalitate, cum cæteri Arabes feri sint & crudeles. Quidam horum Arabum Marrocano regi tributum pendunt: alii vero auita fruentes libertate superiorē non agnoscunt: ab eo tamen tempore, quo Lusitani Azamoriū & Alaphyn ceperunt, coacti sunt victorū accipere leges. Venationibus supra modum sunt dediti, cui rei magnum numerum canum alunt: & quamuis prolixe accipiant hospites, furto tamen supra modum addicti sunt, vt res tuas ab ipsis vix vlla industria conseruare possis. Sed & Poetices tanguntur studio, in lingua duntaxat vernacula, ostendentes singularem in versibus suis gratiam, manentq; sua Poetas, qui cæteros ingenio superant, ab opulentioribus præmia. Arabicæ mulieres pro captu regionis laute viuunt & splendide vestiuntur, camisiis tectæ amplis cum laxis manicis, quibus iniiciunt pallam è panno, vel nigro vel cæruleo colore tincto, quam scite complicare, & in minutas rugas colligere nouerunt, inprimis qua humeros tegit, vbi fluentes sinus argentea cohercent fibula. Ab auriculis earum dependent gemmæ vel vniones, digitos gemmatis includunt annulis, & cruta circulis argenteis, vt fere omnium mulierum Africanarum mos est. Faciem velatæ vel potius personatæ incedunt, patentibus duntaxat ad vsum oculorum foraminibus, ne viros adspectu suo saucient, studio nimirum pudicitiæ & honestatis. His si quis propinquus aut consanguineus occurrat,

laruam à facie detrahunt: omnes alios velatæ atque taciturnæ prætereuntes.

Peregre proficiscentes Arabes, impositas camelis vxores suas secum ducunt, insidentes sellis precioſe adornatis, tectisque vmbonibus è serica lana variegatis ad arcendum solis calorem: sed & multi in bellum proficiscentes secum ducunt vxores suas, vt earum præsentia reddantur animosiores. Mulieres Arabicæ concubituræ cum maritis suis, siue die nuptiali siue post eum, depingunt sibi faciem, pectus, brachia & manus succo quodam cærulei coloris, mirum in modum hoc sibi placentes fuco; hunc vetustissimum Arabum morem fuisse autumantes, qui primi Africam ingressi fuerunt. Mauris tamen, qui Vrbes & oppida Barbarica incolunt, hic mos nostro tempore in vsu non est, quorum fœminæ naturali contentæ sunt colore. Aliquando tamen certum quoddam fuci genus conficiunt è Galla nuce, admisto Croco, quo genus rotundo depingunt circulo, & supercilia in Trigoni formam; mento vero imprimunt certam quandam notam oliuæ folio non absimilem.

Hinc accipiunt Poetæ Arabes materiam Venereis cantionibus placendi mulieribus Africanis. Notandum tamen est, nõ licere mulieribus hoc vti fuco, nisi certis quibusdam diebus: neq; ad hunc ornatas modum in parentum propinquorumq; prodire conspectum, quod videatur nescio quid Meretricium olere. Quicquid huius generis fit, maritorum datur oculis, vt ad amoris opera incitentur; cum persuasæ sint fœminæ, mirum in modum barbarica illa pictura formæ elegantiam commendari. Sed iam deinceps ad Marrocensium mores deueniendum erit.

20. Qui *Heam* Prouinciam incolunt, hordeaceo pane non fermentato vescuntur, quem instar placentarum depsunt coquuntque in lebetibus vel cacabis terreis, vel in cineribus, vt alicubi per Italiam fit; pauci enim furno panes excoquunt. Viliores viuunt farina ordeacea, quam in aqua calida macerant versantque, velut polentam, admiscentes parum olei, præsertim veris & æstatis tempore, vbi & lactis pocillum infundunt: aliqui parcentes oleo, butyrum iniiciunt. Mappis in capiendo cibo strophiisq; nõ vtuntur, pro his vtentes storeis plexis, quas humi extendunt ipsi quoque in terra desidentes.

Vestitus eorum frequentissimus est è certo panni lanei genere stragulis, quibus lectia apud nos cooperiuntur, non absimili. Hunc pannum applicant corpori, cingentes circa summa femora, tegentes pudenda laneo panniculo. Caput incingunt tænia lanea, quinque pedes longa, lata vnum, quam nigro infectam colore circa tempora implicant torquentque, vt vertex semper nudus pateat, neque quisquam præter senes, caput pileolo tegit, aut viros litteratos. Lecti eorum strati sunt ea opertura, quam vulgo Catalaunicam vocant, qua & teguntur & eidem incumbunt. Ceruicalia eorum sunt sacci tomentis pleni, rudem in modum.

Iuuenes ante contractum matrimonium barbam nolunt: sed vxorati eam crescere sinunt. Ferarum apud eos abunde est, neque tamen venationi operam dant. Fluuiorum amniumque apud eos est affatim, nullas tamen ibi videbis molas aquarias, sed mulierum vtuntur opera ad molendum pinsendumq;. Litterarum hic insignis ruditas, vt & Medicæ artis, sub qua & Chirurgicam & Pharmaceuticam capio, cum in causticis omnis eorum medendi ratio consistat. In vniuersum reputanti planum fiet, omnem horum hominum virtutem in bello consistere, quo durante peregrinis molesti non sunt, sed iis saluum præstant commeatum.

Qui *Tefetnam* inhabitant, colore magis albi sunt quam vicini eorum, magisque hospitales in peregrinos, vnde non solum Domo Hospitali eos excipiunt, quæ apud ipsos est satis ampla, sed & intra priuatas domus recipiunt, quæ quidem philoxenia Afrorum fere propria est. Qui Idenacalem Montem accolunt crassi sunt & rudes, bello tamen optimi.

Testentum Susanæ Prouinciæ oppidum aliam quam auream monetam ignorat, crudo tamen infectoque vtitur auro non signato. Vbi vilius metalli genus requiritur, ferro vtuntur vnius vnciæ. In cæteris rebus Sus ni industrii sunt, vt caprinum corium optime præparare nouerint: habetque hoc Susana prouincia velut peculiare, vt populo dicatur habitari bellicoso & adarma nato.

Marrocani Vrbani sunt & liberales. In vrbe sunt multi, qui Legem Mahometi interpretantur, in quem finem & certa Collegia studentium fundata sunt, & Xenodochia pro alendis pauperibus studiosis. Qui campestria regionis incolunt, tam brutali occæcantur insciti, vt cum nullos habeant controuersiarum diffinitores inter sese, peregrinos cogant consistere, & ius inter partes litigantes dicere, estque hic arbiter idem iudex pariter atque scriba. Cibus huius populi ab omnibus deliciis est remotissimus, cum farina ordeacea vescantur in aqua feruente excocta, & carnibus caprinis, quarum apud illos est copia.

Guzulenses in multis rebus brutorum imitantur ruditatem, quanquam ex ferro, cuius apud eos magna vis est, vasa quædam & instrumenta satis concinna conflare norunt, quæ permutant equis, panno, aromatibus, aliisque rebus necessariis, suo emolumento. Vix hi quenquam in tota prouincia superiorem agnoscunt, vnde perpetua inter illos dissidia, vt vix trium dierum per septimanam habeant inducias, quas commerciorum necessitas sancit.

His finitis obuii obuios inuadunt trucidantque, nulla habita ætatis vel sexus consideratione. Omnis eorum vestitus est indusium laneum, sine manicis, satis quidem angustum: caput tegunt pileolo è palmarum foliis contexto.

Dies

Dies in quibus nundinæ aut mercatus exercentur, à iurgiis sacrosancti sunt, quibus nemo audet ne inimicissimum quidem lædere, cum præfecti tribunique militum in hunc fidem dispositi dent operam, ne pax publica violetur. Furtum hic capitis supplicio punitur, vt sine longiori litigio compertus furti hasta transuerberetur, relicto insuper in publico corpore, vt hominibus quidem seueritatis exemplum, canibus verò volucribusque pabulum præbeat.

Ducalenses rudes sunt, ab omni ciuilitate alieni, incommodi & inaffabiles: quos *Hascorani* in arte præparandi corii superant. Mulieres eorum formosæ sunt, nec ita, vt cæteræ, nigræ, hospitibusque satis commodæ, etsi maritos habeant inuidissimos.

Oppida in *Teldensi* prouincia opulentis abundant mercatoribus, & ciuibus satis humanis, quorum fœminæ in scientia lanificii & cæteris Mineruæ artibus reliquas Africanas superant. Et sunt quidem in plerisque locis candidiores, corpusque argenteis incedunt oneratæ ornamentis. Est in eadem prouincia Mons Dezensis, quem qui accedunt, neque oppida neque pagos habent, in tuguriis sparsisque Mapalibus habitantes: multi etiam in cauernis montium degunt, fures plerique, proditores & latrones, vt ob rem minimi momenti hominem interficiant. Mulieribus eorum nihil potest reperiri in tota Africa turpius deformiusque.

Sed iam *Fessanum* regnum videndum est, inque eo prouincia *Asgarensis*, quæ propemodum tota ab Arabibus incolitur, diuitibus quidem & satis splendide vestitis. Magna his bellicæ virtutis fama, vnde eorum opera in militia vtitur Rex Marrocanus. His non cedunt *Elhabatenses*, robusti & audaces, in quibus multum Rex ille ponit fiduciæ, qui & crebris, quas in Christianorum terras faciunt, excursionibus, multum emolumenti fisco pariunt.

Errisenses morum inciuilitatem, animi magnitudine & membrorum robore sarciunt. Lacero vilique induuntur vestitu, dediti supra modum ebrietati. Bellisenses de Gomera in Piratica sunt valde exercitati, infestantes myoparonibus suis littora à Christianis habitata. Qui in *Garetana* Prouincia Sahidum montem incolunt, tributum nullum pendunt, fabri ferrarii plerique omnes, qui conflandi, feriendique & poliendi ferri pollent notitia.

Qui in montibus Tezensibus Chaucensibusque degunt, ne reges quidem suos metuunt, quibuscum ipsi sæpe pugnauerunt, freti multitudine hominum, alimoniæ & asperitate locorum. his animo nequaquam pares sunt Gauatensis montis accolæ, qui præ timore & ignauia ne in plana quidem de montibus descēdere audent, gnari, in montibus se à regibus suis cogi non posse, quibus tributum nullum pendunt, instructi in latibulis suis alimoniæ copia.

Baronensis populus albus magis est quam niger, & vxores eorum satis elegantes, erga quas viri incredibili Zelotypia afficiuntur. Lessetenses fœda cum paupertate luctantur, Afrorum omnium imperitissimi. Qui Montes Zizum, Mesettazam, & montana Zanagensia incolunt, robusti sunt & efferi, latrociniis maximè infames: quiuis eorum trina fert spicula siue Assagayas, quas tanta scientia ab manu mittere nouerunt, vt vix vnquam aberrent: sed & gladium ferunt & pugionem, multa habentes cum Arabibus communia.

Sed nunc ad ciuium in Fezza vrbe Mores veniendum est, qui, vt nobis videtur, multo sunt politiores quam reliquorum in eo regno. De ædificiis igitur dicturi à Thermis siue Balneis initium faciemus, quarum mira est pulchritudo, & omnia in iis recte atque ordine disposita. Extra lauacra sunt certa Apodyteria cum suis capsariis. Ingressurus quispiam balneum, postquam per primam portam intrauit, deducitur in conclaue frigidum, vbi aqua gelida asseruatur ad refrigerandam feruentem. Inde per aliam ianuam transitur in locum calidiorem, vbi lauantur extergenturque loturi. Tertium conclaue calidissimum est, vt Sudatorii vicem præstare possit. Calfaciunt autem aquas arido fimo, in quem finem Balneatorum serui stabulis mandrisque aberrantes, iumentorum excrementa colligunt, eaque extra ciuitatem exportantes, in strues quasdam coaceruant, vt duorum triumve mensium spacio exsiccentur, quæ postquam arida facta sunt, in vicem lignorum vruntur. Lauacra muliebria à virilibus separata sunt, etsi quædam vtrique sexui sint communia, hac tamen differentia, vt vtrique certas statasque diei horas obseruent, quibus balneum separatim ingrediantur. Ingressis in lauacrum mulieribus, funis obducitur ianuæ, ne quis vir vel studio vel errore intret. Quod si quis propriæ vxori loqui velit, oportet, vt aliqua ancilla vtatur interprete. Capiunt & aliquando in balneis cibum, & agitant conuiuia, & ludunt, alta voce interim cantillantes. Adolescentes intrant Thermas illas toti nudi, ne verēndas quidem tecti partes; qui vero eminentiores sunt conditionis corpus linteamine tegunt, & loco singulari separato à popularibus considunt: sunt enim secessus quidam & cameræ priuatæ semper in hos vsus paratæ. Neque solum hic lauantur atque perfricantur, sed & inunguntur vnguentis ad instaurandas vires aptis, vtentes etiam psylothris volsellisque aliisque instrumentis ad mundandum totum corpus. Sunt autem in quolibet balneo plures Tonsores qui domino Thermarum certum quotannis soluunt precium, vt iis liceat hic exercere artificium suum. Cæterum cum ipsa Thermarum possessio tum earundem vectigal fere spectat ad Templa Mahometica & Collegia doctorum virorum, suntq; balnea quædam tam opulenta, vt quotannis cētum ducatos lucrentur: alia quinquaginta, pluresque vel pauciores, prout magna vel parua sunt. Adolescentes, qui in lauacris illis ministrant, singulis annis certum

quoddam festum agitant, ad quod amicos suos inuitant, cum tubis fistulisq; egredientes vrbe, vbi quasdam ludicras edidere ceremonias, redeunt ad balneum & indulgent genio.

Sunt in eadem vrbe Fezzana ampliſſima diuersoria, in quibus tamen lecti nulli sunt, cum dormientibus detur duntaxat storea cum culcitra & leui petasinate. Edere volentes cibos emunt & diuersitori coquendos dant. Pauperculæ viduæ, quibus neque tectum est neque res familiaris, commorantur fere in his diuersoriis; in peculiaribus cubiculis, & hæ fere curam gerunt cubilium & rei culinariæ. Sunt & hic mulieres quædam quæ corpore quæstum faciunt, vt prostibula in lupinaribus Europæ, & his licet vendere vinum, neque in quæstu suo impediuntur à Ministris regiis. Ad has sæpe commeant viri dissolutæ vitæ, partim Bacchi partim Veneris desiderio. Habent autem Magistri Consulem suum, soluuntque Præfecto regio certum quotannis vectigal: præter quod etiam tenentur, cum bellum est, lixarum calonumque exercitui certum submittere numerum, qui cibaria militibus coquant, cum paucissimi in hac gente sint coqui. Est autem odiosum valde Afris hoc genus, vt nemo litteratus, vel mercator vel opifex honoratior cum illis loqui dignetur: neque ipsis cauponibus licet ingredi templa, aut Thermas publicas, aut loca vbi mercatoribus conuenire mos est, vt nec fas putatur, propius iuxta sacras Ædes erigere Tabernam siue Diuersorium.

Sunt & quidam Mercatores, qui molas frumentarias precio locatas obtinent, ex molito frumento quæstum facientes. Farinam enim pistoribus aliisque vendunt, cum plerisque opificibus non sint eæ facultates, vt frumentum coemere in futuros vsus possint, sed contenti sint quotidie tantum farinæ emere, quantum absumunt domi suæ: alii etiam à fatiña abstinentes, panes emunt. Quarundam etiam molarum prouentus cedunt Templis sacrisque Collegiis.

Habitant autem opifices in hac Vrbe separatim alii ab aliis, Scribæ vero & Notarii domicilia sua circa sacras ædes habent, quorum quædam cum ipso templorum muro contigua sunt, alia eisdē è diuerso oppositā numero ad LXXX. & in vnaquaque taberna siue pergula scriptoria Notarii duo. Non longe ab his, qua in Occidentem via est, visuntur librariorum tabernæ XXX. ad Australe vero latus L. & plures Sutrinæ, in quibus vis ingens prostat calceorum & ocrearum. Alibi Sutores habitant, qui minutos conficiunt calceos pro pueris & infantibus, nec longe ab his coriarii.

Ex aduerso Magnæ Portæ sedent qui poma aliosque fructus arboreos vendunt, & flores, quorum omnium elegans aspectus facile emptores inuenit, cum nihil pulchrius fingi possit. Hinc Forum Lactarium occurrit, vbi omnis generis lacticinia venduntur & butyrum. Post hoc est locus, vbi institores exponunt varia mercis genera, gossypium, cannabim, funes ex sparto vel setis equinis corium paratum: alibi venduntur ephippia, frena, habenæ, antilenæ, postilenæ, aliaque equorum ornamenta.

In Helotis Baiulisque hoc laudandum est, quod ipsi sese omnes inuicem fraterno amore complectantur: quod si quem ex iis mori contingat, cæteri viduam eius viritim collata pecunia alunt: pariter etiam defuncti liberos, donec ad pubertatis annos perueniant.

Si quis horum vxorem ducit, exque ea liberos suscipit, solenni conuiuio totam baiulorum tribum excipit: Conuiuæ vicissim singuli aliquod ei donum offerunt, neque quisquam in eorum recipitur societatem, qui non præstiterit epulum cæteris: interea, donec hoc faciat, dimidium precium pro laboribus suis accipere cogitur: quod superest, cedit societati. Vestitu omnibus his breuis est, eiusdem coloris, cum laborant; festis vero diebus quisque pro arbitrio tectus incedit.

Raparum Carottarumque siue radicis betaceæ hic magna est copia, vt singulis diebus vltra quinquaginta vendantur onera, neque omnibus indifferenter eas vendere licet, sed iis duntaxat, qui certum Fisco regis hoc nomine pendunt vectigal. Panis melliti atque dulciariorum frequens hic est vsus, quem ientaculi vice sumunt, festis præcipue diebus, cui & aliquando carnes assas vel oleo in sartagine frixas iungunt; quanquam carnes non in verubus assent siue craticula, sed in furno duplici torreant, cui aliquando totos veruices immittunt, subiectis viuis carbonibus, vnde carnes lento igne, qui sine fumo est, excoctæ, satis gratum acquirunt saporem. Assantur autem fere de nocte, vt mane calidæ ac à Vulcano recentes vendi possint. Alibi venduntur carnes frixæ, coctique pisces, cum specie quadam panis delicatissimi, cui vel butyrum vel mel iungunt.

Animalia à Lanis non iugulantur in macillo, sed in loco peculiari iuxta profluentem, vbi excoriantur, eorumque lauantur interanea.

Pannum qui vendere volunt, præconibus eum dant, qui humeris impositum per vrbem ferunt, magno venalem esse vociferantes clamore. Multi se suosque alunt ex fagina gallinarum aliarumque auium, quas in cortibus caueisque alunt donec pingueſcant. Eo loco vbi telæ lineæ venduntur, suaue est videre rixantes mulieres, quæ sæpe à iurgiis & conuiciis ad manus veniunt, non sine voluptate spectantium. Et vt longioris narrationis compendium faciam, nullum huic vrbi deest Artificum Opificumq; genus, quod apud alias gentes reperitur.

Pharmacopolæ & Seplasiarii ipsi Syrupos, Iulapia, Electuaria cæteraque pharmaca confiere non nouerunt, sed Medici hæc omnia præparant, inque officinas mittunt, vbi petentibus ægris vendūtur: quanquā potissima populi pars nec Medicinā norit nec Medicos. Multi sūt, qui mulos clitellarios alūt, eosq; magnatibus facturis iter elocant: alii vendunt auiculas quas ad cantum &, imitandam loquelam erudiuerunt.

Nec

Nec pauci sunt in tam vasta vrbe, vt ait Poeta

Transyberini ambulatores
Qui pallentia sulfurata fractis
Fermutant vitreis-----

& viliora exercent lucrandi panis ergo mercimonia.

Lanificii præterea magnus hic est vsus, vnde non paruus textorum fullonumque hic numerus: nec multo minor eorum qui sericum tractant.

Multis locis per vrbem secantur ligna inque asseres comminuuntur, ad quem laborem potissimum Christiani adhibentur, capti à Mauris, & ex liberis serui facti, quibus non datur à labore requies, præterquam diebus Veneris, à Meridie vsque ad vesperam, vt & octo diebus, quibus quotannis festa sua celebrant Mauri.

Præter publica diuersoria sunt in hac Ciuitate aliquot Lupanaria, in quibus quæ prostant meretrices, exiguo precio corporis sui copiam petentibus faciunt: patrocinium earum suscipiente vel Prorege Fessano, vel Præfecto vigilum. Sunt autem & priuati Lenones, qui domi suæ vinum venale habent & mulieres; ex vtroque mercis genere quæstum facientes.

Frumentum suum seruant Mauri in fossis profundis, quarum aliquando tanta est amplitudo, vt vltra C. modios capiant. Porro qui eas fossas conductoribus locant, centesimum modium accipiunt.

Iam de Ciuibus Fezzanis iure dici potest, eos vere ciuiles vrbanosque esse. Vestitus eorum è panno laneo est, cũ peregre proficiscuntur, vel cum hyems est. Alio tempore vtuntur tunica stricta manicata, cui superiniiciunt vestem laxiorem anterius consutam: prodeuntes in publicum, etiam pallium sumunt more Numidarum. Capitis tegumentum non absimile est pileis nocturnis, quibus vtuntur Itali, sine tamen tegumento aurium. Nonnulli caput cingunt fasciis lineis versicoloribus & intortis femora & tibias vestientes prælongis caligis, instar nautarum nostratium, æstate duntaxat: hyeme enim ocreis suras muniunt. Plebs saga gerit, & pallia sine manicis, caput exigui precii palliolo operientes. Doctores & qui sunt Equestris Ordinis, togas gerunt, cum manicis laxioribus, ferme ad habitum Nobilium Venetorum. Postremo qui ex infima plebe sunt crassis vestiuntur pannis è vellere natiuo factis, palliisque ex eadem materia.

Mulieres eorum aliquanto melius quam viri vestiuntur; æstate tamen solo indusio corpus tegunt, cingentes frontem & tempora fasciis quibusdam, quæ illas potius deformant quam ornant. Hyemis tempore togas gerunt laxis manicis anterius consutis, quales & viri gestant.

Prodeuntes vero in publicum, longis vtuntur femoralibus, quibus crura & tali teguntur, velo quodam & caput & reliquum corpus cooperientes. Faciem tenui lineolo velant, vt præter oculos nihil appareat. Ab auriculis dependentes habent gemmas siue vniones; armillas insuper aureas lacertis induunt, tanti precii, vt par vnum ad C. ducatorum precium accedat. quibus minores sunt facultates, argenteis contentæ sunt, circulis ex eodem metallo factis etiam femora ac crura includentes.

In capiendo cibo hunc modum obseruant, vt duobus per septimanam diebus recentibus vescantur carnibus: opulentiores vero prandent cœnantque ex palati sententia, ter quoque per singulos dies comedentes. Mane enim ientaculum leue sumunt, ex solo pane, fructibus & tosta polenta liquida quidem. Hyeme vero durante farinam maceratam aqua calida sumunt cum salitis carnibus. Prandium meridianum lautius aliquanto est, quo ventrem saburrant. Cœna sub noctis initium leuior est, cum pani vix quicquam iungant præter lac, vuas vel melopepones. Hyemis vero frigori medentur artocreis vel alio modo paratis carnibus, aliisque cibis solidioribus, quibus vel butyrum vel oleum copiosum inspergunt. Et hic fere plebeiorum viuendi ritus est, puta opificum vel helotarum: ditiores enim delicatioribus viuunt escis. Si vero vniuersum eorum victum cum nostrate per Europam conferre velis, deprehendes miserandum & obscænum esse Maurorum viuendi genus, cum humi desidentes vescantur in mensis humilibus, iisque nullo stratis linteamine, vel mappa, vel strophio: vtentes ad carpendos diuidendosque cibos non cultro, sed digitis aduncis. Carnes cum brodio suo mixtim apponunt, è quibus quilibet conuiua tantum sibi sumit, quantum voluerit, non expectata cæterorum approbatione: acceptas carnes nemo cultello discriminat, sed dentibus laniat, seruatque sibi partem acceptam, non habita ratione vicini sui iuxta assidentis. Celeriter autem comedunt, nec quisquam bibit, nisi prius probe repleto ventriculo: quo facto, quisque grande poculum aquæ educit. Hinc constat, mediocribus facultatibus per Galliam Germaniamque præditos lautius elegantiusque viuere, quam viros Principes vel Illustres per Mauritaniam.

Nunc ad matrimonia eorum reuocamur. Ducturus vxorem, si non abnuit futurus socer, conuocat amicos suos sponsus in sacram ædem, vbi præsto sunt duo Notarii, qui pacta & conditiones futuri coniugii scripto consignant. Dat autem maritus vxori (siquidem mediocris census sit) triginta ducatos argenti numerati, cum seruo vno Æthiope, cuius precium ad XV. ducatos accedit, ex panno variegato, partim è lana partim è serico, adiectis quibusdam rebus leuioribus, puta mitra aut calantica, quas fœminæ in capite gestare consueuerunt. Addit his, si vult, sponsus calceos elegantes, & tibialia, & crepundia argentea, & flabella ad faciendum ventulum, & alia huius generis ludicra. Vbi satis inter nubentes conuenit, ad prandium vocat sponsus omnes quotquot contractui isti interfuerunt, patiterque pater Sponsæ conuiuium instruit,

siquidem liberalis haberi vult: alias enim præter pecuniam nihil obligatur nubenti dare filiæ. Nostro quidem tempore à XXX. ducatis vsque ad CCC. adscenderunt in assignanda dote, in quo numero tamen etiam vtensilia & vestimenta comprehenduntur. Quibus res domi est lautior, ii filias suas non tantum omni vestimentorum genere splendide ornatas elocant, sed & lectorum apparatum & ornamenta cubiculorum addunt. Lecti vero diuersimode habent, cum alii quidem æstati, alii hyemi conueniant, exornati pro captu regionis omnes.

Mulieres quidem siue sponsæ ad hunc modum dotatæ migrant in noui Mariti domicilium. Si opulentiores sint, portantur à baiulis sub vmbone, serica tela vel aureo panno tecto, comitatæ amicis consanguineisque, inprimis patre & marito, præeuntibus tubicinibus & tympanistis, necnon cereis funalibus: sic longo ordine progrediuntur vsque ad magnam aream templi primarii, hic valedicit sponsa patri amicisque paternis, deinde deducitur ad cubiculum suum. Pater, fratres & consanguinei comitantur eam, tradunturque in manus mariti, & sic vterque cubiculo includitur, vt solus cum sola ibi versetur, sine arbitro.

Interea domestici parant conuiuium, destituta ante ianuam thori genialis vetula, quæ ibi moretur tantisper, donec maritus sponsam deuirginauerit. Tunc vetula illa cum linteo cruentato discurrit per conuiuium, exclamans alta voce, sponsam pudicam virginemque fuisse, hoc facto meretur anus illa prandium, quo percepto, currit ad matrem sponsæ, idem afferens pudicitiæ filialis indicium, & præmio aliquo afficitur. Conuiuia autem nuptialia sunt fere tria.

Primum datur ea vespera, qua in mariti domum sponsa deducitur. Alterum sequente die ad quod tantum adhibentur mulieres. Tertium instruitur septimo post nuptias die, & ad hoc pater sponsæ præcipuos sumtus suppeditat. Post septimum à nuptiis diem primum maritus domo egreditur, multosque pisces coemtos secum domum fert, idque boni ominis res esse putatur, antiqua consuetudine ita exigente. Præter hæc omnia pater sponsæ in sua domo duplex instruit epulum. Prius die vno ante nuptias filiæ, ad quod propinquos necessariosque suos inuitat, eosque quam lautissime excipit, parte noctis cantu & choreis insumta. Postero die adsunt mulieres, quarum officium est comere & ornare sponsam; hæ nuptialibus eam induunt vestimentis, pingentes genas eius minio, simulque manus ac pedes nigro inficientes colore, qui tamen non diu durat. In altero conuiuio collocatur sponsa in Theatro ligneo editiore, vt ab omnibus conspici possit. Cognati sponsæ offerunt ei munera, plenos cophinos mellitis panibus cupediisque cum tribus verucibus integris, quæ omnia sponsæ pater inter conuiuas distribuit. Choreæ eorum per totam noctem durant, quas exercent ad sonum instrumentorum Musicorum, satis harmonicum.

Saltant autem non plures neque iuncti, sed singuli, & mulieres quidem separatim à viris, psaltrias & cantatrices adhibentes, non viros Musicos. Et has quidem Mauri adhibent ceremonias, cum virgo nubit: Cæterum in viduæ nuptiis omnia sunt moderatiora, adhibitis ad conuiuium Gamicum non nisi X. vel XII. hominibus. Sunt autem illa de magnifico apparatu & festiuitate nuptiali tantum de Nobilium Virorum vel Mercatorum nuptiis accipienda: plebs enim tenui contenta est apparatu, in conuiuiis exhibens offam siue iusculum ex pane triticeo & decocto bubularum carnium, quæ simul in suo iure apponuntur in grandi disco. qui accumbunt, non cochleis sed manibus vtuntur, quibus offam ori admouent.

Exhibetur etiam epulum solenne cum circumciditur puer, die septimo ab eius natiuitate, ad quod patet infantis Chirurgum & propinquos vocat, quo finito, quilibet puero munusculum aliquod offert, ipsique adeo Chirurgo, cui alii quidem vnum, alii duos pluresve ducatos donant. Hoc facto Chirurgus circumcidit puerum, quod supereſt temporis, saltando atque epulando conteritur. Nata vero filiola compendium fit & sumtuum & lætitiæ.

Sunt & apud Fezzanos quædam Christianarum festiuitatum reliquiæ. Die enim Seruatoris nostri natalitio sumunt certum quoddam iuris genus, ex septem herbarum generibus decoctum, coquentes etiam eadem nocte diuersa legumina, fabam, cicer, pisum, comeduntque illa contemtis cibis delicationibus. Calendis Ianuarii circumeunt pueri personati domos nobilium, decantantes pueriles hymnos. Die festo S. Iohannis excitantur multi ignes per plateas vrbis, è stramentis potissimum vti & apud nos fit.

Cum pueri primum dentes emittere incipiunt, rursum instruitur conuiuium, ad quod tantum pueri inuitantur. De obseruatione auguriorum apud has gentes vsitata alibi dicendi locus erit.

Cum vel parentes, vel fratres alicuius mulieris, vel etiam maritus moritur, conueniunt multæ fœminæ, abiectoque vsitato amictu, cooperiunt se ciliciis, postea fuligine ollarum illinunt faciem. Miscent se his viri molles, muliebribus induti vestibus, tympana parua manibus increpantes: hi præcinunt versus tristes & lugubres in laudem defuncti, mulieribus ferale epiphonema accinentibus, genasque & pectus laniantibus, vt cruor copiosus effluat. Durant autem hæ lamentationes toto septiduo, quo exacto, quiescunt per dies XL. postea repetitur idem luctus, qui tertio die finitur. Et hunc quidem plebs obseruat lugendi modum. Cæterum nobiliores omnia honestius faciunt atque moderatius, neque laniantes genas, neq; plangentes pectora. Hos in luctu constitutos adeunt viri graues senio, atque consolantur: propinqui vero delicatiores cibos atque sportula mittunt, cum moris non sit aliquid cibariorum coquere in ædibus, in quibus cadauer homini

est

est. Funus cum deducitur, mulieres id non sequuntur, etiamsi vel pater aut frater tumulandus sit.

Multi è Fessanis ciuibus magno studio columbas alunt, quas pennarum pulchritudo commendat. has caueis inclusas venum proponunt, aliquando etiam emittunt, vt ex earum celeri volatu aliquid voluptatis percipiant. Cumque columbæ aliquando vicina tecta subeuntes intercipiuntur, multæ inter columbarios istos rixæ atque pugnæ oriuntur, nec finis est insidiarum quas alii aliis struunt.

Inter ludos maxime in vsu est Ludus Latrunculorum: etsi enim aleæ quoque aliisque ludorum generibus locus est, rudes tamen illi sunt, nec acre exigunt ingenium, vili plebeculæ conuenientes. Certo quodam anni tempore conueniunt iuuenes, baculis inter se depugnantes: verum hoc ludi simulactum aliquando in verum certamen emergit, vt concurrentibus vtrinque partibus nonnulli mortui vulnerative cadant. aliquando abiectis baculis lapides arripiunt, & se mutuis petunt ictibus. Eduntur autem certamina hæc diebus festis, & extra Vrbem, quæ & tam acria sunt, vt ne præfectus vigilum quidem pugnantium possit compescere pertinaciam, sed necesse habeat, quosdam carceribus includere, qui postero die virgis per vicos cæduntur.

Fit aliquando, vt pars adolescentum horum arreptis armis nocte extra vrbem vagentur, perque hortos & campos oberrent, vt si quem aduersæ partis offendant, mactent; vnde multoties crudeles committuntur pugnæ. Sed hi grassatores seuere puniuntur.

Poetarum in hac vrbe *plus est, quam olim muscarum cum caletur maxume.* Condunt hi versus vernacula lingua, inprimis fescenninos veneriosque, in quibus aliquando sine velo aut rubore aperiunt mulieribus quid desiderent. Iidem quotannis carmina faciunt in laudem Mahometi sui, quæ die eius natalitio in publicum proferunt, conscensaque cathedra, à mane vsque ad vesperam obseruato ordine recitant, auscultante atque iudicante populo: certant enim canendo atque pangendo carmina, & qui cæteros vicisse visus est, Poetarum princeps pronunciatur, eo duntaxat anno. Certo quodam anni tempore inuitat Rex in Palatium suum omnes viros litteratos è tota vrbe, interque eos Poetas, quibus magnificum exhibet conuiuium, postea iubet, vt præstantiores inter eos suos hymnos recitent, quos in laudem Mahometi composuerunt, iudicante vniuersa Aula. Qui cæteros carminis suauitate vicit, à Rege dono accipit C. ducatos, equum instructum, nouum pallium, & mulierem seruam. Victis in solatium minora dantur munera, nec quisquam abit indonatus.

Pueris in scholis certi Magistri præficiuntur, qui eos legere atque scribere doceant, non è libris, sed latissimis tabulis. Pensum quotidianum pueri est, vt singulis diebus periodum vnam & alteram ex Alcorano memoriæ mandet: cumque triennii spacio ad finem peruenerunt, iterum comminiscuntur ab initio, vt non pauci integrum septennium in hoc studio consumant. Post hæc proponitur iis Grammatica cæteræque ordine scientiæ. Si quis puer totum percipit Alcoranum, pater eius instructo præceptoribus conuiuio, noua veste donat filium, splendida illa quidem & preciosa. hinc impositus equo gradario magni precii, à præfecto vrbis munera accipit, equum & vestimenta. Sequuntur eum longo agmine pueri scholastici vsque ad domicilium eius, cantantes hymnos in laudem Mahometi, deinde datur omnibus cœna, ipsi vicissim offerunt Magistris suis munuscula. Dies huius Pseudoprophetæ natalis festus est, qua patres scholarium singuli singulos cereos ad Scholam mittunt, quorum nonnulli tam grandes sunt, vt XXX. libras pendant. Hos incensos à primo crepusculo ferunt vsque dum Sol superato horizonte clare luceat; nox præcedens laudibus Mahometi insumitur. Omnis ea cera ludimagistris cedit, qui eam aliquando centum pluribusve ducatis vendunt, neq; quisquam est, qui non suum in Prophetam studium hac liberalitate testari velit. Pueris scholasticis quot septimanis duorum dierum feriæ impertiuntur.

Diuinorum apud Mauros genera tria sunt. Primi Geomantiæ studio dediti sunt, vaticinantes ex variis figuris. Secundum genus ad Hydromantiam referri potest. In vas enim planum vitreum aquam immittunt, iniectisque guttis aliquot olei eam claram limpidamque reddunt, instar speculi. In hac aqua fabulantur se cernere diabolorum agmina, instar ingentis exercitus castrametantis, vnde de rebus dubiis coniecturam faciunt. Hos enim cum Ariolus quietos conspicatur, sciscitatur ex iis rerum futurarum euentus, cui cacodæmones respondent certis quibusdam signis. Ponunt & aliquando discum aqua plenum in manibus octennis vel nouennis pueri, quæruntque ex eo, an talem vel aliam figuram contempletur: ibi simplex puerulus, quid viderit, respondet: reperiunturque multi tam stolidi, vt diuinatoribus istis non solum plenam fidem tribuant, sed & in eos plurimum impendant.

In tertio genere ponuntur mulieres fatidicæ, quæ persuadent populo, esse sibi familiaritatem cum certo Dæmonum genere, quorum alii Rubri vocantur, alii Albi, tertii Nigri, & sic deinceps. Consulturæ hæ Oraculum, ita exigentibus consulentibus, perfumant totum corpus variis odoribus, & postquam certas recitauerunt preculas, intrat malignus Spiritus in eas, cuius hospitis aduentu & vocem, & sonum, & faciem mutant, fingentes spiritum per earum loqui ora. Viri tamen cordatiores, & quibus maior est rerum vsus, appellant has mulieres Phœbades, Afrorum lingua *Sahatut*, quas Latino vocabulo dicere possis Tribades, quarum quæ fuerit turpitudo, & in pulcras adolescentulas præposterus amor, ex veteribus Poetis notum est. Inue-

nias multas in hoc Afrorum genere mulieres, quæ his flagitiosis propudiis, nescio qua voluptate allectæ, se addicunt, adeo, vt simulantes ægritudinem aliquam, diuinatricem ad se vocent, consentiente marito eiusmodi fraudum ignaro. Hæ sagæ persuadent marito, Dæmonium aliquod ingressum esse corpus vxoris eius, quam si vir saluam velit, necesse esse, vt in clandestina illa sacra eam sinat adscribi atq; initiari. Assentitur his fraudibus credula viri stoliditas, qui lætus hac affinitate conuiuium instruit, cumque probe perpotatum saltatumque est, finit abire vxorem, quo vilum fuerit. Cordatiores tamen crebris baculorum ictibus Dæmonium expellere nouerunt. Alii earundem Sagarum opera abutuntur ad decipiendas fœminas, à quibus ipsi iam ante decepti fuerunt.

Possis his adiungere quartum genus eorum, quos Arabes *Muhazzimin* vocant, id est, Incantatores. His vulgo tribuitur potestas liberandi obsessos, non aliam ob causam, quam quod aliquando scopum tangunt: Si enim exorcismi eorum sint irriti, causantur Dæmonii potentiam, quod cœleste esse aiunt. Modus incantationis eorum in Characteribus quibusdam consistit, quos certis inscribunt circulis, vel etiam ex lineamentis manuum aut frontis obsessi diuinant. Hinc recitato carmine quærunt ex Dæmone, quo pacto ingressus fuerit? qua de causa? & quod ei nomen sit? quo percepto eiimperant, vt suum deserat hospitium. Diuersi ab his sunt, quibus factorum regula est diciturque *Zairagia:* sed horum scientia ex naturæ principiis petita existimatur. Vnde fere fit vt certiora percunctantibus reddant responsa, quod diuini illi fere Astrologicæ ac Arithmeticæ scientiæ sint peritissimi. Depingunt hi in plano plures orbes. In primo locant crucem cuius extremitates quatuor mundi partes notant. In ipsa crucis mediotate signant duos mundi Polos, & extra circulum quatuor Elementa. Postea diuidunt orbem illum in quatuor partes æquales, & quadrantes rursum subdiuidunt in partes septenas, quibus certos characteres Arabicos inscribunt. In alio Circulo siue Orbe notant VII. Planetas: in tertio XII. anni Menses, in quarto XXVIII. mansiones Lunæ: in quinto CCCXLV. dies anni, circaque eum quatuor Ventos Cardinales. Sed cum huius per Characteres diuinationis ratio laboriosissima sit, maximeque perplexa, omittitur iure à nobis, cum non multum differat à Cabalistica Iudæorum supputatione, quamuis in magna apud Afros sit admiratione.

In Sapientum numerum etiam ii referuntur, quos Sophos & Philosophos Morales cognominant, qui circa Legum Mahometicarum interpretationem occupantur, quas exacte ab iis obseruari, sunt qui affirment, sunt qui negent. Magna horum apud vulgus est auctoritas, quãquam multa licita esse perhibeant, quæ lege Mahometi prohibentur. Sed nos de his amplius loquemur, cum de Religione Maurorum dicere nos instituti ratio iubebit.

Est & aliud hominum genus in Vrbe Fezzã, profitentium scientiam eruendi thesauros in antiquorum ædificiorum ruderibus latitantes. Egressi vanissimi hi stelliones Vrbe, demittunt sese in cryptas & cauernas subterraneas, concepta firmiter hac opinione, Romanos, cum amisso Africæ Imperio in Prouinciam Hispaniæ Bæticam trans mare fugerent, multas res pretiosas, quas per festinationem secum ferre non potuerunt; humi defodisse, quos thesauros illi perquestigare conantur. Sunt & quidam ita faceti, vt dicant, vidisse se in hoc vel illo loco aurum siue argentum, sed extrahere non potuisse, quod appositis suffumigiis & incantationibus vsi non fuerint. Sed hi fossores & thesauripetæ parum efficiunt, nisi quod aliquando domos aut sepulchrorum fundamenta subruant euertantque.

Non puto vllam in Orbe nostro esse vrbem, vbi fœcundior Chymicorum seges est, quam Fezzæ, vile hominum genus & male olens ob fumos & sulphuris odorem, quo penitus imbuuntur, Hi fere vesperi conueniunt in area Primarii Templi disputantes inter sese de Lapide suo Philosophico, albus an aer sit.

Librorum his de arte illa magna copia, quos viri magni nominis conscripserunt, inter quos facile primus est *Geber*, qui centum annis ante Mahometum vixisse perhibetur. Sunt qui eum è Græco Arabem factum fuisse autument. Primus ab hoc est *Atrogreius*, Sultano Bagadeti olim à Secretis, habeturque in hac arte non futilis auctor. *Muguaritus Granatensis* tertias obtinet, qui Artis huius præcepta in cantilenas redegit, in quem librum scripsit quidam *Mamaluccus Damascenus*: sed commentarius multo est obscurior ipso contextu. Sunt autem Alcumistarum genera duo; quidam *Elixir* quærunt, id est tincturam metallorum: alii perquestigant multiplicationem eorundem, miscentes alii aliud.

Oberrant in eadem vrbe plurimi quoque aulœdi & citharœdi, ludentes variis instrumentis muficis per vicos & compita, & rudi populo venditantes schidia quædam, quibus ad diuersa morborum genera vim medicam inesse nugantur. His subiungendi sunt vilissimi histriones, qui saltatrices simias per vrbem secum circumducunt, colla implicata habentes ipsi serpentibus atris. Audent iidem mulierculis futura prædicere, & alia vanitatis specimina edunt, vt siccam profligent ab ore famem.

Ipsi ciues Fezzani superbi fere sunt, & inhumaniores in peregrinos. Illustres tamen & Nobili orti genere, ob nimiam arrogantiam intolerabiles habentur, vnde vix quisquam cum iis versari sustinet. Idem de Doctoribus & Iudicibus dici potest, qui vt suam tueantur auctoritatem, à plebis consuetudine abstinent.

OPES ET DIVITIAE MARROcensium & Fezzanorum.

Qui vtrumque hoc regnum incolunt, iure dici possunt abundare omnibus rebus ad vitam

vitam transigendam necessariis, cum vnius regni defectum alterius vbertas farciat & compenset, vt facile exterorum adminiculis carere possint, consterque, si firma pace Mauros atque stabili perfrui contingeret, felicissimum hoc Imperium dici posse. Montana enim vtriusque prouinciæ gregibus armentisque plena sunt, & campi ferme vbique feraces frugum. Tantum in iis prouenit tritici, & in hortis fructuum arboreorum, vt largiter ad exteros deuehantur, inprimis poma aurata & citria, nec non oliuæ & quantitas saccari. Sed & multum lucri percipiunt è telis Camelinis, & corium in his locis præparatum per vniuersum prope expetitur orbem. Idem recte dicemus de gossypio atque inde confectis telis, quarum præcipua putatur bonitas: nec parum his prodest incolis negociatio saccari.

De diuitiis autem prouentibusque magni huius regis sciendum est, eum absolutum dominum esse non tantum subiectorum vtriusque regni, sed & bonorum atque facultatum, quas ipsi possident; quicquid enim iis imponatur oneris, raciti ferunt, nec contra mutire audent. Metus tamen amittendi regni, qui à Muleio Checo impendet, & perpetui motus in causa sunt, vt paulo clementius cum suis agat rex Marrocanus, vt iis dulce reddat iugum suæ dominationis. Soluunt huic Mauri non decimas tantum frugum suarum, sed & primitias magni paruique pecoris, quanquam exactores regii hac vtantur moderatione, vt de frugibus vigesima contenti sint, & è centum pecudibus non nisi duo exigant capita. De vnoquoque agri iugero soluuntur Quæstori Regis quinque quadrantes vnius Ducati, tantundem de singulis domiciliis: idem quoque censûs est singulorum capitum, quæ decimum quintum annum superauerunt, siue mares sint siue fœminæ, vnde facilis est coniectura, quanta hinc vis auri quotannis colligatur.

In cæteris exactionibus ita versantur, vt ad vitandam plebis seditionem prope duplum exigant Quæstores, & simplum accipiant, quam peculiarem gratiam interpretantur infelices Mauri. Qui tamen montes incolunt, homines feri & indomiti, freti locorum munimentis, vt quicquam pendant, adigi non possunt: sed si quas soluunt decimas, ideo pendunt, vt iis in plana & campestria descendere liceat. Iunge, si placet, his prouentibus longe maximis Telonia, Vectigalia, Tributa & Subsidia pecuniaria, quæ tam in vrbe Fezza quam aliis regi cedunt, & ingentem conficies summam, cum ciues Fezzani peregrinarum mercium, quæ in vrbem importantur, quinquagesimam partem pendant, exteri vero decimam. Accedit huc molendinorum prouentus, & metallorum, aliarumque rerum quæstuosissimarum. Nam vt de Molendinis dicamus, habentur in Vrbe Fessa CCCC. molæ frumentariæ, quæ de singulis magnis frumenti modiis regi soluunt dimidium nummum regalem.

Mosqueæ Caruuensis prouentus olim fuere quotannis LXXX. millia scuratorum, nec minores erant redditus Collegiorum & Xenodochiorum: sed hoc omnes Rex Fisco suo addixit. Si quis Prorex vel Præfectus Prouinciæ, vel Minister regius, qui salarium ab eo accepit, moriatur, Rex ei ab intestato succedit, omnesque demortui possessiones sibi vendicat, nec has solum, sed & equos, arma thesauros que.

Si quis horum decedens relinquat filium, qui regi in bello vtilis esse potest, eodem, quod pater perceperat, fruitur beneficio. Si liberi impuberes sint, nutriuntur impensis regiis, mares quidem, donec ad arma sint habiles, puellæ donec maritos inueniant, quos vt celerius nanciscantur, promittuntur sponsis earum præfecturæ & opulenta beneficia siue officia. Hinc fit, vt morituri omni annitantur studio, vt bona thesaurosque suos occultent, aut eos procul à Regia & ab oculis Principis submoueant, certi, manus eius non euitatur os.

Potentia & Robur Militare.

Sunt in vtroque hoc regno pauca loca propugnaculis munita, vt maiorem vim hostilem sustinere possint, si eis demas arces & oppida, quæ in littore maris sita sunt, cuiusmodi sunt, *Caput de Aquero, Larache & Teruana*: omne enim huius Principis robur consistit in multitudine hominum, inprimis Equitatu. Eadem de causa re tormentaria non prò necessitate instructus est, quanquam satis magnam machinarum copiam habeat, quas partim maiores eius Lusitanis hostibus eripuerant, partim de nouo fundi curauerunt: sed nec Magistris rei tormentariæ peritis destituitur. Est in vrbe Marroco Armamentarium, in quo præter alios apparatus bellicos vis ingens sclopetorum minorum asseruatur, & puluere nitrati. Hoc armamentarium anno A N. C. MDLXIX. fortuito correptum igne arsit immaniter, vt partem ciuitatis in cineres redegerit.

Ipsa porro armatura huius Principis non est vnius generis. Primum agmen constat equitibus MMDCC. & II. millibus sclopetariorum, qui partim Fezzæ sunt partim Marroci, magis tamen in hac quam illa vrbe, quia Marroci Rex habitat, cui milites illi stipatorum vicem præbent. Secunda acies constat VI. millibus equitum, qui plerique omnes nobili sunt orti genere. Splendido hi ingrediuntur apparatu, & exquisite ornati, gemmis & auro lucentes, coruscantibus minitantes armis, vt spectantium in admirationem rapiant sensus. Præstantur his præter triticum, auenam, oleum, butyrum, carnes, quæ cum ipsis tum familiæ eorum sufficiant; præter hæc inquam omnia dantur eis quotannis circiter D. Argenti vnciæ.

Tertia militia constat ex Timariotis. Rex enim filiis, fratribus propinquisque suis, & aliis proceribus Afrorum Arabumque, assignat cuique certum agri modum, beneficii Feudique nomine

nomine. Ex his agris percipiunt vasalli illi fruges, orizam, auenam, oleum, butyrum, arietes, volatilia, & certam argenti summam. Eadem fere distribuuntur inter milites: addita vestimentorum materia, equis armisque tam offensiuis quam defensiuis. Quilibet horum Timariorum cogitur certum ad bellum adducere militum numerum, eo apparatu qui ad bellum necessarius est.

Quartum genus militum conficiunt Arabes, qui viuunt in Auaribus suis (ita vocant mansiones siue stationes suas, quæ aliquãdo C. vel CC. familiis constant) distributi in certas classes sub Gubernatoribus suis, vt ad omnes belli occasiones præsto sint. Equo hi stipendia faciunt, suntque potius latrones quam milites dicendi.

Quintum militiæ genus simile est nostrati, quo per Europam vtimur in conscribendis militibus per vrbes & oppida, vtriusque huius regni. Quanquam parum in his fiduciæ collocant reges, neque facile iis arma in manus præbent, metu rebellionis, nisi quoties bellum aduersus Christianos gerendum est: tunc enim ne ipsi reges quidem hos milites in potestate habent, quod Lex Mahometi ei, qui hominem Christianum occidit, vel ab eo occiditur, cœlum sine vlla exceptione pollicetur. Currunt igitur ad bellum non viri tantum, sed omnis sexus & ætatis homines, vt vel in eo moriantur, vel alios trucident, nihil dubitantes de æternis in cœlo præmiis.

Idem ardor est Turcis omnibusque Mahometanis, & in Christianos odium acerrimum: quasi enim ad festum nuptiale, non ferale bellum progrediantur, ita lati tripudiantesque in aciem prodeunt, eos etiam sanctos & ter felices reputantes, qui arma in Christianos sumta manibus tenentes moriantur: eos vero miseros & infelices, qui domi inter vxorum puerorumque lamenta exspirant.

Ex his quæ diximus facile est coniectura assequi, quantum militum numerum in aciem Princeps hic educere possit: quanquam id melius experientia magistra disci queat. Anno enim A N. C. MDXXVI. obsedit Muleius Abdala vrbem Magazanam cum CC. millibus militum, quorum opera fossas compleuit aggere montis instar, concussis valide muris vi tormentorum. Neque tamen omnibus his viribus ad deditionem cogere Lusitanos potuit, sed obsidionem deserere coactus est. Accedit quod Monarcha iste magnum exercitum vltra duos vel tres menses in castris alere non possit, quod non satis alimoniæ illis subuehi queat, vnde multi deserta militia domum properant verentes inediam. Moluccus, qui Sebastianum Portugalliæ regem acie vicit, habuit XL. millia Equitum, LXXX. millia peditum, præter Arabes & voluntarios. putatur tamen colligere potuisse equitum circiter millia LXX. peditum vero duplo maiorem numerum, quam in aciem eduxerat.

Modus Gubernationis.

Etsi perdifficile est, regni tam turbulenti formam politiæ explicare, ob perpetuas, quibus id obnoxium est, mutationes, nunc hoc potiente rerum nunc altero: nostri tamen officii esse ducimus, ea communicare lectori, quæ ad nostram peruenere notitiam, facto initio ab Vrbe Fessa, qualis tunc fuerit, cum maxime florere visa est; deinde qualis nostra est ætate: præfati duntaxat, fieri non posse, vt in republica tam confusa certus ordo obseruari queat.

Primum omnium, vt Lectori satisfaciamus, dicendum est, quænam familia hodie rerum per Fessanum & Marrocanum regnum potiatur, & quomodo ad hoc tantum regnum peruenerit. Fuit superioribus seculis quidam Alfaquius, Mahometanæ legis Pontifex & interpres, natus è Tigumedeto prouinciæ Darensis, vir callidus & versutus, nec minus multarum gnarus scientiarum, quibus Mahometistæ præ cæteris studere solent. Huius filius, nomine Mahometus Benametus se primum Xerifum appellauit, claruitq; potissimum circa annum Incarnationis Dominicæ MDVIII. E posteris Mahometi hic se ortum gloriabatur, cumq; videret Africam partim à Lusitanis partim ab Arabibus aliisq; lacerari, ausus est ad occupandum regnum animum adjicere, sibiq; Mauritaniam Tingitanam subjicere. Primum igitur omnium misit tres filios suos, Abdalam, Hametum & Mahometum, Mecham, vt visitarent sepulcrum Prophetæ. Tanta igitur cum religionis & sanctitatis opinione iuuenes hi peregrinationem illam religiosam susceperunt, vt obuii Afri, aliique vestimenta eorum exoscularentur, sanctos eos homines vocantes. Hi simulatores rursum fingentes nescio quas profundas contemplationes, ingrediebantur cum suspiriis & lacrymis, nomen Dei subinde inuocantes, neque ex alia re quam Eleemosynis victitantes. Excepit hos reduces pater incredibili cum gaudio, neue refrigesceret opinio sanctitatis, qua populum imbuerant, misit duos ex eis, Mahometum & Hametum Fezzam: vbi cum à Rege comiter excepti fuissent, alter eorum factus est professor Amoradahi, quod est collegium Vrbis eius celeberrimum: minor vero fratrum adhibitus est institutioni Regalis filii. Cumque vterque ita officio suo præesset, vt pariter regi & populo placerent, intellecto damno, quo Arabes & Mauri sub signis regis Lusitani militantes paternam ditionem inuadebant: petierunt à rege honestam missionem, vt signum militare erigentes contra Christianos bellum gerere possent, polliciti (quod & reipsa præstiterunt) se facile in partes suas pertracturos Arabas & Mauros, qui Portugallensium sequerentur castra: & hi quidem eo pacto securitatem præstiterunt prouinciis, Susanæ, Hæensi, Ducalensi, Marrocanæ, aliisque, quas perpetuis iniuriis afficiebant Lusitani.

Huic fratrum petitioni contradicebat acriter frater Regis Muley Nazzerus, asseuerans fratres istos acceptæ sub prætextu Religionis arma è manibus non facile deposituros, neque deinceps in potestate regis futuros, cum arma homines

hominis faciant audaces, victoria vero insolentes, accedente itaque populi nouarum rerum auido. At vero Rex, qui multum tribuebat fratrum istorum sanctitati, leuiter æstimabat eorum, qui talia afferebant, argumenta, porrexitque ipse fratribus vexillum cum tympano æneo, prætereaque viginti equites qui eos deducerent, instructos litteris commendatitiis ad Dynastas & vrbes Maurorum & Arabum. Concurrebat ingens hominum confluges ad nouam hanc expeditionem, cum fratres isti Ducalensem peragrantes prouinciam, vsque ad Caput Aqueronium progressi fuissent, quod tunc ab Lusitanis obtinebatur: cumque multos secum traxissent, sumta audacia, petierunt à populo, qui ductum fratrum sequebatur, vt quando ipsi pro Lege Mahometi arma sumsissent aduersus Christianos, decimas Deo debitas sibi soluerent, quod Darenses omnium primi se facturos polliciti sunt: quorum præiudicio factum est, vt facile consentirent iis prouinciæ, Susana, Hæntis, Ducalensis & vicinæ.

Aucti ad hunc modum copiis, primum omnium occupauerunt Tedenestam, deinde Tesarotam, victo acie Barriga, duce Lusitanorum percelebri, quo tamen in prælio frater natu maior occubuit. Cumque blandis sermonibus obtinuissent, vt in Vrbem Marrocum admitterentur, sustulerunt Regem illum veneno, quo facto Hametus Xerifus se pro eo regem appellauit. Intulerant super his Arabes Ducalenses & Xarquienses bellum Garbiensibus, quos Xerifus mira vafritie inter se commiserat; cum autem viderent; multos vtrimque cadere, facta pace, negauerant Regi Fezzano potissimam tributi partem, pro omnibus quas pendere soliti fuerant opibus, sex duntaxat equos mittentes, & totidem camelos, strigosos quidem atq; macilentos. Rex iratus misit ad eos, qui quintam partem prædæ ab hostibus quondam partæ peterent, vna cum tributo, quod Rex Marrocanus soluere fuerat solitus, minatus atrocia quæque ni parerent.

Mortuo autem inter hæc Fezzano Rege, Hamedus filius eius, qui discipulus fuerat minoris Xerifi, facta pace, confirmauit Hametum in possessione regni Marrocani; ita tamen, vt Fezzanum superiorem suum & dominum Feudi agnoseret. At Xerifi, quorum potentia & auctoritas quotidiana capiebat incrementa, cum tempus soluendi tributi affuit, nunciari iusserant regi: Legitimos Mahometi successores non obligari ad soluendum vlli mortalium tributum, affirmantes, plus iuris sibi esse in Afros, quam Fezzano: qui si iis amicis in ea vicinia vti vellet, recte habere: si vero eos in bello aduersus Christianos impediturus esset, sensurum, Xerifis neque animum neque vires deesse. Excanduit audito hoc responso Rex Fessanus, cumque fratribus sine mora bellum indixisset, profectus ipse est ad Marroci Vrbis obsidionem; verum prima hæc eius expeditio irrita fuit. Reuersus autem secunda vice cum XVIII. equitum millibus, victus fuit à Xerifis, qui in exercitu suo habebant non plures VII. millibus equitum & MCC. peditibus. Hac victoria elatus Xerifus, imperauit toti prouinciæ tributum, transitoque Atlante Monte cepit Tafiletum, magni momenti oppidum, vnde partim vi adacti, partim persuasionibus in eius obedientiam venerunt, qui Montana per Numiæ regnum incolunt.

Cum anno A N.C.MDXXXVI. Xerifus iunior, qui iam se regem Susanum appellabat, satis validum collegisset exercitum, instructus insuper magno tormentorum æneorum numero, quæ partim Fezzano Regi ademerat, partim ab Apostatis Christianis fusa acceperat, statuit tentare Caput Aquerinum, magni momenti munimentum, quod tunc Lusitani obtinebant, quique illum locum fortissimum reddiderant, primo sumtibus Lupi Sequeræ. Cuius loci opportunitate cognita Emanuel Lusitaniæ Rex eum amplius etiam muniuerat. Hunc ergo locum cum Xerifus obsedisset, & ignem immisisset, territi præsidiarii à stationibus discesserunt, vnde ingressi Mauri, potiti sunt arce, & multos è Lusitanis viuos cepere. Hac victoria obtinuit Xerifus, vt totum illud Atlantis montis latus, cum vniuerso regno Marrocano & Arabibus, qui Portugalliæ Regi fidelitatem iurauerat, in suam venirent obedientiam: vnde Iohannes III. Lusitaniæ Rex, cum videret fructum nequaquam respondere sumtibus, sponte deseruit oppida Safinum, Azamorium, Arzillam & Alcazarem, quæ in littore Africano obtinebat.

Causa fuit hæc tam inopinata prosperitas magnarum inter fratres discordiarum, quarum hic fuit euentus, vt iunior reportatis duabus victoriis, maiorem bello captum Tafileto oppido incluserit: deinde bello in Fessanum Regem conuerso, cum eum prima vice cepisset, liberumque dimisisset, denuo eo potitus, quod fidem datam fefellisset, & ipsum eiusque liberos priuauerit vita, & occupauerit regnum. Et ad hunc quidem modum peruenit hoc Imperium in manus huius familiæ, quæ adhuc ibi rerum potitur: sed in tanta fortunæ mutatione, vt mirum sit, quo pacto in tantis vicissitudinibus consistere potuerit. Sed nunc, quo pacto singulæ prouinciæ gubernentur, videamus.

Primum quidem in Prouincia Hæntsi vix auditur nomen iustitiæ, præsertim inter monticolas, Viris Nobilibus vix aliquam Reipublicæ formam in oppidis conseruantibus.

In Prouincia Susana Telsienses olim fuerunt liberi, suisque vsi legibus: Sed nostro æuo habet Rex Marrocanus in ea Archiuum suum. Qui autem montana Prouinciæ Marrocensis incolunt, vt & Guzulenses, non sua sponte obediunt Principibus, vt & in aliis multis partibus fit. Summa regis Curia est Marroci, vbi est Tribunal Iustitiæ. Porro in omnibus Prouinciis & oppidis maioris momenti, certi constituti sunt Præfecti, quorum quæ sit conditio, in superioribus exposuimus.

Sed iuuat primo de Regibus Fessanis eorumque

que administratione dicere, qualis tunc fuerit, quum regnum hoc à Marrocano separatum fuit, vnde & de modo gubernationis, qui nostro tempore obseruatur in Aula huius Principis, fieri poterit coniectura. Non inuenimus autem quenquam ex Principibus huius partis Africæ Electione populi ad regnum peruenisse, neque Lex Mahometi quenquam legitimum Principem appellari sinit, præterquam Pontifices. Imminuta autem horum Pontificum auctoritate, proceres eorum populorum, qui deserta Libyæ Africæque habitabant, vi & armis oppressis legibus & consuetudine Mahometana, ipsis Pontificibus opposuerunt diuersos Principes, vt factum est in partibus Orientis ab Turcis & Tartaris eorumque vicinis, qui infirmioribus oppressis iugum dominationis suæ imposuerunt. Hoc pacto duæ familiæ Lontuna & Marina in Mauritania regnare cœperunt. Patet hinc Afrorum Principes non ea successione, quæ per Electionem fit, ad solium regium conscendere solere, sed vnumquemque morti vicinum agere cum Optimatibus regni, vti sibi defuncto subrogent filium in imperio. At hi, etsi plerumque liberaliter pollicentur, contemto tamen iuramenti fide, alii Diadema imponunt, à quo plus sperant emolumenti.

Igitur Rex Fezzanus, adeptus imperium, solebat quempiam è Nobilissimis regni magnum creare Consiliarium, eique assignare quartam partem prouentuum regiorum. Post hanc legebat sibi Secretarium, qui & Præfectus Ærario erat: & Magistrum Aulæ. Proximi ab hoc erant Magistri Equitum, qui Custodiæ regii corporis destinati erant, & fere in agro commorabantur. Quæque ciuitas habebat suum Præfectum Vrbanum, qui fruebatur redditibus vrbis, hac tamen lege, vt ipse aleret certum equitum numerum, qui ad quascunque belli occasiones præsto essent. Iis populis, qui montana incolebant, certi præerant Commissarii, vt & Arabibus, qui huius regis agnoscebant imperium.

Hi ius dicebant, non ex legibus, sed consuetudine cuiusq; populi, & exigebant tributa rege debita, deque iis in computorum Camera rationem reddebant. Hinc legebantur quidam Barones, vel, vt Fezzani eos appellant, Gardiani, possidebantque singuli singulas arces cum vno vel duobus pagis, quorum fructus ipsi percipiebant, vt se suosque liberaliter inde alere possent, Regique ad militiam proficiscenti suam commodare operam. His veluti Castellanis dabatur, cum bellum non erat, sufficiens ab rege alimonia, frumentum, butyrum, salitæ carnes aliæque res, sed argenti parum admodum. Cum ad ministerium regis sunt, vestes insuper accipiunt, neque magnopere curam gerunt equorum suorum, rege suppeditante omnia, etiam equisones & stabularios, qui fere captiui Christiani sunt, compedes pedibus ferentes. Cum vero in belli expeditionem eundum est, Camelis imponuntur, qui cum impedimentis exercitum sequuntur. Est & Præfectus Camelorum, qui pascua pastoribus distribuit, curamque gerit Camelorum qui vsibus regiis destinati sunt.

Hunc in ordine sequebatur Præfectus Annonæ, cuius partes erant curare vt alimonia suppeteret tam Regi quam exercitui: huius vsibus inseruiebant X. vel XII. prægrandia tentoria, quibus velut in horreis seruabatur alimentum, afferentibus subpræfectis quotidie nouam annonam Camelis impositam, ne quid deesset. Huic coqui & culinarii suberant.

Regii Stabuli Præfecto incumbebat cura equorum, mulorum & Camelorũ, cui adiunctus erat alius, qui suppeditabat iumentis pabulum, suffecto ordeo & auena. Præfectus alius alæ equitum quinquaginta, quos celeres appellare possis, imperat magistratibus per vrbes & oppida nomine regis iudiciorum executiones & confiscationes. Est penes hunc etiam in magnæ auctoritatis viros animaduertere, compingere eos in carcerem, &, si rex iubeat, suppliciis afficere.

Cancellarius custodiebat sigillum regium, muniebatque eo diplomata & edicta. Præfectus satellitum, quorum ingens est numerus, semper adstat regi, quoties exterorum Principum Legatos audit. Rege iter faciente, supellex eius & tentoria mulis portantur: militum vero impedimenta Camelis. Exercitum præibant ducebantque certi quidam ductores, gnari viarum itinerumque; hi & vada monstrabant, quoties transeundum erat flumen aliquod. Tympaniſtarum magnus erat numerus, tympana percutientium facta ex ære, ab summa parte lata, & ab imo in acumen desinentia. Equis hæc de collo suspendunt, cum æquo pondere oppositio, habeturque res omnium turpissima, amittere tympanum. Percutiuntur autem non bacillo, sed neruo taurino durissimo, vnde ingens cietur sonus, qui longissime exaudiri potest. Non aluntur hi impensis regis, sed cogunt. Fessani ciues eorum certum præstare numerum, quorum vsus est non tantum in exercitu sed & exequiis Regum.

In consiliis publicis assidebat ad pedes Regis Magister Ceremoniarum, qui Senatores iubebat dicere sententiam, vt ordo & dignitas eorum exigebat. Aula regis plena erat ancillis Aethiopici generis, qui curam gerebant cubiculorum Reginæ: quanquam & multæ mulieres Christianæ ibi seruiebant, Hispanæ fere siue Lusitanicæ, quas custodiebant Eunuchi atro colore tincti. Rege aliquo ab aula proficisci volente, Ceremoniarum Magister hoc significabat Cursoribus, & hi rursus agnatis regis, præfectis prætorianorum atq; vigilum, aliisque, qui equo stipendia merent, vt omnes conueniant loco quodam extra palatium. Ibi progrediente rege instruunt cursores agmen, quo ordine quisque debeat incedere. Primi eunt, qui signa explicata ferunt; hos sequuntur tympaniſtæ, deinde Magister Ceremoniarum, Magister Stabuli, Præfectus Ærario, Secretarius Regius, Iudex

D

Dux exercitus. Hos omnes sequitur Rex, comitatus Magno Consiliario & vno alteroq; Principe.

Quidam è primis ministris præfert regi gladium, alius scutum, tertius arcum pharetramque. Currunt circa eum stipatores corporis, quorum vnus fert bipennem regis, alius sellam regiam; qui simulac pedem in terra posuit, apponitur ei sella, in qua consideat. Regem sequitur Præfectus satellitum, deinde Eunuchi, hinc cæteri domestici; postea equites leuis armaturæ, postremò sclopetarii & sagittarii.

Rege in castris versari volente, primum omnium erigitur ingens tentorium, quod linteis cingitur velut castellum aliquod muris suis.

Sunt huius tentorii portæ siue aditus IV. constitutis ad singulas aliquot Eunuchis excubitoribus. Circum hoc sunt tensa Ministrorum regiorum tabernacula, & eorum qui frequentius circa Regem versantur. Extra has visuntur papiliones prætorianorum stipatorumque, è pellibus caprarum, cuiusmodi & Arabes habent. Paulo longius absunt tentoria equitum vtriusque armaturæ, quibus è penu regio suppeditatur victus. Equi regii in locis quibusdam contectis stabulantur: à quibus non longe spectantur muliones & custodes impedimentorum regiorum, & macella laniorum. Separatim ab his habent mercatores & opifices suas tabernas, vt ita veluti vrbis quædam species se oculis offerat, cui pro muro sunt tabernacula militum contiguo ductu inter se iuncta, ne quis castra intrare possit nisi per portas. Circum tentorium Regis arctissimæ constituuntur custodiæ & stationes vigilum.

Idem fit circa stabulum regium: & tamen sæpe fit, vt stertentibus custodibus equi furripiantur, nec hoc duntaxat, sed & in ipsum Regis cubiculum irrepant insidiatores & Sicarii vitam eius appetentes. Vix autem abit vllus annus, quin rex in campo castra habeat, cum vt regno suo præsidio sit, tum vt in fide & officio contineat vacillantes Arabes.

Et hæc quidem de Fezzani regis aula eiusque comitiuis dixisse sufficiat, videamus iam cætera. Cum panni Fezzæ vendantur quotannis prope infiniti, constitutum est eo nomine vectigal, & circiter LX. præcones, qui signatos approbatosque illos pannos magno clamore venditant. Pharmacopolæ peculiarem ciuitatis partem inhabitabant, quæ vtrimque muro cincta duas habebat portas, constitutis præterea eorũ sumtu certis excubitoribus, qui tota nocte circuibant cum lucernis & canibus ad arcendos fures. Magistratus vrbani, etsi non erant in magna auctoritate, dicebant tamen ius litigantibus. Ad Præfectum vrbis pertinebat cognitio causarum tam Ciuilium quam Criminalium: ad Iudicem vero Vrbanum controuersiæ super legibus Mahometi. Inferior Iudex, qui ab hoc dependebat, ferebat sententiam in causis Matrimoniorum, audiebat testimonia & de causis pronunciabat. Aderat huic Aduocatus, qui consulebatur in causis grauioribus, dabaturque ad hunc à iudicibus prouocatio, si male iudicauissent. Ex pœnis multisque grandem pecuniæ vim cogebat Præfectus Vrbis, quanquam & grauius delinquentes fere flagris cæderentur, contusi ictibus aliquando C. aliquando CC. Hinc carnifex iniiciebat collo funem, raptabatque facinorosum per totam vrbem nudum, præter verenda, altaque voce proclamabat, quodnam admisisset flagitium. Percipiebat autem præfectus non à maleficis duntaxat, sed ab omnibus qui in carcerem concludebantur, certam pecuniam, pro qualitate delicti. Iudices qui ex Lege Mosis sententiam ferebant, nulla certa habebant stipendia, sed alebantur fere ex redditibus sacrarum Ædium, vt apud nos Sacerdotes & Clerici.

Procuratorum & Causidicorum in his locis magna erat ruditas & ignorantia. Eos qui alienum æs dissoluere non poterant, certo quodam carcere cohercebant Iudices, & alio eos, qui vel leuiter deliquissent. Præfecti Vigilum in Vrbe erant IV. qui de nocte excubias obibant, nec alia his numerabatur merces, quam multæ, quas ab iis percipiebant, qui in plateis deprensi fuissent. Omnibus erat licitum, tabernam siue popinam habere, & artem Lenoniam exercere.

In ferenda sententia Præfectus Vrbanus neque Iudicum neque Notariorum opera vtebatur, sed pronunciabat ex suo arbitrio, prout ipse volebat. Publicanus vnus præ cæteris erat in ciuitate, qui locata habebat vectigalia, pendebatque singulis diebus Regi XXX. Ducatos, ipse vero constitutos habebat ad singulas portas Sycophantas suos cum scribis, qui merces quæ inferebantur consignabant, ne quis posset interuertere telos. Sed & scribæ Notariive isti certum percipiebant precium ex omnibus quæ importabantur rebus, qui aliquando baiulis mulionibusque extra vrbem obuiam prodeuntes, scrutabantur eorum sarcinas; si quis quid occuluisset, duplex cogebatur soluere vectigal: eratq; hoc tale, vt venditor de C. ducatorum precio duos numeraret publicano. De frumento tamen, ligno, bobus & volatilibus, vt & carne veruecina, quæ inferebatur, nullum soluebatur tributum. Vt autem iusta rebus venalibus constarent precia, solebant XII. apparitores per vrbem equitare, & examinare pondera panis atque carnium, earumque bonitatem, & aliarum rerum venalium.

Si pistores panem vel leuiorem vel nequiorem fecissent, Agoranomus eos baculis flagrisque contundebat, vt parum abessent à lumbifragio. Et hoc quidem officium superiori seculo soli Nobiles sibi vendicabant: at nostro æuo viris prudentibus committitur, qui in magna probitatis sunt existimatione.

Est in vrbe Fezza carcer tantæ amplitudinis, vt captiuorum III. millia capere possit, neque diuiditur in certa ergastula, cum moris apud Mauros non sit separatos habere carceres. Habes, Lector, ea, quæ de hoc regno ad nostram peruenere notitiam: nam quæ de Fezzano diximus, ea

pleraque omnia obseruantur in regno Marrocano, vt non magna, præsertim nostro æuo, hic deprehendatur differentia.

Religio & cultus Maurorum.

Plerique omnes vtriusque huius regni incolæ sunt Mahometistæ, præter mancipia, de quibus in fine huius historiæ dicemus. Sunt autem inter ipsos Mahometistas plures sectæ, quarum vnaquæque suos habet Antistites & Doctores, qui opiniones suas defendunt. Quidam enim non contenti simplicibus Alcorani verbis, ad altiorem sensum adscendunt, cõtradicentes multis: quæ in ea lege perscripta sunt. Cepit autem hæc secta circiter LXXX. annis post Mahometum, fuitq; auctor eius quidam nomine Elhesemnu Abilhasem, qui dogmata sua viua voce discipulis ttadidit, nullis relictis scriptis. Centum annis posthunc alius quidam vir ad concitandas seditiones aptus, cui nomẽ erat Elharit Ibnu Esed, è Bagadeto vrbe ortus, conscripsit librum, eumq; discipulis suis tradidit. Verum Pontifices hæresin hanc repudiauerunt, omnesq; eos, qui huic adhæsissent, impios in legem Mahometi pronunciauerunt.

Octogesimo anno post vir quidam miræ versutiæ hoc dogma in lucem reuocauit, qui & stipatus plurimis discipulis id publicis populo proposuit concionibus: quam ob rem à Pontificibus & Legistis ipse cum toto suo comitatu Capitis damnatus est. Intellecto hoc petiit Doctor ille per litteras è Pontificibus, vti sibi liceret disputatione aduersus Legisperitos doctrinam suam defendere, hac conditione, vt si victus ipse fuisset, capitis afficeretur supplicio: si vero vicisset aduersarios, vt ipsi mortis adirent periculũ, ne circumuenti tot homines calumniis perirẽt. Intellecta petitionis æquitate, Pontifices consenserunt in eius postulata. Cum ad disputationem ventum fuisset, nullo prope labore Doctor iste Legistas vicit, vt Magnus Muftius multis profusis lacrymis in eius concesserit sententiam, cui secta adeo fauit, vt aliquot erexerit Collegia proiis, qui huius erant opinionis. Durauit hæc secta annis circiter centum, donec Asius Malichsa, qui genus à Turcis ducebat, eam acriter persequi cœpit, vt multi eius hæreseos assectæ Cayrum in Ægyptum fugerent, alii in Arabiam, nec ante decursum vigesimi anni persecutio illa finem inuenit, vsque ad regnum Caselhahi, qui nepos fuit Malichsæ: cuius Consiliarius nomine Nicam Elmula eam restituit atque denuo stabiliuit, adiutus à quodam Elgazulo homine docto, qui ingens Volumen composuit in libros VII. diuisum, quo pacem inter Legistas fecit hac lege, vt illi quidem salutarentur Doctores & Conseruatores Legis Propheticæ: hi vero Reformatores eiusdem.

Durauit concordia illa, donec Bagadetum Tartari vastauerunt quod contigit anno Æræ Mahometicæ DCLVI. neque tamen diuisio illa nouatoribus quicquam nocuit, cum omnis iam Asia & Africa illa doctrina repleta fuisset. Non recipiebantur inter sectatores huius dogmatis nisi homines multæ scientiæ, & in lege patria versatissimi, vt possent confutare contradicentes. Postea tamen & rudes inertesque recepti sunt, quod quidam dicerent, artibus scientiisque nihil opus esse, sed Spiritum Diuinum docere eos, quibus cor à viciis purum esset: cui suæ sententiæ nescio quas infirmas rationes substruebant. Omissis igitur regulæ suæ præceptis, tam superfluis quam necessariis, non alias quam Legistæ in sacris suis officiis obseruabant ceremonias: in cæteris rebus indulgebant genio, agitantes conuiuia, cantantes & choreas ducentes, quod hæc omnia legibus suis permissa dicerent. Quidam inter eos lacerabant vestimenta sua, dum alii cantillabant, fingentesque nescio quos raptus, diuino amore se plenos esse simulabant, vorantes interim singuli tantum ciborum, quantum tribus hominibus satiandis sufficeret. Quidam miscentes lacrymis varios clamores, præposterum puerorum amorem non diffitebantur, exercentes hæc insaniæ genera potissimum, cum à Nobilibus Viris ad conuiuia inuitati fuerunt. Vnde hoc Pæderastias vicium Fezzæ vulgo vocatur Conuiuium Peregrinantium; per peregrinantes autem intelliguntur destituti vxoribus.

Habent insuper Sectæ quædam Mahometicæ absurdas opiniones, quas cæteri omnes pro Hæreticis habent, & communi fidei aduersantes, qualis hæc est: posse hominẽ beneficio bonorum operũ induere naturam plane diuinam & Angelicã, si crebro ieiunet & à voluptatibus abstineat: ieiuniis enim cor hominis & intellectum purum effici, vt amplius peccare non possit, etiamsi inclinatio ad vicia adsit: necesse autẽ esse, vt prius quinquaginta gradus Disciplinæ superet: quibus euictis delicta eius apud Deum ne peccatorum quidem habere rationem. Sic absterra & continente vita orsi, postremo in delitias moresq; diflolutos desierunt.

Aliam regulam non minus strictam acerbamque habent Mahometistę, cuius auctor fuit Esserauardus, oriundus ex Corasana prouincia Persidos. Ibnud Farid omnem suam doctrinam elegantibus versibus complexus est, quos, cum sint Allegoriarum pleni, si leuiter inspicias, de rebus amatoriis tractare putabis. Tam præstans fuit hic Poeta, vt sectatores eius in festis conuiuiisq, non alios canant quam hos versus, quod intra proximos CCCC. ann. nemo mortalium eo disertior fuisse putetur. Continetur illis carminibus, Cœlum, Elementa, Planetas cæterasq; stellas, hæc omnia iunctim vnius Dei nomine capi oportere, neque vllam Religionem erroneam dici debere, quod homines id quod adorant, certo pro Deo habeant, qui adorari mereatur: dicentes præterea, quendam suæ sectæ hominem, nomine Elcobum præ omnibus mortalibus ad summum Diuinæ scientiæ culmen adscendisse, Deoq; parum factum fuisse. Sunt inter hos quadraginta viri, qui vulgo Elauredi, id est, Trunci vocantur, quod è vili plebe orti sint parum.

parumque scientes. Ex his aiunt quendam Elcobo mortuo successisse, electum sorte à LXX. senioribus. Ex his LXX. si quem mori contingat, ex DCCLXV. Viris, alius ei sufficitur. Vultlex eorum, vt incogniti per Orbem vagentur, simulantes se vel fatuos vel facinorosos, vnde in tantam proruunt turpitudinem, vt cum mulieribus publice congrediantur, instar brutorum: interim tamen à rudi plebecula pro sanctis hominibus habentur.

Sed nunc, si placet, videamus, quis primus Mahometi impietatem in Mauritaniam Numidiamque introduxerit.

Igitur Omar, dux militum Ottomanni, cum Ægyptum sibi subegisset, introduxit secum superstitionem Mahometanam, ann. A N.C. DCXXXVII. Idem postea in Africam perrexit cum exercitu LXXX. millium hominum, ibiq; deuicto Gregorio Patricio, eiecit in perpetuum tota Romanos Africa, & præsidia Apsymari & Leonis Imperatorum, vnde tota Mauritania Mahometistæ potiti sunt. Accidere hæc anno A N.C. DCXCIX. Hanc tamen infelicitatem multis modis auxerunt Arabes, tam bello & armis, quã conuersatione & prædicatione propagantes Mahometismum. Multum horum conatus iuuit, quod magna Afrorum, Vandalorum & Gothorum pars infecta erat hæresi Arriana. At Arabes cum doctrina etiam litteras suas Afros docuerunt, erectis Collegiis studentium, & assignatis certis prouentibus ad excitandas immensas structuras Marroci & Fessæ. Plurimum tamen fecit ad rem victoria Miramolini de Afris, à cuius temporibus Mauritania Mahometi dogma conseruauit.

Sunt in hoc Imperio etiam Iudæi, qui cum vehementer aucti fuissent in Hispania, traiecerunt paulatim in Africam, inprimis Aurifices. hoc enim artificium prohibetur Lege Mahometi, Iudæis verò id exercere licitum erat. Aiunt quidam Edeuetum oppidum prouinciæ Marrocensis habitatum fuisse à Iudæis è familia Dauidis ortis, qui tamen deinde fere omnes in Mahometi deliria conscesserunt.

Multo autem magis auctus est Iudæorum numerus in Africa, postquam Ferdinandus Hispanorum rex, cognomento Catholicus, & Emanuel Lusitanus eos suis eiecere regnis: tunc enim incredibilis multitudo in hæc duo regna migrauit, introductis secum artibus & exercitiis Europæorum, quæ Barbaris istis antea ignota fuerant. Videas adhuc integras plateas Iudæis plenas in oppidis Beli, Tezza, Elmedina & Semegessa.

Qui Christiani in vtroque hoc regno commorantur (exceptis iis locis quæ in Lusitanorum sunt potestate) prope omnes seruitutem seruiunt, estque ingens eorum numerus vltrà quam credi possit. Miserrima profecto est horum conditio, accedente ad calamitates corporum etiam periculo salutis animæ, ne seducantur à Barbaris. Neq; enim diem tantum in perpetuis transigunt laboribus, sed & bonam noctis partem, oppressi oneribus & flagrorum ictibus. Maior autem iure dici apud nos potest iumentorum felicitas, quam miserorum illorum hominum inter lupos istos: onusti enim catenis ferreis verberantur fustibus è neruis bubulis durissimis, & perticis vnde circuli doliorum cõficiuntur: deliquium animi passi, feruentis olei & ardentis laridi guttis conspergunt, destituti interim diuini verbi concionibus & solatiis animi Sacramentisq; Ecclesiæ Christianæ, vnde facile colligi potest, in quãto sint periculo Apostasias, si videãt eos qui à Christianismo defecerunt, omnibus affluere voluptatibus. Duæ tamẽ res aliquã iis adspergunt cõsolationem in tantis istis calamitatibus: primo quod quidam Sacerdotes pariter ac cæteri captiui inter ergastula illa versantur, qui verbum diuinum annunciant & Sacramenta conferunt, quantum quidem licet: deinde, quod quidam Religiosorum hominum omnes suas facultates in eos liberandos impendere soleant. Digna autem in hoc genere omni laude est Hispania, in qua duo sunt Religiosorum ordines, instituti ad eximendos misera seruitute captiuos. Prior in Arragonia frequens est, nominaturque de Mercede; alter, qui multo opulentior est, dicitur expresse Ordo Redemtionis captiuorum. Conferunt hi duo Ordines singulis annis magnam vim auri, quo plurimos captiuos redimunt. Mittunt hi Redemtores certos quotannis homines Fessam, Marocum & Argeriam, qui magna fide industriaque in hoc versati officio, primo ordinis Ecclesiastici viros redimunt, deinde cæteros, facto initio ab iis, qui Hispani regis subsunt dominio. Est autem Fezzæ sacerdos quidam, qui diligenter obseruat necessitates captiuorum Christianorum, vt facilior sit eorum postea redemtio. Et sane hæc res propius tãgit Hispanos quam vllam aliam nationem, cum plures hic ex ea natione seruiant, quam ex omnibus cæteris Orbis Christiani prouinciis.

Vltimum quod hoc loco dici debet, est, quod Mauri in Regnis Marrocano & Fezzano multum differant in capitibus delirij Mahometici à sententia Turcarum, inter quæ hoc quoq; est, quod Mauri Calipham Bagadeti caput suum agnoscunt in rebus ad cultum diuinum spectantibus: Turcæ vero ei, qui Cayri in Ægypto residet, præstent obedientiam.

ARCHONTOLOGIAE COSMICAE, LIBRI SECVNDI DE MOnarchis, Regibus & Principibus Asiæ & Africæ

FINIS.

ARCHON-

ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ,

Liber Tertius

ORIGO ORDINVM MILITARIVM, TAM REGVLARIVM, QVI A S. SEDE SVB ALIQVA REGVLA ET DISCIPLINA APPROBATI FVERVNT, QVAM SECVLARIVM, ab Imperatoribus, Regibus & Principibus Christianis institutorum, cum eorundem insignibus & Symbolis.

1. QVANDOQVIDEM in animũ induximus, ad calcẽ huius Tractatus ostendere, quo pacto hortus amænus Ecclesiæ omnibus seculis & ætatib. varietate cætuum ornatus & excultus fuerit, qui tanto suauiorẽ odorem per vniuersum orbem diffuderunt, quo magis se clausſtris & monasteriis suis includerũt, sicut pulchri & odori flores eo gratiorem odorem spirant, quo magis premuntur: non abs re erit, si de iis nunc aliquid præmittamus, qui instar moschi aut succini plus odoris exhalant, quo magis publico exponuntur.

De Ordinibus Equitum loquor, qui velut alteri Maccabæi bella Domini gesserunt, & vera fortitudine prædíti válido suo brachio & generoso animo multoties terrorẽ hostibus sui Redemptoris & sanctæ religionis, quantumuis potentibus & formidabilibus, incusserunt, vt sicut priores illi in suis septis contra hostes inuisibiles decertant, hi visibiles in acie cæderent & profligarent: fine eodem vtrisq; proposito, vt nimirum Ecclesia pace frueretur, & Seruator mundi dominus totius orbis agnosceretur.

Ille igitur cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, vt vim suæ victoriæ & triumphi de spiritualibus & corporalib. hostibus manifestã faceret, statim post natiuitatem suæ Ecclesiæ, cum bonam partem ædificii sanguine martyrum cæmentasset, effecit, vt non tantum animi tranquilli & pacati se per omnem vitam sanctitati deuouerent, sed etiam bellicosi fortitudinẽ suam & arma cum incremento tum protectioni & defensioni Religionis Catholicæ consecrarent. Quo factum est, vt monarchæ & potentissimi orbis Principes sub illius vexillo militarẽt, quem prius sæuo & cruento bello persequebantur. Cuius rei testes sunt Constantinus Magnus, Valentinianus, Theodosii, & alii complures Imperatores, qui omnes crucem in suis insignib. gestare cœperunt, quanquã diuerso colore: quidã candido, aliqui viridi, nonnulli rubro, alii alio colore: ea propemodum forma, qua Constantino Magno in cœlo apparuit, quæ ad dextrũ latus A, ad sinistrum Ω, & in medio labarum, nempe X, & P, inter se colligata, & in quatuor oris fimbriata, habebat. Cumq; pauca fuerint regna & resp. in mundo, quæ non aliquẽ Ordinẽ Equitum habuerint: æquũ fuit, quosdã cætus institui eorũ, qui Ordinẽ gererent Regis Regum, & se ipsius ministerio peculiariter consecrarent. Quapropter vulgo creditur, Ordinẽ Equitum S. Sepulchri tempore Constantini magni iam fuisse institutum. Nam cum S. Helena, ipsius mater, Ierosolymã profecta esset, vt S. Crucem & S. Sepulchrum inuestigaret, illis per diuinam reuelationem repertis, pro gratiarum actione templum magnificentissimum in honorem glorioſæ resurrectionis Iesu Christi excitavit, quod tractu temporis in monasteriũ Canonicorum regularium S. Augustini conuersum fuit. Custodiam autem S. Sepulchri quibusdam nobilib. ex suo comitatu cõmisit: qui fuerunt primi Equites huius Ordinis. Atq; ille postea eo loco perstitit & constabilitus fuit: adeo vt eo quoq; tempore, quo Saraceni & Turcæ totum Orientem, & in specie Palæstinam, in suam potestatem redegerunt, & tyrannidem atq; omne genus crudelitatis in Christianos, qui Ierosolymæ erant, exercuerunt, hi persoluto annuo tributo tolerarentur, qui tamẽ non immunes fuerunt malorũ, quæ fideles perferebant, barbaris illos, quacunq; possent ratione, vexantib. & affligentibus. Præcipuum ipsorũ munus fuit custodire S. Sepulchrum, bellum summis viribus aduersus infideles gerere, redimere captiuos, singulis diebus, quib. possent, Missam audire, re-

citare horas Crucis,& gestare quinq; cruces rubras in memoriam quinq; vulnerum Domini nostri. Quidam eorum originem & institutionem ad Apostolum S.Iacobum, episcopum Ierosolymitanum,referunt, qui mortem pro fide subiit, anno LXIII. Ob hanc causam Equites huius Ordinis Patriarchæ Ierosolymitani imperio subiecti esse videntur.

Institutio Equitum Ordinis Sanctæ Ampullæ in æde S.Remigii Durocortori Remorum.

2 Clodouæus,primus huius nominis,& primus Rex Christianus in Gallia, conuersus ad fidem Christianam instinctu Clotildæ,vxoris ipsius,filiæ Regis Burgundiæ,Christianismo per Baptismum initiatus fuit à S. Remigio in templo Remorum,& antequam sacro fonte ablueretur,de religione Christiana & Catholica coram Deo & hominibus protestatus est. Hic euidens miraculum accidit. Nam cum non reperiretur oleum chrismatis in vase ordinario ad tantum hunc regem vngendum, conspecta fuit columba candida,quæ phialã crystallinam, oleo sacro & diuino plenam,quod cælitus missum erat, vt hic defectus miraculose suppleretur, tenebat: qua delata in manus reuerendissimi archiepiscopi S.Remigii,ille Regẽ vnxit. Inde eluxit singularis cura, quã Deus semper de salute & incolumitate nostrorũ regũ habuit,qui ab eo tempore titulũ Christianismi vsurparũt. In cuius rei memoriam hodieq; religiose seruatur phiala illa sacro oleo plena, quæ S. Ampulla vocatur,ex qua fere omnes Reges Galliæ deinceps vncti fuerunt,in templo Abbatiæ S. Remigii, Durocortori Remorum.

Pietas huius magni Regis Clodouæi,ad fidem Christianam conuersi,ipsum impulit,vt in testimonium suæ gratitudinis pro singulari hoc beneficio, quod à Deo acceperat, qui ipsum vnctione olei cælitus demissi Christianismo initiauerat, templũ illud S.Remigii magnis prẽmiis, reditib.& priuilegiis ornaret. Atq; in memoriã sui zeli& affectus erga illius loci Ecclesiam,quatuor Barones, viros nobilissimos, illius beneficiarios creauit, vt essent Equites S. Ampullæ: quem Ordinem instituit, vt sanctum hoc ornamentum & veræ religionis tesseram honoraret.

Hi Equites S. Ampullæ magnis & eximiis priuilegiis fruuntur, quæ ipsis à Regibus Galliæ, diebus consecrationis & coronationis eorum confirmantur.

Diebus illis quatuor Equites Barones tenentur ex officio gestare vmbellam, sub qua sancta Ampulla, solenni pompa, à templo S. Remigii vsq; ad ædem B. Virginis in vrbe Remorum à cænobiarcha Abbatiæ defertur, & inde refertur,cæremoniis illius consecrationis peractis.

Nomina Baronatuum Equitum S.Ampullæ sunt hæc: 1.Baronatus Antri, cuius territorium patronum agnoscit Archiepiscopum Remensem,& feudum est Abbatiæ S.Remigii: propterea illius possessor hoc iuris habet, vt se dicat primum Vasallum, Baronem & Equitem dicti Archiepiscopi Remensis,& vt portet primum scapum dextrum vmbellæ,quando S. Ampulla Remigii ad B.Virginis ædem defertur.

II. est Baronatus Nououisianus.

III.est Baronatus Lourecianus.

IV.Loco quarti in cæremonia alius substituitur,propterea quod is, qui debebat esse Eques, & suum ordinem tenere, est addictus religioni Protestantium.

Ordo Equitum S.Mauricii & S.Lazari inter Sabaudos.

Communis opinio est,Ordinem S.Lazari institutum fuisse tempore S.Basilii magni,vt refert S.Greg.Nazianzenus.Basilius enim nosocomiũ condidit,sub titulo S.Lazari, qui postea nomen dedit huic Ordini:cui rei fidem facere videntur tot Lazarorum ædes per totum orbẽ Christianum sparsæ. Cũ vero prima hæc institutio à primis suis incunabulis extincta fuisset,propter irruptiones barbarorum, & alias iniurias primorum illorum temporũ, visa est renasci & instaurari hoc felici seculo, quo Principes Christiani, sancto fœdere iuncti, Ierosolymam & alia loca Terræ sanctæ Saracenis eripuerunt, Equitibus huius Ordinis magna charitate in sua nosocomia recipientib. fideles, qui ex omnib. Europæ regionibus ad tam felicem expeditionem confluebant,& sumptus ad tam gloriosam Christianismi propagationem conferentibus : propter quæ officia Principes Christiani multas domos & hæreditates ipsis donarũt, an. MCLIV. quæ donationes diplomatis Pontificum Alexandri IV. Nicolai V. Clementis IV. Ioannis XXII. & Gregorii X. confirmatæ fuerunt.

Profitentur regulam S. Augustini,& pro insigni sui Ordinis gerunt crucem viridem, quam Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, postquã magnus eorum Magister à Gregorio XIII. cõstitutus fuisset, & hunc Ordinem cum Ordine S. Mauricii coniunxisset, limbo candido circumdedit,in cuius medio cruce S.Mauricii inclusit.

Quod ad Ordinem S.Mauricii attinet, Annalium Sabaudiæ scriptores referunt, eum huiusmodi originem habuisse.Amedæus,dux Sabaudiæ, qui cũ ad supremũ Pontificatũ euectus fuisset,nomẽ Felicis V.assumsit,relictis reb.omnibus,Ripallam ad Lacum Lemannum concessit, decem Equitibus ex illustribus familiis comitatus, vbi vitam Eremitæ amplexus est, in cœnobio,à maioribus ipsius in memoriam & honorẽ S.Mauricii condito, longa toga coloris cinerei indutus, quam zona inaurata cinxit, pallio superiecto,eiusdem cum toga coloris, cui crux, auro texta,inserta erat.Franciscus Modius in suis Pandectis asseuerat,hos Eremitas,quos appellat Equites S.Mauricii,hoc habitu interfuisse consecrationi Felicis V.fundatoris sui,anno MCCCCXL.atq; ita ostendit,quo in Ordine vixerit, & quem habitum nouus hic Pontifex gestarit, antequam ad Pontificatum eueheretur.

Ordo Equitum Canis & Galli gallinacei, in Gallia.

Auctores nihil certi memorãt de institutione horum duorum Ordinum, qui tamen Momorenciorum familiæ tribuuntur. Primus

Primus, quoniam gentiles illius familiæ super cristam galeæ canem gestant. Philippus Moreus in suis tabulis de insignibus Galliæ scribit, Buchardum Momorencium venisse in aulam Regis Galliæ Philippi primi huius nominis, multis Equitibus comitatum, qui omnes torquem capitibus cerurorum refertum gestabant, à quo pendebat effigies canis, vt significarent fidem & sincerum affectum, quo ministerio, protectioni & defensioni reipu. Christianæ & inprimis Galliæ addicti essent, simulq; antiquitatem suæ nobilitatis indicarent, cuius symbolum fuit canis apud omnes nationes: quemadmodum obseruauit Lipsius, Epist. XLIV. Centur. I.

De Ordine Galli gallinacei illud solummodo dici potest, quod illi, qui genealogiam illustris illius familiæ descripserunt, referunt, Petrũ quendam Momorencium illius Ordinis Equitem fuisse. Quidquid sit, verisimile est, hunc Ordinem pro insigni vsurpasse Gallum Gallinaceum, quoniam inter omnes volucres maxime Martialis est. Veteres eum pullum Martis vocabant. Interdum hierogliphice denotauit victoriam & vigilantiam: quo Equites isti innuere voluerunt, se esse bellicosos, vigilantes & victoriosos.

Ordo Equitum Asturconis in Gallia.

Qui frequentem annulorum vsum in Galliam inuexit, Carolus Martellus fuit, potens & magnanimus Princeps, qui languens Regum nostrorum sceptrum in integrum restituit, ita vt rebelles & infideles formidabilem eius vim senserint.

Sicut autem hic Princeps naturaliter ad arma propensus fuit, ita Ordinem Equitum instituit, quos Asturconis vocauit, propter vxorem suam Hallanam dictã, cui nomen erat Ioanette, quamque ipse Ianettam appellare solebat, voluitque, vt effigiem huius animalis insignibus suis insculptam gererent. Bellaius tamen aliter sentit, & existimat, inuictum hunc Principem, fusis Saracenis in memorabili illo prælio prope vrbẽ Cæsarodunum Turonum, An. DCCXXXVIII. commisso, vt memoriam illius perpetuaret & futuris seculis fortitudinem Gallorum, quorum opera maxime victoriam illam obtinuerat commendaret, nomen Asturconis huic Ordini imposuisse, propterea quod gentem illam debellasset, quæ Asturiam Hispaniæ regionem incolit, sic dictam, quod illo animalium genere abundet, quæ sunt species mustelæ, vel potius vulpis, quorum pellis albo & cinereo colore distincta est, intermixtis elegantibus maculis, candidis & nigris. Hic Ordo durauit vsque ad regnum S. Ludouici.

Ordo Equitum Lilii, in regno Nauarreno.

6 De regno Garciæ VI. regis Nauarræ, qui Nugerius cognominatus à loco, in quo natus, educatus, plerunque conuersatus & sepultus fuit, antiquæ historiæ regni Hispaniæ memorant, imaginẽ Beatæ Virginis, quæ est in templo monasterii regii huius vrbis fuisse miraculose repertam: in cuius honorem optimũ hunc Regem & Tienettam, coniugem ipsius, ex familia Foxia & Candalæ prognatam, monasterium S. Benedicti condidisse: sed Garciam solum instituisse Ordinem Equitum Lilii, qui pro insigni gerunt ollam cum liliis, in qua depicta erat imago B. Virginis, & voluit, vt togæ Equitũ essent splendidę, magno artificio cõfectæ, & auro ac gemmis radiantes. In hunc Ordinem filii regum & multi magnates Galli & Nauarreni atq; etiã exteri adscribebãtur.

Equites huius Ordinis, ex præscripto Garciæ, primi auctoris, tenentur tueri ac defendere fidẽ Catholicam contra omnes ipsius hostes, & pro viribus amplificare: item singulis diebus recitare quasdam precatiunculas, & certum numerum Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ. Ferdinandus Arragoniæ, qui fuit dictus Infans Antiqueræ, an. MCCCCIII. nomen dedit huic Ordini, cum aliquot aliis, non tam generis nobilitate quam virtute præcellentibus, eumq; solenni ritu in templo B. Virginis antiquæ in vrbe Methymna suscepit: cuius symbolum erat olla Lilii cum grypho.

Ordo Equitum S. Ioannis Ierosolymitani, qui iam Melitenses vocantur.

7 Quidam initium huius Ordinis attribuunt Ioanni Hircano, qui fuit vnus ex Maccabæis: alii S. Ioanni Eleemosynario, patriarchæ Alexandrino; quanquam Equites huius Ordinis vota sua S. Ioanni Baptistæ nuncupant, eumq; suum patronum agnoscunt. Alii existimant, hunc Ordinem primum institutum à quodam Girardo, qui tempore Gothofredi Bullionæi, cum Ierosolymam venisset, vt loca sancta visitaret, extraordinario quodam zelo incitatus, ope quorundam aliorum nobilium, quorum animum eadem religio incesserat, Xenodochium S. Ioannis Ierosolymitani exstruxit: atq; ita prima huius Ordinis fundamenta iecit, cuius Equites à primo ipsorum domicilio Hospitalarii appellabantur.

Papa Gelasius II. primus hoc institutum probauit. Vestis ipsorum fuit toga, cui inserta erat crux candida octogona, vt esset nota puritatis ipsorum, & octo beatitudinum, ad quas adspirarent: idq; ex concessione Papæ Honorii II.

Officium ipsorum erat, vt eos, qui ex omnibus orbis partibus loca sancta visitatum venirẽt, cum omni charitate exciperent, in itinere comitarentur, & contra Arabes omnesque alios infideles tuerentur, contra quos, Principum Christianorum opibus atq; auxiliis subnixi, instructos exercitus duxerunt, eosq; feliciter profligarunt.

Vrbem & insulam Rhodum occupauerant, quã postea rursus amiserũt, à Solimanno II. Turcarũ Imperatore inde eiecti. Cum eam tenerẽt, Equites Rhodii dicebantur. Postea Carolus V. Imperator insulam Melitam ipsis donauit, quam semper fortissime defenderũt, inprimis in gemina illa obsidione Turcarũ, quam magna virtute sustinuerunt, vnam sub Solimanno modo dicto, alterã sub Selimo II. vtroq; Turcarũ Imperatore, qui magno cum damno & dedecore obsidionem soluere coacti fuerunt. Ab hac insula hodieq; Equites Melitenses appellantur: in quorũ numerũ nemo cooptatur, nisi sit genere nobilis.

Primus ipsorum magnus Magister fuit Raimondus Podiensis, qui postea leges, quas etiamnum obseruant, composuit & publicauit.

Regulam S. Augustini sequuntur, & singulis diebus Orationem Dominicam, loco horarum canonicarum, aliquoties recitant, ac fidem, obedientiam & castitatem promittunt. Arma ferunt in honorem Dei & S. Ioannis Baptistæ (quem, vt diximus, patroni loco habent) pro defensione fidei Christianæ.

Cæterum eodem tempore, quo hi Equites in Xenodochio S. Ioannis Ierosolymitani sedé figere cæperunt, fœminę quædam, exemplũ illorũ imitatę, mulieres peregrinas hospitio exceperũt.

Mulierum Xenodochium S. Mariæ Magdalenæ appellabatur, cui Agneta, matrona honestissima, præerat, quæ cum sua caterua habitum assumsit, & vitam regularem instituit, sicut Gerardus fecerat.

Ordo Equitum Templariorum.

8 Cum expeditio militaris in terram sanctam auspiciis Godofredi Bullionæi victoriosi tam feliciter peracta, quã religiose susceptа fuisset, Ordo Equitum Templi siue Templariorũ (cuius institutio ad tempus Gelasii II. refertur) à Principibus Gallis stabilitus fuit, vt cõseruarent, quod in terra Sancta Saracenis eripuerãt. Duo primi auctores huius instituti fuerunt Hugo Payennẽsis, & Gothofredus de S. Almardo, Equites. Et quoniam Rex Balduinus ipsis certum locum prope templũ assignauit, in quo domiciliũ haberent, Equites huius Ordinis Fratres militiæ Templi, & vulgari appellatione Templarii dicti fuerunt.

Postea Rex ac proceres regni & patriarcha Granmontanus, qui tunc Ecclesiæ Ierosolymitanæ præerat, bona quædam & prouentus ad ipsorum victum & amictum destinauit.

A Patriarcha & episcopis ad remissionem peccatorum impetrandam ipsis iniunctũ fuit, vt itinera à prædonibus tuta præstarent, ad securitatem eorum, qui religionis causa peregrinarentur, quos comitari & reducere tenebantur.

A prima Ordinis institutione nouem annis habitum secularẽ retinuerunt, qui ipsis à populo ex charitate & eleemosynis suppeditabatur.

Postea vero Trecis in Gallia Concilium fuit celebratum, in quo regula ipsis præscripta fuit, cuius auctorem perhibent S. Bernhardum, sine cruce, ex mandato Papæ Honorii & Stephani Patriarchæ Ierosolymitani. Eundem habitum aliquot post annis retinuerunt: sed ab eo tempore numerus ipsorum cum opibus creuit.

Tempore Pontificis Eugenii III. ex ipsius mãdato cæperunt rubras cruces palliis suis assuere, vt hac nota ab aliis discernerentur, & vt ostenderent, quod sanguinem suum pro defensione terræ Sanctæ & aliorum locorum orbis Christiani contra infideles consecrassent. Hæc crux erat octogona ad imitationem eius, quam Equites S. Ioannis gestabant: quamuis Hieronymus Romanus, Hispanus, asserat, eam fuisse duplicem, instar patriarchalis, qualem etiam Hungari in suis insignibus gestabant.

Hic ordo tandem tantas opes accumulauit, vt diuitiis potentissimos reges æquaret. Quamuis autem vrbs Ierosolyma an. MCLXXXVII. ab infidelibus capta fuisset, Equites Templarii non destiterunt, pro religione Christiana fortiter dimicare.

Nihilominus anno MCCCXI. Papæ Clemẽti V. placuit, vt hic Ordo aboleretur, propter enormia flagitia & grauia peccata, quorum insimulabantur. Opes ipsorum variis Equitibus fuerunt distributæ, nempe Rhodiis, S. Iacobi, Calatranæ & Alcantaræ in Hispania: ex quibus soli supersunt Equites Melitenses, cœnobiarchæ & Commendatores, qui simpliciter candidam crucem super togas, casiolas & pallia sua gestant, quemadmodum etiam presbyteri, qui sacrum solenne in illis cœnobiis & possessionibus commendatitiis Ordinis S. Ioannis peragunt.

Ordo Equitum Teutonicorum, Hospitii S. Mariæ Ierosolymis, qui alias Crucigeri & Mariani dicuntur.

Sub hoc ipsum tempus Fridericus II. instante Papa Gregorio VII. cum numerosum exercitum in Syriam duxisset, vt belli sacri progressus promoueret, auctor fuit, vt hic Ordo institueretur, & in templo atq; Hospitio S. Mariæ Ierosolymis collocaretur: quem Papa Cælestinus III. sub regula S. Augustini approbauit.

Hi eundem cum Equitibus Templi & S. Ioannis scopum sibi proposuerunt, & eiusdem cum ipsis professionis fuerunt: cum nullum pænè inter ipsos discrimen esset, quam quod hi atram crucem candidis palliis insutam gererent. Henricus Walpotus fuit primus huius Ordinis magnus Magister. Postea suis scutis Rosarium adiecerunt, quod crucem supradictam ambiebat. Hinc est, quod Mariani & Crucigeri appellati fuerunt.

Capta Ierosolyma, cum Ptolemaida se recepissent, Imp. Fridericus eos transtulit in Germaniam, & in Borussia collocauit, quæ tunc religioni nostræ inimica erat, vt eam occuparent, & Christianismo subiicerent: idq; sub auctoritate Gregorii IX. tandem anno MCCLXXIX. subacta hac prouincia dicti sunt Teutonici & Borussiaci.

Hæc victoria parta fuit ductu & auspiciis Hermanni Salzæ, qui primus insigne Crucis in hac prouincia fixit. Quo facto isti Equites omnium Principum Christianorum amicitiam & beneuolentiam sibi conciliarunt. Postea magna bella cum Lithuanis, Polonis & Tartaris gesserunt.

Presbyteri & Equites huius Ordinis hanc crucem atram palliis suis argẽto intextã gerunt.

Sereniſſimus Archidux Austriæ, Maximilianus, nunc est magnus ipsorum Magister, qui insignia partim domus Austriacæ, partim huius Ordinis gerit.

Quamuis autem Borussia iam sit subiecta Regi Poloniæ: tamen etiamnum magnus huius Ordinis Magister eligitur, qui cum suis fruitur iis bonis, quæ habent in Germania.

Ordo

Ordo Equitum S. Ioannis Acconitani, & S. Thomæ.

Exemplo Ordinum supradictorum complures alii instituti fuerunt: inter quos sunt illi, qui Equitum Acconitanorum & S. Thomæ vocantur, de quorum origine & institutione etsi nihil certi reperitur, tamen de illis refertur, quod officia charitatis erga eos exercebant, qui loca sancta lustratum veniebant, & omnia necessaria ipsis suppeditabant; sed pedetentim officiis illis vsum armorum adiunxerunt, ad imitationem Equitum S. Ioannis.

Ob hanc causam inter Ordines Militares numerantur. Hieronymus Romanus ait, quod in Hispania floruerint, regnante Alphonso, qui Sapientis cognomentum meruit: & quod hic Rex omnem suam supellectilem cum aliqua pecuniæ summa ipsis testamento legauerit. Sed Tostatus in Iosuam nullam propemodum ipsorum memoriam suo tempore superfuisse testatur. Ordo S. Thomæ, qui militabat sub regula S. Augustini, à Papa Alexandro IV. cum præcedenti coniunctus fuit.

Palæstina quosdam alios præterea Ordines nobis dedit, S. Blasii, S. Mariæ, & Pœnitentiæ sanctorum Martyrum. Hieronymus Romanus asseuerat, se vidisse fratres huius postremi Ordinis, qui rubram Crucem gerebant, & regulam S. Augustini obseruabant.

Ordo Equitum S. Seruatoris in Arragonia.

Circiter annum M C XVIII. Alphonsus Rex Hispaniæ, Nauarræ, Arragoniæ, Castellæ & Toleti, ex parte coniugis suæ Vrracæ, cum vellet exstirpare Mauros Sarragosæ & Arragoniæ, videretque, quantum commodi vicinæ prouinciæ ex Ordinibus Militaribus, quos apud se singulæ instituissent, percepissent, Ordine Equitum S. Seruatoris in vrbe Montreali, capta Calatraua, instituit, addita hac Promissione, se illos fauore & beneuolentia prosequuturum, qui se in bello, quod contra infideles meditabatur, fortissime gessissent. Quod ipsi tam feliciter cessit, vt anno MCXX. illos omnibus suis regionibus, quas occupauerant, expellerent. Hanc ob causam Rex iste huic Ordini amplos & opulentos prouentus dedit.

Ordo Equitum Montis-gaudii in Syria, qui in Castilia Monfiacus, & in Catalonia Montgoius appellatur.

Quo tempore Principes Christiani Syriam occuparunt, Ordo Equitum Montis-gaudii fuit institutus, qui hoc nomen à monte quodam eiusdem nominis prope Ierosolymam acceperunt: cui rei fidem facit Bulla approbationis à Papa Alexandro III. anno MCLXXX. data, quæ in archiuis Calatrauæ asseruatur.

Hic Ordo magnis opibus locupletatus fuit à Principibus Christianis, propter operam, quam ipsis in recuperanda Terra Sancta nauauerant.

Idem Hieronymus Romanus meminit alterius cuiusdam Ordinis Equitum, quem vocat de Truxillo, ab ea vrbe, in qua hic Ordo primum natus est. Is postea magnis donis cumulatus fuit à Rege Alphonso, qui præterea ipsis dedit S. crucem, Zufiolam, Cabimam, Albaten, & quædam alia loca: quod fuit factum anno MCCXXXIII.

Ordo Equitum Ensiferorum aut Militum Christi in Liuonia.

Inter Borussiam, Lithuaniam, Russiam & Moscouiam sita est Liuonia, cuius domini fœdere icto cum Equitibus Teutonicis, quorum supra mentio facta est, ad illorum imitationem Ordinem Equitum instituerunt, ab Innocentio III. confirmatum: quorum insigne fuerunt duo gladii, colore rubro, forma crucis Sant-Andreanæ, quos palliis suis affluendos curabant. Primus ipsorum magnus Magister vocabatur vnius, quo duce magnos progressus fecerunt, & multa loca in Russia occuparunt. 13

Postea se cum Teutonicis coniunxerunt: sed ortis inter ipsos dissidiis, ab iis rursus se segregarunt, postquam ipsis satis grandem pecuniæ summam numerassent, anno MCCCXLVIII.

Tandem cum hæc prouincia infecta fuisset hæresi Lutherana, hic Ordo prorsus abolitus fuit, cum annis CCCLVII. floruisset.

Ordo Equitum S. Iacobi in Hispania.

Sepultura glorioſi Apostoli S. Iacobi in Hispania reperta, & fama miraculorum, quæ quotidie illic fiebant, passim diuulgata, magna religio non tantum Hispanorum, sed etiam longe dissitorum populorum animos incessit. 14

Sed quoniam via propter rupes & loci sterilitatem admodum erat difficilis, & Mauri peregrinantes inuadebant & spoliabant, metus periculi multos ab hoc itinere absterrebat.

Hanc ob causam Canonici regulares S. Ælii, qui non procul ab vrbe Compostella habitabant, vt huic incommodo aliquod remedium afferrent, multa domicilia in via, qua ex Gallia eo itur, exstruxerunt, in quibus peregrinantes hospitarentur, vt à periculo tuti essent. Præcipuum & maxime excellens illorum domiciliorum fuit, quod in suburbiis vrbis Legionis conditum fuit, sub nomine & titulo S. Marci: quod beneuolentiam omnium illis conciliauit: adeo vt multi Reges & Principes gratitudinis loco pro beneficiis, quibus peregrinantes afficiebant, eximiis donis illos impertirentur. Postea ad imitationem horum Canonicorum multi nobiles Castiliæ simili desiderio incensi fuerunt: qui vt melius finem sibi propositum assequi possent, omnes suas facultates & opes in vnum cumulum congesserunt, vt illis in commune vterentur.

Hi nobiles, Cardinali Hyacintho annitente, cum decreuissent, Canonicis illis se associare, certum vitæ institutum sibi proposuerunt, quod deinceps sequerentur, secundum regulam S. Augustini, quam illi Canonici obseruabant, & illud Alexandro III. miserunt, qui tunc Roman. Pontificatum tenebat. Legationis illius princeps fuit Petrus Ferdinandus de Ponte Eucalatensi, qui Bullam à Pontifice obtinuit, & ratione viuendi, quam deinceps obseruare deberet, scriptam xv. Iul. MCLXXV. Primus ipsorum magnus

Magister fuit iste Ferdinandus: & domicilium illud S. Marci, quod erat Legione, his Equitibus datum fuit, vt in eo habitarent. Insigne ipsorum est crux rubra, formam gladii referens. Hæc est opinio Ioannis Marianæ, lib. 2. historiæ ipsius de Hispania. Verum alii existimant, hunc Ordinem antiquiorē esse, cuius originem referunt ad tempus Regis Alphonsi Casti: alii ad annum DCCCXLVIII. cum Ramirus, Rex Castiliæ, sexaginta millia Maurorum ad Clauigam fudit, quoniam in eo prælio milites clamabant: *Deus nos iuuat, & S. Iacobus*: qui visus fuit in equo gestare vexillum candidum cum insigni Crucis rubræ.

Sed Bulla, qua hæc opinio nititur, quę data est fœminis religiosis cœnobii S. Spiritus Salamancæ, non est authentica, sicut obseruauit dictus Mariana: & Franciscus Rhadosius Dandrada, qui lingua Hispanica scripsit Chronicon trium Ordinum, S. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ, ait, hunc Ordinem fuisse institutum ann. MCLXX. in regnis Legionis & Galiciæ, à Ferdinando Rege illorum regnorum: & longo ante tempore fuisse societatem seu fraternitatem Equitum S. Iacobi, sine forma certi cuiusdam Ordinis.

Præterea ait, hunc Ordinem fuisse introductum in Castiliam à Rege Alphonso IX. & approbatum anno MCLXXV. adeo vt auctores huius Ordinis militaris sint Rex Ferdinandus, & Petrus Ferdinādus, primus magnus Magister.

Onuphrius Panuinius in suo Chronico originem huius Ordinis refert ad annū MCLXX. Statuta huius Ordinis nuper edita sunt in lucem à Plantino, Antuerpiæ.

Cum Cataua erepta fuisset Mauris à Rege Sanchio III. qui cognominatus fuit Desiderius, anno MCLVIII. consignata fuit in manus Templariorum, vt munitionibus ab eo illic excitatis propugnaculum esset contra infideles. Verum cum Templarii intellexissent, infideles cum exercitu innumerabili aduentare, vt in locum illum impetum facerent, ex eo egressi, illum arbitrio Regis rursum permiserunt, cum eum non satis firmum iudicarent ad sustinendam obsidionem: cumq; nullus ex regni proceribus illius defensionem suscipere vellet, duo monachi Cistercienses, qui tunc ex occasione Toleti commorabantur, quorum vnus nominabatur Raimundus Filterius, Abbas Pisorensis: alter, Didacus Velesensius: ambo bellis exercitati, qui tamen arma deposuerant, vt Deo seruirent, impetum ceperunt locum ingrediendi, eumque omnibus viribus conseruandi & defendendi. Quod cum Regi Sanchio significassent, perplacuit ipsi, nec minus archiepiscopo Toletano, qui ipsis vires & milites pro virili subministrauit, sua auctoritate & precibus cum nobiles tum alios permouens, vt in commodum religionis Christianæ hunc locum cum duobus istis religiosis tuendum susciperent. Atq; illius exhortationes tantam vim habuerunt, vt omnium ordinum homines cateruatim ad opē his viris bonis ferendā confluerent. Quo factū, vt vrbe viris armisq; egregie munita, hostis eam aggredi non sit ausus.

Hoc fuit felix initium huius militiæ: ita vt Rex præmii loco hunc locum Religiosis istis & ipsorum sociis donaret, sub nomine Virginis Mariæ, patronæ Ordinis Cistercensium.

Abbas postremis suis sociis habitum & regulam Cistercensium dedit. Insignia huius Ordinis fuerunt initio Crux rubra, cum duobus cippis infra illam: quibus successu tēporis quatuor lilia addita fuerunt à Benedicto XIII. quæ supra scapulas gestarunt. Alexander III. anno MCLXIV. hoc institutum speciali Bulla comprobauit: & primo huius Ordinis Magistro Garsiæ nomen fuit.

Quando hi Equites sunt in aliquo conuentu, candidam togam, & supra eam, quemadmodum etiam supra pectus rubram Crucem ea forma, quam modo diximus, gerunt. Papa anno MCCCXCVI. ipsis permisit, vt semel matrimonium contraherent, nec ad secundas nuptias ipsis transire liceret. Nam olim Religiosorum instar perpetuam castitatem seruare tenebantur. Hinc igitur liquet, primos huius Ordinis auctores fuisse Sanchium, Regem Castiliæ, & Raimundum, Abbatem Fiterensem.

Ordo Militum Iesu Christi institutus à S. Dominico contra Albigenses hæreticos.

Cum totus fere Comitatus Tolosanus & Gallia Cisalpina infecta esset errore Albigensium, S. Dominicus contra eos tanta efficacia concionatus est, vt centum millia ex ipsis conuertisse dicatur, lectis quibusdam deuotis, qui gladio materiali eos extirparent, quos gladius spiritualis verbi Dei non afficiebat. His certam vitæ spiritualis regulam præscripsit, quæ communem viuendi rationē secularium superaret, & inferior esset ea, quam Religiosi obseruant. Illo tempore fuerunt appellati Fratres Militiæ S. Dominici.

Hæreticis istis prorsus exterminatis, qui hunc Ordinem amplexi erant, nihilominus in hoc vitæ genere vsq; ad mortem perseuerarunt: & si vxores maritis superstites essent, cōtinentiam seruabant: idē faciebāt viri, si vxoribus superessent. Aliquanto post homines cælibes & matrimonio iuncti absq; discrimine huic militiæ nomen dederunt, quę postremo appellata fuit Fratrum aut Sororum pœnitentiæ S. Dominici. Innocentius regulam ipsorum approbauit, anno MCCCLX.

Ordo Equitum Alcantaræ in regno Legionis.

Comesius Ferdinandus, Eques, & vnus ex primoribus regni Legionis, sub auspiciis Ferdinandi regis huius regni & Galiciæ, instituit hunc Ordinem Equitum contra Mauros, qui initio nomen habuit S. Iuliani de Pirario, quoniam prima domus, in qua habitarunt, fuit castrum hoc nomine appellatum. Rex disertis litteris, se protectorem huius Ordinis declarauit, anno MCLXXVI. & Papa Alexander III. eum approbauit.

Anno MCLXXXIII. Papa Lucius III. eum confirmauit, & iurisdictione diœcesanorum exemit. Insigne Equitum huius Ordinis fuit pirus viridis in campo aureo, donec Alphonsus octauus ipsis Alcantaram donauit, quæ sita est ad

oram

otam fluminis Tagi, & notabilis est, propter ingeniosam pontis structuram; simulq; hunc Ordinem cum Ordine Calatrauæ, cui locus ille prius datus fuerat, copulauit. Factum est autem propter rationem regni, vt loci illius possessio in posteriorem hunc Ordinem transferretur, hac lege nihilominus, vt hic Ordo posterior priori illi subiectus esset. In cuius rei signum ex mandato magni Magistri duo cippi, qui erant in symbolo priorum, à posterioribus assumti, & hi Equites Alcantaræ appellati fuerunt.

Tandem anno MCCCCXI. Equites huius Ordinis à Papa Benedicto XIII. qui se Papam Hispaniæ dicebat, facultatem impetrarunt gestandi ad sinistrum latus pectoris Crucem viridem, lilii formam repræsentantem.

Viuunt sub regula S. Benedicti, & quando voto se obstringũt, promittũt superioribus obedientiam, castitatem coniugalem, & sanctitatem, quantã præstare poterunt, per omnes vitæ dies.

Papa Adrianus VI. in gratiam Caroli V. qui olim ipsius discipulus fuerat, tres hos Ordines, S. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ regno Castiliæ & Legionis in perpetuum annexuit.

Ordo Equitum Gloriosæ Virginis Mariæ in Italia.

7 Anno MCCXXXIII. Bartholomæus Vicenæus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, fuit auctor huius Ordinis, quem instituit, vt conciliaret pacem per vrbes Italiæ, & omnes dissensiones ac schismata tolleret.

Eum Papa Vrbanus IV. anno MCCLXII. approbauit. Habitus ipsorum fuit toga candida, & cinerea: insigne autem Crux purpurea in area candida, stellis quibusdam supra positis. Officium ipsorum erat, vt viduas & orphanos protegerent, & pacem & concordiam inter omnes procurarent. Dicti fuerunt Fratres Hilares, quia pacato, & æquo animo viuebant in suis ædibus, cum suis vxoribus & liberis, vt Sigonius & alii referunt.

Ordo Equitum Montesiorum in regno Valentiæ.

8 Equites Montesii dicti sunt à præcipuo loco habitationis ipsorum, qui eodem tempore exorti sunt, quo Templariorum Ordo fuit abolitus: adeo vt omnes facultates, quas Templarii in regno Valentiæ possidebant, Montesiis fuerint attributæ hac lege, vt limites regni Valentiæ contra Mauros defenderent ac conseruarent. Ordo ipsorum fuit approbatus à Benedicto XIII. & Martino V. Gestant habitum candidum, & supra eum rubram Crucem simplicem.

Ordo Equitum Iesu Christi in Lusitania.

9 Dionysius, cognomento Perioca, Rex Lusitaniæ, nepos Alphonsi X. Regis Castiliæ & Legionis, instituit hunc Ordinem, qui vulgo Lusitaniæ aut Christi appellatur. Idem sanxit, vt insigne ipsorum esset toga nigra & crux nigra, quæ fronde attexta dissecaretur.

Papa Ioannes XXII. anno MCCCXXI. ipsis præscripsit, vt regulam S. Benedicti obseruarent. Officium ipsorum est, vt bellum gerant, cum Mauris in Bætica. Virtuti ipsorum debetur, quod imperium Lusitanicum vsque in Orientem, & in Africa, Brasilia aliisque regionibus versus Occidentem propagatum fuit.

Ordo Equitum Fasciæ & Scamæ inter Hispanos, & Galzæ inter Venetos.

Anno MCCCXXXII. Alphonsus II. Rex 20
Castiliæ, antequam ad regnum peruenisset, instituit in vrbe Victoria Ordinem Equitum Fasciæ, qui sic appellati fuerunt, propterea quod eo die, quo à Rege, tanquam magno huius Ordinis Magistro, cooptati fuerunt, fasciam rubram quatuor digitos latam, mitellæ instar, à dextro humero infra brachium sinistrum ipsis appendit.

Filii nobilium in eũ recipiebantur, postquam decem vt minimum annis castra secuuti fuissent, exceptis primogenitis. Magno in pretio olim fuit: sed, quæ est rerum humanarum vicissitudo, tandem obsoleuit.

Ordinis Scamæ primus auctor fuit Ioannes II. Rex Castiliæ, quo regnante magno in honore fuit, teste Hieronymo Romano: quamuis scribat, se nunquam potuisse cognoscere, quamuis diligenter indagarit, quid sibi vellet vocabulum istud Scama.

Ad imitationem Equitum Fasciæ Veneti eodem tempore instituerunt Ordinem Galzæ, iisdem fere legibus. In hunc nemo nec à Duce nec à Senatu admitti poterat, qui non esset genere nobilis.

Hic Ordo renouatus fuit anno MDLXII. & recentibus beneficiis ac priuilegiis auctus. Andreas Ettenius, excellens Medicus & Anatomicus, atque in omni genere scientiarum egregie versatus, nullum aliud insigne reperit, quod habuerint, quam torquem aureum, à quo penderit imago S. Marci, aut leo alatus, cum hoc elogio, *Pax tibi Marce.* Quod tamen ex coniectura habet, quoniam Dux & Senatus Venetus, quando digno aliquo præmio quendam inter suos, qui præclare de repub. meritus est, afficere volebant, ei torquem aureum cum huiusmodi symbolo dare solebant.

Ordo Equitum Auisinorum, vulgo Aduisiorum in Lusitania.

Occupata à Christianis vrbe Ebora, quæ ce- 21
lebris est in Lusitania, propter ordinarium Regum in ea domicilium, Rex Alphonsus, animaduertens, situ & munitionem ipsius commodam esse ad bellum Mauris inferendum, præcipuam sedem Equitum in ea constituit, qui in regno Castiliæ Equites Calatrauæ, in Lusitania Auisii appellantur, quamuis initio Eboracenses dicti fuerint, à nomine vrbis Eboræ, quæ ipsis donata fuisse putatur à Ferdinando Monteyro, primo Ordinis magno Magistro, in honorem Virginis Mariæ, Patronæ Ordinis Cistercensium, vt assiduis suis incursionibus contra Barbaros, illos tandem regno expellerent.

Tertius ipsorum magnus Magister, cui nomẽ erat Alphonso Auensi, cum arcem Auisinam infidelibus eripuisset, eam Ordini donauit, quem eo transtulit, vt esset hostibus suis vicinior, & eos tanto magis infestaret. Atq; ita nomen huius

arcis ipsi adhæsit. Hic Ordo confirmatus fuit ab Innocentio III. anno MCCIV. Cæterum cum Rodericus Garzia, octauus magnus Magister Equitum Calatrauæ, hunc Ordinem Auisinorum multis & magnis prouentibus locupletassiet, ille legibus & reformationi Ordinis ipsius se submisit, sub cuius regimine permansit, vsque ad tempus Ioannis magni Magistri, qui fuit filius naturalis Petri VIII. regis Lusitaniæ. Nam hic Rex, sollicitante filio, vt credibile est, hunc Ordinem Auisiorum ab Ordine Calatrauæ seiunxit, illisq; iniunxit, vt in suis insignibus in posterum gererent crucem viridem super trunco oblongo, sublata pyro, ad differentiam Equitum Alcantarę, quamuis ante crucem rubram gererent, qualem gerebant Equites Calatrauæ, vt videre est in antiquo Ordinis sigillo, in quo ad basin Crucis erant duæ auiculæ, vt scribit Franciscus Radosius.

Hi regulam Cistercensium sequuntur. Quidquid sit, Radosius hos duos Ordines, Auisiorum & Calatrauæ non inepte confundit: quoniam tractu temporis ambo in vnum conflati fuerunt: contra Volaterradius fallitur, qui eos Alcantarensibus coniungit, sicut obseruauit Hieronymus Romanus, & Consaluus Argotesius Malinensis, lib. 1. cap. 32. de Nobilitate Hispaniæ.

Ordo Equitum Mensæ Rotundæ.

22 Fertur, Arturum, regem Angliæ, cum elegisset viginti quatuor nobiles bellicosissimos & armis exercitatissimos, eos creasse Equites: quos, sicut erant pares virtute, ita pariter amabat, & vt omnem inuidiæ, atque æmulationis materiam inter ipsos præcideret, quasi vni magis faueret, quam alteri, mensam rotundam confici curauit, in qua cibum capere solebant: in qua sicut non erat superior nec inferior locus, ita nemo poterat de loci prærogatiua cum altero contendere. Hinc Equites Mensæ Rotundæ dicti fuerunt.

Vulgus in Anglia credit, hanc mensam seruari in arce Vintonienſi, cui nomina Equitum, qui in hũc Ordinem adscripti fuerint, insculpta sint.

Wilhelmus Camdenus existimat, institutionem huius Ordinis recentiorem esse, eamq; refert ad veterem consuetudinem hastiludiorum & exercitiorum militarium. Nam ne priora aut inferiora loca magnatibus, qui illis exercitiis intercrant, materiam rixæ præberet, mensis rotundis vtebantur, quibus promiscue assidebant, nulla habita prioris aut posterioris ratione.

Ordo Equitum Periscelidũ in Anglia.

23 Eduardus III. Angliæ Rex, hunc Ordinem Periscelidis instituit, anno MCCCL. vt tolleret suspicionem, quam quidam de Comitissa Salisburiensi ab ipso, quamuis modeste, amata conceperant, cuius cæruleam periscelidem, quæ ipsi inter saltandum deciderat, sustulerat, his verbis prolatis: *In probro sit, qui sinistri quidquam suspicatur:* quoniam inter nobiles, qui aderant risus factus erat: ipse vero ex hac periscelide se honorem & decus sibi conciliaturum respondit.

Alii dicunt, hunc Ordinem suum nomen traxisse à quadam fascia, quã Eduardus suis dedit in perpetuam memoriam victoriæ, quã Pictauii de Ioanne rege Galliæ reportauerat. Hanc fasciam sinistro cruri fibula alligant, in signum amoris & concordiæ, quæ inter sodales huius Ordinis esse debet: palliis autem suis rubram crucem S. Georgii cum scuto attextam gerunt.

Magnus torques Ordinis, quem gestant Equites, quando in eum alleguntur, differt ab eorum periscelide aliquoties duplicata, candidis & atris rosis intermixtis. Ab eo dependebat imago S. Georgii, quem voluit esse ipsorum patronum: in cuius honorem templum magnificentissimum in arce Vindesora paullo ante condiderat.

Alii inuentionem huius militiæ Richardo primo tribuunt, quam ab Eduardo saltem renouatam perhibent: quod tamen certitudine caret. Quidquid sit, solennia huius Ordinis quotannis certo die in arce Vindesoria celebrantur, festo nimirum S. Georgii, Rege præside.

Ordo Equitum Balnei in Anglia.

De his Equitibus nihil certi habemus, nisi quod Henricus IV. Rex Angliæ eã die, qua Londini in arce consecratus fuit, quadraginta sex viros nobiles, qui præcedenti nocte vigilauerant, & balneo vsi fuerant, Equites creauit, quibus tunicas virides cum manicis dedit, ea longitudine, vt vsque ad talos propenderent, cum endromide sinistro humero alligata, & funiculo duplicato ex candido serico.

Tempore præterito duo nobiles, qui in numerum Equitum nondum adsciti fuerant, eligebantur, vt in hunc Ordinem multis cum cæremoniis cooptarentur. Quod fiebat die coronationis Regum, aut nuptiarum regiarum, aut quãdo vnus ex ipsorum liberis inuestituram alicuius Ducatus aut Comitatus accipiebat. Nam præcedenti die togis cinereis amicti erant, quæ togis Eremitarum similes erant, cum cucullo, pileo lineo, & ocreis: atq; hoc habitu S. Missam religiose audiebant: deinde cum aduesperasset, simul cænabant, & duo nobiles cum pedissequo singulis ministrabant.

Post cœnam in suum cubiculum se recipiebant, in quo vnicuiq; lectus erat stratus, cũ stragulis rubris, cui annexa erant ipsorum insignia: deinde labrum apparatum, aptum ad lauandum, quod erat linteis obtectum, in quo, postquam se Deo commendassent, lauabant, vt puritatis animi & corporis semper memores essent. Postridie mane ad sonitum multorum instrumentorum Musicorum excitati, easdem, quas die præcedenti, vestes induebant.

Tum Magister Equitum Angliæ cum Tribuno & aliis à Rege delegatis eos conueniebant, & vnoquoque ordine vocato, verba, in quæ iurare debebant, ipsis præibant, quod scilicet ante omnia Deum colere, Ecclesiam defendere, Regem honorare, iura tueri, viduas & virgines protegere, quantum in ipsis esset, vellent.

Cum in hæc capita, tactis Euangeliis, iurassent, ad preces matutinas ducebantur, Musici regiis & caduceatoribus præeuntibus. Habi-

tis pri-

tis precibus, iidem eos in cubicula ipsorum reducebant, vbi exutis prioribus vestibus pallium holosericum cærulei coloris induebant, vt significarent, ardorem bellicum, quo flagrarent, esse prorsus cœlestem. Capiti imponebant pileum candidum, cum fasciculo candidarum plumarum: & chirothecas funiculo candido palliis suis alligabant: tum equos nigro corio, cui album intermixtum erat, ephippiatos & phaleratos cruce frontibus ipsorum affixa, conscendebant.

Pediſſequi ipsorum præcedebant, qui deauratos ipsorum enses, à quibus deaurata eorundem calcaria dependebant, portabant: ad vtrumque ipsorum latus vir nobilis equitabat: atque hac pompa Regem accedebant, tubis præcinentibus.

Ad eum vbi venerant, à duobus senioribus Equitibus ducebantur: deinde pediſſequi ipsorũ enses cum zonis magno Cubiculario tradebãt, qui eos magna cum reuerentia Regi exhibebat, vt iis nouos Equites accingeret: quo facto seniores Equites iubebat calcaria ipsis induere: & hi peracta cæremonia, genua ipsorum exosculari, & fausta quæque iisdem apprecari solebant.

Hi noui Equites ita creati mensam Regis sternere, & in ea simul prandere, ad idem latus assidentes, solebant. Sub horam precum vespertinarum sacellum ingrediebantur, & illic enses suos super altare offerebant, quos postea certa pecuniæ summa redimebant.

Inde cum rediſſent, archimagirus Regis ipsis occurrebat, qui cultro suo producto minabatur, se ipsis calcaria ignominiose abscissurum, nisi fideliter & fortiter in bello se gererent. Die coronationis Regum, eos decenti pompa & ordine comitabantur, ensibus cincti, calcaribus induti, & palliis cæruleis amicti, quæ anterius tenia serica candidi coloris decussatim nodata erant, cucullo versus sinistrum humerum dependente. Hæc sunt, quæ de hoc Ordine Wilhelmus Camdenus speciatim refert.

Insigne huius Ordinis sunt tres coronæ aureæ in circulo aureo, cum hoc symbolo, *Tria in vnum*, suntq; illæ fascia linea coccinea colligatæ.

Ordo Equitum Stellæ in Gallia.

Ioannes Valesius, Rex Galliæ, instituit mense Octobri anno M CCC LII. Ordinem Equitum, in memoriam stellæ, quæ Reges Bethlehemum duxit, vt Seruatorem mundi recens natum adorarent: qui appellati fuerunt Fratres B. Virginis S. Audoem, quoniam locus, in quo domicilium habebant, ita appellabatur: qui Lutetia vno plus minus milliari distabat: olim dicebatur palatium Chelæum, quod ipsis donatum fuit cum templo, & omnibus eo pertinentibus, & inde dependentibus. Initio tantum primores regni in hunc Ordinem admittebantur. Insigne ipsorum est stella, à torque aureo pendens, aut cucullo vel parti eminentiori togæ ipsorum alligata, cum hoc symbolo: *Monstrant Regibus Astra viam.* Cum autem multi postea ignobiles & plebeii, falso prætextu, in huius Ordinis societatem irrepsissent, ille mox decus & splendorem suum amisit: adeo vt Carolus, filius Ioannis, stipatores suos iusserit illius insigne gerere, quo magis vilesceret. Hodie excubitores vrbis Parisiensis illud super sagis suis gerunt.

Ordo Equitum Annunciationis in Sabaudia.

Amedeus sextus Comes Sabaudiæ, postquam 26
hunc Ordinem instituisset, eum illustrem & celebrem reddidit magnis & opulentis prouentibus, quibus eum ex suo dotauit. Torquem huius Ordinis voluit esse contextum quatuor lamellis aureis, quæ catenulis aureis alligatæ essent, catenulis illis paruis nodis, qui laquei amoris vocantur, colligatis. Vnicuique lamellæ quatuor hæ litteræ inscriptæ erant, F E R T, cum imagine Beatæ Virginis & historia Annunciationis, quæ in medio pendebat, à qua hic Ordo nomen accepit. Quatuor hæ litteræ significabant, *Fortitudo eius Rhodum tenuit*: quod in honorem Amedei dicitur, qui vt Annales Sabaudiæ memorant, hanc vrbem Turcis eripuit, & Christo acquisiit, vel potius eam defendit & seruauit contra Turcarum impetum: ita vt ab eo tempore Equites Rhodii insignia Ducis Sabaudiæ vsurparint, quæ erant mixta cum iis, quæ Duces Saxoniæ gerunt, quoniam primi Duces Sabaudiæ à Saxonicis originem trahunt. Illa cruci argenteæ in rubra area, quod erat proprium ipsorum insigne, addiderunt, postquam insula Rhodus ab Imperatore Constantinopolitano ipsis donata fuit. Atque hoc symbolum F E R T Amedeo & successoribus, in memoriam fortitudinis ipsius, manſit.

Cæremoniæ huius Ordinis quotannis die Annunciationis Virginis iterantur, & creantur Equites quos Princeps eligit.

Comes autem Amedeus non satis habuit hunc Ordinem instituere, sed in eundem adscribi voluit, vna cum quatuordecim maxime illustribus in ea prouincia dominis, ita vt ipse decimus quintus esset, in honorem quindecim mysteriorum sacratissimæ Virginis Mariæ.

Ordo Equitum Velleris aurei apud Burgundos & domum Austriacam.

Philippus cognomento Bonus, Dux Bur- 27
gundiæ, ex singulari amore, quo Nobilitatem prosequebatur, hunc Ordinem instituit, anno M CCCC XXX. mense Ianuario, die, quo nuptias cum Elisabetha filia Ioannis, Regis Lusitaniæ, celebrauit, ad gloriam Dei, sanctæ Matris ipsius, & S. Andreæ Apostoli: vtq; animos Equitum magis inflammaret ad S. fidem exaltandam, & ad virtutem excitaret, huic Ordini titulum Velleris aurei imposuit, alludens ad vellus Gedeonis, quod fuit repertum in area, quæ ab vna parte rore conspersa, ab altera sicca erat: sicut videre est in tapetibus ipsius tempore elaboratis, qui festo S. Andreæ, die solennibus huius Ordinis cõsecrato, tenduntur. Quidã aiunt, hos Equites originẽ ducere à legione Thebana, sed

hoc

hoc obscurius est, quam vt aliquod in eo fundamentum poni possit.

Dux Philippus, instituto hoc Ordine, magnũ illius Magistrum se declarauit: & nouis Equitibus togam laneam, cocco tinctam, dedit, (quam filius ipsius, Carolus Audax, in Capitulo Valencinæ habito in sericam mutauit) & torquem aureum, cui igniarium intextum erat, quod ignem è silice elicere videbatur, emblema patris ipsius, & in extremo torque vellus aureum; hac lege, vt hæc Ordini restituerentur, si quando aliquis ex Equitibus decederet, quo alius, qui iis dignus esset, conferrentur. Paradinus in suis symbolis hoc insigne ita interpretatur, vt igniario hoc symbolum, *Ante ferit, quam flamma micet*; & velleri, *Pretium non vile laboris*, attribuat.

Prima officia huius Ordinis sunt, Cancellarius, Thesaurarius, Fecialis & Graphiarius, qui iudicant absq; prouocatione de omnibus controuersiis, quæ inter ipsos oriuntur, & de criminibus, si quæ incidant. Philippus initio tantum viginti quinque Equites elegit; sed triennio post sex addidit, ita vt essent triginta & vnus.

Postea Carolus V. propter varias prouincias, quibus imperabat, numerum auxit vsq; ad quinquaginta & vnum. Ab eo tempore Capitulum Gandaui habitum, auctoritate Gregorii XIII. potestatem fecit Philippo II. regi Hispaniæ, quæ postea confirmata fuit Philippo III. à Clemente VIII. vt posset Equites creare extra Capitulum, quandocunque ipsi placeret. Hi Equites ex iis solummodo familiis eliguntur, quæ in Hispania Grandes appellantur.

Richardus Wasseburgicus in suis antiquitatibus Belgicis mentionem facit aliquorum Equitum Ciconiæ, à Sulio Brabone institutorum, à quo, secundum quosdam, Brabantia nomen habet: quibus hanc auem dedit, vt esset hieroglyphica nota concordiæ, quam inter eos esse voleb.t.

Ordo Equitum Histricis in familia Aurelianensi.

28 Carolus, Dux Aurelianensis, qui postea fuit Rex Galliæ, & sextus huius nominis, instituit ad imitationem Philippi, Ducis Burgundiæ, Ordinem Equitum Histricis; qui in suis balteis figuram huius animalis gerebant, cum hoc symbolo, *Cominus Eminus*, teste Paulo Iouio.

Nulli in hunc Ordinem cooptabantur, qui non essent præcipuę nobilitatis, & armis exercitatissimi. Postea Ludouicus XII. rex Galliæ, ac propterea Dux Aurelianensis & Comes Blæsensis, tanquam illius hæres, assumsit insigne Histricis coronatæ, cum hac epigraphe, *Vltus auos Troiæ*. Eiusdem figuram monetæ imprimendam curauit, quam, sicut & lupi, Comites Blæsenses olim in suis insignibus gerebant.

Causa, propter quam Carolus hoc symbolum assumsit, hæc est, quod Histrix cominus & eminus se defendit contra canes, in quos aculeos suos, missilium instar, iaculatur. Igitur significare volens, se esse armatum contra omnes fortunæ impetus, & semper paratum se defendere contra omnes, qui vim ipsi inferret, hoc insigni suos Equites ornauit.

Ordo Equitum Cardui Virginis Mariæ, in familia Borboniorum.

Ludouicus secundus, Dux Borbonius, cognometo Bonus, filius Petri primi, qui in pugna Pictauiensi, quam rex Ioannes cum Anglis cõmisit, occubuit, postquam operam suam Carolo V. & Carolo VI. regibus contra populos istos, ipsorum hostes, commodasset, reuersus ex Africa, in quam exercitum duxerat contra infideles, cum propter factiones inter domum Aurelianensem & Burgundicam regnum ab exitio non procul abesse videretur, & Burgũdus Ordinem Velleris, Aurelianensis Histricis instituisset, Ordinem Equitũ Cardui Virginis instituit, vt maiorem suis armis auctoritatem conciliaret, quæ ad iuuandos & protegendos Carolum Ducem Aurelianensem, Philippum Comitẽ Ebroicensem, & Ioannem Comitem Engolismensem, pupillos Ludouici Ducis Aurelianẽsis sui neporis, cõtra Burgundũ, qui eum nefarie occiderat, exercuit. Torquis huius Ordinis erat ex auro liliis cõtexto, implexis pari distantia foliis cardui, ex quib. dependebat crux, Spei symbolo adscripto. 29

Hoc Ordine viros nobiles ornauit, qui singulare aliquod officium familiæ Borboniæ præstiterãt, cuius ipsemet magnus Magister esse voluit.

In cuius rei signum torquem suis insignibus addidit, qui totus liliis consitus erat in area argentea & rubra super scutum coloris cærulei, cum epigraphe Spei.

Emblemate isto, ex liliis & carduis cõposito, Dux Ludouicus constantiam suam significare voluit in omnibus aduersitatibus, quæ ipsi euenire possent, cũ spe maioris prosperitatis: siquidem carduus cum foliis suis pungentibus refert afflictionem, & lilium, quod semper folia virentia habet, spem, cuius omni tempore apud antiquos nota hierogliphica fuit.

Ordo Equitum S. Andreæ Cardui & Rutæ in regno Scotiæ.

Hugo, rex Scotiæ, cum in eo esset, vt collatis signis cum Althelstamo rege Anglorum decerneret, conspexit in cælo crucem prælucidam eius figuræ, in qua S. Andreas martyrium pro Domino nostro pertulit. Quod boni augurij loco habens, cum hoste congressus est, eumque victum interemit, cæsis omnibus ipsius copiis.

In memoriam huius victoriæ, quam obtinuerat, vt verisimile est, per merita glorioſi huius Apostoli, Rex voluit hanc crucem insignibus suis inprimi, & depingi in vexillis, quæ in ipsius exercitu ferebantur: quod etiamnum Reges Scotiæ religiose obseruant.

Hinc originem traxit Ordo Equitum S. Andreæ, qui celebris est in hoc regno: quamuis illi vulgo Equites cardui appellentur.

Insignia & moneta Regis inclusa sunt in torque huius Ordinis carduis referta, cum hoc elogio

elogio, *Nemo me impune lacessit*: quoniam nemo cardiuum contrectare potest, quin pungatur.

Torquis hic contextus est ex funeaureo, pluribus nodis contorto, quib. insita sunt folia cardui, & hisce in ima parte alligata est imago S. Andreæ, præ se ferentis crucem sui martyrii.

Insignia hoc torque circũdata sunt leo rubicundus, antiquum & primum symbolum regis Fergi in endromite cærulea, duabus rubris lineis ad oram fimbriata, cum duobus ordinibus liliorum irretitorum è regione fili aurei, quod Carolus Magnus ei addidit, in signum fœderis, quod percussit cum Scotis & rege Achaio: qui hodie etiamnum super est. Nam sicut leo est insigne huius regni: ita lilia sunt Galliæ, cuius rex erat hic Imperator, qui vt magis confirmaret hanc amicitiam iureiurando sancitam, circulo coronæ Scotiæ quatuor lilia aurea adiunxit, cum quatuor crucibus pari interuallo distantibus, liliis tamen nonnihil extantibus, vt toti orbi constaret, Scotos tunc obseruatione religionis Christianæ, & integritate fidei excelluisse. Quidam institutionem horum Equitum tribuunt Carolo VI. regi Galliæ, qui antiquum fœdus Gallorum cum Scotis renouauit, quemq; aiunt gratitudinis loco pro auxilio, quod Scoti rebus desperatissimis ipsi tulerant, illorum insignia suis auxisse. Prior tamen sententia certior est.

Inter Scotos etiam floruit Ordo Equitum Rutæ: cuius insignia erant duo thyrsi rutæ aut cardui, à quib. dependebat imago S. Andreæ cũ sua cruce. De illius origine nihil reperitur.

Ordo Equitum S. Mariæ, aut Elephanti.

In Dania floruit Ordo, quem ferunt institutum fuisse à patre Christiani regis, qui hoc regnum tenet.

Insignia illius sunt torquis elephantis constitus, qui turres & arces dorso gerunt, cum calcaribus intertextis, & infra habent imaginem Virginis Mariæ radiis circumdatæ, cui paruum numisma aureum adhæret, in quo tres claui sculpti sunt, eos, quibus Christus cruci affixus fuit, repræsentantes.

Insignia horum Regum, quæ sunt tres leones virides in area aurea, lachrymis sanguineis aut cordib. hominũ consiti, hoc torque ambiuntur.

Cæterum reges Daniæ titulum Elephanti huic Ordini tribuerunt, eoq; sua insignia ornarunt, quoniam hoc animal proxime ad naturam hominis accedere & omni virtutum genere prædium esse videtur, vt fortitudine militari, prouidentia, religione, pietate & clementia regia: in eum finem, vt qui hoc Ordine decorarentur, memores essent, sibi operam dandam, vt his virtutibus eo magis excellant, quo natura hominis bestiis est excellentior.

Ordo Equitum Cypri.

Domus Lusignana, quæ tot reges & Principes orbi Christiano dedit, inprimis regno Ierosolymæ, Armeniæ & Cypri, initia huius Ordinis posuit, quamuis ignoretur, quo tempore id sit factum.

Insignia ipsius erant torquis aureo fune contextus cui implexi erant magni characteres: subtus pendebat gladius, cuius lamina erat argentea, & capulus aureus, quam hoc symbolum ambiebat, *Pro integritate tuenda*: vt ii, qui in hunc Ordinem adscripti erant, discerent, sibi nunquam prætermittendam occasionem, qua se generosos & fortes declarent, quoniam in eum finem gladium gerant, atque vt concordiæ & amicitiæ nexu inter se colligati essent, pro defensione patriæ & terræ sanctæ. Insignia gentis Lusignanorum cincta sunt hoc torque.

Ordo Equitum Columbæ & Rationis in Castilia.

Ioannes primus, rex Castiliæ, vt aulicos suos 33
& nobiles ad egregium aliquod & suo ordine dignum facinus aggrediendum excitaret, hunc Ordinem adinuenit, an. MCCC. Insigne illius erat columba, à qua pendebat torquis aureus, radiis solarib. intermixtis. Huiusmodi torques, cum esset Segobiæ ea die, qua celebrabatur festum S. Iacobi, magno numero distribuit in templo cathedrali, quos multis cum cæremoniis & solennitatib. ab altari sumsit, & iis, quos in hunc Ordinẽ cooptare volebat, dedit, cum libro Cõstitutionum, quas ab illis obseruari volebat.

Idem Rex alium Ordinem instituit, quem Rationis appellauit, minus illustrem priori, ad quẽ nobiles inferioris notæ admisit, qui tamen strenuos se præbebant in exercitiis militaribus, vt in hastiludiis, & similibus.

Ordo Draconis inter Germanos & Hungaros, Tusini in Boemia, & disciplinarum in Austria.

Imperator Sigismundus tanto zelo promo- 34
vendæ religionis Christianæ flagrauit, vt non tantum multis præliis cum Turcis decertarit, de quibus sæpius insignem victoriam reportauit: sed etiam ipso sollicitante duo generalia Concilia habita fuerint, vnum Constantiæ, alterum Basileæ, ad extirpandas hæreses & schismata, quibus tunc Christianus orbis, atque inprimis Boemia & Hungaria laborabat.

Pro cumulo huius suæ pietatis Ordinem militarem Draconis instituit, quem sic nominauit, quoniam Equites symboli loco gestabant Draconem præcipitatum, vt testarentur, dracones Ecclesiam deuorantes, nempe schisma & hæresin, ipsius opera fuisse victos & prostratos.

Hieronymus Romanus ait, tempore regis Ioannis & Imperatorum Sigismundi atque Alberti, tres Ordines illustres & insignes in Germania fuisse, quos omnes Moses quidam Didacus de Valera, Hispanus, propter egregiam suam virtutem & fortitudinẽ ab Alberto obtinuerit, nempe Draconicũ, tanquã à rege Hungariæ: Tusinum, tanquam à rege Boemiæ, & torquem Ordinis disciplinarum, candida aquila ornatum

(quod

(quod est insigne regum Poloniæ, in area rubra) tanquam à Duce Austriæ.

In historiis Hungariæ fit mentio Equitum Hungaricorum, quorum insigne erat Crux viridis alligata pallio coccineo.

Hieronymus Megiserus, Historiographus Archiducis Austriæ, in tractatu, quem de tribus Equitum generibus composuit, scribit, hunc Ordinem ante ducentos annos fuisse in Hungaria institutum, vt Turcis eam occupare volentibus resisteret.

Ordo Militum in Suecia.

35 Cura, quam olim reges & Principes Gottorum pro perpetuando in futura secula honore & gloria, quam armis acquisiuerant, gesserunt, conspicitur in ipsorum insignibus, vexillis & scutis, quæ pluribus locis in Flandria Australi insculpta reliquerunt, in magnifico portu Angoviæ, qua in vrbe reges Sueciæ belli & pacis consilia capiebant.

Hodie etiam vetusta insignia præstantium virorum, qui olim inter populos istos floruerunt, rupibus incisa ordine alphabetico cernuntur.

Hi reges olim symboli loco habebant duas Virgines coronatas, tela aurea vestitas, quæ se mutuo complectebantur in virenti saltu: gloriati scilicet formosis nymphis & deabus, quæ illam prouinciam frequentabant.

Post aliquot secula nihilominus Principes Sueciæ pro insignibus acceperunt tres coronas in area cærulea, propter imperii ipsorum amplitudinem, magnificas expeditiones bellicas, & inexhaustam metallorum copiam, quæ in illa regione reperitur.

Postquam ad religionem Christianam conuersi fuerunt, ad imitationem aliorum Principũ Christianorum Ordines militares instituerunt, quorum aliqui pro insigni habebant torquem aureum ex complurib. Cherubinis & Seraphinis inter se contextis compositum, patriarchali cruce intermixta, & Christi imagine ornatum.

Ordo Equitum Ensis & Balthei in Suecia.

Alius Ordo est in Suecia, qui Ensiferorum di-
36 citur, quoniã torquis ipsorum erat munitus ensibus aureis baltheo colligatis, qui mucronibus cruentis collidere videbantur: quod fuit symbolum iustitiæ & armorum: quæ sunt duæ colũnæ regni. Insigne ipsorum erat clypeus aureus, cuius vmbo subrufus, adpictum habens leonẽ flauum & repentem, & circũ eum tres coronas regias, cum tot tintinnabulis rubris. Supra hunc clypeũ erat galea, corona murali argentea redimita, & viridi plumarum fasciculo tecta, ex qua duo vexilla argentea prodibãt, quę in suis linteis gallos rubros depictos habebãt. Ex quo hæc regio religionẽ mutauit, hic Ordo prorsus interiit.

Ordo Equitum Spicæ in Britannia.

37 Franciscus primus huius nominis, Dux Britanniæ, filius Ioannis quinti, & nepos Ioannis quarti, cognomento Conquestoris, qui primus hunc Ducatum in familiam Montfortiorum transtulit, quæ à magno illo Euerhardo Mommorencio originem trahit, instituit anno MCCCCL. Ordinem Spicę, cum vt memoriam aui sui honoraret, tum vt nobilitatem suam tanto magis decoraret.

Cooptatis in hunc Ordinem dedit torquem contextum spicis frumenti, & laqueis amoris colligatum, pediculis retrorsum iactis: ita vt coronam Cereris quodammodo referret.

Ab hoc torque duabus catenulis pendebat mustela alpina supra colliculum viridem, cum hoc symbolo Ioannis Cõquestoris, *Amaire*, quod significabat animam puram & generosam.

Hoc animal, teste Plinio, tam studiosum est puritatis, vt venatoribus ipsum persequentibus, & illo in latibulum suum se recipiente, si ingressum sordidum inueniat, malit se capi, quam in illud ingredi, & se polluere.

Anna, filia Francisci secundi, Ducis Britanniæ, & Margaretha Foxia, filia Gastonis Foxii & Eleonoræ reginæ Nauarræ, simile fere symbolum vsurpauit, nempe hoc, *Mori potius*, quod hodieq; in arce Blæsensi cernitur.

Hic Ordo Equitum Spicæ desiit, quando Ducatus Britanniæ regno Galliæ annexus fuit per matrimonium modo dictæ Annæ cum Carolo VIII. & hoc mortuo, cum Ludouico XII. rege Galliæ.

Ordo Equitum Lunæ crescentis inter Andegauenses & Siculos.

Renatus, Dux Andium & Rex Siciliæ, Neapolis & Ierosolymæ, instituit hunc ordinem in templo S. Mauricii, quod est cathedrale Andegaui, & allectis in eum dedit torquem aureum, cui alligata erat Luna crescens, cum hoc symbolo, *Gloria crescens*. Nemo in hunc Ordinem cooptabatur, quin prius illustre aliquod fortitudinis documentum dedisset: q̃ cognoscebatur e numero præliorũ, quib. interfuisset, & illa designabantur bacillis, quorum singula annulo ab ipsorũ collo cum fasciola pendẽte inclusa erant.

Primi hoc Ordine decorati fuerunt, Ioanne frater primogenitus Regis supradicti, qui fu Dux Lotharingiæ & Calabriæ, Vicecomes Bal lorensis, Estagius, Bertrandus Bellouasius, ali quorum nomina inueniuntur in templo illo S Mauricii Andegauensis.

Equites huius Ordinis tenentur ex æquo pa ticipare fortunæ secundæ & aduersæ vnius & a terius, & sibi mutuo opem ferre in omni necessi tate, neq; vnus alterum armis lædere potest. Ex tincta familia Andegauensi per mortem huiu Regis, hic quoq; Ordo interiit.

Ordo Equitum Nauis seu Conchæ.

Galli olim fortissimi erant armorum, & in i valde exercitati, teste Pacato, Apollinari, & S

Renat

fato & tanto studio dediti erant rei nauticæ, vt decreuerint, si vsquam vrbem conderent, in qua habitarent, Nauem illius insigne futuram.

Iidem hi auctores existimant, quod hanc artem à Gepidis didicerint, qui olim totum Oceanum Germanicum tenuerunt, in quo ita se exercuerunt, vt omnibus aliis gentibus palmam expeditionibus transmarinis præripuerint.

In cuius rei testimonium S. Ludouicus monetam quandam nauis & conchis marinis signauit: quam etiam confirmat Ordo Equitum in Gallia, qui pro insigni gerebat duas naues nigri coloris in scuto aureo ex conchis marinis contexto, in quibus erant duæ Lunæ dimidiatæ coloris rubri, in memoriam tot victoriarum, quas Galli de barbaris in Oriente reportarunt, & signorum ipsis ereptorum, quæ figura huius astri nocturni notata erant, quod Turcarum insigne est, sicut aquila Romanorum fuit, qui illud ab antiquo Byzantio mutuati sunt, quod Lunam pro insigni habebat, quemadmodum Lipsius ait, se obseruasse ex Busbequio, & numis quibusdam antiquis, in quorum postica parte erat Luna dimidiata, cum hac inscriptione, BYZANTION.

Ordo S. Michaelis in Gallia.

Ludouicus XI. morem, quo magnates torquem aureum gestare solent, à Romanis ad Gallos traduxit, quando, vt auctor est Gaguinus, Calend. Sextil. MCCCCLXIX. Ambasiæ Ordinem S. Michaelis instituit, quem Plessiaci apud Cæsarodunum Turonum nouis constitutionibus auxit, & iis, quos in eum recepit, symboli loco dedit torquem aureum, cochleis inter se colligatis cõtextum ad similitudinem earum, quas Senatores Romani exterius nonnihil prominentes brachio gestabãt, cum hoc symbolo: *Immensi tremor Oceani*: exemplo patris Caroli VII. prouocatus, qui in suis insignibus imaginem Michaelis Archangeli gestabat, cum Rothomagum ingrederetur: quod is singulari miraculo visus fuisset in ponte Aurelianensi, defendens vrbem contra Anglos eam oppugnantes. Initio tantum triginta fuerunt huius Ordinis Equites, ex primariis & virtute præcellentibus viris lecti, quorum Rex magnus Magister esse voluit.

Qui in hunc Ordinem recipiuntur, peculiari promisso se obligant, quod Regi dicto audientes esse velint, nec possunt ex eo expungi, nisi propter crimen hæreseos, aut læsæ Maiestatis, aut si stationem suam in bello deseruerint, & per ignauiam fugerint.

Vno ex illis defuncto, cum alius in ipsius locum eligendus erat, id non fiebat votis & suffragiis, sed schedulis scriptis, quas Veneti *ballotas* seu calculos appellant. Eæ in peluim mittebantur, ac postea à Cancellario numerabantur. Cui plures suffragati erant, is à Principe in locum demortui recipiebatur, his verbis: *Ordo te fratrem & sodalem agnoscit: quapropter tibi hunc torquem tradit, quem vt diu gestes, faxit Deus.*

Quibus dictis vnumquemque Equitum in signũ amicitiæ osculatur. Hic Ordo habet suum Cancellarium, Thesaurarium, Baculiferum, S. Michaelis dictum, & Graphiarium, qui catalogum nominum & præclare factorum Equitum seruat.

Reges nostri hoc Ordine etiam Principes extraneos honorant, in testimonium amicitiæ, qui si se hostes declarare velint, torquem remittunt, vt sint liberi à iuramento præstito.

Ordo Equitum S. Georgii in Carinthia.

41 Rodolphus Habspurgensis, qui primus ex familia Austriaca ad Imperium euectus fuit, vt Hungariam, Syriam & Carinthiam contra arma Turcarum, qui exitium illis minari videbantur, defenderet, instituit Ordinem S. Georgii, & generali illius Magistro vrbem in Carinthia dedit situ amænam, vt in ea ordinarium suum domicilium haberet, eumque dignitate Principis honorauit. Adhæc voluit, vt Episcopus illius vrbis, qui ex Austria venerat, ab eo quoad temporalia penderet, vna cum Canonicis, qui propterea in arcem translati fuerunt, & in insignibus gentilitiis rubram Crucem S. Georgii gestarunt. Atque vt nihil deesset splendori huius Ordinis, Imperator ipsi contulit arces & dominia toparchatum Cranichbegi recens occisorum cum ipsorum familiis, nempe territoria Trautmansdorffii, Scharffeneckii & S. Patonillæ. Bernhardus Luxemburgensis in libro, quem composuit de Ordinibus Militaribus, ait, Ordinem S. Georgii fuisse institutum à Papa Alexandro VI. & Maximiliano Imperatore contra Turcas: cuius insignia fuerunt Crux aurea cum corona in annulo aureo.

Ordo Crucis Burgundicæ in regno Tunetano.

42 Carolus V. Imperator & Rex Hispaniæ, postquam Muleassem, Regem Tunetanum, in suum regnum restituisset, qui ab insigni illo pirata Barbarossa inde expulsus fuerat, Tunetum, victor, solenni pompa ingressus, paludamento amictus, supra quod crux Burgundica erat, quam in bello gestare solebat, cum esset magno & excelso animo, qui omnium beneuolentiam sibi conciliare volebat, & viros fortes ac strenuos, qui egregiam in hoc bello ipsi operam nauauerant, præmio ornare vellet, instituit hunc Ordinem Crucis Burgundicæ, anno MDXXXV. die S. Mariæ Magdalenæ: cui cruci igniarium addidit, quod scin illas ex silice eliciebat, cum hac inscriptione, *Barbaria.*

Ordo Equitum S. Stephani in Etruria.

43 Cosmus Mediceus, Dux Florentiæ, anno MDLXI. instituit Ordinem S. Stephani Protomartyris eo die, quo pugna die VI. August. ad Marcianum commissa victoriam obtinuerat: eodemque anno, Calend. Febr. Papa Pius IV. eum confirmauit, concedens Equitibus huius Ordinis omnia priuilegia, quæ habent Melitenses, sub regula S. Benedicti, hac lege, vt qui in hunc Ordinem cooptarentur, voto charitatis, castitatis coniugalis & obedientiæ se obligarent, & es-

sent nobili genere, ex legitimo thoro procreati, atque inprimis Catholici, & nulla infamiæ nota aspersi.

Gestant togam vndulatam candidi coloris, cum cruce rubra ad sinistrum latus, quæ palliis ipsorum & vestibus quotidianis attexta est. Officium ipsorum est, arma gerere terra mariq; pro defensione fidei Christianæ, redimere captiuos Christianos, subuenire pauperibus, & quotidie centum orationes Dominicas & totidem salutationes Angelicas, ordinarii exercitii spiritualis loco, recitare: quibusdam tamen feriis solennibus numerum duplicant. Quando aliquis ex ipsorum sodalitio moritur, centum apud se orationes Dominicas & centum salutationes Angelicas aut Officium mortuorum recensere tenentur.

Magnus ipsorum magister est Dux Florentiæ: forma Crucis ipsorum est Melitensi similis: habent quoque presbyteros & Fratres ministrantes.

Ordo Equitum S. Spiritus in Gallia.

44 Henricus III. rex Galliæ & Poloniæ, in perpetuum pietatis & gratitudinis testimonium pro beneficiis, quæ à Deo acceperat die missionis Spiritus S. cum eodem die fuisset electus in regem Poloniæ, Fratri defuncto Carolo IX. in regnum Galliæ successisset, & hanc lucem primum aspexisset: instituit hunc Ordinem Spiritus S. anno M D LXXIX. Calend. Ianuar. Lutetiæ, in templo Eremitarum S. Augustini.

Hic ordo fuit institutus pro extirpandis hæresibus, & amplificanda religione Catholica, Apostolica & Romana.

Rex iste voluit, vt Equites in cæremoniis gestarent pallium holosericum nigrum, liliis & flammulis aureis & argenteis acu pictis constitum, cum magno torque aureo, liliis & flammulis intertextis, in cuius extremitate est crux Melitensis, quæ in medio habet columbam. Extat liber peculiaris de hoc instituto, qui satis est vulgaris.

Ordo Equitum sacri sanguinis Domini nostri Iesu Christi, Mantuæ.

45 Vincentius Gonzaga, quartus Dux Mantuæ & secundus Montis-ferrati, instituit hunc Ordinem, anno MDCVIII. in nuptiis filii sui Francisci cum Margaretha Sabauda, pro defensione & propagatione Religionis Christianæ, allectis in hunc Ordinem viginti Equitibus: qui ordo fuit confirmatus à Papa Paulo V.

Quoniam vero Ecclesiastici tẽpli S. Andreæ, quod est Mantuæ, credunt, se habere partem spongiæ Domini nostri, & tres sanguinis ipsius guttas, à S. Longino, centurione & Martyre, collectas, Dux Ordinis sui titulum inde sumsit, cum hac epigraphe: *Nihil isto triste recepto.* Torquem confici curauit ex virgulis aureis colligatis, supra quas est ignis, intermixtis aliis particulis, quibus hæc verba inscripta sunt: *Domine probasti me*: hoc symbolo indicare volens, eos, qui in hunc Ordinem adscripti essent, in summis aduersitatibus sibi mutuo fidem præstare, & in perpetua amicitia atque concordia viuere debere.

Ordo Equitum B. Virginis in Monte Carmelo, & S. Lazari in Gallia.

Sub initium huius Tractatus dictum est de 46 coniunctione horũ duorum Ordinum, S. Mauricii & S. Lazari in Sabaudia: sed Equites S. Ioannis obtinuerant etiam à Papa Innocẽtio VIII. vt Ordo S. Lazari cum suo quoq; in Gallia coniungeretur: quod durauit vsq; ad Amarum Castum. Hic cum esset Eques S. Ioannis & magnus Magister Ordinis S. Lazari conatus est efficere, vt bona, quæ ad sodales suos pertinebant, ipsis redderentur.

Hunc ipsius conatum mors intercepit: sed nostra ætate Philibertus Nerestanus, non minus pietate & modestia, quam robore & fortitudine præcellens, vestigia antecessoris sui sequutus est, quamuis non esset Eques S. Ioannis, vt ille: atq; in hunc finem Romam profectus est ad Papam Paulum V. vbi voti compos factus est, atq; insuper obtinuit, vt Equites Galli S. Lazari nominarentur Equites B. Virginis montis Carmeli & S. Lazari: & vt pro insigni in collo gestarent crucem violaceam, in qua esset imago B. Virginis, & alteram lateri pallii ipsorum attextam, eiusdem coloris & figuræ.

Ordo Funigeræ vel Funis institutus ab Anna Britannica, regina Galliæ.

Quemadmodum Anna Britannica, regina, 47 sponsa Caroli VIII. Princeps fuit casta & virtute præditaita fœminas honestas & virtutis studiosas magni semper fecit, quarum merita vt magis honoraret & debitis præmiis afficeret, instituit Ordinem Funigeræ, ad imitationem Regum, qui multos Ordines Equitum instituerunt, & fœminis illis funẽ dedit, loco fasciæ aut torquis equestris, admonens eas, vt viuerent caste & sancte, & funium ac vinculorum Iesu Christi semper meminissent. Ipsamet, vt eas tanto magis ad virtutem & reuerentiam huius funis aut funigeræ stimularet, scutum suum, liliis Galliæ & mustela alpina Britanniæ intersectum, eo ei cumdedit, quemadmodum Reges nostri suis scutis torques suorum Ordinum S. Spiritus & S. Michaelis prætexunt.

Equites à Pontificibus instituti.

Summi Pontifices multos Equitum Ordines instituerunt, nempe Iesu Christi, S. Spiritus, S. Petri, S. Pauli, S. Georgii, Papæ Pii, Lauretanæ, S. Antonii, Iulii & Lilii. Atque horum Equitum alii sunt Ecclesiastici, alii laici, omnes stipendiarii Papæ, crucibus diuersorum colorum à se inuicem distincti.

Equites Iesu Christi gestant crucem rubram, qualem Equites eiusdem nominis in Lusitania gestant, quæ limbo aureo includitur. Primus eos instituit Papa Ioannes XXII. vt tradunt Franciscus Tarafa, & Ioannes Confetrius in descriptione priuilegiorum Mendicantium.

Equites S. Spiritus, qui Romæ fratres Xenodochii Spiritus S. dicuntur, gestant Crucem candidam super suis togis aut palliis. Eramus Azo-

rius

lius ait, in Saxonia quoque Ordinem esse Equitum Spiritus S.

Leo X. instituit Equites S. Petri contra Turcas, vt refert Alphonsus Ciaconius in historia Pontificum & Cardinalium: quos Papa Paulus III. confirmauit.

Equites S. Georgii auctorem habent Alexandrum IV.

Papa Pius IV. anno M D LX. instituit eos, qui ab ipsius nomine appellantur, quos voluit omnium Imperatorum & Principum Ordines, atque ipsos Equites Melitenses antecedere, quoniam erant ipsius domestici & commensales.

Sixtus V. anno MDLXXXVI. instituit Equites Lauretanæ.

Hæc summatim dicta sint de Ordinibus Equitum, qui aliquod nomen inter Christianos obtinuerunt. Statutorum & constitutionum, quas singuli habuerunt, particularem descriptionem Lector apud auctores inueniet.

INSTITVTIO ORDINIS EQVITVM militiæ Christianæ, facta à Duce Niuernio, anno MDCXX.

Sequuntur statuta Ordinis Equitum militiæ Christianæ, sub titulo B. Virginis & S. Michaelis, instituti à Carolo Gonzaga Cliuensi, Duce Niuernio & Rethelensi, Patricio Franciæ, &c. & Adolpho, Comite Althamense, &c. Olmuzii, metropoli Morauiæ, die Sabbathi, XVII. Nouembr. MDCXVIII. & postea recepti & assumpti Viennæ in Austria, die Veneris VIII Martii MDCXIX. à multis Principibus & dynastis diuersarum nationum in eum finem congregatis.

I.

Hic Ordo pro basi habet duo præcipua Legis diuinæ præcepta, *Amare Deum toto corde & tota anima: & proximum sicut se ipsum.* Scopus ipsius est, pacem & concordiam inter Principes & populos Christianos sancire, & ex infidelium manibus eripere eos, qui ab illis opprimuntur.

II.

Omnes Ecclesiastici & Laici, cuiuscunq; nationis, in hunc Ordinem recipi poterunt, modo iis, quæ sequuntur, qualitatibus sint præditi.

III.

Prima est, vt Candidatus huius Ordinis sit vita & moribus probus, inculpatus, nulla infamia notatus, nec supra facultates, quas habet, obæratus.

IV.

Altera vt sit legitimo matrimonio procreatus, exceptis filiis naturalibus Imperatorum, Regum & Principum supremorum.

V.

Tertia, vt probet, se nobili genere natum, vsque ad quartam generationem, aut demonstret, se aut patrem suum supremum militiæ ducem fuisse, aut aliam eminentem dignitatem suo merito & virtute obtinuisse.

VI.

Quarta, vt annum ætatis duodecimum compleuerit, antequam in hunc Ordinem admittatur, & decimum octauum, antequam aliquod munus ipsi committatur.

VII.

Hic Ordo constabit capite, duodecim cœnobiarchis, septuaginta duobus crucigeris magnæ crucis, commendatoribus & Equitibus.

VIII.

Quoniam fundamentum & scopus modo dicti Ordinis desiderium in quibusdam præstantibus & fortibus viris excitare poterit eum capessendi, quibus forte deerunt certa & indubitata suæ nobilitatis documenta, illi in armorum societatem recipientur, modo aliis, quæ requiruntur, qualitatibus instructi sint, neque quidquam commiserint, quod Ordini deroget: atque etiam suis meritis & officiis Ordini præstitis ex gratia ad maiorem dignitatem peruenire poterunt.

IX.

In hoc Ordine diuersa officia constituentur, quorum aliqua Crucigeri magnæ crucis, alia Commendatores & Equites, quædam fratres seu socii armorum, secundum officiorum illorum dignitatem exercebunt: prout specialius determinabitur in primo Capitulo generali, quod intra triennium celebrabitur, eo loco, de quo inter ipsos cõueniet, & qui aptissimus videbitur ad electionem supra dicti Capitis, & aliorum præcipuorum Officialium Ordinis.

X.

Qui sese offerent, vt in hunc Ordinem recipiantur, in eum tanquam Equites admittentur, vt postea ad alias dignitates euehantur: nihilominus donec Capitulum generale fuerit conuocatum, recipi poterunt cœnobiarchæ, Crucigeri magnæ Crucis & Commendatores, vt Ordo viris dignis, qui illa munera administrent, compleatur: sed post illud Capitulum generale nemo, quamuis eminenti loco cõstitutus, aliter quã per gradus modo dictos in eũ cooptabitur.

XI.

Recipiendus in hunc Ordinem, post factam exhomologesin, in templum aut sacellũ à duobus senioribus Ordinis, qui in eo erunt, introducetur, & in genua prouolutus, sine gladio & pallio ab iisdem coram eo sistetur; qui Ordinem ipsi conferendi potestatem habebit, qui prius sacramentum, cuius formula ad calcem horum statutorum subiicietur, ab ipso exiget: deinde habitum infra descriptum, gladium & Crucem ei dabit, ipsumque amplectens dicet: *Recipimus te in Ordinem Equitum Militiæ Christianæ, sub titulo B. Virginis & S. Michaelis, vt ipsorum intercessione S. Trinitas te confirmet in gloria nominis sui, ad pacem Christianorum, & liberationem eorum, qui sunt oppressi ab infidelibus, Amen.*

Quo facto Eques surget, & duos, qui ipsum comitati sunt, amplectetur, deinde cæteros omnes Ordinis socios, qui aderunt: & à duobus illis ad altare ducetur, vt Missam religiose audiat, & illa dicta communicet.

XII.

Hic Ordo pro insigni habebit duas Cruces, vnam auream, cæruleo colore pictam, ad cuius latus vnum erit imago B. Virginis, Dominum nostrum suis brachiis gestantis ad alterum S. Michaelis: atq; hæc crux collo gestabitur fascia serica cærulea, & auro tres digitos lato, tam à Crucigeris magnæ Crucis & Commendatoribus, quam Equitibus; alteram ex holoserico cæruleo, auro intexto: in cuius medio erit imago Beatæ Virginis, radiis aureis circumfusæ, duodecim stellis coronatæ, Dominum nostrum brachiis & sceptrum dextra tenentis, & Lunam crescentem sub pedibus habentis: circa quam erit funis S. Francisci, & ex quatuor angulis modo dictæ crucis totidem flammæ aureæ prodibunt. Hæc crux ad latus sinistrum pallii gestabitur, tam à Crucigeris magnæ Crucis & Commendatoribus, quã Equitibus, ita vt nullum sit inter illas discrimen, nisi quorundam radiorum aureorum.

XIII.

Die qua cæremoniæ peragentur, Crucigeri magnæ Crucis, Commendatores & Equites omnes habitum interiorem gerent candidum, cum gladio argenteo, vagina & zona candida: Crucigeri autem magnæ Crucis supra habitum illum candidum dalmaticam ex tela aurea coccineis floribus conspersa, manicis in medio sectis, & vsque ad genua propendentem, candido multitio suffultam, & segmentis aureis fimbriatam gestabunt: cui superiniicient magnum pallium russum cum syrmate, candido serico suffulto, limbo aureo prætextum, dextro latere apertum à summo ad imum, & ad humerum funiculo contorto alligatum, cum fimbriis ex serico coccineo & auro. Pallium illud à sinistra attolletur, ne brachium & gladius impediantur. Desuper obtegetur palliolo ex pellibus armellinis maculosis, quod vsque ad cubitum descendat. Supra illud gerent magnum torquem Ordinis, quindecim funibus S. Francisci & totidem stellis manu aurificis elaboratis contextum, in cuius ima parte Crux aurea, de qua paullo ante diximus, tribus catenulis alligabitur: & in anteriori parte magni pallii altera illa, ex cæruleo holoserico & auro intexto facta. Pileum habebunt pellibus armellinis maculosis factum, cuius ora ex rubro cocco dimidium pedem lata erit, aureo limbo fimbriata, quatuor locis pari interuallo dissectum, & vndique replicatum: cothurnos gestabunt ex corio rubro Hispanico, qui dimidiam tibiam tegant, & orbiculis aureis ad latera claudantur.

XIIII.

Commendatores vesti candidæ imponent Dalmaticam sericam cærulei coloris, multitio candido suffultam, limbo cæruleo fimbriatam: supra eam gestabunt magnũ pallium cæruleum vndulatum, candido multitio suffultum, cũ palliolo ex serico candido, infra quod magno pallio annectetur crux ex holoserico cæruleo & auro intexto. Cothurni erunt ex corio Hispanico cæruleo, cum orbiculis ex serico cæruleo, eadem forma, qua Crucigerorum magnæ Crucis. Insuper gestabunt pileum pellitum ex holoserico nigro, cum spira rotunda ex multitio candido.

XV.

Equites supra habitum candidum gestabunt Dalmaticam ex multitio candido, eiusdem coloris panno suffultam, magnum pallium candidum vndulatum, similiter suffultum, & palliolum sericum cæruleum, infra quod magno pallio annectetur crux ex holoserico cæruleo, auro intexto: cothurnos cæruleos cum orbiculis ex serico cæruleo: pileum ex holoserico nigro, cum spira candida, eiusdem cum vestibus modo dictis materiæ.

XVI.

Fratres armorum gestabunt in collo supradictam crucem encausto pictam, cum funiculo contorto ex serico cæruleo, & ad sinistrum latus pallii crucem ex holoserico cæruleo, qualis est Equitum, exceptis fimbriis & textura auri, quibus carebit.

XVII.

In vnaquaque prouincia, in qua Crucifer magnæ Crucis & tres Commendatores erunt constituti, tria templa vel sacella locis diuersis fundabuntur, B. Virgini & S. Michaeli consecrata, in quibus tres sacellani Crucem Ordinis gestantes Missam omnibus diebus festis & Dominicis celebrare tenebuntur.

XVIII.

In iisdem prouinciis erit domus, in qua conuentus habebuntur, quoties negotia Ordinis id postulabunt, & ii, qui huius sunt Ordinis, hospitio excipientur.

XIX.

In vnoquoque duodecim cœnobiarchatuum Academia erigetur pro institutione viginti quinque iuuenum Equitum, cum in bonis moribus, tum scientiis & exercitiis honestis: qui quando triennium aut aliquanto minus in iis fuerint, iter facere, aut in nauibus Ordinis mari se committere tenebuntur.

XX.

In supradictis prouinciis quotannis, sacro die Iouis, sex pauperes cærulea veste, in nomine B. Virginis, tres rubra, in nomine S. Michaelis, tres cinerea in nomine S. Francisci donabuntur: postea Crucifer magnæ Crucis, aut eo absente senior Commendatorum, præsentibus Equitibus prouinciæ, qui in hunc finem conuocabuntur, pedes pauperibus illis lauabit, prandium præbebit, & in mensa ministrabit.

XXI.

In iisdem prouinciis quotannis, die assumtionis B. Virginis, ex quindecim pauperibus & honestis filiabus delectis tres sorte legentur, quæ in matrimonium collocabuntur, singulis data quinquaginta librarum dote.

XXII.

Qui in hunc Ordinem cooptabuntur, singulis annis, diebus festis assumtionis B. Virginis, S. Michaelis aut S. Francisci peccata sacerdoti confiteri & Eucharistiam sumere tenebuntur: singulis

singulis diebus Sabbathi Missam audient, quæ dum canitur, litanias B. Virginis recitabunt, & in casu legitimi impedimenti eleemosynas quasdam pro sua pietate distribuent: adhæc pridie festorum B. Virginis à carnibus abstinebunt.

XXIII.

Viduarum & orphanorum peculiarem curam gerent, & Xenodochia ad minimum quatuor feriis annuis, & festo assumtionis B. Virginis visitabunt, si in eo loco sint, in quo possint hoc opus charitatis exercere.

XXIV.

Si quis ex ipsis in negotio ab Ordine ipsi demandato capiatur, & in seruitutem redigatur, sumptibus communis ærarii redimetur.

XXV.

Si quis ex Ordine decedat, Secretarius cænobiarchatus, in cuius districtu obiit, aliis cænobiarchatibus id notum faciet, vt in singulis presbyteri & sacellani instituti ab hoc Ordine Missam pro salute animæ ipsius celebrent. Sed si moriatur in conflictu aut generoso aliquo facinore pro cultu Dei & ministerio Ordinis, vt ipsius memoria tanto magis honoretur, singularis quædam ac solennis cæremonia peragetur, ad quam omnes Commendatores & Equites à Crucigeris magnæ Crucis singularum prouinciarum conuocabuntur, ad quam conuenire tenebuntur, nisi legitimum aliquod impedimentum ipsis obueniat. Et si facinus, quod perpetrauit, oratione funebri dignum iudicabitur, quidam, qui sit idoneus, ad eam habendam inuitabitur.

FORMVLA VOTI ET IVRAMENTI *quod præstabitur super sancta Euangelia ab eo, qui in numerum Equitum recipiendus offertur.*

Ego N. testor coram Deo, & iuro per meam Nobilitatem, me inuiolabiliter obseruaturum statuta Ordinis Equitum Militiæ Christianæ, sub titulo B. Virginis & S. Michaelis, cum articulis sequentibus: Primo, me omnibus viis licitis & æquis procuraturum pacem inter Principes & populos Christianos, atque etiam cum modo dicto Ordine.

Secundo, me operam daturum, vt Christiani, qui ab infidelibus oppressi sunt, & captiui detinentur, liberentur.

Tertio, me fidem Regi aut supremo meo Principi seruaturum sub pœna exauctorationis ab hoc Ordine.

Quarto, me semper Crucem, insigne Ordinis gestaturum.

Quinto, me prompte superioribus huius Ordinis, in iis, quæ ad ministerium & incrementum illius pertinent, obtemperaturum.

Ita iuro & promitto.

Præstito iuramento, qui mandatum ab Ordine habebit, vt Equitem illum recipiat, postquam habitum, gladium & Crucem ipsi dederit, verba supra articulo vndecimo posita pronunciabit.

Actum & decretum Olmutzii, die Sabbathi, XVII. die Nouembr. M DC XVIII. Signat. Carolus, Dux Niuernius: & Adolphus Comes Althamensis.

INSTRVMENTVM ACCEPTATIONIS *Statutorum supra positorum, ab iis, qui primi Viennæ huic Ordini nomen dederunt.*

Nos infrascripti, postquam in supradictum Ordinem recepti fuimus, acceptauimus & acceptamus statuta supra posita, quæ promisimus & promittimus nos obseruaturos secundum ipsorum formam & tenorem. In cuius rei fidem chirographa nostra hic apposuimus, sigillo nostrorum insignium adiuncto. Viennæ in Austria, die Veneris, VIII. Martii M DC XIX. subscripserunt,

Radulius, Princeps Valachiæ.
Iulius Henricus, Dux Saxoniæ.
Samuel, Dux Coreskius.
Albertus, Dux Raziuilius.
Georgius, Comes Homanaius, magnus Cubicularius regni Hungariæ.
Stanislaus Labomierskius Palatinus S. Domieri.
Lucas Opalinskius, Castellanus Pannoniæ.
Ioannes Vincentius, Comes Arconensis.
Henricus Vallensis, Comes Dampirius.
Ioannes Christophorus, Comes Buchamius.
Emanuel Sabaudus, Marchio Villarsius.
Ludouicus Gotanus, Marchio Rouillacensis.
Nicolaus Petraskus, Vaiuoda Valachiæ.
Abrahamus Marchio Mirouæus.
Ioannes Comes Conopaskius.
Erasmus S. Stephani.
Franciscus Tegnagelius
Stephanus Baro Kendius.
Paulus Liesneuvolskius.
Fridericus à Geisberg.
Gustauus Baro Sparrensis.
Marcus Antonius Scotus, Comes Dagazanus.
Petrus Tarnorskius.
Martinus Baro de Strasoldo.
Petrus Braniskius, Comes de Rusca.
Rudolphus Baro Oppersdorensis.
Gasparus Neuhauserus.
Paulus Baro Spaurensis.
Burckardus Zalderensis.

Et aliquot post diebus Ferdinandus Dux Mantuæ, huic Ordini nomen dans, suprapositis Statutis similiter subscripsit.

Hic Ordo fuit confirmatus Romæ VI. Febr. anno MDCXXIV. à Papa Vrbano VIII. præsente Duce Niuernio, qui habitum & Crucem vna cum multis aliis Equitibus & dynastis illius Ordinis gestabat: cæremonia fuit peracta à Cardinali Sforcia, filio Regis Fezani: in eumque Ordinem admissi & recepti fuerunt à Pontifice Marcus Antonius Comes Placentinus, duo Comites Galli, & Baro Polonus.

DISSERTATIO DE ORDINE EQVITVM MELITENSIVM.

ARGVMENTVM.

1 *Diuersa domicilia Equitum Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, antequam Melitæ sedem figerent, quam ab Imp. Carolo V. dono acceperunt.*

2 *Descriptio insulæ Melitensis, quot milliaria in circuitu habeat, ipsius longitudo, latitudo, situs, clima, parallelus, & portus.*

3 *Descriptio insulæ Gozensis, quæ Melitæ vicina est.*

4 *Solum Melitæ lapidosum, quod nihilominus arbores fructiferas fert, vt ficus, malos, amygdalos, vites, palmas, gossypium, rosas, thymum, fœniculum: alit oues, capras, boues, asinos, mulos, cuniculos, perdices: in eadem sal & mel conficitur: caret autem aqua dulci: olim catellis melitæis celebrata: immunis est à serpentibus, ex quo S. Paulus in eam venit: & ex illa specu, in qua hic Apostolus, cum captiuus esset, asseruatus fuit, saluberrimi lapides contra venenum & morsus serpentum ac scorpionum effodiuntur.*

5 *Qui fuerint mores priscorum huius insulæ incolarum, & de ipsorum templis Herculi & Iunoni consecratis.*

6 *Ingenium hodiernorum Melitensium, simile Africanis: forma vestium: indoles mulierum, earumque oblectamentum tempore hilariorum, religio & piæ cæremoniæ in Quadragesima.*

7 *Prouentus magni huius insulæ Magistri: opes Ordinis, quæ consistunt in ærario, & commendatitiis possessionibus per totum orbem Christianum sparsis.*

8 *Vires eiusdem, quæ in munitionibus, quas tenet, & equitum virtute sitæ sunt.*

9 *Destructio & diuisio Ordinis in tres partes, statuta de receptione in hunc Ordinem, & quæ cæremoniæ in illa obseruentur.*

10 *De priuatione habitus, quando aliquis insigne crimen aut graue delictum admisit: & quibus ritibus reo reddatur habitus, quando veniam impetrauit.*

11 *De longo pallio Ordinis, & quibus diebus Equites illud gestare teneantur.*

12 *De valetudinario & eius præfecto, Medicis & aliis pretio conductis, vt ægrotos curent. De eorundem sepulturis & exequiis.*

13 *De quæstoribus & procuratoribus rei numariæ, conseruatoribus thesauri, auditoribus rationum, eorumq; potestate & officio.*

14 *De Capitulo generali, cuius sit illud conuocare, quibus cæremoniis id fiat, & quæ in eo negotia tractentur.*

15 *De Capitulis prouincialibus, quæ singulis annis habentur, & quis ordo in illis obseruetur.*

16 *De forma administrandæ iustitiæ & exercendorum iudiciorum: de duplici Senatu, & iudicibus, qui in eo præsunt & assident: de calculis suffragiorum, publica audientia, & forma iudicii, quod vocatur Obseruatio.*

17 *De obedientia, quam omnes, qui illum Ordinem gerunt, magno Magistro præstant: huius dignitas, excellentia, potentia, iura & priuilegia: quæ sint possessiones commendatitiæ ipsi assignatæ, de quibus pro arbitrio disponere, & eas, cui lubet, conferre potest.*

18 *De officio Præfectorum, Pannariorum, magni Conseruatoris, Archimarschalli, Archimandritæ Ecclesiæ Melitensis: eorum stipendia: & in quem finem hæc officia fuerint instituta.*

19 *De electione magni Magistri, & cæremoniis, quæ in ea obseruantur.*

20 *De iis qui vel apti vel inepti sunt ad possidenda bona commendatitia, & ad quos pertineant ea, quæ ex illis acquiruntur.*

21 *De visitatione possessionum commendatitiarum, quæ fit singulis quinquennijs.*

22 *Negotiationes, testamenta, donationes & plura alia Equitibus interdicta.*

23 *Quæ sint crimina, propter quæ Eques habitu priuari potest.*

24 *De Episcopo Melitensi, qui subest archiepiscopo Panormitano: de cultu diuino, ieiuniis & abstinentia, ad quæ Equites Melitenses & fratres Ordinis sunt obligati.*

25 *De magnis Equitum Melitensium Magistris, cum epitome eorum, quæ sub singulis acciderunt.*

EQuites Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, Rhodo à Turcis eiecti anno MDXXII. pridie natiuitatis Domini, postquam illam insulam ducetis & duodecim annis tenuissent, Cretam primum appulerunt, vbi aliquandiu commorati sunt: deinde partim Venetias, partim in alia loca Italiæ se contulerunt. 1

Cum aliquandiu Venetiis & aliis Italiæ locis hæsissent, facultatem à Duce Sabaudiæ impetrarunt, vt sibi liceret Nicæam se recipere, & ibi domicilium ac sedem constituere: idq; eo facilius, quod Turcæ & Mauri in Africa & Barbaria omnes oras atque vrbes maritimas Christianorum inuadebant & deprædabantur.

Postea consilium ceperunt Syracusas in Sicilia se transferendi, quod locus ille Græciæ vicinior esset: quandoquidem rumor erat, Turcam in Italiam, ac præcipue Siciliam & regnum Neapolitanum irruptionem esse facturum. Tandem Imperator Carolus V. Insulam Melitensem ipsis donauit, vt in ea sedem figerent, tanquam loco commodo ad impediendum, ne Turca eis eam fines suos prolataret, & cogitata perficeret.

Ante-

Antequam vero in hac narratione vlterius progrediar, sciendum est, tria olim loca fuisse Melitæ nomine insignita: nam fuit vna in Græcia, prope Marathonem; altera in Cappadocia, non procul ab Euphrate: & hæc tertia, de qua nunc verba facturi sumus.

Melita insula distat à Sicilia circiter sexaginta millibus passuum versus promontorium Passaranum, & ab Africa plus quam sexaginta grandibus milliaribus marinis: quod multos mouit, vt eam inter Europæ insulas numerent.

In circuitu triginta parua milliaria complectitur: in longitudinem viginti, in latitudinem duodecim passuum millia patet.

Iacet in mari Africano, à Septentrione promontorio Passarano in Sicilia, à meridie Africæ & Tripoli in Barbaria, ab Occidente Insulæ Lampadusæ, & ab Ortu Mari Mediterraneo obiecta. Longitudo ipsius à Peloponneso ducitur, & in principio quinti climatis & octaui paralleli sita est, sub altitudine circiter triginta trium graduum.

Multos habet portus, sed duos præ aliis insignes & multarum nauium capaces, quorum vni Marzamuscetto nomen, alteri Marzasirocco. Hos portus efficiunt sinus, qui in insulam se effundunt, & in introitu sunt angusti, sed superato ostio dilatantur, & ex quibusdam partibus Insulæ peninsulas efficiunt, quæ longe in mare excurrunt, & insulæ paruo terræ spatio adhærent.

Habet præterea portus S. Georgii, Benarati, S. Pauli, Antofegi, Muggiari & Marzascalæ, qui sunt tuti.

In prominenti terræ angulo, inter duos paruos sinus, (qui alios minores ex se gignunt, inprimis, qui ad dextram est) porrecto, Equites non ita pridem nouam vrbem condiderunt, eo loco, vbi antehac S. Elma siue Herma fuit, eique nomen Valettæ, magni Equitum Magistri, qui hunc locum fortissime contra Turcas defendit imposuerunt.

In alio angulo S. Michael & Castrum conspicitur. In media fere insula & inter paruas peninsulas vetus ciuitas apparet, quam Diodorus à Carthaginensibus conditam refert, olim commendata ab optimo panno, qui ibi conficiebatur.

Insula Gozensis eadem est, quam nonnulli ex veteribus Glocon nominant, & alii, in quibus Strabo, Gaudon. Portus ipsius inter Occidentem & Meridiem situs est, & milliari plus minus à Melita distat.

Continet in ambitu viginti millia passuum. In ea arx est, quæ ad Equites pertinet. Ex hac insula Turcæ anno MDLI. tria hominum millia abduxerunt.

QVALITAS.

Huius insulæ solum vbique fere lapidosum est, sed lapide molli, & ad opus facili ac commodo. Terra sex pedibus supra lapidem eminet. Illud tamen ficos, malos, amygdalos, vites & alias arbores fert, inprimis palmas: vites sunt rariores, palmæ steriles: frumentum & lignum ex insula & Sicilia aduehitur.

Quidquid producit, eximium est, & præstans, vt gossypium, fructus & flores, inprimis rosæ, thymus, fœniculum, & quidam cardui agrestes, qui sunt apti ad vescendum, & hunc præterea vsum habent, quod incolæ iis loco lignorum vtantur.

Magna etiam illic ouium, caprarum, boum, asinorum, mulorum, cuniculorum & perdicum copia nascitur.

Habet quoque suas salinas, in quibus sal conficitur.

Mel hic optimum paratur: gossypium est molle, exile & admodum candidum.

Fructus sæpe bis in anno colliguntur, inprimis hordeum & gossypium.

Aquæ dulcis, cum ex aere tum è terra promanantis, penuria laborat; ea, quam incolæ habent, maximam partem ex pluuiis hybernis colligitur.

Nam aquæ dimidia parte salsæ sunt, & magno æstatis ardore siccantur, qui etiam homines adurit & infuscat, adeo vt eiusdem fere sint coloris cum Mauris in Africa.

Quapropter quidquid in hyeme & autumno nascitur vegetiorem colorem habet, & elegantius est, quam quod æstiuo tempore prouenit.

Olim etiam catellis melitæis, quibus fœminæ delectantur, celebrata fuit.

Ventis non minus quam calori, vt diximus, exposita est.

Hoc in ea singulare est, quod ex quo Paulus solum illius triuit, nullum genus serpentis in ea reperiatur, quamuis prius serpentes in ea fuerint, sicut ex Actis Apostolorum colligitur; & scorpii, qui alibi sunt noxii, & in hac insula propter immensos calores non minus aut etiam magis, quam vllo alio loco esse debebant, eos non lædunt, qui illos manibus tractant.

Præterea Deus peculiarem vim rebus sensu destitutis indidit, vbi viri sancti hospitium habuerunt.

Nam lapides ex specu, in qua S. Paulus captiuus asseruatus fuit, effossi, per Europam circumferuntur, & magnam vim habent contra serpentes, eorumque morsus, inprimis contra venenum scorpionum & viperarum, & hæc frustula rupis, sancti Pauli gratia appellantur.

MORES ANTIQVI.

Cum Romani hanc insulam Carthaginensibus eriperent, Melitenses omni ex parte beati habebantur, propter commercium diuersarum gentium, & varias artes, quæ in hac insula exercebantur. In pretio erat pannus Xylinus, qui hic conficiebatur: vnde Cicero Verri luxum & delicias Melitenses non aliam

ob cauſſam, quam propter veſtes, quibus indutus erat, obiecit. Interim verum eſt, Melitenſes olim fuiſſe admodum delicatos & voluptatibus deditos : ſicut & mulieres ipſorum erant præmolles & libidinoſæ. In hac Inſula rex Battus Didonem & Annam ſororem ipſius excepit: & Phalaris, tyrannus Agrigentinus in Sicilia, intimus erat Melitenſibus, & eos crebro inuiſebat.

Appianus Alexandrinus ait, Cæſarem Melitenſes, cum defeciſſent, magno & difficili bello ſuperaſſe, quod maris potentes eſſent, & excurſionibus omnia loca infeſtarent, ac cæſis infantibus, reliquos captiuos venundarent. Quoniam igitur tanto labore illos domuit, eos magnis opibus & viribus inſtructos fuiſſe oportet: ac licet, victis Carthaginenſibus, à Romanis ſubacti fuerint: tamen recollegerunt ſe, & viribus ſuperiores iugum Romanorum excuſſerunt.

Iunonem colebant, fuitque illic antiquiſſimum templum, in quod omnes vicini populi donaria magni pretij inferebant. Templum quoque Herculis habuerunt, cuius ruinæ etiamnum extant. Certum præterea eſt, incolas huius inſulæ amicitiam cum Siculis plerunque coluiſſe.

MORES HODIERNI.

6 Incolæ admodum feroces ſunt, & Afrorum ingenium referunt. Nihilominus religioni Catholicę vehementer ſunt addicti, & contra Turcas pro defenſione patriæ fortiter ſe geſſerunt. Tenuiter admodum victitant, propter exiguos inſulæ prouentus. Omnes S. Paulum ſingulari affectu & religione colunt.

Fæminæ ſunt elegantes & venuſtæ, domibus incluſæ, pro antiqua loci conſuetudine, & quod viri ſupra modum ſint zelotypi & ſuſpicaces. Nunquam prodeunt, niſi velato capite: & pleræque ſunt religionis obſeruantiſſimæ, prout omnia cum feruore & vehementia agunt, adeo vt ſi in vitium inclinent, nullum non flagitij genus committant, & ſint inſigniter improbæ.

Lingua Melitenſium Africanæ ſimilis eſt, exiguo diſcrimine. Vtraque autem eſt corrupta, & à vera lingua Arabica, quæ in libris reperitur, & cuius vſus eſt tantum circum Mecham, prorſus diſcrepat.

Multa habent Mahumetana mancipia, in quæ ſunt ſatis duri & inclementes: quanquam longe maior eſt Mahumetanorũ in Chriſtianos, quos in ſua poteſtate habent, aſperitas.

Equites, vt ſunt diuerſarum gentium, ita ſunt diuerſorum morum. Magna eſt ipſorum auctoritas, & libere omnibus iis vtuntur, quæ ſunt in Inſula. Inprimis qui præ aliis excellunt, animi cauſſa faciunt quidquid volunt, nemine repugnante. Tempore hilariorum mille excogitant honeſtorum exercitiorum genera. Quidam choreas agunt, alij pernicibus equis ad annulum decurrunt, nonnulli ad repagula dimicant: ſunt, qui munitiones excitent, aliis eas propugnantibus, aliis oppugnantibus. Sed tempore Quadrageſimæ nihil illis eſt religioſius.

Die Iouis ſanctæ hebdomadæ magnus Magiſter lauat pedes complurib⁹ egenis: deinde illis ad menſam diſcumbere iuſſis varios cibos octodecim miſſibus apponi curat, quibus poſtremum ferculum, plurimis aureis & argenteis nummis refertum, ſuccedit: quorum ſinguli tantam copiam accipiunt, vt affatim habeant, vnde toto anno ſe ſuſtentent. Poſtquam his pauperibus ſua manu miniſtrauit, allatis ab Equitibus magnæ crucis ferculis, Noſocomium ingreditur, & ipſemet ægrotis victum præbet ex argentea ſupellectile.

OPES.

Quod hæc inſula ex ſuo goſſypio & aliis ſimilibus rebus, quæ in ea naſcuntur, colligit, id in ea, quæ ipſi aliunde afferuntur, impendit. Nihilominus magnus Magiſter, qui huius inſulæ prouentu fruitur, quorannis decem ducatorum millia ab illa accipit: & vt tanto liberalior erga vnumquemque eſſe poſſit, ſingulis annis ex ærario aliquot aureorum millia ipſi ſuppeditantur: præterea in vnaquaque natione poſſeſſionem habet commendatitiam, quæ magnum ipſi vectigal reddit. Præterea ſi Equites aliqua præda potiantur, illius decima pars ipſi cedit. Conſtat autem quouis anno exeunte ipſos multa ex iis, quæ hoſtibus eripuerunt in rationes referre.

Ordo ipſe eſt ditiſſimus propter magnum numerum opulentarum poſſeſſionum commendatitiarum, quas per totum orbem Chriſtianum tenet.

Ex omnibus, quæ inde prouenium, atque ex prædis, quas Equites in ſuis excurſionibus agunt, ærarium ipſorum valde locupletatur.

Quoniam etiam continuum bellum cum Chriſtiani nominis hoſtibus gerunt, æquum eſt, vt dignis ſuorum laborum præmiis fruantur, quæ ipſis Principum liberalitate obtigerunt.

Ob hanc cauſſam omnes præfecti cœnobiarchæ & commendatores quotannis Capitulo prouinciali ſuorum bonorum ac reditnum rationem reddunt, & canonem, quem debent ærario publico Ordinis, ſecundum æſtimationem poſſeſſionis commendatitiæ, quã adminiſtrant, pendunt: & conſtitutus eſt exactor ex Equitum numero, qui eum quotannis feſto Ioannis Baptiſtæ colligit.

Sciendum eſt præterea, nullum ad huius Ordinis profeſſionẽ recipi, quin ius tranſitus, quod vocant, publico ærario ſoluat, quod centum quinquaginta aureis pro Equite & centum pro fratre miniſtrante æſtimatur. Si poſt tranſitum illi non ſoluantur, is, qui eos in Ordinem recepit, pro iis ſatisfacere tenetur, quamcunque diſpenſationem proferat: qui vero ſatisfecit, ei ius antiquitatis non poteſt denegari. Exuuiæ Equitum defunctorum cedunt etiam ærario publico, niſi forte habuerint auream aut argenteam ſupellectilem, qua

apt

apta sit vsibus Ecclesiæ, cui res huiusmodi lege lata à Deodato Gozonensi, magno Magistro, dedicatæ sunt. Verum quando Officiales, qui magnum Magistrum sectantur, vt diæceta, castellanus & alii Equites, qui ei ministrant, satis concedunt, ipsorum bona & exuuiæ non rediguntur in ærarium, sed magno Magistro cedunt.

VIRES.

Insulæ Melitensis aditus omnes tam prouidè circumclusi, & loca omnia tanta industria munita sunt, vt non solum difficile sed fermè impossibile sit, exscensionem inuitis incolis in eam facere, aut ea facta progredi, aut aliquod operæ pretium facere. Verum omnibus munitionibus virtutem Equitum, qui in ea habitant, longe præfero, quorum, sicut etiam fratrum ministrantium & militum, qui illic sunt, tanta est animi fortitudo, vt, quamuis exiguo sint numero, ingentem exercitum profligare possint: cuius rei præclarum documentum ediderunt, cum maximum Turcarum numerum ante arcem S. E. mæ trucidarunt, quamuis instar manipuli tantum essent.

Tantum autem abest, quemquam illos domi inuadere, vt contra ipsi quotidie in Græciam versus Rhodum & in Africam excurrant, ac sæpe Constantinopolin proxime accedant. Multas habent triremes instructas, quadringentorum aut quingentorum militum capaces, quarum singulis sedecim tormenta imponunt: nec vlla est militaris annona, quæ ipsis desit. Denique omnibus adeo sunt formidabiles, vt à multis iam annis nemo eos in ipsorum insula aggredi ausus sit.

POLITIA.

Tria sunt genera eorum, qui hoc Ordine comprehenduntur: quidam sunt Equites, quos nobili stirpe prognatos esse oportet: nonnulli sunt presbyteri: alii denique fratres ministrantes appellantur.

Presbyteri, cruce signati, diuiduntur in conuentuales, & in eos qui ab obedientia nomen habent. Fratres ministrantes vel armis vel officiis ministrant: ex quibus posteriores non possunt ad honores militares promoueri, quemadmodum priores.

Nam fratres, qui armis ministrant, habitum accipiunt, & idem profitentur, quod Equites, atque idem iuramentū præstant, neque vlla est inter hos & illos differentia, nisi ratione nobilitatis: & quia fratres illi ministrantes non sunt nobiles, ad dignitatem maioris Crucis & officium archimandritæ, præfecti aliaque insigniora munera non admittuntur.

Interim possessiones commendatitias tenent, & locis ad Ordinem pertinentibus præficiuntur, simulque ad pecuniæ administrationem, & ad visitationem locorum, quæ ad Ordinem pertinent, adsciscuntur: cum alii ministri non possint in numerum Equitum recipi, non magis quam presbyteri, siue conuentuales siue Obedientiæ. Statuta de recipiendis equitibus huiusmodi sunt, quæ ab Hugone Reuelio, magno Magistro, lata fuerunt:

Nulli spurii in hunc Ordinem recipiantur, nisi cum consensu Capituli generalis, exceptis iis, qui ex aliqua illustri familia procreati sunt.

Præterea inter legitimos & nobiles nullus patre Iudæo, Marrano aut Mahumetano natus, etiamsi sit filius Principis in hunc Ordinem admittatur.

Neque in eo locum habebit, qui prius alium Ordinem professus fuerit. Hæc tamen lex non semper obseruata fuit.

Nam Canonici S. Sepulchri auctoritate Pontificis huic Ordini insiti fuerunt, quamuis sub alio quam sub magno Magistro professi fuissent.

Adhæc ære alieno obrutus non magis quam matrimonio copulatus huius Ordinis capax est. Nec admittitur, qui homicidium commisit, aut crimen aliquod infame. Habitus nulli datur infra annum decimumoctauum.

Nihilominus magnus Magister sex pueros ex quacunque natione eligere potest, & eos creare Equites, modo sint nobiles: sin minus, potest eos recipere in numerum fratrum ministrantium, vt arma tractent, & illos omni ministerio eximere: sed oportet, vt ad minimum sint quatuordecim annorum: & his potestius antiquitatis auferri in ordine possessionum commendatitiarum.

Qui vult recipi, eum oportet esse sanum, & membris bene compositis, ac labori aptum. Oportet autem, vt prius probet, se esse nobilem nomine & insignibus, eiusdem linguæ & præfecturæ cum ea, in cuius hospitium siue contubernium vult recipi. Nam Melitæ certa sunt domicilia siue receptacula, in quæ vnaquæque lingua coit, cibi capiendi, & linguis conferendi, hoc est, de negotiis domesticis consultandi gratia. Postquam igitur aliquis sua documenta edidit coram iis, qui ab Archimandrita & conuentu prouinciæ, in cuius contubernium recipiendus est, sunt designati, solenni ritu recipitur: habitum autem solius magni Magistri auctoritate accipit.

Habitus Equitum est pallium nigrum, cum candida cruce, ex antiquo statuto magni Magistri Raimūdi Poiitamen in colore pallii dispensatur secundum loca & tempora, modo quoad crucem statutum obseruetur. Hoc autem de religiosis accipiendum, qui arma ferunt, non de aliis. Qui in numerum professorum huius Ordinis vult recipi, eum oportet ante omnia delictorum confessione conscientiam exonerare: deinde longa toga indutum absque zona coram altari procumbere, & cereum ardentem manu tenere, Missam audire, & sacram hostiam accipere. Quibus peractis se sistit coram fratre, à quo recipiendus est, genibus ipsius aduolutus, à quo humiliter petit, vt se in fratrum societatem & in sanctum Ordinem Hospitalium Hierosolymitanorum admittat. Ibi nonnulla ipsi proponuntur, quæ obseruare debeat, postquam

fuerit

fuerit receptus. Interrogatus, an hæc omnia præstare velit, annuit. Tum qui eum recipit, pergit, & quærit, an alio aliquo voto se obstrinxerit, an fidem coniugii alicui virgini aut mulieri dederit, aut an cuiusquam sit seruus. Nam si vno horum trium attineatur, reiicitur: sed si liber sit ab omnibus, is, qui eum recipit, aperit Missale, quod ipsi offertur, & acceptis duabus manibus eius, qui profitetur, illas sacris paginis imponit eodemque tempore ipsum hæc verba proferre iubet: voueo, & promitto Deo, beatæ virgini Mariæ, & S. Ioanni Baptistæ, me diuina gratia & auxilio semper obsequentem fore superioribus, quos Deus & Ordo mihi præficiet, & deinceps victurum caste, & nihil proprietario iure possessurum.

Post hæc recipitur, Missale osculatur, eoque accepto illud supra altare reponit, quod etiam osculatur: mox librum recipit, eumque in obedientiæ testimonium ei, qui ipsum recipit, affert. Is accepto pallio nigro, candidam crucem Professo ostendens, quærit, an non credat, hoc esse signum crucis, cui Dominus noster Iesus Christus propter peccata nostra affixus fuerit. Ille agnoscit, & crucem osculatur. Tum is, qui eum recipit, accepto pallio, crucem sinistro lateri pectoris ipsius applicat, ipsumque osculatus, ait: Accipe hoc signum in nomine S. Trinitatis, beatæ virginis Mariæ, matris Dei, & S. Ioannis Baptistæ, pro incremento fidei, defensione nominis Christiani, & ministerio pauperum. Crucem huic loco applicamus, vt eam ames toto corde, & vt tua dextra eam defendas, eamq; defensam integram tuearis. Nam si in pugna contra hostes Iesu Christi fugias, & crucem derelinquas ac sacrum ipsius insigne, tu quoque hoc sacro signo merito priuaberis, & tanquam membrum putridum ex nostro cœtu rescinderis.

His dictis, pallium vinculo ipsi adstringit, dicens: Suscipe iugum Domini nostri, quod lene est & mite, & inuenies requiem animæ tuæ.

Quo facto, ipse & omnes alii Equites, qui adsunt, eum osculantur, multis precatiunculis recitatis, quæ libris statutorum huius Ordinis continentur: quibus cauetur, si quis contra formam præscriptam recipiatur, is, qui est Eques, fiat frater ministrans: qui ministrat armis, ministret officio: & si sit sacellanus, fiat frater obedientiæ, nec possit vnquam possessionem commendati tiam obtinere, neque ad vllam dignitatem Ordinis aut administrationem bonorum eiusdem peruenire.

Ex presbyteris & sacellanis nemo recipitur, nisi prius anni integri spatio ministrauerit, vt vitæ ipsius, & an sit ad hoc officium idoneus, experimentum fiat: atque eo spatio sumptibus ex ærario Ordinis suppediratis alitur.

Non licet Equitibus alium fratrem propria ructoritate recipere, quam sacellanum, quando in ipsorum ecclesiis aut sacellis locus aliquis vacat: nec alios, quam ministros officii, qui ipsis in possessionibus eorum commendatitiis ministrent: atque hos oportet esse probatos, & à Capitulo Prouinciali commendatos, cui offerantur, assignato ipsis certo stipendio, pro victu & vestitu.

Sunt præterea Confratres & Donati in Ordine, qui non eadem vouent, quæ fratres, sed tantum promittunt, se amaturos Ordinem, & quod ab eo dependet, & ipsius commodum omnibus viribus procuraturos, & superioribus proditores & homines ipsis noxios, quoscunq; deprehendent, indicaturos. Hi pro eo, quo ducuntur, pietatis affectu sportulam suam Ordini conferunt: quemadmodum solent sodales in sodalitio, vt bonorum ipsius participes fiant.

Nihilominus non licet Cœnobiarchis, Castellanis, Præfectis aut aliis inter Commendatores & Equites quemquam in numerum Confratrum absque magni Magistri mandato recipere: quod si quis id faciat, priuatur suo habitu, & recepti in catalogum Confratrum non referuntur, nec vllis priuilegiis fruuntur, quibus alioqui Donati frui solent.

Donati integram crucem non gestant, sicut omnes ii, qui professi sunt: sed ipsorum crux tres tantum ramos habet, qualis conspicitur in habitu religiosorum sancti Antonii, vbi superior pars crucis est ablata: quod si non obseruent, priuilegiorum suorum fructu priuantur.

Habitus priuatio hoc modo fit:

Magnus Magister aut legatus ipsius diligenter inquirit de crimine, cuius aliquis arguitur; quo comperto, si videat, ad extrema progrediendum esse, accusatio coram cœtu, qui pulsu campanæ conuocatur, instituitur, & crimen coram reo proponitur, qui per magnum hipparchum in confessum adducitur.

Accusatione proposita, magnus Magister, qui primas partes tenet in Consilio præfectis mandat, vt rationem habeant (nam hoc genus loquendi vsurpatur in iudiciis huius Ordinis) eorum, quæ contra reum proferuntur, & iudicium exerceant secundum Deum & rationem, & secundum laudabilem & antiquam Ordinis consuetudinem.

Secundum hæc magnus Magister aliquem iudicio præficit, & simul virum bonum constituit causæ cognitorem, qui causam agat coram iudicii præside: & reo licet respondere & se defendere, qui crimen vel fatetur, vel negat.

Si fatetur gratiam petit: tunc Iudex relatione ad magnum Magistrum & cœtum facta, ter pro reo intercedit, cui si magnus Magister, postposita legum seueritate, gratiam facere vult, actio cessat: sed si pergat pœnam exposcere, Iudex in locum secretum concedit, vt de causa amplius deliberet, & quod statuta præcipiunt, exequatur.

Sed si reus factum neget, testes, probationes & elogia in ipsum allata producuntur: atque ita conuictus vel propria confessione vel probationibus, damnatur in Consilio, vt habitu priuetur.

Qua

Quo facto, causæ cognitor vocatur, cui sententia, quæ lata fuit, significatur. Hic reum hortatur, vt Iudices sequatur, qui magnum Magistrum in pleno consessu adeunt. Eo reus venit, plenus lachrymarum, & veniam orans: pro quo etiam Iudices & omnes, qui adsunt Equites apud magnum Magistrum deprecantur.

Quod si id facere recusent, sed instent, vt sententia pronuncietur, ter repetito mandato, vt Iudicii præses secundum legem iudicet, ille, præsente reo, sententiam exauthorationis pronunciat, & damnat reum, qui fuit conuictus criminis, quod ipsi fuit intentatum.

Damnatus, vt aliquam gratiam obtineat, & magnum Magistrum ad misericordiam commoueat, ad ipsius pedes se abiicit: ante quem stat hipparchus, qui ipsius aut legati mandatum exspectat: Tum alter ex ipsis reum ita compellat: Quoniam tuis factis te indignum reddidisti signo Crucis & nostro Ordine, in quem propter priores tuas virtutes receptus fueras, nos secundum leges & constitutiones nostras, ad laudem bonorum & terrorem improborum, te priuamus habitu nostro & fratrum nostrorum sodalitio indignum declaramus, ex quo te eiicimus & rescindimus, tanquam membrum putridum, corruptum & contagiosum.

Ibi hipparchus, qui magno Magistro adstat, habitum reo hoc modo aufert. Ad primam iussionem manum tantum rei pallio admouet: ad secundam, vinculum, quo pallium corpori est alligatum, dissoluit: ad tertiam, pallio reum exuit, dicens: Pro auctoritate mihi à superiori data, hunc nodum soluo, & aufero abs te gratum Domini nostri iugum, quo te indignum reddidisti.

Quo facto ex mandato magni Magistri reum ducit in carcerem, qui ipsi est perpetuus, ex quo fuit exauthoratus.

Eædem propemodum cæremoniæ adhibentur contra absentem, qui citatus non comparuit.

Quamuis autem iudicium hoc matura deliberatione, nec sine euidentissimis probationibus exerceatur: tamen non est vsque adeo rigidum, quin reo gratia fiat, si certa pœnitentiæ signa edat.

Postquam igitur reus satis longo tempore carcere fuit detentus, si summum in ipso desiderium emendandæ vitæ appareat, ipsi ignoscitur, & habitus hoc ritu redditur.

Magnus Magister aut ipsius legatus pulsu campanæ cœtum conuocat: vbi cum magnus Magister, præfecti & alii ordine consederunt, magnus Magister aut ipsius legatus captiuum adduci iubet, qui habitu seculari, interdum sola interula indutus, ab hipparcho, qui ipsum habitu suo exuerat, adducitur, fune collo inserto, pro criminis magnitudine, & manibus vinctis, quibus cereum ardentem tenet. Hoc statu ante magnum Magistrum procumbit, quem humillime rogat, vt habitum sibi reddat atque in Ordinem & sodalitium fratrum se recipiat, protestatus, se deinceps fore hominem frugi, nec quicquam contra regulam, quam professus sit, admissurum.

Mox magnus Magister respondet: Quamuis tua delicta nos antehac coegerint, vt te habitu priuaremus: tamen propter spem, quam de tua emendatione concepimus, habitum tibi reddimus, crimen ignoscimus, & te in fratrum nostrorum sodalitium rursum admittimus.

Quare sis frugi, & caue, ne deinceps occasionem habeamus extremum iustitiæ nostræ rigorem contra te exercendi.

Tunc hipparchus ei pallium eodem ritu, quo prius ipsi abstulerat, reddit. Sed qui hoc modo restituitur, non fruitur iure antiquitatis, nec locum, quem prius habuerat, retinet, secundum legem à magno Magistro Sanglio latam.

Quando Equites in mare excurrunt, omnia, quæ habent, indicare tenentur, quasi iis iam se exuerent, & id vocant Proprietatis abdicationem, qua bonorum suorum proprietati renunciant.

Omnia tradunt descripta & sigillo suo obsignata Archimandritæ, sub pœna ieiunii quatuor dierum, & disciplinæ in Capitulo, & amissionis reditus annui, qui cedit ærario Commendatorum.

Equites non quotidie gestant magnum pallium Ordinis, quod accipiunt, quando professionem edunt: sed sufficit chlamydi aut pallio communi crucem ad sinistrum latus esse assutam, vt & sagis ipsorum ac paludamentis, quando in bellum proficiscuntur.

Sed certi sunt dies, quibus illud gestare tenentur, vt pridie Natalis Domini in precibus vespertinis, atque ipso Natali in Missa & precibus vespertinis: festo sancti Ioannis in Missa; die Circumcisionis, in Missa; & vt rem in pauca contraham, præcipuis festis Domini nostri, sanctæ Virginis Mariæ, sancti Ioannis Baptistæ, & beatorum Apostolorum, quando ipsis accedendum est ad S. Synaxin, in Capitulis & conuentibus generalibus. In electione magni Magistri Cænobiarchas, præfectos & electores magnum pallium gestare oportet, sub pœna iudicii quadragenarii.

Paruo valetudinario quidam præfectus est, cum scriba, & duobus viris probis, qui visitant ægrotos, & ipsis de omnibus rebus necessariis prospiciunt. 13

Hi iuramentum præstant, se munus suum fideliter administraturos, nec ægrotis quicquam, nisi ex præscripto Medici, daturos.

Ipsorum est, quotannis inuentarium conficere eorum, quæ sunt in illo valetudinario, siue sit aurum, siue argentum, aut alia supellex. Hoc inuentarium obsignant, & custodem iureiurando obstringunt, quod non passurus sit, vt aliquid inde pereat, & se illam supellectilem ad nul-

nullos alios vsus, quam ministerium ægrotorum, adhibiturum. Insuper officina pharmacopolæ quotannis visitatur, ne ægroti vetustis & corruptis medicamentis lædantur potius quam curentur.

Ordo habet suos medicos & chirurgos certis stipendiis conductos, pro fratribus, tam Equitibus quam Clericis & Ministrantibus. Horum si quis moriatur, cum suo habitu & candida cruce, vt decet, sepelitur. Quatuor sunt attrati, qui cadauer efferunt. Nulli præterea lugubria sumere licet, ne magno quidem Magistro defuncto, secundum legem à Claudio Sanglio latam: quâ declarare voluit, vanum esse, lugere eos, quos pro beatis habemus: aut pompam funebrem non decere paupertatem professos.

Valetudinarium huius Ordinis ius asyli habet: adeo vt criminis alicuius reos, qui se eo receperunt, inde extrahere non liceat. Non tamen in omni casu hoc ius valet, sed ratio habetur criminis, an libertate illa dignum sit.

Quod si sit, reus prima naui, quæ appellit, ex insula emittitur, neque ei fas est vnquam in territorium Ordini subiectum redire. Sed hoc priuilegium non prodest prædonibus, neque iis, qui noctu grassantur, & agros vastant, neque incendiariis, Sodomitis, furibus, coniuratis, neque iis, qui dedita opera quemquam veneno aut alia ratione necant, neque domesticis Equitum, qui aliquod crimen commiserunt.

Qui quenquam Ordini adscriptum, aut Iudicem aut Officialem percurit aut lauciat, hoc priuilegio non fruitur, vt nec obæratus, nec falsus testis, nec falsarum tabularum reus, aut qui crimen in ipso valetudinario commisit.

13 Quod ad Quæstores & rei numariæ Procuratores attinet, magno Magistro aut Archimandritæ aut Præfecto Conuentuali fidem iureiurando obligant, se in rationibus referendis officium facturos: & quotannis suas rationes, cum nominibus eorum, qui satisfecerunt, & qui adhuc debent, Capitulo Prouinciali afferre tenentur.

Ad audiendas rationes & curam ærarii gerendam quidam, quem magnum Commendatorem vocant, & duo Procuratores, qui inter Equites prudentissimi habentur, constituuntur. Horum singuli clauem ærarii habent, & omnia siue armorum siue annonæ promptuaria ipsorum curæ commissa sunt.

Hic Commẽdator manet in Cœnobio, quamdiu munus illud gerit: & Procuratoribus, qui ipsi adsunt & ministrant biennii spatio, non licet abire aut munus simul deserere: sed quando officia renouantur, semper vnus ex prioribus, qui illud officium administrarunt, relinquitur, vt semper aliquis sit, qui rerum administrandarum rationem teneat.

Habent etiam Conseruatorem ærarii, qui pecuniam ad arbitrium magni Magistri & cum venia magni Commendatoris distribuit. Huius Conseruatoris munus annuum est, & in Capitulo quotannis mutatur, ad quod ex omnibus linguis, qui sunt apti, eliguntur. Verum hæc regula obseruatur, vt si quis munere illo sit defunctus, nullus ex eadem lingua intra decennium ad illud promoueatur.

Sunt præterea octo Equites, ex singulis linguis delecti, qui sunt veluti auditores rationum, & singulis diebus certum diem huic officio impendunt.

Potestas ipsorum est, vt cognoscant & obseruent, quomodo pecunia administretur: & si defectum aliquem animaduertant, qui reformatione opus habeat, rem ad magnum Magistrum & ordinarium Senatum referant.

Hi per biennium illo officio funguntur: nec quicquam pecuniæ ex ærario, nisi illis præsentibus, erogatur, vt tot testes impediant, ne res numaria male administretur.

Conseruatori adiungitur vir prudens, & vsu rerum exercitatissimus, ac rationum callentissimus. Hic Conseruatori generali aliquid recipienti semper adest, & quando rationes reddunturatque ex duobus voluminibus accepti Conseruator vnum, & ipse alterum tenet, cui inscribit, quidquid recipitur, vt perfecta eius habeatur cognitio. Hoc officium gerit, quamdiu magno Magistro & Senatui placet.

Quod ad generale Ordinis capitulum attinet, penes magnum Magistrum est, illud conuocare, & tempus ac diem constituere, quando haberi debeat.

Quando dies illa illuxit, omnibus congregatis, ante quam vlla negotia tractentur, sub ipsum diluculum templum ingrediuntur, vbi Missa à cœnobiarcha conuentuali canitur: inde magnus Magister cum toto crucigerorum & Clericorum agmine, solenni pompa, ad locum, vbi Capitulum celebrari debet, procedit, ibiq; hymnus S. Spiritus canitur.

Quo facto, magnus Magister, præfecti, Cœnobiarchæ & alii, quibus ius est suffragii in Capitulo, ordine considunt: tum habita concione omnes, qui Capitulo interesse non debent, exire iubentur: quales sunt Sacellani: & ante omnia in absentes inquiritur, & causæ ipsorum absentiæ ab eorum procuratoribus allatæ examinantur, an sint legitimæ.

Post hæc Præfecti, cœnobiarchæ & Castellanus, quem Impositionis nominant, atque alii Commendatores marsupium afferunt, in quo sunt quinque numi argentei in signum deprecationis, vna cum codicillo circumplicato, qui cõtinet ipsorum nomina & pretium honorum & officiorum, quæ gerunt, nec non iudicium ipsorum de iis, quæ pro publico bono sint facienda. Sigillo ipsorum addito singuli marsupium suum magno Magistro ordine offerunt, cui manum osculantur, & honorem reuerenter exhibent.

Quo facto magnus Ordinis Mareschallus suo ordine accedens vexillum Ordinis magno Magistro offert: tunc codicilli oblati, à Vicecancellario alta voce recitantur: inde ad electionem sedecim ducum proceditur, qui ea, quæ in Capitulo disceptabuntur & allegabuntur, dirimant.

Hi per linguas seorsum eliguntur, & vnaquęque duos eligit, qui linguæ & negotiorum suæ gentis sint peritiores: & si non sint inter ipsos idonei, ex alia lingua vnum vel alterum assumunt.

Iidem iureiurando magno Magistro & toti consessui fidem dant, se sincere & absq; affectibus iudicaturos, quod ad honorem & commodum ordinis faciet. Vicissim magnus Magister & alii promittunt, se ratum habituros quidquid constituerint.

Tum locum secretum ingrediuntur, & cum iis Procurator generalis magni Magistri, qui habet suffragium deliberatiuum: sed nihil definire aut decernere potest.

Illic decidunt quod ad vectigalia possessionum commendatitiarum in subsidium Ordinis, administrationem ærarii publici, reformationem morum & constitutionem legum pertinet: atq; in genere omnia negotia, quæ incidunt, & ad bonum publicum spectant. Quo facto, exeunt, & omnibus præsentibus, tam sacellanis quã aliis, ea, quæ illi monuerũt, voce Vicecancellarii publicantur. Tum marsupia, nec non sigilla & vexillum præfectis, Mareschallo & Commẽdatoribus, qui ea in manus magni Magistri consignarant, redduntur: & capitulum hoc modo finitur. Inde solenni pompa ad templum procedunt.

Sed notandum est, si quis ex sedecim capitularibus videat, aliquid incidere aut in quæstionem vocari, quod ipsum peculiariter tangat, eũ non interesse, quando illud decidetur: nec vlli licere contra eos protestari, aut ab eorum sententia appellare.

Quod ad Capitula prouincialia attinet, præfectorum est & archimandritarum, ea quotannis in suis prouinciis celebrare: quæ sunt hæ: Francia, cum XLV. possessionibus commendatitiis: Aquitania, quę habet LXV. commendatores: Campania, XXIV. Aruernia, LXXVII. Fanum Ægidii, LV. Tholosa, XXXV. Roma, XIX. Pisæ, XXVI. Venetiæ, XXVII. Gallia Cisalpina, XLV. Barletta & Capua, XXV. Messana, XII. Belgium, XL. Germania superior, XXVII. Legio & Castilia, XXVII. Castellanus Impositionis, XXIX. Catalonia, XXVIII. Nauarra, XXVII. & Lusitania, XXXI. Olim triginta duæ erant: sed Equites ex vna nihil amplius commodi percipiunt, ex quo religio Catholica in ea fuit extincta.

In his Capitulis prouincialibus interdictum est præfectis aut archimandritis, ne quid dicant aut faciant in detrimentum Equitum, & ne turbent quietem aut ius suæ prouinciæ.

Iidem ritus in iis adhibentur, qui in Generali quoad preces: deinde regula alta voce recitatur, vt quisq; de ea obseruanda moneatur: tum agitur de iis, qui eam obseruarunt, aut infregerunt, de iurisdictione prouinciarum, de possessionibus commendatitiis & commendatoribus, de visitationibus, & aliis negotiis, quæ pertinent ad commodum domorum prouincialium.

Quoniam vero fieri nequit, quin in tanta multitudine, & ingeniorum, morum ac linguæ diuersitate contentiones & simultates oriantur, iudicia sapienter ordinata fuerunt, & ne lites essent immortales, sanciuerunt, controuersias, quæ inter fratres inciderent, non esse chartis committendas, nec aliis adhibendos aduocatos aut procuratores, quã partes ipsas, quæ causam suam proprio ore coram iis, qui ad eam cognoscendam constituti sunt, agere debeant.

Sunt tamen quædam causæ, vt debitorum, & quando testibus opus est ad aliquid probãdum, in quibus scriptura est necessaria. Nam syngrapha & depositiones testium litteris consignari oportet, cum Iudices adscripturas, quæ ipsis exhibentur, respiciant. Vt autem intelligatur, qui sint illi, qui his iudiciis præficiantur, illud, quantum potero, expediam.

Melitenses duplicem habent Senatum, ordinarium, & eum, quem vocant perfectum.

In ordinario sunt magnus Magister, ipsius legatus, si quem habeat, episcopus Melitensis, archimandrita Ecclesiæ crucigerorum, quoad ordinem episcopo æqualis, octo præfecti conuentuales aut eorum legati, cœnobiarchæ prouinciales, qui sunt in cœnobio, magnus thesaurarius aut quæstor ipsi adiunctus, & subpręfectus magni Magistri: sed hic postremus nullum habet ius suffragii in iudicio.

In perfecto præter supradictos sunt duo Equites vniuscuiusq; linguæ: Vicecancellarii opera in vtroque necessaria est: nulli præterea interesse coguntur, præter præfectos cõuentuales, sine quibus Senatus haberi non potest. Neq; tamen hi aut quicunq; alii absq; venia magni Magistri Senatum agere possunt.

Litigatores, qui à gratia, qua partem aduersam valere vident, sibi metuunt, iudicem quemcunq; recusare possunt, atq; adeo ipsum magnũ Magistrum, idoneis rationibus allatis, secundum constitutionem Baptistæ Vrsini.

Antequam patres Senatum adeant, nomina sua in Cancellaria scripto profitẽtur, quęstione, de qua inter ipsos controuersia agitatur, explicata: quo facto nomina ipsorum in catalogum referuntur, & suo ordine à Vicecancellario citantur.

Et quoniam iudicium in hoc Ordine est definitiuũ, & summæ atq; vltimæ cognitionis, nulli, qui in eum nõ sit adscriptus, sentẽtiam de causis hunc ordinem profitentium ferre licet. Interim secularibus, quibus cum Equitibus controuersia intercedit, fas est Procuratorum & Aduocatorum opera cum in Capitulis prouincialib. tum in conuentib. vti.

Laudabilem quoque consuetudinem habent suffragia per calculos ferendi, quoties duo adidem officium adspirant: tunc antiquitatis ratio habetur, nisi inter competitores aliquis sit, qui maiorem crucem gestet: nam his omnibus præferuntur, & in calculis mittendis hic ordo obseruatur.

Iuramento præstito à competitoribus, calculi prius mittuntur pro actore, quam pro eo, qui in

ius vocatur: & Vicecancellarius duo vasa in manus sumit, vnum candidum, alterum nigrum: & primum accedit magnum Magistrum, postea vnumquemque ex Senatoribus, secundum ordinem, quo sedent, quibus vasa ista offert, vt calculum in ea pro arbitrio iniiciant.

Nam si actori faueant, calculum suum in vas candidum iniicient: sin minus, in nigrum.

Quo facto, calculi palam numerantur, & Vicecancellarius candidos in charta notat: eodemque agendi modo vtitur, si sint duo aut tres competitores: postea omnes calculos numerat, & qui plures habet, nemine refragante dignitatem obtinet, quam ambit.

Si calculorum numerus sit æqualis, ætate prouectior præfertur, aut tota res iudicio Senatus permittitur, qui etiam in omnibus aliis litibus sententiam fert, quando calculi sunt pares.

Eadem suffragii ferendi ratione vtuntur Equites, in suis quique linguis, quando de beneficio aliquo, aut nominatione atque electione ad præfecturas & dignitates agitur, quoniam non licet beneficium aliquod aut dignitatem cuiquam ex fratribus conferre, priusquam ordo ipsum tangat, nisi ex consensu omnium Equitum.

Non licet autem Equitibus in priuatis suis conuentib. de aliis reb. deliberare, quam de suis possessionibus, vineis, ædibus aliisq; ad ipsorum linguam pertinentibus, neq; de publicis negotiis quæstiones mouere.

Melitæ Senatum singulis diebus Veneris habent, cui intersunt Senatores ordinarii, nec non Iudices appellationum, Ordinarius, Vicecancellarius, Capitaneus insulæ Melitensis, & Iudex vrbis.

Ius redditur incolis insulæ, & omnibus aliis Secularibus, qui sunt sub imperio dominorum huius Ordinis, aut quibus res est cum illis.

Eques non potest alium ob quamcunque causam in ius vocare coram alio Iudice, quam qui sit Ordinis ipsius: qui contra facit, amittit suum ius antiquitatis, quinquennii spatio omni administratione in hoc ordine priuatur, causa cadit, nec potest eo frui, de quo contendebat, quamuis sententia secundum ipsum lata fuisset.

Qua in re sapienter agunt, cum huiusmodi appellationes multum derogent iuri supremæ potestatis: & si per conniuentiam his appellationibus aut aliorum Iudicum sententiis locum darent, tandem antiqua sua authoritate priuarentur, sicut alii, qui ius, quod sibi acquisierant, per negligentiam rursus amiserunt.

Aliam præterea formam iudicii habent Equites, quam vocant obseruationem, quæ apta est decidendis breui momento controuersiis eorum, quib. non vacat tempus disceptando consumere.

Ex vnaquaque lingua aut contubernio Eques eligitur, & octo illis, qui eliguntur, nonus ex quacunq; lingua additur.

Hic constituitur Præses obseruationis à magno Magistro, aut Mareschallo ordinis, quando fratres sunt sub ipsius iurisdictione, & reliqui octo nominantur ab octo præfectis conuentualibus, quibus istud ab hipparcho significatur, ita tamen, vt præfecti non possint alios nominare præterquam eos, quos partes communi consensu pro iudicibus admittunt.

Ab hoc iudicio ad eius supplementum prouocare licet, in quo numerus Iudicum duplicatur: rursus à supplemento ad supplementum supplementi, in quod tres ex vnaquaque lingua loco vnius adsciscuntur: idem tamen Præses, qui ab initio electus fuit, manet.

Si neque hoc modo controuersia dirimi potest, magnus Magister iudicium adhibet præfectorum conuentualium, aut subpræfectorum: si accidat, vt præses sit præfectus, exauctoratur, & alius ex senioribus inter Equites ipsi surrogatur. Singuli autem vnum tantum suffragium dant, excepto Præside, cuius suffragium pro gemino numeratur.

Præses quærit ex partibus, an quenquam ex iudicibus suspectum habeant.

Tunc vnusquisq; verba faciens causam suam agit, & ius carptim breuiterq; dicitur, secundum ordinem calculorum.

Quod ad magnum Magistrum attinet, omnes, qui huic ordini sunt adscripti, tam clerici quam laici, imperio ipsius audientes esse tenentur. Nemo autem ad hanc dignitatem euehitur quin sit Eques, ac proinde nobili genere natus & ex legitimo matrimonio procreatus.

Quamuis autem magnus Magister sit caput & princeps huius ordinis: tamen potestas ipsius certis limitibus est restricta. Nam si eligatur quando est in itinere, nec tempore electionis suæ Melitæ esset, non potest plus pecuniæ sumere, quam Senatus Quæstoribus mandauit, vt ipsi numerent: & si plus insumat, ex suo id deprom at necesse est. Cæterum ipsius officia, dignitates & possessiones commendatitiæ vacant eo ipso die, quo eligitur: quarum collatio est penes magnum Magistrum, Cœnobium & Conuentum. Ex iis nihil resignare potest, sed omnium distributio est penes Senatum: quamuis ipse quoque quatenus est magnus Magister, iis, quibus vult, suffragari potest.

De illius, cui successit, exuuiis tantum frumenti & vini sibi vendicat, quanto opus habeb à die suæ electionis vsque ad proximum festum Natiuitatis Domini: reliquum cedit ærario Ordinis.

Ex argentea eiusdem supellectile pondus sescentarum marcarum, nec vltra, accipit: item scyphum & gutturnium aureum, si adsit: quod si pereat, in publicum ærarium reconditur.

Magno Magistro iam olim assignatus est latus magnus possessionum commendatitiarum numerus

herus, quæ dignitati ipsius ita adhærent, vt ab ea duelli nequeant: quod ideo factum est, vt tanto honestius rem suam familiarem instituere possit.

Illas tamen ad tempus vni ex Equitibus, cui habet, concedere, aut ex illis pensionem aliquã ipsi constituere potest. Possessiones, quas habet, sunt istæ:

In magno cœnobio S. Ægidii, possessio Pesenatis ipsi est assignata: in Tholosano, Poisubrana: in Aruernia, Salinensis: in Francia, Hannonienſis: in Aquitania, Templi Rupellani; in Cãpania, Metensis: in Gallia Cisalpina, Inuernensis: Romæ, Mugnana: Venetiis, Treuisana: Pisis, Pratensis: Capuæ, Siciana: Barri, Brundusina: Messanæ in Sicilia, Polizensis: Cataloniæ, Maldaensis: Nauarræ, Calzetensis; in præfectura Impositionis, Aliagensis: in Castilia, Olmosana: in Lusitania, Coensis: in Germania, Bucensis: in Boemia, Vratislauiensis: Denique nullum est insigne cœnobium in orbe Christiano, ex quo magnus Magister aliquem fructum non percipiat.

Magnus Magister eligit Legatum pro arbitrio: & hic fratribus veniam omnium eorum, quæ petunt, concedit: nam illi, vt iam diximus, quando in hunc ordinem cooptantur, propriæ voluntati renunciant.

Sed notandum est, magnum Magistrum non posse fratri reo, antequam is sit condemnatus, gratiam facere criminis, neque iis, qui sunt habitu in perpetuum priuati, absque consensu capituli generalis.

Potest tamen pœnam in aliam mitiorem commutare: sed oportet præfectos prius pro ipso intercedere: Istud locum habet, quando frater alteri vulnus inflixit: ius antiquitatis autem ei aufertur, qui alterum iniuria affecit, & datur nouitiis, qui vocantur fratres Arnaldini: nisi vulneratus mortem oppetat, & aliquo membro mutiletur: nam hoc casu leges stricte obseruantur.

Magnus Magister non potest quidquam donare ex uribus, prærogatiuis & reditibus sui Magisterii, quod successori sit detrimentosum: & si id faciat, donatio nullam vim habet, & rescinditur.

Præfecti olim instituti fuerunt, vt magno Magistro adessent, tanquam Consiliarii & Senatores. Hi vocantur cœnobiarchæ conuentuales: & præterea titulos habent magni Commendatoris, de quo supra loquuti sumus: Marescalli, cuius etiam iam ante mentionem fecimus: Hospitalis, qui est antiquus titulus, quem princeps ordinis gerebat: Archithalassi, qui curam habet triremium & rerum maritimarum.

Marescallus, quando est in exercitu, instar supremi ducis omnibus Equitibus & fratribus ministrantibus, qui arma ferunt, imperat. Nullum tamen imperium habet in præfectos, tam conuentuales quam capitulares, neq; in cœnobiarchas & Castellanos, qui pro sociis magni magistri habentur.

Est præterea is, quem olim Pannarium vocabant, & magnus Conseruator hodie appellatur, estque in numero præfectorum: sicut & is, qui olim tempore belli sacri Turcopola dicebatur, quæ vox significabat ducem equitum leuis armaturæ: eratque hoc officium proprium nationis Anglicanæ.

Marescalli officium est conuentus indicere, quibus etiam cœnobiarcha ecclesiasticus interesse tenetur.

Eiusdem est signiferum creare, quemcunque vult, qui magnum ordinis vexillum ferat: quod tamen non facit absq; consilio & consensu magni magistri, aut ipsius legati. Sed neque Marescallus, neque Archithalassus aut vlli præfecti quemquam ab officio, quod ipsi contulerunt, remouere possunt: sed hic honos soli magno Magistro & Senatui ordinario competit, qui de criminibus iudicant, propter quæ aliquis sit loco mouendus.

Magnus Commendator curam habet victus & annonæ, qui etiam, vt supra diximus ærario præest.

Magnus Diæcetes Germaniæ præerat olim arci S. Petri, quæ eo loco sita est, vbi olim fuit Halicarnassus. Hoc officium periit, ex quo Turcæ Rhodum occuparunt.

Marescallus habet curam Turris, in quam captiui coniiciuntur: neminem tamen ex ea potest emittere absque consensu Senatus. Ipsius quoque est obseruare an Hipparchus faciat officium, & corrigere, si quid vitii in eo deprehendat.

Nosocomus curam habet valetudinarii, cui aliquem præficit, qui sit natione Gallus, si quis ex ea sit, qui sit idoneus: sin minus, eligit ex aliis quemcunq; vult. Hic autem valetudinarii præfectus tantum per biennium munus istud exercet.

Pannarius curam gerit vestitus, quo Crucigeri vtuntur. Neq; enim illis licet absque illius permissu vestes sibi conficiendas curare.

Præfectis sexaginta tantum aurei singulis annis pro stipendio dantur, quando in conuentu manent: absentes suis stipendiis frustrantur. Legati ipsorum quadraginta accipiunt, vt inspectionem in contubernia habeant: Archimandrita quadraginta octo: & Thesaurarius tantundem.

Thesaurarius ex alia natione eligi non potest quam Gallica: atque ille recensetur inter præfectos Capitulares. Ipse custodit Bullam ferratam ordinis, sigillis magni magistri & præfectorum obsignatam.

Interest Senatui, & quando rationes reddunturque tam ex Equitum, quam eorum, qui armis ministrant, & Sacellanorum numero.

Maius tamen stipendium accipit, si sit Eques, quam si sit inferioris conditionis.

Hunc sequitur Cancellarius, qui constituit octauum Præfectum & is semper est Hispa-

nus natione, habens sub se Vice-cancellarium, qui ipso absente, litteras expedit, & gratis diplomata obsignat, excepto præmio, quod magni Magistri subpræfectus ex illis litteris accipit.

Omnes præfecti ex Crucigeris maioris Crucis eliguntur: eam tamen assumere non possunt, donec in cœtum conuentualem Melitensem veniant.

Quoniam præfectorum mentionem sæpe fecimus, non abs re erit, si eos enumeremus. Præfecti ex Prouincia sunt magnus Commendator, Cœnobiarcha S. Ægidii, Cœnobiarcha Tholosanus, præfectus capitularis Monosquensis.

Ex Aruernia sunt Mareschallus, Cœnobiarcha Aruerniæ, præfectus Lugdunensis, qui olim vocabatur Lureolius. Ex Francia sunt magnus Nosocomus, Cœnobiarchæ Franciæ, Aquitaniæ & Campaniæ, præfectus Capitularis Peloponnesi, & generalis Thesaurarius. Ex Italia sunt Archithalassus, Cœnobiarchæ Romæ, Galliæ Cisalpinæ, Venetiarum, Pisarum, Messanæ, Capuæ, præfectus Capitularis S. Euphemiæ, S. Stephani prope Monopolin, Trinitatis, Venuliæ, & S. Ioannis Neapolitani.

Ex Tarracone, Catalonia & Nauarra sunt magnus Conseruator, olim Pannarius dictus, Castellanus Impositionis, Cœnobiarchæ Catoloniæ & Nauarræ, & præfecti Capitulares Maioricæ.

Ex Anglia erant olim Turcopola, Cœnobiarchæ Angliæ & Hiberniæ, præfectus Capitularis Aquilæ.

Ex Castilia, Legione & Lusitania sunt Cancellarius, Cœnobiarchæ Castiliæ, Legionis & Lusitaniæ, & præfectus Capitularis Bouedensis.

Cæterum officia præfectorum capitularium, Archimandritæ ordinis, & commendatorum Cypri & Langonis omnibus nationibus committuntur: Eubææ autem Commendatores ex solis Taraconensibus & Castillanis eliguntur. Omnes autem iam commemorati sunt ex Crucigeris maioris crucis, & ex Senatu perfecto.

Archimandrita Ecclesiæ Melitensis imperium habet in omnes sacellanos, & alios, qui sunt ordinis ecclesiastici, exceptis iis, qui in sacello magni Magistri ministrant. Loquor autem de iis sacellanis, qui Melitæ domicilium habent: nam cæteri sunt sub potestate cœnobiarcharum & Commendatorum in iis locis, vbi degunt.

Porro quoniam de magno Magistro, ipsius dignitate, excellentia & potestate satis multa verba fecimus: superest, vt aliquid dicamus de ipsius electione, & quid faciat is, qui munus istud gerit, & graui morbo se oppressum sentit. Magnus Magister, grauiter affectus, bullas argenteas & ferreas, & sigillum secretum in locum arcanum abscondi iubet, ne quis iis abutatur. Si ipsemet ea abdere non possit, id negotii subpræfecto suo committit, qui, mortuo magno Magistro, ea tenetur in Senatum ordinarium afferre, in quo omnia confringuntur, ne quis illis amplius vti possit.

Tum cadauer honorificentissime, sed absque luxu & superfluo sumptu terræ mandatur.

Eo sepulto, Vicarius defuncti eligitur, cuius officium durat quoad nominetur Commendator, quem electionis vocant.

Interea bona, quæ in ædibus magni Magistri reperiuntur, annotantur: deinde quisque ad alterius electionem se comparat, & dies futuræ electioni assignatur.

Illa die orta, omnes in templum coeunt: vnde, sacro peracto, in atrium publicum se conferunt, in quo ordinarii cœtus habentur.

Vicarius, expositis causis, propter quas in eũ locum conuenerint, mandat, vt Equites & alii fratres ex vnaquaque natione seorsum capita conferant. Illi iureiurando fidem obstringunt, se sincero animo electuros Præsidem & tres Electores magni Magistri, nempe Equitem, fratrem ministrantem & sacellanum.

Octo fratres à totidem linguis electi iuramẽtum præstant de Electione Equitis, futuri Præsidis in electione magni Magistri. Præside electo, Vicarius officio suo se abdicat.

Præses electionis, suæ cathedræ insidens, octo illos fratres ad se venientes iureiurando adigit, vt tres Electores fide sincera & procul à gratia nominent. Hi vero eligunt eos, penes quos futura est magni Magistri electio.

Quo facto conclaue ingrediuntur, & clam inter se tres illos Electores designant, quos postea coram vniuerso cœtu produnt, atq; illico potestate sua abeunt.

Tres isti vltimi coram Præside electionis iureiurando fidem dant, se prodituros quartum, qui non erit linguæ ipsorum: quo electo, iurant, se similiter quintum electuros, & sic de cæteris, donec octo elegerint: quibus eadem ratione alios octo adiungunt, vt sint in vniuersum sedecim, nempe duo fratres ex vnaquaque lingua. His duos sacellanos & tres tantum armis ministrantes addere licet: nam reliquos oportet esse Equites.

Quando hi electi sunt, delicta prius coram sacerdote confitentur, & S. Eucharistiæ participant: deinde coram Iudice electionis se sistunt, vbi nudo capite & genibus pronis vnus post alterum clara voce iurat, se legitime & secundum antiqua ordinis statuta caput & Principem electuros, qui sit vir probus & ordini vtilis.

Hoc iuramento præstito, Commendator electionis & omnes, qui adsunt, iurant, se ratum habituros quidquid illi hac in parte fecerint, & se magni Magistri, quem elegerint, imperio audientes futuros.

Ingressi in conclaue libere suam sententiam dicunt de vita & moribus eorum, qui ad electionem proponuntur, & à nonnullis commendantur.

Post

Postquam diligenter singulorum vitam perscrutati sunt calculos in vasa immittunt, & qui numero suffragiorum vincit, eligitur.

Neque alium nominare audet Commendator electionis præter eum, quem sedecimuiri isti elegerint; propter iuramentum ab ipsis præstitum.

Hac electione finita, coram Præside cætus se sistunt, & ter omnes interrogant, an suam electionem approbare & ratam habere velint. Omnibus affirmantibus, Eques electionis, qui est vnus ex tribus primis nominatis; reliquis omnibus sedentibus, clara voce nomen eius edit, qui in magnum Magistrum electus est. Is; si adsit, ad magnum altare ducitur, vt iurer, se obseruaturum iura Ordinis, & conseruaturum ipsius priuilegia; nec quicquam facturum sine consensu Senatus. Si absit, denuo comitia habentur, vt legatus vsque ad ipsius aduentum eligatur: tum alias, quando adest, legatum pro arbitrio eligat.

Durante electione non licet vlli Equiti arma ferre eo loco, vbi illa fit: alioqui ius suum suffragii amitteret, & si de eo conqueri vellet, habitu exueretur.

Præfecti & cœnobiarchæ Conuentuales eliguntur coram magno Magistro. Nam penes ipsum & ordinarium Senatum est eorum electio, quemadmodum etiam electio cœnobiarchæ Ecclesiæ Melitensis.

Crucigeri Melitenses plerunque Procuratorem siue Oratorem habent Romæ in aula Pontificis, qui à Capitulis generalibus & crebro à magno Magistro eligitur. Eum Senatus certis de causis, & quando videt, ipsum ad hoc munus ineptum esse, loco mouere, alium q; ipsi substituere potest.

Ipsius est beneficia, priuilegia & immunitates ordinis defendere, & quæ singulis nationibus concessa sunt, ac stipendia à magno Magistro & Conuentu constituta tueri. Ad ipsius etiam officium pertinet, fratribus rebellantibus & immorgeris se opponere, eos increpare, & omni rigore persequi; atque etiam magnum Magistrum de rebus ad ordinem pertinentibus monere: nec fas ipsi est, aliud quidquam accipere præter stipendium ordinarium, quod ex ærario ipsi numeratur.

Omnia denique officia in hoc Ordine per electionem conferuntur. Si bellum terra gerendum, & supremus militiæ dux sit eligendus; ex Auernia sumitur, siquidem aliquis ex ista prouincia dignus, & ad hoc officium idoneus inueniatur: si opus sit præfecto classis, à natione Italica petendus est.

Si ex his nationibus idonei duces non suppetant, ex aliis eliguntur, absque præiudicio tamen nationis, & iuris antiqui, quod habet.

Quod attinet ad possessiones commendatitias, non licet vlli Equitum duas simul tenere, neque cœnobiarchis aut castellanis vllas alibi quam in sua prouincia habere.

Interim cœnobiarchæ & præfecti, qui huiusmodi possessiones legitime adepti sunt, possunt habere cameras magistrales ipsis concessas, & possessiones commendatitias, quas secularibus, qui eas vsurpabant, eripuerunt, aut eas, quarum vsusfructus iure ad ipsos redit per priuationem fratris cuiusdam ex ipsorum prouincia.

Qui ante assumtum habitum matrimonio iunctus fuit, & liberos suscepit, possessionem commendatitiam obtinere nequit, quamdiu illi viuunt: neque potest vllam possessionem ex gratia aut secundum ordinem antiquitatis accipere, nisi quinquennium ad minimum post assumtum habitum ministrauit, neque potest frui vlla pensione aut reditu annuo, nisi triennium ministrauit.

Denique nemo potest frui possessione commendatitia, siue gratuita, siue Ordinis, aut accessionis, nisi quis fuerit in Conuentu, & ius antiquitatis aut exspectationis habuerit. Litteras autem exspectationis impetrare oportet anno exequutionis, quæ fit per Commendatores: nec potest quisquam augmentum sui beneficii obtinere, nisi quinquennium ministrauerit, & annum integrum fuerit in sua possessione commendatitia.

Quidquid Commendatores acquirunt, Ordini cedit: si sit res soli, pertinet ad possessionem commendatitiam vicinam prædio acquisito: si sit res mobilis, ærario publico infertur.

Iis locis, in quibus sunt nominationes beneficiorum, aut collationes, aut præsentationes dependentes à feudis possessionum commendatitiarum, Commendator de iis pro arbitrio disponit, nisi consuetudo & priuilegia locorum aliud ferant: nec possunt cœnobiarchæ, præfecti & Commendatores de iis disponere, si hæc beneficia morte aut alio casu vacare contingat, quando magnus Magister illic versatur: nam tunc ipsius est de iis disponere, etiãsi electio illic locũ haberet, nisi hęc beneficia fuerint assignata pro iure antiquitatis cuiusdam ex fratribus. Maxime autem in hoc Ordine vetitum est omnibus, qui illum profitentur, ne petant officium, possessionem commendatitiam aut beneficium, clam vel palam, directe vel indirecte ab alio quocunque, quam à magno Magistro, Conuentu, & Ordini huic adscriptis, penes quos est illa conferre.

Si quis tale quid alia via obtineat, illud in manus magni Magistri resignare tenetur: quod si facere recuset, priuatur habitu, & in perpetuum carcerem coniicitur.

Cœnobiarchæ, præfecti & Castellani tenentur omnib. quinquenniis possessiones commendatitias iurisdictioni ipsorum subiectas visitare, aut si aliis negotiis vel morbis impediantur, Equitem commendatorem & sacellanum, qui etiam possessionem commendatitiam habeat, eo mittere, vt inspiciant, an omnia recte administrentur, an nihil sit in ędificiis, quod ruinam minetur, aut reparatione opus habeat.

Ob eandem causam Eques & Sacellanus cu-

bicula & possessiones commendatitias cœnobiarcharum & præfectorum visitant.

Si cœnobiarchæ hac in parte officium facere neglexerint, locum suum, iurisdictionem & præeminentiam in cœnobiarchatu ex consuetudine amittunt: & si visitatores à Capitulo delegati legum transgressoribus faueant, annui spatio fructu suarum possessionum commendatitiarum priuantur.

Non licet Commendatoribus vllam mercaturam exercere, multo minus pecuniam fœnori dare aut accipere, nec bona ad Ordinem pertinentia vendere vel oppignerare, absque venia magni Magistri, & consensu Capituli generalis: & Capitulis prouincialibus interdictum est, ne de huiusmodi alienationibus agant.

Quamuis etiam Equites aliquid acquisiuissent, tamen non licet ipsis illud alienare, sine venia magni Magistri & Capituli: nam illius vsum fructum tantum habent ad dies vitæ.

Haud magis licet Quæstoribus prædia fratrum defunctorum elocare, aut eorum mercedes constituere, nisi in Capitulo prouinciali, præsentibus cœnobiarcha & quatuor Equitibus senioribus.

Neque licet fratribus huius Ordinis testamentum condere, neque aliquid donare, ac ne seruis quidem suis, præter ipsorum stipendia. Creditor tenetur sua nomina edere.

Denique omnes in omnibus voluntati superioris se submittere coguntur, qui non permittet, vt plus quam sextam partem bonorum mobilium testamento relinquant: argento autem signato, quod apud defunctum reperitur, debita ipsius exsoluuntur.

Ipse magnus Magister non potest de suis bonis mobilibus disponere nisi permissu Capituli generalis, & quando morti vicinus est.

Quoniam etiam sæpe fit, vt Equites magnũ numerum mancipiorum, Turcarum & Maurorum, habeant, quos in excursionibus maritimis capiunt, non licet ipsis eos manu mittere & libertate donare sine venia magni Magistri & Capituli generalis.

In criminibus capitalibus causas curare secularium, qui iurisdictioni huius Ordinis subiecti sunt, Equitibus est interdictum: nam tanquam homines ecclesiastici huiusmodi causas politicis relinquere debent: similiter in ciuilibus neque publice neque secreto hoc officio ipsis fungi licet. Præterea si quis ex Equitibus aut Crucigeris culpam aliquam admisit, non licet vlli amicorum aut sodalium ipsius pro eo intercedere ante sententiam latam: postea autem possunt magnum Magistrum rogare, vt pœnam mitiget.

Vnicuique etiam ex fratribus vetitum est fidem iureiurando obstringere, aut fœdus cum quoquam Principe percutere absq; venia magni Magistri, aut ipsius Archimandritæ: nec licet ipsis vllum conuentum absque eorundem permissu instituere. Causa huius rei est, vt vitentur æmulationes Principum, ex quorum ditionibus fratres sunt oriundi. Nam si vni potius quam alteri adhærerent, ordo detrimentum pateretur. Non licet Crucigeris vagari, aut exire limitibus suarum prouinciarum & possessionum commendatitiarum sine speciali venia superioris. Si oberrare deprehendantur, nec libellum, quo venia exeundi ipsis concessa fuerit, ostendere possint, omnibus Commendatoribus iniunctum est, vt illos capiant, & incarcerem cõiiciant, & nomina eorum ad cœnobiarcham deferant, vt in eos animaduertat.

Ad peculatum cauendum, Equitibus, aliisque, qui aliquod officium in hoc ordine gerunt, interdictum est, triremem aut aliam nauim ad excursionem palam vel clam per homines interpositos instruere: sed hoc priuatis tantum conceditur, qui cum officialibus conspirare & colludere non possunt, quin pœnam periurii incurrant: nec possunt Equites excurrere, nisi cum consensu magni Magistri, & permissu ordinarii Senatus.

Antequam hæc ipsis facultas detur, oportet, vt quinque annis ministrauerint, & iurent, se territoriis & portubus Christianorum nullum damnum illaturos: quamdiu autem sunt in cursu, iure antiquitatis fruuntur, non minus, quam si Melitæ essent.

Nonnisi magno Magistro & Senatui ordinario licet piratis saluum conductum dare: quod tum demum faciunt, quando extrema necessitas id flagitat: sicut & fugitiuis, & mercatoribus, qui foro cesserunt.

Neque alius præterquam magnus Magister & Senatus perfectus cum Turcis, Mauris & aliis infidelibus inducias paciscì, aut transigere potest. Vnicuique etiam interdictum est, tormenta, puluerem nitratum & alium comeatum ex insula & ædibus ad ordinem pertinentibus auehere. Solus magnus Magister & Senatus illam potestatem habet, prout necessitas exigit.

Equitibus & iis, qui armis ministrant, interdictum est, ne bellis, quæ sunt inter Christianos, se implicent, neque sacramento se obstringant aut stipendium accipiant, nisi à Principe regionis, in qua versantur, id facere iubeantur: nam tunc legibus soluuntur. Non tamen insignia Ordinis gestabunt, nisi bellum pro defensione Ordinis geratur.

Pœna constituta est in eos, qui crucem pallis assutam non gerunt.

Rixæ in contuberniis sunt interdictæ: si qua vis aut pugna in iis fiat, id secundum casum & leges Ordinis vindicatur.

Quoniam supra diximus de pœna, quæ fratribus infertur, quando habitu priuantur, causæ quoq; explicandæ videntur, propter quas eiusmodi ignominia afficiuntur.

Pœna hæc ipsis irrogatur, si accusentur, rei peragantur & conuincantur hæreseos, sodomiæ, furti, rapinæ, aut quod ad infideles se receperint, aut vexillum Ordinis explicatum in bello contra hostes fidei deseruerint, aut ex prælio fugerint, & socios dereliquerint, aut munitionem hosti-

hostibus tradiderint. Sed diligens in his rebus adhibetur inquisitio, ne quis condemnetur inauditus.

Falsi testes, falsarii, qui litteras Ordinis corrumpunt, periuri, & qui in bello prædis agendis operam dant, eo per annum priuantur.

Qui alios horum criminum postulant, nec ea probare possunt, eam pœnam & ignominiam priuationis habitus subeunt, quam aliis intentabant.

Concubinatus & omne genus luxuriæ specialibus regulis huius Ordinis prohibetur. Denique nihil eo melius constitutum est: & si quidam exorbitent, non institutioni & regulis Ordinis, sed ingeniis depravatis imputandum est.

RELIGIO.

Constat, Equites huius insulæ esse religionis Catholicæ contra infideles propugnacula. In insula Melitensi est Episcopus, qui subest Archiepiscopo Ponormitano in Sicilia.

Cæterum fratres huius Ordinis more antiquo & sua professione tenentur quotidie, siue simul, siue diuersis vicibus Orationem Dominicam centies quinquagies, loco horarum, quæ Canonicæ vocantur, recitare.

Verum presbyteri, diaconi aliiq; ecclesiastici tenentur quotidie precationes secundum ordinem & morem Ecclesiæ Ierosolymitanæ peragere.

Omnes tenentur ieiunare toto tempore quadragesimæ, à die cinerum vsq; ad Pascha: præterea tempore statiuarum supplicationum, die S. Marci, festo Pentecostes, quatuor ieiuniorum cardinibus, pridie feriarum Apostolicarum, & Ioannis Baptistæ, S. Laurentii, Assumptionis, Natiuitatis, Conceptionis, Purificationis & Annunciationis B. Virginis, festi omnium Sanctorum, & Natalis Domini.

Præterea tenentur Eucharistiam sumere festo Natalis Domini, Paschatis & Pentecostes. Quando in mare excurrunt, delicta confitentur, idq; suis tantum sacerdotibus: quibus si careant, permissu cœnobiarchæ, aut ipsius vicarii, si ille absit, hoc casu necessitatis coram alio suam exhomologesim facere possunt.

Equites, quando sunt in Conuentu, tenentur interesse sacris, & supplicationibus solennibus, quisq; suo loco, & secundum suam antiquitatem: nec audet quisquam ex illis locum cœnobiarcharum, præfectorum Conuentualium aut eorum legatorum occupare, vt honor, qui ecclesiasticis debetur, obseruetur.

Pro vnoquoq; fratre defuncto triginta Missæ celebrantur. Omnes fratres, qui primæ interfunt, cereum offerunt, & denarium, qui pauperibus distribuitur.

Singuli sacerdotum defuncto debent vnam Missam: Diaconi & hypodiaconi Psalterium: ministrantes officia exequialia, aut centum quinquaginta Orationes Dominicas.

Statutum est, vt vir doctus publico stipendio conducatur, qui iuniores clericos instituat, & eos doceat linguam Latinam: alius item, qui eos doceat cantare. Nullus autem hypodiaconus recipitur, nisi sit natus XVIII. annos, neq; Diaconus, nisi sit natus XXII. neq; sacerdos, nisi sit natus XXVI. Omnes autem oportet suum ordinem professos esse.

STATVS MAGNORVM MAGISTRORVM Melitensium, qui huc vsque Ordini præfuerunt.

Ordo & militia S. Ioannis Ierosolymitani initium & primam suam originem habuit in sancta vrbe Ierosolyma, & illic primos suæ pueritiæ annos & magnam partem adolescentiæ transegit. Saracenis in vrbe & regione circum illam dominantibus, templum S. Sepulchri Domini nostri anno salutis MXII. ex mandato Equeni Caliphæ Saracenorum destructum fuit: quo in statu XXXVI. annis mansit, vsque ad tempus Constantini Monomachi, Imperatoris Cõstantinopolitani, qui rogatus à Christianis Ierosolymæ habitantibus, consentiente Bomensore Elmoino Stensabio Calipha siue Sultano Ægypti, illud suis sumptib. instauranit, anno MXLVIII. Eodem tempore quidam nobiles & mercatores Itali ex vrbe Melpho portus & vrbes maritimas Syriæ & Ægypti frequentare solebant, & quia merces in eas regiones aduehebant, chari erant non tantum præfectis vrbium, sed etiam Caliphæ Ægypti: cumque zelo religionis Christianę feruerent, loca sancta Ierosolymæ sæpe visitabant: & quia nullum in vrbe receptum habebant, facultatem à Calipha impetrarunt condendi templum & palatium in suum vsum & eorum, qui essent suæ gentis, loco ipsis assignato in vrbe prope S. sepulchrum, vbi Christiani habitabant.

Duo illic monasteria exstruxerunt, vnum in honorem gloriosæ Virginis, matris Dei, quod vocarunt S. Mariæ Latinæ, ad differentiam templorum Græcorum, quæ erant Ierosolymæ: eique Abbatem montis Cassini præfecerunt, vt illic Christianos peregrinantes hospitio exciperet: alterum in honorem S. Mariæ, Magdalenæ, vt fœminæ religionis ergo peregrinãtes illic hospitium haberent, quod à fœminis religiosis regebatur. Postea ædificarunt Xenodochium pro peregrinis, tam iis, qui affecta, quam qui integra valetudine erant: nec non templum S. Ioanni Baptistæ consecratum. Hæc monasteria, templa & Xenodochium diu fuerunt conseruata cura & sumptibus Almaphitanorum, qui ea fundauerant, vsq; ad tempus, quo vrbs capta fuit à Principibus Christianis, & Godofredus Bullionæus rex electus: quod accidit anno MXCIX.

1. Cum vrbs caperetur, frater Gerhardus erat Rector siue Antistes Xenedochii S. Ioannis, qui vrbe à Christianis obsessa ab infidelibus male habitus, & diuturno carcere detentus

fuit, propterea quod ipsum suspectum haberent, quasi arcana cum Christianis, qui vrbem obsidebant, consilia agitaret. Verū vrbe à Christianis occupata ex carcere emissus fuit, & Xenodochium S. Ioannis magna cum charitate & cura gubernauit, exstimulans & impellens reges & Principes Christianos, vt illud locupletarent & dotarent: quod liberaliter ab ipsis factum fuit: adeo vt Xenodochium illud S. Ioannis breui tempore magnos prouentus & possessiones in Gallia, Italia, Hispania & aliis Christiani orbis prouinciis obtinuerit.

Anno MCXIII. Paschalis, Pontifex Maximus, fratrem Gerhardum & Equites S. Ioannis in tutelam & protectionem S. Sedis Apostolicæ recepit, magnis priuilegiis ipsis concessis, & constituit, vt post obitum Gerhardi canonice ad electionem noui Rectoris & gubernatoris procederetur, qui postea fuit appellatus magnus Magister ordinis siue militiæ Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani: quod nomen ipsi in hunc vsque diem per quingentorum annorum spatium mansit.

2. Anno MCXVIII. frater Gerhardus ex hac vita migrauit, sub Pontificatu Gelasii II. quo tempore ordo Templariorum initium sumsit. Ei successit frater Raimundus Puteanus, qui fuit Eques professus ordinis: quamuis nonnulli existiment fratrem Rogerium Gerhardo successisse, & domum Hospitalem S. Ioannis gubernasse ab anno MCXVIII. vsque ad obitum Balduini II. regis Ierosolymitani, qui obiit anno MCXXXI. Frater Raimundus in Capitulo Ierosolymæ congregato, ex consilio Equitum leges ordinis condidit, regulam vitæ, qua deinceps Equites vterentur, formauit & instituit. Magnus Ordinis Magister appellatus fuit, & in suis titulis nomen serui pauperum Iesu Christi, & custodis domus Hospitalis Ierosolymitanæ sibi tribuit. Regula ipsius probata & confirmata fuit à Calixto II. anno MCXX. & postea ab Honorato II. & Innocentio II. atque à successoribus, qui ordine sunt sequuti, qui sanciuerunt, vt Equites religiosi secundum regulam S. Augustini vitam instituerent. Hic magnus Magister, cū videret, reditus domus Hospitalis quotidie crescere, & se non posse illos melius impendere, quam bellum gerendo contra infideles, omnes suas vires, opes & ordinis socios regi Ierosolymitano obtulit. Illi autem in suis vexillis crucem argenteam in area rubra gerebant, ex instituto Innocentii II. anno MCXXX.

Exin fratres & religiosi tribus gradibus distincti fuerunt. Nam alii erant Equites, alii Sacelliani, alii Ministrantes: cum ab initio nullum aliud inter eos discrimen esset, quam quod quidam essent sacerdotes & clerici, reliqui laici. Ab eo tempore nulla expeditio in Palæstina contra infideles suscepta fuit, cui magnus Magister cū suis Equitibus & religiosis non interfuerit: qui primū dicti fuerunt Equites Hospitales, seu domus Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani: deinde Equites Rhodii: hodie vero Equites Melitenses appellantur.

In tanto pretio & honore fuerunt, vt plerunque ad grauia & magni momenti negotia adhiberentur.

Inter alia frater Gerhardus Gebertus, Eques huius Ordinis, missus fuit à Fulquio, Andium rege, in Angliam, vt matrimonii inter Constantiam, Antiochiæ Principem, neptem reginæ Melisendæ, filiam Principis Boemundi, & Raimundum, filium Comitis Pictauiensis, qui tunc in aula Henrici, regis Angliæ, versabatur, parārius esset: quod etiam dexteritate huius Equitis contractum fuit. Eodem tempore Raimundus Berengarius, Comes Barcinonis & Princeps Cataloniæ, qui insulas Baleares Mauris eripuerat, & castitatem atque honorem Maholdæ, vxoris Imperatoris Henrici V. singulari certamine cōtra duos Equites Germanos, qui eam falsō accusauerant adulterii, defenderat, sub vitæ finem huius S. Ordinis habitum assumere voluit: atq; in hac sacra professione reliquo vitæ tempore sancte perseuerauit, vsque ad annum MCXXXI.

Sub idem tempus fertur, tres Equites huius Ordinis, qui erant Galli, in Picardia nati, quos Sultanus Ægypti captiuos detinebat, vno momento miraculose fuisse liberatos, & in Ægyptum translatos, cum Ismeria, filia Sultani, eo loco, vbi nunc est templum B. Virgini lætitiæ dedicatum, quod euenisse aiunt anno MCXXXIX.

Anno MCXXXIX. magnus Magister Raimundus obsidionem vrbis Ascalonis, quam infideles plus quam quinquaginta annis contra Christianos defenderant, vrsit ac tandem ea potitus est, XII. Augusti. MCLIV. qui fuit annus decimus regni Balduini III. Remunerationis loco pro hac insigni opera, magno totius orbis Christiani commodo præstita, Pontifex Anastasius IV. eximia priuilegia Ordini Hospitalium S. Ioannis concessit, bulla Cal. Nouembr. eiusdem anni data, eosq; iurisdictioni & correctioni Præsulum Orientis exemit.

Quod magnas turbas inter Episcopos illius regionis & Equites huius Ordinis excitauit. Equites autem semper præsidium & fauorem apud S. Sedem & Cardinales inuenerunt.

Quidam arbitrati sunt, magnum magnum Magistrum Raimundum fuisse Florentinum: sed verior sententia est, eum fuisse Gallum, Delphinatem, nobili familia Puteanorum prognatum: quod ipsum Iacobus Bosius, Italus, qui historiam huius Ordinis prolixe descripsit, ingenue fatetur.

Mortuus est anno MCLX. tempore Alexandri III. Pontificis, hac fama relicta, quod fuerit homo sanctæ vitæ, Dei timens, prudens & circumspectus in negotiis politicis, & bello fortissimus.

3. Mor-

3. Mortuo Raimundo succeſſit in magiſterio & regimine ordinis frater Augerius Balbenſis, cuius tempore nihil memoratu dignum reperitur, niſi quod Balduinus III. fato functus eſt, quem Chriſtiani vehementer luxerunt: atque ipſi infideles faſſi ſunt, Chriſtianos merito graui luctu propter mortem Balduini affectos, quoniam Principem amiſiſſent, qui non haberet parem in orbe terrarum. Magnus Magiſter Augerius, poſtquam tribus circiter annis ordinem pacate rexiſſet, obiit anno MCLXIII.

4. Ei ſurrogatus fuit frater Arnoldus Compenſis, vir magni animi & conſilii, qui paulo poſt ſuam electionem, Ægyptum ingreſſus eſt cum Amaurio, nouo rege Ieroſolymæ, cum bellum inferret Caliphæ Ægypti, qui tributum annuum, quod Balduino III. & ſequuturis regibus Ieroſolymæ in perpetuum ſe ſoluturum promiſerat, pendere detrectaret. Hic Arnoldus, poſtquam domum Hoſpitalem S. Ioannis quadraginta circiter annis magna prudentia & fortitudine gubernaſſet, mortuus eſt an. MCLXVII. cui ſucceſſit

5. Frater Gilbertus Aſſalienſis aut Sallienſis, qui excelſo animo & tam liberalis fuit, vt in prodigalitatem inclinaret, præſertim erga milites, adeo vt magnos ſumptus fecerit, & exhauſto omni ærario Ordinis coactus fuerit pecunias mutuas ſumere, hac conditione, vt ſi Peluſium, infidelibus pulſis, expugnaret, illud Ordini acquireretur, quod III. Nouembr. MCLXVIII. feliciter eſt exequutus. Eo anno generale Capitulum Ieroſolymæ habuit: cumque videret, ſe multum æris alieni conflaſſe, & Ordinem plus quam centum aureorum millia debere, tædio affectus, quod ſua conſilia ex voto non ſuccederent, officio magni Magiſtri ſe abdicauit, anno MCLXIX.

6. Itaque alius fuit electus magnus Magiſter, cui nomen Gaſto ſiue Caſto, de quo nihil dignum relatu in hac breui hiſtoria occurrit: cuius rei cauſa eſt breuitas temporis, quo ordini præfuit. Neque enim annum integrum hoc munere functus eſt, ſed eodem anno, quo fuit electus, obiit.

7. Eodem anno MCLXIX. ſucceſſorem habuit fratrem Iubertum, hominem religioſiſſimum, qui anno MCLXXVI. ſe iunxit Philippo Comiti Flandriæ, cum in Syriam veniſſet, vt Balduino IV. ſuppetias ferret contra Saladinum, cuius numeroſiſſimus exercitus menſe Nouembri anni MCLXXVII. ab exigua Chriſtianorum manu fuit profligatus. Eodem tempore Fridericus Barbaroſſa Imperator in gratiam rediit cum Alexandro III. Pontifice. Tandem Saladinus ex regione Damaſcena diſceſſit, anno MCLXXIX quo in viuis eſſe deſiit frater Iubertus, magnus Ordinis Magiſter, inſigni charitate erga pauperes ægrotos ardens. Ferunt ipſum ægritudine animi extinctum, quod videret, res Chriſtianorum in Syria labaſcere, & propter ignominioſas & damnoſas inducias, ſuo exemplo inter regem Ieroſolymitanum, Comitem Tripolitanum & Saladinum pactas, cum ordini præfuiſſet circiter decem annis.

8. Huic ſuffectus eſt anno MCLXXIX. frater Rogerius Molinæus, vir magna prudentia & fortitudine præditus. Ipſius tempore magna inimicitia & diſſenſio nata eſt inter Principem Antiochenum & Patriarcham eiusloci, quam vt componeret, & partes diſſidentes reconciliaret, electus eſt hic Rogerius, anno MCLXXXI. quo deceſſit Alexander III. cui ſucceſſit Papa Lucius III. Idem Rogerius cum Heraclio, patriarcha Ieroſolymitano & fratre Arnoldo Trogenſi, Magiſtro Templariorum, miſſus fuit à rege Ieroſolymitano in occidentem, tanquam legatus, vt opem à Principibus Chriſtianis expoſceret. Ipſe & ſocii benigne fuerunt excepti à Pontifice, Imperatore, rege Philippo Auguſto Deodato, qui fuit cognominatus Conqueſtor, regibus Siciliæ, Angliæ & Hungariæ: omneſque in Syriam reuerſi ſunt, excepto Magiſtro Templariorum, qui in itinere obiit.

Anno MCLXXVIII. Comes Tripolitanus, fœdere icto cum Saladino, tranſitum ipſi conceſſit, & annonam ipſius exercitui ſubminiſtrauit. Cum autem Saladinus vrbem Ptolemaida obſidione cinxiſſet, Equites S. Ioannis & Templarii ipſius exercitum fuderunt: ſed frater Rogerius fortiter pugnans occubuit, equi ſupra ipſum prolapſi & armorum pondere oppreſſus, & equorum hoſtilium pedibus conculcatus: cuius cadauer poſtea inter mortuos repertum, multis cum lachrymis & magno luctu humatũ fuit. Nihilominus Equites S. Ioannis & Templarii victoria potiti ſunt contra Turcas & Saracenos, quorum in eo conflictu quindecim millia perierunt, Calend. Maii, anno MCLXXXVII.

Hic quoq; frater Rogerius à Papa Lucio III. confirmationem regulæ & priuilegiorum, quæ Pontifices, ipſius anteceſſores, ordini S. Ioannis conceſſerant, obtinuit: quo mortuo

9. Frater Garnerius, Neapoli Syriæ, quod fuit antiquum oppidum Sichemum in Cananea, natus, magnus Magiſter creatus fuit. Ipſius tempore prælium cruentum inter Chriſtianos & infideles commiſſum, in quo Guido Luſignanus, rex Ieroſolymitanus, & proceres regni cum vera cruce, quam Chriſtiani ſecum in pugnam ferebant, ab infidelibus capti, omnes fere Equites S. Ioannis & Templarii partim in prælio occiſi, partim poſt illud capite truncati fuerunt. Frater vero Garnerius, poſtquam fortiter dimicaſſet, & diuerſis partibus corporis lethaliter vulneratus fuiſſet, pernicitate ſui equi euaſit, & Aſcalonem venit, vbi poſt decem dies exſpirauit, XIV. Iulii, cum duobus tantum menſibus & ſex diebus magnus Magiſter fuiſſet.

10. Die

10. Die XX. eiusdem mensis Iulii, anno MCLXXXVII. Equites, qui erant Ierosolymæ, elegerunt fratrem Ermengardum Apsensem. Die II. Octobr. eiusdem anni Ierosolyma in potestatem venit Saladini, LXXXVIII. annis, duobus mensibus, septendecim diebus, postquam infidelium manib. à Godofredo Bullionæo erepta fuisset, anno secundo Pontificatus Vrbani III. cum Fridericus I. cognomento Barbarossa occidentis, & Isaacus Angelus Constantinopoli Orientis imperium teneret: & in Gallia regnaret Philippus II. dictus Augustus, Deodatus & Conquestor. Tunc Equites Hospitales, Templarii & omnes Christiani Latini Ierosolyma pulsi fuerunt: ex quibus Christianis Hospitales sua pecunia mille ex Barbarorum captiuitate redemerunt. Omnia vrbis templa fuerunt polluta & prophanata, præter templum Resurrectionis, quod à Christianis orientalibus magno pretio fuit redemtum.

Amissa Ierosolyma Hospitales semper in armis fuerunt, & fidelem operam Christianis Principibus, qui se cruce signarant, vt terram Sanctam recuperarent, nauarunt, multis editis fortibus factis in obsidione Ptolemaidis, quę post longam trium annorũ obsidionem à Christianis capta & infidelium manibus erepta fuit, XII. Iulii MCXCI. In hac vrbe Equites S. Ioannis sedem fixerunt, & ordinarium suum domicilium habuerunt. Eodem anno Christiani memorabilem victoriam contra Barbaros & Saladinum, ducem ipsorum, obtinuerunt, ab Equitibus Hospitalibus & Templariis magnopere adiuti. Anno sequenti, qui fuit MCXCII. in hyeme mortuus est magnus Magister Apsensis in vrbe Ptolemaide: atq; ibidem in ipsius locum electus fuit.

11. Frater Gothofredus Duissonus. Tempore ipsius quinquennales induciæ inter Christianos, qui erant in terra sancta & Saladinum pactæ fuerunt: ob quam causam multi magnates & viri nobiles diuersarum nationum, qui se cruce signarant, & magnas opes ac facultates sibi acquisiuerant, domum redierunt, bonis, quæ habebant, ordini S. Ioannis datis: quod ipsorum reditus vehementer auxit. Mortuo autem Henrico, Comite Campanię, Hospitales & Templarii exiguam particulam regni Ierosolymitani, q̃ Christianis remanserat, administrarũt & gubernarunt. Hi elegerunt Amauriũ Lusignanũ, qui in regnum Cypri successerat, regem Ierosolymæ, cum consensu Patriarchæ, Præsulum & Baronum regni, anno MCXCIV. & paulo post obiit magnus Magister Duissonus, cui per electionem successit

12. Frater Alphonsus Lusitanus, Eques ordinis S. Ioannis, ex familia regum Lusitanorum procreatus: cuius autem Regis filius fuerit, incertum est. Statuta quædam laude digna condidit, quorum nonnulla hodieque inuiolabiliter abhoc ordine obseruantur. Quoniam vero magnanimus & nimium durus ac leuerus erat, in odium plerorumque Equitum Hospitalium incurrit: ob quam causam magisterio se abdicauit, & nauem conscendit, vt in patriam rediret; eodem, quo electus fuerat, anno MCXCIV. vbi mortuus est anno MCCVII. Calend. Martii.

13. Eodem anno, quo Alphonsus magno Magisterio se abdicauit, nempe anno MCXCIV. Gothofredus Mus, qui erat magnus Galliæ archimandrita, electus fuit in magnum Magistrum, & obiit Saladini, cui successit filius ipsius Noradinus, Dominus Alepi. Tempore ipsius Simon Comes Montfortius missus fuit à rege Philippo Augusto cum exercitu in Syriam: vbi omnia confusa inueniens inducias decem annorum cum infidelibus pepigit, anno MCXCVIII. quibus durantibus magnum dissidium inter Hospitales & Templarios ortum est, cum Hospitales quererentur, Templarios suam iurisdictionem inuasisse, eamque contemsisse & violasse: quod dissidium post multa certamina & furiosos conflictus sedatum & compositum fuit interuentu regis Amaurii, Antiocheni & Ierosolymitani patriarcharum, aliorumque Principum & Præsulum Christianorum, qui effecerunt, vt arbitrio & sententiæ Innocentii III. se submitterent,

Quod rebus Christianorum in oriente magnum emolumentum attulit. Nam post Deum vnica earum spes & fulcrum ab amicitia & concordia horum duorum ordinum militarium dependebat. Ipse rex Amaurius Lusignanus eundem Pontificem rogauit, vt se magno Magistro & Equitibus S. Ioannis commendaret, quibus administrationem regni sui Cypri commisit. Anno MCCV. obiit rex Amaurius, & regina Isabella, quæ hæredem instituit Mariam filiam suam, quam Conradus Monferratensis ex ipsa susceperat: cui tutores dedit Hospitales & Templarios. Anno MCCLX. magnus Magister Mus ex hac vita migrauit: cui successit

14. Frater Guerinus de Monte acuto, nationis Aruernianæ, qui cum Equitibus sui ordinis suppetias tulit Linoni, regi Armeniæ, contra Turcas & Barbaros, qui regnum ipsius inuaserant. Gratitudinis loco ipsis dedit oppidum Salephum, cum arcibus Camarda & Castro-nouo, atque iis, quæ eo pertinebant. Ipse se, suum hæredem & regnum Equitibus domus Hospitalis S. Ioannis. Donum ab ipso datum fuit confirmatum à Pontifice Innocentio III. die V. Augusti. anno XIII. Pontificatus ipsius, qui in annum salutis MCCIX. incidit: quo Ioannes Briennensis & Maria vxor ipsius, ac regni hæres, coronati fuerunt reges Ierosolymæ. Idem Pontifex confirmauit statuta & priuilegia ordinis Hospitalium, cum aliquo priuilegiorum augmento: obiitque anno MCCXVI paulo post Concilium generale Lateranense

Hono-

Honorius III. ipsi surrogatus, electionis suæ Equites Hospitales certiores fecit, quibus etiam regem Hungariæ & Archiducem Austriæ, qui se suasu ipsius cruce signauerant, commendauit, vt ipsis duces & adiutores essent ad recuperandam terram sanctam. Atque etiam Andreas, rex Hungariæ, in palatio ipsorum hospitium habuit, eosque rogauit, vt se in numerum fratrum sui ordinis reciperent, quibus annuum prouentum quingentarum marcarum argēti donauit, quas ipsis ex reditibus salinarum sui regni assignauit, datis litteris anno MCCXVII.

Anno MCCXXII. magnus Magister Guerinus ingens dissidium, inter Isabellam, reginam Cypri, regem Henricum, filium ipsius, & proceres regni ab vna; & Archiepiscopos, Episcopos, Prælules & ordinem Ecclesiasticum huius regni, propter decimas & possessiones ecclesiasticorū ortum, composuit: postea Romam venit, accersitus à Pontifice: deinde reuersus in terram Sanctam, ipse & Equites sui Ordinis rogati fuerunt, vt sub tutela S. Sedis, patrocinium susciperent regis & reginæ regni Cypri. Tandem anno MCCXXX. magnus Magister Guerinus Ptolemaide obiit, qui propter prudentiam & insignem fortitudinem in magno pretio habitus fuit à Principibus Christianis, magnumque sui desiderium reliquit Equitibus sui Ordinis, qui ipsius loco elegerunt fratrem Bertrandum Texium, cuius effigies non reperitur.

Sub huius magno Magisterio omnia negotia Christianorum in terra Sancta prorsus dependebant ab Equitibus Hospitalibus & Templariis, qui licet dissidia & simultates inter se exercerent: tamen in promouendo commodo & emolumento Christianorum contra Infideles inter se consentiebant.

Imperator Fridericus II. cum Pontifice Gregorio IX. reconciliatus, eum rogauit, vt suam auctoritatem apud magnum Magistrum Bertrandum & Hospitales interponeret, quo suorū negotiorū patrocinium in Syria susciperet: quod Pontifex ipsi concessit, & in gratiam ipsius ad magnum Magistrum scripsit, XXVI. Iulii, anno MCCXXXIII.

Eo tempore viuebat S. Hugo, Eques huius ordinis, & commendator Genuensis, qui ab eodem Pontifice Gregorio IX. in numerum sanctorum fuit relatus.

Anno MCCXL. frater Bertrandus Ptolemaide decessit, paulo post aduentum Richardi, Comitis Cornubiæ, fratris Henrici, regis Angliæ, qui exercitum quadraginta millium hominum in Palæstinam duxit.

15. Bertrando successit frater Guerinus, cuius cognomen ignoratur. Is Comiti Cornubiæ particulam dedit pretiosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui Ierosolymæ asseruabatur per Magistrum domus Hospitalis S. Ioannis. Eā Comes Cornubiæ in Angliam attulit.

Anno MCCXLII. viuis exemptus fuit beatus frater Gerhardus Meccatius, frater ministrans Ordinis S. Ioannis, natus Villæmagnæ, qui pagus est quatuor aut quinq; passuum millibus Florentia distans: qui assumto habitu tertii ordinis S. Francisci adeo religiose vixit, vt pro altero S. Hilarione haberetur.

Magnus Magister Guerinus, fortiter pugnās cum Coraſminis infidelibus, captus ab iis fuit, & ad Sultanum Ægypti missus, vbi vltimum vitæ diem clausit, anno MCCXLIV. Ipsius loco Equites S. Ioannis elegerunt in vrbe Ptolemaide magnum Magistrum.

16. Fratrem Bertrandum de Compis, tempore Pontificis Innocentii IV. qui conuocauit Concilium generale Lugduni, an. MCCXLV. regnante S. Ludouico. Magnus hic Magister acri prælio contra Turcomanos certauit, qui regionem circum Antiochiam depopulabantur, mēse Augusto, anni MCCXLVIII. In eo prælio acceptis aliquot vulneribus lethalibus animam exhalauit: & post ipsum Ptolemaide XXV. eiusdem mensis Augusti in magnum magistrum electus fuit.

17. Frater Petrus Villebridanus. Sub hoc rex S. Ludouicus cum multis Principibus & Præsulibus Galliæ cruce se signauit contra Infideles, & Pelusium, quod hodie Damiatam vocant, obsedit, ab Equitibus Hospitalibus & Templariis adiutus, quam mox deditione cepit. Anno MCCL. Sultanus Ægypti prælium cum Christianis commisit, in quo rex S. Ludouicus fuit captus cum suis fratribus Carolo & Alphonso, nec non rege Cypri & magnis magistris Equitum Hospitalium & Templariorum, ac maxima parte Equitum vtriusque Ordinis. Postea rex S. Ludouicus cum Sultano transegit, & Equites Hospitales mutuum ipsi argentum dederunt ad lytrum suum exsoluendum.

Anno MCCLI. magnus Magister Villebridanus vltimum vitæ diem clausit, Ptolemaide: cui per electionem successit

18. Frater Wilhelmus de Castro-nouo, nationis Aruernianæ, qui fuit exactus iustitiæ vindex, sub Pontifice Alexandro IV. qui Equitibus Hospitalibus arcem & territorium Bethaniæ dedit, anno MCCXXVI. Ipsius tempore Christianis terræ Sanctæ omnis spes præcisa fuit auxilii, quod à Principibus Europæ exspectabant.

Anno MCCLX. Magnus Magister de Castro-nouo obiit, & Hospitales ipsius loco elegerunt

19. Fratrem Hugonem Reuellium, cuius tempore Papa Vrbanus IV. Equitibus S. Ioannia montem Taboritanum dedit, anno MCCLXI. qui anno MCCLXII. emerunt arcem Assuriam, & biennio post Saracenis arcem Lilion eripuerunt, occisis duobus Emiris siue ducibus aut Tribunis Saracenorū: quæ fuit causa, vt Sultanus Ægypti in animum induxerit Equites Hospitales exterminare: prout etiā an. MCCLXV.

arcem

arcem Assuriam vi cepit : in qua expugnatione XC Equites S. Ioannis desiderati fuerunt. Quod Ordinem S. Ioannis vehementer labefactauit: & anno MCCLXVII Hospitales & Templarii, prælio commisso, à Saracenis prope vrbem Ptolemaida victi fuerunt, tota regione circumiacente à victoribus vastata. Anno MCCLXX Hospitales arcem Cracam amiserunt, quam Sultanus vi expugnauit, omnibus Equitibus, qui in ea erant, obtruncatis.

Magnum Magistrum Reuelium regi S. Ludouico in itinere Tunetano, in quo febre est extinctus, opem tulisse creditur. Tandem anno MCCLXXVIII magnus Magister Reuelius debitum naturæ persoluit, cum quinque Capitula siue conuentus Ordinis S. Ioannis habuisset, in quibus multæ præclaræ leges de gubernando & reformando Ordine latæ fuerunt.

20. Eo mortuo electus fuit in magnum Ordinis Magistrum Nicolaus Lorgius, qui vt suo antecessori nihil concederet, cum sciret, nullam esse Rebus publicis & Ordinibus exitiabiliorem pestem, quam discordiam, tantum studij & operæ in reconciliandis Hospitalibus cum Templariis posuit, vt pacem & amicitiam inter eos sanciuerit.

Anno MCCLXXXII Equites S. Ioannis memorabilem victoriam obtinuerunt contra Saracenos, qui arcem Margatam, præcipuam ipsorum munitionem, obsessum venerat: quod Sultano occasionem dedit, vt eam anno MCCLXXXV corona cingeret: quę fortiter ab Equitibus defensa, tandem deditione facta in Sultani potestatem venit. Equites signis explicatis Ptolemaida concesserunt.

Anno MCCLXXXVIII magnus Magister Lorgius ex mærore obiit, quod videret, res Christianorum in terra sancta magis ac magis ruere, & ad interitum vergere, quibus nulla ratione subuenire aut remedium afferre posset.

21. Eodem anno electus fuit in magnum Magistrum frater Ioannes Villiersius, ex natione Francica. Ipsius tempore capta fuit Tripolis ab infidelibus, Christianis eiectis: quemadmodum & Sidon ac Berythus, anno MCCLXXXIX, quæ vrbes fuerunt direptæ, vastatæ & incensæ. Tyrus quoque in Sultani potestatem redacta fuit, cum quo Christiani, qui Ptolemaide erant, inducias pepigerunt: interea magnus Magister Brundusium venit, cum magno Magistro Templariorum, vt Principes Christianos ad crucesignandum hortarentur.

Anno MCCXCI Sultanus vrbem Ptolemaida obsidione cinxit, summa virtute eam defendentibus Equitib. Hospitalibus & Templariis, qui sæpius eruptione facta cum hostibus conflixerunt: atque ipse magnus Magister, vulnere accepto, diu Barbarorum infidelium impetum sustinuit. Equites verò repagulis obiectis in quadam vrbis platea se sepserunt: quæ tandem capta fuit, die Veneris, XVIII Maij, anno iam dicto, MDXCI. Hac vrbe amissa Christiani ex terra Sancta electi fuerunt, CXCI. annis, decem mensibus, tribus diebus, ex quo Godofredus Bullionæus eam occupauerat. Magnus Magister cum reliquis suorum Equitum per mare in insulam Cyprum confugit, vbi à rege benigne & humaniter exceptus fuit, qui Equitib. Hospitalibus & Templariis assignauit vrbem Melionam, vbi est portus maris, vt illic sedes figerent. In ea vrbe magnus Magister Villiersius duo generalia capitula congregauit, vnum anno MCCXCII. mense Decembri: alterum sequenti anno, mense Octobri: vbi nouas leges ordini præscripsit. Anno MCCXCIV. Melisone è vita migrauit: cui successit

22. Frater Odo Pinæus, Prouincialis. Tempore Papæ Bonifacii VIII. odium & maleuolentiam Equitum sui ordinis sibi conciliauit, propter suam negligentiam & auaritiam: & fuerunt aliqui sermones habiti de ipso exauctorando: quod Pontifex vitandi scandali causa impediuit. Tandem Romam citatus fuit, vt ad querelas Hospitalium responderet: quo cum proficisceretur, in itinere obiit, anno MCCXCVI. cum annis præcedentib. duo capitula generalia Melisonæ habuisset. Chronicon quoddam manuscriptum refert, cum à litteris quibusdam Pontificis, quæ excommunicationem continebant, prouocasset, eum appellationem denuntiasse & ordine consueto peregisse.

23. Equites intellecta morte magni Magistri Pinæi, Melisonæ XXIV. Martii, MCCXCVI. successorem elegerunt fratrē Wilhelmum Villaretum, qui & ipse Prouincialis, & S. Ægidii cœnobiarcha erat. Cum eligeretur, in illo cœnobio versabatur: cuius rei certior factus, protinus in regnum Cypri reuersus est, vbi in suo munere se prudenter admodum gessit.

Sub ipso Vssum Cassam, rex Tartarorū, Christianam fidem amplexus est, & Ierosolymam recuperauit, cuius custodiam Hospitalib. & Templariis commisit, anno MCCC. Idem Damascū cepit: sed vtraq; vrbs ab infidelibus mox recepta fuit, & Hospitales ac Templarii in insulam Cyprum se receperunt. Magnus autem Magister anno MCCCVIII. ex hac vita in meliorem migrauit, cum Melisonæ quinq; Capitula generalia habuisset, & totalem ruinam Equitum Templi vidisset.

24. Extincto magno Magistro, in ipsius locum electus fuit Folquetus Villaretus, itidem ex Prouincia oriundus, vir ingenio sagaci & excelso animo præditus. Cum adhanc dignitatem euectus esset, illud exequi decreuit, de quo sępius sub ipsius antecessore actum fuerat, sed ad exitum perduci non potuerat, vt nimirum Equites ex insula Cypro migrarent, & alio se conferrent: quod feliciter est exequutus. Nam eodem anno, quo fuit electus, nempe anno MCCCVIII. Cōstantinopolim & inde in Galliam profectus est, vbi Papa insulam Rhodum ipsi dono dedit, quā ipse & equites eius anno MCCCIX. cum aliis septem insulis vicinis occuparunt. Atque eo translata fuit sedes Ordinis S. Ioannis, ita vt

Equi-

Equites illius postea fuerint cognominati Rhodii. Paullo post Ottomannus, primus Turcarum Imperator, cum potenti exercitu Rhodum obsidione cinxit. Amedeo autem IV. Comite Sabaudiæ obsessis suppetias ferente, Ottomannus obsidionem soluere coactus est. Ab eo tempore Comites Sabaudiæ crucem candidam in rubra area insignibus suis inseruerunt, in memoriam auxilii, quod Amedeus IV. Ordini S. Ioannis tulerat. Ordine Templariorum in Concilio generali Viennæ in Delphinatu abolito, pleræq; illorum facultates Ordini S. Ioannis à Papa Clemente V. concessæ fuerunt.

Anno M CCC XII. & M CCC XIV. Equites Rhodii insulam Cariam aliasque in mari Ægæo insulas sui iuris fecerunt. Magnus autem Magister victoriis suis insolētior factus, propter suam iactantiam & ferociam in odium Ordinis incurrit: ita vt Equites ab eo deficerent, & nisi in arcem euasisset, eum comprehensum in custodiam dedissent. Verum cùm arce illa potiri non possent, dignitatem magni Magistri ipsi abrogarunt, & eius loco elegerunt

Fratrem Mauricium Pagnacensem. Papa Ioannes XXII. eo cognito grauiter offensus fuit: & duos Præsules Rhodum misit, vt in rem illam inquirerent, dato mandato Villaretũ & Pagnacensem citandi, vt Auenione se sisterent: quod vterque fecit. Interea Papa fratrem Gerhardum Pinæum, Vicarium seu legatum generalem Ordinis S. Ioannis creauit, cuius tempore Orcanes, Turcarum Imperator, ad obsidendam insulam Rhodum se comparauit, de quo Equites Rhodii anno M CCC XXI. admirabilem victoriam reportarunt, duobus millibus Turcarum cæsis.

Interea Mauricius Pagnacensis Mompessuli decessit, anno MCCCXXII. & Folquetus Villaretus in pristinam suam dignitatem fuit restitutus: qui cum videret, se exosum esse Equitibus, munere magni Magistri se abdicauit, anno MCCCXXIII. & vixit vt Eques priuatus vsque ad Cal. Septembr. M CCC XXVII. Tunc mortuus est, & Mompessuli sepultus.

Eodem anno, quo ille se abdicauit, nempe MCCCXXIII. Equites Rhodii obtuleruntPontifici fratrem Ioannem Elionem, Villa-nouanum, natione, vt superiores, Prouincialem, & cœnobiarcham S. Ægidii, vt magni Magistri munere fungeretur. Pontifex hac electione admodum lætatus, eum diplomatis missis in hoc munere confirmauit, magno cũ applausu omnium Cardinalium & Equitũ Rhodiorum. Erat enim honestatis, virtutis & ꝓbitatis fama celeberrimus.

Hic magnus Magister Mompessuli Capitulum generale habuit, mense Octobri MCCCXX. & cum Rhodum proficisci in animo haberet, Massiliæ in grauem morbũ incidit: tandem recuperata valetudine, anno M CCC XXXII. Rhodum peruenit: eodemque anno Capitulum generale illic habuit, in quo præclaræ leges fuerunt latæ. Cum rebus optime præesset, Ordo nõ tantum omne ęs alienum, quod contraxerat, dissoluit, sed etiam ingentes opes accumulauit: adeo vt multi inuidia inflammati, auctores Pontifici fuerint anno MCCCXLII. vt opibus illis in duas partes diuisis, duos ordines militares crearet: quod tamen exitu caruit.

Anno MCCCXLIII. fœdus initium fuit inter remp. Venetam, regem Cypri & Ordinem S. Ioannis. Magnus autem Magister, qui felicis gubernatoris cognomentũ meruit, Rhodi XXVII. Maij, MCCCXLVI. vitam cũ morte commutauit, postquã mœnibus & turribus palatium magni Magistri cinxisset, & nationibus, præfecturis & dignitatibus certum ordinem præscripsisset.

Statim post mortem magni Magistri Villa-nouani frater Deodatus Gozonensis, Eques Prouincialis, eiusdem cum superioribus nationis, in magnum Magistrũ electus fuit, anno M CCC-XLVI. Quatuor circiter annis, antequã ad hanc supremam dignitatem promoueretur, cum horribili & monstroso draconе pugnauerat, qui insulam Rhodum affligebat, eumq; interemerat: vnde in tanto honore & pretio apud omnes fuit, vt memoria ipsius in perpetuum posteritati commendabilis sit futura. 27

Anno M CCC XLVII. regi Armeniæ contra Sultanũ Ægypti opem tulit. Papa autẽ Clemens VI. tanti faciebat Equites Rhodios, vt omnibus fere munitionibus, quas in Italia tenebat, vnum ex illis præfecerit: & anno MCCCLI. idem Papa summo studio Constantium, regem Armeniæ, magno Magistro Ordinis Rhodii commẽdauit.

Anno MCCCLIII. Ioannes Catacuzenus, filius Imperatoris Constantinopolitani Rhodum venit, opem magni Magistri implorans: qui Magister cum Ordini S. Ioannis septem annos, sex menses & decem dies præfuisset, VII. Decembr. eiusdem anni MCCCLIII. fatis concessit.

Sepultus fuit in tẽplo S. Ioannis Rhodii, postquam portum in vrbe Rhodo muro circumdedisset, & castrum mœnibus cinxisset, ac versus mare clausisset, deniq; duo generalia Capitula habuisset, vnum mense Ianuario, anni M CCC-XLVI. alterum mense Martio, anni M CCCLI.

Anno MCCCLIII. magno Magistro per electionem successit Petrus Cornilianus, cœnobiarcha S. Ægidii, natione, vt superiores, Prouincialis: quo in officio tantummodo vixit vnum annum, octo menses & septendecim dies. Nam morbo correptus in vrbe Rhodo, obiit XXIV. August. M CCC LV. Vitam degit adstrictam & seueram, adeo vt morum Corrector cognominaretur. Capitulum generale habuit Rhodi, anno MCCCLIV. in quo multæ bonæ & salutares leges conditæ fuerunt. 28

Extincto magno Magistro, forma solita electus fuit in magnũ Magistrum frater Rogerius Pinæus, Prouincialis, sicut superiores anno M-CCCLV. Ipsius tempore Papa persuasit Ordini S. Ioannis, vt Principatum Achaiæ à Iacobo Sabaudo, Pedemontii Principe, emeret: & habitus fuit generalis equitum Rhodiorum conuentus Auenione, ad illam emptionem conficiendam, & reformandos quosdam abusus, qui inter fratres Ordinis S. Ioannis irrepserant. 29

Ann. MCCCLVII. leges Ordinis in linguam Latinam translatæ, posteaq; anno MCCCLIX. ex mandato magni Magistri earum volumen authenticum ad omnia cœnobia missum fuit.

Magnus Commendator & Mareschallus Ordinis à magno Magistro in Galliam tanquam legati, visitatores & reformatores missi fuerunt.

Anno MCCCLXII. post mortem Papæ Innocentii VI. electus fuit Vrbanus V. qui litteras dedit ad magnum Magistrum Rhodium, quibus eum de obitu antecessoris & ipsius electione certiorem fecit.

Congregatio Equitum à Pontifice Carpentoractum conuocata, sed non celebrata fuit, propter obitum magni Magistri, qui è vita discessit XXVIII. Maij, MCCCLXV.

Pauperes ipsum valde luxerunt, quoniam erga ipsos liberalis, & largus eleemosynarius fuerat.

30 Anno MCCCLXV. frater Remondus Berengarius Prouincialis, eiusdem, qua superiores, nationis in magnum Magistrum electus fuit.

Is prius Commendator Castelli Saraceni erat: & illico legatos ad Papam Auenionem misit, vt in ipsius fidem & clientelam se daret.

Ipsius tempore Rex Cypri & Ordo S. Ioannis, fœdere inito, Alexandriam Ægypti expugnarunt, quam diripuerunt, expilarunt & incenderunt. Anno MCCCLXVI. Papa datis ad reges & Principes Christianos litteris, eos rogauit & hortatus est, vt Ordini S. Ioannis & Regi Cypri opem ferrent, larga peccatorum venia iis concessa, qui id facerent. Armeni pulsi à Saracenis ex suis ædibus, humaniter ab eodem Ordine in insulam Cariam recipiuntur. Eodem tempore Tripolis in Syria à Rege Cypri & Equitibus Rhodiis capta & direpta fuit.

Anno MCCCLXI. magnus Magister electus fuit à Pontifice, vt esset Nuncius S. Sedis Apostolicæ in regno Cypri, & illic motus & dissensiones componeret: qui ipsemet eo profectus est, & sua auctoritate & prudentia omnia illic pacauit.

Anno MCCCLXXIII. magnus Magister abdicare se volens munere magni Magistri, Theologum, cognatum suum, ad Pontificem misit, rogatum, vt cum ipsius venia ac bona gratia id sibi facere liceret. Sed Papa Gregorius XI. id ipsi permittere noluit, eumque pro bono Christiani orbis in obeundo suo munere pergere iussit.

Eodem anno conuentus generalis Ordinis S. Ioannis Auenione habitus fuit: paullo post magnus Magister fatis concessit, cum Ordini præfuisset XVIII. annis cum dimidio, & duo generalia Capitula Rhodi habuisset, vnum mense Martio, MCCCLXVI. alterum in Octobri MCCCLXX. in quibus multæ salutares leges latæ fuerunt, prout necessitas temporis postulabat.

31 Eodem anno MCCCLXXIII. frater Robertus Iuliacensis, archimandrita Franciæ, electus fuit in magnum Magistrum, qui cum eligeretur, in suo cœnobio erat, moxq; accepto nuncio de sua electione, Auenionem profectus est, osculatum pedes suæ sanctitatis, vbi benigne exceptus & magno honore affectus fuit. Illic conuentus generalis Ordinis celebratus fuit: & Pontifex præfecturam vrbis Smyrnensis Ordini S. Ioannis tradidit, ac magno Magistro sub pœna excõmunicationis imperauit, vt eam susciperet: qui anno MCCCLXXIV. nauem ingressus, vt Rhodum proficisceretur, eo feliciter appulit, & sua præsentia omnes rumores de praua rerum administratione per ipsius absentiam sparsos discussit. Anno MCCCLXXVI. alius conuentus Auenione celebratus fuit: eodemque tempore Papa domicilium suum Romam transtulit, quod ipse & antecessores Auenione LXXI. annis habuerant. Eodem anno, XXIX. Iun. magnus Magister Iuliacensis ex hac vita migrauit.

Eius loco electus fuit frater Ioannes Ferdinandus de Heredia, natione Tarraconensis, ex vrbe Valentia oriundus, qui fuerat cœnobiarcha Cataloniæ, & Castellanus Impostæ, cumq; post geminas nuptias viduus esset, habitum Ordinis assumsit, & factus fuit Eques Rhodius, tempore magni Magistri Villanouani. Dũ simplex Eques esset, permissu magni Magistri, sanctum sepulchrum & alia loca terræ sanctæ visitatum iuit. Idem fuit legatus Papæ Clementis VI. ad regem Galliæ Philippum II. & regem Angliæ, Eduardum III. Anno MCCCXLVI. singulare officium regi Philippo præstitit. Nam cum Rex in quadam pugna contra Anglos equo suo detrahatus fuisset, suum equum ipsi tradidit, cui Rex insidens, in locum tutum euasit. Auenionem cui Pontifex ipsum præfecerat, propugnaculis & nouis mœnibus muniuit. Papa, gratitudinis loco, cœnobiarchatum S. Ægidii vacantem ipsi contulit. Magnus Magister factus Rhodum contulit, anno MCCCLXXVII. & rogatus à summo exercitus Venetorum duce, vt viribus iunctis secum in Peloponnesum proficisceretur, ambo anno MCCCLXXVIII. vrbem Patras obsederunt, eamque cum arce expugnarunt: & magnus Magister cum præfecto vrbis singulari certamine congressus, eum interemit. Postea Turcis circumuentus & captus fuit: à quibus agnitus, vt redimeretur, Patræ & alia loca occupata ipsis reddita fuerunt.

Nihilominus, Turcæ ipsum in Epirum duxerunt, vbi eum per triennium pro mancipio habuerunt, vsq; ad annum MCCCLXXXI. Dum captiuus esset, Gregorius XI. Romæ obiit, & Vrbanus VI. ipsi surrogatus fuit, impulsu populi Rom. qui nolebat, vllum Cardinalem Gallum Papam creari. Sed Cardinales Fundis, Campanoppido libertati restituti Clementem VII. elegerunt, qui Romæ pro Antipapa habitus fuit, quod Ecclesiã diuturno & pernicioso schismate distraxit. Anno MCCCLXXX. durante captiuitate magni Magistri, capitulum generale Ordinis Equitum Rhodiorum celebratum fuit, quo frater Bertrandus Flottanus præfidem eg

Anno MCCCLXXXI. magnus Magister sua captiuitate redemptus, Rhodum rediit, q

leg

legati Smyrnã ad eum venerunt, opem ipsius implorantes.

Anno MCCCLXXXII. alius conuentus generalis Rhodi fuit celebratus, in quo decretum fuit, vt magnus Magister in Galliam proficisceretur: qui cum venisset Auenionem, ipse & totus Ordo S. Ioannis Papam Clementem VII. verum Domini nostri Iesu Christi Vicarium agnouit: & fuit habitum Capitulum generale Ordinis Valentiæ ad Rhodanum. Ob hanc causam Papa Vrbanus VI. illum magni Magistri dignitate priuauit, surrogato in ipsius locum fratre Richardo Caracciolo Neapolitano, anno MCCCLXXXIII. Verum Ordo hunc pro magno Magistro nunquam habuit, qui viuente adhuc Heredi-ano obiit Romæ, anno MCCCXCV.

Anno MCCCXCI. Baiazeth, Turcarum Imperator, apparatum quendam instruxit ad obsidendam Rhodum. Hac de causa frater Philibertus Naillacensis, cœnobiarcha Aquitaniæ, missus fuit à conuentu Rhodio Auenionem ad magnum Magistrum, cum litteris, vt Ordini contra Baiazethem opem ferret. Naillacensis Rhodum rediit anno MCCCXCVI. quo anno magnus Magister Heredianus decessit, qui fuit sepultus in oppido Caspio.

Nunciõ Rhodum allato de obitu magni Magistri Herediani, in ipsius locũ electus fuit frater Philibertus Naillacensis, nationis Francicæ, magnus cœnobiarcha Aquitaniæ, ann. MCCCXCVI. in vere. Eum Sigismundus, rex Hungariæ, ad opem sibi ferendam contra Baiazethem inuitauit: ad quem venit anno MCCCXCVII. Pugna commissa ad Nicopolin Baiazeth victoria potitus est: rex autem Hungariæ cum magno Magistro Rhodum se recepit: quo Imperator Constãtinopolitanus sua pretiosissima cimelia misit, cum metueret, ne Baiazeth Constantinopolim caperet. Sed Tamberlanus eum hoc metu liberauit, qui Baiazethem victum caueæ ferreæ inclusum per omnem vitam tenuit. Obsidione vrbis Constantinopoleos soluta, magnus Magister cimelia ad Imperatorem remisit.

Baiazethe capto, magnus Magister Naillacensis cum exercitu in Cariam nauigauit, vbi munitionem inexpugnabilem condidit, quam arcem S. Petri vocauit, anno MCCCXCIX. sub rege Galliæ Carolo VI.

Anno MCDIII. bellum inter regem Cypri & Genuenses exarsit, quod auctoritate & prudentia magni Magistri Naillacẽsis compositum fuit: ad quẽ Sultanus Ægypti legatum misit, pacẽ petẽs. Anno MCDIX. magnus Magister interfuit Cõcilio Pisano, quod ad extinguendũ schisma, quo tunc Ecclesia flagrabat, conuocatum fuit. Tunc custodia Conclauis magno Magistro commissa, & Alexander V. Pontifex creatus, electionẽ magni Magistri Naillacensis confirmauit: qui capitulum generale Niceam in Prouincia conuocauit: quod postea Aquas Sextias translatum fuit. Idem Pontifex confirmauit priuilegia Ordinis, & delictorum veniam iis promisit, qui auxilium Ordini S. Ioannis ferrent, misso legato, anno MCDX. ad reges Galliæ & Angliæ. Hic quoq; magnus Magister anno MCDXIV. Concilio generali Constantiensi interfuit, in quo tres Pontifices depositi, & Martinus V. electus fuit, anno MCDXVII. custodia conclauis iterum magno Magistro commissa, qui anno MCDXVIII. in Galliam profectus est: vbi conuentus generalis Ordinis in vrbe Auenione habitus, qui postea Florentiam ac tãdem Anconam translatus fuit. Inde Rhodum rediit, anno MCDXX. vbi capitulum generale habuit: & anno MCDXXI. ineunte mense Iunio exspirauit.

Mortuo successit frater Antonius Fluuianus 34
siue Ripanus, natione Tarraconensis, sub initium mensis Iulii, anno MCDXXI.

Sub ipso cœpit concilium generale Basiliense, anno MCDXXXIII. & capitulum generale habitum fuit Rhodi, in quo legati denominati fuerunt, qui nomine Ordinis S. Ioannis Concilio interessent.

Anno MCDXXXV. Sultanus Ægypti victoria elatus, quam in insula Cypro obtinuerat, inducias rupit, & magnos apparatus fecit, vt Rhodum obsideret: sed cum intellexisset, magnum Magistrum omnia necessaria ad sustinendam obsidionem comparasse, ab incepto destitit, & Ordinem missum fecit.

Anno MCDXXXVII. magnus Magister fundauit & dotauit sacellum in vrbe Rhodo, quod in templo Conuentus exstruendum curauerat: & XXIX. Octobr. extremum diem clausit, cum Ordini paullo minus sedecim annis cum dimidio magna prudentia præfuisset.

Die VI. Nouemb. eiusdem anni MCDXXX- 35
VII. electus fuit in magnum Magistrum frater Ioannes Lasticensis, ex Aruernia oriundus, qui cum eligeretur absens erat, & in patria hærebat, vbi cœnobiarcham agebat. Antequam Rhodum proficisceretur, conuentum egit Valentiæ, & mense Decembri MCDXXXVIII. Rhodũ appulit: vbi anno seq. nouum valetudinariũ ædificare cæpit, quod antecessor ipsius testamẽto suis sumptibus condendũ mandauerat.

Ipsius tempore Papa Eugenius IV. à Concilio Basilien si depositus, & Felix V. ipsi surrogatus fuit, quem tamen Romani pro Antipapa habuerunt. Anno MCDXL. Sultanus Ægypti cum exercitu ad portum insulæ Castelli-rubri ad Ordinem pertinentis accessit: cumq; inde Rhodum petiisset, à copiis Equitum fusus & fugatus fuit, tametsi illi octo tantũ triremes haberent, in class. se autem Sultani octodecim essent. In ea pugna septingenti circiter Saraceni occisi fuerunt, præter ingẽtem sauciatorũ numerum. Sultanus hac clade accepta iritatus, cum Amurathe, Turcarũ Imperatore, fœdus percussit, eo animo, vt insulã Rhodum caperet, & Equites inde expelleret.

Itaq; anno MCDXLIV. Rhodum obsidione cinxit, quæ fortiter ab Equitibus Rhodiis defensa fuit. Mense Septembri eiusdem anni conuentus generalis Rhodi habitus fuit, vt necessitatibus Ordinis succurreretur.

Anno sequenti magnus Magister regẽ Cypri

Pontifici reconciliauit, & pacem cum Amurathe fecit, ac generale capitulum habuit Rhodi, menſe Iulio. Eodem anno mandauit, vt generale capitulum Senis haberetur: quo magnus Magiſter ſuos legatos & procuratores miſit: inde capitulum Romam fuit translatum, vbi celebratum fuit in palatio S. Petri, anno MCCCCXLVI. quo anno Ordo cum Sultano pacem fecit.

Anno MCCCCXLIX. ceſſauit ſchiſma in Eccleſia, renunciatione facta à Felice V. in gratiam Pontificis Nicolai V. quo anno, menſe Septembri, habitum fuit Rhodi capitulum generale, quo durante Dux Cliuiæ Rhodum venit, cum reuerteretur ex itinere ſuo Ieroſolymitano, quod religionis ergo ſuſceperat, vt viſitaret S. Sepulchrum, & alia loca terræ ſanctæ.

Anno MCCCCLI. generalis cõuentus Rhodi habitus, in quo adminiſtratio ærarii magno Magiſtro commiſſa fuit, qui anno MCCCCLII. poſt mortem Amurathis pacem cum Mahomethe II. ipſius filio renouauit. Anno ſequenti Mahometh Cõſtantinopolin occupauit XXIX. Maij, & victoria elatus magno Magiſtro ſignificauit, vt ſingulis annis duo millia ducatorum tributi loco ſibi penderet, alioqui ſe pacem, quamuis iureiurando firmatam, non amplius ſeruaturum: cui magnus Magiſter generoſe reſpondit, Ordinem, inſulam Rhodum & ſe nulli ſubiectũ eſſe, quam S. Sedi Apoſtolicæ, & ſe ipſi nunquam tributum daturum, quin mori malle, quam patiꝫ vt Ordo, qui ſemper fuerit liber in ſeruitutem redigatur, & tributarius fiat. Quapropter legatos ad Pontificem & Principes Chriſtianos miſit, opem ipſorum implorans contra perfidum Mahomethem. Ann. autẽ MCDLIV. XIX. Maij de vita deceſſit, cum Ordinem XVI. annis, VI. menſibus & XIII. diebus fortiter gubernaſſet.

Frater Iacobus Millius ex Aruernia, vbi erat
36 cœnobiarcha, ſucceſſit in locum magni Magiſtri Laſticenſis, Calend. Iun. MCCCCLIV. Erat in ſuo cœnobio, cum eligeretur: cuius rei primum nuncium à ſuo nepote, fratre Georgio Ligno-rotundo, accepit: & protinus Rhodum profectus eſt, vbi capitulum generale habuit, menſe Nouembri eiuſdem anni.

Anno MCCCCLVI. inſula Rhodus peſte & fame grauiter afflicta fuit, ſic vt dimidia ex parte vacua & deſerta eſſet: quæ vt rurſus frequentaretur, Equites paſſim citati fuerunt, vt intra certum tempus eo redirent.

Anno MCCCCLVII. Mahometh inſulam Cariam obſedit, vna cum arce inſulæ Singeſanæ: ſed fortiter fuit repulſus; inſigni ab Equitibus parta victoria. Eodem anno Rex Galliæ Carolus VII. Ordini ſedecim millia aureorum donauit.

Anno MCCCCLIX. menſe Octobri capitulum generale Rhodi habitum, ibidemque anno ſequenti generalis conuentus celebratus fuit: in quo multi cœnobiarchæ, præfecti & Commendatores citati, ad defendendum Ordinem. Anno MCCCCLXI. XVII. Auguſt. magnus Magiſter obiit, cum Ordinem tempore dubio ac difficili ſeptem annos, duos menſes & ſedecim dies magna prudentia rexiſſet. Ingens ſui deſiderium reliquit. Fuit enim admodum benignus, affabilis, humanus, & conſeruandæ pacis atque concordiæ inter Ordinis ſocios ſtudioſus.

Frater Petrus Raimundus Zacoſta, natione 37
Tarraconenſis, Caſtellanus Impoſtæ, creatus fuit magnus Magiſter XXIV. Auguſt. MCCCCLXI. Tunc abſens, & in Hiſpania erat: vnde diſceſſit anno MCCCCLXII. & Roma itinere facto Rhodum venit, vbi generale Capitulum habuit: quo durante octauã natio Caſtiliæ & Luſitaniæ inſtituta fuit, cum prius ſeptem tantum eſſent, Franciæ, Aruerniæ, Prouinciæ, Italiæ, Tarraconis, Angliæ, Germaniæ.

Anno MCCCCLXIV. exercitus Venetorum obſedit Rhodum: verum obſidio mox fuit ſoluta, & Veneti in ſuam ditionem ſunt reuerſi, cum bellum eſſet compoſitum prudentia magni Magiſtri, qui turrim Nicolai in introitu portus exſtruendam curauit, eo ipſo loco, vbi magnus ille coloſſus Solis, inter ſeptem mundi miracula numeratus, ſteterat, ad quam ſtructuram Philippus Dux Burgundiæ decem millia aureorũ contulit.

Anno MCCCCLXV. Turcarum Imperator legatos Rhodum miſit, vt pacem cum Equitibus Hoſpitalibus faceret, qui eam repudiarunt, contraque coram legatis bellum Turcæ indixerunt.

Anno MCCCCLXVI. Pontifex celebrationem Capituli generalis Ordinis Romam tranſtulit, quo magnus Magiſter ipſemet venit, & Papa Paulus II. Capitulo illi intereſſe voluit. Anno ſequenti XXI. Februa magnus Magiſter Romæ obiit, anno ætatis LXXIV. cum Ordini quinque annos, ſex menſes & tres dies præfuiſſet. Sepultus fuit in æde D. Petri.

Frater Baptiſta Vrſinus, cœnobiarcha Ro- 3
manus, natione Italus, ſucceſſit magno Magiſtro Zacoſtæ, IV. Mart. MCCCCLXVII. atque hæc dignitas ipſi à Papa collata fuit, quia eam Romæ vacare contigerat: quod tamen factum eſt conſenſu omnium Equitum & Fratrum Ordinis S. Ioannis, qui tunc Romæ erant. Magnus Magiſter illico iuramẽtum præſtitit coram Pontifice: Quod vbi Rhodi cognitum fuit, fratres Ordinis ignes lætitiæ teſtes accenderunt: quo magnus Magiſter paullo poſt venit: vbi cum eſſet, anno MCCCCLXIX. accepto nũcio, Turcã inſtruere potentem exercitum ad obſidendam Rhodum aut Eubœam, magnum numerum Equituꝫ abſentiũ citauit, vt inſulam defenſum venirent: adhæc fœdus cum Repu. Venetorũ contra Turcam iniit. Anno autem MCCCCLXX. Mahometh vrbem Nigropontũ in Eubœa vi cepit, III. Cal. Quintil. & magnam atque horrendam in ea ſæuitiam exercuit, omnesq; Latinos, quos in ea inuenit, pugnæ feruore iam remiſſo, interimendos curauit: & tubæ clangore bellũ contra Ordinẽ Rhodium publicauit: quã ob cauſam magnus Magiſter ad Papam miſit, qui auxilium peterent: & Rhodii ieiunium celebrarunt, vota nuncuparunt, ſolennes ſupplicationes inſtituerunt, vt opem diuinam implorarent: omnemque apparatum inſtruxerunt, vt ſe contra exercitum Turcꝫ

tum

cum defenderent. Anno MCCCCLXXI. magnus Magister capitulum generale Rhodi habuit, in quo lis orta fuit contra procuratores ærarii, quæ fuit composita à legato Pontificis Sixto IV. qui eo nomine Rhodum venerat.

Anno MCCCCLXXV. alterum Capitulum generale à magno Magistro Rhodi habitum fuit, in quo præter statuta Ordinis leges Capitulares condi cœptæ. Anno MCCCCLXXVI. magnus Magister diuturno & molesto morbo, quo annum fere conflictatus est, VIII. Iun. extinctus fuit, cum Ordinem magna auctoritate, grauitate & prudentia spatio IX. annorum, III. mensium & III. dierum gubernasset.

Ann. MCCCCLXXVI. frater Petrus Albussanus, ex Aruernia oriundus, vbi etiam cœnobiarcha erat & præfectus vrbis Rhodi, electus fuit in magnum Magistrum: qui solenne iramentum more solito præstitit, se statuta Ordinis obseruaturum: misitq; legatum Romam, vt Pontificem de sua electione certiorem faceret, & obsequium suum profiteretur. Anno MCCCCLXXVII. totam insulam Rhodum obiuit, & magnos fecit apparatus ad eam defendendam contra exercitum Turcarum, multosq; cœnobiarchas, commendatores & Equites citauit, vt ad capitulum generale & defendendam insulam Rhodum conuenirent. Idem pacem cum Sultano Ægypti renouauit.

Eodem anno Rex Ludouicus XI. Iubilæum in Gallia celebrandum obtinuit, in gratiam Ordinis & Equitum Rhodiorum; voluitque, vt omne argentum, quod in eo offerretur, ad ipsorum defensionem impenderetur.

Ex eo Iubilæo magna vis pecuniæ collecta est, quæ in muniendis locis & arcibus insulæ Rhodi collocata fuit. Inducias pactus est inter Ordinem S. Ioannis & Regem Tunetanum ad XXX. annos. Anno MCCCCLXXVIII. capitulum generale habuit, in quo administratio ærarii ipsi commissa, & Ordo S. Sepulchri Ierosolymitani cum Ordine S. Ioannis vnitus fuit.

Anno MCCCCLXXIX. decretum fuit in consilio Mahometi II. Turcarum Imperatoris, vt Rhodus obsideretur: quod protinus magnus Magister Pontifici nunciauit, & auxilium illius imploratit. Anno MCCCCLXXX. Turcarum Imperator vrbem Rhodum potenti cum exercitu obsedit: in qua obsidione multæ eruptiones factæ, & Turcæ semper repulsi & in fugam acti fuerunt; quamuis ipsorum exercitus, vt minimum centum millibus bellatorum, & classis CLX. nauibus constaret. Magno Magistro opem tulit frater ipsius Antonius Albussonus, Vicecomes Monteliſius, vir multa rei bellicæ peritia clarus, qui supremus copiarum militarium dux fuit constitutus. Paucorum dierum spatio Turcæ mille septingentos tormentorum ictus contra mœnia vrbis disploserunt, & facta fuit stupenda oppugnatio à quadraginta Turcarum millibus, qui fortiter fuerunt repulsi. In ea magnus Magister quinque vulnera accepit, quorum vnum lethale fuit iudicatum. Denique obsessi tanta virtute Turcis restiterunt, vt hi ab obsidione discedere coacti fuerint, multis ex suis amissis. Atque ita exercitus Turcarum magno cum damno & ignominia Constantinopolin rediit, cum Rhodum octoginta nouem diebus frustra obsedisset. In huius victoriæ memoriam Rhodi templum B. Virgini victoriosæ fuit ædificatum.

Post hanc obsidionem Mahomethes impetum cepit Rhodum in propria persona aggrediendi: & tunc habitus fuit generalis conuentus Equitum: sed mors ipsum præuenit, & ipsius filii, Baiazethes & Zizimus, post obitum patris, bello se mutuo sunt persequuti: quod Equitibus aliquam quietem attulit: imo Zizimus ad magni Magistri opem confugit, & Rhodum se recepit, anno MCCCCLXXXII. vbi maximo cum honore exceptus, & inde in Galliam ductus fuit.

Tempore magni Magistri Albussoni statuta Ordinis fuerunt reformata, & in vnum volumen redacta.

Pax quoque facta fuit inter Ordinem & Baiazethem, Turcarum Imperatorem, cum Papa illius pangendæ potestatem magno Magistro fecisset. Idem magnus Magister coopt atus fuit in numerum Cardinalium Diaconorum à Papa Innocētio VIII. & IX. Mart. MCCCCXCVIII. missus ipsi fuit ab eodem galerus Cardinalitius. Idem Papa eum constituit suum legatum in Asia. Anno MD. Papa Alexander VI. eum creauit legatum & supremum ducem fœderis contra Turcam. Tandem vita functus est Rhodi anno MDIII. die III. Iulii, honoribus cumulatus, fuitque sepultus cum magna pompa funebri. Vixit LXXX. annos. III. menses & IV. dies. Præfuit ordini XXVII. annis, XVI. diebus. Tempore ipsius quinque capitula generalia Rhodi habita, & in iis multæ præclaræ leges conditæ fuerunt.

Cum magnus Magister Albussonus moreretur, CCLXXXVII Equites Rhodi cōgregati erant, qui successorem in ipsius locum elegerunt fratrem Emericum Ambasianum, fratrem Georgii Ambasiani Cardinalis & legati in Gallia, archiepiscopi Rothomagensis, X. Iul. MDIII. Erat nationis Francicæ, & magnus cœnobiarcha Franciæ, cum eligeretur, ibique commorabatur; cum eligeretur. Frater Guidus Blancofortius venit in Galliam, vt magnum Magistrum Rhodum proficiscentem comitaretur.

Anno MDIV. magnus Magister solennem suum introitum fecit in vrbem Rhodum, in eaque magno cum gaudio & applausu exceptus fuit, propterea quod à regibus Galliæ & Hispaniæ conuentui Fratrum commendatus fuisset. Vbi primum appulit, capitulum generale habuit, in quo fuit decretum, vt sumptuosum monumentum ex ære defuncto Cardinali, magno Magistro, exstrueretur. & anno MDX. aliud capitulum generale habuit: quo eodem anno Ordo memorabilem victoriam nauale contra Sultanum Ægypti obtinuit, duce Philippo Villiersio, ex Insula-Adami, Equite Gallo, qui postea creatus fuit magnus Magister, sub finem anni

MD XII. Emericus autem obiit Rhodi, XIII. Nouembr. cum Ordini præfuisset IX. annis, IV. mensibus, & III. diebus, & vixisset annis LXX-VIII. mensibus IV. diebus VI.

41 Die XXII. eiusdem mensis Nouembris Equites Ordinis congregati quorum CCCC X. erant, elegerunt in magnum Magistrum, fratrem Guidum Blanco-fortium, ex Aruernia oriundum, vbi etiam cœnobiarcha erat, nepotem defuncti magni Magistri Albussoni. Erat in suo cœnobiarchatu, cum eligeretur.

Eodem anno M D XII. Concilium generale Lateranense fuit habitum Romæ, vbi frater Fabricius Carettanus, Thalassiarcha & Procurator Ordinis Rhodii, fuit præfectus stipatorum Concilii, quod fuit congregatum à Papa Iulio II. & continuatũ ab ipsius successore, Leone X. anno MDXIII. quo magnus Magister Blanco-fortius, cum Niceæ in Prouincia nauem ingressus esset, vt Rhodum veniret, in itinere morbo correptus, & eo extinctus fuit, XXIV. Nouembr. vno anno & duobus diebus, post ipsius electionem.

42 Ei surrogatus fuit frater Fabricius Carettanus, Genuensis, natione Italus, die XV. Decembr. M D XIII. Factum est istud Rhodi in generali conuentu, in quo aderant quingenti quinquaginta Equites, inter quos etiam fuit ipse Carrettanus, qui prius erat Thalassiarcha Ordinis. Cadauer Blanco-fortii, magni Magistri, Rhodum allatum, & ibi honorifice sepultum fuit in templo S. Ioannis.

Anno MDXIV. capitulum generale habitum fuit Rhodi, post cuius celebrationem frater Philippus Villiersius ex Insula-Adami, subpræfectus magnus Magistri, missus fuit in Galliam cum suprema auctoritate in omnes regni cœnobiarchas, tanquam visitator, corrector, vicarius & legatus magni Magistri & Conuentus.

Anno M D XVI. pax facta est inter Ordinem S. Ioannis, & Tomombeium Sultanum Ægypti, successorem Campsonis Gaurii, qui paullo ante in pugna infeliciter cum Selimo Turcarum Imperatore commissa occisus fuerat. Nec fortunatior fuit Tomombeius, qui anno M D XVII. captus, suspensus & strangulatus fuit ex mandato Selimi, ad portam Memphis. Quæ causa fuit, cur magnus Magister insulam Rhodum, quantum potuit, muniuerit, & legatos ad Papam & Principes Christianos miserit, per quos ipsis victorias Selimi nunciauit, eosq; rogauit, vt rebus Christianorum prospicerent, sibique opem ferrent. Ann. MDXX. aliud capitulum generale habuit: eodemq; anno Selimus obiit: cui successit filius Solymannus. Ann. MDXXI. X. Ian. magnus Magister Carettanus Rhodi vltimũ vitæ diem clausit, cum Ordini præfuisset VII. annis, XXVI. diebus, & Rhodi magnum apparatum & magnam copiam comeatus reliquisset, qui commodo successoris cessit:

43 Is fuit Philippus Villiersius, ex Insula-Adami, nationis Francicæ, & magnus in Francia cœnobiarcha, in qua tũc erat, cũ eligeretur. Per ipsius absentiam fratri Gabrieli Pomerello, magno Commendatori, vices eius demandatæ fuerunt, qui protinus Villiersio mortem magni Magistri Carrettani, & quod in ipsius locum electus fuisset, significauit, rogauitque, vt quamprimũ Rhodum veniret: quo paullo post appulit, & ritu solenni ingressus, in statuta Ordinis iurauit.

Eodem anno, quo fuit electus, nempe MDXXI. XXII. Ianu. Sultanus Solymannus decreuit, Insulam Rhodum obsidere, vt vltimæ patris sui Selimi voluntati satisfaceret. Quo cõperto, magnus Magister Villiersius omnẽ apparatũ, quem potuit, instruxit, vt se contra Turcas defenderet, Vrbem Rhodum summa diligentia muniuit, & legatum ad Papam Adrianum VI. qui Leoni X. successerat, misit, vt eũ læto suæ electionis nuntio impertiretur, simulq; auxilium peteret: quod obtinere non potuit, propter bellum, quod tunc inter Franciscum I. Regem Galliæ & Imperatorẽ Carolum V. gerebatur. Anno MDXXII. mense Iunio cæpta est memorabilis obsidio vrbis Rhodi, quæ ab exercitu ducentorum millium Turcarum, quibus postea alia centum millia accesserunt, circumdata fuit. Obsessi gnauiter se defenderunt, & multa egregia facinora bellica patrarunt, inprimis magnus Magister, qui toto obsidionis tempore arma nõ deposuit. Turcæ irrumpentes, crebro repulsi fuerunt: atq; in vna oppugnatione XX. millia Turcarum perierunt, ita vt Solymannus in animo haberet obsidionem soluere: sed fuerunt proditores, qui ipsum ab hoc instituto reuocarunt. Hos postea magnus Magister comprehensus supplicio affecit. Ille autem auxilio destitutus, tandem coactus est deditionem facere, XXIV. Decembr. MDXXII.

Ex Turcis plus quam cẽtum millia in hac obsidione desiderata sunt. Solymannus autem cum magnum Magistrum videre voluisset, eo conspecto, ex commiseratione illachrymauit: & Calen. Ianuar. MDXXIII.

Magnus Magister cum L. nauibus Rhodo discessit, & Cretam petiuit, postquam insula Rhodus spatio CCXIII. annorum in potestate Equitum Hospitalium fuisset, nempe ab anno MCCCIX. vsque ad finem anni MDXXII.

Amissa Rhodo magnus Magister & fratres Ordinis nullam certam sedem habuerunt, donec insula Melita ipsis ab Imp. Carolo V. donaretur. Nam primum in Cretam se receperunt: inde in Siciliam & Italiam venerunt, vbi Papa ipsis hospitium Viterbii concessit: atq; illic vnum capitulum generale habitum fuit: postea aliquandiu Cornetti, deinde Villæ-francæ & Niceæ commorati sunt.

Cum Ordo Niceæ esset, magnus Magister in Angliam, & inde in Galliam profectus est. Lugduni in grauem morbum incidit: ex quo cum conualuisset, Camerinum iuit, vt Principem Philibertum Emanuelem, Caroli Ducis Sabaudiæ filium, ex fonte Baptismatis susciperet: inde Niceam rediit, vbi cum esset, ipse & totus exercitus Ordinis cũ vniuerso Cõuentu iter ingressi sunt vt Melitam peterent, quo appulerũt die Mercu-

rii

li, XXVI. Octob. MDXXX. Illic magnus Magister palatium exstruxit in arce S. Angeli, in quo ipse & successores domicilium haberent: quod cũ ritu solenni ingressus esset, aliud palatium in veteri vrbe Melitensi condidit. Tandem cũ Ordini præfuisset XIII. annis, VII. mensibus, & annis LXX. vixisset, denatus est Melitæ XXI. Aug. MDXXXIV. & sepultus fuit in sacello quodam, quod in arce S. Angeli exstruendum curauerat. Ei successit, electione facta

44 Frater Perrinus Pontanus, Astensis, natione Italus, XXVI. August. an. M D LIV. Antequam Rhodus à Turcis caperetur, præfectus erat insulæ Cariæ: qua amissa, inde discessit cum omnibus Equitibus suæ præfecturæ, & in Cariam concessit: quam cum etiam deserere coactus fuisset, ex ea cum suis Equitibus migrauit, & Cretam ad reliquos Equites venit. Postea factus fuit subpræfectus magni Magistri, & missus legatus ad Lautrecum, & creatus præfectus S. Euphemiæ inconuentu Niceæ. Ibi cum esset, electus fuit in magnum Magistrum loco sui antecessoris, quem deplorauit potius quam quod sua electione lætatus fuerit. Nauem ingressus in sua præfectura cum triremibus Ordinis Melitam venit, X. Nouembr. eodem anno MDXXIV. Ipsius tempore Imperator Carolus V. expeditionem suscepit in regnum Tunetanum in Africa, in qua fuit adiutus à triremibus Ordinis, & Equites præclare se gesserunt, præsertim cum Goletta caperetur, quæ pro inexpugnabili munitione habebatur.

Confecto hoc bello magnus Magister obiit, XVII. Nouembr. MDXXXV. cum annũ ageret LXXIII, & Ordini quatuordecim solummodo menses & viginti duos dies præfuisset. Sepultus fuit iuxta Villiersium antecessorem suum.

45 Die XXII. eiusdem mensis Nouembr. electus fuit in magnum Magistrum frater Desiderius Sant-Iallensis, Tolone in Prouincia natus, cœnobiarcha Tolosanus, vbi commorabatur, cum eligeretur: qua de re certior factus, bonus senex, manibus in cœlum sublatis, dixit: Si mea opera populo tuo necessaria est, laborem & molestiam non refugio. Nec multo post in viam se dedit, vt Melitam proficisceretur. Verum cum effetus & decrepitus esset, Mompessulum veniens in grauem morbũ incidit, quo extinctus, XXVI. Septemb. M D XXXVI. & magno cum honore sepultus fuit in æde possessionis commendatitiæ S. Ægidii extra portas vrbis Mompelii: relicto secundum nomen suum incredibili sui desiderio, propter eximiam opinionẽ, quam Ordo de ipso, ipsius iustitia, bonitate & fortitudine conceperat. Ordo certior factus de ipsius obitu XVIII. Octobr. eiusdem anni M D XXXVI. progressus est die XX. modo dicti mensis ad electionem.

46 Fratris Ioannis Homedei, natione Tarraconensis, qui tunc erat in Hispania, ex qua discessit sub finem anni M D XXXVII. & Melitam venit die Lunæ, XXI. Ianua. MDXXXVIII. vbi magna lætitia exceptus fuit: quamuis indignaretur, triremes. & nauem prætoriam Ordinis non sibi missas fuisse, quæ se deducerent. Hac occasione nauem prætoriam exarmandam & dissoluẽdam curauit, non sine quorundam murmure & querelis. Anno M D XXXIX. habitum fuit Melitæ capitulum generale, & aliud anno M D XLIII. Libenter differebat de obsidione Rhodiensi, vt omnibus constaret, quod in ea oculum amisisset.

Viuarium & elegantem hortum in insula S. Michaelis adornauit, in quo maximam diei partem consumebat. Hinc murmura contra eum orta, quod nullam aut exiguam reipub. curam gereret: imo acculatus fuit negligentiæ in munienda insula Melitensi, propterea quod nimium fideret propugnaculis arcis S. Angeli. Ipsius tempore Tripolis in Barbaria Ordini à Turcis erepta fuit: quæ iactura ipsum vehementer perculit & attonitum reddidit. Anno MDLII. cœnobiarcha Capuanus, frater Leonis Strozzii, insulam Zoaram intercipere conatus est, infelici successu, & multis Equitibus Ordinis ex omnibus nationibus interemtis: inter quos multi quoque Galli, Aruerniaci & Prouinciales fuerunt. Quo intellecto, magnus Magister summum mœrorem concepit, & palam professus est, Ordinem à tempore captæ Rhodi non maiorem cladem accepisse. Munitiones S. Elmæ & sancti Michaelis exstruxit. Obiit anno ætatis LXXX. die VI. Septembr. M D LVIII. cum Ordini præfuisset XVI. ann. X. mens. XV. diebus: & sepultus fuit in sacello magnorum Magistrorum.

Frater Ioannes Valettanus, dictus Parisus, 47
natione Prouincialis, electus fuit in magnum Magistrum, XXI. August. MDLVII. Hæc electio toti Ordini gratissima fuit, quoniam ab omnibus quarumcunque nationum diligebatur, & nemo erat, qui ipsum hoc munere & dignitate non dignissimum iudicaret. Spatio biennii factus fuerat generalis triremium præfectus, præses Cariæ, magnus Commendator, cœnobiarcha S. Ægidii & legatus magni Magistri: tandem ipsemet ad officium magni Magistri peruenit.

Vbi primum ad hanc supremam dignitatem euectus fuit, impetum cepit condendæ nouæ Vrbis in Insula Melita, in monte S. Elmæ, cum cognosceret, cæteras omnes munitiones non satis esse validas ad sustinendum impetum potentis hostis: verum hoc consilium in aliud tempus reiectum fuit.

Arcem insulæ Gozensis muniri curauit: & relicto antecessorum suorum domicilio in arce S. Angeli, habitatũ venit in castro Melitensi, quod fortissime defendit contra obsidionem Sultani Solymanni, in qua graue vulnus in crure accepit, anno M D LXV. Verum obsidione soluta, cum magna Turcarum ignominia, insulam valde muniuit, & nouam vrbem condere cæpit, quam à suo nomine Valettanam appellauit. Primus lapis ab ipso positus fuit ritu solenni, die Iouis, XXVIII. Martii, M D LXVI. Tandem XXI. August. MDLXVIII. debitum naturæ persoluit, eodem die, quo fuerat electus, cum Ordinẽ vn-

decim annos integros rexisset. Magnum sui desiderium reliquit non tantum omnibus fratribus Ordinis, sed etiam Pontifici & omnibus regibus ac principibus Christianis. Ipsius tempore duo capitula generalia Melitæ habita, & in iis multæ nouæ leges de Ordinis disciplina conditæ fuerunt.

48 Exsequiis magni Magistri Vallettani XXXIII. Augusti. MDLXVIII. peractis alius in ipsius locũ electus fuit, nempe Petrus Monstensis, natione Italus, qui tunc erat cœnobiarcha Capuæ. Statim post suam electionem, cadauer sui antecessoris in nouam vrbẽ deferendum & honorifice in sacello B. Virginis victoriosæ humandum curauit, qui hoc elogiũ meritus erat, quod esset pater militũ, clypeus & protector fidei Catholicæ, & magnus persequutor ac domitor infideliũ. Magnus Magister, antequam ad hunc supremum gradum ascenderet, prudentiæ suæ & fortitudinis in aliis præclaris & honestis functionibus specimina ediderat. Nam primum præfectus fuerat nauis prætoriæ Ordinis: postea legatus præfecti triremium, & castellanus siue præfectus arcis S. Angeli Romæ. Fuit etiam Thalassiarcha & supremus triremium præfectus, ac legatus Ordinis ad PP. Pium IV. & Pium V. Cum Roma Melitam venisset, paullo post electus fuit in magnum Magistrum, effecitque, vt noua vrbs absolueretur: quo domicilium Cõuentus transferre constituit. Nam bonus senex non minorem gloriam se consequuturum sperabat, si nouam vrbem Valettanam habitatoribus impleret, quam antecessor ipsius, ea condita, sibi comparasset. Atque ideo die Dominica XVIII. Mart. MDLXXI. magnus Magister solennem in eam introitum fecit cum Conuentu & Equitibus Ordinis.

Tempore ipsius memorabilis pugna nauális ad Naupactum commissa, & victoria contra Turcas parta fuit. In ea Equites Ordinis præclara facinora militaria ediderunt. Obiit Melitæ XXVII. Ian. MDLXXII. & XXX. eiusdem mensis electus fuit in magnum Magistrum.

49 Frater Ioannes Episcopius Casletanus, nationis Aruernicæ, qui ante quam eligeretur, fortitudinis suæ in multis præclaris muneribus documenta dedit. Nam in expeditione ad Zoaram fuit signifer Ordinis, cuius vexillum strenue defendit, & Melitam retulit, cum se cum illo in mare coniecisset, & in triremem Ordinis euasisset, posteaquam longo tempore contra Infideles fortiter pugnasset. Postea creatus fuit equitum Magister, Commissarius munitionum, & Mareschallus Ordinis: postremo ad culmen honorum euectus, & magnus Magister factus est: quo in officio religiose admodum vixit, ita vt nulla dies abiret, qua cultui diuino non interesset, & tredecim pauperes suis manibus pasceret. Magnum templum, S. Ioanni Baptistæ consecratum, in noua vrbe Valettana suis sumptibus exstruxit, & illud mille aureorum annuo prouentu dotauit: in quo pulcherrimum sepulchrum condidit, in quod cadauera magnorum Magistrorum, suorum antecessorum, reponerentur. Sub exitum vitæ graue infortunium passus est. Nam cum in odium multorum Equitum indignabundorum incurrisset, eorum conspiratione magistratu summotus, & in arce S. Angeli, custodibus adhibitis, inclusus fuit, VI. Iul. MDLXXXI. quod summa patientia & virtute pertulit. De hac iniuria cum apud Pontificem Gregorium XIII. & Reges ac Principes Christianos conquestus esset, Pontifex Melitam misit Casparum Vicecomitem, auditorem Rotæ, & postea archiepiscopum Mediolanensem, vt Ordini præesset, absente magno Magistro, quem Romam citauit: quantumuis Equites Vicarium magni Magistri elegissent fratrem Mathurinum Scutatum, dictum Equitem Romagasium, Gallum, qui se excusauit, quod munus istud coactus & præter voluntatem susceptisset.

Cum Vicecomes Melitam venisset, magnus Magister triremem Ordinis conscendit, quatuor proceribus magnam crucem gestantibus & ducentis Equitibus comitatus. Romam ingressus, magno cum honore exceptus fuit, hospitio in palatio Cardinalis Estensis in Montecauallo ipsi assignato. Postea Pontificem & Cardinales salutatum iuit, à quibus vicissim fuit visitatus. Tandem siue animi ægritudine, siue lassitudine ex itinere, quod in extrema senectute annorum LXXVIII. fecerat, in morbum incidit, quo extinctus fuit XXI. Decembr. MDLXXXI. cum decem ferme annis Ordini præfuisset. Cadauer ipsius depositum fuit in æde S. Ludouici, vbi exsequiæ ipsi factæ, & oratio funebris à magno illo Oratore Marco Antonio Murero habita fuit, quæ inter orationes ipsius inuenitur. Cor ipsius terræ mandatum in æde S. Ludouici, at cadauer Melitam translatum, & in nouo sepulchro magnorum Magistrorum, quod in vrbe Valettana in templo cathedrali S. Ioannis Baptistæ exstruendum curauerat, sepultum fuit. Post ipsius obitum Pontifex summotionem illam nullam & iniquam fuisse per decretum pronũciauit, quod commentariis Ordinis inferendum curauit.

Die XII. Ian. MDLXXXII. frater Hugo Lobesius Verdalius, natione Prouincialis, fuit electus in magnum Magistrum, qui litteras & scientias cum armis coniunxerat. Creatus fuit Eques, cum admodum iuuenis esset, & expeditioni ad Zoaram interfuit, vbi fortiter aliquandiu pugnauit, & tandem saluus euasit. Functus est multis honorificis muneribus. Missus fuit legatus ab Ordine ad Papam Gregorium XIII. qui in legatione optime se gessit, & Equitibus suam industriam ita probauit, vt vnanimi consensu eum in magnum Magistrum elegerint, cum certiores facti fuissent de obitu magni Magistri Cassertani. Dissensiones inter Equites & cæteros Ordinis socios magna prudentia breui tempore composuit. Papa Sixtus V. anno MDLXXXVII. sub finem Decembris eum Cardinalem Diaconum creauit: qui cum Melitam reuersus esset, conuentum Capucinorum exstruxit, insulam muniuit, statuta Ordinis reformauit, histo-

riam

tiam eiusdem per Iacobum Bosium lingua Italica describendam curauit, æs alienum, quod summam ducentorum millium aureorum excedebat, dissoluit. Nihilominus ad Pontificem Clementem VIII. delatus fuit, quod ærarium male administrasset: cuius criminis vt se purgaret, nepotem suum Romam misit. Sed antequam hæc lis decideretur, magnus Magister & Cardinalis Verdalius Melitæ de vita decessit, die Ascensionis, IV. Maij, MDXCV. anno ætatis LXIV. cum Ordini præfuisset XIII. annis, III. mensibus, XI. diebus, magnâ auri signati copia in ærario relicta. Sepultus fuit in æde cathedrali S. Ioannis, cum magno honore & pompa funebri.

Die VIII. Maij M D XCV. frater Martinus Garzesius, natione Tarraconensis, electus fuit in magnum Magistrum loco defuncti. Erat Eques, quem ob singularem bonitatem omnes peræque diligebant & reuerebantur: & quamuis annum sexagesimum excessisset: tamen adhuc firmo & vegeto corpore erat. Equites, qui contra suum antecessorem conspirauerant, pacauit: vectigalia, quæ ante ipsum imposita fuerant, aboleuit: & vt nouam formam suo regimini daret, officia Ordinis ad tempus abrogauit: quodque inprimis gratum fuit Equitibus, diserte interdixit, ne cui ex illis, ac ne ipsi quidem magno Magistro peculiares naues in mari habere, & priuati commodi caussa excurrere liceret. Tandem cum Ordinem V. annis, IX. mensibus in summa pace rexisset, Melitæ vitam cum morte commutauit, VII. Februa. MDCI. & in sepulchro magnorum Magistrorum conditus fuit.

Post ipsius excessum Equites conuenerunt, 52
vt alium ipsi surrogarent, fuitq; in ipsius locum electus X. Febr. MDCI. frater Adolphus Vignacurtius, nationis Francicæ: qui cum anno MDLXVI. XXV. August. Melitam cum magno Gallorum nobilium numero veniisset, propterea quod rumor increbuisset, Turcam moliri nouam insulæ obsidionem, habitum Ordinis sub magno Magistro Valettano assumserat. Postea magna officia sustinuit, in quibus suam bonitatem, fortitudinem & prudentiam demonstrauit: interalia præfectus vrbis Valettanæ, & paullo post magnus nosocomus Ordinis constitutus fuit. Virtutes ipsius cum felicitate coniunctæ ipsum ad hoc fastigium honoris euexerunt, in quo gloriam & existimationem aliorum magnorum Magistrorum Gallorum, quorum insigniora & maxime memorabilia facta supra à nobis breuiter & succincte descripta fuerunt, perpetuauit. Migrauit ex hac vita anno MDCXXIII. & in ipsius locum electus fuit Paulus, magnus Commendator Prouinciæ, qui nunc Ordini præest.

DISSERTATIO DE ORIGINE OMNIVM ORDINVM RELIGIOSORVM, QVI HVC VSQVE IN MVNDO FVERVNT, QVA SVCCINCTE

narratur, qui illorum auctores, & in qua Prouincia, sub quibus Pontificibus & Imperatoribus, ac quo tempore instituti fuerint.

NOn alienum erit à nostro instituto, si descriptioni regnorum & monarchiarum orbis terræ in hoc Commentario subiiciatur origo & progressus Ordinum Ecclesiasticorum, qui instar Monarchiæ spiritualis in vniuerso constituti fuerunt, vnoquoque Ordine & domo peculiari singulatem quandam Rempub. repræsentante: qui omnes crescunt, multiplicantur & pugnant sub auspiciis & protectione supremi sui capitis, Domini nostri Iesu Christi, constitutionibus ipsorum egregiam similitudinem habentibus cum legibus & moribus populorum, quæ quamuis inter se differant, tamen omnes ad Dei gloriam & æternam felicitatem tendunt, sicut leges regnorum & rerumpublicarum nullum alium scopum sibi præfixum habent, quam vt regio in honore & existimatione, populi autem, qui in ea degunt, in pace & tranquillitate conseruentur. Sed antequam hanc disquisitionem ingrediamur, operæ pretium erit, Lectori ostendere, Ecclesiasticos nostros suam originem traxisse non à Paganismo, sed ab Hebræis, omnium populorum antiquissimis, qui suam genealogiam ab Adamo, primo homine, vsque ad Dominum nostrum repetere possunt, & ipsorum vota antiquiora esse omnibus sectis Philosophorum, imo ipsis Chaldæis, Ægyptiis, Brachmanis, & Gymnosophistis, quoniam Iudæi & ipsorum maiores semper verum Deum adorarunt, & nihilominus semper Ordines Ecclesiastici inter eos reperti fuerunt.

ORDINES ECCLESIASTICI, QVI fuerunt inter Hebræos, tam sub lege naturæ, quam sub lege scripta.

Enoch, septimus ab Adamo, cœpit, vt Scriptura refert, inuocare nomen Domini: quod Rabbini ita explicant, ipsum fuisse primum, qui cœtum piorum & religiosorum hominum congregarit, ad inuocandum nomen Dei certis horis. Hanc autem veram huius loci interpretationem esse necesse est, quoniam Adam, Abel & reliqui vsq; ad ipsum, inuocarunt & adorarunt Deum, sicut liquet ex textu sacro. Atque etiam Patres nostræ Ecclesiæ statuunt, quando cap. sexto Genes. dicitur, *filios Dei videntes filias hominum, &c.* per filios Dei non alios denotari, quam eos, qui se cul-

se cultui Diuinitatis peculiariter cõsecrauerant.

2 Abraham, primus omnium Patriarcharum, nonne primus fuit, qui Ordinibus Ecclesiasticis formam & initium dedit? Nonne enim, iussu Dei, à terra suæ natiuitatis abiit, & cognationem suam atque familiam patris sui deseruit, vt in eum locum se reciperet, quem Dominus ipsi ostendit?

3 In lege Mosaica Nazareni primum locum tenent, quorum lex & institutum fuse describitur Numer. VI. qui certa vota concipiebant, certa sacrificia offerebant, & vinum non bibebant. Talis fuit Samson, Elias Propheta, S. Ioannes Baptista, & Christus ipse.

4 Elias Propheta, cuius Ordo hodieque viget, & à quo Carmelitæ originem suam trahunt, peculiarem vitæ rationem obseruabat, & vestitum à vulgari discrepantem gerebat. Vtrumque notat Scriptura per ipsius solitudinem, & zonam pelliceam.

5 Elisæus & filii Prophetarum in cœnobio viuebant, à vulgo seiuncti, vt videre est III. & IV. libris Regum.

6 Iudith, sancta vidua, & quæ exemplar præbuit sanctis viduis, quæ ipsam sequutæ sunt, mortuo marito, peculiarem locum sibi parauerat in suprema parte suorum palatiorum, quo se recipiebat cum suis ancillis, vt liberius vacaret precibus: gestabat cilicium, & ieiunabat omnibus diebus, exceptis festis hilariisque domus Israelis, Iudith. c. VIII.

7 Ordo Rechabitarum, cap. XXXV. Ierem. sub obedientia Ionadabi, filii Rechabi, qui non bibebant vinum, neque domos habitabant, sed sub tentoriis degebant, omnibus diebus vitæ suæ, neque seminabant frumentum, nec vineas colebant: ex quibus orti sunt

8 Scribæ, habitantes in Iabez, qui cantabant, & cultum diuinum exercebant, 1. Paral. II.

9 Holda prophetissa, & velut Abbatissa, quæ sedebat in secundo claustro Ierosolymæ, quod Targum, aut paraphrasis Chaldaica vertit domum doctrinæ, qualis posset esse quoddam monasterium. Illius fit mentio IV. Reg. c. XXII.

Semeias detentus, Nehem. VI.

In quibus omnibus archetypum habemus, à quo Ecclesiastici Ordines inter Christianos sua instituta hauserunt. Nam à Nazarenis & propheta Elia puritatem & austeritatem vitæ, à filiis Prophetarum contubernium & conuictum; à Rechabitis obedientiam; à Scribis sacrificia & cantum; ab Holda scholas & domum doctrinæ; denique à Semeia solitudinem didicerunt. Præter hos, tres alii Religiosorum Ordines inter Iudæos fuerunt.

10 Primum Pharisæi, sic dicti, quod vestitu & genere vitæ ab aliis differrent, cum magni obseruatores Legis videri vellent. Hinc est, quod phylacteria gestabant, quorum fit mentio Matthæi XII. quasi dicas præsidia, seu arma salutis. Verum ipsorum hypocrisis & malitia à Domino nostro detecta fuit: ob quam caussam summa in ipsum inuidia inflammati, cum Iudæis in caput ipsius conspirarunt: credebant resurrectionem mortuorum, & superioribus suis districte parebant.

Deinde Sadducæi, qui resurrectionem mortuorum negabant, nec credebant esse angelos aut spiritus, sed animas cum corporibus interire putabant. 11

Tertio Essæi, hoc est, sancti, qui austerum vitæ genus sequebantur, & inimici erant voluptatum, diuitias contemnebant, hospitalitatem magno studio exercebant, domi in summo silentio viuebant, nihil sine permissu propinquis dabant, iusiurandum auersabantur, religionem ipsorum professos ad fidem in Deum, iustitiam erga homines, & obedientiam erga Principes & magistratus obstringebant, Sabbathum accurate obseruabant, omnia habebant communia, in vrbibus nunquam habitabant: & quamuis ipsorum plures essent quam quater mille diuersis locis dispersi: tamen ipsorum fundi, pecunia, opes, vestes, cibus, & omnia ad hanc vitam necessaria ipsis erant communia. Præcipuum ipsorum templum in colle situm erat prope stagnum Mariæ, quod hodie palus Mariæ appellatur. Hæc palus fuit magnum illud desertum, in quo postea celebres illi Scytharum, Nestriæ & Thebaidis eremitæ vixerunt. 12

Vere etiam dici potest, eum, qui fuit amplius quam Propheta, quo non surrexit quisquam maior inter eos, qui gignuntur è mulieribus, nempe sanctum Ioannem Baptistam, fuisse auctorem vitæ monasticæ. Nam à teneris annis parentes & diuitias deseruit, vt viueret in solitudine. Vestimentum habebat è pilis camelorum, & zonam pelliceam circum lumbos suos: alimentum eius erat locustæ & mel agreste. Complures habebat discipulos, qui ipsum sequebantur, & prædicabat pœnitentiam omni populo, qui ad ipsum audiendum veniebat, baptizans eos aqua. I

Præterea affirmare licet prophetissam Annam, filiam Phanuelis, fuisse veram & perfectam religiosam, quoniam de ipsa legimus, quod non abscedebat à templo, seruiens Deo noctes & dies, ieiuniis & assiduis precibus atque orationibus. Hinc patet, quomodo ab Enoch vsque ad Dominum nostrum Iesum Christum semper fuerint quidam Religiosi inter Iudæos.

Sed antequam à Veteri Testamento ad Nouum transeamus, nonne sacrilegium esset, si sacratissimam & glorioſissimam matrem Dei silentio præteriremus. Nam illa vixit, antequam conciperet de Spiritu sancto, nimirum tempore legis Mosaicæ, vitam perfectissimam & religiosam: & post natiuitatem dilecti sui filii Domini nostri in eo vitæ genere vsque ad mortem perseuerauit, & in tanta semper puritate ac sanctitate perstitit, quantam humana creatura vnquam potuit consequi. Illa, inquam, vere fuit exemplar & archetypus vitæ religiosæ, quæ prima Deo cõsecrauit suam virginitatem purissimam & immaculatam, & perfectissime seruauit votum castitatis, ita vt ne minima quidẽ cogitatione mundana

dana ab eo deficeret: adeo vt nullus vnquam repertus fuerit tam prophanus, qui aliam de ipsa opinionem habuerit, quam quod fuerit pia, pudica & honesta: quandoquidem ipsius actiones & vultus modestiam & castitatem spirant: & hodie etiam qui illius imaginem contemplantur, quamuis tota sit pulchra, ne minimam quidem impudicitiæ cogitationem de ea concipere possint.

Quod ad paupertatē ipsius attinet, quamuis ab illustrissimis patriarchis & potentissimis regibus genus duceret: tamen dilectus ipsius filius non habebat vbi caput reclinaret, & labore manuum cum ipsa victum quærebat. Obedientia autem ipsius tam eximia & tanta cum simplicitate coniuncta fuit, vt post filium ipsius nemo ad eam pertigerit. Atque hæc ad religionem votiuam spectant. Sed nonne ipsa quoque est exemplar & viua imago omnium fidelium, qui nomen dederunt militiæ sub vexillo Crucifixi, siue sua humilitate, siue patientia, prudentia, constantia & magnanimitate, cū fuerit rupes fidei, anchora spei, thesaurus charitatis, & aliarum virtutum innumerabilium atq; inenarrabilium, vt sicut est gratia plena supra omnem plenitudinem, post plenitudinem filii, ita opus esset plenidine scientiæ atque eloquentiæ ad eas exprimendas? Felices cætus, qui ad illius similitudinem se conformant: felicissimæ animæ, quæ ipsam ceu speculum & exemplar in omnibus suis religiosissimis actionibus sibi proponunt. O Regina sacrosancta & benedicta, pulchra & virens virga Iesse, quæ nunquam oneri peccati succubuisti, flos odoratissime, qui non minus gloria quam gratia perfectissime flores, cuius fragrantissimus odor suauitate sua implet & perfundit cœlum nostræ Ecclesiæ: vtinam possimus sequi vestigia gressuum tuorum, vt simus accepti benedicto fructui ventris tui, Domino nostro Iesu Christo.

Ordines Ecclesiastici ab aduentu Domini nostri Iesu Christi in hunc mundum.

Primus auctor Ordinis Ecclesiastici & vitæ Monasticæ fuit Dominus noster: & qui deinceps Monasteria fundarūt, regulas suas ab ipso acceperunt. Nam cum congregasset suos duodecim Apostolos, legem ipsis dedit, quā obseruare deberent, eos monens, quod quicunq; vellet suus esse discipulus, eū oporteret renunciare mundo & omnibus, quæ haberet in mundo, inprimis autem propriæ suæ voluntati.

Voluit etiam, vt se mutuo diligerent, dicens, Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios. Ostēdit ipsis formā perfectæ obedientiæ, docēs ipsos humilitatē, & eos exhortans ad patiētiam: quod qui vellet esse suus discipulus, deberet omnibus voluptatibus huius mundi valedicere, & se comparare ad perferenda quæuis incommoda & persequutiones: quod mandata Dei obseruanda essent corde puro & sincero, præscribēs ipsis modū, quo suas preces Deo offerre deberēt, & beatos prędicans pauperes spiritu, mites, misericordes, amantes iusti. æ & pacis, puros corde, & qui patiuntur propter iustitiam & regnū cœlorum.

Nihil prætermisit, quo eos institueret, & imbueret omni virtute, qua fierent perfecti, & immortales: denique Euangelium suum ipsis commisit, nempe præcepta, tanquam iis, qui essent Christiani, & consilia, tanquam hominibus perfectis. Ab hac regula omnes antiqui Patres eas hauserunt, quibus suos Ordines & instituta formarunt, & quibus tria ipsorum vota nituntur. Nam sanctum ipsius collegium erat instar parui conuentus, quoniam ex quo Apostolos in suam societatem receperat, illi eum eo ambulabant, cibum sumebant, iuxta eum somnum capiebāt, ipsum Dominum & Magistrum appellabant, & in omnibus ipsi obtemperabant.

Institutio sacerdotii in noua Lege.

Præterea sacerdotiū instituit. Nam postquam 2
elegisset duodecim Apostolos, nempe duodecim Episcopos, quibus potestatem dedit soluendi & consecrādi, ac sacrificandi pretiosum suum corpus & sanguinē, eos misit, vt annunciarent suam doctrinam, nempe Euangelium per totum mundum. Insuper septuaginta alios discipulos elegit: quos cum creasset presbyteros, misit eos etiam ad prædicandum, vt quemadmodum Origenes ait, ad similitudinem filiorum Aaron, simplex sacerdotium haberēt, sicut illi, quos hodie Presbyteros appellamus. Ab his igitur Ordo Presbyterorum originem traxit, sicut ab Apostolis Episcoporum dignitas orta est, quoniam illis successerunt. Discipuli, inquam, illi fuerunt instituti in subsidium, quando messis augeretur, vt ait Papa Anacletus: & Dominus noster institutis his duobus Ordinibus elegit Petrum, vt esset generalis & supremus totius Ecclesiæ Pontifex.

De Clericis institutis à S. Petro.

Pontifices, qui S. Petro successerunt, Hebræos imitati, constituerunt Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acoluthos, Diaconos, & Subdiaconos. Hi omnes nihilominus plerunque illis aderant, qui Clerici appellabantur. Nam S. Petrus, princeps Apostolorum, cum Romam venisset, ministerio verbi Dei in Ecclesiis Orientalibus rite ordinato, ex omni fidelium multitudine, & ex iis, qui nostram religionē exactius obseruabant, exemplo Ecclesiæ Ierosolymitanæ, & Antiochenæ, elegit certos quosdam homines maturæ ætatis, populo charos, & plenos Spiritu sancto, sapientia, fide, & bonitate, qui, secundum Panuinum Veronensem, dicti fuerunt Clerici. Hos consecrauit impositione manuum, & quosdam ex iis constituit Presbyteros, alios Diaconos, vt Pontifex siue Episcopus Romanus eorum opera vteretur ad Catholicos præceptis religionis Christianæ informandos, qui tunc multiplicabantur, & tanto numero erant, vt solus omnibus satisfacere non posset. Præcipuum munus, nempe curam animarum, Presbyteris imposuit, vt administrantes sacramenta populo Dei, possent cum Episcopis vacare precibus & prædicationi-

tionibus, Diaconis munus commisit subueniendi viduis, orphanis, & aliis pauperibus fidelibus, ipsisque eleemosynas virorum bonorum distribuendi, quæ in hunc finem illis dabantur: præterea illis iniunxit, vt ministrarent presbyteris, dum sacrificarent. Cletus & Euaristus, Pontifices, eos postea ad certum numerum redegerunt. Nam Cletus numerum Presbyterorum Romanorum determinauit, vt essent viginti quinque. Eucharistus, exemplo Apostolorum numerum Diaconorum auxit, vt eorum septem essent, quibus, sicut & presbyteris, mandauit, vt obseruarent, quando Episcopus concionaretur, an à veritate fidei recederet. Quidam dixerunt, Papam Gaium, primum huius nominis, ex stirpe Imp. Diocletiani procreatum, fuisse primum, qui Ordines distinxerit, vt Ecclesiastici per gradus ad sacerdotium ascenderent. Alii hoc tribuunt Pontifici Iginio, qui centum quadraginta octo annis Gaium antecessit. Sed certum est, Apostolos huius rei auctores esse, qui instituerunt septem Diaconos: quod postea successu temporum fuit continuatum.

De Canonicis Regularibus Laterani & S. Mariæ Frisonnæ.

4 Postquam de Sacerdotio verba fecimus, aliquid etiam de Canonicis regularibus dicendum videtur, qui vocantur congregatio Laterani, & ab Apostolis originem traxisse, & postea à S. Marco Alexandrino in portu Castrano instaurati fuisse creduntur: cumq; tractu temporis à regula declinassent, à S. Augustino reformati fuerunt, vt auctor est Posidonius. Hic Ordo cœpit florere in Ecclesia Bellouacensi sub Yuone Præposito, qui postea fuit episcopus Carnutensis.

Postea anno MCCCXCVI. venerabilis quidam ecclesiasticus, nomine Bartholomæus, ciuis Romanus, insignis concionator, societate inita cũ quodã Iacobo Auogardio Bergomense, hunc Ordinem propemodum collapsum restituit in paupere quodam Monasterio, quod dicebatur S. Mariæ Frisonæ, cuius egestati postea Iesuitæ subuenerunt.

Quod attinet ad Ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, Papa Gelasius, natione Afer, & discipulus S. Augustini, post mortem sui præceptoris Romam venit, & in illa Ecclesia cum suis sodalibus commoratus est, vbi vixerunt secundũ regulam ab hoc S. Doctore acceptam, sicut & illi qui eos per spatium octingentorum annorum sequuti sunt, vsque ad annum MCCXCVIII. quo Papa Bonifacius Canonicos seculares illic instituit. Greg. XII. postea regulares restituit, voluitq; , vt totus cœtus Lateranẽsis à S. Seruatore nominaretur. Calixtus III, rursus seculares illic collocauit: Papa autem Paulus II. regulares eo reuocauit. Tandem sub Sixto IV. regulares possessione exuti sunt, quibus nihil supereſt præter titulum, & iura ac priuilegia Ecclesiæ Lateranensis.

Præcipuum munus horum Canonicorũ regularium prima institutione erat, vt quotidie in primis administrationi Sacramentorũ & precibus publicis, omisso cantu, vacarẽt, quoniã tunc populus cantabat & psallebat: quod postea ad monachos Ordinis S. Benedicti translatum fuit, tepescente feruore pietatis, & Ecclesia Lateranẽ. se nõ amplius frequentata. Nihilominus Canonici seculares aliquandiu cantũ exercuerũt, postquã monasteriũ destructũ fuisset à Lombardis.

Regula horũ Canonicorum & Frisonnæ, de quib. supra diximus, cõsistebat præcipue in trib. capitibus, nimirũ vt nihil ꝓprii haberẽt, vt caste viuerẽt, & in monasterio manerent. Canonici seculares manserũt Laterani vsq; in hodiernũ diẽ.

De Canonicis S. Marci Mantuani.

Præter Canonicos regulares Laterani sunt etiam Canonici S. Marci Mantuani, qui primum Alexandriæ in Ægypto à S. Marco Euãgelista instituti fuisse perhibentur: ob quã causam Canonici S. Marci appellantur, & non tantum titulum Ecclesiæ ipsius, sed etiam nomen auctoris sui gerunt. Quod S. Marcũ patronum habuerint, testis est historia Ecclesiastica, & Papa Innocentius III. confirmat, per bullam anno MCCL. datam Honorius III. quatuor conuentus ipsorũ congregationi addidit. Plurimi Pontifices ipsorũ regulam & priuilegia confirmarunt. In toris straminei quietem capere solebant, lodicibus laneis vtebantur, ab octaua Resurrectionis vsq; ad mediũ fere Septembrẽ, & in Aduentu & omnibus diebus Veneris per totum annum ieiunabant. Magnum silentium obseruabant, viuebant in commune, nec quicquam proprii habebant, duabus de die horis se exercebant, anno exeunte religionem sui Ordinis profitebantur, neminem ad habitũ admittebant, qui non esset septendecim annorũ, ad studia & conciones animũ applicabant. Fuerunt etiam monasteria Religiosarũ eiusdem Ordinis. Nullũ hodie monasterium habent præter S. Marci Mantuani, & quoidam Neisæ ab eo dependentes, prope agrũ Patauinum. Domi vestitum Canonicorum Lateranensium gerunt, cũ lineo amictu & transuerso indumento. Sed quãdo in vrbẽ prodeunt, candidum cucullũ superiniiciunt, & pileum candidum quadratũ gerunt. Quando adytum templi ingrediuntur, non gestant cucullum, sed lineum amictum, & capitium candidum imponunt, qualis est galerus episcopalis. Gestant præterea amiculum cum manicis pelliceis, quemadmodum Canonici seculares. Ioannes Andreas in primam Clementinam ait, quod suo tempore huiusmodi veste vterentur.

De Ordine solitario S. Pauli, primi Eremitæ.

Quamuis beatus Paulus, primus Eremita, nullum Ordinem suo tempore instituerit; tamen quia secundum Hieronymum, primus auctor fuit vitæ solitariæ, & pater omnium Eremitarum, æquum est, vt aliquid de eo dicatur.

Hic sanctus vir floruit anno CCL. sub imperio Decii & Valeriani, qui durãte persequutione, quã Imperatores illi contra Christianos exercebant, in villam quandã prope Thebas, vbi natus fuit, concessit: cumq; sciret, socerum suum in animo habere ipsum deferre, in desertũ abiit, vbi antrum inuenit, in quo palma erat eximia, quæ ramos suos desuper extendebat. Tantæ autem

magni-

magnitudinis hæc palma erat, vt totum istum locum amænum obtegeret, iuxta quẽ fons limpidus saliebat. Aliæ quoque latebræ illic erant, in quibus moneta clam cudebatur, tempore M. Antonii & Cleopatræ. Huc vir iste sanctus se recepit; vbi spatio LXX. annorum à coruo sustentatus fuit, qui ipsi quotidie dimidium panem hora nona matutina afferebat.

Fructu huius palmæ vescebatur, & foliis illius se vestiebat, maximam diei & noctis partem contemplationi tribuens. Mansit hoc loco CX. annis, in quem venit, cum XVI. annos natus esset, & vitam angelicam in terris egit.

De ordine S. Antonii Eremitæ.

S. Antonius, pater monachorum Ægypti, in desertum concessit anno ætatis decimo octauo & dimidio, vbi LXXXIII. annis mansit.

Mos illis temporibus erat, vt qui vellet mundo renunciare, in quandam solitudinem se reciperet, vbi ab hominum consortio remotus pœnitentiam, qualis ipsi conuenire videbatur, ageret: & quisq; eum habitũ assumebat, quẽ decentissimũ esse iudicabat: sed nulla tunc erat forma aut regula vitæ, nec quisquam voto se obligabat: sed liberum erat vnicuiq; se conferre quo lubebat: & si quis mutata voluntate alio se reciperet, leuitatis non insimulabatur, sicut hodie fieri videmus.

Hos omnes S. Antonius quasi ex officio visitare in animum induxit, & omnes ipsum patrem agnoscebant. Tanta autem virtute præditus & tam celebris fuit, vt Imperatores, Reges & Principes datis ad ipsum litteris eum sæpe cõsulerent, & precib. ipsius se commendarent. Obiit anno salutis CCCXLV. sub imperio Constãtini II. qui cum Constante & Constantio, fratribus, regnauit: quo tempore Iulius II. vir sanctus, sanctam sedem Apostolicam tenebat. Appositissime pater monachorum appellatus fuit, si consideretur, quod fortissimus athleta & præstantissimus strategus fuerit, qui certamen cum Diabolo iniuerit.

Non tamen primus auctor vitæ monasticæ fuit. Nam S. Dionysius Areopagita in libro de cælesti Hierarchia hunc ordinem inter primos, quos recenset, numerat, & testatur, monachos ab Apostolis fuisse vocatos seruos Dei. Deinde Philo Iudæus, qui vixit tempore Imperatoris Tiberii Caligulæ, in tractatu, quem scripsit de vita contemplatiua, Christianos summis laudibus extollit, quos vocat seruos magni Dei, cum nomen Christianorum, quod in Ecclesia Antiochena primam suam originem habuit, nondum esset in vsu: & ait illos nihil proprii habuisse, neminem inter ipsos diuitem aut pauperem fuisse, precibus & psalmis canendis plerunque vacasse, discendi cupidos fuisse, & in magna continentia vixisse.

Dicit præterea domicilia ipsorum nominata fuisse monasteria, hoc est, loca solitaria: & S. Hieronymus existimat, S. Marcum Euangelistam fuisse primum auctorem & fundatorem vitæ monasticæ, & quod Philo scripsit in laudem Christianorum, respicere laudabilem viuendi rationem, quam S. Marcus & monachi ipsius Alexandriæ obseruabant: quod à Petro Damiano & Cassiano confirmatur, nempe Ordinem Monasticum fuisse tempore Apostolorum. Nihilominus S. Antonius pater fuit Monachorum. Nam ipsius exemplum & celebritas sanctitatis, qua excelluit, deserta Ægypti Monachis repleuit. Hoc tamen non impedit, quo minus iam ante fuerint monachi, non modo in illis desertis, sed etiam in solitudinibus Thebaidis, Lybiæ, Palestinæ & Arabiæ.

Ordo S. Hilarionis & aliorum cœtuum Eremitarum & Religiosorum Thebaidis Aegypti.

Beatus Hilarion caput fuit magnę multitudinis Monachorum in Syria. 8

Sanctus Macarius, discipulus S. Antonii, & Hilarionis coætaneus, dux fuit eorum, qui in Thebaide erant.

In eadem Thebaide sanctus fuit Abbas, cui nomen Apollonio, qui habitauit in finibus Hermopolis, in quam vrbem Virgo Maria & beatus Iosephus cum puerulo Iesu se receperunt, cum fugerent Herodem Tyrannum. Hic Abbas, teste Heraclide, quinque millibus monachorum imperabat.

Idem auctor refert, Isidorum Abbatem in Thebaide monasterium condidisse mænib. cinctum, in quo plusquam mille monachi habitabant.

In monte Nitrio, qui quadraginta passuum millibus Alexandria distat, plusquam quingenta monasteria, eodem auctore teste, sibi finitima erant, quæ ab vno patre regebantur: quod plane admirabile videtur. Præterea ait, se in illis monasteriis, quæ non procul Alexandria aberant, plusquam duo millia Monachorum summæ perfectionis, & in monte Nitrio plusquam quinque millia inuenisse. S. Hieronymus affirmat, se in vna vrbe Thebaidis plusquam viginti millia virginum, & decem millia monachorum illic habitantium inuenisse.

Idem Hieronymus, pœnitentiæ speculum, ad Eustachium scribens, ait, in Ægypto tria monachorum genera fuisse, nempe Cœnobitas, quos ethnici sacros appellabant: Anachoretas, qui in desertis habitabant: & Remoliores, homines non magni pretii, nec vlli legi subiectos. Hi non viuebãt soli, sed bini, terni aut plures, prout ipsis lubebat. Manibus suis operabantur: & quod acquirebant, sibi seruabant, partem tamen ex eo in commune conferebant. In vrbibus plerunq; & arcibus degebant: maiorem salubritatis aeris quam sanctitatis vitæ rationem habebãt. Quod vendebant, pluris æstimabant, quam quod alii habebant. Semper aliquod murmur aut contentio inter ipsos erat: & quoniam ex proprio viuebant, ferre non poterant, vt alius ipsis imperaret. Omnia, quæ habebant, supra modum affectata

erant, manicæ vestium largæ, caligæ follicantes, toga crassa, suspiria frequentia. Cursitabant per monasteria, & sacro Ordini obtrectabant: festis diebus vsque ad vomitum se ingurgitabãt. Hæc de ipsis refert S. Hieronymus. Præter hæc tria genera quartum fuit, à S. Benedicto additũ, nempe agyrtæ & circulatores, qui nullo loco permanebant, sed per oppida discurrebant, & ad templorum portas se disponebant, vt pecunim emendicarent.

In Xenodochiis aut diuersoriis hospitabantur, erantq; gulosi & voluptatibus dediti.

De Cœnobitis.

9 Primum Cœnobitarum votum erat, se obtemperaturos omnibus, quæ à superiori præciperentur. Diuisi erant in decurias & centurias, ita vt decimus curam haberet cæterorum nouem, & centurio reliquis, qui in ipsius centuria erant, imperaret. Pane, leguminibus & quibusdam herbis victitabant: opera quædam manuaria faciebant: omne, quod reliquum erat, tempus precibus impendebant: toto anno ieiunabant, arctius autem in Quadragesima. Post Pentecosten cœnam cum prandio commutabant, vt satisfacerent traditionibus Apostolicis. Quidam ex Anachoretis, antequam in solitudinem se conferrent, in monasteriis se ipsos probabant.

In eo se potissimum exercebant, vt propriæ voluntati renunciarent, & humiles ac patientes essent. Postea quando se omni virtute instructos sentiebant, in solitudinem ibant, vt pœnitentiam agerent, locis interdum tam remotis à hominum consortio, vt proximi ipsorum septem dierum itinere ab illis disiuncti essent. Auctor huius vitæ fuit Paulus Thebanus, cuius supra mentio facta: nisi malimus dicere, eum, qui primus illam fuit ingressus, fuisse S. Ioannem Baptistam.

De monasterio Lauri à Caritone adificato.

10 Carito, natus Iconii, postquam sub Imperatore Aureliano multa pro fide Iesu Christi pertulisset, tandem liberatus sub Imperatore Tacito, qui ipsi successit, cum iter faceret in terram sanctam, captus fuit à prædonibus qui manibus ligatis, & ceruice numellis inserta, eum in desertum duxerunt, ad mare mortuum, quod palus Asphaltites & lacus Sodomæ appellatur, vbi eum vinctum reliquerunt. Sed dum aliam prædam quæsitum exiissent, vipera in antrum illud irrepsit, in quod vasculum vino plenum repoluerant, ex quo illa bibit, & vinum veneno infecit: ita vt illi reuersi, cum illud hausissent, subita morte interirent. Carito autem, vinculis miraculose dissolutis, omni præda, quam illi cõgesserant, potitus est. Illius partem pauperibus Christianis, qui in deserta se receperant, fugientes persequutionem, distribuit: ex reliquo monasterium Lauri eo ipso loco condidit, quod posteat oto Oriente celeberrimum fuit.

Illius templum fuit consecratum à S. Macario, qui vna cum aliis Patribus Concilio Niceno interfuit. Multitudo eorum, qui eo loci ad ipsũ confluebãt, eum coegit, vt penitius in desertum se conferret: vbi successu tempo is coactus fuit aliud monasterium condere, quod etiã deseruit.

Nam solitudine cumprimis delectabatur, & in desertum Tecoritanum se recepit, vbi multos ad fidem Christianam conuertit, quorum plerique habitum Ordinis assumserunt. Quæ causa fuit, vt tertium Monasterium ædificaret, quod à Surienſibus Sura, à Græcis Laurus antiqua dictum fuit. Tandem in aliam speluncam se abdidit, quæ appellata fuit Cotruastris, hoc est, pensilis aut suspensa, quoniam scala in eam conscendendum fuit. Illic cum diu commoratus esset, in morbum incidit, & in primum monasterium delatus fuit, in quo vltimum vitæ diem clausit, tempore Iulii Pontificis Romani, & Impp. Constantini II. & Constantii fratris, qui fuit Arrianus, & Christianos errori ipsius non addictos vehementer est persequutus.

S. Martyr Iulianus, qui fuit ex Antiochia vrbe Syriæ (nam viginti tres huius nominis fuerunt in sanctorum numerum relati) cum votum cœlibatus concepisset, inuitus ad matrimonium per reuelationem quandam compulsus fuit: in quod cum tandem consensisset, prima nocte nuptiarum vxorem suam Basilissam, formosam admodum & illustri genere ortam, induxit, vt voto se obstringeret, quod secũ in perpetua continentia omnibus insciis viuere vellet. Parentibus vtriusq; mortuis aliquo post tempore partem suorum bonorum pauperibus sunt largiti: ex reliquo monasterium tantæ magnitudinis exstruxerunt, vt decem monachorum milia caperet: quot etiam sub regimine Iuliani inerant fuerunt. Postea aliud pro Basilissa condiderunt quæ fuit mater mille religiosarum fæminarum. Tandem in decima persequutione sub Impp. Diocletiano & Maximiano, Iulianus varie excruciatus ex mandato Martialis præsidis Antiochiæ, martyrio cum sociis coronatus fuit, omnibus iussu tyranni gladiorum ictibus obtrucatis.

Ordo S. Basilii.

His præmissis, sciendum est ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ sequuntur, quatuor fuisse regulas ab Ecclesia approbatas, nempe S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti & S. Francisci, quibus omnes alii Ordines ecclesiastici comprehenduntur.

S. Basilius, vir doctus & excellens, qui oraculo diuino magnus fuit cognominatus, floruit anno Domini CCC. & natus fuit in vrbe Alaza siue Cæsarea Cappadociæ, in qua fuit Episcopus.

Hic primus Monachos obstrinxit, vt votum nuncuparent post annum probationis, se in monasterio vsq; ad mortem permansuros, superioribus plenam obedientiam præstituros, nec statum

ipso

ipsorum transgressuros: adhæc voluit, vt continentiam & paupertatem vouerent. Quam legē omnes, qui tunc aderant, acceperunt. Eandem Ecclesia tanquam bonam & sanctam approbauit.

Hinc est, quod regula S. Basilii omnium, quæ in mundo fuerunt, prima fuisse perhibetur, quoniam ipse primus religiosos ad edendā professionem adstrinxit. In Armenia tantum & tam amplum monasterium extruxit, vt in eo tria monachorum millia habitarent. Denique omnes Religiosos in Oriente adegit, vt bonam vitæ formam obseruarent.

Ordo sancti huius viri etiam in aliqua parte Græciæ floruit, præsertim iis locis, quæ illustrissimæ reipub. Venetorum imperio subsunt. Sunt etiam nonnulli ex hoc Ordine in quibusdam locis Italiæ, præsertim Cryptæ-ferratæ, quæ duodecim millibus passuum Roma distat: sed quemadmodum gente Græci sunt, ita lingua Græca & characteribus Græcis vtuntur. In Symbolo cum Ecclesia Latina dicunt, *qui ex Patre Filioq; procedit*: quod non faciunt illi, qui sunt in Oriente. Ordines ipsis conferuntur à Vicario Pontificis, postquam à quodam viro docto & linguæ Græcæ perito examinati fuerunt.

Professionem edunt sub suo Archimandrita, hoc est, cœnobii præfecto. Nulla carne nec adipe vescuntur, & antequam Missam celebrent, altare primum abluunt: suntq; abstinentissimi. Manibus suis operantur, ad imitationem monachorum perfectorum Ægypti: & quod manuum labore acquirunt, in commune conferunt, nec quicquam proprii possident.

Cætera omnia monasteria in Italia, quæ sunt huius Ordinis, matrem agnoscunt Abbatiam Crypta-ferratensem. Hoc monasterium fundauit S. Nilus, Calaber. Omnes retinent eam regulam, quæ ipsis data fuit in Concilio Florentino à Papa Eugenio IV.

S. Basilius autem obiit anno CCCLXXIX. quo tempore Damasus, primus huius nominis, sanctam Sedem; & Imperator Valens, Arianus, Imperium tenebat.

Ordo Abbatis Pacomi.

Post S. Basilium series temporum postulat, vt de Abbate Pacomo verba faciamus, qui legem, quam suis Religiosis dedit, duabus tabulis æneis inscriptam, ab Angelo accepisse creditur, qui cum ipsum in omnibus, quæ ad vitam monasticam pertinent, probe instituisset, discessit, & tantum ardorem mandata ipsi data exequendi reliquit, vt paucis diebus plusquam septem monachorum millia colligeret, qui in diuersis monasteriis non longe à se inuicem dissitis habitarunt. Circa præcipuum locum, in quem se recepit Pacomus, quem Gennadius in libro de Consonantiis Ecclesiasticis, vocat hominem gratia Apostolica præditum, cum propter modum docendi, tum propter miracula, quæ edebat, præter illa septem millia, alios mille quingentos sub sua disciplina habuit, quos in viginti quatuor ordines seu classes, secundum numerum Græcarum litterarum distribuit, sicut ipsi ab Angelo iniunctum fuerat: quarum classium præfectos accersere solebat, vt ex iis statum omnium suorum Religiosorum cognosceret.

Hi omnes manibus suis operabantur, sicut fiebat in omnibus monasteriis Ægypti, neque quenquam in suum ordinem admittebant, nisi promitteret, se opus facturum in ea arte quam didicisset: & quidquid singuli acquirebant, æconomo tradebatur, qui ex præscripto Abbatis omnium necessitatibus prospiciebat.

Hic vir sanctus piam animam Deo reddidit, anno Domini CCCCV. anno ætatis CX. anno IX. imperii Arcadii & Honorii, cum Ecclesia Romana regeretur ab Innocentio primo.

Abbatia S. Symphoriani & Religiosorum ipsius.

Circa tempus Pacomi viuebat etiam bonus 15
Abbas S. Symphorianus, qui monasterium condidit extra vrbem Mediolanum, in quod se recepit cum multis discipulis, quibus regulam præscripsit. Qualis ea fuerit, & quo genere vestis vsus sit, non reperitur, quoniam paulo post omnes Ordines monasticorum confusi, & in vnum redacti fuerunt, qui à temporibus S. Benedicti in multa membra diuisi fuerant. Vixit tempore S. Ambrosii, & ad ipsum, tanquam hominem pietate & doctrina cæteris antecellentem sanctus hic Episcopus S. Augustinum misit, postquam S. Baptismi lauacro tinctus fuisset.

Monasterium S. Martini Turonensis.

Reliqui sunt duo alii, qui monasteria funda- 16
runt: prior S. Martinus, natus Sabariæ, in arce celebri Hungariæ, educatus Pataui, baptizatus Pictauii à S. Hilario, illius vrbis episcopo. Monasterium condidit Mediolani, & postea aliud Pictauii, vbi cum suis Religiosis commoratus est, qui tanta vitæ sanctitate pollebant, vt plerique beatos se existimarent, si quendam ex illis pro Episcopo habere possent. Ipsemet paulo post in Episcopum Turonensem electus fuit, vbi celebre illud monasterium Marmontanum exstruendum curauit, dimidio ab vrbe milliari, vir alioquin magnæ sanctitatis, cum propter ipsius obedientiam, patientiam & humilitatem, tum propter charitatem & paupertatem. Idem miraculis editis claruit: nam tres ex mortuis excitauit, multis cæcis visum restituit, multos ægrotos variis infirmitatibus affectos sanauit. Obiit tempore Impp. Arcadii & Honorii, Siricio primo huius nominis sanctam Sedem tenente.

Religiosus ordo S. Hieronymi.

17 Quis vero silentio præterire posset magnum illum virum S. Hieronymum, pœnitentiæ speculum, qui patris loco omnibus aliis Doctoribus fuit, & ex cuius laboribus Ecclesia quotidie magnum fructum percipit.

Hic vir eximius patrem habuit virum nobilem, Eusebium, arcis Stridoniæ in confiniis Pannoniæ & Dalmatiæ dominum, & ad tantam supra vulgus eruditionem peruenit, vt Augustinus dicat, ipsum in omnibus liberalibus scientiis & linguis ita fuisse versatum, vt neminem suo tempore cognouerit, qui cum ipso comparandus esset. Septem annos peregrinando magno cum labore & molestia consumsit: exinde in asperrima Ægypti deserta concessit, vbi quadriennium integrum commoratus est. Qui vero ipsius ieiunia, labores & vitam austeram, quam illic egit, cognoscere cupiet, legat epistolam ipsius ad Eustochium. Exacto illo quadriēnio, Bethlehemū, oppidum Iudææ, se contulit, extra cuius portas, versus occidentem, non procul à loco, in quo Redemptor noster natus est, permissu Cyrilli, archiepiscopi illius loci, egregium monasterium condidit, in quo breui tempore magnum discipulorum numerum congregauit, inter quos fuerunt S. Eusebius Cremonensis, qui postea vitam sui præceptoris descripsit, & Symphronius, qui etiam docta ingenii monumenta reliquit. S. Hieronymus illic cum discipulis vixit secundum præscriptum Apostolorum, ita vt in summis laboribus, quibus se assidue exercebat, S. Scripturas vertendo, nihil de sua pœnitentia remitteret.

Ordo ipsius Hieronymitarū appellatur, quorum etiamnum multi sunt in Hispania. Illi tunicam candidam interiorem gerunt, cui pallium Bætici coloris, superius pellitum, quali Iesuitæ vtuntur, superinduunt.

Præcipuum monasterium huius Ordinis vocatur S. Bartholomæi Lupienensis, quod situm est tribus ab vrbe Gardæa milliaribus: suntque in Hispania vt minimum XXXII. huius Ordinis monasteria.

Vulgo dicuntur monachi S. Hieronymi Gardalupii: hieroduliam S. Augustini sequuntur, & quasdam ipsius constitutiones obseruant. Nulli sunt religiosi huius Ordinis in Italia, nisi quod illic Procuratorem habent. Cæterum Hieronymus è viuis excessit vltima die Septembris, anno CCCCXX. qui fuit duodecimus imperii Honorii, & primus Pontificatus Papæ Bonifacii.

Religiosus ordo S. Augustini.

18 Prima regula ab Ecclesia approbata post Basilii magni regulam, S Augustini, Doctoris Doctorum fuit. Hoc ingenium tam præstans atque eximium, quod nunquam satis pro merito laudabitur, natum est circa annum CCCLVIII. in arce Tegastana: patrem habuit Patricium, & matrem Monicam. Anno XVIII. ætatis ex lectione libri cuiusdam Hortensis Manicheus factus est. Cum Romam veniret, tantam nominis celebritatem propter singularem doctrinam adeptus est, vt Romani statuam in ipsius honorem erigerent. Roma Mediolanum profectus est, vbi precibus matris S. Monicæ, & doctis cōcionibus S. Ambrosii ab errore, cui vsque ad annum XXX. ætatis immersus fuerat, reuocatus fuit.

Inde in patriam rediit, & impetrato horto suburbano ab Episcopo Hipponensi, monasterium exstruendum curauit, in quo labore manuum se sustentauit, & integerrime secundum institutum primitiuæ Ecclesiæ vixit. Cum habitū Religiosi indueret, duodecim habuit socios, quorum hæc sunt nomina: Augustinus, Nembridius Enodius, Alipius, Pontiens, Deodatus, Simplicianus, Faustinus-Græcus, Hordulius, Valerius, Iustinus & Paulus: qui omnes se cinxerunt zona pellicea, vt ipse S. Augustinus refert, ad differentiam Monachorum. Cum aliquandiu in hoc monasterio fuissent, aliis sodalibus sibi adiunctis, quam qui iam nominati fuerunt, videns populi concursum, qui ad ipsum inuisendum veniebat, duobus passuum millibus ab vrbe recessit: & qui ipsum sequi voluerunt, tuguria in cliuis montium exstruebant.

Hinc originem traxerunt Eremitæ S. Augustini, quorum tunc CXX. erant sub ipsius disciplina. Nullus ipsorum bibebat vinum, nisi in casu necessitatis.

Hic numerus postea auxit, adeo vt breui tempore multa monasteria huius Ordinis in Africa conspicerentur. Sed persequutio Gottorum & Vandalorum ipsos coegit mutare sedes, & in prouinciam Mesirestiensem se recipere: vbi etiam hæretici & infideles hunc ordinem ita sunt persequuti, vt fere prorsus extingueretur, vsque ad tempus Guilhelmi Ducis Aquitaniæ, qui huic Eremitarum Ordini nomen dedit. Hic tanta vitæ sanctitate excelluit, vt à Pontificibus Anastasio & Adriano, vtroq; nominis sui quinto, potestatem relinquendi eremum, & cum fratribus sui Ordinis in vrbes concedendi obtinuerit.

Hac venia impetrata elegans & amplum monasterium Lutetiæ condidit: quod fuit primum huius Ordinis in vrbibus exstructum: & Religiosi huius Ordinis à nomine sui Instauratoris Guilhelmitas se appellarunt. Accidit hoc anno MCLVII.

Postea circa annum MCC. hic Ordo in Italia florere cepit, auctore S. Ioanne, qui Boni cognomentum meruit, & Mantuæ natus fuit. Is assumto hoc Ordine tantam nominis famam sua sanctitate & doctrina sibi cōparauit, vt ipsius causa multa monasteria Ordinis S. Aug. exstruerētur, cum in Latio & Ducatu Spoletano, tum in Piceno & Gallia Cisalpina: ita vt dici possit pater & instaurator huius Ordinis in Italia. Obiit anno MCCXXII. cadauer ipsius humatum Mantuæ in æde S. Agnetæ, multis miraculis illustratum fuit.

Qui-

Quidam arbitrantur, eum fuisse præceptorem S. Francisci Assisensis, & quod Franciscus sub ipso ordinem professus sit.

Eo mortuo Ordo admodum creuit: sed Religiosi diuersum habitum assumserunt, & alii à S. Augustino, alii à S. Guilhelmo, alii à S. Ioanne Bono, alii à S. Fabiano, alii à Britinorum congregatione se nominarunt.

Hanc ob causam Papa Innocentius IV. anno MCCXLIII. edixit, vt omnes Eremitæ & alii Religiosi Ordinis S. Augustini vno eodemque nomine appellarentur, nempe Augustiniani, vel Eremitæ S. Augustini: & quamuis domicilium in vrbibus haberent, nihilominus Eremitæ dicerentur, & viuerent secundum professionem ac regulam S. Augustini: quo factum est, vt omnia hæc diuersorum habituum genera in vnum reducerentur.

Hic Ordo S. Augustini diuiditur in Conuentuales, & in eos, qui Obseruantiæ dicuntur. Obseruantia rursus diuiditur in vndecim cætus, qui à temporibus modo dicti Innocentii Pontificis se reformarũt: estq; Obseruantia Miletana, Carboniana, Perusina, Cisalpina, Montis Orthonis, Baptistellæ, Apula, Calabrica, Dalmatica & S. Pauli, de quibus infra sigillatim secundum ipsarum tempora agemus.

Ordo S. Benedicti.

Postquam de auctoribus & origine Religiosorum, qui in Ægypto, Syria, Armenia & Africa floruerunt, diximus: videamus nunc, quid in occidente actum sit; vbi primus occurrit vir magnus S. Benedictus, patriarcha Monachorum huius tractus, qui natus est quadraginta annis post S. Augustinum, anno CCCCLXXII. in vrbe Norsia, regione Sabinorum, quæ alio nomine Vmbria dicitur, ex nobili familia Regardorum, quæ tunc potens & illustris erat non tantum in Norsia, sed in circumiacenti regione.

Patri nomen erat Proprio, matri Abundantiæ. Missus fuit Romam anno ætatis X. annorum, vt artes liberales disceret: sed studia & opes deseruit, fugitq; in arcem Effidam, sola nutrice ipsum sequente: inde in desertũ se recepit, prope Subiacum, quod fuit olim non cõtemnendum Latinorum oppidum, quadraginta millibus passuum ab vrbe Roma distans. Illic per triennium fuit, austeram admodum pœnitentiam agens, nec vlli cognitus nisi vni monacho Romano. Sed cum proditus fuisset à quibusdam pastoribus, populus vndique ad illum videndum accurrit. Tanta autem efficacia mundum esse deserendum suadebat, vt breui tempore duodecim monasteria exstruerentur: quibus cum viros idoneos præfecisset, cum flore suorum discipulorum in eum locum concessit, vbi hodie est monasterium montis Cassini, & olim vrbs Cassinum fuit, non procul ab Aquino in Campania. Illic destructis prius omnibus idolorum templis & confractis statuis, primus nomen Iesu Christi annunciauit, & omnes monachos alioſque eremitas variis locis dispersos collegit, quibus regulam præscripsit, secundum quam ipsi & eorum successores vitam instituere deberent: quę fuit tertia regula, S. Basilii regula comprehensa, quæ à S. Sede approbata fuit.

Inter discipulos huius sancti viri familiam duxit S. Maurus, qui suis concionibus & sancta vita Ordinem monasticum in Gallia reformauit: proximus ab hoc fuit Placidus, qui idem præstitit in Sicilia.

Hæc arbor plures ramos produxit, nempe Ordinem Cluniacensem, Camaldulium, Vallis vmbro æ, Cisterciensium, Humiliatorum, Cælestinorum, Oliuetanorum, & S. Iustitiæ.

Quemadmodum omnia cum tempore degenerant, & insensibiliter à recto tramite deflectunt, ordo quoque S. Benedicti, postquam aliquãdiu magna cum laude & celebritate floruisset, tam procul à prima sui fundatoris institutione recessit, vt Concilia, cum generalia tum particularia, complures leges de eo reformando & ad primum suum principium reuocando tulerint.

Sed quod neque decreta neque sanctorum patrum auctoritas perficere potuerat, sanctitas Abbatis Cluniacensis, cui Odo nomen fuit, feliciter præstitit, qui Ordinem monasticum propemodum ex mortuis excitauit, eumque coegit exacte obseruare, sicut ipsemet faciebat, omnia, quæ tempore S. Benedicti in vsu erant: ita vt multi alii Abbates, laudabili ipsius exemplo excitati, sua quoque cœnobia reformarint: quod non tantum in Gallia factum est, sed etiam in Hispania, Germania & Italia.

Quoniam vero hæc reformatio Cluniaci cæpta erat, vnio tot Abbatiarum, quarum præter propter duo millia erant, fuit nominata congregatio Cluniacensis: & quotannis permissu atq; auctoritate Pontificum omnes Abbates huius congregationis certo loco conueniebant: quem conuentum Capitulum generale vocabant, in quo agebatur de ordine & modo viuendi Religiosorum, summotis aut pœna affectis iis, qui peccauerant.

Hic bonus Odo vixit anno DCCCCXIII. & mortuus est sub Imperio Henrici II. Romæ sedente Ioanne X. Rauennate.

Ordo congregationis Camaldulensis.

Congregatio Camaldulensis auctorem habuit S. Romoaldum Rauennatem, gente Saxonem, quæ tunc nobilis & illustris erat in illa vrbe. Hic cum natura ad solitudinem propensus esset, quamuis primogenitus & vnicus esset in sua familia, mundo valedixit, anno ætatis XX. & se recepit in monasterium Venatorum prope Cauermã, vbi sancta sua vitã innumeros Christo lucrifecit: adeo vt, Petro Damiano teste, non solum in Marca Treuisana, Latio & Etruria, sed etiam in Gallia & Syria tanta hominum multitudo

tudo ipsius institutum sequuta sit, vt, nisi ipse cauisset, maxima pars orbis, vt ita dicam, Monachismum amplexura fuisset, cum multi Comites, Marchiones, Duces & alii viri illustres se in ipsius disciplinam darent.

Multas Abbatias in Etruria, Marchia Aruernensi, Latio & in partibus Istriæ condidit, quas omnes monachis repleuit. Postea celebre & famosum cœnobium Camaldolense in Etruria prope Aretium exstruxit, quod ita dictum fuit à quodam Maldo, nobili Aretino, qui, cognita Romoaldi sanctitate, partem Apennini ipsi donauit, vbi hodie monasterium situm est, quod Romoaldus ab eius nomine, qui tanto beneficio ipsum affecisset, in signum gratitudinis appellari voluit.

Hic locus in hodiernum diem primum suum institutum obseruat: quod eum honorabilem & venerabilem inter omnes reddit.

Romoaldus autem floruit anno salutis millesimo, cum Imperium Græcorum Basilius & Cõstantinus, Germanorum Otho III. teneret. Obiit natus CXX. annos, cum XX. annis in mundo, III. in monachatu, XCVII. in eremo vixisset. Qui ipsius Ordinem sequuntur, vestem candidam gerunt, more Monachorum, & in cæteris regulam S. Benedicti obseruant.

Ordo Grammontanus.

Ordo Grammontanus institutus fuit Grammontii in agro Lemouicensi, sub regula S. Benedicti, an. MLXXVI. à Stephano, nobili Aruerno.

Ordo Hospitaliorum S. Antonii.

21 Anno MXCV. institutus fuit Ordo eorum, qui ministrant ægrotis in Nosocomiis S. Antonii, hoc est, iis, quorum membra igne sacro, vt vocatur, paulatim consumuntur. Auctor illius fuit Gasto, nobilis Gallus, cum Gerino filio, qui cum defessi essent, notam litteræ Tau assumserunt.

Ordo Vallis vmbrosæ.

22 Hic ordo originem suam debet Ioanni Alberto, domino Petriuoli & Vallis Preschianæ, qui cum sacro die Veneris in inimicum, qui fratrem suum interfecerat, incidisset, & alter ille videns, se in eas angustias redactum, vt euadere non posset, eum rogasset, vt sibi parceret in gratiam eius, qui hoc die pro redemtione generis humani mortem oppetere voluisset, his precib. adeo commotus fuit, vt non solum vitę gratiam ipsi faceret, sed etiam ex equo descenderet, eũque arcte complecteretur, promittens, se ipsum in posterum loco fratris, qui interfectus fuisset habiturum.

Inde templum S. Miniati prope Florentiam ingressus, vt precaretur, cum ante crucifixi imaginem, quę in medio templo erat, in genua procubuisset, illa caput versus ipsum inclinare & quodammodo gratias agere visa est, ligno, ex quo confecta erat, quassato: eo significans, opus ipsius Deo gratum fuisse, quod in eius gratiam inimico ignouisset. Hoc miraculo inductus fuit, vt religiosis in monasterio S. Miniati se adiungeret: vbi cum certis de causis manere non potuisset, in collem quendam Apennini secessit, viginti passuum millibus à Florentia, & in loco quodam, qui vallis vmbrosa dicebatur, substitit, vbi simplicem & pauperem abbatiã ædificauit, quæ postea opibus & nominis celebritate creuit. Ab hoc loco congregatio Vallis vmbrosæ nomen & originem traxit. Mortuus est ille anno MXXXVII. sub Imperio Henrici III, cum Pontificatum teneret Gregorius VII. qui ipsum inter sanctos retulit, vt quidam volunt: nam alii Calixto hoc tribuunt.

Religiosi huius loci habitum gerunt claustralem coloris fuliginei aut cærulei, ad differẽtiam monachorum atrorum, & obseruant regulam S. Benedicti.

Ordo S. Brunonis & Carthusianorum.

Paullo post institutum Ordinem Vallis vmbrosæ, aliud miraculum admodum horrendum originem dedit Ordini Carthusianorum, anno MLXXX. quo Doctor quidam Parisiensis, vir doctus & clarus, cum supremum diem obiisset, & in templum delatus esset, in vigiliis, quæ super cadauer ipsius canebantur, vbi hæc verba prolata fuerunt, *Responde mihi*, erecto corpore & sedẽs in feretro, prima die voce terribili respondit, *Iusto Dei iudicio accusatus sum*: altera die (nam dilata fuit sepultura) cum in vigiliis ad eundem locum peruentum fuisset, rursus corpus erexit, sicut die præcedenti, & alta voce hæc verba pronunciauit, *Iusto Dei iudicio iudicatus sum*: tertia die, cum rumor per totam vrbem disseminatus fuisset, & populus vndique accurreret, vigiliis iteratis, & repetita lectione eorundem verborum, *Responde mihi*, denuo se erexit, sicut ante, dicens: *Iusto Dei iudicio condemnatus sum*. Vox autem tam insolens & terribilis erat, vt non tantum ii, qui aderant, sed etiam qui rem narrari audiebant, obstupescerent.

Cæterum inter plurimos Doctores, qui his exequiis intererant, quidam Germanus fuit, cui nomen Bruno, Coloniæ natus, opulenta & nobili familia, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Remensis in Campania, Doctor Theologiæ & Iuris ciuilis, qui motus hoc spectaculo nunquam ante viso aut audito, decreuit mundo valedicere, & se recipere in solitudinem, consilioque sex suis sodalibus communicato, nempe Ludouico Doctori Parisiensi, qui fuit primus cœnobiarcha Carthusianorum post Brunonem, duobus Stephanis, qui erant Canonici, Hugoni Presbytero, Andreæ & Guerino, hominibus laicis, illi admonitionibus sancti viri persuasi, in desertum quoddam secedere constituerunt, & Gratianopolin, vrbem Delphinatus in Gallia, profecti, Hugonem, qui tunc illius vrbis episcopus

pus erat, adierunt, vt ab eo locum aliquem solitarium obtinerent, in quo reliquum vitæ tempus exigerent.

Nocte illa, ante quam hic vir sanctus cum suo sodalitio ad Episcopum veniret, Episcopus vidit per quietem Deum in eum locum descendẽtem, vbi nunc est magnum cœnobium Carthusianorum, & septem stellas aurei coloris, quæ ex terra ascendebant, & diuersæ erant à cælestibus, quæ sunt in firmamento. Postridie cum illi septem Episcopum conuenissent, & ipse causam aduentus eorum, & quid peterent cognouisset, de interpretatione sui insomnii non dubitauit, ipsisque dono perpetuo locum desertum donauit, qui decem passuum millibus Gratianopoli distat, & Carthusianorum domicilium appellatur, locum, inquam, frigidum inter duos præaltos & steriles montes, arboribus patulis & infrugiferis opacos, & à feris tantummodo habitatos.

Hac donatione ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, & postea ab Vrbano II. confirmata, cæperunt casulas exstruere, ita inuicem separatas, vt vnus sodalium alterius solitudinem non impediret, & templum in vertice montis ædificarunt, vacantes in eo loco meditationib. precibus & lectioni sacrarum litteratum, ad imitationem sanctorum Patrum Ægypti, operantes suis manibus, & carnem suam ieiunio & disciplina macerantes: tandem constituerunt ab omni esu carnis per totam vitam abstinere, & cilicium: dorso gestare: quod hodieque obseruant. Vestem candidam assumserunt, præter cucullum, quem nigrum gestant: præterea sæpe ieiunant, silentium acre tenent, soli cibum capiunt in septimana, excepta die Dominica, & festis quibusdam diebus, quibus omnes simul accumbũt in cænaculo: certos dies habent, quibus ipsis licet inter nonam & vesperam inter se confabulari sine scrupulo: sacrum officium, quod peragunt, longum admodum est: denique solitudini maxime student.

Hic Ordo per varias Christiani orbis partes diffunditur, & diuiditur in septendecim prouincias, in quibus sunt nonaginta tria monasteria. Dicti sunt Carthusiani à loco, in quem se primum Ordinis auctor recepit, qui cum Romam fuisset vocatus à Papa Vrbano, suo quondam discipulo, eo profectus vtilem ipsi operam nauauit ad componendas turbas, quæ tunc erant in Ecclesia. Roma digressus cum benedictione Pontificis, itinere per Calabriam facto, in desertum venit, quod Turris dicitur, in diœcesi Squilaciana, vbi substitit, sedem figens cum suis sodalibus, qui ipsi aderant in cauernis quibusdã subterraneis: quod cum Rogerius, Princeps illius regionis cognouisset, sanctum hominem Brunonem visum iuit, & totum illud desertum ipsi ac sociis donauit, qui illic tẽplũ ædificarunt, in quo Bruno solus habitabat: postea aliud non longe ab eo loco cõdiderunt, cum monasterio, in quo erant fratres. Illic mortuus est anno MCI. cum Paschalis II. sanctam sedem teneret, & Henricus IV. Imperium: relatus fuit in numerum sanctorum anno MDXX.

De Ordine Cistercensium & Clarouallensium.

Carthusianos sequitur Ordo Cistercensium 24
institutus à Roberto Abbate Molesimæ, vrbis Ducatus Burgundiæ, in finibus Lingonum. Is cum videret, se non posse reformare religiosos suæ Abbatiæ, quos magnæ opes superbos & lasciuos reddiderant, assumtis secum XXI. meliorib. ex omni numero, & Cabillone, præcipua vrbe Burgundiæ, profectus, sedem collocauit in loco solitario, qui Cistercium vocabatur: vbi permissu Gualteri, episcopi loci, & Hugonis archiepiscopi Laudunensis, annitente Odone Duce Burgundiæ, prima fundamenta posuit monasterii Cistercensium, à quo totus Ordo nomen & originem traxit. Sed Religiosi Abbatiæ Molesimæ Episcopo persuaserunt, vt Robertum Molesimam remitteret, & vnus inter fratres, cui nomen erat Stephano, in locum ipsius electus fuit.

Quindecim annis post hanc fundationem Bernardus, natus in arce Fontenæa in Burgundia, cuius dominus erat pater ipsius, cum triginta suis sodalibus, inter quos tres erant ipsius fratres, monasterium illud ingressus, nomen huic Ordini dedit, in quo tãtos in vita spirituali progressus fecit, vt omnes alios religiosos sui temporis longo interuallo antecederet, cum sanctitate vitæ, tum doctrina infusa & acquisita, cuius testimonium reddunt erudita & diuina ipsius scripta singulari suauitate perfusa. Charitas autem ipsius, humilitas, patiẽtia, labores ad opem ferendam Ecclesiæ, multis tunc locis afflictæ, vna cum ipsius austeritate eum perpetuo commendabilem reddent.

Hic vir sanctus & eximius missus fuit à suo superiori, vt fundaret magnam & celebrem Abbatiam Clarouallensem, ad fluuium Albium in finibus Lingonum sitam, quam prius Vallem Absinthii nominabant, siue propter copiam illius herbæ, quæ ibi nascebatur, siue propter iniquitatem incolarum, qui eo se recipiebant: quod accidit anno MXCVIII. cum Imperium teneret Henricus IV. & in Gallia regnaret Philippus I. Idem postea exstructis multis Abbatiis in prouinciis Galliæ & alibi, hunc Ordinem ita amplificauit & locupletauit, vt non immerito pater & instaurator illius dici posset. Nam constat, ipsum suo tempore instauiasse & de nouo ædificasse centum sexaginta Abbatias: fuitq; suo tempore habitus pro viro sancto, docto, prudente & consilii admirabilis.

Cistercenses obseruant regulam S. Benedicti, gerunt tunicam candidam, & zonam laneam se cinguntur: colobium, epomis cucullus sunt nigri coloris. Non solebant vesci carnibus: sed anno MDLX. diploma Pontificium obtinuerunt, vt certis diebus in septimana iis vesci possent. Mediolani Religiosi S. Ambrosii, Romæ S. Crucis appellantur, Ierosolymæ à titulo Ecclesiæ nomen sibi tribuunt.

De Ordine Humiliatorum.

Series temporis postulat, vt nunc de ordine Humiliatorum loquamur, qui hac ratione fuit institutus. Imperator Fridericus Barbarossa, capta vrbe Mediolano, cum eam in odium Mediolanensium prorsus destruxisset, ne vllum illius vestigium restaret, solum sale conspersit, & multos nobiles & illustres viros nō tantum Mediolano sed etiam ex aliis vicinis vrbib. proscripsit, eosq; cum vxorib. & liberis in Germaniam relegauit: inter quos fuit Gualuagnus Vicecomes, & olim Dux Mediolanensis, filius Andreæ magni. Hi omnes post multos annos, tædio diuturni exilii, vestem candidam assumserunt, & cum se aliquoties ad pedes Imperatoris abiecissent, tandem potestatem redeundi in patriam obtinuerūt, vbi cum eadem veste reliquum vitæ tempus magna castitate & sanctimonia transegerunt, ex opificio laneo victum quærentes, quodq; supererat lucelli, pauperibus erogantes, & sobrie admodum ac temperanter viuentes. Sed cum viderent, se non posse diu hoc vitæ genus exercere, nisi cuidam regulæ se subiicerent, ex consilio boni cuiusdam viri, Ioannis Presbyteri, nobili genere Comi in Ducatu Mediolanēsi nati, (quā quam alii ipsum Medæ in agro Comensi duodecim ab vrbe passuum millib. ortum perhibent) regulam S. Benedicti amplexi sunt. Regula, quā ab ipso acceperunt, fuit postea approbata à Papa Innocentio III. & aliis ipsius successoribus: ita vt in multis locis Italiæ monasteria huius Ordinis reperiantur. Mediolani decem Præposituras habent, vt vocant, & tres conuentus Religiosarum, quorum celeberrimus est ille, qui à Cerebro nomen habet. Primi fuerunt, qui artem opificii lanei Florentiam transtulerunt, cum eo habitatum iuerunt.

Hic Ordo cæpit anno MCLXXX. tempore Papæ Lucii III. & Imperatoris Friderici. Veste candida vtuntur: penulam gerunt cum paruo cucullo à tergo assuto, cui togam superinduunt vtroq; latere fissam, vt brachia transmittant. Magnum præterea capitium gestant, quod humeros ipsorum maiori ex parte tegit, instar galeri Cardinalitii. Adhæc pileo rotundo caput tegūt: sed præsules ipsorum, vt ab aliis discernantur, illud quadratum gerunt, sicut alii presbyteri, nihilominus candidi coloris. Solebant in commune viuere: sed cum prouentus ipsorum in præsulum manus veniissent, pro arbitrio viuere cæperunt. Verum anno MDLXVIII. S. & illustrissimus Cardinalis Carolus Borromæus conatus est illos ad primum statum, in quo olim erant, reuocare, vt in commune & Religiosorū more viuerent: quod non sine multis molestiis, quas hic vir sanctus sustinuit, nec sine magnis scandalis, quæ euenerunt, cum multi ex ipsis omnem reformationem respuerent, aggressus est.

De Ordine Carmelitarum.

Quamuis Ordo Carmelitarum initium & origi- 16
nem ducat à propheta Elia, cuius supra mentio facta est: tamen series temporum fecit, vt eū in hunc locum reiecerimus. Hic Propheta viuebat in mundo D CCCCX V. annis ante aduentum Domini nostri, & igneo turbine in cœlum raptus fuit, anno ætatis L. Patri Sabatæ nomen fuit, ex terra Arabin, & stirpe Aaronis. S. Hieronymus putat, eum fuisse primum mortalium, qui perpetuo cælebs manserit. Ordini suo initiū dedit, non in territorio Carith, sed in monte Carmel, in quo solitariam & religiosam vitam agebat, tria præcipua Religionis capita obseruans, paupertatem, obedientiam & castitatem.

Inter complures, quos habuit, discipulos, quatuor eximii reperiuntur, qui omnes Prophetæ fuerunt, Eliseus, Ionas, qui in vrbe Niniue vaticinatus est, Micheas, filius Iemlæ, qui ante Eliam & post ipsius raptum in Israele prophetam egit, & Abdias Sichemita, natus in Bethacoron.

Eliseus habitauit in monte Carmel cum multis filiis Prophetarum, qui in horto frondes arborum putarunt, ex quibus calulas sibi cum intrito exstruxerunt: Ionas cum suis discipulis Sareptæ habitauit: Abdias Samariæ: quidam alii Galgalæ, Ierichunte & in Ephraim.

Hæc refert liber concordantiæ Veteris & Noui Testamenti, qui tradit, vitam propheticam ab Elia in Elisæum translatam fuisse, & hunc, cum maxime floreret, instituisse ordinem cœnobitarum: nec Eliam tantum, sed etiam Elisæum & ipsius discipulos castitatem seruasse. Hæc prima fuit huius Ordinis constitutio

Idem renouatus fuit à S. Ioanne Baptista & discipulis ipsius, qui frequentabant loca prope Iordanem, quique post huius sancti viri mortem cōuersi fuerunt ad professionem Euangelicam, Ecclesiam constanter cum Apostolis defendentes, cum illa adhuc esset in incunabulis, & institutis magni Eliæ firmiter insistentes. Hi templum in monte Carmelo in honorem Virginis Mariæ condiderunt, quam protectricem elegerant: & hoc templum primum fuit, quod Christiani Virgini Mariæ consecrarunt, perseuerantes in hoc genere vitæ quadringentis annis.

Verum anno CCCCXII. aut circiter, Ioannes, Doctor Græcus, & XLIV. Patriarcha Ierosolymitanus, qui prius fuerat superior fratrum montis Carmeli, instante Capraſio, qui ipsius in hoc officio successor fuit, fratribus huius Ordinis regulam præscripsit, quam ab institutione magni Eliæ & regula S. Basilii hausit. Tunc Carmelitæ diuersis nominibus appellabantur: quidam nominabant eos Religiosos, alii Eremitas, aut Carmelitas, & fratres Virginis Mariæ.

Qui Eliam pro auctore sui Ordinis habebant, duorum generum erant: quidam volebāt sequi vitam monasticam & propheticam, institutam

ab

ab Elia, & se veros ipsius successores in monte Carmelo sub protectione Virginis Mariæ venditabant: alii vitam ipsius solitariam imitari studebant, qui non tantum in desertis, sed etiam locis habitatis degebant.

Hoc durauit vsque ad annum DCXXXVI. quo Homar, Saracenorum Princeps, magnis copiis succinctus, cum multa loca Christianorum in Asia diruisset, & magnum numerum Religiosorum morte affecisset, Carmelitas habitum suum relinquere coegit, offensus, eos candido vestitu amictos, quod is color proprius esset Satraparum & magnatum. Postea anno MXCIX. cum Christiani Latini terram sanctam occupassent, quam LXXXIV. annis tenuerunt, Carmelitis cœnobiarchæ Latini præfuerunt: ideoq; regulam, quam Ioannes patriarcha prius ipsis dederat, ex Græco in Latinum conuertit Alinimus patriarcha. Octoginta postannis Albertus, patriarcha Ierosolymitanus homo magni nominis, regulam conscripsit, quam ex vita Eliæ, & libro patriarchæ Ioannis ac regula S. Basilii magni excerpsit, quam propria auctoritate obseruandam dedit Brocardo, homini sanctæ vitæ, & cœnobiarchæ montis Carmeli, ipsiusq; eremitis. Atque hæc regula Alberti ea est, quam postea semper obseruarunt, quæ postea fuit confirmata à Papa Honorio III. Ex ista regula apparet, Carmelitas fuisse eremitas. Nam patriarcha Albertus præscribit iis, qui legere nesciunt, vt certum numerum Orationum Dominicarum recitent. Et quoniam B. Virgo patri cuidam ex hoc Ordine apparuit, epomidem ipsi offerens, & dicens: Accipe, mi dilecte, hanc epomidem, quæ data est à me tuo Ordini, in signum meæ Confraternitatis, Papa Honorius IV. ipsis viua voce permisit, vt possent gerere alba capitia. Anno MCCLXXXVII. Mompessuli in generali Capitulo sancitum fuit, vt omnes, qui essent huius Ordinis, ea gestarent: quod Nicolas IV. approbauit.

Cæterum non licebat ipsis vesci carnibus ex regula patriarchæ Alberti: sed Pontifices Eugenius IV. & Pius II. gratiam illis fecerunt huius legis, & moderationem quorundam ieiuniorum valde strictorum, ad quæ se obligauerant, ipsis concesserunt. Sed Ioannes Soretus, homo peteruditus, hunc Ordinem reformauit, & obtinuit à Papa Nicolao V. vt omnes, qui reformationem illam impedirent, excommunicarẽtur, & vt fratres reformati possent eligere cœnobiarcham & Vicarium generalem. Hinc Ordo iste in duas veluti familias diuisus fuit, Conuentualium & Obseruantiæ.

De fœminis religiosis S. Theresiæ.

Ab eo tempore beata Theresia Ahumadæa, ex Auila vrbe Hispaniæ, post reformationem Ordinis à Theresia denominati, Ordinem quoque Carmelitarum pristino splendori restituit, incipiens à monasteriis puellarum, quorum multa fundauit, deinde ad virorũ progressa est, qui hodieq; Carmelitæ discalceati appellantur, quibus constitutiones quasdam præscripsit Bulla comprehensas, quam à Papa Pio IV. obtinuit, XVII. Iul. MDLXV. & postea confirmatas auctoritate Apostolica in Capitulo generali Alcadæ Ænarensi habito, anno MDLXXXI. Sicut autem hæc regula orationem mẽtalem inprimis commendat: ita peculiaris quidam in ea est articulus, quo præcipit, vt Religiosi & Religiosæ extra & intra suas cellulas aut iuxta illas meditentur dies & noctes in lege Domini, & precibus inuigilent, nisi necessariis quibusdam negotiis occupentur. Hæc sunt, quæ hoc loco de Ordine Carmelitarum dici potuerunt.

De Ordine sacro & reformato Cistercensium, qui Ordo Foliantinorum appellatur.

Reuerendus Pater Ioannes Barriera, auctor 27
reformationis Religiosorum Ordinis sacri Cistercensium, qui à foliis nomen habent, originem suam sumsit in Quercia, prouincia Aquitaniæ & Galliæ Narbonensis.

Vrbs S. Cyri eum primum nascentem vidit parentibus nobilibus & honestis, qui ipsum à puero ministerio altaris destinarunt: iamq; anno ætatis XXI. creatus fuit Abbas commendatarius Abbatiæ Ordinis S. Bernardi, quæ appellabatur Abbatia Foliantinorum: quo in munere vndecim annis mansit, nempe ab anno MDLXII. vsque ad IX. Maii anno MDLXXIII. quo Deus ipsi inspirauit, vt vitam adstrictam & valde religiosam ageret. Itaq; in familiam & ordinem Cistercensium se dedit: deinde peracto anno probationis Ordinem in Abbatia & Monasterio Eunensi professus est.

Tribus votis Religionis susceptis Foliantium rediit, vbi erat Abbas. Ibi, tanquam Antistes, Monachos & religiosos in Capitulum conuocauit, vt eos inuitaret & hortaretur ad regulam illius Ordinis, quem amplexus erat, obseruandam: cui cum multi se subiicere nollent, eos ad alia cœnobia & monasteria non sine magnis cõtentionibus & difficultatibus ablegauit. Nam bonis consiliis & sanctis desideriis seruorũ Dei varia semper obstacula sub initium obiiciuntur: & multo difficilius est, reformare familias & cœtus monachorum ac religiosorum, quam nouos instituere & fundare. Itaq; non sine magna molestia, quam partim homines vitiosi ac parum religiosi, partim generis humani hostis ipsi exhibuerunt, hoc opus aggressus est: quam tamen magno animo superauit: omnib. impedimentis & difficultatibus perruptis, cum se Deo, qui innocentes tuetur, & S. Virginis, nec non glorioſi S. Benedicti, Roberti & Bernardi patrocinio commendasset.

Sed quemadmodum nulla tanta est procella aut tempestas, quam non aeris tranquillitas & serenitas excipiat: sic ille post exantlatos labores & molestias consolationẽ accepit. Nam qui inter religiosos Abbatiæ Foliantinorum maxime feruidi & deuoti erant, consiliũ ceperunt vestigiis ipsi⁹ insistendi, & vitã admodũ austerã, quam

ipsis

ipsis præiuit, egerunt, sedulo imitati virtutes & perfectiones huius optimi Patris, qui non vulgares indies in religione progressus faciebat, & magis ac magis in amore sui Seruatoris, exemplo S. Bernhardi, crescebat.

Hi religiosi cum suo Patre vitam potius angelicam, quam humanam, ducebant. Nam non solum carne, ouis, piscibus & omnibus lacticiniis, sed etiam oleo, sale & vino abstinebant & solo pane, leguminibus & aqua se sustentabant.

Papa Gregorius XIII. fama de virtutibus & instituto Abbatis Foliantinorum ad ipsum perlata tam generosis cœptis paterne fauere voluit, litteris gratulatoriis ad ipsum missis, & duos ex ipsius religiosis Romam ad se accersiuit, qui fuerunt conditores deuoti & celebris monasterii S. Bernardi in balneis Imp. Diocletiani. Sixtus V. Ordinis S. Francisci, successor Gregorii, non minus ipsi fauit, & cognita molestia ac difficultate, qua multi in hoc instituto obseruando laborabant, nimium illius rigorem & austeritatem moderatus est. Papa Clemens VIII. affectum vere paternum erga ipsum & religiosos ipsius testatus est, multis beneficiis & priuilegiis ipsis concessis.

Rex Christianissimus Henricus III. de ipsius pietate & sanctimonia certior factus, eum ex ipsius Abbatia prope Tolosam Lutetiam cũ LX. religiosis ex ipsius Ordine vocauit, eumq; in nemore Vincennarum excepit, vbi ab XI. die Iulii, quo nonnulli translationem S. Benedicti (quam alii propter controuersiam, quæ ea de re agitatur, venerationem appellant) celebrant, vsq; ad VIII. Septembr. qui dies est natalis sanctissimæ Virginis, mansit, donec cœnobium esset perfectum, quod Rex in suburbio Parisiensi S. Honorii prope Capucinos & hortum regium, qui à tegulis nominatur, ædificandum curauerat.

Templum huius monasterii magnifice exstructum & ornatum fuit pia liberalitate nostrorum regum, Henrici magni, gloriosæ memoriæ, & Ludouici XIII. cui Deus diuturnum & felix regnum largiatur.

Regina Maria Medicea, coniux & mater modo dictorum regum, multiq; Principes, magnates, & illustres fœminæ illud multis eximiis & pretiosis sacellis, ac magnificis ornamentis illustrarunt, estque vnum ex pulcherrimis templis magnæ huius vrbis Lutetiæ.

Pater iste Ioannes Barriera, cum sui zeli & pietatis fragrantia Ordinem Foliantinorum in diuersis Galliæ, Sabaudiæ & Italiæ locis prosemina sset, in quibus hodie multi religiosi in sacrarum litterarum cognitione versati, & eximia doctrina & sancta vita exculti reperiuntur, Romam in monasterium S. Bernhardi se recepit, vbi cum natus esset annos LIX. sancte decessit, die S. Marci, XXV. April. an. MDC. qui fuit annus magni Iubilæi.

Patres Foliantini & matres Foliantinæ, imitantes hunc S. Patrem, valde ædificarunt omnes incolas earum vrbium, in quibus habitarunt, & quicunq; R. P. Ioannem Barrieram familiariter nouerunt, eos magnopere honorant & reuerentur.

Ordo S. Crucis.

Hos sequuntur religiosi S. Crucis, qui licet à 18 ante illos orti sint, tamen vehementer afflicti pæne interierant.

Quidam auctorem ipsis tribuunt Cyriacum, episcopum Ierosolymitanum: sed Bullæ Pontificum Alexandri III. Alexandri VI. & Pii V. cum Chronico Matrimatis & Sabellici censent, Cletum, qui immediate S. Petro successit, eorum parentem fuisse, cum diuino oraculo monitus fuisset, vt pauperibus peregrinis Christianis, qui Romam religionis causa veniebant, de hospitio prospiceret: quod fecit, dans suas ædes, quæ erant in platea Patriciorum Romanorum, vt ex iis Xenodochium exstrueretur, quod omni genere supellectilis instruxit, & signo Crucis notauit. Xenodochii curam quibusdam eximiis & primariis viris, qui religionem Christianam profitebantur, commisit. His, quo melius noscerentur, iniunxit, vt crucem manu gestarent, in memoriam passionis Domini nostri, in cuius honorem sanctum hoc opus faciebat. Itaq; officium illorum erat pauperes peregrinos Christianos, qui Romam veniebant, hospitio excipere, comitari ac defendere.

Post mortem Cleti Christiani, qui grauem persequutionem sustinuerant, sub Constantino Magno & regina Helena, matre ipsius, respirare cæperunt. Illa Ierosolymam profecta, sanctissimam crucem inuenit, partim magnis pollicitationibus, si quis eam sibi ostenderet, partim grauibus comminationibus, si quis eandem dissimularet. Tandem quidam Iudæus, nomine Iudas, locum ipsi ostendit: quo cum venissent, statim terræmotus factus est, & tam suauis odor inde exiit, vt suffitus fragrantissimus illic sparsus videretur. Quo factum, vt Iudæus ad fidẽ Christianam conuersus alta voce exclamaret: ô Christe, tu es verus Seruator mundi. Is sacro Baptismate tinctus, nomen Cyriaci accepit. Inde virtutes & miracula S. Crucis cum multis discipulis prædicatum iuit, & tandem factus est episcopus Ierosolymitanus. Qua de re certiores facti complures discipuli Cleti, qui eo vsq; hospitalitatem, quamuis secreto, exercuerant, Cyriaco se aperuerunt, qui ordinem illum restituit, ac velut ex mortuis excitauit, anno CCCXXV. Hic Ordo exinde creuit, vsq; ad annum CCCLXV. sub Iuliano Apostata, qui Cyriacum eodem anno morte affecit: quo sublato hic Ordo propter vehementem persequutionem propemodum extinctus fuit. Deinde rursus auras vitales carpere cœpit sub Vrbano II. cum Principes Christiani, fœdere inito, Aritullam, Ierosolymam & alias vrbes Asiæ occuparunt. Papa Alexander III. diu post persequutionem Ioannæ Barbarossæ huic Ordini magna priuilegia concessit. Postea subortus est error Albigensium, qui Ecclesiam ita turbauit, vt omnes ex hoc Ordine, qui apti essent ferendis armis, cogerentur ire in militiam contra hæreticos. Papa Innocentius III.

in Concilio Lateranensi eundem Ordinem cõfirmauit, & multa ipsi priuilegia propter maxima damna, quibus affectus fuerat, largitus est. Deinde celebratum fuit Concilium generale Mantuæ, quod sanxit, vt fratres huius Ordinis vestem cyaneam gererent, cum prius fuluo vsi essent. Factum hoc est anno MCCCCLX. Clemens VII. ex familia Medicea hunc ordinem reformauit: & anno MDLXVIII. Patres huius Ordinis capitulum generale Bononiæ habuerunt, ad quod Papa Pius V. visitatorem misit, qui postea hunc Ordinem approbauit, & indulgentiis ac priuilegiis auxit, secundum regulam ab Alexandro III. datam, & institutionem Cleti.

De Ordine S. Dominici.

Ordo fratrum Prædicatorum originem accepit à S. Dominico Hispano, vt notum est, qui natus est Calagoræ in diœcesi Osomæ, vbi fuit Canonicus regularis. Deinde in Aquitaniam venit, in qua decem annis vixit, & episcopum Tolosanum in viam reduxit. Inde Romam profectus est ad Concilium Lateranense, sub Innocentio III. cuius supra mentio facta est, à quo impetrauit, vt ordinem, quem vellet, in Ecclesia approbatum eligeret. Ille igitur vna cum XVI. discipulis, quos habebat, regulam S. Augustini amplexus est: & aliquas præterea leges tulit, quę fuerunt confirmatæ ab Honorio III. anno salutis MCCVI. anno primo Pontificatus ipsius, & anno II. Imperii, Friderici II. Postea Tolosam se contulit, vbi fratres hortatus, eos ablegauit, vt bini prædicatum irent, monuitq;, vt nomine & reipsa prædicatores essent. Nam Papa Innocentius ipsis iam permiserat, vt nomen Prædicatorum sibi sumerent.

Hic Ordo magnum fructum protulit per vniuersum terrarum orbem, vsq; ad extremas Indias: diuiditurq; in duas familias, Obseruantiæ & Conuentualium in Italia. Fratres obseruantiæ in duo alia genera subdiuiduntur, Cisalpinorũ & Etruscorum: sed Cisalpini primarium locum obtinent, qui Romæ in Fano Sabinæ habitant, quod fuit olim palatium Pontificum, ab Honorio III S. Dominico assignatum, qui fuit relatus in numerum sanctorum à Gregorio IV. anno MCCXXI.

De Ordine S. Francisci Assisini.

Eodem tempore, quo Dominicus, magnus ille & admirabilis S. Franciscus floruit, natus Assisii in Vmbria, siue Ducatu Spoletano, octo passuum millibus ab vrbe Perusia, qui mercaturam exercuerat vsq; ad annum ætatis XXII. sed graui morbo correptus, in alium hominem transmutatus fuit, & ex superbo humillimus, ex auaro eleemosynarius, ex diuite pauper, ex mundi amatore eiusdem contemtor factus est. Quodam die, cum ad templum S. Damiani venisset, & illud ingressus esset, vt oraret, imago Crucifixi, ante quam precabatur, miraculose illum compellasse, & dixisse fertur: Francisce, abi reparatum meam domum, quæ, vt vides, corruit.

Ex eo vitam ad passionem Domini nostri Iesu Christi conformauit, & cilicium nudo corpori imposuit, cui saccum superiniecit, & fune se cinxit, absq; tibialibus & calceis incedens, vt eo cõtemtibiliorem se redderet: adeo vt nominis ipsi9 fama per vicinas regiones spargeretur. Multi sanctitate ipsius allecti, mundo renunciarunt, & in numerum discipulorũ ipsius se dederunt, paupertatem & mendicitatẽ professi. Quapropter regulam conscripsit, cum pro iis, qui tunc cum ipso sociati erant, tum pro iis, qui sequuturi essent, quam Innocentio III. qui tunc S. Sedem tenebat, obtulit: à quo confirmata fuit, anno salutis MCCXII.

Eadem fuit approbata ab Honorio III. successore Innocentii. Cum illa confirmata fuisset, fratres suos minores appellari voluit, ad testificandam maiorem humilitatem.

Singulare est in hoc Ordine, quod nulla vnquam religio, ab hominibus inuenta tam breui tempore tanta incrementa cepit, quanta hic Ordo, qui vno pæne momento totum mundum complenit, ita vt omnes mirarentur.

Seraphicus iste Franciscus decessit IV. Octob. MCCXXVI. & fuit relatus in numerum Sanctorum à Gregorio IX. anno MCCXXXVI. Præter fratres, quos Minores appellauit, alterum Ordinem Religiosarum instituit, sub ductu S. Claræ.

De Ordine Vallis Scholasticorum.

Ordo Vallis Scholasticorum cæpit in Cam- 31
pania prouincia Galliæ, auctore Doctore Theologiæ, cui nomen Guilhelmo, in Anglia nato. Is longo tempore Lutetiæ scholasticus, postea professor in eadem vrbe & in Burgundia fuerat: tãdem cum suis discipulis & scholasticis in eremum se recepit: quapropter hic Ordo nomen à Valle Scholasticorum accepit, & fuit approbatus à Papa Honorio III. anno MCCXVIII. Inter primos istius Guilhelmi sodales fuerunt Richardus, Euerhardus, & Manasses. Obseruant regulam S. Augustini, & habitum candidum cum cucullo seu pallio nigro gerunt. Cœnobia habent Montibus in Hannonia, Mechliniæ, Louanii in Brabãtia, Gerontsartii in finibus Namurci, Leodii & Hofalizæ, Lutetiæ & Aurelianí, vbi plerunque Ordinis præfectus commoratur.

Ordo Religiosorum pœnitentiæ Iesu, qui institutus à S. Ludouico.

Magnus ille & sanctus Ludouicus, cuius 32
pietas posteritati satis commendari nequit, incitatus à regina Blanca, matre sua, anno MCCLXI. recepit in amplam quandam domum ante palatium sitam in altera ripa Sequanæ

sub

sub ponte S. Michaelis labentis, religiosos pœnitentiæ Iesu Christi, vulgo dictos *Saccarios* seu fratres Saccorum, quia saccis induti erant, eamque illis in perpetuum donauit. Sed non diu in ea habitarunt. Nam anno MCCXCIII. die XIV. Octobr. eam contractu inito cesserunt & tradiderunt fratri Ægidio Romano, qui tunc erat cœnobiarcha generalis Ordinis Eremitarum Augustinianorum, cum dicerent, se sine scrupulo conscientiæ locum illum diutius retinere non posse, propter paupertatem, & quod Ordo ipsorum quotidie decresceret.

Erant quoque religiosæ huius Ordinis, quæ habebant cœnobium Lutetiæ pone S. Andream artium, & Saccariæ vocabantur: sed eiusdem Regis tempore inde expulsæ fuerunt, & plateæ solummodo nomen Saccariarum reliquerunt. Idem Ordo Londini in Anglia viguit, anno MCCLVII. teste Matthæo Parisio, qui eos *Saccatos* nominat.

Ordo Seruorum Virginis.

33 Statim post obitum S. Francisci exstitit Ordo Fratrum, qui Serui beatæ Virginis Mariæ appellantur. Hic originem traxit à septem opulentis mercatoribus Florentiæ, qui cum sodalitio iuncti essent, quod à laudibus benedictæ Virginis nomen habebat, & die quodam Assumtionis precarentur, intellexerunt vocem ipsis mandantem, vt essent instar septem stellarum, & quod paulo post initium daturi essent nouo Ordini, à sancta Matre Dei denominato, suadentemque, vt interea à parentibus se segregarent, & vitam adstrictiorem degerent, ac precibus vacarent: quod exequuti sunt, & assumta nigra tunica in memoriam luctus, quo affecta est sancta Virgo propter mortem filii, se receperunt in altum montem, dictum Senarium, vel Asenæum, octo passuum millibus Florentia distantem, inter sex alios montes situm, vbi vitam admodum austeram egerunt, & totum tempus precibus pro necessitatibus Ecclesiæ impenderunt.

Nomina septem istorum hæc fuerunt: Bonfilius, quem alii Monaldium appellant, Amedeus, Banaionta, Manettus Antellinus, Alexius Falconarius, Sostegnus à Sostegnis, Vgnecionus, ex familia Vgneciorum. Hi cum quodam die Florentiam venissent, petitum eleemosynam, pueri, tanquam numine diuino afflati, clamare cæperunt, date eleemosynam seruis Virginis Mariæ: ex quo iste Ordo hoc nomine fuit appellatus, quem Papa Innocentius VIII. confirmauit.

Quod tunicam nigram & epomidem induerunt, & regulam S. Augustini amplexi sunt, ex reuelatione S. Virginis, vt aiunt, istud fecerunt, septem annis postquam in montem se recepissent: ita vt assumto hoc Ordine primus illius præfectus fuerit Pater Bonfilius: deinde ædificarunt templum & monasterium Annunciationis, celebratum per totam Italiam, vbi conspicitur imago matris Dei, ab Angelis, vt creditur, picta.

Vigintiannis post ipsorum fundationem, quidam dictus Philippus Binitius, cum miraculose hunc Ordinem ingressus esset, tanta gratia à S. Virgine perfusus fuit, vt cum in Gallia, tum Germania se admirabilem redderet, & magnum peccatorum numerum conuerteret: adeo vt fama sanctitatis ipsius & multorum aliorum ex hoc Ordine longe lateq; spargeretur.

Papa Alexander IV. anno MCCLV. confirmauit & approbauit hunc Ordinem, dans fratribus potestatem creandi Generalem, ad imitationem quatuor mendicantium. Hic Ordo ita creuit, vt per totum terrarum orbem diffunderetur.

Anno MCCCCXXVII. Nicolaus Perusinus, Generalis ipsorum, hunc ordinem dispescuit: vnde alii Fratres seruientes Conuentuales, alii Patres seruientes obseruantiæ dicti sunt.

Hic Ordo cæpit anno MCCXXXIII. tempore Gregorii IX. cum Gelphi & Gibellini mutuis cædibus & lanienis in Italia grassari cæperunt, accedentibus terræmotibus, inundationibus & asperrimis frigoribus.

Ordo Cælestinorum.

Qui primus Ordini Cælestinorum præfuit, 34 Petrus appellabatur, cognomento Moronus, Heruiæ, in Samnitum regione, quæ hodie Sergua in terra Labanis dicitur, natus, an. MCCXV. Patri nomen erat Angelerio, & matri Mariæ. A teneris annis deditus fuit austeritati & solitudini. Cum tribus annis in monte vixisset, pœnitentiam ageris, tandem in numerum monachorum receptus fuit in monasterio Ieselino, Ordinis S. Benedicti: vbi aliquandiu commoratus, veniam petiit à suo Abbate, vt in antrum desertum in monte Morono, à quo nomen accepit, se reciperet. Sed cum nimia hominum multitudo vndique ad ipsum conflueret; in montem Salmoneum, qui Magellanus dicitur, secessit, quo cum multi eum sequuti essent, sanctitatis ipsius odore allecti, cæpit ordinem Cælestinorum instituere, exiguo templo in hoc monte condito, quod à S. Spiritu nominauit.

Catenam ferream & asperum cilicium nudo corpore gerebat, assiduis precibus intentus. Ordinem quoq; S. Benedicti reformauit, qui tunc admodum degenerauerat.

Fama sanctitatis ipsius & multorum insignium miraculorum, quæ edidit, statim per totam Europam increbuit, ita vt numerus Cælestinorum plurimum augeretur: cumq; Concilium eo tempore Lugduni in Gallia celebraretur, sub Gregorio X. ex illustri familia Vicecomitum, à S. Patre confirmationem sui Ordinis impetrauit. Inde in Italiam reuersus, primum Capitulum generale sui Ordinis celebrauit. Tandem post obitum Nicolai IV. cum Ecclesia Romana biennium

ciuium Pastore carûisset, creatus fuit summus Pontifex anno MCCXCIV. ætatis suæ LXXIX. tametsi modis omnibus hoc munus euitare conatus fuisset: quod etiam sex tantum mensibus sustinuit, & eo postea vltro se abdicauit: quanquam nonnulli dicunt, istud factum astu Bonifacii III. successoris ipsius, qui ipsum sine omni causa ad perpetuum carcerem in arce S. Simonis, vt hodie cognominatur, damnauit: quo decem mensibus, vel vt alii referunt, duobus annis detentus fuit, edens miracula, prædicens futura, & Deum orans pro successore. In illo carcere mortuus est, his verbis Psalmistæ prolatis: *Omnis anima laudet Dominum.* Postea à Clemente V. in numerum sanctorum fuit relatus. Hic Ordo diuisus est in XIII. prouincias, per Galliam, Germaniam & Italiam. Hodie CXX. monasteria occupat.

Ordo Religionis montis Oliueti.

Anno Domini M CCC XIX. cum Romæ sederet Ioannes XXII. & in Germania imperaret Henricus VII. Ordo montis Oliueti institutus fuit à tribus nobilibus Senensibus, quorum primus vocabatur Bernardus Ptolomæus, alter Ambrosius Piccolomineus, tertius Patricius à Patriciis: qui persuasi à Bernardo se receperunt in montem Oliueti, situm in Comitatu Montaleinensi, vbi manserunt, vt pœnitentiam agerent. Delati fuerunt ad Pontificem, quod nouarum superstitionum auctores essent: qui cum eos audiuisset, misit ipsos ad Guidonem Petrammalam, episcopum & dominum Aretinum, sub cuius diœcesi mons ille Oliueti erat. Antequam autem illi ad ipsum venirent, in visione oblata ipsi fuit Virgo Maria, magna multitudine Angelorum stipata, quæ ipsi togam candidam & commentarios S. Benedicti porrexit. Ille igitur ipsis habitum candidum dedit, in templo sanctæ Trinitatis, cum regula sancti Benedicti, sub protectione Virginis Mariæ.

Postea elegans monasterium in monte Oliueti exstruxerunt. Præfectus Ordinis à claustris nomen habuit: atque hic Ordo non latius patet, quam Italia, habens LX. monasteria, & amplius. Olim calopodia pedibus gestabant: nec diu est, quod nouicii ipsorum in monte Oliueti ea gestare tenebantur; sed exinde plus libertatis sibi indulserunt.

De Ordine Isuastarum S. Hieronymi.

Ordo Isuastarũ S. Hieronymi originem traxit à S. Ioanne Columbino, nobili Senensi, ex illustrissimis vrbis familiis, qui anno M CCC LV. ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiæ ad Deum conuersus fuit: cuius conuersionis modum hoc loco referre prolixius foret, quam breuitas huius nostri Compendii patitur.

Sed cum tandem ab vxore id impetrasset, vt sibi liceret in castitate viuere, miraculum leprosi, quem domum adduxit, & illius curæ commisit, eam impulit, vt vltro castitatis voto se obstringeret, & omnia sua bona pauperibus erogaret.

Nam loco leprosi nihil aliud reperit in cubiculo, in quo ipsum reliquerat, quam fragrantissimum odorem: ita vt ambo crederent, fuisse Dominum nostrum Iesum Christum, qui in forma leprosi ipsis apparuisset: & societate inita cum Francisco Vincentio viro in eadem vrbe Senensi spectatissimo, biennium vitam admodum austeram & contemplatiuam egerunt: ita vt multi se ipsis adiungerent, & LXX. in suo cœtu numerarent, quorum plerique erant litterati. Quod videns Columbinus Papam supradictum Viterbii adiit, anno M CCC LXVII. quamuis eum iam ante Toscanellæ conuenisset. Nam ipse & socii apud eum delati fuerant, quod errore Fraticellorum imbuti essent. Sed cum examinati fuissent ab inquisitore, præsente Cardinali Massiliæ, & per calumniam accusati comperirentur, S. Pater eos admisit, voluitque, vt omnes candido panno vestirentur, & habitum illum suis sumptibus conficiendum curauit, quem propriis manibus ipsis tradidit. Inde in oppida & pagos, iussu Pontificis, se contulerunt, & primum protectorem habuerunt Cardinalem Auenionensem, fratrem Pontificis.

Factum hoc est anno M CCC LXVII. die S. Ioannis Baptistæ. Quod ad nomen Iesuastarum attinet, Paulus Mauritius affirmat, illud non propterea ipsis inditum fuisse, quod nomen Iesu sæpe in ore haberent, sed pueros, spiritu prophetico actos, quando eos videbant, illos hoc nomine appellasse.

Hinc igitur Iesuastæ dicti: & S. Ioannem Columbinum quodam die spiritu prophetico ad fratres suos dixisse ferunt: Quidquid agamus, Iesus Christus sua potentia sanctum suum nomen nobis dedit.

Et quoniam regula ipsorum, quæ Augustini regulæ subest, non est vulgaris, non alienum forte erit eam hoc loco referre, sicut ab eodem Paulo Mauricio describitur.

Principio tantum CLXV. Orationes Dominicas, & totidem salutationes Angelicas recitare tenentur: ter Oratorium ingrediuntur, & singulis vicibus certum precum numerum proferunt: à quo nemo ipsorum exemtus est.

Inter mane & vesperam quinque vel sex horarum spacio precibus vacant. Precibus finitis cœnobiarcha illis quotidie aliquid prælegit: deinde conciunculam habet: qua absoluta, mente paullisper precantur. Præterea, quisque se ipsum quotidie, exceptis tribus præcipuis anni feriis, bis in suo Oratorio castigat, semel sub diluculum, deinde quadam hora noctis. Nunquam intermittunt, qualicunq; tempore, quin bis templum ingrediantur, & cereũ in altari accendant: deinde seorsum precantur pro Ecclesia & iis, qui erga ipsos benefici fuerunt, inprimis pro anima eorum, quorum gratia multas eleemosynas acceperunt. Adhæc singulis diebus Lunæ, nisi festũ aliquod incidat, omnes in communi peracto Missæ sacrificio, certos Psalmos alias-

que preces in choro pro animis defunctorum canunt. Similiter singulis diebus Sabbathi sub vesperam, postquam omnes delicta sua agnouerunt, preces concipiunt pro quibusuis, tam fidelibus, quam infidelibus, quemadmodum Ecclesia Romana sacro die Veneris facere solet. Quotiescunque oratorium ingrediuntur, quinque Orationes Dominicas & totidem Salutationes Angelicas recitant, in honorem & commemorationem passionis Domini. Missam non canunt, exemplo veterum monachorum.

Officium Virginis, quod tamen fere omnes recitant, mortuorum, septem Psalmorum pœnitentialium, & omne aliud officium non ex obligatione, sed deuotione tantum recitant.

S. Ioannes Columbinus etiam instituit Ordinem Religiosarum Iesuastarum, inter quas præcipua fuit bona & sancta Catharina Senensis, cognata Columbini. Apud Lucenses monasterium est, quod Iesuastarum S. Iosephi appellatur.

Quod Iesuastæ S. Hieronymi vocantur, inde fit, quod sub initium Ordinis ipsorum hoc magnum & illustre speculum pœnitentiæ ac religiosorum lumen patronum sibi elegerunt: & tanta erat huius sancti viri veneratio, vt omnia fere sua templa & oratoria de ipsius nomine appellarint. Adhæc Papa Alexander VI. bulla quadam sanciuit, ne Iesuastæ simpliciter, sed Iesuastæ S. Hieronymi dicerentur.

De Canonicis regularibus S. Seruatoris.

37 Ordo temporum postulat, vt post Iesuastas de Canonicis regularibus S. Seruatoris loquamur, quorum origo ad Eliam refertur.

Duobus à Bononia milliaribus olim fuit collegium Canonicorum Ordinis S. Augustini, quod vocabatur S. Mariæ Rhenanæ; quo destructo à Ioanne Vicecomite Duce & archiepiscopo Mediolanense, cum occuparet Bononiam, Canonici coacti fuerunt in vrbem se recipere in monasterium S. Seruatoris, quod diu ante conditum fuerat in memoriam magni miraculi, quod acciderat in imagine Crucifixi in vrbe Baruc in Syria, viuente Athanasio episcopo Alexandrino, anno DCC LXXXV. die VI. Nouemb.

Ea tempestate fuit Stephanus quidam Senensis, ex Ordine Eremitarum Licetræ, qui locus tribus circiter millibus passuum Senis distat: de cuius sancta vita Papa Gregorius XII. certior factus, cum perspectum haberet ipsius & sociorum desiderium instituendi Ordinem canonicum, tribus Cardinalibus negotium dedit, vt Stephanum & fratrem Iacobum habitu Canonico induerent: quod ab ipsis factum fuit Lucæ, XXIV. April. M CCCC VIII. Cum idem Stephanus postea eundem habitum multis Licetensibus contulisset, nomen S. Seruatoris assumserunt, propterea quod locus in quo prius habitum Eremiticum acceperant, eo nomine appellaretur. In hoc Collegio S. Seruatoris, de quo ante diximus solus manserat Guillielmus, qui audita fama Stephani & Canonicorum ipsius, cum Ordinem istum Canonicum instauratum videre cuperet, Stephanum accersiuit. Sermone inter ipsos habito procuratorem miserunt ad Papam Martinum V. ex familia Colomniorum, qui successerat Gregorio. Is audita petitione ipsorum mandata dedit Nicolao Dalbergatio, tunc episcopo Bononiensi, qui postea creatus fuit Cardinalis S. Crucis à Papa Eugenio IV. vt ipsos voti compotes faceret.

Tunc conuentum S. Ambrosii Gobrensis & S. Mariæ Rhenanæ cum Canonicatu S. Seruatoris Bononiensis coniunxit: quod confirmatum fuit auctoritate Apostolica, sicut testantur literæ Pontificiæ, V. Iulii M D XVIII. datæ: & ipsis permissum fuit celebrare Capitulum generale, per Bullam datam Mantuæ X. Decembr. anno secundo Pontificatus Martini V. Postea cœnobiis aliquot coniunctis hic Ordo nomen congregationis vsurpauit; & vocabatur Ordo Canonicorum S. Seruatoris. Nihilominus à Florentinis dicti fuerunt Scopettini propter S. Donatum Scopettinum, qui ex hoc Ordine fuit. Sed hoc erat quartum cœnobium; nam alterum illud primum fuit: ideoque vsitatius appellati fuerunt Canonici S. Seruatoris.

Ordo S. Petri Pisani.

Canonicos S. Seruatoris sequitur Ordo con- 38
gregationis S. Petri Pisani, qui fuit ex familia Gambacurtiorum, ex illustrissima gente huius vrbis.

Hic cum in animum induxisset, vitam eximii illius Doctoris S. Hieronymi imitari, multos illico nactus est discipulos, cum quibus secessit in conuentum Vrbani, in colle amœno, qui Mons bellus appellatur, & iucundo nemore cingitur, situm. Illic paruum templum condidit, quod à sancta Trinitate denominauit, cum paucis aliquot ædibus, forma monasterii structis. Ipse & discipuli opere manuum victum quærebant, & omnia habebant communia, nullam celebrantes Missam, sed precibus assiduis vacantes. Bonus hic Pater voluit, vt sui sectatores, vocarentur Eremitæ sancti Hieronymi; quo nomine hodieque appellantur, nisi quod nomen congregationis sancti Petri Pisani additur. Hæc congregatio tam bene fatificauit, vt etiamnum habeat XXXVII. monasteria in sola Italia: nam extra eam nullum habet.

Vestiuntur tunica, & zona pellicea cinguntur. Supra tunicam pallium gerunt, cui epomidem iniiciunt. Quando per vrbem incedunt, pallio illo vtuntur: & totus ipsorum habitus est coloris fului.

Papa Pius V. voluit, vt Ordinem profiterentur: nam prius ipsis exire, & quocunque vellent ambulare licebat. Hic ordo cæpit anno M CC-CLXXX.

Ordo

Ordo Congregationis S. Hieronymi Fesulani.

39 Congregatio sancti Hieronymi Fesulani, aliquanto post tempore cœpit, nempe anno MCCCCVI. tempore Papæ Innocentii VII. auctore quodam Carolo Comite Grauellano Florentino, qui, instinctu Dei, in montes concessit, in quibus olim sita fuit antiqua vrbs Fesulæ, à Florentinis destructa. Habitum sumsit eremitæ, & cum eo Rhedon Grauellanus, & Gualterus Marsius: qui non diu illic commorati sunt, quin multi se ad eos aggregarent, quibus regulam præscripserunt, quam Papa Gregorius XII. qui tunc sanctam sedem tenebat, approbauit. Is alium habitum ipsis dedit, coloris cinerei: & illi super cucullum zona pellicea se cingebant: subtus gerebant pallium pellitum, & à pectore scissum. Tunc calopodiis vtebantur, quæ postea abiecerunt. Et quoniam dicebantur authores tertii Ordinis S. Francisci, vt quidam existimant, habitus cinereus ipsis fuit datus, quem hodieque gerunt.

Extra Italiam non se extendunt, in qua XXX. vel XL. monasteria habent: qui Mediolani habitant, fratres S. Annæ vocantur.

Ordo Congregationis S. Gregorii.

40 Anno MCCCCVII. cum Romæ sederet Papa Gregorius XII. & imperium teneret Rupertus Bauarus, initium cepit congregatio S. Georgii, quæ auctorem habuit Antonium Gorraram, nobilem Venetum, qui fuit ex societate Clericorum regularium Iesuastarum S. Hieronymi, cuius fratres gestabant calopodia, & victum mendicabant. Hic regulas quasdam ipsis dedit, à Gregorio VII. confirmatas, quia lias quasdam addidit. Quod etiam fecit sanctus Laurentius Iustinianus, primus patriarcha Venetus: qui idem officium in hoc Ordine gessit, quod olim sanctus Bernardus in ordine Cistercensium.

Qui sunt ex hoc Ordine, subtus gerunt vestem ex panno candido, instar casiolæ, à pectore orbiculis refertam: desuper togam cæruleam gestant, cum pileo in capite, & capitio eiusdem coloris, quod humeros tegit.

Viuunt in commune: præfecti ipsorum cœnobiarchæ vocantur, & Generalem creant. Non solebant Ordinem profiteri: sed si quis inter ipsos, postquam aliquandiu in Ordine fuisset, mutabat voluntatem, certam pecuniæ summam illi dabant: eumque more presbyteri secularis vestitum dimittebant, ac quocunque vellet, ire sinebant. Sed Papa Pius V. anno MDLXX. sanciuit, vt omnes solennem professionem ederent: sicut iam faciunt: ita tamen vt priuilegiis ipsorum atq; Ordini ac loci prærogatiuæ in processionibus publicis nihil derogaretur.

Sunt tamen quatuor etiamnum huius Ordinis monasteria, in quibus fratres suo more viuunt, Capitula habentes, & creantes cœnobiarchas, prout ipsis videtur. Quamuis autem quatuor tantum cœnobia possideant: tamen suum Generalem habent. Horum monasterium præcipuum est Lo-antiquum.

Ordo Congregationis S. Iustinæ.

41 Congregatio Montis Cassini, quæ originem suam traxit à Ludouico Balbo, nobili Veneto, cæpit in monasterio S. Iustinæ: & inde fuit dicta congregatio S. Iustinæ, anno salutis MCCCCX. sub Papa Ioanne XXIII. cum Sigismundus Imperium in Germania teneret. Martinus V. & Eugenius IV. PP. cum viderent, hanc societatem indies sanctitate vitæ proficere, ei multa priuilegia largiti sunt: quæ causa fuit, vt multis viris doctis repleretur.

Postea cum Abbatia Montis Cassini aucta fuisset, quæ erat prima & maxime honorata inter omnes S. Benedicti institutum obseruantes, nomen ab ea sumsit, & fuit vocata congregatio Montis Cassini.

Atque ita omnes isti monachi atri, qui viuunt sub obseruantia, sunt veri & primi monachi S. Benedicti, qui sæpius fuerunt destructi & reformati.

Cæterum Ordo S. Benedicti non tantum opibus, quæ præcipua causa ruinæ ipsius fuerunt, sed etiam numero hominum & monasteriorum ita creuerat, vt triginta tria millia Abbatiarum, & quatuordecim millia præfecturarum & cœnobiarchatuum habuerit. Cum Ordo S. Iustinæ postremo reformaretur, adeo degenerauerat, vt nomen monachorum S. Benedicti fere omnino extinctum esset. Verum postea ita multiplicatus fuit, vt plus quam mille abbatias habeat, cum in Italia, tum in Hispania, quæ viuunt secundum hanc reformationem.

In his multi sunt, qui præterquam quod regulam S. Benedicti obseruent, studiis, disputationibus publicis & concionibus operam dant, sicut Monachi mendicantes: quod ipsis magnum honorem & venerationem in regionibus illis conciliat.

De Fratribus S. Ambrosii.

42 Prima fronte quibusdam videbitur magis conuenire, vt fratres S. Ambrosii Siluani inter antiquissimos ordines referrentur, quam vt eorum nunc demum mentio fieret. Verum hoc primum tempore se diffuderunt, & eorum forma magis apparuit: cum ipsorum origo fuerit obscura, quæ tale initium habuit. In suburbio Mediolanensi ad portam Comensem, vbi nunc est templum S. Ambrosii Siluani, olim silua fuit amæna & densa, in cuius meditullio paruũ quoddam sacellum fuit, in quo depicta erat imago Virginis Mariæ. Iuxta illud riuulus aquæ limpidæ labebatur, qui ex pulchro fonte profluebat. Atq; hic fons hodie etiamnum in tanta veneratione habetur, vt multi religionis ergo ex eo bibant.

In hoc nemore tres nobiles Mediolanenses habitabant, qui eremitarum instar viuebant. Primus appellabatur Alexander, ex illustri familia Criuellorum: secundus, Albertus Bozos-

sus, & tertius Antonius Petræ sanctæ: vnde fit, vt qui sunt ex hac familia Petræ sanctæ aliquid iuris habeant in monasterio, quod Casterium appellatur.

Eodem tempore, quo hi in sua solitudine viuebant, admirabilis S. Ambrosius Mediolani inclarescebat: qui audita fama de genere vitæ horum hominum, eos postea sæpe inuisit, & interdum biduum apud eos mansit, quod precibus & colloquiis de rebus diuinis impendit.

Illo mortuo, multis annis in eo loco manserunt, & successu temporis, quod incertum est, habitui eremitico, quem gestabant, patientiam & cucullum addiderunt, & regulam ac professionem S. Augustini assumserunt.

Mediolanenses postea ipsis monasterium eodem loco exstruxerunt, in honorem S. Ambrosii: & illud vocarunt monasterium S. Ambrosii Siluani, propterea quod hic vir sanctus, cum viueret, hunc locum frequentabat. Ex eo diuersis locis, atque etiam in Ducatu Mediolanensi, pullularunt.

Habent Visitatores & Cœnobiarchas, & singulis tribus annis eo ipso loco, in quo originem habuerunt, Capitulum generale celebrant. Multa loca tenent, in quibus sacrum peragunt secundum regulam S. Ambrosii.

De Monachis Eremitis S. Hieronymi.

43 Idem potest dici de Ordine Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, de quo supra aliquid diximus. Sed is postea reformatus est à Lupo Solmeta Hispano, viro docto, qui cum Romam venisset, facultatem obtinuit hunc Ordinem reformandi, & impetrauit à Pontifice templum sancti Alexii Romani, situm in monte Auentino cum locis circumiacentibus, & omnibus illius reditibus ac prouentibus. Is monachis illis formam & regulam viuendi secundum institutum Apostolorum præscripsit, quam ex operibus S. Hieronymi excerpserat.

Quidam aiunt, illos initium cepisse à tempore Eusebii Cremonensis, discipuli S. Hieronymi: & monachos Garda-Lupi in Hispania, qui regulam ipsorum sequuntur, ab illo forte Lupo reformatos fuisse: cumque postea viderent, suum Ordinem dissolui eum denuo reformasse: & Lupum hos ab illis distinxisse, & nouum ex his Ordinem instituisse. Tunicam candidam gerunt, cum epomide coloris Bætici. Quando per vrbem incedunt, cucullum gerunt à pectore clausum, more monachorum, eiusdem cum epomide coloris.

Lupus Oliuetanus obiit anno MCCCCXXXIII. anno tertio Papæ Eugenii IV. Hic Ordo habet in Italia circiter XX. monasteria, quorum præcipuum est Xenodochium Lodeianum in Gallia Cisalpina. Habebant in Hispania sex monasteria, quorum caput erat monasterium S. Isidori, distans milliari ab vrbe Hispalensi. Profitentur & obseruant regulam S. Augustini.

De Ordine Calogerorum, instituto à S. Bernardino.

Anno M CCCC. qui fuit Romæ Iubilæus, 44
Senæ & aliis vicinis locis grauis pestilentiæ lues grassata est, qua tanta hominum multitudo periit, vt Senæ siue propter eorum, qui supererant, paucitatem, siue propter metum contagii nemo reperiretur, qui vellet pauperes ægrotos in nosocomio curare.

Tunc Senæ viuebat S. Bernardinus, cuius pater Patricius & mater Nona appellabatur. Illa nobili genere, Massæ Marannæ, oppido vicino, & Senæ subiecto, nata erat.

Hic vir sanctus, ardenti charitate impulsus, in nosocomium iuit, & omnium ægrotorum, peste infectorum, curam suscepit, neque inde recessit, priusquam lues illa cessaret. Annum tum agebat vigesimum: inde in siluam se recepit, vbi cum aliquandiu austere admodum vixisset, tandem Religiosis Ordinis Fratrum Minorum se adiunxit, nihil secum afferens præter simplicem habitum, & funem, quo se cingeret. Cumq; sanctitas & zelus in illo Ordine iam repescere inciperet, operam dedit, vt prima illius instituta obseruarentur, sublatis omnibus, quæ in eum irrepserant, corruptelis. Atque ita eum reformauit, & effecit, vt Fratres in commune viuerent, nec quicquam proprii haberent, institutioni patris ipsorum S. Francisci simpliciter insistentes: qua in re adiutus fuit à multis, qui nouam ipsius reformationem sequuti sunt. Alii vero deserere noluerunt, quod cura & labore acquisiuerant.

Hinc est, aut saltem verisimile videtur, quod Ordo S. Francisci geminus est, nempe Conuentualium, & Obseruantium, qui se Calogeros nominant. Hic Ordo postea tanta incrementa cepit, vt alios Ordines numero longe superet. Factum hoc est sedente Papa Eugenio IV. & imperante Friderico III.

De Ordine Minimorum.

Circa annum M CCCC L. Ordo Minimo- 4
rum florere cæpit, auctore S. Francisco Paulense, qui sic cognominatus fuit ab arce Paulense, in qua natus fuerat, quæ sita est in regno Neapolitano inter Bressam & Lucaniam, quæ hodie Principatus appellatur, prope Calabriam, & triginta passuum millibus à celebri vrbe Cossentia distans.

Patri nomen erat Martetilo, & matri Vienna. Ipse à teneris annis ad austeritatem propendebat, & vita religiosa inprimis delectabatur. Postea cum ad ætatem virilem peruenisset, in animum induxit templum condere cum quibusdam tuguriis ad habitandum. Itaque, permissu Pyrrhi Archiepiscopi Cossentiæ, & vicinorum ope, cogitata perfecit, atque exstructo monasterio non diu fuit, quin haberet magnum numerum discipulorum & discipulatum. Quapropter tres regulas conscripsit, vnam pro fratri-

frattibus, alteram pro sororibus sui Ordinis, quarum vtramque in decem capita distribuit: tertiam pro professis seu palliolatis. Suos voluit dici Minimos Minorum; & inter alia ieiunium Quadragesimale sedulo obseruare, ne vescerentur carne, ouis, butyro, lacticiniis, quamdiu viuerent, excepto casu necessitatis. Voluit etiam vt panno Bætici coloris vestirentur, cum cucullo eiusdem coloris, qui vsque ad cingulum dependet: & vt fune eiusdem coloris cingerentur. Qui sunt presbyteri, eum quinque simplicibus nodis intortum gerunt sed clerici, nouitii & oblati ad differentiam presbyterorum cucullum habent vsque ad funem propendentem, & funem tribus tantum nodis intortum.

Ludouicus XI. rex Galliæ, qui tunc regnabat, Pontificem Sixtum IV. rogatum misit, vt hunc sanctum virum ad se mitteret: quod ille fecit: & is Cæsarodunum Turonum ad Regem venit, qui ipsi templum & monasterium, quod hodieque Plessiaci prope illam vrbem est, exstruxit. Hic Ordo in Galliam & Hispaniam se diffudit. In Gallia Cisalpina nusquam locum habet, nisi Mediolani.

De Congregatione Amedæorum siue Amicorum Dei.

Eodem, quo S. Franciscus Paulensis, tempore, viuebat vir sanctus Amedæus, natus in Lusitania, qui habitu Eremitæ in Galliam Cisalpinam venit, vbi in loco, qui à S. Maria nomen habet, in agro Brefanensi versus Cremonam, ad Ducatum Mediolanensem pertinente, substitit, & Congregationi suæ initium dedit.

Inde post aliquod tempus Romam profectus est, & habitauit in monte aureo, qui hodie dicitur S. Petri in Montorio, vbi Princeps Apostolorum capite inuerso crucifixus fuit, & hodie elegans admodum monasterium huius Ordinis conspicitur.

Erat ille admodum contemplatiuus, multasque habuit visiones propheticas, & res futuras prædixit.

Ab ipso hic Ordo Amicorum Dei siue Amedæorum nomen accepit. Vestitum habent cinerei coloris, & calopodia gestant sine caligis: fune cinguntur, quemadmodum Calogeri. Hodie XXVIII. cœnobia in Italia possident: neque enim extra eam se extendunt.

Ordo iste cæpit anno MCCCCXC. Sed Papa Pius V. eum cum Clarouallensi & Calogerorum, qui sunt ex Obseruantia S. Francisci, Ordine coniunxit.

Ordo Apostolinorum aut Barnabitarum.

Congregatio Apostolinorum seu fratrum Apostolorum originem ducit à S. Barnaba Apostolo, qui cum venisset Mediolanum, primus illic Missam celebrauit.

Illic non contemnendum discipulorum numerum congregauit, qui secundum consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ viuebant. Hi, dum viueret, dicti sunt discipuli Christiani: post mortem ipsius Apostolini nuncupati fuerunt: hodie vero fratres Apostolorum seu Barnabitæ appellantur. Diu hac illac dispersi fuerunt, nec celebrabant Missam, sed vacabant solummodo precibus, & in commune viuebant, vt moris erat in primitiua Ecclesia. Sed anno MCCCCLXXXIV. Innocentius VIII. ab illis rogatus ipsis permisit, vt Missam celebrarent, & habitum dedit, nempe epomidem & patientiam, vna cum altera consuta, & zonam pelliceam, præcipiens ipsis, vt Ordinem profiterentur, & regulam Augustini obseruarent.

Eadem priuilegia ipsis concessit, quæ Augustinianis. Cucullum gerunt ex panno fuligineo, cum patientia & epomide eiusdem coloris: atque ita incedunt in publico, nulla alia veste superimposita; nisi quod in hyeme pallium eiusdem coloris gerunt, ad imitationem Calogerorum S. Francisci. Habent capitula, & præfectus ipsorum Vicarius generalis appellatur.

Primi huius Ordinis, qui Missam celebrarunt, fuerunt, F. Simon Moranus, F. Ioannes Scarpius, & F. Nicolaus Cesterius Genuensis.

De Ordine Capucinorum.

Initii Ordinis Capucinorum hæc occasio 48
fuit. In Marca Anconitana sub iurisdictione Firmæ arx est, quæ Mons-falconis appellatur. In ea Dominicani monasterium habent. Illic Religiosus erat, cui nomen Matthæo Bascio, vir sanctæ vitæ & piarum legum obseruantissimus. Quodam die cum ipse & quidam ex eius sodalibus in quendam locum vicinum iuissent, vt sacro officio interessent, eo peracto, & omnibus in monasterium redeuntibus, ipse solus à tergo mansit. Sodales autem ipsius inuenerunt hominem pauperem, seminudum, in terra iacentem, & frigore trementem, quia hyems erat, & nix alta iacebat. Hic cum ab ipsis parum panni, quo se tegeret, eleemosynæ loco petiisset, nullum ab ipsis responsum accepit. Frater autem Matthæus superueniens, & videns miserum hunc hominem, misericordia motus, ac metuens, ne frigore interiret, duo panni segmenta, quæ ex instituto Ordinis sub vestibus ferebat, ipsi dedit: postea progressus versus monasterium non sine stupore animaduertit, hominem illum euanuisse, nec amplius apparere.

Hinc animum istius boni viri cogitatio subiit, quod paupertatem professus esset, & nihilominus alios se pauperiores videret: ex quo inferebat, se non esse verum imitatorem S. Francisci, nec obseruare, quæ promisisset, cum regulam ipsius amplecteretur. Itaque ab eo tempore noctes & dies assiduis precibus Deum sollicitauit, vt posset votum, quod nuncupasset, implere.

Post multa lamenta diuinitus admonitus fuit, vt antiquam suorum patrum, qui primitus S. Francisci institutionem sequuti fuissent, consuetudinem & disciplinam instauraret. Itaq; cucullum maxime obsoletum & lacerum assumsit, cui capitium ea forma, quam hodie gerunt, assuit. Deinde, nemine compellato, Romam profe-

ctus, Clementem VII. adiit, & veniam ab ipso petiit talem habitum gestandi, qualem S. Franciscus & ipsius socii initio gestassent: quod nullo negotio obtinuit, Pontifice ter ipsi dicente, se velle, vt hæc regula ad amussim obseruaretur. Aliquanto post tempore quidam F. Ludouicus cum suo fratre, ambo Dominicani Fossæbonæ, oppidi in Marchia & Ducatu Vrbinate, zelo obseruandi suam regulam incitati, monasterio suo exierunt, & se Matthæo associarunt. Sed vt res firmior esset, & minus scrupuli haberet, Ludouicus Pontificem accessit, & diploma ab eo obtinuit, vt non solum habitum gestaret, & regulam obseruaret, sed in eandem etiam, quemcunque vellet, admitteret: quod factum est anno MDXXVI. die XXVIII. Maij, anno tertio Pontificatus Clementis VII. Itaque breui tempore duodecim fratres se consociarunt: quorum primus præfectus fuit Matthæus.

Primum monasterium, quod habuerunt, fuit in vrbe Cameria in Marchia, quod ipsis datum fuit à Catharina Cibo Ducissa Camertina.

Hic Ordo ita creuit, vt Ipario XLII. annorum CCXXII. monasteria numeraret, in quindecim prouincias diuisa, in quibus erant bis mille ducenti quadraginta Religiosi.

Præter hos alii sunt reformati ex Ordine S. Francisci, vt Clarini, Clarmenses, Recollecti, qui peculiare quoddam genus vestitus gerunt: de quibus infra aliquid dici poterit.

De Ordinibus Obseruantiæ S. Augustini.

Quamuis supra disseruerimus de origine Religiosorum, qui militant sub regula S. Augustini: tamen non ab re erit, si de Ordinibus, qui secundum hanc regulam sub nomine & titulo Obseruantiæ viuunt, aliquid dicamus.

1. *Ordo illius Obseruantiæ, Congregatio Lucettæ.*

Primus est Congregatio Lucettæ. Hic locus Sena distat circiter tribus passuum millibus, & olim Lissietta Foltigana appellabatur: vbi monasterium exstructum fuit S. Seruatoris, quod postea dictum fuit S. Seruatoris Lucettæ in silua ad lacum. Lacus iste habitatus fuit ab eremitis S. Augustini, ab anno ML. Hic locus sanctitatem suam & paupertatem semper conseruauit: cumq; esset admodum secretus, contemplationi aptus erat. Bartholomæus Venetus huic Ordini egregias leges dedit, anno MCCCLXXVII. Idem postea fecerunt M. Nicolaus Cassinus, & M. Gerardus Ariminensis, ambo cœnobiarchæ generales huius Ordinis, qui postea crescere cæpit: adeo vt hodie XI. cœnobia habeant, cum in agro Senensi, tum Florentino: nec vllum est ex illis, in quo non ad minimum sint centum religiosi.

2. *Ordo eiusdem Obseruantiæ, Congregatio Carbonariæ.*

Secunda congregatio Obseruantiæ Eremitarum est Carbonaria in Campania, quæ hodie terra laboris appellatur. Congregatio illa hoc tempore S. Ioannis Neapolitani vocatur. Author illius fuit F. Simon Cremonensis, præstans philosophus & Theologus sui temporis, quod fuit anno MCCCXCIX.

3. *Congregatio Perusina.*

Congregatio Perusina, aliter dicta S. Marci ad populum, in prouincia Vmbriæ, cæpit anno M CCCC XXIV. & XV. circiter monasteria habet. Congregatio Lombardiæ, ita nominata ab iis ipsis, qui eam sectantur, cæpit anno MCCCC XLIV. auctore bono quodam Patre, cui nomen Ioanni Roccæ Ticinensi, & alio fratre Georgio Cremonensi in arce Crania. Hæc congregatio maxima & celeberrima est omnium, quæ sunt ex Obseruantia Eremitarum, cum propter magnum numerum eorum, qui sunt in hoc Ordine, tum propter ipsorum doctrinam & frequentes conciones. In hac congregatione sunt LXVIII. monasteria satis bene constituta.

4. *Ordo S. Mariæ Montis Ortonensis.*

Congregatio S. Mariæ Montis Orto-nensis, quæ abest ab vrbe Pudona circiter quinque passuum millibus, instituta fuit à viro docto, cui nomen F. Simoni, nato Camernii, quod oppidum est in Marca Dauernana. Tantum tria cœnobia habet, & cœpit anno MCCCCLX.

5. *Ordo Baptistarum.*

Congregatio Baptistarum, sic dicta propter fratrem Baptistam, qui eam instituit, initium habuit anno M CCCC LXXXIV. Gestant illi calopodia, & Genuenses quoque appellantur, quia primus huius Ordinis auctor fuit Genuensis.

6. *Ordo Congregationis Eremitarum, quæ dicitur Apula.*

Congregatio Eremitarum Apula dicta, alio nomine Dulcicula, originem suam habuit in Apulia, auctore Felice Apulo, anno MCCCCXCII.

7. *Ordo Zumpamensis.*

Ordo Zumpamensis institutus fuit in Calabria anno M D II. à quodam Francisco Zumpama Calabro, qui eo tempore propter suas virtutes in magno honore & pretio erat.

8. *Ordo S. Augustini in Dalmatia.*

Eodem anno cœpit congregatio S. Augustini in Dalmatia, quoniam initium habuit in Sclauonia. Quatuordecim post annis noua Eremitarum congregatio in Germania orta est, quæ dicta fuit Congregatio Andreæ prolis Germanicæ.

9. *Ordo S. Pauli primi Eremitæ.*

Postrema congregatio huius Ordinis fuit S. Pauli

Pauli primi Eremitæ, quæ eodem quo reliquæ habitu vtebatur, & cæpit anno M.CC.L. Sunt monasteria huius Congregationis in Italia & Hispania: attamen quatuor tantum in continio vrbis Romæ inueniuntur. Ex his congregationibus Eremitarum Obseruantiæ paucæ in Italia notæ sunt, præter eam, quæ Lombardiæ dicitur. Hæc enim inter omnes eminet. Conuentualium autem non solum per Galliam, Italiam, Hispaniam, Belgium & Germaniam diffunditur, sed etiam vsq; in nouum orbem penetrauit.

Congregatio S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria.

Congregatio S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria cæpit in monasterio S. Iacobi Patachii in Hungaria, auctore Strigonensi quodam, cui nomen Eusebio, qui cum suis sociis certam regulam & viuendi rationem obseruabat, à Bartholomæo episcopo Quinqueclesiensi ipsis præscriptam, anno Domini MCCXV.

Aliquanto post tempore, cum hæc Congregatio numero creuisset, à Papa Vrbano IV. petierunt, vt sibi daret regulam sancti Augustini: quod tamen ab ipso obtinere non potuerunt.

Quod videns Paulus episcopus Vesprinensis eam, qua hodie vtuntur, viuendi formam ipsis præscripsit, anno MCCLXIII. & tunc Ordo ille dici cæpit Congregatio S. Pauli primi Eremitæ. Postea anno M.CCC. primum suum Cœnobiarcham generalem crearunt F. Laurentium Strigonensem.

Octennio post Ordo fuit confirmatus à Cardinali, quem Papa Clemens V. legatum in Hungariam miserat, cuius nomen erat Gentilis de Monte-florido, & olim fuerat ex Fratrum Minorum numero. Hic sociis illius Congregationis dedit regulam S. Augustini, & facultatem condendi leges, & habendi Capitula generalia: quod accidit VI. Decembr. MCCCVIII. in monasterio S. Laurentii prope Budam.

Postea Ioannes XXII. in S. Sedem euectus confirmauit Ordinem, eumque in tutelam S. Sedis Apostolicæ recepit. Ab eo tempore mirum in modum crescere cæpit, non tantum numero, sed etiam sanctitate vitæ, ita vt in Hungaria pro sanctissimis religiosis, qui in toto regno essent, haberentur.

Tempore Nicolai V. templum S. Stephani Rotundæ, quod est Romæ in monte Cælio, ipsis à S. Sede donatum fuit, cum omnibus illius reditibus: & plus quam CXX. annis illic habitarunt, nec aliud in Italia cœnobium habent, quam istud, in quod tantum Hungaros, nullum autem Italum recipiunt. Vestitum candidum gerunt, cum epomide ampla & rotunda, quæ plus quam humeros ipsorum tegit.

Huic pallium superimponunt, quale alii gestare solent, nisi quod candidum & paullo breuius sit.

Ordo S. Brigittæ.

Ordo S. Brigittæ cæpit sub Papa Gregorio XI. anno MCCCLXXVI. qui eum confirmauit in gratiam sanctæ illius dominæ, Reginæ Sueciæ, quæ Romam profecta erat. Illa autem à Sua S. obtinuit, vt monasteria huius Ordinis communia essent tam viris, quam fœminis: & nihilominus tale interstitium murorum esset, vt illi has absque necessitate conuenire non possent. 51

Eadem voluit, vt vnum ambobus templum esset, & vt religiosi, tanquam ministri rerum sacrarum, inferiorem, religiosæ superiorem locum ad officium & preces suas peragendas occuparent: ita tamen vt Abbatissa his & illis imperaret, viri autem curam eorum, quæ ad cultum diuinum & ornamenta Ecclesiæ pertinerent, gererent, & quidam inter eos esset cœnobiarcha siue confessionarius.

Constitutum etiam fuit, vt bona & facultates, vnde viuerent, possiderent: sed cura omnium, quæ his & illis ad victum & amictum necessaria essent, Abbatissæ incumberet, ne cuiquam religiosorum aut religiosarum sine euidenti necessitate & venia Abbatissæ monasterio exire liceret. Regulam Augustini cum quibusdam corollariis ab illustri hac Regina additis obseruant.

Quidam existimant, hunc Ordinem primum institutum fuisse in Græcia, ita tamen vt viri à fœminis seorsum habitarent, ne suspicioni & calumniis locus esset. Brigittam autem Ordinem propemodum collapsum instaurare cupientem, modum inuenisse, quo absque suspicione templum & domus vtriusque communis esset. Illa etiam instituit, vt habitum cinereum gererent, cui pallium eiusdem coloris superimponerent, cum cruce rubra super pectus.

Adhæc voluit, vt religiosarum tantum LX. religiosorum XXV. in vnoquoque monasterio essent, nempe XIII. Presbyteri, secundum numerum XIII. Apostolorum S. Paulo comprehenso: quatuor Diaconi, qui inter Presbyteros quoque referri possent, & quatuor Doctores Ecclesiæ repræsentarent: denique octo Conuersi, qui negotia domus expedirent: ita vt omnium fratrum & sororum numerus esset XIII. Apostoli, & LXXII. discipuli Domini nostri: qui vt possent dignosci, Presbyteri rubram Crucem gerebant in sinistro latere pallii, sub qua segmentum panni candidi ponebant eiusdem latitudinis, qua parua hostia, propter reuerentiam S. Sacramenti.

Quatuor Diaconi ad differentiam Presbyterorum gerunt orbiculum candidi panni, qui significat, vt aiunt, sapientiam quatuor Doctorum, quos referunt, eiq; imponunt quatuor particulas rubri coloris, similitudinem linguarum habentes, vt ostendant, Spiritum S. inflammare suam linguam, qua recitent sacra mysteria diuinitatis.

Sed fratres Conuersi in pallio Crucem candidam gerũt, quæ denotat innocentiã vitæ ipso-

rum, supra quam sunt quinq; segmenta rubra, in commemorationem quinq; vulnerum Domini nostri.

Hæc sancta Domina obiit Romæ: filia autem ipsius Catharina, Princeps Nericæ, post mortem ipsius regulam à Papa Vrbano V. confirmari curauit. Reuelationes suas exorsa est anno MCCCXLIV. & anno MCCCXLVI. Romæ fuit, nata XLII. annos, vbi XXVIII. annis mansit. Relata fuit in numerum sanctorum anno MCCCXCI.

De Ordine Præmonstrantium, & ipsius origine.

52 Origo Ordinis Præmonstrantium ducitur à quodam Norberto, qui Coloniæ natus, & postea archiepiscopus Memburgensis fuit. Huic cum Virgo Maria quodam die apparuisset, dicens, Norberte, accipe togam candidam; ille protinus mundo valedixit, & cum quibusdam sociis, quos sibi adiunxit, in locum asperum & solitarium, qui Præmonstrans vocabatur, concessit, vt pœnitentiam ageret, anno MCXX. quod fecit permissu archiepiscopi Lugdunensis, propterea quod solitudo illa in ipsius diœcesi esset. Ab huius loci nomine Ordo Præmonstrantium titulo insignitus fuit, quem adhuc gerit.

Hic Ordo à Calixto II. confirmatus est, anno MCXII. & postea rursus ab Honorio II. successore, qui ei dedit regulam S. Augustini, & eos instituit Canonicos regulares: quod denuo approbatum fuit ab Innocentio III. Hic Ordo vsque adeo in Gallia, Hispania & alibi multiplicatus fuit, vt in triginta prouincias diuidatur, in quibus plus quammille trecenta monasteria, & circiter quadringenta cœnobia virginum repetiuntur.

Abbates ipsorum sunt perpetui, & ab Episcopis consecrantur.

Potestatem habent conferendi Monachis suis minores Ordines, & benedicendi omnibus ornamentis Ecclesiæ, omnesq; cæremonias peragendi, nisi in huiusmodi benedictionibus faciendæ sit consecratio: nihilominus Missas solennes & publicas celebrare possunt cum mitra, lituo & galero, aliisque ornamentis, quæ propria sunt Episcoporum. Officium peragunt diuersum à Romano, & Breuiarium simile habent suo Missali: adhæc vbique in suo Ordine peculiari cantu vtuntur. Quod ad vestes ipsorum attinet, cucullum candidum gerunt, & amictum lineum, cui capitium candidum, in fronte apertum, quale est Carmelitarum superimponunt.

Hoc fuit institutum sub Henrico IV. Imperatore Germaniæ. Guilhelmus Tyrius refert, suo tempore fuisse Almericum quendam Canonicum regularem Præmonstratensium, qui creatus fuerit episcopus Senensis, anno MCLXXX. Huius Ordinis author, multis miraculis cum in vita, tum post mortem patratis, in numerum sanctorum fuit relatus.

Religio Fontis auellani.

53 Primus auctor religionis Fontis-auellani fuit S. Ludolphus, quem cum dynasta quidam secularis persequeretur, ille se inter duos altissimos montes Apennini, Latriam & Coruum, à Dante poeta celebratos, se recepit. Distant illi ab vrbe Coturnicum quinque, & ab vrbe Ducali Vrbino viginti passuum millibus: & sunt sub diœcesi Agobbiæ.

Cum hic vir bonus in hunc locum concessisset, vbi viuebat instar Eremitæ, breui tempore magnam hominis celebritatem propter sanctitatem adeptus est, vt multi ad ipsum se conferrent, & vitæ genus, quod obseruabat, sequerentur. Propterea monasterium condidit, à S. Cruce denominatum: vnde adhuc hodie à vicinis Fratres montis S. Crucis appellantur.

Eo mortuo cum hic Ordo nimium sibi indulgere cæpisset, neque esset, qui prius fuerat, Petrus Damianus, qui erat religiosus Abbatiæ Clussensis Rauennæ, Ordinis Camaldoli, vir magnus, non tantum quia Episcopus & Cardinalis fuit, sed etiam propter eximiam sanctitatem, qua meruit, vt in diuorum numerum referretur, hunc Ordinem ad pristinum suum institutum reuocauit, & regulam S. Benedicti ei præscripsit, exstructoque monasterio Eremitas in eo collocauit, quos sciebat illi obseruandæ aptos esse.

Habitus ipsorum erat cucullus candidus, epomis lanea, collare & capitium candidum. Ordinem profitebantur coram Notario. Postea denuo exorbitarunt, ita vt Abbatia pro commendatitia possessione haberetur. Cum vero ordo & disciplina ecclesiastica prorsus interisset, Papa Pius V. hanc Abbatiam Cardinali Roueric, fratri Ducis Vrbini, in perpetuam Commendam donauit, qui anno MDLXX. Patres Ordinis Camaldoli in eam assumsit: ita vt fere omnes religiosi, qui in ea erant, habitum & professionem eorum imitarentur. Verum iuniores cucullum mox abiecerunt, relictis senioribus, qui cum aliis religiosis, quorum triginta erant, tam pie & sancte vixerunt, vt huius monasterii fama ad prouincias longissime diffitas emanaret.

Primus ipsorum Abbas dictus fuit Petrus Balueolus Bagnacauallensis, & ipsorum cœnobiarcha Ambrosius Cagnolus, nobilis Sodesius. Poeta Dantes hic aliquandiu commoratus est, & partem suorum versuum composuit. Hic Ordo cæpit sub annum ML.

Congregatio Eremitarum, qui dicuntur Dominæ Gonsagæ.

Congregatio Eremitarum Dominæ Gonza- 54
gæ hac occasione initium cepit. Franciscus Gonzaga, quartus Marchio Mantuæ, qui inter præstantissimos sui temporis duces celebratur, cum quodam die animi gratia in quandam ex suis arcibus duodecim circiter passuum millibus Mantua distantem excurrisset, præteriens murum quendam, in quo depicta erat imago Virginis Mariæ, equus ipsius in posteriores pedes se erexit, ita vt pronus caderet, & Marchio sub eo, qui ita

ità læsus & contusus fuit, vt nobiles eum pro mortuo haberent.

Tunc quidam ex ipsius comitibus, cui nomen Hieronymo Regino, ex arce Gothofredi in territorio Mantuano sita, vir pius & deuotus grauissime ferens tanti Principis casum, insigni fide actus, in genua ante illam imaginem procidit, & Deo ac sanctæ Matri votum nuncupauit, si per suam misericordiam vitam & sanitatem Marchioni redderet, se mundo valedicturum, & eo ipso loco Eremitæ Ordinem susceperturum: cuius votum exauditum fuit: nam Marchio confestim sanus & integer surrexit.

Quod cum Marchio postea resciuisset, monasterium Hieronymo illi exstruendum curauit, cui amplos reditus assignauit. In illud Hieronymus se recepit, & multos alios secum introduxit. Aliquanto post tempore auspiciis Episcopi Rhegii, regulam & genus viuendi instituerunt, quod hodieque obseruare dicuntur, à Papa Alexandro VI. confirmatum. Ordinem tamen non profitentur, neque se vlli articulo sub pœna peccati mortalis obstringunt. Priuilegia quædam habent à S. Sede ipsis data. Creant Generalem, & habent hodie circiter LX. aut LXX. monasteria, quorum primarium est monasterium illud Gonzagæ, in quo sunt circiter XII. Eremitæ. Cœpit hic Ordo sub Papa Innocentio VIII. imperante Maximiliano primo.

Ordo decem virtutum seu voluptatum Virginis, quæ dicitur Annunciationis, institutus à Regina Ioanna, sponsa Regis Ludouici XII.

§ Cum Regina Ioanna fuisset repudiata, Rex Ludouicus XII. Ducatum Bituricensem ipsi dedit, quo se, relicta aula, contulit. Habitauit autem Anarici, metropoli Biturigum, vbi reliquum vitæ tempus pie & religiose traduxit, totam Galliam sua sancta & pia vita ædificans, & tenellum suum corpus ciliciis macerans, ac quinque clauos argenteos peracutos, duorum digitorum longitudine, ad latus pectoris plerunque gestans. Feriis esurialibus iusculum tantum ex oleo sumebat, & cibis crassissimis ac viliissimis, quos inuenire poterat, vescebatur: summa erga pauperes & ægrotos commiseratione afficiebatur, in quos admodum larga & benefica erat: inprimis suam charitatem & pietatem erga infirmos & morbis afflictos exercebat, quos à suis medicis & chirurgis curari volebat, & pharmacopæos multa vnguenta conficere iussit, quæ Chirurgi, ipsa præsente, ægrotis applicabant: interdum autem ipsamet ea ex consilio Medicorum applicabat, siquidem ægroti, quos illa regiis suis manibus tetigerat, plerunque conualescebant.

A teneris annis sanctissimam & immaculatam Virginem Mariam peculiari affectu coluerat: quam pietatem ipsa à patre Ludouico XI. hauserat, qui in honorem huius Reginæ Angelorum templum Cleriacum, religiosam suam domum, in qua, condito testamento, sepeliri voluit, ædificauit. Quinque annos nata, cum nihil magis in votis haberet, quam vt Deo in domo quadam regulari seruire posset, & sacrum velum pretiosissimis coronis & diadematis præferret, diuino oraculo admonita fuit, quod Ordinem Virginis Mariæ institutura esset. Accidit hoc, cum precaretur, & à S. Virgine peteret, vt sibi reuelaret, qua ratione ipsi cultum gratum & honorificum præstare posset.

Hoc oraculum ipsam monuit, vt Ordinem in honorem B. Virginis institueret: quod speciali quadam voce ad ipsam prolata intellexit: & illud tam firmiter animo ipsius inhæsit, vt cum paullo adultior facta esset, omnia ea, quæ ad instituendum hominem in gloriam Dei & B. Virginis necessaria essent, meditaretur. Sed matrimonio cum Ludouico Aurelianensi, Duce Valesio & Mediolanensi, consilium ipsius interruptum fuit. Nihilominus à Rege, patre suo, Confessarium & directorem in suis exercitiis pietatis petiit, R. P. Ioannem Fotanum, Religiosum Ordinis S. Francisci, & Gardianum cœnobii Patrum Franciscanorum, quod erat Ambasiæ: quē Rex, pater, ipsi facillime concessit, & confestim, intellecta ipsius petitione & voluntate, ad eam misit. Hic bonus Gardianus socium sibi adiunxit P. Nicolaum Gilbertum, virum non minus pietate quam eruditione præstantem, & in sacris litteris versatum, qui postea fuit pater spiritualis huius sanctæ & piæ Dominæ. Regem, patrem suum, & Reginam, matrem, Carolottam nimirum Sabaudiæ, tali filia dignam, debito semper honore & reuerentia prosequuta est. Deo autem placuit Regem, patrem ipsius ex hac vita euocare, sub finem mensis Augusti, anno M CCCCLXXXIII.

Aliquot annis ante obitum ex Calabria S. Franciscum Paulensem accersiuit, cui filiam suam commendauit: & ille curam ipsius quanto potuit zelo & charitate gessit.

Cum ab eo in instituto suo fuisset confirmata, vt familiam & congregationem virginum in honorem Annunciationis S. Virginis, pro eo affectu, quem à tenera ætate erga diuinam illam Dei matrem gesserat, institueret, pectoris sui arcana denuo in sinum Confessionarii & patris sui spiritualis P. Nicolai Gilberti effudit: qui initio nonnihil ipsi aduersatus est, dicens, eam magnas difficultates in instituendo nouo Ordine experturam, & ipsam satius facturam, si monasterium conderet Virginibus S. Claræ, quale esset Aue-Marianum Lutetiæ, in quo regina Carolotta Sabaudiæ mater ipsius, huiusmodi virgines collocasset, loco monialium, quæ prius in eo habitabant: illudque instauraſſet & auxisset, vt bonis his virginibus religiosis hospitium præberet, quæ austeram admodum vitam degerent, & suas regulas ac statuta districte obseruarent.

Quidquid illa in contrarium allegaret, bonus hic pater nullum ipsi responsum dabat, quale optabat, sed censebat, implorandum esse diuinum auxilium ad opus tanti momenti perficiendum, de quo diutius, quam vno die, cogitandum esset. Illa igitur, cum esset admodum humilis

milis, facile acquieuit, & consilium Patris sui spiritualis sequuta est, fuitque duobus annis, vt nullam huius sui instituti apud eum mentionem faceret: quo spacio illud in suspenso mansit, adeo vt exitu carituru videretur.

Nihilominus hæc pia Domina his duobus annis animum istud perficiendi, quod ipsi vsque adeo cordi erat, non abiecit. Tristitia autem affecta propter istam moram in morbum incidit: quo cum teneretur, P. Gilbertus vocatus fuit, vt eam visitaret & consolaretur: cui illa fontem & causam morbi sui aperuit, qui nõ aliunde, quam ex difficultatibus & remoris, quas sibi obiiceret, quo minus Ordinem in honorem Reginæ Angelorum fundaret, ortus esset, asseuerans, quod anno quinto ætatis, cum Missæ intento & feruido animo interesset, diuinitus sibi reuelatum fuisset, se ante mortem Ordinem B. Virginis instituturam: cui oraculo nunquam restitisset, sed semper in animo habuisset, ei parere, quando ad ætatem peruenisset, & potestatem eius perficiendi habitura fuisset: & se credere, omnes aduersitates, quæ sibi euenissent, inde ortas esse, quod huic oraculo nondum obtemperasset.

P. Gilbertus videns constantiam huius Dominæ in ipsius proposito, ignosci sibi petiit, quod illud hactenus dissuasisset, dixitque, si clarius initio mentem suam aperuisset, se sancto ipsius desiderio non refragaturum, sed obsecundaturum fuisse. Hoc responsum vsq; adeo Dominam illam recreauit, vt paucis diebus sanitatem recuperaret. Exinde ipsum elegit & constituit primum conditorem sui Ordinis, & Patrem, qui inuigilaret omnibus virginibus, quæ huic Ordini sub vexillo matris Dei nomen daturæ essent, cupiens, vt per ipsum & Patres Minores Obseruantinos gubernarentur, propter affectum, quo erga Patrem Seraphicum S. Franciscum ducebatur: ipsique curam dedit, vt eligeret, quas iudicaret aptas ad seruiendum Christo & matri ipsius in ea congregatione, quam meditabatur. Quod diligenter exequutus est, adductis compluribus filiabus Bituricensibus, ex honestis familiis, quæ pietatem ex bona illa Domina & P. Nicolao didicerunt.

Antequam nouum istum Ordinem Annunciationis instituerer, regulam componendam curauit, quam à filiabus, quæ se cultui diuino in Ordine B. Virginis consecraturæ essent, stricte & religiose obseruari volebat: quam, vbi primum composita fuit, Romam misit, vt à Papa approbaretur. R. Pater Morinus, insignis concionator, & B. Virgini admodum deditus, missus fuit, vt regulam istam Romam perferret, & Papæ exhiberet, qui tunc erat Alexander VI. Is Morinum humanissime excepit, & testatus est desiderium, quod haberet approbandi nouum istum Ordinem virtutum Virginis, cum propter honorem, quo matrem Dei prolequeretur, tum vt consolaretur bonam istam Dominam, cuius pietas toto orbe nota erat. Papa diu cunctatus est, antequam negotium hoc expediret, quod sine consilio S. Collegii Cardinalium facere nõ uit, in quo multi erant, qui institutum illud improbarent. Itaque P. Morinus re infecta in Galliam rediit. Postea sancta illa Domina P. Nicolaum Gilbertum Romam misit, vt à Papa & Cardinalibus approbationem huius regulæ impetraret. Ille sæpius ad pedes Pontificis se abiecit, quem obtestatus est, in nomine Dei, ne opus tam sanctum abrumperet, ad quod Domina illa solo zelo, Christo & matri ipsius seruiendi, impelleretur.

Alexander motus illius precibus & lacrymis denuo quosdam Cardinales conuocauit, vt ipsorum sententias de approbatione huius Ordinis rogaret. Sed post multas consultationes Papa & Cardinales difficiliores quam antea, in approbanda hac regula se præbuerunt. P. Gilbertus animum propterea non despondit, sed ad cœlum & fauorem B. Virginis confugit. Interea Ioannes Baptista Ferrierus, Cardinalis & Episcopus Mutinensis, vir magnæ auctoritatis, quem Papa Alexander, cuius erat datarius, magnifaciebat, Gilbertum accersiuit, eique significauit, se causam ipsius acturum: nam visionem sibi oblatam glorioſi Martyris S. Laurentii & S. Francisci, à quibus mandatum acceperit, vt regulam decem virtutum seu voluptatum Virginis confirmari curaret. Papa & omnes Cardinales, hac Cardinalis visione attoniti, regulam illam approbarunt & confirmarunt.

Hæc confirmatio facta est XIV. Februa. anno MDI, quod tempus ob eam causam notatu dignum est, quia tunc hæresiarcha Lutherus, non pietate aliqua motus, sed terrore potius consternatus, cum vidisset, studiorum suorum socium, cum quo in campis ambulabat fulmine prostratum & enectum fuisse, Erphordiæ in monasterium Augustinianorum se coniecit, ex quo post ea egressus, fidem Ecclesiæ Catholicæ datam fefellit.

Hæc sancta regula & institutio non solum approbata fuit à Papa Alexandro VI. sed etiam à Leone X. die XXV. Iulii anno MDXVII. Postea exemplo Dominæ institutricis multæ filiæ, nomina sua profitentes sub vexillo glorioſæ matris Dei, sacella, oratoria, templa & monasteria in præcipuis Galliæ & Belgii vrbibus fundarunt & exstruxerunt.

Hæc fuit origo huius sacri Ordinis, qui initio quinque tantum filiabus constabat, quæ epomidem rubram in memoriam passionis Domini nostri gestabant: postea nouitiæ candidam assumserunt, in memoriam innocentiæ Redemptoris. Insuper gestabant funem decem nodis intortum, qui repræsentabant decem voluptates Virginis, cum tribus funiculis dependentibus, tanquam symbolis flagellorum, quibus Dominus noster flagellatus fuit, cum columnæ in prætorio Pilati alligatus esset. Dum legati Romam iuissent, vt approbationem regulæ supradictæ impetrarent, Domina Ioanna, fundatrix huius Ordinis, facultatem à Rege obtinuit ædificandi, in quacunque vrbe vellet, domos & monasteria

nasteria Ordinis, quem instituere cupiebat. Sed antequam aream emeret, in qua primum suum cœnobium condidit, operam dedit, vt cœnobium Religiosorum Ordinis S. Benedicti reformaret, quæ non viuebant secundum regulam & institutum magni huius Patris Religiosorum: quod feliciter exequuta est non obstantibus omnibus impedimentis, oppositionibus & contradictionibus, quas forti animo superauit.

Hoc Ordine instaurato, cum monasterium illud bonam famam recuperasset, hæc Domina anno MDII. à Canonicis Montermoyensibus hortos & domunculas emit, in quibus filiæ perditæ & derelictæ habitabant, vt illic primum cœnobium sui Ordinis ædificandum curaret: statimque primum templi lapidem posuit, & voluit, vt archiepiscopus Bituricensis, Guilhelmus Cameracēsis, loco benediceret: cui benedictioni interfuerunt R.P. Guido Iuuenalis, Abbas S. Sulpitii; P. Gilbertus Nicolaus, Prouincialis Franciscanorum Prouinciæ Aquitaniæ, ipsius Confessarius, & multi alii Domini ac Dominæ illustres, qui præsentes erant. Curam ædificii & fabricæ suo hipparcho, Amato Georgio, commisit, vt opus vrgeret.

Ordo bonorum virorum, regulæ S. Augustini, in Anglia.

Richardus, Comes Cornuvalliæ frater Henrici III. regis Angliæ, cum aliquandiu in Germania commoratus esset, & in patriam rediret, retulit secum particulam sanguinis Iesu Christi, & condidit monasterium, paulo supra Biremistedam, pagum viginti quinque passuum millibus Londino distantem, in quo precioſum illum sanguinem reposuit, introducto Ordine, qui dictus est bonorum hominum, qui observant regulam S. Augustini, & habitum cinereum infumatum gerunt, fere similem ei, quo Eremitæ vtuntur.

Cœnobiarcha ipsorum siue Abbas Rector appellatur, & præcipuum ac celeberrimum monasterium, quod habent Asseris vocatur. Cæpit hic Ordo anno MCCLVII.

Congregatio vitæ communis.

Congregatio vitæ communis instituta fuit tempore Papæ Gregorii XI. à quodam Girardo, viro magnæ sanctitatis, in diœcesi Tarentina, anno MCCCLXXIII. Germanus erat natione, & multa insignia opera lectu digna propter eruditionem composuit.

Congregatio Nudipedum in Hispania.

In Hispania alia est congregatio, quæ vocatur discalceatorum seu nudipedum, qui crasso panno, more Capucinorum, se vestiunt: sed rotundum cucullum gerunt. Magnam pœnitentiam agunt, & regulam S. Francisci stricte observant. Complura habent monasteria, in locis à mundo seiunctis exstructa.

Congregatio S. Spiritus Venetiis.

Venetiis elegans & honorabile est monasterium, quod S. Spiritus vocatur, estque vnicum illius Ordinis, nisi quod membrum quoddam ab eo dependens Patauii sit, à S. Michaele appellatum. Vestiuntur instar Canonicorum regularium Laterani, viuunt in commune, & obseruant regulam S. Augustini: omnes sunt Veneti, & magnas facultates possident.

Ordo B. Virginis gratiæ redemptionis captiuorum ex manibus Turcarum.

Anno MCCLXIV. tempore Clementis IV. cæpit congregatio redemptionis captiuorum cuius officium est redimere captiuos, qui sunt in manibus Turcarum, vt eos pristinæ libertati restituat. Omnes qui in ea sunt, veste candida vtuntur, & pallium gestant à pectore apertum, instar Carmelitarum, nisi quod colore differat, & candidum sit. In pectore, ad latus dextrum, scutum ferunt latitudine pomi, in quo à meditullio sursum versus crux candida in area rubra conspicitur: in altera parte sunt insignia regni Tarraconensis. Nulli sunt fratres huius Congregationis in Italia, præter octo, qui sunt in templo S. Quirini, prope turrim Rationum, quæ est Romæ: qui locum illum obtinuerunt à Papa, cum quibusdam reditibus, anno MDLXIV. Obseruant regulam S. Augustini. Sunt tamen ex hoc Ordine Lutetiæ, Tolosæ, Burdegalæ: & fratres gratiæ seu veniæ appellantur. 60

Ordo S. Trinitatis pro redemptione captiuorum.

Ordo S. Trinitatis etiam institutus fuit pro redimendis captiuis ex manibus Turcarum. Paulus Morisius existimat, primum ipsorum monasterium fuisse S. Thomæ Montium, in monte Cælio: & nititur hac ratione, quod in minori templo (nam maius plane apertum & semidirutum est) ad dextram in introitu conspicitur area siue sepulchrum antiquum ex marmore, cui hæc verba Latino sermone insulpta sunt: *Anno Domini & incarnationis MCXCVII. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III. anno primo, XV. Cal. Ianuar. institutus est nutu Dei Ordo sanctissimæ Trinitatis & captiuorum, à fratre Ioanne, sub propria regula sibi ab Apostolica sede concessa. Sepultus est idem frater Ioannes in loco, anno Domini MCCXIII. mense Decembri, die XXI.* Fuit iste Ordo confirmatus, cum Papa Innocentius III. declarauit Othonem V. Imperatorem Occidentis, eumque coronauit: quo eodem tempore Constantinopolis capta fuit à Gallis & Venetis. 61

Ordo S. Spiritus in Saxonia, Romæ.

Anno Domini MCXCVIII. Innocentius III. qui tunc S. Sedem tenebat Romæ, elegans & celebre nosocomium S. Spiritus in Saxonia (qui locus ita appellatur, quia olim Saxones, populus Germaniæ, illic habitarunt) ædificandum curauit, quod amplis facultatibus dotauit, vt pauperibus ægrotis & aliis egenis subueniretur: & vt in eo cultus diuinus exerceretur, regulam instituit pro omnibus fratribus & sororibus, in hoc Ordine viuere cupientibus, quæ postea fuit confirmata

firmata à S. Sede Apostolica. Nihilominus anno MDLXIV. reuerendus pater Bernardinus Cyrillus Aquileiensis, præceptor & Magister generalis illius Ordinis, reformationem quandam adhibuit, & operam dedit, vt ægroti diligentissime curarentur, eleemosynæ augerentur, multæ virgines in matrimonium collocarentur, cultus diuinus recte administraretur, reditus amplificarentur, & ædificia studiose conseruarentur ac reparentur.

Hæc regula præcipit, vt omnes fratres & sorores viuant in obedientia & castitate, nec quicquam proprii possideant, & vt ante omnia ægrotorum curam gerant.

Quando fidem dant, & votum nuncupant, his verbis Latina lingua vtuntur: Ego N. me trado & offero Deo, benedictæ Virgini Mariæ, Spiritui S. & dominis meis pauperibus ægrotis, vt sim omnibus diebus vitæ meæ seruus ipsorum. Promitto, me seruaturum castitatem, auxiliante Deo, & nihil proprii possessurum: tibi vero meo Magistro & Generali, atque omnibus tuis successoribus spondeo omnem obedientiam, & me bona pauperum optima fide curaturum: ita me Deus iuuet, & sancta Euangelia. Atque ita se sistit coram altari, cum libro Euangeliorum. Tunc præceptor aut Senior hoc modo ipsi respondet: Propter ea, quæ Deo, Virgini Mariæ, & omnibus nostris dominis, pauperibus ægrotis, promisisti, te recipimus, & animas tui patris, ac matris, vt participes sitis Missarum, Matutinarum, Ieiuniorum, precum, eleemosynarum, & omnium aliorum bonorum operum, quæ fiunt & fient in domo S. Spiritus. Deus tibi eam partem illorum largiatur, quam nos quoque speramus. Cæterum domus Spiritus S. tibi promittit panem & aquam, & dabit tibi togam humilem.

His dictis Senior pallium accipit, in quo crux est, quam ipsi ostendit, pallium humeris imponens, & ait: Virtute huius signi Crucis omnis spiritus malignus à te abigatur, & Iesus Christus te ducat in regnum sempiternum.

Hæc congregatio multa nosocomia habet diuersis locis Christiani orbis, inter quæ Romanum principatum obtinet. Capitula generalia in eo cõgregantur, & administrationis omnium aliorum ratio redditur.

Si frater huius Ordinis, quamuis Rector loci, aut Generalis esset, comperiretur post mortem aliquid proprii habuisse, non sepelitur loco sancto, sed pro excõmunicato habetur. Omnes in hoc Ordine gerunt habitum nigrum sacerdotalem, & tenentur gestare Crucem candidam in sua toga, quæ similis est archiepiscoporum, in medio pectore, atque etiam in pallio, ad latus sinistrum. Pueri & puellæ cæruleis vestibus induuntur.

Congregatio Presbyterorum, qui orphanos excipiunt.

62 Author Congregationis Presbyterorum, qui orphanos excipiunt, fuit nobilis Venetus, Hieronymus Mianus dictus, qui cum in animo haberet opus aliquod Deo gratum facere, & in hoc proposito firmiter persisteret, anno MDXXVIII. magna annonæ caritas per totam Italiam, præsertim Venetiis, exarsit, quæ ita sæuiit, vt pauperes in plateis fame interirent.

Quod videns hic vir bonus, motus charitate & commiseratione calamitatis publicæ, loca publica vrbis obibat, & quos inueniebat languentes & famelicos partim ducebat partim portabat in quendam locum huic rei destinatum, vbi suis facultatibus illos alebat, & omnibus, quibus opus habebant, prospiciebat. Nec contentus eo, quod in sua vrbe fecisset, cum Prochodochio suo bene prouidisset, in Galliam Cisalpinam abiit, vt alios reciperet. Cum in oppidum Semascum venisset, quod est in confinio territorii Bergamensis & Mediolanensis, ex tribus partibus duas pestilentia, quæ per totam illam prouinciam grassabatur, extinctas comperit: & videns fruges esse maturas, pauperes quosdam assumsit: nec destitit propterea quotidie certis horis vna cum iis, qui ipsi aderant, officium Virginis Mariæ religiose recitare, solo pane & aqua victitans, aliis cibis neglectis.

Cuius rei fama per omnia loca finitima dispersa, magna hominum multitudo ad ipsum confluebat: atque in eo oppido domicilium ipsi attributum fuit, in quo ipse & socii ipsius sanctam vitam agebant: quod multos excitauit, vt ipsius exemplo, relictis facultatibus, ipsum sequerentur, & cum eo in paupertate viuerent.

Ordine illic stabilito, cum alibi quoque vtilem operam nauare vellet, Bergamum se contulit, vbi tria ptochotrophia instituit, vnum pro pauperibus orphanis, alterum pro conuersis, tertium pro puellis orphanis.

Quo facto Mediolanum profectus est, vbi cæpit conquirere & congregare pauperes orphanos, quorum quinquaginta in æde Crucifixi, in qua hospitium sumserat, collegit.

Non diu illic hæsit, quin fama sanctitatis ipsius ad aures Ducis perueniret. Is tunc erat Franciscus Sforcia II. qui operam suam ipsi contulit in sancto hoc instituto perlequendo, & locum, in quo pauperes orphani nunc viuunt, ei dedit, & se obstrinxit ad pretium locationis illarum ædium magno ptochotrophio Mediolanensi, ad quod illæ pertinebant, soluendum: ita vt hodieq; pretium illud ptochotrophio isti ex ærario Ducali numeretur.

Postquam bonus iste nobilis in hoc sancto opere sedulo laborasset, diuersas vrbes peragrasset, vt loca idonea ad recipiendos pauperes orphanos exstrueret, tandem Somascum, vbi satis notus erat, rediit, atque illic vltimum vitæ diem clausit.

Post ipsius mortem hæc Congregatio magis ac magis inualuit, & per multas Italiæ vrbes, præsertim in Gallia Cisalpina se diffudit.

Presbyteri huius Congregationis quotannis semel Capitulum habent, & possunt confirmare suum Generalem cum duobus Consiliariis in triennium: & est in potestate Generalis capitu-

lum

lum conuocare, quo ipsi videtur. Illic omnes Ordinis socii, tam conuersi quam presbyteri, nominibus & cognominibus suis appellantur, & ab vno loco in alium, prout necessitas postulat, transferuntur: qui diligenter attendunt, vt pauperes orphani recte gubernentur, & cum animæ tum corporis ipsorum ratio habeatur. Generalis tenetur quotannis omnia loca ipsorum domicilio & alimento destinata vt minimum semel visitare.

Diligenter obseruant omnia capita suæ institutionis, neq; tamen professionem solennem edunt: sed qui inter ipsos vult viuere, eum oportet obedientiam superioribus promittere. Cęterum in commune viuunt. Hæc congregatio fuit approbata & confirmata à Papa Paulo Farnesio III. & postea à Pio IV. qui ipsis permisit, vt vitæ suæ genus persequerentur, & in tutelam Ecclesiæ non solum omnia loca & cœnobia, quæ tunc habebant, sed etiam quæ deinceps habituri essent, accepit. Postea cœperunt Ordinem suum profiteri, approbante Papa Pio V. Cæpit hic Ordo anno MDXXVIII. sedente in Sancta Cathedra Clemente VII. & imperante Carolo V.

Congregatio presbyterorum regularium S. Pauli.

Cum Principes Christiani infestis armis se mutuo persequerentur, & tota Italia bello arderet, quod fuit anno MDXXVI. Franciscus Sforfortia, vltimus Dux ex hac familia, Mediolani obsessus fuit: cumq; in arcem se recepisset, fame coactus, Antonio Leuæ & Marchioni Piscariæ se dedidit, vrbe & arce Mediolanensi Imperatori Carolo V. tradita. Vrbs tunc pestifera lue ita afflicta fuit, vt ad minimum tertia pars incolarum periret.

Eo tempore tres nobiles, quorum vni nomen erat Iacobo Antonio ex familia Morisiorum, quę antiquissima est, vt colligere licet ex duobus martyribus, Nabore, & Felice, eiusdem familiæ, qui coronam martyrii acceperunt sub Impp. Maximiano & Diocletiano, septuaginta circiter annis ante S. Ambrosium: alter erat Cremonensis, cui nomen Francisco Mariæ Zachariæ: tertius Mediolanensis, qui vocabatur Bartholomæus Ferrerius: instituerũt Mediolani Ordinem presbyterorum regulatium S. Pauli, vitæ religiosæ & contemplatiuæ se consecrantes, & à mũdi voluptatibus abstinentes. Assidue peccatores ad pœnitentiam hortabantur, publice legebant epistolas S. Pauli, confessionem vniuscuiusq; excipiebant, & Sacramenta administrabant. Cæterum in commune viuebant, & nihil proprii possidebant: in more habebant, vt se publice per plateas & compita in conspectu omnium castigarent, quo magis mundum despicerent. Post mortem ipsorum habiti & culti fuerunt sanctorum loco. Aliquot monasteria habent, quorum primarium est Mediolanense à S. Barnaba fundatum.

Ordo Presbyterorum regularium Theatinorum.

Ordo presbyterorum regularium Theatinorum originem duxit à Ioanne Petro Caraffa, filio Ioannis Antonii Caraffæ, Baronis illustris Neapolitani, qui cum fuisset episcopus Theadis, & episcopatu se abdicasset, vt solitariam vitam ageret in monte Platio, tandem die exaltationis S. crucis, anno MDXXVIII. sub Pontificatu Clementis VII. imperante Carolo V. comitatus Caietano Tiennæo Vicenensi & Protonotario Apostolico, Bonifacio à Collibus Alexandrino, & Paulo Romano, qui omnes eodem religionis studio tenebantur, vna in templum S. Petri iuerunt, toto Clero eos solenni pompa vsque ad magnum altare, in quo sunt sanctæ reliquiæ S. Petri & S. Pauli, deducente: in quo altari iurarunt & promiserunt coram toto mundo, se obseruaturos tria vota, quæ alii religiosi promittere ac profiteri solent, nempe paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Hi quatuor primi fuerunt, qui hoc voto se obstrinxerunt: quos postea imitati sunt omnes, qui huic Ordini nomen dederũt: & quoniam princeps omniũ fuit episcopus Theatinus, cæteri omnes ab illo nomen acceperunt, & Theatini dicti fuerunt. Verum est, hunc episcopum, post institutum hunc Ordinem, creatum fuisse Cardinalem à Papa Paulo: Deinde, mortuo Marcello, qui tantum XXI. diebus sedit, fuisse euectum ad Pontificatum, & dictum Paulum IV. vnde multi ex hoc Ordine Paulini appellati fuerunt: tametsi nomen ipsorum vsitatius sit Theatinorum.

Ordo Iesuitarum.

Ordo Iesuitarum toto orbe ita nunc notus est, vt superuacaneum sit, de eo speciatim multa referre. Satierit notasse, auctorem ipsorum fuisse beatum Ignatium, è nobili familia Loiolitarum, qui sunt in confinio vrbis Alpethiæ in prouincia Guipura, in Hispania: qui comitatus Petro Fabro, Alphonso Salmerone, Francisco Xæuio, Iacobo Lænio, Nicolao Bauadilla, Simone Rodriga, Claudio Iæo, Ioanne Corduro, & Pasquino Broeto, votum fecit in sacello Martyrum, quod est in Monte-martyrum prope Lutetiam: vbi implorato auxilio beatæ Virginis & S. Dionysii Areopagitæ, patroni & protectoris vrbis Parisiensis, omnes simul votum nuncuparunt Deo, se prorsus renunciaturos mundo, & in perpetua paupertate gloriam Dei & salutem animarum procuraturos, ac die constituto mare traiecturos, & Ierosolymam ituros, ea mente vt omnibus viribus conuersioni infidelium incumberent, & coronam martyrii quacunque ratione adipisci conarentur. Quod si hoc ipsorum decretum impediretur, se elapso anno Romã profecturos, & operam suã S. Patri oblaturos

ad opem & salutem spiritualem proximo ferendam, pure & simpliciter, absque vlla spe mercedis, & absque exceptione loci ac temporis: quod votum nuncuparunt anno MDXXXVIII. die XV. Augusti, quo die Ecclesia celebrat festum Assumtionis matris Dei. Postea anno MDXL. die XXVIII. Octobr. regula Ignatii à S. Sede fuit confirmata: & die Veneris proximo Calendis Maii anni sequentis, Ignatius & socii Romæ in templo S. Pauli nouam professionem ediderunt. Hæc regula fuit confirmata & approbata in Cõcilio Tridentino, vt videre est XXV. Session. cap. XVII. Visio, quæ beato huic Patri à Domino nostro oblata fuit, qua ipsi promisit, se ei Romæ propitium fore, ipsum impulit, vt sanctissimum nomen Iesu suæ Societati imponeret. Ex hoc Ordine anno MDCXXII. in Sanctorum numerum relati fuerunt S. Ignatius Loiola, & P. Franciscus Xauierus, Apostolus Indorum cognominatus: vbi cum XXX. ex mortuis excitasset, & multa miracula edidisset, martyrio affectus, ac postea Romæ Sanctorum catalogo adscriptus fuit à Papa Gregorio XV. Paucis ab hinc mensib. in eundem catalogum à Papa Vrbano VIII. hodie sedente relatus fuit Ludouicus Gonsaga, ex eadẽ societate, quæ mirum in modum per orbem Christianum pullulauit, in quo produxit atque etiamnum profert maximos fructus, tam instituendo iuuentutem, quam corrigendo & conuertendo errantes. Cæterum Iesuitæ sunt capitales hæresium hostes, &, quod iure affirmare possum, vera earum pestis & antidotum: amant cõscientias, arguunt vitia & errores, quos ferre nequeunt sine certamine: hinc persequutio contra ipsos in Anglia & Hollandia propter defensionem fidei Catholicæ & veræ Ecclesiæ, pro qua martyrium subeunt, & vitam libentissime profundunt.

Loca, in quibus hæc Societas floret, sunt in Italia, Florentiæ, Senæ, Pisis, Laureti, & in Latio, vbi habent multas domos professas, Seminaria & Collegia: in summa plusquam viginti egregias domos illic possident.

In regno Siciliæ sedecim domos habent:

In regno Neapolitano tredecim.

In Venetorum territorio totidẽ habuerunt: sed Senatus, orta inter ipsum & Pontificem Paulum V. controuersia, eos dimisit, nec ab eo tempore recipere voluit: quantumuis Princeps Condæus in vltimo suo itinere Italico instantissime pro ipsis apud Senatum intercesserit.

In Gallia Cisalpina decem domos possident.

In Heluetia vnam Friburgi, & alteram Lucernæ in Catholicorum pagis habent.

In Sabaudia tres habent, Camerini, Augustæ Taurinorum, & Saluciæ:

In Germania ad Rhenum quindecim habent domicilia:

In superiori Germania totidem:

In Austria tredecim:

In Polonia septendecim:

In Transsiluania duo: vnum Adrianopoli, alterum Albæ-Iuliæ.

In Hungaria totidem: vnum Posonii alterum Nouosolii.

In Lotharingia tria, vnum Mussiponte, alterum Nancei, tertium Virduni.

In agro Metensi vnum habent Metis, quod instanti petitione Marchionis Verneuillani, episcopi Metensis, & Ducis Espernonii, gubernatoris, obtinuerunt.

In Comitatu Burgundiæ quatuor possident, vnum Dolæ, alterum Vesontione, tertium Vesuvii, quartum Salinis.

In Gallia præter præfecturã Parisiensem, in qua decem aut duodecim domos habent, alias præterea possident ad Ligerim, Molinii, Niuerni, Aureliani, Blæsis, Cæsaroduni Turonum, Flisciæ, Rhedonibus, Condiuicini Nannetum.

In Normandia, Pontisaræ, Rothomagi, Cami, Alenconii.

In Picardia, Ambiani, Boloniæ.

In Campania, Rhemis.

In Burgundia, Diuione.

In agro Lugdunensi, Lugduni & Rione.

In Aquitania, Tolosæ, Burdegalæ, Auscii, Aginnii, apud Lemouices, Petragoricos, Bearnenses, Pictauienses, Bituricenses, Cadurcos.

In Prouincia, Aquis Sextiis, Arelatæ, Auenione.

In Occitania, Narbonæ, Carcasone, Albenate, Sagoduni, Anicii.

In Delphinatu, Valentiæ, Tornonii.

In Belgio nouendecim ædes habent:

In Hybernia, vnam domum celebrem.

Angliæ est tumulus martyrii ipsorum, vbi præ ædibus carcer ipsis sunt parati.

Ex Hollandia sunt pulsi & proscripti.

In Lusitania quindecim domos habent, vnam in regno Angolæ:

In Hispania, in prouincia Toletana, septendecim:

In Castilia, viginti & vnam:

In Aragonia, tredecim:

In Catalonia, sedecim:

In Sardinia, quinque.

In India Occidentali.

In Peruuia vndecim domicilia habent:

In Mexico, totidem.

In Brasilia, viginti. Hollandi hæretici destruxerunt domum, quam habebant in vrbe S. Seruatoris, cum eam diriperent, mense Ianuario, anno MDCXXIV. & Prouincialem illius domus ac quosdam Religiosos Societatis captiuos in Hollandiam abduxerunt.

In insulis Philippinis nouem domos habent:

In Iapone, duodecim.

In

In regno Chinæ vnum domicilium habent in vrbe regia.

In Cherſoneſo duas.

Malacæ, Amboinæ, Cochini, Cambaiæ, Calecuti, Meliamporæ, Bengalæ, in ſingulis his vrbibus Collegium vnum habent, & complura alia in regnis maritimis Indiæ trans Gangem.

Goæ celebre collegium habent, vbi eſt ſeminarium omnium linguarum & ſcientiarum.

Præterea in Æthiopia, in regno Maroci, Congi, Angolæ, in ſingulis his locis vnum collegium habent.

Habent & alia in monte Libano.

Denique domum habent Peræ, in ſuburbio Conſtantinopolis.

Congregatio Patrum Oratorii.

Sunt Præterea Presbyteri Oratorii, quorum auctor fuit beatus Philippus Nerius Florẽtinus, anno MDLXIV. Tres primi ipſius alumni fuerunt hi celeberrimi viri, Cęſar Baronius, Ioannes Franciſcus Burdinus, qui poſtea fuit archiepiſcopus Auenione, & Alexander Fidelis. Fundamenta ſui Ordinis iecerunt Romæ in templo S. Hieronymi: vbi cum numerus ipſorum creuiſſet, ſingulis dieb. quatuor ex ſuo numero elegerunt, qui conciones ad populum haberent, Solus dies Sabbathi ab hoc officio immunis erat. Scopus ipſorum præcipuus fuit, vt Ordinem Presbyterii priſtino ſplendori reſtituerent. Hoc poſtremo anno Petrus Berula Gallus, Lutetiæ natus, antiqua & nobili familia, cuius pietas, ſanctitas & zelus, quo in gloriam Dei & ſalutem animarum ardet, nunquam ſatis prædicari poteſt, inſtituit Ordinem Oratorii, qui in multis à priori differt, ac nihilominus à S. Patre Paulo V. qui nunc Sanctam ſedem occupat, confirmatus fuit: à quo magni fructus propter egregias ipſius leges, & præclarum inſtitutum multa, quæ corrupta fuerunt, reformandi, ſperantur.

De Cœnobio Vrſulinarum,

Sunt etiam alii quidam Ordines pro doctrina Chriſtiana, in eum præcipue finem inſtituti, vt tenella iuuentus præceptis Catecheticis imbuatur: qui nunc in Gallia admodum frequentes eſſe incipiunt: inter quos eſt Ordo puellarum, quæ Vrſulinæ vocantur, cum Lugduni, tum Auenione, & aliis locis, vbi inſtituuntur, ita tamen vt voto non obſtringantur. Sed anno proxime elapſo MDCXII. menſe Nouembri, die S. Martini, aliæ puellæ, quæ etiam Vrſulinæ dicuntur, & domum habent in ſuburbio S. Iacobi Lutetiæ, aſſumſerunt nouum habitum, ſub regula S. Auguſtini, & tria vota ſolennia nuncuparunt, ſecundum diplomata, quæ à S. Patre Paulo V. obtinuerant. Earum hoc tempore duodecim ſolummodo ſunt.

Ordines ab Eccleſia damnati.

Expoſitis Ordinibus, qui ab Eccleſia approbati fuerunt, non alienum erit, ſi de Ordinibus ab eadem damnatis, & inter alios de Candidis aliquid attexamus: quorum hæc fuit origo.

Tempore Bonifacii IX. quidam presbyter ex Germania venit, qui ab Alpibus deſcendens cum quibuſdam, qui eum ſequebantur, Lucæ ſubſtitit, vbi ſtatim plus quam ter mille homines ſibi aſſociauit, & veſtem vſquequaq; candidã aſſumſit, gerens albam lineam cum cucullo, inſtar Religioſorum. Eodem genere veſtis omnes, qui ipſum ſequebantur, tam viri quam fœminæ, vtebantur. Imaginem Chriſti crucifixi manu tenebat, deplorans miſerias humanas, calamitates ſui temporis, & peccata hominum: ita vt propter inceſſum modeſtum, orationem artificioſam & geſtum, quem præ ſe ferebat, pro homine ſancto haberetur & coleretur.

Tunc totus ipſius cætus, qui erat magnus, ipſum ſequebatur, & inſtar proceſſionis bini incedebant, præeuntibus ſpectabilioribus: vulgus autem & iuniores in vltimo agmine erant: atque ita ab vno oppido in aliud euntes, ſæpe omnes vna voce miſericordiam & pacem clamabant, aut alias voces edebant, atque etiam contemplationem illam ſanctiſſimæ matris Dei à S. Gregorio compoſitam proferebant, quę ſic incipit: *Stabat mater doloroſa.* Nocte autem ingruente, omnes in terra cubabant, & viuebant ex eleemoſynis, quę ipſis dabantur. Quod populum vſque adeo ad pietatem commouebat, vt multi etiam magni ordinis & homines Eccleſiaſtici ſe ipſis adiungerent, & veſtem candidam induerent, à qua Candidi fuerunt appellati.

Cum hæc multitudo longe lateque vagata eſſet, dux ipſorum imperum cepit, eos recta Romã ducendi. Eo cum tenderent, Papa Bonifacius IX, qui tunc Viterbii erat, quod CCCXX. ſtadiis ab vrbe diſtat, certior ea de re factus, ducem comprehendi, & Romam duci iuſſit: vbi diligenter examinatus, & ad mortem damnatus, tanquam homo ſuperſtitioſus, ſupplicio capitis affectus fuit. Sublato duce, totus cætus fuit diſſolutus, & quiſq; domũ rediit: quod accidit an. MCCCC. Imago illa Crucifixi, quam homo iſte vexilli loco ferebat, Lucæ eſt: & multa, vt aiunt, miracula ab ea eduntur: vt teſtantur multæ imagines in eo templo ſuſpenſæ, in quo illa aſſeruatur, quo ab ea templum Crucifixi appellatur: imo cum à Lucenſibus, mortuo ſuo duce, afferretur, magna miracula in itinere edidit, vt patet ex monumentis autenticis manibus Notariorum publicorum ſcriptis, quæ in theſauro Societatis Candidorum aſſeruantur.

Quapropter Lucenſes videntes miracula, quæ Deus per hanc ſanctam imaginem edere

non cessabat, elegans istud templum condiderunt, quod ab ea nomen habet, in quo eam magna cum veneratione primario altari imposuerunt.

Huic templo fratrum Societas præest, qui in hunc diem nomen Candidorum retinuerunt, & cultum diuinum in eo religiose exercent. Alia etiam est Florentiæ, in templo S. Petri Moronæi, imago Crucifixi, quæ etiam in magno honore habetur, propter miracula, quæ ab ea fiunt. Hanc perhibent eam esse, quam fœminæ, quæ virum illum sequebantur, in processione ferebant. In hoc quoque templo Societas est Candidorum.

Hæc Congregatio cœpit circa annum MCCCXCVI. & fuit extincta anno Iubilæi, MCCCC.

Præterea Lucæ templum est S. Martini, quod Papa Alexander II. exstruendum curauit, cum esset illius vrbis episcopus: cum vero ad Pontificatum euectus esset, Canonicis illius templi priuilegium concessit gestandi certis feriis infulas candidas ex serico: quod postea semper obseruarunt vsque ad tempus Pauli III. qui non tantum hoc priuilegium ipsis confirmauit, sed etiam potestatem fecit, habitum episcopalem, quando vellent, gestandi.

His annumerari possunt mendici illi, qui cum mallent quæuis incommoda pati, quam opus aliquod facere aut laborem sustinere, quamuis essent homines ignaui & inertes, tamen cœtum aliquem sub specie religionis colligere voluerunt, & theristro ex crassa tela induti, capite & pedibus nudis hac illac vagabantur, & ad portas templorum aut platearum angulos consistebant, vt eleemosynam peterent.

Quidam Iacobus Cremonensis, otio deditus, huius Ordinis auctor perhibetur. Omni genere ciborum vescebantur, & quantum volebant: dormiebant quantum & qua hora ipsis placebat, ibant quocunque lubebat, argentum pro arbitrio contrectabant: &, quod pessimum erat, neminem habebant, cui obtemperarent, sed pro libitu viuebant, nec episcopo, cœnobiarchæ, Generali aut magistratui politico subiecti erant.

Fuit quoque congregatio Fratrum Opinionis, quæ initium sumsit anno MCCLXXVIII. à quodam Hermanno, cui multi Principes non parum fauebant: sed tandem detecta ipsorum malitia fuerunt suppressi, & Ordo ipsorum excommunicatus à Papa Bonifacio VIII.

Anno MCCC. cœpit congregatio Dulcinorum, quam quidam natus Nouarræ in Ducatu Mediolanensi, cui nomen erat Dulcino, instituit. Is non toto anno sex hominum millia, tam virorum quam fœminarum coegit, qui eundem fere Ordinem, vel potius inordinatum illud viuendi genus, quod superiores, sequebãtur. Hæc congregatio excommunicata fuit à Papa Clemente V.

Quod attinet ad congregationem pauperum Lugdunensium, illi à Papa Ioanne XXII. exacti fuerũt. Dicebant, se esse ex tertio ordine S. Francisci, & opinione quadam erronea contra fidem Catholicam imbuti erant. Quapropter Papa nõ satis habuit illos abigere, sed etiam mandauit, vt omnes comburerentur, anno MCCCXV. Auctor huius sectæ fuit F. Petrus, ex Ordine fratrum Minorum.

Ordo beati Ioannis de Deo aut fratrum Prochotrophii Charitatis.

Hæc Congregatio fuit recepta in Ecclesia se- 68
cundum primam ipsius institutionem, cuius auctor fuit beatus Ioannes de Deo, Religiosus, & discipulus S. Augustini, episcopi Hipponensis, cuius regulam elegit, ex qua suas constitutiones composuit ad laudem & gloriam Dei, proleuamento, solida cura, regimine & administratione rerum sancte institutarum, factarum & ordinatarum à Capitulis generalibus illius Ordinis, vt firmæ & certæ permanerent.

Principio fratres huius Ordinis solenni, expressa aut tacita professione vere & efficaciter renunciant omnibus bonis rationibus & actionibus ad ipsos pertinentibus, aut quæ in futurum quocunque modo ad ipsos pertinere possent, etiam quoad vsum fructum, nihil quicquam sibi reseruantes, adeo vt post renunciationem factam nihil, ne verbo quidem, suũ dicere queant. Omnia enim resignare tenentur, quæcunque illa sint, mobilia & immobilia, quocunque modo illa sint parta. Nec dicunt, quid edemus aut bibemus, sed crastinum diem prouidentiæ diuinæ committunt.

II. Nemo pro se ipso operatur: eleemosyna quæ ipsis datur pro Missis, quas celebrant, pro communitate est, non pro singulis: quemadmodum etiam omnia, quæ labore, artificio aut opere acquirunt.

III. Superiores locorum tenentur vbiq; seruare communitatem.

IV. Omnibus fratribus interdictum est, ne secularibus aut Nouitiis reuelent statuta & arcana Religionis & Ordinis: cuius rei si conuincantur, grauissima pœna, tanquam destructores Religionis, afficiuntur.

V. Votum nuncupant Hospitalitatis, neque Prochotrophia accipiunt sine venia sui Generalis & suorum Consiliariorum: neque vllum in pagis accipiunt, nisi prouentum habeat, quo sex ad minimum pauperes sustentari possint.

VI. Stipem cogunt per prouincias & vrbes. Prouinciales autem fratribus limites regionis constituunt, in qua stipem cogant, ne vnus alteri in ea cogenda impedimento sit.

VII. Si quis inter fratres introducat inter ipsos nouum vitæ genus, quod voto Hospitalitatis, quam profitentur, repugnet habitu

habitu priuatur, & ad triennium ergastulo nautico mancipatur.

VIII. Vnoquoque triennio capitulum familias Prochotrophiorum mutat: & hæc mutatio fit à Generali & Prouincialibus, qui operam dant, vt omnibus satisfaciant.

IX. Cœnobiarchæ quosdam in suum Prochotrophium pro tertiariis recipere possunt, quibus habitum, pileum & pallium eiusdem coloris cum habitu Religionis dant, si prius eos cognouerint esse viros bonos, & illi annum ætatis XXXV. non excesserint.

Qui temere peccant, puniuntur, publice delictum confitentes, humi manducantes, fratrum pedes osculantes, & vno die pane & aqua vitam tolerantes. Publicæ pænę sunt, vt Psalmos & tesseras precarias recitent.

Si graue sit delictum, pæna est carcer, compedes, manicæ, suspensio & priuatio officiorum, suffragii item actiui & passiui, relegatio ex prouincia.

Superiorum, præfectorum, cœnobiarcharum & officialium hic ordo & hæc potestas est:

1. Primus & qui maxima auctoritate pollet, est Generalis, qui sicut cæteri officiales in capitulo generali eligitur. Ipsius officium durat sex annis, quibus exactis capitulum celebratur & alius eligitur.

2. Post electionem Generalis, Capitulum congregatur cum vetere & nouo Generali, & vetus primum suffragiũ dat pro eligendis Cõsiliariis & Prouincialib. Ordinis, prout prouinciæ iis opus habebunt. Officium Consiliariorum est sexennale: & in primo capitulo generali primus cõsiliarius eligitur ad officiũ Procuratoris Generalis: secundus est cœnobiarcha Romæ. Officium Prouincialium durat tres annos.

3. Deinde eligitur cœnobiarcha in Capitulo generali suffragiis arcanis, quorum pluralitas obtinet.

4. Sunt Subpriores, Secretarii, Nosocomi, Hierophylaces, Procuratores cœnobiorum, Magni Nosocomi, Custodes vestiarii & prochotrophiorum.

DE HOSPITALITATE.

Nosocomus ægrotos, qui se offerent, cum omni charitate in cœnobium recipiet, & antequam lectum ingrediantur, pedes ipsis lauandos curabit. Quoniam vero ad recuperandam corporis valetudinem animæ prius habenda ratio est: propterea omni mansuetudine ægrotos horrabitur, vt peccata confitéantur, antequam lecto se committant, siquidem morbus id patiatur, qui si vehementior sit, statim confessionem edet, & communionem accipiet ex sententia Confessionarii. Indusiũ mundũ cum vitta ipsi dabitur: præterea lodices, ceruical, mantilia mũda: & si opus sit, nosocomus lectum ipsius calefacier.

Aegroto in lecto decumbente, frater, qui res valetudinarii custodit, nomẽ ipsius, cognomen, religionem, ætatem, vitæ genus, omnes vestes & quidquid secum attulit, libro inscribet, vt si valetudinem recuperet, omnia ipsi restituantur. Deinde in margine libri adscribet, quando vel discesserit, vel ex hac vita migrauerit.

Medicus & Chirurgus bis quotidie pauperes ægrotos hoc ordine visitabunt: venienti Medico signum campana dabitur, vt per totum cœnobium audiatur, & nosocomi adsint cum pharmacopæo & chirurgo: quorum singuli libro suo inscribent quæcunque Medicus præcipiet de victus ratione, cum quoad cibum, tum quoad potum, cum medicamentis, quæ præscribet. Magnus autem Nosocomus peculiarem curam geret, vt vnusquisq; officio suo satis faciat.

Noctes & dies quidam præsto erunt ęgrotis, qui ipsis necessaria suppeditent: singulis tribus horis reficientur iusculis, ouis recentibus, condimentis, potu, & aliis rebus, secundum præscriptum Medici.

Postquam ægrotus vltimam vnctionem & exhortationem Presbyteri acceperit, frater, iudicio præditus, semper ipsi aderit, qui eum hortabitur ad bene moriendum, & imaginem Crucifixi tenebit, cum cereis accensis, aqua benedicta, & aliis rebus similibus.

Mortuo ægroto, cadauer linteo inuolutum ex valetudinario efferetur, præcedente imagine Crucifixi, & cereis accensis. Fratres sacellum ipsis assignatum ingredientur, & cantabunt, *Miserere mei Deus*: quo cantu finito illic relinquetur vsque ad sepulturam: tunc campana pulsabitur, vt omnes fratres, qui sunt in Nosocomio, conueniant ad celebrandum officium cum Presbytero: sequente mane Missa cantabitur pro ipsius anima: & quotis die Veneris tam in valetudinariis quam templis Nosocomiorum Missæ pro animis defunctorum in Nosocomiis cantabuntur.

Numerum horum Nosocomiorum Charitatis.

1. Nosocomium S. Ioannis Calibytæ, Romæ.
2. Nosocomium S. Deodati, Beneuenti.
3. Nosocomium S. Mariæ pacis Neapoli.
4. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ, Neapoli.
5. Nosocomium S. Petri Romæ.
6. Nosocomium S. Suarii, Taurini.
7. Nosocomium S. Petri ad vincula, Panormi.
8. Nosocomium S. Nicolai, Perugii.
9. Nosocomium S. Crucis Coroneti.
10. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ Verrerii.
11. Nosocomium S. Mariæ humilitatis, Florentiæ.
12. Nosocomium S. Antonii Liuorni.
13. Nosocomium S. Mariæ sanitatis, Lanciani.
14. Nosocomium S. Viti Aquilæ.
15. Nosocomium S. Trinitatis Plombini.

16. Nosocomium S. Mariæ ex ara Cæli, Mediolani.
17. Nosocomium S. Mariæ, Cesentiæ.
18. Nosocomium B. Virginis Lincorauatatanæ Ctemonæ.
19. Nosocomium S. Benedicti, Bononiæ.
20. Nosocomium S. Mariæ pacis, Montebasilio.
21. Nosocomium S. Mariæ arcus, Trecis.
22. Nosocomium S. Catharinæ, Foggeæ.
23. Nosocomium S. Annunciationis, Tarenti.
24. Nosocomium S. Trinitatis, Barlettæ.
25. Nosocomium Annunciationis S. Agathæ.
26. Nosocomium S. Annunciationis Muliterni.
27. Nosocomium S. Caroli, Lotiti.
28. Nosocomium B. Virginis misericordiæ, Corigliani.
29. Nosocomium S. Mariæ sanitatis, Consenzæ.
30. Nosocomium S. Annunciationis, Rassani.
31. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ, Octauiani.
32. Nosocomium S. Basilii, Bouini.
33. Nosocomium S. Mariæ ex Itrira, Morani.
34. Nosocomium S. Annunciationis, Salerni.
35. Nosocomium S. Elisabethæ, Messanæ.
36. Nosocomium S. Mariæ misericordiæ, Syracusis.
37. Nosocomium S. Mariæ misericordiæ, Lauteni.
38. Nosocomium S. Spiritus, Caltageronè.
39 Nosocomium S. Andreæ, Traenæ.
40. Nosocomium S. Trinæ, Termini.
41. Nosocomium sanctissimæ Annunciationis, Palizzi.
42. Nosocomium S. Aotonii, Caltanizzetæ.
43. Nosocomium S. Marci, Bouini.
44. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ, prope Lutetiam, in suburbio S. Germani Pratensis, primum fundatum à Regina matre Regis Ludouici XIII. & deinceps auctum à Duce Niuernio, in memoriam Ducissæ Niuerniæ, sponsæ ipsius defunctæ.

Ordo Religiosorum visionis in Aethiopia.

69 Antequam huic breuiario finem imponamus, vt Lectori curioso satisfaciamus, non ab re erit si de Ordinibus, qui sunt in Æthiopia aliquid dicamus. Præcipuum & maximum monasterium, quod habent in illa regione, est Bisani, hoc est, Visionis, quod est prope vrbem Ercococcam, sub præfectura Barnagæ, quæ Presbytero Ioanni subest. In isto monasterio sunt plusquam tria millia Religiosorum: & hoc caput est sex aliorum, quæ circum eum locum sita sunt: ita vt remotissimum triginta passuum millibus ab hoc distet.

In vnoquoque est Dauites, hoc est, custos, qui subiectus est & paret Abbati visionis. Hoc monasterium situm est in cacumine altissimæ rupis, ex qua despectus est in horrendum barathrum, quacunque parte oculi coniiciantur. Illic magna est culina, omni supellectile instructa, iuxta quam amplum est triclinium, in quo omnes cibum capiunt, & terni ex disco ligneo, lato illo quidem, sed parum profundo comedunt.

Cibi, quibus vtuntur, sunt crassiores, vt & panis, ex milio & hordeo, alioq; genere exigui grani nigri, quod Tufam appellant, confectus.

Hic panis est rotundus, crassitie melimelæ: quorum tres vnicuique Religioso pro sua parte distribuuntur: Nouitiis autem vnus tantum cũ semisse datur. Præterea quædam olera ipsis apponuntur, sine sale & oleo: ex quo cibo male condito, honoris gratia, aliquid submittunt senioribus & spectabilioribus cœnobii, qui non tenẽtur venire in triclinium. Magnum numerũ puerorum alunt, qui superant annum octauum, quorum plerique sunt manci, mutili aut cæci. Cæterum Religiosi nunquam carne vescuntur, nec bibunt vinum, nisi extra cœnobium, quando sunt soli. In more habent, vt Nouitios, simul ac illis habitũ dederunt, ex monasterio emittant victum quęsitum labore manuum, dum sunt iuuenes. Neque enim monasterium illis alendis sufficeret, tametsi amplos reditus habeat, nisi sua industria sibi subuenirent. Sed quando consenuerunt, prorsus manent in monasterio, in quo reliquum vitæ transigunt. Diligenter cauent, ne mulieres, muli, vaccæ, gallinæ, aut vllum aliud quodcunq; animal sexus fœminei intra scloppeti grandioris iactum ad cœnobium accedat. In vnoquoque monasterio huius Ordinis alunt gallum gallinaceum, cuius pedibus duo tintinnabula alligant: eoque vtuntur, vt horam matutinarum & vespertinarum precum ipsis indicet.

Qui in agris viuunt, nulli alii rei operam dãt, quam vt terram colant ad producendum milium, & aluearia habeant pro apibus: appetente autem nocte, mox domum se recipiunt, metu ferarum. Prouentus monasterii visionis est amplissimus. Primum enim mons, in quo situm est, triginta circiter passuum millia continet, & fert magnam copiam milii, hordei, tritici & trophi, ex quibus decimæ illis penduntur: imo pascua, in quibus pecus alitur, tributum ipsis soluunt. In radice montium multæ sunt villæ opulentæ, quarum plerq; ad hoc monasterium pertinent: & inde spatio vnius aut duorum dierum itineris innumera alia loca, quæ possident, inueniuntur, Gultus ab ipsis appellata, hoc est, loca sancta Visionis. Præterea centum exiguos pagos habent, quorum singuli vnoquoque triennio equum ipsis pendunt: ita vt singulis annis triginta tres equos accipiant. Sed Alicasin, hoc est, æconomus, siue procurator monasterii loco equorum

quorum accipit vaccas, nempe quinquaginta vaccas pro vno equo, sicut fert loci illius consuetudo: ita vt ex omnibus illis locis, quorum remotissima quinque dierum itinere à monasterio distant, quotannis mille sexcentas quinquaginta vaccas accipiat. Insuper huic monasterio multum frumenti debetur ex agris, qui dierum quindecim itinere in regna Tigremalum se exporrigunt. Hi agri vocantur Adetyeste, & quotannis quadraginta equos pendant, tot vaccarum numero æstimatos, vt supra dictum est, præter alia infinita iura. Sunt alia adhuc loca permulta, ad Regem pertinentia, quæ ex veteri consuetudine certum numerum equorum pendunt.

Denique Religiosi huius monasterii, vt creditur, triginta diebus in suo fundo & territorio iter facere possunt. Quidam ex ipsis admodum sunt deuoti, alii vitiosi. Multis superstitionibus sunt dediti, quas à Iudæis acceperunt. Sabbathum stricte obseruant, & sua olera ac panem pridie illius coquendum curant, ne vllum opus die Sabbathi manibus suis faciant, quo etiam ignem accendere ipsis religio est. Suntque omnium, qui in tota Æthiopia habitant, inordinatissimi. Vestes ipsorum confectæ sunt ex pellibus caprinis, instar coriorum nostrorum elaboratis, quæ vsque in terram dependent, & flauo colore tinctæ sunt. His cucullum superimponunt, qualis est Dominicanorum, ex iisdem pellibus concinnatum. Quod attinet ad capitis ipsorum velamen, non ipsi solum, sed omnes monachi, qui sunt in Æthiopia, comam alunt, exceptis presbyteris, qui sunt tonsi.

Cæteri Religiosi Æthiopiæ sunt fere omnes vnius Ordinis, nempe S. Antonii, quamuis aliqua sit inter ipsos quoad ieiunia & abstinentiam varietas. Quidam enim vescuntur carne, & bibunt vinum: alii ne conspectum quidem illius ferunt, nec patiuntur, vt cœnobiis suis inferatur.

Omnes ipsorum vestes sunt flaui coloris: quædam ex crasso gossypio, aliæ ex pellibus caprinis confectæ. Fœminæ religiosæ eodem modo vestitæ sunt, nisi quod nullum pallium super cucullum gerunt, neque comam alunt, sicut viri, sed solo cucullo amictæ incedunt, & capite sunt prorsus raso, quod fascia pellicea arcte cingunt, nisi quando sunt vetulæ: tunc enim vittas quasdam & vela capiti imponunt. Non includuntur monasteriis, sed villis & pagis, qui ex illis dependent.

Et quoniam, vt diximus, omnes sunt eiusdē Ordinis, proximo monasterio, in quo habitum acceperunt, sunt subiectæ. Templum non ingrediuntur, sicut nec aliæ fœminæ. Quædam ex ipsis sunt vitæ honestæ & sanctæ: aliæ, quæ pudicitiam non vsque adeo religiosè custodiunt, liberos habent.

Omnes Religiosi & Presbyteri huius regionis crucem ex nigro ligno manu ferunt: Presbyteri sunt raso vertice, & promissam barbam gerunt: contra laici comam alunt, & barbam infra mentum ac mustacem sibi abradi curāt. Plerique monachi nudis pedibus incedunt, & pauca sunt templa Presbyterorum, in quibus non ēt sint monachi: quædam vero reperiuntur, in quibus sunt ducenti Debeteras, hoc est, Canonici, & totidem monachi, qui honeste iustentantur.

In templo Caxumo, quod primum fuit ædificarum à Regina Candace, postquam fuisset baptizata ab Eunucho, qui primus baptismum acceperat à S. Philippo, trecenti sunt Canonici & totidem fratres. Vnam tantum modo Missam de die celebrant: quod non faciunt, nisi tres Presbyteri adsint, ad altare præparati, & nisi rhus habeant; omnes vero nudis pedibus incedunt: nā nemo templum ingreditur, nisi prius calceos exuerit: ingressi in templum sputum non emittunt: laici & fœminæ illud nunquam ingrediuntur, sed omnes foris manent in circulo, & illic sacramenta ex manibus ecclesiasticorum accipiunt, siue Presbyterorum, siue Monachorum.

Tintinnabula habent ex lapidibus & ferro: Religiosi semper duabus horis ante lucem surgunt, vt matutinas preces peragant, quas memoriter pronunciant: nec vlla est in templis lux, nisi quam præbet lucerna semper ardens, cui butyrum loco olei imponunt, quoniam oleis in illa regione carent. Matutinas alta & incondita voce canunt, clamantes potius quam canentes. Officium ipsorum non versibus aut sententiis intercisis, sed instar prosæ orationis peragitur, & totum consistit in Psalmis, quibus prosam festorum diebus secundum solennitatem, quam celebrant, addunt. Quamdiu sunt in templo, stant erecto corpore. In matutinis vnam tantum lectionem recitant, quam non minus incondite ordiuntur atque eam finiunt, eadem voce vtentes, qua sermo Iudæorum repræsentatur in passione Domini nostri: & præterquam quod habent vocem asperam & inconcinnam, lectionem tanta festinatione deproperant, quantam lingua consequi potest. Hæc lectio legitur ante primarium festum: qua finita processionem instituunt cum quatuor aut quinq; crucibus, quæ baculis non longioribus, quam sunt peregrinantium scipiones, insitæ sunt, quas manu sinistra sustinent. Dextra thuribulum tenent: tot enim semper sunt thuribula, quot cruces. Denique cucullos quosdam sericos admodum ineptos gerunt. Neque enim plus latitudinis habent quam segmentum Damascenum aut aliud quoddam segmen ex serico.

Quod ad ieiunia ipsorum attinet, quadragesimam inchoant die Lunæ sexagesimæ, atque ita decem diebus nostram quadragesimam anticipant. Tunc incipit generalis eorum abstinentia. Durante ipsorum quadragesima pane & aqua victitant: nam vt maxime piscibus vesci vellent, eorum copiam non habent, quia rariores sunt in ista regione, quæ à mari remota est. Flumina

mina quidem præstantibus piscibus abundant: sed artem illos capiendi ignorant: & si quando piscantur, raro id faciunt, nec nisi in stagnis magnatum. Itaque ordinarius ipsorum cibus est panis: nam cum quadragesima apud ipsos in mediam eorum ætatem incidat, oleribus propter defectum pluuiarum destituuntur: tametsi in multis monasteriis ea tanta studio excolant, vt toto anno illis suppetant. In aliis locis vuis & persicis vescuntur, quæ sub finem Februarii incipiunt matureſcere, & durant vsque ad finem Aprilis. Qui huiusmodi fructus habent, multo lautius viuunt. Præter panem, certo quodam genere grani vtuntur, quod caufam appellant, embamma quoddam conficiunt, in quod panem intingunt, quod asperum est, & ore coctum. Aliud præterea ecligma parant ex grano, quod vocant Thebbam. Illud instar synapis conficiunt, & Cenafficam appellant. His tribus ciborum generibus toto quadragesimæ tempore vtuntur. Lacte & butyro non vescuntur: nec vinum ex vuis aut melle factum bibunt: sed ordinarius ipsorum potus est grauis quædam cereuisia, quã Zaunam vocant, & ex hordeo ac milio coquunt. Ille saporem cereuisiæ nostratis refert. Multi Religiosi inueniuntur, qui ex deuotione toto tempore quadragesimæ nullo pane vescuntur: quidam etiam per totam vitam panẽ non comedunt: loco panis autem vtuntur Agricone, quod est genus herbæ illius regionis, ex qua iusculum conficiunt absque sale, oleo & aliis condimentis: & quando herba illa deficit, vescuntur Rhabazuso aut malua & lentibus, quas pura aqua macerant.

Quidam habitum gerunt ex corio, sine manicis, ita vt brachia ipsorum sint nuda: multi cingulum ferreum quatuor digitos latum super nudo corpore gestant, cuius partes cuspidibus quibusdam iunguntur, versus cutem inflexis. Alii toto die quadragesimæ non sedent, sed semper stant erecti: nonnulli per quadragesimam machinis quibusdam ligneis incumbunt, quæ sunt factæ ad mensuram corporis ipsorum, & similes sunt capulo seu vrnæ ferali absque operculo, à tergo ita accõmodatę, vt clunes suas in iis locare, & desuper humeros suos imponere possint: à fronte est pulpitum, ad sustinendũ librũ. Vestis ipsorum est cilicium ex pelle bouilla, sub qua cingulum ferreum nudo corpore gerunt.

Sunt, qui per quadragesimam se includant cauernis, in quibus herbis tantummodo & lentibus vitam sustentant.

Inueniuntur etiam Religiosi & Religiosæ, qui toto tempore quadragesimæ omnibus diebus Mercurii & Veneris noctem in aquis trãsigunt, collo tenus iis immersi: idque apud vrbem Cassimur, à Regina Candace conditam, vbi lacus est, in quo sunt plura sedilia lapidea, quibus complures Monachi Religiosi & alii Presbyteri illis diebus insident.

Alii non solum nullo pane vescuntur, sed etiam in profundas densissimarum siluarum valles, quo nullus hominum venire solet, se cõferunt, & illic per totam quadragesimam pœnitentiam agunt, sola aqua contenti. Commune ieiunium, quod plerique Religiosi tempore quadragesimæ obseruant, est, vt altero tantum die comedant, & vespere tantum, quando Sol occidit: diebus autem Dominicis & Sabbathi non ieiunant: ob eam causam quinquaginta dies in quadragesima obseruant: & quoniam de die vnam tantum Missam celebrãt, noctu eam peragunt, in qua omnes communicant: deinde cænatum eunt, allegantes exemplum Domini nostri, quem aiunt verum suum corpus confecrasse die Ieiunii, sub noctis crepusculum. Cæteris diebus, quibus nullum est Ieiunium, Missam canunt matutino tempore. Qui vero carnibus vescuntur, nullum discrimen diei Veneris aut Sabbathi obseruant: sed indifferenter iis vescuntur. Præter quadragesimam alia quoque ieiunia habent: primum, die Lunæ post festum Trinitatis: à quo tempore omnibus diebus, Sabbatho & die Dominica exceptis, vsque ad festum natalitium Domini nostri ieiunant: ab hoc autem die vsque ad purificationem B. Virginis, quam vocant festum S. Sauere, nulli ipsis sunt dies esuriales. Tribus primis diebus post Purificationem stricte ieiunant, & tribus illis diebus semel tantum comedunt, quam pœnitentiam Niniue esse dicunt. Tribus illis diebus, & in Aduentu ac quadragesima omnes promiscue, Presbyteri, seculares, viri, fœminæ, pueri, magni & parui, inuiolabiliter ieiunant.

Postquam verba fecimus de Religiosis, qui incedunt sub vexillo crucifixi, non extra oleas currere videbimur, si de iis aliquid dicamus, qui maiori ex parte sub hoc trophęo nunc militant, cum prius superstitionibus idololatricis dediti essẽt, nempe de incolis magnæ illius insulæ Iaponiæ siue Zipangu, vt beatus S. Franciscus Xauierus Iesuita refert in epistola, quam scripsit ad Patres suæ Societatis, qui sunt Conimbricæ, an. MDXLIX. quoniam in multis inter ipsos & Religiosos nostros conformitas & similitudo erat. Ait enim, præter ipsorum *Bonzes* ordinarios, qui instar Presbyterorum apud ipsos sunt, tria alia genera ipsos habere Monachis nostris non dissimilia. Hos *Lequixil* appellant: & fœminas, quæ Religiosas nostras referunt, *Hamacata* vocant: qui omnes monasteria habent in & extra vrbes. Qui in vrbibus degunt, nunquam matrimoniũ contrahunt, ex eleemosynis viuunt, vertice & mento sunt raso, longas togas gestant largis manicis: hyeme caput tectum habent, toto reliquo anno illud apertum gerunt: vna cibum capiunt, & sæpe in anno ieiunant: nullo animali vescuntur, quodcunque illud sit, vt maiorem pœnitentiam agant, quæ communis est omnibus aliis Monachis Iaponicis; media nocte surgunt ad orandum, cantando per dimidiam horam precantur: postea rursus cubitum eunt, vsque ad auroram, qua surgunt, vt rursus precentur: idem faciunt Sole oriente, meridie & vesperi: ac tunc

ali-

aliquem ſtrepitum edunt: quo audito populus in genua procidit, & manus iunctas in cœlum tollit, atq; vna precatur.

Hi *Lequixil* concionantur, & hortantur populum, multoſque habent ſectatores. Inter concionandum plorant, & auditores ad plorandum inducunt: tanta vis ineſt ſermonibus ipſorum.

Tertium genus horum Religioſorum etiam magna pœnitentiæ documenta edit: viuunt in commune, & atro veſtitu vtuntur. Omnes complura idola adorant, vt *Xacam*, quem aiunt natum octies mille annis, priuſquam mater ipſum conciperet: *Amidam & Quanonem*. Adorant etiam Solem & Lunam, quos vocant *Denix*. Hic populus adeo deuotus eſt erga ſuos Superiores, vt P. Michael Viletta Ieſuita ſcribat in quadam epiſtola, in quodam monte prope vrbem regiam Meac olim fuiſſe ſeptem millia monaſteriorum idolis dedicata, & inter alia vnum prædiues, in quo Reges & omnis populus vota faciebant, & quæ ipſis neceſſaria erant, expediebant, ingentia & opulentiſſima dona offerentes. Hic Diabolum apparere iis in viſione, qui ſua dona hoc loco offerunt, quibus ſignificet, ſe pietate illorum placatum eſſe, eoſque ab omni periculo & moleſtia liberaturum: & in poſterum negotia ipſorum proſperos vel aduerſos ſucceſſus habitura, prout vel ſedulo vel diligenter ipſum ſint culturi.

Hæc ea ſunt, quæ ſtrictim ac breuiter dici potuerunt de Ordinib. & Congregationibus, quæ ſunt in orbe Chriſtiano exceptis ordinibus & ſodalitiis militaribus, de quibus ſupra verba fecimus.

FINIS ARCHONTOLOGIAE COSMICAE.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN HAC *Archontologia Cosmica* contentorum,

IN HOC INDICE DENOTAT PRIMVS NVMERVS librum, secundus paginam, tertius partem alterutram columnæ, *p* adiectum, initium partis alterutrius in quaque columna, *m* medium, *f* finem.

A.

ABbates Principes Imperii quatuor I. 84.1.m.
Abbatia Brouensis elegantißimum ædificium quis exstruxerit I. 474. 1.p.
Abbatiæ præcipuæ Regni Arragoniæ I. 220.1.m. eiusdem Prioratus ibid.
Abbatis villa, ciuitas Picardiæ I.117.2.f.
Abbatiscella nomen pagi in Heluetia I.554.1.f.
nominis ratio ibid.
diuiditur in duodecim partes ibid.
Abbreuiatores, ministri Pontificis Romani, I.27.1.p.
Abbruzo, Italis Aprutium I.254.1.p. eius termini ibidem.
Abdaracha vrbs prouinciæ Dasilæ II.226.2.m.
Abdera vrbs Thraciæ, patria democriti I.630.2.p. dici hodie Polystilon multi autumant ibid.
Abderamus Maurus prroegis Hispaniæ interfector, se Cordubæ regem appellat I.236.2.m.
Abraham primus Patriarcharum Ecclesiasticis Ordinib. formam dedit & initium III.46.1.p.
Abremarus Episcopus Hierosolymis II.17.1.f.
Abrincæ, ciuitas Normandiæ maritima I.123.2.p.
Abrincanense oppidum, vulgo Aurenges I.150.1.m.
Absolutiones Magni Pœnitentiarii, apud Romanenses hodie I.27.2.p.
Abuna dicitur Abyßinis Patriarcha II.228.2.f.
Abundantia omnium rerum in Regno Neapolitano I.254. 2.m.
Abundantiæ officium in Rep. Lucensi, vide Lucensis.
Abundius Eleutherus, Pontifex I.35.1.p.
Abundis Zefyrinus, Pontifex I.35.1.f.
Abydus veterum Milesiorum colonia II.3.1.f. dicitur hodie Aueo ibid.
Abyßinorum Imperium quam sit latum longum, & idem quibus contineatur limitibus II.227.1.p.
Incolæ eius imperii regem suum summe venerantur, II.228.1.m.
sunt toti nigri ibid.
bonarum artium, doctrinarumque penitus rudes ibid. 2.m.
eorum vestitus, domicilia, & Facultates II.229. 1.f.
error illorum retinentium circumcisionem II, 23 2.m.
apud eosdem Templa indutis calceis ingredi nefas, il
eorum cæmiteria, sacramenta, Baptismus, Confessio Matrimonium II.233.1.per to
illorum sacerdotibus vxores ducere non permissum, bidem.
quos sacros habeant Ordines ibi
ceremoniæ eorum quas in sancta, vt vocant, hebd mada obseruant ibi
suam cum Francis vnionem ex duabus Prophetiis va ticinantur II.234.1.m
eorum Mores, vide Mores.
Gubernationis Modus, vide Gubernationi
duæ apud illos vigent religiones II.232.1.m
Achaia I.656.2.
eius fines ibi
regiones ibi
Montes I.657.1.
fluuii & sinus ibi
Achaia propria, Peloponnesi regio I.658.1.
incolarum eius mores ibi
Achates, lapis in Sicilia I.262.1.
Acomates Turcicus Imperator I.690.1
Acron Insulæ Corcyræ Promontorium I.600.2.
Achaa fluuius Galliæ I.119.2.
Acta Debrecinensia inter Legatos Rudolfi Imperatoris, Matthiæ Regis I.396.1.
Acus nauticæ siue marinæ vsus summus in longinquis na gationib. I.306.1.p. quando & à quo inuenta il

lamitæ germano vocabulo Grubenheimer in Bohemia qui fuerint I.88.1.f.
lclſtani, Regis Angliæ imperium & mors I.368.2 p.
leu vrbs regia & inter omnes Arabicas pulcherrima II.11.
2.m. aſtu à Turcis capta ibid.
endum oppidum prouinciæ Teneſniæ in Regno Feſſano II.
249.2.p.
mirallis in Dania officium I.423.2.p.
olphus, Comes Naſſouicus, Imp. I.106.1.m. Angliæ Rex
I.368.2.p.
riani nomen ex Pontificibus Romanis qui tenuerint vide
ſub voce Pontifices.
riaticum mare I.8.1.f.
Illius maris, vt & Ionici & Mediterranei Inſulæ ſub
venetorum Imperio I.599.1.p.
lterij pœna apud Abyſſinos I.131.3.f.
Suecos I.436.1.m.
les Concordiæ I.5.1.m.
Sacra in vrbe Veneta quot I.588.1.p.
Saterni apud Romanos I.5.1.m.
Veneris genetricis I.5.1.p. hodie Templum Mariæ li-
beratricis ibid.
Virginum Veſtalium I.5.1.f.
ificia Moſchorum qualia I.446.2.m.
les apud Hollandos I.518.2.f.
Romanos olim I.13.1.p. & 26.m.
eum mare I.677.2.f.
Raguſinos vide Raguſini.
ptus II.36.1.m.
eius ſitus & varia nomina ibid. termini ibid.
inhabitantium origo ibid.
figura regionis illius cui rei ſimilis ibid.2.f.
quam ſit longa II.37.1.p.
diuiſa olim in ſuperiorem & inferiorem ibid.m.
dicitur habuiſſe 26. millia oppidorum, quorum præci-
pua deſcripta ibid.
agri qualitas in illa regione II.40.& 41.
Mores incolarum & priſci & noſtri temporis II.42.
cum multis ſeqq.
gubernationis modus vetus II.45.1.m. poſt inclina-
tionem Romani Imperii II.48.1.p.
Religio incolarum noſtri temporis, & quæ Cophita-
rum viuendi ratio II.48.1.p.
Reges à deſtructione Imperii Romani vſque ad ſub-
actionem Imperatoris Turcarum II.48.2.m. vſ-
que ad 54.
iliānus Imp. vide Imperatores.
onia vide Macedonia.
as Syluius I.51.1.p.
es robuſti I.660.2.m.
rii & Quæſturæ Conſilium in Regno Hiſpaniæ I.207.
.f. eius membra, eorumque ſalaria annua ibid.
Cyprii fodinæ I.389.1.f.
ates duæ apud Abyſſinos II.227.2.f.
atis initium in India I.286.1.f.
ana mons Regionis Siciliæ I.262.1.p.
iopes in Imperio Abyſſinorum ſunt αὐτόχθονες II.
27.2.f.
India legem Mahumeta nam obſeruant I.292.2.f.
yopiæ vtriuſque ſe nominat Prete-Ianus II.226.1.f. v-
& Æthyopiæ deſcriptio ibid.
yopici ſoli ſumma fertilitas II.227.2.p.

Æfrica I.99.1.m. qui eam Mahometis dogmatibus primus imbuerit II.267.1.p.
Agatho Papa I.8.1.m.
Agathonius Siculus Pontifex I.40.2.m.
Agennarum territorum in Gallia I.13.1.m.
eius ſitus, Epiſcopatus & Oppida ibid.
Ager Comaclenſis qualis I.18.p.
Ferrarienſis I.9.1.p.
Geneuenſis I.621.1.f.
Genuenſis I.611.2.p.
Leodienſis I.70.1.m.
Lucanus I.618.2.m.
Romanus I.8.2.f.
Raguſinus, vide Raguſinus.
Sabinus I.7.2.p.
Tarantaſius in Sabaudia I.459.1.p.
Treuirenſis I.70.2.p.
Tyrolenſis I.69.2.f.
Wirtenbergicus I.69.1.m. quæ præterea agri vniuſcuiuſque regionis ſit qualitas habes ſub voce Natura.
Agla vrbs prouinciæ Ellabatanæ II.250.2.f.
Agmetum oppidum in colle Atlantis montis exſtructum II.248.2.f.
Agonalia feſta apud Romanos I.41.1.p.
Agoranomi qui in Rep. Athenienſi I.682.1.m.
Aiatarum familia I.218.2.f.
eorum tituli, prouentus, inſignia, ibid.
Aiſtadenſis Epiſcopatus I.88.1.m.
religio in illo ibid.
Alabaſtri fodinæ I.282.1.m.
Alacer Maurorum vocabulum quid innuat I.190.2.m.
Alani Luſitaniæ poſſeſſionem olim arripuerunt I.6.2.m.
Alaricus I.98.1.m. Gothorum Rex
alius Vandalorum Rex I.6.2.p.
Alarrium in Hernicis, oppidum Latii I.7.1.m.
Alba, ciuitas Languedociæ Galliæ I.122.2.f.
Alba Regalis, Stuelweiſſenburg I.388.2.m.
Albæ Ducis mors & ſepultura I.247.1.f.
Albania Macedoniæ pars I.656.2.m. plura vide Macedonia.
Albergus mons Epiſcopatus Alburenſis in Iutia Septentrionali, reliquias & monumenta Gigantum conſpiciendâ exhibet I.417.1.m.
Albertus Imperator Regnum Galliæ dono accepit à Bonifacio VIII. Pont. I.49.2.p.
Albertus I. Dux Auſtriæ I.106.
II. eiuſd. Auſtriæ Dux I.108.1.m.
Albertus Atellanus I.46.2.m.
Albertus Brandenburgicus ſit Lutheranus I.411.2.p.
Albertus, Iagellonis nepos ſit rex Poloniæ I.415.2.m.
Albertus Eremita Epiſcopus Aſcalonenſis ſit Patriarcha Hieroſolymitanus II.17.2.f.
Albigenſium mores I.142.2.f.
eorum ager quam ſit fertilis I.130.1.m.
Albi Eunuchi in Aula Turcica, vide Eunuchi.
ex Albi Arietis factione qui regnarint in Perſia, vide ſub voce Reges.
Albretenſis Ducatus à quo & quando erectus I.156.1.f.
Alcala de Henares I.192.1.m.

Al-

Alcantarensis ordinis Equestris Commendaturæ I.222.1.p.
eorundem prouentus,
Iurisdictiones, &
Prioratus ibid.
Alcantaræ in Regno Legionis ordo, vide Ordo.
Aldobrandus Cardinalis I.57.2.f. *eius factio ibid.*
Aldredi Regis Angliæ imperium & mors I.368.2.p.
Aleatorum magnus numerus Venetiæ I.586.2.f.
Alemanni & Teutones I.70.1.p. *à veterib. Germani dicti ib.*
Alenconius Ducatus I.153.2.p.
fuit olim Comitatus *ibid.*
à Carolo VI. in Ducatum erectus *ibid.*
ad regnum Francicum rediit *ibid.*
Alepum caput regionis Comagenæ, II.18.2.p.
eius situs *ibid.*
Aleuthus fons Scotiæ I.371.2.f.
Alexander vide Imperatores.
Alexandri nomen inter Pontifices qui tenuerint, vide sub voce Pontifices.
Alexandri VI. Pontificis constitutio ob tot nouarum rerum inuentiones in Orbe Nouo I.342.1.m.
Alexander Mediceus primus Dux Florētinus à Clemente VII. Pont. constitutus I.52.2.p.
Alexander Estensis I.56.2.m.
Imperator Constantinopolitanus I.685. *eius vita & mors* *ibid.*
Alexandri III. P.M. constitutio de electione Papæ I.30.2.m.
cogit Concilium Lateranense *ibid.*
Alexandria vrbs Ægypti olim inter præstantissimas totius mundi vrbes II.38.2.m
eius situs *ibid.*
exstructa est in crucis formam *ibid.*
in ea Cisternæ pulcherrimæ, item
rudera antiqui Palatii Cleopatræ Reginæ Ægypti II. 39.1.m.
Alexius Isaac. Comneni filius Imperator Constantinopolitanus I.686.2.p. *eius vita & mors, ibid.*
Alexius Manuelis filius, Imperator Constantinopolitanus I. 686.2.m. *eius mors, ibid.*
Alexius iunior Imperator Constantinopolitanus I.686.2.f. *eius mors, ibid.*
Alfandega Lusitanis quid I.245.2.m.
Alfaques quid I.190.1.m.
Alfeldensis familia in Holsatia opulentissima I.424.2.m.
Alfonsus I. primus Catholicæ cognomento ornatus fuit I. 227.1.f.
II. Rex Hispaniæ religiosus I.227.2.p. *vxorem attingere non vult, ibi. oppida exædificat duo ibid.*
III. Fratribus suis quatuor oculos effodi curat I. 227.2.f.
IV. Rex Hispaniæ, oculis priuatur I. 228.1.p.
V. Rex Hispaniæ I.228.1.f. *eius mors, ib.*
VI. Rex Hispaniæ Sanctium fratrem in exilium pellit III.228.2.m. *perforatur sibi manus ib. relinquit filiam Vracam* *ibid.*
VII. Eiusdem Regni Rex I.229.1.p. *quos habuerit liberos* *ibid.*
VIII. I.229.1.p. *quos habuerit cum vxore liberos ibid. prosper in bello, ibid.*
IX. Filius Ferdinandi Regis Legionensis *ibid.*
X. I.229.1.p. *quos ex Violenta habuerit liberos ib. vir doctus & sapiens, ibid.*
Alfonsus I. Rex Portugalliæ I.247.2.m
II. I.2482.m. *eius obitus, ibid.*
III. Comes Bononiæ, ibid. quandiu regnarit,
quando mortuus sit *ibi*
IV. Eiusdem Portugalliæ Rex *ibi*
eius vita & mors *ibi*
V. Eduardi filius, ibid. eius vita, mors, & sepultura, ibid.
Alfonsus de Aguillari à Mauris occiditur I.237.2.m
Alfredi Regis Angliæ imperium & mors I.368.2.
Almachoppidum Hiberniæ munitum I.384.2.m
Almadena vrbs I.191.2.
Almerica I.190.2.
Almericus, Gallus è territorio Houiodunensi ex Priori S.S.
pulchri fit Patriarcha II.17.2.
Almericus Lusinianus rex Hierosolymorum, II.14.2.m.
vita, obitus, & sepultura *ibi*
Alnienſis regiuncula Galliæ I.122.1.
Alnita oppidum Venetis parens I.598.2.
Aloes descriptio in Regno Calecutensi II.217.1.
Algerbia I.244. *de eo plura habet vox* Portugalliæ.
Algeria siue Algira vrbs olim sub rege Tremiseno fuit II.29
2.f. *eius situs* *ib*
Athama Maurorum quondam Regum Palatiū I.190.2.
mundi miraculum *ib*
Complectitur circuitu suo septem millia *ib*
Alharnense Castrum I.190.2
Aligrius, Consiliarius Regius I.57.1
Alsatia I.112.2.
eius limites, *i*
est duplex, Superior & Inferior *i*
vtraque quæ sub se contineat oppida, Castra, villa
quare abundet I.78.2.
Alsia Insula, sub Fionia comprehensa I.418.2.
eius præcipuum oppidum Sunderburgum, & cast
eiusdem nominis *i*
eiusdem Paræciæ quæ *i*
Alueus Ausidirini I.10.2
Vsentis riui I.20.
Alumen vbi eruatur I.9.1.f. I.254.2.f. I.650.
Amangassaqui vrbs Iaponiæ præcipua II.201.
Ambracia olim domicilium Regum Epiri I.656.2
Amaguncium regnum in Insula Iapan II.201.2
eius Rex quot regulos sibi subiectos habeat
Amalphis vrbs regni Neapolitani I.252.2
Amalphitanum littus vnde nomen habeat I.252.2
Amalphitanus ager iucundissimus ob riuos multos I.255
Amalricus Fulconis filius rex Hierosolymorum II.14.
eius obitus & sepultura
Amantius I.99.
Amasia vrbs Cappadociæ II.4.1
eius situs
est sedes præfecti Turcici
iuxta illam quæ agri fertilitas II.19.
Ambarualium fratrum sacra I.31
eorum author Romulus
vnde dicti
eorum duodecim erant
donabantur corona spicea I.32.
Amberga ciuitas Palatinatus superioris I.115.1.m. *capu*
lius regionis
Ambianensis Generalitatis Galliæ annui redditus I.144.
Amb

Amboſia, ciuitas Galliæ, ditionis Turonenſis I.120.1.p. eius arx præſtans ibi.
Amboyna I.284.1.m.
Ambracienſium mores I.660.1.m.
S. Ambroſii Fratres III.63.2.f.
S. Ambroſii fanum, oppidum agri Bononienſis I.8.1.f.
Ambroſii Spinolæ bella cum Hollandis I.536.1.p. & ſeqq.
S. Ambroſius I.37.2.p.
Amſterodamum in Hollandia nobiliſſimum totius orbis emporium I.513.2.m.
à quo munitum & quando muro cinctum ibid.
Ameciæ ciuitas Vmbriæ I.7.2.p.
Amedæorum ſiue Amicorum Dei Congregatio vide Ordines
Amedæus I. Dux Sabaudiæ Comes Maurianenſis ſecundus I. 468.1.f.
II. Comes Maurianenſis quartus vir bellicoſus I.469. 1.p. ſalutatur ab Henrico V. Imperatore primus Comes Sabaudiæ ibid. eius obitus, ibid.
III. quartus Sabaudiæ Comes, I.469.2.f. eius mors & ſepultura ibid.
IV. cognomento Magnus I.470.2.m. eius mors I. 471.1.p.
V. Comes Sabaudiæ I. 471.1.m. Principis titulo cohoneſtatur ibid. eius bella mors & ſepultura ibid.
VI. Comes Viridis, ob colorem viridem quem in ſigniter dilexit I.471.1.f. quos Equites inſtituerit ibid.
VII. cognomine Rufus I.472.2.p. coniunxit cum Sabaudia comitatum Nicæenſem ibid. eius mors ibi.
VIII. primus eſt, qui Sabaudiæ Dux ab Imperatore Sigiſmundo ſalutatus erat I.472.1.f. eius mors & ſepultura ibid.2.p.
IX. Dux Sabaudiæ tertius, ſimplex & religioſus I. 472.2.f. eius mors & ſepultura ibid.
nerica I.309.2.f.
diuiditur in Peninſulam Septentrionalem & Auſtralem I.310.2.p.
eius ambitus ibid.
Americis populis qui barbariſſimi I.331.1.f.
ſa vrbs Regni Feſſani in prouincia Teneſma II. 299. 1.f.
iralius qui ſit in Francia I.170.2.m.
penes illum quod Imperium ibid.
quæ cauſæ ad ipſum cognoſcendum pertineant ibid.
permittit halecum capturam cui vult ibid.
mani in vrbe Antverpienſi officium quale I.506.1.f.
nis Clarius I.7.1.m.
Liuentia I.596.2.f.
eius ſcaturigo ibi.
in eius ripa quæ loca ibid.
Lenonis ibid.
ores furtiui mulierum in Aula Turcica quæ ſe ipſos muerno depereunt I.649.2.f.
mpullæ Equitum Ordo vide Ordo
urathes Orchanis filius I. Turcarũ Princeps I.688.2.p.
eius bella geſta ibid.
mors ibid.
II. Rex Turcarum I.689.1.p.
eius vita & Mors ibi.
III. eorundem Turcarum Rex ibid.
eius vita & Mors ibid.
IV. iiſdem hodie imperat I.690.2.p.

Ana fluuius I.190.2.f. & 191.2.f.
Anabaptiſtarum dogma in Bohemia I.88.1.f.
ij Moraviam linquere coguntur ibid.2.f.
Weſtphaliam occuparunt I.86.2.m.
eaq; per Archiepiſcopum Colonienſem denuo electi ibid.
Anacleti ex Pontificibus Romanis qui dicti vide Pontifices
Anagnia, oppidum Latii I.7.1.m.
Anandalia Scotiæ Regni locus I.371.2.m.
Anaphe inſula maris Ægæi I.678.2.m.
Anas Portugalliæ fluuius I.244.2.m.
Anaſtaſius Imperator vide Imperatores
Anaſtaſius Pontifex vide Pontifices
Anatolia II.2.2.m.
quos ſub ſe prouincias continet, ibid.
quo fruatur aere II.18.2.m.
quæ eius fertilitas ibid.
à quibus habitetur II.24.2.m.
Ancona Vrbs, nauigiis & portu celebris I.7.2.m.
Anconitana Marca I.7.2.m.
Anconitanorum mores I.14.2.m.
Anconitanus portus I.14.2.p.
Ancyra vrbs celeberrima Scotiæ II.3.2.f. dicitur hodie Angaris ibid.
Andaluſia, omni Hiſpania fructibus & ſegetibus fauentior I.195.1.f.
eius ſitus, I.190.2.f.
eiuſdem incolarum mores I.198.1.p.
Andegauenſis ciuitas I.150.1.p.
Andegauenſis Ducatus Galliæ I.120.1.f. & 154.2.m.
eius ſituatio & ambitus ibid.
flumina ibid.
acceſſit regno Galliæ ſub Ludouico XI. Rege ibi.
Dux illius quare non Par Franciæ dicatur I.157.2.f.
in colæ eius quales moribus & ingeniis I.136.2.p.
qua re diuites I.141.2.f.
ager illius quibus rebus abundet I.128.1.p.
Andelotum, oppidum Campan. Gall. I.120.1.f.
Andium ciuitas Ducatus Andegauenſis Galliæ præcipua I. 120.1.m.
dicitur vulgo Angers ibid.
Andomatunum Lingonum Campan. Gall. oppidum I.120. 1.f.
Andreas Montaltus I.56.1.m. Cardinalis ibi.
Andreas Pecertus Cardinalis I.56.1.m.
S. Andreæ inſula in Propontide II.9.2.m.
S. Andreæ Cardui & Rutæ in Regno Scotiæ Ordo vide Ordo.
Andros inſula Archipelagi I.679.2.f.
Andronitus Cõnenus, Iſaaci filius, Imperator Conſtantinopolitanus I.686.2.m.
eius vita & mors miſerrima ibid.
II. Palæologi filius, Imperator Conſtantinopolitanus I.687.2.p.
eius vita & mors ibid.
III. ibid. eiuſdem vita & mors ibid.
Angelus Patritiatus venetæ Reipublicæ Dux. vide Duces
Anglanum oppidum Hiberniæ munitum I.384.2.p.
Angli politi, ad diſcendas artes & agendas perſonas quaſuis aptiſſimi I.352.2.f.
ſagittandi artis periti, ibid.
milites boni, ingenii ſublimis & imperioſi ibid.

voracitati carnium, ebrietati & furto dediti ibid. per tot. & seq. 353.
eorum negotiatio est lana, stannum, &c. I.352.2.p.
Catholico, ex illis, more viuere volentib. quale sit tributum impositum ibid.2.m.
Curiæ apud illos variæ I.362.2. per tot.
Anglia I.348.2.m.
eius vetera nomina Albion & Britannia I.349.2.f.
nominum illorum ratio ibid. & seqq.
externa huius insulæ forma est triquetra I.350.1.m.
eius promontoria varia magnitudo & ambitus totius insula ibid.
terra in illa ingenium & natura ibid.
venenatorum & noxiorum animalium, item & luporum impatiens, ibid.
eius diuitiæ ibid. & seqq.
segetibus in illa quantum damni alites inferant I. 351.1.p.
piscibus optimis, auro, argento, & aliis metallis abundans ibid.
erarii & fisci regii in eadem qui prouentus I.353. 2.f.
ordinarii redditus coronæ Anglicanæ I.354.2.m.
extraordinarii ibid.2.f.
quantum pecuniæ insumatur in Aulæ Regiæ ministeria I.355.1.f.
nauium numerum in Oceano quem habeat ib.2.f.
situs illius perquam optimus ibid.
nunquam bello aut armis externis capta I.356.1.p.
apparatu quanto & quo tempore classis ab Hispano Rege ad illam subigendam instructa fuerit ib.1.m.
quæ potentia eius marina I.357.1.f.
terrestris I.358.1.m.
forma gubernationis in ea I.359.2.m.
officia regia in ea I.360.1.p.
ordines ibid.
Parlamenti in ea summa auctoritas ibid.
Iudicum Ordo triplex I.361.1.& 2. in conuocandis illis qui Ordo seruetur ibid.2.m.
Sedes regia I.362.2.p.
supplicia visitatoria ibid.
Religio Christiana in eam per quē introducta & cōfirmata fuerit ibid. quæ hodie in ea floreat I. 366.
Monasteria eius vt & Religio Romano Catholica in ea, per quem penitus abolita I.365.1.f.
Elisabetha regina olim coronatio ibid.2.m.
Regum eius series I.368.1.f.& seqq.
Fœdera quæ iis cum exteris intercedant I.369.1.f.
Archiepiscoporum & Episcoporum in ea series I.370.2.f.
Angræ ciuitatis nomen vnde I.275.1.f.& 276.1.p.
montium penes illam nomina & altitudo ibid.
est caput omnium Flandricarum Insularum ibid.
Anguillarū captura ingentium ad portū Caprasiæ I.9. 1.m.
Angusia regio amœna Scotiæ I.371.2.m.
Anicium (hodie Le puii) oppidum I.151.1.f.
Animalia quæ in quoque Regno, & Regionibus aliis inueniuntur habes sub ipsis Regnis & Regionibus.
Anio fluuius I.11.1.p.
Anna Britannica I.124.1.f. quibus sit desponsata ibi.
Annæ Prophetissæ filiæ Phanuelis vita religiosa III.46.2.m.
Annæus Seneca, vt sapientissimus, ita & auarissimus I.22. 1 f.
Anni in India ratio I.258.2.f.
Annatarum inuentio I.50.2.m.
Annius Florianus Imperator vide Imperatores.
Annonæ Præfecti officium, vide Præfectus Annonæ
Annunciationis Equitum in Sabaudia Ordo vide Ordo
Anthemius, Episcopus Constantinopolitanus I.39.1.f.
Anteros, Græcus, Pontifex I.35.1.f.
Antes, peregrinum animalis genus in India Occidentali I. 319.1.m.
Anticulum I.9.1.f.
Antigraphei Reipublicæ Athenienſis I.670.1.p.
Antiochis dominantibus olim in Synagoga varii tumultus I.45.
Antirrhium promontorium I.658.1.m.
Antistius vxorem quare repudiarit I.13.1.p.
S. Antonij hospitaliorum ordo II.54.1.m.
Antonij Regis Portugalliæ filij clades I.274.1.m
Antonij Calmonsii literæ fiduciariæ Caroli Principis Aragoniæ &c. Rhetis ob motus quosdam ab ipso oblatæ I.568 1.m.
Antoninus Geta, Verus, Pius, Impp. vide Imperatores
S. Antonius Eremita quando floruerit, & obierit III.49 1.m.
Antonius Gozadinus I.56.2.m
Saulius ibi
Antrum immensæ magnitudinis in Regno Neapolitano 254.2.f.
Trophonii I.662. illud ingredienti quid faciendu ibid.
Antuerpiense Castellum munitissimum, Princeps Arausionensis frustra expugnaturus aggreditur I.547.1
Antuerpiensis vrbis gubernatio I.506.1.
Apamiensis Episcopatus Galliæ I.123.1.
continet intra se Foxensem comitatum ib
Apicularum in Polonia numerus incredibilis I.401.1
Ἀποδέκται decem in Republica Athenienſi I.669.2.
Apollonia olim celebris vrbs Macedoniæ I.656. dicitur ho ib
Piergus I.14.1.
Apollinares Ludi
Apollinis ara in vinea Cardinalium Ferrariensium I.4.1.
Apollinis templum iuxta vrbem Calydoneæ I.662.1. ib
in illo quomodo sacrificia peracta
Apollonia vrbs Thraciæ I.630.2.
Appollonius Abbas vbi vixerit III.49.2. ib
quot religiones imperarit,
Apparatus nauium ab Hispaniæ Rege, Angliam oppugnat quantus sit institutus I.202.2.p. ad illum quæ regio pecuniam contulerint
Appenninus mons I.7.2.
Appius Claudius quare cæcus factus I.31.
Aprutii, partis terræ Neapolitanæ, termini I.254. ib
eius diuisio,
oppida in illo contenta
est frigidissima regio I.255.2
Apulia veteribus duplex I.253.2. viri

vtrinſq; oppida ibid.
multa pecorum armenta feliciter nutrit I.255.1.m.
Apulia Peucetia ſiue
Bariaria quæ in ſe loca contineat I.253.2.f.
Apulorum in Regno Neapolitano mores I.255.2.m.
Aqua Nigra ſcaturiens infra Narniam, oppidum I.11. 2.p.
Aquæ in Lomundo lacu Scotiæ ſæpius nullo vento flante concitantur I.372.1.m.
Tyburtinæ I.11.2.p.
Medicatæ in Regno Neapolitano I.254.2.m.
Sextiæ, vrbs Galliæ præcipua I.125.1.m. ſedes Parlamenti ibid.
Aqualiculi cur Indi dicti. I.287.1.m.
Aquapendens I.7.1.f.
Aquincum alias Buda vrbs Hungariæ I.388.1.m.
Aquitania quando & quomodo ſub regium dominium Francicum peruenerit I.153.1.m.
